163

7446

6
149

BASILII PONTII

LEGIONENSIS AVGVSTINIANI,

APVD SALMANTICENSES THEOLOGIÆ
DOCTORIS ANTECESSORIS
PRIMARII,

DE SACRAMENTO MATRIMONII,

AD SERENISSIMVM FERDINANDVM
HISPANIAE INFANTEM S. R. E. CARDINALEM,
ARCHIEPISCOPVM TOLETANVM PRIMATEM, SVPREMVM CASTELLAE
CANCELLARIVM.



SALMANTICÆ,
Apud Antoniam Ramirez Viduam. Anno
Domini clɔ. Iɔɔ. XXIV.

BASILII PONTII

LEGIONENSIS AVGVSTINIANI,

APVD SALMANTICENSES THEOLOGIÆ

Doctoris Antecessoris

Primarii.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

AD SERENISSIMVM FERDINANDVM

Hispaniæ Infantem S.R.E. Cardinalem,

Archiepiscopum Toletanum Pri-

matem, Svpremvm Castellæ

Cancellarium.

SALMANTICÆ,

Apud Antonium Ramirez Viduam. Anno

Domini cIↃ.IↃC.XXIV.

Facultas Patris Prouincialis Castellæ.

MAGISTER Frater Ioannes de sancto Augustino, Prouincialis huius Prouinciæ Castellæ obseruantiæ, ordinis sancti Patris nostri Augustini, facultatem concedo, vt typis mandetur tractatus iste de Matrimonij sacramento, à Magistro Fratre Basilio Pontio Legionensi in Salmaticensi Academia Cathedræ Durandi Rectore erudite compositus, & diligẽti examinatione, grauiq; iudicio à nostris approbatus. In quorum fidẽ has literas manu nostra subscripsimus, nostrique officij sigillo munitas dedimus. Matriti die Maij 13. anno Domini 1620.

Fr. Ioannes de sancto
Augustino Prouincialis.

Approbatio ex commissione Ordinarij.

DE mandato Doctoris Petri de Angulo Sarauia Prouisoris Salman. non sine magna voluptate atque mei fructu vidi, diligenterq; perlustraui hunc tractatũ eruditissimi M. F. Basilij Pontij Legionensis in Academia Salmantina Cathedræ Durandi meritissimi moderatoris, de sacramento Matrimonij, in quo nihil orthodoxæ fidei, Sanctorum Patrum doctrinæ, rectæ morum institutioni, ac pietati Christianæ non consonum reperi: sed potius sanam, singularem, atque valde vtilem doctrinam nimia rerum varietate, & eruditione, præsertim sacrorum Canonum, Conciliorum, atque vtriusque iuris non vulgaribus illustratam Decretis. Opus proinde æque Canonici & Ciuilis iuris, ac sacræ Theologiæ, professoribus vtile & necessarium. Inter alia, quæ auctor suo vaferrimo ingenio, admirationeq; digna præstat, illud nõ infimũ tenet locũ, quod hoc iusto volumine, quæ alij de hac re latiori calamo scripserunt, breuiori, ditiori tamen, complectitur. Non solùm enim nihil intactum, nihil indecisum relinquit, sed multa alia singularia scitu digna addit. Id solùm est, in quo displicere posit, quod tanto latuerit tempore. Illud enim tractatus de impedimentis Matrimonij eiusdem Auctoris, eiusdemq; eruditionis iam pridem in lucem editus magnopere desiderabat. Quapropter dignum censeo quòd typis mandetur, vtpote communi bono non mediocriter profuturum. Salmanticæ in Conuentu S. P. N. Augustini 5. die mensis Maij. Anno Domini 1620.

Fr. Francisco Dominguez.

Facultas Ordinarij.

CONcessit facultatem Ordinarius Salmanticensis, 27. Iunij. Anno 1620. Vt latius in originalibus literis continetur.

Approbatio ex commissione supremi Senatus.

TRACTATVM de Matrimonio, Auctore Magistro F. Basilio Pōtio Legionensi Augustiniano apud Salmanticenses Cathedræ Durandi Antecessore, iussu supremi Senatus Castellæ, censoria cura vidi. In quo nihil fidei orthodoxæ, aut rectis moribus contrariū inueni. Acribus, seruidisque ingenijs assiduæ lectionis dicendi facultatem non adimi, neque exhauriri penum, etsi alij res serio, & luculenter tractauerint, opus ostendit: prælo & luce dignissimum censeo. Matriti 6. Idus Septembris, anno Domini 1620.

D. Phelix de Guzman
I.V.D. Archid. & Can. Hispalensis.

Regia facultas.

PHILIPPI Tertij Regis Catholici priuilegio cautum est in decennium M.F. Basilio Pontio Legionensi, tunc Theologiæ in Durandi, nunc in Primaria Cathedra apud Salmanticenses Antecessori, ne quis librum de Sacramento Matrimonij ab ipso elaboratum imprimere, aut alibi impressum in Castellæ ditionis fines inducere audeat, constituta pœna in eos, qui contra fecerint, vt latius in Regio Diplomate continetur, quod expeditum fuit apud Sanctum Laurentium, Septembris 26. anno Domini 1620.

TASSA.

TASSOSE este libro â quatro marauedis cada pliego, por los Señores del Consejo, y mandaron que esta tassa se ponga al principio de cada libro, y que no se pueda vender sin ella, Como da fe Martin de Segura escriuano de Camara. En Madrid à 11 de Março de 1624. años.

SERE-

SERENISSIMO
FERDINANDO HISPANIAE
INFANTI S. R. E. CARDINALI, ARCHIEPISCOPO TOLETANO, PRIMATI, SVPREMO CASTELLAE CANCELLARIO.

AD quem alium liber meus de Matrimonij magno Sacramento cum suo naufrago Auctore confugeret, nisi ad Celsitudinem tuam SERENISSIME FERDINANDE, quem genuisse parentibus tuis Philippo & Margaritæ, etiam iam beatis, insignis cuiusdam gloriæ est, eritq; indies maior accessio. Vigent enim in C.T. egregiæ naturæ, & gratiæ dotes, cum virili pectore prima species, cum Maiestate humanitas, cum hilaritate seueritas, cum viuacitate ingenij (quod rarissimum est) iudicandi maturitas, cum potestate modestia, & efficti ad virtutem mores: neque enim aliquid te iudicas posse, nisi quod omninò cum regula æquitatis consentiat. Audiuimus sæpe hæc duo C. T. semper cordi esse, ne in tuo animo vel leuis admittatur culpa, ne aliqua tuis ouibus vel leuis inferatur iniuria. His duabus Columnis fælicius quàm alijs Hercules, insculpe NIHIL VLTRA. Agnoscat ergò Christianus orbis in C. T. parentis Philippi animum solida virtute ornatum, Philippi Secundi iustitiæ, & integritatis cultorem, superioremq; priuatis quibusq; aulicorum conatibus, Caroli Quinti inuictum fidei defensorem, Ferdinandi & Isabellæ in propaganda fide, & imperio intentum, & fælicem; Henrici ex ratione Magnificum; Alphonsi erga sapientes affectum; Ferdinandi alterius Sanctũ; Pelagij, & Instauratorũ Regum fortem, constantem, atque magnanimum; adeò, vt quæ cælum propicio vultu omnibus Hispanis Regibus sparsim contulit, in C.T. cumulatissimè cuncta congessisse videatur. Te sane ex Augustissimis Imperatoribus editũ Sanctus Fulgentius noster, dum Imperatoriam Maiestatem adhortatur, ad viuum depinxisse credatur, cum scriptum reliquit: Clementissimus quoque Imperator non ideò est vas misericordiæ præparatum in gloriam, quia apicem terreni principatus accepit: sed si in Imperiali culmine recta fide viuat, & vera cordis humilitate præditus culmen Regiæ dignitatis sanctæ religioni subijciat: si magis in timore seruiat Deo, quàm in tumore dominari populo delectetur: si in eo lenitas

iracundiam mitiget, ornet benignitas potestatem: si se magis diligendum quàm metuendum cunctis exhibeat: si subiectis salubriter consulat: si iustitiam sic teneat, vt misericordiam non relinquat: si præ omnibus se Sanctæ matris Ecclesiæ Catholicæ meminerit filium, vt eius paci atque tranquilitati per vniuersum mundum prodesse faciat suum Principatum. Magis enim Christianum regitur ac propagatur imperium, dum Ecclesiastico statui per vniuersam terram consulitur, quàm cum in parte quacunque terrarum pro temporali securitate pugnatur. Hæc Fulgentius. Viuat igitur C.T. in Ecclesiasticorum Columnam, proborum coronam, litteratorum præmium, auarorum ruinam, insolescentium obicem, sceleratorum supplicium, viuat denique, & Ecclesiæ, & Orbi. Agareni namq; in tuo ortu mœrore confecti insigne aliquod sub te Christianæ Reipublicæ, & Orbi augmentum portendunt. Me ab excelso C. T. solio grauiter iactatũ respice, in hoc Deo similis quod à supremo diuinitatis fastigio ad humilia oculos animumq; conuertit: faue vt maiora tuo nomini consecrare valeam, cui me totum iam diu ex voto consecraui. Ex Salmanticensi Augustiniana domo, Martij die primo, qui Angelo Custodi sacer est (bono certe omine) anno Domini M. DC. XXIIII.

Basilius Pontius Legionensis.

BENEVOLO LECTORI.

EXISTIMABIT fortasse aliquis frustra à nobis laborem susceptum in tractatione de sancto Matrimonij Sacramento, cum in ea fœliciter laborauerit Pater Thomas Sanchez. Tanti Patris diligentiam agnoscimus, laborem admiramur, veneramurque: sed validus iste messor reliquit nobis aliquas, quas colligeremus, spicas, sicut & nos reliquisse alijs certò scimus. Neque enim omnia isto volumine potuimus comprehendere, quæ ad tractatum istum facere iudicamus. Multa quòd ingenij nostri tenues vires effugiũt. In multis etiam fortasse veritatem non attingimus, quamvis eius tantum assequendę studio nullius gloriæ inuidi tenemur, & ob eam tantum comparãdam laboramus. Mihi enim excellens studiorum meorum præmium visum semper fuit sola veritatis cognitio. Ea in quibus, cum isto Doctore conuenimus, breuiter indicamus eo citato, alijsque qui scripsere postea. Illa verò, quæ vel ipse aut nullo modo, aut leuiter attigit, aut in quibus ab illo dissentimus, latiùs examinamus. Nonnulla alicui extra rem fortasse disputata videbuntur: sed quia vel principia sunt, ex quibus in hac materia non pauca colliguntur, vel ex principijs traditis sequuntur, omittere non potuimus. Video enim hanc Moralia tractandi rationem placere multis; & quamvis mihi non nimis placeat, dicam tamen, si insipiens factus sum, vos me coegistis. Magna rerum & doctrinarum varietate plena tractatio est, quæque Theologum, & in vtroque iure non parum versatum exposcit. An omnibus istis titulis satisfecerim, Lectoris esto iudicium, beneuoli inquam; nam maleuolo quis placere audeat? Hæc accipe Lector, dum alia, quæ præ manibus habemus, non minori varietate referta, in lucem damus.

BENEVOLO LECTORI.





MAGISTRI FRATRIS BASILII PONCII LEGIONENSIS AVGVSTINIANI, APVD SALMANTICENSES IN DVRANDI CATHEDRA ANTECESSORIS.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

PROOEMIVM.

HOC opus de Sacramento, & contractu Matrimonij, neque satis magno volumine explicaturi, aptè diuidimus in quatuor præcipuas partes. Prima explicat rationem, & essentiam matrimonij. Secũda ea, quæ cum matrimonio pugnant. Tertia effectus. Quarta affinia, siue adiuncta. Ideò totam hanc materiam, quæ magna rerum varietate constat, duodecim libris comprehendimus. Primus agit de essentia ac institutione Matrimonij. Secundus de causa efficienti matrimonij, hoc est, de consensu absoluto. Tertius de consensu, cui adest conditio. Quartus de his, quæ pugnant cum matrimonio ex parte cõsensus, vt cum

adeſt coactio & error. Quintus de his, quæ pugnant cum matrimonio ex parte formæ, hoc eſt, de matrimonio clandeſtino. Sextus de his, quæ repugnant ex parte perſonæ contrahentis, impediuntque tantùm, hoc eſt, de impedimentis non dirimetibus. Septimus de impedimẽtis dirimentibus. Octauus ob rerum cohærentiam, & connexionẽ, de diſpenſationibus agit. Nonus de his, quæ repugnãt vinculo & cohabitationi, hoc eſt, de diſſolutione vinculi cõiugalis, aut authoritate Pontificis, aut conuerſione ad fidem, vel ad religionis ſtatum, & de diſſolutione coniugij quoad habitationẽ, & thorum per diuortium. Decimus explicat inter effectus matrimonij poteſtatem mutuam in vſum corporum, quoad debitũ coniugale, & in actus animæ, quoad vota impedienda vel irritanda. Vndecimus agit de alio coniugij effectu, ſcilicet de originis confirmatione, quam vulgo legitimationem vocant, ac de communione bonorum vtriuſque coniugis aliqua. Duodecimus inter affinia matrimonij explicat, quæ ad ſponſalia ſpectant. Ea autem, quæ ad ſponſalitiam largitatem pertinent, in alium locum reſeruamus. Atque his vniuerſam hanc diſputationem, quæ & immenſa & varia eſt, comprehendiſſe videmur. Faxit Deus, vt veritatem attingamus, vel ad eam quam proximè accedamus.

DE

DE MATRIMONII INSTITVTIONE, ET ESSENTIA.

LIBER PRIMVS.

Doctrinæ ratio postulare videtur, vt explicemus primo loco, quæ pertinent ad eas quæstiones, quas Philosophi vocant: An sit, & quid sit Matrimonium. Cumque in matrimonio sit ratio cõtractus, & ratio sacramenti, eius secundum vtramque rationẽ quidditatem hæc primo libro explicabimus, vt postea ad alia transeamus.

De Matrimonij varia appellatione,

CAPVT PRIMVM.

SVMMARIVM.

Commendatio Matrimonij ex Iustiniano, Iustino, Leone Imperatoribus, & Ambrosio. num. 1.

Varia vocis Matrimonij significatio. n. 2.

Matrimonium, & coniugium, & sponsalia, & nuptias vocari, redditur vniuscuiusque vocis ratio: illustratur locus ex Genesi. Nuptiarum nomen sæpe à Matrimonio significatione distingui. num. 3.

DE Matrimonio disputaturi, non mirum si, vt I. C. solemne est vnumquemq; iuris locum fere ordiri ab eius commendatione, quam vt plurimum ex vtilitate ducunt, vt passim videre licet apud Vlpianum: verbi gratia, in *l. 1. D. de minoribus, & l. 1. D. si certum petatur*, etiam nos librũ hunc in quo de nuptijs, & matrimonijs dicturi sumus, ab encomio, & laudibus argumenti tractandi exordiamur. Quãquam, & id argumentum eiusmodi est, vt se ipsum cuilibet tacito naturæ sensu, atque instinctu satis commendet. Iustinianus quidem Nouella 22. in principio hæc habet: *Si matrimonium sic est honestum, vt humano generi videatur immortalitatem artificiose introducere, & ex filiorum procreatione renouata genera manẽt, iugiter Dei clementia, quantum est possibile, nostræ immortalitatem donando naturæ, rectè nobis studiũ est de nuptijs.* Similiter idem Imperator nouella 39, in fine procemij: *Nuptijs* (inquit) *nihil est hominibus vtilius, tanquam*

solis facere homines valentibus. Conferantur cum his aliorum quoque Imperatorum elogia, quibus nuptias exornarunt. Imperator Iustinus minor nouella 2. in principio: *Nihil* (inquit) *in rebus mortalium perinde venerandum est, atque matrimonium, quippe ex quo liberi, omnisq; deinceps sobolis series existat, quod regiones, atque ciuitates frequentes reddat, inde denique optime Reipublicæ coagmentatio fiat.* Est hæc inter Iustiniani nouellas 140. Sed rectè Cuiatius eam adscribit Iustino Secundo. Leo Imperator nouella 111. hæc de matrimonij laudibus scribit: *Nihil adeò ad conseruandum genus humanum esse necessariũ, atq; quod cõsta viro attributum est subsidium, cum artifex ille, qui istud condidit, tùm ipsa natura diuino documẽto attestatur. Nuptiæ* (inquit, Ambrosius & habetur *in cap. nuptiæ 32. quæst. 1.*) *terram replent, virginitas Paradisum.* Vt enim idem Ambrosius, *lib. 1. sup. Lucam. Diuinum munus est fœcunditas parientis. Agant itaque parentes gratias, quia generauerũt; filij quia generati sunt matres quia coniugij præmijs honorãtur. Vernet in Dei laudem terra, quia colitur, mũdus, quia cognoscitur, Ecclesia, quia deuotæ numero plebis augetur.* Sed hæc ad commendationem matrimonij protulisse sufficiat, quibus etiam non pauca aliunde ab vno quoque poterunt aggregari.

2 Matrimonium autem, de quo sermo instituendus est, quandoq; significat bona materna, vt ex Valerio Maximo lib. 7. cap. 8. Seneca li. 1. de benef. ca. 3. Sueto. in August. probat Borcolten *inst. de nuptijs in principio num. 1.* Interdũ etiam maris, ac fœminæ coniunctionem, de qua in præsenti agendum est, initio sumpto ab eius vària appellatione.

3 Matrimonium ergo non vno appellatur modo. *Coniugium* dicitur, *l. à Caligato milite, C. de nuptijs*, quia duos sub eodẽ iugo perpetuo coniũgat: à copulãdo scilicet, quod coniũgere Auctore Marcello est copulare sub eodem iugo: vnde *coniuges*, quod sint pares eiusdem iugi. Festus lib. 9. *Matrimonium* à matre, quia ideò potissimum mulier nubat, vt mater fiat, vel quod matris nomen speret, Augustinus, lib. 19. contra Manich. cap. 26. Quod antea Agellius, lib. 18. capit. 6. vbi scribit matrimonium dici à matris nomine, non adepto, iam, sed cumspe, & omine mox adipiscendo, & sequutus est Isidorus, libro 9. Etymol. Vel quia ea certa parens prolis, nõ ita certus pater est, vt testimonio Homeri probat Couar. 2. p. de matrim. cap. 1. in princip. Mater enim semper certa est, etsi vulgo cõceperit, *l. 5. D. de in ius vocando*, cum pater incertus sit, *l. filium D. de his qui sui vel alieni iuris*, & iuris præsumptione, non vera, & certa probatione ostẽdatur, imò impossibilis eius ostensio reputetur in iure, vt multi vulgo probant ex *l. Lucius Titius, D. de condi. & demonstrat.* de quo tamen alias. *Sponsalia*, etiam nõ semel in iure vocari matrimonium docet Couar. 1. p. de matrim. c. 1. Vnde *Spõsum* pro marito accipi cõmune est, & Hispani *despoſado* el casado, vt probauit etiam decisio Rotæ apud Seraphinum 140. illiq; lucutioni apud Hispanos stãdum esse decreuit. Dicitur etiam *Connubiũ* siue *nuptiæ*, quasi à nubendo, eo quod velamine tegantur coniuges, cum benedictionem accipiunt. Id quod ad antiquissimam consuetudinem referendum ostendit illud. Genes. 20. de quo etiam est mentio *in c. nec illud 10. quæst. 5.* Cum enim Abimelech Saram sororem Abrahæ esse existimãs sibi accepisset vxorem, & postea à Domino correptus vxorem esse agnouisset, illamq; marito redderet, dixit: *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit in velamen oculorũ ad omnes qui tecum sunt, & quocunque perrexeris memẽto te deprehensam.* Incedebat quippe solutis crinibus more virginũ. Quare vt non virgo, sed vxor esse cognosceretur, dedit ad emendum sibi velamen, quo operiretur coniugatarum more, mille argenteos; ne alius sororem esse putans deciperetur. Sic plerique; quos sequitur Martinus Delrio in eum locum, licèt hanc sententiam non sine sale mordicante Saram prolatã existimet. De eodem etiã velamine Genes. 24. vers. 65. & cap. 38. vers. 14. De eo etiam Brisonius de ritu nupt. fol. 29. Nam certè apud Romanos olim mulier nupta, & obuoluta, tectaque velamine lutei coloris, vt est apud Plinium, in domum mariti deducebatur. Ex quo *nuptias* nomen ciuile esse, & potius solemnitatem, celebritatemque contractus coniugalis, quam ipsum coniugium denotare aduertit Vvesembech. in Parat. de ritu nupt. num. 1. Vnde non raro *Nuptiæ, & Matrimonium*, vt diuersa ponuntur, *l. si aduersus 10.* in verbis, *neque nuptiæ, neque matrimonium*. Videndus idem Vvesembechius, & Cuiatius lib. 6. obseruat. cap. 32.

Sed

Sed de matiimonij nominibus latè Paludan. in 4. dist. 26. quæst. 1. ar. 1. ex Hostiensi in summa tit. de sponsalibus, & matrimonijs, Borcolten inst. de nup. à num. 3. Hugo Donellus, lib. 13. cap. 18. §. *Rempub. secutæ appellationes*, & erudite Petrus Greg. lib. 9. syntagm. iuris, cap. 1.

Explicatur definitio matrimonij.

CAPVT II.

SVMMARIVM.

In matrimonio plura considerari, & ideò plures etiam eius definitiones esse. n. 1.
Definitur matrimonium, vt dicit vinculum, ex contractu resultans. num. 2.
Huic accedit communis definitio, num. 3.
Definitio I. C. & Imperatoris. nu. 4.
Diuini, & humani iuris communicatio, à quibusdam explicatur, non recte. num. 5.
Legitima eius explicatio. Publica, & priuata sacra. Nonnulla ex iure, & auctoribus illustrata. num. 6. & 7.
Quid sit illud humani iuris? num. 8.
Reprehensio Zabarelæ reijcitur. Quodlibet matrimonium ea definitione comprehendi. n. 9.
Matrimonij, vt sacramentum est variæ definitiones ex Maiore. Rubione, Valentia, & Toleto. num. 10.

1 CVM in matrimonio multa sint, & contractus ipse, siue actio contrahendi, & mutua vtriusq; coniugis obligatio, quæ ex contractu sequitur aut vinculum animorum vtriusq; coniugis indissolubile, & potestas, siue facultas ad vtendum corpore coniugis, & denique vsus eius potestatis; ideò variæ de matrimonio definitiones assignantur à Doctoribus, dum vnumquodque horum appellant matrimonium. Hugo Victorin. lib. 1. de Sacramentis par. 11. cap. 4. inquit esse *duarum personarum legitimum consensum*, qua definitione proculdubio explicat actionẽ ipsam contrahendi.

2 Alij potissimum sua definitione respiciunt vinculum, & obligationem mutuam matrimonij. Vnde Augustinus non vno in loco definit *esse legitimam societatem inter virum, & fœminam, in qua de pari consensu semetipsum debet alteri.* Alij sic. *Est dominium mutuum corporum viri, & mulieris irrenocabile, collatum ex mutua translatione corporum in se inuicem facta, ad prolem in charitate, & debite procreandam.* Sic Guillermus Rubion in 4. distinct. 26. q. 1. art. 1. Alias etiam matrimonij definitiones affert Paludanus in 4. distinct. 26. quæst. 1. art. 2. Ad eãdem etiam obligationem, & vinculum respexit Magister in 4. distinct. 27. cum sic definit: *Matrimonium est viri fœminæq; coniunctio maritalis, inter legitimas personas, vitam indissolubilem retinens.*

3 Parum ab ista differt communis, & recepta definitio, quæ assignatur in vtroq; iure. *Matrimonium, est coniunctio maris, & fœminæ inter personas legitimas, individuam vitæ consuetudinem retinens.* Sic Alexander Tertius *in cap. illud quoque de præsumptionibus circa fin. & cap. 2. 27. quæst. 2. & §. Nuptiæ Instit. de patria potestate, & l. 1. D. de Ritu nuptiarum.*

4 Sed quod *in d. §. 1. instit. de Nuptijs*, dicitur *individuæ vitæ consuetudo*, dicitur, *l. 1. D. de ritu nuptiarum, consortium omnis vitæ*, quibus verbis nonnulli significasse volunt I. C. & Imperatorem, quod coniuges perpetuo simul cohabitare debeant. Quod subsistere nõ potest. Olim enim iure Ciuili cõiugibus licebat diuertere, quotiescunque vellent, vt dicam infra lib. 9. & ostendit Connanus lib. 8, comment. Quare illis quidem verbis significatur coniuges, quandiu cohabitant, eisdem fortunæ flatibus prosperis, & aduersis expositos esse. Vita namque, non tantum ea, quã viuimus, sed etiã facultates, alimenta, fortunam, quæ vitæ tibus accidit, significat, vt latè probat Tiraquel. de nobilitate cap. 31. num. 367. Ad animum itaque coniunctionis nomen apte referri debet, non ad carnalem corporũ quam non esse essentialem, neque ad integritatem matrimonij pertinere, ostendam infra hoc libr. capit. 18, Tùm quia affectu nuptiæ introducuntur, *l. si quis 26. C. de Nuptijs*: tùm etiam, quia animus, & votum contrahentium esse debet, vt matrimonium sit consortium omnis vitæ, & individua vitæ consuetudo, hoc est, vt nũquam dirimatur, *l. 1. de iure dotium*, vt Iacobus Cuiat. in principio instit. de nuptijs; videndus etiam Duarenus ad tit. soluto matrimonio, de nuptijs cap. 1.

5 Sed in eadem, *l. 1. D. de ritu nuptiarum*, additur, *Diuini & humani iuris communicatio.* Quod addi nonnulli volunt, non quia necessarium esset, sed maioris explicationis gratia: his enim significari cẽsent effectum quendam consequentẽ matrimoniũ,

scilicet, obligationem seruandi sibi mutuo fidem, ad quam obligantur diuino, & humano iure. Sic explicat Gabriel Vazquez tom. 4. in 3. part. disput. 1. de matrimonio, cap. 1. & idem etiam olim dixerat D. Thom. in Addit. quæst. 44. art. 3. At vero Paludanus in 4. distinct. 26. quæst. 1. art. 2. sic interpretatur, quia coniuges debent esse eiusdem sectæ, alias nullum matrimonium erit.

6 Verùm ego longè alium esse sensum I.C. Modestini existimauerim. Cuius rei gratia obseruandum est tantam veterum Ethnicorum superstitionem fuisse, vt plateę, balnea, & ipsæ domus, & omnes domus partes sine Idolis omninò non essent, vt inquit Tertullianus lib. de spectaculis, cap. 8. Hinc orta priuata, siue gentilitia sacra, quæ vel in priuato sacello, vel in focis, vel in penu, vel in larario asseruatis dijs cunctis eius familiæ conuenientibus agebantur, de quibus apud Authores multa. Eius inquam, familiæ; nã ab alijs in honore habita non sunt hæc priuata sacra. Hinc legitimus sensus, & explicatio ad *l. sacrilegi, D. ad l. Iuliam pecul. Sacrilegi capite puniuntur, sunt autem sacrilegi, qui publica sacra compilauerunt, at qui priuata sacra vel ædiculas incustoditas tentauerunt amplius quã fures, minus quam sacrilegi merentur.* Non inquam ab omnibus priuata sacra pari venerationis ac publica colebãtur, ideò qui ista violabant, sacrilegi, qui illa, minus quàm sacrilegi. De publicis sacris Festus lib. 14. de priuatis idem, & Cicero li. 3. de legib. Plautus in Captiuis, Plinius in Panegyrico ad Traian. Valerius Maximus lib. 2. ca. 1. Hinc etiam illa emanarunt in iure, *in sacris paternis esse, vel constitui, pro mancre in patria potestate.* Quandiu enim sub illa erant, eadem sacra filij veneratione prosequebantur. Vnde & soluti patria potestate ab eorum sacrorum cultu liberi erant, quasi in aliam iam familiam transeuntes, & sacra.

7 Hinc ergo Modestin. in d. *l. 1. de ritu nupt.* matrimonium dicit esse *Diuini, & humani iuris communicationem*, & Gordianus Imperator, *l. 4. C. de crimine expil. hæred.* ait mulierem nuptam esse diuinæ, & humanæ domus sociam. Transibat quippe vxor nubendo in mariti priuata sacra, vt ex Plutarchi præceptis connubialibus, & Macrobio lib. 1. Satur. cap. 15. Halicarnaseo lib. 2. antiquit. Roman. facile colligitur Vide etiam Petrum Gregorium lib. 9. cap. 4. nume. fin. Sociam autem vocat Imperator, vt indissolubilem nexum ostendat: vnde à societate ad matrimonium argumentatur Pontifex in *cap. 1. de sponsalib.* Sociam vocauit coniugem Horatius ex lectione Lambini, lib. 1. od. 1. socias coniugis immemor.

8 Illud denique *humani iuris, siue humanæ domus*, vt loquitur Imperator Gordianus, ideò dicitur, quia matrimonium est communicatio humani iuris, siue humanæ domus, hoc est vxor sequitur domicilium, & forum sui mariti, *l. cum quadam 5. de iurisdictione, l. ea quæ D. ad Municipalem, & leg. fin. C. de incolis lib. 10. & l. mulieres, C. de dignitatibus lib. 12.* & omnem dignitatem à marito accipit, *d. l. mulieres, & in l. fœminæ, D. de Senatoribus*, eamque vidua retinet, donec transeat ad secundas nuptias, *in d. l. fœminæ de Senatoribus. & l. 1. §. filij, D. ad municipalem*, de quibus fortasse infra, lib. 11. & attingit Petr. Greg. loc. cit. c. 4. n. 6.

9 Hanc autem definitionem communi sensu receptam immerito reprobat Cardinalis Zabarella Rub. de sponsal. lib. num. 1. eo quod videatur esse communis etiam brutis; cùm tamen neque bruta consuetudinem habeant, neque indiuisam societatem, neque etiam sit inter ea coniunctio, id est, coniunctionis obligatio, quæ inter bruta esse non potest. Quare hãc definitionem cum Magistro in 4. distinctio. 27. cap. 1. amplexi sunt fere omnes. Comprehenditur autem hac definitione, quod vis coniugium, fidelium, & infidelium, & antiquæ legis: in quo non rectè Magister loco citato, & Maior distinct. 26. quæst. 1. in principio, qui hac definitione comprehendi nolũt Iudæorum, & infidelium coniugia. Fallitur etiam Thomas de Argentina, in 4. distinct. 27. quæst. 1. artic. 1. post solutionem ad quintum, vbi dicit hãc definitionem non conuenire matrimonio infidelium, neque etiam matrimonio rato, non consummato, quia in aliquo casu vtrumque dissoluitur. Ex se enim perpetuum est, vt dicam infra hoc libro capite 12.

10 Sed cum matrimonium non solùm contractus quidam, sed etiam sacramentum sit, hac definitione secundùm vtramque rationem videtur cõmode posse describi. *Est signum efficax diuinæ gratiæ ad Christianam procreationẽ in maritali, & indissolubili contractu viri, & fœminæ naturali Diuinitus institutum.* Quam descriptionẽ affert Grego-

Gregorius de Valentia, 4. tomo disputatione 10. generali, quæst. 1. puncto 1. Breuius definit Ioannes Maior in quarto distinctione 26. quæst. 1. *Est sensibile signum gratiæ, quo inter se vir, & mulier perpetuo coniunguntur.* Quam definitionem sequitur Ferdinandus Rebellus, tomo primo de obligationibus iustitiæ, lib. 2. quæstion. 1. numero 5. Aliter sed longius describit Guillermus Rubion in quarto distinctione 26. quæst. 2. art. 1. *Est expressio quorumcunque signorum sensibilium maris, & fœminæ sibi inuicem significantium traditionem mutuæ potestatis corporum perpetuam ad prolem debitè procreandam, ex institutione Diuina significans gratiam efficaciter conferendam ipsis contrahentibus ad gratiosam coniunctionem mutuam animorum.* Sed præ cæteris placet breuitate definitio, quam affert Cardinalis Toletus in Sum. lib. 7. capit. 5. qua comprehendit matrimonium, & quatenus cõtractus, & quatenus sacramentum est. *Est contractus viri, & fœminæ legitimus, quo mutua corporum potestas traditur gratiæ spiritualis collatiuus.* Cuius singulas partes ibidem explicat. Nonnihil tamen in hac definitione desidero, cum non explicet potestatem mutuam ad irritanda vota, sed tantũ explicet potestatem mutuã ad vsum coniugalem.

A quo sumpserit originem institutio contractus matrimonij?

CAPVT III.

SVMMARIVM.

Variæ sententiæ de institutione matrimonij, num. 1.

Alij institutum à Deo non tamen immediatè. Adamum protulisse illa verba, Hoc nunc os, &c. non Deum ex Patribus, & Tridentin. ostenditur, num. 2.

Alij iure diuino positiuo, & naturali, institutum dicunt. num. 3.

Esse iuris naturalis institutionem matrimonij, num. 4.

Diuiditur ius naturale in iustitiæ, & vtilitatis. num. 5.

Institutionem sumptam pro celebratione fuisse in Paradiso. num. 6.

In hoc sensu explicantur Doctores, & Pontifices, Leo, Honorius, & Concilia Colonienſe, & Moguntinum, & Augustinus, & Bonifacius VIII. num. 7.

Neque illis verbis. Non est bonum hominem esse solum: neque illis. Hoc nunc os: neque illis: Crescite, & multiplicamini: neque in Euæ formatione, institutum matrimonium. num. 8.

Vnicam tantum, non duas fuisse institutiones matrimonij, contra nonnullos. num. 9.

Matrimonium licitum esse. Contra hæreticos, breuiter ostenditur, & remittitur ad alios, qui late. num. 10.

1 SED quando, & à quo contractus iste matrimonij, qui cum ipsius generis humani principio sumpsit exordium, fuerit institutus, non omnes conueniunt. Primum à Deo in Paradiso institutum volunt fere omnes: fauere putant Augustinum lib. 14. de Ciuitate Dei, c. 12. cum inquit Deum nuptias ante peccatum hominis ab initio constituisse; & etiam Bonifacium VIII. *in cap. vnico de voto in sexto*, cum inquit, matrimonij vinculum ab ipso Ecclesiæ capite rerũ omnium conditore institutum in Paradiso. Volunt autem institutum à Deo huiusmodi cõtractum, vel immediatè, & per se ipsum, illis verbis, *Genes. 1. Crescite & multiplicamini.* Sic Sylvest. matrim. 1. quæst. 2. Almainus, in 4. distinct. 26. quæst. 1. §. consequenter dico, Soto in 4. distinctione 26. quæstione 1. artic. 2. versiculo nihilominus, Thomas Sanchez, lib. 2. de matrimonio, disput. 4. nu. 3. citatis alijs, inter quos citat Diuum Thomam in 4. distinct. 26. quæst. 2. artic. 2. ad quartum. Sed non rectè, solum enim dicit D. Thom. eo loco matrimonium fuisse à Deo ante peccatum institutum, in eo quod creauit mulierem in adiutorium viri, & dixit illis, *Crescite, & multiplicamini.* Quibus verbis nõ ad illa verba Genes. sed potius ad creationẽ Euæ videtur reuocasse illi institutionẽ matrimonij cum alijs Scholasticis. Nouissimè Ægidius Koninc disput. 15. dub. 10. concluſ. 2. quamvis addat, vt est vnius cum vna, quod tantum esse dicit ex iure Diuino positiuo, de quo postea, cũ de impedimento ligaminis sermo fuerit. Vel volunt alij institutum à Deo in ipsa Euæ creationẽ, illis autem verbis, non est bonum hominem esse solum, prædictam quidem fuisse à Deo futuram matrimonij institutionem. Sic Hugo de Sancto Victore lib. 2. de sacramentis, pagina 11. capit. 2. Caietan. Matt. 19. Vera Cruz 1. par. Speculi coniugiorum art. 1. in principio,

& 2.par. art.2. §. contractus matrimonij, quem falso Thom. Sanchez citat pro prima sentẽtia, sicut Viguerium, & alios Recẽtiores, sic etiã sensit Rebellus tom.1.de obligat.iust.lib.2.quæst.1.num.10.

2 Rursus alij à Deo quidem institutum volunt non immediatè, sed mediante Adamo, cum ex diuina inspiratione pronũtiauit illa verba: *Genes.2.Hoc nunc os ex ossibus meis, &c.* Sic Magister in 4. dist.26.ca. 1.Bassolis in 4.distinctione 26. quæst.1.ar. 3.Paludanus ibid.quæst. 1.art. 3. Franciscus Mayronius in 4.dist.26. quæst. vnica, inclinat Petr.Gregor. lib.9. Syntagm.ca. 6.in principio,& etiam ad priorẽ sententiam. Innocentius in cap.iuuenis de spõsal.num.2.citat *text.in cap. gaudemus de diuortijs.* Sed nihil ad rem. Cardinal.in Rub. de sponsalib. num. 4. & Viguerius instit. cap.16.§.7.versic.1.& alij cõplures Scholastici, quos refert Gabriel Vazquez, disp. 1.de matrimonio cap.2. num.6. vbi etiam ostendit quam immerito Thom. Sanchez pro hac sententia numeret Vvaldensem, Adrianum, & Alexandrum Alensem. Idẽ etiam sensit Couar. 2. p. de matrimonio, cap.1.§.vnico,num. 6. Est etiam optimũ testimonium Augustini pro hac parte to. 7.lib.1.contra duas epistol. Pelag. cap.5. Adamum autem inspiratione Dei illa verba protulisse, licet Hieronymus,& Theodoretus, Malachiæ 2.negent, asseruit tamẽ Augustinus, lib. 9.de gen. ad literam cap. 19.& Theophilatus,& Euthimius Matth. 19. Augustinum sequuti sunt Scholastici Bassolis in 4.distinctione 26. quæst. vnica, art.3.Ricardus eadem distinct.ar.1.quæst. 3.Thomas de Argentina ibid.quæst.1.art. 2. in solutioue ad secundum contra conclusionem, Scotus ibidem quæstione vnica in probatione tertiæ conclusionis principalis.Adrianus in 4. quæst. 1. de matrimonio,§.Quoad primum, Paludanus ibidem,quæst.1.art.3.Supplem. Gabriel.ibi dem,quæst.vnica,art.1.§.2. notandum,Petrus Soto lectione 1.de matrimonio, Dominicus Soto in 4.dist.16. quæct. 1. art.1. in probatione 3. conclusionis 2. Quorum sententiam approbauit Innocentius Tertius,*in cap.debitum de Bigamis*, ibi,eyponẽs illud quod dixerat Protoplastus, *hoc nunc os ex ossibus meis, &c.* Concil.Tridẽtinum, *Sessio.24. cap. vnico de matrimonio in principio*, cum inquit: *Matrimonij perpetuũ indissolubilemq; nexum primus humani generis parẽs diuini Spiritus instinctu pronunciauit, cum dixit, hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, quam obrem relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Quare lapsus est memoria Martinus Delrio, dum Genes.2.dixit cum Hieronymo illa verba non ab Adamo, sed à Deo prolata fuisse, nec magis placet Pereira qui dixit, ea verba posse accipi, & vt dicta ab Adamo, & vt à Moyse inserta suæ narrationi, obstant enim quę superius adducebamus.

3 Alij denique iure Diuino positiuo,& etiam naturali contractum matrimonij institutum affirmant. Sic Scotus in 4.distinctione 26.q. vnica, §. per hoc patet Supplem.Gabriel.eadem distinct. quæst.1.ar. 3.dub.1.& etiam Ricardus, nam in 4.dist. 26.art.1.quæst.1. institutum dicit iure naturali, sed præterea quæstione 3.institutũ à Deo in creatione Euæ, & ab Adamo promulgatum cum dixit, *hoc nunc os ex ossibus meis.* Sic etiam Medina lib.4.de continentia controuers.2. cap.5. idem sensit etiam Cardinalis in Rubrica de spons. n.5.

4 Cæterum,si rem ipsam attẽtius inspiciamus,planum erit matrimonium,vt cõtractus quidam naturalis est, solo naturæ iure,non humana, neque Diuina voluntate institutum esse. Hanc sententiam docuit Adrianus in 4.q.1.de matrimonio, §. quoad primum,quem Authorem Thomas Sanchez falso refert pro tertia sententia, affirmat enim aperte matrimoniũ quoad rationem contractus non indiguisse Dei institutione,eo quod sit iuris naturæ, indicat Aureolus in 4. distinctione 26. quæst. vnica proposit. 1. docet Petrus Ledesma de matrimonio, quæst. 41. art. 1.dub.1.& 2. idem docuit Gabriel Vazquez, disput. prima, de matrimonio cap. 3. & indicare videtur Gregorius de Valentia, tomo. 4. disp.10.q.1.puncto 2.§.quinto probatur. Quam sententiam facile intelliges, si attendas matrimonij institutionem non esse celebrationem ipsam contractus, neque eius vsum, sicut neque institutio emptionis est eius celebratio; sed esse ipsam rationem, & substantiam matrimonij secundùm se, ad quod ineundum, & opere exequendum vnicuique conuenit ius, & facultas ab ipsa naturæ constitutione. Naturalis enim iuris est, & ab ipso naturæ dictamine ortum habet, etiam seclusa quacunque dispositione positiua extrinseca, siue humana, siue diuina posse coniũgi cõsensu mutuo marem, & fœminam

nam ad perpetuam vitæ societatē, ad eam que coniunctionem ineundam facultatem habere. Atque id etiam colligitur, *ex capite ius naturale distinct.* 1. desumpto ex Isidoro, in quo post iuris naturalis definitionem in exemplum adducitur, *viri fœminæq; coniunctio*, in matrimonio scilicet. Quomodo autem intelligendum sit, quod ibi dicitur, eam coniunctionem etiã animantibus esse communem docet Couarruuias 2. part. de matrimonio, cap. 1. num. 6.

5 Sed vt intelligatur apertius, quid sentiamus, cum dicimus matrimonij institutionem iuris naturalis esse, & non alicuius voluntatis Diuinæ vel humanæ, obseruandum est, ius naturale dici, quod conuenit homini spectatis naturæ principijs secundùm se, & ex principijs naturæ rationalis optima ratione deducitur, siue spectetur homo secundùm se, siue vitam socialem agens. Hoc autem ius naturale, vt aduertunt plerique iuris interpretes atque Theologi, duplex est: Alterum est iustitiæ, siue necessitatis, alterum est vtilitatis. Iustitiæ quidem vocant, quod non tantum fieri permittit, sed ita iubet, vt oppositum non liceat; velut nõ furari, non mœchari, reddere depositum. Ius autem vtilitatis vocant, quod non quidem iubet, ita vt oppositum peccatum sit, sed liberam facultatem concedit vtendi re aliqua tanquam vtili, vel honesta. Huiusmodi esse ius ducendi vxorem putant nonnulli: non enim est ius ita præcipiens matrimonium, vt oppositum semper sit peccatum, sed facultatem vnicuique concedēs iuxta naturæ rationalis dictamina: sed de hoc cap. sequenti.

6 Fatemur quidem quamvis hæc de institutione vera sint, de matrimonij tamen celebratione, quam nomine institutionis forsan intellexere Scholastici, & alij Doctores frequenter, verùm esse id quod Doctores tertiæ sententiæ dicebant, scilicet contractum matrimonij celebratum in Paradiso illis verbis Genes. 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis*: Illis enim verbis Adami cõsensus exprimitur, sine quo matrimonium constare non potest; cui verosimile est alijsimilibus verbis Euam respondisse, quibus suum etiã consensum indicaret.

7 Atque in hoc sensu accepto verbo instituendi, dicunt frequenter Doctores matrimonium in Paradiso exordium sumpsisse, instituente Deo, hoc est, contrahēte, & celebrãte. Dicitur autem Deus instituisse matrimonium, vel quia primi parentes ex eius inspiratione contraxerunt; vel quia, vt videtur indicare Scotus in 4. dist. 26. quæst. 1. Bonauentura, art. 1. quæs. 2. & alij, Deus ipse est Auctor naturæ, & contractum ipsum, qui iure naturæ constat, facere dicitur, tàm in his qui benè, quàm in his qui male contrahunt, legitime tamen. Sicut quia naturã huius contractus sequitur indissolubilitas, vt dicam postea cap. 12. eadem ratione dicitur Deus coniunxisse primos parẽtes indissolubili vinculo, & esse autor indissolubilitatis matrimonij. Hoc ergo sensu accipiendum, quod apud Matt. cap. 19. illa verba; *Propter hanc dimittet homo patrem, & matrem*, Christus tribuit Deo, quæ tamen protulit Adamus ex Augustini sententia ab Scholasticis approbata, & confirmata per Concilium Tridentinum, vt vidimus supra isto cap. num. 2. Hoc etiam sensu Deum ipsum auctorem matrimonij contracti inter primos parentes fuisse dixit, cum subdidit: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Eodem etiam sensu Leo Primus epist. 90. siue 92. cap. 4. dixit matrimonium sic ab initio à Deo constitutũ, vt haberet in se Christi, & Ecclesiæ Sacramentum: Eodem etiam sensu Honorius Tertius, *cap. finali de frigidis, & malef.* Deum matrimonij auctorem, & institutorem vocat. Eodem etiam sensu Concilium Colonienſe, part. 7. cap. 41. inquit matrimonium ante lapsum Adę propter procreandos liberos institutum, & benedictione Dei confirmatum. Hoc etiam sensu Concilium Moguntinum cap. 36. docet matrimonium ab initio ad officium institutum; tandem ex benignitate Dei infirmis hominibus ad remedium cessisse. Et denique eodem etiam modo intelligendi Augustinus, & Bonifacius Octauus supra citati, num. 1. & alij omnes, qui dicunt matrimonium institutum à Deo in Paradiso ante peccatum. Nam vel institutionem vsurparunt pro celebratione, & non strictè, & propriè, vt nos hactenus loquuti sumus; vel impressionem legis naturalis, atque dictaminis, cui conforme est matrimonium, appellarunt institutionem.

8 Ex his fit primo cum dixit Deus Genes. 2. *Non est bonum, hominem esse solum*, non instituisse matrimonium. Neque enim ius, & facultatem concesit illud contrahendi, sed prædixit exequendum, & ad hoc creauit, vt contraherent, prout ipso iure naturæ poterant. Fit etiam illis verbis Adami. *Hoc nunc os ex ossibus meis*, nequaquam institutum, cũ iure naturali liceret contrahere. Sed si ea

verba aliquid effecerunt, ostenderunt tantum celebrationem coniugij. Fit vlterius, neque ipsa creatione Euæ institutũ esse matrimonium, nec celebratum; matrimonium enim sine mutuo consensu constare nõ potest, vt dicam lib. 2. cap. 2. non consensit autem Adamus in creationẽ Euæ, quæ eo dormiente formata est. Dictum verò est in hominum tantũ formatione, *Masculum, & fœminam fecit eos*, quòd inter duos constare deberet matrimonium. Fit etiam illis verbis, *Crescite, & multiplicamini*, nequaquam institutum matrimonium, neque celebratum; primum enim iuris naturalis fuerat, secundum verò iam factum, cum Adamus dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis*. Idq; videtur colligi ex August. lib. 14. de Ciuitate Dei, cap. 12. vbi ait: *Nos autem nullo modo dubitamus secundum benedictionem Dei crescere, & multiplicari donum esse nuptiarum*. Et paucis interiectis: *Huic quippe operi Dei etiam benedictio subiuncta est*. Ergo ex Augustini sententia nuptias iam celebratas sequitur benedictio. Præterea idem ostenditur, quia Genes. 2. dicitur ædificasse Deum costam, quam tulerat de Adã in mulierem, & eam adduxisse ad Adamũ, eumq; dixisse statim: *Hoc nunc os ex ossibus meis*. Ea autẽ verba videntur plane ab Adamo dicta statim atque Euã vidit. Illis verò verbis matrimonij firmitatem Adamũ significasse docet Trident. Sess. 24. cap. vnico in principio. Quare matrimonio iã contracto subiuncta est benedictio illa: *Crescite & multiplicamini*, licet per anticipationem dicta sit à Moyse Genes. ca. 1. Vlterius idem confirmari potest, quia iterum Deus dixisse fertur illa verba: *Crescite, & multiplicamini*, Genes. 8. Noe & filijs eius. At illa supponũt ibi iam matrimonium, vt constat ex Gen. 7. vxorati enim Noe & filij eius in arcã ingressi sunt, & cum vxoribus egressi. Illis ergo verbis non præceptum continetur, sed vel benedictio cõceditur proli generandæ, vel matrimonium approbatur, vt dicebat Cõcilium Colonienſe loco citato, vel declaratio naturalis præcepti, de quo capite sequenti.

9 Præterea colligitur non rectè nonnullos Scholasticos asseruisse duas fuisse matrimonij institutiones, vnam in officium naturæ, alteram in remedium concupiscentiæ post peccatum: sic docuere Ioannes Bassolis in quarto, distinct. 26. q. vnica, a. 3. Ricar. eadẽ dist. art. 1. q. 3. Palud. ibid. quæst. 1. art. 3. Supplement. Gabrielis ibid. quæst. vnica, §. secundo notandum, & conclusione 4. Almainus in quarto, distinct. 26. quæst. 1. §. *cõsequenter dico*. Affirmant post diluuium fuisse iterum eam institutionem replicatam, cũ dixit: *Crescite, & multiplicamini*. Gratianus 32. quæst. 2. §. *hic ita respõdetur*, Couarruuias citatis alijs 2. part. de matrimonio cap. 1. §. vnico, num. 6. Vna ergo tantum fuit institutio matrimonij. Id quod verum est, siue loquamur de institutione, propriè accepta voce institutionis, eadem enim est in quouis statu essentia matrimonij, & ius siue facultas contrahendi: siue loquamur etiam de ipsa celebratione. Primi namque parentes non bis, sed semel contraxere matrimonium, & post peccatum in matrimonio iam contracto permanere voluerunt, sed illud idem quod antea, quando nullus erat motus inordinatus deseruiebat in officium naturæ, postea deseruit in remedium concupiscentiæ. *Matrimonium enim*, inquit Concilium Colonienſe part. 7. cap. 41. *Ante lapsum Adæ propter procreandos liberos institutum ac benedictione Dei firmatum, qua dixit illis: crescite & multiplicate, & replete terram: peculiariter autem homini, erunt duo in carne vna, propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ. Nec ratio coniunctionis, seu benedictio post lapsum defecit, sed tamen quod sanis potuit esse officium, id ægrotis etiam factum sit remedium*. Quæ eadem fere referũtur in Concilio Moguntino sub Paulo 3. cap. 36.

10 Denique fit cõtra hæreticos non paucos licitum esse matrimonium, & ostendunt Patres *Genes. 1. & 2. Matt. 19. 1. Corinth. 7. & ad Hebræos 13.* & Sacræ litteræ commendant plures coniugatos, qui Deo summe placuerunt. Ostendunt etiam Doctores Scholastici in 4. distinctione 26. ex eo quod matrimonium est secundùm inclinationem naturæ ad conseruãdum genus humanum, & ex institutione naturali, extat etiam de eo præceptum, vt dicam capit. sequenti, quòd de peccato esse non potest. Damnatur etiam idem error in Concilio Gangrensi can. 1. & Bracarensi 1. cap. 11. & alibi sæpe, vbi sacramentum esse matrimonium definitur. Sed de hoc latissimè Soto in 4. distinctione 26. quæst. 1. art. 3. Gregorius de Valentia 4. tom. disputat. 10. generali, quæst. 1. puncto 2. Gabriel Vazquez, 4. tom. in 3. partem disp. 1. de matrimonio, cap. 1. & alij qui contra hæreticos scripsere.

Exti-

Extitisse præceptum de matrimonio contrahendo, nec reuocatum.

CAPVT IIII.

SVMMARIVM.

Præceptum extitisse: esse tamen diuinum positiuum nonnulli sentiunt. num. 1.

Verius est esse naturale deductum ex principijs naturalibus. num. 2.

Explicatur Chrysostomus. num. 3.

Illa verba, Crescite, & multiplicamini, esse declarationem præcepti. num. 4.

Obiectiones Benedicti Pereira proponuntur, & diluuntur. num. 5.

Nunc extare præceptum, & singulos obligare, Hæretici docent, & refelluntur. num. 6.

Catholici iam reuocatum, vel tantum communitatem obligare, non singulos docent. n. 7.

Verius, non reuocatum, eius tamen obligationem cessasse cessante causa, considerantur duplicis generis præcepta naturalia. num. 8.

Consilium de virginitate, non pugnare modo cũ præcepto matrimonij. num. 9.

Explicantur nonnulla ex D. Thoma, & elegans Augustini votum. num. 10.

Deficientibus sæcularibus, non fore necessarium vt Religiosi nuberent, contra nonnullos recentiores. num. 11.

Non pugnat cum dictis, quod quis in aliquo peculiari casu teneatur contrahere matrimonium. num. 12.

1 SED supereſt explicandum hoc loco, an extiterit præceptum de contrahendo matrimonio, & nunc etiam extet. Præceptum de contrahendo matrimonio extitiſſe indubitatũ eſt apud Doctores, licet ſine fundamento diſſentiat Medina lib. 4. de Sacrorum hominũ continentia, controuerſ. 2. Idque nonnulli illis verbis contineri putant. Geneſ. 2. *Creſcite, & multiplicamini*, quibus præceptum eſſe coniugium exiſtimant, nec ſine probabilitate. Sic Ricardus in 4. diſtinct. 26. art. 3. quæſt. 1. Maironius diſtinct. 26. quæſt. 1. difficultate 4. Durandus quæſtion. 2. num. 5. Thomas de Argentin, q. 1. a. 3. concl. 1. Scot. q. 1. concl. 1. Supplement. Gabrielis quæſt. 1. concl. 5. Gregorius de Valentia diſp. 10. cit. quæſ. 1. puncto 4. Ægidius diſput. 15. dub. 1. concl. 5. Nec verò in hoc Doctores iſti fauent noſtri temporis Hæreticis, qui ex eo Geneſ. loco volunt omnes ad matrimonia contrahenda obligari, vt conſtabit ex his, quæ ſtatim dicam. Alij volunt Diuino, & naturali iure præceptum eſſe, ſic Ferdinandus Rebellus tom. 1. de obligat. iuſtitiæ lib. 2. queſ. 2. num. 3. & docuerat Soto in 4. diſtinct. 26. quæſt. 1. art. 2. §. *in ſecundo vero membro.*

2 Mihi videtur verius præceptum iſtud ortum habuiſſe ex iure naturali; ſic videtur indicare idem Scotus quæſtione vnica citata ante probationem ſecundæ concluſionis & §. *per hoc patet*, Paludanus in 4. diſtinct. 26. quæſt. 3. art. 1. Viguerius in inſtitutionibus Theologicis, cap. 16. §. 7. verſic. 1. & Gabriel Vazquez, diſp. 1. de matrimonio, cap. 3. Petrus Ledeſma, quæſt. 41. art. 2. dub. circa 6. principale concluſione 1. & 2. Quod præceptum, licet non ita clare, & perſpicuè deducatur, ſicut alia, deducitur tamen euidenter. Cum enim natura cõſtituerit diuerſum ſexum, ad hoc vt propagaretur genus humanum, & propagari non poſſit vago cõcubitu, ex ipſa natura videtur oriri obligatio ad hanc propagationem, ne ſtrulta eiuſmodi inſtitutio eſſe videatur. Corruptibilitas etiã ipſa naturæ humanæ ſuadere videtur propagatione opus eſſe, ne in duobus hominibus creatum à Deo genus humanum extingueretur: ideò illis conceſſa propagãdi potentia, quæ Angelis incorruptibilis naturæ negata eſt.

3 Neque his obſtat, quod Chryſoſtomus libro de Virginitate latè demonſtrare conetur, carnis connubium non aliunde, quàm à peccato deriuatum. Agit enim Chryſoſtomus de connubio ad vacandum maritali actui, quem actum exiſtimauit non fore in ſtatu innocentiæ, ſed ſine illo multiplicandum genus humanum. Id, quod etiam alij Patres docuerunt, quos referam infra. Refellit autem ſatis Auguſtinus, vt optimè oſtendit Medina cont. cit. cap. 2.

4 Neque obſtant etiam illa Geneſ. verba: *Creſcite, & multiplicamini*, illis enim præceptum non contineri, ſed benedictionem prolis, aut etiam approbationem iam diximus, cap. præced. num. 8. vide Medinam controuerſ. citat. capit. 6. vide Becanum in Anal. V. & N. T. cap. 20. quæſt. 1. vbi rectè probat his non contineri præceptum. Vel tantum fuit quædam explicatio naturalis præcepti, non impoſitio, vt optimè docet Petrus Ledeſma, quæſt. 41. de matrimonio, art. 2. dubio vnico, in ſolutione ad tertium principale. Atque hanc exiſtimo eſſe Scholaſticorũ mentem, qui appellabant, vt ſu-

visum est, præceptum istud naturale, sicq; potest explicari Cyprianus lib. de habitu virginum. Et quidem sine fundamento diceretur ibi contineri præceptum positiuum cum neque Patres, neque Doctores Scholastici sic interpretati fuerint; contineri verò declarationem naturalis præcepti constat non leui coniectura ex occasione, qua dicta sunt illa verba Genesis 1. & iterum post diluuium cap. 8. & 9. quando revera vigebat naturale præceptum. Addiderim tamen declarationem hanc ad modum benedictionis prolatam à Deo ex amore erga genus humanum, cuius propagationem volebat, & ad eam vim, & fœcunditatem indidit vtriqué sexui, quẽ crearat; & formulam esse benedictionis Augustinus citatus cap. præcedenti num. 8. aperte docuit, & contextus ipse probat, dicitur enim Genes. 1. *Benedixitq; Deus illis & ait. Crescite & multiplicamini.*

5 Verum Pereira lib. 4. in Genesin circa ea verba existimãs esse benedictionem subiunctam nuptijs, obijcit primo quia sicut Deus dixit hominibus: *Crescite & multiplicamini*, dixit etiam alijs animalibus, quibus id præceptum impositum non est. Respondet Diuus Thomas, licet etiam alijs animalibus dicta fuerint, attamẽ diuersimodè intelligenda, iuxta diuersitatem eorum, quibus dicuntur. Secundò obijcit, quia hominibus non solùm dixit, *crescite*, sed etiam, *dominamini piscibus maris*, quibus non subest præceptum, sed ius capiendi animalia. Dico verba illa esse diuersa, vnde non mirum, si diuerso modo intelligantur iuxta diuersitatem materiæ, maximè accedente Scholasticorum consensu. Tertiò obijcit, si illis verbis impositum est præceptum, non satis constat de eius abrogatione. Sed hoc nullius momenti est, quia, vt dicam statim præceptum naturale non abrogatur, nec reuocatur, licet eius obligatio non pro semper obliget.

6 An autem nunc extet huiusmodi præceptum, dissentiunt Catholici ab Hæreticis, & Catholici inter se. Nam hæretici volunt adhuc extare, & eo præcepto singulos obligari, adeò auersantur vitam cœlibem. Verum hi damnati iam olim sunt à Siricio Papa in Epistola ad Episcopos Africæ, & á Concilio Florentino in literis vnionis, & à Tridentino Sessione 24. Can. 9. & 10. Refelluntuŕque plane illis Matth. 19. *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.* & 1. Corinth. 7. *Bonum est si sic permanserit sicut & ego, &c.* Et contra eos late Bellarminus lib. 2. de Monachis cap. 30. & 32. vbi erudite ostendit contra Hæreticos nunc non esse præceptum, quod singulos obliget ad coniugium, Idem latè Pereira lib. 4. Genes. in disputat. de hoc argumento, in illa verba, *Crescite & multiplicamini.*

7 Ex catholicis autem. Nonnulli reuocatum putant ante diluuium, sic Bonauentura in 4. distinct. 26. art. 1. quæst. 3. Alij in lege Euangelica reuocatum. Sic Ricardus eadem distinct. art. 3. quæst. 2. quem sequitur Castro contra Hæreses verbo *virginitas*. Alij dicunt extare præceptum, sed non obligare singulos, sed communitatem tantùm. Quæ communis sententia est, quam docet Bassolis in quarto, distinct. 26. quæst. vnica, art. 2. Durandus quæst. 2. num. 7. Argentina quæst. 1. art. 2. conclusione 2. Scotus quæst. vnica §. ex hoc patet, Paludanus quæst. 3. art. 1. Supplement. Gabrielis quæst. 1. conclusione 5. Viguerius d. cap. 16. §. 7. versicu. 3. Soto in 4. distinct. 26. quæst. 1. art. 2. §. *ad huius autem.* Gregorius de Valentia disput. 10. citata quæst. 1. punct. 4. Rebellus loco citato quæst. 2. num. 4. Sed refellit eam sentẽtiam Medina, & efficaciter controuers. cit. cap. 3. & reijcietur facile ex his, quæ statim dicam.

8 Verius ergo videtur extare etiam præceptum nec reuocatum, cessasse tamen omninò eius obligationem. Almainus disp. 26. quæst. 1. folio mihi 100. pag. 1. obligari docet singulos pro necessitatis tempore, & docet etiam optimè Petrus Ledesma in dubio proximè citato in solutione ad 3. & in dubio circa octauum principale optimè probat ex hoc præcepto singulos obligari, & non tantùm communitatem. Extare ergo huiusmodi præceptum probatur. Præcepta enim naturalia non reuocantur, licet cessare soleant cessante causa, vt dictum est. Vt enim alibi diximus, quædam præcepta naturalia sunt, quæ non obligant absolutè, sed sub aliqua circunstantia, quæ si desit, cessat etiam eorum obligatio. Huiusmodi est præceptum naturale seruandi honorem reddendi depositum: atque eiusdem rationis est præceptum de contrahendo matrimonio, obligat enim sub ea circunstantia, si adsit necessitas propagandi genus humanum, qualis initio fuit, quæ cum cessauerit, cessauit etiam obligatio præcepti. Multiplicato enim humano genere non est cur dicamus singulos obligari, nec communitatem, nec Principes, vt contrahere compellant

Ex

9 Ex quibus satis intelligitur non pugnare consilium de virginitate cum huiusmodi præcepto, cessauit enim hoc tempore eius obligatio: ex quo contra nostrã sententiam arguebat idem Medina loco citato capit. 4. Vnde quando cessauit huiusmodi præcepti obligatio, virginitas est in consilio. Quando autem vigebat, non fuit in cõsilio. Tenebantur ergo precepto in statu innocentiæ. Ex quo etiam colliges non rectè loqui Quintilianum Mandosium in cap. 1. de const. num. 35. dum concesso matrimonij coniunctionem esse de iure naturali primæuo dixit ea, quæ de iure naturali primæuo sunt, in particularib⁹ casibus impediri, & ita matrimonij præceptum impediri per votũ religionis, & continentiæ. Non enim impeditur præceptum matrimonij, sed quia cessauit eius obligatio habet locum cõsilium, & votum continentiæ iuxta dicta.

10 Nec verò D. Thom. in addit. quæst. 41. art. 2. censuit communitatem obligari, sed actus illius multitudinis fini deseruire. Quo sensu alius locus explicandus est, in quo dixit debitum huius præcepti sufficiẽter impleri à multitudine. Vult ergo Sanctus Thomas actum huius præcepti pertinere ad multitudinem, ita vt neq; quilibet in particulari teneatur, & tamen à multitudine ita adimpleatur, vt per aliquos libere satisfiat præcepto. Addendum est Sanctum Thomam lect. 1. in cap. 7. 1. Corinth. affirmare non posse totam multitudinem hominum castitatem seruare, nè impediatur numerus electorum, esset enim contra diuinã dispositionem. Augustinus tamen cap. 10. de bono coniugali vehementer desiderat, vt omnes vellent continentiam seruare, multo enim citius Dei ciuitas adimpleretur. Diuus Thomas quidem de facto considerauit rerum ordinem. Vnde Hieronymus Iouiniano respondens ait: *Dices, si omnes virgines fuerint, quomodo subsistet mundus? noli metuere, ne omnes virgines fiant, difficilis res est virginitas, & ideò rara.* Augustinus verò ex hypothesi acutè ratiocinatus est in eo casu, efficaci coniectura assequens eo modo adimplendum esse numerum beatorum.

11 An autem deficientibus hominibus sæcularibus, & tantum remanentibus religiosis, isti tenerentur contrahere matrimonium, disputant curiosè magis quam vtiliter Recentiores, & affirmant in eo casu teneri, sic Thomas Sanchez lib. 2. de matrimonio disput. 3. num. 5. Ego potius crediderim mundi iam finem instare in eo casu, & ideò necessarium non esse matrimonium cõtrahi à religiosis, vt per illos genus humanum restauraretur. Sic etiam sensit Ricardus in 4. distinct. 26. art. 3. quæst. 3. citatque Augustinum in lib. de bono coniugali circa medium. Durand. ibidem quæst. 2. num. 7. Gabriel Vazquez disputat. 1. de matrimonio cap. 3. Petrus Ledesma, quæst. 41. art. 2. circa finem.

12 His autem, quæ diximus de huius præcepti cessatione, non obstat, quod aliqui teneantur in aliquo speciali casu contrahere: verbi gratia, hæres alicuius Regni. Id enim non oritur ex præcepto naturali contrahẽdi matrimonium, sed ex vi alterius præcepti, quo quis tenetur subuenire suæ Reipub. incommodis. Sic Martinus Ledesma 2. par. 4. quæst. 43. art. 2. Thomas Sanchez lib. 2. de matrimonio capit. 3. Rebellus lib. citato quæst. 8. num. 7.

De institutione matrimonij, vt sacramentum est.

CAPVT V.

SVMMARIVM.

In statu innocentiæ, naturalis, & veteris legis matrimonium non esse sacramentum contra quosdam. num. 1.

Matrimonium eleuatum à Christo ad rationem sacramenti. num. 2.

Siricij Papæ testimonium explicatur. n. 3.

Quædam hæreticorum argumenta diluuntur, numero 4.

Quædam Catholicorum sententia asserens, non esse proprie sacramentum reijcitur, & ostenditur damnatam fuisse, etiam ante Tridentinum. num. 5.

Examinatur, an ex Paulo ad Ephesios 5. recte probetur matrimonium esse sacramentum. numero 6. & 7.

Contra id testimonium hæreticorum, & Erasmi argumenta diluuntur. num. 8. & 9.

Non colligi ex eo loco, matrimonium esse sacramentum. num. 10.

Neque ex Paulo primæ ad Timotheum secundo. num. 11.

Neque ex Augustini testimonijs. num. 12.

Neque ex eo quod post Christum matrimonium sit magis indissolubile, quam antea. n. 13.

Solum haberi ex traditione. Idq; confirmatur testimonio Trident. quæ traditio ex variis signis colligitur. num. 14.

IN

1 IN primis obseruãdum est in statu innocentiæ, & naturalis, & veteris legis tempore matrimonium contractum quidem fuisse, vt hactenus ostendimus, non verò sacramenti rationem habuisse. Sacramenti, inquam, in eo sensu, quo in noua lege dicimus septem esse Ecclesiæ sacramenta. In quo corrigendi sunt Henricus Angliæ Rex in Assertione septem Sacramẽtorum, Albertus Pighius controuersia 10. Castro contra hæreses verbo, *Nuptiæ*, hæresi 3. Petrus Soto de institutione Sacerdotum lectione 2. de Matrimonio, Catherinus opusculo de matrimonio, quæst. 3. 4. & 5. & his antiquior Alexander Alensis 4. part. quæst. 1. membro 2. artic. 1. Horum enim Doctorum sententiam, qui sacramentum matrimonij fuisse dicunt ante Christi institutionẽ parum tutam existimamus. Primũ, quia Florentinũ in Decreto fidei definitesse septem nouæ legis sacramenta, & inter ea matrimonium enumerat. Cum ait *nouæ legis*, plane denotat, post aduentum Christi fuisse institutum. Addit præterea, hæc sacramẽta nouæ legis differre multum à sacramentis veteris legis, quia illa non causabant gratiam, sed significabant; hæc verò efficiunt. Quod si etiam in antiqua lege matrimoniũ verè sacramentum fuisset, & gratiam contulisset, non rectè id proprium diceretur sacramentorum nouæ legis. Eadem veritas constat ex Concilio Tridentino, Sessio. 24. capit. vnico, vbi inquit Matrimoniũ in lege Euangelica veteribus connubijs præstare gratiam, & ideò inter sacramenta nouæ legis computandum. Quod si iam olim sacramentum fuisset, non præstitisset gratiam veteribus connubijs. Et Can. 1. expresse damnantur, qui dixerint non esse sacramentum à Christo institutum, aut non esse nouæ legis sacramentum. Ergo non erat ante sacramentum. Et Sessio. 7. can. 1. damnantur qui dixerint, sacramenta nouæ legis non fuisse omnia à Christo instituta, idest, primo, & nouiter instituta.

2 Deinde certum est matrimoniũ à Christo Domino institutum esse sacramentum, ita vt ex eius institutione gratiam conferat. Id quod definitum est in illis Concilijs, in quibus adstruitur septem esse Ecclesiæ sacramenta à Christo instituta. Sic Concilium Constantiense Sessio. 15. in qua damnatur articulus octauus Ioannis Hus, qui reijciebat doctrinam hanc de septem Ecclesiæ sacramentis, Eugenius Quartus in decreto post Concilium Florentinum, Senonense in decretis fidei, cap. 10. Colonense part. 7. cap. 1. Augustense, cap. 15. Moguntinum cap. 11. & nouissime Tridentinum Sessio. 7. can. 1. Sed specialiter de matrimonio idem docuit Lucius Tertius, *in capit. ad Abolendam de hæreticis.* Eugenius Quartus in prædicto decreto, §. *septimum Sacramentum*, & Tridentinum Session. 24. capit. vnico, & can. 1. ostenduntque huiusmodi veritatem latissimè Rossensis, art. 12. cõtra Lutherum, Stanislaus in confessione fidei, cap. 55. & vt vno verbo complectar, omnes quotquot cõtra hæreticos scripserunt.

3 Impugnarunt veritatem hanc hæretici nostri temporis, qui matrimonium de sacramentorum numero reijciunt, commoti nonnullis argumentis, quorum plæraq; ex his, quæ dicenda sunt in sequentibus, facile diluentur. Sed præter illa pugnant auctoritate Siricij Papæ epist. 1. Decretali num. 5. vbi matrimonium *pollutionem* vocat, cum inquit: *Quam formam, & circa mulieres, quæ se post pœnitentiam talibus pollutionibus deuinxerunt, seruandam esse censemus.* Sed more suo impudenter, & calumniose id impingunt Siricio. Non enim coniugium verum, & legitimum pollutionem appellat, sed illicitã coniũctionẽ eorum, qui post peractam publicam pœnitentiam, ad eandem illicitam coniunctionem iterum reuertuntur, propter quam pœnitentiam egerant. Nemo autem propter legitime contractũ matrimonium pœnitentiam egit. Videndus Bellarminus, lib. 4. de Romano Pontifice, cap. 10. de quo testimonio dicam rursus infra, lib. 10. cap. 1.

4 Nec maiorem vim habet, quod etiam obijciunt in isto matrimonio dotem constitui, & pecuniam dari, & ex consequenti nõ esse sacramentum. Pecunia etenim non datur pro gratia sacramenti, sed ad sustentanda onera, quæ remanent in matrimonio trã facto sacramento; sicut in Baptismi, & aliorum sacramentorum collatione cõferri solet pecunia ad ministrorum alimenta. Sic respondet Diuus Thomas 2. 2. quæst. 100. art. 2. & in 4. dist. 26. quæst. 3. art. 2. quæstiuncula 6. Quod idem videmus in religionis ingressu pro alimentis fieri. Neque obstat denique quod virginitas, quæ excellentior matrimonio est, non conferat gratiam ex opere operato, ea enim non est instituta in sacramentum, sicut matrimonium. Vnde qui sacramentum matrimonij in gratia recipit, accipit augmentum gratiæ, & ex opere operantis, quia actus est bonus, & meritorius,

torius, vt dictum est, & ex opere operato, quia sacramentum est, licet sit status minus perfectus. Oppugnat eandem veritatem Erasmus, cuius argumenta refert, & diluit Albertus Pius, lib. 18. in principio. Quem omninò vide.

5 Contra eandem etiam catholicam veritatem ex parte sensere nonnulli Doctores catholici, tàm iuris interpretes, Glossa, Gaufredus, Hostiensis, & alij, quos refert Ioannes Maior in 4. dist. 26. quæst. 1. quam etiam Theologi, inter quos Durandus eadem dist. quæst. 3. à num. 6. qui matrimoniũ non esse verè, & propriè sacramentum docuerunt. Quorum sententiam Aureolus in 4. dist. 26. quæst. vnica, dixit derogare sacramentis nouæ legis, & Ecclesiæ determinationi. Et licet prioribus sæculis res ista non esset ita perspicua, tamen his temporibus damnatam existimo, & alienam à fide, non solùm post decreta Concilij Tridentini, sed etiam à tempore Concilij Constantiensis, & Florẽtini. In quo valde errat Soto in 4. distinct. 26. quæst. 2. art. 3. Petrus Soto lectione 2. de matrimonio, & illos secutus Thomas Sanchez, lib. 2. disp. 10. num. 2. dum dicunt Soto, & Sanchez, nõ fuisse rem de fide post Concilium Florentinum: & Petrus Soto suo tempore esse probabile sacramento Matrimonij non cõferri gratiam gratum facientem. Sed errant isti in hoc, vt optime docent Gregorius de Valentia, tomo 4. disp. 10. generali quæst. 1. puncto 5. in solutio. 6. obiectionis, Gabriel Vazquez disp. 2. de matrimonio, cap. 3. nu. 120. Nam verè ea doctrina de sacramentis definita est ab Eugenio Quarto, & recepta ab omnibus Latinis, & etiam quoad sacramentorum numerum recepta à Græcis, vt testatur Ieremias Patriarcha Constantinopolitanus in censura orientalis Ecclesiæ contra confessionem Augustanam, cap. 7. & Petrus Maronitarum Patriarcha ex monasterio Cambio in monte Libani in Concilio Lateranensi sub Iulio II. & Leone X. vbi eius professio lecta est session. 11. in qua confitetur septenarium sacramẽtorum numerum, & Leo X. in Bulla cõdemnationis Lutheri damnat quod negaret eam vim dãdi gratiam sacramentis nouæ legis. Non ergo solùm post Tridentini decreta, quorum non meminere vterque Sotus, sed etiam à tempore Cõstantiensis, & Florentini res est secundum fidem certa. A tempore autem Tridentini dubitari non potest, sententiã illã defendi non posse sine periculo fidei, cum Cõciliũ expresse definiat matrimonium conferre gratiam, sicut reliqua sacramenta, & in eo differre à sacramẽtis antiquis, & matrimonium in noua lege veteribus matrimonijs præstare gratiam, & esse verè, & propriè sacramentum cum alijs, vt constat ex locis citatis Concilij Tridentini.

6 Quod si quæras, vnde probari possit matrimonium esse nouæ legis sacramẽtum? Scholastici fere omnes, & etiam multi ex his, qui contra hæreticos scripserunt nostro sæculo, quos referre non opus est, vtuntur ad huius probationem illo testimonio Pauli ad Ephes. 5. qui cùm de matrimonio ageret, inquit: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.*

7 Circa quem locum obserua primo non rectè ab hæreticis Vulgatum reprehendi, nam quod Græce mysterium dicitur, Latine vertitur sacramentum, aut sacrũ, vt notum est. Deinde falsò Erasmus, Lutherus, Caluinus, & Beza dixerunt nomine sacramenti non significari matrimoniũ, sed coniunctionem Christi cum Ecclesia. Patres enim communi sensu de matrimonij contractu intellexerunt. Sic Ambrosius in eum locum, Hieronymus in longiori expositione illius loci, qui refert eundem fuisse Nazianzeni sensum: Chrysostomus homil. 2. in epist. ad Ephes. Theophilatus, OEcumenius ibidem, Augustinus, lib. 1. de nuptijs, cap. 1. & lib. de bono coniugali cap. 8. sequuntur Iuniores Interpretes, & Doctores Scholastici, nullo, quem viderim, excepto. Fauet contextus, quia particula, *hoc*, ad id quod præcesserat referenda videtur: coniũctionis verò Christi, & Ecclesiæ Paulus non fecerat mentionem, sed coniunctionis viri, & fœminæ. Fauent denique Græca exemplaria, quæ habent: *Ego autem in Christum, & in Ecclesiam*, quasi habitudo contractus sacramenti matrimonij in Christum, & Ecclesiam terminetur.

8 Sed obijcit in primis Kemnitius ex Augustino tract. 9. in Ioann. Explicans enim Augustinus locum Pauli ad Ephes. 5. ait: *Ne quis istam magnitudinem sacramenti in singulis quibusque hominibus vxores habentibus intelligeret: Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Et lib. 2. de nuptijs, cap. 21. explicans eundem locum ait: *Quod est in Christo, & in Ecclesia magnum, hoc in singulis quibusque viris, & vxoribus minimum est.* Sed in primis dicẽdum quod attinet ad Paulũ: *Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*, sic intelligendum, ego interpretor hoc sacramentum signum esse con-

coniunctionis Christi,& Ecclesiæ, vt Hieronymum,& alios exposuisse diximus. Ad argumentum autem nonnulli recentiores respondent, Augustinum locis citatis nomine sacramenti intelligere non signum, sed rem significatam. Sed certè alius videtur esse sensus Augustini. Vult enim id quod in Christo,& Ecclesia magnum est, in alijs minimum esse, scilicet ipsam coniunctionē viri,& fœminæ præ illa coniunctione Christi,& Ecclesiæ. Nihilominus non negat cōiunctionem viri, & fœminæ esse magnum sacramentum. Vnde illo cap. 21. postquam dixit Augustinus: *Quod ergo est in Christo, & in Ecclesia magnum, in singulis viris, & vxoribus est minimum*, addidit, *sed tamen coniunctionis inseparabilis sacramentum*,

9 Deinde obijcit Erasmus nō esse magnum, quia coniugium viri, & fœminæ nihil magnum est. Non ergo de illo dicitur, *Sacramentum hoc magnum est*. Varie huic obiectioni solet satisfieri: breuiter dico legitimam viri, & fœminæ coniunctionem magnum dici sacramentum habitudine ad rem, quam significat, & ideò dicitur magnum sacramentum, hoc est, signum mirabilis coniunctionis Christi,& Ecclesiæ.

10 Optime Gabriel Vazquez disp. 2. de matrimonio cap. 6. ostendit ex eo loco Pauli non satis conuinci matrimonium appellatum esse sacramentum propriè, & stricte in ea significatione, qua dicimus, septem esse nouæ legis sacramenta: sed sacramenti nomen improprie sumpsisse, vt significat aliquid abditum,& arcanum. Latet enim in ea legitima coniunctione repræsentatio cō iunctionis Christi cum Ecclesia. Idem etiam tradidere Iustinianus,& Cornelius in eundem locum Pauli. Nec verò oppositum nobis persuadent Patrum in eum locum expositiones, de quo iterum nonnulla dicam, cap. sequenti. Id quod verum est, etiamsi Paulus tantùm agat de matrimonio fideliū, & de eo tantùm dicat esse coniunctionis Christi cum Ecclesia sacramentum, de quo infra cap. 11. Vnde considerate in catechismo Pij V. dicitur in tract. de matrimonio, num. 15. Ecclesiam Authoritate Pauli certum,& exploratum habuisse matrimonium esse Sacramentum, hoc sensu, vt sit signum coniunctionis Christi cum Ecclesia, & ita concludit esse sacramentum, id est, sacrum signum, & hanc esse veram, & propriam eius loci interpretationem iuxta Patres, & Tridentinum. Quod verò sit sacramentum conferens gratiam probat infra ex Trident.

11 Probant etiam alij ex 1. Timoth. 2. *Saluabitur autem per filiorum sanctificationem, si permāserit in fide, & cum sanctificatione*. Quem locū aliter legunt Chrysostomus & nōnulli Græci, & Hieronymus contra Iouinianum. Legunt enim in numero multitudinis *permanserint*, & referunt ad filios, vt sensus sit, *saluabitur mulier per filiorum generationem, si ipsi filij permanserint in fide*. Saluabitur scilicet, non tantùm proprio merito, sed filiorum etiam. Aliter verò Augustinus in Psalmum 83. Beda & alij, in singulari, scilicet, *si permanserit*. Et quamvis in plurali legatur, rectius refertur verbum illud *permanserunt*, ad virum & vxorem, vt interpretatur Caietanus: vel ad vxorem, licet mutatus sit numerus iuxta Scripturæ consuetudinem, vt Sedulius, & Primasius docent. Mihi magis placet Augustini lectio, & ad vxorem referenda verba. Ex hoc ergo loco contendunt probare matrimonium conferre gratiam ex opere operato. Quia, inquit Paulus, Mulier saluabitur si permanserit in sanctificatione, quam scilicet, in ipsa contractus celebratione recepit. Verum ex hoc loco non potest sumi efficax argumentum, cum aliter explicetur à Patribus, & vt inquit Adamus, sanctificatio eo loco tantùm videtur significare legis obseruantiam, & perseuerantiam in illa: vel, vt D. Thomas & alij, sanctificationis nomine castitatem intelligunt iuxta phrasim Pauli.

12 Deinde probant nonnullis Augustini testimonijs, in quibus matrimonium sacramentum appellat, cum ad rationem sacramenti indissolubilitatem matrimonij reuocat. Sed iam nos in lib. de impedimentis, cap. 29. §. 1. diximus Augustinum nomē sacramenti non vsurpasse propriè, & strictè, sed latè,& constabit magis ex his, quæ dicā infra cap. 13. Colligi posset matrimonium esse sacramentum ex Clemente Alexādrino, lib. 4. Strom. cap. 7. ibi. Sanctificatur itaque etiam quod per Verbum perficitur matrimonium, si coniugium se Deo submittat, & cum vero corde administretur in fidei certitudine: sanctificatorum corda à mala conscientia,& ablutorum corpus aqua mūda, & habentium fidei confessionem. Ex quo loco idem colligit Gentianus Heruetus. Nec enim matrimonium esset res sancta, si tantùm esset coniunctio corporum ad explendam libidinem. Sed nō est satis apertum testimonium, potest enim dici matrimonium res sancta, quia est signum rei sanctæ, scilicet coniunctionis Christi cum Ecclesiæ,

clesia. Denique nõnullas rationes adducũt, quæ magis sunt congruentiæ quædam, quibus indicatur, cõueniens fuisse, vt matrimonium in sacramentum institueretur, vt eleganter ostendit Gabriel Vazq. disp. cit. c. 7.

13 Sed vtuntur aliqui hac ratione, vt probent matrimonium esse sacramentum, quia matrimonium legis Euangelicæ cõsummatum est omninò indissolubile, attamen infidelium in aliquo casu potest dissolui, vt dicam infra suo loco. Hæc autem differentia non potest oriri ex sola ratione ciuilis contractus, hanc enim æqualiter sortitur vtrũque matrimoniũ. Referenda ergo est in rationem sacramenti. Si enim matrimonium præcisè cõsideretur, vt est ciuilis cõtractus, sicut contrahitur consensu coniugũ, ita eodem videtur posse dissolui, si tamen cõsideretur, quatenus ordinatur ad generationem prolis, videtur posse dissolui, quando vxor esset sterilis, etsi aliud non obstaret. Et ita Augustin. de fide, & operib. c. 7. & de bono coniugali cap. 18. Hierony. contra Iouinianum, Gellius lib. 4. noctium Atticarum referunt quosdam sterilitatis causa suas vxores repudiasse. Denique si consideretur matrimonium, vt est in remedium concupiscẽtiæ videtur posse dissolui in casu, quo mulier ratione alicuius morbi non possit debitum soluere. Hæc tamen ratiocinatio euertit naturam contractus matrimonij. Supponit enim matrimonij cõtractum non habere ex natura sua, & ratione talis contractus insolubilitatem. Quod tamen valde falsum est, vt ostendam infra cap. 13. & 14. Quare ea ratio mihi summopere displicet.

14 Dicamus ergo cum Concil. Tridenti. Sess. 24. cap. vnico in fine, matrimoniũ inter sacramenta nouæ legis enumerãdum, vniuersalem Ecclesiæ traditionem semper docuisse, & eam fuisse huius veritatis definiẽdæ fundamentũ. Ea autem traditio satis videtur colligi in primis, quod causæ matrimoniales semper ad Ecclesiæ tribunal delatæ sunt; quod non fieret, nisi sacræ essent, & nisi in contractu matrimonij, præter rationem naturalis contractus, esset etiam aliqua ratio sacra. Deinde, quia matrimoniũ constanter in Ecclesia tanquam res sacra sacris ritibus celebrari consueuit, vt constat ex Euaristo capit. *Aliter* 30. q. 5. qui & affirmat hoc haberi ex traditione ab Apostolis deriuata. Et Concilium Carthaginense quartũ, cui interfuit Augustinus c. 13. meminit benedictionis Ecclesiasticæ, & Missæ celebratæ, dum matrimonium benedicitur, meminit idem Euaristus in loc. cit. Siricius epist. 1. cap. 4. Ambrosius epist. 70. Atque ex his merito traditionem Ecclesiæ colligunt Petrus Soto lectione 1. de matrimonio, Rebel. lib. 2. citato quæst. 3. num. 5. Gabriel Vazq. disp. 2. citata cap. 4. num. 18. Quibus addit Gabriel Vazquez ibidem eandem traditionem colligi ex eo, quod Ecclesia matrimonium inter fidelem, & infidelem nullum esse censuerit semper, non ob aliam certè causam, nisi quia non baptizatus non est capax sacramenti, cum baptismus sit sacramẽtorum ianua, alias nulla esset ratio nullitatis. Verum hic Auctor supponit matrimonium fidelis cum infideli nullum esse diuino iure, de quo alio loco infra agẽdum est. Et quamvis id concederemus, non omninò ex eo Ecclesiastica traditio conuinceretur. Nam etiam secluſa ratione sacramẽti à matrimonio, potuit diuino iure nullum reddi matrimoniũ fidelis cum infideli, quia Ecclesia potestatem nõ habet in infidelem, vt posset eum ad cohabitationem compellere, si post cõtractum cum fideli matrimonium cohabitare nollet. Quæ ratio eandem vim haberet, etiamsi matrimonium non esset sacramentum.

Explicatur quando matrimonium sit institutum sacramentum, & colliguntur nonnulla de infidelium matrimonio.

CAPVT VI.

SVMMARIVM.

Variæ occasiones, in quibus nõnulli dicũt institutum à Christo sacramentum matrimonij. n. 1.

Incerta omnia, certum tantum institutum: Tridẽtini testimonium expenditur. n. 2. & 3.

Matrimoniũ infidelium non esse sacramentũ. n. 4.

Explicatur Innoc. in c. veniens de sponsalib. n. 5.

Explicatur idem Innocentius, in cap. gaudemus, de diuortijs. num. 6.

Matrimonium fidelis cum infideli, ex nulla parte esse sacramentum. num. 7.

Explicatur locus Pauli 1. Corinth. 7. n. 8.

An conferatur tanta gratia in hoc sacramento, quanta in alijs. num. 9.

Non conferre hoc sacramentum primam gratiam ex accidenti, contra nonnullos. n. 10.

QVANDO autem eleuatũ sit matrimonium ad rationem sacramenti non conueniunt Doctores. Quidã quando Deus homo factus est, eleuatum dicunt. Sic Gui-

do in Enchir. tractatu 1. capit. 1. Alij in nuptijs Galilææ, quibus Christus interfuit. Indicat Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Ioan. capit. 22. Plerique Matthæi 19. cum Christus ad primam institutionem matrimonium reuocauit, sic Scotus in 4. distinct. 26. quæst. vnica, vbi expendit illa verba Christi: *Quos Deus coniunxit, homo non separet*, intelligi de coniunctione contractus cum ratione sacramenti, Supplem. Gabrielis eadem distinct. quæst. 1. conclusione 7. Guillermus Rubion quæst. 2. art. 2. in fine, Soto quæst. 2. art. 2. post Victoriam in Sum. Rebellus lib. 2. citato quæst. 3. num. 9. in vtroque Aureolus in 4. distinct. 26. quæst. vnica ante propositum 3.

2 Sed res ista incerta est, illud tantum certum, sacramentum à Christo Domino institutum esse, sicque definire Concilium. In quo valde notandum quod Concilium Tridentinum, cum ea testimonia protulisset, ex quibus constat institutio aliorum sacramentorum, ex nullo Scripturæ loco huius sacramenti institutionem colligit, quasi ea tantum ex Ecclesiæ perpetua atque constanti traditione deriuata fuerit. Ex eo autem loco Pauli ad Ephesios 5. *Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*, colligitur certè significationem coniunctionis Christi cum Ecclesia inesse sacramento matrimonij, vt ex eo testimonio probant Innocentius Tertius in cap. *Debitum de Bigamis*, & Eugenius Quartus in decreto citato. At vero, vel eam significationem inditã ex institutione Christi, vel matrimonium esse sacramentum, non colligitur efficaciter, si attendas diuersas in eum locum Patrum expositiones, vt iam dixi capite præcedenti. Et quò ea, quæ dixi, confirmentur apertius, adscribo verba Concilij Tridentini Sessione 24. in principio. De prima eius institutione hæc inquit: *Matrimonij perpetuum, indissolubilemq; nexum primus humani generis parens, Diuini Spiritus instinctu pronunciauit, cum dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, quam ob rem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* De reformatione autem matrimonij per Christum facta hæc habet: *Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari, & coniungi Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba tanquam à Deo prolata referens dixit: Itaque iam non sunt duo sed vna caro. Statimq; eiusdem nexus firmitatem ab Adamo tanto ante pronunciatam his verbis confirmauit: quos ergo Deus coniunxit, homo non separet.* In quibus etiam vides naturalem firmitatem inesse matrimonio, quæ Deo tribuitur, vt eius Auctori, vt explicabo infra cap. 13.

3 Sed de institutione sacramenti matrimonij ista subiungit: *Gratiam verò, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilem vnitatem confirmaret, coniugesq; sanctificaret, ipse Christus venerabilium sacramentorum institutor, atque perfector sua nobis passione promeruit. Quod Paulus Apostolus innuit dicens, viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, mox subiungens: sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Ecce tantum ex eo loco colligit, vt insinuatum tantùm promeruisse Christum gratiam, quæ in hoc sacramento nobis conferatur, quæque firmum redderet nexum matrimonij. Vnde statim addit: *Cum igitur matrimonium in lege Euangelica veteribus connubijs per Christum gratiam præstet, merito inter nouæ legis sacramenta annumerandum, Sancti Patres nostri, concilia, & vniuersalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt.* Hæc Concilium.

4 Ex dictis colligitur primo. Matrimonium infidelium non esse sacramentum in eo sensu, in quo nunc loquimur. Quod quidem verum est, non solùm de matrimonio eorum infidelium, qui Christum præcesserũt, sed etiam eorum qui sequuti sunt. Cuius oppositum docuit Adrianus in 4. quæst. 1. de matrimonio, §. *Adrationes*, & alij quos optime refellit Gabriel Vazquez, disp. 2. de matrimonio capit. 10. num. 111. Nullus enim, nisi suscepto baptismo, capax est alicuius sacramenti. Nam Innocentius Tertius in capit. *Veniens de Cleric. non bapt.* rogatus, an qui dubitans se baptizatum esse ordinatus est, sit iterum ordinandus: respõdit, & baptizandum, & ordinandum, vt definitum fuerat in Concilio apud Compendium. Estque hæc communis omnium fere Doctorum sententia.

5 Neque obstat primò. Quod idem Innocentius in d. cap. *Veniens*, dixerit matrimonium, & Eucharistiam posse accipi à non baptizatis. In quo non placet solutio Cardinalis Zauarellæ in dicto cap. qui dicit baptizatorum nomine intelligi baptizatos baptismo flaminis, non verò fluminis, quasi sensus sit, matrimonium, & Eucharistiam recipi quidẽ à non baptizatis baptismo fluminis, baptizatis tamẽ baptismo flaminis. Hæc tamen solutio, quam etiam adhi-

adhibuit Ioannes Maior in 4. distinct. 26. quæst. 3. in solutione 3. nullo modo probatur. Cum enim communis Theologorum sententia docet, Baptismum esse sacramentorum Ianuam, non intelligit de baptismo flaminis, sed de baptismo re ipsa suscepto. Dico igitur illa non dici ab Innocentio definitiue: sed tantùm adducta esse pro parte dubitabili quæstionis propositæ, quam facile colligimus non probatam fuisse ab Innocentio, eo quod definiuit iterum baptizandum, & ordinandum. Sic Rebellus lib. 2. citato quæst. 3. num. 15.

6 Neque obstat secundo. Quod idem Innocentius in cap. *Gaudemus de diuortijs*, matrimonium infidelium appellet sacramentum. Ibi enim sacramentum ponitur appositiue, quasi diceret matrimonium, quod inter fideles sacramentum est. Alij respondent Innocentium matrimonium infidelium sacramentū appellasse, latè & improprie, quatenus est signum coniunctionis Christi cum Ecclesia. Sic Rebellus loco citato, sed non rectè, cùm tantùm matrimonio fidelium eiusmodi significatio conueniat, vt ostendam infra cap. 11.

7 Secundò colligitur, Matrimonium fidelis cum infideli, si ex Pontificia dispensatione fiat, ex nulla parte esse sacramentum; quamvis olim oppositum placuerit, cum Soto in 4. distinct. 26. quæst. 2. artic. 3. in fine, & Echio homil. 73. de sacramentis. Id quod verum est, etiamsi infidelis intentionem haberet faciendi, quod facit Ecclesia. Sic docuit Thomas Sanchez lib. 2. disp. 8. nume. 2. citatis alijs, & Gabriel Vazquez disput. 2. de Matrimonio cap. 4. nume. 20. & cap. 10. nume. 113. Cuius rationem breuiter attigit idem Gabriel Vazquez, quia alia sacramenta præter baptismum, nisi à baptizatis recipi non possunt: Vt autem matrimonium sit sacramentum, oportet, vt vterque coniux baptizatus sit; nam non vnius tantum corpus, consensus, & verba sunt materia, & forma, sed vtriusque. Quare cum sit vnum numero sacramentum, & vtriusque consensus, corpora, & verba cōponant vnicam indiuisibilem formam, atque materiam, & ea non sit ex omni parte capax sacramenti, fit vt nullatenus sacramentum constare possit, id enim totum, quod adhibetur à contrahentibus non est ex omni parte materia legitima sacramenti. Quare ea stante dispensatione, tantùm maneret in ratione contractus. Nec tamen argumentum simile sumi potest ex eo, quod inter fideles, quando celebratur matrimonium, alter eorum potest esse in peccato mortali. Ex eo enim tantum efficitur eum, qui in peccato mortali est, carere effectu sacramenti, non vero non esse sacramentum ex parte vtriusque, cum illi, sicut & hæretici, sacramenti capaces sint suscepto iam baptismo. Quam autem certum sit infideles non esse capaces sacramenti matrimonij constabit ex his, qui dico in tractatu de Ordine, & annexis lib. 2.

8 Neque obstat id in quo nonnulli nituntur scilicet illud Pauli 1. Corinth. 7. sanctificatus est vir infidelis propter vxorem fidelem. Nomine enim sanctificationis non intelligitur sanctitas sacramenti, quasi dicat Paulus fidelem contrahētem matrimonium cum infideli percipere sacramentum, sed cum ageret Paulus de his, qui in infidelitate matrimonium contraxerunt, & postea eorum alter ad fidem conuertebatur dicit, sæpe eū, qui in infidelitate remanet ad fidem adduci conuersatione fidelis coniugis.

9 Verùm his duo addēda sunt. Primum est nonnullos Doctores affirmare in sacramento matrimonij non conferri tātam gratiam sanctificantem, sicut in alijs sacramentis. Sic docuit Paludanus in 4. distinct. 26. quæst. 4. art. 2. conclusione 1. Supplem. Gabrielis eadem distinct. quæst. 1. conclusione 9. Ioannes Maior eadem distinct. quæst. 1. Petrus Soto lect. 1. de matrimonio. Viguerius cap. 16. citato vers. Hæc tamen res incerta est: non enim certo constat esse inequalem gratiam, quæ ex opere operato cōfertur in sacramentis.

10 Alterum est non rectè Petrum Soto lectione 2. de matrimonio asseruisse sacramentum hoc ex accidenti conferre primā gratiam, & remittere mortale peccatum cum bona fide, & existimantes se esse contritos ministri contrahunt. Cùm enim sacramenta pendeant ex institutione Christi, non potest cum fundamēto de illis aliquid affirmari, nisi quod ex institutione constiterit. Quare nullum prorsus fundamentum est, vt asseramus matrimonium ex accidēti posse conferre primam gratiam, vt de Eucharistia latius ostendimus, disputatione de illo Sacramento.

(.?.)

De forma, & materia matrimonij, vt contractus, & vt sacramẽtum est.

CAPVT VII.

SVMMARIVM.

Explicatur quod quæritur. num. 1.
Reijcitur opinio Catherini. num. 2. Referuntur aliæ, & reijciuntur vsque ad num. 11.
Vera sententia de materia, & forma matrimonij. num. 12.
In matrimonio nõ distingui materiam circa quã à materia ex qua. num. 13.
Explicatur magis materia, & forma matrimonij. num. 14.
Eadem est materia matrimonij etiam vt sacramentum est. num. 15.
Eadem est in fieri contra nonnullos, & non tantum in facto esse. num. 16.
Licet matrimonium sit sacramentum, non esse sacrilegium violare torum. num. 17.
Explicantur in matrimonio res tantum, sacramẽtum tantum, res & sacramentum simul. numero 18.
Quomodo Ecclesia aliquid immutauerit circa materiam, formam & ministrum huius sacramenti. num. 19.
Matrimonij contractum ob elevationem ad sacramentum reseruatum iudicio Ecclesiæ. numero 20.

1 HAERETICI contra catholicos gloriãtur nullam materiam, & formam in matrimonio assignari posse. Quare hoc diligenter examinandum est. Sic autem agemus de materia, & forma matrimonij, vt vniuersè explicemus materiam, & formam in quovis contractu, de quo non disputant Doctores in communi, sed ex his, quæ dicunt in specialibus cõtractibus, colligenda est eorum sententia. Et quamvis multi conueniant in quolibet contractu esse duplicem materiam, alteram circa quam: & hæc sunt ipsæ res, circa quas versantur contractus, vt in contractu matrimonij corpora, in venditione id quod venditur, in accommodato, quod cõmodatur: alteram vero, ex qua fit contractus, & in hac assignanda valde diuisi sunt.

2 In primis autem reijcienda est opinio Catherini in opusculo de matrimonio, quæstion. 1. §. *Nos ergo in Dei gratia*, vbi asserit verba, & actus contrahentium esse materiam: at verò formam esse verbum Dei sanctificans matrimonium, cum dixit Genes. 2. & Matth. 19. *Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, &c.* Ex quo etiã infert ministrum huius sacramenti esse ipsum Deum, qui verbo suo semel sanctificauit matrimonium, & quotidie illud sanctificat. Hæc enim opinio communi sensu reijcitur, vtpote quæ nullo nitatur fundamento: tum quia nullus dixit institutionem pertinere ad formam, quia institutio sacramenti est institutio essentiæ sacramenti, ac proinde eius, quod constat materia & forma: verbum autem Dei ad institutionem pertinet. Tum etiam, quia materia, & forma in sacramentis simul morali quadam ratione concurrere debent ad constituendum sacramentum, vt alio loco dicendum est. Tum denique, quia id quod asserit, Deum esse ministrum inane est, & quod stare non potest cum eo, quod asserit Eugenius Quartus, in citato decreto, sacramenta omnia tribus perfici, materia scilicet, & forma, & intentione ministri. Quibus adde ministrum dici, qui nomine alterius aliquid exercet, quod Deo causæ principali conuenire non potest. Pluribus impugnat eam sententiam Gabriel Vazquez disput. 3. de matrimonio cap. 1.

3 Secunda ergo sententia affirmat consensum contrahentium esse materiam contractus; at vero verba, siue signa exteriora esse formam. Ita sentit Nauarrus expresse agens de stipulatione in Summa capite 22. numero 20. & idem sentit de contractu matrimonij. Idem ex Theologis olim docuerunt Capreolus eadem distinct. quæstion. vnica articulo 3. ad septimum, Deza ibidem. quæst. 1. articul. 3. notabili 2. Gregorius de Valentia quarto tomo, disp. 10. generali quæstio. 1. puncto sexto. Rebellus lib. secundo citat. quæstio. 4. sectione tertia, censeturque esse communis interpretum Iuris Canonici in capite *tua nos, de sponsalibus*, cum de matrimonio agunt. Probat Nauar. ex leg. prima, §. 1. *D. de verborum obligationib.* stipulatio non potest concipi, nisi vtroque loquente. Signum ergo est verba ad formam contractus pertinere.

4 Sed hæc sententia non placet. Quia vel sermo est de consensu, prout est quidam actus interior, quo certè modo videtur loquutus Nauarrus. Et sic non potest esse materia alicuius contractus.

Probo,

Probo, quia materia contractus debet esse aliquid sensibile & externum, cum enim contractus isti sint Reipublicæ Politicæ eorum, qui non per conceptus, sed per signa externa intelligunt, externa etiam debent esse, quæ in eorum contractibus reperiuntur. Si vero consensus sumatur non prout actus interior est, sed vt indicatur per signa, sic non distinguitur à forma, quæ sunt verba explicantia consensum. Debere autem distingui materiam à forma statim probabo. Atque ea ratione intellexit consensum Gregorius de Valentia loco citato. Nec quid quam refert, quod idem adducit, in sacramento Pœnitentiæ contritionem esse materiam, quamvis non sit per se sensibilis. Quia contritio, vt est actus interior, non est totalis materia sacramenti Pœnitentiæ, estque etiam sensibilis per verba, quæ etiam sunt materia. Quamvis autem non sit inconueniens, si partialis materia non sit per se sensibilis, est tamen maximũ, si materia totalis aut sacramenti, aut contractus, cum ad hominum Rempublicam pertineant, non sit sensibilis. Consensus autem iuxta eorum sententiam est totalis materia.

5 Deinde alia consideratione reijcitur. Quia materia, & forma in matrimonio, & in quovis alio contractu assignari debent per analogiam, & similitudinem ad materiam, & formam rerum naturalium. Materiæ autem est proprium esse indifferentem, & communem: formæ verò est determinare materiam, vt constat exemplo rerum naturalium, & inductione in alijs sacramentis, in quibus materia, quæ indifferens est ad diuersos effectus, accedente forma determinatur ad effectum proprium, & specialem cuiusque sacramenti. At consensus non est determinabilis per verba, nec verba determinant consensum; non enim determinatur nisi magis cõmune à minus communi, verba autem, & consensus ex æquo sibi respõdent, neque amplius verba significant, quã in consensu est, neque aliquid amplius cõsensus habet, quam quod verba significant. Non ergo in verbis, & consensu assignari potest materia, & forma matrimonij, aut alterius cuiusque contractus. Lex autem illa, quæ adducitur à Nauarro nullius est momẽti. In ea enim tantum dicitur de ratione stipulationis esse interrogationem, & respõsionem sub certa verborum forma, quæ est solemnitas requisita in iure ad stipulationem. De materia vero stipulationis ibi sermo non est, vt ex verbis supra à nobis adductis constare potest.

6 Tertia sententia asserit è conuerso cõsensum esse formam, verba autem expressa mentia, materiam: quia consensus determinat, & perficit verba, quæ eo seclusso nihil efficerent. Sic censet de matrimonio Ioannes Maior in 4. distinct. 26. quæst. 2. Cæterum hæc sententia eisdem rationibus reijcitur, quibus superior. Et præterea impugnatur vtraque sententia ratione alia, quia potest reperiri contractus celebratus, & validus in vtroque foro sine vero consensu, vt dicam infra lib. 2. cap. 4.

7 Quarta sententia docet formam esse consensum exterius expressum, materiam vero actus legitimarum personarum præcedentes consensum. Sic docet Viguerius in institutionibus Theologicis cap. 16. §. 7. vers. 4. agens specialiter de consensu matrimonij. Sed hæc sententia in nullo contractu vera esse potest. Neque enim facile est assignare qui sint isti actus præcedentes consensum, & in matrimonio non alij sunt, quam sponsalia, quæ tamen dici non possunt materia contractus matrimonij, cum sine illis rectè possit celebrari contractus.

8 Quinta sententia in ipsis verbis contrahentium assignat materiam, & formam, dicit enim priora verba alterius contrahentis esse materiam: posteriora vero formam. Sic Ricardus in quarto distinct. 26. artic. 4. quæst. 1. ad primum. Astensis in Summa lib. 8. titul. 7. artic. 1. quæst. 3. Angelus matrimonium 1. nume. 2. Victoria in Sum. de matrimonio num. 245. & probabilem putat Henriquez. de matrimonio lib. 11. capit. 2. cum non simul, sed successiuè proferantur ea verba. Sed hic modus explicandi materiam, & formam matrimonij, & aliorum contractuum mihi non probatur. Quia si vterque contrahẽs dicat simul verba, inquiro tunc, quæ verba habebunt rationem materiæ, & quæ formæ? Et tamen essentia contractus salua manere potest, etiamsi proferantur simul. Adde in contractu debere esse determinatam materiam, & determinatam formam; hoc autem pacto nulla est determinata materia, nec forma, vt constat: si quidem penderet ex ordine temporis & numeri, quod in contractu reali verè affirmari non potest.

9 Sexta sententia aliter in verbis ipsis contrahentium constituit materiam, & formam, dicit enim ipsa verba contrahen-

tium mutuo sibi esse materiam, & formam. Nã in ipsis considerari potest ratio expressionis tradentis consensus, & ratio expressionis consensus acceptantis, & quatenus sibi inuicem sunt traditio, & acceptatio, sibi inuicem sunt materia & forma. Habet autem rationẽ materiæ traditio, quia prior est secundum rationem; acceptatio vero, formæ. Ita docet Soto in 4. distin. 26. quæst. 2. art. 1. Franciscus Suarez tom. 3. de Sacramentis, disp. 2. sect. 1. Bellarminus lib. 1. de matrimonio cap. 6. Thomas Sanchez lib. 2. de matrimonio disput. 5. Alexander Pesantius in additionibus ad tertiam partem, quæst. 42. art. 1. disput. 2. & Recentiores frequenter, cum de matrimonio disputant, tribuiturque D. Thomæ in 4. distinct. 26. quæst. 2. art. 1. in solutione ad 1. & 2. Probant vnica ratione, quia traditio illa est imperfecta, & inefficax, donec acceptetur: & accedente acceptatione perficitur, & determinatur. Ergo vtraque verba sunt materia & forma, quatenus per sequentia determinantur sunt materia, & sunt forma, quatenus includunt acceptationem, & determinant.

10 Sed neque hic modus explicãdi placet. Quidam impugnant, quia non distinguit nisi tantùm ratione materiam, & formam, quod in contractu matrimonij verum esse non potest, cum aduersetur Eugenio Quarto, in prædicto decreto, qui definit sacramenta constare rebus vt materia, verbis vt forma. Sed inefficax est ista ratio: non enim solum ratione, sed etiam re distinguit illa sententia materiam, & formam. Nam quamvis ratio traditionis, & acceptationis in verbis, & consensu alterius contrahentis tantùm distinguantur ratione; attamen vt sic non est materia, & forma contractus, sed consensus vnius, vt traditio, est materia, comparatione consensus alterius contrahentis, qui habet rationem formæ, quos manifestum est re ipsa distingui.

11 Impugnatur ergo, quia licet possimus distinguere rationem illam traditionis, & acceptationis, tamen merito vtraque pertinet ad formam, cum vtraque verbis exprimatur, & alias in contractu matrimonij non posset esse verum, quod vniuerse dixit, sacramenta perfici rebus, vt materia, verbis vt forma, cum iuxta hunc dicendi modum, tam materia quàm forma constituatur in verbis. Præterea, quia falso dicitur traditionem determinari ab acceptatione, nam mutuò se determinant traditio, & acceptatio. Sicut enim cum aliquis offert alteri aliquid gratis, aut titulo commutationis, oblatio illa non complet contractum, donec accedat acceptatio: ita etiã, si acceptatio præcedat, sicut præcedere potest, non habet effectum, neque complet contractum, donec accedat traditionis oblatio ex parte alterius. Id quod planè contingit in postulatione, quæ vim habet acceptationis sine alio nouo consensu, & præcedere debet oblationem traditionis, non subsequi. Vnde l. 1. §. *si quis ita D. de verborũ obligationibus* dicitur: *Si quis ita interroget, dabis, & respondeat quidni? obligationem oriri*: & tamen acceptatio illa postulationis non habet effectum, donec alius tradere velit, & eam tradendi voluntatem significet. Non ergo traditio suapte natura materia est, cum in prædicto casu determinet acceptationem, compleatque contractum. Denique vt supra diximus, id quod habet rationem materiæ aliquid indifferens, & commune debet esse, vt ab alio determinari possit. Hæc autem duo in verbis contrahentium mutuo considerari nõ possunt, cum vtraque verba significent traditionem.

12 Verior igitur mihi videtur septima sententia, quæ docet vniuerse in omni contractu materiam esse res ipsas legitimas, ideſt, nulla lege impeditas, de quibus est contractus; formam verò esse verba aut signa externa legitima exprimentia consensum, vt in contractu emptionis rem, quæ venditur, in matrimonio corpora coniugum; in donatione, rem quæ donatur. Sic sensit noster Beatus Henriquus de Vrimaria in annotation. ad Magistrum Sententiarum distinct. 26. capit. 4. Paludanus eadem distinction. quæst. 4. art. 3. ad secundum, Bassolis distinct. 27. quæst. 1. artic. 1. verba esse formam, contrahentes materiam, Iacobus Almainus in quarto, distinct. 26. quæst. 1. §. *ad vltimum argumentum*, contrahentes esse materiam, & §. *Restat alia difficultas de forma*, dicit, formam esse verba prolata ab vtroque simul sumpta, Ioannes Gerson in compendio Theologiæ tractatu 3. in fine, cum agit de matrimonio, Adrianus in quarto quæst. 1. de Matrimonio, §. *ad rationes, vers. ad secundum principale*, Antoninus tertia parte, titulo primo, capite secundo ante §. primũ, Bonauentura in quarto, distinct. 28. quæst. 5. Palacios in 4. distinct. 26. part. 2. Petrus Soto lectione 3.

de

de matrimonio vers. *requiritur*, & lectio. 4. vers. *sit igitur*. Gabriel Vazquez tom. 2. in 3. partem disp. 129. cap. 3. & disp. 148. cap. 7. in fine, & tom. 4. disp. 3. de matrimonio, c. 5. Paul. Comitolus p. 1. de contractibus c. 4. num. 9. licet in eo non rectè, quod contẽdit materiam proximam, & remotam assignare in contractibus, de quo statim. His adde Couarruuiam 2. p. de matrimonio c. 1. §. vnico, num. 8. & in contractu matrimonij videtur esse mens D. Thom. 3. p. in Additionibus quæst. 45. art. 5. & in 4. dist. 28. art. 3. ratione 2. in oppositũ, quæ est propriæ sententiæ cõfirmatiua, & in decisione quæstionis, & in responsione ad 4. & dist. 42. q. 3. a. 2. in corpore. Quæ sententia vel ideò mihi maximè probatur, quia plana est, & vniuersalis doctrina omni contractui, & apprimè quadrat verbis Eugenij IIII. de Matrimonio, quæ statim explicabo. Et præterea ex aliarum impugnatione cõstat nihil probabilius dici posse, hancq; secutos esse plures, D. Thom. discipulos affirmat Petrus Ledesma, q. 42. art. 1. difficult. 4.

13 Ex his colligitur primo in contractu non esse necessarium constituere materiam circa quam diuersam à materia ex qua, vt nonnulli volunt, sed sicut totum compositum ex accidẽte, & subiecto dicitur cõstare subiecto, vt materia ex qua, cõparatione totius, & ipsum est materia circa quã cõparatione accidẽtis, ita res ipsæ in contractu dicuntur esse materia ex qua, comparatione huius totius artificialis, & materia circa quam comparatione verborum. Idem exẽplum est in quolibet arte facto. Similiter nõ oportet assignare in contractu materiã remotam distinctam à proxima, quamvis in nonnullis sacramentis ita sit. Est enim diuersa ratio huius sacramẽti, & aliorũ. Nam in nonnullis sacramentis, vt in Baptismo, materia remota est aqua, proxima vero est illa vt applicata per actionẽ sensibilẽ, ideſt, ablutionem, quæ actio diuersa est à verbis, & forma: at vero in quovis contractu materia, vt sensibiliter applicata non distinguitur à forma, verbis enim fit huiusmodi applicatio, non enim aliqua actio intelligi potest, qua applicetur præter verba sequẽtia donationis, vel traditionis, aut tantùm erit aliquid apprehensum per rationem ad modum actionis, quod de contractu reali affirmari non potest.

14 Secundò colligitur in contractu matrimonij materiam esse corpora contrahẽtium legitima, formam vero verba legitima exprimentia consensum, vel loco verborum nutus, siue, vt alijs verbis dicam, formam esse modum sub quo fit traditio corporum. Id quod ex analogia, & similitudine aliorum cõtractuum commode explicari potest. Sicut enim in contractu permutationis, aut venditionis res ipsæ, quæ vendũtur, aut permutantur, sunt materia contractus, sic in contractu matrimonij, cuius essentia consistit in mutua corporum traditione, corpora quæ traduntur, erũt materia. Et sicut in alijs contractibus materia eorum debet esse legitima, ideſt, non impedita lege aliqua, sic etiam in matrimonij cõtractu corpora debẽt esse legitima, hoc est, non impedita vel naturali, vel humana lege; de quibus impedimentis ex parte materiæ dicam infra lib. 7. Præterea sicut in alijs contractibus forma est consensus ipse, vt significatus per verba vel signa; ille enim determinat materiam, circa quam versatur contractus: sic etiam in contractu matrimonij forma est cõsensus expressus per verba, vel signa, quibus determinãtur corpora, vt circa illa talis cõtractus fiat. Et sicut in alijs contractibus forma siue verba, vt perficiãt contractum, debent esse legitima, hoc est, nulla lege impedita: sic etiam in contractu Matrimonij. Et sicut in alijs contractibus se tenent ex parte formæ, ea quæ pro solemnitate lex præscribit, huiusmodi sunt numerus testiu, meorũ qualitas, tractatus, qui alie nationes Ecclesiasticas præcedere solẽt: sic etiam dicendum est in contractu matrimonij, in quo ea quæ præscripsit Concilium Trident. Sessio. 24. cap. 1. de presentia duorum vel trium testium, & parochi, vel alterius Sacerdotis de licentia parochi, addita sunt pro forma huius contractus. Vnde si Concilium denũciationes iuberet præmitti antè matrimonium, ita vt aliter contractum esset nullum, revera illæ tenerẽt se ex parte formæ huius contractus, & idẽ dicendum de verbis Sacerdotis, si eodem modo præciperẽtur; quod qua ratione facere possit Ecclesia statim explicabitur, & latè infra lib. 5.

15 Tertiò colligitur hanc eandem esse materiam, & formam matrimonij quatenus sacramentum est. Nam Christus in nullo penitus immutauit naturam huius contractus, sed illam sub Principũ dispositione relinquens, id, quod fuerit legitimus contractus matrimonij eleuauit, vt esset sacramẽtum, & conferret gratiam. Atque id quod diximus optimè congruit cum Decreto

Eugenij IIII. missō ad Græcos post vltimā Sessionem Concilij Florentini, §. *quinto Ecclesiasticorum*, vbi dicit omnia sacramenta tribus perfici; rebus tanquā materia; verbis, tanquam forma, & intentione Ministri. Ecce in sacramento Matrimonij res, scilicet, corpora contrahentium, & verba exprimentia cōsensum. At postea in §. *Septimum Sacramentum*, ait, *causa efficiens matrimonij regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus*. In quo decreto cum in alijs sacramentis designasset materiam, & formam abstinuit ab assignanda materia, & forma in sacramento Matrimonij propter varias Theologorum opiniones; & quia cū hoc Sacramentum supponat rationem cōtractus, illam supponit Eugenius esse materiam, & formam matrimonij, vt sacramētum est, quæ fuerit illius vt contractus est, tantùmque assignauit causam efficientem Matrimonij in facto esse, vt vocāt, siue vinculi remanentis post contractum coniugalem, nō vero sacramenti Matrimonij, quod in actione, siue fieri consistit; sunt enim tūc verba pars illius, atque adeò non sunt efficiens. Quamvis non est improbabile hoc sacramentum non habere materiam ex qua, sed solùm circa quam, sicut de alijs contractibus docent nonnulli. Et quamvis Concilium Florentinum requirat materiam sacramenti, tamen non distinguit inter materiam ex quā, & circa quam, vt latè ostendi in sacramento Eucharistiæ. Cum autem dicit *regulariter*, indicat hoc sacramentum nutibus etiam perfici, vel epistolā, atque ita non esse verba de ratione, aut constitutione huius sacramenti, vt dicam infra lib. 2. ca. 7. Vnde quod dixerat supra, omnia sacramenta constare verbis vt forma, rebus vt materia, limitandum est iuxta id, quod postea de matrimonio dicit, non quia alia sacramenta regulariter perficiantur, aut cōstent verbis, cum in eorū explicatione nunquam Eugenius Quartus illud verbum *regulariter* addiderit, nunquam enim sine verbis pro forma esse possunt, sed quia id in hoc tantùm sacramento verum habet.

16 Quartò colligitur valde falli quosdam recentiores, qui nobiscum conueniunt in forma, & materia huius sacramēti, dum dicunt contrahentes esse materiam huius sacramenti, quando considerant, vt vocant, in facto esse, hoc est, vinculi remanentis post contractū: at verò si cōsideretur prout in actione & fieri, materiam assignandam esse iuxta sententiam Soti supra relatam, & impugnatam: censent autem isti Doctores sacramentum hoc etiam permanere, sicut Eucharistiam. Sed revera falluntur, si enim sacramentum hoc esset permanens, profecto vsus illius gratiam conferret, non secus, atque vsus Eucharistiæ, quod absurdum est. Sacramentum igitur hoc tantùm consistit in actione, sicut reliqua omnia sacramēta excepta Eucharistia, & id quod remanet transacta actione contrahendi, solùm est vinculum, & obligatio, quæ remanet inter coniuges, & non est sacramentum, prout de eo loquimur, quatenus est signum gratiæ sanctificātis animam. Adde etiam si corpora contrahentium essent materia huius sacramenti in facto esse, aliquid etiam deberet assignari pro forma, de quo tamen non constat.

17 Quintò colligitur, cum Matrimonij sacramentum tantùm in actione contrahēdi consistat, licet sacrilegium censeatur viuente priore vxore aliam ducere, vt indicauit Siricius epist. 1. decret. cap. 4. tamen violare torum alienum non esse sacrilegiū. Cuius discriminis ratio est, quia qui viuente priore coniuge aliam ducit, volens cum ea contrahere, & reverā consensum exprimens, facit irritum sacramentum, sicut qui ficta peccata Sacerdoti in confessione proponeret, & quātum est ex se, dissoluit prioris coniugij vinculum, quæ quidem sunt cō tra religionē debitam sacramento. At vsus matrimonij non est sacer, neque sacramēto matrimonij consecratus, cum sacramenti ratio tantum in actione contrahendi consistat: & ideò qui peccat in vsu coniugij vel adulter est, non est sacrilegus, neque enim violat religionem debitam alicui sacramēto, alias etiam protestatio fidei existentis in peccato esset peccatum, datur enim gratia ad illam in sacramento Confirmationis. Sic notauit Gabriel Vazquez, disp. 3. de matrimonio cap. 7. num. 78. vide etiam Petrū Ledesma, quæst. 42. art. 1. difficult. 1. in solutione ad tertium.

18 Sexto colligitur hinc facile intelligi, quomodo in sacramento Matrimonij distinguantur illa tria, quæ iuxta receptam Scholasticorum sententiam distinguuntur in quolibet sacramento, sacramentum tantùm, res & sacramentum simul, & res tantum. In hoc enim sacramento actus exteriores, quibus consensus exprimitur sunt sacramentum tantum, quia significant, & non significantur. Res & sacramentum simul, est vinculum, siue obligatio, quæ remanet

manet ex actione contrahendi, & significatur per exteriora signa, & significat coniunctionem Christi cum Ecclesia, quam explicabimus infra cap. 11. Res tantùm est gratia, quæ virtute sacramenti confertur sic D. Thomas in 4. distinct. 26. quæst. 2. art. 1. ad 4. & 5. quem sequuntur alij Scholastici, inter quos vide Petrum Ledesma, quæst. 42. art. 1. difficult. 3.

19 Septimò colligitur facile, quæ sit ratio, propterquam cum Ecclesia nihil variare possit circa materiam, & formam aliorũ sacramentorum; nihilominus personæ alias habiles ad matrimonij sacramentum, fiunt inhabiles statuto Ecclesiæ, ita vt nec contrahere valeant, etsi contraxerint, nullum sit matrimonium. Pro forma etiam videtur nonnihil immutatum ab Ecclesia, cum pro forma, & solemnitate aliqua nunc postulet, sine quibus non subsistat matrimoniũ, quod tamen sine illis firmum esset, de quibus suo loco dicemus. Non nihil etiam circa ministros immutauit. Cum enim in hoc sacramẽto ministri sint ipsi contrahentes, & illos ad contrahendum inhabiles effecerit, aliquid etiam circa ministros immutauit. Dicimus namque nihil ab Ecclesia immutari, circa ea quæ Christus statuit pro materia, & forma huius sacramenti, vt sacramentum est, idest, quatenus est signũ gratiæ sanctificantis animam sensibile, & ex Christi institutione. Christus enim (vt dicebam supra) non aliam definiuit esse materiam, & formam pro hoc sacramento, nisi illam, quam habet, vt cõtractus est, ita vt matrimonium semel cõstitutum in ratione contractus habeat ex diuina institutione, quod sit sacramentum, retineatque pro materia & forma eandem omninò materiam & formam, quã habebat vt contractus, neque Ecclesia statuit, aut statuere potest, vt id quod pro cõtractu matrimonij est materia, & forma, & minister, non sit etiam pro eo, vt sacramẽtum est. Cum enim is contractus subiaceat potestati Principum, sicut alij contractus, ideò hac ratione aliquid ex parte materiæ, & formæ addi potest, & etiam aliquid irritari. Vnde rectè Iacobus Almainus in 4. dist. 26. §. *ad vltimum argumentum*, dixit: *Dico quod sunt aliqua sacramenta, quorum nec materia, nec forma est subiecta iudicio Ecclesiæ: aliqua vero sic se habent, quod materia & forma est subiecta iudicio Ecclesiæ. Exemplum primi, vt Baptismus, Confirmatio, Sacer ordo, materiæ & formæ illorum non subijciuntur iudicio humano. Ideò dico, quod in talibus nunquam statutum Ecclesiæ est de necessitate sacramenti, sed de præcepto tantùm, quia illa quæ sunt sacramenta in se non subijciuntur iudicio Ecclesiæ, sic quod Ecclesia nihil potest variare quantum ad essentiam Sacramenti. Aliud est sacramentum, cuius materia subijcitur iudicio humano Ecclesiæ, vt in matrimonio, materia sunt contrahentes adinuicem. De pœnitentia est difficultas, an peccator, qui confitetur, sit materia. In istis qui subijciuntur iudicio Ecclesiæ, ordinatio Ecclesiæ variat etiam Sacramentum. Hinc dicunt Doctores, quod postquam aliquis prohibetur alteri confiteri, non est Sacramentum, si alteri confiteatur, quia natura illius sacramenti subijcitur iudicio humano Ecclesiæ. Eodem modo dico de Matrimonio, ordinatio Ecclesiæ impedit, quod non sit Sacramentum.* Quæ eadem confirmat Adrianus in 4. de Matrimonio, quæst. 1. §. *ad rationes*, in solutione 1. argumenti. Merito autem, vt notat Ruardus Tapper art. 20. parum à principio, non disposuit Christus, quando matrimonium esset legitimus contractus: quia eius ordinationes, & præcepta immutabilia, & indispensabilia sunt per eius ministros, at de his quæ ad contractum Matrimonij spectant, non poterant constitui regulæ immutabiles, propter mutabilem conditionem, & qualitatem temporum, iuxta quam varietatem expediebat etiam eiusmodi leges sæpe variari.

20 Vltimo colligitur, quia contractus matrimonij, alias & ex sua natura ciuilis, fuit à Christo Domino eleuatus ad rationẽ sacramenti, licet ex ratione suæ sæcularium Principum potestati subiectus esset, vt circa inhabilitates contrahẽtum eodem modo possent disponere, ac in alijs contractibus: ideò merito iam soli us Ecclesiæ potestati credimus reseruatum fuisse, vt dicemus infra lib. 6. cum de impedimẽtis Matrimonij sermo fuerit.

Eundem esse ministrum Matrimonij, vt contractus, & vt sacramentum est, & nonnulla de ministro colliguntur.

CAPVT VIII.

SVMMARIVM.

Refertur sententia Cani cum suis fundamentis, & etiam Toleti. num. 1.

Quid sentiat Ledesma de ea sententia. n. 2.

Esse nota dignam post Tridentinum. n. 3.
Reijcitur probatio quorundam. num. 4.
Etiam post Florentinum esse nota dignam. numero 5.
Ratio qua id à nonnullis probatur reijcitur, numero 6.
Etiam ante Florentinum esse improbabilem, numero 7.
Impugnatur Toleti sententia. num. 8.
Diluuntur argumenta Cani. num. 9.
Contrahentes matrimonium esse causas instrumẽtales gratiæ duplici ratione. num. 10.
Eum, qui contrahit in peccato mortali, duo peccata committere. num. 11.
Duos esse ministros huius sacramenti ex sua institutione, & partiales causas, non tamen partialia sacramenta. num. 12.

1 QVAMVIS matrimonij (vt cõtractus est) ministros esse ipsos contrahentes negari non possit, vt ex dictis etiam infertur: attamen eius, vt sacramentum est, ministrum esse Sacerdotem ipsum proferentem verba, & coniungentẽ illos docuit Melchior Canus lib. 8. de locis c. 5. Adducit pro sua sententia complures Auctores, ne contra communẽ hominum opinionem sentire videatur. Cæterum Gabriel Vazquez disp. 3. de matrimonio cap. 3. optimè ostendit nullum eius fauere sententiæ præter Guillermum Parisiensem, & Theologos Concilij Prouincialis Colonienſis, si conferantur quæ habent cap. 12. 18. & 22. Probat autem Canus primo, eo quod Eugenius Quartus, in prædicto decreto dixerit sacramenta perfici rebus, & verbis, & ministro. Verba autem in matrimonij contractu, quæ sunt contrahentium, suppleri per signa possunt; cum tamen verba in alijs sacramentis necessaria minimè suppleantur. Igitur necesse est cõstituere verba Sacerdotis ad matrimonium conficiendum, vt sacramentum est. Secundo probat, quia matrimonia clãdestina ante Concilium Tridentinum erant legitima & firma, non tamen sacramentum. Id quod probare contendit multis productis testimonijs, in quibus matrimonia clandestina reprehenduntur. Non autem ex alio capite potuit prouenire, quod sacramenta non essent, nisi ex defectu Sacerdotis, & ministri. Idem etiam probat, quia quando clandestine contrahebant, non habebant intentionẽ faciendi, quod facit Ecclesia, quæ intentio ad sacramenti valorem necessaria est. Tertiò probat, quia actio sacramentalis est sacra, atque adeò sacrum ministrum requirit, sicut videmus in alijs sacramentis, non verò hominem laicum, & fœminã. Quartò denique, quia contrahentes, etiamsi in peccato mortali contrahant, non se existimant esse sacrilegos, neq; duo peccata committere. Sentiunt igitur se non conficere sacramentum, atque adeò non esse sacrilegos, nec duorum peccatorũ reos. At nouissimè Toletus lib. 7. cap. 6. n. 4. planè docet ministrum ante Concilium Tridẽtinum nõ fuisse necessarium, at postea esse necessarium, & pertinere ad essentiam matrimonij ministrum, & testes. Quibus indicare videtur ministrum eius sacramenti esse Sacerdotem post Concilium.

2 Hanc sententiam Magistri Cano, Petrus Ledesma de matrimonio, quæst. 42. art. 1. difficultate 4. existimat ante Concilium Tridentinum, etiam post Florẽtinum fuisse probabile, & probabiliter defendi potuisse; videntur enim illi huius Auctoris fundamenta probabilia. At verò Soto in 4. distin. 26. quæst. 2. art. 2. negat vllo tempore fuisse probabilem, atque adeò affirmat esse temerariam.

3 Mihi videtur in primis, certum esse sententiam Magistri Cano post Tridentinum nõ esse probabilem, sed nota dignam. Sic Petrus Ledesma loco citato, conclusione vltima, & Gabriel Vazquez infra citandus. Et quidem id manifestè ostenditur, tùm quia iam hoc tempore contra Canum cõspirat vniuersa Theologorum schola: tùm etiam, quia Tridentinum Sessione 24. de reformat. matrimon. cap. 1. cum præcepisset, vt præmitterentur denunciationes, & ad esset Parochus vna cum duobus vel tribus testibus, vt ostenderet quid ad valide celebrandum matrimonium necessarium erat, subdit: *Qui aliter quam præsente parocho, & duobus vel tribus testibus matrimonia contrahere attentauerint, Sancta Synodus ad sic contrahendum inhabiles reddit, & eos contractus irritos, & nullos esse decernit.* Concilium autem loqui de matrimonio etiam qua sacramentum est, constat, quia alias diminuta esset Concilij doctrina, vbi omnium sacramentorum naturã exponit, nisi explicaret, quæ requirantur ad celebrãdum matrimonium, quatenus sacramentum est, ne fideles frustrentur gratia in sacramento toties repetito. Atque hunc etiam esse Concilij sensum declarauit congregatio Cardinalium, cuius declarationem refert Petrus Ledesma loco citato, quæ sic habet: *Non pertinere ad substã-*

tiam

tiam matrimonij sacramenti, vt parochus aliqua verba proferat. Non ergo dici potest Sacerdotem esse ministrum matrimonij, vt sacramentum est.

4 Probant alij, quia sequeretur contra Canum matrimonium cõtractum inter absentes, & per procuratorem nũquam posse effici sacramentum. Quia etiam si postea præsentes contrahant, nihil iam firmitatis adderetur contractui. Sed concederet Canus sequelam, neque in eo maius esset inconueniens, quam in asserendo matrimonium semel contractum sine intentione faciendi quod facit Ecclesia, nunquam effici sacramentum, valere tamen in ratione cõtractus, quod multi docent, vt dicam cap. sequenti. Quare prior illa à nobis adducta ratio potissima est.

5 Deinde videtur, sententiam Magistri Cano etiam post Concilium Florentinum, & ante Tridentinum nõ fuisse probabilem, & sine nota defendi minime potuisse, vt dicebat Soto, & Gabriel Vazquez disp. 3. de matrimonio cap. 4. num. 46. Id quod hac ratione mihi persuadeo, qua prædicti Doctores vtuntur. Quia Eugenius Quartus in citato decreto, §. *Septimum Sacramentum*, cum assignat causam efficientem matrimonij, hæc tantum habet: *Causa efficiens matrimonij regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Sentit ergo Eugenius nullam esse causam aliam efficientem vinculi matrimonij, præter mutuum contrahentis consensum, atq; adeò Sacerdotem non esse huius sacramenti ministrum. Illud autem verbum *regulariter*, referri non potest ad consensum, sed ad verba; eo quod suppleri soleãt nutibus, aut alijs signis, vt dicam postea lib. 2. cap. 7. Nec vero dici potest Eugenium hæc affirmare de matrimonio, vt cõtractus, & non vt sacramentum est. Tradebat enim eo loco Græcis, & Armenijs doctrinam Catholicam, quam tenet Ecclesia Romana; cumque proposuisset doctrinam de Trinitate, & Incarnatione, prosequitur statim ea quæ ad sacramenta pertinet. Agit ergo de matrimonio etiam, vt sacramẽtum est. Cumque tam exacte in quolibet sacramẽto materiam, formam, verba, ministrum, ordinarium, & non ordinarium tradiderit, diminute satis in explicanda doctrina de Matrimonij sacramẽto processisset, si id quod maximè necessarium erat, vt matrimonium esset sacramentum, omisisset, cum nullam aliam assignet efficientem causam. Etenim, ne fideles frustrarentur effectu huius sacramenti, non tantùm docere deberet, quod requiritur ad valorem illius, vt contractus est; sed potius id quod requiritur ad valorem sacramenti. Ex quo conuincetur etiam si quis pro Cani sententia dixerit illud, *regulariter*, ideò positum, vt ostenderet mutuum consensum contrahẽtium solùm causam esse, quando matrimonium valet in ratione contractus; quasi quando valeat in ratione sacramenti, alia sit efficiens causa præter consensum contrahentium. Nam addidisse etiam maximè oportuit, quæ essent necessaria, vt valeret quatenus sacramentum est.

6 Solet etiam hæc pars ab alijs probari, ex eo quod Trident. Session. 24. cap. 1. citato, definit matrimonia clandestina firma fuisse, quando Ecclesia non improbauit. Sed efficax probatio non est, neque enim negat Cano firma fuisse clandestina matrimonia, sed non fuisse sacramenta ex defectu ministri Sacerdotis.

7 Deniq; mihi videtur, quo magis prædicta confirmentur, non solùm post Concilium Florentinum, sed etiam antea, sententiam Melchioris Cani omni probabilitate destitutam. Primô, quia erat communis Doctorum sensus in cõtrarium, vno excepto Guillermo Parisiensi tractatu de Sacramentis, cap. 9. de sacramento matrimonij, quæst. 1. & Theologis illius Concilij Prouincialis Colonienſis. Deinde quia Pontifices, quando de matrimonio agunt, tantum dicunt requiri consensum contrahentium, quorum testimonia referam infrà lib. 2. cap. 1. & 2. Agere autem Pontifices de matrimonio etiam vt sacramentum est, planum videtur ex communi sensu Ecclesiæ. Neque enim vnquam in doctrina de matrimonio tradenda distinxere, vt aliqua vera essent de matrimonio, quatenus tantùm contractus est, alia vero de matrimonio, quatenus est contractus, & sacramentum simul. Persuasum enim semper in Ecclesia fuit contractum hunc eleuatum ad rationem sacramenti; & ita quidquid disponit de valore matrimonij, vt contractus est; tradit etiam de eo vt sacramentum est. Præterea, si verba Sacerdotis vere essent forma sacramenti matrimonij ex institutione Christi, eam institutionem nobis aliquando explicuisset Ecclesia, sicut explicuit aliorum sacramentorum institutionem; quod tamẽ nunquam factum est, aut certè valdè diminutam nobis tradidisset doctrinam de sacramẽto matrimonij, si non explicuisset, quando matri-

monium esset sacramentum, ne fideles populi eius ignoratione frustrarentur frequēter huius sacramenti gratia, quæ tamen ad huius onera subeunda maximè conueniens erat, vt concederetur. Præterea, quia matrimonium sine Sacerdote contractum semper Ecclesiæ praxis iudicauit esse causam Ecclesiasticam; quod non alia ratione iudicasset, nisi quia sacramentum erat, alias enim nulla posset reddi ratio, propter quam ad Ecclesiasticum forum pertineret. Nam matrimonium vt contractus est, non repugnat ad sæcularem Principem pertinere, maximè si notum Ecclesiæ erat eiusmodi matrimonium sic consentiente Ecclesia contractum non esse sacramentum. Denique quia licet Ecclesia, vt dicebam cap. præcedenti num. 19. potuerit aliqua statuere circa materiam, & formam, & ministros, addendo inhabilitates, & exigendo solemnitatem aliquam ex parte formæ, tamen Ecclesia nunquam potuit efficere, vt alij, quā contrahentes, sint ministri huius sacramēti; eos enim tantùm ministros exigit cōtractus iste in ratione contractus, qui tamen eleuatus est, vt conferret gratiam nullo addito, nec nouiter instituto per Christum.

8 Ex quibus manifestè colligitur valde etiam à veritate discessisse Toletū loc. cita. cum dixit ante Tridentin. non esse necessarium ministrum in matrimonio, cum iam pridem definierit Eugenius Quartus, sacramenta tribus perfici, & intentione ministri, & materia, & forma. Tùm etiam non potuit Ecclesia alium ministrum constituere, quàm antea erat. Cum ergo antea matrimonium esset sacramentum, & ex consequenti haberet ministrum, non potuit alius constitui minister. Nec dici posset Toletum loqui de matrimonio, vt contractus est. Nam vt contractus est ministrum habet ipsos contrahentes. Adde eam solemnitatem præscriptam à Cōcilio etiam designari, pro matrimonio, vt contractus est. Quod si loquatur de eo, vt sacramentum est, antea etiam erat sacramentū, & non habebat ministrum Sacerdotem, & aliàs habebat ministrum. Quare ea Toleti opinio fere eadem censura digna videtur, atque opinio Cani.

9 Nec vero argumēta Cani aliquid habent roboris. Ad primum enim cōstat, quis sit sensus Eugenij IIII. cum dixit causam efficientem regulariter esse consensum expressum per verba de præsenti ex dictis supra cap. precedenti, num. 15. & dicam etiam infra lib. 2. cap. 7. Neque secundum maiorem habet vim, omnes enim Patres, quos citat Cano, in nullo fauent eius sententiæ. Reprehendunt enim matrimonia clandestina, quia contra Ecclesiæ constitutionem contrahebantur; & quia forsan nonnulli ea de causa irrita esse censebant, vt dicam infra suo loco lib. 5. cap. 3. non verò reprehēdunt, quia nulla essent in ratione sacramēti ob defectum Sacerdotis, & ministri, licet valida essent, in ratione contractus, neque id vel leuiter insinuarunt. Nec vero in his, qui clandestine contrahebant, pugnabat ex eo capite intentio faciendi, quod facit Ecclesia, sicut neque pugnaret in eo qui contraheret domi coram parocho, & testibus contra præceptum Ecclesiæ. Ad tertium dicimus actionem sacramentalem sacram dici, quia eleuatur à Deo ad efficiendam gratiam, non vero quia fiat à sacro ministro, vt constat etiam in Baptismo, quando confertur in casu necessitatis à laico. Est enim in hoc sacramento id speciale, quod alia non possunt effectum habere, nisi ab extrinseco ministro conferantur, hoc autem sacramētum etiam sine extrinseco ministro suum effectum habere potest, scilicet coniunctionis gratiam, quæ mutua animorum coniunctione significatur; eam autem coniunctionem nullus præter ipsos contrahentes valet efficere, vt docet D. Thom. in Additio. quæst. 45. Ad quartum dico, si forte existimant aliqui non peccare, si contrahunt in peccato mortali, id prouenire ex ignorantia, cum duo peccata committant, vt dicam statim. Maneat ergo cum communi Doctorum sententia eundem prorsus esse ministrum matrimonij vt contractus, & vt sacramentum est.

10 Ex his colligitur primo ipsos contrahentes esse causas instrumentales gratiæ, siue physicas, siue morales iuxta varias opiniones Theologorum: imò sunt duplici ratione causa gratiæ. Primò ministerialis, sunt enim ministri, sicut abluens in Baptismo, & absoluens in confessione. Deinde vt causa materialis, concurrunt enim cum forma ad eius productionem; quæ gratia tunc tantùm producitur, cum vterque cum debita intētione concurrunt. Potest autem contingere vt in vno producatur gratia, & non in altero, si alter eorum existat in peccato, & non præmittat confessionem, vel saltem contritionem.

11 Secundò colligitur contrahentes in peccato mortali matrimonium peccare duplici de causa, & duo peccata committere.

Tum

Tùm quia recipiunt sacramentum in mortali peccato, quod indubitatum est: tùm etiam, quia illud in mortali ministrãt. Quare non rectè Soto in 4. dist. 1. quæst. 5. art. 6. & eum sequutus Thomas Sanchez lib. 2. disp. 6. nu. 4. quos etiam sequutus est Ægidius disp. 24. dubio 3. num. 34. qui peccatum veniale tantùm dicit esse ministrare in peccato, sed fallitur Ægidius: si enim consecratio requiritur, nullum potius erit: fallun tur etiam Soto & Sanchez, qui docent cõtrahentes non peccare, quatenus ministri sunt, quia licet sint ministri per se huius sacramenti, non tamen sunt ministri consecrati, atque ideõ non abutuntur consecratione, sicut aliorum sacramentorum ministri. Id certè nullius momenti est, ministrans enim in peccato mortali sacramentum non peccat ea ratione, quià consecratione abutatur, alias peccaret Episcopus in consecratione Chrismatis, in benedictione Altaris, & Diaconus, cùm ministrat altari, vel canit Euangelium, aut concionatur in peccato mortali, vel cum Subdiaconus canit Epistolam, nam ad hæc omnia sunt consecrati ministri, & abutuntur consecratione, quæ tamen Soto non admittit. Peccat ergo ministrans in peccato mortali, quia neque Deo auctori sanctitatis, neque sacramẽto, quod est causa gratiæ, conformis est; cum tamen sit in eo Dei instrumentum: & inter instrumentum, & causam principalem debeat esse conformitas. Quam rationem assignat Diuus Thomas 3. p. quæst. 64. art. 6. in corpore, & eam optimè explicat Gabriel Vazquez ibidem disp. 136. cap. 3.

12 Denique colligitur ex propria institutione huius sacramenti non esse tãtum vnum eius ministrum, qui sit causa gratiæ quæ in eo confertur, sed à duabus partialibus ministrari, eo quod natura contractus matrimonij nullo modo mutata est, ex eo quod in sacramentum fuerit institutus à Christo, sed manens in sua natura consecratus est. Quare cum hic contractus postulet, vt minimum duos, & ex altera parte nempe mulieris, plures etiam vxores esse possint, si permissum sit cum pluribus contrahere; & huius sacramenti minister non sit, nisi ipse qui recipit, vt iam diximus, sequitur ex sui institutione à pluribus ministris partialibus ministrari posse. Vnde & plures mulieres dicere possunt, *nos te accipimus in coniugem.* In alijs autem sacramẽtis vnus tantum institutus est minister totalis, & integer, qui habeat totam potestatem administrandi. Quare si dicatur pluribus abluẽtibus, *nos te baptizamus*, nullum est sacramẽtum, quia hæc forma non exprimit ministrum tanquam totalem causam, sed vt partialem cum alijs. Ob id tamẽ nõ est dicendũ in matrimonio esse partialia sacramenta, sed vnum tantum indiuisibile, & in ratione signi, & causæ gratiæ, vt docet Petrus Ledesma de matrimonio, quæst. 42. art. 1. difficultate 3. ad tertium.

Rationem contractus in matrimonio inter fideles separari posse à ratione sacramenti, nec posse denuo effici sacramentum.

CAPVT IX.

SVMMARIVM.

Requiri in ministris intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, vt matrimonium sit sacramentum. num. 1.

Sentiunt aliqui inter fideles nõ posse separari rationem contractus, & sacramenti. n. 2.

Opposita sententia verior, num. 3. Eius fundamẽta. num. 4. & 5.

Fundamenta contrariæ diluuntur. n. 6.

Sententia asserens matrimonium prius validum in ratione contractus posse postea effici sacramentum, & duo modi illam explicandi. numero 7.

Verior opposita sententia, & prior modus refellitur. num. 8.

Secundus modus reijcitur. num. 9.

Proponitur obiectio, & diluitur. num. 10.

Excluditur alius modus, qui excogitari posset, separandi contractum à sacramento. n. 11.

1 EX doctrina etiam capitis præcedentis cum constet contrahentes esse ministros huius sacramenti, & sacramenta omnia, vt definiuit Eugenius Quartus in prædicto decreto, perficiantur intentione ministri, facile colligitur in ipsis contrahentibus debere esse intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Ad eam autem habendam satis erit, si contrahere velint iuxta communem morem, secundum quem vident fideles alios in Ecclesia contrahere. Quare si neq; confuse haberet eã intentionem, nec celebrandi matrimonium, tanquã rem sacram, sed tantum vt contractum, re-

vera

vera non esset sacramentum, ex defectu intentionis necessariæ in ministro.

2 Sed hinc exoritur prima dubitatio, an scilicet matrimonium ea intentione contractum, esto non esset sacramẽtum, valeat tamen in ratione contractus. Nonnulli negant, inter quos est Petrus Ledesma de matrimonio, quæst. 42. art. 1. dub. 7. in solut. ad primum, & secundum, quem sequitur Thomas Sanchez lib. 2. disp. 10. num. 6. idem olim sensit supplem. Gabrielis in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3. dub. 2. nouissime Ægidius Koninc disp. 24. dub. 1. conclusione 4. Quorum fundamentum est, quia ex Christi institutione inseparabilis est ratio sacramenti à contractu matrimonij: vnde intentio non conficiendi sacramentum repugnat intentioni legitime conficiendi matrimonium, quatenus est contractus; sicut è contra qui intenderet facere sacramentum, & non cõtractum, nihil efficeret: quia ex Christi institutione hæc duo sunt inseparabiliter cõiuncta, & se mutuo ponunt, & destruunt.

3 Verum probabilius existimo in eo casu valere matrimonium in ratione contractus, & separari à ratione sacramenti. Sic docuit Scotus in 4. dist. 26. quæst. vnica §. *Sed qualiter*. Basolis in 4. dist. 27. quæ. 1. art. 1. dum dicit, verba esse necessaria ad rationem sacramenti, non ad rationem contractus, & ita in multis esse contractum, non sacramẽtum: & Iacobus Almainus dist. 26. §. *Restat alia difficultas de forma*, vbi negat omnibus signis conficiẽtibus matrimonium esse causam gratiæ, & ita separari vnum ab alio, Ferdinandus Rebellus tom. 1. de obligat. iustit. part. 2. lib. 2. quæst. 5. conclusione 1. vbi dicit esse hanc sententiam Doctorum omniũ. Idem docet Gabr. Vazquez 2. to. in 3. p. disp. 138. cap. 5. in principio. Primum mihi huius sententiæ fundamentum est, quia non inuenio fundamentum aliquod, neque in Patribus, neque in concilijs, neque etiam in vnanimi Doctorum fidelium opinione, vnde deducamus ita eleuatum esse à Christo contractum matrimonij ad rationem sacramenti, vt si sacramentum non sit, cõtractus non sit. Quamvis enim non possit esse sacramentum Matrimonij sine ratione cõtractus, cum legitimus matrimonij contractus sit materia, & forma eius sacramenti, at nullum fore contractum concurrentibus omnibus, quæ necessaria sunt ad valorem contractus, ex eo quod non sit sacramentũ, non rectè colligitur. Exigò enim ab his Doctoribus, vnde colligant eo modo factam à Christo institutionem, cum eorum assertio ex institutione dependeat. Eam enim non exprimunt Concilia, neque insinuant, vt notum est, & præterea non pauci Doctores Antiqui tenuerunt matrimonia clandestina inter fideles contracta, esse quidem firma in ratione contractus, carere tamen ratione sacramenti. Et multo plures docuerunt matrimonium inter absentes, & per procuratorem esse firmum, atque legitimũ, non tamen sacramentum, quos referam casequenti: & non pauci Recentiores iudicãt eam opinionem adhuc post Concilium Tridentinum esse valde probabilem. Non est ergo aliquis communis sensus Doctorum, vnde colligatur rationem contractus inseparabilem esse à ratione sacramenti inter fideles.

4 Alterum fundamentum est, quia vbi ius non exprimit contractum matrimonij esse inualidum, censendum est validum in vtroque foro, ex Ioanne XXII. *in Extrauag. antiquæ*, cum communi Doctorum sententia. Nullum autem ius exprimit contractũ matrimonij celebratum, etiam cum intentione non conficiendi sacramentum, esse inualidum. Ponamus enim aliquem sub ea conditione velle contrahere, illamque exprimat, si turpis, aut impossibilis est habetur pro non adiecta *cap. fin. de condit. appos.* in quo capite decernitur solam conditionẽ appositam matrimonio contra eius substantiam, illud reddere inualidum, cuiusmodi non est ista conditio, vt constat. Si ergo exterius expressa ea conditio non reddit nullum matrimonium, multo minus irritum efficiet, si mente retineatur: quæ enim mẽte retinentur, si non sint contra substãtiam contractus, nunquam illi nocent, vt dicam postea suo loco.

5 Denique habemus pro nostra sententia tacitum consensum Ecclesiasticorum iudicum. Nam illi, qui apud nos post Baptismum ad Iudaismum deficiunt, matrimoniũ contrahunt sine intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Vt enim Inquisitorum testimonio constat prius illi priuatim in suis domibus solent matrimonia cõtrahere, & postea fingunt se in facie Ecclesiæ contrahere: & tamen sine vlla intentione contrahendi more Christiano, quem potius irrident. Cumque hæc certissimè in iudicio constent nunquam Inquisitores, neque in Hispania, neque extra Hispaniam Episcopi Inquisitorum ordinario munere fungentes iudicarunt illos separandos, aut iterum debere con-

coniugium contrahere. Cum tamen, si ex defectu eius intentionis, deficeret ratio cõtractus, deberent iterum contrahere, vel possent valide alteri nubere. Quare ministri, qui cum ea intentione susceperunt matrimonij sacramentum, hoc est, celebrarunt contractum matrimonij, perpetuo carent effectu sacramenti gratiæ, quæ in illo confertur ex opere operato. Neq; hoc mirum: nam etiam qui recipit sacramentũ aliquod ex his quæ iterari non possunt, verbi gratia, Confirmationem, aut Ordinem, cum obice tamen, perpetuò carebit ea gratia, quam illud sacramentum conferebat ex opere operato, cum nullum sacramentum, quod non contulit gratiam propter obicem, excepto baptismo, remoto obice gratiam conferat. Non enim constat nobis ea ratione instituta esse à Christo Domino sacramenta.

6 Atque ex his facile diluitur contrariæ sententiæ fundamentum. Constat enim ex dictis rationem contractus validè separari posse à ratione sacramenti. Nec verò inde sequitur rationem sacramenti à cõtractus ratione separari posse; cum ratio sacramenti matrimonij, ita supponat rationem contractus, vt non alia sit materia, & forma matrimonij quatenus sacramentum est, nisi quæ fuerit materia & forma contractus, vt iam superius dictum est. Quare qui vellet efficere matrimoniũ vt sacramentũ est, nollet efficere contractũ, nihil efficeret; haberet enim animum omninò repugnantẽ substantiæ matrimonij; sed tunc iudicandum de illo esset, atque de eo, qui habet animum contrahendi, & non animum se obligandi, vt dicam lib. 2. cap. 4.

7 Sed hinc oritur secunda, eaque maior dubitatio: an eiusmodi matrimonium quod in ratione contractus validum esse diximus, possit aliquando effici sacramentum. In quo nonnulli, vt colligere licet ex his, quæ dicunt de matrimonio in infidelitate contracto, censent matrimonium antea celebratum posse fieri sacramentum. Sed licet in hoc conueniant, diuersimodè tamen explicant. Quidam dicunt statim atque baptizantur sine alio nouo consensu effici sacramentum. Sic citatis alijs Thomas Sanchez lib. 2. disp. 9. nu. 5. Petrus Bollo in œconom. classe 2. ca. 4. §. 7. parum à principio; videtur indicare Deça Hispal. in 4. distinct. 26. quæst. 2. a. 3. affert inter alios pro sua sententia D. Thom. in 4. distinct. 39. quæst. vnica, art. 2. ad primum, eo quod dicit matrimonium infidelium esse sacramentum non actu, sed habitu. At Diuus Thomas sacramẽti nomine non intellexit sacramentum stricte sumptum pro signo sensibili conferẽte gratiam, in quo sensu nunc disputamus, sed sacramentum latè sumptum, quia est mysterium quoddam coniunctionis Christi cum Ecclesia. Quam significationem actu sensit Diuus Thomas non conuenire matrimonio nisi suscepto baptismo. Ex eo autem quod ea significatio conueniat matrimonio ratione baptismi, non rectè infert Thomas Sanchez matrimonium effici sacramẽtum, & conferre gratiam susceptione baptismi vt statim dicam. Alij vero aliter explicant, censent enim sacramentum effici non statim, atque baptizantur, sed cùm habent nouum consensum, aut antiquum verbis vel nutibus, vel copula maritali approbant. Videtur indicare Capreol. in 4. distinct. 26. quæst. 1. in solut. ad argumenta Durandi, Rebellus 2. part. lib. 2. quæst. 6. conclusione 1. Sic sentit Petrus Ledesma de matrimonio quæst. 59. art. 2. dub. 3. Bellarminus lib. 1. de matrimonio cap. 5. in fine, & cap. 15. & alij, quos refert idem Thomas Sanchez ibidem, num. 4. fundamenta istorum adducam postea.

8 Mihi tamen semper verius visum est, tam matrimonium fidelium contractum sine intentione faciendi, quod facit Ecclesia, quam matrimonium infidelium nunquam denuò posse fieri sacramentum. Sic Durandus in 4. dist. 26. quæst. 3. num. 14. Gabriel Vazquez 2. tom. in tertiam partem, disput. 138. cap. 5. & 4. tom. disp. 2. de matrimonio, cap. 10. sensérat idem Thomas de Argentina eadem distinct. 26. quæst. 1. art. 1. ad primum, & idem docuisse complures discipulos Diui Thomæ, fatetur Petrus Ledesma loco citato, nouissimè Ægidius disp. 24. cit. concluſ. 7. Et probatur in primis non posse effici sacramentum cum baptismus suscipitur, vt existimauit Thomas Sanchez, idque efficaciter cõuincitur. Tùm quia alias possent simul tempore cum baptismo plura sacramenta ministrari. Tùm etiam quia cum baptismus habilem reddat, prius tempore suscipi debet, vt habilis sit ad alia suscipiẽda. Tùm præterea quia, vt intelligeremus matrimonium susceptione baptismi reddi sacramentum, quod antea non erat, necessarium videtur, vt noua apponatur forma, nouaque materia, nouusque consensus; quæ tamen non ponuntur, cum sæpe qui baptizantur nihil minus cogitent, quam de renouando consensu. Tùm denique non est idem

ma-

matrimonium effici ratum, & effici sacramentum propriè sumptum. Ratum enim efficitur baptismo, ita vt iam causa baptismi non sit dissolubile, sicut dissolui poterat ante baptismum, vt dicam infra cap. 12. Sacramentum autem fit, non significatione coniunctionis Christi cum Ecclesia, quam habere non potest sine noua materia, & forma. Contractus enim matrimonij eleuatus est, vt gratiam conferat; vnde ratum fit sine nouo consensu, sola susceptione baptismi, sacramentum autem fieri non potest sine nouo consensu.

9 Deinde probatur neque effici sacramentum, quamvis postea renouetur consensus, vt existimarunt Bellarminus, & alij maiori cum probabilitatis specie. Id quod probatur efficaciter, nam ratio sacramenti matrimonij annexa est fieri contractus, non vinculo remanenti post contractum; consistit enim hoc sacramentum in actione, sicut & omnia alia excepta Eucharistia, & in eo fieri ipsius contractus datur gratia, non postea, vt certa sententia Doctorum est. Post semel autem contractum valide matrimonium non potest denuo esse aliud fieri eius contractus; vinculum enim matrimonij relictum in nullo penitus iam dependet à consensu eorũ, qui cõtraxerunt. Quare cum etiamsi renouetur consensus, nihil efficiatur circa contractum antea validum, nec adhibeatur materia & forma, cum solũ verbo tenus renouetur consensus; & sacramentum matrimonij tantùm cõsistat in fieri, nec possit esse nisi re ipsa fiat contractus, non potest iam amplius fieri sacramentum.

10 Sed obijciunt. Quia si facta venditio non est ita rata, cum in potestate cuiuslibet ex contrahẽtibus sit, eam irritare, propriè dicitur denuò facta, cum ita firma redditur, vt annullari nequeat, sed matrimonium infidelium poterat ab alterutro dissolui eo solo admittente fidem, & dum baptizantur ita ratificant, vt amplius dirimi nequeat. Ergo tunc dicitur contrahi, atque adeò erit sacramentum tanquam matrimonium post baptismum contractum. Sed exemplum, quod adducitur nullius momenti est. Venditio enim, quandiu non est firma, sed consensu partium dissolui potest, non censetur facta, sed præcessisse tantum tractatum quendam antecedentem venditionem, tunc autem fieri dicitur, cum firmitatem accipit. Matrimonium verò, eo ipso quod fit, firmum est ex natura sua, vt dicam postea capit. 17. licet beneficio fidei dissolui possit, aliàs dicendum esset matrimonium ante baptismum nondum esse celebratum, sed consensu partium dissolui posse.

11 Sed forsan excogitabit aliquis alio etiam modo separari rationem sacramenti à matrimonio inter fideles, videlicet cum ob impedimentum peccati non confertur gratia, tunc enim contractus remanet, & non sacramentum. Id si quis dixerit, non solum falsum, sed & censura graui dignum erit. Quia quod ex impedimento matrimonium, aut quodvis aliud sacramentum non producat gratiam, non obstat quo minus perficiatur sacramentum. Quia vt sacramẽtum quodvis conficiatur tantum exigit Eugenius Quartus, materiam, formam, & ministrum. At gratia neque est forma, neque materia, neque minister. Ergo etiam si ratione obicis non sequatur, erit perfectum sacramentum. Adde sequi quod ægro in eodẽ articulo morbi, & periculi existenti posset repeti sacramentum vnctionis, si primo susceptum esset cum obice, quod contra praxim Ecclesiæ est: sequela constat, quia ratione obicis nullum fuisset sacramentum collatum.

Matrimonium inter absentes, & per procuratorem valere in ratione cõtractus, & in ratione sacramenti.

CAPVT X.

SVMMARIVM.

Valere matrimonium inter absentes, per procuratorem, vel epistolas, etiam post Tridentinũ in ratione contractus. num. 1.

Non valere in ratione sacramenti, quorundam opinio est. num. 2.

Opposita sententia vtrior probatur. n. 3.

Optima ratione refelluntur Cani, & Caietani fundamenta. num. 4.

Sentiunt nonnulli procuratorem esse materiam matrimonij inter absentes. num. 5.

Explicatur vera sententia. num. 6.

1 VALIDE celebrari matrimonium inter absentes, & per epistolam, vel nuncium, vel procuratorem in ratione contractus satis constat ex cap. *Honorantur* 32. *quæst.* 2. & *cap. fin. de procurat. in* 6. eamque dispositionem locum habere

haberé post Tridentinum adeò notum est, vt probatione non egeat, cum nihil circa hoc innouarit, sed tantum aliquid addiderit ex parte formæ licet nonnulli dissentiant, quos refert Petrus Ledesma de matrimonio quæst. 42. art. 1. difficult. 7.

2 Sed an etiam valeat in ratione sacramenti, non leuis Doctorum dissensio est. Nonnulli negant, hi sunt Cano lib. 8. de locis cap. 5. & in relectione de pœnitentia, p. 5. Bassolis in 4. dist. 27. q. 1. art. 1. Caietan. in opusculo de matrimonio q. 1. Victoria in summa num. 244. Viguer. in institutionib. Theologicis cap. 16. §. 7. vers. 4. Martin. Ledesma 2. p. 4. q. 44. art. 4. probabilē iudicant Petrus Ledesma q. 42. art. 1. diffic. 7. conclu. 1. Ferdinandus Rebellus de obligat. iustitiæ part. 2. lib. 2. quæst. 5. conclus. 2. Quamvis autem Caietan. & Catherinus conueniant in hac sententia, procedunt tamen ex diuerso fundamento. Caietanus quidē cum Bassolis & alijs, quia in vniuersum existimat nullum sacramentum inter absentes conferri posse, eo quod verba requirantur pro forma: Catherinus autem, quia existimat verba Sacerdotis tanquam ministri esse necessaria ad essentiam matrimonij, vt sacramentum est, cum sacramenta verbis, & rebus, & intentione ministri perfici Eugenius Quartus definierit.

3 Verius tamē mihi videtur valere matrimonium contractum inter absentes, & in ratione contractus, & in ratione sacramenti. Sic Innocent. in cap. *Inuenis de sponsalibus*, num. 5. Hostiensis in summa de spōsalibus, §. *Qualiter contrahatur*, Paludanus in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 3. conclus. 1. vbi affirmat omnia alia sacramenta hoc excepto requirere verba, Couarruuias secunda parte de matrimonio cap. 1. §. vnico num. 5. Nauarrus in cap. *Fratres de pœnitentia* dist. 5. n. 45. Catherinus lib. 5. contra Caietanum c. 3. de matrimonio. Dominicus Soto in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3. §. *Ex huiusmodi*. Petrus Soto de institutione Sacerdotum lectione 3. de matrimonio, §. *Requiritur*. Gregorius de Valentia 4. tom. disp. 10. quæst. 1. puncto 6. in solutione ad quartum argumētum Cani, & Recentiores frequenter. Et in primis facile ostenditur ex dictis. Quia Christus Dominus in nullo penitus immutauit naturam contractus matrimonij, sed illam euexit ad rationem sacramenti. Cum ergo per procuratorem contractum valeat in ratione contractus, valebit etiam, vt sacramentū. Deinde, quia Ecclesia absolutè definit matrimonium esse sacramentum absque vlla restrictione; non est autem verosimile in re tanti momenti non expressisse Ecclesiā, si matrimonium inter absentes non erat sacramentum, nè fideles frustrarentur fructu sacramēti. Præterea, quia in contractu matrimonij per procuratorem inito est vera materia, & vera forma, vt explicabo statim. Est ergo verum sacramentū. Rursus, vt dicebam supra, nulla esset ratio propterquam eiusmodi matrimonium subiectum esset tribunali Ecclesiastico: nam hic contractus solū extrahitur à iudicio Principis secularis, quia eleuatur ad rationem sacramenti: cum ergo in his casibus non eleuetur eiusmodi causa non pertinebit ad Ecclesiam. At eas causas semper ad se vocat Ecclesia. Planum ergo est matrimonium inter absentes sacramentum esse.

4 Denique si aliquid obstaret, maximè quod Canus velit verba Sacerdotis esse necessaria: Caietanus verò, quod non possit sacramentum conferri sine verbis. Sed hæc nullius sunt momenti. Nam contra Caietanum est, quod licet in alijs sacramentis verum proculdubio existimem non posse conferri absenti, quia verba requiruntur pro forma: attamen non idem censeo de matrimonio. Expresse enim Eugenius Quartus, vt iam dictum est supra capit. 8. definit causam efficientem matrimonij esse *regulariter*, consensum mutuum per verba de præsenti expressum. Quæ dictio *regulariter*, non potest referri ad consensum vel causam. Quia consensus ita est causa matrimonij, vt semper sit, neq; alia pro eo esse possit. Quare restat, vt tantùm referatur ad verba. Vnde his verbis plane indicat, quamvis regulariter matrimonium per verba celebretur, posse tamen per literas, aut nutus celebrari iuxta decisionem Innocentij III. in cap. *Cum apud, & cap. tuæ, de sponsalibus*, atque adeò inter absentes esse sacramentum matrimonij posse; agebat enim Eugenius de matrimonio, vt sacramentum est. Quo eodem argumento refellitur etiam Canus, contra quem late supra capite octauo. Sed speciatim etiam contra Caietanum est, quia ex eius sententia dicendum esset, non esse institutum à Christo matrimonij sacramentum pro mutis, cum tamen omnes egeant Dei gratia ad onera matrimonij subeunda: ex eo enim sumunt Doctores omnes rationem congruentem propterquam fuerit conueniens institui matrimonium in sacramentum. Addunt alij

contra Caietanum, quia sequeretur matrimonium inter absentes nunquam posse effici sacramentum. Sed huic argumẽto concederet sequelã Caietan. vt dixi sup. cap. 7. Contrà Canum etiam extenditur prædicta ratio, qua licet verba Sacerdotis essent forma, & ille esset minister; attamẽ materia deberet esse consensus contrahẽtium expressus eorum verbis, qui simul cum forma cõcurreret, & non posset esse vinculũ iam ipsum in facto esse. Sed celebrato iam cõtractu, quando adesset Sacerdotis benedictio, non est materia infieri, vt ita loquar. Ergo non erit sacramentum, sola enim forma sine materia nequit sacramentum perfici; cũ sacramentum hoc, vt iam sæpe dictum est, non in facto esse, vt dicunt, sed in actione consistat. Posset tamen Canus sequelam concedere. Ea ergo, quæ superius, & in cap. octauo, adduximus, mihi videntur efficaciora.

5 Sed quæret aliquis, in eiusmodi matrimonio inter absentes, quæ sit materia, & forma, & minister. Ioannes Bassolis in 4. distinct. 26. quæst. vnica art. 2. censet, quando vnus pro alio contrahit, ministrum esse eum, qui gerit vices alterius, licet cum dubitatione loquatur. Idem sensit Scotus eadem distinct. quæst. vnica §. *De ministro est aliud dubium*, Supplem. Gabrielis eadem distinct. quæst. vnica artic. 1. in 2. notabili. Præterea Thomas Sanchez lib. 2. de matrimonio disp. 11. quæst. 4. num. 28. docet quidem procuratorem non esse ministrum, neque eius verba aut signa esse materiam aut formam, sed verba mandãtis, quatenus per procuratorem innotescunt; id quod etiam docuerat Petrus Ledesma quæst. 42. artic. 1. difficult. 7. in fine.

6 Sed isti non rectè philosophantur, nequit enim intelligi verba ipsorum contrahentium, quatenus innotescunt per procuratorem, esse materiam & formam, quin ipsa procuratoris verba includantur etiam in materia & forma, sicut consensus expressus per verba ita est materia aut forma, vt etiam ipsa verba includantur. Quare potius dicendum verba procuratoris, vel signa posse accipi, & vt relata ad ipsum procuratorem, quia is exprimere velit suum consensum, & hac ratione nihil sunt materiæ vel formæ: vel accipiuntur relata ad mandantem, & ità pertinent iuxta nostram sententiam ad formam. Nam verba mandantis non possunt esse completa forma, quatenus suo procuratori exprimunt consensum. Vnde verba procuratoris, quæ nomine mandantis exprimit, non secus se habent, quam si ab ipso mandante proferrentur: ob id tamen non dicitur minister, sed quasi instrumentum ministri, per quem alius contrahit. Hinc fit etiamsi procurator esset in amentia, valiturum matrimonium, si alias esset sufficiens, ad hoc vt mandantis exprimeret consensum, sicut potest epistola declarari. Fit etiam procuratorem non necessario debere esse in gratia, cum contrahit, siquidem neque ipse recipit sacramẽtum, neque est minister illius. Neque enim habet locum illa ratio, propterquam supra cap. 8. num. 10. diximus peccare contrahentem, qui in peccato ministrat, cum hic non sit minister. Is tantum qui mandatum dedit, debet esse in gratia tempore, quo credit matrimonium celebrandum à procuratore. Fit denique diuersitatem sexus nullius esse momenti in procuratore, cum sit tantum instrumentum ministrans verba, quibus contrahitur matrimonium. Quæ autem requirantur, vt sufficiẽter per procuratorem exprimatur consensus, dicam lib. 2. cap. 15. Atque idem dictum volo de matrimonio per epistolam aut nũtium, nullus enim dubitat eandem de his omnibus esse rationem.

Quæ significationes conueniant matrimonio, & à quo tempore.

CAPVT XI.

SVMMARIVM.

Proponuntur bona matrimonij. num. 1.

Quo sensu dicatur illis excusari matrimonium quorundam explicatio. num. 2.

Quo sensu verè dicatur. num. 3.

Tres significationes conuenire matrimonio. n. 4.

Sacramentum matrimonij, dum fit, significare cõiunctionem Dei cum anima per gratiam. numero 5.

Vinculum remanens significare coniunctionem Christi cum tota Ecclesia per sacramentum fidei. num. 6.

Matrimonium consummatum habere significationem vnionis hypostaticæ. num. 7.

Quo ordine significentur vniones matrimonio. num. 8.

Istas significationes non conuenire matrimonio à sui initio: & probatur de significatione coniunctionis cum anima fideli per gratiam. n. 9.

Sig-

Significationē vnionis Christi cum Ecclesia conuenire matrimonio à sui initio, quorundam opinio est. num. 10.

Conuenire tantum ex institutione Christi communis, & vera sententia est. num. 11.

Quo sensu intelligendus sit Leo, & alij. n. 12.

Explicatur etiam Innocentius in capit. Gaudemus. num. 13.

Magis explicatur quomodo istæ significationes conueniant matrimonio. num. 14.

Has significationes cōuenire matrimonio sine dependentia inter se, sed separabiliter. n. 15.

1 COMMVNI sensu Doctores quē probat Eugenius IIII. in prædicto decreto constituunt cum August. lib. 1. de nup. concup. cap. 11. & 12. tria bona matrimonij, quæ ipsum matrimoniū excusant, scilicet proles, fides, sacramentum.

2 Quod si à Doctoribus quæras, qua ratione dicantur, hæc tria bona excusare matrimonium, non eodem modo respondent. Quidam, quia censent actum contrahendi matrimoniū ex se, nec esse bonum, nec malum, sed indifferentem. Sic Durandus in 4. dist. 31. quæst. 1. n. 5. Bassolis dist. 26. q. 1. ar. 1. Almainus in 4. distinct. 26. conclusione 1. Sed hi Doctores non rectè. Si enim nomine actus indifferentis intelligant actū contrahendi matrimonium esse indifferētem, planè falluntur. Nam actus contrahendi matrimoniū institutionis, & præcepti naturalis obiectum est. Eo autem ipso quod aliquid præcipitur, lege naturali, vel diuina, vel humana, in aliqua specie virtutis constituitur. Cum ergò actus contrahendi matrimonij sit licitus, honestus, meritorius, si debite fiat sicut & actus aliarum virtutum, non potest dici actionem illam esse indifferentē. Nunc enim non agimus de excusatione actus cōiugalis, de quo postea suo loco, potest enim licere matrimonium sine ordine ad copulā, vt dicam postea cap. 18. Eodem modo refellendi sunt Paludanus Supplem. Gabrielis, Viguerius, & alij, quos referam suo loco, qui dicunt excusari, quia habet speciem mali; videtur enim agere de excusatione actus copulæ, non de excusatione actus contrahendi, quod nunc agimus.

3 Quare dicimus ideò dici excusari actū contrahendi matrimonium, quia matrimonium est minus bonum, quam cœlibatus, nō quia aliquid mali habeat, sed quia est minus perfectum bonum comparatione alterius, sicut vita actiua comparata ad contemplatiuam. Matrimonium enim, si contrahatur ob finem liberorum, & cum cōsensu in copulam, impedimentum habet ratione voluptatis actus coniugalis, quæ ratione turbat. Si verò cōtrahatur sine ordine ad vsum cōiugalem, adminus in eo est perpetua seruitus; vir enim alligatus est vxori iuxta Pauli 1. Corint. 7. est etiā nimia sollicitudo placendi vxori, & diuisus est, vt inquit Paulus. Adde etiam alia multa nuptiarum incōmoda, quæ elegāter Basilius, & Gregorius Nissenus, & Chrysostomus prosecuti sunt in libris de virginitate. Cum ergò status hic imperfectus sit comparatiue ad alium, & deijciat hominem non à gratia, sed à perfectiori statu; & ab eo abstinendum moneat Paulus non tanquam â malo, sed vt à bono minus perfecto, & aliàs prudentis hominis sit eligere, quod melius, est habet excusationem prudentia hominis eligētis matrimoniū. Nam in hoc licet minus perfecto bono est proles, est fides, ideſt, vitatur fornicatio solutione debiti coniugalis, est etiam sacramentū, ideſt, signū coniunctionis Christi cū Ecclesia indissolubilis. Hæc autē tria bona ad substantiā matrimonij pertinere colligi videtur ex Greg. IX. cap. fin. *de condit. appos.* Quia scilicet hæc tria proles, fides, sacramē tū signa quædam sunt eius, in quo essentia matrimonij consistit, & licet hæc tria signa sint effectus matrimonij, sunt etiam fines diuersa tamen ratione. Quomodo autem vnum quodque pertineat ad matrimonij rationem deinceps explicandum est, sumpto initio à bono sacramenti, & significatione, quæ inest matrimonio, & signum est indissolubilitatis, vt sic matrimonij ratio, atq; substantia integrè explicata maneat.

4 Igitur matrimonio non vna, sed multiplex & diuersa significatio cōuenit. Significat enim coniunctionē Dei cū anima fideli per gratiā. Significat etiā cōiunctionē Christi cum tota Ecclesia, quam sibi desponsauit per sacramentum fidei, *in fide enim*, inquit Augustin. serm. 29. de verbis Domini ca. 4. *Desponsata est illa, cui dicitur in Canticis: Veni de Libano sponsa mea veniens, & pertransiens abinitio fidei, ideò & desponsata, quia desponsationis initium fides est, promittitur enim ab ipso aliquid, & promissa fide detinetur.* Vnde nō absque mysterio contigisse censemus id, quod canit Ecclesia eūdem diem tribus miraculis decoratum, Magorum adoratione, qua sibi Christus Gentiliū Ecclesiā elegit, & Christi baptismo, in quo desponsauit, & denique nuptiarum consecratione, quibus Christus interesse voluit aquam in vinum

conuertens, quæ signa sunt huius despōsationis. Adstringitur enim fides in matrimonio, quæ etiā in baptismo datur Deo, à qua iam semel in baptismo data solui non potest, vt inquit Innocentius ca. *Quanto, de diuortijs*. Significat denique coniunctionē hypostaticam Dei cum humana natura per incarnationē, quæ supponitur ad coniunctionem Christi cum Ecclesia per naturæ cōformitatē; nam ex ea oritur, vt fratres nos vocet, sicut enim cōmunicamus carni, & sanguini, ipse similiter participauit ijsdē. Probatur autem has distinguendas significationes esse, quidquid nōnulli confundant, quia prima est vnionis per modum cōnubij, quæ est gratia significata per matrimoniū in fieri, & vt sacramentum est, & sicut sacramētum trāsit, sic etiam ea vnio dissolubilis est. Aliæ duæ, quæ omninò indissolubiles, cum iam semel fidelis non possit extra Ecclesiā esse, neque vnio dissolui, vinculo in facto esse aptè conueniunt, prima rato, secunda consummato matrimonio.

5 Coniunctionem illam Dei cum anima per gratiam significat quatenus sacramentum est, & dum fit matrimonium, cum sit signum gratiæ sanctificantis nos ea suppositā analogia, quæ est in eo quod contrahentes coniungūtur amore mutuo eum affectum verbis exprimentes. Ad eam coniunctionem pertinet illud: *Qui adhæret Deo vnus spiritus fit cum eo*, vt inquit Innocentius Tertius, cap. *Debitum. de Bigamis*.

6 Præterea vinculum matrimonij, quod in facto esse remanet, siue quod est effectus coniugalis contractus, sacramentum etiam appellari consueuit, vt constat ex dict. cap. *Debitum*, id est, mysterium rei abditæ, & occultæ. Significat enim vinculum illud relictum ex Christi etiam institutione coniunctionem indissolubilem Christi cum tota Ecclesiā per sacramentū fidei. Atque de hac significatione, quæ conuenit vinculo matrimonij in facto esse, Augustinū accipio multis in locis lib. de bono coniugali c. 7. c. 15. c. 18. c. 24. & lib. de fide & operibus, cap. 7. & lib. 1. de nuptijs, & concupiscentia, c. 10. & alijs, vbi coniunctionē Christi cum Ecclesia matrimonio significari dicit, hoc est, vinculo relicto ex contractu coniugali, cuius verba referam posteà, atque ideò dixi supra cap. 5. his Augustini testimonijs nequaquam probari matrimonium esse sacramentum, strictè sumpto nomine sacramēti. Sic etiam accipio de eodem vinculo Eugenium IIII. cum dixit in citato decreto, significari matrimonio coniunctionē Christi cum Ecclesia. Atque eam significationem coniūctionis Christi cum Ecclesia inditam vinculo rēmanenti post contractum vrget Paulus ad Ephes. 4. & ex eā sumit argumeta vt persuadeat viris diligant vxores, sicut Christus dilexit Ecclesiam. Coniunctio ergo illa quæ remanet post cōiugalem contractum signum est coniunctionis Christi cum vniuersali Ecclesia: loquitur itaq; Paulus de significatione, quæ inest vinculo matrimonij, non quorumcunque sed fidelium.

7 Denique cum matrimonium consummatum est, significat proximè coniunctionem Dei cum natura humana per incarnationis mysterium, ex quo factum est, vt sibi despōsaret Ecclesiam. Sic docet Innocētius III. in dict. cap. *Debitum de Bigamis*, cuius verba placet adscribere. *Cum duo sint in coniugio, videlicet consensus animorum, & commixtio corporum, quorum alterum significat charitatem, quæ consistit in spiritu inter Deum, & iustam animam, ad quod pertinet illud quod dicit Apostolus. Qui adhæret Deo, vnus spiritus est cū eo: reliquum verè designat conformitatem, quæ consistit in carne inter Christum & Ecclesiam, ad quod pertinet illud, quod Euangelista testatur, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: profectò coniugium illud, quod non est commixtione corporum consummatum, non pertinet ad illud coniugium designandū, quod inter Christum, & Ecclesiam per Incarnationis mysterium est contractum. Iuxta quod Paulus exponens illud, quod dixerat Protoplastus, hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, & propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna, statim subiungit, hoc autem dico magnum sacramentum in Christo, & in Ecclesia*. Hæc Innocentius. Vnde Paulus addit rationē aliam, propterquam viri debeant suas vxores diligere, eo quod sint vna caro. Quorū verborū occasione mysterium ibi reconditū aperiēs Paulus, inquit: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*, quasi diceret, hoc vero vinculum & vnio mariti, & vxoris, quantæ sit dilectionis, & amoris causa, indicauit Adam, cum dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, propter hanc relinquet homo patrem & matrem*, quos summopere diligebat, *& adhærebit vxori suæ*, ipsamque ita diliget, vt propter animorum concordiam, & corporum connexionē, duo sub vno & eodem corpore, & sub eadē carne esse videantur. Sed historia hæc à me recitata, præter sensum literæ, quem reddit mari-

maritum scilicet relicturum patrem, & matrem, vt vxori suæ adhæreat, sensum quoq; mysticum habet, quem sacramentum dixerim. Coniunctionē enim Christi cum Ecclesia per incarnationem indicat. Coniunctionem certè maris, & fœminæ sacramentum vocat Paulus, non verò ipsam vnionē Christi, & Ecclesiæ, vt contra hæreticos eleganter probat Gabriel Vazquez disp. 2. de matrimonio cap. 6. à num. 44.

8 Ex quibus plane constat non eodem ordine has vniones in matrimonio significari, quem seruant ipsæ coniunctiones significatæ inter se. Nam prima est hypostatica, secunda in baptismo, tertia per gratiam, prima enim radix est omnium aliarum. At in matrimonio inuerso ordine significantur. Nam primo dum fit, significatur vnio per gratiam; deinde per vinculum ex contractu remanens significatur vnio per sacramentum fidei, & denique cum consummatum est, significatur vnio hypostatica. Et quamvis Innocentius duarum tantum coniunctionum meminerit, in vnione per gratiam comprehendit secundam, quæ est per sacramentum fidei, quia gratia etiam datur in baptismo.

9 At quamvis in matrimonio aptitudo fuerit, vt ad ea, quæ diximus, significanda assumeretur, sicut & de omnibus alijs sacramentis ex Augustini doctrina docent Scholastici, dum agunt de Sacramentis in genere, non tamen istæ significationes illi conuenerunt ab institutionis, vel celebrationis initio. Et quidem significationē coniūctionis Christi cum anima fideli per gratiam quæ illi conuenit, quatenus sacramentum est, planè constat illi conuenire tantū ab eo tempore, quo matrimonium eleuatū est à Christo ad rationem Sacramenti. Nam est signum gratiæ sanctificantis animā quatenus sacramentum est.

10 At verò de significatione cōiunctionis Christi cum Ecclesia per sacramentum fidei, & incarnationis mysterium non idem omnes sentiunt. Nam Gabriel Vazquez disp. 2. de matrimonio cap. 5. num. 31. & cap. 6. num. 58. censet matrimonium à sui initio significasse vtranque coniunctionem Christi cum Ecclesia per charitatē, & vnionem hypostaticam: adeòque certam existimat, vt oppositam iudicet sine nota aliqua affirmari non posse, sic docet num. 57. in fine. Idem sensit Aureolus in 4. dist. 26. quæst. vnica post secundam propositionē, & hanc significationē habuisse ex institutione Dei in paradiso, cum dixit Adam: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Adrianus in 4. de matrimonio quæst. 1. §. *Quoad primum*, Soto in 4. dist. 26. quæst. 2. art. 3. in solutione quarti argumenti. Fernandus Rebellus dict. lib. 2. quæst. 3. num. 13. Cornelius de Cornelijs ad Ephes. 5. in illud: *Sacramentum hoc magnum est*, & idem olim docuerat Ricardus in 4. distinct. 26. art. 1. quæst. 2. in corpore, & nouissimè Ægidius Kon. distinct. 24. dub. 1. num. 11.

11 Immerito tamen Gabriel Vaquez nota dignum censuit, quod non pauci viri docti Antiqui, & Recentiores planè & aperte docuerūt, cum quibus ego sentio, & senseram etiam lib. de impedimentis cap. 29. §. 1. Sic sentiunt D. Thomas in 4. dist. 26. quæst. art. 2. & 1. 2. quæst. 102. art. 5. ad tertium. Thom. de Argentina dist. 39. quæst. vnica art. 1. ad primum. Durand. dist. 26. q. 3. n. 5. & 10. Paludan. eadem distinct. q. 4. art. 1. Deça Hispal. in 4. dist. 26. quæst. 1. art. 3. notabili 3. Imò fere omnium veterum Scholasticorū sententia est, qui ex hac significatione probant esse sacramentum nouæ legis. Idem etiā docet Viguerius in institut. Theolog. cap. 16. §. 7. in fine ante versiculum primū, & pag. mihi 464. ante primam conclusionem. Petrus Soto lectione 1. de matrimonio. Ruardus Tapper art. 18. contra Lutherum §. *Sed aduersatur*. Petrus Aragon, 2. 2. q. 89. art. 7. in dub. circa solutionem ad tertiū, §. *Sed vltra hæc sunt duo argumenta*. Gregor. de Valentia 4. tom. disp. 10. generali q. 1. puncto 5. in 2. obiectione. Petrus Ledesma de matrimonio q. 42. ar. 1. difficult. 6. & denique idem doceant necesse est, quicunq; eo loco Pauli ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est*, probare volunt matrimonium esse sacramentū nouæ legis. Sic Hosius Cardinalis in confessione fidei, c. 55. & vt vno ore complectar fere omnes, qui contra hæreticos scripserunt. Vnde meritò Cornelius de Cornelijs loco citato hanc sententiam passim teneri scribit. Et quidem ipse Paulus eam indicare videtur, dum loquens de matrimonio primi parentis & fidelium, imò & omnium aliorum (nam de omni matrimonio vera sunt illa: *Hoc nunc os ex ossibus meis, &c.*) non dixit Paulus, *Sacramentum hoc magnum fuit*, vt expendit Ruardus, sed magnum est, scilicet, Christo iam exhibito, & instituente. Quare licet ab initio fuerit in matrimonio aptitudo, vt eā Christi coniunctionem significaret, attamen eam actu non significasse, nisi ex insti-

tutione Christi, vt docent doctissimi viri, quibus notam inurere non debuerat modestissimus homo, maximè debilibus nixus fundamentis. Illud mihi huius sententiæ fundamentum est, quia cum eiusmodi institutio non sit ex natura ipsa coniugij, sed superaddita, & sit res facti, ostēdi debet vnde talis institutio diuina constet. Nihil autem est, vnde probetur institutum fuisse matrimonium ad eam significationem, cum ex loco Pauli non colligatur, vt dicam: aliàs de omni matrimonio intelligeretur tam fidelium, quàm infidelium, quod negant aliqui, ex his qui nobiscum non sentiunt, de omni enim matrimonio Paulus loquitur.

12 Atque in hoc sensu, id est, de hac aptitudine accipio verba Leonis Primi epist. 90. aliàs 92. cap. 4. cum inquit: *Vnde cum societas nuptiarum constituta sit, vt præter sexuum coniunctionem haberet in se Christi, & Ecclesiæ sacramentum, &c.* Nam ex ea radicali aptitudine voluit indissolubilitatem matrimonij colligere. Ob eandem etiam rationem merito dixit Innocentius Primus epistola 22. cap. 2. & refertur in cap. *Deinde*, distinct. 26. non tantum Bigamum esse, qui post baptismum duas duxit vxores, sed etiam, qui vnam ante baptismum, & aliam suscepto baptismo, quod etiam Augustinus docuit contra Hieronymum relatus in capite *acutius, distinct. 26. & 28. quæst. 3.* Id enim merito statuitur, nam duobus illis contractis matrimonijs tollitur fundamentum omne ad significandam coniunctionem vnius sponsi Christi, cum vna sponsa sua Ecclesia. Itaque Bigamia, quæ in homine fideli consideratur, quia remittitur aliquid de significatione, quam habet matrimonium inter Christianos ex institutione Christi, eadem consideratur in infidelibus, si conuertantur ad fidem. Quia in eorum repetito matrimonio, neque habitu, aut aptitudine fuit ea significatio. Quo etiam sensu accipio Augustinum locis supracitatis, cum docet inter matrimonia Patriarcharum, & Christianorum hoc esse discrimen, quod illa, quia non fuerunt vnius cum vna, aliquid de significatione Christi coniunctionis cum Ecclesia remiserunt, quoad fundamentū scilicet, & aptitudinem quam habebant ad significandū; actu enim significare solis Christianorum matrimonijs competit.

13 Neque his obstat, quod Innocentius Tertius in cap. *Gaudemus de diuortijs*, infidelium matrimonium sacramentum vocet; neque enim ideò sic nominat, quia matrimonium infidelium eam coniunctionem repræsentat; sed vel ob aptitudinem, quam ad eam significationem habebat, vel dictū est appositiuè, vt dixi supra c. 6 n. 6. Nec vero ex hac, quam hactenus statuimus, sententia nos colligimus matrimonium consummatum infidelium posse dissolui auctoritate Pontificis, neque indissolubilitatem matrimonij peti ex ea significatione, quæ omnia suis locis explicabimus.

14 His addiderim maioris explicationis gratia, eam significationem, quæ conuenit matrimonio, vt sacramentum est, & vt cōstituitur in ratione sacramenti, hoc est, significationem gratiæ sanctificantis animam, solùm conuenire dum fit contractus, & transacto fieri perire, nec posse conuenire sine consensu contrahentium, cum absque illorum consensu non fiat contractus, neque sacramentum. At vero significatio coniunctionis Christi cum Ecclesia per sacramentum fidei, conuenit vinculo perseuerantis matrimonij statim atque baptismum suscepit, si infidelis erat; vel eo ipso quod baptizati vinculum est, idque sine consensu coniugum, vt diserte docet Thomas de Argentina. Itaque statim atque baptizantur infideles, illorum coniugium antea contractum, est signum coniunctionis Christi cum Ecclesia per sacramentum fidei, & etiam vnionis hypostaticæ, si consummatum iam erat. Quod si matrimonium post baptismum contrahatur, eo ipso, etiam si in ipso non sit ratio sacramenti, quod posse contingere dixi supra capite 9. independenter à consensu contrahentiū, est signum coniunctionis Christi cum Ecclesia per sacramētum fidei, & postea, cum consummatur, est proximè signum vnionis hypostaticæ.

15 Ex his fit, eas significationes, quas matrimonio conuenire diximus, non dependere inter se mutuo. Nam significatio coniunctionis Christi cum Ecclesia per sacramentum fidei, vel Incarnationis mysterium non pendet à significatione, quæ illi conuenit vt sacramento, hoc est, á significatione gratiæ sanctificantis nos per modum connubij. Nam hæc conuenit matrimonio in fieri ipsius contractus, tunc enim est sacramentum. At vero posteriores significationes conueniunt matrimonio in facto esse, hoc est, vinculo matrimonij. Matrimonio etiam fidelium contracto sine intentione saltem confusè faciēdi, quod facit Ecclesia, vel matrimonio infide-

fidelium, qui post coniugium conuertuntur ad fidem, conueniunt posteriores significationes, non tamen significatio sacramenti, cum non sit sacramentum iuxta dicta supra cap. 9. In eo etiam qui contrahit cum infideli secundum intentionem Ecclesiæ, iuxta eorum sententiam, qui id fieri posse dicunt, est significatio sacramenti, & tamen non est significatio vnionis hypostaticæ, neq; coniunctionis Christi cum Ecclesia per sacramentum fidei, cum illud matrimonium nõ sit ratum. Matrimonio etiam Bigami consummato conuenit significatio cõiunctionis Christi cum Ecclesia per sacramentum regenerationis: & tamen non cõuenit perfectè significatio coniunctionis per incarnationem. Nam vt loquitur Augustin. lib. de bono coniugali c. 18. normam quandam amittit sacramenti, & Innocentius Tertius *cap. debitum*, & fere toto titulo *de Bigamis*, vocat defectum sacramenti, ideſt, defectum huius significationis, quia carnem suam diuisit in plures. Denique matrimonio ante consummationem non competit proximè significatio vnionis hypostaticæ, vt inquit Innocentius Tertius in d. cap. *Debitum*: at matrimonio ante consummationem cõpetit significatio coniunctionis Christi cum Ecclesia per sacramentum scilicet fidei, vt affirmat Eugenius Quartus in citato decreto. Cum enim absolutè dicat matrimonium significare coniunctionem Christi cum Ecclesia, iuxta illud Apostoli ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*, non est, cur tantùm ad matrimonium consummatum restringatur: & cum ea coniunctio non possit esse ea, quę per mysterium Incarnationis est: quia tantum significatur matrimonio consummato; nec sit coniunctio per gratiam sanctificantem animam, quia huius significatio tãtùm conuenit matrimonio infieri, quando videlicet est propriè sacramentum: restat vt ea coniunctio, quę significatur vinculo matrimonij ante cõsummationem sit diuersa alia à reliquis duabus, illa videlicet, quæ est cũ Ecclesia per sacramentum fidei. Neque obstat, quod Innocentius Tertius in dict. cap. *Debitum*, significationem vnionis, quæ est per incarnationem, colligat ex eodem loco Pauli: quia coniunctio, quæ est Christi cum Ecclesia per sacramentum fidei supponit coniunctionem cum natura humana per incarnationem, vt dicebamus supra isto cap. Vnde vtraq; includitur in testimonio Pauli. Innocentius verò ad id de quo agebat, expendit coniunctionem per incarnationem, quæ proximè conuenit matrimonio consummato. At Eugenius, qui de matrimonio vniuersè loquebatur, vtranque comprehẽdit. Nam matrimonio fidelium vtraq; conuenit, ante consummationem quidem significatio coniunctionis Christi cum Ecclesia per sacramentum fidei, & regenerationis; & in radice etiam, quia iam translatum est ius vtendi corporis coniugis, conuenit significatio coniunctionis, quæ est per incarnationis mysterium.

De indissolubilitate matrimonij varia sententiæ.

CAPVT XII.

SVMMARIVM.

Matrimonium esse insolubile constat ex Conciliis. num. 1.

Idem ex sacra Scriptura probatur. n. 2.

Insolubilitatem matrimonij prouenire ex institutione Ecclesiæ prima sententia docet. n. 3.

Ex diuina institutione oriri secunda docet. n. 4.

Tertia sententia sub distinctione philosophatur. num. 5.

Quarta sententia ex iure naturali diuino, & positiuo promanare dicit. num. 6.

Vltima in ius tantum naturale reuocat. n. 7.

1 CVM bonum sacramenti sit significatio coniunctionis Christi cum Ecclesia, quæ signum est indissolubilitatis matrimonij, vt hoc bonum integrè explicetur, examinandum superest, vnde matrimonij indissolubilitas oriatur, an ex significatione vnionis Christi cum Ecclesia vel vnionis hypostaticæ, an verò illam habeat ex sua natura, quandoquidem in definitione dicitur indiuiduam vitæ consuetudinem ea coniunctione retineri. Matrimonium enim esse indissolubile vinculũ certa fide tenendũ est, quidquid olim insanierint Montanistæ, vt refert Castro de hæresibus, verbo, *Nuptiæ*, & ex gentibus plures, quos refert Pet. Gregor. lib. 9. Syntagm. ca. 4. ex num. 3. & nostri temporis hæretici, qui iuxta arbitrium dissolui matrimonia sensere: quam veritatem perpetuo docuit Ecclesia Dei. Sic Canon Apostolorum 48. Ignatius Martyr in suis epistolis, præcipuè in ea, quę est ad Tarsenses, & Philadelphienses, & Philippenses, Tertullianus lib. 4. contra Marcionem post medium, Clemens Alexandri-

xandrinus lib. 2. Stromatum ad finem, Concilium Illiberritanum can. 8. & can. 9. & can. 10. Gangrense can. 14. apud Gratianum *cap. si qua dist.* 30. Innocentius Primus epist. 9. & habetur apud Gratianum *cap. cum enim* 34. *quæst.* 1. Mileuitanum sub eodem Innocentio can. 17. apud Gratianum *cap. placuit* 32. *quæst.* 7. Africanum can. 79. Agathense sub Celestino Primo, can. 25. apud Gratianum, *cap. sæculares* 33. *q.* 2. Leo Primus epist. 77. apud Gratianū *cap. cum per bellicā.* 32. *q.* 1. Conci. Metense can. 7. Sexta Synodus can. 93. & vtomittā alia plura, nouissimè Tridentin. Sess. 24. c. vnico in principio. Vnde facultas Louanienſis art. 18. *Matrimonium*, inquit, *contractum inter Christianos omninò est indissolubile, licet alter coniugum aut adulter sit, aut sterilis, aut hæreticus, nam & aliter sentientes anathemate percutiendi sunt.*

2 Constat eadem veritas Genes. 2. *Relinquet homo, &c.* ex quibus verbis indissolubile vinculum colligit Tridentinum Sessione 24. cap. 1. in principio: Marci 10. *Quicunque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit mœchatur.* 1. Corinth. 7. *His qui matrimonio iuncti sunt, præcipit non ego sed Dominus, vxorem à viro non discedere, quod si discesserit, aut manere innuptam, aut viro, suo reconciliari.* Roman. 7. *Quæ sub viro est mulier, viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.* Ea autem quæ contra insolubilitatem matrimonij obijciunt hæretici passim desumuntur ex eo, quod in lege veteri licebat repudium, quasi in noua lege sublatum nolint. Sed de hoc agemus infra, cum de impedimento ligaminis sermo erit. Adducunt etiā alia argumenta, quibus probant viuente viro licere secundum matrimonium, quæ etiam ibidem diluemus. Adducunt denique quæ probant fornicationis causa licere dimittere quoad habitationem & vinculum. Sed de his agemus infra lib. 9. cum de diuortio sermo fuerit.

3 Sed quamvis in hac veritate conueniant Catholici omnes contra hæreticos, vnde tamen insolubilitas in matrimonium deriuetur, longe dissidēt. Nam quidam cōtendunt matrimonium post Christum ante consummationē solo Ecclesiastico iure esse insolubile, quamvis à tempore suæ institutionis diuina lege positiua fuerit insolubile tam consummatum, quàm non consummatum, licet ex dispensatione in repudio dissolueretur. Sic Michael Medina lib. 5. de Cælibatu cap. 72. in fine, & cap. 88. & cap. 89. & ex Iurisperitis Decius consilio 112. nume. 5. vbi citat Petrum de Ancharrano consilio 240. Addunt autem prædicti Doctores, quamvis matrimoniū non dum consummatum statū accipiat ex Ecclesiastica constitutione, attamē consummatū esse diuino iure insolubile. Quid autem intelligant nomine diuini iuris explicabo statim. Atque de hoc intelligendum dicunt, quod Christus dixit, Matth. 19. *Quos Deus coniungit homo non separet.* In hanc opinionem potissimum videntur inducti, vt defendāt matrimonium ratum nondum consummatum auctoritate Pontificia dissolui posse. Obijciunt etiam nonnulla contra firmitatem matrimonij ex iure naturali prouenientem, quæ statim proponam.

4 Secundo non pauci scholastici insolubilitatem matrimonio fidelium, & infidelium conuenire dicūt à principio ex diuina institutione. Sic Guillermus Rubion in 4. distinct. 26. quæst. 1. art. 1. & distinct. 24. quæst. 1. art. 2. & apertius quæst. 2. art. 1. Richardus distinct. 27. art. 2. quæst. 1. refert in diuinam institutionem, cui omnes subiecti sunt, & in solutione ad vltim. dicit, si per impossibile ponatur coniuges non esse sub diuina institutione, per mutuum dissensum posse vinculum dissolui. Iacobus Almainus in 4. distinct. 26. q. 1. §. *Dicitur quarto, quod in dissolubilitas*, institutumque indissolubile Genes. 2. cum dictum est: *Propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ.* Deça Hispalensis in 4. distinct. 26. q. 1. art. 2. notabili 1. sed notabili 3. dicit eam institutionem esse à Christo, Iacobus Latomus in disput. de substantia matrimonij cō clus. 3. idem sentit Zauarella in capit. *inter corporalia de translatione Episcopi.* Bassolis distinct. 26. quæst. vnica art. 1. in fine, & dist. 31. quæst. vnica art. 2. non ex vi contractus, nec sacramenti, sed ex Deo ita disponente, posset enim aliter. Ioannes Maior dist. 26. quæst. vnica ex dispositione Dei, valde tamen conformi naturæ matrimonij. Dominicus Soto distinct. 27. quæst. 1. ar. 1. ex lege diuina instituente matrimonium. Petrus Soto lectione 1. de matrimonio. Nec verò hos Doctores explicare possumus, vt nomine diuinæ institutionis intellexerint ipsam matrimonij naturam, cuius Deus auctor est, vt constat ex eorum verbis.

5 Tertiò alij, quamvis nō multùm à prædictis dissentiant, affirmant primo aliquam insolubilitatem naturæ iure cōpetere matrimonio præ cæteris contractibus, eo quod dissolui non possit mutuo consensu sicut

alij

alij nulla ex causa. Deinde affirmant matrimonium consummatũ ex sua natura habêre etiam maiorem aliquam insolubilitatẽ, quã non consummatũ, licet non omnimodam. Affirmant præterea hanc insolubilitatem non conuenire matrimonio nudè sumpto, sed iũcto diuinæ institutioni. Nam attenta huius contractus natura ante consummationem, dicunt, nullam apparere rationem, ob quam non possint contrahentes mutuo consensu separari, cum nulli iniuriam faciant. Addunt deniq; omnimodã indissolubilitatem tãtũ cõpetere Matrimonio consummato fidelium, eamque deriuari ex significatione coniunctionis Christi per vnionem hypostaticam, quæ significatio tantũ reperitur in matrimonio consummato; atque hanc institutionem Christi euehentis matrimonium ad eam significationem ius diuinum appellant. Sic docet Thomas Sanchez lib. 2. de Matrimonio disput. 13. num. 10. citatque pro sua sententia complures, quorum multi eam minime docent, sed quam secundo loco retulimus. Fundamenta, quibus nititur, adducam postea.

6 Quartò alij iure naturali, & etiam diuino positiuo matrimonium esse indissolubile affirmant. Sic videtur sentire D. Thomas 3. contra gentes cap. 122. Scotus in 4. distinct. 26. quæst. vnica 3. conclusione principali, & §. *Per hoc patet*. Supplementum Gabrielis distinct. 26. quæst. 1. conclusione 2. art. 3. dub. 1. Ruardus Tapper art. 18. contra Lutherum pag. mihi 277. Ioannes Maldonado Matth. 19. num. 6. Ferdinandus Rebellus tom. 1. de obligat. iustitiæ, part. 2. lib. 2. quæst. 15. conclusione 1. & 2. qui etiam addit ratione sacramenti firmiorem indissolubilitatem habere.

7 Denique alij affirmãt matrimonium ex iure tantùm naturali esse indissolubile, & nudè spectatà ipsa natura matrimonij esse perpetuum. Videtur indicare Aureolus distinct. 27. quæst. vnica Couarru. 2. part. de matrimonio capit. 7. §. 3. num. 5. Corduba lib. 1. Quæstionarij, quæst. 25. §. *Secunda opinio*. Viguerius in institutionib. Theologicis cap. 16. §. 7. versu 9. pag. mihi 464. Petrus Ledesma de matrimonio quæst. 67. artic. 1. dub. 1. Petrus Aragon loco citato cap. præcedenti, Ioannes de Salas de legibus disp. 5. sectione 8. in fine, Ioannes Azor tom. 1. institutionum moralium lib. 6. quæst. 3. in fine Gabriel Vazquez disp. 1. de matrimonio, cap. 2. num. 17. & disp. 2. cap. 7. & Recentiores alij, quos consulto prætermitto. Vno igitur verbo discrimen Doctorum accipe. Quidam matrimonia ante Christum tam consummata, quàm non consummata firma esse volunt lege naturali, & diuina positiua. Alij lege tantum diuina positiua, alij lege tantùm naturali. At matrimonia post Christum quidam volunt rata, & firma esse lege tantùm Ecclesiastica: alij lege diuina, & naturali, alij lege tantùm naturali, alij præter legem diuinam, & naturalem dicũt esse etiam firma ex significatione vnionis hypostaticæ, quæ tantùm matrimonio consummato conuenit, atque ita illud tantùm esse iure diuino omninò indissolubile.

Matrimonium esse indissolubile iure tãtum naturali ostenditur.

CAPVT XIII.

SVMMARIVM.

Matrimonium esse natura sua insolubile, & nullam ab extrinseco insolubilitatem habere. numero 1.

Obligationi de se perpetuæ non obstare, neque minui, ex eo quod sit ab extrinseco solubilis. num. 2.

Primò probatur ea insolubilitas matrimonij ex natura ipsius contractus. num. 3.

Secunda probatio ex Matth. 19. num. 4.

Quid respondeat Thomas Sanchez. num. 5.

Ostenditur non esse communem Matthæi expositionem, quam dicit Thom. Sanchez. n. 6.

Adhuc magis vrgetur idem locus Matth. n. 7.

Testimonium Matthæi non esse restringendum ad matrimonium consummatum. n. 8.

Verba Christi de omni matrimonio tam fidelium, quam infidelium intelligi. num. 9.

Magis confirmatur proposita sententia de insolubilitate matrimonij. num. 10.

Quo sensu possit dici esse insolubile matrimoniũ ex Dei institutione. num. 11.

Explicatur textus in capit. Matrimonium 27. q. 2. quo sensu dicatur sola voluntate fieri, & dissolui coniugium. num. 12.

Non obstare quod ius naturale sit immutabile. num. 13.

Dissoluuntur alia argumenta aduersariorum. num. 14. 15.

1 VT melius quid in hac re tenendum sit percipi queat, & loquamur conuenienter dignitati matrimonij, de quo satis abiectè pleriq; Doctores

ctores supra citati loquuti sunt, per partes procedendum. Assero ergo primum matrimoniũ per se, & ex natura sua secluſa quacunque lege positiua esse insolubile, & quãtum est ex se, omnimodam firmitatem, & indissolubilitatem habere, ita vt nulla ei ab extrinseco aliquo firmitas accedat. Quo autem sensu, qui nobiscum conueniunt, dicunt matrimonium habêre indissolubilitatem aliquam ex ratione sacramenti, explicabo postea. Sic sentiunt Doctores vltimo loco relati cap. præcedenti.

2 Huius sententiæ explicandæ, & confirmandæ gratia supponendum est, obligationem, quæ ex natura sua perpetua est, non minui intrinsecè, neque illi obstare, quod à supremo Domino dissolui posset, neque ex eo quod decreuerit supremus Dominus in aliquo casu dissoluere, natiuam firmitatem minui, vel reddi minus firmam natura sua; sicut neq; ex eo quod dispoſuerit non dissoluere, augeri firmitatem. Nonnulla hũius rei exempla sunt in omnium doctrina certissima. Status enim ex natura sua perpetuã firmitatem exigit, adeò vt si firmitas desit, status ratio corruat necesse est, vt Theologi docent cum Diuo Thoma 2. 2. quæst. 188. art. 4. Adde statum religiosum ex se, ex suaque natura esse omninò perpetuum; & tamen Põtifex auctoritate à Deo accepta potest dissoluere. Votum etiam absolutum ex se perpetuum est, quamvis à Pontifice eadem auctoritate dispensetur. Hoc autem non est statum religionis aut votum non esse omninò perpetuum ex se, sed de se esse perpetuum, per accidens autem temporale. Quod ergo matrimonium vel fauore baptismi, vel fauore religionis dissoluatur auctoritate diuina, non obstat, quo minus ipsum matrimonij vinculum, quantum ex eius natura est, sit omninò indissolubile. Neque ob id dicendum est matrimonium non consummatum minus indissolubile, quam consummatum, nec è contra matrimonium consummatum esse omninò indissolubile, cum etiam consummatum auctoritate Dei posse dissolui indubitatum sit, & ostendent ea, quæ de lege repudij in lege veteri dicemus infra suo loco. Quis enim dubitet potuisse Deum relinquere etiam in noua lege repudij formam, eamque licitam, stante etiam ratione sacramenti, sicut olim in populo Iudaico, atque Gentili fieri licebat. Cum ergo quævis dissolubilitas sit tantùm ab extrinseca potestate Dei, & conueniat matrimonio ab extrinseco, non potest ob id dici matrimonium aliquo modo solubile quantum est ex se, neque eius firmitatem esse ob id diminutam, neque matrimonium cõsummatum ex se magis insolubile, quam non consummatum, cum integra, & essentialis matrimonij ratio ita constet consensu sine concubitu, vt concubitus nullo modo pertineat neque ad essentiam, neque ad integritatem, aut complementum matrimonij, vt dicam infra cap. 18. Igitur ex se, & ex sua natura coniugium omninò insolubile est, solubile autem ab extrinseco, vt de voti obligatione, & statu religioſi vinculo dicebamus.

3 Hac ergo obseruatione præmissa videamus, an iste contractus ex natura sua necessariò exigat firmitatem perpetuam. Si enim postulat, erit per se insolubile omnimodo, licet ab extrinseco, & Dei supremi Domini auctoritate dissolui queat. Contractum itaque hunc ex natura sua ita postulare perpetuitatem, vt sine ea matrimonij natura consistere nequeat, adeò planum est, vt à nullo Catholico negari posse videatur, nisi abiectè nimis de matrimonio sentiat. Agnoscit veritatem hanc lumine naturali Princeps Poëtarum 1. Æneidos dum inducit Iunonem Æolo dicentem.

Omnes vt tecum meritis pro talibus annos
Exigat, & pulchra faciat te prole parentem.

Contractus enim hic ex natura sua est mutui, & reciproci amoris, ex iure naturali ortum habens ad propagationem generis humani. Vnde perpetuitatem exigit, tùm vt ardentior sit amor inter coniunctos coniuges; tùm vt fidelior sit bonorum administratio; tùm vt recta sit filiorum educatio; tùm vt minor sit occasio dissensionum, ardêtiorque dilectio inter affines coniugis; tùm denique vt adulterijs magis præcideretur causa, quæ frequentius euenirent, si liceret dimittere: tùm quia sic non certus agnoscereturPater, quo tolleretur religiosa filij educatio, euerteretur debita parentibus reuerentia, turbaretur bonum, paxque publica. Quis enim filiũ iam natũ educaret, si verus ignoraretur parens? Quo modo cogeretur alere, quos non genuit? In omnibus autem necessarijs ad finem conditio debet accipi secundum exigentiam finis, vt inquit Aristoteles 2. Physicorum textu 78. Præclara in hanc rem sunt Ambrosij verba, quæ transcribo ex lib. 8. in Lucam in principio. *Noli ergo vxorem dimittere, ne Deum tuæ copulæ disfitearis Auctorem. Etenim si alienos, multo magis vxorius debes tolerare, & emendare mores.*

Et

Et post pauca. *Quò cum parvulis fœta dimittitur? quò titubante vestigio? Durum si excludas parentem, pignora teneas, vt ad contumeliam charitatis addas etiam pietatis iniuriam. Durius si propter matrem etiam filios simul pellas, cum magis redimere à Patre liberi debeant culpam parentis. Quam periculosum, si fragilem adolescentulæ ætatem errori offeras? Quam impium si eius destituas senectutem, cuius defloraueris iuuentutem? Ergo inhonoratum stipendijs, & veteranum imperator dimittat inglorium, atque imperij sui possessione detrudat, & rusticum laboris effœtum agro suo propulset agricola? An quod in subditos nefas est, in comparem fas est.* Et statim. *Audi legem Domini, cui obsequuntur etiam qui leges ferunt, quæ Deus coniunxit homo non separet. Sed non solum hic cœleste præceptum, sed quoddam etiam opus Dei soluitur. Pateris ne oro liberos tuos viuente te esse sub vitrico, aut incolumi matre degere sub nouerca? Pone si repudiata non nubat, & hæc viro tibi poterit displicere, cui adultero fidem seruat? Pone si nubat, necessitas illius tuum crimen est, & cõiugium quod putas, adulterium est.* Hactenus Ambrosius.

4 Deinde id ipsum probatur ex verbis Christi Matth. 19. Cum enim responderet Iudæis quærentibus, an liceret vxorem dimittere quacunque ex causa, & ea occasione vellet doctrinam veram de matrimonio tradere, illudq; in pristinam institutionem reducere, inquit: *Nõ legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos*, quasi ex numero vnius viri, & fœminæ desumens argumentum ad tollendum pluralitatem vxorum. Sed subdit: *Et dixit*, scilicet Deus, *propter hanc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Quæ verba dixisse Deum, quia Adamus illa protulit, ostendi supra cap. 3. Itaque ex illis verbis: *Dimittet, adhærebit vxori suæ, erunt duo in carne vna*, dicta ab Adamo in prima celebratione matrimonij colligit Christus eius firmitatem, ita concludens. *Quos ergo Deus coniungit, homo non separet.* Igitur ex firmitate, quæ in matrimonio primitus celebrato ab Adamo significata fuerat ex Dei inspiratione colligit Christus matrimonij firmitatem indissolubilem. Ergo non ex ratione sacramenti, aut significationis coniunctionis per incarnationem docet esse insolubile. Quare ex naturali, & diuina lege matrimonij vinculum probasse Christum docet Chrysostomus eo loco. Et Concilium Tridentinum Sessio. 24. in principio, inquit: *Matrimonij perpetuum indissolubilemq; nexum primum humani generis parẽtem diuini spiritus instinctu pronunciasse, cum dixit, hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, propter hanc relinquet homo, &c.* Cum ergo Cõcilium illis verbis ab Adamo pronunciatis insolubile vinculum matrimonij adstrui dixerit, & Adamus, vt planum est, & fatetur Thomas Sanchez, non respexerit significationem coniunctionis Christi cum Ecclesia per vnionem hypostaticam, quæ tantùm conuenit matrimonio ex institutione Christi: & Christus ex illis Adami verbis planè doceat firmitatẽ vinculo matrimonij, planum est non aliunde, quam ex natura matrimonij illam insolubilitatem probari.

5 Verum Thomas Sanchez disp. illa 13. num. 7. existimat hæc Christi verba de matrimonio tantùm consummato intelligenda, inquit enim Christus: *Erunt duo in carne vna*, quæ de consummato tantùm vera sunt; & sic ex consummatione petendam indissolubilitatem. Ea autem verba de matrimonio consummato intelligi docuit Augustinus 14. de Ciuitate Dei, cap. 22. & Innocentius Tertius, in cap. *Ad Apostolicum de conuersione coniugatorum*, exinde probat nõ posse vnum coniugem conuerti altero in sæculo remanente post consummationem. Eisdem verbis ad idem vtitur Gregorius Primus in cap. *Agathosa*, & *in cap. sunt qui dicãt* 27. *quæst.* 2. & Alexander Tertius, in cã. *Verum de conuersione coniugatorum*, solui dicit matrimonium per ingressum religionis, quia nõ sunt effecti vna caro. Et eodem modo intelligit illa verba Innocentius Tertius, in cap. *Debitum de Bigamis*, & videtur indicari à Paulo non ad Ephes. 5. vt existimauit Thomas Sanchez, sed 1. Corinth. 6. *Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergò membra Christi faciam membra meretricis? Absit. An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur? Erunt enim duo in carne vna.* Hæc Paulus.

6 Sed in primis dico non esse eam constantem Patrum expositionem, vt non nisi de matrimonio consummato ea verba intelligantur. Nam Chrysostomus de affectu & amore interpretatur. Hieronymus, & alij de vnitate in prole. Alij, quia Eua formata est ex viro. Abulensis dicit esse vnam carnem fictione iuris, sicut testator & hæres, Dominus & procurator. Caietanus vnam carnem dici vult vnitate communitatis. Lippomanus in Genes. quia vterque habet potestatem in corpus alterius per radicale

dicale dominium. Maldonatus, quia vir & vxor dicuntur vna persona, & vnus homo: quoniam vir similis animæ, vxor similis corpori, & quemadmodum anima non separatur à corpore, quandiu viuit, ita neq; vxor à viro.

7 Deinde dico, id, quod fortasse non attendit Thomas Sanchez, Christum illo testimonio Geneseos duo egisse, & remouisse à Iudæorum consuetudine: & repudium scilicet, & Polygamiam. Quam Innocentius Tertius in cap. *Gaudemus de diuortijs*, & Nicolaus Primus ad cons. Bulgarorum, cap. 51. *reijciunt*, dum expendunt non dixisse *vxoribus*, sed *vxori*, & non tres vel plures, sed *duo*. Illa ergò, *erunt duo in carne vna*, quando de matrimonio consummato tantùm intelligerentur, ad excludendam polygamiam adducuntur à Christo, superiora autem ad remouendum repudium, & ostendendam coniugalis vinculi firmitatem. Vt enim obseruat Diuus Thomas ad Ephes. 5. triplicem coniunctionem inter virum, & fœminam significauit illis verbis Adamus per dilectionem, conuersationem, & copulam: duas priores illis verbis: *Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ.* Quia enim per amorem, & vinculum animorum fœminæ iunctus est vir, ideò relinquet parentes, vt habitet cum ea iuxta illud 3. Esdræ cap. 3. *Homo patrem suum relinquet, qui enutrijt eum, & ad mulierem se coniungit, & neque patrem meminit, neque matrem, neque regionem.* Tertiam verò coniunctionem indicauit illis verbis: *Et erunt duo in carne vna.* Non ergo ex illis vltimis verbis colligit Christus firmitatem matrimonij, vt iste Auctor contendit, & non probat. Iuxta quam interpretandi rationem non mirum, si Pontifices illis verbis: *Erunt duo in carne vna*, vtantur, cum agunt de matrimonio cõsummato. Ex eo tamen non efficitur inde probasse Christum matrimonij vinculum, aut tantùm in matrimonio consummato constituendam esse omnimodam indissolubilitatem. Quamvis & aliter Pontifices explicari possint, vt statim dicam.

8 Denique dico, id quod mihi lõge verius videtur, testimonium illud nequaquam ad matrimonium consummatum tantùm debere restringi, sed vniuersè de matrimonio intelligendum, siue sit consummatum, siue non, vt dixi cap. 11. & docuit Soto loco citato. Tùm quia Adamus ea verba protulit de omni matrimonio, etiam ante consummationem, de quovis enim illa verba proferri possunt. Tùm etiam quia Eugenius Quartus in decreto illo agens de matrimonio, quod Sacramentum est, dixit eo significari coniunctionem Christi cum Ecclesia iuxta Paulum ad Ephes. 5. & tamen non agit Eugenius Quartus de matrimonio tantùm consummato, sed de omni, cum eius causam efficientem dicit esse consensum. Non ergò ad consummatum tantùm ea verba restringenda sunt. Tùm præterea, quia si de consummato tantùm sermo esset, non inde probasset rectè Christus in vniuersum matrimonium debere esse vnius viri cũ vna vxore tantùm, sed solũ id quod consummatum est: atque adeò matrimonium, quando contrahitur sine consensu ad copulam, imò cum opposito, quod fieri rectè posse ostendam infra capit. 18. posset esse cum duabus vxoribus, quia non sunt futuri vna caro. At Christus vniuersè probauit matrimonium iuxta primam sui institutionem tantum esse vnius cum vna. Ergò illa verba non sunt restrigenda tantùm ad matrimonium consummatum. Quare cum illis verbis: *Erunt duo in carne vna*, omnes illæ coniunctiones inter virum, & vxorem significentur, & nulla earum determinatè, vt comprehendatur omne coniugium, nunc Pontifices, & Patres ad hanc aut illam cõiunctionem respiciunt, & diuersimodè accipiunt, quibus non negant illa etiam matrimonio non cõsummato conuenire, vt & indicasse videntur Patres Triburienses Concilij cap. 39.

9 Nec verò dici potest ea verba Christi, quibus probamus firmitatem coniugij de matrimonio tantùm fidelium intelligenda, vt nonnulli volunt, contendentes ex significatione vniõnis hypostaticæ indissolubilitatem peti. Quia Adamus non de suo tantùm, sed de omni matrimonio in vniuersum protulit absque limitatione vlla. Quivis enim coniugatus siue fidelis, siue infidelis verè dicere potest ea verba Adami: *Hoc nũc os ex ossibus meis*, &c. & Christus de illis etiam comparatione cuiusque vxoris verè dicere posset, & re ipsa dixit: *Quos ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Adde Innocentium Primum, in cap. *Nunquid* 28. quæst. 1. vt probaret filios ante baptismum susceptos admittendos etiam ad hæreditatem esse cum alijs, qui post baptismum susceptj sunt inquit: *Ipse Dominus, cum interrogaretur à Iudæis, si liceret dimittere vxorem, atque exponeret fieri non debere, addidit. Quos Deus coniunxit homo non separet. Ac ne de his putetur esse locutus, qui post baptismum vxores sortiuntur, memi-*

meminerint hoc, & à Iudæis interrogatum, & Iudæis esse responsum. Et Innocentius Tertius in cap. *De infidelibus, de consang. & affin.* eodem vtitur argumento, & eadem adducit verba, vt probet matrimonia ab infidelibus contracta in gradibus ab Ecclesia prohibitis non separanda, quia illis Christi verbis constat etiam inter eos matrimonium esse. Idem etiam ostendit, scilicet, de omni matrimonio intelligenda Nicolaus Primus ad consulta Bulg. cap. 51. Illa ergo Christi verba vniuersè de omni matrimonio intelligũtur, & sic intellexere Pontifices Innocentius Primus, Nicolaus Primus, & Innocentius Tertius. Cum ergo Thomas Sanchez dict. num. 7. probet ex eo loco indissolubilitatem matrimonij solum competere consummato, quamvis daremus eo loco tãtùm de consummato agi, adhuc non probaret, in illam significationem referendam esse matrimonij firmitatem. Si enim, vt ipse docet num. 8. ea significatio non conuenit matrimonio, nisi ex institutione Christi, qui eleuauit contractum istum ad esse sacramenti, efficitur non conuenire matrimonio infidelium eam significationẽ. At Christi verba, vt decernunt Pontifices, de quovis matrimonio intelliguntur etiam infidelium. Non ergò ex ea significatione vnionis hypostaticę peti potest matrimonij insolubilitas.

10 Denique vt amplius ostendamus insolubilitatem matrimonij non aliunde oriri, quam ex naturali iure, concidamus ista minutius. In sacramenti rationem ea insolubilitas reuocari non potest, si sacramentũ sumatur prout sacræ rei signum. Quia matrimonium infidelium, cum conuertuntur ad fidem, non est sacramentum; & similiter matrimonium eorum qui contrahunt, sine intentione faciendi, quod facit Ecclesia: & tamen tam horum, quàm illorum matrimonium omninò insolubile est. Non ergò in rationem sacramenti stricte sumptam ea insolubilitas reducitur. Neque in rationem sacramenti, vt significat cõiunctionem per vnionem hypostaticam, vt vult Thomas Sanchez: tùm quia, cum ea significatio tantum conueniat matrimonio consummato, sequeretur sine consummatione matrimonij non esse perfectam, & integram ex omni parte matrimonij rationem, cum non sit perfectè insolubile, & insolubilitas sit essentialis matrimonio. Quod tamen falsum esse ostendam infra cap. 17. vbi probabo copulam non esse partem essentialem, neque integralem matrimonij, imò neque ordinem implicitum ad illam ex parte contrahentis pertinere ad rationem matrimonij. Tùm etiam quia si penes eam significationẽ coniunctionis Christi per vnionem hypostaticam attenditur perfecta insolubilitas matrimonij, ergo matrimonium secundum Bigami iam consummatum non erit ita perfectè insolubile ac primum. Idque constat, quia matrimonio Bigami non conuenit perfectè ea significatio coniunctionis Christi cũ Ecclesia per vnionem hypostaticam, cum potius sit defectus huius sacramenti, id est, significationis despõsationis Christi vnius sponsi cum vna sponsa, eo quod carnẽ suam diuisit in plures. Ob quam rationem, vt vidimus supra cap. 11. Augustinus dixit, in huiusmodi matrimonijs remissam esse eam rationem sacramenti. Tùm denique, quia neque ea significatione redditur magis insolubile matrimonium, si res inspiciatur attente, sed tantum illis significationibus efficitur, vt sint quædam signa, quibus à posteriori cognoscimus, quando iam conueniunt matrimonio, cessasse casus aliquos, in quibus Deus supremus Dominus voluit matrimonium dissolui, quod est esse dissolubile ab extrinseco, vt explicabo magis capite sequenti. Quã etiam ratione matrimonium etiam consummatum dissolubile est, cum à Deo dissolui posse indubitatum sit, vt superius diximus.

11 Maneat ergo insolubile esse matrimonium ex naturali iure, cum essentia huius contractus ex naturali institutione, & non ex aliqua positiua constitutione ortum habuerit, vt supra cap. 3. dictum est. Atque eo sensu dici potest, ex institutione Dei matrimonium firmitatem accipere, quatenus Deus est auctor naturæ, cui conformis est contractus iste, sicut supra cap. 2. de institutione philosophati sumus, & forsan in eo sensu plures scholastici locuti sunt, qui ad Deum eius indissolubilitatem retulerunt. Atque in hoc sensu accipio illud Christi Matth. 19. *Quos ergo Deus coniunxit, homo nõ separet*, non enim præceptum nouum statuit sed abstulit repudij licentiam, & matrimonium ad pristinum statum reuocauit. Similiter accipio illud Pauli 2. Corinth. 7. *His qui matrimonio iuncti sunt, præcipit, non ego, sed Dominus*. Eodem sensu etiam Summi Pontifices perpetuitatem coniugij ad diuinam institutionem non semel retulerunt. Leo Primus epist. 77. cap. 1. & habetur cap. *cum per bellicam*, 34. quæst. 1. ibi. *Sed quia nouimus*

uimus scriptum, quod à Deo iungitur mulier viro, & iterum præceptum agnouimus, vt quos Deus coniunxit, homo non separet. Gregorius Primus cap. *sunt qui dicant*, 27. quæst. 2. Inde etiam Bonifacius VIII. cap. *vnico de voto in sexto*, scribit matrimonij vinculum ab ipso Ecclesiæ capite, rerum omnium conditore, ipsum in paradiso instituente in statu innocentiæ vnionem, & indissolubilitatem accepisse. Ex quibus omnibus constat matrimonij, & aliorum contractuum diuersam esse rationem: & ita non mirum, si alij sola contrahentium voluntate soluantur, matrimonium vero minime. Colligitur etiam non rectè Ioannem Maiorem in 4. distinct. 26. quæst. 1. in principio dixisse per vocem perpetua excludi á ratione Matrimonij Iudæorum, & infidelium: illa enim etiam ex se perpetua erant, extrinsecè tamen solubilia.

12 Neque obstat, quod in cap. *matrimonium, & in cap. omnes*, 27. quæst. 2. dicatur sola voluntate coniungi matrimonia, atque dissolui. Nam præterquam quod non pauci sentiunt homilias illas operis imperfecti in Matthæum, quæ Chrysostomi nomine circunferuntur, erroribus sparsis ab hæreticis vitiatas, dici quidem verè potest illa intelligenda iuxta eorum statum, de quibus agebat, Iudæorum scilicet, quibus licita repudia apud illos, itaque sola voluntate, & induci, & separari coniugia. Sed addo etiam Nicolaum Primum ad Consulta Bulgarorum, cap. 3. hoc idem testimonium adducere ad probandum necessarium esse consensum ad matrimonium, illumque solum sufficere, non verò copulam, inquit itaque: *Qui consensus, si solus in nuptijs fortè defuerit, cætera omnia etiam cum ipso coitu celebrata firmantur Ioanne Chrysostomo magno Doctore attestante, qui ait, matrimonium non facit coitus, sed voluntas.* Quare id quod dicit voluntate dissolui, & separari idem est, ac si diceret, non fieri sine voluntate matrimonium, & illa sola fieri. Non ergo est vniuersalis illa iuris regula *de reg. iuris in sexto, nihil tam naturale, & D. de regul. iuris, per easdem causas*, Glossa etiam in cap. 1. *de regulis iuris*, multas eius exceptiones adducit.

13 Neque obstant ea, quæ adducebat Thomas Sanchez, vt indissolubilitatem ex iure naturali prouenientem infringeret. Non enim obstat primo, quod ius naturæ sit immutabile, & tamen ante legem Christi licitũ fuerit repudium. Nam quod Deus qui rerum omnium Dominus est, iure agẽs supremi Domini, huius vxoris mihi vsum ad tempus conferat, vel auferat, non tollit, quominus ex se matrimonium insolubile sit, quando quidem nulla vis est in rerum natura, quæ possit dissoluere. Sicut Theologi docent communi sensu Angelum, & animam rationalem ab intrinseco incorruptibilem esse, quia nulla facultate naturæ interire potest, licet destrui à Deo omnium Auctore possit, & status religionis insolubilis, & votum ex se perpetuum est, licet dispensare Pontifex possit, id enim est esse extrinsecè temporale.

14 Neque obstat etiam id quod secundo loco pro se adducit Thomas Sanchez, scilicet ægrè posse reddi rationem, si matrimonium spectetur, vt est ad sobolem procreandam, cur non possit dissolui sterilium coniugium; aut si est in remedium fragilitatis, cur non possit dirimi ob ægritudinem. Sed respondemus, per ea quæ accidentariò eueniunt, non dissolui matrimonium. Si enim adhuc in humanis legibus spectatur, quod plerumque est, à fortiori in naturali lege. Adde quando in aliquo matrimonio aliqua ratio non militat, militare tamen aliàs, ex quibus etiam indissolubilitas nascitur. Vnde in sterilium matrimonio, in quo non est officium naturæ, est remedium infirmitatis. Et quando vtrunque desit, vt cũ interuenit ægritudo perpetua, vel impotẽtia perpetua, remanet individua vitæ societas, quæ est matrimonij præcipuus finis, vt ostendam infra cap. 18. qui in nullo casu dari esse potest. Adde ex mutuo amore transferri dominium corporis, quod ex se principium est, & radix etiam copulæ carnalis, licet per accidens aliquo impediatur casu: ratio autem indissolubilitatis annexa est illi translationi dominij ex amore mutuo, quæ perpetuitatem exigit ex genere suo.

15 Neque obstat tertiò, quod sapientissimi Ethnici rerum naturalium inuestigatores existimauerint esse dissolubile. Nam facile illi ignorantia iuris naturalis labi potuerunt, cum non sit hæc res ex his, quæ immediatè deducuntur ex naturæ principijs, vt iam diximus. Nec mirũ, si Iudæi, cum audierũt Christum ad primã institutionẽ matrimonium reuocantem, dixerint: *Expedit non nubere.* Cum enim illis ex dispensatione Dei repudia licerent, asperũ visum est ab inueterata consuetudine recedere, & illam abrogari. Poterant hic adduci argumenta Guiller. Rubio. in 4. dist. 27. q. 2. a. 1. sed infra commodiori loco diluemus lib. 2. c. 3.

Quo

Quo sensu matrimonium dicatur indissolubile ratione sacramenti.

CAPVT XIIII.

SVMMARIVM.

Matrimonium ex sacramenti ratione habere extrinsecã insolubilitatem in hoc sensu, quia est signum cessasse casum, in quo dissolui posset. num. 1. & 2.

Explicatur mens Augustini multis in locis, cum refert insolubilitatem matrimonij in sacramẽtum. num. 3.

Explicatur in eundem sensum Ambrosius, & alij. num. 4. & 5.

Consummatum matrimonium quo sensu dicatur insolubile ex significatione vnionis Christi cum Ecclesia. num. 6.

1 ALTERA pars nostræ sententiæ est, vinculum matrimonij susceptо baptismo habere quandam indissolubilitatem specialem ex significatione coniunctionis Christi cum Ecclesia per sacramentũ fidei. Ea autẽ insolubilitas non est intrinseca naturæ matrimonij, neq; illi addit aliquã firmitatẽ intrinsecã, sed extrinsecam solubilitatẽ tollit in hoc sensu, quia ex casibus, in quibus supremus omniũ Dominus disposuit matrimoniũ dissolui, cessat iam in baptizatis casus ille, in quo dissoluitur matrimonium in fauorem baptizati. Vnde ea significatio coniunctionis Christi cũ Ecclesia non est eius insolubilitatis causa, sed signum à posteriori, quo intelligimus susceptо baptismo iam cessasse illam diuinam dispositionem, qua disposuit, vt matrimonium infideliũ altero conuerso ad fidem, altero verò nolente cohabitare dissolueretur. Nam matrimonium eo ipso, quod est baptizati vinculum, est signum coniunctionis Christi cum Ecclesia per baptismũ regenerationis, vt dixi supra cap. 11. Quare autem sic disposuerit Deus, vt matrimoniũ infidelium altero conuerso ad fidem in illis casibus dissolueretur, non verò quando alter fidelis deficit à fide, cum maior tunc videatur esse creatoris iniuria, quam in eo, quod non baptizatus nolit cohabitare cum fideli coniuge, explicabo infra cum de impedimento disparis cultus sermo fuerit, lib. 7.

2 Atque in hoc sensu, & non in alio dici potest significationem illam, quæ conuenit proximè vinculo matrimonij coniunctionis Christi cum Ecclesia per sacramentum regenerationis, efficere matrimonium fidelium strictius insolubile, quam sit ex natura sua. Cumque ea significatio indita sit matrimonio fidelis & baptizati, eo ipso, quod est baptizati vinculum, inde fit, vt matrimonium infidelium cum conuertuntur ad fidem, eo ipso habeat eam indissolubilitatem. Quadrat enim illi statim sine nouo cõsensu ea significatio. Similiter etiam matrimonium fidelium contractum sine intẽtione faciendi, quod facit Ecclesia, licet sacramentum non fuerit, fit tamen isto modo insolubile: eo enim ipso quod est vinculũ matrimonij susceptо baptismo significat etiam ante consummationem proximè eam coniũctionem Christi cum Ecclesia per sacramentum regenerationis.

3 Hoc etiam sensu accipio, quod Augustinus multis in locis matrimonium insolubile dicit ratione huius significationis. Sic lib. 1. de nuptijs, & concup. cap. 10. *Quoniam non tantum fœcunditas, nec tantum pudicitia, cuius vinculum est fides, verum etiam quoddam sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus coniugatis, vnde dicit Apostolus: Viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam.* Ecce nuptijs contractis fidelium commendari hoc sacramentum coniunctionis Christi cum Ecclesia, docet Augustinus. Sed pergit: *Huius procul dubio sacramenti res est, hoc est effectus, vt mas & fœmina connubio copulati, quandiu viuunt, inseparabiliter perseuerent, nec liceat excepta causa fornicationis à coniuge coniugem dirimi. Hoc enim custoditur in Christo & Ecclesia, vt viuens à viuente in æternum nullo diuortio separetur. Cuius sacramenti tanta obseruatio est in ciuitate Dei nostri, in monte Sancto eius, hoc est in Ecclesia Christi quibusque fidelibus coniugatis, qui sine dubio membra sunt Christi, vt cum filiorum procreandorum causa, vel nubant fœminæ, vel ducantur vxores, neque sterilem coniugem facile relinquere, vt aliã fœcunda ducatur. Quod si quisquam fecerit, non lege huius sæculi, vbi interueniente repudio sine crimine conceditur cum alijs alia copulare connubia, quod enim sanctum Moysem Dominus propter duritiem cordis illorum Israelitis permisisse testatur: sed lege Euangelij reus est adulterij, sicut etiam illa si alteri nupserit.* Vide Augustinum inde petere insolubilitatem coniugij, & præterea eam significationem semper reperiri in matrimonio fidelium, etiam in facto esse, quia membra sunt Christi, hoc

est

est in Ecclesiam adsciti. Et post pauca subiungit. *Ita inter viuentes manet quoddam vinculum coniugale, quod nec separatio, nec cum altero copulatio possit auferre: manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis: sicut Apostatæ anima velut de coniugio Christi recedens etiam fide perdita sacramentum fidei non amittit, quod lauacro regenerationis accepit. Redderetur enim proculdubio redeunti, si amisisset abscedens.* Hæc Augustinus. His autem postremis verbi indicat Augustinus matrimonio fideliũ eam indissolubilem coniunctionem Christi cum Ecclesia, per sacramẽtum fidei, & regenerationis significari; quæ cõiunctio, etiamsi regeneratus abscedat, amittat fidem, ab Ecclesia abscindatur, non deperditur; & ob eam dici matrimonium fidelium insolubile & ratum, quasi à signo, quia signatum est sacramento fidei, & habens signaculum eius sacramenti, scilicet indissolubilis coniunctionis Christi per lauacrum regenerationis, signum enim est cessasse iam casum illum, in quo fauore baptismi dissolui poterat.

4 Hoc etiam sensu intelligẽdum, quod ait Ambrosius 1. Corinth. 7. *Si autem ambo crediderint per cognitionem Dei confirmat coniugium.* Hoc etiam sensu intelligendũ, quod habet Eugenius Quartus in citato decreto, indiuisibilitatem esse bonum matrimonij, propter hoc quod significat indiuisibilem coniunctionem Christi cum Ecclesia: tantùm enim vult hoc bonum, quod reperitur in matrimonio baptizati esse insolubilitatẽ, non quamcunque, eam enim ex sua natura habet, sed extrinsecam tantum, quia scilicet cessat iam casus ille dissolutionis matrimonij in fauorem baptizati, cuius signum est ea coniunctionis Christi, & Ecclesiæ significatio, quæ conuenit matrimonio eo ipso, quod est vinculum hominis baptizati. Nusquam autem neque Concilia, neque Augustinus in eam significationem tantùm retulere indiuisibilitatem matrimonij, sed illam quam non habet matrimonium infidelium consummatum, quod in fauorem baptizati dissolui potest diuino iure, quæ insolubilitas extrinseca tantùm est, & neque auget, neque minuit natiuam insolubilitatem matrimonij, vt probatum, & explicatum est cap. præcedenti.

5 Atque in hoc sensu, cum ista significatio soleat appellari sacramentũ, latè sumpta voce sacramenti, accipio eos, qui dicunt absolutè matrimonium insolubile ratione sacramenti. Nam insolubilitatis nomine intelligunt hanc insolubilitatem extrinsecam, & nomine sacramenti intelligunt non sacramentum strictè sumptum, sed quatenus arcanam hanc significationem habet; in quo sensu vt visum est, sæpe Augustinus appellat sacramentum. Sic accipio Cõcilium Colonien se sub Paulo 3. p. 7. cap. 42. cum inquit: *In sacramento autem ne coniugium separetur.* Sic etiam accipio catechismum Pij V. titulo de matrimonio §. *iam vero*, ibi: *Quamuis matrimonio quatenus naturæ est officium conueniat, vt dissolui non possit, tamen id maxime fit, quatenus est sacramentum.*

6 Denique assero, cum matrimonium consummatum est, conuenire illi significationem coniunctionis per vnionem hypostaticam proximè & directè, & tunc matrimonium dici insolubile insolubilitate quadam extrinseca in hoc sensu, quod semel consummato matrimonio cessat etiam alter casus ex his, in quibus disposuit Christus, vt dissolueretur matrimonium, scilicet fauore status religiosi, quæ insolubilitas extrinseca est, nihil addens, neque diminuens intrinsecam firmitatem, vt iam explicui in matrimonio fidelium: cum tamen potuisset Deus instituere, vt etiam matrimonium consummatum dissolueretur fauore religionis, si vellet, non obstante ratione sacramenti, & significatione eius vnionis; sicut illis non obstantibus matrimonium fidelis non consummatum dissoluitur fauore status religiosi. Et iuxta eorum sententiam, qui dicunt eiusmodi significationem cõuenisse omni matrimonio etiam ante Christum, & in veteri lege, non obstante ea significatione vnionis hypostaticæ dissoluebatur libello repudij interueniente. Ea igitur significatio non efficit, sed signum à posteriori est, quo colligimus eam extrinsecam solubilitatem cessasse. Atque huius significationis maximè habetur ratio in Bigamia. Nam ea inducitur defectus huius sacramenti, id est, coniunctionis per vnionem hypostaticam vnius sponsi cum vna sponsa; appellaturque ab Innocentio III. in cap. *Debitum de Bigamis*, defectus sacramenti. Et ideò etiã dixit Augustinus Bigami matrimonia deficere à mensura sacramẽti. Maneat ergo, matrimonium natura sua esse vinculum perpetuum indissolubile, solumque à Deo dissolui posse, à quo quodcunq; tam consumsumatum, quam non consummatum dissolui potest, vt constat ex lege repudij, de qua suo loco, lib. 7.

Expli-

Explicatur quid sit Matrimonium ratum.

CAPVT XV.

SVMMARIVM.

Quid sit matrimonium legitimum. n.1.
Quare dicatur ratum. num.2.
Explicatur Innocentius in capit. Quanto de diuortijs. num.3.
Quo sensu dicant Scholastici esse ratum matrimonium ob sacramentum fidei. n.4.
Explicatur mens aliorum Scholasticorum in bonum sensum. num.5.

1 EX his, quæ hactenus dicta sunt, nō obscure colligitur, quis sit sensus eius distinctionis, qua communiter à Doctoribus diuiditur matrimonium in legitimum, ratum & consummatum. Consummatum enim est, quod iam carnalis copula consummauit. Quæ autem requirantur, vt dicatur consummatum, explicabo infra suo loco. Legitimum autem dicitur, quod iuxta leges est. Vnde matrimonium infidelium, quod ipso iure naturali spectato contrahitur, legitimum appellatur. Ratum autem dicitur, quod est signatum sacramento fidei, siue quod est in baptizato, & habet eam significationem coniunctionis Christi cum Ecclesia, vt hactenus explicuimus.

2 Dicitur autem ratum, non ratione fidei, alias matrimonium catechumeni esset ratū, & ante baptismum, si resiliret à fide altero coniuge conuerso & baptizato, nolletque cohabitare sine contumelia creatoris, non posset baptizatus ducere aliam, quod absurdum est. Nō ergò dicitur ratum ex fide suscepta, & alias etiam amissa fide desineret esse ratum in hæreticis, cuius oppositum definitur ab Innocentio III. in cap. *Quanto, de diuortijs*, & Tridentino Sessione 24. can. 5. cum tamen maior appareat creatoris contumelia. Dicitur ergò ratum reali susceptione baptismi, tanquam causa, & ea significatione coniunctionis Christi cum Ecclesia tanquam signo, vel effectu. Quia scilicet, semel suscepto sacramento baptismi, & ea significatione cessat iam ille casus, in quo dissolui poterat in fauorem baptizati. Quare autem id concessum fuerit infidelis matrimonio, & non hæretici dicam infra suo loco.

3 Hinc Innocentius III. in cap. *Quanto de diuortijs*, inquit: *Nam & si matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratū; inter fideles autem verum & ratum existit matrimonium, quia sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit coniugij sacramentum, vt iam in coniugibus illo durante perduret.* Ecce ad sacramentum Baptismi, quod appellat sacramentum fidei, reuocat, quòd matrimonium sit ratum, à quo etiam sacramento, vt sæpe dictum est, habet quod repræsentet coniunctionem Christi cum Ecclesia per lauacrum regenerationis. Nec reuocat Innocentius, quod matrimonium sit ratum, ad sacramentum fidei quomodocūque, aut in voto, sed ad realem susceptionem baptismi, quo publicè fidem protestamur. Nam solus baptismus reipsa susceptus est, qui perdurat, ratione characteris: cum tamen fides nō permaneat semper, & susceptа non tantum semel, sed sæpe etiam amitti possit. Tribuitur ergo baptismo re ipsa susceptо, quod efficiat ratum matrimonium, non fidei. Sic intelligēdus Ambrosius 1. Corinth. 7. cum dicit: *Si autem ambo crediderint, per cognitionem Dei confirmat coniugium.* Et ibidem. *Non enim est ratum matrimonium, quod sine Dei deuotione est.* Nomine enim *deuotionis, & credendi*, verbo, non fidem vt cunque, sed eorum, qui publica professione in baptismo protestati sunt fidem, vt dictum est ex Innocentio.

4 Atque hæc est etiam communis Scholasticorum sententia, matrimonium fideliū esse ratum, eo quod fidelium est, ob susceptum sacramentum fidei. Hi autem sunt Magister in 4. distinct. 39. cap. extremo. in vltimis fere verbis, *Ideò non esse ratum quic sine fide*. Paludanus eadem distinctione quæst. 1. conclusione 3. Ricardus artic. 1. quæst. 2. Guillermus Rubion quæst. 1. art. 1. Ioannes Maior ibidem, quæst. vnica: *Quia præsupponit Sacramentum fidei.* Thomas de Argentina quæst. 1. art. 1. *Infidelium matrimonium effici ratum transeundo ad fidem, sine nouo consensu aut contractu*. Deça Hispalen. distinct. 26. quæst. 1. art. 4. in solutione ad quintum Durandi contra primam conclusionem: *Baptismum esse quoddam opus operatum faciens matrimonium ratum, & sacramentum.* Durandus distinct. 26. quæst. 3. numero 14. *fieri ratum fide suscepta*. Antonimus tertia parte titulo primo capite sexto, *Ratificari per conuersionem ad fidem*, & olim Alexander Alensis 4. parte quæstion. 9. membro 5. artic. 2. §. 1.

quæſtiuncula 2. ad argumenta docuit *effici ratum per ſacramentum fidei*, citato decreto Innocentij III. in dicto capit. *Quanto de diuortijs*. Eadem autem eſt mens horum Doctorum ſiue dicant ratum eſſe ob ſacramẽtum fidei, ſiue eſſe ratum quia inſolubile eſt cum ex ſacramento fidei habeat matrimonium in homine baptizato ſignificare coniunctionem prædictam Chriſti cum Eccleſia, qua colligimus ceſſaſſe iam vnam diſſoluendi matrimonij cauſam iure diuino præſcriptam. Verum eſt nonnullos ſcholaſticos appellaſſe ratum etiam cõiugium infidelium, eo quod viderunt eſſe inſolubile ex ipſa matrimonij inſtitutione. Sic Guillermus Rub. in 4. diſt. 27. quæſt. 1. art. 2. qui ait ratum, id eſt, perfectum eſſe omnium matrimonium: ratum id eſt inſolubile non eſſe etiam fidelium, quia diſſoluitur per profeſsionem. Sed non rectè, cum oppoſitum nobis tradiderit Innocentius in dicto cap. *Quanto*.

5 Quare, quod nonnulli Doctores aſſerunt, matrimonium effici ratum, quia ſacramentum eſt, ſi velint idem eſſe, matrimonium eſſe ratum, & eſſe ſacramẽtum ſumpta propriè voce ſacramenti, valde falſum eſt. Nam matrimonium infidelium, cum ad fidem tranſeunt, fit ratum, vt docent Ambroſius, & Innocentius, & tamen non eſt nec poteſt eſſe ſacramentum. At ſi nomine ſacramenti intelligant vinculum matrimonij, quod ratione huius arcanæ ſignificationis dici ſolet ſacramentum, vt dictum eſt, rectè interpretari poſſunt, vt idem ſit ac ſi dicerent, fieri ratum ſuſceptione baptiſmi, cum in ea ſuſceptione conueniat matrimonij vinculo ea ratio ſacramenti, ſcilicet ſignificatio coniunctionis Chriſti cum Eccleſia, vt dictum eſt. Cum autem dicunt eſſe inſolubile, quia ratum, & ratum quia inſolubile, rectè dicunt: loquuntur autem de inſolubilitate extrinſeca vt dictum eſt, quæ illi accedit ex ſuſceptione baptiſmi, quatenus ceſſat iam caſus ille, in quo poterat diſſolui in baptizati fauorem. Rem hanc de inſolubilitate matrimonij examinaui longius, quã par erat; ſed rei difficultas non ſatis explicata hactenus compulit, vt diutius in eius immorarer explicatione. Quãdo autem, & in quibus caſibus diſſoluatur, & qua auctoritate dicam infra lib. 9.

De bono prolis.

CAPVT XVI.

SVMMARIVM.

Explicatur ſenſus capitis, & quæſtionis diſputandæ. num. 1.
Hæretici matrimonium ſine concubitu eſſe non poſſe affirmantes refelluntur. num. 2.
Vicinus error Gratiani exploditur. n. 3.
Michael Medina non longe ab his diſtans reijcitur. num. 4.
Matrimonium concubitu contrahi error eſt, & probatur primo, & ſecundo. num. 5. & 6.
Explicatur locus Auguſtini. num. 7.
Proponitur ſententia Bellarmini. num. 8.
Refellitur Bellarminus. num. 9. & 10.
Copulam non pertinere ad matrimonium. n. 11.
Proponitur obiectio ex nonnullis canonibus, & ſoluitur. num. 12. & 13.
Explicatur aliter Leo in cap. cum ſocietas. n. 14.
Explicatur Ambroſius in c. ſi quis deſponſatam. num. 16.

1 EXplicato bono ſacramenti, hoc eſt indiſſolubili vinculo matrimonij, explicandũ eſt bonum prolis, quæ ſine copula non ſuſcipitur. Vnde examinãdum eſt, an matrimonium in ſua ratione includat copulam, vel ſaltim ordinem ad copulam, & liberos. Sed cum iſte ordo poſsit intelligi conuenire matrimonio ex natura ſua, & etiam ex intentione contrahentis, explicabo primum in hoc capite, copulam nõ pertinere ad rationem matrimonij: & deinde, quid dicẽdum ſit de matrimonio ſpectata eius natura, an ſcilicet includat ordinem ad copulam; & poſtea verò, quid de matrimonio ex adiuncta intentione contrahẽtis, quod fiet his tribus capitulis.

2 In primis igitur cauendus hæreticorum error. Nam Iulianus Pelagianus, vt refert Auguſtin. lib. 5. contra Iulianum, cap. 9. aſſerebat coniugiũ ſine concubitu eſſe nõ poſſe: vnde & contra ipſum inferebat Auguſtinus ceſſare inter aliquos matrimonium ſtatim, atque copulari non poſſunt, vt in ſenibus accidit. Id ipſum ſenſit Vvicleph, vt refert Thomas Vvaldenſis tom. 2. de ſacramẽtis cap. 130. definebat enim matrimonium eſſe legitimam copulationem, qua ſecundũ Dei legem licebat eis ſine crimine filios procreare.

3 Parum aut fere nihil ab iſtorum placitis diſſentit Gratianus, *cap. quod autem, & cap. inſtitutum*, 27. quæſt. 2. Qui etiam plane docuit

docuit non esse verum matrimonium ante consummationem, sed tunc verè matrimonium inter virum & fœminam celebrari, & contrahi, cum inuicem ex affectu comiscētur, vt constat ex prædicto *cap. Quod autem.* Nec verò Gratianum sequitur aliquis Catholicus, quare imprudenter Caluinus pro hac sententia citat Magistrum Sententiarū cum Magister Gratiani respondeat argumētis, vt postea videbimus.

4 Nonnihil ab his discessit ex Recentioribus Michael de Medina lib. 5. de continētia sacrorum hom. cap. 61. vbi nō esse perfectum ac verum matrimoniū sine copula docet, atque ideò inter Ioseph & Virginem non fuisse verum matrimoniū. In eo tamen differre se dicit à Gratiano, quod Gratianus asserat matrimonium non cōtrahi, nisi cum consummatur, at Medina etiam ante consummationem contrahi dicit, non tamen esse verum neque perfectum, sine consensu in copulam.

5 Cæterum quod Iulianus, Vvicleph, & Gratianus docuerunt, matrimonium in ipso coitu contrahi, & non antea, erroris nota dignum est. Primò, quia certum est matrimonium in Paradiso, & in statu innocentiæ institutum, vt docuit Bonifacius VIII. *cap. vnico de voto in sexto*, & Concilium Colonienſe sub Paulo 3. part. 7. capit. 40. & Moguntinum sub eodem cap. 36. colligiturque ex illis verbis Christi apud Matth. cap. 19. *Nonne legistis, quia qui fecit eos ab initio, masculum & fœminam fecit eos, &c.* Sed in statu innocentiæ nulla fuit copula, vt ex Genesi certum est. Ergò verum & legitimum matrimonium non contrahitur in ipsa copulatione, vt Gratianus affirmat.

6 Deinde quia plane aduersatur doctrinæ Eugenij Quarti in citato decreto, vbi definit causam efficientem matrimonij, hoc est, vinculi coniugalis esse mutuum consensum expressum. Ergo ante consummationem solo consensu legitimè constat matrimonium. Nec quidquam obstat, quod Eugenius addat verbum, *regulariter*, id enim refertur ad verba, quasi regulariter verba requirantur ad exprimendum consensum, cum nutus, & signa, & epistolæ sufficiant aliquando, vt iam sæpè supradictum est. Eadem veritas habetur in *cap. cum initiatur, ca. coniuges, cap. coniux.* 27. quæst. 2.

7 Neque obstat, quod Augustinus loco illo citato liberum relinquat Iuliano, vt in ea sententia quidquid velit, existimet; tùm quia nondum eo tempore adeò examinata ea controuersia erat, ac postea: tùm etiam, quia, vt constat ex eodem libro cap. octauo, eo tendebat Augustinus, vt ostenderet primos parentes, ideò operā dare cōiugio, vt generent filios, qui regenerentur postea, ad id autem de quo agebat, parum referebat Iuliani sententiam condemnare, aut reprobare.

8 At Bellarminus lib. 1. de matrimonio, cap. 5. in solut. 6. argumenti existimauit copulam, nō quidem esse partem essentialem sacramenti matrimonij, sine qua eius essentia constare non possit, esse tamen partem integralem, qualis in sacramento Pœnitentiæ est satisfactio; additque in hoc plures Doctores Catholicos conuenire, & esse veterum Patrum sententiam, cum docent inter Beatam Virginem, & Ioſephum fuisse verum matrimonium sine copula. Inquit itaque matrimonium ante consummationem esse quidem verum sacramentum, & matrimonium, imperfectum tamen, donec consummetur.

9 Sed in primis displicet in hac sententia Bellarmini, quod dicat plures Doctores id asserere, cum tamen solus Gratianus dixerit copulam ad essentiam sacramenti pertinere. Medina etiam dixit sine copula non esse perfectum matrimonium, neque verum; attamen copulam esse partem integrantem sacramenti nullus docuit, neque vllum pro ea sententia allegare poterit Bellarminus. Licet enim Ricardus in 4. distinct. 26. art. 4. quæst. 3. & alij dicant integritatem matrimonij perfectam esse cum consummatur, non tamen dicunt pertinere ad integritatem sacramenti.

10 Deinde non placet, quod inquit esse partem integralem sacramenti matrimonij idque impugno ista consideratione. Nam vel nomine sacramenti intelligit propriè sacramentum, & eius esse partem integralem dicit. Hoc autem verum esse non potest, nam pars integralis sacramenti effectū aliquem habet ex opere operato, vt satisfactio in sacramento Pœnitentiæ efficit remissionem pœnæ temporalis: at copulæ nullum effectum assignare possumus ex opere operato: sine temeritate enim dici nequit copulam efficere augmentum gratiæ ex opere operato. Vel nomine sacramenti intelligit Bellarminus sacramentum improprie pro signo coniunctionis hypostaticæ; in hoc autem sensu copula non tā-

tum est pars integralis, sed essentialis. Matrimonium enim quia significat vnionem hypostaticam est matrimonium cõsummatum, quod in sua ratione copulam includit. Solum autem matrimonium cõsummatum habere eam significationem docuit Innocentius III. in cap. *Debitum de Bigamis*, vnde infert, eum qui duxit vxorem, quam non cognouit, & ea mortua aliam ducit, non esse bigamum, quia non diuisit carnem in plures, & ex consequenti in illo non est defectus significationis vnionis Christi cum vna Ecclesia. Id quod etiam habetur cap. *Valentino*, dist. 34. Ergo sensit ad eam repræsentationem copulam requiri, atque adeò sacramenti matrimonij improprie dicti non est pars integralis, sed essentialis. Id quod docuit etiam Aureolus in 4. dist. 27. quæst. vnica proposit. 1. in fine. Adde etiam non rectè Bellarminum veram rationem sacramenti matrimonij constituere in significatione eius vnionis, vt iam supra dictum est cap. 10. consistit enim in significatione gratiæ sanctificantis animam.

11 Maneat igitur copulam neq; ad essentiam, neque ad veritatem, neque ad perfectionẽ integralem matrimonij pertinere, siue matrimonium consideretur, vt contractus, siue vt sacramentum est: vsus enim rei traditæ in nullo contractu pertinet ad essentiam vel integritatem contractus. Sic sentiunt Doctores omnes, quos referre supervacaneum est.

12 Sed obijci potest argumentum ex cap. *non est dubium*, 27. q. 2. vbi dicitur illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cũ qua commixtio sexus non docetur fuisse: eademq; sententia habetur, *cap. cum societas, c. in omni, cap. quapropter, cap. si quis eadem quæstione*, quibus canonibus indicatur vel matrimonium sine concubitu non esse, vel saltem ante copulam esse imperfectum, & ea coniunctione, & corporum commixtione perfici.

13 Respondetur tamen ex his canonibus nihil probari contra veram communemq; sententiam. Et quidem text. in cap. *non dubium*, apud Augustinum nõ extat, vt monet Soto in 4. dist. 26. q. 2. art. 4. in fine, & aduertunt decreti Gregoriani censores, extat tamen apud Leonem cap. *cum societas*, quod correctum habetur epistola. 90. & 92. ad Rusticum. Eum autem textum Thomas de Argentina loco infra citando censet intelligendum de impotentibus ad commixtionẽ sexuum, expẽdetq; verbum illud, edocetur, quia per probationẽ conuincitur non fuisse legitimas personas, cum fuerint impotẽtes, atque adeò non pertinere ad contractũ matrimonium. D. Thom. interpretatur non esse perfectum matrimonium perfectione accidentali, quæ attenditur secundum operationem. Soto loco supra citato nomine commixtionis sexus non intelligit copulã, sed ipsum matrimonij vinculum. Verior tamen interpretatio est illo textu solum indicari vnitatem Christi cum Ecclesia perfectè repræsenrari in coniugio consummato, non vero ante consummationem, sic exposuit Hugo in summa tract. 7. c. 6. Thomas de Argentina in 4. dist. 26. q. 1. art. 1. Supplem. Gabrielis quæst. 1. a. 3. dub. 4. Vnde bigamus, qui propter defectum sacramenti reijcitur ab ordinibus suscipiendis, ille dicitur, qui duo matrimonia consummauit, vt paulò superius dicebamus. Atque eo modo interpretandum cum Magistro in 4. dist. 26. cap. vlt. quod cap. *cum initiatur, cap. in omni, cap. quapropter, cap. si quis*, dicitur matrimonium cõsummatione perfici, in ordine, scilicet ad mysterium, vt dixit Innocentius in d. cap. *Debitum*.

14 Sed quamvis hæc interpretatio veritatem contineat, & legitimè alijs canonibus adhiberi possit, attamen verborum Leonis alius est sensus, continetur enim in eo decreto, quod explicabimus infra; cum de impedimento ligaminis sermo fuerit latissimè. Cum ergo ibi agat de coniunctione cum concubina, & ancilla, cum qua permanente in statu seruitutis verum coniugium esse non poterat, vt eo loco ostendemus, inquit etiam inter patronum, & concubinam ex eo non posse esse repræsentationem coniunctionis Christi cum Ecclesia, quia non est inter illos matrimonium: non intercedit autem matrimonium, quia non præcesit nuptiale mysterium, id est, nuptiæ celebratæ non sunt: nuptiæ enim, vt inquit ibi sanctus Leo, sunt inter ingenuos & æquales.

15 Canonis autem *si quis desponsata*, qui ex Ambrosio desumptus est, ex epistola ad Paternum 66. quæ est tertia libri sexti Epistolarum in hac noua editione, alium longè sensum esse ab eo, quem vult Gratianus, aduertunt Decreti Gregoriani censores, & planè constabit intuenti. Nam in ea epistola Paternum consulit, vt filio suo filium ex filia, hoc est, neptem auunculo nullatenus cõiugio copulare velit. Vnde cum eius consultationem reprehendisset, inquit:

inquit: *Itaque quid consulueris considera, omne enim quod agere volumus, prius nomen facti eius interrogemus, & tunc vtrum laude, an vituperatione dignum sit, existimabimus, verbi gratia, misceri mulieri quibus voluptas est, Medicorum etiam pueri corporibus vtile ferunt. Sed considerandum vtrum coniugi an extraneæ, deinde nuptæ, an innuptæ. Si quis desponsata sibi, & tradita vtatur, coniugio vacat, qui alienæ expugnat pudorem, adulterium facit, cuius vel solo nomine reprimitur plerumq; tentandi audacia.* Hactenus Ambrosius.

Matrimonium ex sua ratione includere ordinē ad copulam.

CAPVT XVII.

SVMMARIVM.

Explicatur sensus quæstionis. num. 1.
Refertur Hugonis Victorini sententia ex recentiorum mente. num. 2.
Reijcitur à recentioribus Hugo. num. 3.
Verus sensus sententiæ Hugonis. num. 4.
Sententia Almaini proponitur. num. 5. & reijcitur. num. 6.
Matrimonium ex sua ratione habere ordinem ad copulam vera sententia est. num. 7.
Dominium in corpus transferri posse, impeditum tamen ad vsum. num. 8.
Explicatur, quomodo id contingat sine læsione iustitiæ. num. 9.
Difficultas ex duobus legibus insinuatur, & remittitur. num. 10.

1 SED cum iam constet matrimoniū in sua ratione non includere copulam tanquam partem essentialem, neque integralem, superest explicemus, an saltem includat ordinem ad copulam spectata natura matrimonij, etiam sine ordinatione, & consensu contrahētis, de hoc enim dicam cap. sequenti.

2 Nonnulli Recentiores hoc loco referunt Hugonem de Sancto Victore peculiarem in hac re sententiam sequutum esse 3. tomo lib. de Mariæ Virginitate perpetua cap. 1. vbi nouum quoddam genus contractus matrimonij excogitasse videtur. Inquit enim, præcipuam causam seu finem matrimonij, & coniugij fuisse, vt vir relicto patre & matre adhæreret vxori suæ, non commixtione carnis, sed affectu charitatis, dilectionis, & habitationis. Postea verò adiunctum ei fuisse officium generandi filios in conseruationem generis humani.

3 Hanc sententiam ijdem Recentiores impugnant. In primis, quia si essentia matrimonij in sola illa coniunctione animorum per dilectionem, & habitationem consisteret, posset quidem inter fratrem, & sororē, quinimo inter duos fratres iure ipso naturali esse matrimonium; si quidem inter eos potest esse animorum societas in charitate ad perpetuam habitationem, quod videtur absurdum. Inter eos autem matrimonium non alia ratione esse nequit, nisi quia hæc matrimonij coniūctio suapte natura ad hoc est, vt filij generentur. Deinde quia si sola animorum coniunctione per charitatem, & habitationem matrimonium cōsisteret, verum non esset: *Propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ.* Genes. 1. & matth. 19. nam propter huiusmodi vinculum tantum natura, & charitas ipsa non prohiberent cum alio coniungi, quin potius ad manendū cum patre, & matre, & eos diligēdos inclinaret, nisi talis esset coniunctio, propter quam iure optimo relinquitur pater & mater. Denique si vera esset opinio Hugonis, inter omnes religiosas mulieres inter se, & viros religiosos inter se ipsos verum matrimonium, & coniugum esset, quod est absurdum.

4 Cæterum ego existimo longè aliam fuisse Hugonis sententiam, ille enim non loquitur de radicali iure, nec negat ex prima sua institutione id habere, sed tātum loquitur de consensu explicito in copulam, vel etiam implicito ex parte contrahentis; negat enim necessarium esse eiusmodi consensum ad veram rationem matrimonij, vt ostendam cap. sequenti prolatis ex ipso testimonijs. Quare argumenta illa Hugonis sententiam non impugnant.

5 At Iacobus Almainus in 4. dist. 26. q. 1. §. *in quinta vero quærit*, affirmat, matrimonij rationem consistere in obligatione ad non vtendum corpore alterius coniugis, vel ad non sumendam alteram partem in coniugē, viuēte priori parte. Mouetur hoc argumēto. Quia vel matrimoniū importat obligationem in quamlibet partem ad reddendum debitum alteri parti si petat: si sic, ego tunc infero, quod de facto ille, cuius vxor est adultera, non est amplius vir eius, quia non habet amplius necessitatē tradendi corpus suū mulieri, imò potest renuere, si petat. Vel importat solū potestatē propinquā vtendi mutuo, & licitè corpore alterius

ad vsum carnalẽ. Tunc sic ego infero, quod si vir & vxor post matrimonium consummatum ex communi consensu ingrediantur religionem, & voueant, quod alter non est amplius coniux alterius. Patet, quia neuter illorum habet amplius facultatem talem, puta, quod possit licitè vti corpore alterius quantum ad istum actum carnalem, imò si vtantur, peccant: & tamen vtrunque istorũ illatorum est falsum: ergo oportet dicere, quod aliud importat istud vinculum, scilicet obligationem ad non vtendum corpore cuiuscunque alterius, vel ad non sumendam alteram quamcunque partem in coniugem viuente priori parte. Hactenus Almainus.

6 Sed hæc Almaini sententia valde aliena est á veritate, pugnat enim cum communi Scholasticorum omnium sententia, de qua dicemus statim. Deinde illa obligatio negatiua non sumendi aliam in coniugem viuente prima parte non potest esse essentialis, & prima in matrimonio, sed aliam necessariò supponit priorem obligationem. Idque manifestè constat, quia in lege veteri polygamia non tantùm fuit permissa sed licita. Ergo erat matrimonium sine obligatione vlla non ducendi alteram partem coniugem viuente prima parte. Et aliàs si ea esset prima, & essentialis obligatio, sequerentur ea absurda, quæ contra Hugonis sententiam superius inferebantur, neque enim posset reddi ratio, quare inter duos homines coniugium esse non posset.

7 Igitur Scholastici omnes in eo conueniunt, matrimonium quavis contrahentium intentione secluſa ordinem habere ad consuetudinem, & copulam secundũ carnem, idque probant argumenta contra Hugonis sententiam facta, neque in hoc vlla potest esse diſsẽsio, si rectè intelligatur. Sic igitur explicandum est. In matrimonio, sicut in quovis alio contractu, in quo res datur, & accipitur, duo sunt. Alterum est trãslatio dominij, quæ est potestas, atque facultas vtendi re illa: alterum est vsus ipsius rei. Prius est radix posterioris, & ita ad illud suapte natura refertur. Sic igitur in matrimonio cum sit contractus quidam, in quo datur, & accipitur corpus pro corpore, duo illa inueniuntur, nempe & translatio dominij corporum vnius in alterũ, quæ suapte natura refertur ad vsum, & consuetudinem coniugalem secundum carnem, tanquam facultas seu ius vtendi corpore coniugis secundùm carnem, & vsus ipse coniugalis siue copulá. Atque hæc translatio dominij, siue radicalis facultas ad vtendum matrimonio, ita vt si vtatur, non accedat ad alienum corpus, nec fornicatio, nec iniustitia sit, est in quo consistit essentia matrimonij.

8 Cæterum interdum, vt trãsferatur dominium corporis non liberum, & expeditũ ad vsum, sed perpetuò impeditum contingere potest, vt sensit Ioannes Maior in 4. d. 30. quæst. 4. §. 1. in septima ratione suæ conclusionis; fatetur enim posse aliquem tradere alteri dominium sui corporis perpetuò impeditum. Idem quoque indicat Paludan. in 4. distinct. 30. quæst. 2. art. 1. conclusio. 2. num. 6. cum asserit salua, & integra substantia, & essentia matrimonij posse tolli ius petendi debitum, hoc est, perpetuò impediri; idem etiam indicat Supplementum Gabrielis in 4. distinct. 28. quæst. 1. art. 3. dub. 1. Nec vero huic obstat id, quo Almainus in 4. dist. 30. quæst. 2. §. *Dicunt alij*, eam sententiam refellit, quia ipsi videtur impossibile, vt quis habeat dominium alicuius rei, qua nullo modo aut nunquam vti possit, cum dominium sit ius, atque facultas vtendi, & frustra daretur ea facultas, quæ nunquam in actum prodire posset: possumus enim Almaini num facile in hac eadem materia de matrimonio conuincere. Nam post matrimoniũ legitimũ contractũ, & consummatum possunt coniuges se priuare iure petẽdi vel ex mutuo pacto, vel ex voto castitatis, vel ex professione religionis, & tamen in eis manet dominium in corpora, & radicalis facultas ad copulam perpetuò impedita. Idẽ ergo à principio fieri potest salua substantia matrimonij.

9 Verũ vt intelligatur qua ratione dominium transferri potest, si impeditum perpetuò est, notat optimè Gabriel Vazquez, 2. tom. in 3. par. disp. 125. cap. 7. num. 83. duobus modis posse impediri vsum alicuius rei vel ex iustitia, ita vt si quis ea vtatur faciat contra iustitiam. Et huiusmodi impedimentum stare non potest cum translatione dominij. Neq; enim posset in eo vsu esse peccatum, contra iustitiã, nisi esset vsus rei alienæ; implicat autem dominiũ esse translatũ, & rem esse alienam: atque ideò, vt suo loco dicemus, matrimonium nequaquam iniri potest sub ea conditione, vt debitum non exigatur, si ita intelligeretur, vt vsus iste sit peccatum fornicationis aut adulterij. Alio modo potest impediri dominium, vel ex virtute religionis, vel fide promissionis,

vel

vel ex deuotione, aut accidenti aliquo, cum hoc autem impedimento etiam perpetuo stare optimè potest translatio dominij. Huius duo signa manifestissima sunt, primum est id, cuius modo mentionem fecimus, scilicet, si aliqui coniugati iam consummato matrimonio, vel non consummato emitterent votum castitatis, vel iam consummato ad religionem transirent, & professionem facerent, perpetuò impediuntur ab vsu matrimonij: adeò, vt si postea alter eorũ velit repetere alterum coniugem, nequaquã cõcedetur. Alterum est id quod in religiosis prioribus sæculis contingebat, & probaui late 1.p. variarum disputationũ q. 3. scholast. c. 9. qui retento dominio rerũ carebant vsu per votum paupertatis, eodemq; priuãtur etiam religiosi societatis Iesu vota simplicia emittentes post biennium, cum tamẽ veri domini sint, ita vt contractus sine superioris facultate celebrati de suis rebus validi censeantur. Atque hæc de matrimonij ordine ad copulam secluſa quavis intentione contrahentis.

10 Sed existit hoc loco difficultas, eaq; non leuis, quam efficiunt duo iura sibi, vt videtur pugnantia, nam l. 135. *D. de verborum obligat.* §. 2. asseri videtur dominium impeditum, & sub conditione ne alienari queat aliquando transferri, sic enim habet: *Ea lege donatum sibi esse à Seia seruum, & traditum, &c.* Sed de hoc late in commentario nostro de redditibus Ecclesiasticis.

Non esse necessarium consensum in copulam explicitum, neque implicitum ex parte contrahentis.

CAPVT XVIII.

SVMMARIVM.

Reijcitur Vvicleph, qui asseruit non posse constare matrimonium sine consensu expresso in copulam, & spe filiorum. num. 1.
Explicatur testimonium Augustini. n. 2.
Non esse necessariũ consensum explicitum contrahentis est communis sensus. n. 3.
Quomodo requiratur implicitus, varie Doctores explicant. n. 4. & 5. & reijciuntur. n. 6.
Neque requiri implicitum ex parte contrahentium vera sententia est. num. 7.
Probatur testimonijs Augustin. n. 8. 9. & 10.
Idem probatur ex Hugone Victorino. n. 11.
Et ex matrimonio Iosephi cum Beata Virgine. num. 12. & potentis cum impotenti cognita impotentia. num. 13. & ex matrimonio contracto sub conditione castitatis. num. 14.
Idem probatur optima ratione desumpta ex distinctione dominij, & vsus. num. 15. Quas rationes esse in hoc contractu separabiles probatur amplius. num. 16. 17. 18. & à posteriori idem ostenditur. num. 19.
Inducitur pro hac sententia D. Thom. n. 20.
Solutio argumentorum Aduersariorum remissiue. num. 21.

1 RESTAT explicare, quid dicendum de eo sit, an necessariò in matrimonij contractu requiratur ex parte intentionis contrahentium adiunctæ consensus in copulam. Cauẽdus autem est in hoc error etiam Vvicleph, qui quoniam dixit, vt vidimus cap. 16. concubitum esse partem essentialem matrimonij, asseruit etiam matrimonium non confici sine cõsensu contrahentium, in copulam expresse, & spe filiorum. Hic enim error enumeratur inter alios eiusdem Vvicleph in Concilio Constantiensi Sess. 8. vel quia ille putauit, tunc perfici matrimonium cum copulãtur coniuges, vt deducit Vvaldensis loc. cit. ca. 17. vel quia existimauit saltem ex parte cõtrahentium necessarium esse consensum in copulam, & spem generandi filios, damnatur certe eo loco error iste de spe filiorum. Quamvis autem inter quadraginta articulos ibi recitatos error isse non contineatur, non tamen ideò existimãdum est non damnatum esse, vt falsò iudicauit Michael de Medina Gratianum excusans, quia post eorum quadraginta articulorum damnationẽ hæc verba subiunguntur: *Compertum est autem libros eius plures alios articulos continere eiusdem damnationis.* Et paulo post. *Propterea in nomine Domini nostri Iesu Christi hæc Sancta Synodus sententiam prædictorum Archiepiscoporum, & Concilij Romani ratificans, & approbans, prædictos articulos, & eorum quemlibet, libros eiusdem dialogum, & trialogum, hoc perpetuo decreto reprobat, & condemnat.* Ea autem propositio de matrimonio in trialogo continetur cap. 2. quem librum Vvaldensis loco citato, & alibi ter damnatum appellat, scilicet, à duobus Archiepiscopis, & in Concilio Romano. Quod si Vvaldensis non meminit damnationis Concilij Constantiensis, non mirum, cum ille librum suum scripserit ante Concilium Constantiense, licet post illud in lucem editus fuerit.

2 Neque obstat testimonium Augustini ex lib. 19. contra Faustum cap. 26. non multum ante finem, vbi ita loquitur: *Matrimonium quippe ex hoc appellatum est, quod non ob aliud debeat fœmina nubere, quam vt mater fiat, quod nobis odiosum est.* Quibus verbis indicare videtur Augustinus matrimonium, nisi cum spe filiorum esse non posse. Dicimus tamen nihil sauere Augustinum illi sententiæ. Ibi enim solùm contendit contra Faustum eam mulierem, quæ non ad matrimonij fidem, sed ad concupiscentiam habetur, dimittendā esse: reddit autem rationem verbis citatis, nō quod velit docere omne matrimonium fieri, sub expressa intentione liberorum, cum satis sit ad hoc celebrari, vt tradatur dominium corporis, quod ex se ad procreationem liberorum refertur, licet sine animo vtendi coniugio; sed vt ostendat ad fornicationem nō posse fieri, & vxorem ad hunc finem assumptam dimittendam esse.

3 Conueniunt ergo Doctores omnes catholici non esse necessarium ad matrimonium consensum expressum in copulam ex parte contrahentis, sed sufficere implicitū. Et quidem etiam qui dicunt copulam esse partem essentialem matrimonij, adhuc non tenentur dicere esse necessarium expressum consensum in copulam, vt male existimauit Soto in 4. distinct. 27. quæst. 2. art. 2. concluſ. 4. sicut licet mutua corporum traditio sit de essentia matrimonij, non sequitur necessarium esse explicitum consensum in illam, vt ostendemus statim: in explicando autē quomodo debeat esse consensus implicitus in copulam ex parte contrahentis, nō conueniunt.

4 Quidam volunt necessariò requiri cō sensum implicitum, & virtualem in copulam ex parte contrahentis. Hanc sententiā fateri tenentur, quicunque docent matrimonium non contrahi validè sub conditione castitatis; hi sunt Capreolus in 4. dist. 28. q. vnica art. 3. ad quintum contra 3. conclusionem. Adrianus in 4. quæst. 2. de matrimonio dub. 9. Soto dist. 29. quæst. 2. art. 3. & in prima conclusione. Couarruuias 2. part. de matrimonio cap. 3. §. 1. num. 3. & alij Summistæ, quos referam infra, cum de consensu cōditionato sermo fuerit, lib. 3.

5 Alij verò sic explicant, dicunt requiri consensum implicitum sub conditione, si alter coniux petierit, & Deus debitum non relaxauerit. Sentiunt enim isti valere matrimonium sub conditione castitatis. Ita philosophantur Ricardus in 4. dist. 30. art. 1. quæst. 2. ad 3. Scotus eadem dist. quæst. 2. §. *de secundo*. Durandus quæst. 2. num. 8. Supplementum Gabrielis, quæst. 2. art. 2. post 7. conclusionem. Almainus quæst. 2. §. *Dicunt alij*. Henriquus quodlibeto 9. quæst. 11. Sanctus Thomas in 4. eadem dist. quæst. 2. art. 2. ad primum, & Soto distinct. 27. quæst. 1. art. 2. concluſ. 4. & in solut. 3. ad finem.

6 Sed vtraque istarum sententiarum difficile admodum explicat coniugium Beatæ Virginis post emissum castitatis votum: nam contraxisse emisso voto, & verū fuisse matrimonium ostendā cap. sequenti. Deinde cum votum esset de re Deo absolutè grata, non potuit sub conditione, nisi Deus relaxauerit, consentire; alias concedi posset firmiter apud se statuisse reddere debitum Ioseph petenti, nisi Deus relaxaret; quod indignè asseritur de Beata Virgine.

7 Verior ergo sententia est, vt validè cōtrahatur matrimonium non requiri ex parte contrahentium etiam implicitum consensum in copulam, id quod in primis fateri tenentur quicunque docent Beatam Virginem, & Ioseph ante matrimonium emisisse votum castitatis absolutum, quos referam cap. sequenti. Item illi qui asserunt sub conditione expressa castitatis seruandæ coniugale fœdus iniri posse, eamque conditionem non repugnare substantiæ matrimonij, quos referam suo loco. Denique quotquot concedunt inter impotentes cognita impotentia, & etiam inter Eunuchos iure naturali valere matrimonium posse. Idem docet etiam Thomas Sanchez lib. 2. de matrimonio disp. 28. num. 4. vbi distinguit finem implicitum ex parte contractus, & cōsensum implicitum ex parte contrahentis, & docet non requiri etiam implicitum in copulam ex parte contrahentis.

8 Hanc sententiam mihi videtur docuisse Augustinus: quid enim insolutum vel intactum reliquit diuinum illud ingenium? nihil certè: aut si quid in eo non inuenitur, contempsit potius, quam non vidit. Is ergo in lib. de bono coniugali cap. 1. hæc habet: *Consequens ergò est connexio societatis in filijs, qui vnus honestus fructus est, non coniunctionis maris & fœminæ, sed concubitus: poterat enim esse in vtroque sexu etiam sine tali comixtione alterius regentis, alterius obsequentis amicabilis quædam, & germana coniunctio.* Ecce matrimonium ad casteviuendum cum vera, & legitima ratione matrimonij. Expēdo in hoc testimonio duo, primum, quod

filios

filios dicit honestum fructum, non coniunctionis, sed concubitus. In quibus nomine concubitus non est intelligendus actus ipse concumbendi, sed contractus celebratus in ordine ad concubitum: quasi dicat filios esse finem, quem intendit matrimoniũ contractum cum ordine ad copulam. In quibus vides manifestè distinguere Augustinum consensum in ordine ad coniugalem animorum coniunctionem, & consensum in ordine ad concubitum, sicut 3, p. quæst. 29. in Addit. art. 2. distinguebat Diuus Thom. Expendo deinde dicere Augustinum solam hanc animorum coniunctionem amicabilem, & germanam sine commixtione carnali, satis esse ad verum matrimonium, hoc est, posse consistere veram rationem coniugij sine ordine ad commixtionem carnalem: eumque esse eius sensum satis constat ex illo verbo, *poterat*, quasi dicat, etiamsi nũquam ad comiscendum se carnaliter contraxissent, verè reperiri ratio matrimonij posset in coniunctione animorum alterius regentis, & alterius obsequentis ex contractu cum sexus diuersitate, in quo & nostra continetur sententia, & optima eius insinuatur ratio, quam adducam postea. Addi etiam potest in confirmationem huius, quòd cap. 2. quamvis decidere nolit quæstionẽ eam, vnde primorum parentum proles posset existere, cum statuisset fuisse inter eos verũ matrimonium, inter alias opiniones refert, neque improbat, eam quę diceret, sine coeũdi complexu aliquo modo alio habituros filios, munere omnipotentissimi Creatoris, qui potuit ipsos sine parentibus condere, qui potuit carnem Christi in vtero Virginali formare, qui potuit apibus prolem sine concubitu dare. Et quamvis id incertũ videatur Augustino, tamen hoc apud illum certum est, etiamsi hoc ita euenturum esset inter primos parẽtes, verum constituisse matrimonium. Sentit ergò veram rationẽ coniugij sine vllo ordine ad copulam reperiri non repugnare.

9 Sed adduco secundo loco aliud testimonium Augustini ex eodem lib. cap. 3. vbi cum examinaret, cur coniugium esset bonum, ita subiungit. *Quod mihi non videtur propter solam filiorum procreationem, sed propter ipsam etiam naturalem in diuerso sexu societatem, alioqui non iam diceretur coniugium in senibus, præsertim si vel amissent filios, vel minime genuissent. Nunc verò in bono licèt annoso coniugio, & si emarcuit ardor ætatis inter masculum & fœminam, viget tamen ordo charitatis inter maritum, & vxorem; quia quanto meliores sunt, tanto maturius à commixtione carnis siue pari consensu se continere cæperunt, non vt necessitatis esset, postea non posse quod vellent, sed vt laudis esset, primum noluisse, quod possent. Si ergo obseruatur fides honoris, & obsequiorum in uicem debitorum ab alterutro sexu, etiamsi languescentibus, & prope cadauerinis vtriusque mẽbris, animorum tamen ritè coniugatorum tanto sincerior, quanto probatior, & tanto securior quãto placidior castitas perseuerat.* Hactenus Augustinus. In quo testimonio in primis expendẽdum est duos assignasse Augustinum fines contrahẽdi matrimonij, & liberorum procreationem, & ipsam etiam naturalem in diuerso sexu societatem. Deinde hos duos fines ita distinguit, vt non solum consideratione, sed & re ipsa separari, & possint & contingat: tum in his qui sua sponte vel voto, vel proposito abstinere volunt à carnali complexu: tum in his, qui non ipõte sed natura cogente, vt pote quorum sunt languida, & cadauerina corpora nec dare operam volũt rei vxoriæ, nec possunt. Possent ergò languida, & prope emortua corpora inter se conuenire ob solam naturalẽ in sexu diuerso coniunctionem. Præterea considerandum est, quamvis illos duos fines in matrimonio distinguat Augustinus, ex eius tamen verbis in hoc testimonio satis aperte colligi liberorum procreationẽ non esse præcipuum finem, & talem, quo sublato periret huius ratio contractus; sed solam naturalem animorum in diuerso sexu coniunctionem, in qua seruetur obsequiorum inuicem debitorum ab altero sexu, & honoris fides, esse præcipuum matrimonij finem, quique ad essentiam firmitatemque matrimonij requiritur: finem autem procreationis aliquando iustè coniungi cum priori fine, aliquando verò deficere.

10 Tertio induco pro hac sententia nõnulla verba Augustini, quæ sæpe repetit agens de cõiugio inter Virginem Deiparam & Ioseph lib. 23. contra Faustum cap. 8. *Neque enim quia concubitu non permixtus, ideò nõ maritus.* Et postea. *Vt & Ioseph Mariæ maritus diceretur habens eam coniugem non concubitu, sed affectu, non commixtione corporum, sed copulatione, quod est charius, animorum.* Et paulo post. *Mariam Ioseph coniugem non frustrà appellatam propter ordinem sexus, & animorum confœderationem, quamuis ei non fuerit carne commixtus.* Et in fine capitis. *Et ne homines fideles Christi id quod sibi coniuges carne miscẽtur, tam magnum in coniugio deputarent, vt sine*

hoc coniuges esse non posse non crederent, sed potius dicerent fidelia coniugia multo familiarius se adhærere membris Christi, quantò potuissent imitari parentes Christi. Et lib. 1. nupt. & concup. cap. 11. *Absit vt inter illos vinculum coniugale rumpatur, imò firmius erit, quo magis ea pacta secum inierint, quæ charius concordiusq; seruanda sunt non voluptuarijs corporum nexibus, sed voluntarijs animorum affectibus.* Et statim. *Coniux vocatur, scilicet Virgo Maria, ex prima fide desponsationis, quam concubitu, nec cognouerat, nec fuerat cognituras, nec perierat, nec mendax fuerat coniugis appellatio, vbi nec fuerat, nec futura fuerat vlla carnis commixtio.* Et lib. 2. de consensu Euangel. cap. 2. *Hoc exemplo magnificè insinuatur fidelibus coniugatis etiam seruato pari consensu posse permanere, vouerique coniugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu.* Ecce in omnibus his testimonijs asserit Augustinus veram rationem coniugij, non solùm sine vsu concubitus, sed etiam sine vllo ordine ad concubitum. Et vt ex multis eorum clarè patet, non solùm contendit posse post cõtractum matrimonium abstineri ab vsu, manente coniugio, sed etiam ante cõtractum posse amoueri omnem ordinem ad coniugium, & ita celebrari matrimonium in naturalẽ tantum vitæ coniunctionem, vt clarè patet ex hoc postremo loco. Atque vt magis constet quæ vis sit istorum locorum, supponamus duo apud Augustinum certa. Primum est inter Mariam, & Ioseph, fuisse verum cum omni proprietate matrimonium. Præferẽdus in hoc Augustinus alijs Patribus, qui aliter loquuntur, nisi eorum verba commodè explicari possint, quos tamen in concordiã redigere conatur Canisius lib. 2. de Beata Virgine, cap. 11. parum à principio. Alterũ est Beatam Virginem integritatem vouisse, non solùm corde, sed ore, antequam desponsaretur Iosepho. Ita docet lib. de Sancta virginitate cap. 4. Ex quo videtur consequens Virginis votum non conditionatum, sed absolutum fuisse, vt postea multi cum Soto rectè existimarunt. Quod si hæc duo vera sunt apud Augustinum, vt certè videntur esse, planum sequitur Beatam Virginẽ matrimonium celebrasse absque vllo prorsus ordine ad copulam, & sine vllo consensu in illam. Quî enim posset supposito absoluto voto sine peccato? Impossibilis itaque erat ex Augustino consensus in copulam. Et nihilominus hoc non obstante inquit, validum celebrari matrimonium. Sentit ergò cum solo consensu ad caste viuendum etiamsi nullus possit esse consensus in copulam, validum posse esse matrimonium. Adde etiam in omnibus his locis constanter Augustinum agnoscere tanquam sufficientem finem contrahendi matrimonij solam animorum coniunctionem in eadem vitæ societate.

11 Quarto loco adduco Hugonem Victorinum, qui suo sæculo alter Augustinus dici meruit, cuius adeò sunt expressa verba pro nostra sententia, vt satis sit illa proferre, quamvis non expendantur. Is ergo agẽs de incorrupta Deiparæ Virginitate inter alia, quæ omitto hæc habet. *Discutiamus, vt postulas, quid sit coniugium, & ex eius definitione proposita consideremus, si simul esse potuerunt in Virgine Matre, & consensus coniugalis, & propositum Virginitatis. Quid enim est coniugium nisi legitima societas inter virum & fœminam in qua videlicet societate ex pari consensu vterque semetipsum debet alteri. Spontaneus ergo consensus inter virum, & fœminam legitimè coniunctos facit, quo vterque alteri debitorẽ sui se spondet, iste est, qui coniugium facit: & coniugium est ipsa societas tali consensu confœderata, quæ altero viuente alterum ab altero nũ dissoluit. Est adhuc alius consensus, sed carnalis commercij adinuicem exigendi, atque reddendi similem inter virum, & mulierem pactionem constituens, comes, non effector coniugij, officium & non vinculum, qui & ipse tamen cum pari ab vtroque voto suscipitur, pari etiam necesse est debito teneantur.* Sed valde notanda sunt quæ sequuntur. *Huius debiti* (loquitur de carnali commercio) *necessitas illos coniugatos sibi ad inuicem non subijcit, in quibus dum coniugium cõtraheretur, vel sanciretur huius operis consensus non præcessit. Nec tamen hoc officio cessante veritatem seu virtutem coniugij cessare credendum est, imò potius tanto verius ac sanctius coniugium esse, quod in solo charitatis vinculo, & non in concupiscentia carnis libidine fundatũ est.* Hactenus Hugo. Vbi notanda sunt duo. Primum est aperte dicere, vt consurgat obligatio aut vinculum reddendi debitum necessarium esse consensum vel tacitum, vel expressum in copulam carnalem ex parte contrahentis, etiamsi sit radicale ius. Si ergo non fuerit, cessabit profectò aliquis ordo ad copulam in eiusmodi coniugio ex parte contrahentium. Quid enim refert corpus contrahentis esse potens, si ad copulam nequaquam ordinatur, sed ita voluntariè impeditur, ac posset impediri natura ipsa. Itaque potentia corporis, quod traditur, si desit consensus aliquis vel explicitus, vel impli-

implicitus in copulam, comitatur tantum matrimonij contractum, minime tamen requiritur. Secundo expende illa verba *solo charitatis vinculo coniugium verum esse*. Quod si solo vinculo charitatis, ergò hoc & omni alio secluso constare potest, atque adeò secluso etiam quovis ordine ad copulam. Si enim hic esset in matrimonio, non constaret solo charitatis vinculo, & sine concupiscentia carnis, quam excludit Victorinus, quæ nihil aliud est Hugoni, quam iste ordo ad copulam. Sed auctoritate hactenus pugnatum est satis.

12 Sed sumo secundā probationē ab exē plo, & specialibus casibus. Exēplū est, quia inter Beatam Virginem, & Iosephum fuisse verum matrimonium adeò certum est, vt sine temeritate saltem negari non possit, de quo postea cap. sequenti: illudque matrimonium celebratum est post emissum votū castitatis. Ergò non potuit esse cum consensu in copulam etiam implicito ex parte cō trahentis, propter rationem, quam statim adducam.

13 Deinde id ipsum ostendit, quod in matrimonio impotentis cū impotenti cognita impotentia decernit Ecclesia. Iandiu enim statuit verum esse posse matrimoniū ad caste viuendum *cap. consultationi, & cap. requisisti, de frigidis, & cap. multorum*, 27. q. 2. ibi: *Præsertim, si non tali mente Subdiacono iuncta est, vt à carnis voluptatibus abstineret, & ca. requisisti*, 33. *quæst.* 1. *& cap. super eo*, 24. In Appendice Concilij Lateranensis sub Alexandro III. part. 6. Quæ latius prosequemur infra, cum de impedimento impotentiæ sermo fuerit. Sed qui contrahit cum impotenti cognita impotentia, nullatenus potest in copulam consentire, cum impossibilis sit intra vas, & naturali modo, quare debet esse sub conditione caste viuendi.

14 Præterea quia matrimonium contractum sub conditione expressa castè viuendi validum est, atque legitimum & licitum. Ergò verum esse matrimonium potest absque consensu in copulam. Antecedens ostē dam infrà, cum de consensu conditionato sermo erit. Consequentiam probo. Quia aliàs tale matrimonium esset peccatum cō tra castitatis votum. Idque constat, quia Augustinus in lib. de bono viduitatis cap. 8. & habetur in capit. *Nuptiarum bonum*, 27. q. 1. non longè à principio inquit: *Quæ expetita & electa, & voti debito oblata, iam non solū capessere nuptias, sed etiam si nonnubant, velle nubere damnabile est.* Igitur post castitatis votū velle nubere, aut nubere damnabile est, nō certè alia ratione, nisi si celebretur in ordine ad copulam ex parte contrahētis, quam post votum non potest habere sine peccato aut quia se exponat periculo illam habendi. Id autem vetitum est ex solo naturali iure, & contra illud solum in contrahēdo matrimonio peccaretur. Et quamvis Soto in 4. distinct. 38. quæst. 2. art. 1. concluſ. 2. existimet post votum nubere esse peccatum, quo vis modo id fiat, non tantùm ratione copulæ futuræ, aut periculi, sed secundùm se, eo quod absolutè, & secundùm se iure humano vetitum sit, & asserat hanc esse doctrinā Diui Thomæ, & Theologorum omnium, quem sequitur Corduba in Sum. Hispan. q. 136. verum nullo iure, ex his, quæ Soto adducit, conuincitur, neque Sanctus Thomas, aut alius ex Antiquis id docuit. Et quamvis idem Sanctus Thomas, Paludanus, & alij absolutè doceant esse peccatum contrahere matrimonium post votum, id tamen intelligunt ratione copulæ futuræ, vel ratione periculi habēdi copulam. Quod ipsum clare exprimunt nonnulli ex antiquis Doctoribus, vt rectè animaduertit Gabriel Vazq. 2. tom. in 3. p. disp. 125. cap. 6. num. 52. & 53. Solo ergo iure naturali vetitum est contrahere matrimonium post votum. Quod si solo iure naturali prohibitum est, ea prohibitio solùm oritur ex eo, quod post votum contraheretur in ordine ad copulam, vel cum periculo illius, aliàs non est vnde prohibitum, & damnabile sit. Atque hanc vim iuris naturalis, & præcepti explicuit Augustinus in dicto cap. Cum ergo post votum licitè, & validè contrahatur huiusmodi matrimonium, manifestum est posse contrahi sine vllo ordine ad copulam, etiam implicitè ex parte contrahentis, aliàs si ex parte illius esset aliquis ordo etiam implicitus, damnabile esset illud contrahere. Atq; hāc doctrinam insinuauimus olim q. 3. schol. c. 8. & cap. 9. prope finem.

15 Nec vero deest optima ratio pro ista sententia, quæ vnica tantum est, & aliquanto latius proponenda, vt eius vis magis innotescat in hunc modum. Id quod ad essentiam contractus matrimonij requiritur tā tum est, quod sit mutua animorum coniunctio in indiuiduam vitæ societatem cum diuersitate sexus. Sed totum hoc reperiri potest in matrimonio contracto sine vllo ordine ad copulam ex parte contrahentis. Igitur illud est verum, validumque matrimonium, ac sine eo ordine constare potest.

Tota

Tota difficultas est in maiori propositione probanda, quam tamen & explicare, & probare conabor diuersimodè. In primis ex generali ratione contractus, in quo est traditio dominij, non repugnat matrimonium esse sine vllo prorsus ordine ad copulam, ex illo generali principio passimque recepto, vbi dominium distinguitur ab vsu, potest enim esse contractus circa materiam dominij, sine vllo ordine ad vsum, & etiam si alias deficiat vsus; tam enim vsus, quàm dominium potest esse vnum quodque separatim integra materia contractus. Vnde duplex dominium in fundo, v. g. distingui solet, vnum directum ac proprietatis: alterum vtile quod pertinet ad vsumfructuũ. Ex hoc ergo vniuersali dogmate nihil repugnaret esse matrimonium, in quo sit mutua coniugum traditio, & dominium directũ ac proprium, sine vllo tamen ordine ad vsum, & copulam ex parte contrahentium, imò impeditis illis omninò. Quid enim repugnat, quo minus in corpore vtriusque coniugis distingui possit dominium directum à dominio vtili, quoad vsum copulæ, quorũ vnum ab alio separari similiter possit ex mutuo pacto inter coniuges, concedendo dominium suorum corporum directum, per quod vnus reddatur proprius coniux alterius, denegato tamen vtili dominio, quoad vsum copulæ etiam in perpetuum. Neque enim his obstat specialis ratio matrimonij, vt obstare nonnulli volunt, qui censent nõ esse potestatem in coniugibus transferendi dominium corporum, sine dominio vtili, & consensu in copulam. Hujus oppositum ostendimus, & ex Augustino, & ex Hugone, & ex eo, quod etiam in humano corpore distinguitur vsus à dominio.

16 Præterea separabilem esse hanc obligationem ad copulam à vera ratione matrimonij, & dominium vtile â directo in corpus coniugis, ostendit etiã ea definitio matrimonij. Nam secũdum Augustinum, dum agit de Virginitate Beatæ Mariæ, est legitima societas inter virum & fœminam, in qua ex pari consensu semetipsum alteri debet. Nomine autem debiti non corporum in ordine ad copulam vinculum intelligit Augustin. sed fidei & obsequiorum vt alter regat, alter obsequatur: & in omnibus his locis, quos adduximus, in quibus matrimonij rationem variè explicat, eam sine vllo ordine ad copulam etiam implicito nobis tradidit. Idem iudicium est de ea matrimonij definitione, quam proposuit Hugo Victorinus. Iuxta Magistrum verò in 4. distin. 27. *Matrimonium est viri, mulierisq; coniunctio maritalis inter legitimas personas, vitam insolubilem retinens.* Parumque ab ista differunt definitiones aliæ, quæ traduntur in vtroque iure. *Coniunctio maris, & fœminæ inter personas legitimas indiuiduam vitæ consuetudinem retinens, 22. quæst. 2. Viri & mulieris coniunctio indiuiduam consuetudinem vitæ retinens. Inst. de patria potestate, §. Nuptiæ.* Harum omnium definitionum verba atque sensus cum omni proprietate retinentur, sine vllo etiam implicito consensu in copulam, & separato omninò dominio vtili à directo, & absq; vllo contractu in vsum.

17 Præterea quid nos cogit, vt asseramus non posse esse in coniugio translationẽ dominij corporum ad mutua obsequia vtriusque sexus sine vllo cõsensu in copulam ex parte ipsorum contrahentium? Nihil certè. Si quid enim est, quod id vt affirmaremus cogeret, maxime finis ille, qui est liberorũ procreatio, ad quem hac via eundũ, & perueniendum est. Iste verò finis nequaquam cogit. Vt enim ex Augustino vidimus, non illud est præcipuè quæsitum in matrimonio imò neq; est ita requisitum, vt sine eo ratio coniugij permanere non posset, sed ob solam naturalem indiuerso sexu societatem, & cum solo charitatis vinculo stare potest validè matrimonium, excluso etiam fine & scopo liberorum procreationis. *Matrimonia*, inquit Quintilianus declamat. 368. *sunt ab ipsa rerum natura inuenta, sic mares fœminis iunguntur, vt imbecillior sexus præsidium mutua societate sortiatur.* Et apud Tacitum lib. 4. Agrippina sibi maritum à Tyberio exposcit, subueniret solitudini, inquiebat, daret maritum, habilem adhuc iuuentam sibi, neque aliud probis quam ex matrimonio solatium. Præcipuus itaque finis matrimonij est, vt aduersus pericula, & infortunia societas vitæ vtriusque sexus, obsequijs præsidio, atque solatijs iuuetur. Vt enim verè & elegãter Imperator Ælius Verus referente in eius vita Spartiano, *Vxor dignitatis nomen est, non voluptatis.* Cum ergò finis alius matrimonij sit, magisque præcipuus, eo solo poterit constare matrimonium.

18 Sed rem istam adhuc cõcidamus minutius, & explicemus magis. Cum coniux matrimonium contrahit consentiens in copulam implicitè, quia communi modo cõtrahit, licet consensus videatur simplus, est tamen virtute duplus; intercedunt enim ibi duo consensus, quos apertè distinxere Augusti-

gustinus, & Diuus Thomas loco supra citato, & Hugo Victorinus supra. Alter est in coniugalem coniunctionem, vt D. Thomas loquitur, vel, vt Augustinus ait, in naturalem in diuerso sexu societatem. Alter verò est in liberorum procreationem ex Augustini mente, vel in carnalem copulam. Ideò enim est implicitè in carnalem copulam, quia tanquam finem respicit prolem, ita vt carnalem copulam respiciat tanquam medium. Isti autem duo consensus ita se habent, vt secundus, qui est in procreationem liberorum, supponat primum, & illum cõsequatur; vnde comitem non effectorè coniugij appellauit Hugo. Vinculum enim mutuæ societatis fundamentum est, vt possit esse vinculum vel obligatio ad carnalẽ copulam, per consensum scilicet contrahentium explicitum, vel implicitũ. Hæc enim causalis vera est, quia in potestate sua coniugem habet, propriaq; facta est priori vinculo, ideò vti potest eius corpore ad liberorum procreationem. Tota ergo matrimonij contractus ratio in illa priori obligatione reperitur, cum in ea à quolibet alio contractu distinguatur, & possit illa separari à secunda ex natura obiectorum, neque sint necessariò connexæ. Sed ex illa duæ obligationes resultant & nascuntur, quasi proprietates ad fidem coniugalem pertinentes; vna impedibiliter fluit, & est obligatio negatiua de non cognoscenda aliena, in qua sola potest saluari bonum fidei in sacramento matrimonij, vt fuit in B. Virgine, per hoc quod nullo modo cõmittatur adulterium: altera est obligatio positiua reddendi debitum, si ab altero coniuge exigatur, quæ tamen fluit impedibiliter, cùm mutua conuẽtione separari possit huiusmodi obligatio.

19 Denique hoc dominium vtile, siue obligationẽ ad vsum separari re ipsa posse à dominio proprietatis in matrimonio ostendunt à posteriori multa. Primum. Quia qui post matrimonium consummatum professionem emittunt, neuter habet ius petẽdi, & aufertur obligatio reddendi debitum propter votum solemne, *ca. cum sis, ca. vxoratus, ca. veniẽs, de conuers. coniugatorum*; cum tamen permaneat insolubile vinculum matrimonij, & dominium directum, *cap. si quis coniugatus*, 27. q. 2. & dicam infra suo loco ex Tridentino Sessione 24. can. 6. tùm etiam altero cõiugum lapso in adulterium alter deobligatur ab obligatione reddendi debitum, *cap. significasti, & cap. gaudemus de diuortijs*, nam in contractu ea semper inest conditio, si alter fidem & pacta seruet: ex quo perspicitur esse has duas in matrimonio ac diuersas obligationes. Nam quæ est circa dominium directum absoluta est, & sine conditione vlla: at quæ est circa vsum & dominium vtile, est conditionalis, reddẽ di scilicet, si alter fidem seruet. Tùm etiam quia hodie contrahentes secundum consuetudinem, & leges Ecclesiæ non habent obligationem reddendi debitum intra duos menses, in quibus potest ad religionem trãsire, *cap. ex publico, de conuersione coniugatorũ*. & docet communis Doctorum sententia, vbi etiam videtur huic obligationi, quæ circa dominium vtile corporis versatur, apponi limitatio, non verò primæ obligationi, quod ipsum indicat duas esse distinctas, & separabiles. Tùm etiam quia consensus in priorem obligationem, siue explicitus, siue implicitus non pugnat cum voto castitatis: vnde non peccaret ex eo capite, qui duceret post votum; at verò repugnat cum voto siue explicitè, siue implicitè quis in illam consentiat, vt dixi supra num. 14. Tùm præterea, quia prima illa obligatio, in qua matrimonium consistit, est vera coniunctio, & vnitas, vt eam appellat Concilium Tridentinum Session. 24. cap. 1. coniunctio autem est relatio æquiparantiæ, id est, æqualis cõparationis, coniunctum enim dicitur coniuncto coniunctum. At secunda obligatio est inæqualis comparationis, per eam enim persona obligata manet inferior, & respicit aliam personam, tanquam quæ habet potestatem in illam, & quæ manere potest, sine eo quod illa obligata habeat obligationem eiusdem rationis in aliam, vt constat in cõiuge frangente fidem, quæ non habet ius petendi ab innocenti, & habet reddendi obligationem, si innocens velit, saltem quãtum ad primam coniunctionem post violatam fidem: nam postea iam censetur remissa iniuria, & consurgit obligatio prius extincta.

20 Quare hanc nostram sententiam sequantur necesse est, quicunque docent, has duas obligationes esse inter se separabiles, & primam sine secunda manere posse. Quã doctrinam docet aperte Diuus Thomas in loco citato quæst. 52. art. 1. ad quartum, idque probat ex eo, quia est in manu contrahẽtis remittere, quod sibi debitum est, possetque alios fines matrimonij intendere, veluti habitationem inseparabilem, &c. Canisius citato Hugone Victorino lib. 2. de B. Virgine,

Virgine, cap. 11. §. cæterum, & alij plures, quos refert, & sequitur Ferdinandus Rebellus part. 2. de obligationibus iustitiæ, lib. 2. quæst: 13. sect. 4. num. 30. in fine, & nouissime Ægidius disp. 14. dub. 4. à n. 43.

21 Argumenta, quæ contra nostram sententiam adduci possent, commodius proponemus, & diluemus infra lib. 7. cum de impedimento impotentiæ sermo fuerit. Hæc autem, quæ nunc dicta sunt, ad ea, quæ ibi dicemus, valde obseruari debent.

De matrimonio Beatæ Virginis cum Ioseph.

CAPVT XIX.

SVMMARIVM.

Sedes huius quæstionis apud Gratianum. Confictum esse locum, quem posuit ex Augustino. num. 1.

Virginitatem apud Iudæos non fuisse in ignominia, neque illicitam, neque inferiorem nuptijs. num. 2.

Beatam Mariam semper Virginitatem coluisse, & esse primam, quæ seruauit ex voto. n. 3.

Votum virginitatis emissum à Beata Maria ante Annunciationem. num. 4.

Imò & antequam desponsaretur Ioseph, probatur ex Patribus. numero 5. & ex ratione. num. 6,

Quo tempore vouerit. num. 7.

Votum hoc non fuisse conditionatum, sed absolutum. num. 8.

Negant nonnulli fuisse matrimonium inter B. Virginem, & Ioseph. num. 9.

Reijciuntur ex Patribus. num. 10. & ex ratione. num. 11.

Proponuntur, & explicantur testimonia Patrum quæ obstare videntur. num. 12. & 13.

1 HVIVS quæstionis sedes est apud Gratianum in cap. *Beata Maria*, 27. quæst. 2. quem allegat ex Augustino. Sed revera confictus ab illo est, & in Augustini operibus minimè reperitur. Quid autem senserit Augustinus de Beatæ Virginis matrimonio, vel voto dicam statim. Placuit autem hanc quæstionem coniungere cum superiori, quia eius decisio pēdet ex his quæ dicta sunt, & communiter Doctores, dum de matrimonio disputant, hanc etiam solent disputationem inserere, & nos etiam iam olim inseruimus in prima editione libri de impedimentis matrimonij cap. 16.

2 Pro huius ergo explicatione obseruādum in primis olim in lege veteri apud Iudæos Virginitatem non fuisse in opprobrio vel ignominia, neque illicitam, aut inferiorem nuptijs. Cuius oppositum rectè scio sensisse D. Thomam, qui existimauit pro tempore legis Mosaicæ potiores esse nuptias cœlibatu 3. part. quæst. 28. art. 4. ad primum, & aperte in 4. dist. 30. quæst. 2. art. 1. Quæstiuncula 1. quem sequitur Caietanus 3. p. quæst. citata in cōment. art. & Soto in 4. dist. 30. quæst. 2. art. 1. §. *Igitur quod.* Sensit etiam quoad hanc partem cum D. Tho. ex Antiquis Henricus Gandauensis quodlibeto 9. quæst. 11. & Albertus Magnus in 4. dist. 30. art. 8. in solutione 2. quæ incipit *ad aliud dicendum.* Sed nobiscum ex scholasticis antiquis sensit Supplementum Gabrielis in 4. dist. 30. quæst. 2. art. 2. & Recentiores ferè omnes cum Abulensi in capit. 30. Num. quæst. 12. & 22. & cum Clichtoueo in Damascenum lib. 4. de fide cap. 25. Id quod constare potest tùm testimonijs Patrum, & Auctorum asserentium multos in lege veteri virginitatem coluisse. Nam Hieronym. lib. 1. contra Iouinianum probat in lege veteri Eliam, & Eliseum, & Ioannem Baptistam, & Euangelistam virgines fuisse. Addit præterea Danielem, & tres pueros Babylonis, quos inquit apud Hebræos certum esse in castitate vixisse, quin imò Apostolos, qui vxores habebant, eas propter Christum reliquisse, idque significasse, cum Christo dixerunt. Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia.* Nam Dominus respondit: *Omnis qui reliquerit, aut vxorem, aut filios, &c.* Idem Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum scribit Iosue virginem fuisse, & ideò in eius morte non fuisse planctum, quia virginitas à morte incipit coronari. Ignatius quoque in epist. ad Philadelphos ante med. in hoc numero præter Eliam, Eliseum, Ioannem Baptistam numerat Melchisedec, Iesum Naue, & Ieremiam. De Elia idem scribit Ambrosius lib. 1. de Virginibus colum. 3. Damascenus lib. 4. de fide cap. 24. cui etiam alios addit Damascenus. Epiphanius contra hæreses hæresi 30. addit Virginitatē apud Hebræos magnificatam fuisse propter Iacobum fratrem Domini, supponens illum Virginem permansisse. Ex ipsis etiam Iudæis, & gentibus habemus huius rei præclarum testimonium. Nam Iosephus lib. 2. de bello Iudaico cap. 7. & lib. 17. Antiquitat. cap. 2. Plinius lib. 5. natu-

naturalis Historiæ cap. 17. & Solinus capit. 36. Essenos absque fœminis omni abdicato vsu veneris, in communi societate summa cum laude vixisse referunt. Vnde Baronius in apparatu Annalium testimonio Iosephi docet, & Essenos ante Christum vixisse, & apud Iudæos virginitatem nõ prohibitam, sed in pretio habitam. His adde Iudith, quã ex eius libri capite vltimo disco, totum vitæ suæ tempus absque liberis in castitate summa cum laude, & gloria transegisse. Damascenus lib. 4. cap. 25. castitatem in lege veteri appellatam esse ingens votum. Ac deniq; non pauci Patres illa Isaiæ 56. *Quia hæc dicit Dominus Eunuchis*, de his qui seruabant virginitatem interpretantur, Hieronymus ibi, Augustinus lib. 1. de Virginitate, cap. 24. & lib. 14. contra Faustum capit. 13. Ambrosius in exhortatione ad Virgines. Basilius de vera Virginitate satis post mediũ. Gregorius 3. part. Pastoralis cap. 29. Rupertus in eum locum Isaiæ, quamvis illa verba aliter nec omninò male, interpretetur Lyranus & alij. Neque verò his obstant nonnullæ sacrorum librorum testimonia, quibus vtuntur, ac potius abutuntur, qui contra sentiunt, quæ optime diluit noster Alphonsus Mendoça quæst. 4. expositiua, & Gabriel Vazquez 2. tomo in 3. part. disput. 124. cap. 2.

3 Secundò obseruandum est, id quod ex dictis consequenti ratiocinatione colligitur, Beatam Virginem nunquam procreandi liberos animum habuisse, quoties de eo incidit cogitatio ante nuptias, sed potius firmo proposito virginitatem seruare instituisse. Si enim eo tempore virginitas prohibita non erat, sed licita, & in honore, & in laude, nec præceptum vllum obstabat dedanda opera liberorum procreationi, nullus iure negare poterit, etiam quod eo tempore melius, atque perfectius erat, Virginé statuisse: & quod consequenter deducitur, desideraſse ac proposuisse non sub conditione, si Deus voluerit, sed absolutè. Quando enim aliquod opus licitum est, & non solum licitũ, sed etiam aliàs perfectius, absolutè, & non sub conditione desiderari intelligitur. Nec verò optauit, aut desiderauit solum Virginitatem illæsam custodire, sed etiam ad eam seruandam voto se adstrinxit. Prima quidem inter omnes, quæ Virginitatem seruarunt ex voto. Vtrunque docent Patres, & vouisse, & primam esse, quæ Virginitatem vouerit. Origenes in capit. 13. Matth. in illo: *Et factum est, cum consummasset Iesus*, ita scribit: *Arbitrans rationi consentaneum esse virilis quidem puritatis in castitate primitias fuisse Iesum, muliebris vero Mariam.* Ambrosius lib. de institutione Virginum cap. 5. *Egregia Maria, quæ signum sacræ Virginitatis extulit, & intemeratæ Virginitatis post Christum leuauit.* Augustinus tractatu 10. in Ioannem de Maria inquit, *tunc cæpit dignitas Virginum.* Huic simile est, quod ait Hieronymus epist. 2. ad Eustochium quæ est 22. *mihi, Virginitas in Maria dedicatur à Christo.* Multo expressius id asserit Abdias Babylonius in vita Beati Bartholomæi. Bernardus homil. 3. super *Missus est*, colũ. 4. non obscure dicit, Mariam primam fuisse, quæ votum Virginitatis emisit. Rupertus lib. 3. in Cantica non multum ante finem: *Quia votũ egregium Deo prima vouisti votum virginitatis.* Beda Lucæ 1. in illud: *Dixit autem Maria ad Angelum.* Eandem sequitur sententiam Lodolphus Carthusianus in vita Christi, 1. p. cap. 2. colum. 6. & Recentiores frequenter. Quamvis itaque alię in lege veteri virginitatem seruauerint, nullam tamen ex his votum emisisse probari potest. Nam quod non nulli id affirmant de Maria sorore Moysi falsum est, habuit enim virum, vt affirmat Iosephus li. 3. Antiquitatum cap. 2. Et quãvis Virginem illam fuisse demus, vt incertum auctorem secutus affirmat Nyssenus, lib. de Virginitate cap. 19. Et probat Ambrosius in exhort. ad Virgines, & Apponius lib. 6. com. in Cant. & sequitur Canisius lib. 1. de B. Virgine cap. 1. & Magallanus lib. 2. in Cant. Moysi sect. 11. num. 15. & 16. tamen non sequitur inde ex voto virginitatẽ seruasse. Quod etiam de Iephte adduci solet, eius filiam non sacrificatam cruente, sed in cruento virginitatis sacrificio, à multisque probatum, de quo late Azor tom. 1. institutionum moralium, nunquam mihi probari potuit: & quamvis daremus virginitatem seruasse, attamen non fuisse ex voto colligitur ex Iudicum 11. dimitte me, vt plangã virginitatem meam.

4 Tertiò obseruandum est Beatam Virginem ante Annunciationem emisisse votum de seruanda virginitate certissimũ esse contra hæreticos huius temporis, quibus cum exosa sint vota omnia, non placet virginem vouisse virginitatem. Idque indicat illud Virginis Lucæ 1. *Quoniam virũ non cognosco.* Neque enim actum denotat, ea enim ridicula, & inanis ratio esset, sed propositũ ac votum non cognoscendi. Ita colligit ex eo loco Nyssenus oratione in sanctã Chri-

sti

sti Natiuitatem: *Quoniam me virum cognoscere nefas est*. Atque eodem modo intelligunt Augustinus lib. de sancta Virginitate cap. 4. Beda Lucæ 1. Bernardus homil. 4. super *Missus est*, & sermone 2. de Beata Virgine. Hugo tomo 3. lib. de Mariæ Virginitate perpetua cap. 1. post medium, & Theologi communi sensu idem ex eisdem verbis colligunt. Itaque illud, *non cognosco*, idem est ac non possum, ob votum scilicet, vt multis ex sacra Scriptura testimonijs docet, & probat doctissimus Pater Christophorus à Castro in lib. de Beata Virgine cap. 9.

5 Nec verò solùm ante Annuntiationem emisit Beata Virgo votum virginitatis, sed etiam eandem Domino consecrauit, antequam desponsaretur Iosepho. Scio refragari nonnullos, nullo tamen firmo fundamento, sed id quod dixi visum mihi verius, & auctoritate, & ratione. Stant enim pro nobis nonnulli ex Antiquis Patribus Abdias Babylonius in vita sancti Bartholomæi, ante matrimonium cum Iosepho virginitatem expresso voto dedicasse Deiparam affirmat Augustinus lib. de sancta Virginitate cap. 4. postquam Beatam Mariam Virginitatem Deo vouisse dicit, subiungit. *Sed quia hoc adhuc Israelitarum mores recusabat, desponsata est viro iusto, non violenter ablaturo, sed potius contra violãtes custodituro, quod illa iam vouerat.* Nyssenus oratione citata ex illo: *Quoniam virum non cognosco*, infert Beatam Virginem non filiorum causa cum Iosepho nupsisse, imò neque eo fine nubere licuisse; & paulò antea dicit Iosepho traditam, & Sacerdotibus tanquam virginitatis custodibus. Rupertus lib. 3. in Cantica circa finem: *Quia votum*, inquit, *egregium Deo prima vouisti votum virginitatis, attamen sponsi nomen admisisti, desponsari viro non renuisti.* Idem expresse docuit Hugo Victorinus lib. de Virginitate Beatæ Mariæ cap. 1. eoque supposito disputat, quo pacto potuerit postea inire coniugium cum Iosepho.

6 Et quidem ea mihi videtur esse efficacissima ratio. Quia nisi demus Virginem vouisse castitatem ante matrimonium, siq; virginitas eo tempore illicita erat, vt oppositæ sententiæ Doctores fatentur, necessariò dicere debemus Beatam Virginẽ quando matrimonium contraxit, animo procreãdi filios contraxisse, eo scilicet modo, quo tunc secundũ legẽ debebat cõtrahere, imo nec aliter contrahere licuisse, quod horret animus de virgine vel leuiter cogitare. Id autem ita esse dicendum manifestè deducitur, quia si eo tempore virginitas prohibita, & præceptum extabat de danda opera liberis suscipiendis, & eo tempore antequã nuberet nondum reuelatione cognouerat sibi permissum seruare virginitatem, quamvis desiderio conditionato ferretur eius animus in virginitatem, si tandem id Deus permiserit; is tamen absoluto consensu, quo matrimonium peractum est, in eum finem ferri debuit, qui tunc erat in præcepto. Certè, si qui contra nos sentiunt, sibi persuasissent, virginitatem esse eo tempore licitam, & non extitisse præceptum de procreatione liberorum, planè etiam nobiscum concederent Beatam Virginem, antequam desponsaretur voto sacrasse Deo Virginitatem.

7 Quo autem tempore virginitatem vouerit Beata Maria incertum est. Illud mihi verosimilius, vouisse scilicet, quando matura de eo præcessit cogitatio, dumque adhuc in templo degeret Deo inspirante, vt eum statum eligeret, suumque votum postea patefeciisse Sacerdotibus, de quo videndus Cardinalis Baronius in Apparatu Annalium.

8 Ex his, quæ hactenus dicta sunt facile colligitur votũ virginitatis Deiparæ fuisse absolutum, & nequaquam conditionatum. Id quod hac consideratione explicatur, & confirmatur simul. Illud dicitur esse votum absolutum, cuius obligatio statim locum habet, nullo pacto suspenditur, sed executioni statim mandandum est: votum verò conditionatum illud est, cuius executio differtur, & quasi suspensa relinquitur pro aliquo tempore. In eo autem differunt votum emissum de re, & secundùm se, & eo tempore licita à voto de re eo tempore, & loco prohibita, quod illud prius statim obligare incipit, posterius vero minimè, sed ab eo tempore, quo desinit præceptum prohibere. Verbi gratia. Si quis vouit, rem sibi non licitam, vt coniugatus aliquis consummato matrimonio custodiam castitatis inconsulta vxore, eius obligatio suspenditur, donec impedimentum cesset, neque aliter vouere potest, nisi pro eo tempore, optans scilicet, vt impedimentum auferatur, quo id quod vouit, licitè fieri possit. Huiusmodi sunt vota religiosorum, quæ sunt contra regulam, verbi gratia, peregrinationes ac similia. At si quis voueat rem sibi licitam, vt ingredi religionem nullis existentibus impedimentis, statim obligatur voto. Accommodemus doctrinam istam instituto

nostro.

nostro. Si virginitas tempore legis Mosaicæ prohibita erat, & præceptum extabat de generatione liberorum, vt nonnullos sensisse diximus, planè votum de seruanda virginitate debuit esse conditionale, si Deus, scilicet, facultatē concederet, suspensaq; maneret eius executio, donec Deus suam prohibitionem auferret, sicut deuotis religiosorum contra regulam dicebamus. At si virginitas eo tempore licita erat, & in honore & gloria, votum de seruanda virginitate fuit absolutum, & eius obligatio statim cœpit. Neq; enim existimandū est, ideò conditionale esse, quia ibi intelligitur cōditio, si Deus aliud non decreuerit: hæc enim conditio, quæ in omni voto, etiamsi non exprimatur, intelligitur, cum res aliqua absolutè bona est, & alterius comparatione perfectior, non suspēdit effectum, neque reddit conditionale votum. Neque enim eandē vim habet ista cōditio in voto de re secundū se, & eo tempore licita, & in voto de re tunc vouenti prohibita, nā in priori voto nō suspendit obligationem eius, quia res est licita, & melior, ergo statim obligatur: at in posteriori suspēditur executio, vsq; ad illud tēpus, quo Deus prohibitionē auferat, vt exemplo desiderij explicari facile potest. Ergo cum virginitas fuerit eo tēpore licita, & in honore, ac laude: & Deipara antequam desponsaretur, virginitatem vouerit, planum est votum absolutum fuisse non conditionale. Ea enim conditio, *nisi Deus aliud iusserit*, etiamsi expresse apponeretur voto (cum tamen nihil magis efficiat, quam tacite subintellecta) non redderet illud votum conditionale. Doctrinam hanc eleganter tradidit Gabriel Vazquez in 3. part. disp. 124. cap. 1. num. 5. & cap. 4. num. 69. ex quo nos nonnulla ad huius rei elucidationem, & examinationem mutuati sumus.

9 Verū si hæc quæ hactenus dicta à nobis sunt, constituta sunt verè, dubitatio exoritur, quo pacto inter B. Virginem atq; Iosephū matrimoniū celebrari potuerit. Nonnulli, & ex Hæreticis, & ex Catholicis, quos retuli supra cap. præcedenti, facile se ab ea difficultate expediunt, negātes inter Virginē, & Iosephū verū interuenisse matrimoniū, eo quod defuerit vel consummatio, vel saltem cōsensus in copulam, & spes prolis.

10 Sed hæc sententia vt minimum temeraria est, & si illis fundamentis nitatur, erronea, vt constat ex dictis cap. præcedente. Asserendum itaq; verum ac perfectū fuisse matrimonium Iosephi cum Virgine. Stant pro hac sententia Patres, Augustin. lib. 23. contra Faustum cap. 8. & lib. 1. de nupt. & concup. cap. 11. id quod etiam iterum contra Iulianum confirmauit Augustinus lib. 5. contra ipsum cap. 9. aliquantulum à principio, & Hugo de Sancto Victore lib. de Mariæ Virginitate perpetua c. 1. §. *videamus*; sauent etiam Patres illi, qui ideò de desponsata voluisse Christum nasci dicūt, ne adulterij aut fornicationis irrogaretur infamia. Lapidabatur enim etiam filia, quæ in domo patris fornicabatur, si eam vir eius Virginē non reperisset, Deut. 22. *quia in domo*, inquit *patris sui fornicata est*, quæ ratio ad omnes filias in domo patris fornicantes extenditur. Hæc autem ratio manifestè supponit verū interuenisse matrimonium, alias cum id populo notum esset, maximè sacerdotibus, etiam Iosepho tradentibus, non ea euitaretur infamia. Hi autem sunt Origenes homi. 1. de diuersis in illud, *Ioseph autem vir eius*. Basilius homilia de humana Christi generatione. Hieronymus in illud Matth. *Cum esset desponsata*. Ambrosius lib. de institutione Virginis, cap. 6. lib. 2. in Lucam in principio. Bernardus sermone 2. de laudibus B. Mariæ super *Missus est*. Rupertus lib. 11. de victoria Verbi Dei cap. 9. Fauent præterea illi patres, qui ideò dicūt de desponsata nasci voluisse Christum, vt partus eius celaretur diabolo, quam rationem refert ex Ignatio, Hieronymus, in illud Matt. 1. *Cum esset desponsata*, Basilius loco citato, Origenes homilia 6. in Lucam. Ambrosius lib. 2. in Lucam capit. 1. Chrysostomus homilia 4. in Matthæum. Damascenus lib. 4. de fide, cap. 25. Bernardus homilia 2. super *Missus est*. Quæ ratio, licet difficulis sit, tamen sensisse patres verum interuenisse matrimonium planè conuincit. Ea autem in eum sensum explicari commodè potest, si dicamus in primis non semper eius partum celatum diabolo, sed per aliquod tempus, & forsan prægnationis tempore. Id quod nonnulli patres expresse docent. Deinde Deum non excitasse illos, vt attenderent ad præteritum illud, an conceptionis tempore à viro cognita fuerit. Diximus enim alibi à Deo excitari Angelos ad huius potius, quam illius obiecti cognitionem. Cumque ex alia parte viderent præsens, & constans matrimonium, facile deludi potuerant, Deo non excitante eorū intellectū ad cognitionē præteriti, scilicet quid tēpore conceptionis gestum esset, an præcessisset congressus cum viro, vel secus. Adde etiam Angelum,

cum ſpeciebus naturalibus, quas habebat inditas, etiamſi vellet attendere, congreſſum cum viro præceſiſſe, non cognoſceret: & alias videret præſens coniugium, iudicium certè ferre non potuit, ſed dubitauit, quid in eo caſu factum eſſet; & in id ſe ſe inclinauit mens, vt perſuaderet ſibi Deũ aliqua ratione occultare: ſicut philoſophãtur Theologi, cum ab Angelo negant cognoſci naturali virtute, quo pacto exiſtant accidẽtia in Euchariſtiæ ſacramento, etiamſi ibi ſubſtantiam panis adeſſe nõ cognoſcit: & cum etiã nõ agnoſcebat in Chriſto naturalem ſubſiſtentiam, & tamen per diuinam ſubſiſtere naturam humanam non aſſequebatur. Dubitabat itaque, & credebat ſibi à Deo ob aliquem finem occultari, propendens tamen ex congreſſu cum viro ſuſceptum ſemẽ, in id inductus præſente, & conſtante matrimonio. Quare merito ſancti Patres docuerunt connubio, & celatum partum ſcilicet eſſe ex Dei opere, & deluſum dæmonẽ. Maneat ergo certum ex doctrina Patrum inter Ioſephum, & Virginem non tantum ſponſalia, ſed verum, & legitimum interueniſſe connubium. Id quod vno ore pronuntiant ſcholaſtici omnes cum Magiſtro Sententiarum in 4. diſt. 30.

11 Illa autẽ optima videtur eſſe ratio, quia inter Virginem & Ioſephum ſaltim ſponſalia fuiſſe inita dubitari non poteſt. Nam Lucæ, & Matth. 1. appellatur virgo Maria deſponſata, & Ioſeph vir eius. Ergo vel dicendum eſt, etiam matrimonium ſubſequutum, quod intendimus, cum ſponſalia ſint futurarum nuptiarum promiſsio: vel aſſerendũ aut ipſos ſibi inuicem non ſeruaſſe fidem, quam ſibi ſponſalitio contractu obſtrinxerãt, aut ſibi mutuò relaxaſſe, quorum quodvis abſurdiſsimum eſt. Optime autem cum præcedẽti abſoluto voto conſtitiſſe Virginis matrimonium, liquet ex dictis cap. præcedenti, vbi probauimus ſub ea conditione expreſſa caſtè viuendi, & ſine vllo ordine & conſenſu in copulam, validè celebrari poſſe matrimonium.

12 Sed his, quæ de ſanctiſsimæ Virginis cũ Ioſepho matrimonio diximus, obſtare videtur nonnulli Patres, qui indicant non fuiſſe matrimonium. Quidam enim ex illis non audent concedere B. Mariam fuiſſe Ioſephi coniugem verè & propriè. Hi ſunt Hilarius Matt. 1. Cyrillus Hieroſolymitanus cathe. 12. §. *Videamus porro*, Chryſoſtomus homil. 4. in Matt. explicans illud *Ioſeph fili Dauid*, Hieronymus in cap. 1. Matth. *in illud virum Mariæ*. Deinde quia Gregorius Nyſſenus nõ audet dicere matrimonium illud ſponſaliũ rationem egreſſum, oratione in diẽ natalis Chriſti colum. 6. qui etiam cum Bernardo homil. 2. de laudibus Mariæ ſuper *Miſſus eſt*, negant Ioſephum virum proprie dici. Ad hæc alij negant Beatam Mariam eſſe verè vxorem, ſed tantum ſponſam, hi ſunt Tertullianus lib. de velandis virginibus cap. 6. Epiphanius hæreſi 78. Gregorius homil. 26. in Euangelia, & habetur cap. *Sic quippe*, 27. quæſt. 2. Item quia Auctor apud Cyprianũ in ſermone de Paſsione, Ioſephum, inquit, ſola opinione, non re ipſa maritum fuiſſe, & Petrus Chryſologus ſermone 175. ſolo nomine eſſe maritum dixit, non conſcientia. Denique quia virgo Maria non præſens, ſed futura vxor appellatur ab Origene homilia 1. de diuerſis in illud: *Inuenta eſt*, & ab Hieronymo loco citato.

13 Sed hæc omnia teſtimonia Patrum facili negotio explicantur, ſi attendamus nomen coniugis, vel vxoris, vel etiam viri apud illos non tantum ſignificare eos, qui legitimo matrimonio iuncti ſunt, ſed etiam corruptos, & qui conſummarunt matrimonium, & in eo ſenſu negaſſe Virgini, & in corruptæ nomen coniugis, vel vxoris, & ſponſam appellaſſe: nõ quod verum matrimonium non fuerit, ac ratum, ſed quia conſummatum nõ fuerit. Sic Tertullianus, Hylarius, Auctor ille apud Cyprianum, Cyrillus Hieroſolymitanus, Gregorius Nyſſenus, Chryſoſtomus, Epiphanius, Gregorius Magnus, Chryſologus, & Bernardus. Non ſecus ac Eccleſia aliquando in Antiphona ad Magnificat in officio B. Virginis illam vocauit, *innuptam*. Deſpondendi autem verbum pro nubere, & ſpõſam pro nupta intelligunt Græci, inter quos Origenes, & etiam Hieronymus: vnde inquit Annunciationis tempore futuram putari vxorem, ſcilicet, quia vulgus exiſtimabat congreſſurũ cum illa Ioſephum.

Ea quæ ſpectãt ad fines matrimonij, vt valide ineatur, explicantur.

CAPVT XX.

SVMMARIVM.

Tres fines matrimonij, ſoboles, communio, remedium concupiſcentiæ. num. 1.

In executione nullus neceſſarius, in radice omnes. num. 2.

Nul-

Nullum expresse requiri in animo operãtis. n. 3.
Quis consensus in finem requiratur in operante ad essentiam matrimonij. n. 4. & 5.
Nihil contrarium fini matrimonij posse intendi. num. 6. Id explicatur. num. 7.
Intentio contraria substantiæ matrimonij illi obstat, etiamsi mente retenta. num. 8.
Reijcitur distinctio Thomæ Sanchez. n. 9. & 10.
Secus est, quando concomitatur tantum intentionem contrahendi. num. 11.
Limitatur etiam ad forum interius, & explicatur Pontifex in cap. fin. de Condit. Appos. cũ loquitur de conditionibus contra substantiam. num. 12.

1 EX his quæ superius dicta sunt, non erit difficile ea, quæ de matrimonij fine à Doctoribus dici solent, intelligere, & etiã nonnulla corrigere. Conueniũt ergo Doctores omnes duos esse matrimonij fines indubitatos, quos licitè spectare potest, qui matrimonium contrahit. Primus est sobolis procreatio, quod bonum prolis appellant. Alter vero mutuum obsequium, & communicatio operum, de quo Aristotel. 5. physicorum cap. 3. & lib. 3. c. 3. & alibi. Docet enim hominem magis esse animal coniugale, quam polyticum & 1. polyticorum, cap. 1. & lib. 1. Oeconom. c. 3. dixit, combinationem maris, & fœminæ esse primam societatem, hæc enim est aliarum radix, & fundamentum. Addunt etiam tertium finem scilicet remedium concupiscẽtiæ, saltem in altero coniuge, hoc est, redditionẽ debiti: an vero etiam in se, dicam statim. Quod enim prius in officium naturæ institutum erat, postmodum sublata gratia, & passione insurgente factum est etiam remedium concupiscentiæ.

2 Verum isti fines diuersimodè comparari possunt cum matrimonio, vt rectè notauit Durandus in 4. dist. 31. q. 2. num. 5. comparari enim possunt, aut secundum executionẽ, aut secundum obligationem. Secundũ executionem quidem nullus eorum est finis necessarius matrimonij, neque ad eius rationẽ pertinet, vt patet discurrenti per singulos. At vero in radice omnes necessarij sunt. Neque enim aliud est matrimonij vinculũ, quam ius quoddam radicale, ratione cuius habet dominium in corpus coniugis, ita vt si eo vtatur, non peccet cõtra iustitiam, neque ad alienam accedat contra temperantiam; sed si impeditur voto, erit contra religionem, si impotentia, contra aliani virtutem, vt dixi supra cap. 18. Itaq; reddere debitum, vacare generationi, separari à matrimonio possunt, & similiter cohabitatio, & obsequia: at vero iuris siue dominij translatio, ratione cuius, si accederẽt, quamvis alio capite impediti, non peccarent contra castitatem, neque essent iniusti, inseparabilis est à matrimonio, est enim eius essentia. Vnde qui id in fine proposito vellet, nollet cõtrahere, cum nollet id, in quo essentia matrimonij consistit, quæ ex cap. 18. satis intelliguntur, & obseruanda sunt ad ea quæ dicemus lib. 3. in cap. fin. de condit. appos.

3 Sed cum sit finis operis, & finis operantis, finis operis, ad quem ipsum opus per se ordinatur, vel eius principium est, operantis vero, qui intenditur ab operante, qui sæpe est idem cum fine operis, quandoque diuersus: certum est in primis nullum finem istorum requiri expresse in animo operantis, cum matrimonium contrahit, vt liquidò constat, neque enim necesse est expresse intendere prolem, aut remedium cõcupiscentiæ, cum valeat matrimonium sine consensu in copulam, vt dixi cap. 18. imò & cum oppositio intento, atque proposito. Neque etiam necesse est expresse intendere cõmunia obsequia, aut significationem illã vnionis Christi cum Ecclesia, quis enim valide contraheret, si hoc necessarium esset, cum fere nulli occurrat in mentem ea significatio?

4 Dico ergo primo ad essentiam matrimonij, si illam spectemus, solùm ex parte contrahentis requiri siue virtualem, siue actualem intentionem in translationem dominij, seu facultatis illius radicalis ad vtendũ matrimonio, qui cõsensus tacitè dicitur esse in copulã, non tacitè ex parte operãtis, sed operis quia ius illud est radix vtẽdi mutuò corporibus, si alias non impedirentur. Nam qui impeditus voto contrahit, cum hoc ius transferat impeditum voto, & non liberum, ita consentit in translationem dominij, vt licet in ius illud expresse consentiat, tamen in vsum & copulam non solum expresse non consentiat, sed expresse dissentiat, & statuat, nunquam se passurum à suo coniuge cognosci. Sic optimè Gabriel Vazquez tom. 2. in 3. part. disput. 125. cap. 7. num. 78.

5 Secundò dico, si quis cõmuni modo cõtrahat, & vr cõmuniter solet matrimonium expeti, satis est si implicitè tantum, & in confuso habeat intentionẽ celebrandi contractũ iuxta morẽ Ecclesiæ consuetũ, & vt modo Christiano celebrari consueuit, hac

enim sola intentione, & contractus in ratione contractus valet, & etiam in ratione sacramenti. Ex eo tamen fit, vt qui voto vel impotentia, vel fide prius data impeditus fuerit, cum dominium, & ea translatio corporum maneat impedita, non possit sic cõtrahere, quia matrimonium cõmuni more contractum, nõ tantum ex fine operis, quod est ius in corpora ad copulam, sed ex intentione virtuali etiam operantis, est in ordine ad copulam: sed debet contrahere cum intentione oppositâ abstinendi ab actibus cõiugalibus; & alias peccaret in contrahendo, cum neque implicitè possit ferri in copulã vt cap. 18. explicatum est.

6 Tertio dicendum est, nihil matrimonij fini contrarium, vel quod in contrarium finem ordinet matrimonium, potest intendi à contrahente, aliàs siue coniũgatur verbis, siue in mente retineatur contrahentis, irritum redditur matrimonium. Sic docet Henricus de Vrimaria in Annotationibus ad Magistrum Sententiarum in 4. dist. 31. in principio cap. 2. Ricardus in 4. dist. 31. art. 2. quæst. 1. Valdensis de sacramentis cap. 131. Petrus Soto lectione 26. de matrimonio in principio. Henriquez lib. 11. de matrimonio cap. 12. num. 7. Angelus matrimon. 2. n. 23. & alij. Nam eo ipso, non vult matrimonij naturam, si vult illud ordinare in contrarium finem, cum non possit ab eo separari finis ipsius contractus.

7 Verum cum matrimoniũ duobus modis possit contrahi, vno modo sine consensu neque actuali, neque implicito in copulam ex parte operantis, sed potius cum dissensu expresso: alio modo communiter cum intentione confusa, vel actuali operãtis in copulam, fit vt aliquid possit esse cõtra substantiam contractus matrimonij celebrati vno modo, quod non sit contra substantiam matrimonij, alio modo celebrati. Verbi gratia, intendere concubitum, & prolem non est contra substãtiam matrimonij, vt communiter celebratur inter potentes: at est contra matrimonij substantiam, quod validè possunt etiam impotentes celebrare, scilicet ad caste viuendum, idq; præ oculis habendum est, ad nõnulla quæ dicemus lib. 3. de consensu conditionato.

8 Ex his colligitur in primis falli non paucos Doctores, qui asserunt vniuersè intentionem contrariam substantiæ matrimonij non irritare, si mente retineatur, secus si verbis exprimatur, cum matrimonium non perficiatur, nisi per exteriora signa. Nõ enim aduertunt in hoc cõtractu non satis esse cõsensum fictum, sed esse debere consensum verum. At si obiectum vel finis eius consensus est ratio contraria naturæ cõtractus matrimonij, revera non habet consensum necessarium, quia non habet animũ celebrandi eum contractum, cuius naturam suo consensu destruit. Cum ergò consensus verè deficiat, quando est finis contrarius matrimonij substantiæ, parum refert an verbis exprimatur, an mente solum retineatur. Id quod magis in speciali sic explicari potest. Non vult contrahere matrimonium, qui nõ vult illud esse indissolubile, sed ad tempus, donec aliam meliorem inuenerit. Qui ergò eũ animum haberet, siue verbis exprimeret, siue mente retineret, nihil ageret ex defectu consensus: is enim quẽ habet, repugnat omninò consensui necessario ad matrimonij valorem. Similiter si eo animo cõtraheret, vt revera non esset obligatio seruandi fidẽ, ne transferretur ius ad vtẽdum corpore, vel ad vacandum actibus coniugalibus, siue verbis exprimeret, siue mente retineret, nihil efficeret. Quia cum matrimonium consistat in translatione eius facultatis, cui necessario coniuncta est ea obligatio seruandi fidem, qui eo modo consentiret, vel eum finẽ spectaret, proculdubio destrueret naturam consensus necessarij ad matrimonium, vt rectè notat Thomas Sanchez lib. 2. de matrimonio disp. 29. quæst. 2. num. 12. & constat ex dictis supra cap. 18.

9 Secundò colligitur nullius momenti esse distinctionem, qua vtitur in præsenti Thomas Sanchez quæst. 2. citat. num. 11. inquit enim: si finis matrimonij vestiatur conditione contraria bono sacramenti: verbi gratia, donec alteram inueniam, inualidum esse, siue retineatur mẽte, siue verbis exprimatur, nam eo ipso non vult celebrare matrimonium indissolubile. At verò si habeat intentionem contrariam bono prolis & fidei, nihilominus matrimonium valere, si non exprimat verbis, & in pactum deducat, sed mente retineat. Hæc quidem distinctio mihi non probatur. Nam si semel demus cõditionem eam esse cõtra substãtiam matrimonij, parum refert, an mente retineatur, an exprimatur verbis: nã quouis modo deest consensus necessarius, & adest cõsensus omninò contrarius illi, qui requiritur ad matrimonium, cum sit consensus iste celebrandi contractum diuersæ rationis, atq; contrariæ omninò substantiæ. Si eiusmodi cõditiones solum iure positiuo excluderẽtur à cõtractu matri-

matrimonij, verum esset eas tantum verbis expressas vitiare. Sic enim subiacet foro Ecclesiæ, cum nō iudicet Ecclesia de occultis, neque habeat potestatem in actus internos: at cum sint contra substantiam cōtractus, eo ipso iure repelluntur, quo constat essentia, & substantia contractus, & cum ea sit ex iure naturali, vt dixi supra cap. 2. iure quoque naturali repelluntur huiusmodi conditiones à contractu. Vnde siue mente retineantur, siue exprimantur verbis, pariunt eundem effectum. Quis hoc neget?

10 Sed explicemus ista minutius discurrēdo per eas conditiones, quas contra substantiam matrimonij dixit esse Thom. Sanchez. Et quidem de ea, quæ est contra bonū sacramēti, facile admittit, videt enim aperte ita cum natura matrimonij pugnare, vt si quis sub ea conditione consentiret, revera non haberet cōsensum ad matrimonium necessarium. Idem dicendum de ista conditione, *si generationem prolis exites*, si rectè intelligatur. Nam tribus modis potest ea conditio intelligi, vel enim potest euitari proles negatiue, idest, abstinendo ab vsu cōiugij; & hoc sensu neque mente retenta, neque expressa nocet, vt dictum est cap. 18. imò potest de ea esse pactum, & cōstat etiam in his, qui post votum contrahunt, cum animo vtriq; noto non se copulandi. Potest etiam vitari contrarie inducendo sterilitatis venena, vel fōras emittendo semen, & huiusmodi conditio refert matrimonium ad finem contrariū cum finis operis, id est, contractus matrimonij etiam sine intentione operantis, sit proles, & via ad generationem. Quare qui eo modo, & non alio consentire vult, non solum habet aliū finē in matrimonio, sed cōtrarium fini illi, si quidem cum eo fine contrahit. Cumque non sit talis cōtractus cum eo fine, eo ipso, quod ille consentit in eū contractum sub eo fine euitandi generationem per actum contrarium, non habet cōsensum ad contractum matrimonij necessarium; & ex consequenti, siue retineatur in mente, siue exprimatur verbis, vitiat matrimonium. Idē manifestè patet in intentione cōtraria bono fidei, scilicet *si ex quæstu te adulterādam tradideris*, si ea iuxta mentē Pōtificis explicetur. Potest enim duobus modis intelligi. Primò, si sine iniustitia mea te adulterandā tradideris. Hic sensus planè euertit naturam matrimonij, vult enim contractum, ex quo non oriatur obligatio fidelitatis. Vnde & in hoc sensu etiam ipse Thomas Sanchez admittit etiam mente retentam vitiare. Secūdo modo potest intelligi, vt sensus sit, dum modo quamvis cum iustitia mea tuū corpus tradas cui voluero, & cōmiscearis illis. Et in hoc casu vel hæc tantum est turpis cōditio, quæ non est contra substantiam & fidem, hoc est, obligationem fidelitatis, & sic nō vitiat etiam expressa, habetur enim pro non adiecta: aut si revera est contra substantiam, quia refert matrimonium ad finē contrarium, in quo vxor vnius tantū debet esse, & non vsus corporis communis, quamvis mente retineatur, nocet. Nō enim destruit contractū ex dispositione iuris positiui Ecclesiastici, sed naturali, atque adeò eodem iure repellitur. Vnde & in foro interno validum non erit matrimoniū ex defectu consensus necessarij habentis eum finem, & nō aliter contrahentis.

11 Notanter hactenus diximus vitiare eas conditiones mente retentas contractū matrimonij, quando habētur pro fine consensus, eo enim ipso diximus deficere consensum necessarium. At si ea, quæ his conditionibus continentur contrarijs bono prolis, & fidei, & sacramenti, proponat quis sibi facienda, actu concomitante consensum; ita vt consensus matrimonij non nitatur illis, valet etiam in foro interno. Quia aliud est non consentire, nisi sub ea conditione intēta, & illi expresse niti: aliud vero cōsentire, cum proposito tamen nō implendi id quod debetur proli, & fidei, vel sacramento, neq; enim ad obligationem contractus necessarius est animus adimplendi.

12 Dixi etiam in foro interno vitiare matrimonium, quamvis mente retineantur, quia in foro exteriori, vbi nō constat de intentione & assensu, validum iudicabitur, nisi exprimantur illæ conditiones, & deducantur in pactum, siue sint contrariæ bono sacramenti, siue fidei & prolis. Ratio autem quæ mouet Pontificem in dicto cap. fin. de condit. vt dicat illas conditiones esse cōtra substātiam, & omninò vitiare matrimoniū, ea est. Quia revera ex adhibitione earū conditionum iudicat defuisse consensum in cō tractu matrimonij, qualē exigit natura contractus, qui quidē non durat in conditione turpi vel impossibili. Id autē ex eo colligit, quia per illud pactum expressa conditione vult nasci obligationem, qua vterq; tenetur ad illam adimplendam. Et quamvis ex pacto turpi alias nulla nascatur obligatio, attamen eo ipso quo illi voluerunt obligari ad non seruandam fidem, ad impediēdam generationem, voluerunt non obligari

matrimonio, quia matrimonium est radix obligationis omninò contrariæ, scilicet, & seruandi fidem, & non impediendi generationem. Impossibile autem est eundem animum operantis simul ferri in cõtrarias omninò obligationes. Quare eo ipso, quo isti expressis illis conditionibus, voluerũt nasci, & sequi ex suo pacto obligationem illã seruandi, noluerunt ex matrimonio nasci obligationem faciendi cõtrarium, cum illæ obligationes sint incompossibiles: & ex cõsequenti fuit animus omninò cõtrarius substantiæ matrimonij, atque adeò inualide cõtractum esse iudicat meritò Pontifex. Consonat Augustini sententia in cap. *Solet*, 32. quæst. 2. & lib. 2. de moribus Man. ca. 18. vbi eorum matrimonium ex consensu excludẽte procreationem liberorum dicit non esse matrimonium. Inquit itaque: *Nuptiæ autem vt ipsæ nuptiales tabulæ clamant, liberorum procreandorum causa marẽ fœminamq; coniungunt. Quisquis ergo procreare liberos, grauius quam cõcũbere dicit esse peccatum, prohibet vtiq; nuptias & non iam vxorem sed meretricem fœminam facit, quæ donatis sibi certis rebus viro ad explendam eius libidinem iungitur. Si enim vxor est, matrimonium est. Non autem matrimonium est, vbi datur opera, ne sit mater, non igitur vxor.* Hæc August. Merito quidem sensit Augustinus à Manichæis non celebrari matrimonium, quia non aderat consensus in eum contractum, qui ordinaretur in susceptionẽ liberorum. Quod ex natura rei nõ reperitur in adhibitione aliarum cõditionum turpiũ, vt *si furtis meis consenseris*. Quia ex matrimonio non nascitur obligatio euitandi furtum aut homicidium. Conditio autem impossibilis siue retenta, siue expressa ideò vitiaret iure naturali, non quia esset animus contrarius substantiæ matrimonij, sed quia nullus esset cõsensus. Sed hæc latius prosequemur infra lib. 3. His ergo casibus exceptis quicũque alius finis addatur, non redditur inualidum matrimonium.

Qui fines reddant tantum illicitum cõtractum matrimonij.

CAPVT XXI.

SVMMARIVM.

Ex fine vitandi fornicationem non esse licitũ cõtrahere matrimoniũ, quorundã opinio est. n. 1.
Alij sub distinctione explicant. num. 2.
Reiiciuntur tam isti, quàm illi. num. 3.
Nullum esse peccatum contrahere ex eo fine. n. 4.
Licere ex eo fine, & contrahere, & accedere ad vxorem contra distinctionem Simonis de Cassia. num. 5.
Explicatur prædicta sententia, & frequenter interuenire peccatum ob delectationem quomodo intelligendum. num. 6. & 7.
Explicãtur testimonia Augustini. num. 8. Fulgentij, Basilij, Chrysostomi, Clementis Alexãdrini. num. 9. & 10.
An sit peccatum contrahere voluptatis gratia, ex ponitur non esse peccatum ex genere suo. n. 11.
Explicatur Chrysostomus. num. 12.
Non esse veniale peccatum cõtrahere ob pulchritudinem, & diuitias. num. 13.
Egregium testimonium Chrysostomi de fine spectando in matrimonio. num. 14.

1 DE nonnullis finibus disputari solet, an licitè & sine peccato adhibeantur matrimonio à contrahẽte. Et quidem si ex fine prolis, aut significationis, aut humanæ communicationis contrahatur matrimonium, licitum esse dubitari non potest, de quibus etiam nonnulla dicam infra lib. 10. At an ex fine vitandi fornicationem, aut ob remediũ concupiscentiæ licitè contrahatur, & sine vlla culpa non cõueniũt Doctores. Nonnulli enim existimãt cõtrahere solum ob fornicationem vitandã esse saltem veniale peccatum. Sic videtur docere Magister in 4. dist. 31. c. 4. D. Thom. in Additionib. q. 49. art. 1. Petrus Soto lect. 16. de matrimonio. Scotus in 4. distin. 26. q. vnica in fine partis principalis dicit esse permissum, vt minus malum. Maironius d. q. 1. sentit etiam esse culpam. Fundamenta eorum adducam statim.

2 Alij sub distinctione respondent; Thomas de Argentina dicit hanc Diui Thomæ sententiam sic esse intelligendam, vt quando est coniux in periculo pollutionis, siue fornicationis, & ita petit ab vxore ne cogatur ab alio petere, non esse peccatum, at eo sublato periculo esse veniale peccatum, vt docet D. Thom. Vnde contrahere ob vitandam fornicationem in simili periculo licitũ erit, & absq; peccato fiet. Alij aliter distinguunt, dicunt enim, quando possibilis est finis prolis, peccatum esse veniale, si contrahunt ob vitandã fornicationẽ, quia possibili fine primario peruertit ordinẽ rationis, si intẽdat secundariũ, & minus principalẽ. At cũ nõ est possibilis, vt in senibus, & sterilib⁹ nõ est peccatum veniale, quia tunc non est possi-

possibilis finis prolis in operante. Sub hac distinctione respondet Thomas Sanchez lib.2.disp.29.num.26. Paludanus in 4.dist. 30.quæst.2.art.3.Antoninus 3.p.tit.1.cap. 19.§.8. & alij.

3 Sed mihi distinctiones istæ inutiliter videntur adhiberi. Nam in primo casu si nullum fornicationis est periculum, nunquam accedit animo vitandi fornicationē, cuius neque minimus rumor est, sed accedit sine dubio gratia voluptatis, vel vt expleat potius libidinem cum illa, quàm vt fornicationem cum aliena vitet. Is enim qui se fragilem sentit, si sæpius conueniat, est quia semper sibi putat periculum immi nere etiam in leui occasione præsenti. An verò ex fine delectationis peccet: dicam sta tim. Neque secundo distinctio solidum mihi videtur habere fundamentum, vt statim videbimus.

4 Quare mihi persuadeo nullum esse neq; mortale, neque veniale peccatum in ea voluntate contrahendi, sic docet Bassolis in 4. dist.26.quæst.1.art.1. Gabriel. quæst. 1.art. 3. dub. 2. Iacobus Almainus q. 1. Henricus de Vrimaria in Annotationib. ad Magistrū Sententiarum dist.32.cap.1. inclinat Viguerius cap.16.de inst.Theolog. vers.2. Durandus dist.30.q.3. Couar.2.p.de matrimonio, cap.1.§.vnico n.7. Ægidius disp.15. dub.2. conclus.3. & alij teste Petro Soto loc.citat. Petrus Greg.dict.lib.9.cap.6.à n.2. Et in primis probari videtur testimonio Apostoli 1. Corint.7.ibi: *Propter fornicationem vnusquisque vxorem suam habeat, & vna quæque suū virum.* Ecce sine appositione alterius finis cōsulit Apostolus propter fornicationem vitandam habere vxorem. Neque his obstat quod addit: *Hoc secundum indulgentiam dico, non secundum imperium.* Indulgere enim ibi non est veniam dare pro culpa, sed concedi aliquid debere, vide Iustin. Cornelium, Estium, & Salmeronem. Secundo probatur ratione, quam insinuauit Scotus, & Supplem. Gabrielis loc. cit. Quia Deus dereliquit hominem, & sua sibi, in quibus non obligauit ipsum sibi. Potest ergò homo corpus suum transferre in aliam, vt sic eo bene vti possit cum sua, cū is peccare prohibitus sit à Deo cum non sua. Ergo facta translatione potest vti ex eo fine, sicut qui emit rem aliquam, vt rectè ea vtatur aliquo vsu ex multis, ad quos ordinari poterat: solumque fiet, vt sit vsus minus bonus ex eo fine, non verò malus. Deinde probo simul, & explico prædictam sententiam. Quia si velle contrahere matrimonium ob fornicationem vitandam esset malum, ideò esset, vel quia obiectum illius scilicet vitatio fornicationis est malū: hoc autem dici non potest, vt planum est. Vel quia vitatur medio illicito, vt cū quis dat eleemosynam ex furto. Et neq; hoc dici potest, vt constat, quia matrimonium licet, & actus meritorius esse potest, vt dixi sup.c.2. Quare ea vitatio fornicationis non intenditur malo medio, licet intēdatur minus bono. Melius enim esset cōtinere, & ieiunijs pœnitētijs, afflictione corporis ac orationibus vitare. Vel deniq; malum est, ex eo quod præponitur fini principaliori, scilicet contrahere propter prolem. Sed neq; hoc dici potest. Nam vel cōtrahens ita se habet in contrahēdo, vt excludat primū finē actu vel habitu, & aliàs cōtrahit in ordine ad copulā; & sic non dubium est cōmitti peccatū non tantū veniale, sed etiam mortale, vt docet idem Thomas citatis alijs ibidem n. fin. conclu. vltima, neq; de hoc dubitat aliquis: vel implicitè tendit in prolem, quæ est finis, vt isti dicunt, primarius operis, & contractus, explicitè tamen in finem secundarium. In hoc autem ego non video, quæ ordinatio sit, aut qua lege teneatur, quod si expresse vult vnū, expresse etiam velit aliū, cum revera non præponat, sed tendat implicite in prolem, quia ad eam primò ordinatur ea traditio, expresse vero in vitandam fornicationem, quia ad eam ordinatur matrimonium in remedium. Fauet his Augustinus in cap. *Solet*, 32.quæst.2. vbi connubiū contractum propter vitandam incontinētiam, & validum censet, & non reprehendit, dummodo non excludat prolis generationem. Præterea vt ex Viguerio constat, oppositæ sententiæ Doctores fatentur, ad vitandam fornicationem in altero coniuge licite posse contrahi, cur ergo non licebit ad vitandam fornicationē in se, cum multo magis teneatur suæ saluti consulere? Præceptum enim de salute spirituali proximi non est primariæ, sed secūdariæ obligationis, de propria enim est primaria obligatio. Idque magis adhuc ostendo, ex eo quod concedunt, si enim ita contrahit, ob vitandam fornicationem alterius, vt expresse aut virtualiter excludat finem alterum scilicet prolem, etiam is peccabit mortaliter; si autē implicite in ipsa traditione cōmuni modo facta feratur in prolem, explicite in redditionem debiti non peccat, neque ob id dicitur præponere finem secūdariū primario; ergo idem in præsenti, prior enim & potior

est obligatio vitandi peccatū in se quā in alio. Adde non alium esse animū contrahēdi in senibus, & sterilibus, quos tamen ipsi à peccato excusant, senes enim & steriles nō excludunt finem primarium: & quamvis expresse ferantur in remedium concupiscentiæ, & vitationem fornicationis, attamen implicite per se feruntur in finem cōtractus, & traditionis illius licet per accidens impeditum, quandoquidem non repellunt actu suo consensu finem illum. Rectè Ægid. disp. 15. dub. 2. num. 13. docet ex nullo capite colligi obligationem esse vtēdi re ex fine magis præcipuo, quando alij etiam honesti fines sunt.

5 Ex his colligo non rectè nostrum Simonē de Cassia lib. 15. de iustitia Christiana docuisse licitum quidem esse vxorem āgnoscere propter vitandam fornicationem, non vero licitum esse ducere ex eo fine, & ideò expendit Apostolum dixisse, *vnusquisque vxorem suam habeat*, non *ducat*, quia ducere ob eum finem non posset, ductam vero ex eo fine cognoscere liceat. Si enim hic est finis honestus actus, erit etiam & finis honestus contractus, qui ad eum actum ordinatur.

6 Ex hac consideratione, ac ratione colliget aliquis longè diuersam esse rationem de fine voluptatis, & delectationis. Si enim quis contraheret, eo fine, vt delectatione frueretur, quæ est in actu coniugali, expresse nihil cogitans de alio fine, neque expresse excludens, peccaret quidem peccato veniali, eo quod delectatione abuteretur, quatenus eam intenderet vt finem, in quo sisteret. Delectatio enim non est finis, sed medium, quo Deus voluit ad actum coniugalem inuitare, vt & vitaretur concupiscentia, & proles sequeretur. Quia ergo peruertit ordinem medij & finis, est peccatum; veniale autem esse videtur, quia non apparet tanta deformitas, quæ peccati mortalis rationem attingat, nisi eo modo, quem statim explicabo, appetatur voluptas. Sic sentit Durandus in 4. dist. 31. quæst. 3. num. 5. Viguerius loco citato vers. 2. in fine, & Henricus de Vrimaria loco citato.

7 Verum ego hanc sententiam, quæ communis est, ita explicandam existimo, vt in fine eius voluptatis peccatum reperiatur moraliter loquendo, & vt in plurimum, siue per accidens. Quia rarò accidat, sine peccato exerceri actum illum propter vehementiam voluptatis; at ex genere suo non videtur esse aliquod peccatum in eo quod quis velit expresse, non cogitando expresse de alio, percipere delectationem, & voluptatem licitam. Id quod docuit Iacobus Almainus in 4. dist. 26. quæst. 1. in fine, vbi hæc habet: *Nam temperantia est virtus circa delectationes gustus, & tactus, & castitas habet moderari illas passiones, siue delectationes tactus moderari, id est, ad quoddam temperamentum, & medium reducere. Et virtus quæ est circa passiones inclinat ad fugiendū passiones excessiuas, & ad capiendum passiones mediocres. Nam qui nullo modo vellet passiones habere, esset insensibilis. Ergo cum castitas inclinet ad mediocriter percipiendum passiones mediocres, tunc actus capiendi cum ea, cum qua capiendæ sunt, est actus virtutis castitatis coniugalis. Ergo velle mediocres capere, cum quo oportet, & vbi oportet, talis actus non est malus, sed potius bonus. Item delectari cum vxore non est malum, aliàs quilibet cognoscens vxorem peccaret: etsi non sit malum, non est prohibitum, quod habeatur illa volitio, cum non feratur circa aliquod prohibitum. Ergo non est mala ex obiecto, & non habet circunstantiam malam finis, quia suppono, quod non referatur in malum finem alium. Ideò non est actus malus. Nam quod est per se malum, non potest bonum fieri etiā propter bonum finem, & velle delectari cum vxore non est malum ex obiecto tunc, adminus est indifferens ex obiecto: ergo si tale velle non sit aliqua mala circunstantia circunstantionatum, talis actus non erit malus, & per consequens non oportet necessario, quod omnis actus, quo vult actum exercere cum vxore gratia delectationis percipiendæ, dummodo non constituat delectationem tanquā supremū finem, sit malus.* Hæc ibi.

8 Addi tamen debet, quod prudenter subijcit Almainus, esse excessum in tali actu propter vehementiam delectationis: atque ob hanc causam sæpe Augustinus affirmat in vsu coniugij esse venialem culpam, in Enchirid. capit. 78. *Putari posset non esse peccatum miscere coniugi non filiorum procreandorum causa, quod est bonum nuptiale, sed carnalis tantum voluptatis, vt fornicationis, siue adulterij, siue cuiusquam alterius immunditiæ mortiferum malum, quod turpe est etiam dicere, quò potest tentante Sathana libido pertrahere, incontinentiam deuitet infirmitas. Posset ergo, vt dixi, putari hoc non esse peccatum, nisi addidisset Apostolus, hoc autem dico secundum veniam, nō secundum imperium. Quis autem iam esse peccatum neget, cum dari veniam facientibus Apostolica auctoritas fateatur.* Et lib. de bono coniugali cap. 6. *Coniugalis*, ait, *concubitus generandi gratia non habet culpam. Concupiscentiæ vero satiandæ, sed tamen cum coniuge propter*

fidem

fidem tori, venialem habet culpam. Alia etiam ex Augustino, & Hieronymo habet Magister Sententiarum in 4. dist. 31. cap. 4.

9 Ob eandem rationem dicta accipi debent, quæ habet Fulgentius epist. 1. cap. 3. *Coniugalis potestatis inculpabilis est vsus officio gignendi diuinitus attributus, si iustitiæ terminum transgredi libidinosus non permittatur excessus. Iustitia vero vtendi coniugio hæc est, vt non explendæ libidinis, sed substituendæ prolis ob tentu sibi coniuges congruo tempore misceantur. Hic ergo quæri debet ex nuptijs fructus, vt cohibendus sit lubricæ voluptatis excessus.* Chrysostomus homilia 11. in Ephes. & homil. 5. in 1. ad Thessalon. *Propter vitæ communionem, puerorum procreationem puella adiuncta est viro, non turpitudinis, risusq; gratia.* Basilius lib. de Virginitate: *Quid est in Domino, Auctore 1. Corinth. 7. non vt vile mancipium voluptatibus carnis ad coitum pertrahi, sed iudicio, & commodioris vitæ ratione nuptias eligere.* Clemes Alexandrinus Stromatū 2. *Matrimoniū propter liberos, non propter voluptatem esse debet ideòq; Menander, ad seminandos aiebat, liberos tibi meam tradidi filiam.* Et omninò sapienter Plato lib. 9. de legibus, matrimonia ineunda dicit, vt relinquat quis liberos, qui dijs seruiant pro se. Rursumque paulo post: *Oportet* inquit, *parentes gignere, & educare liberos, qui vitam tanquam lampadem posteris tradant, vt sint semper aliqui Deum colentes iuxta ipsius legem.*

10 Hæc quidem & eiusmodi multa alia ob eam rationem dicta sint, quia vt plurimum ex vehementi voluptate peccatum aliquod veniale cum vsu coniugij copulatur, quod accidentale est, alias si per se eam deformitatem licet venialem haberet, non potuisset esse licitus contractus matrimonij cum nulla possit esse obligatio ad culpam venialem. Vnde viros sanctissimos coniugatos legimus etiam in illo lubrico purissimos extitisse. De Beatæ Virginis parentibus Ioachim, & Anna apud sanctam Brig. lib. 1. reuelat. cap. 9. hæc leguntur: *Et cum sibi nuntiatum esset ab Angelo, quod Virginem parerent, vnde salus mundi procederet, magis voluissent mori, quàm carnali amore commisceri, & voluptas in eis mortua erat. Pro certo dico tibi, quod ex charitate diuina, & verbo Angeli annuntiantis conuenerunt carne, non ex concupiscentia aliqua voluptatis, sed contra voluntatem suam ex diuina dilectione.* Hæc ibi. Ea puritas decebat formationem sanctissimę Dei Genitricis corporis.

11 Verum Franciscus Maironius in 4. distinct. 26. existimat esse peccatum mortale accedere ad vxorem solius voluptatis gratia, & ex eodem fine velle contrahere. In hanc sententiam inducitur illo Tobiæ 6. vbi Angelus Tobiæ iuueni reluctanti nuptias cum Sara, eo quod qui illam duxerunt in ipsa prima nocte mortui essent, hæc dicit: *Hi namque qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se, & sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos.* Quibus indicatur peccatum mortale esse accedere ad vxorem, vel contrahere matrimonium voluptatis gratia. Sed respondeo illis verbis eos notari, qui voluptatem pro supremo fine habent. Quia, vt inquit Iacobus Almainus loco citato, tanto impetu fertur in delectationem, vt ex affectu suo eodem modo delectaretur cum quibuscunque, in hoc enim peccatum mortale esse nemo dubitat. Et similiter de illis dictum, qui finem etiam generationis, & prolis excludunt, abhorrent, potiorem ducentes voluptatem. Sicut & ex eadē ratione Manichęorum matrimonia reprehendit Augustinus, lib. 2. de Moribus Manich. cap. 18. quia liberorum procreationem excludebant solā voluptatem sectantes: *Nonne vos estis, qui nos solebatis monere, vt quantum fieri posset, obseruaremus tempus, quo ad conceptum mulier post genitalium viscerum purgationem apta esset, eoq; tempore à concubitu temperaremus, ne carni anima implicaretur. Ex quo illud sequitur, vt nō liberorum procreandorum causa, sed satiandæ libidinis habere coniugiū censeant.* Hæc Aug. Idq; etiā indicat cōparatio illa, qua equis & mulis similes esse perhibentur. Equus enim, vt ait Aristot. lib. 6. de historia Animalium cap. 22. salacissimum animal tam marium, quam fœminarum, & vt habet Græcorum interpretatio, illæ fœminæ filiæ Diomedis impudicissimæ equi dictæ sunt, vnde locus fuit fabulæ de Diomedis equis. Eadem comparatio apud Ieremiam capit. 5. vers. 7. & 8. Mulus etiam intemperans animal cum sit, sterile tamen est, adeò vt prodigij loco habitus sit mulæ partus, vt habet Plinius lib. 8. cap. 44. Quare ex eo loco nihil contra nostram communemque sententiam efficitur.

12 Atque hoc sensu intelligendus Chrysostomus homil. 22. in Genesim: *Non enim ob desiderium procreandorum filiorum cōueniebāt, sed ob voluptatem, & intemperantiam, cōcupiscentia illos in hanc immersit perniciem, pulchritudo aspectus, & scortationis, & intemperantiæ eis occasio fuit, & neque hoc contenta addit:*

sumpserunt sibi ipsis vxores de omnibus, quas elegerant, quod etiam magnam illorum intemperãtiam insinuat, quod à pulchritudine victi sunt, & frænum imponere inordinatæ concupiscentiæ suæ non valuerunt, sed spectando capti, submersiq́; sunt, & ob impium hoc opus indignos se fecere, quorum Deus superne curam ageret. Hæc Chrysostomus.

13 Ex his etiam, quæ dicta sunt, colligi potest, quid sentiendum sit, cum quis contrahit ob pulchritudinem vel diuitas. Et quidem non esse peccatum mortale fatentur omnes, nisi esset ita efrenatus appetitus pulchritudinis, vt etiamsi non esset vxor, ex affectu quem habet, ea potiri vellet. De hoc enim non est dubium. Verùm meo iudicio, neque est veniale peccatum. Sic docet Soto in 4. distinct. 20. quæst. 1. art. 2. conclus. 3. & olim Maior in 4. distinct. 26. quæst. 3. concl. 1. & 2. quos immeritò reijcit Thomas Sanchez lib. 2. disput. 29. quæst. 3. num. 21. inclinat etiam in hanc sententiam Innocentius in cap. *Iuuenis, de sponsalibus*, num. 3. Ratio, quæ me mouet est eadem. Quia intendere pulchritudinem illam, vel diuitias, vel generis nobilitatem ex se non est malum, vt constat, neque ex medio per quod intenditur, scilicet per contractum matrimonij, dũ neque actu, neque habitu ex animi dispositione excludit alios fines matrimonij. Quare in eo qui sic contrahit, nũquam hæc habent rationem totalis finis; finem enim totalem habere non posset, nisi actu vel habitu excluderet fines matrimonij, sed tantùm habent rationem causæ impulsiuæ, in quam expresse fertur: implicitè autem in ipsos fines operis, & contractus; quandoquidem vult traditionem illam, & communicationem obsequiorum & prolem: implicitè autem tendere in eos fines, explicitè in alios, qui ex se mali non sunt, nulla inordinatio est.

14 Sed concludamus hæc omnia elegãti testimonio Chrysostomi tomo 6. homil. Quales ducendæ sint vxores, ex quo constabit, & non esse peccatum contrahere ob vitandam fornicationem, & quomodo, & quando vitium sit contrahere ob diuitias, & pulchritudinem, tunc scilicet cum nihil aliud in vxore spectatur, sed alia vxoris potiora bona postponuntur. Sic igitur habet columna mihi 19. *Ante omnia disce, quæ nam fuerit causa coniugij, & quam ob rem in communem vitam introductum sit, nec quid quam requiras amplius. Quæ igitur fuit causa coniugij, & cur illud datum est diuinitus? Audi Paulum dicentem. Ad vitandas autem scortationes quisque suam vxorem habeat. Non dixit vt euitetur paupertas, & parẽtur diuitiæ, sed quid? Vt scortationem euitemus, vt moderemur concupiscentiam, vt viuamus sobrie, vt Deo placeamus contenti vxore propria, hoc nobis affert coniugium, hic eius fructus, hoc inde lucrum est. Caue igitur omissis paucioribus secteris, quæ minoris sunt pretij. Mens enim sobria longè præstat diuitijs. Hoc enim in coniugio spectandum est, maximè vt peccatum effugiamus, vt immunes simus à scortationibus: in hoc quærendæ sunt nuptiæ, vt ad vitam pudice degendam nos adiuuent. Quod ita demum futurum est, si talis sponsa contigerit, cuius reuerentia nos ad temperantiam, & prohibitatem redigat. Corporis enim pulchritudo nisi coniunctam habeat virtutem animi, poterit quidem maritum vsque ad decem aut viginti, trigintave dies capere, sed eandem vim non obtinebit vlteriùs, quod incentiuum illud amoris vanescat detecta malitia. At quæ animi pollent pulchritudine, quò magis temporis processu generositatem suam approbant, tanto acriori flamma vrunt maritorum pectora. Hoc pacto vbi feruida, & germana innascitur beneuolẽtia, omne stupri genus exulat, & sic amanti vxorem ne in mentem quidem venit voluptas, nisi legitima, inmanenti amoribus proprijs, & per pudicitiam captanti fauorem cœlestis numinis, cuius auspicijs, & beneuolentia inter coniuges sit perpetua, & facilius administretur res domestica.* Et hæc de hoc libro.

.?.

DE

DE CAVSA EFFICIENTI MATRIMONII, IDEST, DE CONSENSV ABSOLVTO SECVNDVM SE.

LIBER SECVNDVS.

Explicata iam essentia matrimonij, & quatenus contractus, & quatenus sacramentum est, explicemus oportet eius, vt contractus est causam efficientem, hoc est consensum. In quo argumento multa sunt difficilia, & explicatu digna. Cumque consensus iste debeat exprimi exterius, explicabimus etiam quibus signis manifestandus sit, tam quo ab ipso contrahente, quàm ab alijs, qui eius vice contrahunt.

Ad matrimonium non requiri parentum consensum, sed solum contrahentium.

CAPVT PRIMVM.

SVMMARIVM.

PRoponitur quod explicandum est. nu. 1.
Post Tridentinum valere matrimonia filiorum sine consensu parẽtum, certum esse. num. 2.
Ante Tridentinum multo tempore valuisse etiam certum. num. 3. Probatur ex Nicolao I. Innocentio III. Lucio III. & Concilio Colonien. num. 4.
Antiquiori iure Ecclesiastico valuisse quorundam sententia est, sed opposita verior. Probatur primo ex Euaristo. num. 5. ex Concilio Colonien. num. 6. reijcitur interpretatio Bellarmini. num. 7.
Eandem vsu receptam cõsuetudinem fuisse apud Africanos ex Tertulliano. num. 8. apud Græcos ex Basilio. num. 9. & Theodoro Balsamone. num. 10.
Idem tempore Basilij in Italia receptum variè probatur. num. 11.
Verosimile sit tunc vsu receptũ ex duobus. n. 12.
Quaratione tale matrimonium diceretur voluntarium. num. 13.
Valde hanc sententiam distare ab hæreticorum nostri temporis errore. num. 14.
Iure ciuili filijs emancipatis licuisse nuptias sine parentum consensu. num. 15.
Iure ciuili prohibitas nuptias filijs familias sine consensu patris, aut eius, in cuius potestate est. num. 16. & sine consensu eius, in cuius potestatem erat recasurus. num. 17.

Expli-

Explicatur textus in l. si nepotem ex alio 3. D. de ritu nupt. num. 18.

Discrimẽ iure ciuili inter nepotis, & neptis nuptias. num. 19.

Specialis dispositio iuris ciuilis in nuptijs filiarum. num. 20.

Iure ciuili matrimonia filij familias, sine parentum consensu nulla fuisse verior opinio. numero 21.

Ea opinio vera ante copulam: at post, non potuisse dissolui à parentibus, sed valuisse. n. 22.

Vindicatur ea ciuilis dispositio à reprehensione Cuiacij, & Gothophredi, num. 23.

In nonnullis casibus licuisse eodem iure ciuili filijs non emancipatis nubere sine consensu parentum. num. 24.

A consensu parentis vel eius morte iam nuptias censeri iustas, & filios ex eo tempore conceptos legitimos. num. 25.

Sublata hæc omnia legibus Ecclesiasticis, quibus standum in hac re. num. 26.

Peccare lethaliter filios contrahentes matrimonium sine parentum consensu, nisi iusta causa excusentur. num. 27.

Peccare prælatos tacentes matrimonio filiorum contrahendo sine parentum consensu, cum filij peccant. num. 28.

Iustas esse leges imponentes pœnam filijs nubentibus contra rationabilem parentum voluntatem verior opinio est. nu. 29. probatur. n. 40.

EVGENIVS IIII. in sæpe citato decreto de sacramentis post Concilium Florentinum, cum ageret de consensu matrimonij, dixit causam efficientem matrimonij esse consensum mutuum, per verba regulariter expressum, in quorum expositione verborum iste secũdus liber versabitur. Videndum autem in primis, cuius debeat esse consensus, an contrahentis matrimonium, an etiam parentum, vel aliorum, qui contrahendo matrimonio deseruire debeant.

2 In qua difficultate illud in primis certum valere post Tridentinum, matrimoniũ à filijs contractum non expectato parentũ consensu; idque constat ex Session. 24. cap. vnico de reformat. matrimonij vbi hæc habet: *Tametsi dubitandum non est clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia irrita non fecit, & proinde iure damnandi sunt illi, prout eos sancta Synodus anathemate damnat qui ea vera, & rata esse negant, quique falso affirmant matrimonia à filijs familias sine parentum consensu contracta irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse.* Hæc ibi.

3 Deinde certum, multo etiam tempore ante Tridentinum valuisse matrimonium filij familias etiam inscio vel inuito patre. Probat primo decretum Nicolai I. ad consul. Bulg. cap. 3. & est textus in cap. *sufficiat*, 27. *quæst. 2. Sufficit secundum leges solus eorum consensus, de quorum coniunctionibus agitur, qui consensus, si in nuptijs solus forte defuerit, cætera omnia etiam ipso coitu celebrata frustrantur.* Sed hoc Nicolai testimonium non videtur vnde quaque firmum Duareno, qui existimat ea voce, *solus consensus*, excludi concubitum, quasi dicat, non esse necessarium cõcubitum, sed consensum. At quicunque attente legerit, videbit excludi totam solemnitatem nuptialem, aliorumq; consensum, cum tamen eum non excluserit, cum de sponsalibus agebat, & quamvis postea meminerit concubitus, at ideò est, quia dixit, deficiente consensu contrahentium frustrari omnia, etiamsi coitus interuenerit, idque probat ex Chrysostomi testimonio.

4 Probat secundo Innocentius III. in c. *Tuæ fraternitatis de sponsalibus*. Etiam testimonium Innocentij enervare conatur Duarenus, expendit enim dictum fuisse ab Innocentio, matrimonium contrahi per legitimum viri, & mulieris consensum, legitimum inquam, id est, talem, qui legibus, quę de parentum consensu, aliisque iuris sunt, non repugnet. Sed frustra laborat: legitimum Innocentius vocat, qui legibus Ecclesiasticis, quæ has aut illas personas inhabiles ad coniugia reddunt, non repugnat, quasi nullus sit consensus, si personæ sint inhabiles. Probat tertio, Lucius III. in epistola ad Burgensem Episcopum in *capit. cum causa, de Raptoribus*. Iam hic nõ habuit, quid diceret Duarenus, nisi non satis sibi equam videri decisionem Pontificis, quasi mitior, & iustior sit Geneuatum, aut Vvitembergensium hæretica decisio. Denique probat Concilium Colonienſe sub Paulo 3. par. 7. cap. 43. Moguntinum sub eodem in decretis fidei cap. 36. & 37. Tota ergo difficultas est, an aliquo tempore fuerint irrita. Dicẽdum prius, quid habeat ius Ecclesiasticum; deinde quid habuerit ius ciuile.

Quid dicendum iure veteri Ecclesiastico. §. 1.

5 Et quidem iure Canonico, & Ecclesiastico semper valuisse ea matrimonia docet Couar.

Couarruuias part.2.de matrimonio, cap.3. §.8.num.1. & alij frequenter; & iure etiam ciuili valuisse docet ibidem, & Iacobus Cuiacius lib.3.obseruat.cap. 5. Connanus lib. 8.comment.cap. 4. num. 41. Pichardus *Instit. de inofficioso testamento. §. in Prouinciali*, num. 31. At quod attinet ad ius Ecclesiasticum semper mihi persuasi matrimonia filij familias sine parentum consensu fuisse irrita primis Ecclesiæ temporibus. Idque constat in primis ex Euaristi decreto in *cap. aliter*, 30.quæst.5. cuius hæc sunt verba. *Aliter legitimum sicut à patribus accepimus, & à sanctis Apostolis, eorumq; successoribus traditum inuenimus, non fit coniugium, nisi ab his, qui super ipsam fœminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur vxor petatur, &c. Aliter præsumpta non coniugia, sed adulteria, vel contubernia, aut stupra, aut fornicationes potius, quã legitima coniugia esse non dubitatur, etiamsi voluntas propria suffragauerit.* Quid isto testimonio clarius? Aperte dicit coniugium non legitime contractum, & sine parentum consensu esse stuprum, contubernium, fornicationemve; additque id ita esse, etiamsi voluntas contrahentis adfuerit. Quãvis enim Gratianus in sua Decretorum collectione in dict. *cap. aliter*, & in Decretalibus Pontificijs nunc excusis habeatur, *nisi voluntas propria suffragata fuerit*; attamen ideò ab illis, *etiamsi*, mutatum est in *etsi*, quia absurdam sententiam illo decreto contineri existimabant, cum tamen eadem sententia plurimis alijs testimonijs roboretur, quæ statim adducã. Quare meritò ex vetusto codice Antonius Contius legit, *etiamsi voluntas propria suffragauerit*, eaque lectio probanda, & retinenda. Nam si ita scripsit Euaristus, vt in vulgatis codicibus nunc legitur, quid opus erat tot verbis exaggerasse voluntatem parentum, eamque solemnitatem in nuptijs filiorum desiderari, si eorum sola tandẽ voluntas sufficeret, vt à Gratiano refertur?

6 Præterea ostendo sensisse Euaristum ea matrimonia sine illa solemnitate, & parentum consensu fuisse irrita ex verbis Cõcilij Colonienſis sub Paulo 3. part.7. ca. 43. *Optandum vt canon Euaristi Pontificis generali Concilio renouetur, tollanturq; illa clandestina matrimonia, quæ inuitis parentibus, & propinquis, timoris potius, quam Dei causa contrahuntur. Interea verò, dum Ecclesia de hoc prospicit, si non irrita, prohibita saltem sint.* Hæc ibi. Inquiro ergo, quid statuit Canon Euaristi? Si enim prohibuit solum clandestina coniugia, & sine parentum celebrata consensu, cur optat Concilium, vt renouetur ille Canon, cum ab Euaristo ad nostra vsque tempora innumeræ extiterint leges, quibus prohibita matrimonia clandestina, vt referam lib.5. cap. 1. Et ab Ecclesia vniuersali statutum id fuerit non semel ab Hormisda, Alexand. III. & Concilio Lateranensi sub Innocentio III? Igitur Canon ille Euaristi, quem renouare cupit Concilium Coloniẽse, irritabat sine dubio eiusmodi coniugia. Idemque ex sensu Colonienſis Concilij apertissimè conuincunt illa vltima verba: *Interim, dum Ecclesia de hoc prospicit, si non irrita, prohibita saltim sint.* Ergo irrita esse volebat, sicut fuerunt Euaristi tempore, cuius decretum renouari cupit à Concilio Generali.

7 Non ergò Bellarminus lib.1.de matrimonio, cap. 20. & communiter Scholastici Euaristum rectè interpretantur, dum dicũt ideò legitimum matrimonium appellasse, in quo illa omnia reperiuntur, non quia, si alias desint, nullum & inualidum sit, sed quia in foro externo, in quo de occultis nõ iudicatur, non habeatur pro legitimo, cum planè constet Euaristum loqui etiam in foro animæ, cum dicat non esse coniugia, sed adulteria, vel fornicationes, stupra, & contubernia, etiamsi voluntas propria contrahentium accesserit. Adde quia vel Ecclesia, ita iudicabat illegitimum, vt separaret, & contrahendo alijs licentiam cõcederet. At sic, aut irritum prorsus illud matrimonium erat, & iudicabat Ecclesia, aut multis adulterijs occasionem præberet Ecclesiæ iudicium. Quod si non separabat sic contrahentes: in quo ergo illegitimum iudicabatur? His addendum, quod Euaristus docet, hanc non esse nouam constitutionem, sed antiquam à Sanctis Patribus, & Apostolis deriuatam.

8 Eandem constitutionem vsu receptam per multa sæcula in Ecclesia apud nonnullas Prouincias dubitare non potest, qui aliquam iuris Ecclesiastici cognitionem habuerit. Tertullianus, Africanus, & ipse lib. 2. ad vxorem cap. 5. *Vnde sufficiam ad enarrandam felicitatem eius matrimonij, quod Ecclesia conciliat, confirmat oblatio, & obsignatum Angeli renuntiant, pater ratum habet. Nam neque in terris sine consensu parentum filij rectè, & iure nubent.*

9 Sed & apud Græcos Basilij tempore eam legem obtinuisse dignosci potest ex eius Epistola ad Amphilochium capite 38.

Puel-

Puellis, quæ præter Patris sententiam fornicatores secutæ sunt, reconciliatis parentibus, videtur res remedium accipere, sed non protinus ad communionem restituantur, sed triennio puniantur. Quæ autem Basilius habet can. 42. eiusdem epistolæ, eius nobis sententiam explicabunt: *Quæ sine his, qui habent potestatem, fiunt matrimonia, sunt fornicationes. Neque ergo viuente patre, nec Domino, ij qui conueniunt, sunt ab accusatione liberi, donec coniugio Domini annuerint, tunc enim accipit firmitatem coniugium.* Hæc Basilius.

10 Sed audiamus Theodorum Balsamonem in commentario eius epistolæ ad Canonem 38. ostendunt enim quæ ille scribit Euaristi decretum vsu etiam, & moribus Græcorum receptũ. *Puellas inquit hic Sanctus Pater, eas quæ sunt in potestate parentum appellat. Dicit ergo quod si alicuius puellæ tradent se ipsas suis amatoribus præter suorum parentum sententiam, & ab illis vitium illis allatum sit, etiamsi matrimonio sibi coniunctæ videantur, matrimonium eius, quæ est in parentis potestate, non posse consistere sine paterna voluntate. Sin autem parentes ipsarum eis reconciliati fuerint, & eas cum amatoribus cohabitare voluerint, ei rei illa ratione videtur remedium afferri. Quod enim ab initio male factum est, parentum postea consensus reparare videtur, vt fornicatio in matrimonium deducatur, sed ea non est statim ad communionem accipienda, sed post triennium. Ne facti ante speciem hoc in loco posueris raptam esse puellam. Ex 30. enim capite, & ex alijs didicisti, quod si raptus factus fuerit, siue cum puellæ voluntate, siue ea nolente, nõ consistit matrimonium, etiamsi qui habent in potestate, consentiant: sed pone eam, quæ est in potestate, non raptam, eum qui illi stuprum intulit, sequi. Propterea enim sequens consensus facit, vt à culpa remotum sit coniugium: hæc autem vt mihi videtur, locum habent, quando solo consensu consistebat matrimonium, hodie autem, quoniam fit cum sacra benedictione, quamuis parẽtes consentiãt, non fiet matrimonium cum sacra benedictione, nesi tres pœnitentiæ anni expleti fuerint, vel ab Episcopo pro suo arbitratu ad breuius tempus redacti sint.* E quibus constat in primis illis sæculis apud Græcos parentum cõsensum requisitum ad matrimonium filij, nec valuisse sine illo. Deinde etiam sine benedictione Ecclesiastica, & legitimo Ecclesiæ ritu nulla extitisse Balsomonis temporibus apud Græcos, vt constituerat Euaristus. Vtrunq; magis intelligitur ex his quæ subiũgit. *Cum enim benedictio, quæ consistere non poterat in impubere puella, facta esset, & ij matrimonialiter benedicti, matrimonio iuncti essent, quæsitum est, an qui ex eis nascuntur sint germani, ac legitimi. Dicebant enim nonnulli, quod quoniam matrimonium ab initio non consistit propter puellæ impubertatem, quæ autem ab initio non consistunt, ex ijs quæ postea eueniunt, non conualescũt quemadmodum lex dicit necessario, nisi fiat secunda benedictio, eos ne legitime coniunctos dixerit quispiam, hoc ipsum autem etiam debere fieri dicebant in filia familias, quæ præter Patris sententiam benedicta est, insistentes, quod etiamsi postea consenserit, qui illam habet in potestate, non consistat matrimonium, nisi etiam fiat benedictio. Macarites autem Domini Constantini Nicenus dicebat quidem in filia familias, non requiri secundam benedictionem, propterea quod solius personæ scilicet patris contemptus interuenerit, & is per consensum amputatus sit. In impubere autem voluit secundam fieri benedictionem, quod ius commune contemptum, & nihili habitum sit, & non aliter ei remedium afferri, nisi post correctionem, quod mihi non videtur propter benedictionis reuerentiam.* Hactenus Balsamon. Et lib. 2. iuris oricatalis circa finem exstat vna constitutio Patriarchalis Constantinopolitani Patriarchæ, de hypothesi propolita nuptiarum initarum cum Mitza filio Bombylæ conquerentis ab Anthimio filio cuiusdam Leonis, nullo præcedente vel secuto consensu Bombylæ patris: statuiturque eas nuptias nullas esse, vt pote factas sine consensu paterno cum filia minore 25. annorum, separandasque veluti non differentes ab scortatione.

11 Prope tempora Basilij idem in Italia receptum constat ex Ambrosio in cap. *Honorantur*, 32. quæst. 2. ibi, *non est enim virginalis pudoris eligere maritum.* Et etiam ibi, *electionem mariti parentibus deferat.* Post Ambros. Leo I. epist. 92. habetur cap. *Non omnis*, 32. *quæst.* 2. ibi, *paterno arbitrio viris iunctæ carent culpa.* Adhuc multo post Leonem I. idem in vsu fuisse probat testimonium Hormisdæ Papæ *cap. tua Sanctitas* 31. *quæst.* 2. inquit enim. *Tua sanctitas requisiuit à nobis frater venerande, filio adulto, quem pater matrimonium contrahere vult, si sine voluntate filij adulti facere potest. Ad quod dicimus si aliquo modo non consentit filius, fieri non posse. Potest autem de filio nondum adulto, cuius voluntas nondum discerni potest, pater eum, cui vult, in matrimonium tradere, & postquam filius peruenerit ad perfectam ætatem omninò obseruare, & adimplere debet. Hæc omnibus orthodoxæ fidei sancimus, & omnibus tenenda mandamus.* Hæc habet Hormisdas in epist. ad Eusebium, & habentur

tur etiam cap. 1. *de desponsat. impub.* sed Glossa non distinguens ea, quæ recentiori iure, & quæ antiquo constituta sunt, illud *obseruare, & adimplere debet*, de debito honestatis interpretatur non necessitatis. Sed non admittunt hanc interpretationem illa textus verba, *omnino debet adimplere*, quæ non consilium, sed præceptum denotant, item illa postrema, *hæc omnibus orthodoxæ fidei sancimus, & tenenda mandamus*. Quibus etiam refellitur id, quod dixit Couarruuias 2. parte de matrimonio, cap. 3. §. 8. num. 2. in fine, quia honestum est filio expectare voluntatem parentis: textus enim verba nō tantum indicant honestatem, sed etiam necessitatem. Idem etiam indicare videtur post Hormisdam Pelagius, & habetur cap. vnico 32. quæst. 3. *Patrem puellæ Ecclesiæ nostræ famulū, Auum vero eius, liberis constat esse natalibus, & ideò aui magis electionem coniunctione neptis, quam patris eius, cuius nullo modo liberum potest esse arbitrium, decernimus attendi.* Vult attendi aui liberi voluntatem, quia pater in seruitute erat. Fauet etiam adhuc post Pelagium Toletanum 3. cap. 10. & habetur ca. fin. 32. quæst. 2. ibi, *Nec contra voluntatem parentum vel suam cogantur maritos accipere.* Atque iuxta hunc sensum potius, quam alium acceperim ego canonem 24. Concilij Aurelianensis 4. qui in hæc verba cōceptus est. *Quicunque mancipia sub specie coniugij ad Ecclesiæ confugerint septa, vt per hoc credant posse fieri coniugium, minime eis licentia tribuatur, neque talis coniunctio à clericis defensetur, quia probatum est, vt sine legitima traditione coniūcti pro religionis ordine statuto tempore ab Ecclesiæ communione suspendantur, ne in sacris locis turpi concubitu misceantur. De qua re decernimus, vt parentibus aut proprijs dominis, prout ratio poscit personarum accepta fide excusati sub separationis promissione tradantur, postmodum tamen à parentibus, atque dominis libertate concessa si voluerint, ex propria voluntase coniungantur.* Hæc ibi.

12 Ob parentum igitur potestatem, & religionem, ob filiorum pudorem, & obseruantiam, ob matrimonij fidem, & honestatē ob communem bonāque institutæ Reipublicæ rationem, talem consensum non solum desiderarunt, sed exegerunt Ecclesiæ Patres. Neque id mirum alicui videri debet, si aduertat duo. Primum est olim etiam parentes filios tradere solitos religioni, & paterna deuotione religiosos effici, quod late ostendam lib. 7. ca. quinto. Deinde Episcopos olim in suis Ecclesijs impedimenta cōstituisse, prout expedire iudicabant, cum posse vnumquenque eorum in sua Ecclesia, quod Pontifex in tota, quoad multa quidē verum sit, & receptum apud Doctores, de quo infra lib. 7. cap. 1. Itaque legem illam Euaristi, si non recepit vniuersalis Ecclesia, (quod tamen secus se habet) aliquo enim tempore etiam in vniuersali Ecclesia obseruatam fuisse supra ostendimus; receperunt tamen in suis Ecclesijs nonnulli Episcopi, & approbarunt, vt ex dictis non obscurē constat.

13 Sed quomodo voluntarium matrimonium sit, cum habeat regula: *Velle eum nō videri, qui obsequitur imperio patris vel domini l. 4. D. de reg. iuris.* At Celsus filium familias à patre coactum vxorem ducere, quam non duxisset, si sui arbitrij fuisset, scribit voluisse videri matrimonium contrahere, *l. si pater D. de ritu nupt.* Et sane reuerentia patris facit, vt voluisse videatur. Sed de hoc ego late lib. 4. vide interim Cuiatium lib. 16. obseruat. cap. vltimo.

14 Id autem quod hactenus asseruimus valde distat ab hæreticorum nostri temporis sententia. Illi enim obstinatē defendunt nunc non valere, & patribus eam esse potestatem, vt irritare possint, quod falsissimum est. Solius enim Ecclesiæ id esset; tantumq; contendimus Ecclesiam id aliquo tempore constituisse, quamvis multis postea legibus Ecclesiasticis abrogatum fuerit. Atque hæc de iure canonico.

Quid dicendum iure Ciuili. §. 2.

15 Quid autem iure ciuili constitutum fuerit, inuolutum, & perplexum est nimis, quare per partes ista explicanda res est. In primis igitur dico iure ciuili filijs emancipatis licuisse sine consensu patris nuptias contrahere *l. filius emancipatus 25. D. de ritu nuptiarum, l. 3. §. si emancipatus, D. de bonorum possess. contra tabulas*, de quo vide Alciatum lib. 4. Parergon. cap. 22. Cuiat. lib. 3. obseruat. cap. 5. Matienço l. 1. Glossa 14. num. 71. titulo 4. lib. 5. noue compilationis.

16 Deinde iure ciuili statutum est, ne filius familias contraheret sine patris consensu, aut eius in cuius potestate erat. Est hæc communis & vera sententia, neque qui cōtra sentiunt illam inficiari possunt. Probat 1. textus in *l. 7. D. de sponsal.* ibi. *In sponsalibus etiam eorum consensus exigendus est qui desideratur*

ratur in nuptijs. In eisdem autem desiderati parentum consensum docet idem Paulus, *l. 2. de ritu nuptiarum. Nuptiæ consistere non possunt, nisi consentiant omnes, qui coeunt, quorumque sint in potestate, & §. 1. instit. de nuptijs, & l. 2. C. de nuptijs, & l. si vt proponas 5. & l. si vt proponis. 7. eodem.* Satis autem erat tacitus patris consensus, id est, quod cum sciret, non contradiceret, vt definit Alexander imperator, in d. *l. si vt proponis 5.* ibi, *cognitis nuptijs vestris non contradixit.*

17 Tertio dico iure ciuili non tantum desiderari in nuptijs filij familias voluntatem eorum, in quorum potestate erat, sed etiam eius, in cuius potestatem esset recasurus in *l. Paulus 11. D. de statu hom.* de qua infra. Vnde nepos, qui in potestate aui erat, ex consensu etiam patris, in cuius potestate non erat, nubere debebat; satis enim est, quòd spes sit fore illum aliquando cum omnibus suis liberis in patris potestate. Idque satis probat textus in *l. oratione 16. D. de ritu nuptiarum. Nepoti vxorem ducenti, & filius consentire debet, nisi si pater furet*, tunc enim aui voluntas satis erat, *l. si nepos 9. de ritu nupt.* Idque iure optimo constitutum est, maximè enim nostra interest, qua ex vxore nobis filij generentur, qui nominis nostri, sanguinis, & familiæ hæredes futuri sint, & successores.

18 Quare huic dispositioni non obstat textus in l. *si nepotem ex alio 3. D. eodem.* Nam ibi sermo est de nuptijs inter duos consobrinos, in quibus tantum aui consensus requiritur. Iã enim ibi manifestum est, quis eligatur successor & hæres; dispositio autem dict. *l. in oratione*, intelligenda est, quando nuptiæ cum extranea celebrantur, quã probari etiam à patre, in cuius nomen & familiam transit, æquum est. Atque hanc interpretandi ratione, quam probo, tradit Glossa in d. l. *si nepotem*, 3. & Iulius Pacius cent. 5. quæst. 48. Non ergò mihi probatur alia interpretatio glossæ ibidem, quæ dicit, ideò in dict. l. non requiri consensum patris sed aui, quia iam defunctus; stulta certè ea dispositio esset. Quid mirum, si patris iam defuncti non requiratur voluntas, neq; etiam patris, si furiosus sit? Neque etiam mihi placet, quod habet Antonius Faber *instit. de nupt.* principio 4. illatione 4. scilicet iam nõ requiri consensum patris, quia iam erat emancipatus, & extra patriam potestatem. Quid enim refert filium emancipatum esse ne eius voluntas requiratur? Quod enim requiratur non oritur ex eo, quòd sit in potestate vel non sit, sed quia nostra interest, qui nostri fiant hæredes, successoresq; sanguinis, & familiæ, & bonorum. Quare id quod dixi, longè verius est.

19 Addo deinde iure ciuili discrimen esse inter nepotem & neptem, nam ad nepotis nuptias aui, & patris consensus requirebatur, vt dictum est. At vero in neptis nuptijs tantum aui consensus sufficere videtur, vt probat textus in d. *l. in oratione*, ibi, *Neptis vero si nubat, voluntas & auctoritas aui sufficit*. Cuius diuersæ dispositionis rationem eam esse existimauit Accursius, quia mulieris oportet accelerare nuptias, ne quid turpe committat. Frigida ratio, & quæ refutatione non indiget. Petenda ergo ratio huius discriminis est ex vetustis Romanorum moribus, quam tradit Anton. Faber *instit. de nuptijs*, principio 4. illatione 2. & ante tradiderat Ferdinandus de Mendoça lib. 3. de conf. Concilij Illiberitani cap. 32. ad canon. 54. Liberi enim, qui ex nepote descendunt, & aui & patris nomen agnationem familiam sequi, & conseruare debebant. Meritò ergò aui, & parentis consensus desideratur, cum ad vtrunque maximè attineret, qui in familiam insererentur. At descendentes ex nepte non in patris, aut que familiam ac nomen transibant, vt dixi supra lib. 1. ca. 2. Prænomen enim antequam nuberet, virgini non imponebatur, sed nubens mariti, quo erat accipiebat, sicut hodie obseruatur in Italia maxime Romæ. Quare patris neptis nihil intererat, in qua familia liberos susceptura erat, vt autem patria potestas conseruaretur, satis superque iudicatum, si aui requireretur, & expectaretur voluntas. Atque hanc iuris ciuilis dispositionem fortè respexit Pelagius Pontifex in dict. cap. *vnico*, 32. quæst. 2. vbi ad nuptias ancillæ requiritur aui voluntas, licet alia etiam ratio ex textu colligatur.

20 Sed addendum in filiabus id speciale fuisse, quod etiam si nupsissent, & patria excessissent potestate, attamen si iterum viduæ infra 25. annum, etiam mortuo patre, matris, & consanguineorum voluntas desiderata est. *l. 1. C. de nuptijs*, de puellis, *l. in cõiunctione* 20. de virginibus puberibus, *§. sed si sui iuris. C. eodem*, & etiam in viduis, *l. viduæ, 18. C. eodem.* Vnde Augustinus epistol. 233. *Rogatus sum*, inquit, *vt confirmarem nuptias puellæ. Facerem, inquam, sed mater puellæ non adest, & tu scis ad nuptias contrahendas voluntatem eius necessariam*. Videndus Cuiat. li. 3. obseruat. d. c. 5. Pet. Greg. li. 9. c. 3. n. 11.

Rursus

21 Rursus dico iure ciuili matrimonia filij familias sine parentum consensu celebrata nulla fuisse. Communis hæc Doctorum sententia est, quã docet inter alios Petrus Greg. in lib. 9. Synt. cap. 3. num. 10. & probat textus in *l. 2. D. de ritu nuptiarũ. Nuptiæ consistere non possunt, nisi consentiant omnes, qui coeunt, quorumq; sint in potestate.* Sed nonnulli, qui contendunt adhuc iure ciuili valuisse matrimonium sine parentum consensu, respondẽt textum in dict. l. 2. non agere de nuptijs, hoc est, de matrimoniali contractu, sed de ritu, atque solemnitate nuptiarum, quasi inuitis parentibus celebrari ea solemnitas nõ possit. Sed refellit eam interpretationem in primis, vox illa, *consistere non possunt*. Deinde risu excipienda ea dispositio esset, scilicet diem nuptiarum solemnitati destinari non posse, sine eorum voluntate, in quorum sunt potestate. Præterea validum contra istos sumitur argumentũ ex *l. 7. D. de sponsalibus*, quæ est eiusdem Pauli, vbi dicit eorum consensum desiderari in spõsalibus, qui desideratur in nuptijs. Ergo in dict. l. 2. consensus explicatur, non ad diem solemnitati nuptiali destinandum, sed ad nuptias ipsas, & matrimonia contrahenda. Denique iura ciuilia eodem modo loquuntur in spõsalibus, & nuptijs *l. is tutor factam D. de sponsalib.* Vel ergò cum requirunt consensum parentũ ad sponsalia, ita requirunt, vt sine eo celebrata essent inualida. Igitur & ad valorem nuptiarum requirebatur etiam. Vel tantum requirunt, vt impunè & licitè fiant, validè tamẽ. At hoc dici non potest, quia pater poterat filij sponsalia dissoluere, textus in *l. in potestate 10. de sponsalibus*. Quod quidem iure veteri Latinorum sine causa fieri non poterat, quod si fieret, ex sponsa dabatur actio licet sublatum postea ob maiorem matrimonij libertatem doceat Gellius lib. 4. noctium Atticarum cap. 4. non autem posset dissoluere, si sponsalium valor ab eius voluntate minimè penderet.

22 Denique dico, id quo meo iudicio, & diuersa iura componuntur, & Doctores etiam conciliari non difficile possent. Quãvis matrimonia sine Aui, & Patris voluntate contracta nulla essent iure ciuili, & pater, & auus eas nuptias contractas posset dissoluere; id quidem ante copulam verum erat; attamẽ post copulam neqaaquam dissoluere poterat, sed valebant nuptiæ: attamen, neque iusta vxor, neque iusti filij quoad successionem, & hæreditatem dicebantur. Sic docet Vvesembechius in Paratitlis de ritu nupt. num. 3. in fine, Schneiduinus *instit. de nupt.* 2. p. num. 35. & 36. licet ibi, sicut in alijs cautè legendus scriptor hæreticus. Duarenus in hanc etiam sentẽtiam inclinare videtur ad titulum *soluto matrimonio*, de nuptijs cap. 2. §. *sequens quæstio est*, cautè quoque legendus, cum agit de his, quæ iure Pontificio nouiori statuta sunt, insinuat Petrus Gregor. lib. 9. Synt. cap. 3. nu. 8. Non valuisse ante consummationem, probant quæ dixi num. præcedenti. In hoc enim sensu illa accipio: at post copulam non posse dissolui probat mihi Paulus *lib. 2. sentent. ca.* 17. & est textus in *l. 1. §. fin. D. de liberis exhibendis*, ibi: *Si quis filiam suam, quæ mihi nupta est, velit abducere, vel exhiberi sibi desideret, an aduersus interdictum exceptio danda sit, si forte non concordans matrimonium, forte & liberis subnixum velit dissoluere. Et certo iure vtimur, ne haud concordantia matrimonia iure patriæ potestatis turbentur, quod tamen fit crit adhibendũ vt patri persuadeatur, ne acerbe patriam potestatem exerceat.* Quod autem sine parentũ consensu non dicantur nuptiæ legitimæ, nec iustæ, nec iusti filij, probat textus in *l. Paulus 4. D. de statu hominum*. *Tum, qui viuente patre & ignorante de filij coniunctione conceptus est, licet post mortem aui natus sit, iustum filium eius, ex quo conceptus est; non videri, illiæ enim nuptijs non consensit pater.* Appuleius lib. 6. Florid. *Impares*, inquit, *nuptiæ & præterea in villa, & patre non consentiente factæ, legitimæ non possunt videri, ac per hoc spurius illi nascetur.* Itaque impune non contrahebant, si pater improbandarum nuptiarum iustam rationem habuit; iniusta enim vxor, iniusti liberi, iniustæ nuptiæ, vt ex Appulei testimonio constat. Et §. *penultim. instituit. de nuptijs.* nulla dos, nulla vxor ibidem. Vnde & Augustinus 28. quæst. 1. capit. vltimo, ait tale coniugium ratum esse, licet non legitimum, quia non secundum leges.

23 Neque verò est cur hanc legem, & ciuilem dispositionem Cuiatius dicto lib. 3. obseruat. & Gothophedus ad *l. filij 25. D. de ritu nuptiarum*, littera A. imperfectam iudicent, vt pote, quæ nuptias sine consensu parentum fieri prohibeat, factas non dissoluat; sicuti, & lex Cincia imperfecta dicitur, quæ supra certum modum donare vetet, donatum tamen non rescindat. Nam imperfecta non est, quæ vt pater ante copulam posset dissoluere concessit, post copulam autem habita

ratione publicæ vtilitatis non dissoluit, ne iam semel violata fœmina, & relicta meretriciam vitam ageret, & ob alia plura incommoda, quæ sequerentur. At consuluit etiam indemnitati parentum, honori generis, & familiæ, filios ex illis nuptijs procreatos excludendo ab hæreditate paterna, nullamque dotem exigendo. Atque hinc inferenda lux ad textum in l. *Si vxor §. plane, D. ad l. Iuliam de adulterijs*, vbi iniustam vxorem accusare iure mariti conceditur, si adulterasit, iniusta enim vxor vxor est, vocat autem vxorem iniustam, idest, contra leges, de quo vide Cuiat. lib. 3. obseruat. cap. 6. & lib. 6. cap. 16.

24 In nonnullis autem casibus etiam iure ciuili impune filij non emancipati nubunt inuitis parentibus, nisi parem eis conditionem non quærant, aut iniurioſe prohibeant eos nubere *l. 19. D. de ritu nuptiar.* vel nisi furor parentes occupet *instit. de nuptijs*, in principio, aut captiuitas, *l. 5. D. de iure dotium*, his enim casibus prætoris decreto nuptias impune contrahent, dict. l. 19. & l. 5. ita vt exhæredari non possint, nisi forte propudiosas, aut cum infamia nuptias contraxerint, *Nouel. 115. cap. 3. & l. 3. §. 5. D. de possess. contra tab.*

25 Denique addendum ab eo tempore, quo patris vel aui consensus accedebat, aut moriebantur, nuptiæ censebantur iustæ, & filij ex eo tempore concepti legitimi; priores verò semper iniusti, & illegitimi, vt constat ex textu in dict. *l. Paulus 4. de statu hominum*. Quia matrimonij confirmatio id tempus respicit, quo & defunctus auus, & filius ante conceptus. Filium autem ante conceptum pro iusto haberi æquum Romanis visum non est. Sed hic obseruandũ discrimen ciuilis dispositionis, in filijs concubinarum, in quibus aliter statutum est. Si enim concubina in vxorem duceretur, matrimonio sequenti filij in concubinatu suscepti legitimi videbantur, quod non alia ratione ab ipsis statutum, nisi quia si filij nati, quando matrimonium ex defectu consensus aui atque parentis erat nullum, postea confirmato matrimonio legitimi haberentur, sperneret facile quisquis patris auctoritatem, & consensum, & pro suo arbitratu iniret nuptias, filiosque procrearet, quod spem haberet certam defuncto Patre, & Auo matrimonium illud iustum futurum, ac filios legitimos habendos, quod & patriæ potestati, & pudicitiæ legibus aduersum iudicauit Romanorum prudentia, at in filijs concubinæ contrariam habent æquitatis rationem, quo illo fauore legis illecti illas sibi in vxores sociarent.

26 Sed iam hæc omnia legibus Ecclesiasticis sublata, vt dixi supra numero primo, & secundo. Illud tamen ex his ciuilibus legibus plane colligitur naturali iure ad matrimonij valorem non requiri parentum consensum, cum emancipatus sine illius consensu nubit, matris quoque non requiritur consensus, vt quæ filium in potestate non habeat *l. 20. C. de nupt.* sufficit aui consensus sine patris consensu, *l. 16. §. 1. D. de ritu nupt.* Naturæ enim ea vis est, vt omnibus æque parentibus honor debeatur, *l. 4. D. de curat. furiosi.* Esau legitimos liberos habuit, quamvis sine patris consensu contractis nuptijs Genes. 36. Tobias felicem suis nuptijs euentum sortitum, quamvis eius nuptijs consensus patris defuit Tobiæ 7. Quare solo iure humano inducta ea necessitas legibus humanis auferri potuit: potuisse autem induci eam necessitatem satis cõstat, cum videamus iam inductam necessitatem præsentiæ parochi, & testium, vt dicam, & explicabo lib. 5.

27 Admonendi tamen filij sunt, ne contra voluntatem parentum matrimonia ineant, vt illis conueniat illud Christi apud Matth. cap. 19. *Quos Deus coniunxit*: aliter enim Deus coniunxisse non dicitur, quos non obsequium parentum, sed libido coniunxit. Hac etiam de causa Ignatius in quæstion. ad Polycarpum: *Decet*, inquit, *vt ducerentur vxores, & nubentes cum Episcopi arbitrio coniungantur, vt nuptiæ iuxta præceptum Domini, non autem ob concupiscentiam coijsse videantur*. Sic Deus patris loco functus Euam Adamo copulauit, consensu Abrahami Isaac, Genes. 24. Isaaci Iacob, Gene. 28. Sanson consensu patris nuptias contraxerunt: lege diuina mandatur parentibus, ne Chananæis filias suas locent Deuteronom. 7. hanc etiam auctoritatem parentibus in filiorum nuptias concedi cõstat Exodi 22. Numeror. 30. 1. Reg. 2. 1. Corinth. 9. Peccabunt ergò filij, & lethaliter, si sine parentum consensu nubant, est enim contra illis debitum honorem in re graui, quando non est probabilis suscipio, quod malitioſe aut per vim impediatur matrimonium: grauiusque peccabit pater, si contra libertatem matrimonij sine iusta causa filij coniugium impedire conetur. Si enim impediendi iusta subsit causa, non solum non peccat pater, sed rectè facit, & tenetur

effice-

efficere, & filius obedire, aut mortaliter, aut venialiter iuxta eam rationem, propter quam pater impedit. Alias nunquam iudex iustè posset impedire coniugium, aut ad illud adigere, de quo infra in libr. 4. Sic Diuus Thomas in Addition. quæst. 47. artic. 6. quem citatis alijs sequitur Rebellus 2. part. de obligat. iustitiæ quæst. 14. nu. 7. & 8. vide Thomã Sanchez lib. 4. de matrimonio disp. 12. & 13.

28 Ex quibus infertur Ecclesiæ Prælatos non posse sine peccato fauere ante contractum matrimonium filijs volentibus contrahere sine parentum consensu, quando parentes iuste, & ex rationabili causa contradicunt, alias, si iustè id prælati facerent, daretur bellum iustum ex vtraque parte, scilicet inter parentes impedientes, & prælatos defensantes, quod multis confirmat Menoch. lib. 1. cõs. consi. 96. à n. 32. Cooperantur ergo iniquitati filiorum, quod sine peccato non licet. Vnde & cautè Tridentinum Sessione 24. cap. 1. de reformatione matrimonij, tunc tantum vult denunciationes licite omitti à Prælatis posse, quando probabilis suspicio subest matrimonium malitiose impediendum; vbi satis aperte insinuat, si iuste, & non malitiose à parentibus, aut ab alijs matrimonium impediatur, non esse fauorem præstandum ab Ecclesia. Sed de his late Rebellus, quæst. cit. sect. 1. à num. 9. qui omninò videndus est.

Iustas leges ciuiles contra filios nubentes contra iustam parentũ voluntatem. §. 3.

29 At quæret aliquis, num leges latæ siue iure communi, siue Castellæ, siue Lusitaniæ, siue Galliæ, quæ filios nubentes contra iustam, & rationabilem voluntatem parentum (sic enim intelligendæ sunt) ex hæredari posse à parentibus volunt, iustæ sint, atque seruandæ. Verum hæc ad materiam de testamentis pertinent, breuiter tamen dicam, quod sentio. Multi negant licitas esse & iustas. Sic Panormitanus, & alij, quos refert Couarruuias 2. part. de matrimonio cap. 3. §. 8. num. 5. Cuiatius 3. obseruat. cap. 6. Sanchez lib. 4. disput. 25. num. 2. qui correctas dicit per ius canonicum, Gabriel Vazquez disputat. 4. de matrimonio cap. 2. num. 24. citatque Mentaluum in l. 10. tit. 1. part. 4. At complures alij iustas esse censent, atque seruari debere. Sic non pauci, quos refert, & sequitur Molina Theologus tomo 1. de iustit. tractatu 2. disputat. 176. ex num. 24. Ferdinandus Rebellus dict. quæst. 14. sect. 3. Petrus Gregorius lib. 9. Synt. cap. 3. à num. 21. probare videtur Gothophredus in dict. l. *filij 25. de ritu nupt.* Duarenus de nuptijs cap. 2. citat. propefinem. Multis probat Molina, cuius omnes rationes eo tendunt, quod illis legibus non fit iniuria sacramento; cum etiamsi nubant filij inuitis parentibus matrimonium valeat. Alia verò ex parte cedit in magnam Reipublicæ vtilitatem, ne sublato fræno ac metu exhæredationis filij familias deturpent ignobiles ducentes vxores. Nec verò deest in principe sæculari potestas, quia quando lege vel statuto nullum damnum sacramento matrimonij, neque bono spirituali contrahentium sequitur, & ex alia parte abusus Rempublicam fœdantes, pacemque publicam, & commune bonum perturbantes impediunt, *non video*, inquit Molina, *cur asserendum sit, vel Ecclesiam vnquam intendisse id prohibere principibus sæcularibus, quo minus eas leges ferrent, vel esse potestatem in Ecclesia ad id prohibendum.*

30 Nec verò prætextus eas leges damnandi esse potest, quod opponantur libertati matrimonij. Aduertere tamen oportet, quomodo impediatur libertas iustè ne an iniustè. Libertas enim requisita in matrimonio rationabilis, & iusta esse debet. Vnde illa non tollit, quod aliquando Principes possint aliquos deterrere à coniugio, vt dicam infra lib. quarto, neque quod iudex iustè possit adigere aliquem ad matrimonium: neque quod Ecclesia potuerit iustè eam libertatem restringere, vt clandestina non valeant. Vnde non obstat textus in capite *Gemma de sponsalibus*, ea enim pœna conuentionalis est debita ex partium consensu; ex eo autem non sequitur Ecclesiam irritas reddidisse leges sæculares pœnas statuentes ad impediendos abusus, & peccata noxia ipsismet contrahentibus, & Reipublicæ bono, & sacramento. Quod si negari non potest iustas esse eas conditiones, quæ in maioratibus apponi solent, vt ad alios transeant, si qui vocatur ad successionem nupserit impari, aut infecto Iudæorum, vel Sarracenorũ sanguine, quę priuata lex quædam est, cui etiã nõ licebit Principibus potestatem facere parentibus, vt hæreditatis aut legitimæ beneficio priuent filios

contra eorum rationabilem voluntatem nubentes. Adde. Quamvis filijs alimenta debeantur à parentibus iure naturæ, dum ipsis non suppetit, vnde viuant, aut comparare ipsi suo honesto, aut non indecenti labore possint: attamen ad hæreditatem paternam non vocat ius naturale, nec enim sunt hæredes necessariò ex iuris naturalis præscripto; sed vocauit ius humanum iuris naturalis æquitati valde conforme. Iure ergò humano etiam tolli potest ea successio, & quãdo lata esset lex sine causa, quamvis in ferendo peccaret Princeps, lata tamen valeret, & obseruanda esset; quanto magis cum iusta subsit causa, vt in specie de qua loquimur subest. Ego quidẽ ita sentio.

Ad matrimonium verum consensum necessarium esse, non fictum sufficere.

CAPVT II.

SVMMARIVM.

Consensum mutuum, & verum in matrimonio requiri, & non sufficere fictum. n. 1.

Consensus hic honor, reuerentia, affectio & affectus maritalis in iure vocatur. n. 2.

Variæ rationes quibus necessitas veri consensus probatur, reijciuntur. num. 3. & 4.

Vera ratio desumpta ex speciali natura huius cõtractus. num. 5.

Quo sensu dicatur consensus esse causa matrimonij. num. 6.

1 NECESSARIVM esse consensum in contractu quovis dubitari non potest, sufficit tamen in multis fictus, vt dicam infra cap. 4. In cõtractu autem matrimonij, & mutuus & verus contrahentium consensus requiritur. Mutuum requiri constat ex definitione Eugenij Quarti in citato decreto de sacramentis ibi, *consensum mutuum*: demonstratque ratio ipsa permutationis corporis pro corpore, quæ nisi mutuo permutantium consensu fieri non potest. Verum autem exigi consensum adeò certum, vt nõ longa indigeat probatione. Probat Alexander III. in Appendice Lateranensis Concilij p. 6. cap. 26. Innocentius III. in cap. *Tuæ de sponsal.* dum docet pueros ante annos pubertatis per sola verba non contrahere, quia intelliguntur minimè consentire, & in c. *Tua nos de spons.* in fine, ibi: *Defuit omninò consensus, sine quo cætera nequeunt fœdus perficere coniugale*, & in cap. *Tuas de sponsa duorum*, ibi: *Solus consensus sufficit, secundum canonicas sanctiones, & si solus defuerit, cætera omnia irrita sunt.* Fauet manifeste textus in cap. *Vnico de procuratoribus in sexto*, definit Eugenius Quartus in citato decreto, est etiam locus Genes. 23. vbi Rebeccæ exquiritur consensus. Probat etiam testimonijs Isidori, Nicolai, Chrysostomi, Ambrosij, Magister Sententiarum in 4. distinct. 27. cap. 2. & sequentibus.

2 Hic autem consensus nuptias faciens alibi maritalis honor vocatur, & affectio, alibi reuerentia maritalis, alibi affectus maritalis, item plenus honor, vt videre est in his locis, *l. 31. donationes in principio, D. de donat. l. 1. §. 7. cum autem C. de rei vxoriæ actione, & l. 14. alia causa, §. 1. in fin. D. soluto matrimonio, l. 11. iubemus in fine, C. de repud. l. cum tabulis 16. §. 1. D. de his quæ vt indignis*, & vide Iustin. nouellam 22. & 74.

3 Sed vt Doctores probent sententiam hanc certissimam non vna vtuntur ratione. Ricardus in 4. distinct. 27. art. 1. quæst. 2. dicit speciale esse in matrimonio, vt requiratur verus consensus ex institutione Dei, quasi sine ea institutione valeret fictus. At non placet. Contractus enim eius essentia est de iure naturæ, quare si consensus ad eius essentiam pertinet, ex iure naturali requiritur, & non ex diuina institutione; requiri autem ex ipsa natura huius contractus verum consensum ostendam statim. Thomas Sanchez loco infra citando hac vtitur ratione. Quia alij contractus non fiunt nisi mutuo consensu, eoque vero, ergo neque matrimonium. Sed displicet ista ratio, ostendam enim infra capit. 4. ad alios contractus sufficere tantum fictum consensum cum verbis exterius expressum. Thomas de Argentina in 4. distinct. 27. quæst. 1. art. 2. post primam conclusionem probat ex intentione necessaria ad sacramentum, ad quod vera intentio, & consensus esse debet. Sed neque hæc ratio placet, quia iam lib. 1. cap. 9. docuimus etiam in homine fideli separabilem esse rationem contractus à ratione sacramenti. Quare licet ea vera intentio requiratur ad rationem sacramenti matrimonij, non inde efficitur necessariam esse ad rationem contractus, cum possit valere matrimonium, vt contractus sine eo quod sit sacramentum.

4 Ea igitur communiter assignatur ratio, quam etiam tradidit nobis Magister in quarto distinctio. 27. & Diuus Thomas eo loco, & ex illis Thomas Sanchez, lib. 2. de matrimonio disp. 26. num. 1. Quia nihil tam naturale, quam vt ea, quæ nostra sunt, non sine nostra voluntate transferantur in alium. Cum ergò in matrimonio tradant sibi mutuò corporum potestatem, planum est, eam traditionem sine consensu non fieri. Sed necessarium est aliquid addere huic communi rationi, vt conuincat; nam eo præcise, quod nostrum corpus sit, & tradamus alteri ius siue dominium in illud, non efficitur necessarium esse verum consensum, potest enim ficto etiam consensu transferri dominium vt dicam cap. 4. in alijs contractibus iure supplente verum consensum in translationem dominij. Quod si ita esset in matrimonio, non repugnaret, vel à Deo vel etiam à Republica sine consensu contrahentium fieri, quod falsum esse ostendam cap. sequenti.

5 Quare dico rationem optimam colligendam ex speciali huius contractus natura, quod est vinculum quoddam mutui atque perpetui amoris, animorum corporumque coniunctio. Id quod explicant illa verba Genes. 2. prolata ab Adamo inspirante Deo: *Propter hanc relinquet homo, &c.* Nicolaus I. *cap. præsens 20. quæst. 3. Quod quis non eligit, neque optat, profectò non diligit, quod autem non diligit, facile contemnit.* Repugnat autem mutuum amorem esse sine vero affectu, atque consensu, solùm consensu ficto aut præsumpto, vt planum est, & rectè Nicolaus I. supra.

6 Verùm cum dicimus matrimonij causam efficientem esse consensum, loquimur respectu vinculi remanentis post contractum. Nam si sermo sit de ipso contractu, vt vocant, in fieri, tunc consensus per verba de præsenti expressus est causa formalis extrinseca, & dixi supra lib. 1. cap. 7.

Vinculum, quod ex matrimonio resultat fieri non posse sine consensu contrahentium.

CAPVT III.

SVMMARIVM.

Proponitur quæstio. num. 1.

Posse Deum transferre dominium, & vsum alicuius corporis in aliquem absque illorum consensu, quorumdam opinio est. n. 2.

Posse Deum id efficere non tantum sine matrimonio, sed etiam in matrimonio, aliorum opinio est. num. 3.

Vtraque sententia reijcitur, & prima pars veræ sententiæ probatur. num. 4. Vtraque probatur num. 5. Alia probatio. num. 6.

Discrimen inter traditionem corporis ad vsum copulæ, & traditionem aliarum rerum. numero 7.

Nulla humana potestate fieri posse matrimoniũ sine consensu partium. num. 8.

Eadem opinio vera in matrimonio spirituali. num. 9.

Obiectiones proponuntur, & diluuntur. num. 10. 11. 12. 13. & 14.

1 SED quo magis constet, quàm necessariò requiratur consensus contrahentium ad matrimonium, explicemus oportet, an Dei potentia fieri possit coniunctio maris, & fœminæ sine cõsensu vtriusque, Deo tamen supplente cõsensum.

2 In hoc video diuersas esse Doctorum sententias. Quidam dicunt Deum posse vsum corporis alicuius fœminæ viro concedere ad tempus aliquod, vel perpetuò, absque eorum consensu, sicut vasa auri abstulit ab Ægyptijs, & dedit Hebræis, sine eorum, à quibus abstulit, consensu. Hanc sententiam videtur tenere Diuus Thomas prima secundæ, quæst. 100. arti. 5. ad secundum, & artic. 8. in solutione ad tertium, & secunda secundæ quæst. 154. artic. 2. ad secundum. Gabriel Vazquez 2. tomo in 1. 2. disputat. 189. cap. 3. num. 21. Salas de legibus disputat. 5. section. 8. num. 42. Thomas Sanchez lib. 2. de matrimonio, disput. 26. num. 2. nouissime Ægydius disputat. 14. dubio 5. conclus. 2. & ego olim ex aliorum sententia retuli 1. part. variar. disput. relect. 2. in principio. Fundamenta horum Doctorum adducam postea.

3 Alij vero existimant, non tantum sine matrimonio posse Deum tribuere alicui vsum corporis fœminæ, sed etiam in matrimonio, sine consensu tamen, sed Deo supplente consensum. Sic Soto in quarto distinction. 27. quæstion. 1. artic. 2. conclus. 1. & alij, quos refert Thomas Sanchez disp. citata num. 3. Argumenta pro hac sententia proponam postea.

4 Cæterũ ego quidem de vtraq; cõmuni sententia cogor dubitare. Et in primis Thomas Sanchez non satis percepisse videtur quæstionis sensum. Duplex hic quæstio vertitur, vna an contractus ipse fieri possit sine consensu contrahentium, & rectè dicit non posse fieri: alia verò est de iure remanẽte post consensum, ex quo vnusquisque cõiugum habet potestatem in corpus alterius, & cum num. 2. dicat id esse sine controuersia, postea n. 5. dicit nõ posse vinculum esse sine matrimonio, cum tamẽ idem sit vinculum in facto esse, & ius mutuum ad vtendũ corpore alterius, quod haberent hi, quibus Deus mutuam in alterutrum potestatẽ concederet. Itaque mihi persuadeo, neque matrimonium fieri posse sine consensu contrahentis, neque posse Deũ tradere corpus fœminæ viro extra matrimonij vinculum. Primum quidem docet etiam Thom. Sanchez disp. citata n. 4. & alij, quos ibi refert, & Petrus Ledesma de matrimonio, q. 45. art. dubio. Et ea prima pars probatur ista consideratione. Quia matrimonium ex essentia sua est vinculum mutui amoris, definitur enim *animorum corporumq; coniunctio*: at vinculum mutui amoris sine consensu esse non potest. Ergo neque matrimonium. Quare qui tollit mutuam animorum coniunctionem, tollit matrimonij rationem, neq; magis matrimonium sine mutuo consensu esse potest, quam matrimoniũ sine matrimonio. Quod si quis respondeat Deum, qui coniũgeret, allicere eos, quos coniungit, per internam inspirationem, sicut respondet Soto loco citato in solut. 1. argumenti post 2. conclusionem, est incidere in nostram sententiam, & a priori discedere. Si enim ea mutua, & interna inspiratione allicerentur ad consensum, nihil deesset ad veram rationẽ matrimonij, cum esset mutua traditio corporum cum vtriusque consensu.

5 Vtraque autem pars probatur simul hac ratione. Quia vt non esset peccatum fornicationis accessus illorum, necessarium esset, vt & vir non accederet ad alienã sed suã, & mulier similiter. Ergo debebat tradi à Deo corpus viri fœminæ, & ê contra corpus fœminæ viro, scientibus etiam illis vnũ transferri in potestatem alterius; aliàs nũquã licitè copulari possent, cũ præcepta naturalia indispensabilia sint, vt latè dicã infra lib. 8. Ergo acceptabit vterq; traditionẽ: traditio enim sine acceptatione intelligi nullo modo neq; ratione potest, sine meo nãq; cõsensu nihil potest incipere esse meũ. Ergo interueniat ibi necesse est mutua traditio, & acceptatio. Nam eo ipso quod est acceptatio necessario etiam per rationem intelligitur traditio; acceptat enim ad vsum non alienil corporis, atque ideò vult etiam suum corpus non esse alienum. Ergo nihil deest ad veram matrimonij rationem. Quare circũstantia corporis alieni, aliter quam per matrimonium mutuo consensu celebratũ tolli non potest.

6 Sed quo magis constet verum esse quod diximus, concidamus ista minutius, & distinguamus. Vel quando Deus tradit viro corpus fœminæ, & fœminam viro, vterque cõsentit in eam traditionem, & cum eo consensu præmisso copulantur. Si hoc dicatur, planum est ibi interuenire matrimonium. Quid enim amplius ad matrimonium requiratur, non video. Quod enim Deus fuerit, qui prius tradiderit, parum refert, quando quidem consenserunt inuicem illi traditioni, & cum eo consensu, quo voluerunt vnũ transferri in potestatem mutuam alterius, copulati sunt. Vel traditio fuit à Deo facta illis reluctantibus, nolentibusque acceptare traditionem à Deo factam, vnicuiq; de corpore alterius, & noluerunt copulari. Et in hoc casu, si potest aliquid acquiri alicui illo inuito, dicemus non esse revera in illis voluntatem oppositam traditioni, qua transferuntur mutuò, sed oppositam vsui, quod non tollit rationem matrimonij. Idque ex eo indicio colligi potest, quia si iàm illi voluntarie copularentur, non accederent ad alienam, & ex consequenti erat signum animi, & consensus illorum, quo consenserunt in dictam traditionem. Sed addo nihil posse alicui quæri illo inuito, licet auferri possit inuito, traditionibus enim, & vsucapionibus dominia transferuntur.

7 Ex hac consideratione facile colligitur diuersam esse rationem traditionis corporum à Deo factæ, & traditionis aliarũ rerum. Non enim repugnat vas auri mihi à Deo tradi, nam in hac re non est mutua traditio, sed tantum acceptatio ex parte mea; ex parte autem vasis nihil requiritur. Idem esset in traditione alicuius in seruum. At cum in traditione corporum ad vsum generationis, non tantum corpus fœminæ non debeat esse alienum viro, sed neque corpus viri alienum fœminæ, necessaria est acceptatio, & consensus ex parte vtriusque, quo velint mutuò vnum transferri in potestatem alterius, quod solum ad matrimonium sufficit, & requiritur. Quod autem Deus illis

lis inſinuaret eam traditionem non eſſe niſi ad certum tempus, non euerteret rationem matrimonij, cum Deus illud poſsit diſſoluere, quandocunque voluerit: neque ex eo efficeretur contractum illum aut vinculũ nõ eſſe natura ſua perpetuum, vt iam dixi ſupra lib. 1. cap. 13. Quod enim actus ille non ordinetur ex natura ſua ad prolem, tolli à Deo non poteſt, atque adeò neque quòd ea traditio ad eum actum cum conſenſu ex ſe non exigat firmitatem. Neque verò eſt eadem ratio de inchoatione, & diſſolutione matrimonij: inchoari enim ſine meo cõſenſu non poteſt, vt dictum eſt, ab eo autem nõ pendet, neque in conſeruatione, neque in deſitione, vt conſtat.

8 Ex his ſecũdo colligitur à fortiori nulla humana poteſtate fieri poſſe matrimonium ſine conſenſu partium. Eſt enim mutui amoris vinculum, & aliàs poſſet Reſpublica diſſoluere ſtãdo in mero iure naturali. Verum quidem eſt in aliquibus caſibus Eccleſiam iudicare valida matrimonia, quia in illis præſumit conſenſum eſſe, *ca. is qui fidẽ, cap. veniens 2. deſponſalibus, & cap. fin. de condit. appoſ.* Attamen ſi revera deficeret conſenſus, matrimonium eſt nullum, neque Eccleſia valere vult ſine cõſenſu; ſed quia præſumebat conſenſum, valere volebat; ſicut in c. *fin. de procurator. in 6.* ſtatim, atque mandatum reuocatur procuratori ante contractum matrimonium, etiamſi non perueniat ad notitiã procuratoris, cenſet Eccleſia nullo modo valere matrimonium, quia conſenſus deficit, à quo firmitatem accipit, vt eo loco Doctores Ancharranus, Geminianus, Francus, & Zauarella cle. vnica de renunt. quæſt. 5. Felinus in c. *ex parte Decani de reſcriptis*, & alij docent: ideò hanc diſpoſitionem habere locum, quia in eis Reſpublica ſupplere conſenſum non poteſt, quando ſubſtantialiter conſenſus requiritur. Solùm poteſt Reſpublica iuſta de cauſa compellere aliquem, vt nubat, vt ſuo loco dicemus lib. 4.

9 Denique colligitur id quod dixi de cõſenſu ſubſtantialiter requiſito ad matrimonium corporale, intelligendum etiam de matrimonio ſpirituali Epiſcopi cum Eccleſia; quod quidem ſine vero conſenſu Epiſcopi cum Eccleſia nequaquam contrahetur, ſed de hoc dicam aliquid infra iſto libro cap. 15.

10 Sed aduerſus noſtram ſententiam obijcitur primò. Quia conſenſus eſt cauſa efficiens matrimonij, ſed Deus cuiuſq; cauſæ efficientis locũ ſupplere poteſt, ſicut abſque ſole illuminare. Ergo, & matrimonium inter duos abſque eorum conſenſu perficere. Sed facilis ſolutio eſt, Deum quamcunque cauſam efficientem ſupplere poſſe, niſi in eo inuoluatur ſpecialis ratio repugnãtiæ, vt videmus in actione vitali, aut libera, quæ actio eſt à voluntate, attamen non poteſt ſecundum modum libertatis à Deo fieri. Cum ergo hæc matrimonialis coniunctio, non tantum ſit corporum, ſed etiam animorum, per dominium mutuum ad vtendum inuicem; & huiuſmodi dominium ſine conſenſu eſſe repugnet, repugnat etiam, quòd ea coniunctio, quæ neceſſario debet eſſe voluntaria, ſit ab alio, quàm à contrahentibus.

11 Secundo obijcit Soto. Quia Deus eſt abſolutus dominus non ſolùm noſtrorum bonorum, ſed etiam corporum. Ergò ſicut poteſt bona alia ipſo domino inuito alteri tradere, imò & Principes diuina auctoritate ſibi tradita id facere poſſunt; ita poteſt mulieris corporis facultatem viro facere, & viri poteſtatem mulieri non ſolùm in effectum generandi, ſed etiam ad perpetuam vitæ conſuetudinem, quod ad matrimoniũ eſt ſatis. Reſpondetur tamen eo argumento optimè probari poſſe Deum matrimonium diſſoluere, etiam contra ipſorum cõiugum libertatem, & voluntatem: attamẽ dare corpus vnius alteri in ordine ad vſum generationis ſine eorũ voluntate non poteſt, propter rationem dictam. Quia repugnat omninò traditionem ſine acceptatione eſſe, cum que mutua traditio ſit, erit etiam mutua acceptatio, atque adeò iam adeſt conſenſus vtriuſque. Neque vero exemplum, quod adducitur de alijs bonis, quidquam conuincit, vt iam ſupra oſtẽſum eſt propter diuerſam rationem.

12 Tertio obijciunt, quia non eſt dubium, quin Deus maiorem poteſtatem habeat in hominem, quam homo in ſe ipſum. Sed poteſt homo ſe alteri tradere perpetuò. Ergo Deus, qui dominus eſt naturæ, & omnium noſtrum, poteſt ſine noſtra voluntate id facere. Reſpondetur tamen ex dictis poſſe quidem tradere in ſeruum me inuitum, & ſupplere meam traditionem; ſicut etiam iure ciuili multis de cauſis etiam inuiti homines rediguntur in ſeruitutem: at in vſum corporis non poteſt. Ratio diſparitatis iam ſupra à nobis aſsignata eſt. Quia in ordine ad vſum corporis auferri debet circunſtantia alieni ex parte

vtriusque, atque adeò tradi mutuò, & ex cō sequenti acceptari, cum eo corpore vtatur ad generationis actum tanquam suo, quod sine consensu eorum, qui copulantur, esse non potest. Quod si is consensus adest, iam adest quidquid necessarium est ad veram rationem matrimonij. Et quamvis diuersitas causarum nihil referre soleat ad diuersitatē effectus: attamen vinculum hoc, de quo loquimur, inuolutt necessariò, quod sit voluntarium, est enim mutui amoris coniunctio, vt dicebamus, atque adeò voluntarium esse debet.

13 Quarto obijcit Guillermus Rubion, in 4. distinct. 27. quæst. 2. art. 1. Quia inter quoscunq; potest esse mutuum dominium corporū ad actum copulæ coniugalis exercenduni, potest esse verum matrimonium. Sed potest esse eiusmodi dominium reuocabile, & solubile ex consensu partium, neq; propter hoc vnus minus esset dominus corporis alterius, quàm modo est, vt constat. Ergò cum contractu ad tempus reuocabili posset stare matrimonium. Confirmat ex libello repudij, vbi dissoluebatur contractus initus. Sed respondetur facile, in primis Deum illud dominium in casu, de quo loquimur, non posse tradere sine partium cōsensu. Deinde illud fore matrimonium, etiā si relinqueret in coniugum consensu dissolutionem. Quia illud vinculum ex se perpetuum est, & ex sua ratione; vnde esset solum extrinsecè solubile, sicut in eorum sententia, quæ docet potestatem dissoluendi coniugij rati esse nunc in Romano Pontifice, non efficitur ex ea matrimonium non esse perpetuum.

14 Vltimò obijcitur. Quia saltem sequitur posse sola Dei voluntate effici vinculū illud solùm in ordine ad caste viuendum, cum quod efficiatur vnus dominus corporis alterius, non requirat nisi acceptationē traditionis à Deo factæ, non verò traditionem ab alio factæ. Respondetur tamen, neque hoc modo posse à Deo effici vinculum illud sine consensu eorum, qui vinciebantur, si vinculum illud futurum erat eiusdem vis, & efficacitatis, atque id quod nunc fit per contractum matrimonij. Quia cum deberet esse radix vtendi corpore alterius in ordine ad generationem licitè, & is vsus esse non posset, nisi isti consentiant accedere ad id quod suum est, sine eorum consensu esse non posset, vt iam explicatum est.

(2.)

In alijs contractibus humanis non requiri consensum verum.

CAPVT IIII.

SVMMARIVM.

Explicatur sensus quæstionis. num. 1.

Nullum contractum valere sine vero interno cōsensu quorundam opinio est. num. 2.

Omnem contractum excepto matrimonio valere, si adsint signa sufficienter significantia consensum, quamuis consensus sit fictus, vera sententia. num. 3.

Ea signa sufficienter inducere obligationem, probatur primo. num. 4. aliter probatur. n. 5.

Quorundam solutio refellitur. num. 6.

Obijciuntur nonnulla ex iure ciuili, & explicātur. num. 7.

Voluntatem proferendi ea signa in eo, qui nouit naturam contractus, esse voluntatem se obligandi. num. 8. Idem magis explicatur. n. 9.

Quid dicendum in eo, qui non nouit naturam cōtractus, & habuit animum proferendi signa illius, non tamen se obligandi. n. 10.

Illum in foro externo obligari. num. 11. Quid in foro conscientiæ, quidam negant, verius teneri. ibidem.

Satis fit rationibus primæ sententiæ. num. 12. 13. & 14.

An contractus ex metu fictè celebratus valeat. nu. 15. Quidam non valere, alij valere dicūt: hoc verius. ibidem.

1 DISPVTARI hæc quæstio potest, & de promissionibus, & de alijs cōtractibus. Quoad promissiones attinet, differam latè infrà lib. 12. de sponsalibus, nunc verò quo ad alios attinet contractus, quamvis eadem vtriusque fundamenta sint. Proponimus ergò examinandum an in contractibus respectiuis: verbi gratia, emptione, permutatione, & alijs eiusmodi, requiratur ad eorum valorem, verus consensus, an sufficiat fictus, hoc est, significatus tantùm per externa signa. Nam requiri verba in cōtractibus, aut signa æquipollentia dicam, cap. sequenti.

2 Nonnulli sentiunt sine interno cōsensu nullam vim habere, & de promissione id expresse docuerunt, non pauci, quos referam lib. 12. de omni autem contractu obiter docuit Molina tomo 2. de iustitia disp. 352. §. *Ego probabilius*, circa fin. vbi docet se

cluso

cluso damno secuto, aut iniuria, aut scandalo non esse obligationem adimplēdi, quod sine vero consensu contractum est. Suaderi potest hæc sententia primò à simili de voto. Quia alias sequeretur ex ficto voto oriri obligationē seruandi illud, quia sicut obligatio cōtractus pēdet ex voluntate cōtrahētis, etiā obligatio voti ex volūtate vouentis. Si ergò sola signa contractus possunt obligare contrahentē, prædicta quoq; signa vouendi vouentem obligabunt. Secundò potest à simili probari in contractu matrimonij, qui contractus, vt omnes fatentur, non perficitur sine consensu interno. Ergò neque alij. Tertiò, quia non potest esse obligatio sine intentione se obligandi. Ergo si desit, non celebratur contractus. Antecedens probo ex communi descriptione contractus, qui est, *vltro citroq; obligatio, ex partium voluntate consurgens.*

3 Hæc tamen sententia mihi non probatur, sed longè probabilior videtur opposita, quæ docet, si adsint signa externa significantia consensum seriò, sine alijs, quæ indicent iocosè dici, aut fictam esse voluntatem contrahendi, omnem contractum, matrimonio excepto, siue sit promissionis, siue respectiuus, validum esse. Ita sentiebat olim Gabriel Vazquez, & nouissimè docuit 4. tom. in 3. part. disp. 6. de matrimonio, ca. 3. & cursim indicauit Soto in 4. distinct. 27. quæst. 1. art. 3. prope finem, & indicat Pet. Gregorius lib. 9. Syntag. cap. 5. nu. 6. idemque sentiunt multi viri docti huius ætatis, & hanc sententiam docere tenentur alij nō pauci. Explicare tamen illam oportet, & probare per partes, supponēdo primo hāc quæstionem similem esse illi, quæ in materia de voto disputari solet. An voluntas se obligandi requiratur ad rationem promissionis voti? Quare, sicut in illa quæstione, etiam in hac, distinguendum est. Nam vel sermo est de voluntate non implendi contractum: & hanc certum est non esse necessariam ad contractus valorem. Et similiter distinguenda voluntas proferendi signa cōtractus, & voluntas se obligandi illo contractu. Possumus etiam loqui, in eo qui nouit naturam contractus, & in eo, qui non nouit, sed ignorantia ductus existimat separari posse voluntatem celebrandi contractum, & voluntatem se obligandi.

4 His suppositis dico primo. Signa externa contractus voluntarie, & serio facta sunt signa inducentia obligationem ex institutione contractus. Probatur primo ab inconueniente. Quia alias rueret omnis ciuilis contractus, nec sine detrimento. Nam si venditio, verbi gratia, ficta non induceret obligationem iustitiæ, neque transferret dominium rei venditæ in emptorem, etiam subsecuta traditione: ergò ficte vēdens posset occultè rem suam accipere, & restituere acceptum pretium sine peccato contra iustitiam ipsi emptori. Consequens videtur absurdum, & contra commune bonum, multis enim fraudibus aperiret viam, multaque turbaret. Sequela ex hypothesi manifesta est. Nam si qui vendidit, non transtulit aliquod dominium in emptorem, non peccabit contra iustitiam, quod suum est repetendo, restituto pretio, quod accepit ab emptore. Adde hac via multis scrupulis aditum patefieri circa securitatem contractus.

5 Secundò probo ex communi hominū iudicio. Facta enim venditione verbis externis, & re tradita liberè, nullus dicet emptorem non habere plenum dominium rei emptæ, quia etiamsi vendens dicat se fictè vendidisse, emens tamen ex hoc tantum nō obligabitur in foro conscientiæ ad restitutionem. Neque enim ille fidem habere debet dicenti, se fictè vendidisse, quando nullum signum præcessit, ex quo prudenter iudicari possit illum fictè vendidisse; & quāvis fidem adhibeat, non tenetur ad restitutionem aliquam. Denique id conuincit communis cōtrahēdi modus. Neq; enim nobis, qui corpore cōstamus, aliter potest innotescere internus consensus, quam per externa signa. Ergò, quando hæc ita adsunt, vt prudenter iudicentur contrahentes velle celebrare, contractus censendus est perfectus ratione debiti consensus; qui debitus est non solum ratione veritatis, sed etiam iustitiæ, quæ postulat ad æquitatem contractus, vt in contrahentibus sit animus verè contrahēdi, & se obligandi. Neque vero simile est, aut naturale ius, aut ius gentium vel ciuile, à quibus varij contractus inducti sunt in hominum societatem, consensum internum verum voluisse ad valorem eorum. Et de iure gentium, & ciuili, res est nota, cum non possint actus præcipere internos, & de omni iure ea ostendit ratio: quia cum isti contractus ad politicum Reipublicæ regimen, & bonam administrationem ordinentur, illa satis erunt ad eorum valorem, quæ hominum inter homines animos manifestant. Vide etiam quæ dico infra cap. 6.

6 Cæterum dicere posset aliquis philo-

ſophandum eſſe in hoc caſu, ſicut & de cõtractu matrimonij, quando quis fictè contraxit: in quo caſu obligatur quidem ad verè contrahendum ex fide contractus, non tamen perficitur contractus quando celebratur fictè, ſed quando verus conſenſus adhibetur: atque ita dici debet in alijs contractibus. Id tamen non placet, ſed dicendum eſt, revera tunc perfici contractum, etiamſi deſit animus internus, idque probant rationes hactenus allatæ. Et præterea ſpecialiter refellitur hæc opinandi ratio. Quia ſi quis admittat in his contractibus propter humanum modum contrahendi oriri obligationem iuſtitiæ comparatione alterius contrahentis, vt is, qui fictè contraxit, obligetur ad verum faciendum, id quod verba ſignificant: ergò, ſi verba ſint promiſſionis, erit obligatio adimplendi promiſſum; & ſi verba ſint contractus de præſenti, oritur ius, quod efficere ſolent illa verba, quia non poteſt eſſe alius modus celebrandi contractus inter homines. Nam celebrata venditione, verbi gratia, per verba de præſenti, & facta traditione, non videtur aliud requiri ad iuſtam dominij acquiſitionem; nihil enim aliud poteſt eſſe hominibus notum, vt tuta conſcientia poſsint vti re empta. Quod ſi ex externo iſto modo contrahendi in venditione, verbi gratia, cum traditione rei acquiritur dominium, ſignum eſt ipſam eſſentiam contractus conſenſu debito fuiſſe celebratam. Dominium enim in hoc caſu ſupponit eſſentiam contractus; & ita ex veritate aut fictione conſenſus, quæ non poteſt eſſe hominibus prudenter nota aliter, quàm per externa ſigna, non variatur effectus contractus, ſi in vtroque caſu externa omnia paria ſint. Rurſus vel ex contractu ficto dicitur eſſe obligatio repetendi externum contractum: & hoc in ciuilibus contractibus facile refutatur. Quia omninò eſt inutilis repetitio comparatione alterius contrahentis, quando non poteſt prudẽter credere effictum animum præcedentis contractus. In hoc enim caſu, ſicut ex hoc quòd alius affirmet ſe fictè contraxiſſe, non poteſt alius obligari ad reſciſsionem contractus: ita affirmationem alterius, qua affirmet ſe velle contractum vero animo repetere, vel ratum habere, is qui poſsidet, verè iudicat inutilem, neque credere tenetur. Qui enim in contractu ſe mentitum dicit, & in eo etiam caſu mentiri poteſt. Vel denique dicitur eſſe obligatio habendi verum conſenſum internum, quo præcedens ficta venditio ratihabeatur, & perficiatur contractus. Et contra hoc faciunt omnia, quæ hactenus dixi. Quia humanus modus contrahendi non poteſt alio modo hominibus eſſe notus, quàm per externa ſigna, quæ prudenter iudicantur vera exprimentia conſenſum internum, & liberè omninò exhibita. Et denique id mihi videtur valde efficax, non eſſe credibile translationem dominij harum rerum voluiſſe homines eſſe dependentem, niſi ab externis ſignis, quæ omninò liberè exhibentur, & non ab illo, quod nullo alio modo, quàm per externa ſigna illis poteſt eſſe notum. Nam iure naturali id cõſtitutum eſſe, vt adſit verus animus, niſi in matrimonio, ſine vllo prorſus fundamento aſſeritur. Atque ex his poſtea multa colligemus in ſequentibus.

7 Sed poſſunt obijci nonnulla ex iure ciuili, quæ videntur indicare eſſe etiam neceſſarium animum ad obligationem, & cõtractum, textus in l. *Obligationem*, 7. *D. de obligation.* & in iure etiam ſæpe ad actum poſſeſsionis requiritur animus, quando quidem non ſolo corpore, ſed & animo acquiri dicitur. Verum intelligenda iura de animo ſignis obligationis demonſtrato, qualis eſt, quem explicabimus modo.

8 Dico ſecundo. In eo qui nouit naturam contractus, & ſigna illa exterius liberè prolata inducere obligationem, voluntas proferendi ea ſigna eſt voluntas ſe obligandi, neque ſeparari poſſunt. Sic docuit agens de voto Sot. 7. de iuſt. q. 1. art. 2. & communiter interpretes Diui Thomæ 2. 2. quæſt. 88. art. 1. Aragon teſtatur eſſe cõmunẽ Theologorũ huius ætatis, ſequitur citatis alijs Suarez lib. 1. de voto c. 3. tom. 2. de religione. Probatur iſta conſideratione. Quia, qui nouit naturam cõtractus, & ex illis ſignis naſci obligationem inter homines, eo ipſo quòd voluit proferre illa ſigna, voluit virtualiter ſe obligare, & manſit obligatus. Et explico ſic. Vel iſte, qui voluit habere ſigna contractus, habuit voluntatem non ſe obligandi, priuſquam proferret, vel poſtea, vel ſimul cum habuit voluntatem proferendi. Si priorem, adhuc rata eſt obligatio contractus: quia etiam ſi talis habuerit voluntatẽ priorem, agnoſcit tamen naturam voti, & ſcit priorem voluntatem poſſe retractari: retractat ergo illam per ſubſequentem volũtatem, quia verè vult, & ex animo proferre verba, quæ ſunt ſigna obligationis. Verè ergò manet obligatus per ea ſigna.

9 Si habet ſimul vtranque voluntatem,

hoc

hoc est impossibile esse vtranque efficacē, sed erit efficax voluntas contrahendi, inefficax autem voluntas non se obligādi: obiecta enim harum voluntatum inuoluunt repugnantiam, vt optimè demonstrat Suarez dict. lib. 1. de voto cap. 3. num. 10. & sequētibus. Si posteriorem: iam parum refert, quia contractus ex vi prioris voluntatis celebratus est per signa exteriora, & iam amplius eius retractatio non est in eius potestate, cum fuerit vltro citroque obligatio. Quare nō est eadem ratio ac de lege, quam ponit Princeps, quamque potest, quando voluerit reuocare. Nam lex datur per modum imperij, quod reuocabile est: at cōtractu semel celebrato, iam non est in vnius tātùm potestate dissoluere, sed ab vtriusque pēdet voluntate. Atq; hoc animo intellexerim iura siue ciuilia, siue Castellæ, quæ requirunt ad inducēdam obligationem animum se obligandi. Ius enim ciuile satis existimauit voluntatem contrahendi, & hanc verè iudicauit esse voluntatem se obligandi. Atq; ex his colligemus in materia de baptismo ad recipiēdum baptismum, & characterem sufficere voluntatem suscipiendi baptismum, & accēdendi ad eam ablutionem suscipiendam, quamvis tunc adesset voluntas non suscipiendi aliquem effectum baptismi. Quia stante illa priori voluntate, hæc secunda nō obest valori, & efficacitati baptismi, sed de his suo loco.

10 Sed quæres, an illius, qui pro ruditate sua non nouit naturam contractus, neque illis signis obligationem gigni, & ita voluit proferre serio ea signa, ac sine animo se obligandi, verè valeat contractus? Et quidem in primis, vt in simili de voto dixit Suarez dict. cap. 3. num. 9. si is non habuit positiuam intentionem non se obligandi, sed simpliciter contrahit, nescius discernere, quam vim habeant illa signa contractus, dicendum est illum obligari etiam in foro conscientiæ, & exteriori. Quia licet ille ignoret naturam contractus, vult illam vt ipsa est, quia vt Philosophi dicunt, voluntas fertur in rem prout est in se, & hoc satis est, vt quis velit, quod ignorat, & hoc sensu dicitur à Theologis. Quod voluntas intrat, vbi intellectus foris stat. Sufficiunt autem ad rerum valorem generales intentiones faciendi, quod alij solent, vt contingit in matrimonio, & alijs.

11 Quod si revera habeat positiuam voluntatem non se obligandi ex eo errore, in foro exteriori certum est iudicandum contractum validum: neque enim iudicat de occultis, nec credet illi dicenti, se nō habuisse voluntatem, vt optimè docet Suarez nu. 14. in simili de voto. Quia, vt habetur *in ea. per tuas de probationibus, indignum est, iuxta legitimas sanctiones, vt quod quisque sua voce dilucidè protestatus est, valeat proprio testimonio infirmari.* Sed nunquid idem dicendum erit in foro conscientiæ? Suar. n. 13. in fine videtur sentire nullā obligationē esse. At mihi verosimile videtur etiam esse obligationem ex eo quod cū hi cōtractus iure ciuili instituti sint, non habemus argumentū aliquod, vnde colligamus iure ciuili requiri aliū animū quā exterius celebrandi contractum, vt constat ex toto titulo *de iuris, & facti ignorantia*, vbi vniuersaliter statuitur iuris ignorantiam non prodesse, & nocere l. Regula 9. ideſt, vt interpretatur Cuiat. in *l. 7. de iuris & facti ignorantia*, & lib. 5. obseruat. cap. 39. neque lucro afficit, neque eximit damno, quod ibi multis ostendit. Solum militibus aliquando prodest, & fœminis etiam, & rusticis in certis casibus non nocet, ideſt, eximit damno. Assignantur enim in iure casus in quibus fœminis, & rusticis non noceat ignorantia iuris, id est, eximat à pœna in illis quidem, vbi ius requirit dolum. At ignorantia obligationis contractus est ignorantia iuris, non facti. Nocet ergò, id est, non liberat damno venditionis, verbi gratia, contrahentem, & vendentem. Cumque leges ciuiles in hac materia iustæ sint, licet fundentur in præsumptione, & alias lex fundata in præsumptione, vt plurimum non cesset ex eo, quod in aliquo casu cesset præsumptio, plane dicendum est etiam in conscientia seruari deberi, & ex consequenti ita valere etiam cum ea ignorantia celebratum contractum, vt nullatenus possit in foro interno compensationem facere restituēdo pretium ementi. Hæc mihi verosimiliter dicta videntur.

12 Hinc non erit difficile ad rationes primæ sententiæ respondere. Ad primā dico dissimilem esse rationem de votō, atque cōtractu. Votum enim, cum Deo fit, cui nota sunt omnia non indiget externis signis, sed vero consensu. Quare, si fictē fiat, id est, sine signis internis significantibus promissionē, cum Deus decipi non possit, nullam vim habet. Id quod tàm in voto solemni, quàm simplici verum est, licet in solemni, quod ad Ecclesiam attinet, etiam si vouens coram Deo liber sit, obligabitur adimplere: vt rectè docet Suarez lib. 1. citat. cap. 3. prope fin.

fin. num. penult. Interuenit enim ibi, sicut & in votis simplicibus religiosi status, alius contractus traditionis, ratione cuius obligabitur ad impletionem votorum, & ille tenebatur verè vouere, vt dicam infra lib. 7.

13 Ad secundã respondetur non esse similem rationem in matrimonio, & alijs cõtractibus propter excellentiam eius. Et quidem in contractu matrimonij multa esse diuersa à consensu ad alios contractus necessario, constat ex his, quę dixi cap. 2. & constabit magis ex his, quæ dicam infra lib. 3. Cum ergo sit mutui amoris vinculum, verus requiritur consensus. Adde matrimonium contractum esse iuris naturalis, & reliquos ciuilis. Vnde non mirum, si in illo natura ipsa indiderit obligationem, vt adsit internus consensus: ciuilis autem, cum sit ex hominum institutione, qui nihil possunt circa interiores actus, non requirat internũ consensum.

14 Ad tertiã rationem dico contractum illum perfici consensu debito, ex eo quod quis vult contractum illum libere celebrare, & proferre signa externa consensus: & ita semper vera est definitio contractus, *vltro citroq; obligatio ex partium voluntate consurgens.*

15 Sed quæret aliquis, an contractus fictè celebratus ex metu iniustè illato sit validus. Ratio dubij ex vna parte est, quia in ea prolatione verborum est simpliciter voluntarium, & alias sunt verba contractus. Ergo comparatione ad alterum est debitus consensus. Probabilius tamen multis videtur non esse validum, quia cum iniustè extorqueantur verba, non videtur ex iustitia debitus consensus comparatione extorquẽtis. Vnde qui vim infert, non potest esse rationabiliter inuitus, si ab eo, cui vim infert, decipiatur. Quare sic celebrata venditione, non tenetur is, qui coactus vendidit, rem tradere, potestque secluso scandalo compẽsationem sibi facere, & rem auferre ab emẽte restituto pretio. Neque enim per eam traditionem coactam, & sine consensu debito potest transferri dominium aliquod. Sed primum esse probabilius constabit ex his, quæ dicam infra lib. 4. vbi ostendam contractus istos, in quibus datur res pro re, ex quocunque iniusto metu celebratos esse validos naturali iure, & transferri in illis dominium propter rationem quam ibi assignabo.

(.?.)

Quod facere debeat ille, qui finxit consensum in contractu matrimonij.

CAPVT V.

SVMMARIVM.

Qui fingit cõsensum in matrimonio grauiter peccare contra veritatem, & contra iustitiam. num. 1.

Non valere matrimonium cum eo ficto consensu. num. 2.

Non teneri fictè contrahentem denuo contrahere quorundam sententia est. n. 3.

Non multum ab his discedit Thomas Sanchez. num. 4.

Fictè contrahentẽ teneri verè contrahere matrimonium cum eadem verior sententia. n. 5.

Probatur teneri etiam ex iustitia. n. 6. & 7.

Infertur teneri ratione damni, etiamsi illam non cognouit. num. 8.

Idem dicendum etiamsi sint disparis conditionis. num. 9.

Non posse absolui donec vere contrahat. nu. 10.

Reijciuntur fundamenta aliorum. n. 11.

1 DIXIMVS supra cap. 2. ad matrimonium verum cõsensum requiri, & nullo modo fictum sufficere, sed cum sint euentus, casusque varij ex hominum malitia, si quis fictè contraxerit, explicãdum est, quæ sit huius obligatio. Et primo supponendum est illum grauiter peccare, est enim mendacium cum iniustitia coniunctum. Sicut enim, qui promittit rem in futurum, tenetur verba facere vera, ita etiam, qui de præsenti aliquid affirmat, naturali iure tenetur veritatem in dictis seruare. Cum ergò ille in ea assertione non seruet verum, & aliàs sit materia iustitiæ, non est cur dicamus, illum vel nullam culpam committere, vel leuem. Quæ doctrina absolutè intelligenda est, & sine vlla restrictione ad peculiares aliquos casus, & circunstantias, ratione quarum poterit esse culpa venialis, de quibus infra suo loco.

2 Supponamus deinde secundo matrimonium in eo casu contractum non valere quoad forum animæ, neque de hoc potest vlla esse dissensio cum fundamento aliquo. Et licet aliquos ex iuris interpretibus dubios esse coegerit decisio Innocentij III. in *cap. is qui fidem desponsalib.* vbi constituit, si post sponsalia sequatur copula, valere ma-

tri-

trimonium, neque dissoluendum per aliud subsequens. Hoc tamen, vt Abbas ibi num. 4. intelligitur, quoad forum exterius. Cum enim Ecclesia constituerit sponsalia secuta copula in matrimonium transire, eo quod præsumat accessisse vero consensu, & animo maritali (neque enim præsumit peccasse) & ea præsumptio sit iuris, & de iure, contra quam non admittitur directa probatio, vt ibi tradit Innocentius, & Doctores frequenter docent, iudicat Ecclesia primũ matrimonium interceßisse, & ideò secundum non subsistere. Quare, vt bene aduertit Panormitanus ibidẽ, Pontifex nõ annullat secũdum matrimonium dispositiuè, sed loquitur illatiuè, scilicet si primum est præsumptum de iure, sequitur secundum esse nullum, ita quod illatio nullitatis fundata est supra præsumptionem; sed si præsumptio est falsa, quidquid sequitur corruit, & secundum matrimonium erit legitimũ. Quare, qui sic contraheret, tenetur prius excõmunicationem pati, quam ad primum redire; cum revera ille quoad Deum non sit excommunicatus, vt suo loco dicam, nulla enim subsistit causa. Aliud his simile habetur in decisione *cap. fin. de condit. appoſ.* vt explicabo infrà lib. 3.

3 Sed quamvis hæc quæ diximus certa sint, dubium tamen est inter Doctores, cum tamen omni deberet dubio vacare. An scilicet, qui fictè contraxit, seclusis alijs peculiaribus casibus, scilicet metus, doli, vel quãdo fœmina deceptionem intellexit, aut fuerunt signa deceptionis, vel quando secundum iam coniugium contractum est (nam de ea circunstantia, quando, qui fictè contraxit, est nobilior, dicam infra) an inquam is, qui fictè contraxit, teneatur contrahere cum vero consensu. Neque inquiro modo, qua forma repeti debeat ille consensus, an seruata Tridentini forma, an verò in occulto, de quo dicam lib. 5. cap. 6. Quidam dicunt non teneri repetere consensum, & de nouo contrahere. Pro hac sententia refert Thomas Sanchez lib. 1. disp. 11. num. 3. Doctores, qui dicunt teneri, si virginitatem eius violauerit, vel damnum intulerit. At isti Doctores non negant ex alio capite teneri. Expresse tamen eam sentẽtiam tenuit Martinus Ledesma 24. quæst. 47. ar. 4. & probabilem fatetur Victoria in sum. de matrimonio num. 252. & alij Recentiores, quorum meminit Petrus Ledesma q. 45. art. 4. dubio 1. §. *in hac difficultate*, in fine.

4 Non multum ab his differt Thomas Sanchez lib. 1. disp. 11. cit. num. 5. docuit enim, si nullum damnum sequitur fœminæ, cum qua quis fictè contraxit matrimonium non teneri iterum contrahere. Secus tamen si damnum sequitur, vel infamia, vel quia aliud iam inire non potest. Idque verum esse putat, etiamsi non interuenerit copula; nisi forte, inquit, sint disparis conditionis, existimat enim in vniuersum ex nullo contractu cum fictione celebrato obligationem oriri, nisi ratione alicuius damni illati, non vero ex vi contractus.

5 Cæterum mihi videtur fictè contrahẽtem cõtrahere iterum teneri verè & ex animo. Quod quidem ita certum existimo, vt iudicem oppositum omni probabilitate cărere, neque vllum alium, quam Martinum de Ledesma pro se citare possit Thomas Sanchez. Vnde merito improbabilem censet Petrus Ledesma loco citato, indubitatã Petrus Soto lect. 3. de matrimonio, §. *Primũ igitur*, tenet eam Soto in 4. distinct. 27. quæst. 1. art. 3. §. *Alia præcipua ambiguitas*, qui omnium esse fatetur, olim tenuit Ioannes Maior in 4. dist. 27. quæst. 1. Petrus Gregorius, lib. 9. Synt. cap. 5. num. 6. Et in primis vel ea ratione mihi persuadeo, quæ apud me in rebus moralibus magnam vim habet. Si opposita opinio semel admittatur, latissimam aperit viam hominibus sceleratis ad decipiendas sæpe fœminas, si semel sibi persuaserint non teneri ad contrahendum, vt bene considerauit Petrus Ledesma loco cita. Deinde ea sententia manifestè conuincitur ex his quæ diximus cap. præcedenti de natiua obligatione contractus, etiam cum ficto consensu celebrati. Nam sicut in promissione de futuro ex naturali iure oritur obligatio vera efficiendi verba, stando promissis, ita etiam in assertione de præsenti est naturalis obligatio efficiendi vera verba præsentia, & non potest quis pro sua voluntate se ab ea obligatione liberare: quia non potest effici, vt non sit indecens, & turpe coram Deo aliquid de præsenti verbis affirmare, & aliud corde tenere. Cum ergò asserat de præsenti fictus contrahens: *Ego te accipio in meam*, naturali iure tenetur ad ea verba vera efficienda, nec nisi vera efficiat, ea turpitudine liberatur. Et quidem verba non ad simulandum, sed ad exprimendam mentem dicta censentur. Et nemo existimandus est aliquid dixisse quod non prius, mente agitauerit, vt ait Celsus ex Tuberonis sententia, *l. Celsus, l. Labeo 7. de supel. leg.*

6 Sed quo magis constet illum teneri nõ solum

ſolum ſub culpa veniali, ſed etiam ſub mortali, oſtendamus non ſolùm teneri ex veritate, quod hactenus demonſtratum eſt, ſed etiam ex iuſtitia. Primò, quia ſi expromiſſione acceptata in materia vtili oritur ius iuſtitiæ in promittentem, multo magis ex traditione de præſenti, quam etiam alter contrahens acceptat, & pro ea traditione verè etiam tradit ſe ipſum. Ergò habet alter cõiux aduerſus fictè contrahentem ius iuſtitiæ ex vi ipſius contractus, ſcilicet, vt corpus fictè contrahentis ſibi reddatur. Idque planum eſſe videtur. Quia fœmina, quæ peteret in eo caſu, verè contrahi, iuſtè petit, & ex conſequenti alter iniuſtè agit non contrahendo, neque enim bellum iuſtum eſſe poteſt ex vtraque parte. Aut explicent nobis Aduerſarij, quodnam aliud ius habere poſsit fœmina aduerſus fictè contrahẽtem, quæſitum ea traditione ſerio acceptata.

7 Denique, quia ſi res iſta conſideretur attentius, eſt inſeparabile ex natura rei dãnum ab eiuſmodi matrimonio ficto, quod non aduertit prædictus Doctor, idque planum eſt. Nam defectus ille eſt occultus omninò, ita vt nulla legitima ratione conſtare poſsit, aut quæ fidem faciat. Neque enim in eo caſu teſtimonium fictè contrahẽtis quid quam efficeret, neque alijs potuit antea eſſe notum, quod fictè cõtracturus erat. Nam ſi vis, & dolus abeſt ex parte eius cum quo contrahit, aut alicuius tertij, quamvis ille prius alijs dixiſſet ſe fictè contrahere, quis crederet, cum videret poſtea nulla vi, nulloque dolo adhibito, ſerio contrahere. Iudicaſſent certè omnes priorem voluntatem reuocaſſe, & rectè iudicarent. Quo ergò pacto illa fœmina liberari damno poteſt, ſi quidem nunquam poterit aliud matrimonium inire, neque patietur Eccleſia, etiamſi fictè contrahens abſcedat, aut etiamſi de facto contrahat verè cum alia: ſemper enim iudicio Eccleſiæ, cui nullo modo legitimo poteſt conſtare nullitas primi matrimonij, iudicauit primum valere, ſecundum non ſubſiſtere. Quare niſi fœmina lubens remittat obligationem ortam ex eo ficto contractu, nunquam poteſt damnum illatum ceſſare, etiam ſi fictè contrahens pecunijs damnum reſarcire velit. Imò neque ego video, quid ipſa fœmina decepta facere poſsit, vt damnum excuſet, niſi vel religionem profiteatur, vt diſſolui ratum non conſummatum iudicet Eccleſia, vel copiam illi faciat abſcedendi in regionem aliquam longinquam, vbi ille ignotus poſsit omninò matrimoniũ contrahere, & ipſa eligat innupta manere. Et adhuc dubito hoc poſſe fieri à fœmina ipſa ſine peccato, cum nunquã moraliter certa eſſe poſsit fictè contrahentem vera dicere, cum ille ſe fictè contraxiſſe manifeſtat. Quare ipſa eniti debet, ne tale matrimoniũ diſſoluatur, niſi ſi illa libere, & ſpontaneè velit religionem ingredi, & ibi profiteri.

8 Ex his colligitur primo, fictè contrahentem teneri etiam ratione damni illati in ſenſu à nobis explicato, non verò ratione damni, quod intulit illam cognoſcẽdo: illam enim conſentientem agnouit, & id damnum poſſet eſſe reparabile illam dotando, vt alij nuberet, niſi obſtaret maius aliud damnum, & ex ſe irreparabile, quod explicui numero præcedenti. Vide etiam quę dicimus infra lib. 6. cap. 6.

8 Sequitur ſecundo idem dicendum eſſe, etiamſi ſint longe diſparis conditionis, in quo valde fallitur idẽ Thomas Sanchez: tenetur enim contractum verum efficere, etiamſi ſint diſparis conditionis in nobilitate aut diuitijs, quando revera nullum ſignum fuit, quo iudicare poſſet non ſerio promitti præter diſparitatem. Diſparitas enim illa conditionis non eſt argumẽtum huiuſmodi doli, atque fictionis, vt ſtatim dicam. Teneri autem fictum contrahentem etiam diſparem, conuincunt rationes factæ numeris præcedentibus. Et præterea demonſtratur iſta conſideratione. Vel iſte nobilis fictè contrahens excuſatur à celebrando verè cõtractu propter conditionem diſparem nobilitatis, quæ eſt inter corpus nobile, & ignobile. At hoc affirmari non poteſt, vt conſtat. Nam inæqualitas nobilitatis non eſt aliqua conditio eneruans contractum matrimonij, cum ſæpe vel ex paſsione, vel ex aliqua iuſta cauſa fieri poſsit, vt quis non cõtrahat cum pari. Vel excuſatur, quia diſparitas illa ſignum ſufficiens eſt, vt mulier intelligat dolum ſubeſſe, atque adeò, ſi eius diſparitatis conſcia ſe tradidit, ipſa ſe decipit, & ſibi imputet. Sed & hoc omni veritate deſtituitur. Tum quia iam ſequitur, ſi nobilis contrahat cum fœmina ignara diſparis conditionis valere, tunc enim ceſſat præſumptio doli, aut voluntariæ deceptionis ex parte fœminæ: cuius tamen oppoſitum ſentit Thomas Sanchez, vt colligitur ex his quę docet lib. 3. diſp. 10. num. 21. Tum etiam quia ad ſubſtantiam contractus matrimonij pertinent tantum corpora: alia enim, pulchritudo, diuitiæ, nobilitas ſunt accidentia materiæ matrimonij. Ergò quantumcunq;

cog-

cognoscatur nobilitatis, & diuitiarum excessus, cognoscitur etiam intra limites matrimonij nihil deesse ad æqualitatem in cõtractu seruandam, vel nihil esse, quod impediat eam æqualitatem contractus. Et alias non posset esse contractus iste ex natura rei inter homines disparis conditionis, etiam ex animo. Si enim semper ea disparitas est sufficiens signum ficti consensus, & ita fœmina debet iudicare, ne se ipsam decipiat, consensus fœminæ sub ea persuasione non est sufficiens, cum non videatur acceptasse consensum ad matrimonium. Ergò si etiam posita ea disparitate in illis bonis, adhuc in his quæ ad matrimonij contractum requiruntur, est æqualitas, non potest ea inæqualitas esse sufficiens fundamentum doli, vel fictionis, atque adeò non est imprudens fœmina, quæ in eo casu sui corporis copiam faceret, neque se ipsam decipere diceretur. Cum enim sæpe multi viri nobiles matrimonium contraxerint cum sordidis & ignobilibus fœminis, cæco aliquo affectu duci, cur non secum id fieri posse crederet, quod cum alijs factum, cum alias concurrant etiam verba viri, quibus ex animo & serio se loqui ostendit, & quibus etiam sagacissima fœmina fidem adhiberet. Quare siue prudenter credat, quia videat magnam esse in verbis asseuerationem, siue quamvis si prudenter se gereret, suspicari deberet, illum ficto animo contrahere, illa tamen nihil suspicata est, sed simplici animo consentit, naturali iure tenetur nobilis verum contractum efficere, neque ab hac obligatione eximunt, quæ eximerent ab obligatione implendi sponsalia, vt dicam lib. 12. In eo ergo tantum casu non tenetur nobilis fictè contrahens, quando signa dedit, quibus fœmina sufficienter intelligere potuit dolum illis verbis subesse, vel quando fœmina agnoscens inæqualitatem, revera intellexit matrimonium dolose contrahi. Tunc enim si illa revera dolum suspicata est, siue hanc suam suspicionem non indicauerit, si sui copiam fecit, non id fecit spe contractus, quem fictum esse verè suspicata est, sed ex suo consensu, & voluntate. Quæ notanda sunt ad ea, quæ dicemus postea in simili de sponsalibus.

10 Sequitur tertio fictè contrahentem non posse absolui, donec verè contrahat. An autem satis sit habere propositum efficax, & verum contrahendi, vt absoluatur, antequam re ipsa contrahat, dicimus in materia de sacramento Pœnitentiæ, neque enim in hoc est specialis aliqua difficultas ac in alijs.

11 Sequitur denique nullum esse fundamentum, quo nititur Thomas Sanchez, scilicet secluso damno non teneri ex vi cõtractus, cum revera sit obligatus, sequitur enim semper ex natura sua damnum irrepa rabile, vt ostendi: & præterea ex vi ipsius contractus, iure iustitiæ, qui fictè contraxit, manet obligatus ad efficiendam veram traditionem corporis. Neque obstat, quod obijcit Thomas Sanchez, quod qui fictè profitetur, non tenetur secluso scandalo verè profiteri, sed potest ad cum locum se recipere, vbi cesset scandalum. Ergò similiter fictè ducens vxorem, vtrobique enim est ficta traditio, illic monasterio, hic viro vel vxori. Quamvis enim nonnulli Doctores concedant illud antecedens, attamen mihi omninò falsum videtur, vt docet Suarez tom. 2. de Religione lib. 1. de voto cap. 3. n. 15. Nam in professione, & emissione votorum, vt dixi 1. part. variarum disput. disp. 3. & dico latè infra lib. 7. cap. 5. interuenit etiam contractus quidam mutuus inter religiosum, & religionem, quem verum tenetur efficere naturali iure, & obligatione fidelitatis, & obligatione iustitiæ, sicut & qui ordinatur sacris sine animo vouendi, tenetur sub mortali votum emittere castitatis, vt docet idem Suarez ibidem, & dicam infra eodem lib. 7.

An tam in contractu matrimonij, quã in quouis alio, sufficiat internus consensus.

CAPVT VI.

SVMMARIVM.

Explicatur sensus quæstionis, num. 1.

Interno consensu tantum posse perfici matrimonium quidam dicunt. num. 2.

Oppositum omninò verum in matrimonio. nu. 3.

Varie probatur ibidem. num. 4.

Diluuntur argumenta in oppositum, & exponitur cap. sufficiat, & cap. tua de sponsa duorum num. 5.

Quid dicendum in alijs contractibus, num. 6. Certum non transferri dominium iure ciuili solo interno consensu. ibid. Eodem iure certum in contractibus respectiuis, & in non respectiuis nullã obligationem nasci. ibid.

In contractibus respectiuis iure naturali obligationem nasci ex consensu mere interno quidam asserunt. num. 7.
Idem alij affirmant de non respectiuis. n. 8.
Verior oppositæ sententia, & probatur. n. 9.
Respondetur ad fundamenta primæ. n. 10.
Ad fundamenta secundæ. num. 11. & 12.
Quomodo intelligatur possessionem solo animo amitti. num. 13.
Explicatur magis sensus veræ sententiæ. n. 14.

1 CVM constet ex præcedentibus ad matrimonium requiri consensum ipsorum contrahentium verum, & non fictum, explicemus oportet, an sufficiat consensus internus, an etiam exterius significari debeat. Quod idem quærimus de alijs contractibus, tam respectiuis, & reciprocis, quales sunt illi, in quibus est mutua traditio, vel repromissio, quàm in non respectiuis, vt in promissione non mutua.

2 Vvicleph, vt refert Vvaldensis de sacrament. ca. 152. dixit in 4. ter damnati trialogi, cap. 22. assistente interno consensu, & Domino approbante, sine aliquo signo sensibili valide fieri matrimonium, eo quod præcipuum videtur esse in matrimonio cõsensus interior, & si iste desit, parum prosint verba. Ex Catholicis autem iure naturali solo interno consensu perfici matrimonium docuisse videtur Innocentius in cap. *Tuæ de sponsal.* loqui enim illum de consensu merè interno constat ex ratione, quam adducit. Quia scilicet sequeretur absurdiras quod si vir & mulier eundo per viam, desiderarent inuicem, & placerent, vt essent coniuges, sequeretur, quod inter eos esset matrimonium, quo nihil est periculosius. Hæc Innocentius. Ratione ergò periculi iudicat statuisse Ecclesiam contra ius naturale (sic enim loquitur) vt essent verba vel signa cum consensu. Eadem sententia videtur esse Cuiacij in textu *Tuæ fraternitati 25. desponsal. & matrim.* propter illum textũ. Nec multum ab Innocentio dissentit Ricardus loco infra cita. qui refert necessitatem externi signi ad diuinam institutionem, qua matrimonium institutum est sacramentum. Videturque huic sententiæ fauere textus in cap. *Cum locum 14. de sponsalibus*, ibi, *solo consensu contrahitur, & cap. Tuæ eodem*, ibi, *per legitimum viri, & mulieris consensum, & in cap. sufficiat 27. quæst. 2.* cuius verba referuntur ab Innocentio III. in cap. *fin. de sponsa duorum*, vbi solum consensum desiderari ad matrimonium docet.

3 Sed quod attinet ad contractum matrimonij certum esse debet, non sufficere cõsensum internum, nisi exterius significetur, quæ certa, & indubitata sententia Doctorum est, tàm Theologorum, quàm iuris interpretum. Varias huius rationes adducunt Argentina in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 2. Paludanus quæst. 2. art. 2. Maior quæst. 1. Ricardus art. 1. quæst. 3. Soto quæst. 1. art. 3. Quia in obligationibus contrahẽdis ea debet esse expressio, per quam contrahentes sufficiant cognoscere se esse obligatos, aliàs in Republica hac politica nulla ratione potest obligatio consistere: nullus etiam acquirit ius nouum in rem aliquam per cõsensum alterius, cuius est res illa, nisi sibi constet de tali consensu. Cum ergò & in matrimonio sit obligatio mutua, & ius mutuum in corpora contrahentium, necessarium fuit ex ipsa natura contractus humani verbis exprimi, vel externis signis. Est etiam optima ratio, quam adhibent iuris interpretes, Antonius de Butrio in cap. *Tua*, num. 8. Præpositus ibidem num. 1. Abbas ibidem num. 10. scilicet nisi innotescat mutuò, non esse consensum, sed simul sensum: consensus enim duorum esse non potest, nisi sciant se idem sentire. Cumque hoc in Republica humana ex natura rei sine externis signis esse non possit, sic in contractu matrimonij non sufficere consensum sine signis externis etiam ex natura rei, & spectata naturali institutione ipsius cõtractus: idque ostendent etiam ea, quæ statim adducemus, cum idem probemus de reliquis cõtractibus.

4 Sed præterea speciali quadam ratione probatur in matrimonio nouæ legis interfideles. Est enim vnum ex septem Sacramentis, vt iam dixi lib. 1. cap. 5. At sacramentum est signum sensibile gratiæ sanctificantis animam; debet ergo esse in matrimonio aliquid sensibile. Imò ex hac ratione aliquantulum extensa optimè colligitur idem dicendum de matrimonio, vt cõtractus quidam est. Nam Christus eleuauit tantùm id, quod est inter homines legitimus contractus matrimonij, vt esset sacramentum conferens gratiam. Ergò matrimonij cõtractus ex se sensibilis est; in his enim quæ sensibilia sunt, instituit Christus veram sacramenti rationem; maximè cum nihil definierit Christus circa materiam & formã. Vnde, vt sæpe dictum est, Eugenius Quartus cum initio sui decreti de sacramentis dixisset, tribus perfici sacramenta, scilicet

verbis,

verbis, rebus, & intentione ministri, cum agit in specie de matrimonio, limitans id quod dixerat; ait in matrimonio regulariter reperiri verba, sciebat enim nihil circa contractum istum determinasse Christum. Et quia inter homines contractus iste aliquando etiam perficitur signis, ideò dixit regulariter esse verba, alias si sine externo signo perfici contractus matrimonij posset, necessarium fuisset, vt Pontifex diceret solum eum matrimonij contractum, quo externo signo fieret, elevatum ad rationem sacramenti. De matrimonio itaque certa res est.

5 Neque obstant ea quæ initio adducebamus. Nam textus ille in cap. *Tuæ fraternitati* 25. quo inductus est Cuiatius, explicabitur à nobis latè capite sequenti. Dico tamen modo cum Ægydio disput. 24. dubio 8. num. 60. qui inquit in isto capite distingui consensum cum verbis ab eo, qui exprimitur per nutus, vt planè constat ex contextu; in capite *Cum locum* distinguitur consensus sine metu ab eo, qui per metum præstatur, & illum sufficere ad matrimonium dicitur, non hunc. Textum autem in dict. cap. *Sufficiat, & c. tua de sponsa duorum*, non vno modo exponit Paludanus in 4. distinct. 24. quæst. 2. art. 2. Primò inquit, quia iuris interpretes præcipuè considerant matrimonium non vt sacramentum, sed vt contractus est, in quo præcipuè venit considerandus consensus, ideò dicunt solo consensu matrimonium perfici. Sed non rectè loquitur Paludanus. Quia in alijs contractibus, excepto matrimonio, signa externa sufficiunt, sine interno consensu, vt ostendi capit. 4. etiam apud Iuris interpretes, quare in eo deceptus Paludanus. Addit præterea ideò dici solo consensu perfici matrimonium, quia nullum signum determinat, sed hoc aut illud, vt dicam capitibus sequentibus. Sic etiam explicat Gabriel eadem distinct. quæst. 1. art. 1. notabili 3. Secundò etiam explicat ideò dici, quia consensus cum signis sufficiat, alias signa sine consensu nequaquam. Vel denique, si reliqua eius textus attendas, id quidem ideò dicitur, vt excludatur concubitus. Agebatur enim de eo, qui duobus matrimonijs copulatus fuerat, ad primam non accesserat, secundã cognouerat, decernit valere primum, & ad illã debere redire, quia solo consensu matrimonium erat perfectum, solo inquam, id est, sine concubitu, non sine signis. Concubitus enim, vt ait etiam Quintilianus declamat. 247. citra ius non efficit vxores, non efficit nuptias. Verum circa text. in d. c. *Tua*, aduertendum est cum Cuiatio lectionem vulgatam eius textus esse mendosam, sic enim habet. Vt si quis iuraret se aliquam ducturum, & citra carnis copulã desponsasset, quibus indicatur despõsationem illam fuisse de futuro, cum tamen sequentia huius textus significent illam sibi desponsasse de præsenti. Veteres ergò libri correctius habent. Vt si quis iurasset aliquam, & citra carnis copulã desponsasset, sicque etiam legisse Gallicum interpretem testatur Cuiatius loco cit.

6 Quoad alios verò contractus dubitationem habet, an consensus merè internus satis esse queat ad aliquem contractum perficiendum. In qua re certa nonnulla sunt. Primum est iure ciuili actu merè interno dominium non transferri, quia vt est in iure *l. traditionibus, C. de pactis, traditionibus, & vsucapionibus, non nudis pactis rerum dominia transferuntur*. Quod si traditio, aut vsucapio intercedũt, etiam signa externa interueniant necesse est. Hinc fit certum esse in cõtractibus respectiuis, in quibus est ex vtraq; parte obligatio, nequaquã ex consensu interno tantũ quidquã effici, quia cum sit cõtractus vltro citroq; obligatio, ad id requiritur manifestatio cõsensus. Qui enim vendit, verbi gratia, habet vendendi consensum, si tamen alius velit emere, vnde vtriusque consensus vtrique debet esse notus, id quod obiter docuit Molina tomo 2. disput. 266. Almainus in 4. distinct. 45. quæst. 2. §. circa istum modum & alij. Idem etiam ostenditur, quia in his cõtractibus respectiuis necessarium est, vt vterque alterius acceptationem percipiat: quod si consensus esset mere internus, non contingeret. Præterea etiam certum est iure ciuili nullam ex cõsensu merè interno obligationem oriri in contractibus non respectiuis, vt in promissione & alijs. Quia ius ciuile petit acceptationem, vt obliget, saltẽ in promissionibus, quæ non sunt ad pias causas, vt suo loco dicam. Quæstio ergo est, an secluſa iuris positiui dispositione, & stando intra limites iuris naturalis, & eius æquitatem, cõtractus aliqui celebrari possint consensu merè interno, ita vt obligationem pariant in fõro saltem conscientiæ.

7 Prima sentẽtia in hac re esse potest eorũ qui existimãt de cõtractibus respectiuis (id quod de alijs etiam dicerent) si miraculosè innotescerent, solo consensu interno posse celebrari, & obligationem induci. Hanc

sententiam videtur tenere Ioannes Maior in 4.dist.28.quæst.1.ad 3.& Vera-Cruz 1.p. speculi art. 3. quatenus id asserunt de matrimonio: idem enim de reliquis contractibus affirmabunt cum eadem videatur esse ratio. Eorum fundamentum vnicum esse potest. Quia expressio conceptuum per signa externa non videtur per se esse necessariò requisita, vt causa ad naturam contractus, sed tantum vt conditio, sine qua non, qua scilicet, innotescat voluntas absentium, sicut cum aliquid per procuratorem aut tertium innotescit, tantum ille est conditio sine qua non, ac proinde sine eo stare posset contractus.

8 Secunda sententia est aliorũ, qui censent etiam in contractibus non respectiuis, qualis est promissio, iure ipso naturali obligationem oriri ex actu merè interno. Ita sentit Ledesma 2. p. quæst. 18. art. 1. dub. 13. Palacios lib. 5. de Pactis, cap. 4. num. 8. Vbi ait, eum cui facta est promissio mentalis, si confessione promittentis sibi constaret, & rem promissam recipere non posset, occulta compensatione posse sibi satisfacere, & in hanc sententiam magis inclinat Molina 2. tom. de iust. disp. 266. ante argumentorum solutionem, & probabilem iudicant multi Recentiores. In huius sententiæ confirmationem nonnulli multa congerũt argumẽta quæ tamen in idem ferè recidunt, quod pro pono isto pacto. Integra radix obligationis in contractu est tantũ consensus internus. Ergò ille satis est iure naturæ ad inducendã obligationem. Antecedẽs probo. Quia sola voluntas mea in his rebus mihi legem ponit, non verò voluntas accipientis. Ergò illa sola me obligat, atq; adeò ex promissione mere interna obligatus maneo. Quod autẽ acceptantis voluntas nihil efficiat, ex eo constare potest. Quia iure naturæ necessaria nõ est acceptatio, vt quisteneatur stare promissis. Et explicatur magis internũ consensum esse radicem obligationis, tùm quia quantũ vis sit externa manifestatio, si consensus deest, nulla nascitur obligatio, tùm etiam quia si illi interno consensui accederet iuramẽtum, verè esset obligatio: potest ergo actu mere interno quis obligari. Tum denique quia possessio sola voluntate non possidẽdi amittitur, *l. 1. §. si vir, l. 3. §. in amittenda & l. si quis 2. §. vltimo D. de acquirenda possessione*. Signum ergò est solum consensum internum sufficere ad contractum celebrandum.

9 Verior tamen mihi videtur sententia, quæ dicit consensum merè internum satis non esse ad contractus, sed requiri vt verbis exprimatur. Hanc sententiam docet Diuus Thomas 2.2. quæst. 88. art. 1. in corpore, & in 4. dist. 13. q. 1. art. 1. quæstiuncula 1. Abulens. in cap. 3. Num. quæst. 44. Corduba in sum. q. 233. Mercado lib. 6. de contractibus cap. 16. §. *En todos vsos*. Aragon 2.2. q. 88. art. 3. §. *dico secundo*, Henriquez de excommunicat. cap. 17. num. 5. in comment. litera I. probabilem iudicat Molina disput. cit. sequitur Thom. Sanchez agens de sponsalibus lib. 1. disput. 3. & alij Recentiores. Huius sententiæ non aliud firmius, neque certius mihi videtur esse fundamentum, quàm quod isti contractus sunt hominis degentis, & constituentis Rempublicam hanc politicam, & externam, quæ ex natura sua sine externis signis esse non potest. Quare dum contrahere vult, aut se alteri obligare, planè subintelligit id se velle secundum modum sibi connaturalem & humanum, qui est per verba vel externa signa, quę si deficiant, nequaquam ex interno consensu tantùm alteri obligatio consurgit. Cuius optimum signum est, quod, vt dixi cap. 4. solis externis signis, sine animo interius se obligandi, aut sine vllo consensu, in omnibus contractibus, excepto matrimonio, nascitur obligatio. Ex quo fundamento constat, etiamsi alteri per miraculum innotesceret consensus alicuius, nequaquam adquiri actionem in consentientem, nec posse aliquid acquirere ex his, quæ interius tantùm alter promiserat. Id enim postulat huius Reipublicæ politicæ constitutio, vt externo sermone aut signis res quælibet agatur. Vt enim præclarè Basilius homil 3. in illud: *Attende tibi ipsi*, in principio: *Qui nos condidit Deus, in hoc impertiuit sermonis vsum, vt alius alij sui cordis arcana reuelet, communisque naturæ intuitu suo quisque proximo ex abstrusissimo recessu pectoris, quasi ex intimo quopiam conclaui sua consilia, cogitationesque depromat. Si enim ipsi viueremus, anima omnium oculis conspicua, atque nuda, internos mox conueniret per mutuam cogitationum intelligentiam. Nunc, quando anima carnis adoperta velamine, multiuarias comminiscitur secum, ac versat cogitationes, & verbis opus habet, & nominibus, vt quæ in reconditione mentis secessu delitescunt, in apertum euulget*. Hæc Basilius.

10 Ad fundamentum primæ sententiæ dicendum est, externa signa non esse conditionem, sine qua non perficeretur contra-

tractus, sed veram formam contractus, & ideò essentialem partē, atque ex consequenti sine illis nulla ratione perfici, cuius signum est solis verbis contractum perfici, & obligationem nasci.

11 Neque obstat etiam secundæ sententiæ fundamentum, dico enim verum esse radicem obligationis aliquando esse consensum, aliquando verò non, vt constat ex dictis, nunquam tamen consensus mere internus parit obligationem, sed vna cum externis signis, cum quibus constituit, vnam integram formam contractus, vt dixi libro primo capite septimo. An autem acceptatio sit iure naturæ necessaria alibi dicendum, ad institutum tamen parum refert, nam siue sit necessaria siue non, semper verum est necessariam formam humani cōtractus esse signa externa significantia consensum. Id vero, quo probatur solum consensum esse radicem obligationis dilutum est cap. 4.

12 Neque obstat etiam, quod si consensui interno adueniat iuramentum, consurgat obligatio. Dico etenim tunc obligationem consurgere non ex ratione consensus, sed ratione iuramenti Deo facti, quod habet rationem voti. Deo enim, qui inspector est cordis, potest obligari quis actu merè interno, vt fatentur Doctores omnes.

13 Neque obstat etiam quod possessio sōlo animo amitti dicatur. Quamvis enim nonnulli ex iuris peritis dixerint solo animo possessionem amitti, attamen id omninò falsum est, mirorque illis in mentem veniisse possessionem, quæ actus ciuilis est, & huius Reipublicæ politicæ, potuisse amitti solo animo. Nam iure ciuili ea per actus ciuiles amittitur, aut manifestatione animi nollentis possidere. Et quidem si solo animo possessio amitteretur, nulla ratio esset, cur pupillus sine consensu tutoris, solo animo amittere possessionem non posset: cuius oppositum habetur ex *lege possessionem pupillum, D. de acquirenda possessione.* Lex enim humana nihil iurisdictionis habet in actus merè internos. Necessarium ergò est, vt animus iste manifestetur negatione actus exercitij, quo possessio continuari solet, vt abiectione, derelictione, aut verbis id significantibus. Nec verò satis intellexerunt illi, quid esset solo animo amitti possessionem, ea enim phrasi non significarunt iura solum internum consensum nullo manifestatum signo, sed excludere tantum voluerunt actus similes ijs, quibus possessio, atque dominium acquiritur. Nec enim ad amittēdam possessionem necessaria semper est iudicis sententia, aut contractus, vel traditio aliqua, sed sola derelictio cum animo, imò etiam sine interno consensu amitti possessio potest, si adsint signa externa significantia animum. Ideò ergò Vlpianus *l. si quis 2.* discrimen constituit inter dominium, & possessionem. Quod autem ea phrasi non excludatur signum externum quo manifestetur animus, colliges ex vltimis verbis legis *si quis 2.* ibi: *Si ea mente possessionem tradidit, vt ei restitueretur.* Ecce mentem traditione manifestatam. Constat etiam ex responso Iauoleni in *l. Quarumdam eodem titulo*, vbi inquit: *Quarundam rerum possessionem animo adipisci*, cum tamē ipsi iurisperiti negēt adquiri solo animo. Sed vide quid animum vocet, coniunctum scilicet cum adhibitione custodis, itaque tantum excluſit traditionem, quasi dicat, etiam sine traditione & amitti, & acquiri possessionem. Vnde idem Paulus in *l. quemadmodum*, inquit possessionem, neque acquiri, neque amitti sine animo & corpore. Nostri Theologi ita sentiūt, & nouissimè Ioannes Azor tomo 3. instit. moralium lib. 1. cap. 34. quæst. 6. Verum quidquid de eo sit, & quamvis demus solo animo possessionem amitti, non idem in nostro casu dicendum est, quia actus internus non sufficit ad dominiū transferendum ab vno in alterum, cum cōtractus humani forma sint verba, quibus res traditur.

14 Illud autem addendum est in fine huius capitis nos locutos esse tàm de matrimonio, quàm de alijs contractibus ex natura rei, & spectata ipsa institutione contractuum. Si enim Deus miraculosè efficeret, vt homines sibi per conceptus loquerentur, sicut & Angeli loquuntur, non dubito consensum internum per signa intellectus tunc manifestatum, sufficientem esse ad contrahendam obligationem, & hoc fortasse sensu nonnulli Recentiores docent non repugnare naturæ dominij, quod transferatur per consensum internum, directum iam scilicet, & manifestatum per conceptum alteri, cui innotesceret ex conceptu seclusis signis corporeis. Hoc tamen non tollit, quo minus ex ipsa naturali institutione sint necessaria signa externa sensibilia, quando quidem natura nos animo, & sensu constare voluit, neque in hoc Reipublicæ

ſtatu intelligere, niſi per ſenſus. Quare nũquam probandum, quod nonnullos ex iuris canonici interpretibus dixiſſe retulimus, verba tantum requiri ex inſtitutione Eccleſiæ, vel ſigna ſenſibilia.

Matrimonij conſenſum non ſolum verbis, ſed & alijs ſignis exprimi poſſe.

CAPVT VII.

SVMMARIVM.

Quid quæratur. num.1.
Prima ſententia in matrimonio vt ſacramentum eſt, requiri verba, non vero in illo vt contractus eſt. num.2.
Secunda requiri verba dicit in his qui loqui valent. num.3.
Tertia requiri, niſi in caſibus iure expreſsis. n.4.
Vera ſententia poſſe celebrari ſine verbis per alia ſigna loco verborum. num.5.
Potuiſſe Eccleſiam aſsignare pro forma matrimonij verba tantum. num.6.
At non ſic diſpoſuiſſe colligitur ex natura contractus. num.7.
Idem conſtat ex eo quod nulla ſit de eo lex Eccleſiaſtica, & exponuntur varij textus. n.8. & c. Tuæ fraternitati, de ſponſal. n.9.10. & 11.
Explicantur alia in iure. num.12.
Diluitur argumentum deſumptum à matrimonio ſpirituali ad carnale. num.13.
Neque eſſe neceſſarium adhibere verba ex Eccleſiæ præcepto. num.14.
Diluuntur quædam fundamenta tertiæ ſententiæ num.15.

1 NON ſufficere conſenſum internum, ſed neceſſarium eſſe, vt manifeſtetur exterius, conſtat ex dictis cap. præcedenti, ſed an ea externa ſigna neceſſariò debeant eſſe verba dubitationem habere videtur, de quâ variæ extiterũt inter Antiquos Doctores ſententiæ.

2 Prima ſententia docet matrimonium conſiderari poſſe, & vt contractus, & vt ſacramentum eſt. Vt ſit ſacramentum neceſſariò requirunt verba, quia non niſi inter præſentes celebratum matrimonium ſacramentum eſſe poteſt, vnde concedunt inter abſentes eſſe quidem contractum, non vero ſacramentum: at vero vt ſit contractus dicunt non requiri verba determinata, ſed ſufficere etiam alia ſigna. Dubitando potiùs, quàm aliquid definiendo, hæc olim aſſeruit Baſſolis in 4. diſt. 27. quæſt. 1. art. 1. ſequitur Almainus, ſi iungantur ea, quæ docet diſtinct. 27. quæſt. 1. cum his quæ dixerat diſt. 26. quæſt. 1. non longè à fine, docet Caietanus tom. 1. opuſcul. tract. 12. quæſt. 1. Victoria in ſum. num. 244. Viguerius in ſuis inſtitutionibus cap. 16. §. 7. verſ. 4. idemque alij Recentiores, qui ſibi perſuadent matrimonium inter abſentes non eſſe ſacramentum, fateri tenentur.

3 Secunda ſententia in his, qui loqui valent, requirit eſſentialiter verba, quaſi ab Eccleſia aſsignata pro forma contractus ſint in eiuſmodi hominibus. Sic ex Theologis docuit Ricardus in 4. diſtinct. 27. art. 1. quæſt. 7. ex iuris interpretibus multi, quos refert Thomas Sanchez lib. 2. diſp. 31. n. 2. & ex illis Præpoſitus in cap. *Tuæ fraternitati de ſponſalib.* latiſsimè diſputat de hac quæſt. à n. 3. vſque ad 9. & probabilem relinquit, concludens ex iure nihil certi haberi poſſe. Adducam fundamenta poſtea. Hi autem Doctores nõ ſatis explicant, an verba requirat Eccleſia in loqui valentibus, vt formã neceſſariam ad eſſentiã matrimonij, an verò vt neceſſariam tantum ex præcepto Eccleſiæ.

4 Tertia ſententia, quæ eſt veluti præcedentis limitatio, docet eſſe neceſſaria verba niſi in caſibus à iure expreſsis. Sic Innocentius in dict. cap. *Tuæ, & cap. atteſtationes de deſponſat. impub.* quem ſequitur Ioannes Andreas in dict. cap. *Tuæ*, num. 6. cuius etiam opinionis meminit Præpoſitus loco cita. n. 4. Hi ergo neque vniuerſe docent in potentibus loqui eſſe neceſſaria verba, neque vniuerſaliter negant, ſed ita temperant, vt fateantur abſentes per literas, nuntium, procuratorem celebrare poſſe: item puellam tacentem præſente patre, item præcedente tractatu de matrimonio, vel ſponſalibus ſecuta copula, aut facto ſufficienti: at quando iſta deſunt, neceſſaria eſſe verba. Itaque paucis verbis hanc ſententiam explicare poſſemus, vt in loqui valentibus, niſi in caſibus à iure expreſsis, verba neceſſaria ſint pro forma. Quæ ſententia magnam habet probabilitatis ſpeciem, & facile omnes textuum difficultates euitat. Poſſunt autem huius eſſe duo potiſsima fundamenta. Primum id, in quo Innocentius, & Ioannes Andreas innituntur, ſcilicet, diſpoſitio Pontificis in dicto cap. *Tuæ*, vbi Pontifex, licet aſſerat poſſe eſſe matrimonium ſine verbis, vt in mutis:

atta-

attamen de loquentibus inquit, verba esse necessaria quoad Ecclesiam. Quibus id tantum velle videtur ex Ecclesiæ institutione esse necessaria verba in illis. Nomine autem verborum eo loco non possunt intelligi signa æquipollētia; agit enim de verbis, vt distinguuntur à signis: inquit enim, nec verba sine consensu sufficere, vt in pueris, neq; consensum sine verbis inutilem, quia muti sine verbis contrahunt: in alijs autem ex Ecclesiæ constitutione esse necessaria, cum id optimè statuere potuerit ecclesia, vt statim dicam. Alias autem interpretationes, quæ huic textui afferri solent, refellam postea. Secundum fundamentum est, quo magis vrgentur verba Innocentij. Id enim quod dixit Innocent. in d. cap. *Tuæ*, videtur declaratum decreto Euge. IIII. cū dixit in sæpe cit. decreto de sacrament. causam efficientem matrimonij esse cōsensum expressum regulariter per verba. Ergò aliquādo necessaria sunt verba: aliàs hoc sacramentum neq; regulariter constaret verbis, sed sine illis semper posset perfici. Cum ergo Eugen. IIII. nō semper sed regulariter verba postulauerit, & sic limitauerit eam vniuersalē propositionem, quam initio dixit, sacramenta perfici verbis vt forma, necesse est dicere regulariter loquendo, ideſt, in casibus à iure expressis verba necessariò requiri pro forma matrimonij. Explico, & vrgeo magis: si Eugen. non diceret absolutè in sacramēto Pœnitentiæ formam esse verba, sed regulariter nullus assereret in nullo casu esse necessaria verba, scilicet, quādo præsenti ministratur. Item, si in sacramento matrimonij nō adhibuisset illam particulam *regulariter*, nullus diceret non esse necessaria verba. Ergo cum solum indicauerit aliquos casus excipi, planum relinquit, in alijs necessaria esse: ita vt sentētia Eugenij huic æquiualeat: *Verba necessaria sunt in matrimonio, sicut in alijs sacramentis, nonnullis casibus exceptis, qui à iure exprimuntur, vt diximus.*

5 Quarta sententia, eaque communis, & verior docet neque in loqui valentibus, in nullo casu esse verba necessariam formam, sed sufficere etiam, si loco verborum adhibeantur alia signa. Sic Theologi in 4. dist. 27 Gabriel. q. 1. a. 1. notabili 1. & concluſ. 4. Argentina locis supra citatis, Paludan. q. 2. ar. 3. concluſ. 2. Durand. q. 1. n. 5. Guiller. Rubion q. 1. art. 1. Scot. dist. 26. q. 1. post quartam conclusionem, Maior dist. 27. q. 1. Soto quæst. 1. art. 3. §. *Ex huiusmodi autem conclusionibus*, Thomas Sanchez multis citat. disput. 31. num. 5. Gabriel Vazquez 4. tomo in tertiam partem disput. 3. de matrimonio, cap. 7. in principio ad primum argumentū Cani, Ægydius Koninc disp. 24. dub. 8. concluſ. 2. iuris interpretes referunt Thomas Sanchez, & Couarru. 2. p. de matrimonio cap. 4. num. 1. Qui & illis subscribit, & Petrus Gregorius dicto lib. 9. cap. 5. in principio.

6 Verum pro explicatione veræ sententiæ præmitto primo Ecclesiā potuisse quidē in nōnullis casibus assignare pro forma necessaria matrimonij verba, neq; de hoc potest esse dubiū, & supponūt Doctores 2. & 3. sententiæ. Quia cum matrimoniū sit cōtractus quidam naturalis, sicut potest contrahētes inhabiles reddere, & præscribere formam contrahendi, solemnitatemq; poterit etiam formam verborū præscribere, sicut alijs cōtractibus præscripsit olim ius ciuile, stipulationi videlicet; & ea posita forma, & nō aliter esset sacramentum; Christus enim nihil immutauit circa naturam huius contractus. Quod si statuisset verba esse formam in aliquo casu, non posset suppleri per æquipollens, *l. 1. in principio iuncto §. si quis ita D. de verbor. oblig.* vbi, si quis stipulanti respōdeat per nutus, neque ciuiliter, neque naturaliter obligatur, & quamvis nutu possit quis aliàs obligari naturaliter, *l. 65. §. 3. D. ad Trebel.* & nutu pleraque consistant, *l. 52. §. fin. de obligationibus, & actionibus*, attamen in stipulatione nutu non consistit, neque naturalis, neq; ciuilis obligatio. Quia qui annuit, non alium consensum habet nisi stipulationis, is autem nullus est, quia stipulatio pro forma exigit verba, sicut neque nutu hæres instituī potest *l. 29. C. de testamen.* Exemplum etiam in scriptura, quæ cum verbis suppleri possit *l. 4. de fide instrum.* attamen aliquando pro forma ita necessaria est, vt suppleri non possit, *l. 1. C. de iure emphyt. & l. 17. C. de fide instrumen.* Quare tota difficultas huius rei est in ostendendo non assignasse Ecclesiam pro forma tantum verba in aliquo casu, vt docet communis sententia.

7 Id ergò ista consideratione demonstro. Verba determinate in matrimonio non requirūtur, quia contractus est ex natura ipsa contractus. Naturæ namque contractus non repugnat fieri per nutus, & signa, aut epistolam, & de sponsalibus in specie habetur *l. fin. D. de sponsalibus.* Neque requiruntur etiam, quia sacramentum est, & sacramenta perficiuntur verbis,

vt forma, rebus vt materia, & intētione ministri, dixit Eugenius Quartus in citato decreto. Nam idem Eugenius, cum ageret in specie de sacramēto matrimonij, dixit eius causam efficientem esse consensum regulariter per verba de præsenti expressum, quibus indicauit posse etiam sine verbis contrahi: agebat autem de matrimonio, qua sacramentum est, vt constat, & probaui supra lib. 1. cap. 9. Verosimile autem non est, si verba essent necessaria in loquentibus, saltem in aliquo casu, vt matrimonium esset sacramentum, id tacuisse Eugenium, qui exactè in vno quoque sacramento formam, & materiam explicuit: neq; est credibile matrimonium aliter euectum esse ad rationem sacramenti, nisi spectatum secundum id, quod in ratione contractus habet inter homines, ne multi in multis casibus frustrarentur effectu sacramēti. Adde etiam ea, quæ statim adducam ex legibus Ecclesiasticis, cōuincunt neque requiri verba ad matrimonium in ratione sacramenti. Ecclesia enim, quæ non permittit matrimoniū contrahi in ratione contractus tantum, quin etiam cōtrahatur in ratione sacramenti, multa constituit, è quibus valere etiam in loquentibus matrimonium facile colligi potest, atque adeò verba non esse necessaria ad rationem sacramenti.

8 Denique, neque requiruntur ex lege aliqua Ecclesiastica, quin potius plura sunt, quæ indicent non esse necessaria verba, etiā in loquentibus, sed per signa alia exrerna celebrari posse. Nam *cap. veniens 2. & cap. is qui fidem de sponsalib. & cap. fin.* & alibi sæpe, decernitur sponsalia de futuro subsequuta copula transire in matrimonium, vbi id signum exterius copulæ præcedentibus sponsalibus sufficiens iudicatur ad matrimoniū: vniuersalis autem ea Pontificis dispositio est, neque restringenda ad eos, qui loqui nō possunt. Parum autem refert, quod præcesserint sponsalium verba, vt ea ratione dicantur iam fuisse verba in matrimonio, vt respondet Præpositus loco cit. Agitur enim de verbis explicantibus contractum matrimonij; verba autē sponsaliū non sunt verba cōtractus matrimonij. Præterea. Quia *cap. vnico de desponsat. impub. in sexto*, decernit Pontifex matrimonium de præsenti cōtractum ante pubertatem (quæ sponsalia tantum censentur) transire in matrimonium, vel per copulam, vel per alium modum, quo significetur illum in priori voluntate perseuerare. Rursus in eodem *cap. vnico, §. fin.* decernitur patre exprimente consensum puellæ, illaque præsente, & tacente, sponsalia fieri. Igitur sine verbis contrahentis valere potest. Item *cap. veniens, de eo qui duxit*, præcedente tractatu de matrimonio, & secuta copula decernitur valere. Item *cap. fin. de coniugio seruorum*, expendit Pontifex illum, neque verbo, neque facto consensisse, quibus indicat consensum ostendi, & manifestari posse sine verbis. Item *capit. ex parte de restitutione spoliat.* cum Pontifex titulum matrimonij probandum esse decerneret, inquit per solā traductionem, quam non præcessere sponsalia, probaretur satis facto ipso traductionis. Nec verò dici potest hæc argumenta parum roboris habere contra opinionem Innocentij, & Ioannis Andreæ tertio loco relatam, dici enim posset facile verba requiri, nisi in casibus à iure expressis, & hæc omnia, quæ adducta sunt, esse casus, in quibus ius statuit matrimoniū valere sine verbis: & eodem pacto verificari verba Eugenij dicentis regulariter exprimi per verba, cum exprimi debeat, quoties præsentes sunt, & non occurrit aliquis ex illis casibus. Licet enim negare non possum opinionem Innocentij probabilē esse, nec posse efficaciter ex iure refelli, adhuc tamen vrgentur prędicta iura contra Innocentium. Quia in multis eorum non distinguitur an presentes contraxerint, an absentes, aut cum dicunt matrimoniū probari facto vel verbis, an cum dicunt exprimi facto aut verbis consensum, agant tantum de matrimonio in illis casibus, an in omnibus; & cum vniuersè loquantur, & absque turpitudine vlla de quovis indistinctè possint intelligi, non est cur admittamus distinctionē Innocentij. Cui etiam addi potest ea congruens ratio, quam adducit Thom. Sanchez disp. cit. n. 5. non esse credibile Ecclesiam in re tanti momenti, si sentiret esse necessaria verba in aliquo casu, id non explicaturam, maximè cum celebratio matrimonij sit ex rebus, quæ frequentissime occurrūt, ne frustrarentur fideles fructu sacramenti, & ne adulteria, & stupra, vel contubernia pro cō iugijs haberentur. Si enim vel in aliquo casu verba sunt de substantia necessaria formę matrimonij, non potest ignorantia eorum defectum supplere. Quare, qui eam constitutionem ignorans, contraheret, neque sacramentum, neque contractum celebraret, quod non est verosimile passuram Ecclesiam.

9 Sed neque Ecclesia huius contrarium vnquam aliqua lege constituit. Quia id, quo

quo potissimum videntur Doctores oppositæ sententiæ niti, vt verba esse necessaria affirmarent, est decisio Pontificis in dict. c. *Tuæ fraternitatis de sponsal.* ex eo autem capite potius habetur posse matrimoniũ per signa celebrari. Cum enim rogatum esset à Pontifice, an verba necessaria essent, respõdit Pontifex non esse necessaria, sed consensum tantum esse necessarium, hoc est, ex his quæ in matrimonio interueniunt ex parte contrahentium, consensu scilicet & signis, consensum esse determinatè necessarium, & qui nullo modo suppleri potest: at verba nõ esse determinatè necessaria. Quia muti sine verbis contrahunt, pupilli defectu consensus non contrahunt: qui fari non potest, iungi matrimonio potest, qui consentire non potest, nequaquam matrimonium inibit. Quam esse legitimam huius decreti interpretationeẽ dicit Cuiat. ad illum textum.

10 Sed ne sibi ipsi repugnet Pontifex, & ne inutiliter mutos adduxerit in exemplũ illud quod dicit, *sed verba esse necessaria quoad Ecclesiam*, quæ huius quæstionis causa sunt, diuersimodè Doctores interpretantur. Nõnulli, vt idem sit, quod vtilia. His tamen obstat vocis proprietas, licet non negem sæpe dici necessarium, quod vtile tantum est: proprie autẽ accipienda sunt verba, nisi necessitas vrgeat *cap. præterea de verbo. signifi. & l. non aliter D. de leg.* 3. Alij dicunt verborum nomine intelligi æquipollentia, scilicet etiam signa, ita vt dicat Pontifex hoc modo. Ad matrimonium requiri consensum legitimum de præsenti, verba autem, vel æquipollentia esse necessaria, vt constet Ecclesiæ de matrimonio, atque ad probandum adijcit: *Nam & muti sine verbis possunt contrahere.* Vtranque interpretationem proponit Couarruuias 2. p. cap. 4. num. 2. Hanc vero secundam probat Gabriel in 4. dist. 27. q. 1. art. 1. notabili 3. inclinat Canisius de spõsalibus, & matrim. ad istum textum, & probat etiam, vel non improbat Thomas Sanchez disput. cit. num. 6. Sed valde dura interpretatio videtur, neque satis cohærens textui, vt ostendi supra isto ca. num. 4. cum potius Pontifex agat de verbis, vt ab alijs signis distinguuntur. Alij ista decretali non constitui ius aliquod nouum respondent, sed tantum accipiendam esse declarationem antiqui, & quæ relinquat ius antiquum in sua vi. Sed hanc interpretationem refellit latè Præpositus loco citato num. 4. quem vide.

11 Dicamus ergo cum Cardinale in dict. cap. verba dici necessaria quoad Ecclesiam, ad faciliorem probationem matrimonij, nõ aliter: idque probat non ex alia ratione esse necessaria, aut ex contractus natura, cum videamus mutorum coniugia sine verbis valere. Vt autem optimè notat Cardinalis ibi, id quod requiritur non ad actus substantiam, sed ad eius probationem, etiamsi dicatur ipsum esse necessarium, potest expediri per æquipollens. Cum autem matrimoniũ perficiatur consensu exterius expresso, esset inquit Cardinalis, vna simplicitas dicere, quod Ecclesia angustasset probationem solum in verbis, cum facultas probandi sit laxanda. Vnde etiam sine verbis valebit matrimonium, si probationem habeat, *l. 4. de fi de instrum.* ibi: *Et ideò sine scriptura, si conuenit, vt hypothecæ sit, & probari poterit, res obligata erit, de qua conueniunt, fiunt enim de his scripturæ, vt quod actum est per eas facilius probari possit, & sine his autem valet, quod actum est, si habeat probationem, sicut & nuptiæ sunt, licet testatio sine scriptis habita est.* Hæc ibi. Adde etiam textum in *l. 4. de pignoribus.* Verum, vt magis retineamus proprietatem vocis *necessariam*, addamus duplex esse matrimoniũ, aliud præsumptum, quod ex facto ipso præsumitur & probatur, scilicet ex secuta copula, vel cohabitatione, aut traductione *c. ad id, cap. is qui fidem, cap. per tuas, & cap. illud de sponsalibus*, & in hoc non est, quod laboret iudex, vt aliam probationem requirat, cum sufficiat eam prædictis casibus ab ipso iure induci. At in matrimonio vero consensum legitimum verbis probandum esse, quæ prolata sint, & testes audierint. Itaque verba dixit necessaria esse ad probationem veri matrimonij non præsumpti. Ex eo autem quod ad probationem necessaria sint, colligitur suppleri posse, vt in mutis, & absentibus, per æquipollentia, vt dictum est.

12 Atque iuxta hæc accipienda sunt nõnulla in iure, quæ indicare videntur verba requiri, capit. *Licet, de sponsa duorum*, ibi: *Si inter virum, & vxorem legitimus consensus interfuerit, ita quod vnus alterum verbis consuetis recipiat, & c. tua nos de sponsalib.* ibi. *Et verba sonant matrimonium, quoad Ecclesiam est matrimonium, & cap. consultationi eodem*, ibi: *Et verba protulissent.* Et in cap. *si inter virum eodem*, ibi: *Ita quod vnus alterum mutuo consensu, verbis consuetis expresse recipiat, & c. 1. de sponsa duorum*, ibi: *Manu stringit, corde & ore cõsentit.* Nam in aliquibus istorũ verbis

nomine intelliguntur etiam equipollentia, in alijs autem narratur, quod factum sit, nō verò ius constituitur.

13 Neque obstat, quod nōnulli obijciunt à matrimonio spirituali ad carnale argumē tum sumi: at in spirituali requiruntur verba *cap. cum inter, cap. quapropter de electione, & in Clementin. de electione, & cap. sicut cum, eodem lib. 6.* Ergò idem dicendum de carnali. Sed vt iam antea cæpi dicere, non semper valet argumentum ab vno ad aliud; quin potius sunt multa discrimina, quę prosequitur Præpositus loco citato, & latè Antonius de Butrio in dict. cap. *Tuæ fraternitati de sponsalibus*, in fine.

14 Quod si quis quærat, an saltem sit necessarium ex precepto, vt qui loqui valent, adhibeant verba in celebratione matrimonij. Thomas Sanchez dicit esse peccatū veniale omittere verba. Sic disp. cit. n. 10. sic etiam Ledesma quæst. 45. art. 2. dub. 2. per se in quam loquendo, nam per accidens, & ratione scandali, vt si ex eo, quod non adhiberet verba, redderetur dubius contractus matrimonij, esset peccatum mortale. Ego quidem non video præceptum aliquod Ecclesiasticum de verbis adhibendis, & Pontifex in dict. cap. *Tuæ fraternitati*, aut in cap. *Licet de sponsa duorum*, non intēdit excludere alia signa sensibilia expressiua consensus: & ipse Thomas Sanchez admittit nullum in dictis capitibus contineri præceptum, & ideò Alphonsum Regem l. 5. tit. 2. part. 4. dixisse tantum, *Conuiene que se haga por palabras, para que se pueda probar*, quibus explicasse videtur mentem Innocentij in dict. cap. *Tuæ*. Quod si nullum agnoscit præceptum in di. cap. quomodo potuit consequenter affirmare esse peccatum veniale in omissione verborum, cum peccatum tàm mortale, quàm veniale non possit esse, nisi vbi lex & præceptum est, vt enim inquit Apostolus, *Vbi non est lex, non est præuaricatio*, & dixi latè in materia de peccatis. Nec vero ex Trident. Sess. 24. cap. 1. de reformatione matrimonij colligi potest necessitas verborum, vt nonnulli existimarunt, cum dicitur, *Vbi parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum consensu intellecto, &c.* Neque enim necessarium dicit Concilium, vt interrogatio fiat per verba, cum surdi, & muti parochi verba percipere non possint, & quando parochus interroget eos, qui loqui possunt, & audire, non definit Concilium, neque præcipit, vt responsio etiam verbis fiat, sed solùm vt parochus intelligat contrahentium consensum: potest autem ex signis æquiualentibus intelligere.

15 Ad duo fundamenta, quæ pro Innocentij sententia proposuimus, non est difficilis solutio ex dictis. Nam ad primū iam constat, quo sensu intelligendus sit textus in dict. cap. *Tuæ fraternitati*. Ad secundum etiam iam explicatum est, quo sensu dixerit Eugenius IIII. regulariter exprimi per verba consensum matrimonij: ex eo autem nequaquam licet colligere in aliquo saltem casu esse necessaria verba, sed solùm colligitur vnum vel aliud esse necessarium. Et idē dicēdum esset, si in forma sacramenti Pœnitentiæ dixisset regulariter per verba fieri debere. Diceremus enim non semper verba, neque semper nutus aut literas, sed vnū vel aliud esse necessarium. At quia in eo sacramento absolutè, & sine limitatione docet verba esse formā, nulla ratione sine periculo fidei affirmari potest, absolutionem posse dari in scriptis, etiamsi absens absolui posset, quod tamen etiam est falsum, vt dixi in materia de Pœnitentia.

Proponuntur formulæ verborum certæ ad contrahendum, & nonnulla, quæ obseruanda sunt in dubijs.

CAPVT VIII.

SVMMARIVM.

Ea verba requiri ad matrimonium, quæ sufficienter exprimant consensum de præsenti. n. 1.

Quando verba sunt dubia, attendendam mentem loquentis. n. 2. Et si ea constet certo, pro illa iudicandum in vtroque foro. ibidem.

Opponitur ex l. 4. de legatis 1. num. 3. & explicatur. ibidem.

Exponitur dissensio Tuberonis, & Seruij circa verborum intelligentiam, quando in illis erratur. num. 4. & ostenditur probabilitas sententiæ Tuberonis. num. 5. 6. & 7.

Sed præfertur Seruij sententia, & explicatur. n. 8. & nonnulla deducuntur. n. 9. & 10.

Quid dicendum quando verborum sensus ambiguus est. num. 11. & 12.

Attendenda communis significatio inter eos, cum quibus viuitur. num. 13.

Quid si plures sint etiam communes significationis. num. 14.

Quid si adhuc obscura res fuerit? Fauendum matrimonio, si iam contractum est. n. 15.

Quæ

Quæ dicta sunt, vera esse in vtroque foro, numero 16.

Quæ in alijs materijs colligantur ex hac doctrina, num. 17.

1 NOnnulla in hoc cap. supponenda sunt, quæ & dubitatione carent, & sunt communia quædã principia, vt posteà nonnullas verborum formas examinemus, de quibus Doctores dubitant. In primis autem certum est illa verba requiri, quæ sufficienter exprimunt consensum de præsenti, vt *te accipio in meã cap. penultimo de sponsalib. Habeo te in vxorẽ, teneo te, ex nunc prouidebo tibi, vt vxori; ab hoc tempore seruabo tibi fidem vt vxori cap. ex parte 9. de sponsalibus, & cap. siquis diuinis 30. quæst. 5.* Significãt enim consensum de præsenti. Idem est, si viro dicenti, *accipio te in meam*, respondeat, *placet, aut consentio.* Item illis, *volo te in vxorem*, licet de illis sit dubium, *volo te habere in vxorem*, vt dicemus c. sequenti. Atque hæc recepta sunt apud Doctores. Itaque, si ea verba sunt de præsenti in sono & significatione, non addita particula, quæ suspendat executionem in futurum, vt si dicat, *accipio te in crastinum*: siue verbis de futuro, quæ habeant significationem de præsenti, ratione adiuncti, vt *habebo te ex nunc posthac omnibus diebus vitæ meæ; vir meus esto ab hoc tempore*, matrimonium perficitur, & in ratione contractus, & in ratione Sacramenti; exprimunt enim consensum de præsenti; de quibus latè Ledesma quæst. 45. art. 3. dub. 2. Thomas Sanchez lib. 1. de Matrimonio disp. 18. à num. 9. neque in his, quæ certa sunt, est ampliùs immorandum.

2 Sed, vt sciamus quid agendum sit, aut quomodo iudicandũ sit, quando verba sunt dubia, supponendum est in primis attendi debere intentionem contrahentium, quidnam illis verbis significari voluerint. Sic docet Cardinalis in *cap. ex literis 1. de sponsal.* num. 1. & probat textus *in l. 69. non aliter de leg. 3.* Quod tamen ita intelligendum dicit Thomas Sanchez lib. 1. disput. 18. nu. 2. vt non liceat illis pro libito verbis sponsalium vti in matrimonio, aut è contra. Isti enim contractus, cum humani sint, debent verbis constare, quæ sufficiant iuxta naturam contractus ad illum explicandum: intentio enim mente retenta nihil operatur in humanis contractibus *l. cum plures 62. §. locato horreo D. locati.* Pro qua sententia citat nonnullos alios. At Paludanus in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 4. conclusione 5. existimat in foro externo contra contrahentes iudicari, at in foro interno valere consensum illum, si inter illos de sensu eorum verborum, quem sibi mutuò explicare volebant, conuenerit. Sed hanc Thomæ Sanchez & Paludani sententiam sic intelligo, etiam in foro externo iudicandum esse pro contrahentibus, si de eorum intentione & pacto constaret. Neque enim in re certa interpretatione opus est *l. continuus 137. §. cum ita stipulatus in fine D. de verborum obligat.* Quare hanc nostram opinionem tenuit Hostiẽsis, Angelus, Sylueiter, Nauarrus, & Sa verbo *matrimonium* num. 11. relati à Thoma Sãchez. Fauet nostræ sententiæ, quod ex determinatione iuris verba de præsenti inter impuberes non efficiunt, nisi sensum de futuro, ex præuia dispositione legis. Ergò pariter ex præuia voluntate contrahentium, ex natura rei possunt verba de præsenti efficere sponsalia, & è contra. Adde, quod ad matrimonij valorem solùm requiritur consensus signo manifestatus; at ex præcedente pacto, & cõuentione, iã significatur inter illos sufficienter. Item sicut signum sufficit in factis prolibito sumptum, etiam in verbis. Quod siquis dicat iam esse necessaria verba secundùm communem modum, quia Ecclesiæ debet innotescere matrimonium, nullius momenti est. Quia ex natura matrimonij non requiritur, quod consensus alijs innotescat, sed solùm contrahentibus; aliàs clandestina nunquam fuissent valida, quæ nullis alijs innotescunt. Fauent etiam textus in d. l. non aliter & quæ statim adducam ex iure ciuili. Vnde verè dixit Rota de cis, 689. apud Seraphinum, num. 2. *Cum habemus claram verborum dispositionem, non est aliter ab ea recedendum, nisi certissimis argumẽtis constet de contraria mente contrahentium.* Accedit etiam ea doctrina, quam nonnulli Doctores docent, licet refragantibus Panormitano & Innocentio in d. *cap. ex literis.* Si mulier aut vir tanta rusticitate, aut simplicitate sit, vt non intelligat vim & naturam matrimonij, sed putat se ad tempus inuitari ad concubitum, aut se posse liberè resilire, quandocumque à matrimonio; licet verba fuerint de præsenti, hoc non esse legitimum, neque ratum matrimonium. Neque enim recurrendum est ad communem iuris intellectum, nisi in obscuro, idest, quando de intentione contrahentium non constaret, vt docet Canisius ad textum in d. *cap. ex literis 1.* In quo etiam sensu crediderim locutum

cutū esse Thom. Sāchez, neq; amplius probant ea, quæ adducit, vt cōstat ex his quæ dicit eadē disput. n. 3. Et ratio ipsa se prodit. Quia si vtriq; constat, quid illis verbis sibi mutuò significari velint, planum est verbis notis de præsenti explicasse sibi, quid illa significēt; & ex cōsequēti verba fuisse sufficientia ad consensum: at, si ea verborū explicatio mutua nō præcesserit, procedit opinio Thom. Sanchez, nec quidquā proderit intentio; nā tunc ea intētio verbis omninò destituta est, quæ illam explicent.

3 Sed his obstare videtur textus in *l. 4. si quis in fundi, de legat. & fideicom.* 1. vbi dicitur: *si quis, cum velit vestem legare, suppellectilem scripsit, dum putat suppellectilis appellatione vestem contineri, ex sententia Pomponij vestem tantum deberi, quemadmodum si quis putet auri appellatione electrum, vel aurichalcum contineri, vel quod est stultius, vestis appellatione etiam argentum contineri; rerum enim, inquit, vocabula immutabilia sunt, hominum mutabilia.* Quibus vltimis verbis redditur ratio nō contemnenda. Non enim sensus est, vt interpretatur Accursius, hominum vocabula ea esse, quæ ab hominibus imposita sunt nulla enim sunt, quæ non sint ex hominum placito: sed propria hominum verba vocat Cornelij, Sempronij, & quæ ab his deriuantur, Sempronianū, Cornelianum. Rerum verò vt auri, vel argenti, vestis suppellectilis, fundi. Hominū autem nomina facile mutātur; contingit enim vt fundus, qui hodie Sēpronij est, & dicitur Sempronianū, cras sit Cornelij, & dicatur Cornelianū: at rerum nomina non mutantur; aurum enim heri & hodie appellatur aurum. Cum ergò verba, quibus in contractu vtuntur, sint non hominum, sed rerū, immutabilia sunt; atq; adeò, qui per verba de præsenti cōtrahit de futuro, nihil aget, sunt enim ea vocabula immutabilia. Sed respondetur huius legis 4. decisionem non pugnare, cum ea generali regula, quā statuimus ex d. *l. non aliter.* Aliud enim est manifestū esse, quid senserit cōtrahens, quia ipse suorū verborū sensum explicuit, vt dicebamus; aliud errasse in verbis, & ex falso errore vnū pro alio posuisse. Nō patrocinatus ius erranti in nomine appellatiuo, sed erranti in nomine proprio; cum hoc frequenter mutari contingat, & facilis admittatur error, illud autem sit immutabile, & præsumatur etiam eum qui pro supellectili vestem posuit, ludere potius voluisse, quam aliquid legare. At patrocinatur, quando suam mentem satis explicuit, etiāsi verba, quæ ipse aliàs explicuit esse sui significationem non habeant.

4 Sed, vt ea quæ hactenus diximus, circa istam l. 4. exactius intelligantur, sciamus oportet, disceptatū fuisse inter veteres iurisprudentes Tuberonem & Seruium Sulpicium socerum suum. Tubero enim non improbabiliter dicebat, si de voluntate testantis constaret, legatum competere, etiāsi erratum esset in nomine; Seruius autem affirmabat eius, qui legauit, sententiam inspiciendam, & in quam rem solitus esset referre ea, quæ legauit; quod intelligendū, quando ambigebatur, vtrùm id quod legare voluit testator, sub eo vocabulo contineretur, quo illud appellauit. Cæterum, si legasset id de quo non dubitabatur, quin in alio genere esset, scilicet suppellectilē pro veste, legatum non valere, cum nomina nō ex opinione singulorum, sed ex communi vsu explicari debeant. Et in hac 2. propositione dissensit Seruius à genero suo, & subscripsit ex Pomponio Vlpianus in d. *l. 4. de leg. 1.* & Celsus in *l. Labeo 7. §. Seruus 2. D. de suppellectili legata*, quamuis non diffiteatur se magnopere & ratione & authoritate Tuberonis moueri. Adducit ibi rationes vtriusque Iuris Consulti, quas expendunt, & exornant Vaconius à Vacuna lib. 4. declarat. iuris c. 5. & 6. Cuia. d. l. 4. vbi scribit reliquos omnes Iuris Consultos à Tuberone optima ratione discessisse.

5 Ex quibus apparet non posse nos à Seruio discedere, cum eius opinioni legis authoritatem tribuat Iustinianus. Cæterum si meris tantum rationibus conflictandum esset, libenter ego irem in Tuberonis sententiam, vt veritati conformiorem. Cum enim nomina ad noscendas res, & vt demonstrent loquentis voluntatem fuerint inuenta, nihil interesse fatendum est, an ipsæ res, aut nominum expressione, aut alia quacunque demonstratione cognoscantur. Cognitis ergò ex voluntate testantis, iniquum videtur ex solo errore nominis vitiari legatum, innumerabilibus fere iuris locis reclamantibus voluntatem defuncti, vt supremum locum in testamentis obtinentem seruandam; aliàs mens voci subseruiret, non menti vox, quæ ministerium & sequela est mentis, quæ potentior est voce.

6 Nec me, vt Seruio assentirē, ratio Vlpiani posset mouere in d. l. 4. ibi, *rerum enim vocabula immutabilia sunt, hominum mutabilia*; quin & absurdam dicerem. Quis namq;

non

non videt, quenquam, quod libuerit, nomẽ rei propriæ imponere posse, vt eo cognoscatur, & appelletur domi suæ à filijs seruis, & familiaribus? Quod enim Pomponius Marcellus Tyberio dixit, *Ciuitatem Barbaris hominibus dare potes, verbis non potes*, longè alienum est. Non enim potest quis nomina mutare, vt vsui communi loquendi deroget, at sibi, & familiæ suæ potest.

7 Nec deesset legis authoritas, qua Tuberonis opinionem amplecti possem. Expẽdo enim ego textũ in l. *cum quidam* 8. *ff. de supellectili legata*, & suppono ad inductionem textus argentum escarium, vel potoriũ in suppellectile non contineri *d.l. Labeo* §. *Seruius*, nec dubitari quin in alio genere sit. Quo supposito, inquit Modestinus. *Quod si quis vxori suæ domum cum iure suo omni & instrumento, & suppellectile legauerit, argentum escale, vel potorium non continetur, nisi hoc sensisse testatorem legatarius docuerit.* Ecce textũ in quo error nominis appellatiui non vitiat legatum, sed valet, & admittitur probatio voluntatis coniecturatæ defuncti, ac proinde Tuberonis opinionem probasse videtur. Nec se liberabit, qui dixerit cum Bartholo d.*l.* 8. de argento escali, vel potorio dubitatũ fuisse in d.*l. Labeo*, an in suppellectile contineretur: id quippe repugnat expresse literæ textus ibi, *de quibus non ambigeretur, quin in alio genere essent, vt puta escariũ argentum, &c.* Nec melius, qui dixerit cum Alberico ibi argentum escarium nomine instrumenti contineri, ac proinde instrumẽto & suppellectile legata videri legatum escarium argentum. Nam 1. is intellectus aduersatur literæ, vt cuilibet intuenti constabit. Deinde, si sub instrumenti appellatione continetur argentum illud, non esset necesse Legatario probare de eo sensisse testatorem.

8 In longum hæc disputatio perduci posset, & non difficile Tuberonis sententia defendi, sed accedamus tamen ad explicationem Seruianæ sententiæ. Si testator erraverit in nomine appellatiuo, legatum vitiatur, quãuis probet legatarius, de qua re senserit testator. Rationes tradunt Iason in d. l. 4. & cõmuniter interpretes. Non me latet nonnullos existimasse adhuc probationes coniecturatæ voluntatis testantis admitti, sed fortiores, quàm in errore nominis proprij; & hanc differentiam colligi ex d.*l.* 4. *de leg.* 1. Hæc tamen opinio non placuit Duareno in d. l. 4. Superiora autem intelligenda sunt, quando constat de tacita voluntate testantis; aliter dicendum quando constat de expressa; tunc enim error nominis appellatiui non vitiat.

9 Ex quo principio oritur 1. quod si quis bouem legando dixerit, lego equum hunc, bos legatus intelligitur. Quia licet constet de errore circa demonstrationem, non est erratum circa corpus; & certum est per demonstrationem, de qua re senserit testator. Ita glossa in *l. quæ extrinsecus*, Bartholus in d.l. 4. Paulus Castrensis & alij.

10 Secundo ex eodem principio colligitur, quod si testator dixerit legatario, cũ legauero bouem, de mulo sentiam, si postea legauerit bouem, mulus legatus videtur. Ita Accursius in d. l. 4. de leg. 1. Bartholus & Paulus de Castro ibi, & omnes ferè communiter interpretes, & Vaconius lib. 6. Nec disputo modo, an verum sit, quod ait hoc fieri ex eo, quod nomen appellatiuum transeat in nomen proprium. Addo tamen ego hunc errorem proprie dici non posse, cum sciat testator mulum appellari mlum, & consultò bouem appellet. Nec desunt, qui putent in hoc secundo casu legatum non valere, inter quos Alexander d.l. 4. num. 8. & adducit pro sua opinione Bartholum. Verùm Alexandrum reprehendũt Socinus ibi num. 4. & Iason ibidem, qui & satisfacit argumentis Alexandri, & Bartholi doctrinam explicat. Sunt aliqua iura, quæ aduersari videntur d. *l.* 4. *de leg.* 1. & his quæ diximus errore nominis appellatiui vitiari legatum, *l. librorum* 50. §. *Quod tamen de leg.* 3. *l.* 3. §. *vltimo de supellectili legata d.l.* 7. *eodem.* His tamen satisfaciunt Duarenus & Cuiacius in d.l. 4. & apud illos videri possunt. Atque hæc dicta sint, quando de expressa intentione contrahentium, expresse etiam constat.

11 Accedamus ad explicandum, quando dubium est de sensu verborũ; in præcedenti enim hypothesi nulla de sensu verborum, vt subsunt intentioni cõtrahentis, dubitatio est. Agunt de hoc Pechius de reg. iuris 45. in regula, *in obscuris*, Dinus in prædictis regulis, Cuiatius ad *l.* 96. *in ambiguis de reg. iuris*, Donellus optimè omnium lib. 1. comment. iurisciuilis c. 15. per totũ. Nõnulla Duarenus in tit. *de legatis & fideicomissis*, & Gothofredus ad *d. l. non aliter* literam C. breuitate qua solet. Ex quibus nos breuiter colligemus, quæ magis ad rem nostrã facere videntur, exemplisque nonnullis illustrabimus.

12 In primis ergò verba ambigua esse possunt,

possunt, aut quia plura propriè significant, aut quia vnum impropriè & abusiuè, alterū verò propriè. Quouis modo verba ambigua sint, si de mente legislatoris aut proferentis constat, iuxta illam explicanda sunt verba, *l. non aliter*, vt in superioribus dictū est. Quando enim de eius voluntate constat, licet à verborum proprietate recedere, & ea abusiuè interpretari, *l. in ambiguis 96. D. de regulis iuris, l. cum de lanionis 18. §. optimum ergo D. de instructo & instrum. leg. l. Quoniam indignum C. de testam.* Et ratio id exposcit. Sicut enim, in homine, qui anima constat & corpore, animæ præcipua habetur ratio, animus orationis sensus est, verba corpus; corpus igitur sensui loquentis seruiat necesse est, iuxta Gregorium in *cap. humanæ aures 22. quæst. 5. & c. intelligentia 6. de verb. sign.* At si dubia mēs contrahentis sit, neque quid senserit, satis perspicitur, sic indagandum. Spectanda in primis veri similitudo, *d. cap. inspicimus*, verosimile autem quid sit eruitur ex comparatione rerum ad inuicē, vel rei ad pretium; exēplum ponit Dynus loco citato: vel ex antecedentibus & sequē tibus; exemplis illustrat Donellus, etiam ex qualitate personarum, & ex eo de quo agebatur, si enim prius agebatur de Matrimonio, sequentia etiam ad eum finem dicta ex contrahente intelligi debent; si de sponsalibus, ad sponsalia pertinebunt; & iuxta ea, quæ prius clarè dixit, ea quæ postea obscurè dixit, accipienda erunt. Eruetur etiam id, quod verosimile est, spectata consuetudine & qualitate loquentis, *l. Si seruus plurium, §. fin. D. de leg. 1.* Postea spectanda consuetudo regionis, *d. l. si seruus*: quid etiam habeat loci ius municipale, prius quàm quid habeat ius commune; vt enim Pechius; *vbi statuta corrigunt ius commune, magis præsumitur suam mentem accomodare secundum statuta, quam cū iure communi l. siquis argentum vers. similique modo C. de donat.*

13 At si verisimilitudo non constat, inspicienda est propria & communis verborum significatio, apud eas tamen gentes recepta, inter quas matrimonium celebratur. Potest enim contingere, vt signa recepta ad explicandum consensum de præsenti sint aliqua verba, quæ nobis videntur futuri, vt de Indis refert Veracruz 1. p. Speculi art. 19. in fine. Quare multum ad iudicia in his, quæ ex verborum significatione pendent, attendendus est vulgaris, atque vsu receptus loquēdi modus inter eos homines, etiāsi contra formam iuris sit. Exemplum esto. Vidi ego Illustrissimum Dominum D. Gaspa rem à Quiroga summa virum prudentia, cū in quodam oppido propè Complutum orta esset quæstio ex eo, quod quidam Rusticus decedens Capellaniam instituerat proximiori conferendam, nisi remotior esset Clericus, *Clerigo* Hispanè; duoque reperirentur postea lapsu temporis in diuersis gradibus constituti, quorum is, qui remotior erat, cō tenderet sibi conferendam, quia Clericus erat, prout clerici nomē in iure vsurpatur; alter verò contenderet se præferendū, quia remotior ille non erat clericus in eo sensu, quem testator intellexit, scilicet Sacerdos: ipse Illustrissimus Cardinalis per seipsum, partibusque litigantibus inscijs, ex oppidis vicinis nonnullos ad se vocauit agricolas, ab ijsque quæsiuit, quid apud eos nomine *Clerigo* intelligeretur. Illi incunctanter responderunt; *Quem alium Demine, nisi qui Missam celebrat.* Cùmque rursus quæreret, an eos qui tonsuram, & gradus haberent, clericos existimarent; addiderunt illi. *Quomodo Illustrissime Domine isti clerici sunt, cum qui illis initiati sunt, coniugati sint, & cum vxore sua habitent, & dormiant.* Vnde contra communem vocis clerici in iure significationē, quia iuxtà communem loquendi modum inter illos vsu receptùm, cui verosimile erat conformem intentionem testatoris, clerici nomine Sacerdos tantum significabatur, ad iudicata est Capellania propinquiori nullis ordinibus initiato, etiamsi remotior minores ordines haberet. Ex communi enim vsu loquendi apud illos recepto iudicatum est, non habere eum, qui remotior erat, conditionem, qua propinquior excluderetur iuxta testatoris mentem conformem vsui cōmuni inter illos recepto. Et verba Mercatorum esse intelligenda prout ea mercatores intelligunt cum Puteo lib. 1. decis. 19. tenet Rota apud Farinacium, p. 2. decis. 88. num. 2, Attendenda igitur est in verbis cōmunis & recepta loquentiùm significatio, *cap. ex literis 1. de sponsal. l. Labeo 7. D. de supellectili legata, & in l. anniculus amittitur 132. D. de verb. sign.* Atque hanc in iudicando rationem tenuit Rota apud Seraphinū decis. 140. cuius suprà memini lib. 1. cap. 1. num. 3.

14 Quòd si verba plures significationes habeant etiam in communi vsu, propria significatio retinenda est, non impropria iuxta textum in d. *l. non aliter 69. de leg. 3.* aut quando, si vnum eorum sequamur, vitiosa & inutilis dispositio sit; quod maximè in

legibus,

legibus,& testamentis locum habet, exemplisque illustrat Donellus. Neq; enim præsumendum legislatorem, aut testatorem, qui prudens esse debet, aliquid vitiosè & inutiliter dicere voluisse. Similiter, si plures propriæ significationes sint, sequitur quod minimum, *cap. in obscuris, de regulis iuris in 6. & l. si ita scriptum D. de leg. 1. l. apud Iulianum §. scitu, D. de leg. 3.* in quam regulam videndi Dynus & Pechius.

15 Ex his ergò iam constat, quomodo iudicandum sit quando ambigua sunt verba, & ad sensum sponsalitium, vel matrimonij ancipitia, vt obseruauit Rota in vna decisione 519. apud Seraphinum, quod si adhuc obscura res fuerit in dubijs, iuxta communẽ Doctorum sententiam, fauendum est potius matrimonio, si contractum iam sit, & in illius fauorem iudicãdum; nam in dubijs fauorabilior est causa matrimonij. Sic Ioannes Andreas in *cap. ex parte*. Præpositus ibidem num. 7. Anton de Butrio ibidem num. 10. Facit textus in *cap. ex literis de sponsalibus, ca. videtur, qui matrimonium accusare pos. cap. licet de testibus, & cap. fin. de sententia & re iudic.* Vide etiam Decium cons. 162. num. 13. Fauendum etiam magis fœminis, quæ simpliciùs loqui solent. Et denique, quando nihil omninò constat, contra eum, qui obscurè loquitur, sententia fertur, *cap. contra eum de reg. iuris in 6.* Sic Paludanus dist. 27. quæst. 2. art. 4. concluſ. 5. Gabr. quæst. 1. art. 3. prope fin. Id quod etiam obseruatur in alijs contractibus, vt contra emptorem & locatorem iudicetur, vt Cuiatius monet loco citato. Est autem hæc vltima regula, ad quam deuenitur, quando alijs locus non est.

16 Illud tamen addẽdum est, ea quæ hactenus diximus, vera esse in vtroque foro. Nam in causa matrimonij id, quod non est matrimonium in foro conscientiæ, non potest esse matrimonium in foro Ecclesiæ; cũ Ecclesia nequeat efficere matrimonium, quod reuera non est. Solùm in cognoscendi modo est differentia. Nam in foro interno standum propriæ confessioni; in externo verò allegatis & probatis, vt optimè Cou. 2. p. cap. 2. num. 2. Quare verba dubia accipienda sunt, iuxta communem significationem, vel qualitatem loquentium, vel verisimilia, in causa matrimonij, tam in foro conscientiæ, quàm in externo, de quo late Thomas Sanchez disput. 18. cit. nu. 1. vsque ad 7. Imò & idem dicendum in alijs contractibus, cum leges iustæ sint, & fundatæ in præsumptione vt plurimùm, quæ non cessat, ex eo quod deficiat in vno peculiari casu.

17 Ex hac generali doctrina, qua vsi sumus, in hac materia de Matrimonij formulis dubijs, multa colligi possunt in specialibus materijs, quæ satis erit attigisse & indicasse locos. Hinc quomodo sit facienda interpretatio legis, vbi ambigua verba sunt, de quo latè Donellus d. lib. 1. cap. 15. & Suarez lib. 6. de legibus cap. 1. 2. 3. 4. Hinc etiam quomodo interpretanda verba in testamentis & vltimis voluntatibus, quorum nonnulla exempla habet Donellus loco cita. & lib. 3. cap. 4. vers. *hæc de potestate*, vbi quid nomine *filij* aut *posthumi* intelligatur, ex his regulis colligit. Hinc etiam quid in contractibus, quorum exempla nonnulla & speciales casus habet Pechius in d. reg. 45. Mihi enim non est locus omnia ista persequendi, quæ longum volumen desiderarent.

Nonnullæ dubiæ formulæ in specie examinantur an efficiant coniugium?

CAPVT IX.

SVMMARIVM.

Explicatur sensus capitis, num. 1.

Illis verbis, habebo te in vxorem, & similibus non confici matrimonium prima sententia est, num. 2.

Oppositum verius, num. 3.

Explicatur punctus controuersiæ & probatur, num. 4. & 5.

Optima ratio Abbatis, & exemplo certo in iure, num. 6.

Quid de verbis illis, volo te ducere vxorem, & similibus. Thomæ Sanchez opinio, & Couarruuiæ distinctio, num. 7.

Illis perfici matrimonium vera sententia, n. 8.

Idem iudicium de illis, volo te esse vxorem meã, num. 9.

1 PRoposuimus in genere, quæ sufficere iudicauimus ad eruẽdum verum sensum, quando formula cõtrahendi est dubia. Nunc in specie agemus, de illis formulis, quæ licet consent verbis futuri temporis, tamen executionem significant, & nulla additur particula, quæ faciat significare de præsenti, qualia sunt *habebo te in vxorem, prouidebo tibi vt vxori*. Nec verò

de

de his est dubium, quando præcedunt verba, quæ trahant futurum ad præsens, vt *teneo te & habebo in vxorem*, vt docet Innocentius in *cap. ex parte de sponsal.* & Cardinalis ibidem num. 1.

2 Prima ergo sententia docet illis non confici matrimonium, sed sponsalia. Quorum fundamentum hoc est. Quia illa verba non exprimunt consensum de præsenti; eodem enim modo vera essent, si de futuro intelligerentur, *habebo te in vxorem*, vera enim erunt, quamuis modo te non habeam. Et ita hanc sententiam tenet Couarru. 2. p. cap. 4. §. 1. num. 3. & citatis alijs Thomas Sanchez lib. 1. disput. 18. num. 18. olim ex Theologis idem tenuerat Paludanus in 3. distinct. 27. quæst. 2. art. 4. conclus. 4. eandem enim rationem putat esse huius formæ, *habebo te in vxorem, & accipiam te in vxorem*, idem sensit Gabr. eadem distinct. quæst. 1. art. 5. dub. 4.

3 Mihi tamen semper verius visum est eam formulam, *habebo te in vxorem*, vel *prouidebo tibi vt vxori*, licet non addatur particula, *ex nunc*, aut alia similis, verum efficere matrimonium. Sic Innocentius in d. *cap. ex parte de sponsal.* Hostiensis in sum. de sponsalibus, §. *Qualiter contrahatur*, numero 13. Cardinalis in d. *cap. ex parte*, Abbas ibidem, num. 5. 6. & 7. Turrecremata 30. quæst. 5. Antonius de Butrio in d. *cap. ex parte*, num. 10. Petrus Gregorius, lib. 9. Symptom. cap. 5. in principio, & Couarru. loco cit. fatetur esse communem. Probari solet ex d. *cap. ex parte*. Sed non rectè, nam reuera ibi iurauit se de cætero habiturum in vxorem, quibus non dubitamus verum effici matrimonium.

4 Ego quidem totam hanc litem ad istud punctum existimo reductam, & in eo tantum cardine versari, an illa verborum formula, etiam si non exprimatur particula *ex nunc*, significet tamen executionem ex tunc, ac si exprimeretur. Nam Doctores primæ sententiæ negant, secundæ affirmant. Verba autem illa *habebo te in vxorem*, eam vim habere mihi persuadeo his argumentis. Primo quia in *cap. siquis diuinis 30. quæst. 5.* valere dicitur matrimonium eius, qui iurauit se habiturum illam in vxorem. Quem textum descripsit Gratianus ex nouella const. 74. cap. 5. Nec verò eius vim eludit Thomas Sanchez secutus Gutierrez & alios, cum inquit non esse decretum Pontificis, neque Sancti Ecclesiæ Doctoris, sed desumptum ex Auth. *Quibus modis naturales efficiantur legitimi* §. *Quoniam autem collat. 6.* neq; esse ab aliquo Pontifice confirmatum. Tunc enim leges in decretis relatæ censentur vim Canonis obtinere, quando à Pontifice cõfirmatæ sunt, non aliter, idque docet communis sententia. Sed neque Ioannes Gutierrez, neque Thomas Sanchez satis huius argumenti robur percepisse videntur, quod bona eorum venia dixerim, non enim eo vtimur, quasi lege confirmata à Pontifice, aut robur legis obtinente; sed tanquam explicante vim naturalem consensus his verbis explicati. Cum enim Ecclesia non determinauerit externa signa in hoc contractu ad explicandum consensum; planum est relinqui in dispositione contractus naturalis, iuxta communem modum loquendi, & significandi; & illa signa, quæ satis sint explicando consensui, satis erunt ad perficiendum. Imperator autem, non aliquid disponens, sed explicans horum verborum significationem & vim, decernit illa habere significationem & executionem de præsenti. Adde etiam dispositionem ciuilem, vbi non obuiat Ecclesiasticæ constitutioni, ponderus habere, tanquam quæ optime explicet naturam contractus, circa quem nihil Ecclesia decreuit. Quod non tam citò obliuisci debebat Thomas Sanchez, cum hanc eandem doctrinam docuisset eodem lib. 1. disput. 6. num. 24. iuxta textum in *cap. 1. de noui operis nuntiatione*. Quamuis ego leges ciuiles in his rebus matrimonialibus non habere vim legis existimem, vt dicam infrà suo loco lib. 6. cap. 1. §. vnico.

5 Deinde probo, quantum ego iudico, manifesta ratione, qua vsi sunt Panormitanus & alij. Planũ est in iure in materia obligationum, si non destinetur dies in contractu, in continenti obligationem contrahi. Sufficiat vulgaris textus *l. in omnibus D. de reg. iuris*. Ergò istis verbis, *habebo te in vxorem*, statim contrahitur obligatio. Id quod etiam concedit idem Thomas Sanchez disputatione 18. citat. num. 18. & 20. Sed inquit esse obligationem posteà celebrandi matrimonium; ego tamen statim exequendi, quod sic ostendo, expensa & considerata significatione verbi *habendi*, vt optimè ibi Abbas, num. 7. Nam habere pro legitima vxore, non denotat initium contractus, siue, non est idem atque contrahere, aliud enim est habere, aliud contrahere; sed denotat executionẽ matrimonij; haberi enim & tractari pro legitima

vxore,

vxore, non potest, nisi quæ iam vxor est. Vnde voluntas habendi non est omnino eadē cum voluntate contrahendi, sed addit & supponit voluntatem contrahendi; vt si quis dicat, Scholasticos tractari debere tanquam ciues, supponit fieri ciues, vt docet idem Abbas num. 2. Atque hanc esse significationem verbi *habendi*, indicatur ex illo Simonis de Cassia lib. 11. de iust. Christ. cap. 3. cum explicat illud Pauli, *vnusquisque vxorem suam habeat*, ibi, *habere*, esse iam ducta vti, non ducere. Cum ergò ab eo tempore oriatur obligatio tractandi tāquam vxorem, quod supponit necessariò contractū, visus est in eo instanti voluisse contrahere, & contraxisse de præsenti, vt inquit Abbas. Qui enim vult consequens, vult etiam illud antecedens, sine quo non potest perueniri ad illud consequens.

6 Exemplum habemus certissimum in iure ad id explicandum valdè accommodatum. Si testator filijs seruum suum pure tutorem dederit, eo ipso directam libertatem concessisse videtur; quia tutor esse non potest, qui seruus est; quare eo ipso, quod tutorem eum esse vult, statim liber est §. 1. *instit. qui testam. tut. dari pos.* & dicit Paulus in *l. quæro* 32. *D. de testam. tut. Placet*, inquit, *cum qui à Domino tutor nulla nominatim adscripta libertate datus est, libertatem quoque meruisse videri.* Quisquis enim quid vult, aut fieri iubet de re aliqua, simul omnia velle intelligitur, quæ præcedere oportet, & sine quibus ad prius illud perueniri non potest *l. 2. D. de iurisdictione & l. illud, de acquirenda hæreditate, & l. 1. §. 1. D. si vsus fructus petatur.* Atque ex hoc intelligendus Imperator cum inquit in l. *& si C. de fideicom. lib.* cum libertatem hanc seruo datam hac ratione, cum tutor nominatur, fideicōmissariam vocat, sicut & cum alienus seruus tutor nominatur; additur nisi aliud euidenter desanctum sensisse appareat. Euidenter autem apparet testatorem seruo suo directam, & nō fideicōmissariam libertatem dedisse, cum seruum proprium purè tutorem dedit. Sic enim verbis pure & statim eum tutorem esse voluit. Quod si statim tutor esse non potest, nisi prius sit liber, planè id sensit testator, vt seruus quoque statim, ac proinde directo sit liber. Hæc mihi obtulit Donellus comment. de iure ciuili lib. 3. cap. 4. prope finem. Sic ergò in proposito, cum ab eo instanti, in quo dicit contrahens, *tractabo te in vxorem, habebo te vt vxorem*, obligatio consurgat se gerendi cum illa tanquam cum vxore, in eodem igitur instanti contraxit de præsenti: neque enim ab eo instanti potuit erga illam vt vxorem se gerere, nisi cō iugio inito atque perfecto.

7 Sed quid dicēdum de his verbis, *volo te ducere, vxorem, vel accipere vel contrahere, volo te habere, & tenere te, tractare te in vxorē?* Thomas Sanchez disput. 18. cit. num. 25. existimat hæc omnia tantum esse sponsalia, quia ea verba verificantur, quamuis proferens modo nolit esse suam vxorem, sed tēpore futuro. At verò alij sub distinctione respondent, dicūrque ea verba, *volo te habere tractare*, & similia, efficere matrimoniū: at illa verba *volo te accipere, ducere, tecum contrahere*, non efficere matrimonium, sed spō salia. Sic Couarru. 2. p. cap. 4. §. 1. num. 4. citatis alijs. Ratio est. Quia velle contrahere, velle ducere non est contractum esse matrimonium, siquidem velle contrahere non est contrahere, cum ista verba *ducere, contrahere*, significent inchoationem contractus, vt ex Panormitano dicebamus num. præcedenti; atque ideo ostendunt nondum esse matrimonium inchoatum. Verbum autem *habendi, tractandi, & gerendi se pro viro*, non significat inchoationem, sed executionem & perfectionem contractus, cum non possit vt vxor haberi, nisi quæ iam est; atque etiam illa, *volo te habere vt vxorem*, verba sunt, quæ matrimonium efficiunt. Cū enim verba illa vera esse debeant de præsenti, nō potest de præsenti esse animus habendi & tractandi pro vxore, nisi sit consensus contrahendi, vt dictum est. Sic docet Panormitanus in *cap. ex literis* 1. *de sponsal.* num. 5. Ioannes Andreas ibidem prope fin. Couarruuias loco cit. & probabile putat Thomas Sanchez disput. cit. num. 24. Paludanus in 4. distinctione 27. quæst. 2. art. 2. concluf. 5.

8 At ego cum hac 2. sententia conuenio in eo, quod dicunt his verbis. *Volo te habere, tractare pro vxore*, verum effici matrimonium iuxta dicta num. 4. & sequentibus. Addo tamen etiam illis verbis *volo ducere, contrahere, accipere*, etiam matrimonium celebrari, non sponsalia; diuersaque esse ab illis, *contraham tecum.* Prima pars nostræ sententiæ iam constat ex dictis. Secunda verò probatur ex doctrina Glos. in *l. in vendentis C. de contrahenda emptione*, quæ docet his verbis, *volo vendere, volo emere*, perfectam venditionem esse. Quod si dicas, non sequitur, volo, ergo facio: respondet Cardinalis in *cap. ex literis de sponsalibus*, optimè in his, quæ præter voluntatem exigunt aliquid extrin-

extrinsecum, verum esse, non esse idem volo & facio, vt volo descendere, & descendo. At verò in his, quæ non exigunt nisi consensum præsentem, contractus valet, quia detegitur ex voluntate; itaque paria sunt in matrimonio volo contrahere, & contraho: Standum inquit Cardinalis communi intelligentiæ; putat autem ille communem intelligentiam esse, vt sint idem. Hæc autē vera esse iudicamus absolutè, & ex vi verborum: tales enim circunstantiæ comitari possunt verba ista, siue ex consuetudine loci desumptæ, siue ex his, quæ præcesserunt, vt tantū habeant rationem spōsaliorum, vt iam dictum est.

9 Idem meo iudicio dicendum de illis. *Volo te esse vxorem meam.* Verba enim illa matrimonium conficiunt; habent enim consensum de præsenti, vt sit vxor. Neque illis verbis significari potest consensus ineffícax, vt vult Thomas Sanchez num. 29. Is enim significatur verbo, *vellem.* Igitur significatur efficax consensus ex vi verbi, nisi ex alijs circunstantijs velleitas quædam significari intelligatur.

De formula contrahendi, in qua ponitur dictio exclusiua.

CAPVT X.

SVMMARIVM.

Quid dicendum de illa formula, non ducam aliā nisi te, num. 1.
Varijs distinctionibus DD. explicant, num. 2. 3. 4. 5.
Explicatur duplex sensus particulæ nisi, n. 6.
Vera sententia tribus propositionibus continetur, num. 7.
Prima pars probatur, n. 8.
Verificatur etiam in contractibus de præsenti cū particula exceptiua, n. 9.
Secunda pars probatur, n. 10.
Quare aliter iudicatur de exceptiua in propositionibus de futuro, & præsenti, aut præterito, num. 11.
Explicatur quædam limitatio secundæ partis, num. 12.
Colligitur quid dicendum in sponsalibus, n. 13.
Tertia pars probatur, n. 14.

1 SED supereſt explicandū, quid dicendū, quando vsus est particulæ exclusiuæ, vt *non ducā aliam nisi te*; vel *nolo aliam in vxorem nisi te.* Idem est si dicas *præter te*, vel *à te*, vel *quàm te.* Hæc enim omnia exclusiuum sensum habent, vt recte contra nonnullos docet Thomas Sanchez disput. 19. num. 2. & 10. horum enim omnium eadem ratio est.

2 Ad hanc ergo quæstionem nonnulli sub distinctione respondent. Dicunt enim, si sensus fuerit exceptiuus, esse matrimonium, quia exceptiua particula affert affirmationem; si sensus fuerit conditionalis, non esse matrimonium. Sic Soto in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 3. Petrus Ledesma, quæst. 43. art. 1. dub. 1. Sed isti sua distinctione rē indistinctam & obscuram reddidere. Id enim ab ipsis inquiritur, quid iudicandum sit in foro externo, quando contractus initus est, nullis alijs præcedentibus signis, quæ animum indicent præter hæc verba, ex vi significationis verborum, vel ex communi vsu, iuxta quem interpretamur verba.

3 Secundo alij dicunt illam particulam exceptiuam efficere in his contractibus sensum conditionalem tantum, & non affirmatiuum; itaque sensum esse, si duxero aliquā, te ducam. Sic Couarru. 2. p. cap. 4. §. 1. à nu. 6. Thomas Sanchez citatis alijs lib. 1. disp. 19. num. 5. ex parte. Ferdinandus Rebellus p. 2. lib. 4. quæst. & quamuis idem Thomas Sanchez in d. num. 5. agat de contractibus de futuro, attamen num. 6. dicit idem dicendum esse in contractibus de præsenti, *nolo aliam nisi te.* Fundamēta huius auctoris hæc sunt. Primum ex *l. si sterilis, §. penultimo D. de actionibus empti*, ex qua Doctores colligunt, promittentti se non venditurum nisi huic, non competere actionem, nisi in casu quo alijs vendiderit. Secūdum est ex textu in *l. Titia §. fin. D. de manumiss. testam.* ibi: *Onesiphore, nisi diligenter rationes reddideris; ne liber esto.* Quibus verbis magis videtur grauata libertas, quam concessa. Efficit ergò illa particula, *nisi*, sensum conditionalem. Denique quia is est communis modus loquendi & intelligēdi. Si enim quis voueat, *non ingrediar religionem, nisi Carthusianam*, nullus dicet eo voto teneri ad ingrediendum, sed tantum in eo casu, quo in religionem ingredi decernat. Signum ergò est cōmuni modo loquendi conditionalem tantum sensum illa particula exprimi.

4 Tertio alij absolutè docent eam particulam exceptiuam affirmatiuum & negatiuum sensum efficere. Sic Gabriel in 4. distinct. 27. quæst. 1. art. 3. dub. 4. Itaque si sequitur post negationem affirmat, *nullus nisi*

Petrus

Petrus currit, sensus est, *Petrus currit & nullus alius*. Si post affirmationem sequitur, negat, *omnis, nisi Petrus currit, Petrus non currit alijs currentibus*: atque ita hæc esse sponsalia, non ducam aliam quàm te, vel nisi te, idest, ducam te, & nullam aliam; & similiter hæc esse matrimonij verba, nolo aliā nisi te. Sic docet Abbas in *cap. ex parte de sponsalib.* nu. 8. Cardinalis ibidem, num. 4. Rebellus loco citato dicit hunc esse communem modum intelligendi, licet non sit ex vi verborum & seruari in praxi, idem docent Sylvester, & multi alij relati per Thomam Sanchez disput. cit. num. 3.

5 Denique alij sub distinctione respondēt particulam *nisi* in vltimis voluntatibus æquiparari cōditionali, idest *si nō*; at vero in cōtractibus facere sensum exclusiuū, & non cōditionalē. Sic Additionator Cardinalis ad *cap. ex parte de sponsalibus* litera C. citat que Antonium de Butrio in *cap. præterea te quisisti de appellationibus* in 4. notabili.

6 Cæterum mihi media quædam sententia videtur eligenda, in quam, si attentius rem istam Doctores considerassent, facile deuenire potuissent, existimoque ab omnibus probandam. Sed priusquam illam statuam, adnotare placet in primis particulam *nisi* non tantum habere vim exceptiuæ, sed etiam conditionalis, in quo differt ab alijs particulis exceptiuis. Itaque & significat, idem quod *tantum, solum, præter*, & significat idē quod *si non*. Inde est, vt sæpè non efficiat, nisi conditionalem sensum; & cum ponitur vt conditionalis pro *si non*, nihil affirmat, nisi ex adiuncta materia, vel aliunde colligatur. Esse autem conditionalem maximè constat, cum adiungitur alicui actioni vel verbo, vt in illo; *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*, & in illo; *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis* Ioannis 6. & in illo: *Non dimittam te nisi benedixeris mihi*. Genes. 32. idest, *si non benedixeris si non manducaueris, si non restituerit*. In his & in similibus semper dispositio conditionalis est, veluti in d. *l. Titia §. fin. D. de manumis. testam.* Vnde non rectè Thomas Sanchez probat ea lege particulam exceptiuam sensum cōditionalem efficere. Nam ibi non ponitur tanquam exceptio, sed tanquam conditio: *Onesiphore, nisi diligenter rationes reddideris, ne liber esto*, ponitur conditio, sine qua non assequeretur libertatem. Et idem dixerim de *l. si sterilis §. penult. D. de actionibus empti, & venditi*. Nam ex ipsa specie facti colligitur illum contractum conditionalem fuisse, non ex vi particulæ nisi, vt vult Thomas Sanchez; sed quia expressum fuerat in contractu, vendo tibi rem hanc ea lege, vt si vendideris, non alteri, quam mihi vendas. Quare ex eo textu ad casum, in quo nulla expressa conditione ponitur illa particula, argumentum desumi non potest. Hinc etiam illud: Ne des Titio centum, nisi moriatur mater mea; fuit enim conditionale legatum. Hæc autem vis, quæ latet in particula *nisi*, non latet in alijs exceptiuis, *præter, tantum, quàm*, nisi addatur conditionalis particula *si*, vt, *præterquam si*. Quando autem ea particula *nisi* non adiungitur verbo, siuè actioni alicuius, sed tantùm nomini, vel personæ, reuera habet sensum exceptiuum tantum.

7 Duæ ergo sunt partes nostræ sententiæ. Prima est. In propositionibus de præsenti, aut præterito semper particula exceptiua includit affirmationem, vt ex parte dicebant Doctores tertiæ sententiæ contra Couarruuias, Thomam Sanchez, & alios. Secunda pars est. In propositionibus de futuro, vel quæ respiciunt tempus futurum, particula exceptiua non includit post negationem affirmationem. In quo placet Couarruuias, & Thomas Sanchez, & displicent Doctores tertiæ sententiæ. Tertia pars est. Particula exceptiua quando ponitur in propositionibus affirmatiuis, planè affirmat de casu excepto actionem verbi, & remouet ab alijs, siue respiciant tempus præsens, præteritū, aut futurū. Demōstremus omnia.

8 Prima pars sic ostenditur & explicatur. Et quidem in propositionibus simplicibus de præsenti negari non potest. Cum enim dico, *non video nisi te*, sensus est, te video, & nullum alium. Is enim, qui cæcus esset, aut oculos clausos haberet, non diceret vicino, *non video nisi te*, neque enim illum videt. Idem est in enuntiationibus de præterito, vt in illo Matth. *Neminem viderunt, nisi solum Iesum*, idest, *Iesum viderunt incomitatum*: si enim neque Iesum vidissent, inepta satis locutio esset; nullus nisi Petrus currit, Petro non currente ineptè diceretur. Cuius manifestam rationem assignabo infra in 2. part. nostræ sententiæ, cum discrimine propositionis de futuro, de præsenti, aut de præterito. Similiter illa propositio; omnes nisi Petrus currunt, inepta esset, nisi Petrus quiesceret, & alius reuera sensus esset falsus.

9 Ex his iam colligi potest idem dicendum in contractibus de præsenti, quando ponitur particula exceptiua. Itaque si quis dicat, non vendo nisi tibi, particula illa affirmat venditionem tibi factam, & excludit alias: non volo nisi te, volo te & nullam aliam. Idque necessariò conuincitur. Nam ille tenetur de præsenti vera verba proferre. At non possunt verba esse vera, nisi in hoc sensu. Idque planè demonstro. Nam aut tunc volo te, vel non volo te. Si primum, vinco quod volo: si secundum, ergò falsò dico, non volo nisi te, quandoquidem nec te volo, & ideò nullam volo. Non vendo nisi tibi, vel vendo tibi vel non: si non, locutio est inepta, & falsa propositio; si tibi, ergò affirmat ea particula exceptiua, & post negationem dicit affirmationem. Illis ergò verbis perficitur matrimonium, nolo aliam nisi te vxorem, non habeo aliam nisi te vel præter te, non duco aliam, nisi te, nō contraho nisi tecū. Neque id videtur vlla ratione negari posse in his contractibus, qui de præsenti celebrantur. Vnde particula exceptiua sequens negationem in illis verbis, cum quibus antea diximus perfici matrimonium, valet sine dubio, vt docuit etiam Ioannes Crotus in Repetit. in *cap. licet de Constit. in 6.* num. 22. quæ est in 5. vol. Repet. Canon. Recte ergò Andreas Siculus lib. 1. cons. cons. 2. inquit: *Quod si puella iuueni se ad concubitum appellanti respondeat, non consentio nisi in actu honesto; si ille factum recipit, & vitium attulit, matrimonium contractum videri.* Habuit enim de præsenti consensum matrimonij, citra quod honestè actus ille fieri non posset. Quem immerito reprehendit Alciatus *l. 33. D. de transactionibus.* Alia etiam via posset dici, ea verba efficere matrimonium, quæ dubia sunt propter varias Doctorum sententias. At in dubio fauendum matrimonio est, iuxta dicta supra cap. 8.

10 Secunda pars nostræ sententiæ est. In enuntiationibus, quæ respiciunt tempus futurum, particulam exceptiuam non includere affirmationem, nisi aliquid extrinsecum apponatur, quo affirmatio inclusa significetur; vel id postulet subiecta materia, & id de quo agebatur, ostendat. Id in primis declaratur exemplis, illis videlicet, quæ adducunt Couarruuias, & Thomas Sanchez. Non ingrediar nisi religionem Carthusianorum. Durum videtur his verbis obligatum aliquem ad ingrediendum eam religionem dicere. Cæsar promisit se hoc anno nō gesturum bellum, nisi contra Turcos; ergò contra Turcam geret, non valet. Idemque conuinci videtur ex illa lege *si sterilis, de actionib. empti.* ibi: *sed si fundum ita vendidero, vt nulli alij quam mihi eum vendat, actio eo nomine ex vendito est, si alij vendideris,* & in illo bona non alienentur nisi causa dotis, non excipit alias, sed in casu quo alienentur. Ergo antequam alteri vendatur equus, non est actio aduersus eū, qui sub ea conditione emit. Non ergò qui dicit, non vendam, nisi tibi, obligatur ad vendendum illi, nisi in casu quo vendere decreuerit.

11 Quæ autem sit ratio, ob quam aliter iudicandum sit in enuntiationibus, quæ respiciunt tempus futurum, aliter in his quæ respiciunt tempus præsens, aut præteritum, ex eo desumenda est; quia proprium est particulæ exceptiuæ tollere negationē actionis in casu excepto. Verbi gratia in hoc, nullus nisi Petrus pugnat, negationem actionis pugnæ tollit à Petro, quem excipit. Et quia id in præsenti, aut præterito nō potest esse indifferens, vt sit vel non sit, vt conueniat, vel non conueniat actio, quando autem respicit tempus futurum, est in differentia, vt sit aut non sit; inde est in propositionibus de præsenti aut præterito includi affirmationem, non verò in propositionibus de futuro. Explicemus magis. Nullus est albus, nisi Petrus, negatur ab omnibus præsens existētia cum albedine, & hæc negatio albedinis remouetur à Petro. Et quia de præsenti non potest non esse vnum ex his duobus, vel Petrum de præsenti esse album, vel nō esse, inde est, vt ad hoc quod vera sit propositio, Petrus de præsenti debeat esse albus, aliàs erit falsa. Si enim de præsenti Petrus non sit albus, cum non possit esse indifferens ad album & non album, non diceretur verè, nullus nisi Petrus est albus. Idem est in illa, nullus nisi Petrus cucurrit, aut pugnauit: neque enim Petrus, qui iam præterijt, potest esse indifferens, vt illi cursus aut pugna conuenirent, aut non conuenirent. At verò cum dico, non vendam nisi tibi, nego actionem vendendi in futurum omnibus determinatè, & determinatè tibi non nego actionem vendendi. At verò, quia indifferens est pro tempore futuro, vt tibi vendam, vel non, possum enim vendere aut non vendere, & de te non affirmo, vera propositio est. An autem id oriatur ex ipsa significatione particulæ exceptiuæ, vel ex communi modo

significandi, & intelligendi definire certè non audeo. Mihi potius videtur ex communi hominum intelligendi modo ortum habuisse, & non ex vi particulæ exceptiuæ. Habuit tamen communis iste modus intelligendi sufficiens fundamentum, vt antea explicatum est. Atque id est, quod iuris interpretes solent dicere, hac particula non affirmari actum, sed potentiam, sic Couarruuias loco citato, & Pechius in regul. *non dimittitur* verbo, *nisi de regul. iuris in sexto*, quod verum esse non potest, si oratio respiciat tempus præsens, aut præteritum; in his enim non est potentia sed actus: sed solùm, quando respicit futurum, ad quem est potentia & non actus. Sic etiam loquitur Antonius de Butrio in *capit. ex parte, de sponsal.* & alij frequenter.

12 Dixi autem in hac secunda parte nisi aliquid extrinsecum apponatur, quo intelligatur affirmatio inclusa, vel postulet subiecta materia; quia ratione eius, de quo agebatur, intelligi affirmationem inclusam multa exempla ostendunt; 3. Reg. 22. *Non pugnabitis contra maiorem quenquam, vel minorem, nisi solum contra Regem Israel*, ideſt, contra illum, & contra nullum alium 2. Paralip. 18. *ne mihi loquaris, nisi quod verum est*, ideſt, loqueris verum, & nihil aliud, nisi verum. Idem in illa. *Nullus nisi Petrus curret*, si Petrus non esset cursurus falsa esset propositio. Id quod à contrario explicari potest. Nam particulæ exceptiuæ omnes æquiualent interse; itaque idem est *tantum, nisi, præter, solum* & aliæ. At cum ponitur particula tantum affirmatiue includit negationem. Ergò quando ponitur negatiuè, includit affirmationem. Tantum Petrus erit albus, ideſt, erit Petrus albus, & nihil aliud. Si enim aliquid futurum esset album, falsa esset propositio. Similiter quando præcessit affirmatio, homicidium committendum est hodie, & nullus nisi Petrus occidet, promitto vendere hanc domum, & nulli vendam nisi tibi. Atque hæc ratio illius, quod in *l. quibus rebus §. quidam Titio D. de condition. & demonstration. Hæres meus ne des Titio centum, nisi mater mea moriatur*, debetur legatum mortua matre; non ex alia ratione, nisi quia præcesserat assertiua oratio, quæ centum dederat Titio ex legato. Sic enim dixerat testator: *Centum lego Titio*, & subdit, *hæres meus, &c.* Vt monuit Couarruuias d. cap. 4. §. vnico numero final.

13 Ex his fit, si ea verba quæ sponsalia inducunt, efferantur cum negatione, & particula exceptiua, vt non ducam, nisi te, non contraham, nisi tecum, neque sponsalia, neque matrimonium videri. Non enim ponit ea particula actum contrahendi vt futurum cum alio, sed remoto actu & potentia contrahendi cum alijs, si verum dicit promittens, relinquit potentiam tantum ad contrahendum cum hoc. Potentia autem contrahendi non efficit sponsalia, sed actio futura contrahendi promissa.

14 Tertia pars nostræ sententiæ est manifesta, scilicet, particulam exceptiuam in affirmatiua oratione positam, verè ponere actum in casu excepto, & remouere ab omnibus alijs. In quo conueniunt omnes, vt, ducàm tantùm te. Quod enim ponat actum in casu excepto, planum est ex vi affirmationis, aliàs non esset affirmans, aut esset falsa. Quod autem alia ab actu excludantur, habet quatenus exceptio est, aliàs non esset vera propositio. Quare illis, tantum te volo vxorem, volo te, & nullam aliam, tantum te habebo vxorem, contractum videtur matrimonium iuxta dicta. Tãtum te ducam, tantum tecum contraham, sponsalia efficiunt. Atque ex his solura manent, quæ pro sua sententia adducit Thomas Sanchez, & Couarruuias. Et hactenus de ista difficultate, quam satis perplexam dixit Couarruuias loco supra citato, num. 6. & de ea vide etiam Crotum Repet. cit. à num. 23. qui tamen rem adhuc obscuram & perplexam relinquit.

Tria signa proponuntur præter verba, de quibus examinatur, an fiat Matrimonium.

CAPVT XI.

SVMMARIVM.

Explicatur quid disputetur, num. 1.

Regula generalis de quibus signis, explicetur consensus matrimonij, num. 2.

Quid de annuli donatione, & subarratione, num. 3. 4. & 5.

Quid quando subarratio est signum matrimonij, præcesserat tamen tantum sermo de sponsalibus, num. 6.

Quid si annulus mittatur ab alijs, quàm à contrahente, n.7.
Quid de porrectione manuum, n.8.
Quid dicendum de signo traditionis, n.9.
Non sufficere etiam solemnem, n.10.
Quid sentiendum de traditione inspecto Iure Ciuili, n.11.

1 EXplicuimus hactenus quibus verbis contrahatur matrimonium, & etiam sponsalia: at quia pro verbis substituunt homines alia signa, quæ vel in facto consistunt, vel in aliorum verbis, quibus contrahentis consensus explicatur: ideo agamus oportet, de his signis, quibus matrimonium contrahi censetur; & postea de signis, quæ ex aliorum facto pendent. Sed cum ea signa soleant & ab impuberibus, & puberibus adhiberi, primo in hoc capite & sequenti agam de signis puberum, in alio de signis impuberum.

2 Et quidem in explicandis signis, quæ in facto consistunt, non magna difficultas est. Sit ergo regula generalis. Quotiescunque signum aliquod iuxta consuetudinem loci vel communem intelligendi modum, est signum manifestatiuum consensus & amoris, efficit matrimonium, si adhibeatur, vel sponsalia, iuxta id quod ex parte alterius præcesserit de præsenti, aut de futuro. Quæ regula traditur à Bonifacio octauo in *cap. vnico de desponsat. impub. lib.6.* ibi, *vel per aliũ modũ*, quo significetur illum in priori voluntate perseuerare. Sed est in specialibus casibus declaranda regula doctrinæ causa.

3 Primò solet adduci signum annuli donationis, quæ subarratio dicitur, de quo aliqua Cuiacius *cap. fin. de desponsat. impuber*. Et iuxta hanc regulam nonnulli dicunt interpretandum iuxta id, quod præcesserit ex parte vnius, vt si præcesserit consensus sponsaliorum, donationem annuli efficere sponsalia; si vero præcesserit ex parte vnius consensus de præsenti, subarratione fieri matrimonium; quia subarratio signum æquiuocum est, & iuxta ea, quæ præcesserunt interpretandum. Sic Thomas Sanchez lib. 1. disputatione 22. numero 1. & 3. cit. alijs. Quod quidem verum est, quando iuxta loci consuetudinem est anceps signum, & æquiuocum; tunc enim, si præcedunt sponsalia, erit signum sponsaliorum; si matrimonium, matrimonij.

4 At si iuxta loci consuetudinem est tantum signum sponsaliorum, etiamsi ex parte vnius præcedat consensus matrimonij, tantum efficient sponsalia annulus & subarratio. Ratio est, quia cum signa substituantur pro rebus, idem est, ac si fœminæ dicenti de præsenti, consentio, alius responderet, se consensurum esse; non enim fieret matrimonium, cum in vtroque debeat esse mutuus consensus, nec enim claudicare potest vinculum matrimonij.

5 Quod si iuxta loci consuetudinem est signum matrimonij, vt de consuetudine Italiæ testatur decisio Rotæ apud Farinacium lib. 2. 324. num. 2. cui consuetudini standum cum Glossa in *cap. fin. de desponsatione impuber*. Igitur si ea vigente consuetudine vir fœminæ consensum coniugalem exprimenti annulum tradiderit, vel subarrauerit illam, matrimonium est; exprimitur enim ea subarratione consensus coniugalis ex parte viri. Sic Glossa singularis in *cap. penultimo de sponsal.* quam citatis alijs sequitur Couarru. 2. part. cap. 4. num. 4. cum sequentibus, & Theologi frequenter; & idem habet decisio Rotæ apud Farinacium lib. 1. 273. n. 5.

6 Sed quid, si iuxta loci consuetudinem subarratio sit signum matrimonij, & præcedentibus sponsalibus fiat subarratio? Tunc veram existimo opinionem, quam sequuntur Præpositus in *cap. finali de desponsat. impuber.* in principio, & Antonius de Butrio ibidem, & decisio Rotæ 324. cit. numero fin. & eodem lib. decisio. 266. numero 5. & decisio 62. numero 1. qui docent sponsalia transire in matrimonium per subarrationem. Probant ex *cap. fin. de desponsat. impuber*. Sed non rectè ex eo colligunt, quin potius ex eo colligi mihi videtur spõsalia subarratione non fieri matrimonium ex vltimis verbis, ibi, *quamuis ab ipso viro eadem fuerit subarrata*. Nam ante pubertatis annos tantum constant sponsalia *cap. vnico de desponsat. impuber. §. 2. in 6.* neque amplius iudicanda sunt, etiamsi subarrata fuerit. Adde etiam cum Couarru. in 1. p. cap. 4. §. 2. num. 2. in eo cap. agi de desponsatione de præsenti cum communi sententia, & ideo non mirum, si existimaretur subarratione fieri matrimonium; maximè, si iuxta consuetudinem loci esset signum matrimonij, quod tamen regulare non est. Melius probari posset ex *cap. 1. de matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ*, vbi post promissio-

missionem factam nomine puellæ missio donorum censetur efficere matrimonium, & ideo gignere impedimentum, ne cum fratre postea contraheret. Ego enim existimo id ex eo textu colligi, quia mihi persuadeo ibi fuisse matrimonium ratum tantum, & ex eo ortam publicam honestatem, quia impedimentum ortum ex sponsalibus multo recentius est in Ecclesia, vt dicam infra suo loco. Illud autem matrimonium solum contractum esse dicitur per munerum missionem, amplexus, & oscula. Ratio etiam, quæ me mouet, hæc est, quia signa loco verborum substituuntur. Si ergò subarratio est signum matrimonij ex consuetudine, si post sponsalia sequatur, idem est ac si verbis protestarentur se contrahere matrimonium. Quare non tàm videntur sponsalia subarratione transire in matrimonium, quàm subarratione fieri matrimonium, tanquam signo consensus de præsenti, atque ita sentire videtur Thomas Sanchez disputat. 22. cita. numero 2. citatis alijs.

7 At si annulus puellæ mittatur ab alijs, quam à contrahente, non videntur sponsalia, nec matrimonium, sed donatio. Limitandum tamen, nisi consensu filij, & præcedentibus verbis, aut tractatu ex parte fœminæ mittatur. Abbas *cap. fin. de desponsat. impub.* num. 7. Sanchez disput. 22. cit. num. 7. Idem dixerim de pecunia, aut iocalibus, si mittantur fœminæ præcedente tractatu inter amicos de contrahendo matrimonio, quem ipsa etiam fœmina scit præcessisse, præsumuntur enim sponsalia, vt citatis alijs docet Thomas Sanchez num. 5. illis enim muneribus veluti confirmatur, ratum habetur, quod ab amicis ea de re gestum est, atque ideo sponsaliorum contractus initus videtur. Idem etiam iuxta hæc dicendum, quando impuberes contrahunt, & postea mittunt sibi annulos, iocalia, aut pecunias. Nam licet antiquo iure, quando valebat matrimonium post septennium, si mitterentur, conficiebatur matrimonium, quia indicabant consensum de præsenti confirmari; at verò nouo iure, cum inter impuberes non possint esse, nisi sponsalia, licet contrahant verbis de præsenti, ita etiam subarratio & similia, licet ex loci consuetudine essent signa matrimonij, non efficerent nisi tantum sponsalia, sicut ipsa verba de præsenti, vt postea dicam.

8 Secundum signum adduci solet porrectio manuum. Et, si viro exprimenti consensum matrimonij, vel sponsalia, fœmina porrigat manum, signum est matrimonij, vel sponsalium, iuxta id quod præcesserat. Nam qui tacet consentire videtur, cum agatur de obligatione contrahendi, si concurrat actus publicus. Idque in fœminis facile contingere potest, quia nonest difficile impediri etiã verecũdia. Idem meo iudicio dicendũ, si vir fœminæ manum apprehendens, dicat. *Do tibi fidem de contrahendo matrimonio, vel tecum contraho*, & illa non retrahat manũ, erunt spõsalia, vel matrimonium iuxta verba prolata, ab illo quidquid dicat Thomas disp. cit. nu. 6. citatis alijs. Si enim repugnaret, manũ vtique retraheret. Atque pro hac sententia non inutiliter expedi posset illud ex *cap. 1. de sponsa duorum, non stringit manum*, sed tamen non retrahit videlicet. Ratio quæ me mouet hæc est, quia sicut perseuerare in cohabitatione, quando fuit à principio nullum matrimonium, cessante impedimento, cum scientia sufficienti, est signum consensus iure saltim antiquo; ita etiam non retrahere manum apprehensam, quæ signum fidei datæ solet esse, est reuera porrigere, & fidem adstringere eo actu publico, vel perseuerantia in eo actu publico.

9 Tertium signum, de quo solet esse controuersia, an inducat matrimonium, est traductio sponsæ in domum sponsi. Et Ioannes Andræas in *cap. fin. de sponsalibus*, affirmat esse signum matrimonij sponsalibus præcedentibus, sequunturque alij, quos refert Couarruuias 1. part. de sponsalib. cap. 4. §. 2. numero 1. Communis autem opinio stat in contrarium; neque enim vllo in iure cautum videtur, vt sponsalia transeant in matrimonium per traductionem, vel aliter, quàm per copulam; cumque ea dispositio sit exorbitans à iure, non est ad alium casum extendenda, vt dicam cap. sequenti. At si traductio sequatur consensum de præsenti, videtur sufficiens signum matrimonij. Vnde vniuersim vera videtur doctrina, quam ex Antonio Butrio refert Geminianus in *cap. vnico de desponsat. impub.* in 6. numero 7. excepta copula propter specialem iuris dispositionem, quod actus superueniens declarans consensum, declarare intelligatur secundum naturam verborum præcedentium, vt si sit de præsenti, intelligatur consensus de præsenti, si de futuro, intelligatur consensus de futuro, quamuis limitanda sit hæc doctrina iuxta dicenda in fine capitis.

10 Hinc infertur idem dicendum esse quamuis solemniter sponsa traducta sit; quia nulla traductio quantumuis solemnis in iure habetur signum consensus de præsenti. Et cũ ea dispositio nitatur præsumptione, præsumptionis autem eius ratio hic nõ militet, neque enim præsumitur euitatio peccati, nõ est extẽdenda ad aliũ etiã casum præsumptum, in quo potest à veritate recedi. Haberet tamen locum, quando dubium probabile esset, an præcessissent sponsalia, an coniugium: in dubio enim hoc traductio persuaderet præcessisse coniugium, & consensum de præsenti verbis explicatum, vt notat Couarru. loco citato saluetur enim matrimonio in dubijs, vt sæpè dictum est, & docent decisiones Rotæ iam citatæ.

11 Verùm hæc quæ dicta sunt de traductione, siue solemni, siue non solemni, Iure Canonico inspecto dicta volumus: nam Iure Ciuili aliter fortasis dicendum esset, scilicet traductionem esse signum nuptialis consensus. Nam ex verbis in accipienda vxore vsitatis, & ex certis locis iuris apparet, veterem hunc fuisse & solemnem morem in nuptijs contrahendis, vt noua nupta deduceretur in domum mariti, & ibi pro tradita illi vxore acciperetur. Imo quibusdam locis iuris declaratur ex hac deductione primum nuptias initium cepisse, neque ante contractas videri *l. 5. D. de ritu nupt. l. si cui 29. D. de condit. & demonstrat.* Atque hinc etiam factum, vt vxorem ducere in vsu iuris, & veterum omnium dictum sit, pro, vxori iungi, & nuptias cum illa contrahere; quem etiam morem fere apud omnes gentes obseruari videmus. Ducere autem vxorem est illi coniungi, sic dictum, eo quod deducebatur ab sponso in domum suam. Adde festiuitatis vsitatæ nuptiarum ita mentionem fieri in *l. Sancimus, C. de nuptijs*, vt ex ea festiuitate eadem lex nuptiarum contractarum tempus æstimari velit, siquis in conditione aliqua nuptias nominauerit. Adeo etiam ea traductio nuptialis consensus signum est proprium, vt absentem mulierem per nũtium, aut Epistolam nubere non posse Põponius dicat, quia deductione opus est in domum mariti, *l. mulierem D. de ritu nuptiarum*, & conditionem nubendi tunc videri impletam, cum vxor ducta fuerit, dicat Vlpianus in *l. cum fuerit, de condit. & demonstrat.* Aurelianus quoque Imperator, cum de donatione consuleretur, quæ dicebatur nuptiarum die facta, & dubitaretur an à sponso, an à marito res donata esset, rescripsit, ita demum videri à marito donatam esse, si in sponsi domo facta fuerit donatio *l. cum in te C. de donationibus ante nupt.* Atque ideo etiam Caius lib. 1. institut. ait: *Nuptias esse legimus, cum Romanus Romanam nuptijs interuenientibus, vel consensu vxorem ducit.* Et quamuis inter nonnullos iuris interpretes dissensio sit, an ad matrimonium requiratur traductio simul cum consensu, vel sufficiat solus consensus verbis expressus; & melior interpretum pars sentiat non esse necessariam, vt probat textus in *l. penultima, de donationibus inter virum & vxorem, & l. si donationum C. de nuptijs*, & docent Duarenus de nuptijs §. 2. *ad tit. soluto matrimonio*, Donellus lib. 13. cõment. cap. 20. §. *ne stat ritus & solemnitas nuptiarum*, Conradus Ritres Husius ad Iustiniani nouellas p. 4. c. 1. num. 10. & alij. Attamen hoc apud illos indubitatum est traductionem celebrati cõiugij signum esse in iure, vt superiora omnia ostendunt. Vnde Donellus loco cit. inquit, in re certa, & consensu certis verbis expresso traductione non esse opus. At si de voluntate contrahentium, nihil amplius proponeretur, quam eos velle nuptias celebrare, ibi deductionem ad nuptias pertinuisse intelligitur, non quod præter cõsensum vellent veteres aliquid amplius adhiberi, sed quod intelligerent his rebus, atque hoc ritu consensum declarari, vt semper in his omnibus vnus & idem esset consensus. Ex traductione igitur tanquam ex certo indicio nuptiarum etiam nuptiæ contractæ arguuntur, quæ est sententia, *l. cui fuerit 15. D. de condit. & demonstrat.* Concludo igitur, sicut de subarratione dicebamus, vbi traductio ea solemnis recepta fuerit pro nuptiali signo, eo ritu adhibito sufficiẽter præsumi initum iam matrimonij contractũ de præsenti: eadem enim ratio militat, quæ in subarratione: adhibetur namque ea traductio loco verborum de præsenti ex Regionis consuetudine. Hic restabat explicandum, quid dicendum esset de taciturnitate præsente alio, an satis sit in sponsalibus aut matrimonijs, sed

de hoc dicam

cap. 15.

An

An copula, vel nixus ad copulam sit signum Matrimonij.

CAPVT XII.

SVMMARIVM.

Ex copula non præsumi matrimonium, sed consensum aliquibus adiunctis, n. 1.
Est signum consensus, quando in matrimonio à principio nullo ratione alicuius impedimenti, & in eo dispensante Pontifice adhuc copulantur, n. 2.
Explicantur varia iuris loca, ibidem.
Item quando præcesserunt sponsalia secundum antiqui iuris dispositionem, quæ sit eius dispotionis ratio explicatur, n. 3.
Si accedens protestetur se accedere animo fornicario, non coniugali, non transeunt sponsalia in matrimonium, n. 4.
Iam hæc cessasse vbi receptum Tridentinum, ibidem.
Quomodo intelligendum, quod præcedente tractatu de matrimonio copula sit signum matrimonij, n. 5.
Quid si contractis duobus sponsalibus, post secunda copuletur primæ, n. 6.
An conatus copulæ sit etiam signum ac copula? negans opinio præfertur, n. 7.
Eorum qui contra sentiunt, fundamenta diluũtur, n. 8. 9. 10. 11. 12. 13.
Multò minus tactus & oscula sunt signa matrimonij, n. 14.
Explicatur magis quod dictum est de conatu ad copulam, n. 15.
Eadem signa habere locum in mutis, surdis, & cæcis, n. 16.

1 ALIVD signum, de quo frequẽs mentio est in iure, est copula consummata. Quæ autem dicatur cõsummata explicabo infra, cum de dissolutione matrimonij per transitum ad religionem sermo fuerit lib. 9. Verùm ante quam explicemus casus, in quibus in iure dicitur copulam esse signum matrimonij, obseruandum est ex copula iure non præsumi matrimonium, vt notat Glossa in *cap. illud, de præsumpt.* & fauet textus in *cap. 1. 30. quæst. 5.* Solùm ergo præsumitur in iure consensus, quando alia præcesserint, quæ nunc sigillatim explicanda sunt.

2 Primò ergo est signum consensus, quando matrimonio à principio existente nullo ratione alicuius impedimenti, obtenta facultate contrahendi, & in solemnitate dispensante Principe, vbi ea recepta est, perseuerant scientes in coniugali commercio: videntur enim nouè consensum adhibere per ea externa signa. Sic Glossa in *cap. non debet de consanguinitate*, quam probat Abbas, & communis Doctorum sententia, & colligitur ex *cap. fin. & cap. proposuit, de Coniugio seruorum*, & ibidem Glossa Bernardi notat, ex copula carnali tempore idoneo scienter subsecuta matrimonium præsumi, si prius consensus verbis expressus est, sed ratione impedimenti fuit nullus; copula enim antiquo iure signum fuit consensus de præsenti post sponsalia vt dicam num. sequenti. Ergò etiam erit sufficiens signum præcedentis prius consensus, si postea scienter in eodem commercio perseuerent. Atque hac ratione intelligendus videtur Couarru. 2. part. cap. 4. nu. 8. & alij, qui dicũt, si matrimonium de præsenti fuerit nullum, quia viuente altero cõtractum erat, illo mortuo necessarium esse nouum consensum. Est quidem copula tempore idoneo signum noui consensus, quæ in his locis, in quibus valet matrimonium clandestinum, locum habent, aut cum dispensauit in solemnitate Pontifex. Atque hoc etiam sensu intelligendum monet Couarru. quod ait Paulus, *l. Eos qui 65. D. de ritu nupt.* cum inquit. *Et si contra mandatum contractum sit matrimonium in Prouincia, tamen post depositum officium, si in eadem voluntate perseuerent, nuptias iustas effici, & filios deinde natos legitimos*; perseuerare enim dicitur per cohabitationem. Sic etiam inquit Couarru. intelligendum Vlpianum in *l. si quis in senat. ordine, eodem tit.* cum dicit: *Si quis in senatorio ordine libertinã vxorẽ habuerit, quã uis vxor non sit, attamen amissa dignitate vxorem incipere esse posse*, scilicet, perseuerante commercio coniugali, quod consensus noui perseuerantis signum esse credituri. Atque hinc etiam intelligendus textus in *cap. Veniens el 1. de sponsal.* vbi, cum fœmina sponsalia contraxisset cum quodam insciis parentibus, & postea à parentibus alteri nuptui traderetur, quem illa auersabatur, diceretque iam se à primo cognitã, atque adeo sponsalia priora in matrimonium trasijsse, repertum est impedi-

consanguinitatis, atque adeo inter illos matrimonium esse non posse etiam secuta copula. Quare dum causa cum secundo verteretur de validitate matrimonij, ille aliam duxit vxorem, & ea alteri nupsit. Res delata est ad Pontificem. Secundus ille interea è viuis discessit. Respondet Pontifex, si constiterit, à primo, cum quo sponsalia contraxerat, ecclesiæ iudicio ob impedimentum consanguinitatis separatam, & tertio sine contradictione in facie Ecclesiæ copulatâ, & secundum decessisse, cum tertio remanere. Considerat Pontifex secundum decessisse, fortasis enim fuerat secundum validum coniugium, quo existente valido non poterat cum tertio locus esse matrimonij. Iubetur autem, & compellitur cum tertio remanere, quia habitatione, & commercio post mortem alterius poterat vltimum coniugium constare. Aliàs, si de valore secundi nulla esset dubitatio, quid opus erat illa addere: *Et si ille, cui à parentibus fuit copulata, è præsenti vita decessit.* Hinc etiam ortum habuit decisio Pontificis in *cap. cum in Apostolica eodem*, vbi illi, qui viuente altero coniuge copulati sunt, vno ex eis inscio, pendente tamen lite super valore primi matrimonij, iam pronuntiata sententia super nullitate, permittitur vt remaneant copulati, quasi qui, illo impedimento cessante, per cohabitationem & copulam consensum noue ostendissent.

3 Secundò est etiam copula signum cõsensus, quando præcesserunt sponsalia secũdum antiqui iuris dispositionem, quæ locũ habet etiam post Tridentini decisionem in his regionibus, in quibus nõ est recepta Tridentini dispositio, *ca. veniens 2. c. is qui fidẽ, cap. fin. de sponsalibus.* Atque huc respicit, quod habetur in *cap. 1. de sponsa duorum*, ibi. *Est autem fides pactionis, quando aliquis promittit alicui, quod eam ducet, si permiserit eam rem secum habere, vel etiam pro consensu.* Quod sic explicat ibidem Cuiacius, qui conditionẽ istam hic videri honestam vult, & verè honestam esse affirmat, quia ea verba ita accipienda sunt, si permiserit eam rem secum habere, vel etiam pro consensu, ideſt, vel in hoc, vt qui sponsalia sequitur concubitus atque congressus, etiam sit pro fide consensus, siue pro matrimonio præsumpto, vt *cap. is qui fidem 30. de sponsalibus*, pro consensu nuptiali, pro consensu obsequente rationi, non libidini. Tota autem huius decisionis ratio fundata est; in præsumptione iuris, ex cõmuni Doctorum sensu. Vbi enim duæ præsumptiones esse possunt, vna, quod homo velit euitare peccatum, vel pœnam; alia quod velit delinquere, in dubio capienda est præsumptio, quod nolit delinquere, & sic pœnam & culpam euitare, *l. si constat C. de compens.* Quare, qui promisit aliquam accipere in vxorem, & cum ea pro modũ consummat copulam, dubitare possumus, an voluerit fornicari, an verò tanquam cũ vxore coniungi, & sic sponsalia de futuro vera efficere, vt fiant de præsenti. Cumque ea res occulta sit, & Ecclesia non iudicet de occultis, & aliàs vnusquisque præsumatur bonus, quando non constat esse malum, præsumit Ecclesia, quod peccare noluerunt, sed affectu maritali coniungi, & ideo inducit præsumptum matrimonium. Quod non ita accipiendum est, quasi Ecclesia sentiat ex vi copulæ matrimonium fieri, vt rectè notat Bassolis in 4. distinct. 27. quæst. 1. art. 3. in solution. ad argum. neque præsumit, quod illa copula sit licita, nisi præcesserit consensus mutuus de præsenti expressus per verba, vel signa certa. Hunc autem consensum sic expressum præsupponit Ecclesia præcessisse, dum rationabiliter præsumit bonum, de quo non est probatum malum, & ideò iudicat matrimonium consummatum. Atque hoc sensu intelligendi Doctores, qui dicunt sponsalia per copulam transire in matrimonium, quia, scilicet, ex secuta copula tanquam cum coniuge præsumit Ecclesia iam inter illos præcessisse consensum mutuum vtrique per verba de præsenti expressum. Hinc fit matrimonium secundum contractum nullum esse contra matrimonium præsumptum *cap. fin. de sponsal.* & pati debet quamcunque excommunicationem ne à prima separetur, cum reuera illa excommunicatione non ligetur, vt dico in tractatu de excommunicatione. Videndus Præpositus *cap. fin. de sponsalibus, num. 3.* Quo modo autem contra matrimonium præsumptum admittatur probatio, dicam forsasse in vltimo libro huius operis, vbi de nonnullis in iudicando de matrimonio seruandis sermo fuerit.

4 Quod si tempore, quo accedit ad illam protestetur se non accedere animo coniugali, sed adulterino, Innocentius in *cap. veniens 2. de sponsal.* censet adhuc valere matrimonium, & transire in coniugium, quia putat haberi pro turpi conditione, atque adeò reijci à contractu iuxta textũ in *cap. fin. de condit. appositis*, & ita non audiretur cõtra præsumptionem Ecclesiæ.

Sed

Sed revera ea explicatione præmissa non tenet; est enim contra substantiam matrimonij. Pone illum verbis contrahere, quorum loco substituatur copula, ac dicere: *Ego tecum contraho modo, cum animo tamen tecum fornicandi*, non transfertur ius aliquod, alias non esset fornicatio copula sequens. Idem ergo est, si prius suum animum explicuerit, iam enim non potest copula illa esse signū vel præsumptio consensus de præsenti sufficienter expressi, cum expressus sit contrarius. Sunt etiam contra Innocentium Doctores, qui dicunt admitti indirectè probationem contra eam præsumptionem, quæ non alia est, nisi cum ostendit etiam se animum non habuisse. In his autem locis vbi Tridentinum receptum est, cessasse hanc no tam matrimonij iam pridem ab omnibus receptum est. Tum quia hoc matrimonium revera est præsumptum, & alias clandestinum, quantum ad pœnas iuris: irritauit autem Concilium omnia matrimonia clandestina. Tum etiam quia remanent eadem inconuenientia, quę Concilium euitare intendit, si ea dispositio locum haberet. Vide de hoc decisionem Aloysij Riccij 234. in Praxi rerum fori Ecclesiastici.

5 Tertiò est etiam copula signum consensus matrimonij, si præcesserit tractatus de matrimonio, vt sumi potest ex cap. *Veniens, de eo qui duxit*, quæ est etiam sententia Ioannis Andreæ, & aliorum, quos retuli supra cap. 7. num. 4. qui dicebant præcedente tractatu de contrahendo matrimonio non requiri verba, sed signa sufficere. Hæc tamen præsumptio in eodem sensu accipienda est, iuxta ea quæ diximus num. præcedēti. Cum enim copula signum anceps sit affectus maritalis, & fornicarij, non potest inter ipsos coniuges esse signum affectus maritalis, nisi sibi inuicem antea explicuerint consensum mutuum de præsenti, sed præsumuntur explicuisse, cum peruenerunt ad copulam, ne peccasse præsumat Ecclesia de his, quos malos esse non constat.

6 Sed circa signum istud nonnulla dubia occurrunt, quæ explicatione indigent. Primum est, si quis postquam cum alia spōsalia contraxit, & contrahit etiam sponsalia cum alia, renuente prima, & post secunda sponsalia copulatur primæ, an transeant prima in matrimonium? Dubitat de hoc Prę positus in cap. *Is qui fidem de sponsalib.* nu. 5. & dicit in primis casum istum esse dubitabilem, in dubijs autem fauendum esse matrimonio, vt iam dictum est supra cap. 8. num. 14. Deinde dicit primis sponsalibus per secunda non derogatum, & ita illa valere, atque ideò copula secuta transire in matrimonium. Alij existimant non transire, sed casum istum esse omissum in iure, & ita aliter iudicandum. Fatentur etiam adhuc prima sponsalia valere, idque certū est. Cæterum cum Ecclesiæ præsumptio in hoc casu cesset, quia semper præsumit aliquem non peccare, & velle euitare pœnam, & culpā, præsumit affectu maritali accedere, & in primo consensu perseuerare efficiendi vera sponsalia. Ea autem præsumptionis ratio cessat in hoc casu. Nam per secunda sponsalia ostendit se à prima velle recedere. Ergo interpositis illis sponsalibus copula nō est sufficiens signum, quod perseueret in consensu cum prima. Cumq; tota hæc dispositio iuris de signo copulæ fundetur in præsumptione quadam, vt dictum est, quia iudicat Ecclesia sufficiens genus præsumptionis, in hoc casu non videtur sufficiens propter explicatum consensum recedendi à prima in secundis sponsalibus. Negare nō possum casum esse dubitabilem: sed hoc posterius mihi verosimilius videtur speculatiuè loquendo, licet in praxi fauebit aliquis matrimonio, quia causa fauorabilis est. Sed si post secunda sponsalia contracta vtranque cognouerit, certè cum secunda nullum præsumitur in iure. Sic Soto in 4. distin. 27. quæst. 2. art. 3. dub. 3. Ratio est aperta, quia sponsalia cum secunda fuere inualida constantibus primis; atque adeò, nisi probetur cum secunda celebratum esse cōiugium per verba de præsenti, & cum prima eum consensum non interuenisse, primum præsumitur matrimonium, secundum autem inualidum, & omninò nullum.

7 Secundò dubitatur, an non tantum copula, sed etiam nixus in copulam sit sufficiens signum contracti matrimonij. In quo aperta satis est decisio Pontificis in *cap. fin. de sponsal.* post sponsalia de futuro nixum in copulam non inducere matrimonium præsumptum. Et idem videtur colligi ex omnibus capitibus, in quibus decernitur sponsalia subsecuta copula transire in matrimonium. Vnde Antonius de Butrio in dict. cap. fin. num. 3. dicit, quod licet in delictis aliquando reputetur conatus pro facto, nō tamen in contractibus, & Cardinalis in ca. *Adolescens, eodem*, inquit, dispositionem quę exorbitat à iure, qualis est hæc, requirere factum, & Abbas ibidem num. 2. quod quando lex inducit aliquid ex certa præsumptione

tione & facto, non satisfieri illi iuri, nisi illud factum sit perfectum, & ita non sufficere inchoationem: vnde etiam in delictis nō punitur pœna ordinaria, sed tantum arbitraria. Cuius rationem assignat Abbas, quia cum hæc sint odiosa, & deuiantia à iure cōmuni, restringi debent, vt in cap. *Pœnæ de pœnitentia dist. 1.* Quod idem statuit, & confirmat Prepositus in dict. capit. *Adolescens*, num. 2. sequitur Rebellus lib. 2. de matrim. quæst. 10. sect. 1. reg. 3. Sed rationem huius Ecclesiasticæ decisionis magis explicabo infra in contrariorum solutione.

8 Verum nonnulli contra sentiunt, quos refert Præpositus in cap. *Iuuenis de sponsal. n. 3. & cap. fin. num. 5.* & quidem cum magna probabilitatis specie. Inducuntur primo, quia in cap. *Nuper de Bigamis non ordinandis*, conatus ineundi matrimonij licet inualidi omninò biganiam inducit. Sed respondetur facile conatum illum habere ibi locum ex speciali iuris dispositione in eo casu, & quoad inducendam non quidem veram bigamiam, sed pœnā irregularitatis propter delictum à clerico cōmissum. Non verò inde efficitur conatum etiam sufficientē præsumptionem esse ad inducendum matrimonium. Sic Butrio in dict. cap. *Adolescens*, n. 3.

6 Secundo probant ex textu in cap. *Iuuenis de sponsal.* vbi ob periculum, vel dubiū attentatæ copulæ censetur secundum matrimonium inualidum. Antonius de Butrio & alij respondent conatum illum reputari pro facto ad inducendam publicam honestatem. Sed contra hanc solutionē est, quod publica honestas non contrahitur, nisi ex sponsalibus, aut matrimonio rato non consummato, non verò ex nixu copulæ. At Pontifex dicit se dissoluere coniugium secundum, tùm propter honestatem Ecclesiæ, tùm propter prædictam dubitationem. Ergo nixus in illam copulam effecit secundum matrimonium inualidum, & primum validum. Respondent alij ob periculum fornicationis, ex qua illicita copula nascitur. Sed neque hæc solutio vera est. Tùm quia diserte, & non sub dubio dicit Pontifex, quod illam complere non potuit. Tùm quia si interueniret, non esset illicita, quia matrimonio contracto licita esset. Denique iudicaretur non solum à secundo matrimonio discedere, sed etiam redire ad primum. Nam illud secuta copula post sponsalia præsumeretur verum coniugium. Tertiò alij respondent in minoribus ante legitimam ætatem non valere sponsalia, nisi concurrant duo, & quod sint proximi ætati, & quod sit tentata copula, & neutrum sine altero: at quando septennis, non requiri copulæ intentationem. Sic Geminianus relatis alijs in cap. *Vnico de desponsat. impub. in 6.* Abbas in dict. cap. *Iuuenis*. Sed non rectè, nullo enim iure probatur illa duo coniunctim requiri, quando contrahunt sponsalia proximi septennio: imò dummodo malitia suppleret ætatem, idem effectus esset sponsalium, vt insinuabo postea, & probat latè Canisius in dict. cap. *Iuuenis*. Denique alij, inter quos Ioannes Andreas specialem volunt in hoc casu iuris dispositionem esse, quia matrimonium impuberis non valebat, & ita vt aliquem effectum haberet, respexisse conatum. Itaque ex matrimonio simul & conatu ortum est illud impedimētū, non ex altero tantum.

10 Verum ego duobus alijs modis interpretari posse textum istum existimo. Vt autem primam interpretationem proponam, supponendum est, quod infra suo loco dicemus latius, ex aliquorum sententia ante Innocentium III. matrimonia de præsenti post septennium valuisse, dum modo rata haberentur, cum ad pubertatis annos peruenissent, & etiam ante septennium, si malitia suppleret ætatem. Cumque ex valido matrimonio oriatur publicæ honestatis impedimentum, decernit Pontifex ex matrimonio illius ante septennium publicam honestatem oriri, & vt occurreret obiectioni, quæ fieri poterat, non valuisse illud matrimonium ante septennium, valuisse probat, quia malitia suppleuit ætatem. Malitiam autem suppleuisse ætatem colligit ex conatu copulæ. Quare cum is conatus sufficiens sit ingerere dubium de ætate idonea ad matrimonium, & in dubijs tutior pars sit eligenda, iudicat ortum impedimētum. Itaque conatus ille in copulam non adducitur, quasi is solus inducat impedimentum, neq; quia in hoc casu & nō in alio, vt dicebat Ioannes Andreas, neque quia sponsalia per conatum trāseant in matrimonium, sed vt ex eo probetur sufficiens malitia in ea ætate ad validè contrahendum matrimonium. Textus enim iste est Eugenij, qui præcessit Innocentium III. quando matrimonia ante pubertatem valuere. Sed hoc non omninò firmum videtur, de quo infra lib. 3. cap. 12. & alibi.

11 Vel secundò, quidquid sit de eo, an matrimonium in ea ætate tempore Eugenij validum esset, illud certum, sponsalia ante

septennium non valere, nisi postea accessisset consensus, cap. *Litteras, cap. Accessit de desponsat. impub.* vel nisi malitia suppleret ætatem, vt contra Panormitanum in hoc cap. docent Andreas, Bernardus, Innocentius, qui & hoc septennium ætatis malitia suppleri posse existimant, idemque docet hic ex communi sententia Præpositus, & sequitur Conarru. 1. p. cap. 2. & comprobat textus iste dum loquitur de puella nondum septenni. Facit etiam ratio l. C. in l. *In sponsalibus, 14. D. de sponsal.* dum putat sufficere in sponsalibus contrahendis, quod sponsi intelligant, quod agunt. Quare non videtur requiri certa, & determinata ætas septennij. Adde quia nisi dicamus in puella, de qua in dict. cap. *Iuuenis*, & quæ ante septenium contraxit sponsalia, malitiam supplesse ætatem, Pontificis decisio nulla ratione defendi poterit, dum vult eundem iuuenem à consobrina puellæ, cum qua contraxit, separandum esse. Nam si priora sponsalia nulla fuerunt, nihil impedit, quominus matrimonium cum consobrina validum fuerit: *Neque enim aliquod præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum*, vt habet regula iuris, *Non præstat, de regulis iuris, lib. 6.* Igitur in nostro textu iuuenis puellam sibi desponsauerat ante septennium. Id autem quod de intentata copula antea dixit Pontifex, vel factum est post septennium, quo videtur sponsalium consensus indicari, aut approbatio prioris consensus; & ita ratione impedimenti orti ex sponsalibus non inualidis defectu consensus, non potuit cum consobrina matrimonium contrahi. Itaque ille conatus copulæ iuxta hanc interpretationem argumentum est consensus approbationis, non verò ratio, vnde oriatur impedimentum. Dubium autem dicit Pontifex, quia dubitabile est, an esset signum consensus. Vel ea copula est intentata ante septennium, cum sibi iuuenis puellam desponsauit, & tunc si illa se attentari patiebatur, signum est, quod malitia suppleret in illa defectum ætatis. Sic videtur hoc vltimũ insinuare Innocentius in dict. cap. *Iuuenis*, ibi: *Non esse verosimile, quod eam corruperit, sed quod malitia suppleret ætatem*, & in eundẽ sensum accipit Præpositus ibidem. Cardinalis autem ibidem in fine, vtrunque, quod isto numero diximus, complectitur scilicet ex intentata copula colligi, quod malitia suppleret ætatem, vel indicium esse, quod consenserit. Ante septennium enim contracta sponsalia, si postea accederet consensus, valebant, vt dictum est. Concludo itaq; duo dubia considerasse Pontificem, quæ hic potuerunt in æruenire. Primum an publica honestas esset ex sponsalibus illis ante septenium celebratis, cum doli capaces conijctentur ex attentata copulâ. Aliud, si copula interuenit, qua consummata oriebatur affinitas; & quia in dubijs tutior pars est eligenda, decernit Pontifex, vt separetur matrimonium initum cum consobrina.

12 Tertiò agunt ratione valde probabili. Quia ratio, ob quam Ecclesia decernit sponsalia subsecuta copula transire in matrimonium, ea est, quia quando est præsumptio, quod homo velit euitare culpam, & pœnam, aut quod nolit euitare, præsumitur euitare velle: & ita ne præsumat Ecclesia accessisse animo peccandi, præsumit maritalem affectum. Sed eadem ratio est in hoc casu. Nam qui viderit sponsam ad concupiscendam eam, iam illam mœchatus est in corde suo, multò magis in conatu copulæ, cap. *Nec solo, cap. qui consentit 32. q. 5.* Quod si per conatum ad copulam fornicari videtur, vt euitetur ea suspicio, per nixum ad copulam, præsumitur consensus matrimonij, & affectus maritalis. Sed respondetur maiorem esse rationem, quare Ecclesia in vno casu præsumat affectum maritalem, aut præcessisse consensum verbis expressum, in alijs autem non præsumat. Quia per copulam cõsumatam planè fœmina tradit vsum sui corporis, qui in illa magnopere æstimabilis est, aut quo nihil in illa secundum rectam rationem æstimabilius est, quod non reperitur in conatu copulæ. Quare iure præsumit copiam sui corporis fœminam non facere ei, in quem non consenserit de præsenti post inita sponsalia. Itaque non præcise ad euitandam suspicionem peccati id disponit Ecclesia, sed ad euitandam in tali materia subiecta cum tali circunstantia, & plena corporis copia, & traditione. Hoc enim factum post sponsalia indicat Ecclesia vehementem, & idoneam præsumptionem consensus, non vero alia, quæ minora, & leuiora sunt, & possent facilè præ hominum fragilitate etiam sine consensu matrimonij interuenire.

13 Denique vrgeri potest non leuiter. Quia si aliquid obstaret, quominus etiam conatus in copulam esset signum matrimonij post sponsalia, esset decisio Pontificis in d. cap. *Adolescens sin. de sponsal.* in quo dicit conatum in copulam post sponsalia de futuro non inducere effectum de præsenti. At tex-

tus

tus ipse non loquitur de eo, qui nubiles annos attigerat, sed de impubere, idque meritò de impubere dispositum est. Quia cum ante annos pubertatis non posset fœmina habere legitimum consensum in matrimonium, *cap. Tuæ de desponsat. impub.* nō mirum si lex eo conatu non præsumat eam consensisse. Lex enim imitatur veritatem, & vbi locum non potest habere veritas, non fingit, nec præsumit *l. Qui ad certum, D. locati.* Inde etiam iure ciuili Eunuchis non conceditur adoptio, quia parentes esse non possunt *l. Arrogato, D. de adopt. & §. minorem Inst. de adopt. cum adoptio naturam imitetur.* Loqui autem de illis, qui nondum peruenerāt ad annos pubertatis constat, dicitur enim: *Nam licet sæpe nixus fuerit, eam carnaliter non cognouisse.* Neque enim non desijt cognosci ex impotentia, alias nullum etiam esset coniugium cum alia, neque contraxisset. Ergo ex ætatis defectu, quo elapso facti sunt viri potentes. Sed respondetur ex textu non colligi ea sponsalia contracta ante annos pubertatis, neque prouenisse ex defectu ætatis, quod illa cognosci non potuerit. Potuit certè ex alia imbecillitate corporali, & temporali prouenire, aut quia illa arctior illi, & impar congressui cum illo, nō vero cum alio. Quid si fortasse illud verbum, *non potuit*, sit intelligendum, quia scilicet illa restitit? Quare tantum inter illos sponsalia fuerunt, & ideò valuit secundum coniugiū. Dicamus ergo cum communi Doctorum sententia conatum copulæ non esse sufficiens signum ad matrimonium, neq; illius idoneam præsumptionem, si tantum præcesserunt sponsalia.

14 Ex dictis colligi videtur multo minus amplexibus, osculis, tactibus sponsalia trāsire in matrimonium, vt docet Couarruuias 1. part. cap. 4. §. 2. num. 2. constat ex *cap. 1. de matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ*, vbi non obstantibus muneribus acceptis à primo, cui desponsata fuerat, & osculis & amplexibus, ad tertium redire compellitur. Quare non iudicauit Ecclesia huiusmodi facta sufficientem præsumptionem matrimonij cōsensus, sicut præsumit in copula etiamsi in illis aliquod peccatum interuenisset, quod magis confirmat id quod diximus supra isto cap. num. 12.

15 Verum hæc quæ hactenus diximus de conatu ad copulam intelligenda sunt, quando conatus ad copulam sequitur sponsalia, atsi ex parte vnius esset consensus de præsenti, & statim altero consentiente sequatur conatus ad copulam sufficiens signū erit consensus matrimonij, censebitur enim eo signo mutuam traditionem explicuisse, quod magis constabit ex infra dicendis, videturque esse plurium sententia, quos refert, & sequitur Geminianus in cap. *vnico de desponsat. impub. in 6. §. idem quoque* n. 7.

16 Ea quæ hactenus in isto cap. & præcedenti diximus de signis consensus matrimonij, vera etiam sunt in mutis & surdis, cum edoceri possint, quid sit matrimonium, sicut & edocentur difficiliora alia. Atsi etiam simul cæcus esset à natura, non video quomodo discere possit, quid sit matrimonium aut signis exprimere consensum, secus, si cæcitas non esset à natura, sed superueniisset: de quo latè Thomas Sanchez lib. 1. disp. 8. quæst. 2. num. 12. Sed qualiter consensus muti, & surdi cognoscatur late ante illum Bartolus, & Doctores in *l. mutum 5. D. de acquir. hæredit.*

De signis sufficientibus in contractibus impuberum.

CAPVT XIII.

SVMMARIVM.

Quid agendum. num. 1.

Inter impuberes, & sponsalia, & matrimonium esse posse iure naturali: Ecclesiastico designatum septennium sponsalibus, & antiquo iure etiam licuisse matrimonium post septennium. num. 2.

Sublatum lege Pontificia, & statutum vt matrimonia ante pubertatem tantum haberent vim sponsaliorum. num. 3.

Sponsalia ante septennium nulla, nisi postea consentirent, vel indicarent se non recedere à priori voluntate. num. 4.

Impuberum sponsalia secuta copula ante pubertatem, transibant in matrimonium. n. 5.

Inter sponsalia impuberum re, & verbis de futuro, & illa quæ sunt verbis de præsenti discrimina aliqua esse in iure, illaq; explicantur. n. 6.

Sponsalia impuberum verbis de præsenti etiam conatu copulæ transire in matrimonium, & in eo differre ab sponsalibus puberum de futuro. num. 7.

EXPLICVIMVS hactenus, quę signa videantur sufficere in his, qui post annos pubertatis, aut sponsalia, aut matrimonia contrahunt, vt censeatur consensus de præsenti interuenire. Nūc

superest explicandum, quid de impuberibus, & eorum sponsalibus, aut matrimonijs dicendum. Satis perplexa res est, & inuoluta, & ideò sigillatim explicanda, & à capite negotium istud repetendum.

2 In primis obseruandum est, vt infra dicemus, impuberes capaces esse iure naturali ad contrahendum matrimonium, & etiam sponsalia, quicunque rationis compotes fuerint, in quacunque sint ætate: iure tamen Ecclesiastico definitum illis fuisse septennium, vt iam dixi cap. 12. Quod tamen tempus anticipari posset, & malitia supplere, vt ibidem dixi, & dicam latè infra, cum de impedimento impotentiæ sermo fuerit. Contrahebantur autem inter illos ante annos pubertatis non tantum sponsalia de futuro, sed etiam matrimonium de præsenti, vt constat ex cap. *Acceßit*, quod est Alexandri III. *de desponsat. impub.* ibi: *Quia desponsationes & matrimonia ante septem annos fieri nõ possunt, & cap. à nobis*, eodem ibi: *Matrimonij nomine coniunguntur, & postea confirmatur matrimonium.* Cæterum ita contrahebant matrimonium, vt post pubertatis annos ratum habendum esset matrimonium ab vtroque *cap. Continebatur, & cap. de illis, & cap. citato, de desponsat. impub.* Et quamvis matrimoniũ eorum impuberum de præsenti, non esset ratum, neque firmum, donec ad annos pubertatis peruenissent, & consensu suo ratũ haberent, & in eo se perseuerare ostenderent, differebat tamen in multis ab sponsalibus de futuro inter eos cõtractis. Primum nam sponsalia mutuo cõsensu partium dissoluuntur. Hoc autem matrimonium impuberum de præsenti, etiam ex consensu partium non dissoluebatur ante pubertatis annos, nisi postquam iam puberes facti vellẽt discedere, *cap. de illis 7. de desponsat. impub.* in quo capit. Pontifex intelligit sponsalia de præsenti, vt constat ex versiculo, *si autem mulier*, vbi vtitur verbo nubendi; constat etiam ex cap. *à nobis eodem.* Item sponsalia nõ dissoluuntur, vnius tantum renuentis voluntate: at verò siue impuberes contraxissent, siue pubes cum impubere, expectare teneba tur, vsque ad pubertatis annos, & vno eorũ reclamante, vel eo, qui tempore contracti matrimonij impubes erat, separabantur; ca. *de illis, & cap. à nobis, eodem.* Si probare non posset quod in fine quatuordecimi anni, vel post quatuordecimum annum consensisset in eum. Neque his obstat dispositio Pontificis in cap. *ex literis eodem*, vbi puella, quæ nubilis ætatis nupsit puero decenni, licentia conceditur nubendi, si expectare nolit, donec puer perueniat ad 14. annum: Nam illa fuerat minis parentum compulsa ad illud matrimonium ineundum, vnde dicitur, *secundum ea, quæ proposita sunt.* Planum enim erat ex narratione facti illam nunquã habuisse consensum, atque ideò expectare non teneri, cum pueri consensus vsque ad 14. annum non subsisteret firmus, & coniugalis, vt in cap. *à nobis 8. eodem.* ibi, *coniugalem consensum.* Quare matrimonium istud impuberum, quod iure antiquo licere diximus, valde simile erat matrimonio sub conditione celebrato, vt multi docent: neque illud vsque ad euentum conditionis sponsalia esse dicunt, sed matrimonium, denuò tamen confirmandum eueniente conditione, vt dicam infra lib. 3. cum de consensu conditionato sermo fuerit. Quamvis reverà hæc non essent aliud, quàm sponsalia, sed peculiaribus iuris priuilegijs munita.

3 Attamen matrimonia hæc impuberum vel noua lege Clementis III. in cap. *Duo pueri, de desponsat. impub.* ibi: *Impediente pueri ætate inter C. & G. matrimonium non fuit*, (quamvis hic textus Clementis non multum vrgeat, cum nondum septennis esset puer, sed sexennis, vt constat ex principio capitis, & quia confirmandum fuerat post decimumquartum annum, & confirmatum non fuit, sed cum alia consobrina initum, cum tamen non esset ob impedimentum ortum publicæ honestatis, illis post septennium cohabitantibus, iuxta textum in cap. *vnico de desponsat. impub. in 6. §. 1.* ibi, *nisi per cohabitationem, &c.* Sed de hoc cap. infra lib. 7. cum de impedimento publicæ honestatis sermo erit) vel Innocentij III. constitutione in *cap. fin. eodem*, in vltimis verbis: ibi: *Si puella nubilis non erat ætatis, cum sæpe præfatus vir desponsauit eandem, & ætatem malitia, & prudentia non supplebat, procul dubio inter eos non coniugium, sed sponsalia contracta fuerũt.* Vel potius declaratione iuris, quod verius censeo, iudicatum est ea matrimonia tantum sponsalium rationem habere, quãtumvis de præsenti contraherentur. Bonifacius VIII. in dict. cap. *vnico, de desponsat. impub.* hæc habet: *Sponsalia enim illa, quæ iuris dispositione tantum fuerint sponsalia de futuro, licet verba exprimentia consensum de præsenti haberent, & matrimonium contrahere intenderent contrahentes, &c.* Quod quidem lex positiua facere potuit reddens eos inhabiles, ex quo fiebat eorum consensum, quamvis de præsenti, nullius roboris esse.

His

4 His præmissis de impuberum matrimonijs, quę infra suo loco latius prosequemur hæc dicimus, impuberũ sponsalia ante septennium contracta nulla erant *cap. litteras, cap. accessit, de desponsat. impub. cap. vnico eodem in* 6. §. 1. licet existimem, in his etiam, sicut & in matrimonijs malitiam ætatem supplere, vt iam dixi supra cap. 12. Vnde expendo in dict. *cap. litteras*, dixisse Alexandrum, *quia ex tunc sponsalia placere consueuerunt*. Deinde dico ea sponsalia ante septennium contracta valida censebantur, si postea consentirent, vel per cohabitationem, aut verbo, vel facto ostenderent, se in ea voluntate post septennium perseuerare, dict. *cap. vnico de desponsat. impub. in* 6. *& dict. cap. litteras, & cap. accessit, extra eodem.*

5 Tertiò dico sponsalia impuberum, & verbis de futuro, vel verbis de præsenti, & sensu de futuro ob fictionem iuris, subsecuta copula, etiam ante pubertatem transibãt in matrimonium, *cap. à nobis*, 8. *de desponsat. impub.* non enim consummatam fuisse copulam colligitur ex illis, *se Virginem cuasisse*, & quia alias non permitteretur ad aliud transire matrimonium. Facit etiam textus in *cap. ex litteris, eodem*, ibi, *neque ad eandem carnaliter accessum habuit.*

6 Denique dico sponsalia de præsenti inter impuberes contracta, vel puberis cum impubere, quamvis fictione iuris reputentur sponsalia, attamen de illis, & de sponsalibus re & verbis de futuro diuersa iurisdispositio est. Nam sponsalia re & verbis de futuro, siue puberum, siue impuberum, non transeunt in matrimonium conatu copulæ, neque osculis, aut amplexibus, aut cohabitatione, vt dictum est: attamen sponsalia, quæ fictione iuris erant de futuro, per conatum copulæ, amplexus, & oscula, cohabitationem, & traductionẽ, dum modo post pubertatem ea signa adhibeantur, transeũt in matrimonium. Sic sentiunt nonnulli, quos refert, & sequitur Geminianus in dict. *cap. vnico de desponsat. impub. in* 6. *num.* 7. videtur sequi Innocentius in *cap. fin. de sponsal.* quem refert & sequitur Præpositus ibidem in fin. Quæ me in hanc sententiam inducũt, hæc sunt. Primo facit textus in *ca. ad id quod per tuas de sponsal.* vbi per cohabitationem iam transijsse in matrimonium dicitur; & quamvis ibi cohabitationis nomine Innocentius copulam intelligat, tamen contrarium insinuat idem Innocentius *cap. fin. eodem*, & nihil est quod nos cogat sic interpretari. Deinde facit etiam textus in dict. *cap. attestationes*, vbi nixus in copulam ante decimumquartum annum non censetur signũ matrimonij, colligitur tamẽ fore, si vel proximi essent quatuor decimo anno, vel complessent, cum rogari deberet, an in illã consenserit, scilicet, verbo, vel facto, vel nixu copulæ. Sed efficacius idem ostenditur ex d. *cap. vnico in* 6. *§. fin.* vbi dicitur, matrimoniũ inter impuberes contractum de præsenti, quod fictione iuris censetur sponsalia, elapsu temporis impuberum non conualescere, nisi vel per copulam, vel per alium modum contrahentes eosdem in eodem consensu perseuerare ostendatur. Est ergò præter copulam, & verba alius modus exprimendi valorem eorum sponsaliorum, vt transeant in matrimonium. Si enim alius modus tantum essent verba, facilius diceret Pontifex, nisi per copulam, aut verba. Vox autem illa euidenter, etiam in hoc conatu locum habet, loquitur enim Pontifex de euidentia morali, & prudenti, non omnimoda, cum ea etiam neque verbis, neque copula haberi possit, profundum enim cor hominis & inscrutabile. Rationrm reddam statim huius dispositionis.

7 Ex quo fit hoc discrimen esse inter spõsalia re & nomine de futuro etiam in adultis & puberibus, & inter sponsalia de præsenti impuberum, quod illa non transeunt in matrimonium, nisi secuta copula, hæc vero ex conatu copulæ. Cuius optimam rationem me iudice assignat Præpositus in c. *fin. de sponsal. num. fin.* Quia in sponsalibus de futuro, cum non habeant consensum de præsenti contrahendi, non mirum, si lex ad hũc animum præsumendum requirat aliquod factum completum, scilicet copulam, neq; vult, quod sufficiat aliquod inchoatum, scilicet, amplexus, oscula, conatus ad copulã. At in matrimonio contracto inter impuberes adest voluntas contrahendi de præsenti, sed voluntas contrahendi non est perfecta propter defectum ætatis: & ideò ex aliquo actu, per quem demonstretur, post perfectam ætatem consentire, inducitur matrimonium. Vnde probanda est, & ad rem istã facit doctrina Geminiani, quam capite præcedenti retulimus, scilicet actum superuenientem declarare consensum secũdũ naturam verborum præcedentium, de quo extat decisio Rotæ apud Seraph. 1000. n. 1. Cumque ille consensus impuberum sensu, & significatione verborum sufficeret ad matrimonium, nisi lege impediretur, non verò consensus de futuro, inde est, vt accedente

post

post pubertatem aliquo, quo indicetur perseuerare idem animus, etiam si non sit copula consummata, valeat matrimonium.

Quomodo per patrem & extraneos significetur consensus contrahentis illo præsente?

CAPVT XIIII.

SVMARIVM.

Proponitur quod disputandum est, n. 1.
Decisio Bonifacij 8. Certum habere locum in sponsalibus siue sit pater, siue mater, quæ contrahit pro filio, aut filia, siue sint emancipati, siue non, n. 2.
Communis sententia etiam habere locum in matrimonijs, contrarium ob rationum momenta verius iudicaretur, nisi tot opponeretur auctoritas, n. 3.
An ea constitutio Bonifacij extendatur ad alios, quàm parentes? Quidam affirmant, n. 4.
Sententia negans, num. 5.
Media sententia, num. 6.
In foro conscientiæ admittitur valere, n. 7.
Etiam in foro externo cum prima sententia, sed rationes non probantur, n. 8.
Vera probatio, num. 9. 10. 11.
Proponuntur aliquæ contra veram sententiam, & diluuntur, n. 12. 13.
Contracta sponsalia à parentibus pro filijs absentibus ratificari à filijs deberi, num. 14.

1 Diximus hactenus, quando verbis aut factis ipsius cotrahentis significari cõsensus sponsaliorum aut matrimonij possit; nunc dicendum est, quomodo explicetur verbis aliorum à contrahentibus. Et quia contingere potest, vt alius pro alio contrahat eo absente, vel præsente, de hoc dicam in isto capite, de illo verò in sequenti.

2 Extat de hoc decisio Bonifacij 8. in *cap. vnico, de desponsat. impub. in 6.* in hæc verba. *Porro ex sponsalibus, quæ parentes pro filijs puberibus, vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filij, si expresse consenserint, vel tacitè, vt si præsentes fuerint, neque contradixerint, obligantur.* Hæc ibi Pontifex Bonifacius.

Circa quem textum in primis obseruo in sponsalibus de futuro planam esse Pontificis decisionem, scilicet, valere puellæ præsente, atque tacente, siue pubere, siue impubere, vt docet communis sententia contra paucos quosdam, qui negarunt id quod inductum est iuris præsumptione tantum, neque in hoc est aliqua difficultas. Habet autem locum id, quod dicimus, tàm in patre, quàm in matre, verbo *parentes*, in genere. Mater enim etiam potest offerre filium religioni, *cap. 1. 1. quæst. 20. & cap. 1. quæst. 2.* neque etiam minus mater, quàm pater filiũ diligit, ne illi consulat. Sic Geminianus ibidem, Francus ibidem, num. 13. citatis alijs. Habet etiam locum, siue filij sint emancipati, siue non absolutè enim dicit Bonifacius, *pro filijs puberibus*, Francus loco cit. Imo etiã ampliatur & extenditur ad filios spurios, vt docent ibidem Ancharranus, & Francus, cum in hoc tantum consideretur reuerentia debita naturæ, non patria potestas.

3 Sed an hæc dispositio Bonifacij locum etiam habeat in matrimonijs quæstionem habet. Video communem esse Doctorum sententiam etiam in illis locum habere, nonnullis exceptis. Hi sunt supplemẽtum Gabrielis in 4. distinct. 27. quæst. 1. art. 2. concluſ. 4. Angelus matrimonium 2. n. 5. & nonnulli Recẽtiores, quos refert Petrus Ledesma quæst. 45. art. 2. dub. 3. & Henriquez lib. 11. de matrim. cap. 2. num. 6. iuncto comment. in litera. P. Bassolis etiam in 4. distinct. 27. quæst. 1. art. 1. censuit nõ habere locum in matrimonio vt sacramentũ est, quia requiruntur verba contrahentis, sed in illo, vt contractus est. At nisi me tot Doctorum Auctoritas detineret, plane cũ his paucis sentirem hanc constitutionem Bonifacij non habere locum in matrimonijs, sed tantum in sponsalibus de futuro, inductus duobus fundamentis. Primum est ex verbis ipsius Constitutionis; si enim in ea plane agitur de sponsalibus de futuro, cur ad matrimonium extendimus? Agere autem Pontificem de sponsalibus de futuro planè constat ex omnibus, quæ in ea constitutione continentur. Nam in §. 1. planum est, cum post Innocentij 3. constitutionem in *cap. fin. de de sponsat. impub.* inter septennes non matrimonia, sed sponsalia, esse possint. In §. autem 2. speciatim agit de matrimonijs eorum impuberum, quæ tãtum fictione iuris sunt sponsalia. In 3. quoque §. id planissimè constat, quia agitur de sponsalibus contractis in filiorum absentia, & illis ignorantibus. Quis autem dicat matrimonium contrahi in filiorum absentia & illis ignaris? neque id vllo in mentem venire potest. Præterea, quia vel Pontifex

in isto

in isto §. agit de sponsalibus, & matrimonijs; vel tantum de sponsalibus, ad matrimonium autem extenditur à Doctoribus. Primum dici non potest, vt probatum est: neque secundum; non enim ea, quæ de spõsalibus dicuntur, ad matrimonia etiam extendi semper debent. Cum enim strictior sit obligatio matrimonij, quàm spõsalium, multo plura requiruntur exactius ad matrimonium, quam ad spõsalia. Hæc enim multis de causis dissolui possunt, matrimonium autem indissolubile est. Vnde quamuis spõsalia à parentibus celebrata præsente filio, atque tacẽte sustineri possint, & sic statuat Pontifex, non idem de matrimonio dicendum videretur, cum ad matrimonium plena libertas requiratur, vt dicam postea lib. 4. cap. 14. & facillimum sit filium vel filiã metu reuerentiali impediri. Metum autem reuerentialem efficere inualidum matrimonium dicam postea eodem libro. His accedit, quod cum tota hæc dispositio de valore sponsalium, quæ celebrant Parentes pro filijs, illis tacentibus & præsentibus, niratur in quadam præsumptione consensus tacentis, non est firmum aliquod fundamentum ius iudicasse eã taciturnitatis præsumptionem sufficientem ad iudicandum validum matrimonium, cum sit res longè maioris momenti, & quæ magis veritate ipsa decidẽda est, quàm præsumptionibus, aut illis efficacissimis, & vrgentissimis.

4 Verùm, esto hæc dispositio Bonifacij intelligatur cum cõmuni sententia, tàm in sponsalibus, quàm in matrimonijs; certum mihi videtur illã locũ habere etiã post Tridentinum, dũmodo id fiat coram Parocho & testibus. Nam quoadmodum significãdi consensum nihil immutauit Concilium. Dubitationem tamen habet apud Doctores, an ea dispositio Bonifacij extendi debeat ad alios, quàm ad Parentes contrahentis. Nam ad alios etiam extendi posse affirmant non Pauci. Hi sunt Ioannes, Imola, Geminianus, & alij in d. cap. Nituntur primo. Quia qui tacet, consentire videtur, quando agitur de re naturaliter appetibili. Igitur qui tacet alio pro eo cõtrahente, in re tanti momenti consentire videtur 2. ex *c. 1. de Matrimon. contracto contra interdictum Ecclesiæ*, vbi sermo est de patre, qui pro sorore contraxerat, & *cap. ad id quod de victrico, & c. ex parte, de restitutione spoliatorum*, sermo est de patruo. Non ergo solis licet parentibus.

5 Alij verò existimant solis concessum parentibus, vt pro filijs præsentibus & tacẽtibus validè contrahant. Cõmunis hæc Doctorũ sententia est, eã sequitur Innocentius in d. *c. 1. de Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ*, Præpositus in d. *c. vnico de desponsat. impub.* Francus ibidem §. *Porrò*. Conar. 2. p. cap. n. 1. cit. alijs. Ex Theologis Ricardus in 4. dist. 27. art. 1. q. 3. in solut. 2. Bassolis, & Paludanus & alij sauent, quatenus de parentibus affirmant, neque de alijs mẽtionẽ faciunt; sed Paludanus expresse in 4. dist. 27. q. 2. art. 3, conclus. 4. post illam §. *Sed contrarium videtur verius*, sequitur etiam Thomas Sanchez citatis alijs lib. 1. disp. 23. q. 2. n. 7. Rebellus lib. 2. de Matrim. q. 10. sect. 1. n. 9. Non aliò nituntur fundamẽto, nisi quia specialis hæc Bonifacij dispositio est pro parentibus inducta; præsumit enim, cũ magis filios, quã seipsos diligant, rectè & optimè consulere filiorum bono & honesto matrimonio.

6 Alij denique non pauci mediã quandã sententiam secuti sunt, scilicet, in foro externo nullũ esse matrimoniũ contractũ per extraneos illis præsentibus, & tacentibus, sed vlterius requiri tacitã vel expressam ratificationẽ: at vero in foro interiori cõsciẽtiæ valere, siue matrimoniũ fiat per parẽtes, siue per extraneos. Hi sunt ex Theologis Ricardus in 4. dist. 27. art. 1. q. 2. ad 2. Petrus Ledesma q. 45. art. 2. dub. 3. & alij quos refert Thomas Sanchez ibidẽ n. 6. Soto in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. §. *Præsens autem ambiguitas*.

7 Dicã ego, quid mihi in his sententijs videtur probabilius. In primis id quod dicunt Doctores huius 3. sententiæ de matrimonio isto in foro conscientiæ mihi videtur verissimũ, Inducor hac ratione, meo iudicio, efficaci. Quia negari non potest verba alterius à contrahentibus, præsente & tacente contrahente, esse sufficiens signũ ad exprimendum consensum de præsenti, vt constat ex d. *c. vnico*, verba parentum pro filijs sufficere: aliàs, si ex se non esset sufficiẽs signum, non posset Pontifex id decernere, cum contractus iste constare debeat cõsensu exterius sufficienter expresso, quia contractus humanus est, & sacramentum sensibile. Habemus ergò iuxta naturã cõtractus sufficiẽs signũ esse. Ex illius ergo natura sufficiens signũ erunt verba alterius illo præsente atq; tacẽte. Neq; in hoc, si naturã cõtractus spectes, discrimẽ est inter patrẽ, aut matrẽ, aut extraneos. Atque adeo, si spectes naturã huius cõtractus, valere potest matrimonium per extraneos factum ipso contrahente præsente, atque tacente, quod magis

gis constabit ex dicendis.

8 Deinde mihi videtur etiam in externo foro validum debere iudicari huiusmodi matrimonium, vt dicebant Doctores primę sententiæ; sed, & si sententiam probem, eorum tamen in hac parte rationes minus probo. Illud enim, quod desumitur ex regula iuris. Qui tacet, consentire videtur, futile est. Ea enim regula, vt rectè Pechius ibidē, multas patitur exceptiones. Id verò, quod adducitur ex *c. 1. de matrim. contracto contra interdictum Ecclesiæ*, nullius etiam momēti est. Quia expressè dicitur fœminam, & ore, & corde consensisse, accipiendo munera secūdum consuetudinem loci, & amplexando, osculando, virumque vocando. Ex *c. ex parte*, potius videtur oppositum colligi, non valuisse traductionem ibi factā per patruum, cum illam non præcessissent sponsalia, neque matrimonium. Sensit ergò sponsalia celebrata per patruum nulla fuisse. Quare dicendum, etiam si à patruo tradita fuerat, etiam illam consensisse; attamē habuisse facultatem recedendi, cum ad nubiles annos perueniret. Cū ergo eo tempore reclamasset, iam nec sponsalia, nec matrimonii sub sequebantur traductionem, & quæ præcesserant, nulla iam erant per reuocationē factam in nubili ætate: vnde remanebat destituta omni robore traductio, atque ideo non habebat locum restitutio spoliati. Similiter ex *c. ad id quod, de sponsal.* nihil probatur. Traditur enim puella vndecim annorum inuita, permansit annum, & dimidium cohabitando; censet Pontifex consensisse, cum nō fugerit tāto tempore, neque reclamauerit. Itaque nō ex cōsensu vitrici, sed quod post traductionem consenserit, & ratum habuerit vitrici factum. Illa ergò Doctorum fundamenta mihi non probantur.

9 Moueor ergo ista cōsideratione. Quia quid spectasse dicemus Pōtificē, vt id, quod iure naturali iuxta naturā contractus matrimonij locū habere poterat, vt dictū est, ad solos parētes restringeret: An naturalis amor, quo sobolē prosequuntur? is autem non est minor in fratrib⁹, atq; adeo ea ratione ea cō stitutio ad fratres etiam extendi deberet; neq; enim, vt dicebat ille *fraterno quisquā est æquandus amori*. Est nanque *frater*, quasi *fere alter*. &, vt docet Plutarchus de Amore fraterno, omnia disposuit natura inter fratres, vt esset amor vehementior; est enim æqualitas, obstat enim inæqualitas amicitiæ; & quod ex eodē trunco procedere voluit, amputauit occasiones discordiæ. Quod si aliquando inter fratres vehementissima odia videntur, quid mirum; exorbitant à lege naturæ; & aliquando etiam Patres suos fœtus odio habent. Quod autem extranei minus prospicerent bono contrahentis, nō obstat; est enim maior libertas reclamandi, si extraneus contraheret eo præsente, quam si pater, cui obedire sæpè cogit reuerentialis metus. Quare maius, & verosimilius periculū imminere potest, si pater pro filio loquatur: sæpe enim fieri poterit, vt ex metu taceat, neq; repugnet, quam si extraneus contrahat, quem minus reueretur. Quare dicamus Pontificem parentum potius, quā alio rū meminisse, quia parentes pro cura & solicitudine erga filios, sunt, qui de illis copulandis agunt frequentius, alij, nisi vocati raro. Si semel autem vocati sunt, iam sunt velati procuratores, & internuntij, habentq; expressam voluntatem contrahentium: aut si nō vocati id agerent, meritò, qui præsens est, & audit, & intelligit, & tacet, consentire præsumitur in hoc casu, cū tā facile illū, qui eius nomine contrahit, posset respuere.

10 Præterea vrgeo Doctores secūdæ sententiæ ex his, quæ ipsi fatentur. Concedunt secūdam partem eius §. in d. *c. vnico*, in qua agitur de sponsalibus, aut matrimonijs filijs absentibus contractis à parentibus, extendi etiam ad extraneos. Sic Anton. de Butrio in *c. tua de sponsal.* nu. 7. Cardin. *c. 1. de desponsat. impub.* nu. 2. & illos secutus Thomas Sanchez disp. cit. n. 17. cum tamen constitutio Bonifacij tantum exprimat parentes; & fatentur etiam pari modo sponsalia contracta per parētes, & extraneos ratificari debere, vt statim dicam, neque in hoc discrimen esse inter parētes, & extraneos; cur ergo primam eius §. partem non intelligūt de vtrisque? Verba enim Pontificis non latiorem viam aperiunt, vt prima pars de parentibus tantum, secunda de vtrisque intelligatur.

11 Denique quotquot per Baptismum Ecclesiæ gremio adsciti sunt, legibus Ecclesiasticis teneri, cum iam sint intra Ecclesiā, dubium non est, nisi accedat Pontificis dispensatio. Sed Thomas Sanchez ibidē n. 14. fatetur Indos sufficienter contrahere, si præsentes gubernatori contrahenti pro illis nō contradicant, nec repugnent, quia ita seruiles sunt, vt sine Gubernatoris arbitrio nihil agant. Cur ergò ad Indos ea lex extenditur? Neq; enim inter illos, dū Ethnici erant, seruata cōsuetudo legi Ecclesiasticæ obesse potuit, imo multo minus ferenda nunc

esset eo ipso quòd adeo seruilis animi sint, si quidem præsumi facile poterat, etiã inuitos sæpe cõtrahere, ne gubernatori repugnẽt. Quis hoc nõ videt? sed ideo certè inter eos eiusmodi matrimonia valent, quia nulla lege Ecclesiastica oppositum statutum est. iure autem naturali valent, eo quod sufficienter exprimatur consensus.

12 Sed huic nostræ sententiæ videtur obstare 1. Quia, vt notant Doctores in *cap. 1. de sent. & re iud.* & alibi, vbi agitur de obligando, qui tacet, non consentit, nisi in casibus à iure expressis. Cũ ergò non exprimatur in matrimonio, nisi de taciturnitate filiorũ respectu parentũ, secus erit de extraneis. Aliàs frustra in d. c. mentio fieret de parentibus, si idem dicendum esset de omnibus alijs. Cæterum hoc argumento Paludani rectè etiam conuinceretur, quod ego contendebam suprà, scilicet, istam cõstitutionem Bonifacij non esse extendendam ad matrimonia filiorum, sed tantum ad sponsalia, cũ de illis fiat expressa mentio, non de matrimonio, quomodo ergò isti Doctores eam extendunt ad aliam etiam obligationem, & longe strictiorem, scilicet, matrimonij, extendi etiam poterit ad parentes, & extraneos; cum eadẽ, imò multo maior sit ratio dispositionis. Cur autem potius meminerit Pontifex parentũ, quam aliorum explicui supra isto cap. n. 9.

13 Secundo obstare videtur, quia si alteri dicenti, *Accipio te in meam*, puella taceret, neque reclamaret, nõ haberetur pro expresso cõsensu neque tacito. Igitur idem in hoc casu. Respõdemus disparẽ valde esse rationẽ, nã in nostro casu iã loquitur per aliũ per quem exprimit sufficienter consensum; in casu autem argumenti, neque perse, neque per aliũ; neq; facto, neque verbo cõsensum exprimit. est autem ad matrimoniũ necessaria mutua sufficiens expressio consensus.

14 Illud deniq; addendũ est, quod docet optime citatis alijs Thomas Sanchez ibidem n. fin. si filijs absentibus parentes pro illis contrahant matrimonium, vel sponsalia, siue id fiat, coràm parocho, & testibus iuxta Tridentinum, siue sine illis, antiquo iure, ratificari debere postea à filijs, siue tacitè, siue expressè aliquo signo ex his, quæ capitibus præcedentibus diximus sufficere, neque esse necessariam ratificationem expressam, vt cõtra Innocentium *c. 1. de desponsat. impub.* docet cõmunis sententia, ex dispositione Pontificis in *d. c. vnico §. fin.* ibi, *ratum habuerit*; atque in hoc æquam esse conditionẽ parentum, & aliorum.

Quomodo in absentia cõtrahẽtis per procuratorem consensus exprimatur?

CAPVT XV.

SVMMARIVM.

Proponitur quæstio, n. 1.
Decisio Bonifacij VIII. de contrahendo matrimonio per procuratorem, nu. 2.
Requiri mandatũ speciale ad matrimoniũ. nu. 3.
Mandatum speciale ad aliquos casus expressos nõ posse extendi ad alios, etiam si detur cum clausula generali, nu. 4.
Designatum procuratorem ad contrahendum matrimonium pro alio non posse alteri vices suas committere, nu. 5.
Si exceduntur fines mandati nihil agi, num. 6.
Secũda pars decisionis Bonifacij de reuocatione mãdati ad contrahendũ matrimoniũ, num. 7.
Reuocato mandato ad matrimonium nihil agi à procuratore validè, num. 8.
Non requiri, vt ea reuocatio innotescat procuratori, num. 9.
Non valere ratificationem matrimonij initi à procuratore semel reuocato, num. 10.
Quamcumque reuocationem sufficere, vt nihil agat postea procurator, siue per nuntium, aut epistolam, aut etiam internam, num. 11.
Etiam si mandans iurasset se non reuocaturum, num. 12.
Debet perseuerare consensus tempore, quo procurator contrahit, num. 13.
Si mandans eo tempore, quo procurator contrahit incidit in amentiam, nihil agi, num. 14.
Proponitur quæstio de notitia reuocationis mandati in alijs contractibus, num. 15.
Mandatum reuocatione finiri posse, & re integra sine causa reuocari posse, secus re non integra, num. 16.
Etiam in alijs contractibus posse accidere vt reuocatio teneat, etiam ignota mandatario, nu. 17.
In his actibus, in quibus respublica supplere consensum non potest, non est necessarium vt innotescat reuocatio, num. 18.
Matrimonium spirituale non posse contrahi per procuratorem reuocato mandato, num. 19.
Neque spiritualem cognationem contrahi, n. 20.
Neque votum aut iuramentum aliquod emitti, num. 21.
Idem de mandato ad excommunicandum, ibidẽ.
Quando respublica supplere consensum potest, in his casibus requiri notitiam reuocationis tantum, in quibus iure exprimitur, num. 22.

Distin-

Distinctiones, quibus nonnulli hanc rem explicant reijciuntur, num.23.24.25.26.

Valere mandatum ad renunciandum, si non est nota renocatio. Discrimen inter contrahendum matrimonium spirituale, & renunciandum, num.27.

Procurator designatus ad resignandum qui iam supplicationem porrexit, potest, & cogitur præstare consensum formalem, etiam mortuo resignante, num.28.

Filius validè manumittat ex concessione patris si decedat pater, & filius ignarus mortis manumittat, num.29.

Si libellum repudij mittat, & pœniteat, etiam ignorata pœnitentia cessat repudium, num.30.

Si quis cũ dolo facit ne nota fiat renocatio, nihil agitur, num.31.

Commoda explicatio communis sententiæ, nu.32.

Quid dicendum, quando mandans iurauit non renocaturum mandatum, nu.33.34.

Quid dicendum de renocatione nuntij aut epistolæ in matrimonio, num.35.

In alijs contractibus quorundam distinctio reijcitur, num.36.

Vera sententia explicatur, nu.37.

1 EVM, qui absens est, matrimoniũ per procuratorem posse contrahere, satis constat ex dictis supra lib. 1. cap. 10. Quare solum superest explicandum. Quid requiratur, vt matrimoniũ per procuratorem validè contrahatur.

2 Extat autẽ de hoc decisio Pontificis Bonifacij VIII. *in c. fin. de procurat. in 6.* cuius constitutionis duæ sunt partes, quæ sigillatim explicandæ sunt. Prima his verbis concepta est. *Procurator nõ aliter censetur idoneus ad matrimonium contrahendum, quàm si ad hoc mandatum habuerit speciale. Et quamuis aliàs is, qui constituitur ad negotia procurator, alium dare possit, in hoc tamen casu propter magnũ, quod ex facto tam arduo posset periculum, imminere, non posset deputare alium, nisi hoc ei specialiter sit commissum.* Hæc Bonifacius.

3 Ex qua prima cõstitutionis parte colligitur 1. mandatum generale procuratori datũ nõ sufficere ad contrahendũ matrimoniũ, vt colligunt ex d.c. Doctores Ancharranus, Geminianus, Francus ibidem. Sed aduertit Ancharranus ibid. n. 1. quanuis Glossa in *c. Qui ad agendũ verbo paciscí*, plures casus enumeret; in quibus nõ sufficit generale mandatũ, sed requiritur speciale, adhuc inter eos, & matrimoniũ esse manifestũ, & non vnum discrimen, quod in illis sufficiat eos exprimere in genere, *vt do tibi ad petendum absolutionem*, sine eo quod exprimat, in qua causa, vt docet idem Ancharranus in *c. Qui ad agendum, de procurat. in 6. q.* licet etiã dicat non esse id vniuersaliter verũ in alijs casibus à matrimonio, doceatque idem cũ Baldo *in c. per curam de elect. in 6. nu. 3.* At verò in matrimonio requiritur specifica, & expressa mentio; nec sat erit dicere, *do tibi mandatum ad contrahendum matrimonium nomine meo*, nisi etiam exprimatur talis fœmina, vt docet Couar. 2. p. c. 4. n. 11. licet non nihil videatur repugnare Philippus Francus in d. c. fin. n. 4. Estq; optima ratio, quam tradit Batolus *in l. filius, D. de donationib.* quia, cum matrimonium sit vinculum mutui amoris, amor non poterit esse inter ignotos omnino, & ideo neque consensus. Vnde etiam dixit Glossa *in c. non illud 30. q. 5.* matrimoniũ nullo modo inter absentes cõtrahi posse, nisi se aliquo modo nouerint, vel fama, vel alia ratione, cum enim omnino se ignorant ad inuicem consentire non possunt. Est etiam aliud discrimen ab ijsdẽ Doctoribus constitutum, quod illi casus cõmissi censentur, si alij similes expressi cõmittantur *c. qui ad agendum, de procuratorib. in 6.* At etiam illis expressis non censetur comprehendi matrimoniũ. Quare specialis naturæ casus hic est; grauibus autẽ casibus expressis, grauiora non intelliguntur concessa, *Clem. non potest de procurat.*

4 Sed de hoc secũdo discrimine dubitare cogor. Quia licet in his, quæ sunt inter se cõnexa, & se quasi necessario cõsequuntur sustineri possit mandatũ exprimens aliquid ad quod speciale mãdatũ requiritur, intelligi etiam datum ad illa coniuncta, vt mandatum datum ad vendendum intelligitur datum ad accipiendum pretium iuxta decisionem Rotæ 548. n. 4. apud Seraphinũ, in quo sensu accipio textum in *d. c. Qui ad agendum* at non videtur alias verum expresso aliquo casu ad quod requiritur speciale mandatũ, etiam addita clausula generali alios comprehendi. Idque nonnulli probant ex eo quod mandatum datum ad vendendum bona stabilia non prodest ad vendenda iura, & actiones in ea re. Sed hæc probatio minus placet, nã de iuribus, & actionibus idẽ iudicatur, quod de re super qua consistunt, vt tenet cum Tiraquello Rota decis. 932. apud Seraphinum num. 4. Multo melius probatur ex eo quod habet decisio Rotæ 831. ex n. 1. vbi mãdatũ datũ ad exigendum censum, nõ censetur datũ ad extinguendũ illũ, & extinctio facta virtute illius mandati iudicatur

nulla. Quia quãuis mandatũ fuerit datũ cũ plena, libera, speciali, & generali administratione, tamẽ ea clausula per verba prædẽtia restricta est ad præmissa. Probat idẽ decisio Rotæ 576. n. 1. apud Farinaciũ 1. p. vbi quãuis Episcopus mandatũ dederit vicario ad multa, quæ requirũt speciale mãdatũ, & generaliter eũ cõstituerit ad gerẽda similia, vel maiora expressis, ac si ipse Episcopus præsens esset, nõ censetur datũ mandatũ ad consentiendũ donationi iuris patronatus. Quoniã ad hanc nõ sufficit fuisse expressum aliquid requirens speciale mandatũ, etiã cũ illa clausula generali. Quorũ omniũ ea videtur esse ratio. Quia mãdata procuratoria fũt stricte intelligenda, & interpretanda *c. cum olim. 1. de offic. deleg. & c. 1. de procurat. in 6. & l. qui proprio. §. Item quæritur. D. de procurat.* ex qua etiã ratione colligo mandatũ datũ ad recipiendũ, & confitendũ restringendũ esse ad pecunias re ipsa receptas, & numeratas, de quo late Bartholom. Mutinensis in repetit. in c. si cautio, de fide instrum. ex n. 200. Sed quãuis assignatũ discrimen dubitabile sit, ad hoc tamen verũ est, quouis alio speciali casu expresso etiã cũ clausula generali, nõ intelligi matrimoniũ, & etiã si mandatũ datũ esset generale absolutè cũ libera, quãuis procurator generalis cõstitutus cũ libera posit quodcũque Dominus ipse etiã ea, quæ requirũt speciale mandatũ, l. procurator cũ libera, & ibi Bartolus. D. de procurat. & habet decisio Rotæ. 238. n. 1. & 2. apud Seraphinum.

5 Secundò colliges cũ prædictis Doctoribus, eũ qui habet speciale mãdatũ ad matrimoniũ nõ posse alteri vices suas cõmittere, nisi id sit ei specialiter cõcessum. Sic enim expressit Bonifac. in hac 1. cõstitutionis parte. Sed obstare videtur idẽ Bonifa. in *c. is, cui de offic. & potest. deleg. in 6.* vbi cũ alicui conceditur prouisio alicuius Ecclesiæ, & alicuius certæ personæ dicit posse alteri vices suas cõmittere, secus si non designetur certa persona, nã tũc videtur electa industria personæ. Sed cũ matrimoniũ per procuratorẽ cõtrahitur, datur speciale mandatũ de certa persona. Ergò nõ videtur requiri industria personæ, atq; adeo posse cõmitti alteri. Cõmunis tamẽ Doctorũ solutio est; Ancharrani in d. c. fi. n. 1. Geminiani ibidẽ n. 2. Philippi Franchis n. 4. illud dispositũ esse in matrimonio spirituali; hoc in carnali. Nã ad illud contrahendũ multa credimus potuisse dici procuratori, quæ in mandato exprimi non oportebat, quibus deficientibus nollet cõtrahere. Adde etiã mandatum in contractu matrimoniali dari ob familiaritatem, quæ interuenit, vel vt maiori cum honore fiat; vñ de videtur semper eligi personæ industria, vt rectè considerat Geminianus in *d. c. fin. §. & quamuis*, num. 2.

6 Tertio colliges procuratorẽ excedentẽ fines mandati, nihil omnino agere, sed irritũ esse matrimoniũ. Quod si sine denuntiationibus contrahat, non videtur fines excessisse mandati, quamuis dicatur cõcedi, vt iuxta formam Tridentini contrahat. Intelligẽdum enim de ea, quæ iure assignatur pro forma contractus, vt rectè dicit Thomas Sanchez disp. 11. q. 1. n. 17. & 18. Ea autẽ quæ de Matrimonio hactenus diximus, locũ etiã habere in sponsalibus docet cõmunis Doctorũ.

7 Secunda pars eius constitutionis Bonifacij, sic habet. *Si procurator antequam contraxerit, à domino fuerit reuocatus, contractum postmodum matrimonium ab eodẽ, licet tam ipse, quã ea, cum qua contraxit, reuocationem huiusmodi penitus ignorarent, nullius momenti existit, cum illius consensus defuerit, sine quo firmitatem habere nequit.* Hæc in 2. parte huius constitutionis.

8 Ex qua colligitur primo procuratorẽ reuocato mandato non posse iam mandãtis nomine matrimonium cõtrahere. Cuius optimam rationem assignat Pontifex, quia ad matrimonium verus consensus requiritur, qui est causa illius, non fictus, neque præsumptus.

9 Secundò colligitur in hoc casu non esse necessarium, vt reuocatio mandati perueniat ad notitiam Procuratoris. Id quod iure optimo in hoc casu affirmauit Pontifex, non nouam condens legem, sed ius naturale explicans. Nam consensus in hoc contractu nullo pacto per rempublicam suppleri potest: cumque procurator, tunc cum cõtrahit, vices gerat contrahentis, & pro causa eius matrimonij sit consensus mandantis, & expressus per verba procuratoris, tuncque reuera nullus sit mandantis consensus, sed contrarius, inde fit vt nullus fiat cõtractus. Sed an hæc ratio locum habeat etiã in alijs contractibus prætor matrimonium dicam in fine huius capitis.

10 Tertiò colliges hanc Bonifacij constitutionem locum habere, etiam si ille, qui reuocauit procuratorem, ratũ habeat postea matrimonium contractum à procuratore reuocato. Si enim ea, cum qua contractũ est, non consentiat iterum, nulla est ratificatio, quia contractus fuit nullus, vt dictum est,

vnde

vnde non sufficit vnius consensus de nouo superueniens. Sic Felinus in *capit. ex parte Decani*, n. 11. citatis alijs.

11 Quartò colliges quamcunque reuocationē sufficere, siue per epistolā, siue per verba, seu nuntiū, aut etiā per factū contrariū. Sic Couar. 2. p. ca. 4. n. 11. Thomas Sanchez citatis alijs lib. 2. disput. 11. n. 10. Vnde dato mandato de contrahendo cum alia, satis videtur primum reuocatum. Imò satis esset interna reuocatio, quod attinet ad forum conscientiæ: eam tamen apud Ecclesiā probare necesse est, vt idem Thomas Sanchez n. 7. ex D. Tho. in 4. dist. 29. in expos. literæ Magistri.

12 Adde etiam hanc Bonifacij constitutionē locum habere, etiā si mandans iuramēto promisisset, se non reuocaturū mandatū. Sic Glossa celebris in d. *c. fi.* verbo, *reuocatus*, quam frequenter amplectuntur Doctores Geminianus in d. *c. fin. §. fane* nu. 5. Francus ibidem n. 6. Felinus in d. *c. ex parte Decani* n. 12. & 13. Rebel. li. 2. de matrim. q. 5. in fine. Couar. 2. p. c. 4. n. 13. quā partē quod ad matrimoniū attinet, dicit non esse indubium reuocatam. An autē saltem committatur peccatum contra religionem iuramenti, mihi videtur nō committi, vt postea suo loco explicabo. Quid vero dicendum sit in alijs actibus, & cōtractibus, dicā in fine huius capitis.

13 Denique hinc colliges debere perseuerare consensum tēpore cōtractus procuratoris. Vnde licet prius finxisset consensum, si tamen eo tēpore mutet, & consentiat valet matrimonium. Sic Thomas Sanchez nu. 13. Henriquez lib. 1. de Matrim. c. 2. n. 2. vnde si nihil cogitet, vel distractus sit, in eodē sensu perseuerare censetur.

14 Sed quid dicendū est, siqui mandatū dedit, in amentiā incidat? Thomas Sanchez ibidē n. 12. valere sentit matrimoniū tūc per procuratorē cōtractū. At ego contra sentio. Ratio, quæ me mouet, hæc est. Quia forma, & causa cōtract° est cōsensus expressus per verba procuratoris: at eo tēpore impossibilis est cōsensus. Ergo nullū matrimoniū. Adde si moreretur mādans, eo tēpore nihil ageret procurator: ipsa enim morte cessaret cōsensus. Ergo etiā amētia, quæ æquiparatur morti, quoad cōsensum. In quo videtur lōge diuersam esse rationē de mādante, si in amētiam incidat, aut si dormiat: ille enim incapax est habēdi cōsensum: hic vero minimè. Neq; simile est quod Baptismus petitus ante amētiā, valide cōferatur in amētia *c. maiores de Baptismo*. Nā vt Baptismus effectū habeat, satis est voluntatē præcessisse, neq; reuocatā, eo enim ipso posita materia, & forma ponitur effectus: at in matrimonio necessarius est cōsensus perseuerans, etiā in ipso fieri cōtractus, quia cōsensus per verba expressus, vel signa est forma matrimonij. Idē est in sacrāmēto pœnitētiæ, potest enim absolui, qui ante amētiā dedit signa cōtritionis, vt dixi in tractatu de pœnitētia, neq; nim necesse est si mul sint in pœnitētiā materia, & forma eius sacramenti. Atq; id quod dicimus intelligetur facile, si quæramus, an cū illo in amentiā incidēte, & præsente, licet explicasset antea cōsensum, cōtraheretur matrimoniū? minimè sane. Igitur neq; per procuratorē cōtrahi poterit; si mandans in amentiam incidat.

Quid dicendum de reuocatione mandari in alijs actibus §. 1.

15 Sed iam quæret aliquis an id, quod diximus in matrimonio non esse necessarium, vt reuocatio mandati innotescat, locū etiā habeat in alijs, ad quæ mandatum datur, ita vt necessarium etiam non sit, reuocationem mandati peruenire ad procuratoris notitiam.

16 Et in primis supponendū est reuocatione mandantis finiri mādatum posse *§. recte quoq; inst. mandati*. Quam conclusionē pluribus declarant Mysingerius, & Scheneiduuinus, sed melius, & copiosius Antonius Pichardus. Rationē autē, quare cum ex mandato contractus obligatio oriatur, dissoluatur vnius tantū dissensu, de sumptā ex speciali ratione mādati optimè assignat Donellus li. 16. commēt. iuris c. 23. §. *in his primum*; interest enim tantum mādantis; vnusquisque autem potest his, quæ in fauorem illius constituta sunt, vti si voluerit, aut renuntiare *l. Si iudex* 41. *D. de Minoribus*, & nullus accipere beneficium inuitus cogitur *l. inuito* 69. *D. de reg. iuris*. Quæ quidem reuocatio fieri re integra, etiā sine causa, potest; re nō integra, nequaquā, sed cū causæ cognitione, vt communis Doctorū sententia docet per textum ibi in d. *§. recte quoque*. Quærendum ergo an in alijs ā matrimonio necessariū sit, vt reuocatio mandati perueniat ad procuratoris notitiam? Thomas Sanchez lib. 2. disput. 11. q. 1. num. 6. existimat speciale esse in casu matrimonij, quia in alijs Respublica, supplere consensum potest; & in his, quanuis reuocatio non innotescat procuratori, valet quod ab eo gestum est *Clem. vnica de renunt.*

17 Sed verosimilius est, quod docet cõmunis sententia, locum etiam in alijs habere. Sic docent Geminianus in d. *c. fin. §. fane* num. 3. Francus ibidem nu. 8. Ancharranus ibidem n. 1. in fine, Cardinalis Zauarella in *Clement. vnica de renuntiat.* q. 5. Felinus *in c. ex parte Decani* nu. 10. & sequenti, quos perperam pro sua sententia citat Thomas Sanchez, idem docet Ioannes Imola *in d. Clem. vnica de renunt.* nu. 22.

18 Quare hanc communem sententiam duabus regulis explico, vt multa cõprehendam, & rem implicatã distinctè tradam. Prima regula est. In omnibus alijs actibus à matrimonio, in quibus respublica supplere cõsensum non potest, si reuocetur mandatũ, nihil aget procurator, neque necessarium est, vt ad notitiã procuratoris perueniat reuocatio. Ratio quidem pro hac regula est manifesta. Quia Pontifex in d. *c. fin.* non constituit nouum ius, sed explicuit iuris naturalis rationem, quia, scilicet, non valet matrimoniũ sine consensu. Ergo quicunq; actus fuerit, qui secundũ suã rationem, cõsensum verum exigat, ita vt à republica, vel Principe sæculari, aut Ecclesiastico suppleri non possit, nullus planè erit eo reuocato mandato ex defectu consensus, sine quo firmitatem habere non potest.

19 Ex his colligo primo hanc decisionem locum etiã habere in matrimonio spirituali contrahendo. Vnde si constitutus est Procurator ad acceptandum aliquod beneficium, vel dignitatem, quæ verè contrahat matrimonium cum Ecclesia, reuocato mandato nihil agitur, etiã si nõ perueniat ad procuratoris notitiam. Sic Felinus ibidem n. 11. Zauarella *Clem. vnica, de renunt.* q. 5. Francus in d. *c. fin. de procuratorib. n.* 8. quod idem merito locum habere dicit, & ampliandum, nõ tantũ, quando reuera matrimoniũ contrahitur, vt in Episcopali dignitate, sed etiam in quouis alio beneficio etiã simplici acceptãdo, quia etiam in simplici beneficio aliquo modo se Ecclesiæ cõiungit, quod etiã docuit Ioannes Andræas, & alij, quos citat. Ratio huius est eadẽ. Quia sine vero consensu neque matrimonium spirituale potest interuenire. Vnde tam in matrimonio carnali, quàm spirituali liberam voluntatem requiri docet Rota apud Seraphinũ decis. 942. n. 16. 17.

20 Secundo colliges decisionem hanc etiã habere locũ in cõtrahenda cognatione spirituali, quæ, vt dicã infra potest contrahi per procuratorem designatum ad officiũ Patrimi. Quis enim dicet sine consensu illud officium exerceri posse, & cognationem cõtrahi, sic idem Felinus in d. *c. ex parte*, n. 10. pro qua sententia citat Baldum.

21 Tertiò colligo idẽ dicendũ esse, si mandatũ daretur ad vouendum rem aliquã, vel ad se obligandũ voto, vel iuramẽto promissorio, certè si reuocaretur mandatũ, antequã qui mandatũ habet, votũ emitteret, aut iuraret, nulla esset eiusmodi voti obligatio, aut iuramẽti, quia iuramentũ aut votu sine animo promittẽdi esse nõ potest, vt supra dictũ est in hoc li. c. 4. Idẽ dicendũ, siquis mãdatũ haberet, vt in aliquẽ sententiã excommunicationis ab ipso prolatã deferret, & intimaret, si cessasset voluntas in iudice ligandi excõmunicatione, reuera excõmunicatio corã Deo nulla est, quia essentialiter pẽdet ex vero animo, & voluntate obligantis. Imo idem fortasse dicendũ, etiam quando per procuratorẽ peteretur ad instãtiã partis, si pars, quãdo à procuratore intimatur, vel impetratur à iudice, iam nolit alium obligari. Quia ea excommunicatio cum non liget, nisi ad petitionẽ impetrantis, requiritur verus animus in parte litigãte, aut coram Deo nulla erit.

22 Secũdam regulam statuo. In his actibus, in quibus cõsensum respublica supplere potest, nulla certior regula statui potest, quã iudicandũ esse in illis iuxta specialis iuris dispositionẽ; quod in quibusdã casibus cõsensum suppleat, & valere vult gesta post reuocationẽ, etiam illa ignorata: in alijs verò nõ valere, etiã si reuocatio ignoretur. Vnde meritò Petrus Anchar. in d. *Clem. vnica, de renunt.* dicit omnia iura de hac materia loquentia optimè limitari, siue explicari, & comprehendi hac vna exceptione, quia non homo exequitur, sed lex. Atque sic intelligo vndecim illos casus, quos Felinus fallentias vocat, in d. *c. ex parte Decani.* Neque enim sunt exceptiones ab aliqua generali regula, sed peculiares iuris dispositiones in peculiaribus casibus, in quibus ab vno ad alium argumentari non licet.

23 Quare non probo, quas alij in hacre explicãda adducunt distinctiones. Quidam enim dicũt, si intererat mãdatarij necessariũ esse, vt illi innotescat mãdati reuocatio, secus si nõ intererat. Hæc autẽ distinctio probari nequaquam debet, quia in d. *Clem. vnica, de renuntiatione*, tantũ res agebatur mandantis, constitutus enim erat procurator ad renuntiandum beneficio, & tamen reuocatio non intimata nulla censetur, vt vitetur illusio in personis Ecclesiasticis. Adde

etiam

etiam in mandato, quod procuratori datur, commodum semper esse mādātis, non mandatarij, & mandantis rem agi, vt eleganter Donellus loco cit. & alias non posset dissensu tantum mandātis reuocari, etiam si innotescat, sed accedere deberet, etiam mandatarij consensus, sicut in dissolutione aliorum contractuum.

24 Similiter etiam non probatur aliorum distinctio, scilicet, in reuocatione expressa semper esse necessarium, vt reuocatio innotescat procuratori: at vero in tacita, quæ fit per mortem, non esse necessariam intimationem. Quam sententiam refellit Immola *Clem. citata* nu. 11. ex *l. si mandassem, vel si mandatum, D. mandati*, vbi sermo est de reuocatione expressa, & tamen non requiritur, vt perueniat ad notitiam mandatarij. Item, si cui mandatum datum sit ad eligendum, & electores ante eligant alium, cessat mandatarij electio, & hæc est præferenda, si prima sit, & tamen est tacita reuocatio, vt docet Abbas in *c. de causis, de electione*, columna 6. At in renuntiatione, si mandato dato ad renuntiandum, qui dedit renūtiet prius, non tenet hæc renuntiatio, sed ea quæ fit per procuratorem, si non peruenerit ad eū prima renūtiatio, vt docet Couar. ex *Clem. vnica, de renuntiatione* p. 2. c. 4. n. 15. ex verbo ibi; *Quomodolibet reuocandum*, cum tamē hæc renuntiatio eius qui dedit mandatum, sit tacita reuocatio mandati ad renuntiandum dati. Igitur hæc distinctio de tacita aut expressa reuocatione nulla est.

25 Neque etiam probo communē, quæ apud Doctores recentes inualuit, distinctionem, scilicet, si reuocatio fiat re ad huc integra, non esse necessarium innotescat mandatario: at si re non integra, esse necessariū, vt innotescat. Ego enim id quod in §. *recte quoque, inst. mandati*, dicitur de re integra vel non integra, ad hoc tantum pertinere puto, vt sola reuocatione, etiam sine causa, euanescat mandatum: at si res non sit integra, non sufficiat sola pro libito reuocatio, sed necessaria etiam sit causæ redditio, vt probat ex iure Donel. lib. 16. cap. 23. Ad necessitatem autem intimationis parum conferre puto integritatem rei, vt constabit magis, ex his quæ subijciam disposita in iure, sive res sit integra, sive non integra.

26 Similiter non placet aliorum distinctio, qui dicunt, quando agitur de translatione dominij, necessariam non esse reuocationem mandati cognitam esse procuratori: at vero in alijs rebus esse necessariam, aut alias non valere. Hæc enim doctrina siue distinctio non est constans, neque firma: tum quia in *l. cum quis, §. 1. & l. qui hominem, §. Titium, D. de solutionib.* debitor soluens procuratori reuocato, cuius reuocatio ignoratur, liberatur soluendo. Ecce transfertur dominium mandato reuocato. Idem constat ex *d. l. si mandatum*, de quo vide Felinum d. cap. nu. 14. fallentia 2.

27 Hinc videmus procuratorem datum ad renuntiandum beneficium, valide renuntiare, etiam si reuocatus sit, si tamen reuocationem ignoret. *Clem. vnica de renunt.* Quia licet consensus regulariter requiratur, attamen etiam Ecclesia priuatur quis inuitus, vt dicit Card. d. Clem. q. 5. Geminian. in d. cap. fin. §. *fane* n. 5. Felinus loco citato n. 15. & alij. Quare non est eadem ratio in matrimonio spirituali contrahendo, & dissoluēdo; dissoluitur enim sine consensu beneficiarij, non verò contrahitur sine cōsensu. Quæ etiam Clementina locum habet, siue reuocatio facta fuerit clā, dummodo innotescat, & etiam si designatus fuerit procurator ad renuntiandum in causa permutationis. Intelligitur etiam de tacita reuocatione per nominationem alterius: expendo enim verbum dictæ Clementinæ, *quomodolibet reuocandam*, vel per priorem renuntiationem.

28 Hinc etiam si quis designatus procurator ad resignandum beneficium, supplicationem porrexit, viuo resignante, si postea moriatur resignans ante præstitum consensum formalem, poterit procurator illū præstare post mortem ipsius constituentis, vt cum multis DD. cit. & Rotæ decisionibus docet Ricci⁹ in praxi var. decis. Resol. 487. n. 3. Facit textus in l. Nam, & seruitus §. si viuo Titio, D. de negot. gestis vbi procurator post mortem domini valet cōsummare negotia inchoata. Imo & cogi posset procurator ad præstandum consensum, pro expeditione literarū. Quæ etiā vera sunt quāuis principalis resignās ante motē mutasset volūtatē, si illa volūtas reuocata nō fuit intimata iuxta tex. in d. Clem. Quia nō quæuis volūtas reuocatoria est valida, nisi sit expressa iuxta Felin. in c. ex parte Decani nu. 15. de rescriptis.

29 Hinc etiam si pater filio permittat, vt manumittat, si decesserit, & filius ignorans manumiserit, liber est, & manumissus non vindicta, quæ inter viuos agitur, sed testamento, vt est in *l. 15. §. vltimo, D. qui, & à quibus*, vbi solum negatur illum seruum non esse manumissum vindicta. At si

non decedat pater, sed reuocet voluntatem, etiam si non innotescat filio reuocatio, libertatem seruus non assequitur, quia non manumittitur volente Domino, cum tamē in eo actu consensum lex supplere potuisset. Quod enim hic nonnulli comminiscuntur, ibi tantum esse nudum ministerium filij, non verò procuratorem constitutum, nullo mihi videtur niti fundamento.

30 Hinc etiam ortum habet, quod dicitur in *l. si pœnituit 7. D. de diuortijs*, Siquis libellum repudij miserit, & postea pœniteat, etiam si pœnitentia incognita sit, & libellus datus, cessare diuortium, & matrimonium durare. Noluit enim in eo casu lex supplere consensum ad diuortium: cum tamen in *l. Iulianus IIII. eodem*, suppleat furiosæ consensum ad repudium, cuius pater nuntium mittere potest.

31 Ex hac etiam diuersa iuris dispositione ortum habet, quod si aduersarius in dolo fuerit, ne innotescat reuocatio, nihil agatur, sed reuocatio etiam ignorata valeat ex *d. Clem. vnica de renuntiat.* noluit enim in eo casu respublica supplere consensum, quanuis posset. Hinc etiam fit in iudicijs sæpe rē publicam supplere consensum, neque reuocationem tenere, nisi innotescat; vt constat ex textu in *cap. nostra 4. & c. mandato 13. de procuratoribus.* Neque vero in hoc discrimē est in procuratore constituto ad iudicia, vel negotia, & contractus, vt docet Immola clement. cit. n. 15. Sed id petendum tantum ex diuersa iuris dispositione, quæ in casibus, in quibus consensum supplere potuit, aliter, & aliter disposuit. Illud speciale in procuratore constituto ad iudicia, quod eius reuocatio debet innotescere aduersario, & iudici in d. *c. mandato.*

32 Quod si quis nolit á communi sentētia discedere, sic habet regula generalis. In his, in quibus respublica supplere consensum potest, si res adhuc integra est, dum reuocatur, non est necessaria intimatio, sed inutile est, quod post reuocationem geritur, at si res non erat integra, non tenet reuocatio, sed vtile est, quod gestū est. Prima pars limitatur multis modis. Primo limitāt aliqui fauore libertatis in d. *l. si pater*, sic Pichardus inst. eodem. Sed refelluntur ex 2. parte eius legis, vbi libertas data à filio viuo patre, reuocato mandato, & ignorato nulla est. Melius dicetur cum Donello, quia iam ex testamento manumissus intelligitur, cum intestato decessisset, non mutata voluntate: libertas autem ex testamento dari non posset, nisi testatore mortuo. Vnde comprehendi posset ea limitatio, si in tempus mortis datum mandatum sit: quod ad huc limitandum etiam in rebus, quæ ad hæredes non pertinent. Sic componit nonnulla Donellus loco cit. Quæ apud illum vide. Limitatur secundo in renunciatione beneficij, vt supra dictum est.

Quæruntur non nulla, & explicantur. § 2.

33 Sed quæret aliquis primo quid dicēdum sit, quando iurauit non reuocare mandatum. Nonnulli Doctores dicunt valere quidem reuocationem: at illum reum esse periurij. Sed de hac sententia dubitare cogor, quia in *c. intellecto, de iure iurando*, dicitur iuramentum, de non reuocandis alienationibus non seruandum, quia sine dispendio salutis æternæ seruari nequit. Quare ego sic dicerem. Primò, quādo est iusta causa reuocationis, iuramenti non est periurus, qui reuocat. Quæ sint autem iustæ causæ, quibus aliquis excusetur à periurio, dicam fortasse infra, cum de consensu, cui aduenit iuramentum sermo fuerit. Atque in hoc casu intelligo textum in d. *c. intellecto*, & docet Philippus Francus d. c. fin. nu. 5.

34 Deinde quod ad valorem reuocationis spectat, dico in his casibus, in quibus reuocatio non intimata procuratori tenet, etiam si iuret non reuocare, reuocatione tamen secuta nullus est actus: neque enim iuramentum valorem tribuit, sed tantum addit robur religionis, vt dicam loco citato. Iuramentum enim non impedit reuocationem actus de sui natura reuocabilis ex alio capite, quam ex debilitate sua. Vt cum laso ne tenet Rota apud Seraphinum decis. 427. num. 7. At verò in his, in quibus necessaria est intimatio reuocationis, reuocatio contra iuramentum non tenet. Sed si in his casibus reuocatio contra iuramentum intimetur procuratori: tenebit, tunc adhuc distinguendum videtur iuxta regulam, quam mihi videor ex Felino colligere in d. *c. ex parte decani*, n. 12. & 13. Quoties violatio iuramenti est in præiudicium tertij, cui ex contractu, quæsitum est ius, iuramentum de non reuocando tenet, ita vt reuocatio sit nulla nō consentiente alio tertio. Vnde procurator designatus ad renuntiandum causa permutationis, si iurauit non reuocare, reuocatio nullius est effectus, nisi is, cum quo pactum est,

est, de permutatione, etiam velit, & consentiat. Secus est in testamento iurato, aut procuratore designato ad renuntiandum generaliter, aut etiam in matrimonio, non enim alteri ius quæsitum est. Quare, vt vno verbo dicam, si alias reuocatio sine iuramẽto erat inualida, nulla etiam erit accedente iuramẽto de non reuocando: at si valeret reuocatio, valebit etiam quanuis iurauerit se non reuocaturum; peccabit autem peccato periurij, quoties non fuerit iusta causa, quæ illum liberet à periurio.

35 Secundo quæret aliquis, an idẽ, quod diximus hactenus de reuocatione procuratoris, dicendum sit de reuocatione nuntij, & epistolæ? Et quidem quod ad matrimonium attinet, planum est per nuntium, & epistolam fieri posse: est tamen necessariũ, vt sit destinatus nuntius, qui significet consensum, neque satis esse, si casu perueniat in notitiam alterius, vt bene docet Thomas Sãchez lib. 1. disp. 6. nu. 3. & 20. Nam id exigit natura contractus, & vt verè dicatur inter se coniungi contrahentes quo ad consensum. Eam autem epistolam, vel nuntium acceptare debet post Tridentinum coram parocho, & testibus: at vbi Tridentini forma non seruatur, statim sine alia noua intimatione facta ei ad quem mittitur, perficitur contractus, vt constabit magis, ex his quæ dicam, cum sermo fuerit de sponsalibus li. 12. Quoad reuocationem autem epistolæ vel nuntij in causa matrimonij, idem omnino dicendum est, scilicet, neque esse necessariam intimationem reuocationis, & sufficere quamcunque, etiam tacitam, etiam internam, vt suprà dictum est.

36 Quod vero attinet ad alia negotia, cõtractusque varijs distinctionibus ratio ista solet à Doctoribus explicari. Baldus relatus à Felino in d. *c. ex parte* nu. 15. versiculo, *hanc fallentiam*, sic distinguit. Si agatur de lucro captando, non valet gestum, etiam si ignoretur reuocatio: at quando agitur de damno euitando, gesta tenent à nuntio, vel ratione epistolæ etiam incognita reuocatione. Aliter distinguit Felinus ibidẽ, scilicet, reuocationẽ nũtij vel epistolæ effectũ habere, etiã cũ alteri nocet, etiã ignoratam, nisi reuocatio fuerit Clandestina, aut serò facta: si enim hæc desint, non potest reuocanti imputari dolus vel culpa; si tamen nuntius etiam sit proprie nuntius, nam si impropriè sit nuntius, idem de eo, & de procuratore dicit Felinus ibidem num. 15. versiculo intellige secundo.

37 At mihi verior videtur ea sententia, quam citatis alijs docet Thomas Sanchez lib. 2. disp. 11. num. 7. Dicit namque hoc esse discrimen inter procuratorem, & nuntium; quod reuocatio procuratoris in multis casibus necesse est innotescat procuratori, vt vim, & effectum habeat; At reuocatio nuntij, & epistolę, nequaquam. Ratione probat, quia nuntius, & epistola solum præbent nudum ministerium, veluti organum, & ita deficiente consensu tempore præsentationis, nihil agitur; idem ex antiquis docuit Geminianus in d. *capit. fin. §. fane* numer. 2. Philippus Francus ibidem num. 7. Ancharranus ibidem. Atque in hoc sensu accipiunt, quod habetur in *l. si pater 7. de Manumiss. vindicta*, vbi pater permisit filio, vt seruum manumitteret, postea reuocauit sentẽtiam, filius ignorans manumisit, non tenet manumissio, quia scilicet filio præbebat nudum tantum ministerium, veluti nuntius aliquis. Sed quanuis istorum Doctorum sententiam probem, fundamenta non probo. Rationem quidẽ discriminis vix assequor, cum tam nuntius, quam procurator sint instrumenta contrahentis, & agant alieno nomine. Vnde rectè Cardinalis *in d. Clem. vnica de renuntiatione*, oppositi. 5. dixit inter procuratorem, & nuntium nullam in hoc assignari posse diuersitatis rationem. Neque etiã mihi videtur sufficienter eam sententiam probare ex *d. l. si pater 7.* tum quia non constat ibi tantum esse nuntium filium: tum etiam, quia quanuis nuntius esset, nulla inter illum, & procuratorem discriminis ratio est: tum etiam quia, quanuis pater, & filius vna persona censeantur, non tamen in omnibus: tum etiam quanuis filij non interfit, adhuc ea ratio non est sufficiens, cum, vt iam supra dictum, ad mandati reuocationem parum referat, quod interfit mandatario vel non. Tum denique quia quid coniecturis egemus: vbi plane I. C. rationẽ reddit, quare libertas post reuocationem etiam ignoratam data nulla sit, *quia*, scilicet, *mutata parentis voluntate, iam non dicetur volente Domino manumitti*. Non assignat I. C. rationem, quia nuntius, aut quia eadem persona, aut quia nihil intererat mãdatarij, sed quia Domini voluntas cessauerat, quam voluit ius requiri ad manumissionem ex vindicta; sicut è contrario definit valere manumissionem factam à filio ex permissione patris mortuo patre, quanuis cum manumitteret, mortem patris ignoraret, quia per mortem in eadem voluntate perseuerasse intelligi-

tur,cum inteſtatus deceſſerit. Quare ea ſolum ratione mihi probatur prædicta ſententia,quia cum iure tantum poſitiuo inducta ſit ea neceſsitas intimationis,quando reuocatur mandatum ; ex eo quod in nonnullis caſibus decidat ius neceſſarium eſſe intimari procuratori reuocationem mandati, non recte extenditur,vt idem dicamus etiam requiri in reuocatione epiſtolæ,vel nuntij. Exemplum habemus non contemnendum in his , quæ ſupra dicebamus. Siquis dedit mandatum ad renuntiandum,& præueniẽs mandatarium, eoque ignorante renuntiet, non tenet hæc prima renuntiatio ex ſpeciali eius textus diſpoſitione, & tamen ſi detur mandatum ad eligendum , & electores in ſcio mandatario eligant , tenet prior electio , quia per hanc tacite videtur reuocatum mandatum, neque enim in hoc caſu ab vno ad alium eſt extenſio. Similiter ergo in propoſito. Potuit autem eſſe maior ratio, cur requiratur vt procuratori innoteſcat reuocatio,non vero nuntio,ne ſæpe illuſoria fiant iudicia,& illudatur Eccleſiæ Prælatis, vt habetur in d. *Clemet. vnica, de Renuntiat.*

Quæ mora intercedere debeat inter conſenſum vnius coniugis, & alterius?

CAPVT XVI.

SVMMARIVM.

Explicatur quæſtionis ſenſus num. 1.

Non eſſe neceſſarium, vt conſenſus ſint ſimul, & quaſi continui. Qua regula vtendum in ſacramentis ad exigendum ſimultaneum concurſum formæ , & materiæ in ſacramentis , numer. 2.

Non requiri ratione contractus, num. 3.

Quantum autem temporis intercedere debeat, num. 4.

Idem locum habere poſt Tridentinum , numer. 5.

Cum renouatur conſenſus vnius, quia fictè primo conſenſit, renouari debere etiam alterius conſenſum, num. 6.

In matrimonio eo ipſo quo acceptatur traditio vnius , ſufficienter explicari traditionem alterius, num. 7.

Idem dicendum , quando contrahitur per nuntiũ aut epiſtolam, num. 8.

Oppoſitum ſentit Thomas Sanchez. Eius argumenta, num. 9. diluuntur.

1 CAVSAM efficientem matrimonij diximus eſſe conſenſum contrahentium. Quare neceſſe eſt, vtriuſque conſenſus concurrat ad matrimonium. Explicandum ergo an ſimul , an paulo poſt alter conſentire debeat. Nec vero hæc quæſtio eſt eadem cum illa, qua quæritur an in ſacramentis neceſſario concurrere debeãt ſimul materia,& forma, nam in hoc ſacramento, vt dictum eſt lib. 1. cap. 7. materia ſunt corpora; ſigna forma , planum eſt, quando matrimonium fit, ſimul concurrere vtrumque. De eo autem hic non inquirimus, ſed an corpus, & conſenſus vnius debeant concurrere ſimul cum alterius conſenſu,& exprimi, nam in conſenſu vnius cuiuſque eſt pars materiæ,& pars formæ iuxta dicta. Supponamus etiam parum referre, quis prior explicet, an vir vel fœmina. Sed an ſtatim, difficultas eſt, leuis tamen.

2 Communis itaque ſententia eſt, Doctorum probata conſenſu, non eſſe neceſſarium, vt ſimul exprimantur conſenſus , neque quaſi continuè , quanuis oppoſitum de iure verius exiſtimet Abbas in *cap. dilectus, de ſponſalibus* , & Antonius de Butrio conſilio 64. id tamen quod diximus docet Couar. 2. part. cap. 4. num. 10. Maior in 4. diſt. 27. q. 1. inſolut. 3. Thomas Sanchez citatis alijs li. 2. diſt. 32. num. 3. id quod conuinco iſta conſideratione. Matrimoniũ non exigit exprimi ſimul conſenſum, neq; quà ſacramẽtum eſt, neque quà contractus eſt. Non quia ſacramentum, tum quia ſi illud non exigit vt cõtractus, vt ſtatim oſtendam, neque vt ſacramentum exiget. Nam ad conferendam gratiam eleuatus eſt à Chriſto contractus matrimonij ſuæ diſpoſitioni relictus,& non immutatus. Tum etiam, quia, ſi in prolatione formæ,& applicatione materiæ in alijs ſacramentis , non modica diſtantia temporis eſſe ſolet, vt in ſacramento ordinis ſubdiaconatus, confertur enim ordo, cum profertur forma ; profertur autem, cum iam omnes materiam, ſcilicet calicem vacuum cũ patena tetigerunt , vt ſuo loco dicendum eſt. Idem etiam accidit in adminiſtratione ſacramenti Pœnitentiæ, nã multo poſt peccatorum confeſsionem ſæpe exprimitur abſolutio. Vtimur autem in his ea regula, quã nobis eleganter tradidit Gabriel Vazquez 2. tomo in 3. part. diſput. 128. cap. 7. num. 55. cenſetur forma,& materia ad eandem actionem ſacramentalem pertinere, ſi interpoſita mora temporis nihilominus in prolatione formæ aliquid enũtiantis, more humano

eadem

eadem veritas manet, ac si simul cum materia concurreret. Ex hac enim regula colligemus facile plus temporis intercedere posse inter materiam, & prolationē formæ vnius sacramenti potius, quàm alterius, cum non eodem modo significent omnes sacramentorum formæ. Si ergo materia, & forma sacramentorum possunt etiam interiecta mora temporis maiori vel minori applicari, multo magis dicendum est in sacramento matrimonij posse contingere, quando consensus exprimitur.

3 Nec vero ea simultas requiritur in matrimonio vt contractus est, vt constat ex alijs cōtractibus *l. 1. §. qui præsens D. de verb. oblig. & l. 1. §. sed verior, D. de contrah. empt.* Id quod aperte conuincitur, cum videamus per nuncium, epistolam, & procuratorem consensum manifestari. Itaque quanuis necessarium sit eodem tempore perseuerare etiam alterius consensum actu, vel habitu, nec reuocatum; attamen simul exprimi necessarium non est ex aliqua cōstitutione Ecclesiastica, quæ nulla extat.

4 Quantum autem temporis inter expressionem consensus vtriusque intercedere debeat, variant Doctores. Soto in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3. *§. sed alia hinc nascitur ambiguitas*, etiam multum temporis posse interlabi existimat, dummodo non reuocetur cōsensus: rectè tamen Petrus Ledesma dicit id prudentis arbitrio relinquendum esse. Fateor tamen si multum tempus intercederet, etiam si animus esset idem, magnam in iure præsumptionem esse contra huiusmodi matrimonium, cum homines facile sententiam mutare soleant. Mihi quidem videtur, cum contractus iste sit *do, vt des*, datur enim traditiō pro traditione, & acceptatur, nullum ita regnum fore, vt diu detineri velit, si impedimentum abest, sed se quam citissimè aut ligari vinculo, aut solui. Quare rarissimè iste casus eueniet. Nam quando per procuratorem contrahitur matrimonium, non dum censetur consensus contrahentis per procuratorem expressus, donec procurator significet, vt dixi supra lib. 1. cap. 10. qui nō se suspensum detineri patietur. Modicū ergò tempus intercedere debet, maxime cum consensus vnius non sit forma respectu alterius vel materia, sed vterque consensus verbis expressus sit forma; debent autem moraliter cōiungi partes formæ. Quod obseruandum ad ea, quæ dicam infra lib. 4. in fine.

5 Ea autem, quæ diximus locum habent etiam post Tridentinum in illis locis, in quibus decretum illius obseruatur. Potest enim ita fieri vt parochus, & testes de vtriusque consensu testificentur; vt si quis coram parocho consentiat, & alter die sequenti coram eodem respondeat. Similiter si quis mandatum dedit ore tenus alicui, vt pro eo consentiret in aliquam specialiter, cuius consensus, & mandati fuit testis parochus, & postea sit etiam testis, & executionis mandati, & acceptationis alterius, & traditionis.

6 Sed disputat ibidem Thomas Sāchez, an quando quis fictè consentit, & postea renouat consensum, necessarium sit, vt simul etiam adsit consensus alterius, qui vere contraxit. Negat requiri. Sed de hoc agam late, quando de matrimonio clandestino fuerit sermo, vbi ostendam matrimonium, quod à principio, quacūque ex causa nullum fuit, non conualescere, nisi iterum coram parocho, & testibus renouetur, vel obtenta dispensatione Pontificis circa solemnitatē, & vtroque consentiente, & admonito prius altero coniuge de nullitate. Hæc enim omnia ex eo pendent, nec passim inculcanda, & repetenda, dicam de his lib. 4. in fin. & etiam lib. 5. cap. 6.

7 Denique explicemus oportet, an sit necessarium, vt qui acceptat alterius traditionem, præter acceptationem traditionem suam explicet. Et quamuis in sponsalibus non leuis de hoc difficultas sit, à nobis suo loco latè explicanda: at in matrimonio res est facilis, & aperta, scilicet, non esse necessarium, sed eo ipso quo acceptatur traditio alterius, matrimonium perfici, & eam acceptationem habere vim traditionis, vt docet Thomas Sanchez lib. 1. disput. 5. dub. 1. num. 6. Quia matrimonium acceptari non potest, nisi vt matrimonium, & ideo claudicare non potest.

8 Ex quo etiam colligo, quando matrimonium contrahitur misso nuntio, vel epistola, satis est ad perficiendum matrimoniū, si acceptet coram nuntio, & vbi Tridentinum obseruatur, vt acceptet coram parocho, & testibus, neque opus est, vt mittenti consensum, mittatur acceptatio, vel traditio alterius, vt qui nuntium destinauit acceptet. Nam eo ipso, quod ille, cui missa est traditio, acceptauit de præsenti, perfectus est cōtract' matrimonij, & sensibilis. In quo non rectè meo iudicio loquitur Thomas Sā chez disput. 7. num. 35. Adest enim vnius cō sensus postulans, & acceptans, cum ipsa postulatio sit intrinsecè acceptatio, vt alibi dicam,

cam, cum de sponsalibus fermo fierit, adest etiã consensus alterius acceptantis, & tradẽtis, cũ ea acceptatio sit traditio. Ergo nihil deest ad verũ, & perfectũ matrimoniũ. Sed ideo in hac re non recte Thomas Sanchez, quia non aduertit naturam acceptationis in huiusmodi contractu matrimonij habere intrinsecè rationem etiam traditionis iuxta naturam contractus. Quare, si ea traditio explicetur coràm Nuntio, vel aliquo, perfectum matrimonium est; & ita hanc sententiam citatis multis docet Henrriquez li. 11. de matrimonio cap. 2. num. 6. & in cõment. litera I.

9 Sed obijcit contra istam sententiam Thomas Sanchez 1. Quia in matrimonio traditio debet esse sensibilis ei cui fit: & etiam acceptatio, cum non sit maior ratio de vna, quàm de alia, & ea acceptatio sit veluti complementum contractus, ergo non perficitur matrimonium, donec acceptatio traditionis constet se tradenti, per nuntium ad id destinatum, vel nũtio ab eodem misso, qui ad id videtur habere potestatem. Secũdo. Quia si quando matrimonium inter præsentes cõtrahitur, vir diceret, *accipio te in meã*, & fœmina responderet ita secretò, vt nec verbis, nec signis viro innotesceret eius consensus, non esset matrimonium, quia perinde est, ac si ille cõsensus esset internus. Ergo idem in nostro casu dicendum est. Denique, quia nemo acceptare potest, quod sibi ignotum est. Ergo si nõ manifestetur acceptatio priori tradenti, vel eius nuntio, sed alij, qui non mittatur, vt illi intimet, non sufficiet.

10 Sed hæc non obstant, facile enim dilui possunt, si aduertamus, aliud esse contractum esse perfectum: aliud vero, eum, qui prius traditionem misit, cognoscere se obligatum re ipsa ex contractu perfecto. Contractus quidẽ perfectus iam est eo ipso, quod ille acceptauit traditionem, & explicuit signo sensibili coràm aliquo, cùm sint iã omnia ad eum contractum requisita: at vèro, vt in sua existimatione homo sentiat se obligatum, necessaria est intimatio, & cognitio acceptationis. Atque hac distinctione dilues, quę habentur in 1. & 3. argumento. Secundum autem nullius momẽti est; quia in ea specie perinde est, ac si consensus esset internus: neque enim verbis explicatus est, aut signo aliquo: at in nostro casu supponimus iam consensum coràm aliquo verbis sufficienter explicari. Quare quod perueniat ad notitiam tradentis, necessarium est, vt ille sciat se iam obligatum, & ligatum esse, & ita se pro ligato gerat; non verò vt contractus ratio perficiatur. Huius optimũ signum est, quod iam semel acceptata traditione alterius, quam per literas nouit, non potest resilire, quidquid dicat Thomas Sanchez. Nam traditio illa fuit etiam acceptatio, suspensa tamen, donec alter eam acceptaret; ea vero semel acceptata non habet locum pœnitentia, cum ea acceptatio sit etiã traditio quam ille alius tradens se iuxta contractus naturam in ipsa traditione acceptauit. Aliàs etiam cum præsentes contrahunt, si vir prior dicat, *trado me tibi*, & vxor, respondeat, accepto, posset vir dicere, *ego non accepto tuam traditionem*, & resilire; Quod plane sequitur, si facta, priori traditione, & acceptata ab alio, adhuc esset necessaria intimatio traditionis, & acceptatio illius.

Atque hactenus de consensu absoluto, & secundum se.

DE CONSENSV CONDITIONATO.

LIBER TERTIVS.

Solet consensui non semel apponi conditio, & sub ea conditione consentire, qui sine conditione, non consentiret: ideò postquam explicui quæ ad consensum absolutum pertineant, dicam nunc quæ spectant ad consensum, cui aduenit conditio. Difficilis sane locus si quis alius in hac materia de matrimonio, imò & in iure; sed illum explicare conabor, qua possim adhibita diligentia.

De vi conditionis de præsenti, præterito, aut necessaria.

CAPVT PRIMVM.

SVMMARIVM.

Vnde nomen conditio deriuetur, num. 1.
Conditionis diuisio, num. 2.
Eius definitio, num. 3.
Quibus particulis exprimi soleat, num. 4.
Conditiones de præsenti, aut præterito statim infirmare, vel obligare, num. 5.
Explicatur magis ea doctrina in specialibus casibus, num. 6.
Quid, quando disponens existimauit esse futurũ, quod re vera præterijt, num. 7.
Quæ per rerum naturã necessaria sunt non morantur dispositionem, num. 8.
Quid quando dies est certus, in certum tamen an futurus sit, num. 9.
Quid quando venturum diem certum est, sed in certum, quando cueniet, num. 10. distinctione explicatur, ibid. & num. 11.
Infertur quid dicendam de ea conditione, si sol cras oriatur, num. 12.
Quid de illa, si Antichristus nascetur, num. 13.
Quomodo matrimonium, cum sit actus legitimus, recipiat conditionem. Quorumdam explicatio, num. 14.
Conarruuias aliter, & reijcitur, num. 15.
Vera explicatio, num. 16.

1 CONDITIONIS nomen non nulli à verbo *condico* deriuari volunt. Quibus obstat, & ipsa derivatio nominis, dici enim deberet condictio, sicut scriptio, & dictio: & syllabæ quantitas, cum secunda breuis sit, à themate autem *condico* longa esse deberet; & denique significatio; *condico* enim est simul cum alio dicere, aut polliceri futurũ,

vt cum dies condicitur, quod nihil habet commune cum conditionis significatione. A verbo *condio* deriuant alij, sustinerique possent, cum condire sit etiam rem temperare, aut moderari alicuius rei alterius adiectione: conditio autē adiectio est. Sed huic Æthimologiæ obstat quantitas syllabæ, nā *conditio* secundam habet breuem: at si à condio deriuaretur longa esse deberet. Super est quod communiter receptum est, vt à *condo* deriuetur, quod verbum inter alia statuere significat; id autem præstat conditionis euentus, vt rem constituat, quæ absque euētu nulla omnino esset. Hæc latius Donellus lib. 8. Comment. iuris cap. 30.

2 Sed conditio in communi sumpta variē diuiditur. Alia enim est de præterito de præsenti, & de futuro: diuiditur etiam in impossibilem, & possibilem: & possibilis de futuro, in necessariam, & contingētem: rursus contingens in potestatiuam, quæ pēdet in adimpletione à sola voluntate eius, cui imponitur; & casualem, quæ à voluntate non pendet eius, cui imponitur, *vt naues ex India venerint*; & mixtam, quæ partim aliunde, partim vero ex potestate eius, cui imponitur, pendet, vt siquis dicat, *Instituo Petrum si ex India venerit.* De quibus diuisionibus, & alijs latè inter alios Molina tom. 1. de iust. tract. 2. disput. 206. Gabriel Vazquez in opusculo de testamentis cap. 8. §. 2. & Doctores cōmuniter. Quarum decisionum sensum in sequentibus latiùs explicabimus.

3 Igitur, quod ad nostrum institutum attinet, cōditio duobus modis vsurpari potest. Vno modo strictè pro sola conditione de futuro contingenti, quæ in vtranque partem euenire potest: altero latè, vt comprehendit non solùm conditionem de futuro contingenti, sed quamcunque aliam de futuro, etiam necessariam, & de præterito, & præsenti. Conditio late sumpta, sic definiri solet: *Est adiectio dispositioni dependentiæ, vt sic, obligare ve incipiat ex aliquo præsenti, præterito, aut futuro. Vt dono tibi centum, si amicus meus viuit.* At verò conditio strictè sumpta definitur à Syluestro, verbo. Conditio in principio, Soto in 4. dist. 29. quæst. 2. art. 1. Anton. Gomez tom. 1. Variar. cap. 12. num. 54. & alijs: communis autem, receptaque definitio hæc est: *Oratio, qua id omne, quod agitur, in futurum euentum suspenditur §. sub conditione, instit. de verb. obligationib.* verbi gratia. *Do tibi cētum, si naues ex India venerint. Si Capitolium ascenderis, aut etiam si non ascenderis, si naues non venerint.* Atq; hæc in iure est, quæ propriè conditio appellatur, talis enim cōditio suspendit dispositionem, ita vt vim non habeat, nisi ex futuro euentu. Vnde ex illa tantum oritur obligatio in spe, dum cōditio non ponitur *§. ex conditionali, inst. de verb. oblig.* & ideo ante euentum conditionis legarum non debetur: & ob id valde differt à dispositione in diē, debetur enim ab initio, licet ante diem peti non possit; ex quo nascuntur aliæ differentiæ in iure considerandæ, de quibus nunc non est dicendi locus.

4 Verba autem, quibus conditio exprimi solet, ista ferè sunt, *dummodo*, & particula *si*, maxime si coniungitur cū aduersatiua *verò* Glossa *in l. 1. vbi Bartolus num. 1. vers. ergò. De condit. & demonstrat.* Ex qua particula resultat, vt in alio casu non habeat locū dispositio *l. si ita scriptum vbi Bartol. num. 2. D. de lib. & posthumis. Idem Bartolus l. in repetendis circa finem, vers. contrarium credo. D. de legat. 3.* Importatur etiam conditio per ablatiuos absolutos, vt si dicas: *Solutis prius expēsis omnibus* iuxta *l. ab emptione D. de pactis*, & debet in specifica forma impleri *l. qui hæredi, in principio, & l. Mæuius, D. de condit. & demonstrat.* quæ est etiam doctrina Bartoli in *l. 1. num. 34. D. de condit. & demonstrat.* Illa etiam particula. *Ita tamen*, etiam conditionem importat *l. Titio centum 70. §. Titio centum vers. conditio. & l. Iulianus in principio, & ibi Gloss. vers. & ita D. de condit. & demonstrat.* Lucas de Pena *in l. 1. vers. Ita tamen C. de Collat. Feud. li. 11.* Adiectio etiam qualitatis conditionem importat, nisi illa adijcia tur dispositioni imperfectæ: quia tunc impleri debet post actum iam perfectum, aliàs non est conditio neque suspendit etiam si dicatur *cum conditione*, sed potius habet rationē modi implendi post perfectum actū. Conditionis enim proprium est vt implea tur ante perfectionem, & executionem dispositionis. At quādo post actum iam perfectum impleri debet, solum moderatur dispositionem imperfectam *l. Mæuia D. de Manumis. testam.* vide Menoch. cons. 78. nu. 31. Vnde, cum dispositio non est conditionalis, non potest in conditionalem transire etiam si addatur vox conditio *D. l. Mæuia l. 2. in fine D. de donat.* De quo extat decisio Rotæ apud Farinacium 2. p. 163. num. 3. Illis autē verbis *si ita est*, non induci conditionem constat ex his, quæ dicam modo numero sequenti.

5 Ex his colligitur conditiones, quæ in præsens,

præsens, vel præteritum referuntur, vt *si Titius viuit, si Consul factus est, si filius natus est*, aut statim infirmare obligationem, aut omnino non differre §. *conditiones, inst. de verb. oblig. l. conditio. 100. de verb. oblig. l. 120. eodē, l. cum ad præsens. 37. & duabus sequentibus, D. si certum petatur.* Quare licet istæ conditiones dicantur, quia sono verborum conditiones sunt, attamen re ipsa non sunt, neque vim conditionis habent: quod etiam in iure non semel dictum est, *l. 122. de verb. oblig. l. illa institutio, D. de condit. instit. & l. itaque 39. D. si certum petatur, & l. 37. D. de rebus creditis, & l. 3. §. si patronus, D. de bonis libertorum.* Vnde Matrimonium, & quiuis alius cōtractus sub conditione de præsenti, aut præterito celebratus non est conditionalis, sed purus.

6 Hinc colliges in cōtractu alienationis, Ecclesiæ sub cōditione impetrādi beneplaciti Apostolici intra biennium, & cū impetratur beneplacitum, apponitur ea clausula, *si alienatio cedat in euidētem Ecclesiæ vtilitatem*, quæ ponitur in mandato de confirmando, non suspendi gratiam, neque fieri beneplacitum conditionale, cum respiciat tempus initi contractus. Quia licet sit impedita executio beneplaciti Apostolici, quæ est dilata in tempus, post quam de euidenti vtilitate cōstiterit nihilominus effect⁹ Breuis statim ab initio operatur. Nam quod cedat vel nō cedat in euidentem Ecclesiæ vtilitatem, est omnino certum in rerum natura, licet nobis incognitum, & propterea illius liquidatio non suspendit effectum beneplaciti. Sic Rota in vna Burgensis Canonic. 28. Aprilis 1597. coram Domino Pamphilio, sequitur etiam Ludouicus Riccius in praxi fori Eccles. tit de alienat. rerum Eccles. decis. 33. n. 3. est etiam pro hac sententia apud Farin. in decis. Roman. seorsim excusis nunc vno volum. 205. 206. Hinc etiam fit valere absolutionem à censura datam sub conditione, *si feceris talem* rem vt docit Nauarrus in Man. c. 26. n. 12. & Rota apud Farin. lib. 1. vnà cum lib. 1. Cons. decis. 56. n. 15. Hinc etiam fit gratiam in forma dignum, non esse conditionalem, quia dignitas iam est in rerum natura, sed suspendere executionem, donec constiterit prouisum esse dignum. Vt tenet Rota apud Farina 1. p. decis. 711. nu. 2. Et in vniuersum clausula, *si constiterit*, non efficit concessionē conditionalem, vt tenet Rota apud Seraphinum decis. 1042. Hinc etiā fit dationem insolutum iuxta æstimationem fiendam non esse conditionalem; si aliàs non sit incertitudo neque ratione quotæ, neq; ratione loci. Quia ea æstimatio, nō respicit dationē insolutū, sed vel refusionē pecuniarū, si pluris, vel supplementū, si minus, vt tenet Rota apud Seraph. decis. 264. num. 4.

7 Sed quid dicēdū, si incōtrahentis mēte res futura credatur, in re autē sit præterita, aut sit præsens, nūquid ea cōditio suspēdet? v. g. *contraho tecū, si naues ex India venerint, vel si filius pubes fuerit*; contingit autem iam naues venisse, filiū ve susceptum puberē fāctū esse, nunquid contractus est purus, an cōditionalis? In quo quidē eo iure vtimur, vt si sciatur, id quod positū est in cōditione, & iterū fieri possit, expectandus sit euentus, & conditionalis cōtractus sit, donec iterū fiat. Si autē ignoretur purus est cōtractus, & satisfactū videtur conditioni, ac si esset de præterito. Sic Iure Consultus in *l. 11. de condit. & demonst. Si iā facta sint quæ conditionis loco ponūtur, & scit testator, quæ iterū fieri possunt, expectentur, vt fiant; si verò nēsciat, præsenti debeātur, & l. 10. §. 1. D. eodē, si legatū sit, si nauis ex Asia venerit, & ignorante testatore nauis venerit, testamenti facti tēpore dicendum pro impleta haberi, & sicui sic legatum est, cum pubes erit, simili modo erit dicendū.* Id enim expectabat testator, vt eueniret, quod cogitabat ignorans, & hoc animo, vt si euenisset, legatū deberetur. Si autē sciens disposuit, planū est de alijs cogitasse, nō de his, quæ iā facta fuerant, siue euenerant *l. Solemus 9. de condit. & demonst. Solemus dicere eū qui in tēpus liberorū vxori legat, de his non sensisse, quos iā tunc vxor habuit, cum testaretur maritus: & l. 62. eodem: si ita legatum est, cum nupserit, si nupta fuisset, & hoc testator sciuisset, alterum matrimonium erit expectandum.* verba enim cōditionalia in dubio intelliguntur de futuro, dixit I.C. in d. l. 11, *& quæ iterum fieri possunt.* Quia si ampli⁹ fieri nō potest, conditio habetur pro impleta, siue sciuerit, siue non. Si ignorauerit, ob rationem dictam: si verò sciens posuit, quia conditio est impossibilis, & habetur pro nō adiecta, vt infrà dicā. Vt si dicatur, *contraho tecū, si Titius pubes fuerit*, ille iā pubes est, cū iterū pubes fieri nō possit, impossibilis cō ditio reputatur, & habetur pro nō adiecta, si sciebat illū esse puberē. Sic explicat Donel. li. 8. c. 32. §. *illa etiā de volūtate testatoris.*

8 Sed quæstionem habet, an ea, quæ per naturam necessaria sunt, & futura sunt, conditionis ratione habeant, *vt si sol cras oriatur.* Et quidē, si iuris dispositione attendamus, ea quæ per naturā necessaria sunt, non reputantur pro conditione, sed cōtractus purus est, §. *conditiones. inst. de verborum obligat.*

Quæ

Quæ enim per rerum naturam sunt certa non morantur obligationem, licet apud nos incerta sint, & l. si pupillus 9. D. de nouat. §. Qui sub conditione stipulatur, quæ omni modo extitura est, puto videtur stipulari, & l. impossibilis 7. de verb. oblig. in fine ibi, *si talis conditio inseratur stipulationi, si in Cœlum non ascenderit: nam vtilis, & præsens, & pecuniam creditam continet.* Discrimen enim constituit Iure Cõsultus inter illam conditionem, *Si in Cœlum ascenderit*, & hanc *si non ascenderit*. Illa inutilis est, & impossibilis: hæc vero vtilis, & necessaria; & quia necessaria est, præsentem obligationẽ, & puram inducit. Communis hæc sententia est, quam citatis multis iuris interpretibus, & Theologis docet Thomas Sanchez lib. 5. disput. 2. nu. 2. Rebellus 2. part. lib. 2. de Matrimonio q. 10. sectione 2. n. 11. Donellus d. li. 8. c. 31. §. *iniecta à testatore*, prope initium.

9 Sed cũ licet res certa sit, potest tamen esse aliqua ex parte incertitudo, vt exẽpli gratia certum est tẽpus, in quo fit aliquis pubes, scilicet, decimo quarto anno, an verò ad id tẽpus peruenturus sit, incertum est, similiter etiã futurum aliquid certũ est, quãdo autem futurum sit, incertum est, *vt si morieris*, certum enim est, moriturum, incertũ vero quando morietur: aliquando, & futurum esse aliquid certum est, & tempus, *vt si sol crãs oriatur*, ideo non eodẽ modo loquendum in his omnibus conditionibus. Nam quando dies certus est, incertũ tamen an futurus sit, vt in pubertate, planũ est nõ censeri cõditionẽ necessariã. Itaq; siquis dicat, *contraho tecum, si pubes fueris*, suspenditur vsq; ad tẽpus pubertatis; fieri enim potest, vt nõ perueniat ad pubertatis annos; & id videtur probari ex *l. si dies, & l. si Titio D. Quãdo dies legati cedat.* Si enim cõditio est, cũ quod promittitur aut relinquitur, in aliquem casum differtur, §. *sub conditione*, *inst. de verb. oblig.* cũ dies puberratis venire possit, & nõ venire, planè pro conditione erit. In quo vides magnũ esse discrimen inter ea, quæ isto modo necessaria sunt in futurũ, & quæ sunt præsentia, & præterita. Nam hæc iã nullo causarũ concursu impediri possunt, cũ facta infecta esse non possint, & ita non morantur obligationem ex insciria nostra: at verò, quę futura sunt, etiam si pendeant ex causis naturalibus, & non liberis, impediri multis modis possunt; & ita non solum incerta nobis sunt, sed ex se ipsis, & secundum ordinarias leges impedibilia, cum impediri non raro contingat; quare suspendunt, & vim conditionis habent. Atque huius generis esse puto, quod ait Vlpianus in *l. sed & si, in fine, D. de iudicijs*, vbi cum filius relictus esset patre mortuo, & vxore prægnante, non potest filius iam natus dimidiam partem hæreditatis petere. Quia licet certum per naturam sit parituram matrem, attamen quot filij nascantur, incertũ est, cũ ex fortuitis causis impediri diuersimodè possit: Et similiter etiam quãuis Titia prægnans paritura sit, in certum tamen, an legitimo tempore, ita vt filius superstes sit. Si ergo plures filij, quàm vnus nascantur, non potest filius iam natus dimidium bonorum capere. Aliter ergo se habet insciria nostra respectu prẽsentis, aut præteriti, quod ignoramus esse præsens, aut præteritum, aliter respectu futuri necessario. De his itaque necessarijs non intelligitur communis sententia, quam posuimus.

10 At quando venturum esse diem certum est, incertum autem, quando eueniet, *vt si morieris*, distingui debet. Aut enim assignatur tempus mortis alicuius extranei, vt contraho tecum, *si Titius moriatur*; Quod quidem incertum est, an sit euenturum, viuo eo, cum quo contraho, vel mortuo, vim conditionis habet, suspenditurque contractus obligatio ea conditione. Idque constat exẽplo desumpto ex legato relicto; si enim relinquatur legatum alicui, *si alter moriatur*, si legatarius decedat ante alterius mortem non debetur legatum, quia potest viuo legatario non venire ea conditio, & probat textus in *l. 1. §. 2. D. de condition. & demonstrat.* *dies autem incertus est, cum ita scribitur, hæres meus cum morietur, decem dato. Nam diem incertum mors habet eius, & ideo, si legatarius ante decesserit, ad hæredem eius legatum nõ transit, quia non cesit dies viuo eo, quanuis certum fuerit, moriturum hæredem.* Probat etiam textus in *l. 79. §. 1. D. eodem, & in l. 4. & l. 21. D. Quando dies legati cedat.* Quare in hoc non rectè loquitur Thomas Sanchez lib. 5. disp. 2. num. 5. & 6. Vnde si matrimonium contrahatur sub hac conditione; *si pater moriatur*, suspenditur, & conditionale matrimonium est, & expectandus dies mortis patris, potest enim contingere, vt is, cum quo contrahitur, decedat viuo patre: hoc autẽ non tantũ est tẽpus esse præfixum contrahendo matrimonia, vt putat Thomas Sanchez, sed conditionẽ posi tam, vt constat ex his, quæ dicam modo, & ex his diuersis effectibus, quos habet obligatio in die, & obligatio sub conditione, quod non satis aduertit Thomas Sanchez.

11 Quod si designetur mors ipsius cum

quo

quo contrahitur, aut cui relinquitur legatum, vt *lego tibi centum, si morieris; contraho tecum, si morieris*, purum quidem legatum est, atque contractus, nec conditione suspendi tur, sed mora, vt ait Papinianus in *l. hæres meus 78. de condit. & demonstrat.* Quāuis enim incertum sit quo die morturus sit, quia tamen non potest dies mortis non venire, & quidem viuo legatario, aut eo cum quo cōtrahitur, cum certum est viuenti debitū iri, non potest esse sub cōditione, quæ ponit in incerto, vtrùm res debeatur, an non. Vnde & debetur legatum, & debetur etiā contractus matrimonij, vel alius, tempore tamen mortis non ante. Is enim sensus est illius cōditionis, *si morietur*, nō *si mortuus fuerit*, esset enim impossibilis conditio, atque adeo haberetur pro non adiecta, sed cū agit animā, & antea contractus nō est, neq; perfectū matrimoniū, sed refertur in diē mortis tanquā in tēpus destinatū, in quo contrahendū est.

12 Ex his quæ hactenus constituta sunt, quantum ego iudico, verè & consentaneè ad iuris principia, colliges 1. solutionem eius, quod quæritur. An siquis ita cōtrahat, *ego tecum contraho, si sol cras oriatur*, cōtractū sit matrimoniū de præsenti. Ego enim purè contractū existimo, ac suspendi non conditione, sed mora tēporis, & hunc esse huius conditionis sensum, nisi ex mente cōtrahēntis aliud constet, sicut dicebamus in contractu sub conditione, *si morieris*, quia quod est certum viuenti debitū iri, vt dicebam, non est sub conditione. Cōditio enim ponit in incerto. Quare obligatio quidem ab eo tēpore iam est, suspensa tamen vsque ad diē crastinum. Quod secus est in conditionali contractu, vt dictum est, cum non sit obligatio contractus ante euentum conditionis. Contractui enim, & obligationi puræ non repugnat suspendi mora, sed suspendi conditione, vt cōstat ex supradictis. Atque hæc mihi magis videntur iuri consormia, quam ea quæ habet Thomas Sāchez disput. 2. cit. n. 6. nisi in hunc sensum explicentur.

13 Secundo colligo quid dicendū sit, in eo, quod quæri solet, siquis contrahat cū aliqua, *si Antichristus nascetur*: Nā Thomas Sāchez disput. cit. existimat esse purū contractū, non conditionalē & idē docet Rebellus lib. 2. cit. q. 10. sect. 2. n. 14. & Theologi cōmuniter. Quia non minus certū est, secundū fidē Antichristū nasciturū, quā solē cras oriturū, vel aliū moriturū. Verius tamē est, quod docet Couarr. 2. p. c. 2. §. 2. n. 11. Henriquez lib. 11. de matrimonio c. 12. nu. 4. & olim Adrianus, q. 3. de matrim. dub. 16. & dub. 17. esse matrimoniū conditionale; cuius ratio constat manifestè, ex dictis. Nam licet certū sit Antichristū nasciturū, at incertum est, quo tēpore & die; & potest contingere vt non nascatur viuo legatario, aut eo, cū quo contrahitur, & ita habet effectū suspēdēdi. Quod enim in incerto ponit, nō potest nō esse cōditio suspendens, vt dictū est.

14 Quod si quæras, qua ratione matrimoniū, cū sit actus legitimus, patiatur diē, & cōditiones has de præsenti, & de præterito, aut necessarias? Nōnulli dicunt actus legitimos pati posse has conditiones de præsenti, & de præterito, etiā necessarias de futuro. Sic Ioannes Faber, quē refert Decius, in regula. *Actus legitimi 77. D. de reg. iur.* nu. 11. Alij dicūt neq; has cōditiones adijci posse actibus legitimis, quod verius est, quā etiā sententiā sequitur Antonius Pichardus, §. *conditiones, n. 5. instit. de verb. oblig.* Nam licet eiusmodi conditiones non suspendant effectū & obligationē, at suspēdut executionē, sicut obligationes in diē, dū inquiritur de earū conditionū veritate & existentia, quod etiā docuit Decius, ibidē. Quo supposito superest difficultas proposita de matrimonio.

15 Couarr. 2. p. c. 3. n. 2. inquit nō recipere diē, neque conditionē etiā alios actus legitimos, præter receptos in d. l. eosque actus legitimos inquit non pāti diem, neq; conditionē, qui ad hoc instituti sunt, vt effectus statim sequatur purus; huic enim institutioni, vt statim sortiantur effectum, repugnat diei & conditionis adiectio. Quod etiā sequitur Pechius in regula, *actus legitimi 50. de reg. iuris in 6. n. 2.* Dicit autem Couarr. non apponi diem, neque conditionē matrimonio, sed consensui. Hæc tamen solutio non placet, quia sunt multi actus, qui vocātur legitimi, & tamen recipiūt diem & conditionē, vt constat in tutore testamento dato, & etiā in sententia, nam etiam sententiæ conditio apponi potest, licet iuribus alijs prohibeatur, quia absurdū est sententiæ validitatē stare in suspenso, & Abbas in c. in literis, de of. deleg. n. 4. cēsuit cōditionē suspēsiuā, vel resolutiuā viciare sententiam: at lata sub conditione valet, vt ibi, Decius ex. tex. in *l. 1. §. bidnū D. quādo appellandū sit*, ibi *non est dicenda sub conditione sententia, dicta tamen valet*, & ideo appellationis tēpus cōputatur à sententia dicta, nō à cōditione impleta ex *l. 37. qui testamento D. de excusat. tutorū*; & valet nisi opponatur exceptio; & in matrimonio certum est apponi conditionem

posse de præsenti, aut præterito, ex sententia omniũ, cum tamen actus legitimi, neque hanc conditionẽ recipiant, vt superius diximus. Vnde quãuis verũ sit matrimoniũ non recipere conditionem de futuro, vt dicam posteà cap. 13. Attamen non solum consensus, sed etiam matrimonium recipit conditionem de præsenti, aut de præterito.

16 Quare respõderi debet iuxta doctrinam Decij ibidẽ, matrimoniũ non esse actũ legitimum ex ijs, qui conditiones, aut diem non admittunt, neque vniuersè dici in d. l. actus legitimos non pati conditionem aut diem, sed illos, qui ibidem commemorantur, scilicet, emancipationem, acceptilationem, & alios ibi expressos. Id quod etiã docuit Donellus lib. 5. comment. c. 18. §. *rursum contraria est*, & alij Doctores, quos ibidẽ in notatis refert Osualdus, litera F. Quare cum matrimonium non sit de ibi enumeratis, admittit diem & conditionem de præterito, præsenti, & necessariam iuxta dicta, quamuis non admittat conditionem de futuro, vt explicabo posteà.

De cõditionibus, quæ intrinsecè insunt contractibus, aut dispositioni.

CAPVT II.

SVMARIVM.

Diuiditur conditio in intrinsecam, & extrinsecam, n. 1.
Et adhuc intrinseca diuiditur, n. 2.
Conditio intrinseca non efficit dispositionem cõditionalem, n. 3.
Id verum, etiamsi exprimãtur à disponente, n. 4.
Prima limitatio eius doctrinæ, n. 5.
Quando non eodem modo intelligitur tacitum, & expressum.
Secunda limitatio, quando exprimi prohibetur per legem, n. 6.
Et quando agitur ad nullitatem actus non esse parem rationem taciti, & expressi, ibidem.
Infertur quid iudicandum de illa conditione, si Deus voluerit, n. 7.
Quid de illa, si Ecclesiæ placuerit, n. 8.
Quid de illa, si potero, n. 9.
Quid de illa, si nullũ subest impedimentũ, n. 10.

1 ANtequam conditionis vim explicemus in singulari, explicandum est, quæ conditiones, licet conditiones sint, non habeãtur pro cõditionibus, & quæ habeantur: neque enim omnes, quæ conditionis formam habent, iure pro conditione habentur. Reiectis igitur his, quæ licet sonum conditionis habeant, non tamen habent conditionis vim & effectũ, illa quæ vere conditio est, varie diuidi solet, vt dixi cap. præcedenti, quas diuisiones iam sigillatim in sequentibus explicabimus. Conditiones ergo aliæ sunt, quæ specialiter & expressè exprimuntur à testatore: vel contrahente. Quas scilicet testator vel contrahẽs exprimit, extrinsecæque dicuntur dispositioni, quatenus, si non exprimerentur, non adessent: aliæ autem dicuntur tacitæ, quæ insunt contractui, vel dispositioni, etiamsi nõ exprimantur; & illæ vocantur intrinsecæ, quia scilicet non pendent, ex contrahentis aut disponentis volũtate. Quamuis & istæ extrinsecæ etiam aliquando dicantur, quatenus non sunt à voluntate testatoris, sed aliunde veniant, cum in his præcipuè attenditur voluntas agentis. Sic eas extrinsecas vocat Papinianus in *l. conditiones 99. D. de condit. & demonst.* Nos autem communi nomine intrinsecas appellabimus, vitandæ æquiuocationis causa.

2 Huiusmodi autem generales conditiones intrinsecæ, aut insunt natura ipsa, aut potestate legis. Natura ipsa, vt cum relinquitur id, quod in rerum natura non est, existere tamen posteà potest, vt cum legatur, quod ex ancilla natum fuerit, aut fructus qui nascentur, *l. 1. §. fin. D. de condit. & demonst.* Incertum enim facit natura ipsa, si orta fuerint, aliàs non. Smiliter in cõtractu matrimonij ex natura conditio inest, *si non sint impedimenta, quæ iure naturæ impediant*, vel, *si nihil adsit contra substantiam matrimonij*. Potestate autem legis insunt tacitè in omni contractu & dispositione, quæ iure ipso constituta sunt ad valorem contractus, vel dispositionis, vt in matrimonio, *si non est consanguinea, affinis, vel voto solemni adstricta*, & alia huiusmodi: in legatis verò, vt quando filius grauatur, hæreditatẽ restituere, intelligitur enim à iure, *si sine liberis decedat l. cum autem, D. de conditionibus & demonstrationibus*; & quando cõditio fuit apposita instituto, tacitè iurè ipso censetur apposita substituto in *l. licet de leg. 1.* Itẽ in institutione legati, vel fideicommissi de iure communi intelligitur, *si habeatur hæreditas, l. hæredis 7. D. quando dies legati cedat*, nihil enim valet ex eo testamento, ex quo hæreditas adita non erit, *l. 1. D. de iniusto rupto, & l. eam quam C. de fideicommissis*. Dixi iure cõmuni; nã iure nostro ea cõditio nõ intelli-

intelligitur à iure, cū non sit necessaria aditio hæreditatis. Similiter quando relinquitur legatum annuum, subintelligitur conditio, *si vivat*. Vnde primo anno est legatum purum, à secundo vero conditionale, *si vivat*, & mortuo legatario non transit ad hæredes, *l.4. D. de annuis legatis*.

3 In his autem conditionibus certa iuris definitio est; conditiones, quæ vel natura, vel legis potestate insunt, quæ tacitè in esse videntur, & non ex voluntate contrahentis vel disponentis, non efficiunt contractum vel dispositionem conditionalem, quod in matrimonio & omnibus alijs seruā dum est. Sic habet definitio Papiniani in *l. conditiones 99. D. de conditionibus & demonstrat.* & inesse legato vel testamento dicuntur, *l. 1. §. fin. D. eodem.* Expectabit quidem testator, vel contrahens, veluti si esset dispositio in diem, *l. 88. D. de verborum obligationibus*: attamē dispositio conditionalis nō est. Tenet Rota apud Farinacium 2. p. decis. 709. n. 4. Et probatur primo, desumpto exē plo ex legatis. Quia manifesta differētia est. Quando legatum est conditionale ex volūtate testatoris, aut quando ex natura tēpus expectat natiuitatis fructuū, vel partus ancillæ. Nam in hoc posteriori casu, si legatarius nondū perceptis fructibus, aut adita hæreditate decesserit, non ideo legatū intercidit, sed transit ad hæredes; quod tamen non ita esset, si legatum fuisset conditionale, cederet enim dies legati, neque trāsiret ad hæredes, *l. 5. D. Quando dies legati cedat. l. Intercidit 59. D. de condition. & demonst.* Vnde dixit Vlpianus in *l. hæredis 7. quando dies legati cedat, hæredis aditio, moram quidem facit, legati petitioni, cessioni dici non facit.* Rationem autem, quare istæ tacitæ conditiones, quæ conditiones sunt, & legato insunt, non efficiant legata, vel contractus conditionales, optimè assignat Donellus lib. 8. c. 32. parū à principio. Quia licet hæ cōditiones sint in eo sensu, vt quibus deficientibus nihil debeatur, nihil agatur, voluntate autem disponētis non sunt conditiones; tum quia vellit nō lit testator siue contrahens, illæ intrant, vt dictum est: tū etiā, quia voluntas testatoris non alia esse videtur, quā vt post mortē suā adeatur hæreditas statim, ne mora aliqua afferatur eius volūtati, & illis, quibus aliquid statim præstitū voluit. Et similiter dicendū est in cōtrahēte, eius enim volūtas est, vt statim effectū habeat, siue in matrimonio, siue in alijs, quando absoluta voluntas est. Volūtas autē disponentis portior est, & in testamentis totū facit, *l. ex facto D. de hæred. instit.* & in conditionibus primum locum obtinet defuncti voluntas, eaque conditiones regit: vt definit Vlpianus in *l. 10. in principio, de condit. & demonst.*

4 Sed quid iuris erit, quādo huiusmodi cōditiones, quæ tacite legatis, vel cōtractibus insunt, exprimūtur à cōtrahente, vel testatore. Et dicendū adhuc nō efficere contractū, neque dispositionē conditionalem. Probatur. Quia si quis leget fructus ex Tusculano fundo, si nascētur, aut fundū dare iubeat Titio, si adierit hæreditatē, nihil nocet, neque efficit conditionalē dispositionē, *l. hæredis, §. tractari, l. cum illud in fin. D. Quando dies legati cedat.* Facit etiam, quod legatum illud sine cōditione est, *Stichus, si mens fuerit liber est. l. seruo 47. D. de condit. & demonst. Seruo libertatem ita dedit ille, si meus fuerit liber esto, legatum, vel hæreditatem sine conditione dedit, &c.* Nā potestate iuris ea conditio inest, cum nemo libertatem directā assequi possit, nisi qui testatoris fuerit, & quando testamentum facit, & quando moritur. Facit etiā, quod illa tutoris datio non inutilis est, *si satis dederit tutor esto*: nam ea conditio, *si satis dederit*, iure inest, cum ad Tutelam sine satisdatione non admittatur tutor, *cap. de Tutoribus, quinon satisd.* Ratio autem, quare istæ conditiones, quæ alias insunt, etiam si exprimantur à testatore, vel disponente, non faciant dispositionem, vel contractum conditionalē, ea assignatur eleganter à Donello loco cit. c. 32. Quia quæ cōditiones tacitè insunt, exprimūtur superuacuè, & frustra, & ideo perinde est, ac si expressæ non essent *l. Cornelius 69. D. de hæred. instit.* Vnde conditio illa, *si satis dederit*, nō cōditionē, sed admonitionem in se habet, scilicet, non aliter ei tutelā cōmitti, quā si satis dederit, vt habet Vlpianus in, *l. muto 6. §. 11. de tutelis.*

5 Sed cum dicat Vlpianus in *l. in conditionibus 19. de condit. & demonst.* cum de his tacitis conditionibus sermo esset, *nisi forte hoc animo fuerit testator, vt faceret conditionem*; & Marcellus in *l. 47. in fine* docet, *sæpe numero tamen mutari rei effectum, quanquam id expresserit testator, quod & si non fecisset, inesset tamen*; ideo ad huius explicationē addēdum est cōmunē doctrinam, quā hactenus tradidimus duobus modis limitari. Primus est. Quādo reuera id quod exprimitur non eodē modo intelligitur, ac si nō esset expressum. Tūc enim nō est eadē, neq; tacita cōditio, sed alia, quādo aliū sensum habet. Sic intelligen-

telligendus textus in *l. si ita legatum 65. §. 1. D. de leg. 1. & l. si ita expressum 69. D. de condit. & demonst. si ita expressum fuerit, Titio si voluerit, Do lego, apud Labeonem Proculus notat non aliter ad hæredem legatarij pertinere, quam si ipse legatarius voluerit ad se pertinere, quia conditio personæ iniuncta videtur.* Certè in hac dispositione aliud operatur conditio, si voluerit, expressa, quàm nō expressa, quia non eadem conditio est. Nā licer semper intelligatur ea conditio, si legatarius voluerit, quia inuito beneficium non datur *l. hoc iure §. non potest, D. de donat.* at expressa hunc habet sensum, vt non aliter fiat legatum eius, nisi voluerit. Legatum enim adquiri etiam potest ignoranti *l. cum Pater 77. §. Surdo l. legatum 80. D. de leg. 2. l. si tibi 86. §. cum seruus D. de leg. 1.* Vnde, si tacita conditione non prius adquireretur legatū, quam vellet, planè ea adiecta conditio nihil efficeret: at quia ignoranti, & animum suum non explicanti quæritur, quamuis respui ab illo agnitū legatum possit, inde est, quod illa conditio expressa, *si voluerit*, alia esse intelligatur. Vel dici etiam potest cum Duareno ad *l. 3. D. de legatis*, ideo, *si volet*, esse cōditionē, quia, vt Caius, *in d. l. si ita* expressum inquit, cōditio personæ iniūcta videtur, velle factū personale esse, neque ad hæredes trāsire, alia est enim volūtas hæredis, alia defuncti. Quā etiā interpretationē probat Osualdus ad lib. 8. Donelli c. 32. litera E. Idē etiā dicendū in illa institutione sui hæredis, & necessarij *si volet, hæres esto.* Est enim verè cōditionalis institutio expectans explicationē volūtatis, & de hærede necessario voluntariū facit *d. l. Cornelius 69. & l. iam dubitari 76. de hæred. instit.* Vnde hoc discrimē est inter extraneos hæredes & suos, quod si in sui hæredis institutione dicat Testator, *si voluerit*, institutio cōditionalis sit: at in extraneis, etiāsi exprimatur, *si voluerit*, nō sit cōditionalis, *d. l. Cornelius, & l. verba hæc 12. de condit. instit.* Cuius ratio est, quam Iuris Cōsultus tradit. Quia ea etiā nō adiecta futurū erat, vt hæres nō esset, nisi vellet: extraneus enim nō ante fit hæres, quàm si voluerit; & hæreditas illi nō adquiritur, nisi destinatione animi. Necessario autem & suo etiam ignoranti quæritur hæreditas, & ideò illa conditio, *si volet*, aliquid amplius operatur expressa, quàm tacita.

6 Secundo limitāda est cōmunis doctrina, quādo cōditio generalis, quæ tacitè inhæret, exprimi prohibetur per legē. Quamuis enim eadem forte sit expressa atque tacita; at quia cōtra legis prohibitionē fit, expressa nocet. Atque hinc est, quia lex exhæredationē filij sub conditione fieri vetat, si quis ita dicat, *cum Titius hæres fuerit, filius exhæres esto*, nulla exhæredatio est. Quia licet tacitè semper ea conditio insit non aliter exhæredatum filium, quàm si alius ex testamēto hæres existat; tamen quia contra legem prohibentē exhæredari filiū sub conditione actum est, ea conditio expressa in exhæredatione nocet, vt existimauit Donellus. Sed hæc Donelli ratio non est solida, eamque refellit Duarenus ad d. l. 3. Osualdus d. c. 32. litera C. qui optime dicūt id quod dictū est de exhæredatione nasci ex ipsa intima iuris ratione, nō exspeciali prohibitione. Quia prior esse debet exhæredatio filij, quā institutio extranei, nō enim potest esse hæres extraneus, nisi exhæredato filio iuxta *l. 3. §. 2. D. de liberis & posth.* Cūque conditio prior sit ratione & intelligentia quocunq; actu, qui sub conditione disponitur, si ita dicat, *si hæres Titius, filius exhæres esto*, prius videtur velle, vt sit hæres, quā exhæredatio, quod iuri repugnat, vt inquit Osualdus. Atque hoc mihi magis probatur, quàm quod Duarenus ibidē ait in odiū exhæredationis admitti, vt per conditionē, quæ per se inest, expressam exhæredatio vitietur. Similiter, quia ius tutoris dationem sine conditione esse vult *l. actus legitimi 77. de regulis iuris, & l. muto 6. §. 1. D. de Tutelis, sub conditione non posse tutorem dari placet*, ideo conditio tacita, si exprimatur, nocet *l. qui in testamento 37. D. de excusationibus tutorum, si legitimum tutorem habenti, tutor datus est, non est tibi necessaria excusatio*; vitiosam inquit pronuntiationem, cum tamen planum sit legitimum tutorem habenti alium non dari, vel nō dari nisi ei, qui legitimum non habet. Hinc illud, si satis dederit, non esse conditionem in datione tutoris dixit Vlpianus in *d. l. muto*, sed admonitionem non aliter ei tutelā committi, quā si satis dederit, ideſt, non aliter ei gerere permittendū, quā si cauerit rem saluam fore. Idem est si conditio exprimatur in acceptilatione, & alijs actibus legitimis, qui nō recipiūt diē, neq; cōditionem; tacita enim conditio expressa nocet, ex quo iā per legem designata est forma, cui addi vel detrahi nihil potest, vt docet Decius in *d. l. actus legitimi 77. n. 13.* & Duaren. in d *l. 3. de legatis col. 4.* Verum ergo est cōditionem tacitā, si exprimatur, nihil amplius operari, quàm si non exprimatur, vel nocere, nisi in casu, quo vel aliū sensum efficit, vel lege ex

primi

primi prohibetur. An autem etiam conditio expressa in legitima noceat disputat Antonius Pichardus, §. *conditiones, inst. de verb. obliga. n. fin.* Illud etiam addendũ est ex doctrina Baldi in *l. eleganter §. siquis. D. de condict. indebiti*, & sequitur Decius in regula *expressè nocent.* num. 2. vbi agitur ad nullitatem actus propter medium impediẽs illius productionem ad esse, non esse parem rationem taciti, & expressi, sicut neque in alijs casibus, quos ibi Decius.

7 Ex hac communi doctrina nonnulla facile colligemus, quæ ad materiam de matrimonio spectant. Primo colligo, quid dicendum sit, siquis ita contrahat, *contraho tecum, si Deus voluerit.* Si enim intelligatur de voluntate Dei generali, non est conditionale matrimonium, sed purum, & statim perfectum. At si contrahens intelligat de volũtate Dei expresse approbantis per manifestationem aliquam, sic inquit Thomas Sanchez lib. 5. disput. 1. num. 11. cũ nonnullis alijs esse matrimonium conditionale, atque suspendi. Ego tamen adhuc distinguerem. Nam si sensus sit, si Deus suam voluntatem reuelauerit, & manifestauerit per reuelationẽ, nõ est conditionale matrimoniũ, sed purũ, quia turpis cõditio est postulatio reuelationis; reijcitur autẽ turpis conditio à matrimonio, vt dicam postea. At si sensus sit, si constiterit facta sufficienti diligentia iuxta Sacram Scripturam, & Canonicas Sanctiones, hoc matrimonium Deo placere secundum ea, quæ exterius iudicari possunt, conditionale est, & suspenditur, donec constet, vt dicebat Thomas Sanchez loco citato.

8 Secundo colligo quid dicendum sit de ea conditione, *si Ecclesiæ placuerit.* Thomas Sanchez disputat. 1. cit. num. 12. existimat semper efficere sensum conditionalẽ. At ego existimo de hac conditione eodem modo loquendum, atque de præcedenti, *si Deus voluerit.* Potest enim significari, & generalis Ecclesiæ approbatio, & specialis. Si generalis, qua probantur omnia matrimonia legitimè contracta, non suspẽdit: si specialis, suspendit, requirit enim expressam Ecclesiæ inuestigationem, & approbationem.

9 Tertio colligo, quid dicendum de illa cõditione, *si potero*, hæc enim generalis est, & semper subesse intelligitur, argumento text⁹ in *l. nepos Proculo*, & quæ ibi notat Gothophredus, *de verb. sign.* Quò pertinet elegans locus apud Senecam lib. 4. de benef. cap. 35. & 39. *Destituere, inquit, leuitas non erit, si aliquid interuenit noui. Quid miraris, cũ conditio promittentis mutata sit, mutatum esse consilium? Eadem mihi omnia præsta, & idem sum. Vadimonium promittimus, tamen deseritur, non in omnes datur actio, deserentem vis maior excusat. Omnia debent esse eadem, quæ fuerunt, cum promitterem, vt promittentis fidem teneas.* Hæc Seneca.

10 Quarto colligo illa etiam non suspẽdere matrimonium, *si consanguinea non es, si nullum subest impedimentũ*, siue exprimatur, siue non; nisi, contrahens dicat, *si non fueris inuenta consanguinea*; nam tunc suspẽdi vult contractum vsque ad inuestigationẽ Ecclesiæ, & conditionalis erit, vt notat Thomas Sanchez disput. 1. cit. num. 13. qui addit nu. 14. expressionem illam; *si non es consanguinea*, efficere, vt si consanguinea sit, non incidat in excommunicationem latam in *Clementina vnica, de consanguinitate*, quia affectũ Ecclesia punire non potest, cum contrarius affectus ostendatur, etiãsi cõtrahant sciẽtes se esse consanguineos, quod & mihi placet.

De conditionibus impossibilibus.

CAPVT III.

SVMMARIVM.

Proponitur quæstio, num. 1.
Ex natura rei sub conditione impossibili vitiari contractum, n. 2.
In matrimonio, & vltimis voluntatibus non vitiari, sed repelli, n. 3.
Quare est diuersa iuris dispositio, n. 4.
Quorundam ratio reijcitur, ibid. & nu. 5. & 6.
Vera ratio, num. 7. ex Duareno.
Prima ampliatio eius doctrinæ, n. 8.
Non placet, remissiuè, n. 9.
Secunda ampliatio, num. 10.
Tertia ampliatio, num. 11.
Contra hanc ampliationem duæ obiectiones proponuntur & diluuntur, n. 12. 13.
Prima limitatio communis doctrinæ, n. 14.
Explicatur, n. 15.
Obiectio soluitur, n. 16.
Secunda limitatio, n. 17.
Tertia limitatio, n. 18. vltima ibidem.

1 DIXIMVS de cõditionibus generalibus, quæ licet conditiones videantur, non habentur pro cõditionibus, neque vim conditionis habent: oportet iam agamus de conditionibus, quæ à volun-

à voluntate contrahentis proueniunt. Et in his quædã sunt, quæ nõ habentur pro conditionibus, quia pro non adiectis iudicantur, quales sunt impossibiles, turpes, & derisoriæ. De singulis agendum suo ordine, & in hoc cap. de impossibilibus.

2 In qua quidem re certo iure vtimur. In primis, si attendamus tantũ ius naturale, tàm contractus matrimonij, quàm quiuis alius, aut dispositio, vel testamentum celebrari possunt sub cõditione impossibili ex natura rei, & ea nõ adimpleta non habebit vim cõtractus, aut dispositio, siue vltima vo lũtas. Ita docẽt Doctores cõmuniter, quos infra citabimus, & Molina to. 1. de iustitia tract. 2. disp. 206. conclus. 1. Rebellus d. lib. 2. q. 10. sect. 4. in principio. Aperta ratio est. Quoniam quæcunque dispositio, qua quis gratuitò vel oneroſè quidpiam confert, vt vim habeat, stando in solo iure naturali, dependet à libera voluntate, ita disponentis. Ergo si disponit sub conditione, quam impossibilem cognoscit, neque vult vt aliter dispositio vim habeat, nisi dependenter ab existentia talis conditionis, non aliter vim habebit contractus aut dispositio, quàm impleta ea conditione. Quod idem certum est dẽ quacunque alia conditione, & eodem modo probandum. Vnde communis illa regula, *conditio impossibilis non vitiat dispositionem aut matrimonium, aut habetur pro non adiecta*, non est vera stando in solo iure naturali; sed tantum inspecto iure positiuo. neque ad alios casus extendenda, quàm ad eos, in quibus ea dispositio aut definitio iuris reperitur. Quare si apponit quis conditionem impossibilem, explicans se nolle aliter contrahere, vel disponere; vel, etiamsi non explicet, eius tamen consensus ab ea conditione dependet, nullus est omnino contractus, siue dispositio, quæcunque illa sit.

3 Deinde dico Iure Canonico constitutũ esse, vt in matrimonio conditiones impossibiles & turpes habeantur pro non adiectis, c. *fin. de condit. appositis*, ibi: *Aliæ conditiones appositæ in matrimonio, si turpes, & impossibiles fuerint, propter fauorem eius debẽt pro non adiectis haberi*. At iure ciuili etiam dispositũ est, vt conditiones impossibiles habeantur pro nõ adiectis, tantũ in testamentis, fauore vltimæ volũtatis in legatis quidem & fideicõmissis, sine exceptione vlla *l. 3. & l. 6. D. de condit. & demonst. l. 1. de condit. instit. §. impossibilis, inst. de hæredis instit. & l. ab omnibus 104. §. 1. D. de leg. 1.* In institutione autẽ hæredis nõ est vniuersaliter definitũ haberi pro nõ adiectis. Nã in institutione filij, qui in potestate est, cõditio, quæ in eius potestate nõ est, etiã si impossibilis sit, nõ reputatur pro nõ adiecta, sed dispositionẽ vitiat, *l. filius 15. de cõdit. instit.* de quo aliàs fortasse infra. Hoc autẽ casu excepto, institutio filij etiã sub impossibili conditione valet *l. 1. de conditionibus inst.* in quã videdus Gothophredus in explicatione illius verbi, *vel alio mẽdo, & l. 4. eodem in fine, & l. 6. §. 5. de hæred. instit. & l. 20. de cõdit. institut. & l. 3. de statu lib. in principio*. Exẽpla autẽ impossibilis conditionis latè proponit Duarenus de condit. inst. c. 4. col. 1. collecta ex legibus citatis. In omnibus autẽ alijs cõtractibus iure ciuili cõditio impossibilis vitiat, nec repellitur, & ex cõsequẽti nullũ habebit effectũ eiusmodi cõtractus sub ea cõditione impossibili celebratus *l. nõ solũ D. de oblig. & actionib. & §. si impossibilis, instit. de inutilibus stipulat. Si impossibilis conditio stipulationibus adijcitur, nihil valet stipulatio.*

4 Sed quare in his rebus tã diuersa iuris dispositio sit, inquirendũ est. Et quod ad matrimoniũ attinet, nõ lõga indagatione opus est. *Propter fauorem matrimonij*, inquit Pontifex in d. c. fin. cuius causa fauorabilis est, & ita in dubio fauetur matrimonio, vt explicabo c. sequenti. At quare ius ciuile diuersam sequatur viã in testamẽtis & in cõtractibus, variè Doctores explicãt. Sarmiẽto lib. 2. Select. interpret. c. 3. n. 15. inquit, quia in contractibus cõditio pro causa est, vnde si reijceretur cõditio, cõtractus causa carere videretur. Sed nõ rectè. Conditionẽ enim à causa differre notũ est, quare nõ semper cõditio in cõtractu poneretur pro causa cõtractus.

5 Secũdo aliã rationẽ acutè satis assignat Donellus lib. 6. cõment. c. 18. inquit enim id ipsum exigere voluntatẽ defuncti, vt institutio valeat. Nã si verba dispositionis spectemus, duæ inducũtur cõtrariæ coniecturæ volũtatis, vna quasi voluerit cõditionẽ expectari: altera, quasi voluerit hæreditatem vel legatũ deberi. Ex his autẽ duabus volũtatibus, quæ contrariæ videtur, id sequi debemus, quod credibile est, eũ cogitasse *l. 24. D. de rebus dubijs*, ideſt. Quod benignius est *l. 10. §. vlt. eodem & l. 12. de re iud.* Benignius autem est, vt potius seruetur, quàm intercidat dispositio testantis *l. 16. in principio D. ad Trebell.* In contractibus autem, cum eædem duæ contrariæ inducantur coniecturæ, aliam contrariam rationem sequimur; quia in oneribusquẽque quàm minimè fieri

potest,

potest, onerari, neque obligari velle se vltra quam verba efficiunt probabile est, *l.25. de probat.* Testamentum autem non ad onus, sed ad liberalitatem & munificentiam spectat. Beneficæ autem voluntati conuenies est, vt latè & prolixè eam interpretemur, quo detur aliquid, non vt nihil, quatenus quidem res in ambigua & obscura oratione patitur. Sed hæc Donelli ratio quamuis acuta sit, non omninò probatur, quia sæpe institutus hæres grauari solet, vnde nō semper testamentum ad meram liberalitatem pertinet. Adde quod in d. l. 3. dicitur *obtinuit*, quo indicatur potiùs hanc partem obtinuisse re disputata inter DD.

6 Tertio dicunt alij tolerari lubricū & incertum vnius hominis in testamento animum; in contractibus vero nō, quia est plurium consensus, d. *l. non solum* 31. *D. de obligationib. & actionib.* Sic Antonius Pichardus loco cit. Sed hæc ratio non est solida, quia etiam conditio impossibilis habetur pro non adiecta in testamento coram pluribus nuncupato, aut duorum in vnis tabulis, cū tamen tunc sit consensus plurium.

7 Quare magis placet, quod Duarenus docet ad *tit. de conditionibus instit.* c. 4. quia in cōtractibus impurari potest cōtrahentibus, si quid parū expressum sit vel ambiguū; in testamento autē nulla culpa est instituti, aut legatarij, quod nō curauerit verba apertiùs conscribi. Quare fauore vltimæ voluntatis id constitutū esse dixit Scheneuduuinus d. *§. si impossibilis inst. de inutilibus stipulat.* & ad tollendas lites, quoniam mortuo testatore non remanet interpres voluntatis ipsius. Id quod ius positiuum optime potuit statuere; respublica enim & Princeps multum possunt circa dispositionem pecuniarum, & similium bonorum, instaque de causa potest dominiū vnius transferre in aliū, vt in iure præscriptionis; itaque potuit decernere, vt per vltimam voluntatem, per quam iure naturali dominium nō transiret in alium, transferatur iure positiuo, ac si ea conditio apposita non esset.

8 Hanc cōmunem doctrinā ampliabis 1. vt intelligatur, siue ea conditio impossibilis apponatur de futuro, siue de præsenti, siue de præterito. Si enim loquamur secundū ius naturæ, iudicandū est iuxta dicta, scilicet, ex animo contrahentis tantū pendere; si vero loquamur iuxta dispositionē iuris, existimant nonnulli intelligendam esse quouis modo apponatur cōditio impossibilis, siue de præsenti, aut præterito. Sic Durā dus in 4. dist. 28. q. 2. nu. 5. Adrianus q. 3. de matrimonio, dub. 11. Conarr. 2. p. c. 3. §. 2. n. 2. Gregor. Lopez l. 6. verbo *monte de oro*, ad fin. tit. 4. part. 4. Sanchez lib. 5. cit. disp. 4. n. 3. citatis alijs. Probat autē ex eo Thomas Sāchez, quia ab vltima volūtate reijciūtur cōditiones impossibiles de præsenti, vt probat textus in *l. si Mœuia*, 45. *D. de hæred. instit.* vbi ea conditio, *si filia testatoris viuit*, de præsenti tēpore, vt ait Glossa, in casu quo testator nunquam habuerit filiam, reicitur tā quam impossibilis. Ergo etiam à matrimonio. Sed hoc non est firmū fundamentū. Nam totū hoc pendet ex solius iuris humani dispositione. Spectato enim iure naturæ eadem ratio est siue conditio apponatur de præsenti, præterito, aut futuro. Potuit ergò aliter disponi in matrimonio, aliter in vltimis voluntatibus. Quare cum circa matrimonium non sit alia dispositio, quam in dicto *c. fin. de condit. appositis*, ex eo tantum inuestigandum est, an eius capitis dispositio omnes eas impossibiles conditiones cōprehendat. Videtur autem Pōtifex omnes illas comprehendere. Quia spectato tantum iure naturæ non potest alia dispositio esse de conditione impossibili per naturam, & de conditione contraria substantiæ matrimonij, solumque ea diuersitas oriri potest ex diuersa dispositione iuris. At ius canonicum à matrimonio non reijcit vllam conditionem contrariam substantiæ matrimonij, siue addatur de præsenti, siue de futuro. Ergo à contrario reijcit à matrimonio, quamcunque conditionem impossibilem: aliàs non plenè, neque verè vnas conditiones ab alijs discriminasset, si in aliquibus casibus conditio impossibilis haberetur iure canonico pro adiecta non secus atque conditio contraria substantiæ matrimonij.

9 Sed aduersus hāc ampliationem sensit Petrus Ledesma de matrimonio q. 47. art. 5. dub. 1. §. *hoc posito fundamento*, & merito quidem, quamuis eius fundamentum non mihi placet, magis autem probatur, quod adducit Rebellus d. l. 2. q. 10. sect. 4. in fine, & deducitur ex his, quæ dicam cap. sequenti, cum explicuero sensum Pontificis in d. *cap. fin. de condit. appositis.*

10 Secūdo amplia ad cōditiones iure impossibiles, & quæ sunt cōtra bonos mores, hoc est, turpes, de quib⁹ dicā infra suo loco.

11 Tertio amplia ad cōditionē impossibilē existimatā vt possibilē, in quo casu, si testator vel contrahens existimauit possibilem conditionem, quæ impossibilis erat,

non firmari contractum, vel dispositionem existimauit Donellus lib.8. cap.32. §. *hac tamen in re*, & in matrimonio idem existimauit Thomas Sanchez lib.5. disp.3. n.8. & Emanuel Costa Repet. *in cap. si pater de Testam.* num. 8. multis citatis. Alij vero dixerunt non vitiare contractum, sed haberi pro nō adiectis, ac si cognouisset esse impossibiles. Sic Gabriel Vazquez opusculo de restitu. cap.7. dub.10. Mihi tamen videtur sub distinctione loquendum, iuxta quam istæ sententiæ facile componentur. Aut certò constat contrahentes vel testatorem eam existimasse possibilem, aut dubia est testatoris mens. Si primum, vitiatur contractus, non ex eo quod habeatur conditio pro possibili, sed quia, quando constat de mente contrahentis, & illum voluisse niti cōditione, quæcunque illa sit, illud sequendum est, vt dixi supra isto cap. Si autem dubia mens fuerit, habetur pro non adiecta iuxta iuris communis dispositionem; in dubio enim præsumitur pro testamentis, & matrimonijs.

12 Sed contra sententiam istam obijcit Thomas Sanchez 1. textum in *l. seruo manumisso* 58. *D. de condi. indebiti*, quo textu permouetur Donellus, vbi testator seruo libertatem reliquit, & fideicommissum sub conditione, si ad libertatem ex testamento peruenerit: is pecuniam accepit ex causa fidei commissi, postea pronuntiatur ingenuus, respondet Papinianus indebiti fideicommissi repetitionem esse, non alia certe ratione, nisi quia ea impossibilis cōditio, iuxta quam ingenuus ex testamento libertatē accipere non poterat, existimata est possibilis. Ad cuius textus difficultatem Doctores variè respondent, vt videri potest apud Osualdum d. cap.32. litera D. Duarenus *de condit. instit. c.4.* & Iulius Pacius 4. centur. quæst. 13. dicunt defeciisse conditionem, si ad libertatem ex testamento peruenerit. Quia per sententiam falsò ingenuus declaratus est, cum seruus esset, vt indicat illud seruo manumisso. Quare ideo fideicommissum defeciisse censendum est, quia defecit conditio. Vel dici etiam potest fuisse errorem in statu personæ, & ideo vitiatam esse dispositionem ratione erroris.

13 Secundo obijcit Thomas Sanchez, quia in d. *c. fin.* eodem modo loquitur Pontifex de conditione turpi, & impossibili; sed turpis reputata honesta non reijcitur. Ergo neque impossibilis. Sed dicendum eodem modo, & sub eadem distinctione loquendū de conditione turpi & inhonesta, si enim certò constet iudicasse illam honestam, certum est non consensisse, nisi sub ea conditione: at si dubia sit mens, iudicandum erit iuxta iuris dispositionem in d. cap. Itaque sic censendū erit, siue prudenter siue imprudē terreputauerint, aut sibi persuaserint conditionem illam esse possibilem.

14 Sed hanc communem doctrinam limitabis 1. vt non habeat locum in conditionibus impossibilibus de facto. Differentia enim est an conditio de facto impossibilis vitiet matrimonium, vel vltimam dispositionem; an vero habeatur pro non adiecta? Nonnulli sentiunt haberi pro non adiectis, sicut impossibiles per naturam. Sic nōnulli, quos refert Thomas Sanchez lib.5. disput.4. num. 13. quia impossibile est homini priuato montem aureum dare, vel ingentem pecuniæ summam. Alij distinguūt, si res sit impossibilis vni, at vero comparatione multorum possibilis, vitiari, quia nō est conditio impossibilis, sed difficilis: si tamen sit etiam respectu aliorum impossibilis de facto, dicunt haberi pro non adiecta, sicut illam, quæ est impossibilis per naturam. Sic Gregorius Lopez in Glos. ad l.6. tit.4. partita 4. verbo, *monte*, sequitur Thomas Sanchez d. disput. 4. num. 14. Nituntur in eadem l. Alphonsi Regis, qui montis aurei exemplo vtitur, & postea l.4. tit.4. part.6. vocat impossibilem de facto.

15 Hæc tamen mihi nō probantur. Quare retinendum censeo, quod Iustinianus ait in d. §. *si impossibilis*, eam tantum impossibilem conditionem reijci, cui natura impedimento est. Et de vltimis voluntatibus sic cēset Molina de primog. Hispan. lib. 2. cap. 12. num. 37. eamque communem scribentium esse docet, & Donellus lib.8. cap.32. §. *impossibilem conditionem*, Osualdus ibidē, Iulius Pacius Centur.4. quæst.13. & alij. In matrimonijs autem idem sensit Couarru. 2. p. cap.3. §.2. & alij. Et quod attinet ad testamenta, & vltimas voluntates probatur ex d. §. *si impossibilis*, vbi clarè dicitur, *cui natura impedimento est*. Facit etiam textus in *l.4. §.1. D. de statu lib.* vbi illa conditio, *si millies dederis*, quæ ingens summa est, vt obseruat Cuiacius lib.11. obseruar. cap.39. inutilem reddit libertatem relictam. Facit etiā, quod ibi dicitur, *penè impossibilis*, hoc est, valde difficilis. Difficultas autem præstationis non impedit obligationē *l. continuus*, §. *illud D. de verb. oblig.* Neque placet ea distinctio, qua vtuntur Gregorius Lopez, & Thomas Sanchez. Quia alias nulla erit condi-

tio

tio impossibilis de facto, cum quiduis multis hominibus conuenientibus fieri posset, licet difficulter. Facit denique Alphonsus Rex in l. 4. tit. 4. partita 6. vbi apertissimè dicit, conditionem hanc, *si dederis mihi montem aureum*, institutionem vitiare. Quod verò attinet ad matrimonium ea ratione probatur, quia dispositio canonica concepta est ad similitudinem dispositionis ciuilis. Ergò eodem modo est intelligenda. Quare cum textus in d. cap. fin. dicit conditiones impossibiles haberi pro non adiectis, intelligendum est de impossibilibus per naturam, nam impossibiles de facto non sunt impossibiles, sed difficiles, vt probatum est. Ex quibus constat eodem modo loquendū de ea conditione, *contraho tecum, si tollatur impedimentum consanguinitatis vniuersè*, est enim impossibile tantum de facto. Item de illa conditione, *si imperium dederis*, cum possit ab alio dari, licet difficile sit; in quibus, si attendas, Thomas Sanchez non loquitur consequenter.

16 Sed his obstare videtur textus in *l. si quis ita institutus sit 6. de condit. instit.* vbi si quis institutus sit, si sepulchrum in triduo proximo mortis eius feciſſet, reijcitur pro non adiecta, cum tamen ea impossibilitas facti sit. Respondetur iudicari conditionē impossibilem per naturam, quia impossibilis est comparatione hominis simpliciter, quamuis ab Angelo, vel Dæmone fieri posset. Vnde Alphonsum Regem in d. l. 6. titulo 4. partita 4. qua inducuntur Gregorius Lopez & Thomas Sanchez, intelliges de monte aureo naturali, non artificiali; in l. autem 4. titulo 4. part. 6. de monte artificiali, quem dixit impossibilem de facto, cū ibi loquatur de eo, quod per chimicam artem fieri potest.

17 Secundo limitatur vt locum non habeat in conditionibus impossibilibus perplexitatis, vt constat ex *l. si Titius 16. D. de condit. instit.* vbi, *si Titius hæres erit, Scius hæres esto, & si Scius hæres erit, Titius hæres esto*, iudicatur conditio impossibilis, & nihilominus institutionem vitiat. Vnde communiter Doctores docent à tradita communi doctrina excipiendam esse impossibilitatē perplexitatis, vt loquitur Scheneiduuinus, *§. impossibilis, instit. de hæredibus instit.* hæc enim non vitiat, neque censetur inter impossibiles. Sic contingit in specie illius textus. Vt enim inquit Duarenus *de condit. instit.* cap. 4. duæ sunt conditiones possibiles, quarum coniunctio reddit euentum impossibilem, cum sibi inuicem sint impedimento, cum enim par sit vtriusque ratio, non cōstat, quæ earum tolli debeat. Sic etiam sentit Iulius Pacius Centur. 4. quæst. 13. & Centur. 7. quæst. 98. Aliud etiam exemplum de impossibilitate perplexitatis vide apud Duaren. in d. cap. 4. col. 2. *de sotijs & hæredibus.*

18 Tertio limitatur etiam, vt non habeat locum in conditionibus impossibilibus ex accidenti, aut lapsu temporis, idque probat textus in *l. cum tale 72. D. de conditionibus, & demonstrationibus.* Vbi testator sic disponens, *Stichus, si soluerit quod Titio debeo, liber esto*; post testamētum factum soluit testator: vnde impossibile redditum est, vt Stichus solueret, & tamen inutilis ea libertas est. Respondet Gothophredus cū Accursio libertatem datam valere fauore libertatis. Sed nescio vnde colligat, nam verba §. aperte docent ita demum valere libertatē, si nihil sit debitum, neque aliud statui potest, ex mente probabili, & coniecturata testantis. Nam si nihil debitum fuit testamenti tempore, falsa conditio fuit, & impossibilis, vt in principio §. dicitur, æquipollēt enim conditio falsa & impossibilis, & ita habetur pro non adiecta, quia non creditur ludendo aliquid posuisse. Sin vero debita fuit pecunia, & ipse testator fecit ne conditio à legatario impleri posset, eo facto satis demonstrat se à priori voluntate recedere, & legatum adimere. Quare rectè Papinianus ibi, defeciſſe conditionem dicit. Vnde licet viuo testatore solui non potuerit, quia eo mortuo paretur conditioni *l. 2. de condit. & demonstrat.* & mortuo iam non potuerit pareri, cum testator in vita soluerit: at quia solui potuit natura sua, ideò non impossibilis conditio censetur, sed defectus conditionis positæ in legato. Atque in fauorem etiam huius sententiæ induci posset textus in *d. l. seruo manumisso, D. de conditione indeb.* Hanc sententiam docet citatis multis Thomas Sanchez d. lib. 5. disput. 4. num. 16. Denique in filij non emancipati institutione limitant Donellus d. lib. 6. & Duaren. *de condit. instit.* c. 4. qui de ea limitatione videndi sunt.

Quo pacto intelligenda sit prædicta dispositio.

CAPVT IIII.

SVMMARIVM.

Difficilis dispositio Pontificis in cap. fin. de condit. appos. n. 1.
Quoad forum animæ attendi intentionem contrahentis, n. 2.
In testamentis non habere locum in foro animæ quorundam opinio est, num. 3.
Reijcitur, num. 4.
Idem etiam dicendum in foro animæ in testamentis vera sententia, num. 5.
Quibus modis possit adijci conditio impossibilis matrimonio, num. 6.
Prima ratio explicandi dispositionem Pontificis in cap. fin. de Cond. appos. proponitur, numero 7.
Reijcitur, num. 8.
Secunda interpretatio probatur, n. 9.
Decisionem Pontificis in d. cap. non esse nouã, num. 10.
Quo sensu Pontifex accipiat nomen conditionis in d. c. cum agit de Conditionibus contra substantiam, num. 11.
Nomine conditionis impossibilis non intelligi impossibilem de præsenti, aut præterito, numero 12.

1 IAM capite præcedenti proposuimus Iuris Ciuilis & Canonici dispositionem circa conditiones impossibiles, & de quibus conditionibus impossibilibus sermo sit: nunc explicandum est, quomodo intelligenda sit prædicta dispositio Iuris Canonici in d. cap. fin. quæ valde difficilis explicatu est, ita vt Durandus in 4. distinct. 29. quæst. 4. dicat se relinquere doctionibus rem istam explicandam, & Paludanus eadem distinct. quæst. 2. art. 5. cõclusione 5. dicat illud Gregorij 9. decretum satis esse mirabile, & Sotus in eadem distinctione quæst. 2. art. 2. fateatur nihil se de hac re certò compertum vidisse, aut legisse, & Couarru. p. 2. cap. 3. §. 2. num. 9. dicat sibi videri mirabile, cur matrimonium contractum sub conditione impossibili valeat, & sensum illius capitis esse mire reconditum. Et quamuis variæ eius capitis interpretationes à Doctoribus assignẽtur, quas omnes referunt & refellunt. Thomas Sanchez lib. 5. disput. 5. per totam, & Rebellus d. lib. 2. quæst. 10. sect. 4. ex num. 25. Ego tamẽ duas tantum præcipuas referam, & quid mihi de illis videatur exponam.

2 Sed prius tamen supponenda nonnulla sunt. In primis obseruandum est, vt dicebamus cap. præcedenti, in hac contrahendi forma sub conditione, quod ad forũ animæ spectat, maximè attendi debere intentionem & animum contrahentium, à quo pendet, quique etiam volunt illum contractum ex ea conditione pendere. Quare si reipsa consensus contrahentium dependens fuit à conditione impossibili, vel turpi, ita vt nollent alias contrahere, contractus est in foro animæ nullus, & idem iudicandum esset in foro externo, si constaret. De matrimonio quidem sic docet citatis alijs Thomas Sanchez lib. 5. disput. 1. num. 4. Ioannes Medina c. de rest. q. 23. Gabr. Vazq. opuscul. de testam. cap. 8. §. 2. num. 29. & opusculo de restitut. cap. 7. dub. 10. Leonardus Lessius lib. 2. de virtutibus cap. 18. dub. 15. nu. 122. vers. *circa prædicta notandum.* Cuius rationem non assignant Doctores; sed quod ad matrimonium attinet, facilis est & aperta, quia matrimonium sine vero consensu esse non potest. Quare, si certò constaret, ideo adhibitam conditionem impossibilẽ, ne effectum sortiretur, cum Ecclesia in eo consensum supplere non possit, non potest validum iudicari.

3 At verò, quod attinet ad testamenta & legata, in quibus ijdem Doctores idem dicendum censent in foro animæ, si certò constaret de voluntate testatoris, non omnes eodem modo procedunt in assignanda ratione. Nam in testamentis Thomas Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 33. num. 2. existimat non esse idem dicendum in foro animæ in testamentis, quia sibi persuasit leges ciuiles repellentes conditiones impossibiles vel turpes ab vltimis voluntatibus, non niti in præsumptione, sed potius id statuere contra expressam testatoris voluntatem. At Gabriel Vazquez loco cit. censet idem etiam esse dicendum in testamentis, scilicet, si constaret certò de animo testatoris non posse repeti in conscientia. Huius hãc vult esse rationem. Quia quamuis lex humana contractus alias validos possit efficere ex defectu solemnitatis, vel alia ratione irritos, quia reddit personas inhabiles ad cõtrahendum, & ita licet vere consentiant, nihil operatur consensus: tamen non potest lex humana supplere consensum in contrahentibus, & contractum nullum ex defectu consen-

consensus, quia erat sub conditione, repellendo conditionem, ratum efficere. Quia est essentiale iure naturæ contractui cuicunque consensum absolutum contrahentium adesse, quod lex humana variare nō potest. Cum ergò aliunde suppleri non possit consensus, nullus manebit contractus iure naturæ. Quamuis enim in præscriptione bonorum lex ob publicum bonum, contra cōsensum domini elicitum, non tamen debitum, auferat bona, quia ob publicum bonū ita expedit, & quisque in hoc consentire deberet; tamen in contractibus, si manent in ratione contractus, non potest suppleri voluntas contrahētium vel dominorum, quia est essentialis. Cum ergò leges tollendo cōditionem non velint extrahere à natura cōtractus, nolunt, nec possunt supplere consensum, sed præsumunt illum auferendo cōditiones, & denegando repetitionem in externo foro. Quare, si voluntas verè fuit conditionata sub conditione aliqua impossibili, vel turpi, vel alia, non debet, nec potest forum exterius reputare eam conditionem non adiectam, si de animo contrahentium aut disponentium aliàs constet.

4 Sed quamuis huius auctoris sententia placeat, vt dicam statim, eius tamen rationes mihi non omnino probantur. Et in primis planū est ex iure ciuili, vt dixi cap. præcedenti, conditionem impossibilem in contractibus non reputari pro non adiecta, sed infirmare contractum matrimonio excepto propter rationem dictam. Haberi autem pro non adiectis in testamentis, institutione hæredis, legatis, & fideicommissis, vt dictum est. Deinde non placet, quod docet rempublicam non posse supplere consensum in his contractibus, & donationibus ex testamento, vt constat manifestè ex his, quæ dixi lib. 2. cap. 15. de reuocatione procuratoris. Est enim contractus quidā inter mandantem & mandatarium *inst. de mandato*, in principio; & tamen reuocata voluntate mā dantis valet, quod à mandatario postea gestum est, eo ignorante reuocationem, non alia ratione, nisi quia ibi respublica supplere consensum voluit, & potuit. Quare in huiusmodi dominijs transferēdis diceretur lex operari, sicut in præscriptionis lege.

5 Ideò ergo existimo standum esse voluntati testatoris, quando de illa constat, quia leges id exprimunt, & quamuis potuerunt, noluerunt tamen supplere cōsensum. Attendi autem debere voluntatem testatoris non inspectis verbis constat ex *l. non aliter 69. de leg. 3.* Quando certa mens testatoris est, & dixi suprà lib. 2. cap. 8. id quod etiā docuit Donellus lib. 6. cap. 18. & Cuiacius sæpe in tom. 4. Cui etiam fauet, quod ait Vlpianus in *l. in conditionibus 19. D. de conditio. & demonstrat. In conditionibus primum locum voluntas defuncti obtinet, eaque regit conditiones.* Illa ergò attendenda est, & si certò constet, illam sequemur, sin minus coniectu ris agendum est, an consensus in ea conditione impossibili adhibita defuerit. Ex quo ratio Thomæ Sanchez manifestè refellitur.

6 Sed præterea aduertendum est conditiones istas turpes, vel impossibiles apponi posse contractui matrimonij, vel dispositioni, vno ex tribus modis. Primo in modum conditionis, ita vt reuera suspendant consensum ante euentum conditionis. Et hoc modo reuera non tam est matrimonium cōditionale, quàm sponsalia, cum adhuc non sit verus consensus matrimonij, vt dicam infra cap. 13. & 14. Secundo apponi possunt in modum pacti, cuius seruandi obligatio resultet ex contracto matrimonio; & tunc reuera consensus est de præsenti, volunt tamen manere obligationem in posterū exequendi, quod illa conditione continetur. Tertio modo possunt apponi resolutiuè, ita vt sit quidam consensus de præsenti, velint tamen ita esse obligationem in posterum ad implendi, id quod in illa conditione continetur, vt si adimplerum non fuerit, resolua tur contractus. Atque hoc pacto omnis conditio adiecta matrimonio est contra substantiam illius & vitiat, nec repellitur, vt constat ex d. cap. fin. & explicabo postea cap. 9. Quare certum est, quod in d. cap. habetur de conditione impossibili, vel turpi, non habere locum, quando eiusmodi conditiones impossibiles vel turpes ponuntur resolutiuè. Solum ergò difficultas esse potest, an dispositio Gregorij 9. in d. cap. intelligenda sit de istis conditionibus, quādo apponuntur in modum conditionis, aut in modum pacti, ita vt tunc repellantur à contractu, & habeantur pro non adiectis.

7 Prima ergo interpretatio prædicti capitis ex his duabus, quæ probabiliores vidē tur, dicit, dispositionem dicti capitis intelligendam esse de his conditionibus appositis in modum conditionis, & in foro externo tantum, & non in omnibus casibus, sed concurrentibus tribus circunstantijs. Prima est, quando aliunde cōstare nō potest illā conditionem ioco adiectam, neque illi condi-

tioni

tioni inhærere voluisse, vt docent Couarr. 2. p. cap. 3. §. 2. num. 6. Nauarrus in Manuali cap. 22. num. 56. Valentia disput. 10. generali quæst. 3. puncto 3. versiculo, *sed vera*, Henriquus Canisius in *c. fin. de condit.* Cõmune enim est, quando aliqua ioco dicuntur, non præsumi consensum. Vnde promissio iocosè facta non obligat *l. 3. in fine D. de obligationibus, & action.* Glossa in *l. dolo malo, D. de ferao corrupto*, de quo Alciatus lib. 2. Parergon. cap. 12. Qui enim iocatur non vult id quod dicit, sed aliud, quod non dicit; vnde & in vulgus emanauit, verba honoris causa prolata, vt & iactatoria & adulatoria, siue ad complacentiam dicta, non obligare, *cap. cum venissent, de instit.* & citatis alijs docet Thomas Sanchez d. lib. 5. disput. 3. 2, circunstantia est, quando vterque contrahentium scit conditionem esse impossibilem, & iure statutum esse, vt habeatur pro non adiecta. Hac enim cognitione stante, si volunt contrahere tali addita conditione, præsumuntur ioco illam adijcere, & velle, vt habeatur pro non adiecta, sicut volunt iure ipso constitui. Sic docet Ioannes Medina C. de restitutione, quæst. 23. Couarru. 2. p. cap. 3. §. 2. Adrianus de sponsal. dub. 11. Gabriel Vazquez de restitut. c. 7. dub. 10. Leonardus Lessius d. lib. 2. cap. 18. dub. 15. Thomas Sanchez disput. citata. Itaque si conscius erat iuris disponentis, & nihilominus conditionem apposuit, iure interpretamur eas conditiones pro nõ adiectis habuisse, nisi alijs clarioribus verbis suam mentem exposuisset. Si autem eã iuris dispositionem ignorabat, non videtur explicare posse illius mentem, nisi iuxta cõditionem. Tertia etiam circunstantia est, quando dubij sunt contrahentes, an seriò, vel ioco conditionem apposuerint, nam in dubio iudicium fertur in fauorem matrimonij *cap. fin. de sententia & reiud.* Idque propter animæ periculum, ne videlicet separati, alijsque coniuncti in adulterio degant, si ex parte rei prior contractus forte fuit validus. Sic plerique ex citatis Doctoribus.

8 Hæc tamen interpretatio, quamuis probabilis sit, & plurium Doctorum auctoritate munita, difficilis mihi videtur. Tum quia maior pars contrahentium matrimonium ignorat eam constitutionem Gregorij 9. Tum etiam, quia quamuis intelligerent, si ea intellecta constitutione, & vero eius sensu, apponerent conditionem impossibilem vel turpem, potius iudicandum esset ab illis serio appositam conditionem, quàm iocosè, & nihil prorsus efficere voluisse, vt satis manifestũ videtur. Tum præterea, quia si ex sufficientibus indicijs conuincitur illos per iocum apposuisse conditionem illam, parum refert, an scientiã vel ignorantiam habuerint eius constitutionis. Alijs etiam rationibus impugnat eam interpretationem Rebellus d. quæst. 10. sect. 4. num. 26.

9 Quare mihi magis placet secunda interpretatio, quam tradit idem Fernandus Rebellus num. 27. quæ docet in prædicto capite nomine conditionis impossibilis vel turpis intelligi à Pontifice eas conditiones adhibitas in rationem pacti, vel modi, & præsumere non appositas esse, vt conditiones, sed modos & pacta, quæ in futurũ oriãtur. Cum enim, si duo contrahant matrimonium sub conditione impossibili, vel turpi per verbum de præsenti nullo alio addito, ex quo de eorum mente iudicari possit, merito dubitari queat, an voluerint contrahere sub conditione propriè dicta, & suspendente consensum, vsque ad euentum conditionis, an vero sub modo, ita vt velint cõtractum matrimonij statim validũ esse per consensum absolutum de præsenti, cum obligatione tamen præstandi in posterum rem ipsam, quæ sub conditione continetur, merito Pontifex præsumit, cum videat consensum exprimi per verba de præsenti, adhibitas conditiones illas vt modos & pacta, & non vt propriè conditiones. Est autẽ optima ratio præsumptionis ex eo desumpta, vt optimè assignat Gregor. de Valencia loco cit. quia cum aliqua persona contrahit, non solet id ipsum in vanum & otiosè facere, sed vt expectationi & desiderio personæ satisfaciat; non autem satisfaceret, nisi saltem vellet consensum illum esse de præsenti, quamuis cum obligatione ex inde orta adimplendi, quod in conditione expressum est. Atque ita admisso per Põtificẽ consensu de præsenti, quem præsumit, repellit obligationem inde ortam adimplendi aliquid impossibile, vel turpe, & vult haberi pro non adiectis.

10 Ex quo colligitur. Primo hanc constitutionem Pontificis in d. cap. non esse nouam constitutionẽ, neque enim vtitur verbo, *statuimus*, aut, *decernimus*, sed tantum inquit, *debere haberi pro non adiectis*. Quare id declarat Pontifex, quod secluso omni iure positiuo erat, semperque erit seruandum. Nam oriri non potest obligatio ad impossibile, neque ad rem turpem, cum impossi-

bilis

bilis,& turpis nulla sit obligatio. Vnde cũ consensu absoluto de præsenti posito, eoque etiam constituto matrimonio, non posset oriri obligatio ad turpe vel impossibile,Pontifex,qui quando non aliud constat, præsumit ex modo contrahendi, conditiones impossibiles, & turpes positas esse tanquam modos,& pacta,declarat repelli debere à matrimonio,& habendas pro non adiectis.

11 Secundo colligo cum in eodem ca. Pontifex loquitur de conditionibus contra substantiam matrimonij: sumpsisse conditionis nomen,siue pro conditione vera, & propria,siue pro modo,& pacto. Quia conditio contra substantiam matrimonij, quotis modo sumatur;illud vitiat iure ipso naturali vt explicabo postea: & Pontifex non dixit,vt talis contractus careat effectu, sed, *caret effectu*,vt indicaret se nihil quoad eam partem de nouo statuere,sed tantum declarare,quid haberet rei natura. Vnde expendi debet verbum illud, *contractus quantumcunque fauorabilis*,quasi diceret,non esse nostræ potestatis,etiamsi velimus, decernere, vt conditio contra substantiam matrimonij habeatur pro non adiecta: at verò in secunda parte capitis, cum docet conditiones impossibiles vel turpes, quæ non sunt contra substantiam matrimonij habendas pro non adiectis, dixit se id facere fauore matrimonij,quia in illius fauorem præsumit non apositas esse vt proprias conditiones, sed vt modos & pacta, atque ideo repellendas,ne forte cum iniuria Sacramenti separet eos, qui sub modo, & non sub conditione proprie dicta contrahere voluerunt. Quamuis ergo,quod attinet ad præsumendum adhibitas potius esse,vt modos,quam vt conditiones,fauor versetur matrimonij, attamen in eo quod ex consensu absoluto de præsenti sub modo turpi vel impossibili non oriatur obligatio,nullus versatur fauor matrimonij, sed idem dicendum erat secluso iure positiuo. Atque cum huius capitis decisione sic intellecta optimè congruit dispositio textus in *cap. 1. eodem titulo de condit.* quod aliàs difficile explicari potest.

12 Denique ex prædicta interpretatione colligitur id, quod ex cap. præcedenti in hunc locum distulimus,nomine impossibilis conditionis non intelligi conditionẽ impossibilem de præsenti, aut præterito, sed tantum impossibilem de futuro,quia sola conditio impossibilis de futuro potest apponi in matrimonio, vt modus & pactũ, non verò ea,quæ est impossibilis de præsenti,aut præterito, vt satis manifestum est.

Quæ sit iuris dispositio de cõditione turpi,& quomodo intelligenda.

CAPVT V.

SVMARIVM.

Dispositio iuris naturalis & positiui circa conditiones turpes, num. 1.
Quomodo intelligenda, n. 2.
Prima limitatio communis doctrinæ in testamentis, nu. 3.
Cum instituitur filius non emancipatus sub conditione,quæ non est in eius potestate, ibidem.
An ea limitatio extendatur ad filiam,n. 4.
Secunda limitatio, quando in alienam voluntatem apertè confertur, n. 5.
An ea limitatio extendatur ad legata,n. 6.
Obijcitur ex l. 43. delegat. 1. n. 7.
Reijcitur Gothofredi interpretatio,n. 8.
Cuiacij interpretatio probatur, & explicatur magis. n. 9.
Cur in stipulationibus conditio in arbitrium permittentis reiecta vitiet,n. 10.
Tertia limitatio in conditionibus captatorijs, num. 11.

1 IMpossibilibus conditionibus per omnia affines sunt aliæ, quæ etiam impossibiles censentur,non natura, sed iure (nam id possumus quod iure possumus) *l. nepos Proculo, 125. de verb. significatione*, quæ turpes dicuntur, & sunt illæ, quæ contra leges, aut quæ legis vim obtinent, aut contra bonos mores sunt. Huiusmodi autem conditiones turpes tam in contractu matrimonij,quam in testamentis habentur pro non adiectis, ex dispositione iuris. Nam de dispositione iuris naturalis idem dicendum,atque de impossibilibus dixi supra,c. 3. & 4. & de matrimonio ita constitutum est in d. *cap. fin. de condit. appositis*; & habetur etiam in *l. 6. titulo 4. partita 4.* At in testamentis,siue hæredis institutione,siue legatis,siue fideicommissis eas reijci cõstat ex *l. cõditiones quæ, l. cõditiones cõtra de cõdit. instit. & l. non dubitamus 20. de cõdit. & demonst.* Vt enim dicebamus,id tantum possumus,quod iure licet, & præclarè scriptum est à Papiniano in *l. filij 15. D. de condit. instit. Quæ facta lædunt pietatem, existimationẽ,*

vere

verecundiam nostram, & vt generaliter dicam bonos mores, ea nec facere nos posse credendum est. Itaque vt recte Duarenus ad tit. *de condit. instit.* c. 4. & Donellus c. 32. cit. interpretatione quadam iuris pro impossibili habetur hæc conditio, quamuis reuera non sit impossibilis; siquidem non est impedimento naturæ, quominus existat hæc conditio, est autem impedimento lex & boni mores. Et ita, sicut fauore matrimonij, & vltimæ voluntatis reijcitur conditio impossibilis per naturam, reijcitur etiam conditio impossibilis de iure, id est, turpis. Atque huc pertinet, quod est in *l. 1. D. de conditionib. instit.* ibi *vel alio modo*, (sic enim legendum ex correctis pandectis, vt notant Duarenus. Gothofredus & alij.) *mendum* autem appellauit *vitium*, quasi velit tam conditionem impossibilem, quam vitiosam repellendam esse, cum mendosa sit, bonis moribus, & legibus contraria. Exemplum etiam aliud turpis conditionis in *l. quidam in fine 27. D. de condit. instit. Titius hæres esto, si reliquias meas in mare proiecerit*, cui conditioni hæres non paruit. Contra bonos mores ea conditio est, cum humanum sit cadauera mortuorum sepelire; vnde laudandum hæredem respondet I. C. & nisi probabilis suspicio sit, illum aliena mente fuisse, cum ea scripsit, valere institutionem factam, quasi ea conditio turpis habeatur pro non adiecta. Huc etiam pertinet quod dicitur, iniquas defunctorum voluntates improbandas, & reijciendas esse, *l. seruo aliena, de leg. 1. & l. Titio 70. §. Titio centum relicta, D. de condit. & demonst.* Vbi legatum vel inquitur sub conditione, *ne à monumento discedat*, turpis enim iudicatur ea conditio & contra naturalem libertatem, de qua conditione dicam latius infra lib. 12. Atque huc etiam pertinet, quod inquit habetur de conditionibus derisorijs, de quibus videndus est Donellus pag. mihi 409. col. 2.

2 Sed circa hanc communis iuris dispositionem nonnulla aduertenda sunt, quæ ex dictis cap. 3. & 4. facile deducuntur. Primum est, hanc dispositionem ita intelligendam in foro exteriori, nisi contrarium constiterit de mente testatoris, aut contrahentis matrimonium. Nam in eo casu contractus aut dispositio non valent iuxta dicta cap. præcedenti. Secundum est, quando dubia fuerit mens, coniecturis inuestigandam esse, & in dubio præsumendum esse appositam conditionem turpem tanquam modum & pactum vt dixi cap. præcedenti. Tertium est hanc dispositionem habere locum in conditione turpi, etiamsi existimetur honesta iuxta distinctionem traditam supra cap. 3. eadem enim est ratio. Quartum denique hanc constitutionem non esse intelligendam de conditione turpi de præsenti, aut præterito, tum quia, vt supra dictum est cap. præcedenti, conditio turpis de præsenti aut præterito non potest apponi, vt modus, aut pactum: tum etiam, quia per conditionem turpem de præterito, aut præsenti non nascitur obligatio ad peccatum, neque occasio peccati, sed supponit iam præsens, aut præteritum peccatum. Quam etiam doctrinam citatis alijs docet Thomas Sanchez disput. 15. numero 5.

3 At quamuis hæc dispositio Iuris Canonici in contractu matrimonij in conditione turpi nullam patiatur limitationem: attamen iuris ciuilis dispositio in testamentis aliquas patitur limitationes. Non enim omnes conditiones turpes habentur pro non adiectis, sed nonnullæ vitiant dispositionem. Prima itaque limitatio est, quia conditio turpis apposita in institutione filij non emancipati iniuncta personæ vitiat institutionem, neque habetur pro non adiecta. Filius enim, qui emancipatus non sit, institui non potest sub conditione, nisi in eius potestate conditio sit, non casuali, non mixta, siue sit turpis, aut impossibilis certi iuris est, & institutum sub conditione, quæ non sit in eius potestate nihil prorsus valere, irritumque testamentum, *l. vltima, in principio, de condit. & demonst. & l. filij, 15. D. de conditionib. instit. l. si pater filium, C. de insti. & substitut.* sub conditione nec testamentum quidem valet Iure Ciuili ex *l. Lucius Titius, 82. D. de condit. & demonst.* ibi, *si filium suum esse probauerit.* Et quamuis nonnulli dicant eam conditionem impossibilem esse, quia impossibilis probatio filiationis erat, maxime cum ageret de filio nato extra nuptias: Sed refelluntur tamen, quia si horum sententia vera esset, non vitiaret testamentum, sed vitiaretur conditio, quia filius spurius non est in potestate patris. Quare melius Duarenus, & Gothofredus ibidem cum Menochio dicunt, ideo ea conditione vitiari, non quod illa impossibilis sit, sed quia non pendet ex potestate filij, cuius personæ adscripta est in testamento. Idem constat ex *l. suus quoque 4. de hæredib. instit.* At in d. *l. si pater filium*, additur exceptio, *nisi in defectum eius conditionis ex hæredetur filius*, de qua conditione Duarenus de condit. instit. cap. 4. Donellus

lus lib.6. comment. cap.12. & 19. Sed reddere conatur Donellus rationem in d. cap. 19. cur cum in alijs aliorum hæredum institutionibus conditio turpis, & impossibilis habeatur pro non scripta, *l.3. D. de conditio. & demonst. & §. si impossibilis inst. de hæred. instit.* institutio filij, qui adhuc in potestate patris est, si fiat sub conditione, quæ non sit in eius potestate, non habeatur pro nõ scripta, sed vitiet dispositionem. Eam autem dicit esse rationem, quia iure cautum est, ne sub ea conditione instituatur filius. Institutio autem, sicut & alij actus, qui sunt contra legẽ infirmi sunt, *l. non dubium C. delegibus.* Quare ex legis sententia hæc filij institutio facta non valet, quia contra legis præscriptum est. Institutio autem aliorum sub conditione turpi aut impossibili non est contra legem, quæ non prohibet eas conditiones addere, licet adiectas infringat. Sed certè nõ assequor huius rationis subtilitatem. Turpis enim conditio, quæ contra legem scripta est, legibus etiam prohibetur apponi in contractu, his videlicet, quibus ipsum factum prohibetur, prohibetur etiam in cõditionem deduci; & nihilominus, si apponatur, habetur pro non adiecta. Quare alia ratio inuestiganda erit.

4 Sed an hæc limitatio extendatur ad filiam dissensio est, Donellus lib.6. cap. 12. *§. sed meminerimus*, & cap.19. *§. de conditione institutioni adiecta*, sentit filij nomine non intelligi hoc loco filiam. Mouetur ex *l. siquis hæredem C. de instit. & substit. quæ sub condit.* At Duarenus, cap.4. de conditionib. instit. rectè me iudice demonstrat in d. *l. siquis hæredem*, non quæri, an ea filiæ institutio vtilis esset; sed supposito eam vtilem esse, vel quia emancipata, vel quia contraria conditione exhæredata; vel quia testamentum erat à matre, quæ non habebat filiam in potestate, inquiritur an rectè paruerit conditioni, *si nubens, cui volebat testator, statim ab illo diuerteret.* Quare ego non video, cur filij nomine non intelligatur filia, maximè cum verbi proprietas patiatur. An etiam ad nepotes ea limitatio extendenda sit, inquiritur. Docent non extendi, *l.4. & sequenti, de hæred. instit.* sed de eo late Duarenus loco cit. quem vide, neque enim omnia, quæ ad ius ciuile pertinent, persequi est animus.

5 Secunda limitatio communis doctrinæ est, quando conditio in alienam voluntatem confertur apertè, tunc enim institutio hæredis nulla est, & vitiatur, *hæres esto, quem Titius volet, l. illa institutio 32. de hæred. instit. & l. siquis Sempronium 68. D. eodem.* Est autem ea conditio contra bonos mores, tum quia certum debet esse consilium testatoris, *Instit. qui hæredes instituipossunt*; hic autem non est certum. Tum etiam, quia testamentum est iusta nostræ voluntatis sententia, *l.1. D. de testamentis*, non ergo relinquenda est alterius arbitrio. Tum etiã, quia testamentorum vsus comparatus est, vt sibi quisque hæredem instituat, non alius. Dixi autem, *apertè conferatur*, secus si tacitè. Vnde non est eadem ratio huius dispositionis, *Titius hæres esto, si Sempronius ascenderit Capitolium*, vel *si Titius voluerit*, quamuis nõ ascendat, nisi volens. Distinxit Papinianus in *d. l. siquis Sempronium.* Aliud enim est conferri in factum; aliud in voluntatem alterius. Potest quidem velle ascendere, & multis impediri, ne ascendat; potest etiam ascẽdere inuitus, & coactus. Ergò qui in ascensum Sempronij reijcit conditionem, nõ reijcit in nudam voluntatem illius, quod iura prohibent, ne ex aliena voluntate omnino pendeat filij institutio. Quod latius prosequitur Donellus d. lib. 6. cap. 19. *§. sed hoc tria est*, & Duarenus, d. cap.4.

6 Sed an hæc limitatio extendatur etiã ad legata quæri potest, ita vt sit inutile legatum, quod confertur in alienam, non in legatarij voluntatem, aut habeatur ea conditio pro non adiecta? Placet extendi, & vitiari, atque inutile esse legatum, sicut hæredis institutionem in, *l. nonnunquam D. de cõdit. & demonst.* Sed quamuis in nudam voluntatem, neque alienam vt in *d. l. nonnunquam*, neque hæredis vt *in l. Senatus* 43. §.2. ibi *in hæredis non potest*; at in arbitrium quasi boni viri, quæ non est nuda voluntas, poni potest, *l.75. deleg.1. in principio, & l.1. deleg. 2.* ibi, *quoniam quasi viro bono ei commissum est, non in meram voluntatem hæredis collatum.* Aliud enim est arbitrium, aliud voluntas, vt constat ex *d. l.75. de leg.1.* Quare ea verba quæ posuit Vlpianus in *d. l.1. deleg.2. nec refert, an leges alicui, si Titius in capitolium ascenderit, an si voluerit*, verbum illud, *si voluerit* in hac lege, accipiendum est, pro *si arbitratus fuerit*, genus pro specie figura vsitata, atque communi; quod suadent ea quæ præcesserunt, nam scriptũ est *in arbitrium alterius.* Sic Duarenus, cap.4. cit. Et sic etiam intelligi potest textus in *l.11. fideicommissa, §. sic fideicommissum, deleg.3.* ibi, *nisi hæres meus noluerit*, id est *non iustam iuditauerit, vel fuerit arbitratus.*

7 Sed

7 Sed vrgeo contra hanc Duareni solutionem textum in d.l.43. *de leg.1.§.2. legatū in aliena voluntate poni potest, in hæredis volūtate non potest.* Comparat voluntatem extranei cum voluntate hæredis, quare circa eadem versari debet comparatio. Vel ergò cō parat arbitrium extranei cum arbitrio hæredis, & sic, sicut conferri potest legatum in arbitrium extranei, *l.1. D. de leg.2.* potest & in arbitrium hæredis, *l.75. de leg.1.* Vel comparat nudam voluntatem extranei cum nuda voluntate hæredis; & sic neque in extranei nudam voluntatem conferri potest, *d.l. nonnunquam, de condit. & demonst.* neque in hæredis, *d. l.75. de leg.1.* quia hæres nunquā præsumitur velle obligari, *l. sub hoc D. de obligat.* Ergo non videtur esse vlla differentia inter hæredem & extraneum, quominus in vtriusque voluntatem conferri legatum possit, vel non possit.

8 Respondet Gothophredus adhuc esse discrimen, quia licet in arbitrium vtriusque conferri iure possit, vt probatum est, & in nudam vtriusque voluntatem non possit, vt etiam dictum est; cum hoc tamen discrimine, quod in tacitam voluntatem extranei conferri potest legatum, vt si capitoliū ascenderit, in quo tacita voluntas est; at in hæredis tacitam voluntatem conferri non potest, neque in hæredis factum. Vnde inutile legatum est, *do, lego Titio, si Sempronius hæres meus Capitolium ascenderit*, quia nō præsumitur hæres velle obligari, vt dictum est: in factum vero extranei recte conferri potest l.1. de leg.2. sed neque hæc solutio placet, & illi manifestè obstat textus in *l. 3. de leg. 2.* vbi vtile legatum est, si cui legetur, *si hæres meus in Capitolium non ascenderit.* Ergo etiam in hæredis tacitam voluntatem conferri potest.

9 Secundo respondet Cuiacius lib. 2. obseruat. cap.2. cum de extraneo sermo est, illa verba, *si volet*, dupliciter posse accipi. Primo vt testator in voluntate Titij posuerit, vt auctor & dator legati sit, atque hoc inutile est, vt habetur in d. *l. nonnumquam, de condit. & demonst.* Aut hæc verba pro cōditione accepit in hunc sensum, *si forte aliquando voluerit*, & tunc non esse inutile, & sic intelligi textum *in d.l.1. de leg.2.* ibi, *veluti conditio*, vel, vt Cuiacius corrigit, *veluti conditionem.* Nam in *l. fideicommissa libertas 46. D. de fideicommis. libert.* libertatem ita relictam, *si Titius voluerit*, deberi quod conditio potius sit, quam legati dandi merum arbitrium, & huic conditioni, *si Titius capitolium ascenderit*, parem facit. Et hoc etiam sensu dictum esse in *d. l. Senatus 43. de leg.1.* legatum in aliena voluntate, vt conditione poni posse. At verò si de hærede sermo sit, legatum nunquam relinqui in eius voluntatem, vt merum arbitrium est, relinqui tamen in arbitrium quasi boni viri innocentis, & fidi, nunquam tamen in eius voluntatem vt conditionem, & ideo dictum esse in *d.l. Senatus, §. 2. de leg.1.* legatum in hæredis voluntate poni non posse tanquam conditionem, solumque sustineri dicit fauore libertatis, vt in eius voluntatem conferatur libertas. Voluntatem autem pro conditione distingui à nutu planum est ex his quæ diximus suprà cap.2. cum de conditionibus tacitis ageremus. Solum vrgeri posset contra hæc textus in d.*l. 11. fideicommissa de leg. 3.* ibi, *nisi hæres noluerit*, vbi videtur in eius voluntatem vt conditionem refundere legatum. Sed explicandum cum Duareno supra, *nisi arbitratus aliter fueris.* Itaque sensus erit in d.*l. Senatus*, hoc esse discrimen inter hæredem & extraneos, quod in extranei voluntate tacita & expressa vt conditione, & arbitrio boni viri, potest conferri legatum: at in hæredis voluntatem tacitam, & etiam arbitrium boni viri potest etiam conferri legatum; in voluntatem verò eius vt conditionem nequaquam, nisi fauore libertatis, vt in d. *l. fideicommissa libertas 46. de fideicommis. libert.*

10 Sed antequam ab hoc discedamus loco, quæret aliquis cur stipulatio in arbitrium promittentis collata non valeat, at legatum in arbitrium hæredis collatum valeat. Sic enim habet Vlpianus in *l. stipulatio 17. de V. O. stipulatio non valet in rei promittendi arbitrium collata conditione.* De cuius legis interpretatione eleganter Donellus ibidem. Colligam ex ipso quod ad præsens institutum attinet. Commune est vt cō tractum vitiet ea conditio, qua id agitur, vt ex eo nulla nascatur obligatio. Est enim plane contra naturam contractus, qui est vltro, citroque obligatio. Qui autem in stipulationis contractu dicit dabo, si voluero si volā, si arbitratus fuero, si putauero, id rectà agitur, de necessitate dandi adstringatur. Huic similis dispositio est *in l. In vendentis, C. de cont. empt.* vbi dicitur in vendentis, vel emētis voluntatem collata conditione venditionem esse nullam, quia non adstringit necessitate contrahentes. Hinc etiam Pompo nius *in l. sub hac, de obligat. & action. Pro non dicto est enim, quod dare, nisi velis, cogi nō possit.*

Et

Et quamuis ea sit possibilis conditio, quia tempore sequenti velle potest promissor, adhuc nulla stipulatio est, quia à principio non subsistit, & quod ab initio nullum tractu temporis non conualescit. Hinc ergo petenda ratio cur stipulatio cõditione collata in arbitrium promittentis sit nulla, non tamen legatum. Quia contrario modo se habent voluntas testatoris & stipulantis. Quia cum in legatis spectanda sit voluntas testatoris, à qua legatum proficiscitur, semper censetur ita affectus, vt velit præstari quod legat. Vnde & testantium voluntates plenius interpretantur. E contra promissor, cum se respiciat, & qui quam minimum posset cupiat obligari, ita est affectus vt non obligetur magis, aut vltra quam verba patiantur. Vnde non intelligitur Vlpiani dispositio de arbitrio boni viri promittentis. Si enim de eo intelligeret promissor valeret stipulatio. Quia si male arbitraretur reducetur ad æstimationem boni viri, si vero non arbitraretur, cum per promissorem nõ stet, quod non arbitretur, vt dicam infrà isto libro, esset impleta conditio.

11 Tertia limitatio est in conditionibus captatorijs, nam licet sint contra bonos mores, vitiant institutionem. Voco conditionem captatoriam, quæ institutionem captatoriam facit. Est autem captatoria institutio, qua testator ita hæredem instituit. *Titius mihi hæres esto, si ille me hæredem instituat.* Improbantur autem omnes, & vitiant institutionem, *l. Captatorias 70. D. de hæred. instit.* Et vitiant etiam institutionem adhuc in testamento militis, *l. Captatorias, C. de testamento militis.* Vitiant etiam non solum institutiones, sed etiam legata, *l. Captatoriæ, 69. D. de leg. 1.* Improbant ergo leges huiusmodi institutionem captatoriam, vtpote non profectam ex animo benefico, sed ad vana spe retinendos, & illaqueandos hæredes excogitatam. At quamuis turpis sit, non habetur pro non adiecta, sed vitiat, vt dictum est. Quid autem requiratur, vt institutio captatoria sit, non est huius loci explicare, de eo tamen latè Donellus lib. 6. cap. 19. §. *Sed prius captatoriam*, & sequentibus. Exstant etiam apud Seraphinum decis. 359. & 365. de hoc argumento omnino videndæ.

De conditione si non nupserit, an turpis sit, & quatenus locum habere possit?

CAPVT VI.

SVMMARIVM.

Proponitur de quo agendum, n. 1.

Antiquo iure ciuili turpis conditio. Si non nupserit, quia iniungebatur viduitas, nu. 2. nu. 3.

Iniungebatur viduitas si simpliciter iuberetur nõ nubere, num. 4.

Vel si iubeatur nubere alicui, cui nisi inhoneste nubere non poterat, num. 5.

Vel si iubeatur nubere de arbitratu, vel consensu alterius, num. 6.

Non iniungitur viduitas, si iubeatur non nubere alicui certæ personæ vel in aliquo loco, n. 7.

Si sine incommodo alteri, aut in alio loco potest nubere, ibidem.

Neque si reijciatur in voluntatem alterius, quã hæredis, vel legatarij, num. 8.

In omni casu haberi pro non adiecta eam conditionem, n. 9.

Huic affinem conditionem, si sine liberis decesserit, iure ciuili, ibidem.

Exceptio à communi doctrina in fauorem libertatis, n. 10.

Ab antiquo iure ciuili discessit ex parte Iustinianus, num. 11.

Iure Canonico valere conditionem si non nupserit, n. 12.

Valere etiam illam. Si continenter vixerit, apposita matrimonio, nu. 13.

Casus, in quibus iure ciuili viduitas iniuncta reijciebatur, sublatos iure canonico, n. 14.

Etiam post primas nuptias potest apponi conditio. Si non nupserit, n. 15.

Non tamen vt nubat arbitratu alterius, ibidem.

Adhuc locum habere conditionem non nubendi certæ personæ, vel in aliquo oppido, licet alibi commode contrahere non possit, n. 16.

Adhuc etiam posse valide iniungi viduitatem ad breue tempus, & etiam ad longum, numero 17.

Validam conditionem de non nubendo certo generi personarum, scilicet, sanguine infecti, numero 18.

1 SVNT tamen nonnullæ conditiones, de quibus dubitari potest, an sint turpes, & ex consequenti, an si in matrimonio, aut vltimis voluntatibus adhibeantur, iudicari debeant pro non adiectis; quæ sigillatim in hoc capite & sequentibus explicandæ sunt.

2 Prima conditio est, *si non nupserit*. De qua conditione aliter loquendum est Iure Ciuili, atque Canonico, & aliter secundū ius ciuile antiquum & nouum. Et quidem olim in iure ciuili ea conditio, qua viduitas alicui iniūgitur, & sub ea instituitur hæres, vel legatum relinquitur, habetur pro non adiecta. Sic indultum esse lege Iulia Miscella, sic dicta, quia mares fœminis miscet de maritandis ordinibus, docet Donellus lib. 8. c. 32. *iam primum*, & alij. Cum enim vellent Rempublicam ciuium numero augeri, ne studio captandi lucri, & legati retraherentur à matrimonio, institutionem vel legatum sub ea conditione hæredi aut legatario relictum valere voluerunt, etiam eo cōtrahente matrimonium, *l. Quoties 22. l. sed si hoc 62. §. 21. l. 63. & sequenti, l. cum tale 72. §. si arbitratu, l. mulieri 74. D. de conditionibus & demonstrationibus. Si cui capienti hæreditatē vel legatum viduitas iniungatur, legatum vel hæreditatem capit, siue is vir, siue fœmina sit.* Viduitatis autem nomine non tantum intelligitur status, qui primas nuptias cōsequitur, sed cælibatus omnis, quare intelligebatur ea conditio & viduitas iniūcta, siue iam nuptæ, siue virgini ea conditio iniungeretur. Virgini enim etiam viduitas iniuncta dici potest, cum & virgo vidua dicatur, *l. 142. §. 3. De verb. sign.* & rectè legatur virgini, quādiu vidua erit, *l. 22. filiæ meæ D. de annuis leg.* Quare non recte nonnulli legē Iuliam restringunt, & dicunt non pertinuisse ad virgines, sed tantum ad virum expertas, contra communem sententiam, quam docet Donellus loco citato, & Molina tom. 1. de iust. tract. 2. disput. 207. num. 1.

3 Hæc autem conditio reiecta est legibus tanquam turpis. Iudicarunt enim prisci illi Romani illam contrariam esse Reipublicæ augendæ. Vnde veteres illi non minore fauore secundas nuptias prosequebantur, quàm primas, tantum abest vt illarum libertatem aliquibus pœnis restringere, vel coercere voluerint, vt illos potius mulctarent, qui viduitatem colere, quàm iterare matrimonium maluissent, sicut & cælibes mulctabāt. Hinc *viduuium* dicebatur pecunia, quā vidui pro mulcta dabant, & *vxorium*, quam cælibes persoluebant, & apud Festum in fine librorū de verb. sign. habetur, *vxoriū pependisse dicitur, qui quod vxorem non habuerit, & populo dabat*, vbi adnotat Iosephus Scaliger; apud Athenienses quoque fuisse actionem cælibatus, & Lacedæmone fuisse iudicia de seris nuptijs, & de malis nuptijs. Et si enim viduitas genus pudicitiæ sit, & ex anti quis nonnulli valde honorauerint eos, qui à secundis nuptijs abstinebant, vt constat ex Tertuliano in lib. de Monogamia, & ex Valerio Maximo lib. 2. c. 1. de matrimoniorum ritu, cum inquit: *Quæ vno contentæ matrimonio fuerant, corona pudicitiæ honorabantur: existimabant enim cum præcipuæ matronæ sincera fide incorruptum esse animum, qui depositæ virginitatis cubile pudicum egredi nesciret, multorum matrimoniorū experiētiam quasi illegitimæ cuiusdam intemperantiæ signum esse credentes*: Quamuis ergo viduitas genus quoddam pudicitiæ sit, Reipublicæ tamē inutilem iudicabant, quàm maxime interest augere ciuium numero. Sed de hoc videndus Donellus, c. 32. citato, & Cuiacius in Parat. ad Codicē lib. 6. tit. 40. *de indicta viduitate tollenda.*

4 Sed vt viduitas ea cōditione iniuncta diceretur, & ideo reijceretur tanquam bonis moribus contraria, requirebatur in primis, vt per eā simpliciter iuberetur nō nubere, & impediretur cōiugiū. Similiter etiā viduitas iniuncta cēsebatur, etiāsi ad tēpus tantum iuberetur non nubere, cū facile fieri posset, vt eo tēpore decederet. Cum limitatione tamen, nisi matri iniūgeretur viduitas ad tempus, quousque, scilicet, liberi fuerint impuberes, vt ea ratione filijs consulatur. Tunc enim non censetur iniuncta viduitas, quia potissima ratio habetur filiorum, *l. sed si hoc 62. §. vlt. D. de condit. & demonst.*

5 Similiter etiam viduitas iniuncta cēsetur, si iubeatur nubere alicui certæ personæ, cui nisi inhonestè coniungi non potest; prohibetur enim alijs iungi, nisi huic, huic autem iungi non potest, liquidem honestè non potest, *l. filius, de condit. instit.* Quare ea conditione mulier perpetuo nubere prohibetur, *l. 63. de condit. & demonstrat. §. 1. Videamus & si ita legatum sit, si Titio nupserit; & quidem si honestè Titio posset nubere, dubium non erit, quin, nisi paruerit conditioni, excludatur à legato. Si vero indignus sit nuptijs eius iste Titius, dicendum est posse eam cuilibet nubere legis beneficio, quæ enim Titio nubere iubetur, cæteris omnibus nubere prohibetur.* Itaque si Titius indignus sit tale est, quale si generaliter scriptum

tum esset, *si non nupserit*. Imò, si verum amamus, durior hæc conditio est, quam illa, *si non nupserit*. Nam & cæteris omnibus nubere prohibetur, & Titio, cui inhonestè nuptura sit nubere iubetur.

6 Idem dico, indictam, scilicet, viduitatem, si iubeatur nubere de arbitratu, vel de consensu alterius; efficietur enim, vt illo non arbitrante omnino non nubat, *l. si quis arbitratu, & sequenti, de verbor. obligat. l. 72. §. 4. de condit. & demonstrat.* & docet etiam Thomas Sanchez lib. 1. de matrim. disput. 34. numero 19. Sed quid, si dicatur, *vt non nubat, nisi de consensu Patris.* In quo non rectè loquitur Thomas Sanchez ibidē numero 22. dicendum enim iure ciuili, de quo loquimur cum in nuptijs requireretur consensus patris, vt dixi supra lib. 2. cap. 1. legatum valere, quia iuxta leges est illa conditio, & tacitè inest. Nunc autem Iure Canonico, si dicat, *vt non nubat, nisi petita licentia patris*, conditio non reijcitur, quia tenetur petere, vt dictum est ibidem, & iustè à patre negari posset. Quamuis autem illa conditio, *vt non nubat nisi arbitratu alterius*, reijciatur vt turpis, & indiceretur viduitas; non tamen illa, *si non nupserit, nisi de consilio alterius*, vt docet etiam Thomas Sanchez disput. cit. numero 24. Discrimē enim inter consensum atque consilium eleganter prosequitur Cardin. Paleotus de sacro consistorio par. 1. quæst. 3. art. 1. 2. & 3. vbi eleganter docet, quando Pontifex in cō sultationibus teneatur sequi, vel inquirere consensum, aut consilium Cardinalium.

7 Non autem censetur iuncta viduitas, si tantum iubeatur non nubere, certæ alicui personæ, aut certo quodam loco, *l. 63. & sequenti de condit. & demonstrat.* dum modo tamen possit & alteri personæ, & in alio loco non incommode nubere. Nam si sine incommodo non potest, verosimile est fore, vt à nuptijs abstineat potius, quàm alibi quærat nuptias cum incommodo, *l. hoc modo 64. de condit. & demonst. §. 1. Quod si ita scriptum esset, si Ariciæ non nupserit, interesse an fraus legi facta esset. Nam si ea esset, quæ aliubi nuptias non facile posset inuenire, interpretādum ipso iure rescindi, quod fraudandæ legis gratia esset adscriptum. Legē enim vtilem Reipublicæ sobolis scilicet procreandæ causa lata adiuuandam interpretatione*, & *l. 74. eodem.*

8 Rursus non censetur iuncta viduitas, si non in personam hæredis, vel legatarij collata sit, sed in alterius, vt *si mulieri, cui nihil legatur, non nubat, l. 1. C. de indicta viduitate tollenda.* Non enim est hic periculum, ne fœmina illa non nubat spe legati, cum siue nubat siue non nubat, nihil lucratura sit. Excipe tamen, nisi illa mulier est in potestate eius, cui legatum relinquitur, & vetat filiam nubere, vt legatum adquirat; tunc enim etiam videtur iuncta viduitas, *l. hæres §. vltimo de condit. & demonstra. aut habitura legatum sit alteri relictum, si non nubat.*

9 Hinc colliges contra Ioannem Medinam, qui dicit hanc conditionem haberi pro non adiecta, non in omni casu, sed supposito, quod non velit contrahere matrimonium: dicendum enim in omni casu haberi pro non adiecta, siue velit, siue non velit contrahere, vt cōtra illum docet Thomas Sanchez disput. 34. cit. numero 4. qui etiam contra Acostam docet numero 5. haberi etiam pro non scripta tām comparatione primi, quam secūdi matrimonij. Ex quo etiam fit, si ita legatum sit, *centum, si nupserit, ducenta si non nupserit*, purè ducenta deberi, *l. Titia si non nupserit 6. de conditionibus & demonst.* quod docet etiam Thomas Sanchez disput. cit. numero 6. vbi & refellit Ioannem Medinam & Ioānem Gutierrez, quod dixerint, si expressè constat de voluntate testatoris non deberi. Immerito autem eos impugnat in hac parte, quia hæc dispositio nō est contra voluntatem expressam testatoris, sed dubiam, vt dixi supra cap. 4. contra eundem Thomam Sanchez. Hinc etiam fit his annumerari conditionem, quæ à liberis non procreādis auerteret, *si sine liberis decesserit*, quia simul etiam auertit à matrimonio, vt docet idem Sanchez num. 7. Nunc autem quando ea conditio apponitur, quomodo intelligenda, & an nomine liberorum filiæ etiam intelligantur explicat Rota apud Seraph. decis. 880. 1373. & apud Farinatium 2. p. 217. & etiam apud eundem Farinatiū in decis. Rom. 485. & 508. Atque hæc quæ hactenus dicta sunt de reijcienda ista conditione ab institutione & legatis, extendenda etiam sunt ad donationes causa mortis, cum æquiparentur quoad effectum, sicut etiam impossibiles etiam conditiones reijciuntur à donatione causa mortis *l. quæ sub conditione, §. & in mortis D. de condit. instit.* vt docuit etiam cum alijs Thomas Sanchez d. disput. 34. n. 4.

10 Excipe tamen à generali doctrina tradita vnum casum in fauorem libertatis. Si enim legatus sit seruus mulieri, si

non nubat, & si nubat liber esse iubeatur seruus, muliere nubente seruus liber est, neque legatum debetur, *l. Titio 46. §. vltimo D. de condit. & demonstrat.* Quia maior est fauor libertatis, quàm nuptiarum, cum seruo manumisso nouus nascatur ciuis in Republica; fit enim ciuis, qui manumittitur, *§. vltimo, inst. de libertinis*, & propensior etiam esse debet liberalitas in calamitosos homines, vt rectè Cicero lib. 2 de officijs, & hoc etiam modo voluntati testatoris paretur.

11 Ab hoc antiquo iure ex parte discessum est. Nam Iustin. *nouella 24. de nuptijs, §. quia vero*, statuit, vt siue viro, siue mulieri priores nuptias expertis, (de his enim tantum loquitur) relinquatur legatum aliquod sub conditione, *si non nupserit*, siue liberorum habeatur ratio, siue non, siue quiuis alter finis sit propositus, conditioni parendum sit, vt legatum debeatur; sic tamen vt intra annum legatum non accipiat, sed postea, præstita tamen cautione de reddendis fructibus si contra fecerint, vt ibi latè decernitur. In reliquis autem adhuc retinetur ius antiquum, vt cõditio absoluta non nubendi pro non adiecta habeatur.

12 Hæc quidem iure Cæsarum constituta sunt, & magnopere conferre possunt ad intelligendum, quando nuptiarum libertas conditione aliqua tollatur, aut impediatur. At Iure Canonico & Pontificio conditio illa nunquam nubendi non est turpis, neque reijcitur tam à dispositione, quam à matrimonio. Idque ex eo constat, quia licet apponere conditionem, *si religionem perpetuo mansurus ingrediatur*, vt contra Bartolum docet Couarruuias lib. 1. variarum cap. 19. numero 10. Antonius Gomez tomo 2. variarum resolutione cap. 12. numero 78. Molina tomo 1. de iustitia tractatu 2. disputatione 207. citato numero 6. cum alijs, quos citant, & Sanchez d. disputatione 34. numero 15. Et probat aperte textus in *cap. 2. de condit. appositis*, vbi seruis manumissis sub hac conditione, *vt Monachi fierent*, qui Monachatu deserto Clerici facti sunt, iubetur vt ad monasterium redeant, vel voluntatem manumissoris non præteriti, neque enim Clericatu assumpto adimpletur conditio monachismi, cum in multis differant. Monachi enim non erant Clerici, *l. generaliter C. de Episcopis & Clericis.* Seruus autem poterat fieri Monachus non Clericus, *l. iubemus, §. seruos, & l. seruis C. eodem.* Præterea nullus Monachus vxorem habere poterat *nouella 5.* at quidam Clerici scilicet inferioris ordinis poterant vxores habere. Rursus Clerici deputantur certæ Ecclesiæ, in qua diuino cultui ministeria religionis impenderent: Monachi olim non habebant Ecclesiam, sed oratoria, vt constat ex regula Augustini, & *nouella 123. & cap. 6. de statu Monachorum*; Et in constitutionibus Iustiniani, quod sæpè legitur, separari Ecclesias ab Oratorijs, ita accipi oportet, vt Ecclesiæ referantur ad Clericos, oratoria ad Monachos. Deinde discrimen est in pœnis Clericorum & Monachorum; Clericorum est degradatio, siue ordine motio: Monachorum vero, sicut & laicorum, segregatio à communione Ecclesiæ. Item legimus in *cap. 5. de conuersione coniugatorum* in prima collectione cætum Clericorum longè præcellere cætui Monachorum. Quæ omnia in vnum congessit Cuiacius ad *cap. 2. & 4. de condition. appos.* tom. 3.

13 Nec vero audiendus est Mantica, quem refert & sequitur Thomas Sanchez d. disputatione 34. numero 15. in fine, qui dicit, conditionem hanc, *si continenter vixerit* reijci à contractu matrimonij, vel dispositione, quia expellit nuptias; non vero hanc, *si religionem ingrediatur*, nam directè non expellit, sed indirectè, inuitando, scilicet, ad perfectiorem statum cælibatus, sicut & cõditio religionis. Quare quod hæc conditio Iure Pontificio honesta sit, dubitari non potest. In his autem certum iudicium est Pontificium circa honestatem conditionum, vt constat.

14 Hinc colligitur eos casus, in quibus olim Iure Ciuili conditio viduitatis vt turpis reijciebatur, non consistere, sed iam abolitos; eos autem, in quibus admittebatur, etiam nunc vigere. Ex quo in singulari fit primò matrimonium rectè contrahi sub ea conditione, *si tua filia religionem ingrediatur*, vel *non nubat*, cum honesta, ea conditio sit, & non turpis. Quare quoad hanc conditionem, qua viduitas perpetuò iniuncta repellebatur, sublata est Iuris Ciuilis dispotio. Et similiter, quando iniungitur, vt ad tẽpus non nubat, in eo casu, in quo iure antiquo reijciebatur iuxta dicta. Potest ergo ea viduitas iniungi virginibus, siue perpetuo, siue ad certum tempus.

15 Fit secundò viduis iam primas nuptias expertis rectè apponi posse, & etiam homini viduo, cui conditioni nisi pareatur, non

non sequitur obligatio testatoris. Quæ conditio non solum respicit tempus post aditam, sed etiam ante aditam hæreditatem, vnde erit necessaria cautio Mutiana ad legati consecutionem, vel hæreditatis additionem. Ex quo rursus fit quod cum ea conditio sit successiua, & initium eius respiciat tempus ante additionem, & perconsequens priuatio relata ad initium impediat hæreditatis adquisitionem, eo casu non possit dari substitutio, sed institutio. De quo extat decisio Rotæ 749. apud Seraphinū. At quāuis viduæ validè iniungi possit conditio, *si non nubat*; non tamen potest iniungi conditio nubendi arbitrio alterius, quamuis oppositum sentiat Thomas Sanchez lib. 1. d. disput. 34. num. 32. Ratio est aperta, quia possum indicere, vt abstineat à secundis nuptijs, honesta enim res est à secundis nuptijs abstinere, & perfectior est status cœlibatus. At si nuptias permittam, nō possum earum libertatem restringere, & in alterius arbitrium conijcere, cum contrahentium voluntas tantum requiratur. Et quamuis qui contrahit matrimonium, possit in consensum alienum suam voluntatem conijcere; attamen ab alio cogi nō potest, vt id faciat, cogeretur autem metu amittendi lucri.

16 Fit tertiò vigere adhuc dispositionem iuris non contrahendi in certo oppido, vel cum certa quadam persona, sicut Iure Ciuili valebat ea conditio iuxta dicta. Sed in ea parte nō stamus Iuri Ciuili, quatenus si non posset commodè nubere, in alio oppido, vel cum alia persona, videbatur conditio viduitatis indicta, & reijciebatur; nunc autem ea conditio valet, etiam si non possit alibi commodè nubere. Ratio est, quia quamuis ex ea incommodum sequatur, illum vel illam non nubere, non est res inhonesta, cum possit apponi conditio non nubendi, iuxta dicta. Quod non aduertit Thomas Sanchez, disput. 34. cit. num. 38. & 39.

17 Fit quartò nunc posse indici conditionē viduitatis, etiam ad certum tempus, sicut olim Iure Ciuili: sed hoc amplius id esse verum, quamuis in longum tempus matrimonium protrahatur, ita vt vltra illud non sit apta nubendo puella. Nam ideo iure ciuili olim non licebat, quia si multum protraheretur, videbatur iam conditio viduitatis indicta, quam turpem iudicauit in virginibus ius ciuile antiquum. At nunc nō est ea conditio turpis, quare sicut posset indicere conditionem perpetuò non nubēdi, ita etiam potest in tam longum tempus protrahere matrimonium, quamuis ad contrahēdū inhabilis postea remaneret. Quod etiam non attendit Thomas Sanchez disp. cit. num. 36.

18 Fit denique à fortiori nunc valere conditionem de non nubendo certo cuidā generi personarum Iudæorum, Sarracenorum, & similium, quandoquidem relinquitur libertas nubendi alijs, & ideo non tollitur libertas matrimonij. Sic citatis alijs docet Thomas Sanchez disput. cit. num. 40. & de eiusmodi conditione in maioratibus apponi solita agit etiam Molina de Primogen. Hispan. lib. 2 cap. 13. num. 28.

De conditione, si nupserit, an turpis sit & quomodo locum habeat.

CAPVT VII.

SVMARIVM.

Sensus quæstionis, num. 1.

Conditionem honestam esse si nubat Titio, numero 2.

Limitatur, nisi grauamen apponatur in legitima, num. 3.

Vel nisi iubeatur nubere indigno, ibidem.

Quid si non nuberet Titio indignè, at ex mandato patris nupsit alteri, num. 4.

Explicatur distinctione adhibita, num. 5.

Conditionem, si nupserit valere, num. 6.

Relictum sub conditione, si nubat, nullo alio addito debetur ingredienti religionem ex dispositione Iustiniani, num. 7.

Eam dispositionem non niti in voluntatis testatoris præsumptione, num. 8.

Sed esse præter vel contra voluntatem testatoris, num. 9.

Quid si legatum vt nubat non sit relictum alicui certæ personæ, sed indefinitè? non posse dari ingredienti religionem quorundam opinio est, num. 10.

De æquitate iuris probabilius etiam posse dari, num. 11.

Sub conditione expressa vt nubat, & non ingrediatur religionem, non deberi ingredienti quorundam opinio, num. 12.

Probabilius oppositum, num. 13.

Ducenta si nubat, centum si religionem ingrediatur, non deberi ducenta religionem ingredienti quidam dicunt, num. 14.

Probabile oppositum, num. 15.
Quædam fundamenta Rotæ expenduntur, num. 16. 17.
Quid de illa conditione, si religionem non ingrediaris, opinio quorundam, num. 18.
Deberi etiam si ingrediatur, verior opinio, n. 19.
Adducuntur varia fundamenta, & reijciuntur, num. 20. 21. 22.
Vera ratio, num. 23.
Quid si conditio sit de non ingrediendo talem religionem, vel monasterium, num. 24.
Statutum, vt quis qui nondum habet ius in re bonorum, quæ possessurus est, dominus sit, si non ingrediatur religionem, sin vero amittat non esse licitum, num. 25.

1 NON vno modo potest alicui iungi conditio *vt nubat*, nam vel iniungitur vt nubat certæ, & determinatæ personæ, vel absolutè vt nubat, nullius alterius mentione facta; vel vt nubat, & non ingrediatur religionem, vel tantum vt non ingrediatur religionem. Quæ omnia sigillatim explicanda sunt, an in eis aliqua turpitudo insit, ob quam habeantur pro non adiectis in testamentis, & matrimonijs, sicut de turpibus vniuersè dictum est supra cap. 5.

2 Quod attinet ad primam conditionē scilicet, *si nubat Titio*, quanuis Emanuel Sà verbo, *legatum*, n. 37. dicat habiturum legatum, etiamsi nubat alteri, non tamen video, quo fundamento id affirmet. Quare certum est eam conditionem honestam esse, neque haberi pro non adiecta *l. cum ita legatum 13. versiculo, si Titio nupserit, D. de condit. & demonst.* & iure nouiori codicis de *instit. & substit.*, & iure nostro *l. 14. tit. 4. & l. 22. tit. 9. partita 6.* & docent cōmuniter Doctores, quos refert Thomas Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 33. n. 7. nec enim iniungitur conditio, si nulli nubat, sed si huic nupserit. Valet igitur legatum relictum *si nubat cum aliqua de familia*, si illa non sit intra 4. gradum Sanchez ibidem n. 9. imo etiam si sit intra 4. gradum obtenta dispensatione Pontificis, quia non est conditio impossibilis, nec turpis, & tenetur diligentiam adhibere, vt dicā infra c. 15.

3 Sed hanc doctrinam limitabis, nisi grauamen apponatur in legitima, ea enim cum lege debita sit, grauari non potest *l. 1. tit. 4. part. 6.* Gregor. Lop. ibi, & Thomas Sāchez nu. 10. similiter limitabis quando conditio est, si nubat homini indigno: reijcitur enim ea conditio *l. cum ita legatum 63. D. de condit. & demonst. & l. 32. tit. 9. & l. 14. tit. 4. part. 6.* id enim possumus, quod honestè possumus, *l. nepos Proculo, de verb. sign.* Vnde turpis conditio est, etiam si viduitatem non induceret. Aduertit autē optime Sāchez n. 12. si ea conditio iniungatur viduæ non omnino reijciendam. Quia licet ex ea parte reijci debeat, qua iubetur indigno nubere propter rationem dictam: attamen cum viduæ possit iniungi conditio viduitatis, ne transeat ad secundas nuptias, quoad eam partem ad implere tenetur, vt ex Acosta, & Tello refert Sanchez d. nu. 12.

4 Sed quid dicendum, si legatum relictū sit, *Si Titio nubat*, cui si nuberet, non nuberet indigno, & tamen illa ex mandato patris nubat alteri. Thomas Sanchez d. disput. 33. nu. 13. citato Baldo, & alijs existimat legatum deberi, quia contra consensum patris alteri honestè nubere non poterat, citat Baldū, qui docet statuto dicente, vt fœmina Mediolanensis non nubat extra Mediolanum sub pœna talis summæ, eam non incurrere, si nubat extra Mediolanum iussu patris.

5 Sed mihi non omnino placet hæc sententia, distinctione enim opus est, quæ manifestè sequitur ex doctrina tradita suprà lib. 2. c. 1. suppono itaque exibi dictis non teneri filium sequi patris consilium, nisi vt dignè nubat. Vnde licet, qui nubit indigno contra voluntatem patris, peccet, & inhonestè faciat, aut si æque benè, & conuenienter suo animo possit nubere, cum consensu Patris, & nolit, peccet: at si nubat digno, & alias non æque suo animo cōueniret, & placeret is, cui eam locat pater, non peccat, si nubat sine consensu patris. Hæc certa sunt etiā ex ipsius Thomæ sententia: igitur dicendum, iure quidem antiquo, quoin nuptijs parentum consensus desiderabatur, inhonesta esset conditio nuptiarum, quæ impediret parentum consensum seruari in nuptijs, & in eo casu intelligerem, quæ docet Thomas Sanchez. Iure tamen nostro, & quo vtimur, quoties filius non tenetur patris consensum expectare, sed potest licite nubere contra patris voluntatem, perit legatum relictum, si alteri nubit, etiam si nubat ex consensu patris. At in his casibus, in quibus tenetur patris consensum expectare non perit legatum, etiam si nubat alteri ex iussu patris. Vtriusque partis ratio est facilis, & aperta. Quia in primo casu honestè impleri potest conditio legati sine patris, & contra patris consensum, in secundo verò non, sed est turpis conditio apposita in legato.

6 Circa secundam conditionem cum relinquitur legatum absolutè, *si nupserit*, non est dubium iure Ciuili, eam conditionem non esse turpem, neque haberi pro non adiecta, vt constat ex dictis cap. præcedenti: at de iure Pontificio dubium esse posset, eo quod impediatur maius bonum, scilicet, Cœlibatus & vita religiosa. Sed certum est hanc conditionem valere, neque enim in conditionibus vt honestæ sint, spectatur, quod in materia voti, vt sint de meliori bono, sed satis est sint de re honesta ex suo genere & circunstantijs; nubere autem &si impediat religionem, bonum est.

7 Sed oritur dubium. An legatum relictum alicui certæ personæ si nubat, nullo alio expresso debeatur illi, si ingrediatur religionem. Non quæro modo an debeatur, cum à testatore fit expressa mentio religionis, de hoc enim postea, sed quando tantum absolute ponitur, vt nubat. Et certi iuris est deberi. Nam fauore religionis habetur pro non adiectis conditiones nuptiarum & liberorum. Sic constituit Iustinian. *In nouella de Sanctissimis Episcopis, cap. 37. si quis sub conditione nuptiarum, & Authentico, nisi rogati C. ad Trebel.* vbi sancitum est si aliquid donatum, aut legatum sit sub nuptiarum, aut liberorum conditione, & donatarius, aut legatarius absque nuptijs religionem ingrediatur, conditiones illas habendas esse pro non appositis: ac proinde bona illa legata vel donata monasterio aduenire. Quo magis certum est conditionem illam, *si nubat*, non esse impeditiuam maioris boni, cum etiamsi religionem ingrediatur, nihilominus legatum capiat. Voluntas ergò testatoris aut cogitauit de ingressu religionis, aut non. Si primum censetur se cõformasse legis dispositioni, vt tradit Menochius cons. 555. num. 8. si secundum, tunc legis dispositio supplet voluntatem testatoris in fauorem religionis. Vt habet Rota apud Farinatium à 1. p. decis. 130. & 450.

8 Sed multum refert cognoscere, quæ sit huius decisionis ratio; & cui innitatur Iustin. Nonnulli dicunt, niti tantum præsumptioni voluntatis testatoris, præsumit enim lex fore, vt id vellet testator, si occurreret. Vnde inquiunt, si constaret testatorẽ nihil cogitasse de spiritualibus nuptijs, sed animo suo eas excluisse, non posset dari legatum religionem ingredienti. Simile est in contractu matrimonij, in quo conditiones turpes & impossibiles habentur pro nõ adiectis ex præsumptione quadam, quæ tamen cessat constante veritate de mente testatoris, aut contrahentis. Sic Thomas Sãchez citatis alijs d. disput. 33. nu. 30. Quod quidem probabile est.

9 At inclinat animus magis, vt sentiam non fundari in præsumptione, sed etiam cõtra voluntatem testatoris voluisse Imperatorem, vt ea conditio in eo casu non obstet, quod citatis Baldo & Felino docuit Vega in summa post casum 66. & Rota apud Farinatium 1. p. decis. 450. num. 6. plane dicit ita dispositum à lege præter, vel contra voluntatem testatoris. Quod quidem rectè à lege fieri posse non est dubium. Quia licet authoritate priuata non possit aliquid in melius commutari in vltimis voluntatibus, iuxta Tridentinum sessione 25. de reform. c. 8. at Principis authoritate licet. Commutat igitur in melius, & seruatam iudicat eã conditionem commutatione in meliorem statum. Suadet autem, vt aliter interpretemur conditionem hanc, quam alias turpes vel impossibiles fauor religionis, cui parũ fauoret Imperator, nisi etiam contra testatoris voluntatem legatum in eo casu valere voluisset; maximè cum ea conditio non reiiciatur vt turpis, honesta enim est; sed mero & pleno fauore religionis contra imperitum vulgus hominum, qui quod religioni aduenit, amissum & inutile iudicant, quasi otioso hominum detur genere. Quæ ratio non militat in alijs dispositionibus, quando sub conditione turpi, aut impossibili alijs relinquitur legatum. In matrimonio enim necessarium fuit tantum in præsumptione fundari, & nihil decerni contra voluntatem contrahentis, cum in matrimonio id fit speciale, vt nisi vero contrahentiũ cõsensu vim nõ habeat, neque subsistat.

10 Sed quid dicendum, si legatum non sit relictum alicui certæ personæ, sed indefinite ad puellarum matrimonia, an legata illa dari possint trãseũntibus ad religionẽ, quando testator religionem non excluserit. Cõmunis opinio est, quam citatis multis tenet Thomas Sanchez dicta disput. 33. n. 32. non posse dari transeuntibus ad religionẽ. Quia dispositio Imperatoris in authentico citato tantum intelligitur, quando legatũ relinquitur alicui certæ & determinatæ personæ; & quia non potest in specifica forma impleri, impletur in ficta. At in isto casu potest legatum in specifica forma impleri; ergo in illa implendum est, non in ficta, *l. Mæuius & l. qui hæredis D. de condit. & demonst.*

11 Et quidem de rigore iuris ita dicendum videbatur. Attamen me iudice probabili sententiæ nitens poterit etiam patronus eiusmodi legatum dare ingredientibus religionem. Quam sententiam docet Natta consilio 296. num. 4. Boerius decisione 3. num. 13. qui etiam pro se explicant Baldum: estque communis iam hæc sententia hoc tempore inter Theologos Salmanticenses, quam etiam docui in libro de impedimentis. Ratio, quæ me mouet, ea est, quia cum illa constitutio in d. Authentico inducta sit ex mero & pleno fauore religionis, & non ex præsumptione aliqua, suadet etiam vt ex eadem ratione extendamus eã dispositionem ad legata indefinitè relicta. Deinde quia nulla commoda assignari potest ratio differentiæ inter legatum hoc, & legatum relictum certæ personæ. Quia, si ius naturale attendas, omni legato conditionali, siue relinquatur certæ personæ, siue indefinitè, commune est, vt non subsistat non subsistente conditione. Vnde iure naturali neutrum subsisteret, si animus testatoris est in contrarium: tam enim repugnat spectato iure naturali adimpletio in ficta forma in vno casu, sicut in alio. Quod autem vnum impleri possit in specifica forma, non aliud, parum refert vt dictum est. Si autem attendas voluntatem præsumptam, quando nihil expressit testator, meritò censetur in vtroque casu non excluisse statum religionis. Si denique inspicias rationem dispositionis positiuæ, eadem militat in vtroque legato, scilicet, fauor religionis. Ergò non est cur aliter de vno, quàm de alio iudicemus. Adde etiam fauorem religionis non esse exorbitantem à iure; sed iuri conformem, vt dicam statim.

12 Iam ex his colligitur quid dicendum sit in tertia conditione, quando legatum relinquitur expressè vt nubat, & vt non ingrediatur religionem. In quo casu nonnulli, quos refert, & sequitur Thomas Sanchez d. libro 1. disput. 34. num. 11. censent. non posse dari ingredientibus religionem, quia standum est voluntati manifestæ testatoris. Est autem iam manifestum testatorem excludere statum religiosi, & ita etiam excludi solet ex omnium consensu in maioratibus, & primogenijs.

13 Verùm consequenter ad ea, quæ hactenus dixi, addo etiam in hoc casu legatum deberi transeuntibus ad religionem, siue sint legata relicta certis personis, siue indefinite. Sic tenẽt quicunque docent conditionem illam, *si non ingrediatur religionem*, esse reijciendam: Hi sunt Baldus, & Decius, quos refert & sequitur Acosta in *l. cũ tale, §. si arbitratu D. de condit. & demonst.* ampliatione 11. num. 1. Aretinus & Felinus, & Parisiensis, & Euerardus, Rolãdus, Ioannes Medina, Bartholomæus Ledesma, quos refert Sanchez disput. cit. num. 11. Sa verbo *legatum*, num. 34. & expressè tenuit Rota apud Farinatium 2. p. decis. 480. num. 9. Rationem iam supra reddidimus, quia existimamus Imperatorem contra voluntatem testatoris in fauorem religionis statuisse, vt pro non adiectis haberentur in casu, quo ad religionem transirent legatarius, vel donatarius. Ergo idem dicendum, quamuis eam conditionem exprimat, reijcitur enim tunc vt inquit Rota loco cit. ea conditio tanquam improba, & legatum valet. Limitat tamen Medina, nisi tantum dixisset, *si non ingrediatur tale monasterium*, cum maneãt alia, in quæ ingredi possit. Sed de hac limitatione dicam infra isto cap. Alia autem ratio est de maioratibus, & primogenijs, ob quã in illis ea conditio subsistat. Ego enim non assero eam conditionem reijci vt turpem, vt iam dixi, sed velle legem, vt in eo casu non obstet religioni. Quare cum in maioratibus apponitur, iustè ponitur, & meritò non habetur pro non adiecta in casu, quo primogenium habens ingrediatur religionem. Quia si primogenia iurisdictionem habeant veluti Ducatus, & Marchionatus, non competunt religiosis. Alia autem, quæ instituta sunt ad conseruationem nominis, & sanguinis, familiæque, non conueniunt etiam statui religioso neque monasterio, de quo late Molina lib. 1. de primog. c. 13. Quare non licet argumentari ab hac conditione posita in primogenijs ad conditionem hanc positam in legatis aut donationibus, quæ non pugnant cum monasterio, & religioso statu, imo maximè conueniunt, vt dicam statim.

14 Ex his etiam colliges quid dicendũ in ea quæstione, si legentur *ducenta, si nubat, centum, si religionem ingrediatur*; an debeantur ducenta religionem ingredienti. Negat Molina tomo 1. de iust. tract. 2. disput. 207. à num. 13. quamuis oppositum probabile iudicet, sequitur Thomas Sanchez d. disp. 34. num. 12. Quia is est casus omissus in ea nouella Imperatoris, atque ita standum iuris naturalis dispositioni, quæ vult legatum conditionale impleri subsistẽte conditione,

non

non verò alias. Quæ etiam fuit sententia Baldi in *l. si ita legatum D. de condit. & demonst.*

15 Mihi tamen probabilius videtur deberi integra ducenta ingredienti religionē, si non nubat. Sic docent multi, quos refert Thomas Sanchez disput. cit. num. 12. & Molina loco cit. dicit esse magis communem. Emanuel Sa verbo *legatum*, num 34. & 38. Paulus Comitolus lib. 7. responsorum moralium, quæst. 7. circa fin. Ioannes Medina C. de restit. quæst. 23. Lesius lib. 2. de virtutibus cap. 18. dub. 15. qui pro hac sententia adducit ex Canonistis plures, & Felinus à Comitolo citatus dicit ab hac opinione in iudicando & consulendo non esse recedendum. Rationem iam assignauimus suprà desumptam ex fauore religionis. Et quāuis Baldus dicat suam opinionem cum naturali æquitate congruere, valde tamē fallitur, vt inquit Comitolus, quandoquidem eius opinio non parum ab æquitate & pietate differt. Quis enim non videat ista legādi ratione coniugij statui, magis quàm religionis faueri? Quis nesciat, quàm multas virgines abduci à vita religiosa ob exiguam dotem, quæ monasterio est assignanda, quæ si ampla esset, sacra monasterij septa non horrerent, quibus persuasum esset & minore se rerum egestate & paucioribus vitæ incommodis se conflictatum iri. Præterquam quod vbi monasterium copiosiorem dotem esset adeptum, tum rei familiaris difficultati melius subueniret, religiosaque disciplina & viuendi ratio sanctius coleretur, nec à laicis personis stipem cogere vel vitæ necessaria auxilia expetere monasteria cogerentur, sublata quoque familiaritas esset, & consuetudo cum profano hominum genere, quæ consuetudo, quàm sit tā viris, quàm religiosis fœminis pernicioſa atque exitialis, credibile non est. Mitto paupertatem nimiam, qua premuntur religiosæ sodalitates vitium sæpe numero procreare paupertati contrariū, cum quælibet, aut ferme quælibet persona religiosa, vt suis succurrat necessitatibus, suum ac proprium sibi parat peculium; quæ omnia, si à Baldo considerātius animaduersa fuissent, nunquam ab eo scriptum fuisset, secundum naturalem æquitatem esse formam illam legandi, quæ à nobis aliisque Doctoribus non paucis est improbata. Quæ omnia nō minus verè, quàm pie Comitolus.

16 Sed contra hanc secundam sententiam pro prima iudicauit Rota decis. 480. apud Farinatium 2. p. Fundamenta Dominorum hæc fuere. Primum quia legibus cōstitutum non reperitur, quod fauor monasterij, vel religionis impedire debeat, testantium voluntates, quin imo omnibus modis seruandæ sunt, *cap. vltima voluntas 13. quæst. 2. l. 1. C. de sacros. Eccles. §. disponat. Auth. de Nupt. l. in conditionibus, D. de condit. & demonst. l. cum quæstio, C. de leg.* Igitur fauor religionis adeo præponderare non debet, vt destruantur morientium volūtates, quas singularibus priuilegijs decorare voluerūt leges. Sed hoc fundamentum satis ex dictis eneruatur, quia vt ex sententia Rotæ retuli suprà isto c. n. 9. dispositio Iustiniani in Nouella *de sanctis. Episc. cap.* 37. in fauorem religionis fuit contra voluntatem testatoris. Quid enim magis in iure receptum, quam quod legatum sub vna conditione dātum, sub contraria ademptum, *l. si legatum pure. De adim. legat. l. aliquando, de condit. & dem.* & amplectitur eandem doctrinam Rota Decis. 838. apud Seraphinum, num. 8. & alibi sæpè. Sicut ergo in illo casu contra decedē tium voluntates præponderat fauor religionis, ita etiam in hoc casu. Neque in eo discreditur ab eo quod per leges constitutum est. Rursus si quando relinquitur legatum expressè vt nubat, & vt non ingrediatur religionem, contra eam expressam voluntatem testatoris præponderat etiam fauor religionis ex sententia ipsius Rotæ, quam retuli suprà isto, cap. num. 13. magno cū fundamento dicitur etiam in isto casu præponderare fauorem religionis esse legibus consentaneum.

17 Secundò nituntur. Quia eiusmodi dispositio religioni contraria non est, quia non impeditur ingressus in religionem, cū voluntas legantis non præsumatur ad hoc ordinata, sed vt pinguius patrimonium relinquat in familia sua; & à voluntate ingredientis alienum existimet, vt cogitet de bonis, cum perpetuam voueat paupertatem, & non ipsi, sed monasterio adquirātur. Sed in quantum detrimentum status religiosi cedat inopia, ostendimus nu. 15. quo eneruatur hæc ratio, & ostenditur eam conditionem retrahere à religione legatarium. Quibus etiam ostensum est neque cum æquitate cōgruere. Cōsuetudo autem frustraobijcitur, cū non paucior es sint iuris DD. qui pro opposita sententia iudiciū ferant, & sic consulendum & iudicandum dicant. Sed quamuis fundamenta non placeant, at iudicium Dominorū, quid magis apud me ponderis

deris eſt, ideo in iudicando à prima ſententia non eſſe recedẽdum cenſeo, de qua quæſtione etiam videndus Cenedo in quæſt. pract. quæſt. 35. qui late & optimè.

18 Supereſt dicamus de vltima conditione, *do, lego, ſi religionem non ingrediaris, ſed in ſæculo permaneas.* In quo nonnulli ſentiũt non eſſe reijciendam eam conditionem, ſed illi parendum, ſi capere legatum velit. Sic Thomas Sanchez diſput. 34. cit. num. 11. & hanc ſentẽtiam docuit olim Decius in *cap. in præſentia de probationibus*, num. 58. inductus hoc argumento, cui exiſtimat ſatisfieri non poſſe. Quoniam in conditionibus primum voluntas teſtatoris inſpicitur, *l. in conditionibus, D. de condition. & demonſt.* & facit textus *in l. cum quæſtio, in fine C. de legibus,* & *in l. cum virum C. de fideicom.* & voluntas defuncti totum facit in *l. ex facto, D. de hæred. inſt.* & priuilegium, quod conceditur Monaſterio in nouella de Sanctiſsimis Epiſcopis, intelligi debet, dummodo teſtatoris voluntas non repugnet.

19 Cæterum conſequenter ad ea quæ dicta ſunt, dico capi legatũ poſſe, etiamſi religionem legatarius iugrediatur: eſtque magis communis ſententia, quam tradit Innocentius in *d. cap. in præſentia de probationibus*, num. 8. Hoſtienſis ibidem Ioannes Andræas, num. 35. Antonius de Butrio ibidem col. 15. commentarij. Abbas ibidem, num. 42. vbi teſtatur hanc opinionem eſſe communem. Felinus ibidem, num. 13. Aretin. ibidem colum. 13. diſputans contra Baldũ. Stat etiam pro hac ſententia Bartolus in primo ſuo conſilio, quod incipit, *Parmenſis quidam.* Quod conſilium eiſdem verbis trãſcripſit in commentario ad *l. ſi ita quis*, §. *fin. D. de leg. 2.* & ſequitur Baldus in *cap. in præſentia*, num. 18. qui citat etiam Cynum & Bart. Quam ſententiam etiam appellat æquam in authentico *niſi rogati*, & Scholiaſtes ad conſilia Bart. in Scholio 1. conſilij, aggregat etiam pro hac ſententia Baldum in quodam ſuo conſilio, & quendam *Papienſem* in forma libelli, eſt Ferrarius in praxi, quam vocant practicum Papienſem, quæ agitur ex ſubſtitutione, dicitque Bartoli opinionem eſſe magis communem, & approbatam, tribuitque eandem Alexandro Immolæ, conſilio 35. volumine 3. cuius eſt initium *ſuper contentis in d. themate*, & in cõſilio 121. volumine 1. cuius eſt initium, *ſuper prædicto themate*, columna enim 4. affirmat opinionem Bartoli eſſe magis communem, & pluribus & fortioribus authoritatibus munitam, & per conſequens in iudicãdo non eſſe ab ea recedendum. Sequitur etiam Angelus Peruſinus conſ. 80. vbi etiã communem dicit opinionem Bartoli, & Roſella verbo *legare*, num. 24. & Paulus Comitolus loco cit.

20 Sed quamuis hæc ſententia mihi placet, non tamẽ placẽt omnino fundamenta, quibus Doctores eam probant. Nonnulli probant, quia quælibet conditio turpis reijcitur ab vltimis voluntatibus, & habetur pro non adiecta. At talis eſt huiuſmodi conditio, quia impedit maius bonum. Ergo habetur pro non adiecta. Hac ratione vtuntur Hoſtienſis, Bartolus, Abbas, Felinus, Comitolus & alij. Cui nonnulli reſpondent non impediri eiuſmodi conditione perfectioris vitæ ſtatum, cum illi non conueniãt diuitiæ, opeſque, ſed potiùs earum contemptus. Hæc tamen euaſio potius eſt, quam ſolutio. Nam etiam opes conuenire ſtatui religioſo ad ſtrictius perfectionem ſtatus obſeruandam oſtendunt in primis plures rectè inſtitutæ religiones, quæ priſtini ſui rigoris adhuc tenaces ſunt, quia ſuorum neceſsitatibus conſulunt, quoad fieri poteſt, & exigit ſtatus religioſi modeſtia. Nec mirum, dixit enim olim Bernardus, *vbi non eſt abundantia, non eſt obſcruantia*, & ante Bernardum Lupus Abbas Cœnobij Ferrarienſis epiſt. 42. ad Hincmarum Rhemenſem Epiſcopum, *cum comperiſſet*, inquit, *monachicam religionem apud nos durare non poſſe, niſi facultatum fulciremur augmento*. Videndus idem Lupus epiſt. 45. apud Baronium tom. 10. Annal. Anno Chriſti 846. num. 14. & 20. & 21. & Gregor. etiam lib. 2. indictione 11. epiſt. 17. de quo etiam nos olim diximus, q. 9. Scholaſtica, cap. 5. Deinde qui religionẽ amplecti vult, licet non auocetur amore diuitiarum, attamen durum illi videtur, cum ſe tradat religioni, non poſſe bona ſua illi etiam tradere, ſed ſucceſſoribus, ſæpe prauis hominibus relinquere in materiam luxuriæ & peccatorum.

21 Sed licet prædicta ſolutio meritò reijciatur, attamen adhuc ratio illa mihi nõ probatur. Ea enim conditio, *ſi religionem nõ ingrediatur*, non eſt turpis conditio re benè inſpecta. Cum enim in religionem ingredi ſit opus conſilij, & non præcepti, conditio contra opus conſilij non eſt turpis, nec enim non ingredi religionem malum eſt; aliàs ſi ex ſe turpis ea conditio eſt, cum iure naturæ turpis ſit, & non aliquo iure poſitiuo, nec in maioratibus apponi poſſet. Poteſt

test ergo esse aliquis honestus finis, cuius intuitu excludat quis alium à participatione alicuius commodi temporalis, si religionē ingrediatur; quia existimet illi statui non esse adeò necessarium illud temporale commodum, & esse alios in sæculo cognatos, aut penuria oppressos, quibus subueniri æquū sit. Itaq; recte meo iudicio Molina disput. 207. num. 14. iudicat hanc conditionem non esse turpem, & suprà etiam dixi non ideo reijci hanc conditionem, vt turpem ab Imperatore in *d. auth.* sed tantum fauore religionis.

22 Secundò probant Felinus, Bartolus, & alij, quia conditio non nubendi reijcitur à iure, eo quod impedit libertatem naturalem matrimonij *l. Quoties D. de condit. & demonst.* Ergo etiam reijcienda est conditio, quæ impedit ingressum religionis, quæ est spirituale matrimonium. Huic rationi respondet Decius idcirco fauere leges matrimonio, quia indicere viduitatem est reprobatum iure. Quam Decij solutionem Comitolus dicit deuiare à regulis Catholicæ fidei, cum viduus, & cælibatus status sit excellentior iuxta Catholicā doctrinam. At Comitolus non intellexit, quid vellet Decius: qui locutus est iuxta antiqui iuris ciuilis dispositionem, secundum quam turpis est conditio non nubendi, vt dixi cap. præcedenti, & ideo reiecta. Incumbebant enim prisci Romani multiplicando statui reipublicæ, & ciuitatis, & ideo nullum à nuptijs retrahi volebant. Quare huic argumento Felini facile responderi posset tum iure nostro cōditionem non nubendi non repelli à matrimonio carnali; vt dictum est cap. præcedenti. Tum etiam esse specialem rationem, quare ea conditio reijciatur in statu connubiali, non in religioso. Quia cum iure naturali possit quis eligere sibi statum, retrahitur mulier, cum vxor indotata non ducatur, aut fere non ducatur: at statum religiosum sine dote etiam adipiscimur.

23 Ratio ergo, quæ me mouet, hæc est, specialis dispositio in hac re fauore religionis, quæ habetur in authentico citato. Quia, vt supra dictum est, non ex præsumptione, sed ex mero, & pleno fauore religionis constitutum est, vt donatio aut legatum sub cōditione liberorum, & nuptiarum non obstaret ingredienti religionem, quominus capere posset donationem aut legatum, cum tamen tacitè illi dispositioni inesset conditio de non ingrediendo religionem. Quod si ad huc eam tacitam conditionem reijci voluit Imperator, quantò magis reijci vellet expressam, cum tota ea dispositio non in præsumptione consensus testatoris, sed contra voluntatem testatoris fauore religionis inducta sit, vt iam dixi supra isto capite. Religionis autem statum ideo fauore prosequi voluit Imperator, quia potior est causa religionis, quam filiorum. Nam si alicui bona tua donaueris, & nascatur filius, eius natiuitate donatio rumpitur *l. si vnquam C. de reuocandis donation.* At si facta donatio monasterio sit non rumpitur, nisi quātum attinet ad legitimam portionem filij suscepti, vt docet Felinus in *c. fin. de donat.* & citat Baldum in *l. 1. de inofficiosis donat.* & etiam glossa in *c. fin. 17. q. 4.* Item donatio Ecclesiæ, seu monasterio facta dominium transfert sine vlla traditione *l. fin. C. de sacrosanctis Eccles.* filio autem facta non transfert *l. 2. C. siquis alteri vel sibi, & l. siue emancipati C. de donat.* Præterea filius solo nutu hæres instituī non potest *l. discretis C. qui testam. facere possunt:* atqui testamentum ob piam causam nutu factum valet, quod ipsum probat Felinus, Bartoli, Baldi, Immolæ, & Ancharrani authoritate. Potior itaque causa est religionis quàm liberorum: pia namque donatio, inquit Felinus, animæ ac saluti prospicit donatoris, quæ cuiuis rei caducæ longè est anteponenda. Atque ex his solutum est argumentum, quo Decius nitebatur, & cui responderi non posse dicebat. Dico enim id ex speciali iuris dispositione in hoc casu locū habere contra voluntatem testatoris, quod secus est in reijciendis conditionibus impossibilibus, & turpibus, vt antea dictū est.

24 Sed quid dicendum, si conditio non sit de non ingrediendo religionem absolute, sed talem religionem, *lego tibi centum, si non ingrediaris talem religionem, & si ingrediaris quinquaginta*, an debebuntur integra centum tali religioni, quæ in conditione expressa est? Diuersæ sunt Doctorum sententiæ. Decius in *d. c. in præsentia* num. 53. existimat nō deberi, citat Baldum, & idem docet Acosta *l. cum tale §. si arbitratu D. de condit. & demonst.* ampliat 11. Euerardus in loco à matrimonio carnali ad spirituale num. 5. Nec dissentit Felin. cum dicit, siquis ita legauerit centum Titio si nubat, quinquaginta si tale monasterium ingrediatur, quinquaginta tātum habiturum tale monasterium, quod in conditione expressum est: at verò si ingrediatur in quodvis aliud monasterium, habiturum integra centum. At Paulus Comitolus loco cit. dicit, eam conditionem non ob

stare

stare, quominus tale monasterium capiat integrum legatum. Primò, quia priuilegiũ ab Ecclesia & Imperatoribus religioni concessum, vniuerso religionum generi datum est; neque huiusmodi priuilegij religio aliqua particeps est, quia talis est, sed quia religio est. Deinde quia accidere posset, vt vna sanctissima religio, quæ in Ecclesia vtilior esset alijs, eo modo priuaretur successione bonorum eius, qui in religionem ingreditur. Quæ sententia mihi etiam verosimilior videtur, præcipua autem eius ratio est prima, quam reddit Comitolus desumpta ex speciali fauore religionum.

25 Ex his colligitur illud statutum, quo decerneretur, vt is qui nondum habet ius in re bonorum, quæ possessurus est, dominus sit, si in sæculari conuictu permaneat, eorundem autem liberum dominium non nanciscatur, si religionem ingrediatur, nequaquam licitum esse contra Bartolum in *l. fin. C. de pactis*, num. 6. eius enim sententiam in hac parte communi Doctorum iudicio condemnatam esse inquit Decius in d. *cap. in præsentia*, num. 53. Facile enim vsu euenire posset, vt priuilegium datum religionibus succedendi ijs, qui religionem ingrediuntur, inane esset & inutile. Genus etiam istud statuti libertati Ecclesiasticæ aduersari videtur, ac proinde teneri eius Authores excommunicatione, quæ est in Bulla Cœnæ. Sed de his alio loco latius.

Examinantur aliæ conditiones, quæ turpibus annumerari solent.

CAPVT VIII.

SVMMARIVM.

De conditione iurisiurandi quid Iure Ciuili statutum sit, num. 1. 2.
De conditione, si mecum concubueris, quorũdam opinio, num. 3. & 4.
Vera sententia, num. 5.
De conditione, si te virginem inuenero, quorundam opinio, num. 6.
Vera sententia, num. 7.
De conditione, si decem dederis, num. 8.
Obijcitur ex l. si ita stipulatus fuero, 97. de V. O. num. 9.
Diluitur obiectio vera interpretatione, numero 10.

1 SED sunt aliæ conditiones, de quibus quæri potest, an habendæ sint pro non adiectis, & de illis breuiter agemus in hoc capite. Prima est conditio iuris iurãdi, an siquis leget alicui, *si iurauerit se id facturum*, ea conditio valeat. Nam *l. 8. de condit. & demonst.* reijcitur ea cõditio iurãdi propter duas rationes, quas elegãter tradit iuris consultus. Cũ enim faciles sint nonnulli hominum ad iurandũ, cõtemptu religionis, alij perquam timidi metu diuini Numinis vsque ad superstitionem, ne vel hi, vel illi aut consequerentur, aut perderent, quod relictum est. Sed quod ad hãc conditionem attinet, ius ciuile hæc habet: *conditio iuris iurãdi remittitur edicto prætoris, & aufertur necessitas iurandi, non implendi potestas, potest enim si voluerit iurare.* Quare nõ reijcitur vt turpis conditio, in qua & implendi necessitas, & potestas lege improbatur. Huc spectat textus in d. *l. 8. quæ sub conditione & l. 26. in fine de condit. & demonst.* At quãuis iurandi tollatur necessitas, adimplere tenebitur quod sub iuramento exigebatur, vt ibidem habetur. Nec verò conditio cuiusuis iuramenti remittitur, sed qua iuratur aliquid in futurum, se facturum: nulla enim vtilitas testatoris versatur in eo quod iuret, si tamẽ faciat, nisi facto eo quod testator vult, legatum non adipiscitur. At iuramentum in præteritum, vel ad lites dirimendas non reijcitur, neque remittitur necessitas iuramenti, cum in eo versetur vtilitas testatoris, & magni momenti sit ad dirimendas lites. Quare iuxta hæc componenda sunt nonnulla iura, quæ videntur cõtraria atque pugnantia. Nam vel loquuntur de iuramento in præteritum tempus, quod legibus non remittitur: vel non censentur imponere necessitatem iurandi, relinquere tamen potestatem. Sic accipio textum in *l. 62. D. de acquirenda hæred.* Quæritur enim ibi, an qui hæres institutus est, si iurauerit, statim ac iurat, hæres sit, cum aditione hæreditatis. Diuersa sentiunt I. C. ea tamen sententia probatur in ea lege iuramentum, si illud sponte præstiterit, satis esse, neque necessariam esse aditionem hæreditatis, gesserit enim se iam pro hærede. Sic etiam accipio textum in *l. municipibus 97. D. de condit. & demonstrat.* vbi municipibus relictum, si iurauerint, deciditur posse iurare per administratores. Nam vel ea lex intelligitur de iure iurando non improbato edicto prætoris, vel deciditur, si illi sponte parauerint, quomodo iuramentum illud experiri

periri possit. Vt enim rectè Pacius centur. 6. quæst. 46. Id tantum ibi agitur, vt ostenda tur eam conditionem iurandi municipibus impositam non esse impossibilem, alias haberetur pro non adiecta: modum autem eã implendi esse per administratores.

2 Adeo autem verum est obligationem iurandi remitti edicto, vt etiamsi alternatiuè dictum sit, si iurauerit se hoc facturum, vel istud fecerit, quo casu vnius partis adimpletione liber erat à conditione iurandi, adhuc etiam remittitur, & remanet conditio alternatiua sinè vlla necessitate iurandi, vt constat ex *l. Quæ sub cõditione 8. §. 2. & 3. D. de conditionib. & demonst.* Sed de his vide Donellum lib. 8. cap. 32. Qui ab hac generali regula excipit, cum seruo iniungitur iuramentum de dando aliquid, quod antequam liber sit, dare non possit, non remittitur iuramentum, ne libertas impediatur, *l. si quis libertatem 12. de manumissis testamento*, cum seruus nisi iam liber iurare non possit, *l. 7. in principio de operis libert.* Sed addendum cum Osualdo ex Scipione Gẽtili idem esse dicendum, quoties, nisi præstito iuramẽto, obtineri legatum non potest, vt d. *l. 7. de operis libert.* vt si dicam, *Titius decem capito, si iurauerit se, cum hæres insserit, Romam iturum*, ni si iuret, non capiet, quia aliàs ad capiendum legatum expectare deberet iussum hæredis, cum tamen solo iuramento posset capere. De quo videndus Osualdus in notis ad d. cap. Donelli, & etiam Duarenus de *condit. instit.* cap. 4. qui etiam agit de ea conditione si diuerterit, an turpis sit, siquidem diuortium licitum fuit Romanorum legibus, quæ apud illum vide.

3 Secundò quæri potest de ea conditione, *contrahо tecum, si mecum concubueris*, an sit turpis, atque adeo circunscribenda. Nonnulli dicunt hanc conditionem non esse turpem, & ita suspendere consensum quia aduenientе copulâ sponsalia purificantur, & ante perfectam copulam transeunt in matrimonium. Sic docet Couarru. 2. p. cap. 3. num. 13. Hanc tamen opinionem refellit Thomas Sanchez lib. 5. disput. 16. num. 1. Quia solum locum habere poterat ante Tridentinum, non postea, cum iam sponsalia non transeant in matrimonium per copulam. Sed ego existimo nequaquam refelli hac ratione. Tum quia ipse Thomas Sãchez fatetur aliquando etiam esse locum matrimonio præsumpto post Tridentinum, vt si testes sint copulæ, Parochus & alij. In eo ergo casu posset habere locum opinio, quam docet Couarru. Tum etiam dicet Couarr. nunquam sponsalia transijsse in matrimonium, sed hoc ideo dictum, quia vt dixi supra lib. 2. cap. 12, copula erat signum præcedentis consensus maritalis; alias non fuisset licita copula, cum licere non possit, nisi constante matrimonio, vt notum est. Quare dicendum ea sponsalia, si loquantur de copula licita & matrimoniali, valere quidem: at quando ponetur ea conditio, iam debuit præcedere consensus matrimonialis, & non potuit manere suspensa obligatio sponsalium vsque ad euentum conditionis. Si vero de concubitu extra matrimonium loquantur, turpis conditio est, & reijciẽda, si conditiones turpes reijciuntur ab sponsalibus, de quo postea lib. 12.

4 Alij censent eam conditionem, si intelligatur de turpi concubitu & illicito nõ suspendere sed reijci; si verò de concubitu licito & matrimoniali, suspendere vsque ad euentum. Sic docet Thomas Sanchez lib. 5. disput. 16. nu. 3. cum Cardinali Alexandro de Næuo & alijs. Rationem reddũt, quia ea conditio non intelligitur in sponsalibus sicut in matrimonio: & Thomas Sanchez alia ratione vtitur, quia scilicet ea conditio censetur alio modo apposita, quam iure ineſt.

5 Cæterum mihi longe aliter dicendum videtur: & manifesto, ni fallor, fundamento, siue dicat, *contrahо tecum, si consenseris in copulam, siue si coieris*, si intelligatur de consensu aut concubitu illicito, matrimonium est purum, reijcitur enim à contractu tanquam turpis conditio, & in hoc omnes conueniunt. Si verò sermo sit, de consensu licito, vel copula licita, non potest esse matrimonium suspensum, sed omnino perfectũ. Idque ostendit manifesta ratio. Quia necesse est, vt id, quod sub conditione fit, sit posterius ratione & natura conditionis euentu, itaque prius est adimpleri conditionem, quam perfici contractum: vnde supra cap. 2. diximus impossibilem esse illam institutionem, *si Caius hæres erit, filius exhæres esto*, quia Caius hæres esse non potest, nisi prius ratione filius exhæredetur, in hac autem cõditione exhæredatio filij esset posterior Caij hæredis institutione, quod repugnat. Igitur consensus perficiens matrimonium, siue contractus perfectus matrimonij posterior esse deberet copula, vel consensu in copulam. At tunc tam consensus in copulam, quam copula essent illicita. Ergo nunquam potest esse licita, nisi prius sit perfectum

matri-

matrimonium. Nam ea conditio eius generis est, vt nisi constante matrimonio non possit non esse turpis. Ergo vt non sit turpis, iam debet esse perfectum matrimoniū, & ex consequenti non potest esse suspensum vsque ad euentum conditionis. Et idē dicendum de quacunque conditione, quæ, nisi perfecto matrimonio, non potest non esse turpis, vt oscula & amplexus, aut quæ necessario supponunt iam matrimonium, vt communio bonorum & fori. Quare rectè dixerunt nōnulli iuris interpretes, quos refert Thomas Sanchez disput. cit. num. 2. hanc non habere vim conditionis, sed exhortationis, quia tacitè inest ea conditio, & non potest non esse perfectum matrimonium. Vel potius ego dicerem illa conditione indicari modum, secundum quem vult ille contrahi matrimonium, scilicet, nō ad castè viuendum, sed ad vacandum generationi liberorum, iuxta ea, quæ de fine matrimonij in copulam diximus supra lib. 1. cap. 18. & 20. Quomodo autem sint intelligenda sponsalia, *contrahā tecum, si concubueris*, iam dixi supra isto capite.

6 Tertio dubitari solet de ea conditione, *si te virginem inuenero*. Nonnulli dicūt, reijci tanquam turpem. Sic nonnulli, quos refert Thomas Sanchez disput. citata, numero 5. Alij dicunt esse conditionem honestam & non reijciendam, sed suspendere, quamuis intelligatur, *si te virginem inuenero per copulam*, quia est honesta virginitatis cōditio. Sic Soto in 4. distinct. 29. quæst. 2. art. 3. post septimam conclusionem. Denique Thomas Sanchez disput. cit. numero 7. sic distinguit. Aut sensus est, *si te inuenero virginem per explorationem matronarum*, & sic suspendit, quia honesta conditio potest esse, vt scilicet vitet irregularitatem: aut virginitas exploranda est per concubitum, & sic tanquam turpis reijcitur. Sed non constat sibi Thomas Sanchez quod sic ostendo. Hæc conditio, *si te virginem inuenero per concubitum*, æquiualet huic, *si tecum concubuero*, ad explorandam virginitatem. Ergo eodē modo Thomas Sanchez iudicare deberet de ista, ac de illa, de qua paulò supra, *si tecum concubuero*. Sicut ergo dixit illam aliquando suspendere, si sermo sit de copula licita, idem etiam de ista dicere debuisset.

7 Dicendum ergo est de ista conditione, vt paulo supra dicebamus. Si sermo sit de exploranda virginitate per concubitum illicitum, turpis est & reijcienda. Si de exploranda virginitate per concubitum licitū non suspendit, quia vt perfectus sit contractus necesse est, vt concubitus liceat; attamen tunc explorata virginitas, aut defectus illius non est conditio resolutoria, quæ vel vitiat matrimonium, quia est contra substantiam matrimonij, vel nihil nocet, vt dicam postea. Eodem etiam modo philosophandum est de ista condicione, *si mihi placueris in primo concubitu*. Si sermo sit de primo cōcubitu honesto, non suspenditur conditio ex vi concubitus; sed si complacentia illa ponatur tanquam cōditio resolutoria, quæ vel est contra substantiam contractus matrimonij, vitiat, vel nihil nocet, vt dicā postea. Sensus enim est, *contraho tecum, & si postea concūbens tecum non te inuenerim virginem vel displicueris, matrimonium sit nullum*.

8 Denique dubium est, quid dicendum de ea conditione, *contraho, vel contraham tecum, si decem mihi dederis*. Et quidem in hoc certa iuris dispositio est, eam conditionem non esse turpem, cum valeat apponi in spōsalibus etiam iuratis, iuramentum autem non potest esse iniquitatis vinculum. Sic constat ex *cap. de illis 3. de conditionibus appos.*

9 Sed huic Pontificis decisioni obstare videtur responsum Celsi Iure Consulti in *l. si ita stipulatus fuero 97. §. si tibi nupsero D. de verb. oblig. si tibi nupsero, decem dare spondes? causa cognita denegandam actionem puto, nec raro probabilis causa eiusmodi stipulationis est. Item si vir à muliere eo modo non in dotem stipulatus est*. Ex quo liquet eam conditionē reprobari à iure tanquam turpem, cum per illam reddantur quodammodo venalia matrimonia contra bonos mores, *l. 2. D. de donationibus inter*. Et sicut nō valeret talis promissio constante matrimonio, *l. 3. §. & si stipulanti D. eodem*, ita & si in id tempus promissio conferatur, *l. Quod sponsa 4. C. de donationibus ante nuptias*.

10 Verùm facile respondetur non omnino excludi eam conditionem vt turpem à Celso, sed quando non subest probabilis causa eius promissionis, & honesta, dotis scilicet, aut similis ad onera matrimonij, vel ad compensandum ætatis aut qualitatis excessum. Et ideò expresse dicitur in textu, *causa cognita actionem denegandam*, ideſt, si nō reperiatur iusta causa eius stipulationis. Sic respondent Bartol. & Paulus de Castro ibi dem, & alij quos refert & sequitur Thomas Sanchez lib. 1. de matrimon. disput. 33. numero 4. Adde Canisium in 4. decretalium in d. *cap. de illis 3. de condit. appositis*. Quare

non

non statim ea conditio, *si decem dederis*, reijcienda est, sed adhibenda à iudice cognitio causæ, an ex honesta, & iusta causa facta fuerit. Quod & confirmat elegans textus in *l. fin. §. Seia D. de actionib. & oblig.* ibi: *Respondi ex personis, causisque eum, cuius notio sit, æstimaturum, an actio danda sit.* Valet itaque ex honesta causa ea conditio, *si centum mihi dederis*, ex causa tamen lucratiua. An vero valeat si sit pœnalis dicam infra, cum agam de sponsalibus lib. 12. Addendum tamen multo certius esse, si ab alio extraneo ea conditio apponatur, valere, *vt dabo centum Seiæ, si nubat Titio l. 1. C. de instit. & substit.* etiam si cum illa fœmina extraneus ille antea rem habuisset; licet enim promissione inuitare ad matrimonium, vt iam supra dictum est cap. præcedenti.

De conditione contraria substantiæ matrimonij.

CAPVT IX.

SVMARIVM.

Decisio Pontificis circa conditiones contra substantiam, num. 1.
Esse declarationem iuris naturalis, n. 2.
Quorundam intelligentia decisionis Pontificiæ, num. 3.
Reijcitur, num. 4.
Quomodo dicatur aliquid esse contra substantiã matrimonij, num. 5.
Diuersimode eas conditiones contra substantiam apponi posse matrimonio, n. 6.
Ex natura rei oriri, quod conditio contra substãtiam vitiet, num. 7.
Cum ponitur in vim pacti, ita vt obligatio nascatur ex matrimonio, vitiatur, n. 8.
Cum ita ponuntur, vt non nascatur obligatio ex consensu, non vitiare vt contrarias substantiæ num. 6.
Quid dicendum, cum ponatur in vim conditionis quorundam opinio, num. 10.
Vera sententia, n. 11. 12. 13.
Quid cum ponatur in vim conditionis resolutiuæ, quorundam opinio, n. 14.
Vera sententia, num. 15.

1 CERTI iuris est conditiones appositas in matrimonio contra eius substantiam vitiare contractũ matrimonij. Sic definitum est à Pontifice in *cap. fin. de condit. appos.* cum in eo definissetturpes & impossibiles haberi pro non adiectis. Appellat autem Pontifex conditiones contra substantiam matrimonij, eas, quæ sunt contra bona illius, scilicet, prolem, fidem & Sacramentum. Ex matrimonio namque consurgit ius & potestas in corpus coniugis ad procreationem liberorum, & obligatio illos alendi, vel educandi, & obligatio fidei seruandæ, & non adulterandi, & obligatio indissolubilitatis. Vnde, si res ita gesta sit, *accipio te in meam. si nullos mihi filios procuraueris, si venena sterilitatis sumas, generationem euites*, contra eius substantiam est. Quia matrimonium non fit, nisi liberorum procreandorum causa, *l. liberorum, de verborum significatione*, de quo fine iam dixi supra lib. 1. c. penult. Inde enim vulgaris illa fœminæ testatio volentis maritum, *volo esse mater & filios procreare cap. requisisti 33. q. 1.* Itaque conditio apposita matrimonio, *si generationem prolis euites*, contra eius substãtiam est. Item contra naturam matrimonij fit, quod ita geritur, *esto mihi vxor, quoad aliam inuenero digniorem, honoribus & facultatibus meis cap. solet in fine 32. quæst. 2.* Hæc enim est natura matrimonij, vt indiuiduam, quod est in definitione matrimonij, vitæ consuetudinem retineat, vt *indiuiduum*, idem sit, atque *perpetuum, l. 1. D. de iure dot.* illo autem pacto matrimonium fit ad tempus. Item quod est tertium exemplum positum à Pontifice in d. c. si sic matrimoniũ ineatur, *si pro quæstu adulterandam te tradideris*, qua conditione nihil turpius, nihil magis alienum à natura & sanctitate matrimonij, eaque matrimonium vitiat, non tãm quod turpis conditio sit, turpes enim habentur pro non scriptis, quàm quod sit contra naturam, originem, & causam matrimonij. Conditiones enim contra naturam matrimonij vitiant. Hæc sunt, quæ habet Pontifex de huiusmodi conditionibus, in d. c. fin. Cæterum hæc definitio Pontificis valde difficilis visa est multis, & multum in ea explicanda laborant. Difficilem autem reddit hæc quæstionis ratio. Quia stare possunt simul hæc duo, vt quis velit se obligare ad aliquem actum, &. simul habeat animum non implendi, vt sæpe euenit in vouetibus. Cur ergo stare nõ poterit, quod quis contrahat matrimonium cum voluntate se obligandi ad fidem seruãdam, prolem non euitandam, & indiuiduã vitæ societatẽ retinẽdã, & nihilominus, cũ animo & intẽtione faciendi quidquid possit, vt neque fidem seruet, neque filios suscipiat, neque perpetuò in coniugio maneat.

2 Non-

2 Nonnulli existimant ex Ecclesiæ constitutione fieri, vt conditiones contra substantiam matrimonij vitient matrimoniũ, non verò turpes, & impossibiles. Sed hoc nulla ratione sustineri potest; quia Pontifex in d. cap. nullum ius nouum statuit, sed tantum declarare videtur, quid exigat contractus istius natura. Inquit enim; *Si conditiones contra substantiam coniugij inserantur, matrimonialis contractus quantumcunque sit fauorabilis caret effectu.* Quod si ea constitutio Pontificia esset, cum illa in præsumptione consensus debiti deficientis inniti deberet, nulla erat ratio, cur in appositis conditionibus contra substantiam consensum matrimonialem non præsumeret, etiamsi fauorabilis sit contractus matrimonij, præsumeret nihilominus in conditionibus appositis turpibus, & impossibilibus. Nam si ius naturæ, & consensum contrahentis attendas, tã nullius est consensus, qui nititur impossibili conditioni, quàm qui nititur conditioni contra substantiam, cum vtraque sit impossibilis, vt dicam posteà.

3 At vero Gregor. de Valentia disput. 10. generali, quæst. 3. puncto 3. dubitatione 4. ex mente aliorum Doctorum & sua sic se ab ista difficultate expedit. Inquit enim matrimonium cum eiusmodi conditionibus dupliciter posse considerari. Vno modo vt ex natura rei, & quasi metaphysice iniri potest: alio modo, vt solet celebrari, moraliter & ordinariè loquendo. Primo modo, inquit, non repugnare, vt matrimonium fiat cum conditione contra substantiam illius; posteriori autem modo nequaquam. Nam moraliter, & iuxta frequentem & communem modum contrahendi, qui illas conditiones principio apponunt, non habent animum obligandi se ad contrarium illarum; & sic errant in ipso modo, & substantia contractus. Et tunc illæ conditiones verè dici possunt esse contra substantiam matrimonij, & contra substantiam obligationis ortæ ex matrimonio. Pontifex autem in d. c. non considerauit metaphysicum modum contrahendi, & ineundi coniugium, sed vt communi modo fieri solet, & ideo dixit esse inualidum matrimonium, cum illis conditionibus contractum.

4 Sed hæc interpretatio decisionis Pontificiæ mihi nequaquam probatur. Ostendã enim statim, non solum moraliter & ordinariè, aut secundũ cõmunem modũ contrahẽdi, sed nullo prorsus pacto fieri posse, vt matrimoniũ valeat mutuũ cum conditione contraria substantiæ matrimonij, & aliàs ea lex fundaretur in præsumptione, quòd illi contrahunt ordinario modo, & esset dispositio iuris positiui. Quare cessante præsumptione, si illo modo metaphysico contraheret, non vitiarent illæ cõditiones matrimoniũ, sicut neque turpes, & impossibiles, & ex cõsequenti valeret matrimoniũ sub cõditione contra substantiã matrimonij, quod nullum video concessisse. Hanc autem dispositionem Pontificis non niti in præsumptione iam cæpi dicere contra 1. interpretandi rationem.

5 Vt ergò hanc decisionem Pontificis explicemus, & in quo sensu intelligẽda sit, obseruandũ est primò, in cõtractu matrimonij distingui substãtiã matrimonij; & passiones & quidquid est cõtra quodcunq; eorũ, dicitur etiam esse contra substantiã matrimonij, vt rectè docet Petrus Ledesma de matrimonio, q. 47. art. 5. pag. mihi 232. cõclus. 1. 2. & 3. Et sicut supra diximus lib. 1. c. penult. in ipso contractu matrimonij reperiri tria illa bona, fidem, prolem, & sacramẽtũ, quæ quidem bona dicuntur ad substantiam matrimonij pertinere, non secundum executionem, sed secundum obligationẽ, quia non est de eius substantia actu vti coniuge, & non alio, est tamen de eius substãtia obligatio ad seruandam fidem alteri, & obligatio non tradendi corpus suum alteri. Item non est de eius substantia susceptio liberorum; est tamen de eius substantia obligatio non impediendi generationem, & obligatio alendi, si susceptí fuerint, & non enecãdi. Similiter est de eius substantia obligatio non dissoluendi vinculum matrimonij, licet non sit de eius substantia actualis, vt ita loquar, communis vitæ conuersatio.

6 Deinde obseruandum est has conditiones, quas Pontifex recenset contrarias substantiæ matrimonij, posse diuersimode apponi in cõtractu, aut diuersimode se posse habere contrahentem. Primò, *Efficiehæc, & postea contrahemus.* Secundò, *contrahamus matrimonium, & postea ineamus pactum de his efficiendis.* Non loquimur in his duobus casibus, planũ est enim sic nihil officere matrimonio; sed tantum quando obiectũ consensus est matrimonium sub ea conditione perficiendum, vel sub eo pacto, vt obligatio maneat implendi pactum. Atque illud primum est, quod dixit Ledesma loco citato, pag. 233. in fine nihil officere, quando ponuntur per modum acceptionis, sed quando per modum obligationis; id quod etiam

olim

olim docuit Adrianus, vt refert Thomas Sanchez disp. 9. num. 9. & eius sensum non satis intellexit. Sed rursus addendum est obiectum consensus sub ea conditione diuersimodè posse accipi, primò, si quis ita contrahat, vt velit eas conditiones impleri ante contractum matrimoniũ, vt sensus sit, *Tecum contraho, si tamen ante perfectum matrimonij contractum sumpseris sterilitatis remedia, & corpus tuum tradideris.* Si hoc pacto exprimantur in conditione, sumũtur suspensiue, volunt enim contrahentes suspendi absolutionem, & perfectionem contractus, vsque in euentũ talis conditionis. Vel possunt sumi alio modo, non suspẽsiue, sed ita vt post perfectum matrimonium adimplendæ sint, quod magis perspicuum est in cõditione de adulterando, adulterium enim supponit cõtractum matrimonium: & in conditione de resiliendo, supponit enim matrimonium, quod separatione dissoluatur. Et adhuc, cum exprimuntur conditiones, quæ supponunt matrimonium cõtractum, vel possunt sumi, vt conditiones resolutoriæ, quasi etiã velit contrahens matrimonium resolui nõ impleta cõditione: vel possunt sumi, vt pacta quædam, ad quę obligatio maneat cõtracto matrimonio, atq; ad hunc sensum reducenda est distinctio, quam proponit Valentia dubitatione 4. citata prope finẽ, aut inutilis est.

7 Tertio obseruandum est non ex aliqua humana constitutione, sed ex ipso iure naturali oriri, vt conditio apposita contra substantiam cõtractus illum vitiet. Quia sequũtur duo contradictoria manifesta, quæ esse non possunt. Verbi gratia. Precarium, cuius natura talis est, vt tandiu vtendum concedatur, quandiu dominus, qui concessit, patitur & reuocetur, quandocunque domino libuerit, qui id concęsit, nullum est precarium, si illi adiiciatur hæc pactio, vt Domino reuocare non liceat ante certum tempus, quia hæc conditio deficit à precarij natura, *l. cum precario, D. de precario.* Item pignus cuius natura hæc est, vt constituatur crediti seruandi causa, ex distractione pignoris, scilicet redacta pecunia credita, inutile & nullum est, si pactio addatur, vt nunquam distrahatur, *l. 4. D. de pignoratitia actione.* Eodẽ modo Quintus Mutius dicebat conditionẽ contra naturam societatis non esse ratam habendam, *§. de illa instit. de societate.*

8 Dico ergo primo, si conditio contra substantiam matrimonij ponatur, non per modum cõditionis suspendentis perfectionem contractus, sed vt pactum, cuius implendi obligatio nascatur, cum ipsa perfectione matrimonij, sic iure naturæ vitiat talis conditio contractum matrimonij. Et in hoc sensu habet locum definitio Pontificis in d. cap. fin. Ratio autem est meo iudicio manifesta desumpta ex his, quæ dixi supra lib. 1. cap. penultimo. Quia consensus ille in eo casu habet pro obiecto id, quod est initium duarum obligationum omninò inter se pugnantium. Nam eo ipso quod vult matrimonium perfici, vult obligari ad seruandam fidem, prolem, & sacramentum. At eo ipso quod vult sub eo pacto cõtrahere, vult teneri ad omninò opposita. Implicat autem has duas obligationes simul nasci, nam qui vult se obligari ad vnum, eo ipso vult non obligari ad aliud, quod oppositum est, cum ad opposita simul velle se obligare nõ possit. Cum ergo exprimat pactum, ad quod reuera vult obligationem cõsurgere, quæ opposita est obligationi legitimæ matrimonij, planum est eo ipso nolle obligationẽ, quæ nascitur ex matrimonio, quæ est opposita illi obligationi, quam vult induci ex expressa pactione. Atque ita rem explicuit Thom. Sanchez lib. 5. disp. 9. Petrus Ledesma de matrimonio, quæst. 47. art. 5. dub. 4. concl. 2. & 3. Ægidius disp. 29. dub. 3. à num. 37. Ex quo iam constat vitium, quod affert contractui conditio, siue pactio contraria substantiæ matrimonij, non esse ex aliqua hominũ cõstitutione, sed ex ipsa natura rei, ita vt aliter esse non possit. Et quidem in hac specie ego non tam appellarem hanc conditionẽ, quam pactionem aliquam, qua teneri vellet contracto matrimonio, quod tamen ea ratione contrahi omninò repugnat.

9 Ex his iam facile colliges, quoties istę cõditiones ita ponũtur, vt nõ nascatur obligatio ex ipso consensu, qui ad matrimoniũ adhibetur, nõ vitiare tanquã cõtrarias, vt si dicas, *contraho tecũ, si feceris, vt aliorũ matrimoniũ, dissoluatur*, itẽ, *contraho tecũ, quia sumpsisti iam venena sterilitatis, vel tuũ corpus alijs tradidisti.* Nam ista non pugnant cum consensu matrimonij, cũ nulla nascatur obligatio opposita matrimonio, quod cõtrahitur. Solum ergo possunt vitiare, quãdo referũtur in futurũ, & respiciũt obligationẽ in futurũ, aut æquipollent, vt si dicas: *Contraho tecũ, si inueniſti venena sterilitatis, & ad vtendum illis in matrimonio*, de quibus Thomas Sanchez disput. cit. num. 5. 6. & 7.

10 Sed quid dicendũ, si apponãtur in vim conditionis? Thomas Sanchez existimat etiam vitiare matrimonium. Sic habet lib. 5

disp.9.n.9. & inclinat in hanc sententiam Couar.2.p.c.3.§.1.n.7. Ægid. disp. 29.dub. 3.num.40. At vero Ludouicus Lopez in instructorio conscientiæ 2.p.cap.42.de conditionibus contrarijs substantiæ matrimonij censet,si ponãtur in vim conditionis, ita vt velint suspensum esse contractum vsq; ad euentum conditionis, non vitiari,sed reijci tanquam turpes. Rationem reddit,quia in eo casu non sunt contra substantiam matrimonij,sed tantum turpes, non enim cõcurrunt cum consensu matrimonij.

11 Sed explicemusquid in hac re tenendũ sit,distinctè,& sigillatim.In primis si loquamur de conditione sumendæ potionis sterilitatis, quæ ante matrimoniũ adimpleri potest,mihi videtur certũ illam conditionem, si in vim conditionis ponatur, *Contraho tecũ si antequam matrimoniũ perficiatur, sumpseris venena sterilitatis*, tantũ esse turpem, & non contrariã substantiæ matrimonij in quo recte Lud. Lop. Ratio est meo iudicio facilis, & aperta. Quia adhuc nõ est contractus matrimonij,neq; ex cõsensu, qui adhibetur ad matrimonium nascitur obligatio contra bona vel substantiam matrimonij: imò potius ex impletione conditionis nascitur obligatio adhibendi consensum matrimonialẽ.Ergo non concurrit ille consensus obligationis ad eam conditionẽ cum consensu matrimonij,vt dicebat Ludo.Lop. Id enim quod sub conditione fit,posterius est natura,& ratione ipsius conditionis euentu. Quare non est,cur destruat substantiã ipsius contractus matrimonij, qui non dum est, sed sequetur postea euentu cõditionis.Et explico magis, quia vel tunc vitiaret ex natura rei, quia destruit substantiã,& hoc non vt dictũ est, vel vitiaret tantum ex dispositione Pontificis, qui in odium tam iniquæ conditionis vellet matrimoniũ illud,quod ex euentu eius conditionis sequitur irritare, vt loquitur Ægidius loco citato. At hæc mera iuris humani dispositio esset, si rescinderet contractũ celebratum sub conditione turpi,& cuius obligatio resultaret ex euentu conditionis turpis.Non ergo rectè, neque consequẽter potuit dicere Thom. Sanchez hanc Pontificis dispositionem in d.c.fin. esse tantum declarationem iuris naturalis.

12 Deinde,si loquamur de illa conditione *si dissoluere liceat matrimonium*, hæc conditio non potest habere locum ante contractum matrimonij perfectum: aut si velint habere locum ante contractum matrimonij, illa non est illicita,sed licita ex consensu. Cum enim ante contractum matrimonij non sit matrimonium, sed tantum sponsalia, licet ab illis recedere mutuo consensu.Imò & in opinione eorum, qui dicunt esse matrimonium conditionale, licet etiam recedere ante purificatum contractum mutuo cõsensu. Rectè ergo intelligitur conditionem illam, vt dissoluere liceat,& separari,nõ posse apponi,vt conditionem illicitam, & contrariam substantiæ matrimonij,si ad contrahendum expectandus est euentus conditionis. Idem dico de illa conditione,*si adulteraueris* si de vero adulterio loquatur,nõ potest poni,vt conditio implenda ante perfectũ matrimonium, cum ante illud perfectum de præsenti cũ absoluto consensu non sit adulterium.Si verò sensus sit, *dummodo alijs tuum corpus tradideris*,ita vt ex euentu eius conditionis resultet purificatio consensus matrimonij,dicendum est turpem esse conditionem,& reijci à contractu, non verò esse cõtra substantiam, vt probauimus de potione sterilitatis. Neque enim concurrit cum consensu ad substantiam matrimonij, sed potius supponitur impleta, ante quam sit cõsensus ad matrimonium requisitus.

13 Rursus si sermo sit de his conditionibus quæ iam supponũt matrimonium perfectũ, *vt si adulterium verè commiseris,si filios ex matrimonio susceptos neces, si alia inuenta dimittere liceat*, repugnat omninò matrimoniũ celebrari,vel esse consensum matrimonij suspensum,vsque ad euentum harum conditionum,cum non possit esse adulterium, neq; ex matrimonio susceptus filius necari, nec matrimoniũ dissolui,nisi constãte matrimonio.Quare planum est, si vt conditio ponãtur,non esse ibi consensum matrimonij, & idem dico de ea conditione: *Si ad impediendũ actum coniugalẽ sterilitatis venena procures, vel in ipso actu coniugij semẽ extra vas emittas, vt impediatur generatio*. Atque in his etiam procedit decisio Pontificis in d.c.fin.& vitiatur matrimoniũ, quia revera non est consensus aliquis matrimonij, neq; esse potest. Vt enim rectè Gregor. de Valencia loc. cit. in ipso modo contrahendi inuoluitur quædam manifesta repugnantia. Nam hoc ipso quod sub tali conditione cõtrahẽtes in vim conditionis volunt suspendere obligationẽ illius contractus vsque ad euentũ illius conditionis, ita vt ante illam non impletã non sit verum matrimonium, & ex alia parte cũ talis conditionis impletio suapte naturã præsupponat contractum matrimonij, hoc ipso,quod volunt eiusmodi conditionẽ eue-

nire

nire, volunt etiam, vt ante eius euentū matrimonium sit ratum, quæ repugnantes voluntates se destruunt, & nihil efficiunt, cum intentio contrahentis connectat vnam cum alia, vel ita sit suspensa, vt nolit vnam voluntatem esse sine alia, neq; valere sine alia quæ impossibilia sunt.

14 Restat denique, vt istæ conditiones efferantur in vim cōditionis resolutiuæ isto pacto: *Contraho tecum, ita tamen, vt si vel filios non necaueris, generationem non euitaueris, alijs te adulterandam non tradideris, vel si aliam te ditiorem inuenero, matrimonium sit infectum, & dissoluere liceat*, & in hac specie varietas Doctorum est. Nam quidam dicunt has conditiones resolutiuas non vitiare, sed repelli, vt turpes, & contractum matrimonij manere purum, sic Alexander de Neuo cap. 1. n. 2. & cap. fin. n. 4. de condit. appos. Ioannes Andræas in d. cap. 1. num. 2. & ibi Vincentius, & Ancarranus num. 1. & 3. Abbas ibid. num. 2. At Cuiatius in notis ad text. in cap. *1. de condit. appos.* distinguit, asseritque conditiones has, quæ sunt contra substantiam matrimonij primariò, aut secundariò, vitiare matrimonium, etiam resolutiuas: at vero alias turpes, siue honestas etiam resolutiuas non vitiare, neque admitti, sed circunscribi. In qua secunda parte conuenit cum Doctoribus primæ sententiæ, & sic intelligit text. in cap. 1. *de conditionibus appositis.*

15 Cæterum quamvis hæc Cuiatij sententia valde probabilis sit, attamen verius videtur, neq; conditiones contra substantiā, neque quamvis aliam siue honestam, siue turpē resolutiuā apponi posse, quin vitiet matrimonium. Sic tenet Abbas sibi contrarius in d. c. fin. n. 2. Cardinalis c. 1. *de cōdit. appos.* n. 2. Prepositus ibid. n. 11. & c. fin. n. 4. Couar. 2. p. c. 3. §. 1. n. 10. Lancelotus in inst. iuris Canonici lib. 2. tract. de sponsal. §. *sponsalia contracta sub conditione*, Ludou. Lopez loco cit. Canisius 4. decretal. ad c. 1. *de condit. appos.* Thom. Sanchez disp. 9. cit. num. 8. Atq; in hac etiam specie vim habet decisio Pontificis in d. c. fin. Huius autem sententiæ ea mihi videtur esse manifesta ratio, quia eo ipso, quod ex parte contrahentium est resolutiua, est contra substantiā matrimonij, quod ex se perpetuum est. Si enim quis dicat, *Contraho tecum, si dissoluere liceat, alia diutè inuenta, vel nisi Petrus Consul factus fuerit*, quid interest, aut quod discrimen est, vt non dicatur vtraque esse contra substantiam matrimonij? Primam autem esse contra matrimonij substantiam planè docet Pontifex. Textus autem ille in d. ca. 1. ne alijs aduersetur, accipiendus est de conditione turpi aut impossibili, cum communi Doctorum. Quos etiam in hac parte sequitur Canisius loco citato.

Proponuntur quædam argumenta contra decisionem Pontificis.

CAPVT X.

SVMMARIVM.

Proponuntur argumenta contra decisionem Pontificis. num. 1. 2. 3. 4. & 5.

Sæpe mutatione vel additione conditionis vnū contractum transferri in alium, quo soluatur primum argumentum. n. 6.

Explicatur l. cum precario, D. de precario. n. 7.

Opponitur, & explicatur l. Lucius Titius, D. de donat. num. 8.

Explicatur l. Hac stipulatione, D. de vsufruct. quem. cau. num. 9.

Explicatur, cap. qui insinuante, qui clerici vel vou. num. 10.

1 VErum contra Pontificis decisionē in d. cap. relatā c. præcedenti multa videntur obstare. Tota enim ea decisio innititur in eo, quod iure ipso naturali conditio contra substantiam contractus illum vitiet necesse est. Quæ doctrina si vera esset, vtique etiam veritatem haberet nō solum in matrimonio, sed in quouis alio. At qui in multis deficere videtur. Primò, quia de ratione donationis causa mortis est, vt quotiescunque donantem pœnituerit, possit reuocari, *l. 1. l. si alienam* 13. §. *Marcellus, & l. mortis causa*, 17. *D. de mortis causa donat. & inst. de donat. in principio, & l. fin. tit. 4. part.* 1. Et tamen si contra eam substantiam ponatur conditio in donatione causa mortis, vt irreuocabilis sit, tam donatio, quā conditio sustinetur *l. vbi ita donatur* 27. *D. eodem.*

2 Secundò. Quia de substantia contractus precarij est, vt tolum duret, quandiu concedentis fuerit voluntas, *l. 1. & l. 2. D. de precario.* At conditio contra substantiā hanc est, vt res precario concessa vsq; ad certū tempus teneatur, neq; liceat concedenti reuocare, eaque precarij contractum non vitiat in *l. cum precario, D. de precario, & l. Lucius Titius* 32. ibi, *quandiu volueris*, *D. de donat.*

3 Tertiò de substantia vsus fructus est, vt non tantū frui, sed & vti permittatur ei, cui

conceditur l. 1. *D. de vsufructu, & iustit. eodem, in principio*, valet tamen si concedatur vsusfructus sine vsu in l. *hac stipulatione*, siue alias, *huic stipulationi, D. de vsufructu quemad. caueat.*

4 Quartò. De substantia status religiosorum est votum paupertatis, c. *cum ad monasterium, de statu Monachorum*: & nihilominus valet professio ea conditione posita, si liceat in domo remanere, cũ omnibus suis bonis c. *insinuante, qui clerici vel vouentes.*

5 Quintò. Quia de substãtia commodati est, quod sit gratuitum, & tamen valet, etiã si ob pretium, & mercedem fiat, §. *actionem*, 67. & 68. *instit. de action.*

6 Hæc tamen non obstãt, & pro solutione primi obseruanda est quædam doctrina, quam tradit Bartolus in l. *vbi ita donatur* 27. *in principio, de mortis causa donat.* & alij ex interpretibus iuris, perpetuum quidem esse, vt conditio contra substantiam actus illum vitiet, destructa enim substantia nihil remanere potest. At sæpe contingit, vt vna vel alia apposita conditione mutetur natura illius contractus, & transeat in alium, cum enim isti contractus sint iure humano inuẽti, vna adiecta vel detracta conditione, fit alius nouus contractus. Hinc est, cum iura velint disponentium, aut contrahentium voluntates non perire, sæpe fieri, vt vna cõditio contra substantiam huius contractus sustineatur, quia transfert in alium. Quod cum tribus requisitis admittitur. Primum, si constet de huiusmodi mente, & voluntate contrahentium. Secundum quod verba id ferant, ad idque adaptari possint. Tertium, quod sit alius contractus, in quem possit fieri translatio. Sic ergo accipiendus textus in d. l. *vbi ita donatur*. Nam cum conditio, de qua in eo textu, repugnet donationibus causa mortis, fit translatio ad donationem inter viuos, quæ ei similis est, & quia concurrunt illa requisita quæ diximus. Et planè docet I.C. illam esse donationem inter viuos. Eodẽ modo accipiendus tex. in l. 15. *eodẽ, in fine, & l.* 35. §. 4. iuxta interpretationem Gothophredi, & communem, de qua Couar. in Rubrica de testamentis 2. par. num. 12. & 13. Et iuxta prædictam doctrinam accipiendus est textus in l. 2. §. *mutuũ, vers. alioquin, & in l. certi conditio* 9. *versiculo fin. & l. sequẽti, D. de rebus dubijs. & in l. cum manus* 81. *vers. vltimo, D. de contrahenda emptione, & l.* 1. *in fine, D. mandati*, cum pluribus similibus, in quibus pactum, vel conditio contra substantiam contractus in causa est, vt transeat in aliud genus contractus. Ex quo etiam fit sæpe ex conditione apposita in fæudis transferri potius ad contractum emphyteuticum, & non fæudalem, & cõtractus census transeat in pignoratitium. Vide Rotam decis. 269. apud Seraphinum.

7 Neque obstat secundum argumentum ex l. *cum precario* 12. *D. de precario*. Omissa enim Bartoli interpretatione in d. l. *vbi ita donatur*, quam improbat quidam damnatus in l. 1. §. *sed si mihi num.* 85. *de verbor. oblig.* & alia eiusdem, quæ coniecturat, & alia Imolæ, & Iasonis, quam merito reijcit Couarr. 2. parte cap. 3. num. 14. & alia quam tradit idem Couar. & sequitur Thomas Sanchez cit. disp. 9. num. 14. quæ nimis restringit generalem regulam, quæ habet conditiones contra substãtiam actus illum vitiare ex natura rei, quandocumque apponatur, & oppositum nullo probatur iure. Aliter ergo videtur iste textus interpretandus. Constituamus tamen prius speciem facti. Titius domum dedit Seiæ, vt in Kalendas Iunias precario possideret. Quæsitum est, an aduersus Titium volentem ante id tempus precarium reuocare, & possessionem auferre, competat Seiæ actio, quæ precario accepit, & exceptione adiuuanda sit. Quæstionis erat causa, quod cum Titius in Kalendas Iunias domum precario concessisset, id tacitè egisse videbatur, vt antea reuocare nõ posset. Respondet autem I.C. contrarium, scilicet non posse Seiam ea exceptione defendi, quia cum precarij natura sit, vt ad nutum sit concedentis, non videtur à natura reiectum, quod certum fuerit limitatum tempus: imò iuxta precarij naturam videtur ea limitatio concessa, scilicet, nisi concedentem ante id tempus pœniteret, vt planè significari videtur in illo versiculo, *sed nulla*. Quid autem prædicta limitatio operetur, intelligitur ex *l.* 4 *ver. vltimo, & l. certè, in principio, iuncta hac d. l. cum precario eodem*, scilicet vt finito illo tempore finiatur precarium, ita vt vltra illud tempus sine noua concessione tacita, vel expressa possidere nõ possit, nõ verò efficit illa limitatio, quod antea non possit reuocari. Illa enim verba in *Kalendas Iunias*, inquit Duarenus cap. 3. ad hũc titulum de precario ambigua sunt, & sensus erit, vt vltra non possideat, non verò, quod non possit ante Kalendas Iunias reuocari. Sic etiam interpretatur Accursius ibidem, & Molina tom. 2. de iustitia tractatu 2. disput. 298. num. 3. & 4.

8 Neque huic solutioni obstat textus

in

in d.l. *Lucius Titius*, 32. *de donation.* ibi, *quamdiu volueris*. Respondetur enim in primis nullum verbum esse, quod ostendat agi de precario. Est etiam sub titulo de donationibus, quare de illis est intelligendum. Quis ergo erit eius legis sensus? Anton. Faber 2. coniect. cap. 19. mutat, *quandiu voluerim*, vt donationis finem referamus in voluntatem donantis, non in donatarij. Nam si in voluntate donatarij finis donationis collatus esset, hæredes donatoris eam non reuocarent, quam tamen hic reuocant. Sed non est necessaria correctio literæ, veram enim interpretationē nobis offert Cuiatius lib. 17. obseruat. cap. 33. lex Cincia olim donationibus certum modum imposuit, easque certis ex causis fecit inutiles. Et inter cætera, hoc ius est, vt donato, gratisve concesso vsu domus, vel cœnaculi non cogatur hæres illum inquilinum ferre, neque ea donatio extendatur vltra donantis vitam, contra hæredis voluntatem, nisi eius etiam voluntas accederet, quamvis dictū sit, vt quamdiu vellet hospitio vteretur. Hæc enim verba strictè accipiuntur iuxta prædictæ legis dispositionem, quamdiu vellet se viuo, vel se mortuo sinēte hærede. Hoc autem in mera donatione ius est. Nam in remuneratoria vim nō habet, vt constat ex l. *Aquilius Regulus*, *D. de donat.* quæ non solum non pugnat cum d. l. *Lucius*, sed potius tacitè confirmat in mera donatione locum habere. Sic conciliat Cuiatius loco citato, Gothophredus, d. l. *Aquilius*, & alij. De ea autem lege Cincia videndus est Rosinus Romanarum antiquitatum, lib. 8. cap. 22. in fine.

9 Neque etiam obstat tertium argumentum ex d. l. *hac stipulatione*, & varijs interpretationibus omissis dicendum est esse vsum causalem, qui nascitur ex vsufructu, sicut calor ab igne, & hic non potest ab vsufructu separari, aliter inutile legatum esset, *l.* 14. §. *vsusfructus*, *D. de vsu & habitatione*. Alius est vsus formalis, qualis est in seruitute, & ab vsufructu separatus esse potest. In quo sensu vsusfructus, & proprietas erga eandem rem apud diuersas personas esse possunt in l. *per seruum*, §. *fin. D. de vsu & habitat.* vbi species est. Testator ab hærede tibi vsum fundi legauit: hæres eiusdem fundi fructum Titio constituit, & cessit: non potuit in se transferre vsum, qui Titio in solidum legatus est. Sic igitur fiet, vt hæres habeat fundi nudam proprietatem: tu nudum vsum, Titius nudum fructum. Vnde non poterit Titius in eo fundo habitare, & à te prohibetur illo venire, nisi fructuū causa. Sic Cuiacius lib. 8. obseruat. cap. 9. in fine. Verum est benigna interpretatione mentis testatoris, cui in dubio fauent iura, si legatus sit fructus, & adimatur vsus, inutilis censetur ademptio, §. *Sed si vsufructu legato vsus adimatur*, *inst. de vsufructu*. Quia vbi quis legato vsufructu seruitutem vsus adimere vult, non satis suam voluntatem explicat, vt diximus supra de testatore sub impossibili conditione disponente. Potuit enim adimere prædictam seruitutem vsus, quasi ea sola formaliter legata, quo casu ademptio erit inutilis, cum referatur ad id, quod non est legatum, argumento textus in l. *diem* 116. *de verb. sign. & in* §. *seruus autem*, *instit. de capitis diminutione*. cum similibus, priuatio enim supponit habitum. Videnda ibi nota Marginalis apud Scheneiduuinū. Potuit etiam adimere prædictam seruitutem vsus, quasi ex vsufructu, vt hæres eam seruitutem habeat, vsufructu quoad cætera manente, qua in specie legatum, & ademptio valida erunt. Quam distinctionem aperte probat textus in *l. ius iurandum* 13. §. *si quis vsumfructum*, *D. de acceptilatione*. Vnde cum vtrinque præsumptiones & coniecturæ conueniant, iuris prudentes in re ambigua plenius voluntatem testatoris interpretantur, argumento textus in l. *in testamentis*, 12. *de regulis iuris*, & respondēt legatum valere, & ademptionem vitiati benigna interpretatione facta in fauorem testamenti. Pro qua benigna interpretatione facit textus in d. l. *per seruum*, §. *sed si fructus* ibi: *quæ sententia benignior est*. Vnde 1. intelligi potest ratio textus in *l.* 1. *D. de adimendis legatis*, vbi cum actu legato iter adimitur, optimè respondetur coniectura pro legato sumpta inutilem esse ademptionem. Secundò intelligitur ratio textus in *l.* 1. §. 1. *D. si vsusfr. petatur*, vbi cum vsufructu legato adimitur via, vel aditus ad fundum, vitiatur ademptio. Denique inde intelligitur ratio textus in *l.* 1. §. *si ex fundo*, *& l. quoties*, 9. §. *si duo*, *& l. hæreditas*, 34. *D. de hæred. instit. &* §. *hæreditas*, *& §. si vtrum instit. eodem.*

10 Neque obstat quartum argumentum de quo non est modo locus disputandi, ideò breuiter dico repugnare professioni status religiosi conditio contra eius substantiam. Vnde cum abdicatio proprietatis pertineat ad substātiā voti paupertatis, eo quod status religiosus constat essentialiter tribus votis, conditio contra abdicationem proprietatis efficeret nullam professionem. Quare in illo casu, *insinuante*, non habetur mulierem emi-

emisisse votum cum conditione proprietatis, sed cum conditione, vt de licentia prælati, & domi suæ remanere posset, quod nō est contra naturam status religiosi, & quod bona sua haberet ad vsum, dependentem tamen à voluntate prælati. Sic glossa in dict. cap. Couarruu. 2. par. cap. 3. §. 7. num. 1. Petrus Ledesma dub. 4. cit. Thomas Sanchez disp. 9. cit. in fine, & alij, & de ea quæstione videndus est Præpositus dict. cap. fin. *de condition. appositis.*

Examinatur prima conditio contra substantiam, si generationem prolis euites.

CAPVT XI.

SVMMARIVM.

Quo sensu possit accipi illa conditio si generationem euites. num. 1.
Multis modis illicite euitari posse. num. 2.
De conditione de exponendis infantibus. n. 3.
De euitanda generatione negatiue quorundā sententia. num. 4.
Euitandæ prolis negatiue conditionē in quodam sensu reijci. num. 5.
Conditionem de euitanda ex voto licitam. n. 6.
Varie probatur. num. 7. 8. & 9.
Vltima pars veræ sententiæ. num. 10.
Conditionem de nunquam petendo, & reddendo validam num. 11.
Idem iudiciū de conditione de nō exigendo. n. 12
Quid de conditione illa, vt ego non tenear reddere, quoties tibi non licet exigere quorundam opinio non licere. num. 13.
Verius oppositum. num. 14.
Satis sit aliorum fundamentis. num. 15.
Quid de conditione non cohabitandi. n. 16.
Quid de conditione abstinendi sextis ferijs. num. 17.

VT magis explicetur prædicta decisio Pontificis in d. c. fin. oportet in singulari explicemus, quid contineatur in vnaquaque earū conditionum, quas in exemplum adhibuit, & dixit esse contra substantiam matrimonij. Primum exemplū est, *si generationem prolis euites*, quæ dicitur esse contra bonum prolis, & ideò cōtra substantiam. Potest autem hæc conditio secundum diuersum sensum accipi. Primo, si accipiatur resolutiuè, ideſt, si generationē euites, & si non euitaueris, matrimonium sit infectum, & hoc casu vitiat, quia est cōtra perpetuitatem matrimonij, vt dixi c. præceden ti. Secundo modo potest ita intelligi: *Si generationem prolis ita euitaueris, vt non nos inuicem cognoscamus*, & de hoc sensu dicā infra. Tertiò modo intelligi potest de euitatione prolis contrariè faciendo aliquid, quod sit cōtrarium generationi prolis, & illicitum. Dicitur autem esse contra substantiam matrimonij, quia est contra passionē, quæ consequitur matrimonium. Nam in matrimonio, quod contrahitur communi modo, & in ordine ad copulam, ex parte contrahentis, iuxta explicata supra lib. 1. cap. 18. nascitur obligatio, & ad vacandum generationi, & ad nihil efficiendum, quo proles impediatur. Implicat autem ex eodem consensu nasci obligationem ad impediendam generationem, qualis nasceretur, si ea conditio exprimeretur, & deduceretur in pactum, vt explicatum est, cap. 9. Et ita quamvis proles non sit de essentia matrimonij, est tamē quantum ad prædictam obligationem, quia est passio consequens essentiam matrimonij. Et quamvis ex eo contractu non semper sequatur obligatio ad incumbendum generationi, vt contingit in matrimonio contracto ad castè viuendum: attamen semper nascitur obligatio ad nihil agendum illicitè cō tra prolis generationem. Obligatio autem ad aliquid contra illam agendum non potest stare cum hac obligatione, quæ ex matrimonij natura nascitur, & ideò dicitur vitiare matrimonium. Quod quidem eleganter docet August. to. 1. lib. 2. de morib. Manich. cap. 18. contra eosdem Manichęos, qui concubitum coniugatis permitebant, sed eo tempore, quo non posset sequi generatio, & sub ea forma matrimonia inibant. Inquit autem: *Ex quo illud sequitur, vt nō liberorū procreandorū causa, sed satiandæ libidinis habere cōiugē censeatis. Nuptiæ autē, vt ipsæ nuptiales tabulæ clamāt liberorū procreandorum causa marē fœminamq; coniungunt. Quisquis ergo procreare liberos quam concumbere, grauius dicit esse peccatum, prohibet vtiq; nuptias, & non iam vxorē, sed meretricem fœminam facit, quæ donatis sibi certis rebus, viro ad explendam eius libidinē iungitur, si enim vxor est, matrimonium est. Non autem matrimonium est, vbi datur opera, ne fit mater: non igitur vxor.* Hæc Augustinus.

2 Sed quoniam generatio multis modis illicitè impediri potest, ideò sigillatim explicandi sunt. Primò ergo impediri potest sterilitate. Vnde non licet apponere conditionem de sumenda potione sterilitatis ex eodem fundamento iuxta dicta cap. 9. quamvis nō repugnaret matrimonio hæc con-

conditio, *contrahe tecum si es sterilis*. Nam prius debet ea conditio verificari, quam matrimonium perficiatur. Vnde non concurrit cũ consensu Matrimonij. Secundò impeditur per emissionem seminis extra vas. Quare non est licita ea conditio, vt nunquam consummetur actus intra vas, & vitiat matrimonium propter eandem rationem. Tertio impediri potest proles illam enecando, vel per aborsum, vel statim natam, & in lucem editam. Vnde, vt docet ex Adriano, Ludouicus Lopez loco statim citando, conditio de aborsu, vel nece prolis natæ etiam est contra substantiam matrimonij.

3 Sed numquid conditio de exponendis infantibus erit contra substantiam matrimonij? Videtur enim etiam esse contra bonum prolis. Sed dicendum est tantum esse conditionem turpem, & reijci, & non vitiare. Nam expositio illa infantis non opponitur susceptioni prolis, & eius vitæ, sed tantum commodæ educationi, neque est verosimile periculum mortis prolis si exponatur. Sicut etiam in naturalibus sunt quædam dispositiones, quæ omninò destruunt formam, aliæ vero, quæ obstant magis commodæ conseruationi formæ; eodem modo suffocatio prolis obstat omninò fini matrimonij, & illum destruit, expositio verò filij non obstat eidem fini, sed maiori prolis commoditati. Sic docet Petrus Ledesma de matrimonio, quæst. 47. art. 1. dub. 4. in solut. ad quintum argumentum. Ludouicus Lopez in instructorio conscientiæ 2. part. cap. 42. de condit. circa bona matrimonij.

4 Sed maior difficultas est, an conditio de euitanda generatione negatiuè, scilicet, non reddendo debitum, neque copulando se inuicem sit contra substantiam matrimonij. In quo Doctores diuisi sunt. Quidam dicunt hanc conditionem: *Si castitatem voueamus, si non copulemur, si ego non petam à te debitum, sed reddam tantum tibi exigenti*, esse contra substantiam matrimonij, & illud vitiare. Hanc sententiam cum multis citatis tenet Thomas Sanchez lib. 5. disput. 10. num. 2. Petrus Ledesma dict. quæst. 47. art. 5. ad 1. & 2. & 3. Ludouicus Lopez loco citato cap. 42. & antea docuerat Adrianus in 4. quæst. 2. de matrimonio dub. 9. Capreolus in 4. distinct. 28. quæst. vnica artic. 3. ad quintum contra 3. conclusionẽ. Soto distinct. 29. quæst. 2. art. 3. §. *in prima conclusione*, Couarruuias secunda parte de matrimonio cap. 3. §. 11. num. 3. Referuntur etiam pro hac sententia Scotus, Henricus, Durandus. Sed nihil omninò docent, quod huic sententiæ fauere possit. Referuntur etiam Paludanus, & Supplement. Gabrielis: sed isti Auctores potius oppositum docent, vt dicam infra. Adducit etiam Thomas Sanchez pro hac sententia Diuum Thomam, Bonauenturam, Ricardum, sed illi sunt in longe diuersa sententia, vt statim ostendam. Horum fundamenta non alia sunt, nisi quia eiusmodi conditiones sunt contra bonum prolis. At Pontifex in dicto capit. fin. docuit hanc conditionem, *si generationem prolis cuites*, vitiare, neque attendit an turpis sit, vel honesta, sed tantum, quod opponatur fini matrimonij. Nituntur etiam, quia impossibilem iudicant translationem dominij corporum mutuam sine vsu.

5 Cæterum, vt veram sententiam explicem. Dico primo. Si ista conditio, *vt nos non cognoscamus inuicem, neque reddamus debitum*, ita intelligatur, vt si re ipsa inuicem accesserint, & copulentur, sit fornicatio, quasi ab his peccatis ratione contractus non excusentur, plane vitiat matrimonium, & est contra substantiam contractus. Ratio est. Quia ea conditione sic intellecta nullum trãstertur dominium, quod est de substantia matrimonij. Hæc enim duo stare non possunt, vt quis velit transferri dominium, & quod non excusentur à peccato fornicationis. Qui ergò vellet, vt ab eo genere peccati non excusarentur, vellet profecto, vt non fieret translatio corporum, atque adeò vt nequaquam esset matrimonium, quod consistit in ea trãslatione corporum. Aliter iudicandum esset, si eam conditionem apponerent post contractum matrimonium. Firmum enim à principio vinculum non dissolueretur superueniente conditione. Quare non habet eundem effectum posita in principio matrimonij, & postea, vt dicemus statim. Atque hoc sensu existimo locutos fuisse de hac conditione Diuum Thomam, Bonauenturam, atque Ricardum, vt diligenter explicat Gabriel Vazquez 2. tomo in tertiã partẽ disput. 125. capit. 6. à numero 69. videndus etiam Rebellus, lib. 2. quæstion. 19.

6 Dico secundo. Conditio de vitãda copula, siue ex pacto, siue ex voto, posita in cõtractu matrimonij, cum primo contrahitur, non est contra eius substantiam. Sic expresse

docet Paludanus in 4. dist. 30. quæst. 2. art. 1. conclus. 2. Supplem. Gabrielis dist. 28. quæst. 1. art. 3. dub. 1. Gabriel Vazquez loco citat. Rebellus lib. 2. de matrim. quæst. 10. sect. 3. num. 19. qui & alios refert. Idem etiam docuit Immola in l. *vbi ita donatur, D. de mortis causa donation.* Barbatius in cap. *vlt. de precario*, columna 1. Huic etiam sententiæ fauet Abulensis Numerorum 30, quæst. 31. Almainus in 4. dist. 30. quæst. 2. & alij, qui asserunt Beatam Virginem sub hac conditione expresse consensisse, & tamen matrimonium illius verum fuisse. Atque idem supponunt Sancti Patres, quos allegaui supra lib. 1. ca. 19. cum agerem de matrimonio Virginis cũ Ioseph.

7 Et probatur hæc sententia. Primò. Quia si duo vouissent castitatem ante matrimonium, ita vt votum vnius alteri notum esset, & è contra, & similiter propositum firmum seruandi idem votum etiam post contractum matrimonium, si illud contraherent postea, perinde esset, atq; si expressa conditione contraherent, tunc autem sine dubio esset verum matrimonium. Ergo etiam expressa illa cõditione. Eadem enim esset ratio in vtroque casu, tùm quia in vtroque non esset consensus in copulam, sed tãtum in corporum dominium, quod ex se copulæ principium est. Tùm etiam, quia in vtroque casu transferretur dominium corporum, impedito tamen vsu, qui in neutro casu posset esse absque peccato. Tùm denique quia in vtroque casu coniugi petenti debitum negandum esset, quia peteret contra religionem voti, vt constabit ex his quę dicam lib. 10.

8 Secundò etiam probatur, & simul cõtrariæ sententiæ fundamentum euertitur, Quia eiusmodi conditio non est ex numero earum, quæ sunt contra substantiam matrimonij. Nam quamvis aliquæ conditiones, quæ dicuntur esse contra finem matrimonij, sint etiam contra eius substantiam, & appositæ irritent matrimonium, qualis est hæc de impedienda generatione, & conditio abstinẽdi ab vsu coniugij videatur opponi fini matrimonij: tamen non ita opponitur, vt verè sit contra substantiam illius, solum enim opponitur negatiuè, cum sit negatio actus coniugalis, & licita, non tamen opponitur contrariè referendo matrimonium in finem contrarium positiuè, qualis est impedire prolem. Eius autem capitis definitio debet intelligi de conditione positiuè contraria fini matrimonij, vt illa dicatur esse contra substantiam illius, & irritare, quia destruit verum consensum ad matrimonium requisitum, vt explicatum est cap. 9. Hoc autem discrimen ex eo rectè colligitur, quod conditio opposita contrariè fini matrimonij, etiam post contractum matrimonium, & perfectum sine peccato apponi non potest, & ita non mirum est, si initio apposita illud irritet: at vero conditio, quæ negatiuè tantũ opponitur fini matrimonij, licitè postea apponitur, & ita mirum non est, si non tollat cõsensum necessarium ad matrimonium, neque illud irritet.

9 Denique probatur. Quia si ob aliquã causam ea conditio esset contra substantiam matrimonij, maximè quia ea conditione impediretur vsus dominij corporum, quod transfertur in matrimonia, impossibile autem videtur transferri dominium impedito vsu. Sed hæc ratio nullius momenti est. Constat enim ex dictis supra lib. 1. cap. 18. in his rebus, quæ non consumuntur vsu, distingui posse vsum à dominio, & contractũ aliquem posse versari circa vnum, & non circa aliud. Ostendimus etiam, matrimonium potentis cum impotenti cognita impotentia esse validum iure naturali, & Ecclesiastico: & tamen sunt perpetuò impediti ad vsum matrimonij, nec possunt habere consensum in actum matrimonij, aut in vsum eius dominij corporum, & latius etiã dicam infra lib. 7. cum de impedimento impotentiæ sermo fuerit. Ergo pari ratione nõ repugnat dominium transferri corporum coniugum impedito vsu ex pacto vel ex voto. Argumentum etiam desumptum ex matrimonio B. Virginis efficax est. Quia aliàs non potest commodè explicari, quo modo Beata Virgo non habuerit cõsensum saltem conditionalem in copulam coniugalem, quod turpe videtur.

10 Denique dico. Si matrimonium cõtrahatur communi modo, scilicet in ordine ad copulam ex parte contrahentis, siue tacitè, siue expressè iuxta sensum explicatum supra lib. 1. cap. 17. & 18. si tunc apponatur etiam conditio de abstinendo ab vsu coniugij, matrimonium vitiatur. Sic expresse docet Gregor. de Valentia quæst. 2. puncto 4. dub. 5. prope finem. Atque in hoc sensu crediderim locutos Doctores primæ sententiæ. Ratio est facilis, & aperta. Quia sunt duæ repugnantes voluntates, quæ se inuicem destruunt. Prima est contrahendi matrimonium, ex quo consurgat obligatio reddendi de-

debitum: altera est contrahendi matrimonium, ex quo consurgat obligatio non reddedi, quæ inter se manifestè repugnant. Atque ex his soluta manent fundamenta primæ sententiæ.

11 Sed doctrinę gratia colligamus nonnulla, in quibus decipitur Thomas Sanchez disput. cit. Primò colligitur, si quis ita contrahat: *Ego tecum contraho, si tamen prius te voto castitatis adstrinxeris, vt nunquam à me petas, neque reddas debitum*, matrimonium initum valere. Id quod etiã docuit in hac specie Petrus Ledesma dub. 4. cit. in solut. ad 2. §. *Quod verò attinet*, licet contradicat Thomas Sanchez disput. 10, citata num. 3. Ratio est, tum quidem, quia non repugnat ex se fini matrimonij, vt dictum est. Tùm etiam, quia vt rectè docet Ledesma, in eo casu non opponitur fini, quia non concurrit cũ consensu matrimonij, cum prius debeat esse emissum votum, quam perficiatur matrimonium, & sicut ipse Thomas Sanchez docet disput. 9. num. 6. conditionem de prius sumenda potione sterilitatis non aduersari fini matrimonij, quia non concurrit obligatio conditionis, cum obligatione matrimonij, cur non concedit etiam non impedire votum factum ante perfectum matrimonium, cum non concurrat? Alias duo, qui voto simplici castitatis adstricti essent, & vtrique notum esset, non possent validè contrahere, vt dicebam in prima ratione. Est autem omninò eadem ratio, sicut enim in isto casu prius est emissum votum, quàm contrahatur matrimonium: ita etiam in specie huius illationis prius natura, quàm perficiatur matrimonium, sit iam per votum impeditus vsus matrimonij.

12 Secundò colligitur non vitiari matrimonium, si quis apponat conditionem de non exigendo debitum, cuius oppositum docuit Thomas Sanchez eadem disp. 10. num. 4. Et ratio est manifesta. Tùm quia ea conditio non est contra substantiam matrimonij, vt dictum est. Tùm etiam quia sequeretur, si quis impeditus voto, quo emisso non potest petere, licet teneatur reddere, cum alio sciente illud impedimentum voti, contraheret, inualidum esse contractum, quia iam impeditus est vsus dominij. At non obstante hoc impedimento validè contrahit, & transfert dominium sui corporis, & accipit dominium corporis alterius ex communi omnium Doctorum sententia, quæ votum simplex tantum dicit esse impedimentum impediens. Ergo simili ratione poterit transferre etiam dominium impeditum voto sub ea conditione, & voto: nulla enim est in hoc diuersitatis ratio: si enim in ipso fieri, & initio contractus illud impedimentum obstat, cur nõ obstaret, quod ex antecedenti voto, & pacto sit iam impedimentum appositum? simul enim tempore sequenti coniunguntur obligatio matrimonij, & obligatio non reddendi debitum. Explico magis: quia quando ille, qui votum emisit ante matrimoniũ accedit ad contrahendum, tenetur habere consensum contrarium vsui matrimonij, quantum est ex parte sua, alias peccat, & similiter qui sub ea conditione contrahit, habet consensum contrarium vsui, quantum est ex parte sua, quando quidem eam conditionem exprimit. Ergo si in vno casu impeditur valor matrimonij, etiam in alio, aut in neutro.

13 Tertiò colligitur, quid dicendum in eo, quod quæri solet, an valeat matrimonium sub hac forma: *Contraho tecum, si ego minime tenear debitum reddere, quoties tibi non licet exigere.* In quo Thomas Sanchez lib. 5. disput. 11. num. 2. & 3. ita distinguit. Si sensus sit, vt possim negare, quoties habeo ius ad negandum, quia tu non habes ius ad petendum, vt si adulteraueris, tunc conditio valet, neque vitiat matrimonium quia ea conditio ipso iure inest. Atsi absolutè & vniuersè intelligatur: *Vt ego non tenear reddere, quoties tibi non licet exigere*, est contra substantiam matrimonij, & vitiat. Idem docuit Ludouicus Lopez dicto capite 42. pagina mihi 1080. columna 2. in fine. Petrus Ledesma dubio 4. citat. circa solutionem ad primum, & ante illos Couarruuias secunda parte capit. 3. §. 1. num. 6. Nituntur primo. Quia possunt occurrere multi casus, in quibus vir peccet mortaliter exigendo, & vxor negare non possit, vt si vir emiserit votum castitatis, vel perat affectu fornicario, vel dubitans an valeat, vxore sciente esse validum. Secundò. Quia per matrimonium transfertur ius iustitiæ in corpus alterius, quamvis exigens aliquando peccet contra religionem vel contra temperantiam. Ergo conditio auferens ius iustitiæ coniugis est contra substantiam matrimonij, & illud vitiat. Talis autem est prædicta conditio, de qua loquimur.

14 At ego miror viros doctos eam sententiam sibi persuasisse ductos auctoritate Didaci Couarruuias. Est enim longè ve-

rius eam conditionem non vitiare matrimonium, etiam contractum in ordine ad copulam. Sic docuit Gabriel Vazquez loco citato disput. 125. c. 6. n. 63. & c. 7. n. 77. Et ratio est facilis, & aperta ex doctrina, quam latè tradidimus in materia de scandalo, & trademus etiam infra lib. 5. cap. 18. & lib. 10. Quia hæc est regula generalis. *Quoties actus aliquis non potest ab alio fieri nisi malè, si fiat, non licet illi cooperari, sicut neque petere ab aliquo actum, qui ab illo non potest fieri bene, vel malè, sed necessariò malè,* & nunquam reperietur aliqua huius regulæ exceptio, aut casus, in quo id liceat. Ergo cõiugi illicitè petenti debitum non solùm non tenetur reddere, sed potius tenetur non reddere, quando, si actus tunc fiat, non potest bene fieri ab eo, qui petit. Pone aliquem emisisse votum castitatis, potest qui non emisit exigere, non reddere: quia ille, qui votum emisit, impeditus est ad petendum, non verò ad reddendum: & ita qui solutus voto petit debitum, non exigit ab alio, qui tenetur voto actum, quem non possit bene efficere, cum votum non impediat debiti redditionem. At qui impeditus voto, petit, actum petit, qui non potest ab altero coniuge benè fieri, scilicet cooperationem ad actum petentis, qui malus est contra religionem, vel temperantiam. Hoc ergo supposito iam facilis colligitur ratio. Quia talis conditio iure inest, & licita est, & honesta, & ad quam tenetur coniux, etiamsi non exprimatur. Quare sicut coniux, etiamsi non explicetur, tenetur non reddere coniugi petenti cum manifesto periculo vitæ corporalis petentis, ita etiam tenetur non reddere, cum periculo animæ petentis.

15 Neque rationes in contrarium adductæ sunt alicuius momenti. Ad primam enim dico nullum esse casum, in quo coniugi peccanti in petitione debiti alter teneatur reddere. Nam si impeditus est voto, non potest petere, nec tenetur reddere, imo tenetur non reddere, vt dictum est. Si autem petat in loco sacro, vel die prohibito, vel tempore menstrui, spectandum est tunc periculum incontinentiæ petentis, quod si revera interuenerit, tunc ex concursu duorum præceptorum præualet vrgentius, & cessat obligatio minus vrgentis, & ideò licitè petit, & tenetur reddere, quia licita est petitio. Similiter si qui petit existimet matrimonium non valere, non potest exigere, neque alter coniux tenetur petenti annuere, donec dubius coniux deponat dubium, cum petit, vel per intrinseca principia, vel per extrinseca, vt dicam lib. 10. Sed fefellit Auctores istos, quod viderent in his euentibus eum coniugem, qui neque est impeditus voto, nec dubius licitè exigere, & impeditum vel dubium teneri reddere, cum tamen sit longè diuersa ratio. Nam in eo coniuge impedito aut dubio petitio debiti est illicita, redditio autem licita, & ita coniux non impeditus petit ab impedito, quod licitè facere potest impeditus, quod tamen secus contingit, quando impeditus exigit, vt explicatum est, sed de his dicam late lib. 10. Nec verò secunda ratio est alicuius momenti. Non enim ea conditione impeditur transferri ius iustitiæ, sed translato iure iustitiæ impeditur vsus voto, vel conditione, quæ inest ex ipsa natura matrimonij, quia non potest transferri ius nisi ad licitum vsum corporum, vt notum est.

16 Quartò colligitur quid dicendum sit de conditione nõ cohabitandi. In quo Petrus Ledesma dicto dubio 4. in solut. confirmationis ad sextum dicit, si sit pactum de non cohabitando ad tempus, non vitiare matrimonium: at si pactum sit de non cohabitando semper, & in perpetuum, vitiare, & esse contra substantiam quia habetur in definitione matrimonij indiuiduam vitæ consuetudinem retinens. Quod & probat Thomas Sanchez lib. 5. disput. 10. num. 5. Additque si esset pactum de abstinendo à copula sextis feriis, vel certo quodam tempore, esse irritum matrimonium, quia est contra substantiam eius, nempe contra plenam, & totalem corporum traditionem. Sed mihi hæc distinctio non placet. Quare videndum est quid significetur conditione non cohabitandi. Si enim significetur separatio etiam perpetua quoad torum, idem est iudicium, atque de conditione non copulandi, & ea non vitiat, vt dictum est. Si conditione non cohabitandi significetur etiam separatio domus, si id fieret ex conditione seruandi castitatem ad euitandum periculum lapsus, neque etiam esset contra substantiam propter eandem rationem. At si cum matrimonium contrahitur in ordine ad copulam ex parte contrahentium, simul apponeretur conditio de non cohabitando, destrueretur consensus matrimonialis, vt dictum est. Repugnat enim omninò voluntas obligandi se ad non cohabitandũ cum voluntate obligandi se ad vacandum actibus coniugalibus.

17 Quin-

17 Quintò colligitur idem à fortiori dicendum de conditione abstinendi sextis feriis. Tum quia non est contra substantiam, vt dictum est, sicut si contraherent sub conditione abstinendi diebus prohibitis ab Ecclesia. Quid enim obstat, cum iure insit? Ergo etiam hæc conditio abstinendi sextis feriis non obstat substantiæ matrimonij, sicut etiam licet paciscì, ne intra bimestre consummẽt, & ad id se voto adstrigere, imò & se obligare voto transeundi ad religionem intra id tempus. Quod si hoc non est contra substantiam matrimonij, vt fatetur Thomas Sanchez disp. 10. cit. num. 6. cur erit contra substantiam conditio de abstinendo aliquibus diebus ab actu coniugij. Quod enim ea conditio de bimestri abstinentia iure insit parum refert. Si enim ea esset contra substantiam, inesse non posset, & hoc ipsum, quod iure insit, argumentum est temporalem abstinentiam, si deducatur in conditionem, non esse contra substantiam matrimonij. Adde, vt ipse Thomas Sanchez eodem numero fatetur, licet contrahere matrimonium sub voto, & conditione conuolandi ad religionem statim post consummationẽ, quo transitu omninò impeditur tempore sequenti vsus matrimonij. Ergo & poterit etiam sub conditione continentiæ ad tempus iniri matrimonium. Quod enim iure insit, ea potestas transeundi, non impedit, imò magis ostendit huiusmodi abstinentiam nõ esse contra substantiam, & ex consequenti, neque votum aut pactum de illa abstinentia. Maximè cum licet potestas transeundi ad religionem ante consummationem, vel postea de consensu vtriusque, insit matrimonio, obligatio tamen transeundi non in est. Quare si ea obligatio apponi potest, cũ contrahitur matrimonium ex sentẽtia Thomæ Sanchez, cur non poterit obligatio abstinendi certis quibusdam diebus?

Explicantur duæ aliæ conditiones, quæ afferuntur à Pontifice contra substantiam matrimonij.

CAPVT XII.

SVMMARIVM.

Quomodo nonnulli intelligant illam conditionẽ, si tuum corpus adulterandum tradideris. n. 1.
Prima pars veræ intelligentiæ. num. 2.
Secunda, & tertia. num. 3. & 4.
Nullum matrimonium esse apud infideles animo habendi totvxores, quot legibus illorum licet. num. 5.
Quid de illa, donec aliam inuenero. n. 6.
Item matrimonium nunc esse nullum ex conditione dandi libellum repudij. num. 7.
Quid si istæ conditiones ab vno tantum adhibeãtur, & alter neq; neget, neq; contradicat. n. 8.
Exponitur cap. aliquando 32. quæst. 2. n. 9.
Quid si post expressam conditionem contra substãtiam copulentur. Quorundam opinio. n. 10.
Vera sententia. num. 11.

SEcundum exemplum conditionis contrariæ substãtiæ matrimonij, quod adducit Pontifex in d. cap. fin. hoc est, *Si corpus tuum adulterandũ tradideris*. Sed Angelus in summa, verbo *matrimonium* 3. n. 11. dicit hanc conditionẽ non esse contra substantiam matrimonij, ac subinde non vitiare matrimonium, sed tãtum reijci vt turpem. Ratio quæ illum mouet, hæc est, quia ad fidem matrimonij, & eius finẽ sufficit, quod vxor debitum viro reddat, quoties exiget. Ergo substantiæ matrimonij non repugnat, quod illa adulterium committat, & consequenter illa conditio non est contraria matrimonio. Addit tamen Angelus in eo sensu vitiare matrimonium, si ita intelligatur, *ita vt mihi non tenearis reddere*, sic enim est contra substantiam, quia est contra translationem dominij corporis.

2 Cæterum, vt explicem quod sentio, dico primo. Si sensus huius conditionis est, is quem Angelus vltimo loco dicebat: *Si te adulterandam tradideris, ita vt mihi non tenearis reddere, neque vlla committatur iniustitia*, plane est contra substantiam matrimonij, & translationem dominij corporis: translato enim dominio non posset non esse iniustitia in adulterio. Vnde qui vult non esse iniustitiam in eo, quod suum corpus tradat alijs, vult sine dubio non transferri dominium corporum. Et similiter, qui vult alterum coniugem non teneri ad reddendum, cum contrahit ordinario modo, vult etiam non transire dominium corporis, & eo ipso destrui consensum requisitum ad matrimonium.

3 Deinde dico. Si ea conditio, *dummodo corpus tuum adulterandum tradideris*, intelligatur posita in vim cõditionis, & suspendẽs perfectionem contractus matrimonij, si de vero adulterio loquatur repugnat cum voluntate matrimonij, cum non possit esse verum adulterium, nisi constante matrimonio

vt

vt dixi supra cap. 8. Si verò ponatur adimplenda ante matrimonium, & non intelligatur de vero adulterio, turpis tantum est, & reijcienda. Quia ea ratione non pugnat cum consensu matrimonij, cum prius debeat esse fornicatio, quam matrimoniũ perficiatur, vt dixi etiam de alia conditione cap. præcedenti.

4 Denique dico. Si ea conditio, ponatur resolutiuè, vel in modũ pacti implendi post matrimonium contractum, nullum est matrimonium, & vitiat etiam vt sonat intellecta. Est communis Doctorum sententia, quã tenet Adrianus in 4. quæs. 9. de matrimonio, Sylvest. verbo *matrimonium*, 4. q. 6. vbi docet ad bonum fidei in matrimonio vtrunq; pertinere, & debitum non negare coniugi, & alteri non commisceri, Soto in 4. dist. 29. q. 2. art. 3. ad 1. Couar. 2. p. c. 3. §. 1. n. 2. Petrus Ledesma dub. 4. citat. in solut. ad 7. Thomas Sanchez locis citatis & alij. Ratio huius desumitur ex eo, quod docet D. Thomas in 4. dist. 32. quæst. 1. art. 2. & communi Doctorũ sensu receptum est, fidem cõiugalem includere duo, & reddere coniugi debitum, & alteri non cõmiscerì. Prior est obligatio præcepti affirmatiui, quę obligat semper, sed non pro semper. Secunda est obligatio præcepti negatiui, quod obligat semper, & pro semper. Cum ergo ex matrimonio sequatur tanquam passio hæc obligatio præcepti negatiui, non potest stare cum consensu necessario ad matrimonium voluntas obligationis ad oppositũ illi obligationi præcepti negatiui.

5 Ex his colliges nullum esse matrimonium nunc apud infideles contractum animo, vel cum conditione habendi tot vxores, quot illis legibus ethnicis permittũtur. Quia licet polygamia non sit directè contra finem matrimonij, attamen nunc, cum sit à Christo sublata, obstat ea conditio fidei coniugali de non commiscendo alienis, & ita etiam ignorata ab illis vitiat matrimonium, quia in re non est nunc consensus requisitus ad matrimonium, vt rectè docet Thomas Sanchez lib. 5. disput. 12. num. 4. Atque ex hoc desumi potest optima ratio eius, quod Gregorius XIII. constituit in quodam Breui de dissolutione matrimonij Indorum, quando alter ex eis ad fidem conuertitur, quod referam infra lib. 9.

6 Tertium exemplum adductum à Pontifice est, *donec aliam ditiorem inuenero*. Quæ conditio, vt dixi cap. 8. non potest accipi implenda ante perfectum contractum matrimonij. Si autem sumatur siue resolutiuè siue in vim pacti, vitiat contractum, cum sit contra eius substantiam, quę perpetuitatem includit.

7 Ex his colligitur matrimoniũ contractũ à Iudęo, vel pagano nunc, sub cõditione dãdi libellũ repudij iuxta eorũ leges, esse nullum: quia iam post Christum sublatum est repudium, nec licet, sicut licebat antea, quare est contra firmitatem matrimonij, de quo videndus Thomas Sanchez lib. 5. disput. 12. num. 3. & 5. Non autem esset eadem ratio si quis contraheret cum animo dandi libellũ repudij, & deserendi vxorẽ quoad vinculũ, cũ Deus reuelaret: ea enim cõditio iure inest, cũ Deus possit dissoluere; sicut neque est contra eius substantiã conditio de dissoluendo matrimonio per professionem solemnẽ in religione: neque in infideli conditio de dissoluendo per transitum ad fidem catholicam, altero renuente transire, & cohabitare, cùm hæc ipso iure insint.

8 Sed superest explicãdum circa has cõditiones contrarias substantiæ matrimonij, an si ab vno tantum adhibeantur, & alter, neque explicet se contradicere, vel repugnare, sed purè contrahat, sit matrimonium validum? Non pauci valere dicunt. Sic multi ex iuris peritis, quos refert Thomas Sanchez dict. lib. 5. disput. 13. num. 1. Potissimum argumentum desumitur ex textu in c. aliquando 32. quæst. 2. & Thomas Sanchez hanc opinionem putat esse probabilem. Alij dicunt esse sponsalia, non tamen matrimonium: sed sine vllo fundamento. Quare verius est non esse matrmonium. Sic tenet Petrus Ledesma dub. 4. cit. in solut. ad 8. qui & alios refert, & magis probabilem putat Thomas Sanchez disput. 13. cit. num. 5. Ego tamen cum Petro Ledesma non solùm hanc sententiam existimo esse magis probabilem, sed etiam oppositam nullam prorsus habere probabilitatis speciem. Ratio, quæ me mouet, hæc est. Quia vinculum matrimonij claudicare non potest, sed resultat ex consensu duorũ mutuo necessario ad matrimonium: at consensus eius, qui consẽtit sub cõditione contraria substantiæ matrimonij, nõ est is, qui ad coniugium requiritur. Ergo ex illo & altero purè contrahente non potest oriri vinculum matrimonij. Quod non tantum verum est in foro conscientiæ, sed etiã in foro externo, dum constaret de conditione expressa posita ab vno contra substãtiam matrimonij. Nec verò hoc existimo verum in matrimonij contractu solum, sed etiam

in

in quolibet alio, itaque de omni alio contractu dicendum est esse inualidum, quoties conditio contra substantiam matrimonij ab vno tantum apponitur. Et quidem si de iure naturali sermo sit, facile probatur, quia vnus contrahentium non consentit, nisi apposita conditione prædicta, & ita substantia contractus pendet à mutuo cõsensu vtriusque. Ergo quando consensus vnius non est sufficiens ad contractũ, non potest fieri contractus validus. Deinde ex iure positiuo oppositum non constat, aut sic contrahentes cogendos esse ad contrahendum. Quod si quis dicat, si vnus tantum apponit conditionem, & alter contradicit, conditio illa non videtur apposita contractui, atque adeò erit validus. Respondetur, ex hoc tãtum, quod alter contradicit, non posse colligi validum fuisse contractum, sed vnum ex eis voluisse contrahere cum ea conditione, cumq; alius nolit ea conditione apposita contractũ celebrare, constat fuisse nullum.

9 Nec vero his obstat text. in d. c. *aliquãdo*, ad quem respondet Thom. Sanchez textum non loqui de conditione de sumenda potione sterilitatis, sed tantum de ea in mente retenta, sic autem nõ obstare matrimonio. Verum iam ostendi sup. lib. 1. c. penult. etiam mente retentas has conditiones contra substantiam vitiare, quia cum eo animo nõ stat animus, neq; consensus ad matrimoniũ necessarius. Quare optimè explicat Pet. Ledesm. ex textu illo non colligi matrimoniũ, neq; ab vno, neq; ab vtroque fuisse ab initio contractum, posita conditione contraria. Sed matrimonium fuit pure contractũ, & postea vel vterque, vel alter curauit de sumẽda potione sterilitatis. Dicit autem textus nõ esse coniugium, & misceri meretrici non coniugi, non quia non sit verum matrimonium sed quia faciunt contra iura coniugij. Alias quomodo posset dicere Augustinus, cuius est textus ille, quando vnus tantum eam cõditionem habet, vnum esse cõiugem, alium vero non, sed meretricem, cum id impossibile sit in eo mutuo nexu coniugij.

10 Sed quid dicendum erit, si post adhibitam eam conditionem contrariam substantiæ matrimonij copulentur, an tunc valebit matrimonium? Nõnulli dicunt valere, quia iam per copulam ostendit se à conditione recedere, argumento text. in c. *per tuas* 3. *de condit. appos.* Probabile iudicat Thomas Sanchez citatis alijs d. disp. 13. n. 4. & 5. Alij dicunt ante Tridentinum valuisse illud matrimoniũ, & ex consequẽti in locis, vbi quoad hoc non est receptum Tridentinum, at post Tridentinum iam non esse locum eiusmodi matrimonio.

11 Mihi verius videtur etiam copula secuta non esse matrimonium, vt docet Petrus Ledesma loco citat. dub. 4. in solutione ad 8. imò idem dicendũ siue ante, siue post Tridentinum, vt ibidem verè docet. Ratio est, quia matrimoniũ illud fuit à principio nullum, vt dictum est. Ergò copula postea secuta no efficitur validum. In quo vides longe diuersam esse rationem ab specie text. in d. c. *per tuas*. Nam ibi sermo est de sponsalibus validis, conditionatis tamen, idest celebratis sub conditione licita, cuius euentus expectandus est, & ideò secuta copula ante euentum conditionis, præsumitur à conditione recedere. In hoc autem casu nullus omninò fuit consensus matrimonij, cum destructus fuerit conditione apposita cõtra eius substantiam: neque spõsalium. Tum quia illa non erant sponsalia, tum etiam, quia vt dicam infra suo loco, etiam sponsalia cum conditione contraria substantiæ matrimonij, quæ in matrimonium refundatur, sunt inualida. Ergo non est vnde præsumatur cõsensus matrimonij in hoc casu, sicut in illo. Hæc tamen intelligenda sunt, si ea cõditio ab vno tantum expressa ponatur in vim pacti, vel resolutiuè. At si ponatur suspensiuè, ita vt nolit contractum matrimonij perfici, donec ea cõditio sit exhibita in re cum iam supra sæpe dictum sit hanc non esse conditionem contra substantiam, sed tantum turpem, & ideò reijci, & circunscribi, matrimonium erit ab initio purum, & secuta copula etiam id ostendet. Quæ omnia constant ex dictis in hoc cap. & præcedentibus.

An in matrimonio apponi possit aliqua conditio, & quem habet effectum?

CAPVT XIII.

SVMMARIVM.

Quid agendum. num. 1.

Matrimonio apponi conditionem posse, & illa suspendi quorundam opinio. num. 2.

Matrimonio non posse apponi vllam conditionẽ, quæ suspendat. num. 3.

Quædam distinctio pro explicatione veræ sententiæ. num. 4.

Fundamentũ veræ sententiæ. n. 5. ostenditur primo ex c. super eo de condit. appos. ibid.

Variæ interpretationes adducuntur, & reijciuntur. num. 6. 7. 8. 9. 10. & 11.

Se-

Secũda probatio ex c. per tuas de cond. appo. n. 12
Tertia, & quarta probatio ex ratione. n. 13. 14.
Quædam acuta explicatio primæ sententiæ. nu. 15. reijcitur. num. 16.
Quo sensu intelligatur conditionem non apponi matrimonio, sed consensui. num. 17. 18.
Quem effectum habeat conditio apposita matrimonio. num. 19.
Cui contractui standum cum quis contraxit cum duabus sub conditione. num. 20.
Quid si cõditio secundi contractus priori loco impleatur. num. 21.
Ex contractu conditionali transire obligationẽ ad hæredes. num. 22.
Contractu celebrato sub conditione nõ posse iam grauamen addi, neque reuocationem habere locum. num. 23.
Fundamenta primæ opinionis diluuntur. n. 24.

1 DIximus hactenus quæ conditiones reddant nullum matrimoniũ quales sunt contra substantiam, & quæ etiam purum relinquãt, quales sunt turpes, aut impossibiles: nunc oportet agamus de conditionibus honestis, vel indifferentibus, & explicemus, quem effectum habeant in matrimonio, cum illi apponuntur.

2 Non pauci in eo conueniunt, vt sentiãt matrimonio apponi posse conditionem, & eam appositam suspendere contractum matrimonij vsque ad euẽtum conditionis. Hęc opinio censetur esse cõmunis, & eam tenere debent, si consequenter loquãtur, quicunque docent matrimonium sub conditione contractum, posita conditione, non egere nouo consensu, sed statim purificata conditione valere, quos referam c. sequenti. Inducuntur ex nonnullis canonibus, in quibus matrimonio apponitur cõditio c. *de illis*, & c. *super eo*, & c. *fin. de condit. appos.* & alibi sæpe. Deinde exemplo aliorum contractuum ciuilium, qui celebrantur sub cõditione, vt cõtractus emptionis, dõnationis, & alij, & si militer legata sub conditione relinquũtur. Ergo idẽ de isto cõtractu dicendum est, cur enim non dicatur, nulla ratio est.

3 Ego tamen verius existimo matrimonio non posse apponi vllã conditionẽ, quæ suspendat: sed si ponatur in vim conditionis tãtum, esse contractũ sponsalium, & non matrimonij. Hanc sententiã tenere debent qui cunque docent matrimonium posita conditione egere nouo consensu, & non sufficere priorem, in quo non loquitur consequẽter Thom. Sanch. vt statim ostendam. Sentit etiam expresse esse sponsalia tantum Grego. de Valent. q. 2. puncto 3. Rebel. lib. 2. de matrimonio q. 10. sect. 6. & probabiliorẽ putat Pet. Ledesm. q. 47. de matrim. a. 5. dub. 1. de condit. honestis post. 2. conclus. Idem docet Cuiatius ca. 1. *de condit. appos.* vbi dicit nullã conditionem, quæ suspendat, apponi posse matrimonio.

4 Sed pro huius sententiæ explicatione suppono prius, si conditio etiã honesta ponatur resolutiuè vitiat contractũ, & non suspẽdit vt dixi supra c. 10. contra Cuiatiũ, & alios. Deinde si ponatur in vim pacti non suspẽdit, sed matrimoniũ est purum, cum obligatione tamen præstandi, quod in pactum deductum est, vt ex dictis cõstat. At si ponatur in vim conditionis, quasi prius ratione implenda sit conditio, quam matrimonium valeat, vel perfectum sit, verũ existimo, quod docet secunda sententia, non apponi eam conditionem matrimonio, neque esse matrimonium, sed sponsalia.

5 Huius sententię vnicũ tantum fundamẽtum est, & ad quod cætera reuocantur. Quia ad matrimonium requiritur consensus verè de præsenti, vt notũ est. Sed ille consensus, quantumcunque verba sonent de præsenti, non est de præsenti, sed de futuro. Ergo non est sufficiens ad matrimoniũ, sed ad sponsalia. Maior nota est, & tota difficultas est in explicanda, & probanda minori. Quã diuersimodè ostẽdere conabor, & iure & ratione. Ex iure quidẽ primò ex c. *super eo*, *de condit. appos.* vbi cum quæsitũ esset ab Vrbano III. An qui in quandam fœminã consensit, si pater eius præstaret assensum, sit ad matrimonium contrahendũ cõpellendus? Respõdet Pontifex deficiente conditione non esse cõpellendum ad contrahendũ, & addit illum nõ esse consensum de præsenti, licet per verba de præsenti euidẽter exprimatur. In quo iam constat agere Pontificem de eo, qui per verba de præsenti contraxit sub hac forma, *contraho tecum, si pater meus præstet assensum, vel patri meo placuerit.* Duplici ratione fauet Põtifex. Primò, quia dicit, antequam patris voluntas intercedat, non esse cogendum ad matrimonium contrahendum. Ergo interce dente patris voluntate cogendus erat. Ergo adhuc pendente conditione non erat cõsensus de præsenti, aliàs non cogeretur ad contrahendũ præstito paterno consensu. Deinde nobis fauet, quia dicit illum fuisse cõsensum de futuro. At matrimonium perficitur consensu de præsenti. Ergo ille consensus conditionatus non fuit de præsenti, & excõsequenti neque matrimonij, sed sponsaliũ.

6 Va-

6 Varijs modis huius textus difficultatem eludere conati sunt Doctores oppositæ sententiæ. In primis quidam dicunt hunc textum intelligendum esse de eo, qui non tantum, vt conditionē postulauit cōsensum paternum, sed etiam in eum reiecit suum consensum, vt illi contulerit potestatem cōtrahendi, sicut conceditur procuratori, & ita non mirum, si non esset cōsensus de præsenti, sed de futuro. Sed hæc interpretatio ex ipso textu refellitur, quia dicitur, *nisi voluntas patris post modum accesserit, non esse cogendum ad matrimonium contrahendum.* Ergo non est voluntas filij ita collata in voluntatem patris, quasi in procuratorem, vt eius nomine contrahat. Quia si eo modo collata esset, non esset necessarium, vt accedente consensu patris ille alter contraheret, sicut procuratore legitimè contrahente non est necessarium denuò cōtrahat, qui mandatū dedit.

7 Alij respondent id esse peculiare, *si pater voluerit, vel si alius etiam extraneus voluerit*, siue ponatur in contractu matrimonij, siue in quouis alio. Quia quoties meus assensus in tertium alium reijcitur, ita vt eius voluntas mea censeatur, non dicitur esse meus consensus præsens, donec alterius cōsensus existat: meus enim consensus, & alterius vnum moraliter cēsentur. Vnde si contractus requirit consensum de præsenti, reuera non celebratur, quia non est præsens consensus. Quare cum illi contrahentes suum consensum in patris cōsensum reiecerint, manifestum videtur eorum consensum non esse de præsenti, quia non erat præsens patris consensus, qui moraliter eorum filij consensus censebatur, sed tantum fuit consensus expectandi patris voluntatem, atque adeò insufficiens ad matrimonij contractum. Atq; id videtur Pōtifex indicare in eo capite. Cum enim dixisset cōsensum illum, quamvis per verba de præsenti euidenter exprimatur, nō esse habendum de præsenti, rationem subdit: *Quia in alieno arbitrio non habito, sed habendo consistit*, & etiam dixerat consensum liberum non esse, qui in alieno arbitrio collocatur. Et in hac conditione expresse consensum esse de futuro ob hanc rationem, tatetur Rebellus sect. cit. num. 42.

8 Hæc interpretatio mihi aliquando placuit in prima editione lib. de Impedimentis matrimonij, & ea commotus, iudicaui hūc textum non esse efficacem ad hanc sententiam, de qua agimus comprobandam. Sed nunc omninò displicet. Et in primis pugnat contra eam ratio facta contra præcedētem. Si enim in eius voluntatē collata esset voluntas cōtrahentiū, ita vt moraliter eorum voluntas vna tantū censeatur, sicut volūtas procuratoris, & mādatarij, non esset necessarium postea cōtrahere matrimoniū. Deinde quia iam saltem habemus, quoties cōsensus contrahentiū pendet à conditione, quæ est in alterius extranei vel contrahentis potestate, non fore matrimoniū, sed sponsalia & consensum de futuro. Itaq; si dicas: *Contraho tecum, si dederis mihi pecunias, si pater cōsenserit, si Titius Capitolium ascenderit*, & deinque sub conditione potestatiua, nō erit matrimonium. Quod constat, quia eodē modo erunt vera verba Pontificis: *Cum eiusmodi cōsensus non sit habendus de præsenti, licet per verba de præsenti euidenter exprimatur, quia in alieno arbitrio non habito, sed habendo consistit*, & pariter etiam dici poterit de ea conditione, id quod initio dixerat Pontifex, *cum consensus liber dici non possit, qui in alieno arbitrio reseruatur.* Vnde Cuiacius in d. ca. 1. *de condit. appos.* docuit solam hanc cōditionem posse apponi suspensiuam matrimonij, quia non efficit matrimoniū, sed spōsalia. Non ergò potest esse vniuersaliter verum quamcunq; conditionem iure non improbatam adiectā matrimonio stare cum consensu matrimoniali. Sed præterea etiā eadē interpretatio reijcitur, quia eadē prorsus ratio est de hac conditione, & de alijs, quæ sunt de futuro cōtingenti, etiamsi mixtæ, vel casuales sint, & eodē modo cōuenit omnibus illis definitio Pontificis, & eius ratio, quod sic ostēdo. Cōsensus illius, qui contrahit de præsenti cum aliqua sub cōditione, *si pater præstet assensum*, dicitur à Pontifice non esse de præsenti, sed de futuro, & non ideò dicitur esse de futuro quia consensus contrahentiū collatus sit in consensum patris tanquam procuratoris, & contrahentis nomine filij, vt ostensum est. Ergo ex eo solum, quod pendebat ab existētia consensus paterni in tēpore futuro tanquam à conditione. Sed eadem ratio militat in quacunq; alia conditione de futuro contingenti, pendet enim consensus ab existentia eius cōditionis in tempore futuro. Ergò pariter ille consensus sub hac cōditione explicatus nō est de præsenti, quia consistit in futura re, non facta, sed faciēda. Simile enim est quantū ad hoc, factū quod cōsistit in patris voluntate, & factū quod consisteret in aduentu nauium ex Asia, aut morte alterius.

9 Tertiò respondent alij in dicto casu cōsensum illum esse de præsenti, & ex consequenti matrimonialem, pendentem tamē à

futuro

futuro euentu. Vnde cum Pontifex dicit cõ sensum illum non esse de præsenti, intelligendum est nõ esse de præsenti perfecto, & absoluto, sed cõditionali. Similiter cum dicit non esse cõpellendum ad contrahẽdum matrimonium, nisi posita cõditione, verbo illo *contrahendi matrimonium*, significat tantum consummationẽ matrimonij iam contracti. Idq; sic dicendũ videtur, quia à Pontifice quæsitum erat, vtrum sit ad consummãdum matrimoniũ compellendus. Ergò quãdo respondet Pontifex posita conditione cõpellendum ad contrahendum, intelligitur de consummatione iam contracti matrimonij, vt correspondeat responsio interrogationi, iuxta text. in c. *qualiter & quando, de accusation.* Sic Thomas Sanchez disp. 4. nu. 8. iunctis his quæ dicit num. 5.

10 Sed hęc interpretatio nõ satisfacit difficultati propositæ, & refẽllo vtranq; partem interpretationis sigillatim. Non placet quod primo dicit, consensum illum esse de præsenti, conditionali tamẽ, & sic intelligi Pontificem, cum dicit non esse de præsenti, hoc est, perfectũ. Plane enim, & aperte dixit Pontifex non solũ non esse de præsenti, quia non est de præsenti perfecto, sed acutè contemplatus vim eius consensus dixit non esse de præsenti, quamvis id sonent verba, sed de futuro, & reddit rationẽ, quia consistit in consensu non habito, sed habendo. Ergo consensus ille revera est habendus, & futurus. Deinde vrgeo quod Pontifex dixit cõsensum illum non esse habitum de præsenti, licet per verba de præsenti euidentius exprimatur. Ergo consensui negat esse de præsenti eo modo, quo concedit verbis expressionem illius de præsenti. Sed verba exprimunt illum consensum de præsenti imperfecto, & conditionato, non absoluto. Ergo negat consensui esse de præsenti, sed tantũ revera esse de futuro. Atq; ex his refellitur, quod secundo loco dicit, scilicet verbo *contrahendi matrimonium*, intelligi consummationem matrimonij. Nam quamvis posset dici ea responsione Pontificẽ docere voluisse interrogantem, etiam aliquid amplius faciẽdum supereſse post consensum paternum, ante consummationem, scilicet contrahere matrimonium, vel interrogantem verbo illo *consummandi*, vtrumque intellexisse, ostẽditur tamen Pontificem proprie vsum, verbo *contrahendi*, quia dixit in secũda parte capitis consensum illum esse tantum de futuro, & iudicari non posse pro cõsensu de præsenti. Ergo non potuit verbo *contrahendi*, intelligere cõsummationem matrimonij iam contracti, sed celebrationem contractus, cũ non possit esse matrimonium cum consensu tantum de futuro, sed de præsenti.

11 Denique respondet Petrus Ledesma, loco proximè citato paulo ante secundam conclusionem, Pontificem ibi non dicere, quod post euentum conditionis sit compellendus contrahere, sed quod non dum posita conditione non est compellendus. Sed certè vtrumque dicit. Cum enim in secunda parte capitis explicet consensum illum tantum esse de futuro, planum relinquit esse compellendum contrahere posita conditione, cum vsque ad euentum conditionis tantum fuerit consensus de futuro, qui non est sufficiens ad matrimoniũ, sed ad sponsalia.

12 Secundò probatur eadem minor ex ca. *per tuas, de cõdit. appos.* vbi expresse agitur de contractu per verba de præsenti celebrato, sub conditione, *si pater & patruus consentirẽt*, restiterunt illi, sed antequam resisterent, cõtrahentes copulati sunt. Respondet Pontifex in hæc verba: *Quod cum liquido constet, quod post cõtracta sponsalia carnalis est inter eos copula subsecuta, pro matrimonio est præsumendum, quia videntur à conditione apposita recessisse. Nam etsi probatum sit, quod postquam pater, & patruus contradixere sponsalibus, idẽ vir mulierem illam carnali coniunctione cognouerit, nõ est tamẽ aliquo modo probatum, quod antequam ipse cognouisset eandem, pater eius, & patruus contradicere curauissent.* Hæc Innocentius. Quę verba sic expendo. In primis Pontifex contractum illum per verba de præsenti celebratum non appellat matrimonium, sed sponsalia. Et quamvis etiam aliquando spõsalium nomine soleat matrimonium significari: attamen id in præsenti locum habere non potest. Loqui enim de sponsalibus, vt à matrimonio distinguuntur, ostendit illud, quod vtriusq; mentionem facit, & dici pro matrimonio esse præsumendum post copulam, quia videlicet ante copulam tantum erant sponsalia. Deinde quia ad controuersiam propositam decidendam recurrit Pontifex ad præsumptionem iuris, & de iure, quæ consistit in copula habita post sponsalia, qua sponsalia transeunt in matrimoniũ, *cap. is qui fidem, de sponsal.* Ergo sentit illa sub ea conditione contracta non esse matrimonium, sed tantum sponsalia.

13 Tertiò probatur eadẽ minor, quia in his qui contrahũt de præsenti, impediti aliquo impedimẽto, sub cõditione tamẽ, *si Papa dispẽset*, nõ potest ille esse cõsensus matrimonij

sed

sed sponsaliorum tãtum. Ergo idem in alijs conditionibus dicendum est. Antecedẽs patet, quia cum eo impedimento non potest esse legitimus consensus, qui ad matrimonium sufficiat. Et probo ex iure à simili manifesto. Quia cũ impuberes contrahunt per verba de præsenti, etiamsi illi intendant efficere matrimonium, quia tamen iure inest, ea conditio suspensiua si ad pubertatis annos perueneris, non sunt matrimoniũ, sed sponsalia, vt declarat Innocentius 3. *in cap. fin. de desponsat. impub. & c. vnico, eodem in 6.* vbi expendo verba illa Bonifacij 8. *qui valunt vt potuit, & non sicuti agebatur.* Vnde & in huiusmodi specie etiam Panormitanus, qui docuit esse verum consensum matrimonij in alijs conditionibus, in ista negat esse matrimonium, & ita indigere nouo consensu post euentũ conditionis, estque hæc sententia communis inter ipsos Canonistas & Theologos, vt constat ex his, quos refert Thomas Sanchez d. lib. 5. disput. 8. n. 9.

14 Quartò probatur eadem minor, scilicet, tantum esse consensum sponsalium ratione. Quia eo tempore pendẽte conditione, si contrahat purè cum alia, valet hoc matrimonium, sicut sponsalia per matrimoniũ dissoluuntur. Item siquis cum aliqua contrahat de præsenti sub conditione, & postea etiam sub conditione cum alia, si huius primò adimpletur conditio, istud secundũ matrimonium valet ex eorum Doctorum sententia, non primum. Item ante euentum cõditionis licet resilire mutuo consensu. Quæ omnia indicant re ipsa tantum esse consensum sponsalium. Et ratio quasi à priori est. Quia, vt dixi supra isto lib. c. 1. hæc est notissima in iure differentia inter obligationẽ in diẽ, & obligationẽ sub conditione: quod obligatio in diẽ statim oritur; & quãuis ante diẽ peti non possit, attamẽ antediẽ debetur, & de præsenti obligatio est, & inde est vt cedat dies legati; & si ante diem decedat legatarius, transeat ad hæredes, neque intercidat aut pereat legatũ. At quando est obligatio conditionalis, neque debetur ante impletam conditionem, neque cedit legato dies, & si eo tempore ante euentum conditionis moriatur legatarius, nõ transit ad hæredes ius legati, sed perit legatum. Ex qua recepta & verissima doctrina, manifestũ est obligationẽ, quæ nascitur ex cõtractu cõditionali, nõ esse obligationẽ præsentem eius cõtractus, sed tantũ esse quasi promissiones cõtractus, qui posita cõditione fieri debent, & compelluntur facere contrahentes.

15 Verum posset aliquis primam sententiam magis explicando dicere ad hæc omnia, quando matrimonium consensu conditionali perficitur, consensum quidem esse de præsenti, suspensum tamen, & nondum parere obligationem, quæ est vinculum matrimonij in facto esse, donec eueniat cõditio. Itaque consensum de præsenti esse, obligationem tamen, quæ nascitur ex consensu vinculi matrimonialis nondũ exstare. Exẽplis res ista declarari potest. Cum quis profert verba, formæ sacramenti, quamdiu durat prolatio, manet suspensa significatio, & effectus non sequitur, donec completa sit prolatio & significatio. Ita ergò antequam eueniat conditio, suspensus est consensus, vt non pariat effectum, hoc est, obligationem vinculi; posito autem euentu cõditionis, tunc quasi accedente iam vltimo complemento consensus præsentis, ponitur obligatio. Declararique amplius potest. Ponamus consensum necessariò duraturum per aliquod tempus, donec impleretur illud tempus, nondum diceretur consensus obligationem parere, nisi quando accesserit vltimum instans tẽporis: in quo consensus finiretur. Sic ergo considerandum est tempus vsque ad conditionis euentum, donec enim eueniat nondum est perfectus consensus, & ideo habet locum reuocatio & contractus purus cum alio, quia cum nondum aduenerit quasi instans sui complementi, nondum peperit obligationem matrimonij. Hanc explicandi rationem paucis attigit Henriquus Canisius in Rubrica *ad tit. de condit. appos.* circa finem.

16 Sed quamuis acuta hæc explicatio sit, & quæ non difficile sustineri posset, adhuc tamen contra illam est, quod Pontifex in ea conditione, *si pater consenserit*, planè dicat esse consensum de futuro. Et præterea, quantumuis acutè explicetur & verbis adumbretur, si tamen exactius consideretur, totum hoc non transcendit limites sponsalium, vt videmus in effectibus, qui ex eiusmodi consensu conditionali sequuntur, & est euidens signum constantis obligationis & naturæ illius. An autem sit necessarium post euentum conditionis nouum consensum adhibere, & an in hoc sit eadẽ ratio de alijs contractibus & de matrimonio, dicam cap. sequenti.

17 Vnde colliges verũ esse quod dixit Couarr. 2. p. c. 3. in principio, nu. 4. Soto in 4. dist. 29. q. 2. art. 1. ante conclus. secundam, conditiones nunquam reuera apponi

matrimonij contractui, quasi efficiatur matrimonium conditionale, sed tantum apponi consensui, ex quo eueniente conditione sequetur postea matrimonium. Quod quidem licet prædicti Doctores nō satis explicēt, hūc tamē sensum habet, quia si apponeretur cōditio matrimonij cōtractui, esset cō ditionale matrimonium, quod redderetur purum euentu conditionis, neque nouus consensus necessarius esset, vt in alijs contractibus accidit. At nunquam est matrimonium conditionale, cum post euentum conditionis contrahatur de nouo matrimoniū, vt dicam cap. sequenti; tantum enim sunt sponsalia. Igitur verè & re ipsa non apponitur conditio matrimonio. Ex quo etiam consequens est, vt non apponatur conditio consensui requisito ad matrimonium, nam etiam eueniente conditione opus est nouo consensu absoluto, quo tunc reuera contrahatur matrimonium. Apponitur ergo conditio consensui tantum, ex quo natum est postea sequi matrimonium & consensus illius eueniente conditione. Probat Couar. hanc doctrinam loco citato ex eo, quod matrimonium sit actus legitimus, atque adeò non recipiat diem, neque conditionem iuxta textum in *cap. actus legitimi, de regulis iuris in 6. & in l. actus legitimi 77. D. eodem.* Hæc autem probatio ex dicta regula non est sufficiens. Dixi enim supra cap. 1. quomodo intelligatur.

18 Hanc etiam doctrinam docuit post Couarruuias, Thomas Sāchez lib. 5. disp. 1. concluſ. 2. Sed reuerà non satis videtur intellexisse huius sensum, neque quid sibi voluerint Soto & Couarruuias dum dixerunt apponi conditionem consensui non contractui: & ita postea eodem libro disput. 8. n. 5. docuit matrimonium sub conditione celebratum non egere nouo consensu, neque celebratione post euentum conditionis, sed purificari sicut alios contractus. Quod si verum esset, non posset verè affirmari conditionem non apponi matrimonio, sed consensui. Magis consequenter locutus est Henriquus Canisius loco citato, qui cum hanc, quam Couarruuias docet, doctrinam reprehendit, asserit etiam consequenter matrimonio conditionem apponi, & ita post euētum conditionis perfici consummatione, non tamen denuò celebrari, vel cōtrahi matrimonium. Sed adhuc posset etiā Thomas Sanchez eam doctrinam suo sensui accommodare, si diceret verum esse conditionem non apponi matrimonio, sed cōsensui; quia vt dicebam modo in explicatione primæ sententiæ, donec eueniat conditio, nondum consensus completus est, neque obligationē peperit, & ex cōsequēti neq; matrimoniū, quod in ea obligatione consistit. Quādo autem aduenit obligatio, in qua consistit matrimonium, iam est impleta conditio, & ita consensui quasi suspenso, atque pendenti apposita est conditio, non verò matrimonio, hoc est, obligationi & vinculo, quoniam illud consurgit & supponit impletam conditionem. Sed si hoc attentè inspiciatur, nihil aliud est, quàm dicere conditionem apponi consensui sponsalium, non matrimonij, cum re vera consensus ille non matrimonij sit, sed sponsalium, vt dictum est.

19 Quæret ergò aliquis, quem effectum habeat ea conditio apposita matrimonio. Respondetur cum communi Doctorum, cō ditiones has contingentes appositas matrimonio, & alijs contractibus eum effectum habere, vt suspendant obligationem perficiendi contractum, donec purificetur conditio, *§. sub conditione, & §. ex conditionis, inst. de verb. obligat.* Oritur tamē inde obligatio expectandi euentum conditionis. Vnde ibi duplex obligatio interuenit. Vna conditionalis pendens in futurum perficiendi contractum, si conditio eueniat, alia pura & præsens expectandi conditionis euentum. Quantum verò temporis expectandum sit dicam cap. vltimo.

20 Secundò colligitur quid dicendum sit cum quæritur, an si aliquis contrahat sub conditione cum aliqua, & postea cum alia etiam sub conditione, cui contractui standum sit, primo ne an secundo? Nonnulli censent neutrum esse validum, cum adimpletur conditio, quia est incertitudo, siue diuersitas personarum, quæ vitiat matrimonium, *cap. ex literis 2. de sponsal.* Sic docet citatis alijs Thomas Sanchez disput. 8. num. 25. At mihi videtur verius standum esse primo. Quia cum isti contractus sint æqualis efficacitatis, secundum se ante euētum conditionis, secundus non rescindit primum, ac si ipsi contractus essent absoluti, secundus enim est omnino nullus, vt magis constabit ex his, quæ subijciam: Hanc sententiam tenet Petrus Ledesma disp. 47. art. 5. pag. mihi 252.

21 Tertiò colligitur; quid dicendū sit in eo, quod quæri solet, cui cōtractui standum esset in casu, quo cōditio secūdi contractus priori loco adimpleretur. Quia in hoc casu iam

iam ille secundus contractus videtur absolutus & purus ab omni conditione priori remanente sub conditione. In quo Thomas Sanchez disput. cit. nu. 18. censet non esse validum primum contractum sponsalium, quia per secundum videtur reuocata voluntas. Ego tamen existimo etiam in hoc casu standum esse secundum ius naturale priori promissioni, quod etiam docet Petrus Ledesma loco cit. Ratio, quæ me mouet, hæc est. Quia vna obligatio pura non rescindit aliam puram, quando vtraque oritur ex sola promissione. At contractus prior conditionalis habet puram obligationem expectandi conditionis euentum, vt iam dixi; is enim cum quo prior contractus celebratus est, ius adquisiuit contra alterum, vt expectaret exitum conditionis, quod etiam fatetur Thomas Sanchez nu. citato. Quod si verum est, non potuit esse verum non valere primum contractum. Neque sufficiens euasio est, quod dicit non valere in ratione sponsalium, sed tantum in ratione promissionis, eo quod recesserit à contractu sponsalitio. Sed id verum esset, si sponsalia vnius tantum dissensu dissoluerentur, quod tamen secus est. Manet ergò validus prior contractus conditionalis in ratione sponsalium, qualis erat à principio.

22 Quartò colligitur ex contractu conditionali trãsire obligationem ad hæredes, quia est obligatio iustitiæ & ideo, §. *ex conditionali, insit. de verb. obligat.* dicitur *ex conditionali stipulatione, spes est debitum iri, eamque ipsam spem inhæredes transmittimus, si prius quam conditio extet, mors nobis contigerit.* Estque communis doctrina, vt docet Molina tom. 2. de iustitia disput. 285. post tertiã concluf. Quod de cõditione casuali & mixta receptum est, & de potestatiua, quæ necessariò personæ adhæret, ita vt sit de aliquo, quod necessario adimplendum est per personam, cui fit promissio. Tamen de potestatiua conditione, quæ non ita adhæret personæ, non est sine controuersia. Bartolus enim & communis iuris peritorum sententia negat. Existimo tamen veriorem sententiam oppositam transire scilicet, ad hæredes, vt docet Molina, disput. citata, & probatur ex *l. 2. C. de pactis & l. 42. tit. 5. partita 5.* & idem conuincitur à simili ex *l. veteris. C. de contrahenda & committenda stipulatione.*

23 Quintò colligo in cõtractibus ex eo, quod facti sint sub conditione in futurum pendente, neque sit adhuc conditio impleta, non magis habere locum reuocationem, neque magis posse addi grauamen aliquod aut restrictionem, quam si purè essent facti. Estque communis sententia, & colligitur ex *l. potior. in principio, versiculo videamus, D. qui potiores in pignore habeantur.* Et probari facile potest. Quia in huiusmodi stipulationibus & promissionibus statim atque acceptatæ sunt, atq; in suo ordine & gradu perfectæ, eodemmodo oritur obligatio & debitum in spe, ac ex ijsdem purè factis oritur obligatio, & debitum in re. Ergò eo ipso quod talis contractus sub conditione perfectus est in suo ordine, neque limitatio, neque grauamen apponi potuit. Communis etiam doctrina est, contractum conditionalem quantum ad effectum, vt recedere non liceat pendente conditione esse perfectum & purum Glossa & DD. *in l. necessario, §. quod si pendente, De peric. & com. rei vend.* & citatis alijs. Rota apud Seraphinum Dec. 724. n. 17. & 838. n. 10. & 1157. n. 4. Quæ doctrina magis confirmantur quæ nu. 20. & 21. dicta sunt.

24 Denique ex his constat ad fundamẽta primæ sententiæ. Quid enim sibi velint Pontifices in dictis capitibus iam explicatũ est. An autem etiam alij contractus sub conditione celebrati non sint veri contractus, sed futuri sint contractus & tunc fiant, quando adest conditio, posito nouo consensu, dicam cap. sequenti, vbi etiam alia argumenta proponam, & dissoluam.

An matrimonium, & alij contractus sub conditione celebrati indigeant nouo consensu post euentum conditionis?

CAPVT XIIII.

SVMMARIVM.

Purificari contractum euentu conditionis sine nouo consensu, n. 1.

Secunda sententia distinguit inter matrimoniũ, & alios contractus, n. 2.

Matrimonium non purificari solo euentu conditionis sine nouo consensu, n. 3.

Probatur, num. 4.

Id verum etiam si matrimonium possit fieri conditionale, n. 5.

Explicantur quæ dicta sunt, n. 6.

Contractum promissionis validum purificari solo euentu conditionis, n.7.
Contractus traditionem in essentia exigens non purificantur solo euentu conditionis, n.8.
Secus qui non includunt traditionem, n.9.
In his impleta conditione statim posse peti rem in iudicio, n.10.
Alia colliguntur, n.11. 12.
An id habeant isti contractus ex natura rei. Opinio negans, n.13.
Oppositum verius, n.14.
Componuntur istæ sententiæ, n.15.
Soluuntur argumenta primæ sententiæ, n.16.

1 DE matrimonio tantū hæc quæstio disputari solet, sed explicabimus etiam, quid in alijs contractibus dicendum sit. Prima sententia affirmat in vniuersum contractum omnem tàm ciuilem, quàm matrimonij purificari solo euentu conditionis sine nouo consensu. Ita docet Innocētius, & Panormit. in *c. de illis, de condit. apposit.* & plures alij interpretes iuris canonici, ibidē, Syluester *matrimonium* 3. n.6. & 9. Nauar. in Sūma c.22.n.63. & 65. Paludan. in 4. dist.29.q.2. Petrus Soto lectione 3. de matrimonio, Thomas Sāchez d.lib.5.disput.8. n.5. AEgidius disput.29. dubio 2. Hēriquus Canisius in Rubrica, *de condit apposit.* & alij. Probant autem de matrimonio simili desumpto ex alijs contractibus. Quia omnes alij contractus cōditionales impleta cōditione purificātur sine nouo cōsensu, quilibet enim potest trāsferre dominiū suarū rerū cū tali vel tali conditione. Ergo etiā potest trāsferre dominiū sui corporis sub cōditione; nulla enim inter hæc videtur posse assignari ratio discriminis. Secūdò probatur. Quia cōtractus matrimonij celebratus sub cōditione, ea impleta habet nouā obligationē. Sed hæc nō est obligatio sponsaliū, quia ante impletā conditionē erat sponsaliū obligatio. Ergo cōditione impleta maior obligatio est, quā spōsaliū, ac proinde erit obligatio matrimonij. Idē etiā argumentū fieri potest in alijs cōtractibus. Quia impleta cōditione in emptione, verbi gratia, iam est obligatio tradēdi rē; obligatio autē signum est perfecti cōsensus, cum sit passio illius. Tertiò quia consensus nihil efficit vltra intentionē contrahentiū, *l. non omnes, D. si certū petatur.* At intētio cōtrahentiū non est cōtrahere sponsalia de futuro, sed matrimoniū. Ergo efficit matrimonium de præsenti, & ex consequēti non est necessarius postea nouus consensus post impletam conditionem. Quartò, si Titius contrahat de præsenti cum Seia ad hunc modum, *contrabo tecum, si consenseris*, in isto casu matrimonium pendet ex futuro consensu libero alterius; illa autē consentiēte non est necessarius nouus consensus, vt constat manifestè. Ergo etiam adueniente conditione sine nouo consensu fit matrimonium.

2 Secunda sententia duo docet. Primū est contractum matrimonij non purificari euentu conditionis, sed vlterius requiri nouum consensum. Secundum est, alios cōtractus ciuiles purificari solo euentu conditionis, etiāsi non accedat nouus consensus. Sed inter Authores huius sententiæ dissensio est. Nam quidam dicunt alios cōtractus à matrimonio purificari solo euentu conditionis ex dispositione iuris positiui tātum, alias enim attento iure naturali non purificarentur, sicut neque purificatur matrimonium. Alij verò dicunt purificari ex ipsa natura rei, etiā sine dispositione iuris positiui. Itaque quidam ex eis constituūt hoc discrimen inter matrimoniū, & alios contractus ex solo iure positiuo statuente, vt alij cōtractus ciuiles habeātur puri impleta cōditione: alij vero hoc discrimen dicunt esse ex natura rei, quia ex ipsa rei natura oritur, vt matrimoniū non purificetur sine nouo consensu; alij vero purificentur sine noui consensus accessione. In prima parte huius sententiæ conueniunt ferè omnes Theologi cū D. Thoma in addition. q.47.ar.5. circa finē, vbi dicit, in matrimonio conditionali idem esse atque de cōsensu qui fit per verba de futuro, atque ideo non effici matrimoniū sine nouo cōsensu, sicut & sponsalia sine consensu nouo nō transeūt in matrimoniū. Idē docuit Victoria in relectione de matrimonio, p.1. pūcto 2. Soto in 4. distin. 29. q.2.art.1. post Adrianum in 4. q.3. de matrimonio, §. *sed salua reuerentia.* Couar. p.2. c.3.n.5. Valētia, q.2. puncto 3. dubit.1. Petrus Ledesma hāc sententiā probabiliorē iudicat de matrimonio, q.47.art.5. in dub.1. de condit. honestis cōclus.2. Estque inter Theologos cōmunis. Qui sint autē, qui de alijs cōtractibus diuersimode sentiunt adducam postea. Atque hæc sententia mihi videtur vera, explicanda tamen per partes tàm in matrimonio, quàm in alijs contractibus.

3 Dico ergo primo. Contractus matrimonij non purificatur solo euentu conditionis, sed necessarius est nouus consensus. Hanc partē docent Authores modo citati. Nonnulli probant ex eo, quia matrimoniū

perti-

pertinere dicunt ad eos contractus, qui traditione perficiuntur, ita vt essentia illius cõsteat traditione, & translatione dominij corporum; quãuis ea traditio non fiat alio actu diuerso à consensu sensibiliter expresso, vt contingit in alijs contractibus, quorũ essentia etiam si traditione constet, est tamẽ alius actus traditionis præter consensum sensibiliter expressum. Illi autem contractus, qui traditione perficiuntur, non cẽsentur puri solo euentu conditionis, nisi adsit traditio, vt statim dicam.

4 Verùm hæc ratiõ non est efficax, tum quia contractus matrimonij partim conuenire videtur cum his contractibus, qui traditione perficiuntur, quoniã eius essentia consistit in translatione dominij corporum, partim ab illis differt. Id enim certum esse debet semel expresso sensibiliter consensu nõ esse licitum cõtrahere cum alio, contra ius prioris coniugis, in quo multum differt ab his contractibus, qui solo consensu perficiuntur, vt verbi gratia, ab emptione & vẽditione, in qua ante traditionem emptor nõ adquirit perfectum dominium rei, & ita vẽditor potest validè, licet illicitè celebrare contractum venditionis cum secundo emptore. Et denique, quãuis certum esset pertinere ad eos contractus, qui traditione perficiuntur, tamen adhuc esset diuersa ratio, ob quam, licet alij contractus non purificentur solo euentu conditionis, matrimonium tamen purificetur. Quia alij post consensum sensibiliter expressum requirunt alium actum traditionis, quod in matrimonio non contingit, cum in consensu ipso sensibiliter expresso sit acceptatio & traditio mutua ex parte vtriusque coniugis. Maxime, cum ea manuum porrectio possit esse signum traditionis, & possessionis, imo & aspectus. Nonnunquam enim solo aspectu adquiritur dominium, & possessio, §. 10. *instit. de rerum diuisione*, ibi, *eo vsque intelligitur esse tuũ, donec in conspectu tuo fuerit*. Vera ergo ratio desumitur ex dictis cap. præcedenti. Quia consensus ille sub conditione celebratus non est consensus matrimonij, sed tantum sponsalium. Ergo eueniente conditione necessarius est nouus consensus de præsenti, ad perficiendum matrimonium.

5 Dico secundò. Etiam si matrimoniũ posset fieri conditionaliter, eo modo quo primam sententiam explicabamus cap. præcedenti adhuc necessarius esset nouus consensus ad perficiendum matrimonium post euentum conditionis. Cuius ratio desumenda est ex peculiari natura huius contractus, indicauitque eam rationem Rebellus, q. 10. sectione 6. n. 45. Hic enim cõtractus ob perpetuitatem suam diuersam exigit rationem consensus, & nunquam consensus conditionatus sufficit in eo ad transferendum dominium, licet in alijs sufficeret, de quo statim. Alij enim contractus rescindi possunt, & transferri dominium ad tempus potest; matrimonium verò, si semel habeat valorẽ, nunquam potest rescindi, & ideò ex natura ipsa rei non potest fieri sub conditione, sed si fit, absolutè debet fieri, & debet tradi dominium perpetuum. Quam rationem tradit etiam Petrus Ledesma art. 5. citato dub. 1. de condit. honestis in solut. ad argumenta principalis dubij, pagina mihi 248. columna 1. prope finem. Vnde sicut matrimoniũ exigit plenum voluntarium, vt dicam infra lib. 4. Ita ex eadem radice oriũtur alia duo. Primum est, vt si exprimatur consensus de præsenti dependens à futura conditione, & ante euentum conditionis retractetur, non teneat contractus. Id quod certum est apud omnes, & ita iudicat Ecclesia cognita veritate præcedentis consensus, & subsecutæ retractationis. Secundum est, vt non purificetur solo euentu conditionis, sed iterum nouus consensus requiratur, vt contractus iste natura sua perpetuus celebretur plenè voluntariè, liberè, & cum maxima aduertẽtia. Quare non est isti consensui conditionato in contractu matrimonij ea innata efficacitas, vt perficiat contractum. Quod inde colligi potest. Quia si eam efficacitatem haberet, parum prodesset retractatio ante euentum conditionis. Et præterea idem potest à signo ostendi, quia siquis sub conditione contraxit cum vna, & ante euentum conditionis purè contrahat cum alia, illud matrimonium valet. Ergò prius aliud non erat matrimonium. Quare post Tridentinum non satis erit matrimonium sub conditione celebratũ esse corã parocho, & testibus, neq; corã illis impletã esse conditionẽ, sed id solũ necessariũ est, & sufficit, vt post impletã conditionẽ adsit renouatio cõsensus, tunc enim fit matrimonium, & non antea.

6 Id autem quod diximus intelligendũ est, nisi aliquo facto exprimat se à conditione recedere, & nouum consensum indicet. Vnde siquis contraheret sub ea conditione, *si tui fratres assensum præstiterint*, & ante requisitũ cõsensum copulẽtur, valet matrimoniũ quia recessisse videtur à cõditione, & facto ipso præstitisse cõsensum. Ita respõdit Cardinalium

nalium congregatio bis consulto Pontifice. Quare non eadem ratio est sponsaliorũ, & matrimonij sub conditione futuri; illa enim non transeunt in matrimonium subsecuta copula, post Tridentinum, hoc verò maximè. Atque hæc de matrimonio, agamus iam de alijs contractibus.

7 Dico tertiò omnem contractum promissionis validũ sub conditione futuri euẽtus purificari solo euentu conditionis. Dixi validum propter sponsalia, quæ celebrantur inter impeditos sub conditione dispensationis, quæ non existimo valere in ratione sponsalium, vt dicam infra lib. 12. cap. 7. Hæc conclusio videtur certa, neque potest de ea vlla esse controuersia. Quia vt consurgat obligatio promissionis, sufficit consensus promissorius, vt planum est. Hic autem potest haberi depẽdenter â cõditione futuri euẽtus. Ergo adimpleta cõditione obligatio cõditionalis trãsit in purã. Idque frequẽter docẽt Auctores agentes de cõtractu sponsalitio, & in specie docuit Enriquez lib. 11. de matrimonio, c. 13. §. 7. & de obligatione voti id docent cõmuniter Doctores, cum dixerunt de voto conditionali. Quod ita verum est, vt post emissum votũ & acceptatã promissionẽ humanã, non sit liberũ ei, qui promittit, discedere à promissione sine causa, & velit nolit, purificata cõditione cõsurgit obligatio. Vide quæ docet Molina 2. tomo de iustitia disp. 285. concluſ. 4. Fauet etiã his Decis. Rotæ apud Seraph. 1156. num. 5.

8 Dico quartò de contractibus, quorum essentia traditione constat, censeo non perfici solo euentu conditionis. Id quod certũ debet esse apud Doctores. Et ratio est plana. Quia nisi re ipsa fiat traditio rei, non cõsistit essentia horum cõtractuum. Ergo quãtumuis purificetur conditio, nõ est integra horum contractuum essentia, quando nõ sequitur traditio. Quantumuis enim per verba de præsenti sub conditione de futuro, & adimpleta conditione intelligamus aliquẽ obligatum ad mutuãdum, tamen re ipsa nõ tradita non intelligitur mutuum, cuius obligatio ex datione rei oritur, vt habetur, *inst. quibus modis re contrahitur obligatio, in principio*, vbi dicitur, *vt in mutui datione*. Ex quo loquendi modo Iustiniani planè colligitur non esse obligationem mutui, vbi non est res, ex cuius datione oritur obligatio: obligatio enim mutui re ipsa contrahitur, & ita obligatio soluendi quando aliquid emitur pecunia credita non est obligatio mutui.

9 Denique dicendum existimo ciuiles contractus, qui in sui ratione non includũt traditionem purificari solo euentu conditionis, sine nouo consensu. Probatur primo ex *l. hæc venditio, D. de contrahenda emptione*, in qua dicitur conditionales vẽditiones perfici, cum impleta fuerit conditio. Quam doctrinam merito recipiunt iuris periti. Ratione etiam probari potest hæc sententia, quia per hæc verba, *vendo tibi rẽ hanc ex nũc pro tali die sub tali euentu*, purificata conditione oritur obligatio venditionis. Ergo signum apertum est purificari contractũ: obligatio enim signũ est, quasi effectus, aut passio ad colligendum contractum. Antecedẽs patet, quia licet illa verba significent consensum de præsenti, dependentem tamen à conditione de futuro; tamen obiectum futurum horum verborum non est ipsa venditio, sicut si quis diceret, *promitto tibi futuram venditionem*, sed obiectum illius est traditio ipsa futura, ad quam nõ oriturius ex tali vẽditione, nisi purificata conditione, quod est ius conditionale.

10 Ex dictis colligo primo posse eum, cum quo celebratus est huiusmodi contractus, adimpleta conditione petere rem illã in iudicio propter ius adquisitum ex contractu, qui iam est purus semel impleta conditione. Quod si non possit in iudicio probare, potest sibi compensationem facere; iuxta regulas occultæ compensationis, de quibus in materia de furto, vtitur enim in eo casu iure suo.

11 Secundò colligo à tempore impletæ conditionis eodem modo philosophandũ esse de re illa respectu emptoris & venditoris, sicut si ab eo tempore celebrata esset pura venditio, quia ab eo tempore transit in purã. Vnde ab eo tempore iudicandũ est de gabella, iuxta ea quæ dicũtur in materia de furto. Videndus Molina tom. 2. disp. 337.

12 Tertiò colligo prædictam doctrinam esse veram, etiam si alter contrahentium ante euentum cõditionis velit retractare priorem consensum. Et ratio est, quia contra ius alterius contrahentis retractatio vendentis nihil facit, vt suprà dicebam de promissione conditionali.

13 Sed quæstionem habet an huiusmodi contractus, de quibus locuti sumus in vltima conclusione, quod purificentur solo euentu conditionis, id habeãt ex dispositione iuris, an vero ex ipsa natura rei. Quidã negant id habere ex ipsa natura rei. Pro qua sententia potest referri Soto in 4. loco citato, qui rem hãc obiter attingens dicit præ-

sumi

sumi cõsensum permanere in virtute, quousque cõditio superueniat, & ideo licet primus consensus fuerit de futuro, impleta tamen conditione confirmatur cõtractus. Vnde videtur sentire Soto solo euentu conditionis non purificari cõtractũ ex natura rei, licèt dicatur purificari, quia præsumitur manere cõsensus. Pro hac etiã sententia, potest allegari Victoria 1. p. relectionis de matrimonio pũcto 2. vbi sentit expresse solo euẽtu cõditionis nõ purificari contractũ ciuilẽ, sed tãtũ ex dispositione iuris positiui, quod statuit vt siquis contrahit, velit nolit, stet cõtractui. Quæ sententia probari potest à simili de contractu matrimonij, & ijsdem rationibus, quibus de matrimonio probatur. Quia talis cõsensus, etiamsi exprimatur per verba de præsenti, pendet tamen à conditione de futuro, atque adeo tantum est consensus promissorius. Ergo per illum solum non celebratur contractus requirens cõsensum de præsenti. Adde quod in *c. super eo, de condit. appos.* dixit Pontifex consensum esse de futuro, quantumuis exprimatur per verba de præsenti, si pendeat à futura conditione, de hoc enim erat sermo in eo cap. Huic etiam sententiæ fauet Rebellus loco citato n. 45. & eandem tenuit Valẽtia disp. citata q. 3. puncto 3. dubit. 1. §. *ad argumentum autem*. qui sic explicans dicit, alios contractus à matrimonio non effici validos in sua specie, nisi repetantur, sed tantum confirmari tunc promissionem de effectu taliũ contractuum, quæ fuerat inclusa in verbis de præsenti pendentibus ex futura conditione, exempli gratia, si dicas, *emo àte domũ, si pecunia mihi allata fuerit ex India*, non est vera emptio; nec sit verus contractus emptionis, etiam tunc cum impletur cõditio, sed est promissio de emptione, quæ postea confirmatur conditione adueniente. Vt autem efficiatur emptio de præsenti, necesse est tunc repetere contractum. Quare cum dicitur talis contractus emptionis conditionatæ valere postea, simul atque conditio impletur, non debet hoc ita intelligi, quasi absque alia repetitione, tunc valeat tanquã verus emptionis contractus, sed dicitur valere, quoad effectum quidẽ emptionis, quia scilicet per leges & per magistratus authoritatem, ij qui sic contraxerunt cõpelli possunt ad id ipsum præstandũ ex antecedenti illa promissione, quod ex vi alioqui emptionis præstari similiter deberet, nẽpe, vt ipsammet emptionẽ & venditionẽ actu exequantur. Et quidẽ isti Doctores ideò vniuersim eodem modo de omni contractu locuti sunt, quia difficile videtur assignare discrimen inter matrimonium & alios ciuiles cõtractus, cur matrimonium non purificetur sine nouo consensu, alij verò maxime.

14 Alij tamen existimant quod huiusmodi contractus purificentur solo euentu conditionis sine nouo consensu oriri nõ ex speciali iuris positiui dispositione, sed ex ipsa rei natura. Sic docet Petrus Ledesma loco cit. impugnans Victoriã in hac parte, & ego ita sensi in prima editione libri de impedimẽtis matrimonij, c. 17. §. vlt. Et pro hac sententia potest confici primũ argumẽtũ desumptũ ex cõmuni modo concipiẽdi, cõmuniter enim fiunt huiusmodi cõtractus neque renouatur cõsensus, & ex natura rei possum ego pro mea voluntate transferre dominiũ rei propriæ, vel purè vel conditionaliter. Et hoc docent I. C. in *l. cedere diem, de verb. sign. & in d. l. hæc venditio, D. de contrahenda emptione*: Vbi asserunt, quod cõtractus cõditionales aduenientè conditione perficiuntur. Idem habetur in *l. 2. D. de in diem adiectione*. Sine fundamento autem dixit Victoria id esse dispositum iure positiuo, quasi eo secluso, nõ ita esset ex natura rei. Nã citata verba nõ significãt nouũ iuris dispositionẽ, sed iuris naturalis explicationẽ. Nullum enim est verbũ, ex quo possit probabiliter colligi legẽ voluisse in eo casu supplere cõsensum, si aliàs non erat celebratus contractus. Id quod maximè aduertendũ est in dispositionibus iuris positiui, quãdo de contractibus est sermo. Sine fundamento enim, & clara dispositione dicendũ nõ est legem in aliquo casu trãsferre dominiũ, & disponere contractũ censendum esse purum sine cõsensu contrahentium. Deinde verba illa citata nõ sunt Imperatoris, sed Vlpiani explicantis potius naturam illorum contractuũ, quàm statuentis aliquod ius circa illos. Rursus aliud est forum externum interdum præsumere celebratũ contractũ propter externa signa, quæ prudenter inferunt internum consensum; aliud verò velle contractũ esse validũ, etiã quando nõ sunt signa, ex quibus possit prudenter colligi consensus. Et licet illud prius frequẽter iudicetur in foro exteriori, posterius nũquã fit sine aperta dispositione legis. Ex qua doctrina facile etiã refelli videtur, quod dicebat Soto. Nã si per contractũ celebratũ per verba de præsenti sub cõditione de futuro, impleta cõditione nõ purificatur ex natura rei, ergo per hęc signa non potest legislator prudenter præsumere

purificationem contractus. Legislator autem non ducitur præsumptione, nisi vbi externa signa prudenter inferunt consensum.

15 Hoc tamen disidium inter has sententias ego existimo posse ista ratione cõponi, si distinguamus institutionem iuris ciuilis, vel eam, quæ fuit ab initio in institutione istorum cõtractuum (sunt enim isti de iure gentium aut ciuili, & non de iure naturali) aut specialem aliquam iuris dispositionem, quæ velit post contractam emptionem conditionalem, verbi gratia, iterum renouari consensum. Si de prima intelligatur, non possum non iudicare veram primã sententiam Victoriæ & aliorum, quia existimo ob potestatem, quam habent iura in bona hæc subditorum potuisse disponere, & sic instituere contractus istos ciuiles, vt per consensum conditionatum secuto euentu conditionis transferretur dominium. Quis hoc neget? Non potuit autem sic disponere in contractu matrimonij; vt consensu conditionato transferretur dominium, quia cõsensus iste non est matrimonij, sed sponsalium, & ob specialem & magis excellentem naturam huius contractus, quæ absolutum cõsensum requirit iure naturali, à quo est eius institutio. Vnde suppositа hac primæua institutione horum contractuum, rectè Iure Consulti dicunt iuxta illam contractus istos perfici secuta conditione, & ob id non negant sic esse institutum iure ciuili, vel gentium primæua illa institutione, quia isti contractus inducti sunt. Et ideo consequenter iure cautum est, vt posita conditione iam gabella debeatur, non antea, vt dictum est; atque iuxta hanc explicandi rationem non habent vim fundamenta posterioris sententiæ.

16 Superest respondeamus ad argumenta in principio posita. Ad primum iam constat diuersam esse rationem contractuum ciuilium & matrimonij, & in quo ea diuersitas consistat, & vnde ortum habuerit. Ad secundum respondetur ante impletam conditionem esse obligationem puram expectandi euentum, & esse obligationem etiã sponsalium, conditionatam tamen: posita autem conditione non esse nouam obligationem, hoc est, diuersi generis, sed sponsalium etiam, maiorem tamen intra idem genus, quia iam posita conditione est pura obligatio, non tamen sufficiens ad matrimonium, sicut non sufficit purus consensus sponsalium. Ad tertium respondetur in his spectandam esse primò & præcipuè intentionẽ agentium. Quare, quando de ea nulla esset dubitatio, & constaret illos ita voluisse contrahere per consensum illum conditionatum expressum de præsenti, vt posita conditione non egerent nouo consensu, & aliás nihil voluerunt, & sic explicarunt, nihil effectum est. Non matrimonium, quia est consensus de futuro, quantumuis euidenter exprimant verbis de præsenti, vt dixit Pontifex in *d. cap. super eo. de condit. appos.* Neque sunt sponsalia, quia illa noluerunt efficere quandoquidẽ expresserunt se nolle aliquid aliud efficere, si non efficiebant matrimonium. At quando sine ea expressione contrahunt, tantum censentur sponsalia, quia consensus est de futuro, vt dictũ est. Ad quartum respondetur, non effici matrimonium in illo casu conditionale, quia ea conditio, *si Seia in me consenserit*, iure inest, cum non possit esse matrimonium sine consensu mutuo. Quare diuersa ratio est, quando contrahentes consentiunt simul, suspendunt que consensum vsque ad euentum conditionis. Quantum autem tẽporis intercedere debeat inter consensum vnius & alterius, vt simul esse censeantur dixi supra lib. 2. cap. vltimo.

An conditio, si Papa vel Princeps dispensauerit, sit reputanda inter possibiles?

CAPVT XV.

SVMMARIVM.

Quid agendum, num. 1.

Sub distinctione respondetur cum communi sententia, n. 2.

Explicantur quæ obstare videntur primæ parti, num. 3.

Secunda pars veræ sententiæ, n. 4.

Matrimonium sub conditione dispẽsationis, quæ obtineri non solet, nullum esse, n. 5.

Si obtineri solet, valere in ratione contractus cõditionalis, n. 6.

An etiam vt sponsalia, remittitur ad lib. 12. ibidem.

Si non exprimatur ea conditio, nullum esse, etiãsi statim de dispensatione obtinenda agant, numero 7.

Posse eum contractum confirmari iuramento, numero 8.

Consanguineos sic contrahentes liberari à censuris Clementinæ, num. 9.

In ma-

In maioratu appositam conditionem ducendi con sanguineam, valere, n. 10.
Idem si teneantur impedimento tantum impedienti, num. 11.

1 QVIA tàm matrimonium, quã sponsalia & alij contractus fieri possunt sub ista conditione, *contraho tecum, si Papa dispensauerit in impedimento consanguinitatis*; itẽ, *instituo te filium spurium, si Princeps legitimauerit*, ideò explicandum est, an ea conditio, quæ reijcitur in voluntatem Principis, censeri debeat turpis vel impossibilis, an licita & possibilis, ex eo enim colligemus, quæ sit vis & valor eiusmodi contractuum.

2 Et in hac re certo iure vtimur sub quadam distinctione. In his rebus, in quibus Princeps non solet dispensare, conditio impossibilis ea censetur in iure, *si princeps concesserit, vel dispensauerit.* Secunda pars est. In his, quæ solet concedere, etiamsi ex graui tãtum causa concedat, est conditio possibilis & honesta, *si Princeps concesserit.* Primam partem tradunt Doctores cõmuniter, quos refert Thomas Sanchez lib. 5. disput. 5. nu. 5. & sequitur, num. 12. Petrus Ledesma d. art. 5. in dub. 2. de condit. honestis. Rebellus lib. 2. de Matrimonio, quæst. 10. sect. 6. num. 46. Atque iuxta huius distinctionis primam partem accipienda sunt iura *in l. 1. & l. stipulatio, & l. continuus* 137. *D. de verb. oblig.* vbi expresse dicitur, quod conditio, quæ pendet ex voluntate Principis mutantis ius, censetur impossibilis, *l. idem Iulianus, D. de leg. 1.* vbi dicitur, quod id quod nõ potest fieri sine dispensatione Principis cẽsetur iure impossibile.

3 Neque his obstant iura in *l. si stipuler, vers. item quod leges D. de verb. oblig.* vbi habetur quod stipulatio de eo, quod leges prohibent, nulla est, exemplum adhibetur in lege, vt siquis stipuletur sororem suã ducturum: addit etiam lex hoc esse verũ, quãuis causa impedimenti non sit perpetua, vt accidit in sorore adoptiua, quæ quãuis possit fieri non adoptiua per emancipationẽ; tamen siquis stipuletur cum illa, dum est adoptiua illam sibi nupturam esse, nullius momenti dicitur esse stipulatio, & nequeoriri censetur aliqua obligatio, etiam ea emancipata, & sublato impedimento; subditque textus rationem, quia ea stipulatio ab initio est contra bonos mores. Et in *l. inter stipulantem, §. sacram, D. de verb. obligat.* cum dicitur, quod stipulatio de re sacra vel publica, vel homine libero nulla censetur, licet res sacra possit fieri profana, & publica res priuata, & homo liber possit fieri seruus. Hæc, inquam, iura non obstant. Intelligenda enim lex *si stipuler*, de promissione absoluta, non conditionata, & quando non exprimitur ea conditio, *si Princeps voluerit.* At vero in *l. inter stipulantem* ideo nõ valet stipulatio rei sacræ, publicæ, aut hominis liberi sub conditione ad tempus reiecta, quo homo cæperit esse seruus, aut res sacra profana, & publica priuata, quia illud expectare esset inciuile & triste, vt ibi ait textus. Non autem est expectandus tristis euentus, *l. cum tale in principio, D. de condit. & demonst.*

4 Secunda vero pars probatur in primis ex *l. apud Iulianum* 40. *D. de leg.* 1. Quoniam commercium eorum, nisi iussu Principis non est, cum distrahi non soleant. Facit etiam, quia actus prohibitus collatus in tempus habile valet, *l. in tempus, D. de hæred. inst.* vbi dicitur, *in tempus capiendæ hæreditatis posse hæredem instituì; beneuolentius est, vt si quis instituat Lucium hæredem cum capere poterit.* Idem est in legato, *l. Gallus, in principio, & in §. instituens D. de liber. & posth.* Facit etiam textus in *l. Quidam relegatus, D. de reb. dub.* Vbi legatum relictum à testatore in hunc modum, *si aliquis ex meis hæredibus, vel amicis restitutionem mihi impetrauerit, & ante decessero, quam ei gratias egerim, volo ideo dari centum*; impetrauit ex eis vnus, & antequam sciret testator, ille decesit; Respondet I. C. legatum deberi. Valuit ergò quãuis relictum dependenter à conditione, quę erat in voluntate Principis. Facit etiã quod quis potest stipulari sibi dari rem suam sub hac conditione, *si sua esse desierit*, & impleta cõditione esse obligationem stipulationis, quamuis facta pure & sine conditione esset inutilis, *l. si rem meam* 31. *& l. nemo rem* 82. *D. de verb. oblig.* Facit etiam, quod institutio filij spurij valida est sub ea conditione. *si Princeps eum legitimauerit*, vt docent Doctores *in d. l. Gallus, §. vt instituens*, de quo Couarruuias 2. p. cap. 8. §. 5. nu. 12. Facit etiam, quod quando inter duos de aliquo beneficio lis est, licet illis paciscì & promittere pensionem, *si Papa dispensauerit*, Quod sine ea conditione illicitum esset, ex communi Doctorum sententia in materia de beneficijs. Denique facit, quod siquis cõtraheret cum infideli sub conditione, *si conuertatur ad fidem*, obligatio contractus est, vt habetur, *l. 4. tit. 4. partita* 4. & docent Soto

& alij, quia confertur in tẽpus habile, quãuis eo tempore sit inhabilis ad contrahendum cum infideli.

5 Ex hac doctrina, quæ vera est, & communi sensu recepta, colligitur primò, si matrimonium celebretur de præsenti sub conditione, *si Papa dispensaucrit inter eos*, in quorum impedimento Pontifex non dispensat, vt inter Patrem & filiam, duos fratres, nullum esse omnino, neque vim habere sponsaliorum; quia, cum conditio censeatur impossibilis, quia turpis & contra leges est huiusmodi dispensatio, & reijciatur, manet cõtractus purus inter inhabiles, & ideo nullus. Idem est, si quamuis dispensare soleat Ponrifex ex causa, attamen ea causa, ex qua solet dispensare; non est inter huiusmodi contrahentes; quia ea dispensatio non potest esse licita, & ex consequenti conditio eius dispensationis turpis est & reijcienda. Vtrumque docet Petrus Ledesma in dubio citato post tertiam conclusionem.

6 Secundò colligo. Matrimonium contractum inter duos impeditos eo impedimẽto, in quo solet ex causa Pontifex dispensare, & habentes iustam dispensationis causam, validum est in ratione contractus conditionalis iuxta dicta. Quæ sententia communis est inter Doctores, plures refert & sequitur Thomas Sanchez disput. 5. num. 12. Petrus Ledesma conclusione 3. dub. citato. AEgidius disput. 29. dub. 2. conclusione 4. Ratio deducitur ex dictis. Quia cõditio est honesta, & nihil ibi contra legem fit: lege enim non est prohibitum contrahere sub illa conditione, sed contrahere tempore, quo nõ sunt capaces purè & absolutè, quod tamen isti non faciunt. Vt enim dixi suprà, in contractu conditionali duæ insunt obligationes. Prima est pura expectandi dispensationem, altera conditionalis, cuius effectus suspenditur vsque ad euentum conditionis. Cumque prius sit conditionem impleri, vt habet Rota apud Farinatium, 1. p. 268. cit. alijs, quàm contractum perfici, cũ perficitur obligatio sponsalium, iam est tẽpus habile: impleta autem conditione contractus promissorius non indiget nouo consensu, vt dictum est cap. præcedenti. Addũt etiam valere non tantum vt nudam promissionem, sed vt sponsalia, contra Angles Petrus Ledesma dubio illo primo citato concluſ. 1. & Thomas Sanchez disput. 5. citata, num. 24. Sed hoc constabit ex his quæ dicam infrà lib. 12. cap. 7. de sponsalibus conditionatis.

7 Tertio colligo. Si matrimonium contrahatur inter impeditos non expressa ea conditione, nullum omninó est, & in hoc sensu dixi intelligenda iura supra citata. Limitandum tamen nonnullis videtur, nisi ex eo quod statim de obtinenda dispensatione agant, colligatur sub ea conditione tacite contraxisse. Neque obstat quod videatur in esse; non enim iure inest, sed extrinseca valde est: aliàs nunquam posset habere locum dispositio Pontificis in *Clementina vnica de consanguinitate*, de quo videndus Thomas Sãchez disput. 5. citata, num. 26. Mihi placet quod statim egerint de dispensatione, & pro ea miserint, non efficere, vt tacita sub intelligatur conditio, sed necesse esse vt expresse apponatur, l. conditiones extrinsecus D. de condit. & demonst. Glossa in c. 1. §. ille vero in vers. conditione de sponsa. in 6. & tenet Rota apud Seraphinum decis. 1056. n. 1.

8 Quartò colligo rectè posse eiusmodi contractum confirmari iuramento, quia in petenda ea dispensatione iuxta dicta nullũ est peccatum, neque in concedenda; nihil ergo obstat, quominus iuramentum adhiberi possit.

9 Quintò colligo cõsanguineos eo modo contrahentes matrimonium non incurrere excommunicationem latam in *d. Clement.* vt docet Petrus Ledesma dubio citato, pag. mihi 257. Thomas Sanchez disput. 5. num. 18. & sequenti. Quia ea excommunicatio lata est contra eos, qui de facto contrahunt; isti autem non contrahunt de facto, quam rationem assignauit etiam ibidẽ Glossa.

10 Sextò colligo maioratum, siue legatum relictum sub conditione, quæ indigeat Pontificis dispensatione esse validum, & non esse purum, sed conditionale. Vnde si quis maioratus instituatur, vel legatum relinquatur sub conditione ducendi consanguineam, etiamsi sit in secundo gradu, vel consobrinam, validum est; quia licèt difficilè dispensari soleat, solet tamen ex causa. Sic Thomas Sanchez citatis alijs disput. citata num. 19. & 20. pertinebit autem ad legatarium vel successorem onus petendi dispensationem, vt idem probat ibidem, numero 2.

11 Vltimò colligo matrimonium contractum inter impeditos impedimento tantum impedienti, *si Papa dispenset*, eodem modo licere, vt docet Petrus Ledesma & alij. Quid autem iudicandum sit in soluendis ex

pensis

pensis docet Thomas Sanchez ibidem, & AEgidius disput. 29. citata dub. 2. prope finem.

Quomodo, & quando impleri debeat conditio, aut censeatur impleta?

CAPVT XVI.

SVMMARIVM.

Quædam notatio & distinctio præmittitur, numero 1.
Quomodo verum sit conditionem debere impleri in specifica forma, & per æquipollens, n. 2.
Præcipuè attendendam voluntatem disponentis, num. 3.
Exemplis illustratur, ibidem.
Quando ea non constat, verbis inhærendum, numero 4.
Quando non potest impleri per omnia, implenda quatenus possit, num. 5.
Quid seruandum in tempore implendi conditionem, num. 6.
Quid quando conditio est momentanea, aut habet tractum successiuum, n. 7.
An conditioni paruit, quando actus conditione præscriptus fuit nullus, num. 8.

1 RES difficilis in iure ciuili, siqua alia & quæ non vno comprehenditur, aut continetur loco. Nos ex politioribus iuris interpretibus colligemus nonnullas regulas, & ad institutum nostrum accommodabimus illis relinquentes, quæ ad penetralia iuris ciuilis in testamentis, hæredis institutione, legatis, & fideicõmissis spectant, in quibus non paucæ, neq; parum difficiles sunt iuris dispositiones, & in speciem repugnantes. Sed præmittendũ est conditiones plures poni posse, vel vnam tantum: & plures poni posse coniunctim, aut diuisim, & vel affirmatiuè, quæ consistant in faciendo, aut negatiuè in non faciẽdo; & has vel esse casuales, quæ ex casu pendent, vel esse potestatiuas, quæ sunt in alicuius potestate; vel mixtas quæ partim etiã pendent ex voluntate partium, partim ex casu aut ex voluntate alterius. Et similiter alias esse promiscuas, quæ hoc tempore vel alio impleri possunt; alias verò non promiscuas, quæ tempus determinatum habent siue ex casu ipso, siue ex facto, quod non potest quouis tempore fieri.

2 In primis obseruandum est communem iuris regulam esse conditiones debere impleri in specifica forma prout ipsa conditio exigit. Obtinuit tamẽ vt sæpe impleatur per æquipollens attenta voluntate testatoris, quæ effectum considerauit. Quæ est doctrina Baldi in l. si duo patroni, §. siquis curauerit, quæst. 1. vers. 11. D. de Iureiuran. vbi vult quod quando conditio est apposita ad certũ finem, sufficit eam impleri per æquipollens. Docet etiam Andreas ab Exea Repet. in Rub. de const. num. 201. Parisius in cap. in præsentia deprobat. num. 65. Baptista Ferretus in tit. Rub. de proba. n. 32. Rota apud Seraphinum, Decis. 598. Hæc tamen cõmunis regula limitatur cum Rota apud Farinatium in volum. Decis. Rotæ Romanæ. Decis. 661. num. 1. quando fuerit præcisa forma per disponentem designata, ita, vt omnino re ipsa voluerit impleri, & non aliàs. Tunc enim nõ satis est vt impleatur per æquipollens. Neq; quod per ipsum nõ steterit. Ex qua doctrina deiectus est quidam possessione beneficij in Cathedrali non seruata forma constitutionis Pij V. licet æquipollentia adhibita fuerint. Extra hunc vero casum communis doctrina est, sufficere, vt per æquipollẽs impleatur, probantque DD. *ex l. si fundus D. de condit. & demonstrat. l. Stichum, §. vsum fructum, D. de solution. l. si mater. C. de instit. & substitut. sub modo.* Et probari etiam rectè potest ex *cap. primum de Cler. non resid.* vbi probatur iuramentum impleri fictè, siquis in obsequio Episcopi, vel Ecclesiæ detineatur, censetur enim tunc residens, & seruare iuramentum de residendo, licèt iuramentum debeat specificè seruari, *cap. ad nostram, de iure iur.* Sed quoniam sæpè contingit, vt multi sint casus, in quibus neque per æquipollens videntur impleri conditiones, quid tunc agendũ sit, aut quomodo iudicandum subiectis regulis explicandum est.

3 Prima ergò regula sit. In primis in sensu, modo, tempore, & alijs implendæ conditionis potiores partes sunt voluntatis disponentis, aut contrahentis matrimonium, si de illa cõstat, iuxta ea, quæ supra dixi lib. 2. cap. 8. de significatione verborum, *l. non aliter 69. D. de leg. 3.* voluntas enim testatoris est, quæ primum locum obtinet, & quæ conditiones regit, vt inquit Vlpianus, *l. in conditionibus 19. D. de condit. & demonst.* Vnde etiam quando certa non est mens testatoris, sed coniecturis inquiritur, illi standum, quam coniecturæ dicunt esse mentem testatoris in sensu conditionis; & non esse verbis

bis inhærendum contra voluntatem etiam coniecturis indagatam, docet eleganter Donellus lib. 8. comment. cap. 35. §. *At non pauciora exempla sunt*. Duarenus *de condit. instit.* cap. 3, & 4. Vterque non pauca exẽpla proferunt ex iure ciuili, quorum nonnulla adducam, vt illis propositis intelligatur etiã, quomodo iudicãdum sit, si in matrimonio, aut sponsalibus apponerentur. Primũ exemplum. Vir mulieri aliquid legauit, *si liberos habuerit*, illa diuortio facto ex alio liberos suscepit, non debetur legatum, quia nõ est impleta conditio, quamuis verbis impleta intelligatur, *l. cum vir* 25. *& l. si vir* 61. *D. de condit. & demonst.* Neque enim obscurum est testatorem hoc legato voluisse vxorem inuitare ad studium suscipiendæ sobolis ex ipso, non ex alio extraneo. Cur enim sibi vellet procreari liberos summa ratio est, cur autem vellet alij, nulla est, imo maxima, cur nollet. Aliud exemplum est, Testator filiæ suæ prædium reliquit his verbis. *Rogo te hæres meus prædium Tusculanum meæ filiæ des, si Philippo nupserit, si non nupserit, idẽ prædium Philippo do, legoque*: decedit illa ante nuptias, & exquisitam eius voluntatem, non est impleta conditio, *l. Pater* 101. *D. de condition. & demonst.* Cuius ratio non obscura est. Nã qui prædio illo legato filiæ voluit illam eo inuitare ad nuptias, id quod adiecit, *si non nupserit, Philippo legari*, apertum est, pœnæ causa adiectum, si filia parere voluntati patris non vellet. Pœna autem non coercet eum, quem non scimus facere noluisse, sed tantum non potuisse. Cum ergo morte præuenta suam voluntatem non explicuerit, neque dixerit se nolle parere patris conditioni, non est impleta conditio, quamuis secundum significationem verborum *non nubendi* videatur impleta. Aliud exemplum. Mater filios hæredes testamento reliquit, *si emancipati essent*, quia volebat hæreditatem quæri filijs non patri; Accidit vt liberarentur patria potestate, non per emancipationem, sed vel quia decessit Pater, vel quia per sententiam deportatus est, quo ius patriæ potestatis adimitur. Respondet Imperator in *l. si Mater* 2. *C. de instit. & substit.* expletam conditionem esse, licet nõ sint soluti patriâ potestate per emancipationem. Quia consilium matris id tantum fuit, ne patri adquireretur: hoc autem sequitur, quouis modo excesserint è patria potestate, etiamsi non per emancipationem. Simile exemplum est in *l. mulier* 22. *D. ad Senatus Consultum Trebel.* Aliud etiam apud Duarenum d. cap. 3. §. *aliud exemplum, in quo voluntas*, & §. *cæpimus multis exemplis illustrare*, & quod est apud Donellum lib. citato pag. mihi 409. columna 2. in fine. Huc etiam pertinet, quod furioso aut pupillo dare iussus implet, si det tutori aut curatori, *l. si fundus* 13. *D. de condit. & demonst.* Atque huc etiam pertinet, quod de conditionibus disiunctiuis est apud Duarenum, c. 5. *de condit. instit.* colum. 2. versiculo. *Sed animaduertendum est*. Aliud etiam exemplum accipe ex Rota decis. 589. apud Seraphinũ. Concessa fuerat domus à fratribus S. Stephani Rotundi cuidam Ioanni Antonio de Manilijs & Susannæ eius vxori, sub his verbis, *ad tertiam dictorum coniugum generationem, & si forte contigisset prædictos coniuges filios non habere, tunc in potestate sit dicti Ioannis alium ad sui libitum nominare; & si forte cõtigisset ipsum mori nullo aliter nominato, tunc Susanna prædicta vnam personam valeret ad suã voluntatem nominare, quæ in huiusmodi locatione & Emphyteusi succederet*. Euenit quod Ioãnes Antonius decessit nominatò M. Manilio, qui & ipse ante obitum Susannæ decessit, illa nominauit alium, dubitatum fuit an hæc nominatio valeret, quia in vnum casum videbatur data Susannæ facultas nominandi. Responsum, valere. Quia in conditionibus primum locum obtinet mens testatoris; & cum in huiusmodi materia intentio partium sit prouidere successoribus, verba illa intelligenda sunt, etiamsi nominauerit aliquem, qui præmortuus fuerit antequam casus nominationis aduenerit. Nam vbi concessio fit pro certa & determinata causa, non consummatur in primo actu, si durat causa concessionis, vt per Bartolum in *l. 1. num. 5. Add. Iul. Maiest.* Nec verò hinc sequitur casum expressum à Testatore ad casum omissum produci, contra iuris regulam apertissimam *in l. commodissimi D. de liberis & posth.* neque recedi à forma conditionis contra ea quæ I. C. cauet *in l. Mæuius* 34. *l. qui hæredi* 44. *D. de condit. & demonst.* Hæc enim omnia ita componuntur, vt intelligantur esse vera, cum hac tamen, exceptione & limitatione, nisi constet de testatoris voluntate, nam in eo casu illam sequimur.

4 Secunda regula. Quando non satis constat de mente testatoris, verbis inhærendum, & ad eorum sensum & formam attendendum, aliàs conditio non impleta censetur, quamuis eundem effectum habere videatur. Hinc non implet conditionem, qui

seruo

seruo alieno dare iussus ex conditione, dat domino, quamuis eundem effectum habere videatur in iure, quidquid enim seruo datur domino adquiritur. Neque etiam conditio, *si deportato dederit*, impletur, *si detur fisco*, quãuis bona deportati sint fisci. Neq; enim sunt æquipollentia; neque paria dare seruo & domino, dare deportato & fisco, vt eo loco recte docent Duaren. & Donel. cap. 33. cit. Nã licet seruus, acquirat domino, seruus tamen poterit in peculio suo retinere, donec Dominus ademerit, & ea pecunia vti, si erit & deportatus ad victum comparãdum. Adde forsan testatorem voluisse, vt per eũ seruũ domino adquireretur, quo se illi gratiorem seruus faceret, & domini beneuolentiam compararet. Vnde intelliges, quomodo accipiendum sit quod nonnulli dicunt, nihil referre, si conditio ex æquipolleti impleatur. Videndum enim diligenter, an sit reuera æquipollens. Hinc etiam, qui iussus dare hæredi, dat hæredis hæredi, conditionẽ non implet, *l. sub diuersis 51. §. 1. D. de condit. & demonst.* quamuis id libertatis fauore admissum sit *in d. l. sub diuersis*.

5 Tertia regula sit. Quando conditio non potest per omnia exactè impleri secundum verba, eatenus implenda est, quatenus possit: & si secundum subtilitatem verborum impleri non possit, implenda aliquomodo, prout testator vel contrahens sensisse videbitur. Sic Donellus, cap. 32. prope finem, §. *adeo autem verum est*. Huius regulæ exempla sunt. Primum est, *in l. mulier quæ viro 20. §. si quis hæreditarium D. de condit. instit.* Vbi quæstio est, quomodo sit intelligenda hæc conditio, *Titius hæres esto, si Stichum seruum manumiserit*, cum hæres esse non possit, nisi seruum manumiserit, & manumittere non possit, antequam hæres sit; seruus nãque à Domino manumittitur, Dominus autem non est prius quàm adierit hæreditatẽ, *l. 4. C. de his qui à non Dominis*. Dicendum est manumisisse quadam significatione, ideſt, fecisse quod Dominus soler, quamuis non vtiliter manumiserit, quia à non Domino factum est. Sic autem hæc verba conditionis interpretamur, vt fiat quod possit propter coniecturatam testatoris voluntatem, iuxta quam non est credẽdũ aliter sensisse. Aliud exemplum sit *in l. Stichus si hæredi. 24. D. de statu lib.* Stichus, si hæredi decem promiserit, hæres esto, quomodocunque potest promittere hæredi, vt libertatem consequatur, dicitur parere conditioni, quamuis inutilis promissio sit. Nos tamen sic interpretamur conditionẽ hanc, quia credibile est, ita sensisse testatorem, cum intelligeret inter dominum & seruum nullam obligationẽ vtiliter posse contrahi. Alia huius exempla sunt apud Donellum loco citato, & Duarenum *de condit. instit.* cap. 5. prope finem.

6 Quarta regula sit. Quod attinet ad tẽpus implendæ conditionis, si illud designatum sit à contrahente, illud tenendum, alias conditio non censetur impleta, *l. conditiones, de condit. & demonst.* Si autem non sit designatum tempus; si ea conditio pendet ex euentu, *vt si nauis ex Asia venerit*, tunc impletur, cum euentus ponitur; neque enim aliud tempus implendæ conditionis credi potest expectari voluisse, neque testatorem neque contrahentes. At vero, si conditio sit in potestate cõtrahentium, vel hæredis aut legatarij, in testamentis testatore mortuo implenda erit; nam eatenus impleri dicitur, quatenus testatori paruerit; non autem censetur paruisse testatoris voluntati, nisi quando illa firma & rata est, & reuocari nõ potest. Non est autem firma, nisi mortuo testatore. Atque huc spectat illa distinctio promiscuæ conditionis, & non promiscuæ, de qua Paulus in *l. si iam facta 11. de condit. & demonst.* At in contractibus accipienda est quam primum possit, *vt contraho tecum, si decem dederis, si Capitolium ascenderis*, intelligitur tempus implendæ cõditionis, quàm primum possit exemplo sumpto ex legatis, *l. hæc conditio 29. de condit. & demonstrat.* Aliter se res habet in institutionibus hæredum, in quo satis est, si aliquo vitæ tempore ascendat. Nam cum legatario semper commodum sit & lucrum, legati adquisitio, non est, cur tempus implendæ conditionis prorogetur. At hæredi potest esse damnosa hæreditatis aditio, & ideò tempore ad captandum consilium opus est. Ne autem proroget in longissimum tempus, partes erunt Prætoris, vt ei præfiniat tempus implendæ conditionis, vt eleganter docet Donellus, d. cap. 33. §. *cum autem quæritur intra quod tẽpus*. At quando conditio consistit in non faciendo, cum ad sui impletionem exigat totum vitæ tempus, expectandum est tempus mortis; licet in legatis & testamentis ideo excogitata sit Mutiana cautio, *l. Mutianæ, de condit. instit.* qua sub cautione promittens se non facturum, bona comparat. In matrimonio autem ea conditio locum non habet, & reijcitur tanquam impossibilis, quando conditio ponitur implenda ab eo, cum quo contrahitur, *vt contraho tecum, si Capitolium*

lium non ascenderis. Reijcitur enim contractus iste post mortem, quo tempore impossibile est contrahere. Quamuis verius dicetur eiusmodi conditionem in matrimonio esse contra substantiam matrimonij, quod consensu duorum perficiendum est, & ideò non reijcitur tanquam impossibilis, sed vitiat, sicut quæuis alia conditio contra substantiam matrimonij. Quod in hac specie docuit Rebellus lib. 2. de matrimonio, q. 10. sect. 3. num. 18. in alio simili, vt siquis dicat, *contraho tecum, si meas exequias curaueris*, si suspensiuè ponatur, vitiat matrimonium, quia non nisi post mortem eius impleri ea conditio potest, quando consensus duorum esse non potest.

7 Sed in modo implendæ conditionis, illud videndum, an conditio momentanea sit, vel tractum tẽporis exigat. Si enim momentanea sit, statim illo momento purifica tur contractus. At si tractum successiuum habeat, non satis est principium, sed necessaria est perseuerantia, & duratio. Exempla accipe. Legatur siue donatur aliquid alicui, si testamentum fecerit, licet hæc conditio videatur momentanea, re vera non est, sed requiritur testamentum, morte confirmatum, & durans, quare vsque ad confirmatio nem per mortem non censetur impleta cõditio: sic Angelus consil. 759. & ex eo Decius in *l. siquis hæredem, nu. 20. de institut. & substit.* At conditio illa, *si consul factus fuerit, si nupserit*, momento adsoluetur, & tantũ respicitur principium Magistratus & nuptiarum. Quare legatum relictum sub ea condi tione, *si nuptiæ sequentur*, statim atque matri monium factum est, impleta censetur. Vera enim est Alexandri doctrina, quam refert Decius eo loco, quod quando qualitas adijcitur verbo importanti ordinationem, & principium actus, tunc principium attenditur, *l. quid ergo, in princ. D. de his, qui not. inf.* ibi, *prætor enim ad initium nuptiarum se retulit.* At si qualitas respicit processum, & perseuerantiam actus, tunc nõ sufficit principium, sed continuatio requiritur. Idem docet Baldus *in l. fin. in principio notab. 2. de ind. vid. tol.* Rota apud Seraphinum. Decis. 503. num. 1. Ex quo fit semel impletam conditionem iam non habere tractum ad tempus futurum. Rota apud eundem. Decis. 1063. num. 13.

8 At quæri potest, an si actus conditione requisitus sit nullus, censeatur impleta conditio. Exempli gratia, donatum est, si cõsul factus fuerit, si nuptiæ sequentur, consul nulliter factus est, matrimoniũ pronũciatũ nullũ, an hic paruisse cõditioni censebitur? Quæstioni respõdemus illũ paruisse cõditioni, si bona fide, & absque dolo inijt matrimonium, vel si titulum coloratum consu latus habuit. Contraxit aliquis, qui ob impotentiã separatus est, & matrimonium renuntiatum nullum, paruit iste conditioni, vt in hac facti specie docet Rota apud Sera phinum Decis. 503. num. 2. & seq. Quod si dolose tantum, scienſque se nullum actum efficere, tantum vt specie tenus conditionem implere videretur, fecerit, non censetur conditioni paruisse, perinde enim est male fecisse, ac nulliter fecisse, hoc est, non paruisse.

Quando conditio non impleta habeatur pro impleta?

CAPVT XVII.

SVMMARIVM.

Quid agendum, n. 1.

Quando censeatur impleta conditio casualis, numero 2.

Quando non est conditio omnino potestatiua, censetur impleta, si stet per eum, in cuius persona implenda erat, n. 3.

Quid si mortuo vel viuo testatore accidat deficere persona, in qua implenda erat conditio, num. 4.

Opponitur ex l. Inde Neratius, & explicatur, num. 5.

Si relinquatur legatum sub conditione, si ducat aliquam, & illa renuat, quid dicendum, numero 6.

Quædam limitatio, n. 7.

Quid si is, cum quo contrahere iubetur, decedat, num. 8.

Quid si relictum sub conditione, vt nubat nobili, & primò nupsit ignobili, & postea nobili, num. 9.

Quid si primo renuit, & postea pœnituit, & paruit conditioni, n. 10.

Quid si prius ducat aliam, & postea illam, quæ conditione exprimitur, n. 11.

Quid si illa, in cuius persona parendum est, primò renuat, & postea velit, n. 12.

An qui sub conditione ingrediendi religionem, ingreditur & non profitetur, legatum capiat, num. 13.

Quid si sub conditione, si nubat de consilio Titij, & ille moriatur ante consiliũ præstitũ, n. 14.

Quid

Quid de illa conditione, si pater consentiat, & ille non consensit, vel renuit, vel decessit, antequam consentiret, num. 15.

1 SED quoniam contingit aliquando conditionem non impletam haberi pro impleta, id opus est breuiter explicemus, de quo Donellus d. lib. 8. cap. 24. & Duarenus *de condit. instit. cap. 6. §. sequitur postremus locus.*

2 Et in primis. Si conditio casualis sit, omnis ea conditio impleatur, oportet, & non impleta non habetur pro completa; cū enim omnis ea conditio pendeat ex casu, necesse est, eum euentum, qui existente conditione perficiat contractum, non existente non purificare. Limitanda tamen est cum Duareno ista generalis regula, vt dicam postea. Hæc autem generalis definitio constat *ex l. vltima C. de necessarijs seruorum instit.* vbi distinctio adhibetur inter eas conditiones, quæ ex casu pendent, & quæ ex potestate, licet in serui institutione humanitatis intuitu aliud sit, quoad causam libertatis.

3 Deinde generalis regula est. Quoties conditio non est omnino potestatiua, sed quæ non solum est in potestate eius, cui imponitur, sed pendet etiam ab alterius voluntate, non satis est, quod non stet per eū, qui implere debet, sed quod stet per eum, qui debiturus erat impleta conditione, aut stet per eum, in cuius persona conditioni parendum erat. Exemplum est; *contraho tecum, do lego tibi, si nupseris Titiæ*, satis est, si per Titiam stet, quia non vult, & conditio habetur pro impleta: at si non imples, quia Titia ante petitas nuptias mortua est, non est impleta conditio. Colligitur; *ex l. iure 24. D. de condit. & demonst. & l. Iulius 81. eōdem & l. in iure D. de reg. iuris*, quæ iura in speciem pugnantia ratione appositæ negationis rectè componunt Donellus & Duaren. locis citatis. Eadem etiam regula constat, *ex l. 3. l. si quis testamento 11. l. mulier in principio, de condit. instit.* & alibi sæpe. Vnde siue contrahenti aliquid humanitus acciderit, quia cum dare paratus esset, non potuit; siuè illi, in cuius persona erat implenda cōditio, quia mortuus est, defecisse cōditio dicitur, *l. cum ita 94. D. de conditionibus & demonst.* Id quod etiam verum est, quamuis conditiones casuales sint, *tecum contraho, si nauis ex India venerit*, fuisti impedimento, ne veniret, impleta cōditio est, *l. Iulius Paulus 79. D. de condit. & demonst. §. vltimo.* Quod si quæras huius rationem, quid enim interest, vtrùm non impleas conditionem, quia alter, in cuius persona implenda erat, noluit, aut quia mortuus est, cum tamen tu paratus sis implere, vt in isto casu non dicatur impleta conditio: in primo verò impleta censeatur? Rationem reddit Donellus in d. cap. 24. inquitque, eam petendam esse ex voluntate contrahentis, vel disponentis. Nam testantis voluntati vel contrahentis satisfactum est, vbi datum est, cui ille dari voluit, siue illi datum reipsa sit, siue sit oblatum, & accipere noluerit. Ei autē, qui mortuus est, nō potest dici satisfactum esse; nec enim recusauit, cui nihil oblatum est, qui, si viuenti pecunia oblata fuisset, forsan accepisset, neque ad rem pertinet, quod per legatarium non stet, id enim effecit casus, non voluntas Titij.

4 Verùm hoc ita accipiēdum est, si mortuo testatore illud accidit, in persona eius, in quo implenda promissio est, vt si mortuo testatore moriatur is, cui quo contrahere iubetur, aut aliquid dare. Quod si viuo testatore decedat, tunc non defecisse cōditione dicetur, sed valebit, quia iam tunc ea conditio reputatur impossibilis, & habetur pro non adiecta. Exemplum sit. Testator scripsit, *Titio lego centum, si Stichū manumiserit*, decedit Stichus mortuo testatore, antequam manumittat, conditione defecit, & perit legatum ob rationem dictam. Aliud exemplum est: *contraho tecum matrimonium, si dederis matri meæ centum*, moritur mater antequam daret, conditione defecit, & nulla sequitur obligatio. Atque iuxta hanc primam partem, accipio textum *in l. inde Neracius 23. §. idem Iulianus D. ad l. Aquiliam, in 1. p. §.*; in ea enim ponit seruum defecisse post mortem testatoris, idest, eo tempore, quo debuit manumitti, & ideo conditione defecit, & hæres non admittitur ad hæreditatem. Sic etiam accipit Cuiacius ad *l. 54. turpia legata, §. 2. D. deleg. 1.* At si mortuus est seruus viuo testatore, aut manumissus, vel mortua mater erat tempore contractus, non censetur defecisse conditione, sed reijcitur ea conditio tanquam impossibilis, & purus manet contractus, & dispositio; sic accipe textum *in l. 7. D. de condit. & demōst. si seruos certos quis manumisisset, hæres esse iussus, quibusdam ex eis, antea mortuis, Neratius respondit, defici eum conditione, nec æstimabat pareri posset conditioni, nec ne. Sed Seruius respondit, cum ita esset scriptum, si filia & mater mea viuent, alteraiā mortua, nō defici cōditione. Idem est & apud Labeonem scriptum. Sabinus*

quoque

quoque & Cassius quasi impossibiles eas conditiones in testamento positas pro non scriptis esse, quæ sententia admittenda est. Atque in hunc sensum etiam accipio quod scriptum est in *l. turpia legata* 54. *D. de leg.* 1. Si Titiæ legatum relictū si arbitratu Seij nupsisset, & viuo testatore Seius decessisset, & ea nupsisset, legatum ei deberi; quod & alia etiam ratione debetur vt ad eam l. aduertit Cuiacius, quia conditio illa tanquam turpis reijcitur iure ciuili, vt dictum est supra, cap. 4. Sed sequitur in §. sequenti: *sed si serui mors impediisset manumissionem, cum tibi legatum esset, si eum manumisisses, nihilominus debetur tibi legatum, quia per te non stetit, quominus perueniat ad libertatem.* Intelligendum quidem de seruo mortuo viuo testatore, sicut & dispositio §. præcedentis. Quare non est opus interpretatione Donelli in d. cap. 34. §. *hic tamen nonnullas species*, vbi dicit iam hæredē aliquid egisse in manumissione, & viuo seruo iam legatarium aliqua facere, quæ ad manumissionem pertinebant, verbi gratia, ad Magistratum proficisci manumissionis causa, & interea seruum mori, & ideò impletā esse conditionem censeri. Hæc interpretatio necessaria non est, & id quod diximus, maius in textu fundamētum habet. Sic etiā accipio textum in *l.* 8. *quæ sub conditione*, §. 7. *D. de condit. instit.* ibi: *Idem est, & si ita hæres institutus esset quis, Titius hæres esto, ita vt Stichum manumittat, aut Titio centum ita lego, vt Stichum manumittat. Nam mortuo Stichone mo dicet submouendum eum. Non videtur enim defectus conditionis, si pareri conditioni non possit, implenda est enim voluntas, si potest.* Accipio ergo de seruo mortuo viuo testatore, quia iam impossibilis conditio est, quando accedit tempus parendi conditioni; non enim parere tenetur, nisi morte secuta testatoris, cum antea non esset firma ea voluntas, vt dixi supra isto cap. Quare iam eo tēpore, quo firma est voluntas testatoris, impossibilis conditio est, & ita reijcitur, nec vitiat, neque est defectus conditionis.

5 Sed his quæ modo dicta sunt fortiter obstat textus in *l. inde Neratius* 23. §. *idem Iulianus D. ad l. Aquiliam in* 2. *p.* §. ibi, *quod si viuo testatore occisus sit, hæreditatis æstimationem cessare, quia retrorsum, quam plurimū fuit, inspicitur.* Donellus loco citato, Accursij & Bartoli & aliorum interpretationē reijcit, nec parum efficaciter. Sed nihilo meliorem aliam nobis tradidit. Supponit enim in d. §. etiāsi viuo testatore occisus sit seruus, defeciisse, hæredem conditione, quod tamen repugnat apertissimæ iuris dispositioni in *l.* 7. *si seruos certos D. de condit. & demonst.* Quare si viuēte testatore occisus sit seruus, iam ea conditio censetur impossibilis, & habetur pro non scripta *in d. l.* 7. Multa hic comminiscuntur interpretes, & multum referre putant, an seruus mortuus, an vero occisus sit. Ego tamen putabam facilius dici posse *in d. l. inde Neracius*, Iulianum approbasse Neracij sententiam, qui dicebat in ea specie defeciisse hæredem conditione, si viuo testatore occideretur, aut moreretur seruus, atque id tantum ibi referri. Neracij autem in hoc sententia expressē reprobata est à Seruio, Labeone, Sabino, & Cassio in d. l. 7. quibus standum est ratione ipsa suffragante. Hæc autem quæ diximus, limitat Donellus in causa alimentorum, & alijs, quæ infrà dicemus.

6 Ex his, quæ hactenus vere constituta sunt, colligitur facile, quomodo decidenda sint multa, quæ quærit, & colligit Thomas Sanchez lib. 1. de matrim. disput. 33. à num. 14. vsque ad 28. & disput. 34. Primò ergo colligitur quid dicendum, si cui relinquatur hæreditas, vel legatum, vel maioratus, si cōtrahat matrimonium cum aliqua. Et quidē si illa, cum qua contrahere iubetur renuat, valet legatum, & habetur conditio pro impleta, vt ipse docet disput. 33. num. 19. & Molina tomo 1. de iust. tract. 2. disput. 206. & 207. Quare requirenda ea fœmina est. Modum autem in eo seruandum, & quid faciendum, quando fœmina data opera latitat, explicat Molina Iure Consultus de Primog. lib. 1. cap. 13. num. 14. Idem erit, si fœmina alij nubat, non enim censetur iuberi viduam ducere, nec expectare tempus viduitatis illius, euenire enim facile posset mors ipsius legatarij ea adhuc vxorata.

7 Ab hac illatione excipiunt nonnulli contractus, in quibus nolunt cōditiones haberi in hac specie pro impletis. Sic Molina Theologus cit. alijs tomo 2. de iust. disput. 285. num. penult. quem sequitur Thomas Sanchez disput. cit. num. 20. quod quidem mihi etiam magis placet. Inducor hac ratione. Quia qui sub conditione mixta vellet contrahere cum aliquo, & illum obligare ad euentum conditionis mixtæ, etiamsi per alium in cuius persona adimplenda esset conditio, staret, obligaret ad impossibile, & ea conditio merito censetur impossibilis. Impossibilis autem conditio non reijcitur à contractibus excepto matrimonio, sed vitiat. Vnde ob hanc rationem existimo oppo-

oppositū non esse probabile, secundū iuris principia, licet multi etiam id doceant.

8 At si is, cum quo contrahere matrimonium iubetur, decedat, tunc absolutè Thomas Sanchez dicit perire legatū. Sic disputatione 33. n. 24. citatis alijs. Ego tamen sub eadē distinctione respondeo. Aut decesserat viuo testatore, aut non. Si eo viuo antequam accessisset tempus parendi conditioni, vtile legatum est, & reijcitur ea conditio tanquam impossibilis iuxta dicta. At si mortuo testatore decedat, perit legatū, vt etiam dictum est. Limitarem tamen in maioratibus, cum Molina Theologo d. disput. 285. prope finem, qui alios refert, quos etiā sequitur Thomas Sanchez disput. 33. citata, num. 25. qui alias etiam huius limitationes adhibet, vbi etiam explicat, quid dicendum, quando ab alio tertio impeditur implementum illius conditionis.

9 Secūdò colligitur, quid dicendum, si legatum relictum sit, dummodo nubat nobili, & legatarius primo nupsit ignobili, postea nobili, de quo Thom. Sanchez disp. 33. cit. n. 14. & cēset perire legatū, quia subintelligitur ea tacita conditio, vt nubat tantū nobili, ideſt, nunquā ignobili; conditio autem negatiua perpetua est, & ex consequēti omne aliū actum & tempus excludit. Ego sic distinguerem, aut primò nupsit nobili, & postea ignobili, aut è contra; & adhuc vel viuo testatore, vel postea. Dico ergo, si viuo testatore nupsit ignobili, & testator sciat, & adhuc relinquat legatū, si nubat nobili, videtur sensisse de secūdis nuptijs. Quare dūmodo post mortem testatoris viduus ducat nobilem, capiet legatum. Quod si decedat legatarius, antequam possit iterū nubere, perit legatum, quod conforme est his quæ diximus supra quando testator in conditione posuit, quod sciebat iam factū iuxta textum *in l. hæc cōditio 10. l. si iam facta 11. & l. si ita 68. D. de condit. & demonst.* Idē dico si testator ignorabat, quia tēpus parendi conditioni est post testatoris mortem, quā primum possit. Expectandum ergo tēpus, in quo possit viduus implere cōditionem. Quod si primo nupsit nobili, siue ante testatoris mortem, siue post id factum fuerit, nō potest iterum nubere ignobili, & si nubat, amittet legatū. Neque his obstat textus *in l. boues §. hoc sermone D. de verb. sign.* vbi actus simpliciter prolatus intelligitur de primo. Hoc enim verū habet, quando actus præceptus ratione negationis non excludit quēcunque aliū. Atq; huc etiam pertinent, quæ habet Thom. Sanchez disp. 34. n. 42. de ea conditione, *si ducat nobilem*, & ille ducat Ludæam. Si enim matrimoniū cum illa irritum sit, debetur legatum, quia solū vero matrimonio impeditur & adhuc locus est implendæ conditioni.

10 Tertiò colligitur, quid dicendum in eo quod quæri solet, an si legatum relinquatur Titio sub conditione, *si Seiam ducat*, & cum tempus aduenit, in quo parendum est conditioni Titius renuat, & postea pœnitētia ductus illam ducat, an tunc censeatur de secisse conditione, vel illam impleuisse. In quo Thomas Sanchez ibidem num. 15. distinguit ex doctrina Bartoli, aut ita isti relinquebatur legatum, vt eo non parente cōditioni pertineret ad alium, vel non. Si primum, si cum tempus parendi aduenit, renuit, defecit conditione, & non habet locum pœnitentia, quia iam ius quæsitum est alteri successori, & nulli variare licet, cum alterius damno. At si non deuenit ad alium, tunc dicit esse locū pœnitentiæ, imo addit cum Pelaez Mieres, si minor legatarius sit, etiā in primo casu restitutionis beneficio vti posse aduersus cōditionē nō impletā. At de tota hac distinctione dubito. Nā legata relicta sub cōditione ea nō subsistēte pertinent adhæredem in testamento scriptū, etiā si nihil exprimatur; & si sit hæres institutus sub conditione, ea non impleta pertinet hæreditas adhæredes ab intestato. Ergo nunquam potest non quæri ius alteri. Quare si renuit, existimo non impletam esse cōditionem, & ideo transire ad alios. De ea autem restitutione minoris in prædicto casu dubito, nisi forsan ex æquitate quadā sustineatur. Si enim minor curatore habeat, & solēnia in eo seruata sint, & adhuc renuat, quomodo possit locum habere restitutio, non video.

11 Quartò colligitur, quid dicendū sit in eo, quod quæri solet, si alicui relinquatur legatū sub cōditione, si *Seiam ducat*, ille autem primo ducit aliā, & illa defuncta ducit Seiā, an sit impleta cōditio, necne? Mihi placet distinctio, quam tradit etiā Molina Iure Cōsultus loco cit. Si ante delatū Legatū viuo testatore nupserat alteri, expectādus est an iā viduus possit Seiā ducere, quia cōditio legati implenda est, quā primum possit, vt dixi supra cap. præcedenti; poterit enim tēpore delatæ successionis illi parere cōditioni, & illud tēpus respicit cōditio adiecta. At si iā mortuo testatore, vel tēpore delatæ hæreditatis, vel legati ducat aliā, antequam Seiā, perit legatū, quia cōditioni nō paruit. Idem dicendum est, si iussus ingredi religio

num prius ducat vxorem, & viduus velit ad religionem transire, sub eadem enim distinctione respondendum est.

12 Quintò colligitur quid dicēdū in eo, quod quærit idē Author n. 18. si grauatus sit aliquis ducere Seiā, & ille tēpore, quo cōditioni parēdū erat velit eā ducere, eaq; renuat; & postea Seia pœnitētia ducta nubere velit, an tūc teneatūr eā ducere, vel si nō duxerit pereat legatū. Respōdet Thom. Sanch. cū Mantica, & Menochio sub hac distinct. Si aliud iam matrimoniū inijt, postquā illa renuit, vel hæreditatē adijt, aut legatū iā obtinet, impleuisse cōditionē cēsetur, & valet legatū: at si nondū, cū Seia pœnituit, obtinuit dominiū legati, tenetur parere cōditioni, & illā iā pœnitentē ducere. Ego tamē hāc distinctionē nō probo. Quia vel ille paruit cōditioni, cū illā requisiuit, & illa noluit, vel nō. Si hoc secūdū, ergo neq; hæreditatē adire, neq; legatū obtinere potuit. Si paruit, ergò etiāsi nondū obtinuerit legatū, vel adierit hæreditatē, iā amplius ducere non tenetur, quia impleta cōditio est. Quare hoc mihi probabilius videtur, cum his quos citant Mantica & Menochius.

13 Sextò colligitur quid dicendū in eo, quod quæri solet, an legatū alicui relictum sub cōditione ingrediēdi religionē, debeatur, si ingrediatur, & ante professionē exeat: an scilicet tūc eo solo cēseatur impleta cōditio, de quo agit Thom. Sanch. d. disp. 34. n. 17. & 18. Et in primis, si mēs testatoris esset aperta, aut cōstaret, verosimilibus cōiecturis voluisse illū obligare ad perseuerādū, nō debetur legatū nouitio exeūti. Quia cū hæc conditio perseuerādi sit honesta, & aliàs voluntas testatoris sit, quæ cōditiones regit, *l. in cōditionibus D. de cōdit. & demonst.* illi stādū præcipuè, etiā si verba ambigua sint, vel indicēt impletā cōditionē. At si nō cōstet de mēte testatoris, tūc placet quod docet Thom. Sāch. cū alijs n. 18. valere legatū, etiāsi ante professionē exeat. Potissima ratio est. Quia sicut voto religionis satisfit per ingressum, nec requiritur perseuerātia, sunt enim diuersa interse ingredi & perseuerare, ita etiā de volūtate testatoris eā legē imponentis iudicādū est. Quare idē seruādū est quod in voto, vt, scilicet, ingrediatur bona fide, & non tantū in fraudē legati, vt postea egrediatur, & adsit etiā iusta causa recedendi, quia expertus religionis asperitatem, iudicansque se minus habilem ad eum statum, recedit.

14 Septimò colligitur quid dicēdū in eo, quod quæri solet, an si legatum relinquatur alicui, dūmodo nubat de consil. Titij, si Titius decedat, antequā cōsiliū præbeat, valeat legatū. In quo Thom. Sanch. disp. 34. num. 27. docet, si viuo testatore decedat, aut mortuo, valere legatū, quia per illū nō stat. Sed verius respōdemus iuxta traditā distinctionē. Si viuo testatore decedat is, cuius cōsiliū requirēdū est, valet legatū, quia iam ea conditio est impossibilis, & reijcitur iuxta textū in *l. cū tibi §. rescriptū D. de cōdit. & demonst. & l. turpia legata 54. §. 1. & 2. D. de leg. 1.* at si mortuo testatore decedat, etiāsi legatarius nō sit in mora exquirēdi cōsiliū, nō tenet legatū, quia nō paretur cōditioni. Atq; idē dicendū, quāuis absens sit, requirendum enim est eius cōsiliū; quia ea cōditio non obest libertati matrimonij vt dictū est, cū non sit obligatio sequēdi cōsiliū, sed inquirēdi. Quare, nisi illi cōditioni pareatur, nō obtinebit legatū. Idē & eodē modo distinguēdū est, cū viduæ imponitur cōditio, vt nubat de arbitratu Titij. Quod si ille arbitrari nolit, aut cōsiliū præbere, impleta cōditio est iuxta dicta: quod si iniquè arbitretur, ad iudicē recurrēdū est. At Iure canonico nō iudico licitā eā cōditionē etiā viduæ impositam, vt nubat arbitrio alterius; licet enim possit imponi cōditio viduitatis; attamē, si nuptiarū cōditio apponitur, non potest apponi cōtra libertatē matrimonij, in quo nō rectè loquitur idē Thom. Sanch. disp. 34. cit. n. 32.

15 Vltimò colligitur, quid dicēdū sit, quādo ea cōditio apponitur, *cōtraho tecū, si Pater cōsentiat, aut de cōsensu patris, vel arbitratu, vel cōsilio.* Suppono enim, quāuis ea cōditio ab alio apponi nō possit, attamē ab ipsis cōtrahētibus apponi posse, de quo agit Thom. Sāchez lib. 5. disp. 7. Et iuxta tradita dicendū est, si Pater, quādo cōtractus eo modo celebratur decesserat, purus est contractus, eo quod reijciatur ea cōditio vt impossibilis, iuxta dicta. Quod verū est, siue cōtrahentes sciāt, siue ignorēt partē decessisse, iuxta ea, quæ de conditione impossibili cognita vt possibili supradicta sunt. Si autē post cōtractū decessit pater, antequā eius cōsensus exquireretur, nō est impleta conditio, & licet vnicuiq; recedere iuxta supradicta. Si autē requisitus pater nolit cōsiliū aut arbitrium præbere, existimo impletā conditionē, vt in simili dictū est. At si primo renuat cōsilium præbere vel cōsensum, & postea cōsentiat, iā primò paruerūt conditioni, neque tenentur postea cōtrahere cū placet, ex vi prioris cōtractus, nisi iterum consensus renouetur. Quæ omnia iuxta iuris principia à nobis tradita in isto capite conformia sunt, & hæc de isto libro.

DE

DE CONSENSV EX COACTIONE VEL ERRORE.

LIBER QVARTVS.

Explicuimus hactenus essentiam matrimonij, & quæ ad eius causam efficientem, scilicet, tàm consensum absolutum, quàm conditionatum pertinent, iam deinceps agendũ est de his, quæ pugnant cũ matrimonio. Et quia quædam pugnant ex natura rei cum consensu, quædam ex parte formæ, quia deficit forma præscripta explicandi consensum, quædam ex parte inhabilitatis personarum: ideò hoc libro 4. dicemus de coactione & errore, quæ iure naturali pugnant cum consensu necessario ad matrimonium, & lib. sequenti de defectu formæ, hoc est, de consensu clandestino, & lib. 6. & 7. de inhabilitatibus, & impedimentis personarum, hoc est, de impedimentis non dirimentibus, & dirimentibus. Sed cum duplex esse possit deliberatio actus voluntatis, & quæ distinguitur à motu voluntatis primo, vel secundo primo, in quibus nulla libertas, aut leuis libertas est; & etiam deliberatio, quatenus dicit perfectam rationis aduertentiam, atque iudicium, & prout à coactione distinguitur, de vtraque agendum est in hoc libro, in quo etiam quid de libertate in sponsalibus & alijs contractibus dicendum sit, simul explicabimus.

Ad Matrimonium, & sponsalia requiri deliberationem, quæ ad peccatum mortale satis est.

CAPVT I.

SVMMARIVM.

Ea deliberatio requiritur ad matrimonium, quæ satis est ad peccatum mortale, n. 1.
Feruore iracundiæ contractum matrimonium valere, nisi ratio absorbeatur, n. 2.
Opponuntur aliqua, num. 3.
Diluuntur, num. 4.
Opponuntur alia de voto & iuramento, n. 5.
Limitatio quædam, num. 6.
Furiosi matrimonium nullum, n. 7.
Obijcitur doctrina Glossæ, n. 8.
Limitatur præcedens doctrina, n. 9.
Ebrij in ebrietate matrimonium nullum, n. 10.
Obijcitur contra eam doctrinam, n. 11.
Thomæ Sanchez solutio adducitur, & impugnatur, n. 12. 13.
Aliorum solutio reijcitur, n. 14.
Vera solutio adducitur, & explicatur, num. 15. 16.

1 HAEC statuatur à nobis tanquã certa & generalis regula. Ea deliberatio siue ea libertas cum ea consideratione necessaria est ad contractum matrimonij, & ad sponsalia, quæ necessaria est ad peccatum mortale. Hãc expressè tradit Nauarrus in summa cap. 18. num. 7. Idẽ etiam docent quam plures Doctores, qui existimant in materia de voto eam etiam deliberationem requiri ad obligationẽ voti, quos suo loco referemus. Huius autem ratio manifesta est, quia promissione obligatur aliquis, & etiam matrimonio ad reuera exequendum id, quod contractum est, quæ obligatio lethalis culpæ reatum inducit ex genere suo. Ergo ea deliberatio, quæ necessaria est ad peccatum mortale, requiritur etiam, vt nascatur obligatio sponsalium aut matrimonij.

2 Iuxta hanc regulam facile est in multis casibus philosophari. Primò enim colligitur matrimonium, siue sponsalia feruore iracundiæ celebrata, nisi tantus sit, vt absorbeatur ratio atque deliberatio, quod vix cõtinget, valere. Quia cum feruore iracundiæ plena deliberatio est sufficiens ad peccatũ mortale. Quæ communis Doctorum sentẽtia est, quos refert & sequitur Thomas Sanchez lib. 1. disp. 8. n. 5.

3 Verùm contra hanc communem receptamque sententiam nonnulla sunt, quæ possunt difficultatẽ ingerere. Primum est ex doctrina quorundam asserentium contractus feruore iracundiæ celebratos ratos non esse, nisi postea sedata iracundia pleno iudicio cõfirmentur. Pro qua doctrina non paucos Doctores refert Thomas Sanchez eadem disput. n. 4. & probari videtur ex *l. licitatio, siue, locatio D. de Publicanis & vectigal.* vbi statuitur, si in locatione vectigaliũ vltra modum processum sit, talem locationem non admitti. Idem probatur ex *c. diuortium, de pœnitentia dist. 1. & habetur in l. quidquid 49. D. de regulis iuris*, ibi: *quidquid calore iracundiæ, vel fit, vel dicitur, non prius ratum esse, quàm si perseuerantia apparuerit iudicium animi fuisse.* Ex quo infert, I. C. vxorẽ, quæ discesisit à marito, si breui reuertatur non videri recessisse; id quod etiam habetur *in l. diuortium 3. D. de diuortijs.* Deinde probat textus in *cap. siquis iratus 2. q. 3.* Fabiani Papæ, vbi dicit non esse censendum accusatorem, siquis crimen aliquod alicui obiecerit, nisi id, quod iratus dixerit, per scripturã se probaturum fateatur.

4 Sed circa hãc Doctorũ doctrinã multa dicimus. In primis illã non posse veram esse, si loquamur tãtũ spectato iure naturæ, vt dictũ est; adest enim sufficiens deliberatio cũ iudicio in feruore iracundiæ. Deinde dico forsan posse esse verã eã sententiã in iure ciuili. Addo tamen id non probari ex *d. l. licitatio, siue locatio*; ibi enim agit I. C. Paulus de quodã peculiari casu, nẽpe de cõductione vectigaliũ, & docet, vt si in ea conductione vltra modũ consuetũ licitãdo processum sit, talis locatio non admittatur, nisi is, qui locauit, fideiussores & cautiones idoneas obtulerit. Hoc autẽ non est irritũ reddere contractũ, sed tantũ præscribere formã, qua fieri debent vt valeat. Neque etiã probatur ex dicto capite, *siquis iratus*, longè enim diuersa ratio est de accusatione & cõtractu. Obijcere alicui crimẽ potius est cõuitiũ, quàm accusatio. Vnde præscripsit Põtifex formã accusationis; ex eo autẽ non fit contractus feruore iracundiæ factos nullos esse, cũ habeant sufficientẽ deliberationem ad rationẽ contractus. Dico præterea id maiori cũ probabilitatis specie colligi ex *d. l. quidquid, de reg. iur.* Verum ibi non definitur an sint ipso iure irriti, vel rescindendi; fortasse enim ea lege non irritantur omnia

facta

facta feruore iracundiæ, sed statuitur vt in iudicio rescindãtur. Dico denique, quãuis demus id in contractibus iure ciuili statutũ esse, at ea dispositio locum habere non potest in contractu sponsaliũ aut matrimonij, in quibus ea lex ciuilis nõ habet locũ. Quãuis enim *ex c. 1. de noui operis nuntiatione*, nõnulli colligant standum esse legibus ciuilibus, vbi illæ Sacris Canonibus cõtrariæ nõ sunt, tamen hoc locum habere non potest in irritatione sponsaliũ vel matrimonij, & collatione beneficiorũ, & alijs, quæ speciali iure subsunt potestati Ecclesiæ. Quare licet ea lege irriti essent, omnes contractus feruore iracundiæ facti; ea tamen locum habere non potest in spõsalibus aut matrimonijs, cum ad hoc nulla potestas sit in principe sæculari. Quibus adde in d. c. 1. non dici, vt leges sæculares in rebus Ecclesiasticæ potestati reseruatis, hoc ipso, quod de illis nihil Iure Canonico statutũ est, vim legis habeant; sed tantum Sacrorum Canonum statuta Principum constitutionibus adiuuari, explicari, scilicet, & confirmari, & vbi desint, ex æquitate quadam & cõuenientia verosimile ex illis argumentum deduci.

5 Secundò obstare videtur alia Doctorũ doctrina, quæ docet iuramentũ & votũ feruore iracũdiæ nũcupatũ non habere vim voti vel iuramenti. Eos Doctores refert Thomas Sanchez loco cit. quibus immerito annumerat Ricardũ in 4. dist. 38. art. 2. q. 2. Nihil enim eo loco dicit de voto emisso feruore iracundiæ. Quorum doctrina probari videtur ex *l. 2. D. ad l. Iuliã Maiestatis*, vbi dicitur iuramentum feruore iracundiæ præstitum irritum esse, & minimè obligare. Probatur etiam ex *c. dudum, de conuersione coniugat. & c. siquis ex literis, de iure iurãdo in 6.* Dico tamen eorum Doctorum sententiã omni veritate destitui, vt docet communis sententia in materia de voto & iuramento. Ea enim deliberatio, quæ satis est ad peccatum mortale, satis etiã est, vt colatur Deus religione voti & iuramenti. Nec verò prædicta iura quidquam fauent illi doctrinæ. Nam in d. *l. 2.* non dicitur iuramentum factum feruore iracundiæ minimè obligare, sed iuramentum à quodam in consultè factum, quod seruo suo semper iratus perseuerare deberet, nõ obligare, quod valde diuersum est. Nã res illa iurata digna nõ erat, neque capax obligationis iuramẽti, & ideo dicitur inconsultè factum. In c. autẽ *siquis ex literis*, iuramentum ibi, factũ dicitur nullum esse, non quia ex feruore iracundiæ conceptum erat, sed quia contra bonos mores. Iurauerat enim Monachus se non moraturum in clausto cũ alio Monacho, quod cõtra professionem erat. In c. autem *dudum*, nihil est, quod illi doctrinæ faueat. Approbatur enim ibi votum purè & simpliciter factum pro salute & remedio animæ suæ: & quamuis ibi referatur aliquando spe mala & feruenti iracundia inductum esse, vt voueret, approbatur tamen; quia licet ea spes & ira aliquo tempore fuerat, at quando vouit, nihil horum erat, sed purè & simpliciter vouit. Ex eo autem non licet arguere à contrario sensu, quod sæpe est infirmum argumentum in iure. Satis enim fuit Pontifici in casu proposito, quando votum emissum est, nihil fuisse, quod firmitatẽ voti impedire posset. Non ergo rectè Thomas Sanchez ibidem, n. 11. explicat prædicta iura intelligi de feruore iracundiæ, qui rationem absorbet.

6 Hæc autem, quæ de feruore iracundiæ diximus, intelligenda sunt, quando illo nõ absorbetur ratio; si enim absorbeatur, quod raro contingit, planum est nullum esse contractum, sicut si ab homine amente fieret. Vnde autem discerni possit an ratio absorpta fuerit, si quis quærat, colligunt nonnulli ex pœnitentia, quæ sequitur, sedatam iracundiam. Alij ex eo quod votum sine illo feruore emissum non esset. Sed neutra regula valet, vt satis constat. Quæ enim plenè & deliberate facimus, sæpe ex aliqua circunstantia postea eorum nos pœnitet, & extra casum illum non faceremus, easque regulas refellit Thomas Sanchez disput. cit. nu. 8. Quare in hoc coniecturis agendum est.

7 Secundò colligitur furiosum nõ posse contrahere matrimonium, neque sponsalia, *cap. neque furiosus 32. q. 7. c. dilectus, de spõsalibus & l. 6. tit. 2. partita 4.* Estque etiã dispositio iuris naturalis, cum enim ij contractus exigant consensum sufficientẽ ad peccatum mortale, qui in furiosis & amentibus esse nequit, non possunt ab illis validè celebrari. Vide de hoc decisionem Riccij in praxi matrimoniali 251. num. 1. vbi & explicat quomodo probetur furor. Hæc autem doctrina vera est, etiãsi alter contrahens sciat illum esse amentem. Neque enim hic defectus est ex illis, qui iure positiuo impediũt, veluti seruitus, quæ ignorata nocet, & cognita non obest; sed iure naturali obstat, non secus ac non valeret matrimonium, quãuis contraheret quis cum aliquo, quem scit nõ habere consensum contrahendi.

8 Sed huic communi doctrinæ obstare videtur doctrina Glossæ in d. *cap. dilectus*, quam refert Thomas Sanchez disput. cit. quæst. 3. quæ sentit matrimonium & sponsalia contracta cum furioso esse valida, si cõtrahens cum eo conscius sit furoris illius. Quod etiam videtur probari ex Fabiano Papa in *cap. neque furiosus* 32. *quæst.* 7. *Neque furiosus, neque furiosa matrimonium contrahere possunt, sed si contractum fuerit non separentur.* Cæterùm nunquam mihi persuadere potui Glossam in ea fuisse sententia, neque in alicuius mentem cadere potuisse; sed Recentiores isti decepti sunt, eo quod viderunt apud Couarru. 2. p. cap. 1. num. 7. in fine rem hanc Glossam istam parum diligenter expediuisse, quibus crediderunt eo loco istã sententiã refutari. Sed neque video in quo Couarru. Glossæ negligentiam notare voluerit. In eo enim loco, postquam proposuit dubitationem, quomodo fieri potuisset, vt illa mulier viro furioso copulari voluerit, sicut in eo textu supponitur, quæ nimia stultitia esset, respondet hominẽ fuisse quidem etiam tempore contractus furiosum, attamen patrem & filiam ignorasse; sæpe enim etiam perpetui furiosi sunt in ea quiete, vt furiosi non appareant, & sic ignorare potuisse. Et sanè ex integra eius textus planè constat ignorasse, quod quidem facile fieri potuit, si exterius signa non apparebant, vt inquit Glossa. Nec vero ex d. *c. nec furiosus* aliquod argumentum desumi potest; cum enim in secunda parte textus dicitur, *sed si contractum fuerit, non separentur*, id tantum dicitur superueniente furia non esse dissoluendum iam antea contractum matrimonium, quod dubitatione caret.

9 Hæc tamen generalis doctrina limitanda est. Primò, vt intelligatur de eo, qui tempore contractus est in amentia; possunt enim esse in aliquibus interualla ægritudinis, ac tunc contractus in eo interuallo celebratus esset firmus, vt colligitur ex *cap. quãuis*, 7. *quæst.* 1. vbi, cum Episcopus in amentiam incidisset, & alius eius loco postularetur, respondet sine Episcopi consensu fieri non posse, si interualla ægritudinis haberet. Limitãda secũdò, vt nõ intelligatur de his, qui interdum circa aliquam peculiarẽ materiam insanæ mentis sunt, non verò circa omnes, quia ex vi imaginatiuæ iuxta indiuidui temperamentum id facile euenire potest, de quo latè Thomas Sanchez disputat. 8. quæst. 3. num. 22. Si enim in materia matrimonij sanæ mentis sit, valebit contractus, etiamsi in alia materia insaniat. Quando autem dubium fuerit, an insanus vel sanæ mentis contraxerit, quod attinet ad forum conscientiæ iudicandum iuxta principia generalia de conscientia dubia, de quibus suo loco. Quod verò attinet ad forum exterius, præsumptionibus agendum est; si enim antea in amentiam incidisset, quæ aliquo tempore continuo perseuerauit, præsumitur interualla non habuisse. Sicut è contra si antea non visus est insanus, & postea inueniatur, præsumitur mente sana contractum gestum esse, naturæ enim hominem sanæ mentis producit, nisi contrarium appareat. Si verò ab eo, qui lucida habet interualla contractus matrimonij fiat, præsumitur in amentia gestus, nisi ex qualitate & circunstantijs, quibus æque bene gestum est, atque à cordato viro, aliter iudicandum appareat. Sed de hoc late Couarru. 2. p. cap. 2. num. 5. & sequentibus, & ex eo Thomas Sanchez disput. 8. num. 17. & Riccius loco citato.

10 Tertiò colligitur pari ratione matrimonium aut sponsalia ab ebrio in ebrietate celebrari non posse, atque adeo eandem esse illius & amentis rationem. Sic docet cõmunis sententia, & propter idem fundamentum, quia in ebrietate non potest esse consensus sufficiens ad peccatum, qui tamen ad huiusmodi contractus requiritur.

11 Sed aduersus doctrinam hanc proponit Thomas Sanchez disput. 8. quæst. 3. difficultatem hanc. Quia siquis ante ebrietatem præuidit se consensurum in ebrietate, vel prolaturum verba matrimonij, vel sponsalium, videtur in ebrietate habere intentionem virtualem, atque adeo sufficere; sicut in Baptismo præcedens virtualis voluntas satis est, etiamsi inciderit postea in amẽtiam, vt Baptismum suscipiat cum effectu. Item etiam peccatum homicidij imputatur ebrio, si ante ebrietatem præuiderit.

12 Huic difficultati respondet idem Author non esse eandem rationem in casu prædicto de matrimonio, aut sponsalibus, & de Baptismo. Nam in Baptismo non est minister, sed suscipiens: at verò in matrimonio, & Sacramento sunt ministri, & actio ministri debet esse humana. Vnde hac ratione inquit non esset vera absolutio, siquis ante amentiam confessionem audiuit, & habuit voluntatem absoluendi, & postea in amentia absoluit. Addit etiam diuersam esse rationem euentus secuti in ebrietate, verbi

gratia

gratia, homicidij & matrimonij, vt illud imputetur etiam in ebrietate; hoc vero non. Quia bonum constat ex integra causa, malũ ex quouis defectu: & cum sponsalia & matrimonium sint quoddam bonum, ideo exigunt omnino actionem humanam; homicidium autem, cum sit malum, nõ requirit nisi voluntatem in causa; præsertim inquit quod homo tenetur vitare peccatum, & ita si in causa præuidit futurum, voluisse censetur; non verò tenetur contrahere sponsalia aut matrimonium, & ita non mirum si præuisa ante ebrietatem non valeant in ebrietate.

13 Verùm in solutione huius difficultatis multa dicit, quæ mihi non probantur. Et in primis, cum reddit rationem discriminis inter ministrum & suscipientem rem inexplicatam relinquit. Id enim est cuius rationem inquiro sub hac forma. Negari non potest in ebrietate manere virtualem intentionem, vt constat in eo, qui ante Baptismum voluit baptizari. Cur ergo eadem virtualis voluntas, si manet etiam in ebrietate, non sufficiat pro sponsalium & matrimonij cõtractu? aut si non manet virtute, cur ad susceptionẽ Baptismi manere dicitur, & etiã ad susceptionem absolutionis, non vero ad sponsalia, & matrimoniũ? Deinde id quod secundo loco dicit, cum assignat discrimen inter homicidium & sponsalia in ebrietate secuta, desumptum ex obligatione, quæ est vitandi homicidij, cum tamen non sit obligatio contrahendi sponsalia, falsum planè est. Nam quãuis vt effectus secutus ex omissione sit voluntarius, & mihi imputetur, necessarium sit, vt ego tenear, alias non dicetur ad me pertinere; vt alio loco dicendum est, quamuis neque hoc certum sit: attamẽ, vt effectus secutus ex aliqua causa positiua dicatur mihi voluntarius, non est necessarium, vt præcepto tenear, sed satis est, si ego libere adhibui causam, ex qua sequeretur, vt satis constat; licet vt sit peccatum requiratur ea præcepti obligatio. Cum ergo illa sponsalia & matrimonium in ebrietate sequantur ex causa positiua, quam volui & præuidi, cur non mihi dicentur voluntaria etiam sine obligatione præcepti?

14 Alij eidem difficultati respondent ad susceptionem alicuius Sacramenti sufficere virtualem intẽtionem, quia susceptio non est actus humanus; quare solum requiritur ne ponat obicem, & si adultus fuerit, vt aliquando saltem habuerit voluntatem, nunquamque retractauerit: at vero actionẽ ministri debere esse humanam, ac proinde requiri ex parte ipsorum, vt actualis consensus comitetur verba ipsa, aut signa exteriora. Atque idem dicendum de quouis alio cõtractu, quia contrahentes sunt causæ efficientes illius contractus. Sed hæc solutio omni veritate destituitur. Quamuis enim notum sit discrimen inter susceptionem & administrationem Sacramenti, quod illa nõ sit humana actio, hæc autẽ maximè, & ideo debeat esse ex deliberatione profecta, vt in materia de Sacramentis in genere dicendũ est; attamen falsum est, debere simul cũ verbis cõcurrere actualem consensum, sed sufficere virtualẽ siue ad rationem cõtractus, siue ad rationem Sacramenti. Et quidem in ratione Sacramenti planè constat in Sacerdote cõsecrante; licet enim non adsit actualis intentio in consecratione, tenet consecratio, si præcesserit intentio, eo quod alijs medijs actionibus virtute continuetur, quæ oriuntur ex illa expressa priori intentione. Et de contractu idem dicendum esse cõstat, quia ad contractus non amplius requiri potest, quàm actio humana; ea autẽ esse potest, cum intentione virtuali, vt manifestum est in administratione Sacramentorum. Ergo illa etiam sufficiet ad contractus.

16 Gabriel Vazquez disput. 5. de matrimonio c. 3. à n. 30. hanc difficultatem egregie dissoluit, eiusque doctrinam ab illo latè propositam in summam hoc pacto reuocamus. Duobus modis se habere potest is, qui in ebrietatem incidens contrahit spõsalia, aut matrimonium. Primò, si ante ebrietatẽ non quidem consensit, sed habuit voluntatem consentiendi, & in ebrietatem incidit, antequam reuera consensisset, etiam præuiso quod prolaturus esset verba in ebrietate. Et in hoc sensu manifestissimum est non cõtrahi sponsalia, nec matrimonium, neque actionem illam esse aliquomodo humanã, quia libertas omnis finita est, cum incepit ebrietas. Quare consensus, quem in ebrietate futurum præuidit, non est liber, tũc quando præsens est in se, cum sit in ebrietate; neque est liber ex actu voluntatis, quo præuisus iam est ante ebrietatẽ. Quia hoc est discrimen inter actus aliarũ potentiarũ, & voluntatis, quod actus aliarum non aliunde possunt participare libertatem, nisi à voluntatis affectu, ex quo oriuntur; & ita possunt ex præcedenti volũtate, quæ virtute saltim remaneat in alijs actionibus, oriri. Vnde homicidia secuta in ebrietate imputantur, nõ quidem, quia cum fiant, libera sint; sed quia

causa, ex qua sequuntur, libera fuit libertate participata ex affectu. At verò actus voluntatis non potest libertatem participare ex alio affectu voluntatis priori, sed immediate à volũtate. Exempli gratia. Actus quo ego diligo Deum, cum prius habuerim voluntatem diligendi, non habet libertatem ex priori actu, quo diligere volui, sed immediatè ab ipsa voluntate. Voluntas ergo consentiendi, & sic contrahendi futuro tempore vel matrimonium, vel sponsalia, quæ tantum præcessit ebrietatem, & non est voluntas contrahendi, non potest deriuare libertatem in consensum volũtatis habitã in ebrietate, quando in ipsa ebrietate non exit libere à voluntate, à qua deberet immediate participare libertatem.

16 Secundo modo potest se habere is, qui in ebrietatem incidit, si ante ebrietatem habuit reuera consensum præsentem siue sponsalium, siue matrimonij: non tamen expressit verbo, exprimit tamen postea, cum ebrius est. Et quidem si præuidit se ea verba dicturum in ebrietate, & antea non dixit, sed se inebriauit vt diceret, fictitius casus est, quem enim consensum existimemus esse in eo, qui non protulit tunc cum poterat, & reuera consentiebat. Quare vel id magno argumento est non habuisse illum consensum sufficientem ante ebrietatem, sed velleitatem quandam inefficacem. Sed demus habuisse, & statim inebriatum, & in ebrietate protulisse verba, adhuc non fit contractus, quia ea prolatio verborum non est humana actio, cum non coniungatur humano modo cum voluntate præcedente. Non coniungi autem humano modo à posteriori ex eo colligitur, quia etiam si quis habuisset animum dicendi conuitia in aliquem, si inebriatur, & in ebrietate proferret, non censetur iniuriam facere, nec conuitiari, sicut neque censetur mentiri, aut fidem frangere, qui in ebrietate facit oppositum eius, quod promiserat. Cum ergo non sit actio humana, quam omnes contractus humani, & sacramenta postulant, non mirum si non fiat contractus aut sacramentum; quæ ratio non militat in susceptione, cum non sit actio: atque idem in votis dicendum est. Atque hæc quæ diximus de verborum prolatione, accipe etiam de quouis alio signo exterius manifestante consensum, de quibus dictum est supra lib. 2. nam etiam si in ebrietate perficerentur, nihil illis efficeretur, cum substituantur verborum loco.

Quis censeri debeat grauis, & leuis metus.

CAPVT II.

SVMMARIVM.

Proponitur quid agendum, num. 1.
Metus est causa coactionis conditionalis, nu. 2.
Actus ex metu magis est voluntarius, quam inuoluntarius, num. 3.
Voluntatem ex metu sufficere ad peccatum mortale, si alia adsint, num. 4.
Definitio metus proponitur, & explicatur, numer. 5.
Primum corollarium, num. 6.
Metus cadens in virum constantem quis, num. 7.
Etiam metum minarum iustum esse, & quarum num. 8.
Malum quod timetur, debere esse in se magnum, num. 9.
Attendẽdam tamen circũstantiam Sexus, & ætatis, & qualitatis, num. 10.
Minorem etiam metum sufficere, quando agitur de impediendo iurisdictione, ibidem,

1 POST explicatam libertatem, quæ in contractu matrimonij requiritur quatenus indeliberationi opponitur, & necessitati, explicare oportet libertatem requisitam ad matrimoniũ, & spõsalia prout opponitur coactioni, doctrinam que vniuersalem trademus ad alios etiam contractus: nonnullis tamen, quo id melius intelligatur de graui, & leui metu prælibatis. Et de hac materia metus videndus est nouissime Farinatius in 2. p. fragment. rimin. *v. metus.* qui omnia attingit, & auctoribus comprobat.

2 Cum duplex possit esse coactio vna sufficiens, siue absoluta, altera inducens siue conditionata, sufficientem enim, & inducẽtem appellant Alex. Alensis 4. part. quæst. 8. membro 7. art. 2. §. 1. Altisiodorensis lib. 2. titulo 11. quæst. 3. Bonauentura in 4. dist. 4. art. 2. quæst. 1. num. 22. absolutam verò, & cõditionatam appellant D. Thomas in 4. dist. 29. quæst. 1. art. 1. Gabriel eadem dist. quæst. 1. art. 2. cõclus. 2. metus quidem non gignit coactionem primam, quã Aristoteles 3. Ethi cor. c. 1. violentũ vocat, sed secũdã. Volũtas enim ad suũ actũ absolutè per metũ, & coactionẽ cogi nõ potest, cũ sit essẽtialiter volũtari', (quid enim magis voluntariũ, quã velle?)

le?) id quod cõmuni sensu docẽt Theologi, & demonstrat Durandus in 4. dist. 29. q. 1. In ductiua tamen & conditionata coactione cogi potest voluntas, propter metum enim quarundã rerũ, & propter quædã alia, nonnulla eligit, quibus sublatis eadem nollet. Igitur, quæ ex metu fiunt, vt inquit Aristoteles loco cit. Nyssenus lib. 5. philosophiæ c. 1. Damascenus lib. 2. de fide c. 21. mixta sunt ex voluntario & inuoluntario, quia & fiunt à principio intrinseco, scilicet, voluntate cum cognitione singularium, & repugnante aliquo modo voluntate. Vnde Iure Consultus in *l. si mulier* 21. §. *si metu coacta D. de eo quod metus causa*, inquit, *quia quãuis si liberum esset, noluisset, tamen coactus volui*; & ideo dicitur in *c. merito*, 15. *quæst. 1. voluntas coacta, voluntas est.*

3 Nec verò sunt solum mixta, sed sunt magis voluntaria, quàm inuoluntaria. In quo non rectè Decius in *regula velle* 4. *de reg. iuris*, n. 2. & 3. id quod docuit D. Thom. 1. 2. q. 6. art. 6. & Aristot. 3. ethic. c. 1. de his quæ metu fiunt, inquit. *Tales igitur actus mixti quidem sunt, magis autem similes his, quæ spõte homines agũt.* Nyssenus quoque de ijsdem ait: *videntur magis voluntarij esse.* Cum verò in eodem capite inquit Aristot. *Simpliciter nemo suas fortunas eijcit spõte*; & infra: *At simpliciter fortasis inuitus, nemo namque talium quidquam perse expeteret vnquã*, particula *simpliciter* non refertur ad *sponte*, aut ad *inuitus*, sed ad fortunas & res, quas proijcit, & idem est ac *secundum se*, vt sensus sit, si sumerẽtur secundũ se, & extra circunstãtias metus, essent omnino inuoluntariæ, quia non faceret. Et eodem modo Nyssenus li. 5. Philos. c. 1. docet actiones ex metu secũdum se esse inuoluntarias, sed propter metum volũtarias. Atque in eodem sensu accipi debet particula *absolutè in c. maiores*, §. *item quæritur de Baptismo*, ibi, *tanquam conditionaliter volens, licet absolutè non velit*, idest, si secundũ se consideretur Baptismus, nollet illũ, ideo conditionaliter voluit, cogendus tamẽ seruare. Neque obstat etiam S. Thomas 2. 2. q. 142. art. 3. vbi docet inter ea, quæ fiũt ex metu & ex delectatione hoc esse discrimen, quod illa nõ sunt simpliciter volutaria, hæc verò maximè. Nam ibi particula *simpliciter* idem est, quod *omnino*, ideſt, quæ fiũt ex metu non sunt omnino voluntaria, quia habẽt aliquid inuoluntarij. Quæ verò fiunt ex delectatione, omnino voluntaria sunt, nihil enim habent admixtum inuoluntarij.

4 Ex quo fit hanc voluntatem ex se esse sufficientem consensum requisitum ad mortale, quia ea est cum plena & vera libertate, quæ requiritur ad mortale, nisi metus aliquando tollat considerationem necessariã, in hoc enim casu non loquimur. Quod tamen intelligendũ est, si cætera adsint ex parte materiæ; nã propter metũ incursum solet aliquãdo mutari obligatio materiæ, quia lex positiua cõmuniter nõ obligat cũ tanto dispẽdio, nisi in aliquo peculiari casu, vt dicendũ est in materia de legibus. Imò interdũ lex ipsa naturalis non obligat in sua materia, cum metu & periculo grauis damni, neque enim succurrere debeo proximo, aut seruare apud me ensem depositũ, nec reddere illum Domino, qui vult alium occidere, si mihi incutiat metum mortis, vt forsan dicemus lib. 5.

5 Communi autẽ definitione sic definitur metus ab Vlpiano, *l. 1. D. de eo quod metus causa, est instantis periculi, vel futuri mali mentis trepidatio*, conuenitque ea definitio omni metui. Omissis autem varijs metus diuisionibus, de quibus nõnulla postea, quod ad nostrũ institutũ attinet, cõmuni tantum diuisione metus diuiditur in leuem & grauem siue iustũ. Cognita autẽ grauis metus natura, quid leuis metus sit facile innotescet. *Metũ accipiendũ Labeo dixit non quẽlibet timorẽ, sed maioris mali*, inquit Vlpianus *in l. metũ D. Quod metus causa, & l. sequenti* Caius ait, *metũ autem nõ vani hominis, sed qui merito & in homine cõstãtissimo cadat ad hoc edictũ pertinere dicimus*; & Celsus *D. de reg. iuris vanı timoris* (inquit) *iusta excusatio nõ est.* Vnde grauis metus dicitur cadẽs in constantẽ virum *c. veniens 2. c. consultationi, de sponsalibus & c. cum dilectus, de his quæ vi.* Alexãder 3. ibi, *non obstante violentia, quæ proponebatur illata, cum neque metũ mortis, neque cruciatum corporis contineret, & ideo non debuerat cadere.* Et similia verba habentur *in l. interpositas, C. de transactionibus, & l. si volũtate, C. de rescindenda vẽditione, & in l. si per vim C. de his quæ vi, & in l. si quidẽ C. de contrahenda stipulatione.* Idẽ autẽ est, siue iura dicãt cadere in virũ cõstantissimũ, siue cõstantẽ, accipitur enim superlatiuũ pro positiuo, neq; enim nouum est superlatiua pro positiuis accipi. Vnde nõ incõmodè grauẽ, iustũ, siue probabilẽ metũ aptè definire possumus, *Metus cadẽs in cõstãtẽ virũ est instãtis grauis, iniusti q; mali ab homine sibi inferendi vehemens opinio.* Vt enim S. Thomas docet 1. 2. q. 42. ar. 1. & 2. 2. q. 19. art. 1. & 3. p. q. 7. art. 6. Timor ad duas quasdam res non parũ inter se distãtes respectũ

habet,ad malum inquam, quod perſe refugit,& ad bonũ ſeu ad externã cauſam, quæ malũ ipſum infligit.Cũ verò timor ſit vt definit Ariſtoteles 1. Rhet.c.5. Quædam perturbatio aut ægritudo ex perceptione futuri mali corrumpentis, doloremque inferentis, quod non longius, ſed propius abeſſe oportet,vt illic demonſtrat Ariſtot. rectè colligit D. Thom.1.2.q.43.art.2.timorem, quia mærore afficit, voluntati eſſe contrarium,naturæ vero,quia poteſtatem obtinet corrumpendi eius bonum; & ſicut inquit D. Thom. q.42. cit. art. 3. obiectũ ſpei eſt bonũ futurũ arduũ; ita timoris malũ futurũ arduum,quod non poteſt facile vitari: & in eodẽ articulo tam in corpore, quàm in reſponſione ad tertium argumentum, illud ſolum ait eſſe terribile,quod cauſam habet ex trinſecam: & in reſponſione ad tertium,*timor*, inquit, *eſt de malo,quod non ſubiacet noſtræ poteſtati*.De metus definitione Farinatius loco cit.n.1.vſque ad 5. & n.63.64.

6 Ex hac tradita definitione metus non nulla licet colligere, quibus magis in ſingulari explicetur.Primo ſequitur ad metũ graue requiri,nequis facile poſsit ijs, quæ imminẽt occurrere. Inconſtantis enim eſt ea timere, quæ facile alia via euitari poſſunt, vt ſatis conſtat.

7 Secũdò colligitur æſtimationẽ imminẽtis mali eã debere eſſe,quæ nõ ſit indigna cõſtãti viro,qui medius eſt inter conſtantẽ, & pertinacẽ, vt docet D. Tho. in 4.diſt. 29. q.2. art.2.hoc eſt, vt probabilis ſit, & iuſta rationẽ ſuſcepta. Vt enim inquit D.Thom. loco cit. cõſtãs ex forti æſtimatione & probabili cogitur *d. l. metũ 2. metũ autẽ non vani hominis,ſed qui merito, &c. & l. nec timorẽ D. eodẽ. Siquis meticuloſus rẽ vllã fruſtra metuerit*. Is enim,qui ſine probabili fundamẽto & æſtimatione timet,fruſtra ac vanè timet, & meticuloſus eſt. Vnde ſatis eſt probabilis timor inſtãtis dãni,licet reuera damnum nõ ſit illatũ *l. nec timorẽ 7. D. eodẽ*,ibi,*quia potuiſſet ea pati, quæ dicimus*. Inſtantis cũ dico, nõ tantũ proximè imminẽtis intelligo, ſed futuri etiã diſtanti tẽpore,ſi tamẽ probabiliter timeatur euenturũ,id enim vir conſtans etiã timere poteſt.Imo & probabilis ſuſpicio metus metus quoq; cẽſetur, *l.nouiſsime, §.quod falſo*,ibi,*quid enim ſi metu cõpulſus,aut metuẽs, ne cõpelleretur*; docentq; cõmuniter Doctores,& inter illos Farinatius multis citatis 1.p. praxis criminalis,q.35.n.26.& idẽ Farinat. loco cit. à n.70.71.72. & Rota apud Farinat. 1.p.deciſ.643.n.2. cũ Alexand. Pariſio,Riminaldo Iuniore; eſtque eadẽ ratio. Probabilẽ enim ſuſpicionẽ metus inferẽdi, à quo ſe ſubtrahere facile nõ poteſt, in virũ cõſtantẽ cadere quis neget? Cæterũ obſtare videtur textus *in l. metũ præſentẽ*, ibi, *metum præſentẽ accipere debemus, nõ ſuſpicionẽ inferendi, ſed ſi illatus eſt ab aliquo*, ex quo videtur colligi ſuſpicionẽ metus nihil operari.Sed reuera operatur,vt cõſtat ex *l. habitatores C. locati & conducti, §. fin.* Quare ea lege nõ excluditur probabilis ſuſpicio,ſed vana & fruſtranea,vt Farinatius ibidẽ,n.72.multis cit. Cũ ea autẽ probabili ſuſpicione etiã eſt præſens metus,cũ reuera metũ incutiat,& probaliter timeat eſſe inferendũ *c.cũ dilectus,de his quæ vi*. Iã enim ex probabili ſuſpicione quaſi illatus eſt, hoc eſt, vt inquit Bartolus in *d.l.metũ 2. iam res adhoc veroſimiliter tẽdit*.

8 Tertiò ſequitur, ſi is qui minatur non poſsit minas exequi, non eſſe metum grauem, quantumuis minæ graues ſint *l. famoſi C. ad l. Iuliam Maieſtatis*, ibi, *vel ante quid fecerit*. Perſona namque ſpectanda eſt,an potuerit exequi, nec enim cõſtantis eſt à quocunque ſibi metuere. Si enim quis metuit,quod alter minatur, qui non poteſt id quod minatur efficere,ipſe ſibi metũ infert,vt inquit optimè Donellus lib.15.c.39. §.*nihil agit*. Adde vel ſufficere,vt qui timet probabiliter cogitet,eũ qui minatur, poſſe exequi,vt Theologi docent,quos citat Hẽriquez lib.11. de matrimonio c.9.nu.3.Cui etiã cõſequẽs eſt, vt is qui minatur talis ſit, qui minas exequi ſoleat *l. metũ C. de his quæ vi*,ibi,*non ex rationibus,ſed atrocitate facti pro bandũ metũ*,& in eodẽ genere mali,vel diuerſo,eadẽ enim eſt ratio. De quo Hippolytus Riminald⁹ Repet.*in c.1.de offic.deleg.à n.22.* & Farinatius loco cit. n.93.94.& ſequentibus.Satis autem eſſe puto, quod ſemel minas executus ſit in eadem perſona, vt probabiliter timeat;imo & in aliena, ſi attento ingenio exequentis probabile ſit idem facturũ. Sed quid ſi nunquam ante minatus, nec executus fuerit? Tunc prudenter iudicandum eſt ex circunſtantijs, perſonæ minas inferentis,inſpectoque eius ingenio ad iram valde efferueſcenti, cum vehementia affectus erga rẽ,quã deſiderat.His enim pẽſatis, ſi prudẽter iudicatur executurum minas,metus certe probabilis & grauis cenſetur.Quid ni? Is enim cadit in virum conſtantem.Debent autem eſſe minæ alicuius mali,quod aliàs cenſeatur graue, vt ſtatim dicam.His etiã adde præceptum tyranni, aut etiã principis iuxta ea quæ dicã infrà cap.5.

9 Quar-

9 Quartò sequitur malum quod imminet, debere esse in se magnum, & graue malum, & non tantum comparatione alterius minoris mali. Id quod optime docuit Soto in 4. dist. 29. q. 1. art. 2. vers. *secundo per accidens*. Ratio est aperta. Quia iura ideo rescindunt contractus metu graui celebratos, quia is timor libertatem minuit, siue consensum impedit in viro forti. Leue autem malũ in se, quod solum graue est comparatione minoris, non minuit in viro forti libertatem, atque adeo non cadit in virũ constantem. Necesse etiam est malum in se graue sit, & non ex vana meticulosi hominis æstimatione cõceptũ. Vnde minas, quæ tẽdũt ad cessationẽ lueri nõ continere grauẽ metũ, habet decisio Rotæ apud Farinat. 40. vol. 1. consil.

10 Hoc autem, quod graue malũ appellamus, non semper debet esse æquale, sed attendenda est circũstantia sexus & ætatis. Malum enim, quod comparatione viri graue non iudicabitur, censebitur respectu fœminæ, quia natura est imbecillior sexus. Ita que non requiritur, vt adeò sit graue malũ in statu fœminæ, atque id quod imminet viro, vt multis citatis docet Additionator ad Seraphinum de priuilegijs iuramẽti priuil. 110. n. 15. & 16. & Frãciscus Sarmiento lib. 2. Select. interpret. c. 11. n. 2. Decis. Rotæ apud Farinat. lib. 1. 42. num. 2. & alia apud Seraphinũ 771. num. 4. Decisio Rotæ lib. secundo, apud Farinat. 242. n. 16. & sequentibus, & 260. n. 6. & sequẽti. Vnde rectè infert ad grauem metum in fœmina nõ requiri metum cadentem in constantem virũ, sed in fœminã constantem, vt cũ Præposito, Decio, Butrio, Abbate & alijs docet Rota eadẽ decis. 260. nu. 7. & aliàs inanis esset regula quod metus probetur inspecta qualitate personæ. Ad text. autem in *c. consultationi, de sponsal.* rectè respondent Præpositus & Decius, quorum solutionem probat Rota loco cit. Quare non probo quod dicit Hippolytus Riminaldus Repet. in *c. 1. de off. deleg. n.* 32. esse peculiarem dispositionem, quod in causa matrimonij requiratur etiam in fœmina cadens in virum. Sẽtit etiam nobiscum multis cit. Farinatius loco cit. n. 73. & 76. In viris item spectari debet, quis robustior sit, quis ve imbecillior, an puer, an adolescẽs, an maturæ ætatis, ex personarũ enim qualitate pensandũ esse, & æstimandũ, an sit iustus metus, docuit Tiberius Decia. cõsil. 18. 127. lib. 1. Socin. Senior cõsil. 265. n. 5. lib. 2. & ex Theologis ita docẽt Soto. lib. 7. de iustitia q. 1. ar. 1. ad 2. Alphõsus Veracruz 1. p. Speculi art. 8. post 7. cõclusionẽ, Salon de iustitia & iure, q. 62. art. 2, cõtrouersia 5. in 3. cõclusione. Aragõ 2. tom. in 2. 2. q. 88. ar. 3. §. *Pro explicatione huius difficultatis*, Hẽriquez lib. 11. de matrimonio, c. 9. n. 3. in cõment. Thom. Sanchez lib. 4. de matrimonio disp. 3. n. 2. & sequẽtibus. Farinat. loco cit. n. 74. Idẽque dicendũ est ex eadẽ ratione non tantũ in fœmina respectu viri, sed etiã inter ipsos viros; attendi enim debet personæ qualitas, & ætas. Maior enim in milite & in homine cõstanti metus requiritur, quàm in pusillanimi, & debili, vt videtur colligi ex *l. 3. D. ex quibus causis maiores*, ibi, *& hoc ex affectu eius intelligitur*, ideſt, ex animo eius, cui infertur metus. Adde etiã leuiorem metum etiã requiri, quã qui cadat in virũ constãtẽ, quando agitur de impedienda iurisdictione Magistratus & iudicis, vt cũ Hippolyto Riminaldo & alijs docet Farinatius loco cit. n. 77. Quod fauore iurisdictionis ita obseruari æquitas postulat ad facinorosos homines compescendos.

An graue malum semper debeat esse maius eo quod eligitur, & in qua persona timeri debeat?

CAPVT III.

SVMMARIVM.

An metus iustus sit. Siquis eligat culpam mortalem aut venialem ad vitandum malũ, quod imminet. Prima sententia affirmat. n. 1.

Secunda negat, num. 2.

Verior resolutio, n. 3.

Sufficere ad metum iustum, quod timeatur in filijs, marito, vxore, consanguineis vsque ad quartum gradum, n. 4.

Idem si in amicissimis, affinibus, domesticis, ascẽdẽtibus. Secus in colonis, limitãtur hæc n. 5.

1 CAeterũ circa grauitatẽ mali, cuius timor cadẽs in virũ constantẽ, dici possit, nonnulla inquirenda & examinanda sunt. Primũ est, an semper malum quod vitatur, debeat esse re ipsa maius eo quod eligitur, an satis sit, quod in se graue sit, verbi gratia. Siquis eligat culpam mortalem, aut venialẽ committere ad euitandam mortem, is metus cadens in virum constantem censeri debeat. Quidam affirmant huiusmodi metum non esse grauem: nec enim cadit in virtutem constantis eligere aliquid contra rationem ad euitandũ temporale malum, etiamsi culpa venialis

sit,

sit. Docent ex Theologis cõplures D. Thomas in 4. dist. 29. q. vnica art. 1. in corpore, & ad secundum Gregorius de Valencia 3. p. disput. 10. generali, q. 3. puncto 2. Comitolus lib. 3. responsorum moralium q. 2. §. *Quintum quæsitum*, & vniuersim omnes, ita vt necesse non sit Doctores referre. Ex iurisperitis innumeri, quamuis aliqui verum censeant tantum, cum peccatum mortale committitur, non verò si culpa venialis sit; quod etiam docuit Henriquez lib. 11. de matrimonio c. 9. n. 3. Sed non consequenter loquitur, nam si rem ipsam inspiciamus, etiã venialis culpa grauius malũ est, quàm quod libet temporale.

2 Alij tamen existimant, quod licet ex parte obiecti, quælibet culpa sit maius malum, quàm quodlibet tẽporale; tamen quoad id de quo agitur, non esse loquendum de graui metu facta comparatione ad id quod eligitur vitandi mali causa; sed tantum expendendum esse obiectum metus, & si illud eiusmodi sit, quo reuera constantis viri voluntas retraheretur à proposito, censendus est grauis metus, siue eligat ad malum illud vitandum peccare lethaliter, aut mortaliter. Ita docuit Petrus de Ledesma, q. 47. art. 2. in fin. explicatque D. Thomam, quem nonnulli aduersari putant, sequitur Thomas Sanchez lib. 4. de matrimonio disp. 2. insinuauitque genuinam huius rationem, quantum ego iudico. Quia leges siue Ecclesiasticæ, siue ciuiles, quæ contractum ex metu rescindunt, tantum eò respiciunt, ne faueant extorquenti consensum per iniuriã, vt huiusmodi violentiæ repellantur à republica. non tamen priuatum commodũ eius, qui timet; & etiam eo mouentur, quia volunt integrum & illæsum vnicuique manere consensum. Id autem eodem modo se habet, siue quis eligat peccatum aliquod ad euitandum maius malum, siue non: imo & videtur colligi ex ipsis cõstitutionibus siue legibus, cum in vniuersum contractum matrimonij, verbi gratia, ex metu graui initum irritent; cum tamen difficile sit non interuenire mendacium in contrahente matrimonium, aut profitente per metum, dum is qui timet conatur decipere extorquentem consensum, & vnà cum verbis habet animum non adimplendi. Quod quidem vero simile est Ecclesiam præuidisse, eoque non obstante statuit matrimonium, aliosque cõtractus esse nullos. Signum ergò est metum cõstantis viri consideratione tantum ex obiecto.

3 Verùm meo iudicio melius responderi potest sub distinctione. Nam in primis, quod ad contractus attinet, non videtur esse locus præsenti quæstioni. Quius enim cõtractus ex natura rei potest celebrari sine vllo peccato, etiamsi metus grauis incutiatur; accidentaleque est, si in eo interueniat peccatum ex fragilitate celebrantis. Vnde non mirum si leges, quæ de contractibus loquuntur, tantum respiciant graue malum ex parte obiecti, quia sine peccato possunt contractus ex se celebrari, etiamsi ex metu sint. Quomodo autem isti contractus sine peccato celebrari possint, rectè explicat Ioannes Bassolis in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 2. hac ratione. Quia si metu inducatur ad contrahendum, vnà cum verbis habere potest animum contrahendi, vt absit mendacium, & verba vera sint: eo autem consensu nihil efficitur, vt legibus constitutum est, atque ita sine vllo mendacio nihil efficit, & euitat malum. Quod si cum verbis non habeat consensum, sed potius animum oppositum, id mendacium non euenit quidem ex exigẽtia metus, cum sine illo damnũ euitari possit, sed ex fragilitate aut ignorantia contrahentis. Extra contractus autem, si ab aliquo exigatur vt vel peccet, vel sustineat mortẽ, hæc potius sustinenda est, cum melius sit incidere in manus hominũ, quàm peccare in conspectu Dei, vt dicebat Susanna Daniel 13. & aliàs etiam, qui pro non committendo aliquo peccato occumbit, martyrij palmam adipiscatur.

4 Rursus quæritur, an istud graue malum debeat timeri in propria persona, an etiam satis sit, vt timeatur in aliena. Et quidem si immineat filijs, grauis metus est cõparatione patris, iuxta illud Iuris Consulti *in l. 8. D. de eo quod metus causa*, ibi, *cũ pro affectu magis in liberis parentes terreantur*. Cuius rei optimũ testimoniũ est apud Chrysostomũ homil. 29. in Genes. *Quia pater nõ minorẽ pœnã & cruciatũ habuit, quã Filius. Scitis enim quomodo sæpenumero Patres orant, vt Filiorum pœnas ipsi ferãt, & quomodo grauius illis est videre filios supplicio affici, quàm si ipsi his forent obnoxij. Factum igitur est hoc, vt ille ob naturalem in puerum amorẽ maiorem sentiret dolorẽ, & benedictio Dei seruaretur inuiolata.* Quibus rationem reddit Chrysostomus, quare Noe maledixerit filio Cham, vt in filij maledictione puniret parentẽ. Atque hac eadẽ ratione Iustinus Martyr, q. 80. dixit à ab vrsis deuoratos pueros illos, qui Eliseo illudebãt, quo puerorũ clade parẽtes suggillaret.

Optimè

Optimè etiam Lucianus in Tyrannicida, cū de eo sermonē faceret, qui præmiū postulabat, eo quod Tyrāni filiū occidisset, pugionem in vulneribus relinquēs, quo seipsum occidit Pater, *Hæc* (inquit) *nimirū sunt parentum vulnera, ij gladij vertorum Tyrannicidarū, hæc mors digna crudelibus Tyrannis, hæc vltio tantis sceleribus congruit. Cæterum protinus intcrire, protinus excidere sibi, neque huiusmodi vllum spectare spectaculū, profecto nihil habeat tyrannico supplicio dignum.* Atque huc respexit, quod apud Ouidiū lib. 6. Metamorph. Pallas dixisse fertur Aracnæ, cum illam in araneam conuertit.

Atq; ita vive quidē, pende tamē improba, dixit,
Lexque eadem pœnæ, ne sis secura futuri,
Dicta tuo generi, serisque nepotibus esto.

Idem etiam dicendū est, si timeatur in vxore, sunt enim vna caro; id quod expresse docuit D. Thom. in 4. distinct. 29. q. vnica art. 1. ad 2. & alij plures. Et ratio est eadē. Quia grauius iudicant parentes prudentes damnum in vxore, quàm in filio, & adulterium, quàm filij necem, *l. codicillis, §. matre D. de leg. 2.* ibi, *scis vnum fratrem tuum, vnum filiū nostrum occidisse, sed & alia grauiora mihi fecit: forsitan aliam quamdam testatoris vxorem incucurbitauerat*, inquit Glosa. De grauitate autem adulterij, dicam infra lib. 9. eadē ratio est de vxore comparatione viri. Atque in his conuenit etiam Donellus, lib. 15. cap. 39. §. non quiuis metus. Atque id quoque dicendum existimo de alijs consanguineis; vehemens enim est amor ingenitus erga illos, si rerum natura spectetur. Argumentū sumi potest, *ex cap. scient cuncti, de electione in 6.* ibi, *vel consanguineos eorum*, vbi metus illatus consanguineis, ad incutiendum electori timorē, censetur illatus electori; quod etiam docent ex iuris interpretibus complures. Limitandum tamen vsque ad 4. gradū. Nam vsque ad illum communi sensu & affectu consanguinei reputantur. Excipe nisi malum aliquod etiam remotissimis inferretur, quod in totum genus redundaret.

5 Hanc etiam doctrinam extende ad viros arctissimo amicitiæ vinculo cōiunctos. Amicus enim animæ est dimidium meæ, vt dicebat Horatius. Extende etiam ad affines intra eundem 4. gradum, affines inquam ex matrimonio, non verò ex fornicatione: huiusmodi enim affines non agnoscuntur quasi affines, nec erga eos natura aliquem ingenerauit amorem, sed potius odium, tanquā erga eos, qui turpitudinem in memoriā reuocant. Extende etiā ad domesticos, vt colligi videtur, *ex Clement. 1. de excessibus Prælatorū, vers. seruientes.* Vbi considerans textus illatā vim Monachis, refert domesticis eorū vim illatam, & etiā ex textu in *c. Quicūque, de sentent. excōmunicat. in 6.* ibi, *in Personis suis vel suorum.* Idemquoque dicendum de ascendentibus cōparatione descendentium, & è contra, quæ omnia docet etiā cū alijs Farinatius loco cit. n. 78. Nōnulli etiā extendūt ad Colonos; sed non placet, si rei natura spectetur, nisi forte in aliquo peculiari casu grauis in Dominos redundaret iniuria. Hæc autem omnia dicta sunt spectata rei tantū natura, non peculiari circūstantia. Potest enim aliquis ita esse affectus erga cōsanguineos suos, vel affines, vel domesticos, imo etiā erga filium aut vxorē, vt, etiāsi illis inferendum sit graue malum, non cēseatur grauis metus.

Quænam sint hæc grauia mala, quæ incutiunt iustum metum?

CAPVT IIII.

SVMMARIVM.

Proponitur quæstio disputanda, n. 1.
Ad metus disquisitionem valde requiri iudicis arbitrium, n. 2.
Metum mortis, grauis cruciatus, amittendæ libertatis, captiuitatis, carceris, insultationis cum armis, iusta etiā causa timendi concurrente, esse iustum, n. 3.
Item metum amissionis status, honoris, verecundiæ, stupri in virgine in vidua, & etiam in fœmina inhonesta, n. 4.
Item metum infamiæ iuris, & etiam facti, si tamen grauis infamia sit, n. 5.
Quid de metu excommunicationis, n. 6.
Sub distinctione explicatur, n. 7.
De metu amissionis bonorum prima opinio, n. 8.
Vera sententia, n. 9.
Quid de metu amittendi lucri, n. 10.
Quid de metu concussionis, n. 11.

1 SED deinceps explicādum est, quæ sint hæc grauia mala, quæ metū cadentem in virū constantem incutere sufficiunt. Multa in huius explicatione perstringenda sunt. De multis enim dubiū esse potest, eum plura sint mala, quæ immittere possunt naturæ nostræ.

2 Sed primum supponendum est ad huius decisionē valde requiri prudētis iudicis arbitriū. Idque docēt ex iuris interpretibus

multi

multi Glossa *in cap. cum dilectus, de his quæ vi*, Seraphinus de priuilegijs iuramenti priuilegio 10. num. 13. Nauarrus in Summa cap. 22. num. 51. Sarmiento lib. 2. Selectarū interpretationum, cap. 11. num. 2. Comitolus lib. 3. responsorum moralium, quæst. 2. §. 6. *quæsitum*, Farinatius loco cit. fragm. num. 67. 68. & 69. & etiam Rota apud Farinacium lib. 2. decis. 260. Idque constat ex *l. 3. D. ex quibus causis maiores*, ibi, *sed huius vis disquisitio iudicis est.* Nec enim in singulari ita omnia exprimi possunt, vt non sit necessaria iudicis prudentia tam in expendenda grauitate mali, quod in iure expressum non est, quàm in cōsideranda qualitate personæ. Nec solùm verū est iure Cæsareo desiderari iudicis arbitrium, sed etiam iure Regni Castellæ, quidquid dicat Villalobos in Antinomia Iuris Ciuilis & Regij, verbo, *metus*, cum expresse, *l. 7. tit. 33. part. 7.* dicatur, *ò otro semejante.* Vt ergò decernatur an simile vel æquale malum ita graue sit, atq; id quod in iure expressum est, iudicis requiritur arbitrium, & in foro conscientiæ prudentia confessoris.

3 Deinde extra controuersiam est metum mortis cadere in virum constantem, *l. 7. §. proinde, D. de eo quod metus causa, l. interpositas, C. de transactionibus, cap. cum dilectus, de his quæ vi.* Item metus abscisionis alicuius membri, & grauis corporis cruciatus & seruitutis, *l. ego puto, l. isti quidem, D. de eo quod metus causa, l. si per vim, l. si donationis, C. eodem*: docet cum multis Farinatius loco citato, num. 86. Imo etiam si metus sit amittendi instrumenta libertatis, *in d. l. isti quidem*, aut probabile periculum, quod euenire possit, vt amissis illis redigatur in seruitutem. Adde & metum captiuitatis, est enim quædam seruitus; necnon etiam exilij, vt expresse docet Scotus in 4. distinct. 29. quæst. vnica, alijque Theologi. Itē etiā Carceris & vinculorum, grauis metus est, *l. nec timorem, l. qui in carcerem.* Idque non tantum intelligo de graui carcere & atrocibus vinculis, sed de quouis carcere etiā priuato, vel etiamsi præstita fideiusione in aliquo loco manere cogatur, vt latè docet Farinatius 1. p. praxis criminalis, quæst. 5. nu. 17. & quæst. 35. per totam, vbi ostendit carcerati contractus aut carcerandi, si ad eum finem metus carceris iniustè incutiatur, nullos esse, & loco citato, num. 107. Idemque dicendum est de armorum metu, *l. 3. in principio D. de vi & vi armata, & l. 15. tit. 2. par. 4.* ibi, *como si viesse armas*, & fauet textus *in l. metum autem præsentem D. de eo quod metus causa*, ibi, *aliter autem, si armati ingressi sunt.* Rota 1. p. apud Farinatiū, Decis. 643. num. 10. cum multis, quos citat idem Farinat. de consult. quæst. 131. 2. p. num. 97. & loco cit. num. 88. Idque verum est, etiāsi ea deponant, cum tamen possint illis vti. Sed obstare videtur, quod traditur *in l. metum 9. D. eodem, & in d. l. 3. §. siquis autem, D. de vi*, nō habere quod metus causa actionem, neque interdictum Vnde vi, eum, qui metu armorum fundum deseruit. Dicendū tamen est, eum qui sola armorum suspicione fundum deseruit, non censeri coactum iusto metu, sed requiri vt ad fundum venientes spectauerit, vel saltem eò properantes viderit, & timuerit probabiliter, & si armati ingressi non fuerint. Ad quæ reduci debet textus in *l. 1. §. idem Labeo D. de vi, & in l. non solum 33. §. si dominus, D. de Vsucapionibus.* Vt dicatur homines armatos ad fundū venientes existimasse, non qui vanè suspicatus fuit, sed qui cum eos venientes aspiceret ad suum fundum tendere, existimauit opinione iusta ductus. Quod si admittas, vt admittendum videtur, non erit necessaria literæ mutatio, quā excogitauit Cuiacius, qui pro verbo *existimauerit*, reponit *existimuerit in d. §. si Dominus lib. 44. D. D. Iuliani*, quem sequuntur Gothophredus ibidem, Iulius Pacius centur. 2. antinomia 70.

4 Eadē quoque ratio est de metu amissionis status, *l. isti quidē* iā citata, de quo Farinatius loco citato, num. 90. vbi & addit etiā metum verecundiæ, & exemplis illustrat, & Donellus d. cap. 39. qui rectè docet seruitutem deportationem, stuprū morti æqui parari, & Farinat. loco citato. num. 91. Et de metu honoris amittendi, cum prudentibus vita ipsa charior sit. Idem iudicium esto de timore stupri, siue in viro, siue in fœmina, *d. l. isti quidem*, de quo etiā videndus Comitolus, d. lib. 3. quæst. 2. §. *Quartum quæsitum.* Stupri autem nomine non tantum intelligo vim illatam virgini, sed etiamsi virgo non sit, vt multi docent ex Theologis dummodo mulier honesta sit, siue nupta, siue vidua. Nec enim lex signaculum virgineum considerauit, cum in hac re ideni statuat de viro & de fœmina, sed vim illatam. Imo & existimo, quod quamuis in muliere minus honesta non iudicaretur grauis metus in foro externo, vt docent Glossa, & Cynus & communiter DD. *in l. 1. C. de Raptu virg.* Baldus in *l. raptores, num. 1. versic. hoc fallit in meretrice*, & ibi etiam DD. omnes,

C. de

C. de Episcop. & Cleric. Antonius Gomez ad l. 80. Tauri. num. 45. attamen in foro conscientiæ, si reuera ducta est eo metu, grauis censendus esset. Exponit enim se maximo periculo peccandi. *Quis enim abscondet ignem in sinu suo, ita vt vestimenta eius non ardeant?* inquit Sapiens, Prouerb. 6. Vnde etiã in fœmina inhonesta iustũ stupri metũ esse docet Farinat. loco citato, nu. 91.

5 Quamuis autem hæc quæ hactenus diximus certa sint, & communiter recepta, de tribus tamen dubitari potest. Primo de metu infamiæ, secundo de metu excommunicationis. Tertio de metu amissionis bonorũ; vel alicuius lucri. Et quod ad primum attinet, infamiæ iuris metum in virum constantem cadere non dubito, *l. nec timorem & l. isti quidem §. fin. D. de eo quod metus causa.* Est enim iuxta prudentum æstimationẽ graue malum. Quod si sit infamia facti, reiecta opinione Iulij Pacij Centuria 2. antinomia 68. & alia solutione Donelli lib. 15. cap. 39. pag. 818. qui putat non dari infamiam facti, quæ sententia communiter refellitur ex Couarru. practic. quæst. 18. nu. 2. & alijs dicẽdum est, si infamia grauis sit, & non possit facile declinari grauem metum oriri; de qua tamẽ dico quod sentio in tract. de ord. & ei annexis. lib. 2. fin minus, esse leuem. Nouissimè dissentit Naldus in sum. v. metus, num. 2. qui dicit non esse metum iustum, siquis timeat se ab alio infamãdum cum falso testimonio, addit tamen si ab illo purgare se potest. Quod tamen non probo, cum antequam se purget multa grauiaque damna patiatur, & sæpè accidat famæ detrimentum aliquod pati apud multos. Et de hac infamia accipio cum Glossa textum *in d. l. nec timorem D. de eo, quod metus causa*, ibi, *nec timorem infamiæ hoc edicto contineri Prædius dixit*, & indicat id quod subijcit de timore vexationis, quod de leui vexatione debet sine dubio accipi. Ita cum Accursio & Gothophredo ibi docent communiter iuris interpretes, quos referunt Læsius lib. 2. de iustitia, cap. 17. num. 35. Thomas Sanchez d. lib. 4. disput. 5. à num. 13. & sequitur Farinatius loco citato num. 92. Atque de hac leui infamia locutos existimo plures ex Theologis, & Comitolum d. lib. 3. quæst. 2. §. *pertinet*, qui absolutè docent metum infamiæ non esse grauem, eius, scilicet, infamiæ, cui facile occurri potest. At si grauis infamia sit, proculdubio est obiectum metus cadentis in virum constantem. Simile enim est periculo vitæ, vt inquit Glossa *in l. iusta D. de manumissis vindicta.* Ita docuit inter alios Petrus Ledesma de matrimonio quæst. 47. art. 2. §. *dubium tamen est*, Ioannes Azor tomo 1. instit. moralium lib. 1. cap. 10. quæst. 6.

6 Circa secundum vero, scilicet, excõmunicationis metum, non idem omnes sentiunt. Quidam negant esse metum cadentem in virum constantem, quia si iusta est, medicinalis est; si iniusta est, non ligat, nec fortitur aliquem effectum. Ita sentiunt ex iuris interpretibus Glossa in *cap. cum dilectus* verbo *violentia, de his quæ vi*, & alij atq; ex Theologis Paludanus in 4. distinct. 29. quæst. vnica art. 2. conclusione 2. num. 13. Soto eadem distinctione, quæst. 1. art. 2. in fine. Alij absolutè affirmãt esse grauem metum; ita Seraphinus de priuilegijs iuramenti priuilegio 29. num. 4. Bartolomæus Ledesma de matrimonio dub. 23. fundamẽto 3.

7 Cæterum mihi magis placet media quædam sententia, quæ communior est inter Theologos & Iuris interpretes, & etiã verior. Si excõmunicatio iusta est, eius metus non est cadens in constantem virum, adhibetur enim vt resipiscat à culpa, teneturque sibi consulere obediendo. Si verò iniusta est, secundum rem, aut omnino, eius metus cadit in constantem virum; si tamen ei facile occurri non potest appellando, quia timet excommunicantis potentiã, vel adeũ dominum superiorem, quia distat, & ipse pauper est. Quamuis enim in foro animæ & apud Deum non liget, attamen multis abstinere debet, ob scandalum euitãdum, multis etiã priuatur apud homines, quæ molestissima sunt, & quouis exilio grauiora, vt dixi in tractatu de excommunicatione. Ita sentit Ioannes Azor tom. 1. lib. 1. cap. 10. quæst. 7. Comitolus citatis alijs in d. quæst. 2. §. *Quartum quæsitum*, quæ fuit etiam opinio Ioannis Andreæ, & approbata Rotæ decisionibus: docet etiam Farinatius loco citato numero 104. & 105. ex quibus constat solutio fundamenti primæ sententiæ,

8 Circa tertium vero de metu amissionis bonorum, etiam sunt discrepantes sententiæ. Quidam cadere in virum constantem absolutè negant; alij cum limitatione concedunt scilicet, quando bona tuendæ vitæ necessaria sunt. Alij cum omnium bonorum amissio est. Nituntur quia in *cap. cum dilectus, de his quæ vi*, tantum fit mentio metus mortis, aut cruciatus corporis, interquæ nõ est amissio bonorum & c. 2. *eodem titulo*, illa verba sunt, *quæ eum à domo & vniuersa possessione expellerent.*

9 At mihi videtur in primis certum esse amissio-

amissionē omniū bonorū, siue illa in se exigua sint, vtpote si sint inopis, vel in magna quātitate; incutere metū grauem. Quid ni? æquiparātur metui mortis, vt latè prosequitur Tiraquel. de nobilit. c. 31. n. 369. Atq; idē ob eadē rationē dicendū existimo de amissione maioris partis bonorum, idq; siue sine illis sustētari vita posset, siue nō, vt docet Tiraquel. loco cit. & cōstat ex *l. propter litem. D. de excusatione tut.* ibi, *nisi forte de omnibus bonis, aut plurima eorū parte cōtrouersia sit & c. 1. de restitutione spoliatorū in 6.* Spoliatus dicitur, qui tota sua substantia vel maiori parte destitutus est. Estq; hæc sentētia cōmunis inter iuris interpretes, vt videre licet apud Ioānē Gutier. de iuram. 1. p. c. 57. n. 20. Idēque dicēdū crediderim cū Couar. 2. p. de matri. c. 3. §. 4. n. 18. si sit metus amissionis magnæ rei, licet nō sint omnia bona, nec maior bonorū pars, quod etiā docuit Hēriq. lib. 11. de matrim. c. 9. n. 4. Petrus Arag. 2. to. in 2. 2. q. 88. art. 3. §. *pro explicatione huius difficultatis*, quæ etiā docet Farina. loco cit. n. 89. Nec minus certū est, si sit metus amissionis instrumētorū totius vel maioris partis patrimonij, licet dissentiat Glos. in *l. isti quidē*, verbo, *metū D. de eo quod metus causa*. Docet cū alijs Farinatius loco cit. num. 114. Neq; obstat argumentū ex tex. in *c. cū dilectus*. Amissio enim omniū bonorū aut maioris partis metui mortis vt dixi, æquiparatur. In illo vero *cap. 2. de his quæ vi*, factum narratur, in quo omniū bonorū amissionis metus incussus est, non verò quidquam decernitur.

10 Deinde dicēdū existimo metū amittēdi lucrū, aut hæreditatē, aut beneficiū, quod quis sperat ab aliquo, ad quod nō habet ius ad rē, nō cadere in virū cōstantē. Ex iure probari potest, quia quāuis pęna repellatur ab spōsalibus, vt dicā postea lib. vltimo; ea tamē pēdētis hæreditatis nō cēsetur nō adiecta, neq; improbat spōsalia *l. Titio §. 1. & l. si ita legatū sit, vers. si Titio, D. de cōd. & demo.* cuius optima ratio est, quia id nō tā est metu deterreri, vel obligari, quā inuitari spe lucri spes autē & cōcupiscētia, vt inquit D. Tho. 1. 2. q. 6. art. 7. nō minuit, sed auget voluntariū. Vnde & professio facta ob spē lucri, aut quod idē est, metu amittēdi lucrū valet. Dixi nisi habeat ius ad rē, quia dū arcetur à lucro, ad quod haberet ius, iniuriā patitur. Atq; hic videtur intellectus ad *l. fin. §. si fænerator D. de eo quod metus causa*, illis enim verbis, *in ciuiliter Athletā custodiendo, & à certaminibus prohibendo*, iniuria illata significatur. Hinc colliges, si pater minetur filio ablaturum à maioratu ea, quæ auxerat, iustū metū incutere, vt cōsiderauit decisio Rotæ 242. n. 14. lib. 2. apud Farinat. Quia cū hęreditas sit debita filio, potius huiusmodi minæ continēt dānū, quam lucri amissionē: limitatur etiā dicta doctrina nō solū, quādo quis habet ius ad ea bona quorū adquisitione priuatur, sed etiā si nō habeat, agitur tamē de amissione magni lucri Cynus in *l. interpositas C. de Transf.* Iason in *l. Titia n. 10. vers. secundo notabiliter, de* V. O. Roman. cōsil. 121. n. 10. lib. 4. Roland. cons. 100. n. 126. lib. 4. & cum his & alijs tenet Rota apud Farin. lib. 2. cit. decis. 242. num. 13. Vide etiā Farinat. loco cit. num. 111. 112. 113.

11 Sed quæret aliquis, an metus cōcussionis grauis censeri debeat? Sufficere enim ad rescissionē cōtractus probari videtur ex *l. illicitas 6. §. illicita, cū sequentibus D. de offic. Præsidis*, vbi licita negotiatione prohiberi, tributi erogatione vexari, ad hospitis receptionē cōpelli, sufficientē terrori causam præbet, vt Prætor se interponat. Facit etiam *l. 1. D. de concussionibus*, vbi simulatus Præsidis iussus iustū metū inducit. Verū hæc pertinēt ad Titulū de cōcussionibus, in quo diuersa ratio est. Licet enim cōcussio sit species metus, & quidquid cōcussione fit, per terrorē fieri dicatur; illud tamē addit cōcussio supra metū. Quia quod cōcussione fit, tunc cōmittitur, cū metu publicæ potestatis quidquā à subditis extorquetur, vel ipso magistratu, vel alio, qui tamē terrore digni tatis obijciat mināte. In qua specie non vis atrox & sæua requiritur, vt in nostro casu, sed quiuis metus actionem parit. In odium enim eorū, qui data ad ciuiū salutē potestate abusi, eā in illorū dāna cōuertunt, id cōsti tutū est. Sic etiā ratione potestatis plura magistratibus, & eorū officio denegantur, quæ omnibus permittūtur, vt matrimonij cōtractio, *titulo, C. si quacunq; præditus potestate*, & oblatio ariharū, *tit. C. si Rector Prouinciæ*. Cui ne obstet, *l. siquis 38. de ritu nupt.* Vide Cuiaciū 4. obseruat. c. 22. & Donellū lib. 13. cōment. c. 19. pag. 198. & generaliter omniū cōtractuū celebratio, titulo, *C. de cōtractibus iudicū*, & elegāter Donel. lib. 15. cōment. c. 39. Vvesembechius in paratitlis ad titulum de concussionibus, & dicemus nōnulla infrà, cap. 13.

An metus reuerentialis & etiā importunæ preces censeantur cadere in virum constantem.

CAPVT V.

SVMMARIVM.

Status quæst. & definitio metus reuerētialis n. 1.
Comparatione quorū sit metus reuerentialis, n. 2.

Operar;

Operari ex reuerẽtia nõ esse operari ex metu. n. 3.
Explicantur quæ certa sunt. num. 4.
Prima sententia negat metum reuerentialem esse grauem. num. 5.
Oppositum verius. num. 6.
Redarguuntur DD. oppositæ sententiæ. n. 7.
In concordiam rediguntur. num. 8.
Obiectiones proponũtur, & diluũtur n. 9. 10. 11. 12
Quid dicendum de precibus importunis. n. 13. Explicatur status quæstionis. ibid.
Prima sententia. num. 14.
Secunda sententia. num. 15.
Vera sententia. num. 16. & 17.

1 DVo hęc supersunt explicanda, vt plene intelligatur quæ sint hæc grauia mala, quæ sufficiunt metũ graue inducere. Igitur quod attinet ad reuerentialem metũ perstrinxerã breuiter quæstionem hanc lib. de impedimẽtis matrimonij c. 29. §. 11. vbi nostram explicui sentẽtiã, quam quia nonnulli non satis intellexerũt, reiecere. Rem ergo istam examinabo latius, & ostendam, quam eo loco docui sententiã, esse verisimam. Sed antequam ad eius examen deueniam, præmitto primũ metus reuerentialis hanc non absurde definitionem assignari posse. *Reuerentiæ metus est futuri mali existimatio, quod nobis ab his metuimus, in quorum legitima potestate sumus, & quos cultu, & honore dignamur.*

2 Ex qua definitione fit metum reuerentialem cadere in clericũ respectu Episcopi, & in subditũ cõparatione Magistratus, in filiũ erga patrẽ, in vxorem erga maritum, in pupillum erga curatorẽ, siue tutorem, vt cõmunis est Doctorum sententia. Idem dicẽdum de genero respectu soceri: socer enim habetur pro patre generi, cum effectus sit vna caro cum vxore *l. quia parentis 17. D. soluto matrimonio*. Idem dicendũ de Auo, ac reliquis ascendentibus, habemus enim eos parẽtum loco. Atque idem dixerim cõparatione matris, quamvis res dubia sit. Idem dicendũ in sorore comparatione fratris maioris, & sororis maioris, & in fratre minore comparatione maioris, & etiam cõparatione patrui. Quæ tamen intelligẽda sunt, si ab eo gubernentur, & alimenta præbeantur, & cohabitent, alias secus dicendum erit. De his latè Thomas Sanchez lib. 4. disp. 6. q. 4. neq; hæc longiori indigent examine.

3 Secundò colligitur eum, qui ob obseruantiam debitam parentibus, aut maioribus aliquid agit, nequaquã operari ex reuerentiali metu. Aliud enim est debita reuerentia superari, aliud reuerentialis metus. Id quod optimè aduertit Franciscus Sarm. lib. 2. select. c. 11. n. 10. Qua distinctione dicit multa dilui, quæ turbant Barbaciũ in *c. causa matrimonij, de offic. deleg.* Quod reipsa non attendit, sed confundit Thom. Sanch. disp. 6. citata q. 1. vt statim demõstrabo. Quare rectè potest aliquis operari ex reuerentia debita superiori, & non ex metu reuerentiæ: & similiter potest operari non ex superioris præcepto, & obedientia, sed ex metu. Hæc enim non sunt idem. Si enim filius amet obedire parenti, & cõplaceat in obediendo illi nullum est inuoluntarium, & tamen operatur ex reuerentia, metus autem efficit inuoluntarium mixtũ. Quare, vt metus reuerentialis sit, necesse est adsit cogitatio imminẽtis mali, quod sequitur vel timetur ex eo, quod nõ seruetur patri reuerentia. Quod in eo consistit, quod est patrem habere sibi infensum, & supercilio sum, torue aspicientem, nec loquentem placidè, etiamsi nec verbera imponat, nec minetur. Quod vt vitet malum, eligit præstare quod pater vult, metus enim, vt dixi, est cum impendentis mali cogitatione.

4 Præterea obseruandum est nonnulla esse certa in hac re. Primum est. Si eo ingenio superior aut pater sit, vt non offendatur ex eo quod ipsi non præstetur obedientia, aut leuiter offendatur, non fore metum grauem, nec enim potest esse cogitatio impendentis grauis mali quod vitare velit, dum eligit facere, quod pater iubet. Sic docet rectè Leonardus Lesius lib. 2. de virtutibus cap. 17. dub. 6. n. 35. Præterea certum est, si metu reuerentiali addantur minæ, vel cõiungantur verba, vel etiam adiungantur importunæ preces, vel verba obiurgatoria, ex his duob⁹ coalescere grauem metum, idq; docent Doctores omnes. Minæ enim graues aeverbera sufficiunt metum grauem incutere, multo magis si adiungantur metui reuerẽtiali. Sic docet multis citatis Thomas Sanchez disp. 6. q. 1. n. 7. & docet etiam decisio Rotæ 242. n. 5. 6. & sequentibus lib. 2. apud Farinac. & est inter DD. ita communiter receptum, vt non sit necesse illos referre. Sed necesse, vt pater solitus sit minus exequi, & vt ea consuetudo probetur sentit Thomas Sanchez, & alij. Iudico verius in patre nõ esse necessarium eam consuetudinem probare, vt multis auctoribus, & rationibus ostendit Hippolytus Riminaldus, Repet. *in c. 1. de offic. deleg.* n. 25. & cit. multis sequitur nouissime Fatina. 2. p. fragm. crimin. ver. metus. n. 95. Idẽ dicẽdũ, cum adsunt virtuales minæ, quas ego sic interpretor, cũ superior facile, si sibi non

obtemperetur sæuire solet in subditos. Sic docent complures Summistæ cum Glossa in cap. *qui clerici vel vouentes*, & Panormitano ibidem. Nam qui factis deseguire solet, virtute minatur, etiamsi verbis non minetur, vt etiam docet Thom. Sanch. disp. cit. n. 12. & Farinatius loco cita. n. 85. Nec solum grauis metus censeri debet, cum cõtractus celebratur cum eo, qui metum grauem incutit, sed etiamsi ab alio 3. incutiatur, vt cum aliquo ineat contractum, etiam sine eius, qui incutit, vtilitate. In quo nonnulli non rectè locuti sunt. Tota ergo difficultas est, an solus reuerentiæ metus sine minis, aut lesione aliqua censeri debeat grauis metus.

5 In quo varie Doctores sentiunt. Primò quidam affirmant metum reuerentialẽ non censeri grauem, si absint minæ vel verbera. Sic docent Doctores non pauci, quos refert & sequitur Thom. Sanch. disp. 6. citata n. 7. Padilla in d. l. interpositas n. 16. Molina de primogen. lib. 2. ca. 3. n. 9. Duaren. in comment. ad *tit. de eo quod metus causa*, Donel. li. 15. comment. cap. 39. §. *in primis voluntatem inferendi*. Fachin. lib. 2. controuers. iuris cap. 96. & Recentiores alij. Ex quibus nonnulli tot limitationes addunt huic sententiæ, vt revera censeant solum reuerentialem metũ censeri grauem, vt statim ostendam. Fundamenta huius sententiæ adducam postea. Secundò alij metum reuerentialẽ patris graue esse iudicant, non vero aliorum. Idque defendum putant nimiæ patris reuerẽtiæ. Tertiò alij docent metum reuerentialem censeri grauem in contractibus, qui cum injcienti metum celebrãtur, non verò si fiant cum alio tertio.

6 Mihi tamen semper verius visum est solum metum reuerentialẽ esse grauem, atque adeò in actibus, & contractibus eum effectũ habere, quẽ metus grauis, vt dicam infra suo loco. Quam sententiã non pauci docuerunt quos refert Menoch. lib. 1. consil. n. 491. & idem Thom. Sanch. disp. cit. n. 4. & inter eos Nauar. lib. 4. consil. in 1. editione de sponsa lib. consil. 36. Et quidem vim reuerẽtiæ paucis explicuit *regula, velle, D. de reg. iur. velle non creditur, qui obsequitur imperio patris, vel domini*. Fauet huic sentẽtiæ tex. in l. 1. §. *Quæ onerãdæ, D. quarũ rerũ actio nõ detur*, ibi: *Tamẽ causa cognita si liquido appareat libertũ metu solo, vel nimia patroni reuerentia ita se subiecisse, vt vel pœuali stipulatione se subijceret, &c.* Huic tamẽ argumẽto respõdet Duare. in hæc verba: *Expẽdẽda est diligẽter species. Quæstio est, an libertus tacens, & non contradicens sit intelligẽdus consensisse, & promisisse? respondetur non cõsensisse. Hic enim agitur de præsumptione, quæ alteri cedit præsumptioni. Nam præsumptio cõsensus cedit præsumptioni reuerentiæ. Præsumitur enim libertum consensisse, quia ob patroni reuerentiam noluit contradicere.* Sed reuera hęc responsio facile eludi potest. Frustra enim Duaren. causatur nimiam reuerentiã, & fauorem libertatis. Quia & communis sententia loquitur de tali reuerentia, aut paulo certe minori, & libertatis fauor ibi non perpẽditur, sed nimia reuerentia. Præterea facit pro hac sententia text. in *l. penultima D. de furtis*, ibi: *Et hoc modo patronus quoque libertũ, & ei, cuius magna verecundia, &c.* Duareni autem solutionem ad hæc optimè refellit Fachineus loco citato.

7 Addo præterea in hanc sententiã manifestè incidere Thom. Sanch. qui nostrã acriter impugnat, vel nõ intellexit, de quo quæstio esset, sed nomine metus reuerẽtialis intellexit reuerentiam parẽtibus debitam, idque luce clarius demonstrabo ista cõsideratione. Metus est impendentis mali opinio, & cum aliquis operatur ex metu, revera eligit aliquid quod minus malũ iudicat, vt euitet, id quod ipsius iudicio minus est. Vnde qui operatur ex metu reuerẽtiæ, planè agit aliquid, vt euitet aliud maius malũ, quod se qui existimat ex eo, quod non impleat volũtatẽ patris, vel superioris. Hoc autẽ malum quod vitare contendit, non est peccatũ aliquod, quod sit in non obediendo, & implendo patris voluntatẽ, sæpe enim in eo nullũ peccatũ cõmittitur. Est ergo patris ira, & indignatio, quam euitare contendit. Indignationis autẽ nomine intelligitur toruus aspectus, vultus infensus, exprobratio verbis durioribus. Hæc autem si cito transeant, & placidus statim vultus, & dulcia verba redeãt, graue malum non est, vt fatẽtur omnes, qui reuerentiæ metũ grauem putãt. Si vero perseuerent, etiam ipse Thom. Sanch. n. 14. graue malũ esse fatetur, & eius metum censeri iustum, inquit enim: *Si enim filia timeret probabiliter diuturnã fore indignationẽ, & semper se habiturã patrem valde infestũ, & indignatum obiecturumq́, passim illam inobedientiã, credideri esse timorẽ cadentẽ in virum constantẽ. Quis enim vir constans aut prudens non reputabit graue malum semper corã oculis habere infensum patrem, aut virũ, aut aliũ, à quo pendet, & cum quo semper versaturus est: maxime cum vix inuenias qui linguam moderari valeat, ne male sentiat, peiusque loquatur de eo, cui infestus est. Et cõfirmatur, quia vir prudens ita graue hoc existimat, vt potius eligat relicta patria, domoq́, paterna exul esse, quod graue malum disputatione præcedenti,*

cap. 8.

cap.8.esse diximus. Hæc Thomas Sanchez, si enim verba obiurgatoria eius, in cuius domo deposita fœmina nobilis continebatur, iudicauit injicere metũ grauem Rota apud Seraphinum decis.859.n.3. quãto magis patres inferre valebant metum grauem. Nec vero dici potest eam indignationẽ esse minas virtuales, vt mihi respondebat quidam eximie doctus, non aduertẽs aliud esse indignationem hanc æquiualere minis, quia indignatio æquè graue, imò grauius malũ minis est: aliud esse virtuales minas. Vnde minę nõ sunt, nisi cõparatione eius, qui iratus prorũpere solet in læsiones, & verbera, & non aliter. Dicat ergo mihi Thom. Sanch. si is metus aliquid amplius includit, quã reuerentialem metum, quid nomine metus reuerẽtialis intelligat? Nam vel intelligit reuerentiam tantum debitam patri, & superiori, vel in eam quam impugnat, sententiã incidat, necesse est. Qui enim metum reuerentialem seclusis alijs grauem dicimus, non intelligimus de indignatione patris, quæ cito transit, id enim nulli vnquã in mentẽ venit, sed de indignatione diuturna etiam semotis minis atq; verberibus. Quã indignationẽ, licet in alijs hominibus, qui ad nos non attinẽt, parui faciamus, attamen in patre & superiori molestissimè ferimus, & grauissimum malum iudicant prudentissimi quiq;. Id quod & acutiores alij, qui nostram sententiam impugnant nimio studio reprehẽdendi nostra ipsa veritate cõpulsi confitentur, hoc est, in nostram sentẽtiam incidunt, velint nolint. Quare sæpius dico, si semel constet, quid intelligatur nomine reuerentialis metus, nullus potest â nostra sententia dissentire, nisi verbo tenus, vt ex his quæ diximus constat.

8 Igitur, vt quod sentio dicã, in spectis omnibus, & consideratis limitationibus, quas Doctores, qui â nobis dissident, adijciũt suæ sententiæ, mihi videtur facile in concordiã redigi posse vno è duobus modis. Nam vel loquuntur, quando revera metus reuerentialis dedit ansam, & occasionẽ contractui, nõ verò causam. Potest enim cõtingere, vt quis eo metu induci incipiat, & tamẽ postea iam lubens operetur. Vel dicamus eos agere de metu indignationis leuis superioris, & quæ facile transeat, cum expresse Thom. Sanch. & Lesius doceant, si indignatio patris etiam sine minis sit diuturna, incutere metum grauem. Quem autem effectum habeat in contractibus metus reuerentialis dicam infra, cap. 11. Nunc tantum contẽdo esse grauem.

9 Sed videamus quæ pro sua sententia adducunt Thom. Sanch. & alij. Primò adducitur text. in c. *ex literis, de desponsat. impub.* ibi *nolente & inuita minis parentum impulsa*. Sed non video qua ratione ex isto textu opposita sententia cõprobetur. Interuenisse quidẽ in eo casu minas fateor, & ideò irritũ declaratur, quod ex illis celebratum est: inde autem non colligitur, si minę non interuenissent, sed solũ reuerentialis metus, quem hactenus explicuimus, non fore declarandũ irritum, quod ex eo metu gestum esset.

10 Secundò objicitur text. in c. 2. *de pactis, lib. 6.* vbi dicitur valere renuntiationẽ filij in fauorem patris, nisi vis aut dolus interuenerit. Sed non assequor in quo textus iste faueat oppositæ sententiæ, aut quid in eo textu probet ex metu reuerẽtiali factam donationem valere. Dicit textus nullam fore si vis intercedat. Verum sanè. At ego dico ibi nomine vis intelligi metum grauem, atq; adeò reuerentialem etiam comprehendi, qui metus grauis est.

11 Sed rursus obijcit Duaren. ex l. *si patre cogente, D. de ritu nuptiarum, cogente* enim explicat *imperante*. Matrimonium enim iusto metu cogente factum nullum esset, vt cętera metu facta, & tamen contractũ reuerentiæ metu firmum est. Sed textus iste non est ad rem, quia in eo de matrimonio filij familias sermo est, in quo filius iure ciuili inspecto liberum arbitrium non habet, cum illud sine consensu patris contrahere non possit, vt dixi latè supra lib. 2. cap. 1. Quare merito matrimonium patre cogente, id est, imperãte celebratum valet, neque id nostræ sententiæ aduersatur, cum in specie eius textus milites peculiaris ratio.

12 Vltimò objicitur text. in l. *fideiussor, §. 1. D. de pignorib.* vbi pater obligat prædium filij sui, & filius scribit instrumẽtum obligationis, re enim oppignorata metu restituere tur filius, verum quia metu reuerentię tantum coactus est, scribit I. C. rectè contractũ esse pignus, & silentiũ eius loco consensus haberi. Sed textus iste non vrget, quia non constat in ea specie filiũ fuisse lęsum eo charitatis officio, quod patri impẽdit, dũ passus est bona sua obligari, neque constat ibi reuerentiæ causa factũ fuisse, eo quod pater maximè id vrgeret, ac imperaret, in quibus terminis nostra sententia est intelligenda.

13 Superest explicemus secundum, scilicet, quod attinet ad preces importunas, an molestia, quam illæ gignunt, sufficiat incutere grauem metum. Si enim id constiterit, liquidum erit postea quid dicẽdum sit in ea

quæstionem non reddant contractũ nullũ. Non est autem sermo de precibus nõ importunis etiam si Principis sint, eas enim planũ est nõ incutere metum cadentem in virũ constantẽm, aliâs nihil liceret Principibus à subditis postulare. Quod quidem intelligendum est, quando non sunt preces alicuius Principis Tyranni more seuientis, sed qui humanè se gerat cum subditis: eius enim preces non adeò magnã vim habent, vt constans vir renuere non possit. Cum hac enim limitatione intelligenda sunt ea omnia, quæ cõgerit Tiraq. in tract. de pœnis tẽper. aut remitt. causa 35. quæ probant preces Principis imperij vim obtinere. Id enim quasi ex æquitate quadã, vel decẽtia, aut vrbanitate subditorum intelligendũ est, non verò quasi reverapreces Principum imperia sint. Et idẽ dicendum est de blanditijs Principũ, vt docẽt ex Theologis plures. Quod si quando blanditijs Principum inijci metum cadentem in virum constantem asserunt, intellige quãdo illis tacitè insunt minæ, vt dicebamus. Est ergo dubium de precibus importunis.

14 Prima sententia extrema asserit preces importunas, etiamsi cum metu reuerentiali coniungantur, non inferre metũ cadentem in virum constantẽ. Sic docẽt ex iuris interpretibus nonnulli, ijque numero pauci, ex Theologis Henriq. lib. 11. de matrim. c. 9. n. 5. Ludou. Lop. 2. p. instructorij de matrim. c. 40. §. *Adde tamen.* Non alio nituntur fundamento, nisi quia non videntur tãtam vim habere, vt virum constantem meritò commouere debeant.

15 Secunda sententia existimat importunas preces, nisi adiungatur illis reuerentię metus, non cadere in virũ constantem. Ita sentit Couar. de matrim. & professione 2. p. de sponsal. c. 3. §. 6. in fine. Vera-Cruz 1. p. spe culi a. 8. post 7. conclusionẽ dub. 2. & absolutè idem affirmat Thom. Sanch. lib. 4. de matrim. disp. 7. n. 7. In huius confirmationẽ adducit nonnulla ex iure, & ratione petita. Ratio ea est. Quia cum importunæ preces ex se magnam vim habeant, si illis adiungatur reuerentię metus, sufficere videntur, vt virum constantẽ moueant. Ex iure verò nonnulla adducuntur satis meo iudicio leuia. Primũ est ex c. *petitio, de iure iurando*, vbi hæc verba extant, *vel precibus importunis, vel metu, qui caderet in constantem virum*: sermo autem est de iuramento, quod Antiochenus Princeps extorsit. Ergo preces importunæ Principis, cui debetur reuerentia, æquiparantur metui cadenti in virũ constantem. Secundũ est ex *cap. cum inter, de electione*, ibi, *coegit inuitum*, vbi Innocentius inquit deuictum instantia precum. Probant itaq; hæc argumenta, preces cum adiuncto metu reuerentiæ grauem metum incutere posse, non tamen probant partem aliam, scilicet solas importunas preces non sufficere sine adiuncto metu reuerẽtiæ, quod maximè probandum erat.

16 Mihi ergo in hac re nonnulla videntur dicenda. Primum est, id quod asserit hæc secunda sententia sine dubio verum esse. Si namq; metus reuerentiæ seorsim, vt dictum est, injicit metum probabilem, & preces etiã importunæ seorsim, vt dicam statim, à fortiori hæc duo coniuncta idem efficiẽt. Atq; id tantum probant argumenta secundæ sententiæ, & nihil amplius. Secũdum est, idem dicendum esse, si preces importunæ minis coniungantur, etiamsi minæ non adeò graues sint. Cum enim solũ preces importunæ sufficiant metum grauem injcere, injcient etiam minis adiunctæ. Tertium est idem dicendum esse propter eandem rationem de precibus importunis eius, cui debetur reuerentia, & æquiparari metui, idq; tantum docent illi Doctores, quos refert Thomas Sanch. disp. cit. n. 5. vrgent enim eiusmodi preces. Atque idem dicendum, si eiusmodi preces coniungãtur cum præcepto eius, cui reuerentia debetur propter rationem adductam. Quæ etiam multis cit. docet Farinac. loco cit. num. 101. & 102.

17 Denique dicendum est preces importunas seorsim consideratas efficere metum iustum, & cadentem in virum constãtem. Docet absolutè Naldus in Sum. verbo *metus*, n. 4. Importunas voco eas, quæ instantissimæ sunt, & sæpius repetitæ, & inculcatæ iuxta l. 1. *C. de petitione bonorum lib.* 10. ibi, *inuerecũda petentium inhiatione*, & iuxta illud Iudicũ 16. de eiusmodi precibus meretricis: *Cumq; molesta esset ei, & per multos dies iugiter adhæreret, spatium ad quietem non tribuens.* Sententiam hanc docent ex Iurisperitis Glossa ca. *aut aliter*, verbo, *& non per me* 8. q. 1. Dominicus *cap. fin. n.* 1. *de rescriptis in* 6. & Ioan. Lupus *Rubrica de donationib. inter virum, & vxorem*, §. 81. n. 5. Matienço lib. 5. Recopilat. tit. 1. l. 10. Glossa 1. num. 1. Qui docent per importunitatem obtenta fieri inuito dante, fauent etiam alij dum docent per importunitatem obtenta non debere valere. Sic Matienço loc. cit. n. 2. Azeuedo d. li. 5. tit. 10. l. 13. n. 2. & qui docent electionẽ factam ad importunum populi clamorem non valere, & qui docent donationem factam vxori

ob-

ob nimiam ipsius importunitatem nō valere, nec morte confirmari, sicut neq; testamētum variatum à morti proximo ob importunitatem adstantium, & illi etiam qui docēt paria esse aliquid violenter ac metu fieri, ac precibus importunis, quos refert Thomas Sanch. disp. cit. n. 4. Huius sententiæ non aliud fundamentum est, nisi quia spectata natura ipsa rei, & rationis iudicio, adeō grauē molestiam inferunt instantissimę preces, vt merito mouere debeant virū cōstantem ad aliquid efficiendum. Si enim metus cruciatus alicuius corporalis est cadens in virum constantem, grauior cruciatus animæ est instantia precum assidua. Itaq; prudentes homines grauissimam molestiam semper iudicarunt, vt constat ex illo Luc. 11. *Propter improbitatem tamen eius surget*, & ex eo, quod adduximus ex Iudicum c. 16. Vnde improbitas hæc precū extorquere dicitur, quod obtinet, quod verbum violentiā denotat *Extra nag. execrabilis, Ioan. 22. de præbendis*, & Principes se constringi sentiunt improbitate petentium, *l. 1. C. de petitione bonorum*. Quod si apud Principes, quorum suprema in Republica authoritas est, importunæ preces adeō grauem molestiam afferunt, vt sæpe annuāt votis postulantium, quis dubitet etiam secūdum rectæ rationis iudicium adeō molestas esse instantes preces, vt merito metui cadēti in virum constantem æquiparari possint? Sed de his videdus est Afflictis decisione 69. n. 4. & 5. & decisio Pedamontana 67. n. 4.

An cōtractus Lucratiui, & Promissorij spectato tantum iure naturali sint validi?

CAPVT VI.

SVMMARIVM.

Sensus quæstionis. num. 1.
Duo requiri in contractibus, titulum, & voluntarium, num. 2.
Prima sententia. num. 3.
Cōtractus liberalis donationis ex metu graui invalidos iure naturæ vera sententia est. nu. 4.
Probatur. ibid.
Amplius explicatur ratio. num. 5.
Probatur ab inconuenienti. n. 6. & 7.
Prima illatio contra Lesium. num. 8.
Quid quando datur res nō æstimabilis pretio, pro re pretio æstimabili. num. 9.
Obijciuntur duo, & diluuntur. n. 10. & 11.
Quid dicendum de contractibus promissorijs prima sententia. num. 12.
Vera sententia, & quædam obseruationes pro vera sententia. num. 13. 14. & 15.
Ex illis deducitur vera sententia, & probatur. n. 16.

1 IN præcedentibus explicatum est, quis censeri debeat grauis, & leuis metus, iam explicare oportet, antequā ad matrimonij contractū accedamus, quā vim habeat metus iure naturę in alijs contractibus, an scilicet, eos nullos reddat, an verō valeāt. Agemus autē modo de contractibus ex metu iniusto celebratis, nam de illis ex metu iustè incusso dicā infra. Sed cum contractus possint esse vel Lucratiui, in quibus aliquid liberaliter donatur, vel promissorij, in quibus promissio datur pro promissione vel in quibus datur res pro re, in hoc capite tantū explicabimus quid efficiat metus iure naturæ in contractibus Lucratiuis, & promissorijs, in sequentibus autem de his cōtractibus in quibus datur res pro re differendum erit. Valde autem necessaria est huius rei cognitio, vt intelligamus, quæ obligatio maneat in conscientia. Si enim contractus aliquis metu celebratus nullus est, nec transfertur dominium, & qui contraxit, tenetur rem cū fructibus restituere, vt planum est.

2 In primis autē obseruādū est in cōtractib⁹ duo requiri, nēpe & consensum simpliciter liberum, & titulum, nēpe dati, & accepti, iuxta varias species contractuū, aut titulum liberalis donationis, vel gratitudinis, vt si essent vir & vxor, neq; alias essent impediti ad contrahendū iure naturali, validū esset matrimoniū etiam ex metu mortis, quia titulus adesset contractui, cum legitima tradere tur materia, & consensus esset simpliciter liber, si ad hoc genus contractus satis esset voluntarium simpliciter, & non requireretur voluntarium plenum absq; metu, de quo infra. At vero cum vsurarius accipit vsuras ex mutuo, non potest eas retinere, sed debet restituere, nō quia desit simpliciter voluntarium, sed quia nō adest legitimus titulus, vt possit eas accipere, & retinere. Neq; enim fuit titulus dati, & accepti, cum ille qui dedit pro mutuo, nihil omninō acceperit, pro quo daret, nisi vsum pecuniæ, qui nō est alterius valoris, quā dominium ipsum, vt suo loco explicandū est, neq; etiā fuit titulus donationis, quia ea debet fieri liberaliter: id autē quod datur intuitu mutui, & alias nō daretur, nō datur ex liberalitate, neq; est titulus gratitudinis, vt constat. Similiter cum latro extorquet ab aliquo per metū pecunias, non

potest illas retinere, non quidem ex defectu voluntarij, sed ex defectu tituli legitimi, cum neque sit datio, & acceptio, neq; liberalis donationis, nec gratitudinis. Vnde vtrũque necessarium est, & voluntarium sufficiẽs, & titulus legitimus. Quam doctrinam egregie quidem, & distincte nobis tradidit Gabriel Vazquez 1.2.disp.27. cap.3.nu.17. attigit etiam Ioan. Azor to.1. instit. moralium lib.1.cap.11.q.16.& 17.

3 Igitur quod attinet ad contractus liberalis donationis, & promissionis, Soto in 4. dist.19.q.1.a.3. parum memor eius quod dixerat lib.6. de iust.q.1.a.4. docet donationẽ, aut promissionem metu iniusto factam validam esse iure naturæ, quem sequitur Carbo de restitutione c.46. q.4. Henriq. lib.11. de matrim.c.9.n.4. Pet. Ledesm.q.47.a.3. dub.1. ad 3.& 4.pag.mihi 214. Thom. Sanch. lib.4. de mat. disp.8.nu.4. in vltima probatione, Leonar. Læsius lib.2. de virtutib. c.7. dub.6. n.37. in cuius cõfirmationem adducit textũ ex *l. vltima, C. de his quæ vi.*

4 Mihi tamen verosimilius videtur contractum liberalis donationis, aut promissionis ex metu graui celebratum inualidũ esse omninò iure naturæ, ita vt neque naturalis obligatio ex eo sequi possit. Sic docuit Ioãnes Ballol. in 4. dist.27.q.1.a.2. dum dicit donationem consistere non posse cum coactione. Ioan. Medina C. de restitutione, q.3. cau sa 2. versiculo, *si fiat remissio*, Pet. Arag. 2.2. q.89. art.7. in dubio circa solutionem ad 3. concluſ.1. Molina to.2. de iustitia disp.267. & 326. Rebel. p.2. de obligationib. iustitiæ, lib.1.q.5. concluſ.1. Ioan. Azor ca.cit.q.15. Fuitque etiam sententia D. Thom. 2.2.q.89. art.7. ad 3. ibi: *Talis obligatio tollitur per coactionem, quia ille qui vim intulit hoc meretur, vt ei promissio non seruetur*, & decerni videtur *in l.28. tit.11. part.5.* Probat hanc sententiam Petrus Aragõ, quia promissio debet esse de re vtili ei, cui fit promissio, sed non est vtilis illi, cum non adquirat dominium, si cum coactione donatũ est. Hæc tamen ratio principium petit. Id enim quæritur, an valeat eiusmodi contractus, si enim valet, adquiret dominium, & ita erit vtilis donatario, atq; id supponunt Doctores, quos infra referam dum dicunt teneri ante sententiam iudicis, & esse locum compensationi. Ratio ergo huius nostræ sententiæ facilis, & aperta desumitur ex præiacto fundamento. Quia in simili donatione, aut promissione deest titulus sufficiens, vt transferatur dominium in alterum, cui promittitur aut donatur. Nam in primis non est titulus rei pro re, cum nõ fit donatio ob causam: neq; est titulus ipsius donationis, aut promissionis, quia nõ donatur voluntarie, & liberaliter, sed coacte. Ad liberalem autem donationem maius voluntariũ requiritur iure naturæ, quàm ad alios contractus, imò & plenum voluntariũ. Neque enim æquitas naturalis patitur, vt quis liberaliter omninò disponat de suis rebus, & tamen coactus aliquo modo, neq; enim æquum est, vt commodum ex iniquitate re portet, cum quis ea via illud intendit. Quare optime in specta donationis natura eam definiuit I.C. in l. *donationes, de donat. Donat aliquis ea mente, vt statim velit accipientis fieri, & in nullo casu ad se reuerti, & tantum vt liberalitatem, & munificentiam exerceat, hæc vere donatio est.* Quibus verbis plenum voluntarium requiri, quis ambigat? Vellet enim ad se reuerti, qui inuitus donat.

5 Satis hæc res mihi videbatur esse perspicua, nec longiori discussione indigere, nec probatione. Cæterum nonnulli, aliàs nimis acuti, ad ista cęcutiunt, asserunt que liberalitati tantum repugnare donationem onerosam, non vero coactionem, atq; ita optime posse liberalitatis rationem cum coactione consistere, quod etiam docuit Læsius loco citato. Sed miror alicui in mentem veniisse liberaliter dare eum, qui inuitus donat, id quod lumine ipso naturali notum esse videtur. Idem etiam indicant, quicunque liberalitatis naturam attigerunt. Incipiamus ab Aristotele, qui 4. Topic. cap.4. donum vocat esse *datum irreddibile*, id est, non animo, quam miserendi. At inuitus donans nihil minus vult, quã esse irreddibile ex affectu. Deinde I.C. in d. *l. donationes*, ibi, *vt statim velit accipientis fieri, & in nullo casu ad se reuerti.* Expendo hæc verba, quæ nostrã sententiam continere adeò certum est, vt qui non videat plane sit cæcus. An ea quæ quis inuitus donat, nollet in vllo casu ad se reuerti? Plane vellet etiam cum donat. Ergo ea donatio coacta deficit â donationis ratione, quam veram donationem esse Iure Consultus affirmat. Præterea Valerius Maximus lib.4. cap.8. liberalitatis fontes docet esse *verum iudicium, & honestam benevolentiã*: & lib.5. cap.1. eius comites esse humanitatem, & clementiam, Ambro. li.1. de officijs c.30. sic ait: *Sed cum de beneficentia loquamur, quæ diuiditur etiã ipsa in benevolentiam, & liberalitatem. Ex his ergo duobus constat beneficẽtia vt sit perfecta. Non enim satis est bene velle, sed etiã benefacere, neq; satis est iterũ benefacere, nisi*

id

id ex bono fonte, hoc est, ex bona voluntate proficiscatur, hilarem enim datorem diligit Deus. Nã si inuitus facias, quæ tibi merces est? Vnde Apostolus generaliter inquit, si volens hoc ago, mercedem habeo, si inuitus, dispẽsatio mihi credita est. Et cap. 32. *Est autem benevolentia coniuncta liberalitati, à qua ipsa liberalitas proficiscitur.* Fauet etiam Hieronymus, cum inquit, *liberalitas non cumulatione patrimonij, sed largientis definitur affectu.* Idem etiam ostendit liberalitatis definitio: *Liberalitas est virtus beneficiorum erogatrix, quæ pro affectu habet benignitatem, & pro effectu beneficentiam.* At in eo, qui inuitus donat, neque benignitatis affectus est, neque erogat beneficium. Quod enim aliquis inuitus donat, nequaquam beneficium est, vt rectè optimus Philosophorum Seneca: *Non est gloriosum quod ab inuito, & tergiuersanti fit, nihil facit virtus, quod necesse est.* Et alio in loco: *Hoc quod dedit magnum est, sed dubitauit, sed distulit, sed cum daret, gemuit, sed superbe dedit,* & alia quæ sequuntur, itaque ex liberalitatis natura hæc pars mihi videtur à priori demonstrari.

6 Sed & præterea à posteriori eadẽ sententia probatur ex eo, quod innumeri Doctores, imò omnes admittũt, eũ qui iniustè aliquid extorquet per vim, & metũ à donante teneri in foro cõscientiæ ad restitutionẽ. Sic Couar. in reg. *peccatũ*, 2. p. §. 3. n. 7. Adrian. de restitut. §. *aggredior*, vers. *de his omnibus*, Syluest. verbo *metus*, q. fin. Nauar. in manuali c. 17. n. 15. idẽ sequitur Thom. Sanch. disp. 9. n. 4. tam in contractibus onerosis, quã lucratiuis, Farinac. 1. p. praxis criminalis q. 5. n. 14. vers. amplia 3. & citat Bald. in rubrica *C. de rei vendicat.* & Innocentiũ in c. *quod sicut de electione*, & Leonar. Lessius d. c. 17. n. 21 dicit esse cõmunẽ Doctorũ sententiam. Ergo neque transfertur dominiũ, neque valet contractus, alias si iure naturali valeret, non esset obligatio restituẽdi ante sententiã, vel postulationem rescisionis, & trãsferretur dominium, solumque esset actio in personam, non in bona.

7 Rursus probatur ab absurdo, quia sequitur lege positiua remota vsurariũ nõ teneri ad restitutionem, quod tamen falsum est, cũ etiam vsurarius mentalis ad restitutionẽ teneatur, quæ obligatio ex constitutione humana prouenire nõ potest. Sequelã probo, quia dici posset ibi interuenire donationem excessus. At omnes Doctores id vno ore reiiciunt, nõ ex alio capite, nisi quia inuitus donat. Ergo ratio inuiti destruit naturã donationis. Quare omnes illi Doctores qui eã rationem assignant, assignant autem omnes, pro nobis sunt contra Recentiores istos.

8 Ex his colligo primo Leon. Lessiũ parũ sibi constare, cũ docuit ex vna parte donationes metu extortas mero iure naturali valere & tamen postea n. 44. docet eum qui ex huiusmodi contractu aliquid est assecutus, teneri ad restituẽdũ, & eum qui vim passus est posse occultè surripere si alia via, quod donauit, recuperare nõ potest. Hæc quidẽ manifestè sibi ipsis repugnant. Nam si valẽt naturali iure, ergo etiam iure ciuili valent, vt Læsius fatetur, donec rescindantur. Ergo nõ est locus occultæ cõpensationi, neq; restitutionis obligationi, donec per sententiã rescisio fiat, aut postulet is qui vim passus est, vt dicã c. sequenti. Neq; est simile in eo qui furatur, & retinet. Est enim in illo secluſa quauis lege obligatio restituendi ratione iustæ acceptionis. At hic iure naturali nõ est obligatio restituendi ex istius Doctoris sententia, cum valeat donatio: existimat enim iste auctor sufficientẽ titulũ esse liberalem donationẽ, etiã cum coactione, & cum illa exerceri liberalitatẽ posse. Quare illa duo cõsistere simul nõ possunt contractũ valere naturali iure, & illum ante sententiã ad restitutionẽ teneri, & coactũ posse occultè surripere. Solumq; ea doctrina locum habere posset, si cõtractus, qui mero iure naturali valeret, nullus esset iure positiuo iuxta aliorũ sententiã, quam infra referemus. Atq; eodẽ modo reprehẽdendus est Thom. Sanch. qui lib. 4. disp. 8. n. 4. docet valere naturali iure, & disp. 9. docet esse obligationẽ restituendi ante sententiã, quẽ in hac parte merito reprehendit Rebel. p. 2. lib. 1. q. 5. n. 15. Quare quicunq; hanc restitutionis obligationẽ ante sententiã agnoscunt, nõ possunt asserere dominiũ translatum aut sibi nõ constant, id quod etiam strictim docuit Ioan. Azor to. 1 instit. moral. lib. 1. cap. 11. q. vlt.

9 Secundò colligitur idem dicendum esse, quando datur res nõ æstimabilis pretio pro re aliqua pretio æstimabili. Cum enim res prior multũ excedat illam, quasi quoad excessum, requiritur liberalis donatio. Ideò olim dixi in tractatu de restitutione, quando puella propter metũ iniustè illatum consentit, esse obligationem restituendi in eo, qui stuprũ intulit. Hinc etiã fit promissiones latroni factas propter metũ iniustũ nullam inducere obligationẽ ratione iustitiæ, cum extorqueantur per iniustitiã, quod etiam olim docui 2. 2. q. 59. a. 3. Hinc etiam fit idem dicẽdum esse siue iniustus metus incutiatur ab

eo, cui fit promissio aut donatio, siue ab alio tertio, in quo nonnulli Recentiores decipiuntur. Quia si semel demus contractum illum esse nullum ratione iniustitiæ, & defectu tituli, nec posse contrahentem acceptare consensum iniustè, & sine idoneo titulo extortum ab ipso contrahēte, idem semper dicendum est, quamvis consensus iniustè extorqueatur siue à contrahente, siue ab alio tertio. Quia si quando infertur metus à donatario, ideò est inualida donatio, quia est defectus tituli ob iniustitiam consensus idem etiam est, quamvis metus inferatur ab alio tertio. Atque his cōsonat dispositio in *l. 1. §. sine patrono, D. Quarum rerum actio non detur.*

10 Sed contra doctrinam hanc duo possunt obijci, quæ solutionem exigunt. Primū est votum quodcunque emissum ex natura rei, etiam metu cadente in virum constantē & etiamsi non fuerit voluntariū plenè obligat in conscientia, & tamē est liberalis quędam promissio Deo facta. Ergo pari ratione promissio liberalis homini facta vim habebit, etiamsi non sit plenè, & omninò voluntaria. Quidam Theologi existimarunt votū mētu factum ex natura rei esse nullum, sed non placent, est enim diuersum voluntariū requisitum ad votum, & ad promissionem, idque colligendum est ex natura vtriusque. Nam promissio aut donatio liberalis cū sit, non potest habere ad mixtum aliquid inuoluntarij iniusti: eo enim ipso quod vis vel metus iniustè adhibetur, tollitur ratio liberalis donationis. Adde vnam ex conditionibus humanæ promissionis esse, vt variata quacunque circunstantia non sit infidelis, qui promissionem non implet. At si sequeretur vis, & metus post promissionem, omnes concedunt nullam fore, & posse nō impleri. Ergo & à fortiori si ea conditio sit in promissione ipsa. Cur enim quod illā nullam redderet, postquam facta est, nō reddet nullam à principio. In voto autem ex natura ipsius satis constat esse voluntarium simpliciter. Cum enim votum sit quidam Dei cultus, non requiritur maior libertas, quam ea, quæ sufficit ad Deum colendum, & honorandum, sicut è cōtra eadem libertas sufficiens est ad peccatum. Si enim quis ex illo metu fornicaretur, peccaret. Adde etiam hominis ad Deum nullam esse posse rationem liberalis donationis, cum nihil Deo liberaliter donari possit, vt alibi ostendo. Cōstat ergo ex dictis disparem esse rationem.

11 Secundum est, quia si ad huiusmodi contractus requiritur plenum voluntarium & eo deficiente sunt nulli, sequitur etiamsi celebrentur metu iustè illato, aut metu ex imminente aliqua tempestate, vel morbo esse nullos: iam enim admiscetur inuoluntarium aliquod, atque adeò non remanet plenum voluntarium, quod est legitimus titulus. Sed de huius argumenti solutione dicam infra, cum sermo erit de contractibus, in quibus interuenit metus leuis, vel iustus.

12 Quod vero attinet ad contractus promissorios, nonnulli cum disputant de promissione sponsalitia dicunt non esse iure naturali nullam, sed tantum iure positiuo irritandam. Ratio eorum esse potest, quia nō deest titulus legitimus in huiusmodi promissionibus reciprocis, datur enim promissio pro promissione, & est sufficiens voluntarium. Nam voluntarium mixtum simpliciter voluntarium est. Valet ergo eiusmodi contractus promissorius iure naturæ.

13 Mihi tamen verius videtur etiam eiusmodi contractus esse nullos naturali iure. Sic videntur supponere nonnulli, cum agunt de sponsalibus, sic etiam sentiebat olim Gabriel Vazquez, & docent alij viri Docti huius ætatis. Vt autem hæc sententia explicetur, & inde probetur, supponendum est primo, humanam promissionem, vt iudicetur pretio æstimabilis debere esse aliquo modo vtilem ei, cui fit promissio, alias si inutilis esset, non censeretur iudicio prudentum sufficiens titulus comparatione alterius promissionis vtilis, vt constat in omni alio titulo ciuilis contractus. Vnde cum humana promissio offertur ei, qui non vult eam acceptare, talis promissio prout distincta ab obiecto promissionis non cēsetur alicuius momēti comparatione eius, cui offertur. Promissionem autem debere esse de re vtili promissario etiam docuit Petrus Aragon loco citato, & alias nō posse stare naturam promissionis.

14 Secundò obseruandum est promissionem humanā etiam esse debere de re grata illi, cui fit: alias non censeretur iuxta prudentum æstimationem alicuius momenti, aut obligationis. Id quod per se se videtur notū, & probatur à simili desumpto ex promissione, quæ inest voto, quod debet esse de re grata Deo. Si enim non est grata promissio, revera non offertur aliquid vtile, atque ideò euertitur natura promissionis, vt dicebam supra. Hac ratione D. Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 2. in corpore, sic loquitur: *Similiter vana esset promissio, si aliquis alicui promitteret, quod*

quod ei non esset acceptum. Et Seneca lib. 3. de benef. de eadem re agens inquit: *Panem lapidosum dare, quem esurienti accipere necessarium sit, esse acerbum.* Vnde spectato communi hominum more nō est promissio alicuius momenti ea, quam quis offert alicui, quando eum cogit ad acceptandum, & ad mutuo promittendū, neque enim censetur grata.

15 Tertiò obseruandum est obligationem promissionis semper oriri subintelle ctis quibusdam debitis conditionibus, ita vt deficiente conditione debita, infidelis nō sit, qui promissionem non adimplet. Atque id pertinet ad promissionis substantiam, cū eius obligatio ex his conditionibus ita depē deat, vt varietur substantia illius ex variatione subintellectæ cōditionis debitæ. Vna autem ex conditionibus debitis, requisitisq; ex natura rei est, ne promittenti aliqua infe ratur iniuria, ob quam ille sit rationabiliter inuitus, & ideò secundum communem doctrinam in hac materia dissoluuntur sponsa lia superueniente causa, aut cognitione alicuius defectus, qui promittentem reddat rationabiliter inuitum. Ergo multo magis, quando à principio contractus data est causa, censeretur promissio etiam à principio nulla. Hæc autem causa iudicio prudentum satis est sufficiens metus incussus ad extorquendam promissionem: hoc enim metu fit iniuria non tam circa personam, quàm circa rem ipsam, cum nō detur promissio pro promissione, siquidem illi, cui vis infertur, datur promissio inutilis, & nullius momenti pro alia promissione vtili extorquenti per metum.

16 Ex his ergo facile colligi potest ratio qua probetur nullam esse eiusmodi promissionem in contractu promissorio. Tum quia ea promissio cū non sit voluntaria, sed coacta, inutilis cēsetur, & ideò qui coactus promittit alteri repromittenti, nō acceptat aliquid loco eius promissionis, quam coactus offert, quia eā promissionem, quam alter offert, iste non curat, neque ad se pertinere vult, vt ex præmissis obseruationibus constat. Tum etiam quia non inest debita conditio in ea promissione, qua deficienti cessat promissionis obligatio, scilicet ne inferatur coactio, quæ reddat rationabiliter inuitum. An idem dicendum sit de metu leui dicam infra suo loco. Et ex eisdem principijs oritur ex acceptatione promissionis coacta nullam oriri obligationem propter rationem dictam. Nam si à principio contractus promissionis fuit causa, quæ rationabiliter redderet inuitum promittentem, illa etiam sufficiens erit reddere rationabiliter inuitū acceptantem, vnde neque tenebitur acceptare ratione voluntarij simpliciter titulo donationis, cum coactus acceptet, neque tenebitur acceptare ratione alterius promissionis sibi oblatæ, qui respectu propriæ promissionis est rationabiliter inuitus. Et ratio est manifesta: quia non vult ipse vicissim obligari. Et ita quando promissio alicuius per vim extorquetur, alia promissio oblata de re sibi ingrata non est titulus sufficiēs, vt eo actu maneat obligatus ad propriam promissionem implendam. Atque ex his solutum etiam est fundamentum eorum, qui contra sentiebant.

An cōtractus onerosi ex metu graui celebrati iure tantum naturali considerato valeant, vel non?

CAPVT VII.

SVMMARIVM.

Prima sententia inualidos esse contractus in quibus datur res pro re, ex metu graui factos. numero 1.
Oppositum verius. num. 2.
Idem dicendum à fortiori, si fiant ex leui metu. num. 3.
Discrimen inter istos contractus, & promissorios num. 4.
An hi contractus sint rescindendi naturali iure. num. 5.
Quid dicendum de illis ante traditionem rei. ibidem.
Quid post traditionem, prima opinio. n. 6.
Vera opinio. num. 7.
Soluitur dubitandi ratio. num. 8.
Quid dicendum in contractu mutui. n. 9.

1 QVOD ad istos contractuas ttinet, in quibus datur res pro re, sunt nonnulli, qui existimāt eos esse inualidos spectato iure naturæ, si fiant ex graui metu iniuste illato. Nauarrus infra citandus refert pro hac sententia Fortunium, & sequitur Thom. Sanchez lib. 4. disp. 9. in 4. sententia, cum doceat indistinctē omnia extorta per metum etiam leuem esse restituenda, siue id fit in contractibus lucratiuis, siue onerosis, quam vis hęc non conueniant cum his quæ dixerat disp.

8. num. 4. vt notaui cap. præcedenti. Aperte tamen hanc sententiam docet Rebellus citatis alijs p. 2. lib. 1. quæst. 5. conclus. 3. n. 15. Probari potest primò. Quia isti contractus non sunt simpliciter voluntarij, durum autem videtur hominem re sua priuari contra ipsius voluntatem. Secundò. Quia qui per metum iniustum extorquet consensum, infert iniustitiam, cui iniustitiæ non potest satisfieri, nisi iterum res sua reddatur ei, qui coactus contractum celebrauit. Est ergo cõtractus ille nullus iure naturæ.

2 Verius tamen mihi videtur eos cõtractus, in quibus datur res pro re, excepto matrimonio, de quo dicam postea, validos esse iure naturæ, etiamsi fiant ex graui metu iniustè incusso. Ita docet Soto in 4. dist. 29. q. 1. art. 3. & docuerat Ricardus quæst. 2. Durandus quæst. 2. Paludan. quæst. 1. quos sequitur Henriquez lib. 11. de matrimonio, cap. 9. Qui Doctores idem etiam affirmant de matrimonio: & de alijs contractibus excepto: matrimonio idem docet Sylues. verbo *metus*, quæst. 8. Nauar. in sum. cap. 22. Molina tom. 2. de iustitia disp. 326. Gabriel Vazquez 1. 2. disp. 27. cap. vltimo. Probatur ergo nostra sententia, quia substantia horum cõtractuum solum requirit titulum legitimum, & simpliciter voluntarium. Exempli gratia, vt sit venditio valida iure naturæ, solum requiritur simpliciter voluntarium, & titulus pretij pro re, quia non potest esse cõtractus nullus defectu tituli, quẽ adesse supponimus. Ex parte vero voluntarij non est cur requiratur tam plenum volũtariũ, quia illud non est necessarium, tanquam titulus, vt de donatione dicebamus cap. præcedenti, aut ratione subintellectæ conditionis, vt etiam dicebamus de promissione, quæ pro alia promissione offertur. Si ergo contractus est simpliciter voluntarius, validus erit etiamsi aliquo modo displiceat. Iustitia enim horum contractuum ex æqualitate rei cum re petenda est. An autem idem dicendum sit in contractu ludi dicam suo loco, interim videndus Molina disp. 516. Dixi excepto matrimonio, quia ad illud etiam ex iure naturali maius, & perfectius voluntarium requiritur, vt dicam infra.

3 Ex his colligitur primo à fortiori idem dicendum esse in his cõtractibus, in quibus datur res pro re, si fiant ex leui metu, an autem idem dicendum sit de matrimonio ex leui metu dicam infra. Nam leuis metus nõ reddit inualidos eiusmodi contractus iure naturæ, cum non tollat titulum sufficientẽ ad translationem dominij. In quo non rectè Thomas Sanchez, nec Paulus Comitolus lib. 1. respons. moral. q. 122. qui existimant etiam eos contractus iure naturæ irritari ex leui metu. Id autem quod diximus, verũ est, etiam si euitatio metus esset finis, ita vt absque metu omninò non venderet, quia adhuc est æqualitas rei ad rem, quæ potissimũ in his contractibus attenditur. Vnde cum ipsa æqualitate rei parum obstat iniuria, quæ illata est per coactionem, cum iniuria illa & iniustitia non sit circa rem, sed circa personam.

4 Secundò colligitur diuersam esse rationem contractus promissionis reciprocæ, & horum contractuum de præsenti, in quibus datur res pro re. Nam in promissione, quando offertur alia promissio, si coacta est, non censetur ex communi hominum more grata, & ideò neque vtilis. Quam enim vtilitatem ego percipiam ex his, quæ reijcio, & ad me peruenire nolo? In contractu verò de præsenti rei pro re, quando celebratur ratione ipsarum rerum, vtilitas tituli ex rebus ipsis consideratur, secundum communẽ æstimationem. Et ita in hoc contractu promissionis reciprocæ defectus voluntarij refunditur in defectũ tituli, quia pro promissione, quam coactus offert, nihil accipit, vt explicatum est. Quod aliter se habet in cõtractu de præsenti, in quo defectus voluntarij non aufert ex natura rei titulum legitimum. Deinde promissionis obligatio permanet quasi pendens in futurum, subintellectis debitis conditionibus, vt dictum est, & cum ex eis vna sit, vt promittens non sit rationabiliter inuitus, inde fit, vt si coactus promittat, nulla sit promissio: contractus vero de præsenti solum pendet ex substantia rei, & tituli, & ideò aliquale inuoluntarium non pertinet ad substantiam contractus ciuilis. Vnde non mirum, si ex illato in uoluntario promissio illa sit nulla, venditio vero valeat. Licet enim omnis contractus inualidus sit ex defectu voluntarij circa substantiam contractus, tamen fieri rectè potest, vt aliqua circunstantia pertineat ad substantiam vnius, quæ nõ pertinet ad substantiam alterius. Atque ex his, quæ dicta sunt facile diluuntur primæ sententiæ fundamenta.

5 Sed iam explicare oportet, an contractus iste, in quo datur res pro re ex metu graui celebratus, sit naturali iure rescindendus, si velit is, qui coactus contraxit? Omittò nunc contractum ludi. An enim is, qui per

vim

vim attrahit aliquem, teneatur rescindere contractū, pendet ex alio principio, de quo sunt variæ opiniones, de quibus in speciali tractatu de ludo, vide interim Molinam tomo 2. disp. 516. Obseruandum præterea est sermonē esse posse de rescissione cōtractus ante traditionem, & post traditionem. Si sermo sit de rescissione contractus ante traditionem, dicendum existimo eum, qui coactus rem suam vendidit, posse iuste rem suā retinere, & non tradere illam, postquam effugit vim coactionis. Ratio est, quia si nō est sequuta traditio ex vi coactæ venditionis, non videtur velle obligari ad traditionem, si omninō in potestate illius sit rem tradere, non immittente coactione. Nam qui hic, & nunc vendit coactus, ac permutat, ita vt alias non faceret, satis explicat se nolle vendere deficiente coactione, atque adeò si ea deficiat, nolle perficere contractum venditionis. Vnde emens, ex eo quod venditor rem illi non tradat, non est rationabiliter inuitus. Voluntarium enim illud non est absolutè, sed conditionaliter, nempe si sic coactus nō possit effugere vim coactionis ante traditionem, & perfectionem contractus. Quod satis notum est ex illo modo contrahendi, & ideò emens rationabiliter inuitus esse non potest. Verum est, quod si sequatur traditio rei etiam cum ea coactione, valida quidem erit traditio, non solum si fiat cum plena libertate, quod indubitatum est, sed etiam si fiat traditio ex eodem metu, quia in eo casu adest simpliciter voluntarium, & titulus, & contractus est omninō perfectus. Quod si obijcias ex hoc sequi, quod quando promissio extorquetur metu per aliam promissionem, sit valida promissio. cum detur vna promissio pro alia, & ideò videatur esse sufficiens voluntarium, sicut in alijs contractibus, in quibus datur res pro re. Respondetur in primis nos non dicere validam esse venditionem absolutè metu extortam, sed adiuncta traditione valere. Deinde dico diuersam esse rationem promissionis reciprocæ, quia vt supra dictum est, non censetur alicuius momēti, nisi grata sit, grata verò non est illi, qui coactus promisit. Quare quoties extorquetur metu, deest sufficiens titulus.

6 Difficilius explicatu est, si res iam sit tradita, & consummatus perfectusq; cōtractus an scilicet de iure naturali, sit obligatio illū rescindendi, si velit is, qui coactionē passus est, quid enim habeat ius positiuū, dicam postea. Supponimus autē id, quod dicebamus supra isto capite, huiusmodi contractus per metum celebratos esse validos. Ratio autē quæstionis esse potest, quia si semel demus contractū fuisse validū, non videtur quomodo possit manere obligatio rescindendi cōtractum: vel si manet, non fuit validus, quia ex contractu valido adquiritur verū dominium rei post traditionem. Ergo ex illo etiā contractu non potest oriri obligatio reddēdi rem illam venditori. Difficile enim videtur ius naturale, & constituere validum cōtractū, & præcipere rescissionem illius.

7 Nihilominus tamē mihi videtur probabilius esse naturalem obligationē rescindēdi huiusmodi contractus, si tamen is qui coactus contraxit, rescissionē postulet. Et probatur. Quia in hoc casu iniustū est, vt coactus quis contraxerit, factū enim erit contra ius, quod quilibet habet non alienandi sua bona, nisi cum voluerit omninō liberē, sine vi & coactione extrinseca. Sed hæc iniustitia cōpensari potest sine damno alterius cōtrahentis. Ergo cōpensanda est. Minor probatur. Quia emens potest restituere rē suā Domino, & accipere pecuniā quam dedit pro re, & ita res in pristinū statum restituantur. Ergo ad id tenetur emens, si alius velit.

8 Ad rationē autem dubij respondetur non pugnare ista duo, & contractū esse validum, & esse obligationē rescindēdi, si alter velit. Vt verò ostendamus, qua ratione hæc duo non pugnent, sed cohæreant, oportet aduertere validitatem contractus, & obligationē rescindendi ex diuersis capitibus oriri. Valor namq; contractus oritur ex iusto titulo, & ex voluntario simpliciter, quæ duo, vt cōstat ex dictis supra isto capite, sufficiunt ad valorē cōtractus. Et iuxta hanc doctrinā, aliquando euenire potest, vt cōtractus validus nō possit rescindi, si res seruata æqualitate nō possit in eundē statū restitui. Ex valore autē contractus post traditionē, sequitur ex natura rei rem venditā esse sub dominio ementis, & ad illū pertinere omnia, quæ per se comitātur dominiū rei, nisi aliud disponat ius positiuū. At obligatio conditionalis rescindendi contractū, nempe si alius velit, orta est in presenti casu ex coactione iniustè illata, qua factum est cōtra ius illius. Quæ quidē obligatio nō impedit emptorem esse dominū rei traditæ, dum is, qui vendidit nō petit rescissionem: & ita fructus rei pro eo tempore ad emptorem pertinent, cui tradita res est, & si eo tempore res periret, ipsi si ne dubio periret. Simile est in censu cōstituto vsq; ad certū tempus, quem esse licitum,

vbi

vbi nō viget Bulla Pij V. de censibus, docet communis sententia, & ostendemus suo loco. Quāvis enim post illud tempus redimēdus sit hoc non obstat, quo minus venditor census sit dominus illius pecuniæ. Ex dictis cōstat lōge alīū habere effectū venditionē coactī, & obligationem rescindendi, si alius velit. In qua rescisione æqualitas seruanda est in dato, & accepto: quamvis ex alio capite possit obligari is, qui vim intulit, ad resarciendā dāna, quæ per se ex ea coactione illata sequuta sunt. Nec verò mirū est ex eodem iure naturali duas obligationes adeò diuersas oriri, cū ex diuersis capitibus proueniāt, vt dictū est. Et certè si hæc duo pugnarent, etiā non cohærerent, validū esse contractū iure naturæ, & inualidū iure positiuo. Nam si hæc duo pugnant, nihil refert, an ex iure naturali, & positiuo, orianturrerū enim repugnantia, & cōtrarietas secundum philosophiam non ex causis efficientibus, sed ex ipsis rerum naturis pensanda est.

9 In cōtractu vero mutui, quando per vim extortū est mutuū, existimo in primis inferentē vim adquirere dominiū rei sibi traditę titulo rei similis reddēdæ, quia & est simpliciter voluntariū, vt suppono & traditio rei, quæ nō datur gratis, sed quia similis alia reddēda est, quare sufficiens titulus est ad trāslationem dominij. Deinde quod ad tempus solutionis, attinet, quia tāta vel tāta dilatio mere donatur gratis, inualidū est quidquid de hoc contractū fuerit, cum donatio debeat esse omninò volūtaria, vt supra dictum est. Quare reddenda res est, quandocunq; petatur. Vnde cōtractus iste magis subit naturā precarij, quā mutui. Nam in mutuo assignādum est determinatum tempus solutioni, vt dicemus in tractatu de vsuris. Precarium vero pendet à libera voluntate dantis, vt dixi in tractatu de restitutione, & supra lib. 3. c. 10. n. 7. Atq; hæc quæ hactenus diximus valde notanda sunt ad dissoluendos nodos, qui infra occurrent cap. 9.

An ex iuris positiui dispositione contractus lucratiui, & promissorij sint irriti ipso iure vel rescindendi.

CAPVT VIII.

SVMMARIVM.

Quid agendum. num. 1.

Prima sententia de contractibus lucratiuis asserens illos valere iure positiuo, rescindendos tamen. num. 2.

Verius non valere iure positiuo. num. 3.

Probatur ex iure nostri regni. ibid.

Idem dicendum iure ciuili, vt ostēdatur, præmittitur quædam obseruatio. num. 4.

Probatur ex iure ciuili. num. 5. 6. & 7.

Nihil afferri ex eo iure, quod obstet, ostenditur. num. 8. 9. 10. & 11.

Neque ex ratione. num. 12. & 13.

Quid dicendum in prorogatione iurisdictionis metu extorta. num. 14.

Quid in mandato ad aliquid agendum, licentia, & dispensatione, & priuilegijs. num. 15.

Quid de renuntiatione beneficij. num. 16.

Quid de absolutione, & reuocatione cēsuræ. n. 17

Quid quādo datur promissio pro promissione. n. 18.

1 EXplicuimus hactenus quid habeat ius naturale tātum. Superest explicemus distinctè in quouis genere cōtractuū quid habeat ius positiuum, an scilicet reddat irritos, vel potius rescindendos velit. Agemus autem de his eodem ordine, ac supra de illis egimus spectato iure naturæ. Itaq; in hoc capite sermo erit de donationib. & promissionib. reciprocis, in sequēti vero de contractibus onerosis. Rem enim hāc sine vlla distinctione tam Theologi, quā Iuris interpretes prosequuntur, cum tamen sine distinctione explicari rectè non possit.

2 Igitur quod attinet ad contractus lucratiuos, & donationis liberalis, prima sententia absolutè, & sine vlla distinctione docet ex graui metu iniustè incusso celebratos nō esse irritos, sed valere mero iure positiuo. Sic docet Glossa in c. *vnico, de his quæ vi in 6.* notabili 1. alijque innumeri Iuris intepretes quos refert, & sequitur Thom. Sanch. lib. 4. disp. 8. n. 4. & ex Theologis Ricard. in 4. dist. 29. a. 1. q. 2. §. *Qui vult tenere*, Palud. dist. 15. q. 2. a. 5. Soto dist. 29. q. 1. a. 3. & alij Recentiores. Argumenta quibus nituntur proponam postea, atque dissoluam.

3 Cæterum mihi semper verius visum est huiusmodi contractus Lucratiuos, & quidquid à liberalitate proficiscitur, non tantum iure naturali, sed etiā positiuo, nullum esse. Itaq; actus omnes, in quibus legitimus titulus est donatio vel liberalitas, si ex graui metu iniustè illato fiant, etiā iure positiuo sunt irriti ipso iure, requiriturq; iudicis authoritas, nō ad illos irritandos, sed vt à principio irritos fuisse declaret. Hanc sententiam teneāt necesse est, quicunq; in vniuersum docent omnes contractus metu factos esse iure positiuo nullos. Refert pro hac sententia Thom. Sanch. Bartol. in l. *metum autē præsen-*

sentem,§.volenti n.3.D.de eo quod metus causa. Fortunius tract. de vltimo fine illatione 21. n.387.quod etiam docuit Sarmiẽto loco infra citãdo,& ex Theologis Soto lib.8.de iustit.q.2.a.7. in solut. ad 3. Palacios lib.4.de contractib.c.9.Molin. tom.2.de iustit.tract. 2.disp.326.in solut.ad 2. Ludouic.Carbo de restitut.q.46.conclus.5. Rebel.p.2.lib.1.q. 5.n.10.Et quidem ita esse dicendum iure positiuo nostri regni meo iudicio manifestissime constat.Nam l.28.tit.11.part.5.de promissionibus per metum extortis hæc habentur: *Por miedo,ò por fuerça,ò por engaño que fuesse prometiendo vn hombre à otro de dar, ò de fazer alguna cosa maguer se obligue so cierta pena jurando de cumplir lo que promete, dezimos q̃ non es tenudo de cumplir lo prometido, ni de pechar la pena.* Sed videamus quid ad hæc respondeat Gregor.Lop.ibid. verbo *tenudo*,inquit intelligendum cum effectu, quia datur metus exceptio,sicut in *l.56.tit.5.part.5.* in qua de emptione, & venditione sermo est. Sed iste Doctor nõ satis assecutus est discrimen quod iure naturali versari diximus inter donationes,& emptiones, & venditiones: si enim id teneret, assequeretur etiam quam merito AuthorPartitarũ aliter de promissionibus, & donationibus, & aliter de emptione,& venditione locutus fuerit. Cũ enim donationes ex metu profectæ iure naturali non valeant, voluit etiam iure positiuo non valere, neq; obligationem nasci ibi *no seatenudo de cumplir.* At verò cum contractus,in quibus datur res pro re, valeant iure naturali, vt dictum est cap. præcedenti,statuit valere iure positiuo,rescissionem tamẽ dari,vt dicemus cap. sequenti.

4 Sed ostendamus etiam idẽ dicendũ esse iure ciuili. Præmitto tamen primũ, cum dixerimus contractus,qui ex liberalitate procedunt, iure naturali non posse cõsistere, si adsit coactio, & metus grauis, idq; ni fallor aperte satis demonstratũ sit,quãdo daremus in aliquibus actibus ex his, qui procedũt ex liberalitate, valere iure ciuili,eos videlicet de quibus scriptã dispositione inuenimus, adhuc ex eo nõ liceret inferre idem de alijs actibus dicendũ esse, quin potius tanquam specialis in eo casu dispositio indicanda esset,& omnes alij actus, de quibus iura nihil expresse disponunt, intelligerẽtur relinqui dispositioni iuris naturalis. Si enim vt intelligamus ius cõmune antiquum corrigi per nouum,id non asserimus nisi in casibus in iure ipso expressis,multo fortiori ratione correctionẽ, vel potius limitationẽ iuris naturalis nõ debemus admittere factã per ius ciuile, nisi expresse, & verbis apertis,ac sine ambagibus statuat. Quare si verba fuerint dubia, & quæ possunt reddere sensum correctoriũ,& non correctoriũ, potius credendũ est ius naturale nõ corrigi,seu limitari, hoc est,credendũ est relinqui ius naturale in sua dispositione, & neque immutari, neque coarctari.

5 Hac obseruatione præmissa,quæ mihi videtur equitati & rationi cõsona, ostẽdamus idem dicendũ esse iure ciuili, idque duplici via.Prima cõplures actusex liberalitate prouenientes in mediũ proponendo, in quibus apertè iura disponunt non valere. Secunda ostendendo nullum textũ adduci, in quo oppositũ aperte dispositum sit, sed omnia iura quæ adducuntur, facillimã solutionẽ habere, & quam assertores oppositæ sententiæ in multis alijs probare solent,ac debẽt. Primò ergo de omni promissione iuxta intellectũ glossæ in l.*qui in carcerem,D.de eo quod metus causa*,sic habetur. *Qui in carcerem aliquem intrusit,vt aliquid ei extorqueret,quidquid ob hãc causam factum est,nullius momẽti est*,id est,nullius vigoris:huc enim esse eius particulæ sensum, constat ex c.*Ordinarij in fine de offic.ordinarij in 6.*ibi,*aliter*,inquit,*facta collatio nullius sit momenti*,ideſt,vigoris & efficaciæ, secundum Archidiaconũ,Geminianũ,Ancharranũ,& Francum,ibid.Sic etiam docet,& explicat citatis alijs Farin.1.p.praxis criminalis q.35.n.4.Sed respondetIoann.Gutier.de iuram.confirm.1.p.c.57.n.21. vltra metum adesse ibi dolũ. Sed diuinat in textu.Non enim constat, illã detrusionẽ in carcerem factã esse dolo iudicis,qui prętextu iurisdictionis abuteretur potestate.Præterea, quia qui metũ infert,semper in dolo est, vt in l.*si cũ exceptione, in §.eum qui D.quod metus causa*, *Eum qui metũ fecit*, inquit Vlpian. *& de dolo teneri certum est,& ita Pomponius scribit*,& idẽ Vlpian.*l.2.§.doli mali,D.de vi bonorũ raptor.* ibi,*nam qui vim facit, dolo malo facit*, ex quibus legibus idem probatSarm.li.2.c.11.n.4.

6 Secundo in l.1.§.*quæ onerandæ, D.quarum rerum actio non detur*, stipulationes omnes in liberto ex metu minuendæ libertatis factæ censentur nullæ,sic enim scriptũ est: *Quæ onerandæ libertatis causa stipulatus sum à liberto, exigere non possum: minuendæ autem libertatis causa facta bellissime ita definiuntur, quæ ita imponimus,vt si patronum libertus offenderit, petãtur ab eo,semperq; sit metu exactionis ei subiectus, propterquem metum quodvis sustineat patrono præcipiente.* Hæc in textu.

7 Tertio,*l.si mulier,§.si dos, D.quod metus causa*,dotis promissio metu extorta nulla est

so

ipso iure, de quo Barbosa 4.p. Rubricę, *D. soluto matrimonio*, n. 28. Quarto auctoritas tutorũ metu extorta nulla est ipso iure l. 1. §. *vltimo*, *D. de auctoritate tutor.* Quintò testamentorũ testes vi adhibiti vel detenti ipso iure carent iure testificandi, & auctoritate, nullumq; est eorum testimoniũ. *l. Qui testamentum*, *D. de testamentis.* Sextò actus gestus per metũ alieno nomine ex munere officij nullus est ipso iure; *l. 1. §. fin. D. de authoritate tutor.* Septimò iure Canonico nulla decernitur electio per metũ facta, *c. vbi periculum*, *§. cæterum*, *de electione in 6.* Octauò absolutio à censura per metũ extorta nulla est ipso iure, *c. vnico de his quæ vi in 6.* Quod intellige de excõmunicatione iusta, nam de iniusta aliter iudicandũ est, cum revera nõ ligauerit vt dixi in tractatu de excõmunicatione. Atque hos casus ex Panorm. & alijs refert Sylvest. verbo *metus*, q. 8. Rebel. p. 2. lib. 1. q. 5. n. 12. Læsius d. c. 17. dub. 6. n. 30. Ioan. Azor tomo 1. instit. moral. lib. 1. cap. 11. q. 7.

8 In omnibus his expresse statuit ius nullum inesse valorẽ, si metu extorqueatur, & tamen omnes isti actus ad liberalitatẽ pertinent. Quæ omnia his versiculis continẽtur:

Tutor, iudicium, dos, Sacrum, copula, votum,
Hæc sex vi facta de iure sciasfore nulla,
Cætera ius patitur, sed postea restituentur.

Et declarat Glossa in *c. Abbas de his quæ vi*, in quibus satis indicatur ea quę ad liberalitatẽ pertinent, si metu fiant esse ipso iure nulla. Sed ostendamus iam vlterius nihil esse in iure, quo cõuincatur his actib⁹ exceptis, quos retulimus, omnia alia quæ ad liberalitatem pertinẽt gesta metu valere, vt dicebat glos. in c. *Abbas* 2. *de his quæ vi*, quod gesta metu valeãt, nisi ius expresse irritet. Opponit autem Thom. Sanch. ex iure: primo, quod habetur in *l. 1. D. de eo quod metus causa*, ait *Prætor. Quod metus causa gestum fuerit ratũ non habebo*, verbũ enim hoc futuri temporis non ostendit rem esse ipso iure irritã, sed irritandam. Interpretor tamen verba Prętoris, *ratum non habebo*, ideſt, erga vnum quodq; factum iuxta id, quod postulat eius natura me gerã, vel declarando irritũ, vel irritando, si valide celebratum fuerit. Vel secũdo dici potest in hoc textu solũ dici ea quæ fiunt ex metu esse irritanda auctoritate iudicis, si forte valida fuerint, non tamen ibi negatur aliquid metu factũ ipso iure esse inualidum. Loquitur itaque circa subiectam materiam capacem. Bartolus quidẽ loco citato illa verba, *ratum non habebo*, sic intelligit, *nullo vnquam tempore*, & ita antequam veniatur ad iudicium ratum non habere, & in iudicio declarare irritum esse.

9 Secundò opponitur textus in c. *Abbas de his quæ vi. Quæ metu, & vi fiunt, de iure debent in irritum reuocari.* Valent ergo mero iure. Respondeo, renuntiationẽ illam beneficij, de qua in eo capite sermo est, nullam esse iure naturæ, cum ex liberalitate procedat, vt dicam statim. Quare quod vniuerse dicitur debere de iure in irritum reuocari, quæ ex metu fiũt, ita interpretor debere vnũ quodque irritari iuxta suam naturam, vel irritando si valeat, vel declarando irritũ fuisse contractum. Vnde optimè Rebel. q. 5. citata n. 10. inquit his verbis Pontificẽ non negare aliqua esse ante iudicis sententiã irrita, sed hoc tantum velle, vt quæ vi & metu fiunt, debeant in irritum reuocari, hoc est, per iudicem declarari esse irrita, cum in iudicio agitantur, siue fuerint irrita, siue nõ fuerint. Sed præterea ex ipso textu conuinci videtur renunciationẽ illam fuisse ipso iure nullam. Expendo enim quod cum illa esset iure naturæ nulla, & ex consequẽti nec translatum esset dominium, neq; fructus percipi potuissent, ideò iubere Pontificem, vt omnia in integrum restituantur, quia revera nõ fuerunt eius qui accepit. Quo satis indicat Pontifex non translatum esse dominium, & ex consequenti ipso iure nullam fuisse renũciationem, & ideò illa verba *debent in irritũ reuocari*, hunc sensum efficere, ideſt, declarari. Neque enim alium sensum habere possunt, cum dominium non fuisse translatum indicet Pontifex.

10 Tertio opponitur text. in *l. fin. C. de his quæ vi*, ibi: *Vẽditiones donationes, transactiones quæ per potentiam extortæ sunt, præcipimus infirmari.* Vbi expende idem statui de vẽditionibus, & donationibus. Non est ergo vllum discrimen inter donationes, & alios cõtractus, vt nos asignauimus. Verum facile respondemus eodẽ modo, quo prȩcedentia iura explicabamus. Præcipitur infirmari auctoritate iudicis vnũ quodq; iuxta suam naturã vel irritando, venditionẽ validè celebratam vel declarando irritã donationẽ metu extortam. Nec verò insolens cuiquã videatur, si isto modo verba iuris interpretemur, cum etiam auctores primæ sententiæ, cum admittunt exceptiones aliquas, in quibus nonnulli actus dicũtur esse iure positiuo nulli, vim eorum verborum hac ratione interpretari teneantur. Sic enim explicat Thom. Sanch. d. disp. 8. n. 10. vocem irritam, quæ habetur *l. 2. C. de rescindenda venditione*, ideſt, *irritandã* & Gregor. Lopez loco supra cit. eodem modo detorquebat verba Partitarum in l. 28. tit.

tit. 11. part. 5. Adde etiam iure optimo sic explicari verba iuris. Quia vt dicebam, cum eiusmodi contractus iure naturali nulli sint vt intelligeremus iure ciuili, aut canonico validos esse, & in hac parte limitatum esse per ius positiuum, verba deberent esse apertissima, & quæ sine ambagibus eam moderationem siue limitationem continerent. Sunt autem huius dispositionis verba dubia, vt constat ex ipsa opinionum varietate.

11 Quartò opponitur ex *instit. de exceptionibus* in principio, in illis verbis, *si metu coactus Titio stipulanti promisisti, quod non debueras promittere, palam est de iure ciuili obligatum esse.* Ecce sermo est de promissione. Igitur promissio metu extorta valida est mero iure. Sed veram interpretationem ostendit nobis Glossa in eo loco, *credens*, inquit, *te debere quod non debebas*, insinuaturq; hæc interpretatio illis verbis, *quod non debueras promittere.* Itaque non mirum si iure ciuili maneat obligatus: est enim contractus, in quo res datur pro re, qui mero iure valet, rescindendus tamen est auctoritate iudicis, cum ostenderis te non debuisse, quod promisisti.

12 Sed videamus an magis conuincant rationum momenta, quæ pro se adducit Thom. Sanch. Obijcit primò, quia substantia contractus consistit in consensu, & voluntate, *l. obligationum substantia, D. de actionib. & obligation.* sed in consensu metu extorto est verus consensus, veraq; voluntas *l. si mulier, §. si metu coactus 2. D. de eo quod met. causa.* Fatemur tamen causam efficientem contractum esse consensum, concedimus etiam consensum coactum esse verè consensum, sed negamus sufficere consensum coactum ad quemcumque contractum. Nam in his quæ ex liberalitate oriuntur titulus est in ipso consensu, tolliturque coactione, vt aperte ostendimus supra cap. 6.

13 Secundò obijcit. Quia vel isti contractus metu celebrati sunt irriti iure naturali, & hoc non, vt probasse se dixit disp. 4. vbi disputat, an matrimonium metu contractū sit nullum iure naturali. Vel sunt irriti iure positiuo, & hoc etiam non, vt probant textus allegati. Sed neq; textus allegati eam opinionem probant, vt visum est, neq; constat esse validos iure naturali, quin potius iure naturæ non valere apertissimè ostendimus supra d. c. 6. ex defectu tituli sufficientis, quē corruere diximus, si coactio adiungatur.

14 Ex his quæ dicta sunt pro specialibus materijs colligitur in primis prorogationem quamcunq; iurisdictionis metu extortā nullā esse iure naturæ & positiuo: & fauet textus ex *l. 2. deinde.* Est enim actus ex liberalitate proueniens, quæ destruitur interueniēte metu, atq; hic casus cōprehenditur in d. verbo, *iudiciū.* Quod si quis dicat eum textū loqui tantū in casu, quo litigatores cōpelluntur cōsentire in iudicē non suum, & ita prorogare eius iurisdictionē, quę sine libero consensu esse non potest, adhuc tamen efficitur quamcunq; aliam prorogationē iurisdictionis esse nullā. Quia cum stādo in iure naturali nulla sit iuxta dicta, nihil de hoc disponente iure positiuo standū est dispositioni iuris naturalis, vt dicebā supra isto capite. Quare quod dicebat glossa in d. c. *Abbas, de his quæ vi*, generaliter ea quæ metu gesta sunt, valere, nisi ius specialiter irritet; ego ex opposito pronuntio in his contractibus de quib⁹ loquimur, quæ metu gesta sunt iure naturali, non valent, nisi positiuum valere specialiter iubeat, & ideò nisi adsit expressa dispositio iuris positiui, censeo nō valere, & de prorogatione iurisdictionis idem docuit Azor d. lib. 1. cap. 11. quæst. 7. §. *Tertius casus est.*

15 Deinde fit idem etiam dicendū de mandato ad aliquid agendū, si metu extorqueatur: est enim ipso iure nullum, vt docet Hostien. in c. *Abbas de his quæ vi*, Panorm. ibid. Sarmiento de redditibus Ecclesiasticis, p. 1. c. 4. n. 8. Quāvis contrarium sentiat Azor d. c. 11. q. 10. absq; vllo tamen fundamento. Idem dicendū de licentia ad aliquid efficiendum extorta per metum propter eandem rationem, siue à parocho ad nubēdū, vel ab ordinario ad audiendas confessiones, vel concionādū. Idē etiā dicēdū de dispēsatione, & priuilegijs metu extortis, quandiu vel tacite, vel expresse non confirmātur, nulla enim sunt ipso iure. Quod intellige, quando verè fauores sint, non verò si ob causam, & obsequia præstita compensationis gratia concedantur, hæc enim in eo casu non proficiscūtur ex liberalitate.

16 Idem etiam dicendū de renunciatione beneficij per metū facta cum Glossa, Butrio, Panorm. Sylvest. locis citatis, quidquid sentiat Nauar. in relectione c. *cæterū, de restitut. spoliator.* oppositione 5. Rebel. & Læsius locis citatis, & Azor d. c. 11. q. 9. Nostræ autem sententiæ ratio est, quia renūciatio debet ex liberalitate oriri. Quia renunciatio magis satisfacit gratiam, quam iustitiā, decisio Rotę 706. n. 1. apud Seraph. cum Tiraq. in *l. si vnquā, C. de reuoc. donat.* versicul. *donatione largitus.* Quod etiam intelligendū, quamvis sit renūciatio alicuius fauoris, qua reducatur res ad terminos iuris cōmunis, eadem decisio. n. 3.

cum

cum Iasone. Quare cum aliter nō disposuerit ius positiuum remanet sub dispositione prædicta iuris naturalis. Vnde renuntians tenebitur ad horas canonicas, & non ille, cui beneficiū ex ea renunciatione collatū est, & qui renuntiauit potest ad eius titulū ordinari, non enim beneficium illius esse desinit. Non tamen potest ad eius titulum ordinari, qui ex ea renunciatione beneficiū accepit. Atq; hanc sententiā valde probabilē esse fatentur Nauar. & Lesius locis citatis.

17 Idem etiam dicendū propter idem fundamentum non tantū de obsolutione ab excōmunicatione per metum extorta, sed etiā de reuocatione censuræ ante diem, vel conditionem, sub qua promulgata est propter eandem rationē. Idem etiam dicendū de fide iussione, & institutione hæredis, vel legatis relictis, quando hæc metu extorquentur, cū hæc omnia ad liberalitatem pertineāt, & iure naturali nulla sint. Quod etiam verū habet, quamvis qui eiusmodi actus faciunt, dicant se sponte facere, & non ex metu, vt citatis multis docet Farinac. 1. p. praxis criminalis q. 35. n. 13. & sequentib.

18 Denique idem dicendum est in illis cōtractibus promissorijs, in quibus datur promissio pro promissione. Cum enim illi iure naturali non valeant, vt dixi supra c. 6. & circa eos nihil dispositum fuerit ius positiuū, censentur relicti dispositioni iuris naturalis. Ex quibus etiam iam cōstat obligationem esse restituendi ante iudicis sententiam, & occultam compensationem licitam esse illi, qui coactus contraxit, & dominiū nulla ratione transferri.

An contractus, in quibus datur res pro re, sint iure positiuo irriti, vel rescindendi.

CAPVT IX.

SVMMARIVM.

Prima sententia esse nullos contractus oneroſos ex metu iure ciuili. num. 1.

Oppositū verius, sed rescissionem dari. n. 2.

Opponuntur nonnulla, & diluuntur. num. 3. 4. & 5.

Idem dicendum de venditione, recognitione rerū feudalium compositione facta in carcere, sententia lata. num. 6.

Argumenta Fortunij proponuntur, & diluuntur. num. 7. 8. 9. 10. & 11.

Quædam obseruatio Donelli. num. 11.

1 DOctores illi, quos pro secūda sententia retulimus cap. præcedenti cum vniuersè doceant omnē cōtractum esse iure positiuo irritum, simul docent eos contractus, in quibus datur res pro re, nullos esse iure ipso.

2 Verius tamen existimo contractus illos, in quibus datur res pro re, siue oneroſos, quos iure naturali, valere diximus, valere etiā iure positiuo, dari tamen actionē quod metus causa. Hanc sententiā tenent Doctores illi, quos pro prima sententia retulimus c. præcedenti, cum generaliter doceant cōtractū omnem metu celebratū valere positiuo iure. Et ideò etiam hæc sententia mihi maximè probatur, quia cum vtrunq; ius naturale, & positiuū concordare possumus, nō est cur dissentire dicamus, ne inutiles eos contractus efficiamus. Nulla autem idonea causa est, cur dicamus hos cōtractus, qui valent naturali iure, reddi inualidos iure positiuo. Probat autē hanc sententiam in primis manifesta dispositio nostri Regni *l. 56. tit. 5. part. 5.* ibi: *Por miedo ò por fuerça comprando, ò vendiendo no deue valer, mas deue ser desfecha la venta, ò compra.* Probat etiam, quod si quis adierit hæreditatem ex metu, hæres quidem fit, datur tamen actio, quia subit onera cum lucro tamen. Vnde est ibi contractus rei pro re, & probat text. in *l. si mulier 5. §. si metu coactus, D. de eo quod metus causa*, ab illis verbis: *Si metu coactus adiuit hæreditatem*, & infra, *sed per Prætorem restituendus sum, & l. si metus causa, D. de adquir. hæredit.* ibi: *si metus causa adierit aliquis hæreditatem, datur tamen abstinendi facultas.* Limitanda tamen hæc cōmunis doctrina in alienatione rerum Ecclesiasticarū quæ metu facta nō valet exspeciali iuris dispositione, quæ potuit irritam reddere eam alienationem sic Glossa. in d. c. *Abbas. de his quæ vi.*

3 Verum huic sententiæ opponitur primo text. in *l. 1. C. de rescind. vendit.* ibi, *irrita est*, quæ verba cum sint præsentis tēporis inducunt dispositionē ipso iure. Sed cōmunis Doctorum sententia cum glossa in d. l. 1. verbo *irrita*, interpretatur, irritandam esse.

4 Secundò obijcitur text. in *l. 3. tit. 5. part. 5.* ibi: *Fuerça ni premia no deue de ser fecha à ninguno de vender, è si alguno la fiziesse à miedo, nō valdria.* Sed hæc intelligenda sunt iuxta ea, quæ dispositā sunt in *l. 56. eod. tit.* cuius supra memini mus.

5 Tertiò opponitur text. in *l. qui in aliena, §. Celsus, D. de adquir. hæred.* ibi: *Qui metu verberum, vel aliquo timore coactus fallens adierit hæreditatem, siue liber sit, hæredē nō fieri placet,*

siue

seueruus sit, dominum hæredem non facere. Ergo aditio hæreditatis, quæ videtur esse cũ lucro nõ tenet si metu fiat. Respondetur tamẽ aditionẽ hæreditatis pẽdere ex animo adeũtis *l. pro hærede D. de adquir. hæred.* Quare si desit animus adeundi, non valet. Atq; id insinuat textus, cum dicit, *fallens*, præmiserat enim protestationem se nolle adire. Sic respondet glossa, & sequitur Thomas Sanchez disp. 8. cit. num. 10. in solutione ad 3.

6 Hinc inferes siquis coactus vẽdat, valere venditionẽ mero iure, idẽ dicendũ in recognitione bonorũ fœudalium per vim extorta vt docet Philyppus Decius cõsil. 468. nu. 22. datur enim res pro re quanuis bona libera essent ex vi prioris inuestituræ. Hinc etiã inferes cõpositionẽ factã in carcere cũ reo in iustè detento valere mero iure, infirmandã tamẽ esse, vt docet Farinat. 1. p. q. 5. n. 14. Neq; obstat tex. in *l. qui in carcerem*, de qua sup. c. præcedenti. Illa enim vere restringẽda est ad promissiones, & donationes, vt ibi exponit glossa, nõ verò ad alios cõtractus extẽdenda. Atq; idẽ dicẽdum de sentẽtia metu lata. Quãuis enim Hostiẽsis cẽseat nullã esse sentẽtiã, quæ metu fertur, verius tamẽ esse oppositũ, docet glossa Archidiacon⁹ & Panor. quos sequitur Ioan. Azorto. 1. li. 1. c. 11. q. 8. Deniq; ex his colliges in eiusmodi cõtractibus ante sententiã nullã obligationẽ esse restituẽdi in eo, qui vim intulit, cũ contractus valuerint, sed solũ obligationẽ esse ad restituẽdũ si alius velit. In quo nobiscũ etiã consentit Rebellus loco citato, cũ docet iure naturali valere eiusmodi cõtract⁹ ex sufficiẽti volũtario, quod nõ irritarunt leges. Quibus etiã cõsequẽter addes in prædictis cõtractibus dominiũ trãsferri, idq; citatis alijs docet Thom. Sanc. disp. 8. cit. n. 5. Quorũ ratio facile deducitur ex dictis, quia est sufficiẽs titulus, datur enim res pro re, & sufficiẽ volũtariũ, cũ eo titulo, vt dixi sup. c. 7. & alias per legẽ nõ sũt irriti. Trãsfertur ergo dominiũ.

7 Sed his videtur obstare, quæ Fortunius obijcit, quibus probare cõtendit nõ trãsferri dominiũ. Et quidẽ si de cõtractibus tantũ lucratiuis, & in quibus promissio datur pro promissione sermo esset, recte sentiret, cũ illi cõtractus naturali iure, & positiuo nõ valeãt, vt dictũ est. At quia de hisce contractibus agit, in quibus datur res pro re, oportet diluamus argumenta quæ opponit. Primo ergo obijcit tex. in *l. metum autem præsentem §. voleti D. Quod metus causa, voleti autẽ datur actio, & in rẽ, & in personã, & §. licet* ibi: *licet etiã actionẽ in rẽ dandam existimamus, quia res in bonis eius est, qui vim passus est.* Ergo cũ metum passus habeat actionem ad rem ipsam, & in bonis eius sit, non transfertur dominiũ in accipientẽ. Respondet Thomas Sanchez licet vendens per metũ transferat dominiũ; at in eodẽ instanti de æquitate prætoria restitui vtile eidem vendenti, propter quod res nõ videtur exijsse de patrimonio vẽdentis fictione iuris: quæ solutio fuit etiã glossæ Gosfre. in summa *ti. de his quæ vi*, n. 6. & Pauli in *l. si vin. 2. C. de his quæ vi.* Sed ego non probo istas iuris fictiones, nisi vbi expressa iuris dispositio est. Adde etiam in eo casu nunquam ementem fuisse dominum, & consequenter fit iudicem postea non irritare contractum, vt Thomas Sanchez contendit, sed irritũ tãtum declarare, si ea solutio vera esset. Secundo respondet, & vt ipsi videtur, melius, actionẽ hanc quod metus causa, esse mixtam, quia non tãtum datur aduersus metum inferentem, sed etiã aduersus rẽ ipsam, apud quẽcumq; possessorẽ existat *l. item si cũ exceptione §. in hac actione D. de eo quod metus causa*, & quia qui actionẽ habet ad rẽ, ipsam rem habere videtur, regula *qui actionem 25. de Reg. iuris*, ideo in bonis metũ passi dicitur esse. Verũ tamen hæc explicãda sunt iuxta ea quæ diximus supra c. 7. quod nõ aduertunt Doctores isti, & multis lucẽ afferent, eũ, qui coactus vẽdit, habere actionẽ in rẽ, & in personam; in rem quidem, nõ quia penes illum perseueret dominium, trãstulit enim in emptorẽ; nec quia teneatur emptor statim restituere: sed quia ex ipsa natura ius habet ad petendũ ab emẽte rescisionẽ eius vẽditionis, secluſa etiã quacũq; lege positiua. Et licet emẽs per vim nõ teneatur restituere statim atq; emit, & dominiũ acquisiuit: attamẽ quãdo ille qui coactus vẽdidit, postulat ab emẽte rescisionẽ, iã emptor tenetur reddere, & ab eo tempore caret dominio, & restitutioni obnoxius est, & res perit vendẽti, vt dicebã supra loc. cit. Neq; enim pugnant illa duo, & quod dominium trãsferatur, & quod emẽs teneatur iure naturæ rescindere, quãdocumque coactus venditor postulauerit, vt ibidem explicatum est. Cũq; id optime iure consulti tenerẽt, & intelligerẽt, merito, dixerunt rẽ illam in bonis esse vendentis, quia semper ius habet, vt restituatur, quoties rescisionẽ postulauerit. Quare nõ videtur exijsse de vẽdentis dominio absolutè, & omnino, sed ad tẽpus, quãdiu scilicet, nõ postulauerit rescindi, qui coact⁹ vẽdidit. Cui⁹ appositissimũ exẽplũ est, quod de cẽsu ad certũ tẽpus impositio adducebam⁹ eo loco, atq; hæc doctrina recte percepta valde proderit ad diluẽda nonnulla, quæ alios perturbant.

8 Secũdo obijcit quia res illa restituitur cũ fructibus metũ passo. At si accipiẽs esset verus domin⁹ nõ teneretur fructus restituere, cũ ij sint veri domini. Ergo nõ est trãslatum dominiũ. Respõdetur aliud esse quid statuat ius positiuũ, vt eliminet à republica eiusmodi coactiones, & violẽtias, aliud quid in cõsciẽtiæ foro, & ante sentẽtiã teneatur efficere. In foro cõsciẽtiæ, & ante sentẽtiã nõ tenetur restituere rẽ cũ fructibus, imo nec rẽ ipsam, nisi quãdo alter postulet rescissionẽ, & tũc tãtũ tenetur restituere rẽ sine fructib⁹ perceptis, qui antequã rescissionẽ postularet vẽditor, erãt emptoris, sicut eidẽ etiã res periret eo tẽpore vt dixi sup. cap. 7. At vero iure positiuo per sentẽtiã iubetur omnia restituere, cõceditur enim in integrũ restitutio *c. 2. in fine de his quæ vi*, ibi. *mãdamus cũ integritate restitui.*

9 Tertio opponit. Quia nũquã per traditionẽ absq; iusto titulo trasfertur dominiu *l. nũquã D. de adquir. rer. dom.* hic autẽ nõ est iust⁹ titulus. Et cõfirmatur quia ex defectu tituli nõ adquirit vsurarius, dominiũ, cũ tamen sit cõsensus volũtatis dãtis pro mutuo. Sed hęc ex dictis facile diluũtur. Fatemur quidẽ sine iusto titulo nõ trãferri dominiũ: At hic titulũ iustũ interuenire supra satis ostẽdim⁹. In vsurariũ etiã nõ transferri dominiũ dicimus ex defectu tituli, quia cũ ibi nõ detur res pro re, titulus tãtũ est liberalitas, quæ destruitur coactione, & ideo coactio efficit nullã donationẽ, quia ratione donationis euertit: titul⁹ autẽ legitimus, quãdo datur res pro re, non euertitur coactione, vt satis cõstat ex dictis.

10 Quarto opponit. Quia si trãsferretur dominiũ fundi per metũ vẽditi Titio, si hic anteriores creditores habeat, quibus soluendo minimẽ sit, præferẽtur vẽditores in illo tanquã in bonis Titij, quod falsum esse videtur. Respõdetur facile antequã coactus vẽditor rescissionẽ petat, nõ habet creditoris personã, & ita nõ mirũ, si alij præferãtur infundo per vim vẽdito, & idẽ est ante sententiã iudicis. At quãdo vẽditor rescissionem postulauit, iã ius creditorum in eis bonis locum nõ habet, cum enim desierit emptor esse illorũ dominus, extinctum est, ac resolutũ ius creditorũ in illis; resoluto enim iure dantis resoluitur ius accipientis *l. si ex duobus 6. §. sed & Marcellus D. de in diem adiectione.*

11 Quinto opponit. Quia plus desideratur ad trãsferẽdũ dominiũ rei alicui⁹ in aliũ, quã ad abdicãdũ à se ius, & cõcedendũ alteri, vt cõstat. Sed per traditionẽ metu factã nõ aufertur ius metũ passi, neq; alter ius retinẽdi cõparat. Ergò à fortiori nõ trãsfert dominiũ. Et cõfirmatur, quia si metũ passus propria authoritate bona recuperaret, sine scãdalo, nõ peccaret. Ergo adhuc manet dominus, aliás nõ daretur rei vẽdicatio. Sed iuxta doctrinã nostrã supra traditã hęc facile diluũtur, quia cohærẽt optime illa duo, & quod dominiũ trãsferat, & quod nihilomin⁹ habeat ius ad rescissionẽ cõtractus, si velit is qui coact⁹ tradidit, cũ hæc duo ex diuersis radicibus oriantur, vt explicui c. 7. Quare ex eo quod i⁹ maneat ad petẽdã rescissionẽ, nõ sequitur dominiũ nõ transferre, aut emẽtẽ nõ posse licitè retinere, quouisq; petatur rescissio. Ad cõfirmationẽ autẽ omissa solutione Tho. Sãc. respõdetur ex nostra doctrina facillime, dicẽdũ esse, antequã coactus vẽditor rescissionẽ petat ab emẽte, nõ posse surripere etiã sine scãdalo: eo enim tẽpore alter ver⁹ est dominus, & non habet locũ rei vindicatio. At post quam petijt, cũ emptor iam ex eo tempore teneatur restituere, est locus occultæ compensationi, & vindicationi. Quæ omnia eo exemplo de censu ad diem certũ constituto facillimè explicantur.

12 Illud tamẽ valde præ oculis habẽdũ est, quod docet Donel. li. 15. cõmẽt. c. 39. vt dispositio iuris ciuilis circa act⁹ metu factos lo cũ habeat, necessariũ esse, vt gestũ sit ei⁹ metus causa. Si enim aliquis, quid gesserit ex metu cõpulsus, & deinde sine nouo metu id fecerit, quod expriore illo facto sequebatur, nõ restituetur. Id constat in eo qui ex metu promisit, & postea nullo nouo metu adhibito soluit *l. 2. C. de his quæ vi.* in ea enim solutione restitutio non datur, neq; repetitio *l. 4. C. eodẽ.* Vidẽdus omnino Donel. eo loco vbi explicat tex. in *l. ex eo, de condit. ob turpẽ causam*, qui aduersus hæc opponi poterat.

Quẽ effectũ habeat leuis metus in cõtractibus tã iure naturali, quã positiuo.

CAPVT X.

SVMMARIVM.

Prima sententia extrema refertur, num. 1.
Notatur non cohærentia aliquorum cum suis principijs, num. 2.
Secũda, & tertia sententia sub distinctione n. 3. 4.
Vera sententia, num. 5.
An ex leui metu competat iure naturali actio ad petendam rescissionem, num. 6.
Non competere ibidem.
Obijcitur, & diluitur, num. 7.
An iure ciuili detur actio passis leuem metum, opinio affirmans, num. 8.
Aliorum opinio sub distinctione, num. 9.
Vera sententia, num. 10.

Magna

1 MAGNA est in huius rei explicatione Doctorũ varietas, cũ tamen ex his, quæ dicta à nobis sunt magna etiã huic dubitationi inferatur lux. Prima ergo sententia absolutè docet contractus omnes qui ex leui metu fiunt, nõ valere iure naturæ, & in foro cõscientiæ. Quod tamẽ intelligũt, si & iniuste metus illat⁹ fuerit, & etiã quãdo ad eũ contractũ extorquendũ metus incutitur, quas limitationes adducit Thom. Sanc. disp. 9. n. 7. & 8. & etiã quãdo reuera metus causa est, sine qua non cõsentiret. Hãc sententiã sic vniuersẽ acceptã tenẽt DD. nõ pauci, qui in foro cõscientiæ nullũ discrimẽ agnoscũt inter graue, & leue metũ. Quos sequitur Tho. Sanc. li. 4. disp. 9. cit. n. 4. Paul. Comit. li. 3. resp. sorũ moraliũ q. 2. §. *octauũ quæsitũ*, & q. 3. Rebel. p. 2. li. 1. q. 5. iunctis his quæ docet n. 9. & n. 16. Lesius d. c. 17. dubit. 6. n. 46. Argumẽta horum Doctorum referam paulo post, atque dissoluam.

2 Cæterũ, quidquid sit de sententia ipsa, de qua dicã postea, illud modo discendũ, quod notabã sup. c. 6. nõ rectè neq; cõsequeter Thomã Sanc. disp. 9. cit. n. 4. in vniuersum asserere cõtractus omnes ex leui metu initos non trãferre dominiũ, & obligationẽ restitutionis esse, cũ tamẽ q. 8. n. 4. in vltima probatione dixisset cõtractus nullos etiã ex graui metu nõ esse irritos iure naturali. Si enim non sunt irriti, trãsfertur dominiũ, vt ipse ibidẽ docet n. 5. trãslatio autẽ dominij nõ potest cõsistere cũ obligatione restituẽdi. Nã si restituere tenetur, ergo alienum retinet: ergo non suum, restitutio namque alieni est, non eius quod meum est.

3 Secũdò alij sub distinctione respõdẽt, cõtractus ex metu leui celebratos cũ inferente metũ nullos esse in foro cõscientiæ, & eum qui metum intulit ad restitutionem teneri: At vero si celebrentur cum alio tertio, valere; tertium tamen illum ad restituendum obligari. Sic docet Sarmiento li. 2. selectat. c. 11. à n. 6. ex quo infertur etiam aliam esse dispositionem iuris positiui, & naturalis, quoad contractus ex leui metu celebratos.

4 Tertiò alij aliter distinguũt, docẽtq; primò in cõtractibus lucratiuis, vt in donationibus, & illis, qui ex liberalitate oriũtur, & etiã in illis, in quibus promissio datur pro promissione, si reuera ex metu etiã leui fiãt, dũmodo vanissimæ rei nõ sit nõ tenere iure naturæ, & in cõscientia, nec transferri dominiũ, & accipiẽtẽ ad restitutionẽ teneri. Itaq; si metus etiã nõ cadẽs in constantẽ virũ reuera eã promissionẽ, aut donationẽ inuoluntariã efficiat, ita vt sine eo omnino nõ faceret, redditur omnino nulla ex eo metu. Sic docẽt Sylu. verb. *restitutio*. 2. pronũtiato 7. n. 2. & seq. & DD. omnes primæ sententiæ, & sub hac dist. Ioan. Azor to. 1. li. 1. c. 11. q. 16. Rebel. d. q. 5. conc. 1. Ludou. Lopez 2. p. instructorij c. 40. de matrimonio §. *porro & hic*. Cuius ratio ex eo colligẽda est, quia liberalitati repugnare videtur coactio etiam leuis, vt ostẽdere vidẽtur ea quæ sup. c. 6. allata sunt. Ergo nõ relinquitur sufficiẽs titulus, qui in eiusmodi cõtractibus ex animo desumitur, & affectu, atq; adeo neq; trãsfertur dominiũ. Similiter etiã, cum quis ex metu promittit quod reuera nõ promitteret sine metu, promissio ex parte alterius facta, quæ in cõpẽsationẽ datur, illi nõ placet, neq; grata est. Ergo deest etiã sufficiẽs titul⁹. Nã pro promissione leui etiã metu ex torta nihil datur, quãdo quidẽ qui ex eo leui metu promittit, alterius promissionẽ nihil ad sẽ pertinere vult, vt loco cit. dicebamus. Deinde dicũt eos cõtractus in quibus datur res pro re; etiam si ex leui metu oriãtur, ita vt metus sit finis, & sine metu nõ fierẽt, valere iure conscientiæ, & cõtrahẽtẽ ad nullã restitutionẽ teneri. Quod etiã docet Ioan. Azor loc. cit. & alij supra relati, referũtq; Rebel. pro hac sententia Garciã de cõtractibus li. 2. c. 19. nu. 592. Ratio autem etiã desumitur ex dictis sup. c. 6. Quia etiã cũ eo leui metu est titul⁹ legitimus cũ sufficiẽti voluntario, quia titulus in his cõtractib⁹ nõ nascitur ex voluntario, sed ex æqualitate rei ad rẽ, quæ cũ interueniat in his cõtractibus, vt suppono, nõ est cur dicamus non valere.

5 Verius tamẽ mihi videtur, quod alij vniuersẽ docẽt cõtractus omnes ex leui metu factos valere in foro cõscientiæ, & in eodẽ foro nullã esse obligationẽ restituendi. Sic docet Ioan. Medin. c. de restit. q. 3. causa. 9. vers. *si fiat remissio*, & alij viri docti huius ætatis. Huius sententiæ manifesta ratio, & quę simul viã aperiet ad diluẽda aliarũ opinionũ argumẽta, ex eo desumitur. Quia metus leuis est in potestate patiẽtis metũ, eũq; resistere p̃ potest, nã & is qui operatur ex metu, nõ agit prudẽter. Quare in ei⁹ potestate est in prudẽtiã repellere, habetq; in se sufficiẽs principiũ, vt repellat, & sine metu agat. Quare voluntariè omnino videtur operari qui cũ possit facile repellere, nõ vult. Idẽ cõstat in eo, qui ex metu peccat, & in eo qui ab intrinseco metũ patitur. Ex qua doctrina iã facile cõstat in promissione, vel donatione nõ euerti eo metu titulũ liberalitatis, cũ in ei⁹ potestate sit ex eo metu operari. Cõstat etiã in cõtractibus alijs nõ cẽseri factã iniuriã aliquã, cũ illã à se facile repellere possit, sed potius voluisse il-

lam pati. Ex qua ratione facile euertitur tertiæ sententiæ fundamentum. Atque hanc rationē insinuasse videtur I. C. in *l. nec timorē 7. D. de eo quod met. cau.* ibi. *perinde si quis meticulosus, &c. Quoniā neq; vi, neq; metu factū est.* Vnde leuis metus non habetur ratio in iure *Clement. 1. & 3. de foro cōpetenti.* In quā sentētiā est illud Celsi. *vani timoris nullā esse æstimationē. l. si quis ab alio in principio D. de re ind.* Non est enim metus nisi periculum metuatur: non est autem periculum, quod verē periculum non est, etiam si quis periculum esse opinetur, vt rectè Donel. d. li. 15. ca. 39.

6 Sed quæret aliquis, an sicut cū interuenit metus grauis, detur iure naturali actio, vt is qui coactus cōtraxit, possit petere rescissionē, an idē dicēdū sit in cōtractib⁹ ex leui metu celebratis. Nōnullis videtur affirmādum etiā in hoc casu cōpetere ius, vt possit rescissionē petere in foro cōsciētiæ, & teneri iure naturali rescindere eū, qui cū coacto contraxit, quia inferēs metū leuē intulit etiā iniuriā. Verū ex supra dictis cōstat nullius cōsiderationis esse iniuriā eā, quæ infertur per leuē metum, imo neque iniuriam iudicandam esse, cū in operātis potestate sit eū metū facile repellere, vt explicatum est.

7 Huic tamē nostræ sentētiæ obstare vidētur ea argumēta, quibus Doctores primę sententiæ in vniuersum sibi persuadēt esse obnoxia restitutioni, quæ leui metu extorquētur, tā in cōtractibus onerosis, quā lucratiuis. Objiciūt itaq;, quia metu leui cōtractum extorquēs reus est iniustitiæ, cū à renitēte dare ré accipiat. Ergo tenetur restituere reducēs rē ad pristinū statū, restituensq; quod accepit, & accipiēs, quod dedit, alias nō reduceretur res ad æqualitatē. Et confirmatur. Quia qui metu cogitur, priuatur per iniuriā sua libertate. Ergo debet in pristinū statū restitui, vt probet vel improbet cōtractū, & ipse ius habet hūc statū sibi assumēdi, & quę gesta sunt, cōfirmādi vel improbādi. Hoc est præcipuū fundamētū, quo vtūtur Comit. Thom. Sāc. Rebel. & Læsius. Huic argumēto nōnulli respōdent eo ipso, quod in cōtractibus onerosis datur res pro re, nō esse cōmissam iniustitiā in re ipsa, quia nō seruauerit æqualitatē, seruasse enim supponitur inter rē, & rē: & hæc æqualitas seruata cū volūtario ad peccatū sufficiēti satis est, vt cōtract⁹ ille valeat in cōsciētia, & vt trāsferatur dominiū, nā in eo nulla iniustitia cōmissa est. Solū ergō dicūt iniuriā factā esse personæ, quatenus contra eius ingenitā libertatē factū est. Ex eo autē solū oritur, quod is, cuius libertas læsa est, habeat ius petēdi rescissionē cōtractus, si voluerit, & alter ratione iniuriæ illatæ personæ teneatur rescindere, vt dictū est. Facilius tamē, & verius iuxta dicta respōderi potest, nullius cōsiderationis esse iniuriā illatā ex leui metu, cū operās in sua potestate habeat se ex eo metu liberare, & sufficiēs principiū intrinsecū eā iniuriā repellēdi, vt explicatū est. Neq; est simile nostro casui id quod adducit Thom. Sanc. de læsione intra dimidiū iusti pretij, in qua læsione nō datur actio iure ciuili, & tamē restituere tenetur excessū is qui cōtraxit. Est enim lōge diuersa ratio. Quia in eiusmodi læsione nō fuit æqualitas rei ad rē, vnde tenetur ad æqualitatē reducere, defuit enim iustus titul⁹ accipiēdi excessum illū, cū nihil pro eo dederit, & ideo est naturalis obligatio restituendi. At in nostro casu est sufficiēs titul⁹ ex vna parte, cū detur æquale pro æquali, & ex alia parte nō est illata personæ iniuria, quæ sit alicuius considerationis, vt explicatum est.

8 Superest dicamus, quid sentiendū sit iure positiuo, an actus ex leui metu sint irriti, vel irritādi? Nōnulli existimant, siue cōtractus fiat cū eo, qui metū infert, siue cū alio, licet iure positiuo nō detur actio, quod metus causa, sucurri tamē officio Prætoris, & rescindi cōtractū. Sic citatis alijs docet Tho. Sanc. disp. 9. cit. n. 5. & 6. cui⁹ ratio est. quia æquū nō est iudicē pati, vt metū etiā leuem inferens commodū ex culpa sua reportet.

9 Secūdo alij sub distinctione respōdēt sc. licet, si cōtractus ineatur cū eo, qui metū incussit, sufficere metum leuē, vt rescindatur per iudicē. At si cū alio tertio ineatur, plane requiri, vt metus sit cadēs in virū cōstātem. Sic docet Sarm. li. 2. select. c. 11. à n. 6. Cæterū hāc doctissimi viri distinctionē vix percipio: quod ista cōsideratione sic explico. Nā vel ille metus incussus à tertio est, cooperāte etiā eo, cū quo cōtrahit: & sic cōmunis Doctorū sentētia est eodē modo iudicandū esse de vno atq; de alio, vt multis citatis docet Farinac. 1. p. praxis q. 35. Similiter si, licet is cū quo cōtrahetur, nō fuerit particeps met⁹ incutiēdi, attamē cōtract⁹ metu initur ad instātiā incutiētis metū, qui eo fine incussit, etiam in eo casu est communis Doctorū sententia, eandē esse rationē vnius, & alterius, & quidē merito. Quid enim refert in vtilitatē tertij cedere contractū, & non in vtilitatē inferentis metū, si reuera eo fine infertur, vt citatis multis, docet idem Farinacius ibidē. Si autē neque is, cū quo cōtrahitur, particeps fuit in metum incutiendo, neque ad eum finem incutitur metus, valebit iure naturali, & humano contractus ille, quia nō

censebi-

cēsebitur neq; cēseri potest ex metu factus, vt manifestū est, & sic affirmat cōmunis sententia, quā docet Farinac. ibi. nu. 3. contractū initū ab incarcerato, etiā iniustē, cū alio tertio ab incarcerante, si neq; particeps fuit in carcerationis, neq; ad eum finem incarceratus est, quod est fieri ad instantiam incarcerantis, valere mero iure, & tunc neq; rescissionem dari; atque ideo dixi me nō assequi, in quo discrimen illud constituatur.

10 Deniq; alij sentire videtur nullā iure ciuili rescisionē dari in his, quæ ex metu leui gesta sunt, sed ea valida semper iudicari. Id quod indicare videtur Paulus Comit. li. 3. respons. moral. q. 3. & sic intelligit omnia iura, quæ solū ad rescisionē petūt metū cadentē in virū cōstātē. Nō enim inquit audiūtur in iudicijs, qui obijciūt metū leuē, quod existiment iudices eiusmodi metū nō fuisse causam rei gestæ: tū etiā ne fora litibus compleātur. Nec verò necessariū est, vt eiusmodi metū passis subueniatur officio iudicis, cū, vt explicatū est, nulla aut fere nulla illata sit iniuria, quæ cōsiderari debeat ob rationem sæpius assignatam. Quare, eum qui ex leui metu operatus est, non tam metum ab alio passus fuerit, quam sibi ipsi metum intulerit, siquidē in sua potestate habuit ex principio intrinseco sufficienti eum metum repellere, nō succurritur edicto prætoris. Nec enim illud pertinet ad eum, qui sibi metum infert. Quod mihi probabilius videtur.

Quid dicēdū de his, quæ ex metu reuerētiali fiunt, iure naturali, & positiuo?

CAPVT XI.

SVMMARIVM.

Proponitur quid agendum, num. 1.
Variæ opiniones, num. 2.
Vera sententia de gestis ex metu reuerentiali iure naturæ, num. 3.
Quid iure ciuili, num. 4.
Renuntiationem hæreditatis paternæ, ex metu reuerentiæ nullam esse, num. 5.
Neq; fidei iussionē vxoris pro marito, num. 6.
Neque promissionem de soluendis debitis factam ab vxore, vel filio, num. 7.
Contractus oneroſos valere iure positiuo, etiam si fiant ex metu reuerentiæ, num. 8.
Quid dicendū de cōcessione vectigalium, nu. 9.
Quid quando metui reuerentiæ adiungitur enormis læsio, num. 10.
Vera sententia, num. 11. 12.
Soluuntur contraria. num. 13.
Quid in professione ex metu reuerentiæ, nu. 14.
Vera sententia, num. 15. 16.
Soluuntur contraria, num. 17.
Quid de consensu præsumpto, quando ex metu reuerentiæ filius tacet præsente patre, num. 18.
Vera sententia, num. 19. 20.

1 IAM supra c. 5. explicatū est reuerētiale metū graue esse. Quare iā facile constabat quid dicēdū esset de gestis ex metu reuerētiali, iuxta ea, quę de cōtractibus ex graui metu celebratis dicta sunt capitibus præcedētibus. Sed quoniā ea, quæ ad morum doctrinā pertinēt, magis in speciali tradēda sunt, vt facilius multis casibus applicetur, ideo in specie explicare placet, qui actus ex metu reuerentiali valeant, qui verò sint inualidi.

2 Primò ergo nōnulli affirmant vniuersē gesta ex reuerētiali metu nulla esse. Sic non nulli, quos refert Thom. Sāc. disp. 6. n. 2. Deinde alij secūdo dicūt, metū reuerentialē in vniuersum nullū contractū irritū reddere. Sic innumeri, quos refert, & sequitur Thomas Sanc. ibi. n. 4. quāuis disp. 9. n. 11. cēseat extorta per metū reuerētialē obnoxia esse restitutioni, quæ tamē parū inter se cōsonant, vt dixi c. 6. & præcedēti. Tertiò alij sub distinctione respōdent, metū reuerētialē Patris efficere nulla, quæ ex eo metu gesta sint, nō verò metū reuerētialē aliorum. Sic non nulli, quos refer idē Thom. Sanc. ibi. n. 2. Deniq; alij aliter distingunt, scilicet cōtractum initum cum eo, cui debetur reuerentia, nullum esse, non verò si celebretur cum alio, ex metu tamen reuerentiali alterius. Sic alij quos idem author refert num. 3.

3 Ego tamē iuxta doctrinā traditā capitib⁹ præcedētibus aliter distinguendū existimo. Dico igitur primò. Illi cōtractus, qui ex liberalitate pēdēt, vel in quibus datur promissio pro promissione, si fiāt ex metu reuerētiali, inualidi sunt naturali iure propter rationē sæpius in præcedētibus traditā. Quia in eiusmodi actibus ex graui metu euertitur titulus legitimus; metus autē reuerētialis grauis est, vt dixi sup. c. 5. Secūdo dico. Illi cōtractus, in quibus datur res pro re, etiā si fiāt ex metu reuerētiali, sunt iure naturæ validi: remānet tamē ius penes coactū, vt possit rescisionē petere, & qui accepit à coacto, tenetur iure naturali rescindere. Quæ omnia cōstāt ex dictis, neq; contra illa aliquid obijci potest, quod sit alicuius momenti. Vnde in his cōtractibus nulla erit in accipiēte restitutionis obligatio, an' equā qui coactē cōtraxit, rescisionem petat. Eodē modo philosophatur Ioannes Azor lib. 1. c. 11. q. 17.

14 Si verò inquiras, quid dicēdū sit de gestis ex metu reuerētiali spectato iure ciuili. Ego

quidē eodē modo procedendū existimo, & sub eadē distinctione, ea scilicet, quæ ex liberalitate procedūt, irrita esse iure positiuo si fiāt ex reuerētię metu. Hinc promissio liberti ex metu patroni facta nulla est *l. 1. l. quæ onerandæ D. quarum rerū actio non detur.* Hinc etiam donatio eo interueniente metu nulla censetur *l. 1. D. de furtis.* ibi, *sed furtum censetur, si patronus auferat etiam sciente, & consentientæ seruo.*

5 Atq; ex hac prima parte nostræ sentētiæ colligitur primo renuntiationē hæreditatis paternæ factā metu reuerētiali nullā esse in foro cōscientiæ, teneriq; patrē hæreditatē restituere filio, aut eius possessorē, si illi cōstet de reuerētiæ metu, nec posse facere fructus suos. Sicut de possessore malę fidei indubitatū est. Vnde si nō restituatur, potest sibi occulte cōpēsationē facere, idq; citatis alijs docet etiā Thom. Sāc. disp. 9. n. 13. Adde tamē idē dicendū esse in foro externo, quidquid ipse cū alijs dicat ibidē. Ratio, quæ me mouet, hæc est. Quia metus reuerētialis etiā seclusis minis grauis est, vt dixi sup. c. 5. At metꝰ grauis eiusmodi cōtractꝰ, aut actꝰ, qui ex liberalitate procedūt, nullos efficit iure naturali, vt ostēdi sup. c. 6. Ergo ea renūtiatio iure naturali nulla est. Id quod, si cōsequēter loquere tur, cōcederet etiā cum dicat etiā leui metu extorta obnoxia esse restitutioni. Cūq; nihil ius positiuū disposuerit, quo decernat eā renūtiationē metu reuerētiali factā valere, neq; expresse, vt cōstat, cū nulla afferatur dispositio, neq; in genere, qua dispositū sit facta ex metu reuerentiali valere, plane videtur actus eiusmodi relinqui dispositioni iuris naturalis, atq; adeo esse nullos. Quę ratio etiā applicāda est his, quæ subijciam, ne sit opus in vnā quaq; illatione eam repetere.

6 Secūdò colligitur vxorē simili metu reuerētiali cōpulsam ad vitāda iurgia, si fideiubeat pro viro, nō teneri in foro animæ ex illa fideiussione, quāuis seruatæ sint omnes iuris solēnitates, vt ea fideiussio valeat. Vnde & potest sua bona, abscōdere, & occultē cōpēsationē facere, si accipiātur ab alio, maritusq; tenetur dāna resarcire, vt docet etiam Thom. Sāc. ibi. n. 14. citatis alijs. Quæ autē iuris solēnitates requirātur ad fideiussionē alio loco differēdū est. An etiā valeat, si firmetur iuramēto, petēdū est ex his, quæ dicā infra li. 12. vbi generalē doctrinā trademus, quādo actus iure nulli firmētur iuramento. Hæc autē vera sunt nō tantū in foro animæ, sed etiā in foro externo, vt dicebā modo, & propter eādē rationē. Vera etiā sunt, quāuis in ea fideiussione dicatur se spōte, & nulla vi cōpulsam fide iubere. Eodē enim timore, quo inducta fuit ad fideiubēdū, cēsetur inducta ad affirmādū, quod spōte fideiubeat: licet reuera per metū faciat. Vnde per clausulam *sponte*, probari nō potest actū spōte factū, vt citatis multis docet Farinac. 1. p. q. 35. a. nu. 13. dicitq; esse communem sententiam.

7 Tertiò colligitur idē dicēdū esse, si vxor viro morti propinquo, exigētiq; vt ipsiꝰ debita soluat, promiserit ex reuerētiæ metu se solutura debita, nō enim tenetur soluere, tū quia fideiussio illa est sine solēnitate aliquatū etiā quia licet fideiussio sine solēnitate valeret, at in hoc casu promissio hæc, & in foro cōscientiæ, & in externo nulla est iuxta dicta. Similiter si filius ex metu reuerentiali paterno vel materno ad ipsorū instantiā, eorumq; indignationē timēs, promittat debita soluere nō tenetur in foro animæ, neq; etiā in foro externo propter rationē dictā. An autē si sine metu promittat, teneatur soluere, examinat Thom. Sanc. disp. 9. n. 16. Idē dicēdū de testamēto cōdito, hęrede relicto ex metu reuerentiali, & legatis, cū fine vllo onere relinquūtur, & de impediēte legatū per metū reuerētię, sicut, & de precibꝰ importunis dicā c. sequēti. Idē dicēdū in remissione debiti, aut partis debiti, si creditor metu inductus remittat. Idē dicēdū in prorogatione tēporis cū mutuo aliquid datur, vt supra etiā diximus. Horū omniū eadem ratio est. Quia cū actus isti ad liberalitatē petineāt, in qua requiritur plenū volūtariū pro legitimo titulo, cum ex graui metu iniustē miscetur in uolūtariū, tollitur titulus liberalis donationis, atq; adeo in foro animæ nullius momenti sunt. Cumque neque in genere, neque in specie ius positiuum definiat huiusmodi actus ex metu reuerentiæ valere, relicti sunt sub dispositione iuris naturalis.

8 Secūda pars nostrę sentētię est. Illi cōtractus, in quibus datur res pro re ex metu reuerētiali facti valēt iure positiuo præcisē ex ea radice, rescindētur tamē sicut alij autoritate Prætoris, id quod etiā docuit Comit. 2. p. de cōtract. c. 11. n. 6. Hinc in *l. fideiussor §. Pater D. de pignorib.* valet obligatio domus ex metu reuerētiali facta. Dixi *præcisē ex ea radice metus reuerentialis*, nā si cū metu reuerentiali aliquid aliud cōiūgatur sufficiēs irritare cōtractꝰ eos, in quibꝰ datur res pro re, nulli erūt nō ex metu, sed ex alio capite, aut si in eo casu esset peculiaris aliqua iuris dispositio.

9 Ex hac secūda parte nostræ sentētiæ recte colliges cōcessionē vectigaliū, aut noui tributi, quæ comitijs coactis fieri solet, etiā si extorqueatur metu reuerētiæ, aut quouis

alio

alio graui, valere quidē in conscientia, nec Principē obnoxiū esse restitutioni. Illa enim cōcessio nō pertinet ad liberalē donationē, arq; ideo neq; exigit plenū voluntarium. Ea enim tributa Regi cōceduntur, quo & regnū tueatur, & regni hostes debellet, aliisq; publicis necessitatibus subueniat. Vnde nec etiā iure positiuo est ea cōcessio irrita. Imo si causæ, quæ ad exigendū tributū requiruntur, sint verē iustæ, & aliter illis necessitatibus cōmode subueniri nō possit, nec peccat Princeps vim inferēdo Regnorū procuratoribus; neq; enim ea vis aut metus iniust⁹ esse potest, si causæ iustæ sunt exigendi tributa. Quod multo magis locum habet, si vectigalium impositio non dependeat ex populi cōsensu, vt insinuaui 1. p. variar. disp. select. 1.

10 Ex his quæ hactenus dicta sunt facile erit explicare quid dicendū sit in nonnullis casibus, de quibus Doctores disputant. Primus est quādo metui reuerētiali adiungitur enormis læsio. In hoc enim casu Arctinus in *l. interpositas C. de transact.* n. 4. Padilla ibi. n. 21. & qui alios refert Burgos de Paz consi. 5. n. 11. existimāt contractus quoslibet, excepto Matrimonio, de quo postea, si enormis interueniat læsio, valere nec rescindi. Probāt ex c. *Quanuis pactū, de pactis in 6.* vbi filia patri pactū fecit, (ecce metū reuerentialē) & renūtiauit integræ hæreditati Patris, (ecce læsionē enormē), & tamen si ad reuocandum contractum allegetur metus, aliunde probandus est ex textu ibi, *non vi id est, metu.* Ergo ex metu reuerentiali cum enormi læsione non rescinditur contractus. Idem probatur ex *c. cum contingat de iure iurando.*

11 Mihi tamen verius videtur inprimis quæstionē hāc nō habere locū in cōtractib⁹ lucratiuis, aut gratuitis, qui liberē facti non reuocātur prætextu læsionis, læsio enim solū cōsideratur in cōtractibus vel respectiuis, vel in quibus lucrū speratur. Qui vero renūtiat, fideiubet, donat, nihil sperat, vnde non potest læsus dici, iam enim à principio sciebat gratis se id facere sine mercede aut spe lucri. Quare istæ cōuentiones ex nulla læsione reuocātur, nisi ad eas ineundas quis vel propter lubricū ætatis, vel propter dolum fuerit inductus aut ex metu graui. Sic Molina li. 2. de Primogen. c. 3. n. 30. Gutier. *in authentico, sacramenta puberū* n. 118. Surdus consil. 46. li. 1. Thomas Sanch. li. 4. disp. 9. n. 16. sicut, & remedium *l. 2. C. de rescindenda vendi tione* non habet locum in cōtractibus gratuitis, vt docet Pinelus in d. l. 2. p. 2. c. 4. n. 4.

12 Deinde videtur etiā in cōtractibus non gratuitis verius esse ob enormē læsionē cum metu reuerētiali rescissionē dari, vt cū Castrēsi, & alijs testatur Abbas in *c. cū contingat de iure iur.* n. 7. Couar. 2. p. de Matrim. c. 3. §. 6. n. 4. & in *c. Quānis pactū, de pactis* n. 6. Fachin. li. 2. cōtrouers. iuris c. 96. At id nō nascitur ex metu reuerētiæ, sed ex dolo. Enormis enim læsio dolū arguit re ipsa, qui perinde cōtractui nocet, ac si fraudātis cōsiliū interueniisset *l. siquis 36. D. de verb. oblig. l. 5. C. de dolo.* Hic ergo dolus est qui reuocat cōtractū, nō metus, met⁹ enim ratio nō efficit nullos eiusmodi cōtractus, vt dictū est sup. c. 7.

13 Neq; huic sentētiæ obstāt ea quæ adducūtur ex dicto c. *quānis, & c. cū cōtingat.* Tum quia ex dictis capitib⁹ nō cōstat adfuisse metū reuerēriale. Neq; enim ex eo quod filius cū Patre vel pro Patre contrahat, metus deprehēditur, sed sola reuerētia quæ multū distat à metu, vt dixi sup. c. 5. Tū etiā in actibus, de quibus in illis capitib⁹ sermo est, scilicet renūtiationis, fideiussionis, & hypothecæ, nō attēditur enormis læsio, sicut neq; in alijs gratuitis. Vnde merito Pōtifex, cū neq; esset metus reuerētialis, neq; ibi locū haberet enormis læsio, dixit aliūde probari debere metū. Addē etiā nō esse certū ex enormi læsione probari metū, quānis alij contrà sentiāt. Authores pro vtraq; parte refert additionator Seraphini de priuilegijs iuramēti: priuilegio 110. nu. 17. & 19.

14 Alter casus est in professione religionis, in qua præter emissionē votorū interuenit cōtractus cū religione, & obligātur mutuò, vt dicā infra li. 7. cū de impedimēto voti sermo fuerit, arq; adeo valere deberet ex metu, sicut alij contractus, in quibus datur res pro re. Nōnulli existimāt eiusmodi professionē metu reuerētiali factā valere, & nō esse rescindēdā, vel declarandā irritam. Sic citatis alijs Thomas Sanchez li. 4. disput. 6. q. 2. n. 18. quam sequuntur etiam alij Recentiores. Argumenta adducam statim.

15 Attamē mihi semper verius visum est inprimis, si loquamur spectato tantū iure naturali, professionē ex metu reuerētiali factā nō valere, sicut neq; factā ex graui metu. Idq; probo ista cōsideratione. Nā in professione duo interueniunt, & promissio Deo facta per vota, & contractus cum religione quo se totum religioni tradit, veluti si quis se venderet, aut traderet in seruum cum id licuit. Si autē spectes votorū obligationē, nō esset ea obligatio iure naturali irrita, votū enim etiā ex metu graui factū valet nō solū iure naturali, sed positiuo, vt dicā infra

lib.7. cum sermo fuerit de impedimento ordinis. At ex parte illius contractus qui interuenit cum religione, cum sit ex respectiuis, tradit enim se professionem emittens religioni, & religio etiam obligatur, non videtur subsistere iure naturali, si fiat ex graui metu: eo autem contractu non subsistente non potest votorum obligatio consistere, vt notum est. Quod autem subsistere nō possit, si ex metu ea traditio fiat, sic videtur ostendi. Quanuis in isto contractu ex mea parte sit traditio, at ex parte religionis est promissio obligationis in futurum. Quæ promissio datur in compensationē traditionis factæ per professum. At sæpe diximus supra cap.6. promissionem debere esse rei vtilis, & gratæ acceptāti, vel ei, cui fit promissio. In hoc autem casu non est vtilis, neque grata, qui enim se inuitus tradit, non vult acceptare, neque iudicat aliam promissionē sibi gratam, neque vtilem, quin potius reijcit, & molestè fert. Ergo naturali iure non subsistit eiusmodi professio.

16 Deinde existimo neque iure positiuo valere. Sic olim docui cum Nauarro in summa cap.20.num.51. & *in cap. non dicatis 12. quæst. 1.* & innumeris alijs, quos refert Thomas Sanchez loco proxime citato nu. 17. Et probatur inprimis ratione deducta ex supradictis. Quia reuerentialis metus, quem explicuimus, grauis est, vt dixi supra cap.5. sed professio ex metu graui facta nulla est iure positiuo *cap. perlatum cap. cum dilectus, de his quæ vi.* Ergo etiam facta ex reuerentiali metu. Deinde specialiter probatur de metu reuerentiali ex *cap. puellæ 20. quæst. 1.* vbi nulla dicitur professio eius, quæ profiteretur coacta parentum imperio à contrario sensu, vt inducit Clemens Tertius *cap. cum virum de regularibus.* Cum enim dicitur coacta parentum imperio indicatur, non solum ex obedientia præcepti paterni habitum suscepisse, quia solum ex præcepto agere non esset metuere, sed in præcepto coactionem interuenisse, qualis oritur ex metu reuerentiali, iuxta dicta supra cap. 5. Idem videtur colligi ex *capit. præsens 20. quæst. 5.* sed magis pro hac sententia facit declaratio Cardinalium inter illas, quas excusit Farinacius. Nam sessione 25. de regularibus ca. 11. §. 2. sic habetur: *obtenta est causa cuiusdam dominæ ad annullandam professionem ex metu reuerentiali factam anno 1586. mense Februarij in Rota coram Domino Oradino.*

17 Neque obstat quod pro se adducit Thomas Sanchez ex *cap. fin. qui clerici vel vouentes.* In eo enim cap. ex duobus principijs decernit Pontifex matrimonium esse nullum post professionē ab illa fœmina emissam. Primum est quia nulla vel modica coactio fuerat, vt ex ipsa integra manifestè constat. Tantum enim abest, quod Regio, vel parentum mandato coacta fuerit professionem emittere, quod vbi Rex eius animum resciuit, illum approbans seuera adiecta pœna præcepit, vt nullus eius domum intraret ea nolente, neque inde aliquid exportaret. Professa enim fuerat ea lege, vt liceret sibi in domo remanere cum sua substantia, ad vsum, scilicet, pro vitæ tempore, quod cum statu religioso non pugnat. Imo, cum quidam, qui illam ducere volebat vxorem, ea nolente eius domum intraret, vt eam vi duceret vxorem, illa respondit: hoc si fieret proprijs sibi manibus necem illaturam, & ne fieret dimisisse omnia, ac latuisse, donec videns se destitutam atque coactam, tandē nupsit. Vis ergo potius illi afferebatur, vt nuberet, non vt voueret. Quare recte Pontifex iudicauit eiusmodi fœminam nulla aut modica coactione perculsam. Secundum caput, ex quo Pontifex nullum decernit matrimonium est, quia etiam si inuita votum emisisset, attamen cum biennio in eodem habitu permansisset, tam diuturno silentio videtur excluſa metus probatio. Quare ex hoc cap. nescio quid inferat Thomas Sanchez pro sua sententia, cum ibi nullo Regis, aut consanguineorum metu coacta professa fuerit. Adde aliud esse operari ex præcepto Regis aut Parentum, aliud ex metu, quæ author iste non distinguit. Agere enim ex præcepto, & reuerentia sine vllo metu esse potest.

18 Tertius casus est, in quo valde se torquent nonnulli recentiores, dum explicare volunt, an solus metus reuerentialis annullet consensum præsumptum, si præsente patre, & contrahente pro filio, filius taceat. Quidam nullum esse eiusmodi contractum dicunt. Nam, cum is qui tacet, non vere, sed iuris præsumptione dicatur consentire, regula. *Is qui tacet in c. & l. Qui tacet 185. de reg. iur.* hæc præsumptio consensus eliditur per contrariam, quæ ex metu reuerentiali resultat. Probantque ex *l. penul. D. de furtis.* Sic multi, quos refert Thomas Sanchez disput.6.num.35. Alij contendunt taciti, & expressi consensus eandem rationem esse. Idque probant ex *cap. vnico de desponsat. impub. §. fin. in 6.* vbi sponsalia valent contracta à patre præsente, & tacente filio. Denique

alij,

alij, quos refert, & sequitur Thomas Sanchez ibidem n. 37. sub distinctione respondent, scilicet, eum actum, qui fit consensu tacito, irritari per metum reuerentialem, si sit præiudicialis tacenti, aliàs secus. Quia tacens solum consentire videtur, in his quæ sauent, non in his quæ præiudicium afferunt. Sed adhuc primam partem distinctionis limitat Thomas Sanchez, vt intelligatur, quãdo reuera non consensit interius; nam si reuera interius consentiret, licet ex metu, valeret contractus etiam si taceret. Sic docet eodem num. 37. in fine, & nu. 38.

19 Cæterum Doctores isti non satis rẽ istam explicasse videntur. Quare vt exactè explicem, & consequenter ad ea quæ dicta sunt, meminisse oportet eorum quæ dixi supra lib. 2. cap. 14. taciturnitatem esse signũ sufficiens consensus in aliquibus. Idque satis probatur ex d. *cap. vnico §. fin. de desponsat. impub. in 6.* siue Pater siue extraneus contrahat. Ex quo fit tacere alio præsente, & contrahente, cui debetur reuerentia, non esse signum metus reuerentialis, vt constat ex eodem textu. Quare ex alijs signis inuestigandus ille metus erit. In alijs autem taciturnitas non est signum sufficiens consensus, vt tradunt Doctores in regula, *qui tacet in 6.* Quare inutiliter huic quæstioni decidendæ ea distinctio adhibetur. In his enim, in quibus non præsumitur esse signum cõsensus, qualia sunt, quæ præiudicium afferunt, quid refert interuenisse metum; si enim aliàs in illis taciturnitas non significat consensum, à fortiori præsente metu non significabit. Quare solum quæstio est, an in his actibus, in quibus taciturnitas præsumitur signum consensus, in his inquam, si adsit metus reuerentialis, & ob eum metum quis taceat, an nulletur actus.

20 Quare dicendum est iuxta dicta in præcedentibus. Si tacet aliquis ex metu reuerentiali in his, in quibus tacens habetur pro consentiente, siue sit actus lucratiuus, siue detur promissio pro promissione, eodẽ modo nullum est iure naturæ, & positiuo, sicut si expressè ex metu reuerentiali consentiret. Illi verò actus, in quibus datur res pro re, ex metu reuerentiali facti ipso tacente valent, rescinduntur tamen actione quod metus causa. Si vero sit professio, quia pro traditione datur promissio, vt supra dicebamus, etiam nulla est iure positiuo, & naturali. Quod non prouenit ex eo quod taceat, sed ex eo quod metus incussus fuerit: qui sicut sufficiens fuit ad extorquendum consensum ab inuito, coegit etiam vt taceret. Neque alicuius considerationis est limitatio, quam affert Thomas Sanchez. Quod enim interius consentiat, vel non consentiat, parum refert, cum supra ostenderimus lib. 2. cap. 4. omnes contractus excepto matrimonio perfici ficto consensu. Quare tantum attendenda est coacta voluntas tacendi, quod fuit signum exterius consensus. Is enim metus, qui sufficeret efficere, vt exterius proferrentur verba, quibus perficeretur contractus voluntate insufficienti ad cõtractum, sufficit etiam ad efficiendum, vt voluntatẽ tacendi coacta non perficiatur contractus. Is vero metus, cum quo voluntas proferendi verba sufficiens esset, non tollit, quominus sit etiam sufficiens voluntas coacta silendi. Vidi DD. de metu reuerentiæ desserentes apud Seraphinum de priuil. iuram. priuil. 110. in addit. num. 11. & 12.

Quid dicendum, de his quæ fiunt ex precibus importunis, iure naturali, & positiuo.

CAPVT XII.

SVMMARIVM.

Quid agendum, num. 1.
Quorundam opinio, num. 2.
Obseruatio quædam præmittitur, num. 3.
Explicatur vera sententia spectato iure naturæ, num. 4.
Et iure positiuo, num. 5.
Auctoritate multorum probatur ibidem.
Corollarium primum, num. 6.
Quid de eo, qui precibus importunis virginem corrupit, num. 7.
Quid de licentia extorta à religioso, num. 8.
Quid de licentia extorta ab vxore, num. 9.
Quid de eleemosyna obtenta precibus importunis, num. 10.
Quid de pertrahente ad ludum per importunas preces, num. 11.

1 IAM supra cap. 5. explicatum est, an, & quando preces importunæ, censeri debeant grauis metus, quæ hoc loco reuocanda sunt in memoriam. Et quanuis iuxta doctrinam traditam facile erat intelligere, quid dicendum esset in quæstione proposita, attamen, vt magis in speciali tradatur, & nonnulla alia explicentur, placuit sigillatim rem istam examinare.

2 Primo ergo nonnulli affirmant valere naturali iure, & positiuo contractum extortum precibus importunis: attamen rem precibus importunis obtentam obnoxiam esse restitutioni. Sic docet cum alijs Thomas Sanchez, si conferantur ea, quæ habet li.4.disput.7.& 10.n.2. eam autem sententiam intelligit, quando reuera preces importunæ fuere causa contractus, non vero occasio, vel initium, sed omninò alias non contraheret, sic enim omnes loquuntur.

3 Mihi tamen sub eadem distinctione loquendum videtur. Sed prius quam distincte proponam, quid sentiendum sit, nonnulla certa præmittam. In primis valde ridiculum esse asserere omnia, quæ importunis precibus obtinentur esse nulla. Sæpè enim importunæ preces occasionem aut initium faciendi præbent, illis autem præmissis sine vlla violentia operantur multi. Alij vero volunt se grauari precibus supplicantium, & ne minor sit rogantium turba, vt dicebat Seneca, differunt promissa, & vt id quod cõcedunt pluris æstimetur. Atque id existimo respexisse complures, qui absolutè docent preces importunas non vitiare actum, quia, scilicet, illis durum videtur asserere omnia, quæ precum importunitatè extorquentur, nulla esse. Similiter etiã certum est, quę potest Princeps suo iure imperare his, quos regit, multo æquius posse importunis precibus eadem impetrare, atque adeo extorquere, nullum enim in hoc iniuria afficit, cum suum ius prosequatur. Similiter etiam, qui vt suæ suorumque necessitati opem ferat, importunis precibus impetrat, quæ sibi debentur, aut charitatis aut iustitiæ titulo, nullo illa quæ impetrantur vitio laborant, sed firma sunt: siquidem illi, qui rogati faciunt, suo muneri satisfaciunt, dum largiuntur. Similiter etiam certum est, siquis ad importunas preces adiungat dolos, & mendacia, vt hoc artificij genere author sit alteri ad contrahendum, eiusmodi contractus nõ valere ob errorem, & dolum, qui dat causam contractui, vt dicam infra isto lib.

4 His suppositis mihi videtur sub eadẽ distinctione loquendum. Primum spectato iure naturæ non valere illos actus, qui ex liberalitate procedunt, aut in quibus datur promissio pro promissione, vt iam sæpe dictum est. Nam etiam hi contractus ex metu graui nulli sunt iure naturæ, vt supra probatum est: importunæ autem preces grauem metum inferunt. At vero illi actus, in quibus datur res pro re valent iure naturali, sicut diximus de illis, cum fiunt ex metu graui supra capit.7. Habet tamen ius is, qui importunis precibus deuictus est vt rescissionem petat, & alter eo petente rescindere tenetur. Pro hac sententia quoad primam partem numerari possunt quicunque docent obnoxia esse restitutioni, quæ importunis precibus obtinentur si consequenter loquantur, & etiam illi, qui dicunt trahentem ad ludum per importunas preces teneri ad restitutionem eius, quod amittit in ludo, qui importunis precibus coactus est, qui sunt innumeri, vt dicam statim: & etiam illi qui dicunt inferentem stuprum per importunas preces ad restitutionẽ teneri, de quo statim. Quare non rectè Thomas Sanchez, vt iam supra sæpe notauimus, dicit ex vna parte iure naturali valere, & ex alia esse obligationem restituendi. Quod enim restitutioni obnoxium est, tuum non est: quod si alienum est, nullum fuisse contractum necesse est.

5 Quod vero attinet ad ius positiuum eodem etiam modo existimo eos actus, qui ex liberalitate sunt, nullos etiam esse iure positiuo, alios tamen respectiuos valere, rescindi tamen iuxta dicta supra. Mirari tamẽ non desinam Recentiores quosdam, qui legerunt nostra, quæ prius breuiter edidimus, quia longiorem disputationem instituti ratio non patiebatur, asseruisse singularem nos in hac re sententiam sequi, cum tamen preces importunas sufficientem præbere causam vt rescindatur contractus, adeo cõmunis sententia sit inter iuris interpretes, vt qui contra sentiant breuissimo comprehendantur numero. Et quanuis ego multitudinem Doctorum parum curem, solumque vel rationis momenta attendam, vel iuris dispositionem in nullius interpretis verba iurans, quo tamen hanc Recentiorum depellamus calumniam, id ostendamus. Inprimis Glossa in *cap. qualiter de Rescriptis, & cap. tua, de præbendis*, in principio, Matienço lib. 10. Recopilat. Gloss. 1. num. 2. Azeuedo lib. 5. Recopil. tit. 10. lib. 13. num. 2. docent obtenta per importunas preces valere non debere. Item Glossa in *cap. vnusquisque* 22. q. 4. *& in cap. sunt qui opes* 12. *quæst.* 4. *& cap. tuæ verbo, importunitatẽ de Præbendis*, & ibi Ostiẽsis in principio, & Immola num. 2. ex *cap. Ostius de electione*, docent electionem factam ad importunum populi clamorem non tenere. Alij etiam non contemnendi docent testamentum à moribundo factum, & mutatum eorum, qui adsunt, importunitate robore

bore carere. Gomez Arias l. 24. Tauri num. 16. Spino in speculo glossa Rubricæ 2. part. nu. 1. 8. Item Decianus consilio 65. num. 3. volumine 2. docet reuocari legatum relictum à viro vxori obnimiam eius importunitatem. Alij etiam dicunt donationem factam vxori ob nimiam eius importunitatem non valere, nec morte confirmari, quos refert Thomas Sanchez lib. 4. disput. 7. nu. 4. Qui, & refert Iasonem *l. 1. nn. 1. D. de condict. in deb.* vbi ait solutum per nimiam importunitatem posse repeti, sicut solutum per errorem. His adde Paulum Comitolum part. 2. de contractibus cap. 13. qui dicit quâuis donationem, vel contractum morum honestari contrarium precibus importunis gestum non esse firmum, & ita esse iudicandum. Deinde his annumero quotquot refert Thomas Sanchez d. disput. 76. num. 5. asserentes preces importunas eius, cui reuerentia debetu, dare locum rescissioni, qui quidem non dicunt preces importunas cũ metu reuerentiali id efficere. Sed eius, cui debeatur reuerentia, quæ duo cum sint longe diuersa sæpe iste auctor confundit. Docent itaque preces importunas eius, cui debetur reuerentia, æquiparari metui quo ad actus rescissionem Socinus Iunior consil. 263. volum. 2. Mascardus de Probat. conclusione 193. num. 9. Montaluo l. 8. glossa 2. titul. 11. lib. 1. fori, & etiam illi Doctores qui asserũt contractum gestum ab vxore ob nimiam viri importunitatem esse rescindendum, ac si celebraretur metu, quos sequitur Ioannes Gutierrez lib. 1. quæstionum canonicarum cap. 37. num. 17. & 18. & alij etiam huic sententiæ fauent, qui apud eundem Auctorem videri possunt.

6 Ex his colliges primò ea omnia, quæ capitibus præcedentibus inferebamus, nulla esse vel valida in foro conscientiæ, & externo, si metu graui fiant, cum preces importunæ metum grauem incutiãt. Quare quod in superioribus diximus de donationibus, promissionibus, hæredis institutione, legatis, prorogatione iurisdictionis, & alijs contractibus respectiuis, eadem dicta sint hoc loco, cum preces importunæ grauis metus rationem habeant.

7 Secundo colliges, quid dicendum sit de eo, qui defloruit virginem precibus importunis. Quanuis enim difficile sit preces importunas dare causam violationi, licet initium præbere soleant, vt tandem illa illecta etiam voluptate consentiat: attamen si demus fieri posse, vt solum ob repellendam importunitatẽ faciat, reuera teneretur virgini restitutionem facere, ac si per vim virginitatem eripuisset. In quo conuenit Thomas Sanchez cum multis, quos refert disput. 10. nu. 2. & nu. 5.

8 Tertiò colliges cum eodem Thoma Sanchez ibidem num. 9. licentiam precibus importunis extortam à religioso aliquid obtinendi, vel faciendi, quod sine ea licentia non potest, nullam esse, & religiosum non esse tutum in conscientia: nec enim illa licentia est, sed violentia, vt dicit Bernardus de considerat. ad Eugenium. Idem dicendũ licet religiosus dicat se paratum esse ad renuntiandum omnibus, quæ possidet, si superior iubeat, si tamen ob eius querelas, importunitatem superior tacet, vt vitet maius malum: cum ea non sit licentia voluntaria, sed permissio coacta ad euitandum maiora incommoda.

9 Quartò colligitur consequenter licentiam contrahendi, quam extorsit fœmina à Marito precibus importunis, nullam esse, & ita contractum ex eo defectu non subsistere: quia reuera vir non consensit sufficienter. Et iuxta hæc in alijs etiam materijs, & casibus philosophandum est.

10 Quinto colligitur eleemosynam importunis pauperum precibus extortam nõ esse obnoxiam restitutioni. Vnde recte docuit Syluester verbo *Restitutio.* 2. §. 9. id, quod de importunis precibus dixerat, in hoc fallere. Eius autem fallentiæ ratio est, tum quia preces pauperis facilè à se quis potest repellere, & ita non censentur metum grauem inferre, sed leuem; atque adeo, qui ex eis precibus dat, voluntariè dat titulo eleemosynæ, & sic existimat ille qui donat. Tum etiam, quia ille nunquam vellet sibi restitui, vt planum est ex communi hominũ sensu.

11 Vltimò colligitur, quid dicendum sit de eo, qui per importunas preces attrahit aliquem ad ludendum. De eo enim in materia de ludo latè. Nunc vero breuiter dicimus contractum illum ludi non valere, sed obnoxia esse restitutioni, quæcumque lucratus fuerit is, qui per vim attraxit ad ludendum, vel fuit eius causa, nisi qui lucratur ignarus fuerit, nec particeps eius violentiæ. Ratio autem specialis, ob quam contractus ludi non valeat, cum tamen valeant alij cõtractus, in quibus datur res pro re, etiam si violentia intercedat, ex eo desumenda est, quia in alijs contractibus iniustitia quæ infertur in ea violentia, sufficienter reparari

potest,

potest, si is qui passus est iniuriam, rescissionem petat, & illi restituatur, quod vendidit restituto pretio. At vero in contractu ludi ea iniuria, quæ facta est, dum nolens ludere, cogitur, non potest aliter restitui, quam restituto lucro, neq; ad æqualitatē reduci, cum qui ludit coactus, nihil acceperit pro eo, quod amisit. Quare cum iniuria illata semper reparari debeat in eodem genere, in hoc certe reparanda est.

Quom effectum habeat metus iuste incussus in alijs, excepto matrimonio, & sponsalibus?

CAPVT XIII.

SVMMARIVM.

Quid agendum, num. 1.
Prima regula, num. 2.
Varijs illationibus explicatur, num. 3.
Secunda regula, num. 4.
Varia inferuntur, num. 5.
Soluitur obiectio, num. 6.
Tertia regula, num. 7.
Explicatur, num. 8.
Nonnulla inferuntur, num. 9.
Diluitur oppositio, num. 10.
Quid dicendum sit iure naturali in casu tertiæ regulæ, num. 11. 12.

1 PLANA, & aperta est doctrina huius capitis. Cæterum ideo in speciali de hoc disserimus, vt nonnulla in singulari explicemus, in quibus Doctores alij parum consentanee, & distincte loquuntur. Placet ergo ea, quæ de iusto metu dicuntur á Doctoribus, his tribus regulis cōprehendere.

2 Prima regula sit. *Siquis ex delicto suo, vel ex alia causa timet iustè damnum aliquod, si ex eo metu aliquid agat, donet, aut promittat contractumve ineat, vt eo metu liberetur, gesta valent iure naturali, & positiuo.* Sic docent multi, quos refert Thomas Sanchez lib. 4. disp. 8. nu. 8. Iure naturali valere constat ex eadē ratione, quam assignant Iuris Cōsulti, quia ipse sibi metum intulit, quādo iniuste egit: & reuera metus ille non infertur ad eum effectum, neque is, cum quo in eo casu contrahit, metum iniecit, sed ob liberationem ab eo malo, cuius ipse causa non est, cum illo contrahit. Quare nullum caput est, vnde vitietur cōtractus iste ex parte accipientis neque ex parte dantis, cum non possit dici dare inuitus rationabiliter, qui se ipsum in eas angustias redegit. Iure etiam positiuo id manifestissimum est. Quia edictum *quod metus causa* sic accipiendum est, vt ad eum pertineat, qui ab alio metum patitur *l. metum 9. in principio l. item 14. §. in hac D. Quod metus causa.* Edictum enim delictum coercet, nullum autem in metu alienum delictum est, vbi nemo hunc metum intulit. Qui ergo iustè timet, nō ab alio timet, sed à se ipso, vt elegāter explicat Donellus li. 15. comment. cap. 39. §. *non est satis.*

3 Hinc mulier erga patronum ingrata, sciens se ingratam, cum de suo statu periclitaretur, si aliquid patrono dederit, vel promiserit, ne in seruitutē redigatur ob ingratitudinē, valet promissio vel donatio, nec datur in iudicio repetitio eius, quod donatum est. Si tamē illa vltro ad Patronū veniat ingratitudinem agnoscens, & petens, vt patronus eo accepto quod offert, ingratitudinis pœnā remittat, vt aduertit idē Donel. ibi. §. *sed, & si, & metus interuenerit l. si mulier D. de eo quod metus causa.* Hinc etiā, si ille, qui deprehensus in aliquo delicto, ante quā deprehendens illi minetur accusationē, donet aliquid, vel promittat, ne accuset, nō datur repetitio. Arq; hoc sensu scriptū est in *l. accusationis, C. de his quæ vi, accusationis institutæ vel futuræ metu alienationē seu promissionem cū eo factā cuius accusationē metuas, rescindi postulantis improbū esse desideriū.* Rectē quidem ita scriptū est, inquit Donellus, vbi scilicet nihil aliud proponebatur, quam accusationis metus, neq; accusator minabatur accusationē futurā, nisi quid acciperet. Sic enim metus accusationis ab illo nō infertur, quo non illato cessat repetitio, sed tantū infertur ab eo qui deprehēsus est. Hoc tamē intelligendū, nisi is qui deprehēdit, ex officio accusare teneretur, de quo dicā postea. Hinc etiā si Medico ægroto, periclitans promittat aliquid, vel donet ne se deserat, valet. Quo dintellige secluſis perfidia vel obligatione Medici, nā in his casib⁹ alia est ratio, de qua postea. Similiter si aliquis in carcerē cōiectus, vel captiuus, vel à latronibus obsessus, alicui promittat aliquid, vel cōtractū ineat, vt ipsum ab eo periculo liberet, valent huiusmodi cōtractus. Quod adeo verū est, vt si liberans pro liberando captiuo, vel incarcerato aliquid de suo proprio dederit, quod soluit, repetat *l. nā & Servius D. de Negot. gest.* ibi. *cum a Lusitanis tres capti essent, & vnus ea conditione missus, vt pecuniā pro tribus afferret, & nisi*

& nisi rediisset vt duo pro eo quoq; pecuniã darent, isq; reuerti noluisset, & ob hanc causam illi pro tertio quoque pecuniam soluissent. Seruius respondit, æquum esse Prætorem in eum reddere iudicium. Ecce qui pro captiuo fideiubet, & soluit, debet ab illo indemnis releuari, tum quia non est is, qui in periculũ coniecit: contract⁹ aurẽ ab incarcerato facti cũ tertio, qui neq; carceris particeps est, neq; fiunt ad carcerantis instantiã, valent, vt docet Farinac. 1.p.q.35.cit.n. 34. Tum etiã, quia cõtractus ille incarcerati est in eius vtilitatem, scilicet, liberationem: contractus autem incarcerati in eius vtilitatẽ valere docuit Farinac. ibi.n.35.& 36. Quam etiam doctrinam intelliges siue carcer sit iustus, siue iniustus, & qui liberat de carcere non est iudex, de quo dicã in tertia regula. Horum autem omnium rationem eleganter reddit I.C. in *l. metum. §. sed licet, D. de eo quod metus causa* ibi, *sed licet vim factã à quocunque Prætor complectatur, eleganter tamen Pomponius ait, si quo magis te de vi hostium vel latronum, vel populi tuerer, vel liberarem, aliquid à te accepero, vel te obligauero, non debere me hoc edicto teneri, nisi ipse hanc vim tibi submisi. Cæterum si alius vim submisit, teneri me non debere, ego enim operæ potius meæ mercedem accepisse videor.* Hæc ibi. Ex qua prima regula multa inferem⁹ postea, cũ de matrimonio ex metu iustè illato sermo fuerit.

4 Secunda regula est. *Quando ex metu iustè illato ab eo, qui iustè potuit inferre, quis aliquid facit, siue contrahit, siue cum eo qui iuste intulit, siue cum alio tertio, ad instantiam tamen inferentis: valet quod ex eo metu gestum est, & iure naturali, & positiuo in omni contractus genere siue lucratiuo, siue oneroso.* Cuius ratio manifesta est, quia eiusmodi metus nõ est grauis, neq; enim cadit in virũ constantẽ, cum iustè ille metus incutiatur, siquidẽ malũ quodminamur, inferre iure possumus, & ita ille cui minamur, non obediendo iniuste agit; non est autem viri constãtis iniuste agere. Ergo metus, qui infertur, nequis iniustè agat, non cadit in virum constantem. Cum autem nulla inferatur iniuria, non potest esse rationabiliter inuitus, sed lubens iuxta rectam rationẽ operari deberet tanquam is, qui ea faceret, quæ cũ iure, & æquitate conueniũt. Ex quo etiã fit hunc metũ non efficere inuoluntariũ, deberet enim illi cõformari: quod secus est, quando infertur iniuste. Vnde, si res ista, quæ attinet ad metum iustè incussum, consideretur attentè, assimilatur metui, qui est ab intrinseco, habet enim in se principium sufficiens ad expellendum eum metum, si iustè agat. Quod si iuste non agit, sibi imputet, nõ incutienti metũ. Quam doctrinã rectè videntur intellexisse I.C. vt constat ex his, quę hactenus diximus, & quæ statim dicemus.

5 Hinc fit quemcumque contractum, cõpositionem, concordiam, pactum, si fiat ab aliquo incarcerato, etiam si ad eum finẽ mittatur in carcerem, quia alias ad ea facienda tenebatur, omni iure valere. Cuius optima ratio desumitur ex *l. 3. D. de eo quod metus causa* ibi. *Sed vim accipimus atrocem, & eã quæ aduersus bonos mores fiat, non eam, quam Magistratus recte intulit,* scilicet iure licito, & iure honoris, quẽ sustinet. Vis enim non dicitur illa, quæ à Magistratu iure, & licite fit, sed quę contra bonos mores infertur *l. fin. in principio, & §. si iusto D, eodem:* & iustè factum ab officiali non cadit in metum. Baldus in *l. 9. de his qui per metum iudicis non appellant:* & cõpulsio necessaria atque probabilis actum nõ vitiat *l. 1. D. siquis omissa causa testamenti*: Iuris enim executio non habet iniuriam *l. iniuriarum §. 1. D. de iniurijs l. Quemadmodum l. Magistratus D. ad l. Aquiliam.* Tenetur enim iudex pœnas à malefactoribus exigere. Hæc Farinacius 1.part.quæst.5.num. 17. vt probet compositionem factam à carcerato valere, si iustè iudex carcerem minatus est, ad eã compositionem faciendam.

6 Neque his, quæ diximus in hac secunda regula, obstat quorundam iuris interpretum doctrina, qui in *c. fin. de appellationibus*, asserunt metum iustè illatum excusare patientem illum sua culpa, ne appellationem interponat, corã iudice, à quo. Plane enim text⁹ ille intelligitur de metu iniustè incusso à iudice, à quo. De iure enim, inquit, talis metus inferri non debuit, cum non deberet ægre ferre iudex appellationem, licet ab eo prouocaretur. At si iustè impediret appellationem, quando scilicet iure non debetur, etiam si metu incusso id faciat, non excusaretur non appellans, quia iustè potuit impediri iuxta supradicta. Sic Decius ibidem num. 9. Butrio num. 7. Immola num. 2. Alexan. de Neuo num. 20. Francus num. 6.

7 Tertia regula est. *Quoties ab eo, qui metum iustè inferre poterat, aliquid contra bonos mores actum est, iure ciuili repetitio datur:* quid autem dicendum sit iure naturali, dicam postea. Vnde, siquis in furto deprehensus ex minis accusationis, vel proditionis, ne prodatur vel accusetur, vel ne cõijciatur in vincula, donet aliquid, vel promittat, restituitur actione quod metus causa. Idem dicendum de adultero, si deprehẽsus in adulterio

à Patre

à Patre vel matre, vel consanguineis, ex minis eorũ aliquid donet, vel promittat, eadẽ ratione restituitur *l. nec timorẽ, & l. isti quidẽ D. de eo quod metus causa* ibi. *isti quidem, & in l. Iuliam incidunt, quod pro comperto stupro acceperunt, Prætor tamen etiam vt restituant interuenire debet. Nam, & gestũ est malo more, & Prætor non respicit an adulter sit. Qui dedit, sed hoc solum, quod hic accipit metu mortis illato.* Idem dicendum de vxore, si à marito in adulterio deprehensa, ex minis mariti aliquid faciat, quamuis oppositum dicat Rosella verbo *metus* n. 2. Angelus ibidem n. 10. Sylvester q. 6. Tabiena verbo *coactio* q. 8. n. 9. eadem enim est ratio turpitudinis vtriusque, vt explicabo postea. Similiter contractus facti cum officiali, aut iudice detinente reum in carcere, etiam iusto, non valent, & datur actio ex metu, vt docuit Farinacius d. q. 35. nu. 30.

8 Et quidem, quando deprehensis in adulterio, qui deprehẽdit, minatur mortẽ, aperta res est, quia cũ nõ possit iustè occidere, vt dicã infra li. 9. in iustè minatur. Atq; ob hãc rationem in *c. veniens 2. de sponsalib.* dicitur nullũ matrimoniũ contractũ à iuuene, quẽ quia pater cũ filia deprehẽdit, interficere voluit, & ideo illã duxit. Nã reuera nõ potuit iustè occidere, sicut poterat iustè accusare, vel in vincula cõijcere. Quare nõ rectè Cordubа in sum. q. 77. & Ludouicus Lopez li. 1. de contractibus c. 9. paulo post initiũ, in hoc casu affirmãt nõ teneri virũ restituere quod accepit ab eo, cui mortẽ minabatur. Quãdo autẽ, qui iustè accusare possunt, perminas autẽ accusationis aliquid extorquẽt, repetitio nẽ dari etiã affirmo. Cuius rei rationẽ mihi vidẽtur attentè considerasse iura. Nã reuera in his casibus idẽ iudiciũ est ac si metus esset iniustè incursus ad extorquendũ consensum quod sic explico ista consideratione. Quia metus ille tantũ inferri potest in ordine ad id, quod ex eo metu sequi natũ est, v. g. Deprehẽditur fur in furto, iustè possum minari carcerẽ, accusationẽ, vincula, vt restituat, & reddat, quod furto abstulit, vel vt puniatur. Vnde actus, qui sequũtur, ad quos iustè metus ille, & secundum rectam rationẽ ordinatur, & inferri potest, valẽt, vt dicebamus in secũda regula. Nulla enim in eo fit iniuria, & sibi imputet, quod se in eas angustias conjecerit. At verò quãdo metũ, quẽ iustè ad eos actus, ad quos per se ordinatur, possum minari, & infligere, minor, & inijcio in ordine ad alios, ad quos nõ ordinatur iniustè infero metũ, nã ad eum finẽ inferre nõ possum. Vnde carcere, v. g. qui iustus est ad compositionẽ faciendã inter partes, vel ad restituendũ, si eo ego vtar ad aliquid aliud cõsequendũ, ad quod secundum rationem ea incarceratio non ordinatur, iniustè ago, & metum iniustè infero, & ideo idem tunc iudicium ac de metu iniustè illato ferendum est. Atque hæc maxime præ oculis habenda sunt ad ea, quæ dicemus infra de matrimonio contracto ex metu iustè illato.

9 Ex his colliges cũ Donello loco citato, si Patronus vltrò ingratæ libertæ seruitutẽ denũtiet, nisi det aut promittat aliquid, dici metũ seruitutis intulisse, & ideo nõ valere, sicut in eo, qui dat aliquid ex minis, ne prodatur. Et idẽ dicendũ de medico minãte se deserturũ ægrotũ, quãdo alius nõ erat, infert enim metu contra bonos mores, & vitiatur quod gestũ est. Itẽ si iudex, aut qui accusare tenetur, minetur accusationem, nisi aliquid donet, etiam ex hac causa quod gestũ est, rescindi debet, cum sit concussionis species aliquid accipere, ne quẽ accuses, quod & ipsum in crimen publicum cadit *l. vltima D. de concus.*

10 Neq; obstat his, quæ in hac regula dicta sunt, quod habetur in *l. idem si ob stuprum D. de condit. obturpem causam*, vbi dicitur; *si in adulterio deprehensus dederit sua ne proderetur repetitionem non dari.* Intelligẽdum enim est repetitionẽ non dari actionis obturpem causam. Erant enim Romani religiosissimi, ita vt nihil vellent in iudicio agi, nisi ex præscripta forma, in qua qui caderet à syllaba, à causa etiam caderet. Erãt ergo determinatæ actiones, quib⁹ vnũ quodq; petebatur. Actione itaq; obturpẽ causam ita repeti nõ posse rectè definierũt, quia ibi, & dãtis, & accipiẽtis turpitudo inerat. Accipiẽtis quidẽ, quia nemo inuitus cogitur accusare; at si nõ accusset, gratis, & nõ accepto pretio debet ab accusatione desistere. Quia ergo pretio accepto nõ accusat, quod vergit in dãnũ publicũ, cũ Reipublicæ interesit puniri delicta, indè est vt turpis illa acceptio sit, & gestũ sit negotiũ illud malo more, vt I. C. loquitur in *l. isti quidẽ D. de eo quod metus causa.* Similiter etiã fuit turpitudo ex parte dantis. Quoties enim turpe recipitur, turpe datur, nisi fiat causa redimẽdæ vexationis iniustæ, quæ in casu de quo loquimur locũ nõ habet, cũ reuera vexatio, illa secundũ quã ille timet carcerẽ, non sit iniusta. Vbi autẽ dantis, & accipientis turpitudo est repetitio non datur, conditione obturpẽ causam *l. vbi autẽ 3. D. de condict. obturpem causam.* Vnde considerate I. C. in *l. nec timorem, & l. isti quidem* succurri di-

ri dixit,nõ actione *obturpẽ causam*,quia vterq; turpis fuit, sed actione *quod metus causa*. Cũq; actio *quod metus causa* locũ nõ habeat, nisi quãdo iniuste metus incutitur, prudenter iudicarũt in his euẽtibus iniustè metũ incuti,eo quod metu, quo ad bonũ Reipubl. tantum vti poterat,qui deprehendit,aut ad puniendum delictũ,vel restitutionẽ, vel cõcordiam,vel compositionem faciendã, abutitur ad alia perficienda:in quo iniuste agit & ex consequenti iniuste metũ infert. Atq; his mihi videor verã in hoc iure cõsulti mẽtẽ assecutus,quã nostri Theologi,& inter illos Azor to.1.li.1.c.10.q.12. nõ attigerunt, cũ existimauerint ob turpẽ causam rescindi, siquidẽ nihil minus iura voluerunt,quã obturpẽ causam rescindi. Itaque non ex turpitudine datur rescissio,sed quia reuera in eis casibus iudicarunt metum non esse iuste incussum,sed iniuste. Cuius autem momenti sit negare actionem ex vno capite, si concedatur ex alio,explicat eleganter Donel.lib. 14.c.25.§.*Monendi tamen sumus*,quem omnino vide.Potest hic textus intelligi de offerẽte ante minas,tunc enim nulla repititio est, vt dicebam in prima regula.Sed quod prius dixi magis placet.

11 Sed iã quæres,quid dicẽdũ sit iure naturali spectato,an in casu tertiæ regulæ valeat in cõsciẽtia ea donatio,siue promissio, siue contractus.Et quidẽ iuxta ea,quæ in precedentibus dicta sunt,de his quæ ex metu fiunt,dicendũ videbatur donationes, & promissiones reciprocas eo metu factas nullas esse naturali iure,valere autem cõtractus in quibus datur res pro re,cũ in hoc casu dixerimus idẽ iudicandũ esse, ac si metus incussus esset iniuste, attamen sub distinctione respondendum est.Dico itaque primum.Si res ista attentè consideretur, vt docuit Ioannes Azor loco citato,reuera nũquam est ibi contractus donationis, sed do vt des, dat enim,vt non faciat alius id,quod iustè facere poterat,licet illicitè desinat facere accepto pretio,& suo periculo desinit facere;quare alter non donat,sed tantum dat pro omissione actus pretio æstimabilis, & ideo eo modo accepta non tenetur ante sententiam restituere.Sic docet etiã Thomas Sanchez li.4.de matrimonio disp.9.n.9.citatis alijs, licet nõnulli oppositum docuerint. Neque huic obstat,quod habetur in *l.fin.tit.14.part.5.Porende dezimos que se deue tornar lo que assi recibio,al que le dio.* Intelligenda enim lex de restitutione per sententiam. Atque eadem ratio est,siue sit crimen perpetratũ, vel perpetrãdum,vt docet idem Thomas Sanchez n.10.Vnde in hoc casu non habet locum occulta compensatio,nisi post sententiam.

12 Deinde dico. Si ex eo metu incusso sequatur statim cõtractus promissorius,nullum esse in foro conscientiæ,quando metus secundum rectam rationem ad eum contractũ non ordinabatur:& ita tuta conscientia posse à promissione resilire.Quia iure naturali non datur promissio pro promissione, quoties alterius promissio nõ est grata promittenti,neque vtilis iudicatur.Denique videtur contractus alios, in quibus datur res pro re secutos ex eo metu valere iure naturali,sicut supra dicebamus,cum iniustè metus infertur.Atque hæc vera sunt, siue cum illo contraham qui ab accusatione ea de causa desistit,siue ille desistat,vt alicui donem, vel cum alio contraham.Quem autem effectum habeant blanditiæ rectè explicat Thomas Sanchez lib.4.disput.7.num.3.& in illis explicandis immorari non oportet, cum certum sit blanditias nequaquam metum nec leuem inferre.

Matrimonium contractum ex metu iniustè illato esse nullum iure naturali, & positiuo.

CAPVT XIIII.

SVMMARIVM.

Quid disputandum,num.1.
Esse nullum matrimonium iure positiuo ex metu contractum,nu.2.
Iure naturali valere quorundam opinio,num.3.
Vera sententia non valere,& quorundam probationes reijciuntur,num.4.
Vera probatio,num.5.6.7.
Diluuntur argumenta,num.8.
Vltimi argumenti solutio,num.9.10.11.
Idem dicendum,quamuis matrimonium ex eo metu consummetur,num.12.
Opponitur contra veram sententiam,& diluitur. num.13.
Idem etiam si cogatur ad contrahendum cum quadam fœmina ex certo genere personarum, nume.14.
Idem etiam si inferatur ab alio tertio, numer. 15.
Idem in constitutione procuratoris ad matrimonium.16.
De probatione metus, & purgatione remissiuè ibidem.

Quid

1 QVID in alijs cõtractibus efficeret metus hactenꝰ explicatũ est; deinceps vero quid efficiat in contractu matrimonij,& sponsalibus. Agemus autem in hoc capite de effectu metus iniuste illati, postea vero de effectu metus iustè illati.

2 Omissa autẽ opinione Cardinalis in *c.2. de his quæ vi q.1.* asserẽtis nõ esse iure irritũ, sed rescindẽdũ,nõ secus ac alios cõtractus: Omissa etiã aliorũ opinione, qui dicunt matrimoniũ ex metu graui initũ valere in foro cõsciẽtiæ esse tamen nullũ iure positiuo, quæ cõmuni Doctorũ iuris interpretum, & Theologorũ consensu reijciuntur,communis certaq; sententia est matrimoniũ ex metu graui cõtractũ esse nullũ iure Ecclesiastico.Doctores enumerare superuacaneũ est in re tã aperta,& omniũ probata consensu. Ex iure autem manifestissimè constat *c. cum locum c.veniens 2.de sponsalibus c. significauit, de eo qui duxit in matrimonium.* Quorum Canonum ratio constabit ex his quæ dicam postea. Nec enim Ecclesia nullum esse statuit ex præsumptione defectus consensus, sed declarat iuris naturalis dispositionem, quia in eo qui coactus contrahit reuera non est consensus iure naturali sufficiens ad matrimonium,vt ex dicendis constabit. Quare in eo casu,in quo iure naturali non valet, non valet etiam iure positiuo;in hoc enim non est diuersum vtrunque forum, cum Ecclesia supplere non possit ea, quæ ad matrimonij essentiam requiruntur, quorum vnum est verus consensus,vt dictum est supra lib. 2.& plenè liber,vt dicemus statim.

3 Quid autem dicendum sit de matrimonio spectato naturali iure maior Doctorum dissensio est. Primò enim nonnulli existimant matrimonium ex metu iniusto celebratum esse ratum iure naturali, sed iure Ecclesiastico irritari. Ita docet Paludanus in 4.distinctione 29.quæst.1.artic.3.Durandus q.2.Ioannes Maior quæst.1.Almaynus q.1. art.3.supplement.Gabrielis dist.27. quæst. 1.art.1. notabili 1.idem docet Ioãnes Azor lib.1.cap.11.quæst.6.Valentia disput.9.generali q.3.puncto 2. post. 2. conclusionem, Thomas Sanchez lib. 4. disput. 14. num. 2. Ægidius de sacramento matrimonij disput. 28.dub.1.conclusione 5.Eorum fundamenta hæc sunt.Primum,quia quod metu geritur,est simpliciter voluntarium: ad matrimonium autem sufficit consensus simpliciter voluntarius verbis expressus. Secundũ: quia alij contractus,qui ex metu sunt irriti, tantum sunt irriti ex iure Ecclesiastico. Ergo,& matrimonium,nulla enim videtur esse discriminis ratio. Præterea, quia quicumque metus etiam leuis minuit libertatem matrimonij, & tamen omnes conueniunt valere iure naturali matrimoniũ contractum ex eo metu.Et idem argumentũ fieri posset,quando quis ob metum intrinsecũ contrahit matrimonium. Igitur quod initũ ex graui metu extrinseco nullum sit tantum prouenire potest ex iure Ecclesiastico. Denique quia Baptismus etiam exigit voluntatem, & animum suscipiendi, & iuramentum exigit libertatem: & tamen etiã si Baptismus coactè suscipiatur obligat *cap. maiores de Baptismo*, & iuramentum metu extortum obligat.*c.verum ca.si vero, de iure iurando.*Ergo etiam valeret ex natura sua matrimonium, nisi ius Ecclesiasticum illud irritasset. Aliquantulum adistorum opinionẽ accedit Guillelmus Rubion in 4. distinct. 27.q. 1. art. 1. qui dicit in matrimonio tantum ex institutione diuina requiri libertatem,non vero ex naturale iure.

4 Cæterũm leuissimis argumentis commoti Doctores isti à communi sententia discesserunt.Verius enim sine dubio est,matrimoniũ initum ex graui metu esse nullũ,non solùm si spectes ius Ecclesiasticũ,sed etiã in specto naturali iure;atque ideo nõ tantũ in Ecclesia,sed etiam extra Ecclesiam inter infideles nullum esse matrimonium ex metu graui iniustè illato celebratum. Hanc sentẽtiam tenet D.Thomas in 4.dist.29. q. vnica art.3.quæstiuncula 1.in corpore, quem sequitur Turrecremata 3 1.q.2.nu.8. Altisiodorensis lib.4.summæ tract. 9. cap. 7. quæst. 5. Scotus in 4.distinct.29.quæst.1.art.2.Bassolis distinct.27.q.1.art.2.Rebellus 2.p. lib.2. de matrimonio q.11.sectione 1.conclusione 2.Paulus Comitolus lib.1.responsoriũ moraliumq.123.alijque complures,quos refert Thomas Sanchez disput.citat.num.1.Hanc autẽ sententiam nonnulli probant,quia matrimonium est donatio mutua, vel trãslatio potestatis corporũ. At verò donationi repugnat cõsensus mixtus ex volũtario, & inuolũtario.Sed hæc rãtio nulliꝰ momẽti est. Nã cõtractus matrimonij nõ pertinet ad liberalitatẽ,sed est cõtractus rei pro re, datur enim corpui pro corpore,atq; adeo ex eo capite nõ repugnaret valere cũ volũtario mixto.Alij probant,quia consensus nullus potest matrimoniũ efficere cõtra ordinẽ superioris instituentis matrimoniũ.Sed Deus instituẽs matrimonium voluit esse cõsensum omnino

omninò liberum. Igitur non valet. Sed hæc etiam ratio, quæ est Bassolis, in eo peccat, quod existimat institutionem matrimonij fuisse ex ordinatione Dei, & ex eius ordinatione requiri liberum omninò consensum, cum matrimonium sit ex naturali institutione, vt dixi supra lib. 1. Tertio probat Rebellus, quia votum per huiusmodi metum emissum est iure naturali, & diuino irritum, alioquin semel factum non posset ab Ecclesia irritari. Ergò similiter in matrimonio. Hæc tamen ratio assumit aliquid quod est valde incertum, imò meo iudicio falsum scilicet, votum ex metu factum esse nullum iure naturali, validum enim esse ostendemus lib. 7. cum sermo fuerit de ordinis impedimento. Et quamvis daremus votum ex metu emissum esse iure naturali validum non inde sequitur non posse irritari, aut dispensari per Ecclesiam, vt constabit ex his quæ dicemus infra lib. octauo. Et denique quamvis concederemus votum ex metu emissum esse inualidum iure naturali, non inde sequeretur idem dicendum esse in matrimonio, cum votum sit inter promissiones gratis factas, matrimonium verò inter contractus, in quibus datur res pro re. Omitto aliorum rationes, quæ parui momenti sunt.

5 Primò ergo ea sententia mihi videtur efficaciter probari ex iure Canonico, & Pontificum responsis *cap. cum locum, cap. veniens secundo de sponsal. & cap. significauit, de eo qui duxit*, in quibus non loquuntur Pontifices tanquam aliquid statuentes, neque id quidem verba præseferunt, sed loquuntur, vt potius legis promulgatores. Ad hoc argumentum fatetur ingenue Thomas Sanchez disput. 14. citat. num. 4. Pontifices ibi nihil noui decernere, sed supponere legem antea constitutam. Putat tamen ille ex Ecclesiæ traditione teneri, sicut & legem de nullitate matrimonij infidelis cum fideli. Verum id est effugere vim argumenti, non diluere. Et quidem de lege irritante matrimoniũ fidelis cum infideli dicam infra suo loco lib. 7. cum sermo fuerit de impedimento disparis cultus, aut enim nulla talis est lex Ecclesiastica sed diuina, aut certè etiam lex Ecclesiastica extitit, vt ibi ostendam. In præsenti autem ea solutio non habet locum, si attendas verba Pontificum. Nam Innocentius III. in *cap. cum locum*, cum responderet esse nullum matrimonium illud ex metu contractum, reddit rationem, quia matrimonium consensu perficitur, qui non habet locum, vbi interuenit metus in virum constantem. Quam rationem sic vrgeo. Quia vel sentit Pontifex in matrimonio ex metu nullum omninò reperiri consensum, & ideò non valere. Hoc tamen nulla ratione affirmari potest, cum constans Pontificum decisio sit in coactione conditionata simpliciter voluntarium reperiri, *cap. sæpe de his quæ vi, cap. maiores de Baptismo*. Ergò cum dicit matrimonium perfici solo consensu, intelligit de plene libero, aliàs inepta ratio esset, cum mixtè volũtarium etiam habeat locum in metu. Eius ergo ratio hæc est. In metu graui non est consensus plenè liber. Matrimonium perficitur solo consensu plenè libero. Ergo ex metu non valet. Vbi vides recurrisse Pontificem ad causam efficientem iure naturali requisitam. Quod si id legibus maiorum statutum esset, se à prædecessoribus accepisse diceret. Et auget huius argumenti vim, quod sæpe alibi, cum dicunt absolutè consensum requiri, eodem modo loquuntur *cap. fin. de procuratoribus in 6.* & alijs citatis supra lib. 2. Signum ergo est eodem iure, quo requiritur consensus ad matrimonium, requiri etiam plenè liberum.

6 Ratio autem huius sententiæ ex ipsa natura matrimonij desumitur. Quia ad illud maius, & perfectius voluntarium requiritur, quam ad alios contractus ciuiles. Id quod ex perpetuitate vinculi matrimonij colligit D. Thom. in Additionibus ad 3. p. quæst. 47. art. 3. Et quidem cum alij contractus sint minoris momẽti, & natura sua dissolubiles humana authoritate, vel contrahentium consensu, mirum non est, si validè fiant, etiamsi contrahantur voluntariè mixte. Et præterea multa sunt in alijs contractibus ab omnibus recepta circa consensum debitum in illis, quæ tamen locum non habent in matrimonio. Nam contractus celebratus sub conditione, illa subsecuta purificatur, ita vt non liceat à contractu recedere: & tamẽ, si matrimonium celebratur sub conditione, non valet sine nouo consensu, etiam posita conditione, vt iam supra dictum est lib. 3. cap. 14. Deinde in alijs contractibus conditionatis non licet ante euentum conditionis recedere à contractu: at in contractu matrimonij licet, vt ibidem docui. Deniq; matrimoniũ nunquã valet consensu debito, & tamẽ valent alij cõtractus. Imò etiamsi desit animus cõtrahendi dũmodo adsint externa signa valent cõtractus alij in vtroque foro, vt dixi supra lib. 2. cap. 4.

quod secus est in matrimonio, vt dictum est lib. 2. cap. 2. Signum ergo manifestum est aliquid specialius requiri ad consensum matrimonij ex natura speciali huius cõtractus, quàm ad alios, quod vt dicebam, ex perpetuitate vinculi colligit D. Thom.

7 Sed & insinuauimus nos aliam rationem supra, ex qua id quod ad præsens instituitum attinet, facile colligitur scilicet, esse vinculum mutui ac reciproci amoris. Est enim animorum corporumque cõiunctio, idque indicasse videtur Adamus in ipsa institutione, cum dixit: *Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ.* Hic autem mutuus amor vel adhæsio cum coactione & metu stare non potest: nemo enim adhærere solet rei, quam tenet inuitus, posthabitis præsertim charis parentibus. Præsente ergo metu euertitur voluntarium ad matrimonium requisitum, vt enim habetur *cap. præsens 20. q. 3. Quod quis non diligit, facile contemnit.*

8 Ex hoc discursu duo priora argumẽta primæ sententiæ facile diluentur. Constat enim & ad matrimonium non sufficere mixtè voluntarium, & diuersam esse rationem illius, & aliorum cõtractuum, in quibus datur res pro re. Ex eo enim capite non repugnaret validè celebrari cum voluntario mixto, nisi ex speciali ratione exigeret plenius voluntarium. Tertij verò argumenti difficultas exigit an ex metu leui reddatur etiam nullum iure naturæ. Quid autem in hoc dicendum sit constabit ex his, quæ dicam infra cap. 8. & etiam quid dicendum sit in eo, quod obijciebatur de metu iustè, vel ab intrinseco illato.

9 Sed restat diluendum vltimum argumentum, scilicet cur baptismus ex metu susceptus, ac iuramentum metu conceptum valeat, non verò matrimonium. Varie respondent Doctores. D. Thomas, Bonauentura, & Altisiodorẽsis eam assignant disparitatis rationem, quia sacramentum Baptismi est opus Dei, non hominum: at matrimonium dependet à consensu hominum. Sed non plenè assequor discrimen istud, nam si cõsideres actionem, siue effectionem gratiæ, quæ est effectus baptismi, sicut eius effectus est opus Dei, ita etiam effectus sacramenti matrimonij. Adde ad effectum baptismi consequendum necessariam esse, & voluntatem, & dispositionem bonam ex parte voluntatis, nunc autem non loquimur de effectu, sed de validitate. Ille quidem valet, & verè confertur, ita vt repeti non sit necesse, si adsit voluntas quamvis coacta, licet non detur gratia. Huius autem rationem inquirimus, cur ad baptismi obligationem seruandam compellatur aliquis, etiamsi vi & lenter illum susceperit, & vt baptismi desertor puniatur: & tamen matrimonij vinculo non teneatur per vim contrahens, licet etiam effectum gratiæ non sortiatur?

10 Scotus aliter meditatur discrimina, inquit enim ideò differre, quia conditio baptizati efficitur melior, non sic eius qui adstringitur matrimonio. Deinde quia consensu superioris ratificatur per consensum coactum aliquem fieri filium Ecclesiæ, non autem sic in matrimonio. Tertiò quia per baptismum quis assequitur ius adoptionis: adoptio autem non ita libero indiget consensu, sicut matrimonium. Nam adoptio in eum etiam cadit, qui non est compos rationis: at matrimonium non permittitur ei, qui non potest vti ratione atque consilio.

11 Sed rationes istæ, licet subtiles sint, parum tamen solidæ, vt de se patet. Quare potissima huius ratio est, quia voluntas coacta, simpliciter est voluntas, & ideò sufficit ad votum, & iuramentum, quod obligat apud Deum, vt dicebam supra. Eadem ergo ratione, cum ex sacramento Baptismi consurgat potissima obligatio in ordine ad Deum, & consequenter ad Ecclesiam, sufficit ad illum id voluntarium, quod ad peccatum mortale satis est, maximè cum in magnam cedat baptizati vtilitatem. At vero ad matrimonium non satis est voluntarium, quod sufficit ad merendum coram Deo, vel demerendum, sed quod cum perpetuitate, ac reciproco amore cohæreant, cum eo autem non congruit voluntarium graui metu extortum. Quomodo autem matrimonium, & sponsalia ex metu contracta valeant, si firmentur iuramento, dicam infra lib. 12.

12 Ex dictis colligitur idem dicendũ esse quamvis matrimonium ex metu contractũ consummetur etiam interueniente metu. Tum quia matrimonium celebratum coram parocho, & testibus nullum ob aliquod impedimentum, non potest postea validè fieri, ni coram parocho, & testibus, aut interueniente dispensatione, quæ suppleat eam solemnitatẽ, ex declaratione Clemẽtis VIII. quam referam infra. Vnde etiamsi cessasset metus, & copulentur cum plena libertate, & affectu maritali, & quantumcunque cohabitarent, non supplente dispensatione solem-

lemnitatem, nullum esset matrimonium. Quare iam post declarationem Clementis VIII. & Tridentinum locum non habent, quæ de copula, & cohabitatione differit Thomas Sanchez lib. 4. disputat. 18. Cum ergo nullum fuisset illud matrimonium ex metu contractum, non potest sine prædicta solemnitate fieri validum. Tum etiam, quia quando sine illa solemnitate validum esse posset, copula illa ex metu non potest efficere validum. Si enim efficeret validum, ideò esset, quia præsumeretur consensus ex copula, præsente autē metu mortis non potest præsumi consensus. Adde potius teneri subire mortem, qui sciret matrimonium metu contractum esse nullum, cum ea copula in eo casu non posset à fornicationis crimine excusari, nec enim excusaretur consensu præcedenti, nec eo qui tunc adesset, si adhuc vrgeret grauis metus.

13 Sed adhuc nostræ sententiæ fortius obstare videtur, quod matrimonia filiorum cogente patre valuerint iure ciuili, atque canonico, vt constare videtur ex his quæ dixi supra lib. 2. capit. 1. Respondemus tamen aliud esse matrimonium fieri cogente patre, aliud fieri de consensu patris. Primum nunquam licuit. Secundum vero maxime. Et quamvis sæpe filius eam vxorem duceret, quam non duxisset, si sui arbitrij fuisset, nihilominus tamen videtur voluisse matrimonium consistere, *l si patre, D. de ritu nupt. Quia reuerentia patris facit vt voluisse videatur.* Quamvis igitur non credatur velle, qui obsequitur imperio patris *l. 4. D. de reg. iur.* maluisse id videtur, quod pater voluit, verecundia immutante voluntatem. Quæ maiorem lucem accipient ex his, quæ dicam statim num. seq.

14 Ex his quæ hactenus dicta sunt, in primis colligitur ea, quæ hactenus diximus locum etiam habere, quamvis tantum cogatur aliquis ad contrahendum cum quadam fœmina ex certo genere personarum, vt cum alijs docet Rebellus part. 2. lib. 2. quæst. 11. sectione 1. num. 11. Eiusmodi enim matrimonium est nullum iure naturali, & positiuo. Neque obstat quod consuetudine alicubi inductum sit, vt aliqui non contrahant, nisi cum aliqua ex certo genere, vel etiam lege induci possit. Ea enim consuetudine aut lege nulla vis infertur, cum possit non nubere, & præterea lex illa, vel consuetudo acceptata est voluntate, & moribus vtentium, & cum iusta sit, non infertur vis ab extrinseco, sicut de imperio patris dicendum cum filij nubere non poterant, sine eius consensu.

15 Secundò colliges idem etiam dicendum esse, quamvis metus non inferatur ab eo, cum quo contrahitur, sed ab alio tertio. Nam quamvis ab alio tertio sit illatus, non est matrimonium plenè volūtarium, & ideò deficit id, quod iure naturali, & positiuo ad matrimonium requiritur.

16 Vltimò colliges ea quæ diximus locum etiam habere, in constitutione procuratoris ad matrimonium, cum in ea constitutione procuratoris includatur constituētis consensus ad matrimonium, in cuius virtute operaturus est postea, & contracturus procurator constitutus. Quare si ea constitutio ex metu graui fiat, nulla est iure naturali, & positiuo. Nullam autem etiam esse eam constitutionem procuratoris docuit Thomas Sanchez cum Couarruuias disput. 12. num. 22. Rebellus dict. quæst. 11. sectione 1. num. 11. Maximè cum supra cap. 8. dixerimus vniuersè, constitutionem procuratoris metu factam nullam esse. Quia quamvis ea constitutio procuratoris sit contractus quidam, vt eleganter probat Donellus lib. 16. ca. 23. at promissio operarum ex parte procuratoris ei, qui illum inuitus constituit, ingrata est & inutilis, & ideò nullius momenti. Quid etiam dicendum sit in dotis promissione per metum extorta, de quo agit Thomas Sanchez disp. 12. num. 23. constat ex dictis supra cap. 8. Quomodo autem probetur metus, & ex quibus in matrimonio est elegans decisio Rotæ lib. 2. apud Farinac. 242. tom. 1. consil. Farinac. decisio. 40. 58. & 69. & eodem tom. 2. consil. decisione 218. 242. 249. 260. & tomo 1. decis. 40. 58. 69. & 1. part. decis. 643. & 2. p. 463. & apud Seraphinum 818. 851. & 859. Et quamdiu durare intelligatur apud Farinac. 2. vol. consil. decis. 263. & 286. & 1. p. decis. 175. 190. 579. & 2. p. decis. 463. & 705. & apud Seraphin. decis. 851. 859. 863. 873. 581. 887. & 893. Vide etiam Riccium in praxi. decis. 657. num. 3. Quam etiam effectum habeat protestatio in metu vide decisiones Rotæ apud Seraphin. 859. num. 4. & 863. & Seraphin. de priuileg. iuram. priuil. 110. num. 17. & Additionat. num. 20. Vide etiam de purgatione metus Farinacium 2. p. fragm. ver. metus à num. 136. & de probatione metus à num. 167. & de protestatione metus à n. 190.

An in matrimonio ex metu graui possit resilire, qui liber à metu est, nec particeps illius fuit?

CAPVT XV.

SVMMARIVM.

Proponuntur quæ certa sunt. num. 1.
Prima opinio negans. num. 2.
Vera sententia. num. 3.
Explicatur per partes. num. 4. & 5.
Solutio aduersariorum reijcitur. num. 6.
Aliter probatur vera sententia. num. 7.
Obiectiones aliorum proponuntur, & diluuntur. num. 8. 9. & 10.

1 FAcile constare poterat, quid in hoc casu dicendum esset, ex his quæ dixi supra in hoc libro cap. 7. de obligatione, quæ iure naturali remanet ad rescindendum cõtractum, in quo datur res pro re, si velit is qui metum passus est. Caterũ quia Thomas Sanchez in dubium reuocare voluit, quod communi Doctorum sensu firmatum est, ideò de hoc specialiter differam, vt eius argumenta diluam, quibus inductus sensit contra cõmunem, & ab omnibus approbatam sententiam. Supponimus autem in primis matrimonium illud reuera nullũ, nullam obligationem peperisse constantis matrimonij in vno & non in alio. Nec enim vinculum matrimonij claudicare potest, & tantum ex vna parte valere, & non ex alia, vt indubitatum est. An autem eo qui metũ passus est renouante consensum conualescat matrimonium à principio nullũ, & quo modo renouatio fieri debeat dicam infra in fine huius libri. Similiter certum mihi videtur, si is, qui libere consensit, metus particeps non fuerit, neque illius conscius, nõ videtur obligatus manere ex vllo capite ad non resiliendum, si nolit resilire, is qui vim passus est. Quare tantum quæstio est in eo casu quo vel metus illati particeps fuit, vel conscius.

2 In hac re Thomas Sanchez disput. 15. num. 5. nullo Doctore citato, qui in hac re expresse loquatur, sed in alijs casibus, existimauit eum, qui libere contraxit, in conscientia non manere obligatum, sed posse in conscientia resilire, etiamsi qui vim passus est velit renouare cõsensum, donec per sententiam iudicis remanere cogatur, & contrahere. Fundamenta huius Doctoris adducam postea, atque dissoluam.

3 Cæterum mihi verius videtur eum, qui particeps fuit, aut conscius metus illati alteri, cum quo contrahit, non posse in conscientia resilire, sed teneri obligatione expectandi voluntatem eius, qui vim passus est. Quam sententiam docent Doctores cõmuni sensu, quorum multitudinem vide apud eundem num. 4. & sequitur nouissime Ægidius disp. 28. dub. 1. post primam conclusionem, qui immerito refert pro hac sententia Thomam Sanchez, cum oppositum expressissime doceat.

4 Sed hanc cõmunem sententiam explicemus per partes, atque probemus. In primis si damnum aliquod secutum sit ei, qui vim patitur, ratione dãni etiam idẽ Thom. Sanch. teneri fatetur ad non resiliendum. Raro autem continget eiusmodi matrimoniũ fieri sine irreparabili damno, maximè si metus occultè fuerit illatus, ita vt probari in iudicio nõ possit. Cum enim Ecclesia eiusmodi matrimonium valere iudicet, & alias reuera non valuerit ob metum, nihil remedij supereſt ad istud damnum euitãdum, nisi denuo consentire vtrunque & renouare consensum, vt dicebam supra lib. 2. cap. 5. cum sermo esset de eo, qui fictè consensit. Quare sicut is qui fictè contraxit, tenetur in conscientia verè contrahere, quia nunquam id fieri potest sine damno, ita etiam in nostro casu, neque, vt dixi, in hac specie vllum dubium est.

5 Deinde mihi videtur etiam seclusoquouis damno eam obligationẽ inesse illi, qui libere cõsensit. Idq; probo vnica tantum ratione deducta ex his, quę dicebam supra isto lib. c. 7. de alijs contractibus. Quia in his, in quibus datur res pro re, manet naturalis obligatio in eo, qui vim intulit, rescindendi contractum, si petat is qui coactus cõtraxit, vt eo loco explicatum est. Ergo etiam in cõtractu matrimonij is, qui metum intulit, manet obligatus standi cõtractui, si alius velit. Quorum ratio est ea, quam ibi indicauimus huic instituto, sic applicata. Quia iniustum est, vt ille contrahere cogatur inuitus, & in hoc qui coegit, vel coactionis particeps aut conscius fuit, revera iniustitiam commisit in personam. Ergo remanet obligatio resarciendi, & cum resarciri possit sine damno alterius, qui vim intulit, resarcienda est, standoscilicet contractui, si alius velit. Ad hoc autem non est necessaria iudicis sententia, cum ex iniuria illata nascatur naturalis obligatio reparandi, & ideò ante omnem

nem iudicis sententiam ea obligatione tenetur.

6 Sed vt huic rationi respondeat, duo dicit Thomas Sanchez num.6. Primum eam esse leuem iniuriam, atque adeò reparatione non indigere. Deinde dicit non esse necessarium, vt ea iniuria reparetur in eodem genere, iuxta ea quæ dixerat disp.14.num.4. in solutione ad quintum. Idque duobus cõfirmat exemplis, Primum est. Quia illi, qui coactus baptizatur, infertur iniuria in coactione, & tamen non est restauranda in eodem genere, scilicet annullando baptismũ. Secundum exemplum est in eo, qui fide data de matrimonio defloravit aliquam, & postea cum alia contrahit de facto, atque consummat, non reparatur ea iniuria reddendo nullum matrimonium cum alia cõtractum. Sed hæc solutio insufficiens est. Et quod primum dicit de leuitate iniuriæ, falsum videtur. Quia nihil tã naturale, quàm vt id quod nostrum est sine facto nostro non transferatur, & tunc maior iniuria infertur, quando id, quod transfertur vel alienatur, maioris momenti est. Cumque in contractu matrimonij de corpore alienando agatur, non potest non cẽseri grauis iniuria; itaque iudicat prudẽtum hominum iudicium cum agnoscit in hac iniuria mortale peccatum. Id autem quod secundo loco adducit, videtur esse omninò extra rem. Restauranda quidem iniuria est in eodem genere, si fieri potest, & iam non est amplius restauratio impossibilis, & extra potestatem inferentis iniuriam. Quare non reddendum est nullum baptisma collatum, neque secundum matrimonium, quia iam eiusmodi restauratio est impossibilis inferenti iniuriam, & ad impossibile nemo tenetur. At vero in nostro casu restauratio iniuriæ possibilis est in eodem genere, cum adhuc sint prorsus habiles ad verè contrahendum. Ergo reparari debet in eo genere. Vt enim latius docui in tractatu de restitutione, adeò certum est restitutionem faciendam in eodem genere, vt quando in eo genere fieri non potest, iudicauerim nullam manere obligationẽ satisfaciendi in alio genere per se loquendo. Et ideò dixi pro vita ablata per se loquendo nullam obligationẽ restitutionis oriri. Cũ ergo in nostro casu fieri in eodem genere restitutio possit, non est cur illum excuset Thomas Sanchez, cum & alias grauis iniuria sit coactio voluntatis in re tanti momenti.

7 Fauet etiam huic communi sententiæ definitio Pontificis in cap.1. *de eo qui duxit*, vbi definit eum, qui cum iam esset coniugatus, duxit vxorem ignaram prioris matrimonij, mortua iam prima coniuge non separandum, nisi ad petitionem deceptæ. Quod idem habet *lex finalis tit.2.part.4.* optionem enim relinquit decepto, non decipienti. Nec vero dici potest ex illis tantum effici id debere fieri per sententiam. Nam ante sententiam ea etiam obligatio est, cum iniuria re vera illata sit, & ex iniuria nascatur obligatio, vt iam diximus. Quare ea sententia non inducit de nouo obligationem, sed declarat obligationem inductam ratione iniuriæ illatæ, & compellit ad restaurationem executioni mandandam.

8 Neque huic communi opinioni obstant ea, quæ in contrarium adducit Thomas Sanchez. Obijcit enim primò, quia vel iste tenetur ratione delicti in pœnam, & hoc requirit iudicis sententiam, vel tenetur ratione iniuriæ, & hæc leuis est, & non necessariò postulat, vt in eodem genere reparetur, & quando fœminæ fieret iniuria, attamen si homo est, qui vim patitur, nulla illi iniuria infertur, vel denique tenetur quia ex parte sua se obligauit, & hoc non: quia contractus iste est ex sua natura vtrinq; obligatorius. Ergo non potest vnus ex eis obligatus manere, & non alius. Sed hoc argumentum ex dictis facile diluitur. Dicimus enim non teneri ratione delicti in pœnam, neque ratione obligationis matrimonij, cum nulla ibi sit obligatio vinculi matrimonij: sed teneri, quia ratione iniuriæ illatæ cõsurgit in illo alia naturalis obligatio restaurandi in eodem genere, cum possit, vt dictum est. Nec vero, vt iam diximus, hæc censenda est leuis iniuria, sed grauis, cum in ea coactione committatur peccatum mortale, parque est in eo casu vir, & fœmina. Ea enim iniuria non attẽditur penes virum, aut fœminam, vt ea ratione maior censeatur in vno quam in alio, sed attenditur penes coactionem consensus grauem ab extrinseco proueniẽtem. In hoc enim iniuria infertur, quod contra voluntatem alienare cogitur, quod suũ est cum vnusquisq; ex sua natura ius habeat, vt id quod suum est sine eius facto atque consensu non auferatur, vt habet regula iuris.

9 Secundo obijcit. Quia si quis sub hac cõditione compellens contraxisset, *me obligo tibi, si tu te mihi obligas*, non maneret cõpellens aliqua obligatione constrictus, nisi ille maneret obligatus. Sed in matrimonio inest

ea tacita conditio, si alter se mihi obligat, est enim contractus onerosus, do vt des. Ergo altero non manente obligato neuter obligatur. Sed debile hoc argumentum est. Probat quidem non consurgere obligationem matrimonij, quæ debet esse mutua, vt diximus: non tamen probat non consurgere obligationem naturalem aliam ratione iniuriæ illatæ reparandi illam in eodem genere cum possit, vt etiam de contractibus alijs onerosis explicuimus supra cap. 7.

10 Tertiò argumentatur exemplis. Primum est, quia fictè contrahens matrimonium non tenetur in conscientia verum consensum adhibere secluso damno famæ aut honoris, aut simili. Sed iam supra lib. 2. capit. 5. latis ostendi eam esse huius Doctoris singularem sententiam contra communem Doctorum sensum, & teneri fictè contrahentem verum consensum adhibere etiam sec luso damno. Secundum exemplum est, quia qui fictè professionem emisit in religione, non tenetur vere cõsentire, sed potest, si absit scãdalum, recedere in remotum locum. At id etiam ostendimus loco citato esse falsum, tenetur enim verè profiteri, & consentire, neque aliter absolui potest. Fuit enim ibi, & promissio Deo facta, & contractus cum religione initus cum traditione sui, vt ostendam lib. 7. Quare tenetur ex naturali obligatione vera efficere verba contractus. Tertium exemplum est, quia quando ingenuus deceptus duxit ancillam, detecta deceptione non tenetur ancilla consentire, sed potest resistere, quamvis ingenuus velit contrahere. Sed etiam id exemplum ostendam esse falsum infra lib. 7. cum sermo fuerit de impedimento conditionis.

Qua ratione excusetur à peccato, qui ex metu contrahit matrimonium?

CAPVT XVI.

SVMMARIVM.

Eum qui ex metu contrahit si interius nullum cõsensum habet, mentiri, esse tamen veniale peccatum. num. 1.

Si interius consentiat, non peccare peccato mendacij. num. 2.

Peccare peccato sacrilegij quorundam opinio. num. 3.

Verius oppositum. num. 4.

1 NOnnulla prius supponamus, quæ in hac re sunt extra controuersiam. Primum est, eum qui ex metu contraxit, si revera profert verba, & nullum interius consensum habet mentiri, & mẽdacij culpam committere, sunt enim verba contra mentem, estque cõmunis Doctorum sententia, nisi arte vel equiuocatione vtatur, qua alium contrahentem eludat, vel interius subticeat conditionem hanc, *si teneor*. Quamvis non satis percipio, quo pacto hæc conditio mente retineri possit, si revera nullus adest consensus. Nam eo ipso, qui adhibet conditionem illam, consensum aliquem habet conditionatum. Istud autem peccatum ibi commissum ratione mendacij, non est lethale peccatum, id quod etiam docet Thomas Sanchez disp. 16. num. 2. cuius ratio est. Quia mendacium ex suo genere, nisi adiungatur illi malitia contra aliam virtutem non est peccatum mortale, sed tantum veniale, vt ex certa D. Thomæ doctrina communiter etiam recepta ostendi latissimè in tractatu de insidijs licitis, & illicitis. Adde tamen hoc peccatum mendacij non esse necessariò coniunctum cum contractu ex metu inito, alias nunquã esset nullus contractus ex metu initus, quia sic contrahens esset inconstans, si eligeret malum culpæ ad euitandum malum pœnæ, vt iam explicui supra isto lib. cap. 3.

2 Deinde certum est, cum quis ex metu graui contrahit interius etiam consentiens, non peccare peccato mendacij, neque contra mentem agere, consentit enim quantum est ex parte sua in contractum illum, licet secundum leges consensus, quem ille adhibet ex parte sua, non sit sufficiens ad matrimonium. Vnde quamvis confirmet iuramento, non mentitur, verè enim habet consensum illum. Sic docet Couarruuias 2. p. de matrimonio cap. 8. num. 4. & Thom. Sanchez cum alijs disput. citat. num. 4.

3 Sed difficultas est. An saltem peccet peccato sacrilegij, qui metu cadente in virum constantem profert verba matrimonij. Peccare enim peccato sacrilegij quæstionem habet apud nonnullos, & affirmare videtur Petrus Ledesma de matrimonio quæs. 47. art. 3. circa solutionem ad quartũ. Fundamentum esse potest. Quia iste profert formam sacramenti circa materiã in debitam, hoc autem videtur esse peccatum sacrilegij vt constat â simili in proferente verba absolutionis circa in dispositum.

4 Verior tamen sententia est, neque etiam

etiam in eo casu committi peccatum sacrilegij, quæ communis Doctorum sententia est, eamque sequitur Thomas Sanchez disput. citata. Valentia disputat. 10. generali quæst. 3. puncto 2. §. *Respondeo ad primum argumentum*, Ægidius disput. 28. de matrimonio dubio 3. Cuius ratio est, quia in eo casu nulla infertur iniuria sacramento, quia non est materia sacramenti, nisi contractus legitimus: is autem non tenetur in eo casu apponere eam legitimam materiam, cum contra naturam contractus matrimonij cogatur contrahere. Christus autem in sua institutione noluit aliam esse materiam sacramenti matrimonij, nisi eum qui verè contractus est, & ex natura ipsius, & ex dispositione legum. In quo vides longe diuersam esse rationem in hoc casu, & in eo qui adducitur in argumento. Et explicatur magis discursu, quem proponit Valentia. Nam qui ita consentit, vel scit, & cogitat, tunc eiusmodi consensum esse iure inualidum ad matrimonium, vel nescit, aut non cogitat. Si scit, & cogitat, non vsurpabit tunc verba illa tanquam sacramenti formam, sed vt quantum est ex se declaret simpliciter, se consentire in illud, quod á se extorquetur, atque ita non peccabit. Verba enim formæ sacramenti alicuius inualidè vsurpari, tunc solum peccatum est, quando ex certa intentione vsurpantur alioqui vt forma, secus verò si alia ratione vsurpentur. Non enim est peccatum quod ad consecrationem attinet, vsurpare illa verba: *Hoc est corpus meum*, quãdo non ad consecrandum, sed ad alium finem commemorantur. Cum ergo in eo casu proferens verba matrimonij, non intendat proferre formam sacramenti, neque sacramentum conficere, plane non est peccatum sacrilegij. Si autem quis nescit consensum illum esse inualidum, aut etiamsi sciat, tamen de ea re non cogitat, ea ignorantia vel incogitantia excusabit illum â peccato sacrilegij. Nam in tanta perturbatione animi, & graui imminente periculo, facile erit adesse inconsiderationem inuincibilem in illo casu, siue alioqui dispositio illa iuris sciatur, siue quomodocunque ignoretur.

An si contracto matrimonio ex metu, sequantur sufficientia signa consensus, ratificetur matrimonium?

CAPVT XVII.

SVMMARIVM.

Explicatur status quæstionis. num. 1.
Copula ratificari matrimonium ex metu, si illa iam est sine metu, vbi locum habet. n. 2.
Item cohabitatione, & quid requiratur. n. 3.
Item illis actibus quibus sponsalia iure antiquo transeunt in matrimonium. num. 4.
Quid si ea signa ex metu fiant, prima sententia. num. 5.
Alia verior. num. 6.
Obijcitur, & diluitur. num. 7. & 8.
Argumenta primæ sententiæ dissoluuntur. n. 9.

1 EXplicabo primo quem effectum habeant, quando ipsa signa sine metu fiunt: deinde quando etiam eadem signa adhibentur ex eodem metu. Sed ante omnia supponamus hanc quæstionem potissimum habere locum in his regionibus, vbi decretum Tridentini de matrimonijs clandestinis nondum obseruatur, & etiam vbi receptum est, si ea signa adhibeantur cõram parocho, & testibus iuxta ea, quæ dicã infra lib. 5.

2 In primis ergò certum sit post matrimonium metu contractum copula animo maritalisacta ratificari matrimonium, iuxta ea, quæ diximus supra lib. 2. cap. 12. si enim copula reputatur signum sufficiens matrimonij, vt faciat sponsalia in matrimonium transire, idem dicendum est in isto casu. Estque communis Doctorum sensus, quos refert, & sequitur Thom. Sanchez lib. 4. disp. 18. num. 2. Notandum tamen, quod si quis putauerit se obligatum esse ex priori contractu per metum inito, & ex hac ignorantia cognoscat vxorem, non esse censendum matrimonium subsecuta copula, quia in hoc casu copula illa non est signum noui consensus ad contrahendum adhibiti, cum ille ex ignorantia putet validum esse primum contractum. Quæ fuit doctrina supplementi Gabrielis loco infra citando, & de qua agemus iterum postea in fine huius libri.

3 Secundò certum est etiam per cohabitationem spontaneam ratum haberi matrimonium ex metu factum cap. *ad id, de sponsalibus*, estque communis etiam Doctorum sententia, quos refert, & sequitur idem Author ibidem num. 3. Quę enim recedere potest ab eo, qui vim intulit, & non recedit, satis indicat cessasse metum, & amoto metu consentire, quod vnum ad matrimonij valorem desiderabatur. Vt autem ea cohabitatio censeatur spontanea, non requiritur, vt cum copula coniungatur, vt falsò existimauit Innocentius in cap. *ad id de sponsalibus*, & refellit idem Author num. 4. Requiritur tamen primò, vt is qui cohabitat sciat primum matrimonium fuisse nullum aliàs consentiet ex errore, atque adeò nihil efficiet, vt cæpi dicere, & latius dicam infra. Deinde requiritur vt ea cohabitatio sit diuturna. Quantū autem temporis intercedere debeat iudicis arbitrio relinquitur, qui id considerabit inspecta opportunitate fugiendi, & temporis commoditate. Si enim opportunitate existente, & etiam sufficienti tempore ad fugam honestè, & iuxta qualitatem personæ fugientis capessendā, non recessit, signum est metum abscessisse, & vel le ex consensu cohabitare. Quibus consonant ea quæ habet Farinacius 1. p. praxis, q. 35. num. 38. & 39. Denique requiritur consequenter, vt cesset timoris causa, dum cohabitat, durāte enim causa metus, durat metus, quamvis actus externus omninò liber videatur, vt docet communis Doctorum sententia, quos idem Author refert & sequitur disput. cit. num. 7. vnde fit necessarium etiam esse, vt cessauerint etiam cum causa metus alia impedimenta, licet enim causa metus cessaret, si tamen alij, vt consanguinei discessum impediant, satis est discedat quando per illos potest. Vnde Monachus non reclamans viuente patre non est in mora eo mortuo non reclamans, si ab alijs Monachis non est datus locus reclamandi, vt consulit Nauarrus commentario 4. de regularibus cap. *statuimus*, num. 19. quæst. 3. n. 71. Ex quo fit cum eodem Thoma Sanch. disp. cit. nu. 9. & 10. vt istis actibus censeatur sufficienter purgari metus, necessarium esse ita libere fieri, vt non possit interpretari alia ratione vel obligatione factos esse, vt constat in solutione vsurarum ex obligatione iuramenti: solutio enim illa non est signum libertatis sufficientis ad donationem, quia interpretari possumus factum esse ex obligatione religionis iuramenti, & eius reuerētia. Sed decisiones. Rotæ quæ plene explicant purgationem metus retuli supra cap. 14. num. fin.

4 Denique certum sit illis actibus, quibus supra lib. 2. sufficienter diximus sponsalia transire in matrimonium, aut consensum de præsenti prius inualidum fieri matrimonium, eisdem etiam ratificari contractum metu initum, si postea sine metu adhibeantur iuxta ibidem dicta. Quod quidem locum habet vbi non viget Tridentini decreti obseruatio. An verò idem dicendum sit, vbi obseruatur, dicam infra suo loco.

5 Sed tota difficultas est, an si ea signa etiam ex metu adhibeantur, matrimonium ratum habeatur. Prima sententia affirmat matrimonium cōsummatum copula etiam ex eodem metu prouenient esse validum. Sic docet Paludanus in 4. dist. 29. art. 4. conclusione 3. Soto ibid. quæst. 1. art. 3. circa fin. Couarruuias 2. part. de matrimonio cap. 4. & alij quos refert Thomas Sanchez disp. 18. num. 13. Probant primo ex cap. *significauit, de eo qui duxit*, vbi dicitur quod ille qui cum prima coactè contraxit, possit validè cum secunda contrahere, nisi copula interuenerit cum prima. Secundo, quia nisi esset validum, copula esset peccatum: ergo non fieret ex metu viri constantis, atque adeò talis metus non posset annullare matrimonium quia non est viri constantis.

6 Oppositam tamen sententiam tenet Ricardus in 4. dist. 29. art. 2. quæst. 2. Supplementum Gabrielis art. 3. dub. 2. Nauarrus in summa cap. 22. num. 51. Valentia disp. 10. generali quæst. 3. puncto 2. §. 4. sequitur Ægidius disp. 28. dub. 4. num. 42. Thomas Sanchez disp. cit. extatque nobis elegans decisio Rotæ apud Farinacium lib. 2. decis. 265. quam omninò vide. Et mihi placet hæc sententia, quamvis displiceant nonnullæ rationes ex illis, quibus probat Thomas Sanch. supponit enim in illis matrimonium ex copula per metum consummatum irritari per Ecclesiam, cum tamen non irritet Ecclesia, sed iudicetur irritū, vel quia non adest cōsensus, vel quia ille non est sufficiens etiam cum copula, iuxta ea quæ dixi supra isto li. cap. 14. cum sermo esset de matrimonio per metum contracto. Probatur ergo hæc sententia hac vnica ratione. Quia metus cadēs in virum constantem reddit nullum matrimonium. Sed hic metus talis est, quantum ad extorquendum consensum quem sequatur copula. Ergo illud matrimonium est nullum defectu consensus. Igitur quæ sequitur

copu-

copula,non facit matrimonium, cum destituatur consensu sufficienti, quia contractus præcedens nullus omninò fuit,& ita dicendum est copulam postea subsecutam coactã fuisse, ex metu tamen cadente in virum inconstantem, constans enim semper operatur illęsa virtute, illa autem copula fornicaria fuit.

7 Sed dices.Ergo matrimonium fuit validum, siquidem metus fuit solum cadens in virum inconstantem. Soto loco citato, & Recentiores alij existimant vtranque partem esse probabilem ob istud argumentum. Verumtamen hoc argumentum nihil contra nos probat, quia metus ille solum fuit viri inconstantis respectu copulæ, at respectu prioris contractus verè fuit metus cadens in virum constantem. Quare prædictæ nostræ probationis vis in hoc consistit, aut ad hanc formam reduci potest. Vel quando copula fit ex metu, interuenit tũc maritalis affectus, vel non. Si hoc secundum,copula tantum non facit matrimonium ex omnium sententia, quia non est consensus,& illa est fornicaria.Vel etiam tunc est affectus,& cõsensus maritalis,& ille ex metu non sufficit ad matrimonium, sicut neque quem antea extorserat metus. Vnde etiam ea copula ex eo affectu fornicatio est, nisi ex ignorantia accedens excusetur,putans secutus opinionem probabilem,eam sufficere ad matrimonium. Itaque contractus ille matrimonij etiam in eo casu nullus est, ex eo quod,quamvis inconstans fuerit in eligendo copulam ad euitandum metum,defuit tamen consensus ad matrimonium necessarius.

8 Quod si dicas. Saltem consensus explicatus per copulam faciet matrimonium, cũ copula interdum sit signum talis consensus, & respectu illius metus iste sit viri inconstantis. Respondetur tamen copulam non esse signum expressiuum consensus coniugalis, neque per illam ratificari sponsalia, etiam quando sponsalia facta sunt libere nisi copula ipsa omninò voluntaria sit, & procedat ex consensu maritali, alias non est signum voluntatis concedentis plenum corporis vsum, qualis esse solet inter coniuges. Quæ doctrina aduertenda est pro solutione rationis primæ sententiæ, quæ multum negotij exhibuit nonnullis Doctoribus, & illustranda illis,quæ dixi supra lib. 2. cap.12. de copula signo matrimonij.

9 Ad fundamenta primæ sententiæ respondetur.Ad primum ex cap.*significauit*, dico ibi sermonem esse non de copula ex metu facta, sed omninò libere secuta, & in eo casu præsumit forum exterius repetitum esse consensum sufficientem, vt colligitur ex citato cap.& docet, Couarruuias 2.p.de matrimonio cap.3.num.2. & alij. Pro foro autem interiori semper considerandũ est, an re ipsa habuerit verum consensum. Sed obijcit Couarruuias semper ex subsecuta copula præsumi esse matrimonium,ne præsumamus illum peccare. Hoc tamen nullius momenti est, quia vt dixi supra lib. 2.cap. 12,copula in tantum est signum matrimonij quatenus omnibus consideratis significat priorem voluntatem sponsalium processisse ad plenum vsque consensum, qualis esse solet inter coniuges, hoc autem, vt dictum est, non significat, quando copula ex metu fit. Ad secundum constat ex dictis. Atque hæc quæ hactenus de copula diximus,fortiori ratione intelligenda sunt de cohabitatione,& alijs signis matrimonij,quando ex metu procedunt.

An matrimonium ex leui metu contractum valeat iure naturali, & positiuo?

CAPVT XVIII.

SVMMARIVM.

Prima sententia. num.1.
Secunda verior non vitiari matrimonium ex leui metu.num.2.
Probatur ex iure. num.3.
Et ex ratione.num.4.
Proponuntur quatuor rationes primæ sententiæ, & diluuntur.num.5.6.7. & 8.
Idem dicendum iure positiuo. num.9.

1 AGimus de metu, qui inspectis omnibus circunstantijs reputatur leuis. In quo prima sententia affirmat leuem metum reddere nullum matrimonium,quando revera ita extorquet consensum,vt sine eo metu non fieret.Hanc tenent non pauci Doctores. Gabriel in 4.dist. 29.quæst.2.art.2.conclusione 4.Nauarrus in summa cap.17.num. 29. & cap.22.num.51. notabili 1. Couarruuias p.2. cap.3.§.6.n.4. & alij quos refert Thomas Sanchez disput. 17.num.2. Fundamenta horum Doctorum proponam postea, atque dissoluam. Hanc sententiam Thomas Sanchez ibidem nu. 4. fatetur esse satis probabilem, & sustinendo

matrimonium ex graui metu esse irritũ iure naturæ maiorem probabilitatem habere.

2 Cæterum verior est secunda sententia, quæ docet matrimonium ex metu leui contractum, etiamsi is metus dederit causam contractui, valere quidem iure naturali, & positiuo. Quæ sententia cõmunis est Theologorum, & Iurisperitorum, quoslatè refert & sequitur Thomas Sanchez ibidem. nu. 3. & Rebellus lib. 2. cit. q. 11. sect. 1. concluf. 3. qui rectè limitat, nisi forte ex aliquo accidenti contingat, eo metu leui consensum omninò tolli. Probat Thomas Sanchez non alia ratione, nisi quia Ecclesia non irritauit matrimonium contractum ex leui metu, irritauit autem cõtractum ex metu graui. Sed hæc ratio insufficiens est, cum iam supra, cap. 15. ostenderimus matrimonium ex metu graui celebratum non esse irritum iure tantum Ecclesiastico, sed naturali. Quare aliunde hæc sententia probanda est.

3 In primis igitur probo ex ipso iure Ecclesiastico, vrgendo rationem allatam, capite citato. Quia ius Ecclesiasticum, dum dicit matrimonium ex metu graui contractum nullum esse, non constituit in eo nouam legem, sed tantum explicuit iuris naturalis rationem, secundum quam non est sufficiens ad matrimonium consensus extortus metu graui. Sed Ecclesia eam declarationem non fecit pro matrimonio contracto ex leui metu, sed ex graui. Ergo sensit iure naturali non esse irritum matrimonium ex leui metu. Maiorem huius argumenti probaui supra capite citato. Minorem vero facile probare possumus ex capit. *consultationi, & cap. veniens 2. de sponsalibus*, vbi dicitur, audiendum esse eum qui allegat metum cadentem in virum cõstantem. Quod si sentiret Ecclesia matrimonium ex leui metu non valere, præciperet etiam audiri ne in concubinatu remanerent. Ad huius autem probationem non vtor, *cap. 1. & cap. penult. de his quæ vi*, quibus vtitur Thomas Sanchez, quia in illis agitur de nullitate professionis ex graui metu: & quamvis professio iure naturæ graui metu facta non valeat, vt dixi supra, attamen non est similis contractui matrimonij, in quo datur res pro re, sed in quo datur promissio pro traditione.

4 Deinde etiam probo ista consideratione. Quia in matrimonio non deest titulus sufficiens, vt transferatur dominium, cum detur corpus pro corpore, si adsit voluntarium, quod exigit specialis natura huius contractus. Videamus ergò an speciali rationi huius contractus repugnet voluntarium cum leui metu. Coniugium quidem perpetuum est, & indissolubile. At leuis metus non obstat perpetuitati coniugij, quia sicut facili negotio concipitur facili etiam negotio depellitur. Matrimonium præterea est vinculum mutui amoris. At quominus inter aliquos oriatur amicitia, non obstat leuis metus, sicut, nec leues offensæ ex natura sua dissoluunt amicitiam. Pari etiam ratione non videtur obstare educationi prolis, nec esse magni alicuius damni occasio, qui enim leuis metus causa rixas excitaret impudens iudicari deberet. Adde liberorum procreationem non esse primarium finem matrimonij. Nulla ergo ratio est, propter quam dicamus leuem metum pugnare cum natura matrimonij. Horum autem omnium ratio desumitur ex his, quæ dixi supra: quia qui operatur ex metu leui, non dicitur neque vi, neque metu operari, vt dicebat I. C. quia habet in sua potestate sufficiens principium, quo possit metum repellere, cum operetur imprudenter, imprudentiam autem, cum vitium sit, expellere potest. Quare qui cum adeò facile se eo metu liberare possit, non liberat, iure optimo censetur liberè operari. In quo vides, etiamsi censeamus contractum matrimonium ex graui metu iniustè illato nullũ esse naturali iure, non sequi vllo pacto non valere, si ex metu leui fiat, vt falsò dicebat Thomas Sanchez loco citato.

5 Sed vt nihil scrupuli inijci possit his, qui nostra probauerint, videamus, quæ sint illæ rationes primæ sententiæ, propter quas Thom. Sanch. iudicat satis esse probabilem. Prima ratio est, quia cæteri cõtractus ex metu leui celebrati sunt inualidi in foro conscientiæ, in hoc sensu, vt per illos adquisita sint restituenda, quia non sunt plenè liberi. Sed matrimonium maiorem petit libertatem. Ergò à fortiori irritabitur ex metu. Et confirmatur, quia idem metus sufficiens ad cæteros contractus rescindendos annullat matrimonium. Sed cæteri contractus metu leui rescinduntur in foro conscientiæ. Ergo & matrimonium. Sed facile diluitur hoc argumentum iuxta dicta supra. Nam cæteri contractus ex metu leui facti neque iure naturali, neque positiuo rescindendi sunt, neque quod leui metu habetur est restitutioni obnoxium, aliàs non valeret, vt iam supra non semel ostensum est. Quare assumit hoc argumentum principium omninò falsum, neque

neque satis cum eorum Doctorum doctrina cohærens.

6 Secunda ratio. Quia ius cõstituens discrimen inter metum grauem,& leuem, nititur præsumptioni, præsumit enim metum grauem causam esse actus, qui ex metu fit, leuem autem minime. Ius autem innitens præsumptioni, non habet locum in foro conscientiæ, si stet veritas in contrarium *ca. tua, & cap. is qui fidem, de sponsal.* Ergo si metus ile leuis fuit causa matrimonij, revera nullum erit. Hoc etiam argumentum ex dictis facile diluitur. Dico enim primo nullitatem contractus matrimonij ex graui metu celebrati non esse ex vlla dispositione iuris positiui, quod posset inniti præsumptioni, sed ex ipso naturali iure, quod veritate tantum nititur: ius autem positiuum solum declarasse dispositionẽ iuris naturalis, vt probatum est supra cap. 14. & eodem iure naturali valere matrimonium ex leui metu in specta etiam rei ipsius veritate. Cuius ratio colligẽda est ex dictis: quia nõ præsumitur, sed revera ita est eum, qui ex graui metu cõtrahit, ex metu operari, cum non sit in eius potestate grauem illum metum expellere, & præterea etiam ex eo metu operans sit constans. At cum operatur ex leui metu nõ præsumitur, sed revera ita est illum nõ operari ex metu, neque leuem metum dedisse causam contractui, quia facile in sua potestate habet illum â se repellere.

7 Tertia ratio est, quia ideò minor metus sufficit in fœmina vt sit grauis, irritetque matrimonium, quàm in viro, quia propter subiecti imbecillitatem minor metus eundem effectum in illa operatur, quem maior in viro. Ergo si leuis metus eũdem effectum coactionis, & ablationem plenitudinis libertatis operatur in fœmina, vel in homine imbecilli, irritabit similiter matrimonium. Vnde vir inconstans ita cogetur per leuem metum, atque constans per grauem. Neque inter eos distat in consensus coactione, sed in motiuo, constans enim non timet ex leui æstimatione, qua inconstans terretur. Respondetur tamen rationem hanc leuis esse momenti. Nam intrà terminos grauis metus minus motiuum sufficit in fœmina quam in viro, dummodo tamen maneat operatio intra terminos prudentis, atque constantis fœminæ, vt dixi supra cap. 2. At quando metus leuis est, non habet eundem effectum, idque manifestè constat, quia in sua potestate habet leuem metum repellere. Quare si non repellit, ideò est, quia non vult repellere, ac proindè inconstans est, & imprudẽter agit.

8 Vltima istorum ratio est. Quia ideò metus grauis irritat matrimonium, quod plenam consensus libertatem impediat in viro constanti. Ergo similiter irritabit metus leuis tantum libertatis auferens in viro, qui natura sua non est adeò constans. Vnde in hoc casu videtur etiam locum habere ratio Pontificis *c. cum locũ. de sponsal.* Respondetur tamen verum esse ob eam rationem reddi nullum matrimonium ex metu graui contractum: negamus tamen eandem rationem locum habere, quando interuenit leuis metus. Neque enim is metus aufert plenam libertatem ex sua ratione, sed ex culpa operantis. Nam cum is in sua potestate habeat posse repellere metum leuem, non potest dici operari ex eo, sed ex mera sua voluntate. Vnde nunquam iste metus leuis dat causam cõtractui, si rectè cõsideretur. Quod autem inconstans eo moueatur, non efficit, vt gestum illud re ipsa dicatur vi aut metu fieri, potest enim, & debet prudenter operari, & vt operaretur prudenter, in se habet principium repellendi metum, quod secus est in metu graui iniustè illato.

9 Ex his denique colligitur idem dicendum esse iure positiuo, scilicet valere matrimonium ex metu leui, vt constat ex prima probatione nostræ sententiæ.

An metus iustè illatus reddat nullum matrimonium?

CAPVT XIX.

SVMMARIVM.

Quid agendum. num. 1.
Prima regula. num. 2.
Valet matrimonium eius, qui ex metu gehennæ contrahit, vel simili. num. 3.
Item eius, qui in carcerem coniectus est, si non ob eum finem coniectus est. num. 4.
Item matrimonium obsessi cum filia obsidentis. num. 5.
Item eius matrimonium, qui vt euadat mortem, quam Rex iuste minatur offert matrimonium. num. 6.
Secunda regula. num. 7.
Valere eius matrimonium, qui iuste ob eum finẽ mittitur in carcerem. num. 8.
Item si vt mortem euadat, ex aliquarum regionũ consuetudine ducat meretricem. num. 9.

Item

Item si deprehensus in stupro offerat matrimoniũ dummodo id non faciat ex minis mortis. num. 10.

Quid quando iudex infert eum metum tantum iustè secundum allegata, & probata. num. 11.

Tertia regula. num. 12.

Si iudex promittat impunitatem mortis, quem iustè damnare poterat, si ducat eius filiam, non valet. num. 13.

Idem si iudex deprehensum in stupro cogat ducere, si volentem illam cognouit. num. 14.

Idem de medico, qui minatur se deserturum infirmum. num. 15.

Quando liceat Principi impedire subditorum cõiugium coactione. num. 16.

Posse etiam, si iusta subest causa, quando tantum cogit ne contrahat cum aliqua. nu. 17.

Idem dicendum de Magistris militiarum comparatione suorum militum. num. 18.

1 HVIVS rei decisio facile colligi poterat ex dictis supra cap. 13. Sed vt magis in speciali explicetur, & vt variis corollarijs deductis elucidetur, in quibus non omnes conueniunt, ideò sigillatim hoc loco rem hanc examinare placuit, procedemusque eisdem regulis, quibus cap. cit. rem istam in alijs contractibus explicuimus.

2 Prima ergo regula sit: *Siue ex metu iuste, siue iniuste incusso, siue ab intrinseco aliquis timeat damnum aliquod, quod vt euadat ipse offerat contrahere, & contrahat matrimonium, valet iure naturali, & positiuo.* Sic etiam docet Rebellus dict. quæst. 11. sect. 1. num. 13. & 14. & in hoc conuenit etiam nobiscum Ægidius disput. 28. dub. 1. conclusio. 4. quamvis in nonnullis huius regulæ exemplis non conueniat. Ratio autem manifesta est. Quia quando metus est ab intrinseco non dicitur aliquis ex metu agere ea ratione, quia potest à se eum metum repellere benè, & ex virtute operando. Quando verò est ab extrinseco, si metus est iustè incussus, ipse etiam sibi metum infert, vt dicebat I. C. in dict. *l. si mulier de eo quod metus causa*. Si autem est incussus iniustè, & non ad eum finem revera inijciens metum non est causa illius actus, vt loco citato explicatum est.

3 Hinc infertur primo matrimonium ex metu Gehennæ vel mortis subitæ, vel naufragio impendente, vel ægritudine vrgente contractum cum concubina, valere quidem propter rationem dictam. Potest enim se eo metu liberare, cum sit ab intrinseca causa, & non extrinseca. Sic docet citatis multis Thomas Sanchez lib. 4. disputat. 12. num. 4. Idem dicendum cum eodem Authore num. 5. & alijs quos citat, de eo, qui ducit vxorem, quia Medicus dicit moriturum ægrotum ex humoris abundantia, nisi copuletur vxori.

4 Secundò colligitur valere etiam matrimonium detrusi in carcerem, qui non ob eum finem coniectus est, etiamsi ille faciat vt carcere liberetur. Non dico modo, si contrahat cum filia iudicis, aut ad instantiam iudicis, de eo enim dicam statim. Vt enim supra docuimus, contractus incarcerati etiam iniustè, qui non fiunt cum in carcerante, neque ad instantiam incarcerantis, valet ex Farinacio prima parte dict. quæst. 35. Valet etiam matrimonium captiui apud hostes ex eodem fundamento, in quo minus benè locutum esse Innocentium docet Thomas Sanchez ibid. num. 7.

5 Tertiò infertur, valere etiam matrimonium obsessi cum filia obsidentis, vt liberetur obsidione, si non ad eum finem obsideatur, etiamsi iniusta sit obsessio. Ille enim à periculo, in quo est, liberari desiderat. Atque idem est à fortiori dicendum, si iusta obsessio sit. Sic docet Thomas Sanchez disp. cit. num. 13. Rebellus d. quæst. 11. sect. 2. num. 15.

6 Quartò infertur, si Rex deprehenso in homicidio, vel alio crimine, propter quod iustè posset occidere, minetur mortem, & per se tantum intendat pro crimine supplicium sumere, tu vero, vt mortem euadas, sponte eandem fœminam poscas in vxorem, quamvis scias non aliter condonandam esse pœnam, matrimonium valet, vt docet Rebellus loco citato num. 14. in fine, propter eandem rationem.

7 Secunda regula est. *Quoties metus infertur iuste ad extorquendum matrimonium, quia ordo iustitiæ postulat vt cogatur, vel vt fiat in compensationem, valet matrimonium.* Ita docent non pauci, quos refert & sequitur Thomas Sanchez disput. 13. citat. à num. 3. Ratio eadem est. Quando enim iuste metus infertur, non extorquetur consensus iniuste, nec per iniuriam, & is qui cogitur non est rationabiliter inuitus, quando quidem iure cogitur, & ille in non parendo recedit à iure & æquitate. Vnde ipse potius sibi metum infert, vt explicui supra. Eadem regula constat ex *cap. 1. & 2. de adulterijs, & cap. ex literis 2. de sponsal.*

8 Ex

8 Ex qua regula colligitur primò iustè posse aliquem detrudi in carcerem, vt contrahat matrimonium, quando fidem dedit, & validum erit eiusmodi matrimonium, quia iustè in eo casu inferri potest metus ad illum finem. Nec verò necessaria erit quorundam iudicum cautela, qui incarceratum extra carcerem constituunt, sub custodia tamen, & ab eo sic extra carcerem posito contractum exigunt, quam cautelam reprobat multis citatis Farinacius dict. quæst. 35. num. 5. Si enim iniustè exigeretur consensus, illa cautela nihil prodesset, neque ob id libere contrahere diceretur. Nam donec contrahens custodem habet, ita vt non possit ire libere quo velit, dicitur esse in carcere *l. qui neque, D. de verborum signifi.* Dicitur enim detineri ille, qui non potest recedere, & qui non est in libertate sua, sed sub custodia, adhuc dicitur incarceratus, & in vinculis. Facit etiam textus in *l. succurritur, D. ex quibus causis maiores*, vbi carceratus dicitur, qui aliquo modo distringitur, vt euadere non possit, & inuitus detineri dicitur, qui abire non permittitur. Eandem etiam cautelam reprobat Thomas Sanchez disp. citat. num. 4. Atque eodem modo iudicandum est, quando aliquis per excommunicationem cogitur aliquam ducere, cum qua sponsalia contraxit, vt docet idem Thomas Sanchez ibidem num. 6. Est enim illa excommunicatio iusta, & metus infertur ab intrinseco: iustæ autem excommunicationis metum grauem non esse ostendi supra isto libro.

9 Secundò colligitur, quod si quis, vt mortem euadat ad quam damnatus est, ex aliquarum regionum consuetudine, vel sta tuto ducat meretricem, valet matrimonium, censetur enim à Republica ea sufficiens compensatio delicti. Compositio autem facta ab incarcerato etiam ex metu ad id incusso, quando expediens iudicatur, valet, vt dixi cum Farinacio loco cita. Idem dicendum, si illi, qui capite plectendus est ob homicidium probatum legitimè, promittatur impunitas, si ducat filiam occisi, vel vxorem defuncti, est enim compositio facta iuste per iudicem, valetque etiamsi, vt matrimonium fiat, damnetur ad mortem, dummodo damnetur iustè. Si enim iniustè damnetur, contrahet ex metu cadente in virum constantem. Atque ex hoc capite probanda est, quæ multis in locis viget de eo consuetudo, quam probat etiam idem Thomas Sanchez ibidem num. 12. Valentia disp. 10. generali quæst. 3. puncto 2. verficulo *Tertio sequitur*. Quam consuetudinem ideò defendi dicit Thomas Sanchez, quia metus iam cõceptus aufertur ea impunitate oblata si nubat. Melior tamen mihi videtur ratio, quia licet iudici compellere etiam ad compositionem iustam, magistratus enim vim non infert, vt dicebam supra. Vnde Nauarrus, quem refert idem Auctor loco citato scribit solere Pontifices sub eadem conditione, aut ingrediendi religionem pœnas debitas remittere.

10 Tertiò colligitur idem dicendum esse, si deprehensus in stupro offerat consanguineis matrimonium cum illa, vel in adulterio deprehensus offerat matrimonium cum aliqua consanguinea mariti, dummodo id non faciat metu mortis inferendæ â consanguineis, vel à viro. Is enim metus esset illatus iniustè, cum non possint iustè occidere, sed tantum comprehendere, & iudici prodere. Valet autem in eo casu matrimonium huiusmodi, quia offertur vel exigitur in præmium, ne prodatur vel accusetur, quod iustè facere poterant, quia ibi potissima est iniuria consanguineorum vel mariti, & eo tendere debet iudicis sententia, vt illa iniuria compensetur. Quare si sine sententia compensationem offert, quam læsus iudicat sufficientem, nihil agitur contra bonos mores. In quo vides latum esse discrimen inter hunc casum, & eos, de quibus agitur in *l. nec timorem, & l. isti quidem D. de eo quod metus causa*, vt iam supra explicatum est. In huius illationis doctrina conuenit etiam nobiscum Ægidius disp. 28. cit. dub. 2.

11 Quartò infert Thomas Sanchez disp. 13. cit. num. 8. non tantum valere matrimonium, quando iudex revera iustè infert metum ad eum finem, sed etiam quando infert iustè tantum secundum allegata & probata, vt si cogat aliquem ad ducendam vxorem illam, cui fidem dedit, sed post fidē datam illa cum altero rem habuit, cum tamen probari non possit. Ego tamen existimo in hoc casu matrimoniū ex ea coactione contractū esse omninò nullum, quia revera est vis & coactio ab extrinseco, cum ea sententia iudicis, quæ fundatur in peculiari præsumptione, omnino deficiat ea præsumptione deficiente, & ex consequenti non obliget. Et quamvis sit bellum iustum ex parte iudicis, id tamen est per accidens, & ratione ignorantiæ, nam etiam ex parte rei est bellum iustum innixum veritate ipsa, quæ præ

ualet

ualet presumptioni, vt alio explicamꝰ loco.

12 Tertia regula est. *Quoties in eo metu inferendo, etiamsi iustam originem habuerit, aliquid sit contra bonos mores, matrimonium ex eo metu contractum nullum est, perinde ac si fieret ex metu iniuste illato*, propter rationem dictã supra ca. 13. quam ibi latè prosecuti sumus. Atque iuxta hanc regulã intellexerim plures Doctores, qui docent etiam metum iustè illatum ad extorquendum matrimoniũ illud irritare, quos refert Thom. Sanch. q. 13 citata n. 1. licet sine distinctione loquantur.

13 Ex hac regula colligitur in primis, quod si iudex eum, quẽ iustè ad mortẽ damnare debuerat propter delictũ contra se vel alios de Republica cõmissum, impunitate oblata inuitet, vt filiam ipsius iudicis ducat, non valere matrimonium, vt docuit etiam Rebel. d. q. 11. sect. 2. n. 14. & 15. in quo non rectè locuti sunt Thom. Sãch. disp. 12. n. 10. Ægid. d. disp. 28. dub. 1. cõclus. 3. n. 10. Quia, vt cõstat ex dictis sup. c. 13. ille revera tunc infert metum iniustè, abutiturq; potestate, cum non fiat vlla delicti cõpensatio, ratione cuius metus iustè possit inferri. Quare idem est, ac si incuteretur iniustè, in quo vides longe diuersam esse rationem, cum metus infertur, vt ducat filiã, vel vxorem occisi, infertur enim ad cõpensationem delicti, quæ vt diximus licita est. Quare cum Rex vel iudex dãnato ad mortem offert impunitatem, si ducat aliquam, quæ non est ducenda in cõpensationem delicti, si rectè & attente consideretur, non tam aufertur metus iam antea conceptus, sed infertur denuo, nisi faciat. Commune enim est omni, qui liberat metu siue iustè, siue iniustè illato aliqua re oblata, vt auferat metum antea conceptum. Fauetque huic nostræ sententiæ ea doctrina, quam refert, & sequitur Farinac. 1. p. q. 35. cit. num. 30. vbi dicit contractus carcerati valere, quando carcer iustus fuit. Quam tamen limitationem intelligendam dicit, dummodo contractus fiant incarcerantis vtilitatem, non vero si fiãt in fauorẽ officialis, vel iudicis, vel detinentis in carcere. Quia tunc licet carceratio sit iusta, promissio carcerati non valet. Et quidem in eo casu est manifesta etiam turpitudo ex parte iudicis, cum non possit reum absolue re à sententia sine iniustitia, sed ideò absoluat, vt nubat.

14 Secundò colligitur si iudex deprehensum in stupro carceri addicat, & obligare velit, vt eam quam volentẽ, & sine fidẽ data cognouit, ducat vxorem: non valere matrimonium, quia tunc metus esset grauis, & iniustè illatus, quia tantum ex iure tenetur, vel ducere, vel dotare. Quare iniuriã infert iudex cum cõstringit, vel ad ducendam illã vel etiam ad dotandam tantum, cum sæpe contingere possit, vt dos cõcedenda fœminæ sit maior pars bonorum stupratoris, quæ sufficit inferre grauẽ metum iuxta dicta supra. Solum ergo cogere potest ad ducendã illam vel dotandam sub disiunctione, idque docuit Thom. Sanch. disp. cit. n. 7.

15 Tertiò colligitur idem dicendum esse si Medicus, qui ex iustitia curare tenetur, minetur alicui fœminæ se deserturum illã, nisi cum ipso contrahat, vel cum alio, quem ipse elegerit, nullum enim est matrimonium, quia contra bonos mores metus illatus est, atque adeò iniustè, sic docent Ægid. loc. cit. num. 11. & 12. Rebel. loco cit. num. 16. Qui tamen sentit aliter dicendum esse, quando Medicus non tenetur ex iustitia mederi, sed petit matrimonium illud in præmium curationis, quod mihi non omninò placet, vt dixi cap. præcedenti.

16 Iuxta hæc quæ in hoc capite dicta sunt facile erit intelligere, quando liceat Principi suorum subditorum matrimonia impedire, vel eos etiã ad matrimoniu cogere. Quãdo namque iusta causa adest, rectè potuit Principes adigere subditum aliquem ad matrimonium. Neque id pugnat cum Tridentini decreto sess. 24. reformat. matrim. cap. 9. Id enim probant superiora omnia, & Tridẽtinum intelligendum esse de vi iniusta, est cõmunis sensus, alias nunquam posset quis iustè adigi ad matrimonium, quod absurdũ est. Atque de vi iniusta sermonem esse tantum iudicant illa verba decreti: *Cum maxime nefarium sit ab ijs iniuriam nasci, à quibus iura expectantur*. Adde Tridentini decreto, & excommunicatione ibi lata non ligari Reges, aut Imperatores cum de illis nõ fiat expressa mentio, nec ligari etiam patres, sed tantum temporales quosdã dominos, & publicam forensem iurisdictionem habentes. vt iudices, & Episcopos, vt optimè Thomas Sanchez li. 4. disp. 22. in fine. Oportet enim Regem aut Imperatorẽ exprimi, vt expressit Tridentinum Session. 22. cap. 11. de reformatione, & exprimit Bulla Cœnæ.

17 Secundò colligitur idem fortiori ratione dicendum esse, quando non cogit, vt cum aliqua determinate nubat, sed tantum metu, & vi adigit, ne cum certa quadam fœmina ineat matrimonium, liberum relinquens, vt eligat aliam. Nam Concilium expresse

presse loquitur de matrimonio, cum certa ac determinata fœmina, vel quando non relinquitur liber ad ineundum matrimoniũ. Est autem moraliter impossibile, si cui iustè impediatur matrimoniũ cum certa quadam fœmina, aditum etiam intercludi ad ducendam vxorem aliam sibi conuenientem. Idem quod de Principe, intelligo, de patre superiori, & alijs eiusmodi. Et quidem id verum esse conuincit antiquus Ecclesiæ vsus, multis enim ob aliquod delictum aditus ad coniugia præcludebatur, itaque coniux à nullo duci poterat, nihilque ab Ecclesia actum contra libertatem matrimonij, vt dixi supra.

18 Idem etiam multo potiori ratione dicendum est de Magistris Militarium Ordinum respectu suorum militum. Ordinis enim sancti Iacobi milites (eorum statuta legi tantum, ac Bullas Pontificias) à sua prima confirmatione per Alexandrum III. nubere non possunt sine licentia Magistri. Id quod iure optimo statutum est, vt videat, considereteque Magister, an eligant vxorem, quæ & ipsis, & ordinis splendori ac dignitati conueniat. Præuidit autem sine dubio Pontifex sæpe Magistrum nonnulla prohibiturum coniugia, quæ scilicet milites minus decerent, illiqúe vel amore, vel libidine cæci appeterẽt; imò ea fuit tota ratio eius constitutionis. Neque existimauit in eo lædi libertatem matrimonij, si quis iuxta id quod æquum est, & non iuxta id quod lubet, compellatur abstinere ab vxore ducenda. Et forsan multis indecoris coniugijs præcluderetur occasio, si Pontifex irrita redderet coniugia equitum Militarium absque consensu expresso Magistri contracta. Adeòque verum est præuidisse Pontificem multa eiusmodi connubia impedienda, idque æquissimum iudicasse, vt acriter inuehatur Innocentius III. contra equites Militares extorquentes à Magistro licentiam ad coniugia, inquit enim: *Cum igitur in ordine militiæ Sancti Iacobi iam contractum ante factam professionem matrimonium tolleretur, & post etiam ex Magistri licentia contrahi permittatur, quidam de fratribus ipsis, sicut re significante didicimus ex his occasionem sumentes à te de ducendis vxoribus nituntur indulgentiam extorquere, quæ si passim daretur, in detrimentum domus non modicum redundaret. Nos ergo indemnitati domus tibi commissæ paterna solicitudine præcauere volentes, authoritate præsentium inhibemus, ne aliquis fratrum eiusdem ordinis à te vel successoribus tuis contra regulam vestram licentiam extorqueat contrahendi, ita vt eadem regula firmiter obseruetur, &c.*

Errore circa substantiam dirimi matrimonium, & alios contractus, siue actus.

CAPVT XX.

SVMMARIVM.

Errorem auferre consensum. num. 1.
Eius variæ diuisiones. num. 2.
Errorem circa substantialia vitiat iure naturæ. num. 3.
Aliquando error qui est circa substantiam in vno actu, esse accidentalem in alio, & exemplis explicatur. num. 4.
Quo modo error circa substantialia dicatur dare causam contractui vera explicatio. n. 5.
Quædam obseruatio. num. 6.
Matrimonium ex errore erga personam nullum esse iure naturæ, & positiuo. num. 7.
Eleemosynam ob paupertatem fictam donatam, nullam, nisi de animo donantis constet oppositum. num. 8.
Idem de donatione titulo consanguinitatis, aut amicitiæ, si non est amicus, nec consanguineus. num. 9.
Idem si Episcopus conferat beneficium cum ignorantia beneficij. num. 10.
Idem quando cum falso libello, tacenti quod de iure exprimendum erat, beneficium impetratur. num. 11.
Quid dicendum in votis, cum ex errore singularium concipiuntur. num. 12.
Quis error in emptione vitiet. num. 13.
Errorem virginitatis in seruo qui emitur accidentalem esse. num. 14.
Obijcitur ex textu in l. quid tamen de contrah. empt. quorundam solutio reijcitur. n. 15.
Aliorum etiam solutio reijcitur. num. 16.
Respondetur ex propria sententia, & remittitur maior explicatio. num. 17.
Alia obiectio ex l. si sterilis de actio. empti. numero 18.
Alia obiectio ex l. Labeo de contrah. empt. n. 19.
Alia obiectio ex eo quod in stipulatione, & pignoris datione error materiæ non vitiat. num. 20.
Errorem concomitantem circa substantiam etiam obstare matrimonio. num. 21.

1 HÆC est secunda pars huius libri, in quo proposuimus explicanda ea, quæ iure naturali pugnent cũ matrimonij consensu. Dictum hactenus de metu, qui consensum tollit, dicendum in sequentibus de errore. Qui quidem, vt elegãter docet D. Thom. in Additionibus q. 51. art. 1. ideò pugnare dicitur cum matrimonio, quia aufert eius causam, scilicet, cõsensum, errantis enim nullus est consensus, cũ actus voluntatis sine actu intellectus esse non possit, error autem aufert actum intellectus debitum, cum ponat peruersum iudicium, ex quo sequitur consensus voluntatis diuersus ab eo, qui sequeretur ex recta cognitione & iudicio. Et quamvis quoad hoc idem dicendum sit de ignorantia, cum auferat cognitionem, sine qua non sequitur actus voluntatis debitus, communiter tamen nomine erroris vtimur in ea significatione, quia ea existente ignorantia est etiam falsa cognitio in intellectu, quæ est error, ex quo sequitur indebitus actus voluntatis. Solet autem communiter à Doctoribus distingui error personæ, error cõditionis seruilis, error qualitatis intrinsecæ, scilicet pulchritudinis, vel virginitatis, & error etiam qualitatis extrinsecæ, scilicet, diuitiarum. Et quod attinet ad errorem cõditionis seruilis, quia ille solum est ex iure positiuo, vt error seruitutis est, cum seruus iure inhabilis sit ad contrahendum matrimoniũ cũ ingenua in certis casibus, de eo agendum est infra lib. 7. cum dicemus, de his quæ pugnant cum matrimonio ex parte inhabilitatis personarum, de alijs autem in hoc libro. Spectat enim eorum tractatio potius ad hanc partem, in qua de pugnantibus cum legitimo consensu matrimonij agimus, quam ad aliam partem de inhabilitate personarum contrahentium.

2 Deinde obseruandũ est errorẽ accidere posse, ita vt det causam actui, & illum antecedat, & ex eo errore ducatur agens, aut potest concomitanter se habere, cum quis ita affectus est, vt etiamsi sciret esse aliter, quã existimat, aut sibi persuadet, nihilominus faceret, quæ latè à nobis in materia de peccatis explicata sunt.

3 Est ergo communis certaque sententia, pro qua non est necessarium Authores referre, quæ docet errorem antecedentem, ideſt, qui dat causam contractui circa substantialia, cuiusvis contractus, & ex consequenti circa substantialia matrimonij, reddere illud nullum iure naturæ. Vnde Diuus Thomas loco citato dixit errorem circa personam in matrimonio reddere illud nullum, idque iure naturæ ex defectu consensus, & habetur *cap. vnico 29. quæst. 1. & capitua nos de sponsal.*

4 Potest autem contingere, vt aliquid sit circunstantia, & accidens respectu alicuius contractus, & tamen pertineat ad substantiam alterius. Persona enim pertinet ad substantiam matrimonij, datur enim corpus pro corpore, & tamen accidentaria est in contractu emptionis, & venditionis: & qualitas est accidens comparatione matrimonij, & tamen pertinet ad substantiã contractus emptionis. Similiter etiam in alijs sacramentis parum refert error personæ, neque eius error reddit inualidum sacramentum, vt si quis existimet se baptizare, vel absoluere filium Petri, & baptizet vel absoluat filium Ioannis, valet baptismus, vel absolutio, at matrimonium error personæ nullum reddit. Quia ad alia sacramenta error personæ accidentariè pertinet, tantum enim debet habere animum baptizandi præsentem, quicunque ille sit, & idem est de absoluente, & ordinante, alias se exponeret manifesto periculo sacrilegij aliter ordinans, vel absoluens aut baptizans, vt rectè docet Petrus Ledesma dict. q. 51. art. 2. dub. 2. ante solutionem argumentorũ. At in matrimonio cum sit contractus ad iustitiam pertinens, & qui versatur circa corpora tanquam circa materiam, error in ea materia non potest, non esse substãtialis, & æqualitatem auferre, quam spectat ratio, & essentia contractus matrimonij. Atque id valde præ oculis habendum est in vno quoque contractu, vt intelligamus, quando dolus vel error sit circa substantiam, quando verò sit circa aliquod accidens, vt inde constet validum, aut nullum esse.

5 Sed in explicando, quomodo error dicatur dare causam contractui, dissensio est. Nam Syluester verbo *emptio*, num. 20. Medina C. de restitutione quæst. 34. Conradus quæst. 54. Nauarrus in summa cap. 23. num. 82. Molina tom. 2. de iustitia disp. 352. & nonnulli Recentiores censent tunc contractum fore nullum, & dolum incidere in contractũ, vel dare causam contractui, quãdo deceptus cognita veritate nõ cõsentiret vel quia tunc putant esse defectum consensus voluntatis, vt quidã dicunt, vel quia extorquetur iniustè talis metus. At Soto lib. 6. de iustitia q. 3. art. 2. sentit posse esse validũ contractũ, etiãsi cognita veritate deceptus non

non esset consensurus. Idem docuit Valentia 2.2. disput. 5. quæst. 20. puncto 4. Gabriel Vazquez 1.2. disput. 30. cap. 3. Sed iudicandum esse validum contractum, quoties deceptio non est circa substantiam, licet sit circa aliquod accidens. Quæ sententia vera est, elucidanda tamen.

6 Vt ergo explicem, quid res habeat tã hoc cap. quam sequenti, aduertamus in primis valde in his attendendum esse animum contrahentis, cum huiusmodi obligationes pendeant ex consensu voluntatis. Vnde vt dicamus quid spectato iure naturæ vim habeat, diuersimode aliquis se habere potest in consentiendo, cum ignorat aliquid. Primò potest contingere, vt expresse feratur consensus in substantiam contractus, & tamen circa alias circunstantias nihil expresse cogitet, sicut neque de oppositis. Et in hoc casu, si error sit circa substantiam, vel circunstantias substantiales, non valet proculdubio; quia error circa substantialia tollit consensum necessarium, & reddit omnino inuoluntarium, aufert enim ignorantia obiectum, in quo valde error à metu distinguitur. Metus enim non tollit obiectum, & ideo non reddit omnino inuoluntarium actum, quin potius ratione alicuius vtilitatis, quæ versatur in vitando malo imminente efficit, vt obiectum amplectatur. Inde est multa ex metu iure naturæ valere, at ex errore circa substantiam nihil esse validũ. Non ergo valet argumentum ab vno ad aliud.

7 Ex quibus multa licet colligere doctrinæ causa. Primò colligitur matrimoniũ ex errore circa personam inualidum esse, non aliquo iure positiuo sed naturali, & ita apud infideles etiam esse inualidum matrimonium ex errore circa substantiam, neque posse Ecclesiam efficere, vt matrimonium cum eiusmodi errore initum sit validum, cum supplere non possit in hoc casu defectum consensus, sicut in alijs contractibus ciuilibus potest, vt statim dicam. Quæ omnia docẽt ita cõmuni sensu Doctores, vt necesse non sit auctores referre: videantur tamen Thomas Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 18. n. 12. 14. 15. & Petrus Ledesma d. q. 51. art. 2. dub. 2. Rebellus lib. 3. de matrimonio, q. 2. AEgidius disput. 31. dub. 1. cõclus. 1. Valentia disput. 10. q. 3. punct. 2. Toletus lib. 7. Summæ cap. 7.

8 Secundò colligitur, si alicui donatur aliquid titulo eleemosynæ, qui reuera non est pauper, sed paupertatem fingit nulla donatio est, quia paupertas est circunstãtia substantialis pertinens ad obiectum eleemosynæ, quæ est subleuatio miseriæ in egente & misero. Sic Thomas Sanchez disput. 18. cit. n. 24. & probabile putat Ledesma q. 51. citata art. 2. dub. 3. in solutione ad 2. quamuis ipse aliud sentiat, sine fundamento tamen, & AEgidius disput. citata dub. 1. nu. 8. quamuis in eo pugnantia loquatur, quod cũ credat secundum communem modum dandi eleemosynam validam esse, etiamsi non sit verè pauper, quia tantum intendunt, qui eleemosynam conferunt, subleuare miseriam existimatam; cum hoc tamẽ addit pauperem teneri ad restitutionem, quod stare non potest, si eleemosynæ donatio vera est. Nostram tamen sententiam expresse docet Gabriel Vazquez 1.2. disput. 30. cap. 4. licet in opusculo de eleemosyna paulo aliter philosophatus sit, & sequitur etiam Ludouicus Turrianus tomo 1. in 2.2. disput. 85. dub. 1. Non tamen negauerim, si constaret de animo donantis eleemosynam, talem esse, vt vellet etiam donare, quamuis ficta & simulata paupertas esset, verum esse, quod habet Gabriel Vazquez in opusculo de eleemosyna, cap. 3. dub. vltimo, & tunc valere donationem, quia in ea specie paupertas non esset causa finalis, sed impulsiua. At quando de animo non constat id quod dixi tenendum est cum alijs Doctoribus, quos ipsi citant. Atque hanc sententiam adeo veram existimo, vt credam oppositam nihil probabilitatis habere, quam solus docuit Soto citatus ab istis Doctoribus, & secutus postea est Petrus Ledesma loco citato. Neque obstat, quod qui eleemosynam cõfert, respiciat Deũ, cuius intuitu confert. Deum enim respicit vt finem remotum, proximè vero subleuationem miseriæ petentis, quæ tribuit speciem actui & eleemosynæ.

9 Tertiò colligitur, si aliquid donetur titulo consanguinei aut amici, si re ipsa nõ sit consanguineus neque amicus, vitiatur donatio, & non subsistit. Sic docet Gabriel Vazquez, & Turrianus locis citatis. Ratio est facilis & aperta. Quia cum hæc actio ex sua substantia pertineat ad pietatem, vel amicitiam, qua obseruamus parentes, vel amicis benefacimus amicitia vel cõsanguinitas est circunstantia substantialis eius actionis. Idẽ dicẽdũ est, cũ donatur aliquid alicui pauperi titulo sanctitatis qui sanctitatem simulat, ea donatio non valet, vt docet Gabriel Vazquez de eleemosyna c. 9. dub. vltimo nu. 16. Ratio est, quia iam ille actus

pertinet ad religionem, vel obseruantiam; & licet sanctitas esset accidētalis circunstā-tia actus eleemosynæ, est tamen substantialis actui obseruantiæ, vel religionis.

10 Quartò colligitur, si Episcopus conferat beneficium cum ignorantia beneficij, existimans se aliud conferre, nulla collatio est ob eandem rationem; quia est error circa substantiam, vt in specie docet Gabriel Vazquez illa disp. 30. c. 4. An autem vitiet collationē simulata sanctitas dicā c. sequenti. Similiter, si Episcopus crederet sufficientem ad beneficiū, quia sufficientiā simulauit, cū reuera non esset, collatio erit nulla, & tenebitur resignare, qui accepit, ex eodē fundamento. Quia dignitas personæ pertinet ad substantialia in collatione beneficij, vt optime docet Gabriel Vazquez opusculo cit. c. 3. dubio vltimo, n. 18.

11 Quintò colligitur, quod quādo quis impetrat beneficium petitione scripta oblata Pontifici, vel Prælato, vel impetrat rescriptum ad aliqua, in quo aliqua causa exprimitur, vel subticetur, qua expressa vel non expressa nō concederetur, talis impetratio, est nulla. Quia cū hæc impetrentur iuridicè, Pontifex innititur veritati, & probationibus, & secundum illas vult concedere, & iudicare, imo id asserit in rescripto, *si preces veritati nitantur*. Idem dico de absolutionibus à censuris, quæ impetrantur à iudicibus. Ratio huius est, quia licet alijs actibus ea sit accidentalis circunstantia, in huiusmodi impetrationibus est substantialis, & ita facit nullam impetrationem, quia Pōtifex concedens rescriptum, vt innititur veræ probationi, & petitioni, ita etiam sub eadem conditione concedit saltem virtualiter. Intelligimus autē quod necesse sit etiā exprimere, quod iure requiritur, vt cognoscatur à Pontifice; ea autem quæ vt iudex postulat iure cognoscere, debent patefieri & substantialia iudicio sunt, licet alijs actibus essent accidentalia. Sic eleganter docet Gabriel Vazquez opusculo & dub. cit. num. 21. & 22.

12 Sextò etiam colligitur, quomodo sit Philosophandum in votis. In illis enim attendendum est, quæ sit substantia, vel substantialis circunstantia illius voti in singulari, licet accidentaria sit rationi communi in illa materia. Nam ex vouentis intentione tantum consurgit obligatio. Vnde qui vouit existimans obligationem non in esse voto, vel ignorans votum Deo fieri, nullum est votum; nisi adesset generalis intentio faciendi quod alij in eo casu faciunt. Similiter, si aliquis voueat opus, existimans esse facile, si reuera maior difficultas sit, quæ alicuius momenti & consideratione digna censeatur, aliter quam ipse cogitabat, liber est à voto. Quia actio illa vouendi versatur circa illa singularia, quæ reuera aliter se habent, quam vouens existimabat. Item siquis vouit ingredi religionem aliquam, eamque non nimis asperam esse credebat; si nimis aspera sit, non tenetur voto in eam religionem ingredi, neque in aliam, cum de alia votum non emiserit. Item si vouit religionem Carthusianorum, existimans esse vsum carnium in cibis, nulla eius voti obligatio est. Nam licet statui ac voto religionis accidentaria sit ea asperitas maior vel minor; attamen cum hæc actio circa singularia versetur cū suis circunstantijs, error ille pertinet ad substantiam huius voti.

13 Septimò colligitur eodēmodo philosophandum esse in contractu emptionis & venditionis. Si res sit vitiosa, quod vitium ignoraui, nulla venditio est: nam in his contractibus, vt supra dicebamus qualitas pertinet ad substantiam contractus. Vnde qui vendit lapidem ignorans esse gemmam, cum tamen sit, nulla venditio est, est enim ignorantia ipsius circa quid. Item siquis vendat rem sacram vt profanam nulla ipso iure venditio est, *l. qui officij, D. de con. capt.* quia res sacra extra commercium est. *Inst. de Rer. diuis.* In quo differt à venditione rei furtiuæ, quæ valet, vt dicā c. sequēti, cuius diuersitatis ratio est, quia vitiū rei furtiuæ purgari potest: at piaculum est sperare rem sacrā profanam futurā. Nullaque ea venditio est, quia est error circa substantiā rei quæ venditur, cū omnino sit extra commercium. Item siquis testator instituat hæredem eum, quem præsentem habebat, existimans esse fratrem aut patruum, dicatque, instituo hunc meum fratrem aut patruum, inualida est ea institutio, nec potest ille, qui præsens est, aliquid ex testamento retinere. Item si credens esse suum filium legitimatū, vel adoptiuum, non subsistente ea causa non valet aliqua dispositio. Neque siquis instituat hæredem, quia existimauit errore deceptus filium suum eum, quem prius instituerat, obijsse; secunda institutio hæredis ob causam falsam veram existimatam, nulla est. Falsa enim causa ex doctrina Bartoli vitiat dispositionem & institutionem.

14 Ad

14 Ad errorem etiam qualitatis substantialis referri solet error circa virginitatem, ac proinde siquis virginem se emere putasset, cum mulier esset, emptionem non valere videtur probare textus in *l. fin. §. si quis virginem D. de actionib. empti.* Cui tamen obstare videtur textus in *l. alioquin* 11. §. *Quod si ego D. de contrahenda emptione*, vbi Vlpianus, qui etiam author est illius legis de actionibus empti, contra probat. Dicendum tamen non esse hunc errorem circa substantiam. Esset quidem, si ego dum virginem emere putassem, seruum puerum emissem, fuit enim error sexus, qui error est qualitatis substantialis, non vero virginitatis; & ita, etiam si mulier virgo non sit, in substantia non erratur.

15 Sed aduersus hanc certam & communem doctrinam nonnulla obijci possunt, quæ videntur obstare. Primò enim obstat textus in *l. quid tamen* 14. *D. de contrahenda emptione*, vbi viriola vendita pretio exquisito, quæ aurea dicebatur, si magna ex parte ænea esset, dummodo aliquid auri admixtum haberet, emptio valet. Huius difficultatis variæ solutiones adhibentur, quas defendunt laudati à Morla in Emporio iuris, ad *tit. de contrahenda emptione*, num. 19. & ab Osualdo Halligero in notat. ad Donel. lib. 12. comment. cap. 7. lit. C. Illis tamen omissis respondet Morla d. num. 19. & Anton. Pichardus *instit. de emptione & venditione*, num. 19. hodie huius legis decisionem non seruari; cuius eam rationem afferunt, quia artificio aquæ, quam Chrysulcam vocant, aurum à quocumque alio metallo separari potest. Hæc tamen solutio probanda non est, in primis, quia eius aquæ artificio non potest aurum ab alio metallo separari, nisi etiam & metallum ipsum ita euanescat, vt reddatur inutile. Sic docet Borcholten in §. *si duorum materiæ num. 5. instit. de rerum diuisione*, & idē refert Osualdus ad Donel. lib. 4. comment. cap. 3. lit. C. Deinde, quia quamuis idoneum aliquod artificiū esset ad eiusmodi separationem, sicut adstruunt Morla & Antonius Pichardus, id quidem prodesse posset ad euitandam cōmunionem, quæ ex confusione & mixtione diuersorum metallorum nascitur, de qua agitur in d. §. *si duorum materiæ* 27. Ad huius autem legis, in qua versamur explicationem nihil confert. Ratio enim propterquam valet venditio eius viriolæ, quæ pro aurea venditur, & partim aurea est, partim ænea non ex eo desumitur, quod metalla separari non possint, sed quia I. C. Vlpianus sentit non esse errantum in substantia.

16 Præterea aliter respondet Cuiacius lib. 2. obseruat. cap. 4. quem sequitur Gothophredus *l. 41. cum ab eo*, §. *mensam D. de contrahenda empt.* Inquit itaque separanda esse, quæ inaurata vel inargentata sunt, ab eis quæ auro, vel argēto cooperta sunt. Illis enim aurum vel argentum immixtum & infusum est, & ideo qui rem inauratam emit pro aurea nō omnino errat in materia, quia in ea inest aliquid auri: his autem, quæ argento cooperta sunt, argētum infusum vel immixtum non est, & ideo qui mensam lignea argento cooperta pro argentea emit, omnino errat in materia, mensa enim nulla ex parte argentea est, sed operimento duntaxat laminæ vestita est. Hæc Cuiacius. Quæ Cuiacij interpretatio communiter placet Doctoribus. Sed Genoa in conciliat. legum dictæ, *l. quid tamen & l. cum ab eo*, non probat hanc solutionem Cuiacij, quia existimat aduersari illa verba d. *l. quid tamen, nam si inauratum aliquid sit.* Sed probat Genoa aliam solutionem traditam à Nicolao Cassalis, quæ meo videri in idem recidit cū solutione Cuiacij, subdit enim Nicolaus hæc verba. *Non pugnat d. l. 41. §. 1. quia in hac l. 14. non est error in materia, reuera enim erat ex auro, sed non solo conflata, siquidem erat viriola ex auro & ære, licet æs præponderaret. Vnde emptio tenet: sed tamē agitur in id quod interest. At in d. l. 41. nihil inerat argenti in mensa, sed sola theca erat argentea, ipsa vero mensa alterius materiæ cum tamen pro solida expresse vendita esset: nec theca seu vestis mensæ inest, sed adest, non inhæret, sed adhæret, atque adeo materia illa ex qua mensa constat non est argentea. Vnde mirum non est si emptio nulla sit, quasi stanno aliaue materia pro argentea vendita, vt in fine dicitur.*

17 Hanc solutionem fateor quidem cōmuniter probari à iuris interpretibus, qui ea ratione existimant eas duas leges inter se conciliari. Attamen ego fateor tarditatem ingenij mei, nunquam huius discriminis rationē assequi potui. Quid enim refert argentū adhærere mensæ, aut æs immixtum esse auro, quēadmodū mūla illa argēto cooperta, cū intus esset lignea, vendita est pro argentea, ita etiā viriola illa vēdita erat pro aurea, cū maiori ex parte esset ænea? Quod enim vel adhæreat, vel misceatur, nō tollit quominus vitiū sit in materia quæ vēditur, & ex cōsequēti emptor errat circa materiā, quā emit existimās in vno casu materiā to-

tam esse auream, & pro aurea venditam, cum maiori ex parte esset ænea, & in alio casu totam mensam existimans esse argenteā, cum tantum operimentum argenteum esset. Sicut enim ex ære & auro artificiosè cō fecta erat viriola; ita etiam ex argento & ligno compositum erat quoddam arte factum vnum vnitate entis artificialis. Quare mihi olim in prima editione libri de impēd. visum est, & nunc etiam videtur veritate carere, quod Vlpianus dicit in prædicta *l. quid autem*, eam emptionem valere, qua venditur res inaurata existimanti esse auream, aut res, quæ magna parte est ænea, habet tamen aliquid auri, existimanti totam esse auream, cum ex Aristotelis & Philosophorum sententia in hoc casu sit ignorantia ipsius *quid*. Id quod etiam olim iudicauit Gabriel Vazquez disput. 30. capit. 4. num. 30. Nisi forte quis dicat emptorem sufficienter manifestasse defectum viriolæ, aut rei, inauratæ, aut saltem dixisse emptori non esse rem illam ex omni parte aureā; non tamen sufficienter explicasse quanta esset, quantitas auri, vel alterius metalli admixti, & ideo venditorē cogi in id quod interest. Verum de hac l. dicam iterum infra cap. 21. §. vnico & forte, legitimam intelligentiam harum duarum legū assignabo.

18 Secundò obstare videtur textus in *l. si sterilis, 21. §. 1. D. de action. empti.* ibi; *De qualitate autem dissentiamus esse*; intelligitque de qualitate substantiali, vt apparet ex subiecto exemplo. Respondetur tamen veriorem esse vulgarem lectionem, quæ habet, *emptionem non esse*, quam defendunt Eguinarius Baro, Cuiatius *d. l. quod autem*, & sic legi in Codicibus Noricis ait Antonius Augustinus lib. 4. emendat. cap. 17. & in manu scripto Codice Ludouici Charondæ, vt ipse Charondas testatur, quam lectionem etiam adstruit textus *in d. l. 21. §. 1.* ibi. *tamen venditor*, quem rectè expendit Cuiatius vbi supra. Rectè scio Duarenū & alios tueri Florentinam lectionem, sed est inutilis labor, sustineri namque non potest.

19 Tertiò obstare videtur textus in *l. Labeo 41. D. de contrah. empt.* vbi aurichalco pro auro vendito tenetur venditor aurum præstare. Respondetur tamen ex eo nō probari emptionem valuisse, sed id tantum quod venditor si sciuit aurichalcum esse, teneatur præstare emptori omne damnum, omne interesse; si verò ignorauerit, tantū eius quod interest rei venditæ nomine. Quod si quis obijciat emptionē valere, ex eo quod detur actio venditi in *d. l. si sterilis §. 1.* facile satisfit, quia nemini dubium est aliquando ex venditione, quæ non consistit, dari actionem ex empto ad interesse, vt & in *l. qui officij D. de contrah. emptione*, vbi agitur de venditione rei sacræ.

20 Denique obstare videtur, quod in stipulatione & pignoris datione error materiæ non vitiat *l. si id quod 22. de V. O. & l. 1. in fine D. de pignorat. action.* Ergo pari etiam ratione dicendum est errorem in materia in contractu emptionis non vitiare contractum. Et confirmatur difficultas ex *l. in vēditionibus 9.* & alijs legibus eiusdem tituli, *D. de contrah. emptione*, vbi Vlpianus Marcellū notans in eo tantum consentit cū eo, quod vendito aceto pro vino emptio valet, si modo ipsum vinū acuit, & ab initio vinum fuit, quia tunc prope eadem substātia est, quam Græci vsiam vocant. Cæterum si ab initio accum fuit veluti acetum fictitiū, de quo Cuiacius 15. obseruat, ca. 27. & Gothophredus in *l. siquis vinum §. si acetum D. de tritico vino & oleo legato*, tunc emptio nō consistit, cum erratum sit in substantia. Respondemus tamen in primis stipulationem, & pignoris dationem consistere, quamuis erratum sit in materia; emptionem vero nō consistere ex ea ratione, quia materia non pertinet ad substantiam vnius, pertinet tamen ad substātiam alterius. Quod sic explico, quia cum nihil præstet promissori stipulator, sed ex lucratiua causa habiturus sit id quod promittitur, eius potius interest stipulationem sustineri, quam vitiari. Idem etiā in pignore dicendum est. Si enim æs pro auro datum sit, saltem in ære pignus consistit, cum melius sit creditori cautionem aliquā habere, quam nullam. At in emptione cum pretium pro re præstare teneatur emptor, illius interest potius emptionem non consistere, atque ita deficiente eius consensu emptio non valet, cum in ea vtriusque consensus debeat interuenire. Ad confirmationem autem satis ex ipsa lege constat, quid dicendū sit, neque enim ibi error est in substantia, quando vinum acuit tantùm, & non ab initio acetum est, sed tantum in qualitate accidentali.

21 Denique in fine huius capitis addēdum est, in matrimonio errorē concomitantē circa substantiam efficere matrimonium nullū. Sic docet Gabriel Vazquez disp. 30. cit. c. 4. num. 30. Speculum coniugiorum 1. p. art. 28. & alij. Itaque si quis errans circa

substantiam contrahat matrimonium, ita tamen affectus, vt etiamsi non erraret, nihilominus contraheret, adhuc non valet matrimonium. Quia matrimonij contractus & ratione suæ excellentiæ, & quia indissolubilis omnino est, requirit positiuum & expressum voluntarium, nec sufficiens est interpretatiuum.

Quid dicendum de errore circa qualitatem accidentalem in matrimonio & alijs contractibus?

CAPVT XXI.

SVMMARIVM.

Communis sententia, n. 1.
Quædam obseruatio pro eius explicatione, numero 2.
Prima pars veræ sententiæ, n. 3.
Nonnulla inferuntur in specialibus materijs, numero 4. 5.
Secunda pars veræ sententiæ, quando animus expresse fertur in accidentalia contractus, num. 6. 7.
Quid si vendat alicui existimans esse amicum, num. 8.
Quid in votis cum errore accidentali, n. 9.
Quid quando in votis est error causæ finalis, vel impulsiuæ, n. 10.
Obiectio ex cap. ex parte, de conuers. coniug. diluitur, n. 11.
Idem dicendum, cum dolus adhibetur ab aliquo tertio, n. 12.
Quandoque etiam vitiari matrimonium ex errore in qualitatibus, n. 13.
Eum, qui decipit in qualitate si deceptio sit grauis, peccare mortaliter, n. 14.
Obijciuntur quædam contra nostræ sententiæ secundam partem, n. 15.
Diluuntur, num. 16.
Quare philosophemur diuersimode de dolo & metu in contractibus, n. 17.
Quando dolus dicatur dare causam vel incidere in foro animæ, & externo, n. 18.
Quid iuris sit penes deceptum iure naturali: quorundam opinio, n. 19.
Aliorum opinio sub distinctione, n. 20.
Verior sententia, num. 21.
Quid quando dolus incidet tantum, numero 22.
Quid dicendum iure positiuo, quæ actio competat decepto aduersus decipientem, communis distinctio, num. 23. 24. 25.
Nonnulli contra sentiunt. Eorum rationes, num. 26. 27.
Explicatur communis sententia in contractibus stricti iuris, n. 28.
Contractus bonæ fidei iure positiuo non valere ex dolo dante causam, n. 29.
Quando dolus dans causam etiam contractui bonæ fidei versatur circa accidentalia, valere iure positiuo, & in hoc differre à iure naturali, num. 30.
Explicantur quæ iura competant decepto, ratione doli intercedentis tam in contractibus bonæ fidei, quam stricti iuris sive sit circa accidentalia, sive substantialia, n. 31. 32. 33.
Opponitur quomodo si venditio ex dolo circa substantialia non valeat, detur actio ex empto, num. 34.
Opponitur ex l. tenetur. 6. de act. empti. num. 35.
Rursus obijcitur ex l. si Addes 19. D. locati, numero 36.
Opponitur ex vendente rem alienam ad vendentem non sanam, n. 37.
Opponitur ex l. Eleganter D. de dolo, numero 38.
Diluuntur argumenta Lessij contra communem doctrinam, num. 39.
Quid dicendum in hac re Iure Canonico, num. 40.

1 COMMVNIS Doctorum sententia est errorem circa qualitatem, nobilitatem, diuitias, & similes non vitiare matrimonium, quia non est circa substantialia, & illis ignoratis adhuc salua manet substantia contractus, & voluntarium requisitum ad eius substantiam. Sic docent Doctores omnes, ita vt ne cesse non sit Authores referre, quamuis cū in specialibus casibus loquuntur, valde discedant ab ea communi sententia.

2 Attamen, vt ego explicem quid res habeat, neque enim existimo posse esse discrimen in re, sed tantum in modo loquendi, aduertendum est cum Gregorio de Valentia 22. disput. 5. quæst. 20. puncto 4. Quam etiam doctrinam amplectitur Ludouicus Turrianus tomo 1. in 2.2. disput. 85. dub. 2. §. *Secundo sciendum est*, & in re eandē doctrinam sequitur Thomas Sanchez lib. 7. disput. 18. num. 21. accidentalem circunstantiam contractus duobus modis posse cōparari ad voluntatem contrahentis. Primò, vt solum concomitanter se habeat, vel quia nihil de illis cogitauit, neque de

oppositis, vel quia ita affectus, erat vt etiã si cogitaret, nihilominus actum perficeret. Secundo modo, ita vt animus contrahentis feratur in substantiã contractus, & simul in circunstantiam, tanquam in conditionem, à qua vult pendere contractum. Quæ distinctio ad hanc rem diffiniendam, & multa alia, quę in similibus casibus se offerre possunt, valde attendenda est.

3 Iuxta hanc ergo doctrinam, prima pars nostræ sententiæ est. Si voluntas & animus contrahentis circa circunstantias accidentales se habeat primo modo, validus est contractus, etiamsi contingat deceptio circa circunstantias illas, dummodo non sit error circa substantiam. Et in hoc sensu crediderim intelligi communem Doctorum sententiam in principio relatam. Huius autem ratio facilis est. Quia contractus aut quasi contractus, aut actus isti sunt simpliciter voluntarij. Est enim actus absolutus hic & nunc, neque vllo modo in sua substantia dependens à conditione, vel circunstantia aliqua extrinseca, neque ex animo contrahentis, cuius optimum signũ est contrahentem ad nullam aduertere. Igitur validus est iure naturæ. Neque enim vt dispositio aliqua valida sit, necesse est disponentem omnia vniuersim penetrare ac rimari, quæ ipsum à tali dispositione retrahere poterãt, sed substantialia tantũ; alioquin nullus fere qui aliquid ab alio acciperet, vel cum alio contraheret, posset esse in conscientia securus, eo quod iuste timere posset circunstantiam aliquam, vel circa ipsius mores, vel circa aliquid aliud disponentem latuisse, quam si sciret, animum non haberet disponendi. Et confirmatur amplius. Quia voluntas disponendi & contrahendi in eo casu, in quo quis ignorat prædictas circunstantias, non nititur contrarijs, neque illis ducitur tunc ad eo pacto disponendũ. Vnde si contraria ad eam dispositionem nõ concurrerunt, neque fuerunt illius causa: ita neque ignoratio in eiusmodi circunstantijs, etiamsi disponentem retraherent à dispositione, reddunt illam inuoluntariam, est que proinde valida. Quare non est vniuersim vera illa regula, tunc contractum, aut dispositionem nullam esse, quando si aliquis ad aliquam circunstantiam aduerteret, quæ eum latuit, non contraheret, neque existimo in ea vniuersalitate tradi à Doctoribus: expresse namque quod hactenus docui tradit Molina tomo 2. disput. 209. §. *Secundum est*, Ioannes Medina C. de Restitutione quæst. 24. §. *Sequitur*, Scotus in 4. distinct. 15. quæst. 2. art. 3. Quamuis enim specialiter loquatur Molina de dispositione gratuita ob causam per vltimam voluntatem, aut inter viuos. Eadem tamen ratio est in omni alia dispositione, aut contractu, vt constat, nisi sibi ipsis repugnare velint.

4 Ex hac prima parte nostræ sententiæ colligitur doctrinæ gratia, siquis vendat rem alicui nihil cogitans, an sit amicus, vel inimicus, qui tamen reuera inimicus est, valet contractus, etiam si non vendidisset, si aduertisset inimicum esse. Ea enim circunstantia, cum sit extrinseca substantiæ contractus venditionis, non aufert consensum voluntarium. Simili ratione motus aliquis paupertate alterius aliquid illi donat, eleemosynam ve largitur, quem tamen latent aliæ circunstantiæ, vt esse infidelem, aut prauis moribus, neque tunc de illis cogitat, quas certè si cognouisset, nullatione donare voluisset, neque validam esse donationem, valet quidem, quia substãtia largitionis eleemosynæ eo tendit, vt miseria & paupertas proximi subleuetur, cui accidentale est & extrinsecum quod sit hostis, vel prauus, vel infidelis. Similiter siquis vouit ieiunare sexta feria, si in illam incidat etiam dies Natiuitatis Domini, nisi alia fuerit expressa uouentis intentio, ieiunare tenetur, quia cum circunstantia illa scilicet, concursus natiuitatis cum sexta feria extrinseca sit, & accidentalis illi voto planè emissum votum est cum conditione singulorum, in quibus versatur actio, obligat ex consequenti votum. Item si Episcopus conferat beneficium homini capaci, alias improbo, & simulanti sanctitatem, cui, si sciret non esse virtute præditum, non conferret, & tamen non aduertit ad eam circunstantiam, collatio est valida, vt docet etiam Gabriel Vazquez Opusculo citato de eleemosyna, cap. 3. dubio vltimo. Quia ea circunstãtia accidentalis est, & non vitiat actum ignorantia circunstantiæ non substantialis. Idem dicendũ de Episcopo, qui ordinat aliquem in particulari, quem si sciret vel non habere ætatem, vel afferre literas dimissorias falsas, non ordinaret: nam reuera ordinatus ille est, & ordinatio tenet, quia tantum error ille concomitanter se habuit, dum non attendit ad eas circunstantias, neque de illis cogitauit. Idem dico, si Episcopus conferret beneficium alicui, ignorans quãtitatẽ fructuum

structuum eius beneficij, existimansque tenues esse, cum tamen essent pingues, collatum tenet, nisi relatione impetratum sit. Nam ex iuris dispositione ex narratione falsa nulla est impetratio, vt dicam in tractatu de Beneficijs Ecclesiasticis, & iam c. præcedenti attigi nonnulla, & dicam rursus infra lib. 8. de dispensat.

5 Denique colligitur contractum matrimonij ex errore qualitatis non vitiari, cui quis ita se habuit, vt nihil de ea qualitate cogitaret, neque ad illam aduerteret. Vt si contrahat aliquis cum fœmina, nil de eius diuitijs, aut nobilitate cogitans, neque de oppositis, valet contractus matrimonij, quamuis forte, si aduerteret ad ignobilitatem, vel paupertatem no contraheret.

6 Secunda pars nostræ sententiæ est. Potest contingere, vt quis contrahat expresse cogitans de aliqua circunstantia non pertinente ad substantiam contractus, & hoc dupliciter. Nam vel fertur concomitanter in circunstantiam illam, vt cum quis contrahere vult cum aliqua, quam gaudet esse diuitem. Et in hoc casu, etiamsi error sit circa substantialia, validus est contractus excepto matrimonio, vt dixi cap. præcedenti, vt si quis vendat rem auream existimans inauratam, eo tamen animo, vt etiamsi auream esse sciret, nihilominus venderet, venditio valet, solumque restituendus erit excessus pretij, aut supplendus ab emptore. A fortiori ergo idem dicendum est, si eo modo se habeat circa circunstantias accidentales, ob rationem dictam. Quia ille consensus est simpliciter voluntarius & absolutus, & independens ab ea circunstantia, in quam alio actu fertur tãtum concomitanter.

7 Quod si in eam circunstantiam expresse feratur, & in personam ea circunstantia vestitam vnico, & eodem actu, etiamsi circunstantia sit extinseca, vel impertinens, existimo proculdubio talem cõtractum, aut dispositionem esse inualidam in foro animæ, si ea circunstantia quamuis extrinseca non subsistat. Id quod etiam docuit Petrus Aragon de iustitia & iure q. 77. art. 3. dub. 1. circa finem in solut. Secundi Rebellus lib. 3. de matrimonio, quæst. 2. num. 5. Thomas Sanchez d. disput. 18. nu. 22. Valentia loco cit. Turrianus dispnt. 85. cit. dub. 2. AEgidius disput. 3. dub. 1. num. 11. Petrus Ledesma quæst. 51. art. 2. dubio 3. post secundam conclusionem. Idem docuit Molina in foro animæ de omni contractu excepto matrimonio, tomo 2. disp. 352. num. 2. iunctis his quæ habet, num. 5. & de alijs contractibus, & etiam de matrimonio docuit idem Ioannes Medina C. de restitutione quæst. 32. Ratio est, quia sine consensu non est validus contractus: at sublata ea circunstantia, quam ille adesse credit, auferetur omnino consensus. Ergo contractus est inualidus. Minorẽ probo, quia mutata vel ablata ratione aliqua in obiecto actus indiuisibilis, necesse est totam entitatẽ actus variari, neque enim idem actus voluntatis remanere potest, si aliquid obiecti, in quod fertur voluntas, varietur, sed actum variari necesse est. Illa autem circunstantia expresse tunc cognita, & cogitata in obiecto, & in quam simul fertur voluntas eodem actu pertinet ad rationem obiecti. Ergo ea variata, aut deficiente destruitur tota ratio illius cõsensus, atq; adeo nihil remanet, vnde sit validus contractus. Et confirmatur, & explicatur amplius. Quia in eo casu talis dispositio virtute est conditionalis ex disponentis intentione, si ea subsistat circunstantia, quãdo quidem, vt supponimus animus disponentis expresse nititur illi circunstantiæ, & illa ducitur ad contrahendum. Si autẽ quis sub ea conditione expresse contraheret, nemini dubium esse poterat tali conditione non subsistente inualidum esse contractum. Idem ergò in nostro casu dicendum est, siquidem consensus ille est virtute conditionalis.

8 Ex hac secunda parte nostræ sententiæ colligitur primo. Si quis vendat rem alicui, quem existimat esse amicum, & ea ratione ducitur & nititur ad rem suam alienandam, vel permutandam; sanè si amicus non est non valet emptio, neque emens, si id illi certo constet, retinere tuta conscientia potest. Si enim is expresse eam conditionem adhiberet, *volo rem hanc tibi donare, si amicus meus es*, nullus dubitaret ea ratione non subsistente inualidam esse donationem. Ergo neque in nostro casu, cum in eo censendus sit consensus virtute conditionalis, qui optimè per consensum conditionalem explicatur.

9 Secundò colligitur ex his facile intelligi, quæ supra cap. præcedenti de voto dicebamus, & ex his magis explicari & confirmari. Quibus addendum est; iuxta hæc etiã de professione iudicãdũ esse. Neq; refert quod error cadere possit in virũ prudentem, aut quod melior facta sit conditio vouẽtis per professionẽ, atq; ideo deceptus

dici nequeat, vt nonnulli existimant. Tantũ enim attendendũ est id cui initur, cum promittit, quod ad conscientiã attinet. Quare si quis religionẽ ingreditur existimans sibi non competere maioratum aut non habere hæreditatẽ vnde viueret, aliàs expressè non facturus, his rebus aliter se habẽtibus professio corã Deo nulla est. Imo & existimo audiendũ ab Ecclesia, si de errore legitimè cõstaret, videlicet ex illius verbis, colloquijs, aut protestationibus, vel alijs, quibus animũ suum significasset, ante professionem, & reclamaret conuenienti tempore, scilicet, intra quinquennium iuxta Tridentinum, aut restitutionem impetraret à Pontifice.

10 Hinc tertiò constat, quid dicendum sit, quando est error causæ impulsiuæ, siue finalis in votis. Si enim expresse nitatur intentio vouentis non tantum causæ finali voti, quæ pertinet ad substantiam actus, sed etiam causæ impulsiuæ, ita vt ea non existẽte nollet, reuerà non existente etiam impulsiua causa in foro animæ nullũ votũ est, licet forsan in foro externo aliter præsumeretur. Atq; ea fortasse est causa decisionis in *cap. magna de voto* in principio & fine, ibi, *ad hanc autem indulgentiam*, si verò illi causæ expresse non nitatur, valet votum tam in foro externo, quam conscientiæ.

11 Neque obstat textus in *cap. ex parte 2. de conuers. coniug.* ibi. *Quamuis falsa sit causa*, quia; vt ex eius capitis fine constat, & etiam ex integra, iam cessauerat ignorantia, & error, cum velum susceperit, scilicet lepra infectum esse eũ, cui desponsata fuerat. Ex quo fit licet occasionem præbuisset voto lepra mariti, attamen cum religionẽ susceperit fœmina, illàm non ductam eo errore. Adhuc enim cum res delata fuerat ad Pontificem, nondum professionem emiserat, vt ex fine capitis apertè colligitur, & ideo dixit Pontifex, posse illàm votum religionis ex aliâ causa concipere. Adde in eo cap. Pontificẽ illi quæstioni tantum directe respondere, an per ingressum in Religionẽ dissoluatur matrimonium ratum: cui affirmatiuè respõdet, præcipitque ne suæ domi maneat, aliàs compellatur consummare matrimonium. Ex quo clarè colliges iam tempore professionis errorem illum fuisse sublatum.

12 Hinc quarto fit contra Molinã, qui in eo parum consequenter loqui videtur, quando dolus dans causam contractui adhibetur ab aliquo tertio nullum esse iure naturali. Existimo enim consequenter ad ea quæ dicta sunt in omni euentu, in quo dolus dat causam contractui iuxta supradicta, inualidum esse contractum iure naturæ, siue dolus adhibeatur à contrahente, siue ab aliquo tertio. Ratio est eadem pro hac parte, quia nullus est consensus ratione doli.

13 Denique hinc fit vitiari quandoque matrimonium ex errore in eiusmodi qualitatibus, vt cum animus contrahentis expresse nititur illi qualitati, quamuis accidentalis. Est enim ille consensus virtute conditionalis. Vnde si quis contraheret cum aliqua, quia existimabat diuitem esse, vel nobilem, vel honestam, vel virginem, ita vt his qualitatibus ducatur ad contrahendum, & his innitatur expresse, aliter non cõtracturus, in quo casu talis consensus dependet ab ea circunstantia, & illam habet pro conditione assensus, inualidum est matrimonium, si diues non sit, aut nobilis, aut honesta, aut virgo, in foro quidem conscientiæ, si ita res se habeat, & etiam in exteriori foro, si probari poterit. Atque ita ego obtinui in quadã causa matrimoniali, vt ex errore in qualitate nobilitatis, dissolueretur matrimonium. Sæpe enim multo antea & proximè etiam ante matrimonij contractum explicuerat fœmina, se quiduis passuram, & mortem sibi illaturam potius, quam cum illo cõtraheret, si Iudæorũ sanguine infectus erat. Vnde cum in viro defectus nobilitatis manifestus fuisset, matrimonium declaratum est nullum; & huic sententiæ subscripserũt apud Salmanticenses, Vallisoletanos, Toletanos, Complutenses, & Matritenses, viri ex Theologia, & Iuris Prudentia doctissimi complures, & in Regis Curia fere omnes Iuris Consulti. Quare non dubito, quin in quauis etiam alia specie iudicaretur eodem modo, si iuridice constaret animus contrahentis innitens eiusmodi qualitati accidentariæ, sed quia valde difficilis est huius rei probatio, ideo quamuis matrimonium re ipsa fuerit ex eo errore nullũ, in foro Ecclesiæ sustinetur, & illi fauetur, sicut & in multis alijs casibus. Atque huic nostræ sententiæ fauet Abbas in *cap. cum dilecti 3. De emptione, & in cap. cum dilectus, de his quæ vi*, qui cum dixisset errore fortunæ non dirimi matrimonium, limitat cum Innocẽtio, nisi esset tantus, & tam insignis dolus, qui remoueret consensum, & falleret prudentissimum quemquam, in quo casu subueniendum est decepto, nisi postea ratum haberet matrimonium: docet etiam Ioannes Schneiduinus, *§. Actionem instit. de actionib.* n. 33.

Deni-

14 Denique addendum est eum, qui decipit in aliqua qualitate, si deceptio grauis sit, aut notabilis, peccare mortaliter, nisi vel excusetur à peccato mortali bona fide, vel occasione alicuius maioris boni, quod sequitur ex illo matrimonio, vt si aliqua, quæ virgo non est, existimat bona fide non esse peccatum sic nubere. Minus autem ea obligatur si non ab alio, sed à se ipsa corrupta fuerit. Vnde confessarius, si videt bona fide contrahere eum qui decipit, aut tantum bonum sequi ex illo matrimonio, vt deceptus non esset rationabiliter inuitus, non tenetur admonere, maximè si non sperat fore, vt ille qui decipit desistat à contrahendo.

15 Verum quamuis hæc quæ in hac secunda parte nostræ sententiæ dicta sunt, luce ipsa meridiana clariora videantur; Alij tamen contra sentiunt, & inter eos Leonardus Læsius lib. 2. de virt. Cardinal. cap. 17. dub. 5. qui cum conclusione secunda dixisset errorem circa accidentalia non efficere contractum inualidum, modo dolus vel error non det causam illi contractui; conclusione 3. dicit, quando dat causam cõtractui dolus, vel error circa accidentalia (de his enim loqui debet, vt consequenter loquatur, cum his quæ docet in 1. conclusione) contractum vel actum non esse omnino irritum iure naturæ, licet arbitrio eius, qui deceptus est, irritari possit. Argumenta, quibus mouetur hæc sunt. Primum. Quia contractus matrimonij ex eo errore validus est, & validus perseuerat, neque ob iniuriam acceptam irritatur. Secundum, quia dolus iste vel error non versatur circa substantiã, sed circa causam contrahendi, quæ est omnino accessoria & extrinseca, & ideo non tollit consensum, qui aliquo modo sit sufficiens ad rationem contractus. Tertium. Si deceptus velit stare contractui, deceptus nõ potest resilire; ne ex dolo commodum reporter, vt colligitur *ex cap. 1. de eo qui duxit*, & communi DD. Quod signum est contractum nõ fuisse omnino inualidum, aliàs nulla talis oriretur obligatio. Quartum, quia cõmunis Doctorũ sententia est cõtractus stricti iuris ex dolo vel metu valere, dari tamẽ, actionẽ vt exceptione elidatur, *l. dolo C. de inutil. stipulat. & instit. de exception.* initio, quod verum esse non posset, si iure naturæ esset contractus irritus; quia quod iure naturæ irritum est, iure ciuili non potest esse validum, & actionem tribuere.

16 Ego tamen adhuc sentio eiusmodi errorem circa accidẽtalia, cum dat causam, eo, quo explicatum est, modo, reddere contractum & actum nullum iure ipso naturali; vt manifestè, ni valdè fallor, ostendimus, & in foro conscientiæ, de eo enim expressè locuti sumus. Et quamuis ex nostra doctrina facilis esset horum solutio, placuit tamẽ proponere, vt dum distinctè illis satisfacimus, apertior nostra doctrina remaneat. Primum facile diluitur: Est enim de eo eadem quæstio, & ostendimus etiam matrimoniũ ex eo errore esse nullum in foro animæ, licet in foro externo nõ præsumatur, nisi forte probetur, vt & nos in quadam causa matrimoniali obtinuisse diximus tres iudicum sententias conformes. Secundũ etiam iuxta dicta nullam vim habet. Nam licet is error circa accidentalia sit, attamen cum dat causam, vt explicatum est, & illi expressè nititur animus operantis, planè tollit consensum necessarium iure naturæ, & ita in foro conscientiæ actus sit inualidus. Neque maiorem vim habet Tertium argumentum, si in memoriam reuocentur ea quæ dixi supra isto libro cap. 7. vbi ostendi, quomodo hæc duo cohæreant, & contractum esse nullum, & esse obligationem in decipiente standi contractui, si deceptus velit, sunt enim obligationes diuersæ, & quæ ex diuersis capitibus oriuntur; quam doctrinam quia multi non satis percipiunt, in multis casibus pluribus difficultatibus implicantur. Ad quartum respondemus ex eodem fundamento: aliud est contractum esse validum, aliud est nasci actionem contra decipientem, vel inferentem metum. Non aufert ius ciuile hãc actionem, vt explicabo postea isto cap. imo neque contractum, in quo dolus dedit causam contractui validum esse iubet, vt ibidẽ explicabo, si tamen verè det causam iuxta iuris ciuilis intelligentiam. Verum quia ius ciuile, quando error vel dolus est circa accidentalia, nõ præsumit causam dedisse actui, vt ibidem dicam; ideo in hac specie, licet actionem aliquam concedat, non tamen iubet esse inualidum, vt lites amputet, & hominum commercijs consulat. Hoc autem non impedit, quominus sit contractus iure naturali inualidus, & in foro conscientiæ. Exemplum est in læsione citra dimidium, in qua ius actionem denegat, cum tamen iure naturali, & in foro conscientiæ sit actio, & quoad eam læsionem nullus sit contractus, sed omnino nullus ex defectu tituli ad retinendum eum excessum. Non ergò solum potest deceptus conari vt irriteur, sed reuera in foro conscientiæ actus ex eo errore

nullus est, quia deficit verè consensus, cum nitatur circunstantiæ, quæ aliter se habet, ac ipse existimabat.

17 Sed quæret aliquis, quare in hoc non sequimur eam distinctionem contractuum, quam supra secuti sumus, cum ageremus de metu; vt scilicet illi, in quibus datur promissio pro promissione, aut lucratiui sunt, non valeant si ex metu fiant, valeant autem onerosi. Similiterq; in dolo lucratiui & promissorij non valeant, sed tantum lucratiui. Respondeo facilem huius rationem à nobis insinuatam supra ex discrimine manifesto inter errorem & metũ. Quia error dans causam contractui, omnino tollit consensum, vt explicatum est, sine quo non potest consistere contractus. At metus eatenus tãtum obstat valori contractus, quatenus admixtus consensui tollit titulum legitimum contractus. Non autem tollit titulũ in onerosis, licet tollat in lucratiuis & promissorijs, cum tamen error, qui causam dedit, omnino tollat consensum non tantum in lucratiuis, & promissorijs, sed etiam onerosis, vt dictum est.

Colligitur, quando dolus det causam, vel incidat iure naturali & positiuo; & explicatur quid iuris habeat vtroque iure, qui deceptus fuit, §. vnicus.

18 Ex his, quæ hoc capite & præcedenti dicta sunt, nõ est difficile colligere, quid sit id quod sæpe in iure à Doctoribus repetitum est, dolum vel errorem quandoque dare causam contractui, quandoque incidere in contractum. Qui loquendi modus, vt ex dictis constat, aliter explicandus est in foro interno, atque conscientiæ, aliter in foro externo, atque ciuili. In foro quidẽ animæ dolus & error dicuntur dare causam cõtractui, siue sit circa substantialia vel accidentalia actus, dummodo reuera operans eo errore ducatur, & illi innitens cõtrahat, vt isto capite explicatum est. Incidere autem dicitur siue sit circa substantiã, vel accidentia, quando illi errori non nititur contrahens, sed error concomitatur tantum, nõ antecedit. Hoc enim voluntarium sufficere ad alios contractus validè celebrandos, excepto matrimonio, dixi cap. præcedenti in fine. At vero iure ciuili, & in foro externo error circa substantiam dicitur dare causam contractui, nõ enim iudicare potest ius ciuile de valore contractus, quando sit cum errore tantum concomitante circa substantiam, cum consistat in eo, quod ille ita affectus sit, vt etiam si sciret eum errorem esse, nihilominus contraheret, quæ occulta res est, & de qua iudicare non spectat ad ius ciuile. Incidere autem in contractum error dicitur iure ciuili, quoties non est circa substantialia contractus, sed circa accidentalia: tunc enim, & vt lites præcidat, & etiam vt cõmercijs hominum rectè consulatur, non præsumit illum non contracturum, si sciuisset, sed contracturum quidem, minori tamen pretio, si defectum sciret, qui non destruit materiam emptionis, ita vt vna detur pro alia, sed vitiat, ita vt non tradatur emptori æque bona materia, ac ipse existimabat, vt colligi potest ex *l. Iulianus 13. in principio D. de actionib. empti & vend.* cum similibus. Quare in iure nunquam dolus dare causam dicitur, quando circa accidentia actus erratum est. Vnde fit posse contingere, & sæpe ita euenire, vt aliquis error det causam contractui in foro animæ, & tamen iure ciuili nequaquam dedisse, sed incidisse tantum censeatur, vt quando est error circa accidentalia, & reuera ex eo errore ductus, & illi innitens contraxit, vt explicatum est isto capite.

19 Ex qua doctrina haud erit difficile explicare, quod quæri solet, quid iuris sit penes deceptum in his, quæ ex errore fiunt, tã iure naturali quam positiuo. Dicam primũ de iure naturali, postea de positiuo. Quod ergo attinet ad primum Ioan. Medina C. de restitutione, quæst. 33. Conradus de contractib. quæst. 57. dicto 14. & sequentibus, & nonnulli alij existimant, quamuis, quando dolus det causam contractui, etiam circa accidentalia, nullus sit contractus, attamen nullam obligationem oriri indecipiẽte ad standum contractui, etiamsi deceptus velit. Quorum fundamentum est. Quia cõtractus est vltro citroque obligatio; si ergo contractus ex parte vnius non obligat, non potest ex parte alterius obligare. Concedunt tamen, si decipiens habuit animũ standi contractui, si deceptus vellet, obligationem nasci non resiliendi, sed implendi.

20 At vero alij sub distinctione loquuntur; quæ distinctio mihi etiam aliquando placuit. Dicunt ergò, vel sermo est de quasi con-

contractu, qualis est promissio, aut de contractu de præsenti. Si de contractu de futuro, manet quidem obligatus decipiens ad contrahendum de præsenti, si deceptus velit: Idque ex ipso iure naturali, quoniam obligatio promissionis acceptatæ semper intelligitur ea conditione pendente, si is cui facta est promissio, velit sibi eam conditionem impleri. In contractu autem de præsenti, nisi expresserit se velle contrahere alio etiam volente celebrari contractum, non videtur ex contractu de præsenti inualido oriri iure naturæ obligatio celebrandi in futurum. Consensus enim decipientis in eo casu fuit ad celebrandum contractum de præsenti. Quod si ille inualidus est, cum deceptus nō maneat obligatus, ad nihil aliud tenetur decipiens, nisi forte ex deceptione aliquod damnum euenerit, aut lucrum cessauerit, quod resarciendum sit, celebrando cō tractum prius inualidum.

21 Denique Molina tomo 2. disp. 352. cit, num. 4. existimat vniuersè in omni contractu, cui dolus dedit causam, vt explicatum est, decipientem obligatum manere in conscientia ad standum contractui, si deceptus velit; quam etiam sententiam videtur sequi Lessius cap. 17. cit. concluſ. 3. nu. 29. versiculo. *Quod autem possit irritari, & mihi magis placet.* Probat Molina quia consensus decipientis sufficiens reuera est, vt decipiens maneat obligatus ex parte sua, quod autem deceptus non maneat per accidens est decipientis consensui. Hæc tamen ratio contra Medinam & Conradum efficax est, qui admittunt, si is qui decepit, intenderit se obligare, alio volente celebrari contractum: ex quo efficitur contra ipsos posse esse obligationem ex parte vnius, quamuis alter non maneat obligatus: attamen reuera non est absolute efficax, quia qui se alteri obligat ex contractu, id semper subintelligit, *si tu mihi maneas obligatus*, quando contractus est reciprocus. Quare obligatio decepti non est accidētaria consensui decipiētis, neque obligationi contractus. Huius ratio desumitur ex dictis supra hoc lib. cap. 7. quia decipiens iniuriam intulit; ratione ergo iniuriæ, quam intulit in deceptione, obligatio est expectandi consensum decepti, quæ obligatio optimè cohærere potest, etiā si contractus obligatio qui præsens est, nulla sit, vt ibidem latè explicatum est. Vnde qui eo modo deceptus est, poterit ante sententiam compellere in foro animæ, & nisi stet contractui decipiens, potest in eodem foro deceptus compensatione occulta sibi consulere. Idem dic si deceptus fuerit ab alio quo tertio contrahente, tamen conscio, vel participe doli aut deceptionis. Quod si non sit particeps neque conscius, obligatio naturalis primaria est in decipiente resarciendi damnum, secundaria & successiua in alio, in cuius fauorem deceptus alius est. Quæ omnia constant ex eodem fundamento, & ex generalibus principijs in materia de restitutione.

22 Atque hæc quidem ita se habēt, quādo dolus dedit causam contractui, siue ille sit stricti iuris, siue bonæ fidei. At si tantum inciderit in contractum, nullam existimo obligationem oriri in decipiente iure naturæ & in foro conscientiæ, iuxta dicta supra isto cap. Quare nescio quo niratur fundamento, quod docet Molina disput. 352. cit. num. 15. quod quando dolus incidit in contractū stricti iuris, teneatur dolosus in conscientiæ foro reducere contractum ad æqualitatem; si enim reuera incidit tantum, non est inæqualitas resarcienda.

23 Quod verò attinet ad ius positiuum, quænam actio eo iure competat decepto aduersus decipientem, communis Doctorum sententia sub distinctione respondet. Dicunt primo. Si contractus sit bonæ fidei, & dolus dedit causam contractui, nullus est contractus: cogitur tamen decipiens stare, vel contra illum datur actio. Hanc partem sequuntur communiter Iurisperiti, quibus & alijs citatis eandem docet Molina supra citatus num. 2. Probantque ex *l. si dolo, C. de rescind. venditione l. 3. §. vltimo D. pro Socio l. dolo vel metu C. de inutil. stipulat. & l. eleganter, D. de dolo.* Per quem textum idem docuit Euerardus in Topicis loco 41. num. 5. Dicunt secundo. Si contractus sit bonæ fidei, & dolus non det causam, sed tantum incidat in eum contractum, non datur decepto optio ad rescindendum contractum, vel non rescindendum; vt cum Conrado, Medina, & Couarrauuias docet Molina, d. 352. citato num. 11. Quamuis Syluester & Angelus, & alij ab ipso relati oppositum sentiāt, dari scilicet optionem. Molinæ tamen fundamentum est, quia nulla est in hoc iuris dispositio. Quare neque deceptus sine consensu decipientis, neque è contra possunt à contractu resilire. Datur tamen actio decepto aduersus decipientem ad repetendum, quod ratione doli plus dedit, licet non sit læsus vltra dimidiū iusti pretij. Probat Molina ex *l. Iulianus §. si venditor D. de actionib.*

nib. empti, & l. siquis affirmauerit, D. de dolo & l. 57. tit. 5. part. 5.

24 Dicunt tertio. Si contractus sit stricti iuris, in quo iudex non potest ex bono & æquo, sed secundum quod à contrahentibus expressum est, iudicare, §. *bonæ fidei instit. de actionib.* Si dolus dat causam contractui, validus est iure ciuili. Datur tamen exceptio decepto, ne cogatur implere aliquid contractus, si implendum restat, aut si impleuit, & sit deceptus in aliquo damno, datur actio aduersus decipientem, vt resarciat damnum. Sic cum Glossa in *l. eleganter*, Conrado, Angelo, Syluestro, & alijs docet Molina disput. 352. citato num. 14. probat ex textu in *l. siquis aliter de V. O. & l. cum postea C. de pactis.*

25 Dicunt quarto. Si dolus incidat in contractum bonæ fidei, valet quidem iure positiuo, & eo iure non tenetur decipiens reducere contractum ad æqualitatem aliquam, sed solum admitteretur exceptio de dolo, si contractus ex parte decepti non sit integrè impletus. Si vero impletus sit, conceditur decepto aduersus decipientem actio de dolo, vt resarciat damnum illatum. Sic docet idem Molina ex Conrado disput. citato num. 15. Atque hæc video communi Doctorum sensu esse recepta, quam etiam breuiter, distinctè, & quantum satis est, explicat Ioannes Schneiduuinus, §. *Actionum instit. de action.* à num. 21.

26 At vero alij hanc distinctionem vt inutilem reijciunt, & fundamento in iure carere affirmant, & ideo tam contractum stricti iuris, quam bonæ fidei, etiamsi dolus dederit causam, esse validum iure positiuo, licet decepto detur actio, & ex consequenti nullam decipientis obligationem esse ante sententiam. Sic nonnulli, quos refert idē Schneiduuinus ibidem num. 24. & Igneus, Faber, Pertica, quos refert Couarruuias in regula *possessor* 2. p. §. 6. num. 6. eosdem nouissimè sequitur Leonardus Lessius lib. 2. de virt. Cardinal. cap. 17. dub. 5. num. 31. AEgidius de Sacram. disput. 23. dub. 9. Quorum fundamenta sunt ex iure & ratione. Ex iure primo, quia emptio & venditio est cōtractus bonæ fidei, vt constat ex *d. §. Actionum*, at in *l. Iulianus 13. de actionib. empti* datur actio ex empto, ei qui vendit tigna cariosa, & scabiosum pecus. Certum autem est axioma iuris apud omnes receptissimū non dari actionem ex empto, cum emptio nulla est. Ergo emptio est valida, cui dolus causam dedit, quamuis sit contractus bonæ fidei. Secundo probat ex *l. qui vas 48. D. de furtis*, vbi expressè dicitur, vendentem rem furtiuam fieri dominum pretij, quod planè esset falsum, si venditio esset nulla; cum tamen dolus dederit causam emptioni, neque enim emptor voluisset emere, si sciuisset rē esse furtiuam, & ideo inductus est dolo simulantis rem esse suam. Facit pro eodem textus in *l. rem alienam 28. D. de contrahenda emptione*, vbi dicitur *rem alienam quemquam distrahere posse nulla dubitatio est, nam emptio est & venditio, sed res emptori auferri potest.* Quibus iuribus nihil clarius esse clamat AEgidius. Nec dici potest ideo hæc esse vera, quia ignorauit rem, quam vendebat, esse alienam, vt constat in *l. si in emptione 34. §. 1. D. eodem. Item si emptor, & venditor scit furtiuum esse quod vanit, à neutra parte obligatio contrahitur*, & sat im. *Quod si venditor scit, & emptor ignorauit, vtrinque obligatio contrahitur.* Tertio videtur, manifestè probari ex textu in *l. si dolo 5. C. de rescindenda venditione*, ibi. *Si dolo aduersarij deceptus venditionem prædij se fecisse Præses Prouinciæ aditus animaduerterit, sciens contrarium esse dolum bonæ fidei, quæ in huiusmodi contractibus maximè exigitur, rescindi venditionem iubebit.* Cui si conferas textum in *l. dolo 5. C. de inutil. stipul.* vbi fermo est de contractibus stricti iuris, efficacior redditur probatio. Ibi enim hæc habentur. *Dolo vel metu adhibito, actio quidem nascitur, si subdita stipulatio sit, per dolum tamen, vel metus exceptionem submoueri petitio debet.* Quibus legibus inter se collatis liquidò constare videtur eandem esse iuris dispositionem in contractibus bonæ fidei, & stricti iuris.

27 Deinde probat rationibus. Prima, quia quando contractus fit ex metu, non est omninò irritus, sed irritandus. Ergo & quādo fit ex dolo, quia dolus & metus in iure paria censentur *l. si dolo D. de inutil. stipulat. & c. cum contingat 28. de iure iurando.* Secunda. Quia id magis consentaneum est iuri naturæ, quo tales contractus non sunt omnino irriti, sicut neque omnino validi. Tertia. Quia est magis expediens bono publico ad coercendas huiusmodi deceptiones, qui interdum hac ratione capi possunt in astutia sua, si is qui deceptus facit, velit contractum valere, quando est ipsi vtilis. Hæc sunt, quibus nituntur Authores isti, & quibus inducti discedunt à communi sententia. Sed hæc non obstant quominus communis sententia, quæ docet contractus bonæ fidei dolo celebratos non valere, sustineri

possit.

possit. Quam tamen ego bona iuris peritorum venia moderarer, ac limitarem eo modo, quem explicabo statim.

28 Dico ergo primo de contractibus stricti iuris eos valere mero iure positiuo, quamuis detur actio de dolo; idque probat manifeste textus in *l. 22. si id quod aurum de verb. oblig. si id quod aurum putabam, cum æs esset, stipulatus de te fuero, teneberis mihi huius eris nomine, quoniam in corpore consenserimus, sed ex doli mali clausula tecum agam, si sciens me fefelleris.* Hæc ibi; valet quidē huiusmodi stipulatio, licet erratum sit in substantia, quia in corpore erratum non est, contra atque accidit in venditionibus, stipulatio enim stricti iuris est. Vnde in ea verba tantum spectantur, quæ si fuerint ad contrahē dam stipulationem idonea, & consensum in corpore fuerit, nihil amplius requiritur.

29 Dico secundo. Negari non posse cō tractus bonæ fidei ex dolo dante causam cō tractui iure positiuo non valere. Constat manifeste ex textu in *l. 3. §. finali D. pro socio societas si dolo malo, aut fraudandi causa irrita sit, ipso iure nullius momenti est*, quia bona fides contraria est fraudi & dolo contractus autem societatis bonæ fidei contractus est. *Nullius*, inquit, *momenti est*, vox autem *nullum* significat contractum ipso iure non valere, & nullos producere effectus per textū in *l. 1. D. de iniusto rupto, & ex Authent. ex causa, C. de lib. præt.* Rursus constat ex eo quod venditio est contractus bonæ fidei, & venditio, in qua dolus dedit causam contractui, iure ipso positiuo non valet. Tunc autem dolus dedit venditioni causam etiam iure positiuo, vt dicebam in principio huius capitis, quando erratum est in substantia. Quare quoties dolus est in venditione circa substantiam, nulla est venditio. Vendidisti acetum pro vino, quod ab initio erat acetum, æs pro auro, quamuis res præsens sit, & non sit erratum in corpore, nulla venditio est, quia erratum est in substātia. Hinc rei, quæ non est, nulla venditio est *l. nec emptio, 8. de contrah. empt.* Hinc etiam rei sacræ religiosæ, publicæ, ac liberi hominis nulla venditio est, quia dolus dedit causam, cum sit in substa..tia *l. si in emptione §. omnium de contrah. empt.* & apertissimè *l. qui officij, de contrah. empt. & §. fin. instit. de emption.* Idē est in emptione rei propriæ, cum enim venditio tendat ad adquirendam rem, quæ venditur, non possit comparari, quæ mea iam est, *l. suæ rei eodem de contrah. emptione.* His adde nonnulla quæ specialibus legibus venditi prohibentur, & extra commercium fiūt, earum enim venditio nulla est propter errorem in materia. Huiusmodi est emptio veneni ad occidendum, *l. quod sæpe 35. eodem.* Ad hanc etiam rem pertinet exemplum in *l. Senator 52. eodem.* Si quis enim diruat domum suam vel villam suam, sperans se pluris venditurum materiam, & singulas res, ex quibus domus est cōstructa, quam ipsam domum integram, id ei facere prohibitum est ob publicam vtilitatem, & publicū decus, quare & nulla est huius rei venditio, sicut neque legatum.

30 Deinde dico quando dolus dans causam contractui versatur tantum circa accidentalia etiam bonæ fidei, iure positiuo nō est irritus, & in hoc non conuenit ius positiuum, cum iure naturali: datur tamē actio, vt explicabo postea. Ratio huius tam diuersæ dispositionis in hac specie & præcedenti ea est, quia præsumit ius incidere tantum & non dare causam, quando est circa accidentalia, voluisse quidem emere, sed non tanto pretio, vt explicatum est. Hac moderatione compono omnia quæ contra communem sententiam allata sunt. Hinc enim intelliges, quare in *l. Iulianus 13. de actionib. empti*: quando quis vendit tigna cariosa, aut pecus morbosum, valeat venditio, detur tamē actio, quamuis non sit vndequaque certum tantum dari actionem ex empto, quando venditio valet, vt explicabo postea. Valet ergo ea venditio, quia non fuit dolus in substantia, sed in accidentibus rei, quæ venditur, sicut de vino, quod acuit, valet venditio vt definitum est in *l. in venditionibus D. de contrahenda emptione.* Hinc etiam intelliges, quare rei alienæ venditio valeat, tantū enim dolus est circa accidentalia. Neque enim circunstantia rei furtiuæ perinde se habet, atque rei sacræ. Res sacra omnino est extra commercium, & sperare, vt de sacra fiat non sacra, piaculum est *l. inter §. sacram de V. O.* Quod etiam eleganter docet Donellus lib. 12. cōment. cap. 20. *§. hoc ius superiori regula*, at circunstantia rei alienæ purgari potest vt dicebam supra cap. 20. Hinc etiam intelliges, quo sensu dictum sit in d. *l. si dolo C. de rescindenda vendit.* rescindendā esse venditionem eam à Præside, quam quis dolo inductus fecerit. Intelligo enim de vēditione facta dolo circa accidentalia contractus venditionis, vt clarè ex ipso textu deduci potest. Ex his autem non potest rectè colligi vniuersè omnes contractus bonæ fidei,

dei, quibus dolus dat causam; valere mero iure. Atque forsan ex hoc cap. explicari nō inepte posset Vlpianus in *l. quid tamen*; de qua multa supra cap. 20. siquis dicat ideo vē ditionem illam valere ex Vlpiani sententia, quia reuera vendidit rē, quæ aurea erat, licet aurum illud valde mixtum ære, & impurum esset; quare dolus fuit circa accidentalia. At in *l. cum Labeo* mensa argento cooperta vendita fuerat, & mensæ artefactum non erat argenteum, sed ligneum, operimē tum autem argenteum, non mēsa, quod auferri posset, manente integra forma mensæ, quam pro argentea vendiderat; in illo autem artefacto exauro & ære separari æs nō poterat saluo manente artefacto vendito. Et in hoc sensu alicuius cōsiderationis erit, quod æs mixtum cum auro sit, aut argentū tantum adhæreat artefacto mensæ, & ab ea separari possit integra manente artificiali mensa, quæ argentea fuerat vendita. Ex eo enim fiet dolum in vna specie non fuisse circa substantialia, sed accidentalia, auri scilicet puritatem: at in alia specie fuit circa materiam & rem ipsam, scilicet, mensam, quæ legata erat cum operimento tantum argenteo.

31 Dico rursus ratione doli interueniē tis in contractibus tam bonæ fidei, quā stricti iuris, siue circa substantialia, siue circa accidentalia versetur, non vnum ius decepto competit, quod explicare magni momenti erit. Nam primò, si deceptus velit stare contractui, illi standum est. Neque decipiens potest proprium dolum in sui fauorem allegando à contractu resilire. Glossa in d. *l. eleganter* in principio *v. nullam*, pro constanti supponit Donellus lib. 13. cap. 3. §. *Quod si videtur*: allegans enim propriam turpitudinem in sui fauorem, audiri non debet, *l. transactione finita* 30. *C. de transactionib.* & dolus nemini patrocinari debet, *l. 2. D. de exception. doli.* Simile est quod dicit Glossa in *cap. 1. v. sede vacante. Ne sede vacā te*, contractum initum cum Ecclesia nō seruatis debitis solemnitatibus, esse nullum, ni si Ecclesia velit illum contractum supplendo debitas solemnitates in aduersarij præiu dicium manere firmum. Non tamen perpetuum est debere manere firmum contractū, si deceptus velit, interdum enim ne quidē eo volente valet. Quid enim, si lex resistat contractui, in quo dolus intercenit. Tunc enim contractus non subsistit, neque in fauorem eius, qui illum valere voluerit, *l. à Diuo Pio D. de ritu nupt.* & docet Baldus in *l. 1. C. plus valere quod agitur*, & in *l. non dubium, C. de legibus*, & *l. ea quæ C. de donation.*

32 Deinde decepto competit ius non vnius actionis, aliter tamen in contractibus bonæ fidei, aliter in stricti iuris. Quia vt recte monet Duarenus ad titulum *de dolo malo* cap. 1. pag. mihi 93. col. 2. à medio diuersa est præscripta formula ad agendum, iuxta ea quæ olim seruabantur. Si enim sit contractus bonæ fidei, agitur ex contractu, cum ex eo contractu, in quo deceptio fuit, nascatur actio, vt explicabo statim: at in contractu stricti iuris agitur de dolo, quæ famosa actio est, & infamiæ plena aduersus decipientē. In contractu stricti iuris opponitur exceptio doli; in bonæ fidei non est opus ea exceptione, cum illis insint exceptiones dolī ipso iure. At quamuis quoad formam agēdi propter veterum superstitionem, hæc sit differentia, quoad effectum tamen nulla est differentia, quia vtroque modo dolus eatenus corrigitur, quatenus in eo peccatum est.

33 Rursus decepto tam in contractu bonæ fidei, quàm stricti iuris, siue dolus sit circa substantialia, vel accidentalia, competit triplex actio, siue actio exempto, trium tamen rerum causa, vel redhibitoria, qua fit vt idem habeat emptor, quod antea habebat, scilicet, pretium, *l. redhibere D. de ædilitio edicto.* Deinde, si deceptus velit firmum stare contractum, datur actio *quanto minoris*, vellet enim emptor retinere, ita tamen vt in dretio non decipiatur, *l. sciendum* 19. *D. eodem.* Et quia potest contingere, vt non deceptum esse pluris interfit, quam vel rem, vel pretij excessum obtinere, datur etiam decepto actio *in id quod interest non fuisse deceptum*; sed cum discrimine, nam actio *redhibitoria, & quanto minoris* datur decepto aduersus decipientem, etiamsi vendens ignorauerit rei vitium, vel tigna esse cariosa, vel pecus morbosum: at actio *in id quod interest*, non datur, nisi sciens eum defectum vendiderit, & reticuerit, vel si reuera sacram rē esse, aut propriam non sacram, non publicam affirmauerit, *l. Iulianus*, §. *quod autem D. de actionib. empt.* In his enim duobus casibus actio datur etiam in id quod interest. Vnde si rem sacram ignorans esse sacram, neque affirmans esse sacram, vendiderit, nulla quidem venditio est, datur tamē actio redhibitoria; si sciens vendidit, datur in id quod interest. Hæc me docuit Donellus eleganter lib. 22. c. 20. & lib. 13. c. 3.

34 His

34 His tamen, quæ dicta sunt nonnulla obstant. Primo contra id quod diximus, quãdo dolus versatur circa substantialia bonæ fidei, non valere venditionem, dari tamen actionẽ ex épto, obstare videtur, quod actio ex empto non competat, nisi vtilis vẽditio fuerit, vt recepta est Doctorum omniũ sententia. Ergo, si competit actio ex empto vẽditio valuit, etiamsi erratum fuerit in substantia, vt si emens emerit rem sacram, aut quæ extra commercium est. Respondendũ tamen est emptionem quidem omnino nullam, quod attinet ad res ipsas, vt diserte scribit Modestinus *in d.l. qui officij, de contrahenda emptione* §. 1. quoad eum tamen effectum valere, vt præstetur emptori, quantum eius interest deceptum non fuisse, quo continetur & rei venditæ æstimatio, quanta esset si res esset priuata, & præterea quantum emptor inde lucrari potuisset. Cum ergo communis Doctorum sententia docet ex emptione nulla non nasci actionem ex empto, sic intelligẽda, nõ quod velit emptionem validam, quod attinet ad res ipsas: sed tantum quod sit vtilis ad hanc actionem, quæ optimè consurgere potest, etiam si emptio nulla sit, cum oriatur ex deceptione & iniuria illata, quæ eo modo resarcienda, vt explicui supra isto libro cap. 7.

35 Secundò his quæ dixi, si quis rem vitiosam vendiderit ignorans, non dari decepto actionem in id quod interest, obstare videtur textus in *l. tenetur 6. §. si ita D. de actionib. empti.* vbi si quis vas vitiosum vendiderit, etiam ignorans, tenetur vt id quod eo nomine emptor perdiderit, emptor consequi debeat. Omissa solutione Donelli in d. lib. 12. cap. 3. *§. illud manet*, siue potius explicando illam magis, dicimus patrem familias vt ex Varrone constat, teneri singulis mensibus sua vasa picare, & præparare. Quare qui vas habuit vitiosum, valde supina ac crassa ignorantia laborauit, negligens valde fuit; & ideo ob supinam ignorantiam punitur, & non censetur ignorans vendidisse. Quis enim domi suæ vasa habet ad infundendum, & ignorat an liquo rem capere possint?

63 Quod si huic solutioni opponatur textus in *l. sed addes 19. §. 1. si quis dolia D. locati*, vbi qui locat pascua, in quibus sunt herbæ nociuæ, quæ gregem immissum interficiunt, si ignorans herbarum vitium locauerit, non tenetur in id quod interest conductori. Sed respondemus facile diuersam horum esse rationem: in prima facti specie erat supina domini negligentia, qui tenebatur vasa picare, aut pice illinire, & præparare: at in secunda specie non est domini locantis negligentia, neque enim tenetur scire an in suis pascuis omnes herbæ vtiles sint, an vero aliquæ nociuæ, quòd non ad illum spectat herbarum cognitio.

37 Tertio obstare etiam eidem doctrinæ videtur, quod si quis vendidit rem alienam, etiamsi ignorans vendiderit, si ea res euicta est ab emptore, tenetur emptori indistinctè in id quod interest, *l. vendita 8. l. euicta 70. de euiction.* cum tamen qui rem non sanam ignorans vendidit, non teneatur in id quod interest. Respondet optime Donellus lib. 13. citato cap. 3. quia venditione id agitur, vt emptor comparet rem, quam emit, & id, contendit emptor siue sciens, siue ignorans vendiderit. Quare si rem non præstat venditor, datur actio aduersus eum quamuis ignorantem, in id quod interest, sicut commune est omnibus faciendi obligationibus, *l. si quid ab alio, in principio & fine D. de re iud.* cum ergo si res vendita euincitur perinde sit, ac si venditor non præstitisset rem, quæ comparanda erat emptori, ideo condemnatur in id quod interest rem habere etiam ignorans. At non est proprium emptionis vt res sana vendatur, potest vtique vendi morbosa, quia & morbosam potest quis emere velle, minori tamen pretio. Quare satis ementis incolumitati consultum est, si vel rem redhibere liceat, vel agere quanto minoris emptus esset, etiamsi ignorãs venditor fuerit.

38 Denique illi quod diximus venditionem cum dolo circa accidentalia valere, dari tamen actionem obstat textus vulgaris in *l. & eleganter, D. de dolo*, ibi, *nullam esse venditionem, si in hoc ipso vt venderet circunscriptio est*, verbum autem, *nullam*, id denotat, quod ipso iure nullum est, vt supra docuimus. Respondeo tamen ex prædicta lege non probari venditionem dolo factã nullam esse, quamuis videam per eum textum communem sententiam à plerisque doceri. Ego enim considero in *l. eleganter* sermonem esse de venditione per minorem facta, quam etiam si dolo circunscriptus fecerit, at potuit esse nulla, & quia sine decreto iudicis facta est, & quia quamuis sine decreto iudicis, non fuit in minoris vtilitatem.

39 Ex his iam colliges nostræ sententiæ

tiæ non obstare, quæ Leonardus Lessius & AEgidius ex iure adducebant contra communem sententiam, omnia enim illa explicata sunt. Sed neque obstant rationes. Non prima. Est enim manifesta ratio discriminis inter ea, quæ fiunt ex metu & dolo, quã indicaui supra isto capite. Nec verò vniuersè verum est, quæ ex metu fiunt, mero iure valere, vt in hoc libro satis dictum est, AEquiparantur ergo dolus & metus in aliquibus, non in omnibus, cum sit in nonnullis magna discriminis ratio. Neque obstat secunda ratio; iure enim naturæ contractus, in quibus vere dolus dedit causam, siue fuerit dolus circa substantialia, vel accidentalia, nulli sunt, vt explicatum est hoc capite & præcedenti. Quare autẽ non omnes ex illis ius positiuum nullos esse velit, explicui supra isto cap. Neque denique obstat vltima, quia satis decepti commodo prouisum est tum reddendo aliquos nullos iuxta distinctionem allatam; tum in his, quos valere iubet, concedendo actionem redhibitoriam, vel in quantum minoris, vel in id quod interest, vt explicatum est.

40 Denique quæret aliquis in fine huius cap. an in hac re sit eadem dispositio Iuris Canonici, & Ciuilis, quoad valorem cõtractus facti ex dolo. Baldus in *cap. 17. de plus petit.* docet, hæc quæ hactenus dicta sunt non habere locum Iure Canonico, quo dolus dans causam cõtractui etiam stricti iuris reddit eum ipso iure nullum. Idem probat Vuesemb. 2. part. cons. num. 57. Vbi & addit hoc moribus esse receptum, quod etiam sequitur Ioan. Schneid. *instit. de action. §. actionum*, n. 29.

Explicatur quando qualitates refundantur in errorem personæ, & alia colliguntur.

CAPVT XXII.

SVMMARIVM.

Quid agendum, num. 1.

Quando censeatur error qualitatis refundi in errorem personæ explicatur ex dictis cap. præced. num. 2.

Explicatur quidam peculiaris casus Tabienæ, num. 3. 4. 5.

1 SED quæret aliquis primò quid sit id, quod docuit D. Thomas in Additionibus quæst. 51. art. 2. ad 5. errorem qualitatis resultantem in errorem personæ vitiare matrimonium. Quod Thomas Sanchez & AEgidius vt explicent, valde laborant, & tandem inexplicatum relinquunt.

2 Ego quidem iuxta dicta explico facile. Error illius qualitatis dicitur refundi in errorem personæ, quando & quoties animus contrahentis expressè fertur in personam sub ea qualitate tanquam conditione assensus. Atque sic constat exemplum, quod adducit D. Thomas eo loco de fœmina, quæ consensit in filium Regis, aut primo genitum. Pone enim illum esse præsentem, & in hunc præsentẽ consentire, quãuis alias existimet esse filiũ Regis matrimonium valet, vt etiam fatetur Thomas Sanchez disput. citata num. 33. & 34. non alia certe ratione, nisi quia consensus non pendet ab illa qualitate, vt à conditione. Quare quoties consensus fertur in fœminam aliqua conditione vestitam expressè, error refunditur in errorem personæ. Quia si desit illa conditio, iam non est illa persona, in quam consentit vestita illis qualitatibus, sed alia longè diuersa.

3 Ex quibus colliges veram decisionẽ illius casus, quem refert Tabiena verbo *impedimentum*, impedimento 1. q. 4. num. 5. vbi refert quendã ab altero postulasse in vxorẽ ipsius filiam secundò genitã valde pulchrã, patrem vero negasse, sed promisisse ei primogenitam iuueni ignotã, quã ille petijt, prius ostẽdi cuidã suo amico, cui pater pro primogenita quæ turpis erat, ostendit secũdo genitã: iuuenis vero audita eius pulchritudine cum primogenita contraxit. Respõdit Tabiena fuisse errorem solius qualitatis, quia iuuenis non poterat contrahere cum secundo genita, quã negauerat pater. At ego existimo, etiamsi illã prius negasset pater, non rectè respondisse Tabienam, sed esse errorem qualitatis refusum in errorem personæ, si tamen iuuenis consensit in eam, quæ ostensa fuit amico, & expressè in illam ferebatur consensus. Cum ergo non fuerit illi ostẽsa primogenita nõ potuit matrimonium subsistere cum ea, quę nõ fuit ostensa.

4 Sed adhuc circa eundem casum dubitat Tabiena, quid dicendum esset, si secundo genita non fuisset denegata. Respondent nõnulli similiter dicendũ esse matrimoniũ valuisse, quia intẽsio iuuenis semper

perferebatur in primogenitam, sibi promissam, quam falso credebat amico ostensam. Sic docet Thomas Sanchez disp. citat. num. 36. At ego etiam in eo casu existimo non valuisse propter eandem rationem, si inquiam iuuenis ferebatur in eam, quæ amico fuerat ostensa.

5 Sed adhuc quærunt aliqui, quid dicendum sit, si pater plures filias habens, nullam in particulari promisisset, sed vnam ex pluribus, & tunc vnam ostenderet amicõ, & aliam traderet. Respondet Thomas Sanchez num. 36. primõ, si pater vnam ex suis filiabus ostendisset, & alteram tradidisset, inualidum fore matrimonium, quia iuuenis intentio determinata fuit ad ostensam, cum ad nullam aliam potuisset determinari. In quo rectè respondit. Secundò tamen inquit, si pater ostendisset aliquam filiam non suam, & suam tradidisset validum fore matrimonium, quia tantum est error in qualitate. Sed hoc non placet, vt dicam statim. Ægidius verò disput. 31. dub. 1. num. 19. nullum fore matrimonium dicit, siue pater dedisset vnam ex suis filiabus, siue illam quam ostendit, quia iuuenis intentio in nullam determinate potuisset ferri. Non in illam ostensam, quia ille nullam aliam ducere intendebat, nisi filiam illius patris, neque etiam in filiam illius, cum ostensa non esset, & nulla magis esset ratio, cur determinaretur in vnam, quam in aliam. Quod quidem non omninò maledictum est. At melius meo iudicio dicetur valere tunc matrimonium, cum ostensa amico, nisi etiam iuuenis intentio expresse pendebat à conditione filiationis illius. Ratio quæ me mouet, ea est, quia iam intentio ferebatur in ostensam, & alia conditio se habebat tantum concomitanter: error autem qualitatis concomitans non vitiat matrimonium, vt dictum est. At si expresse eius animus determinatus esset ad eam fœminam cum illis duabus qualitatibus, quia & ferebatur in ostensam, & in filiam illius hominis, verum habet, quod docuit Ægidius, cum nulla illarum siue esset filia, siue nõ potuisse contrahi validum matrimonium.

An cum errore facti, & scientia iuris possit esse consensus ad matrimonium.

CAPVT XXIII.

SVMMARIVM.

Status quæstionis, variæ sententiæ. num. 1.
Explicatur prima pars veræ sententiæ adhibita distinctione, & liberatur ab obiectionibus. n. 2. 3. & 4.
Probatur ratione. num. 5.
Secunda pars veræ sententiæ. num. 6.
Ratificatio matrimonij prius ex errore inualidi manente eodem errore nulla est. num. 7.

1 EX his, quæ hactenus dicta sunt, colligi potest, quid dicendum sit in eo, quod quæri solet. Contingit aliquos falso existimare se teneri aliquo impedimento, scilicet consanguinitatis, vel affinitatis, aut alio dirimente, cum tamen non teneãtur, & sub eo errore contrahunt, cum scientia tamen iuris, scilicet matrimonium inter consanguineos, vel affines subsistere non posse. Quæritur an consensus cum eo errore sufficiat ad matrimonium inter eos validè ineundum. Sunt duæ sententiæ. Prima affirmat validum inter illos esse matrimonium. Sic citatis multis Thomas Sanchez lib. 2. disput. 33. num. 2. Alij vero dicunt non valere, quod etiam docent non pauci, quos ibidem refert, & probabilem sententiam esse iudicat num. 1. Ego tamen existimo non esse inter has sententias discrimen re ipsa, neque Thomam Sanchez ab illis, qui primam tenent dissentire, si res ista distinctè explicetur.

2 Duobus modis potest se habere contrahentium animus in prædicto casu. Primus est, si ibi sint duo actus & iudicia, quorum vnum feratur in impedimẽtum, quem falsò subesse putant, & in scientiam iuris, & suppositа ea volunt adhuc contrahere, quamvis ius resistat. Secundus est, vt quamvis habeant eam cognitionem circa factum & ius, aliam habeant, qua ipsis occurrat forte se non teneri eo impedimento, & consensus sit quasi conditionatus, qui sic explicari potest: *Etsi nos teneamur impedimento, & ius resistat, attamen si forte potest iniri inter nos matrimoniũ, consentimus in illud.* In primo casu

impossibilis est intentio contrahendi, si possunt, & si oppositum intendit Thomas Sanch. planè falsum est, & eius argumenta nequaquam id probant. Primo enim adducit argumentum ex cap. 1. *de sponsalibus in sexto*, vbi deciditur ex sponsalibus nullis ratione impedimenti oriri publicam honestatem, modo adsit consensus. Supponitur ergò possibilem esse consensum cum impedimento dirimenti. Potest tamen responderi primò intelligendum esse, quando ignorabatur impedimentum, & ita cum ea ignorantia esse consensum potuisse. Deinde responderi potest intelligendum esse, quando contracta sponsalia sunt in ordine ad Papæ dispensationem sub ea conditione & Pontifex noluit dispensare: fuit enim tunc sufficiens consensus ad sponsalia, cõditionatus tamen, & ita potuit ex illis, licet nulla remanerent ratione impedimenti, oriri publica honestas, cum non fuerit consensus absolutus, sed conditionatus.

3 Rursus secundò probat ex *Clementin. vnica de consanguinitate*, vbi excommunicantur contrahentes in gradu prohibito, quod inquit non aliter fit, nisi quia supponit esse consensum, eo enim deficiente non incurritur illa excommunicatio. Sed non rectè colligit. Punitur in illa Clementina factum ipsum scienter, & cum præsumptione, siue fuerit, aliàs consensus sufficiens, siue non: id enim ad pœnam excommunicationis non pertinebat, cum non puniantur sic contrahentes propter consensum, quem Ecclesia punire non potest, sed propter effectum ipsum, & matrimonium externus contractum.

4 Præterea tertiò probat ex eo, quod hæreticus credens baptismum esse rem leuissimam, nihilque valere, verè tamen baptizat, & validè, si verè intendat facere, quod intendit Ecclesia, vt fatentur omnes. Ergo cum errore valoris baptismi compossibilis est consensus ad baptismum. Ergo similiter in isto casu, quamvis contrahentes cum eo errore credant non valere matrimonium, possunt habere legitimum consensum. Sed neque hæc probatio sufficiens est. Quia ideò in hæretico potest esse voluntas, & illa intentio faciendi quod facit Ecclesia, quia in eius intellectu præcedunt duo iudicia, vnum speculatiuum, quo speculatiuè iudicat baptismum esse rem irrisoriam, & ita sibi persuadet. Aliud vero practicum, quo cognoscens Ecclesiam aliud docere, iudicat per extrinseca principia, hic & nunc illud agendum, & ideò vult agere, nam cum solo primo iudicio nequaquam posset sequi is actus voluntatis. At in nostro casu, si certò credunt contrahentes subesse impedimentum, quamvis falso, & simul sciunt cum eo impedimento non posse matrimonium cõsistere, non possunt habere eum consensum contrahendi, si possunt, nisi præcesserit etiã in intellectu simul cum illo iudicio aliud, quo iudicent posse ipsos falli in ea persuasione, & ita velint contrahere, si quomodo possunt.

5 Est etiam manifesta ratio pro nostra sententia. Quia intentio non potest sequi in voluntate, nisi iuxta id quod in intellectu præcessit, neque contra actum intellectus perseuerantem, potest quidquam voluntas intendere. Ergò cum in intellectu solum sit cognitio, licet falsa, impedimenti, & cognitio vera iuris, & nulla alia de dubio facto, non potest esse intentio contrahendi si possunt. Quam enim cognitionem sequetur ea intentio? Explico à simili ex doctrina communi in materia de conscientia. Potest qui sibi ex duabus opinionibus persuadet aliquam esse falsam contra propriam conscientiam operari, quia alias habet iudicium aliud, scilicet per extrinseca principia oppositum esse probabile, & posse operari iuxta opinionem probabilem. At si tale iudicium non esset, non posset operari contra illam, sed teneretur sequi iudicium illud, cum non esset sufficiens aliud principium in intellectu, vnde actus in voluntate sequi posset. Ergo idem in nostro casu dicendum est. Si sensus illius consensus esset: *Si teneor impedimento, etiamsi Ecclesia repugnet, volo contrahere*, valeret quidem vt dicam statim, quia esset consensus conditionalis de præsenti, & deficit conditio. At non est cõditionalis, sed iste: *Volo contrahere contra interdictum Ecclesiæ, & quamuis repugnet Ecclesia*. Fertur ergo expresse in obiectum omninò repugnans matrimonio, & ideò non est sufficiens ad matrimonium.

6 In secundo autem casu benè potest esse consensus sufficiens ad matrimonium: quia consensus ille est quasi conditionatus, *si possum*, cumque conditio sit de præsenti, si non teneor forte aliquo impedimento, & revera non teneatur illo, statim subsistit cõtractus matrimonij iuxta ea, quæ dixi supra lib. 3. cap. 1. nu. 5. de conditionibus appositis de præsenti, aut præterito.

7 Sed tandem quæret aliquis, an si duo inualidè per errorem contraxerint matrimo-

monium, & postea existimantes esse validum illud, ratum habeant, teneat hæc ratificatio matrimonij suppositio errore, qui in principio fuit. Dicendum est nequaquam eum consensum sufficere, nihil enim tam contrarium consensui, quàm error *l. si per errorem, D. de iurisdictione omnium iudicum.* Cum enim ea ratihabitio cadat supra actum iam nullum, & qui semper perseuerat nullus, nihil aliud de nouo agunt. Quare necesse est, vt prius intelligant matrimonij nullitatem, & postmodum ratum habeant, vt constabit ex his quæ dicam in sequentibus. Adde quamvis eo animo essent, vt si scirent fuisse matrimonium à principio inualidum, ratum haberent, vel renouarent, & cum eo animo ratificarent, adhuc non fieret ratum, quia ex eiusmodi voluntario non constat matrimonium, vt dixi supra cap. 20.

Quando matrimonium fuit nullum à principio ex defectu aliquo, quomodo debeat renouari consensus?

CAPVT XXIIII.

SVMMARIVM.

Status quæstionis. num. 1.
Quando matrimonium est nullum ratione alicuius impedimenti dirimentis, vtriusque consensus renouandus est. num. 2.
Idem dicendum, quando matrimonium fuit nullum ex defectu consensus. num. 3.
Probatur ex responso Clementis VIII. in eadem specie. num. 4.
Opponuntur aliorum argumenta. num. 5.
Diluuntur. num. 6.
Idem dicendum siue consensus defuerit ex metu vel fictione. num. 7.
Non sufficere, si interius renouetur, sed debere verbis exprimi. num. 8.

1 COMPLECTEMVR hoc capite ea, quæ necessaria sunt ad renouãdum matrimonium, cum illud à principio fuit nullum, vel ratione metus, aut erroris, vel quia coniuges aliquo impedimento dirimenti tenebantur. De quo agit Thomas Sanchez lib. 2. disp. 35. 36. & 37. Potuit autem contingere, vt matrimoniũ fuerit nullum, quia vnus tantum dissensit, vel quia fictè se gessit, vel ex metu, aut errore consensit, aut quando est impedimentum aliquod, quod vnus tantum nouit.

2 Quo supposito dico primò. Quando matrimonium est nullum defectu alicuius impedimenti dirimentis, etiamsi vni tantum cognitum sit, renouandus est vtriusque consensus, & exterius significandus, vt ex communi, certaque sententia docet cum alijs Thomas Sanchez disp. 35. cit. Quid autem in professione dicendum sit explicabo cap. sequenti.

3 Secundò dico. Quando matrimoniũ fuit nullum ex defectu consensus alicuius ex contrahentibus ratione fictionis, vel metus, vel erroris, non satis est, si vnus tantum ex eis, cuius consensus à principio defuit, renouet, aut repetat consensum, sed necessarium est, vt vtriusque consensus repetatur. Sic docent multi, quos refert Thomas Sanchez disputat. 32. num. 8. sequitur Leonardus Lessius lib. 2. capit. 41. dub. 7. num. 16. in fine. Neque satis erit interius renouari consensum, sed necessarium est, vt exterius renouetur. Quam sententiam quoad omnes suas partes docuit Paulus Comitolus lib. 1. respons. mor. quæst. 120. per totam. Probat hac ratione, quia forma cõtractus est consensus legitimus vtriusque per signa expressus. Sed ab initio non fuit hæc forma adhibita, cum defuerit cõsensus vnius. Ergo iterum adhiberi debet ea forma vt constet contractus. Cuius rationis vis magis constabit ex his, quæ dicam in solutione argumenti Thomæ Sanchez. Et explicatur magis quia matrimonium constat vtriusque coniugis consensu. At consensus illius nullus fuit, etiamsi consensisset, cum cadat supra materiam illegitimam, & inhabilem, scilicet vel nolentem, vel non liberam. Renouari ergo debet vtriusque consensus, cum non possit intelligi permanere consensus, qui nullus fuit à principio. Et cum contractus iste sit Reipublicæ politicæ, debet esse sensibilis. Quare vt ea renouatione fiat matrimonium, debet esse sensibilis renouatio, & exterior. Nam de his quæ præcesserunt nihil magis curandum est, ac si omninò fuissent infecta, & nihil vnquam actum fuisset. Præterea est etiam alia optima ratio pro hac sententia. Quia consensus illius, qui verè consensit, erroris defectum patitur, cum ignoret inhabilitatem personæ. At errantis nullus est consensus. Repetendus ergò est consensus vtriusque. Nec valet solutio Ægidij, qui negat hunc errorem obesse, cum non sit error personæ,

aut conditionis. Sed non adnertit hic author errari in persona habili. Quare hic error refunditur in personam inhabilem defectu cõsensus, sicut si ignoraret esse cõsanguineam. Si enim hic inhabilis est iure positiuo, ille, in quo deficit consensus, inhabilis est iure ipso naturali, quod efficacius est.

4 Sed præterea est validum pro nostra sententia fundamentum desumptum ex declaratione Clementis VIII. in hac eadem specie quando matrimonium fuit nullum à principio ex defectu consensus vnius. Audi Paulum Comitolum hæc referentem loco citato hisce verbis: *Incidit quæstio, cùm primaria fœmina viro etiam primario nupsisset, animo tamen à cõnubio dissentienti, & multos annos in matrimonio mansisset, necnõ liberos suscepisset, mulier tanti flagitij conscia, iam tandem ad sanam mentem rediens, cùm crimina confiteretur sacerdoti, id patefecit.* Respondet Comitolus necessarium esse vtriusque coniugis nouum consensum externo signo declaratum, & rursus coram parocho, & testibus. Addit statim hæc verba: *Et quoniã non defuit, qui de vtraque difficultate mecum dissentiret, authoritate, captiosisque argumentis recentis cuiusdam Theologi victus, idcirco de omni controuersia diligentes ipse literas dedi ad Patrem Stephanum Tuccium Rmoanæ Pœnitentiariæ Rectorem, vt à quopiam tribunali, cuius iudicio standum esset, responsum impetraret: consuluit is pater doctissimus, & religiosissimus Clementem VIII. Pontificem Maximum, à quo hoc tulit responsum, & ad me venetias misit. Pontifex respondet esse necessarium nouum consensum vtriusque coram parocho, & testibus, admonito prius marito de matrimonij nullitate: sed ad euitandum scandalum Sanctitas dispensat, vt secretò inter se contrahant, renouato consensu, cum legitimatione prolis. In pœnitentiam verò mulier per biennium ieiunet semel in mense, & communicet 15. die, & tertiam partem Rosarij recitet quotidie, nisi ex obliuione, vel alio legitimo impedimento. Quare post Apostolicam sedis dijudicationem nemini est amplius integrum de re ista secus opinari.* Hæc Comitolus. Definiuit ergo Pontifex quæstionem nostram, scilicet, etiam cum matrimonium est nullum ex defectu consensus vnius tantum contrahentis, necessariũ esse vtriusque consensum renouari. Si enim post contractum matrimonij, cum impedimentum aliquod sese ostendit, quod per ecclesiam remoueri potest, necesse est iterum contrahere, vt etiam docet Thomas Sanchez, & communis Doctorum; quanto magis verum erit id necessarium esse, cùm impedimentum interuenit, in quo Ecclesia nihil potest, quale est defectus consensus vnius, quod est impedimentum iuris naturalis.

5 Verum contra sententiam istam, quã Sedis Apostolicæ iudicium definiuit, sentit Thomas Sanchez, quem ea definitio latuit lib. 2. de matrimonio citatis alijs, disp. 32. num. 9. Ægidius disput. 24. dub. 10. num. 90. Obijciunt primò. Quia cùm consensus alterius validus de se fuerit, & sufficiens ad matrimonium, nec reuocatus, iam ex parte huius consensus nihil desideratur, solus autem deest consensus illius, qui ficte aut ex metu consensit. Ergo hoc tantum accedente conualescit matrimonium. Confirmatur quia si is, qui ficte vel ex metu consensit, nullum omninò tunc præstitisset consensum, sed spatio temporis interiecto, manente in virtute priori consensu, valeret matrimonium. Sed qui ficte, aut ex metu consensit, perinde se habet, ac si nõ consensisset. Ergo satis est, vt manente in virtute priori consensu alterius, ipse solus consentiat.

6 Sed hæc argumenta leuia sunt, vt à proposita discedamus sententia. Respondetur enim, nisi simul moraliter adhibeatur vterque consensus signis expressus, non poni id quod necessarium est ad matrimoniũ. Quod sic ostendo. In simultate consensus vtriusque coniugis non est attendendum ad id, quod conspicitur in forma, & materia sacramenti Pœnitentiæ, in quo etiam elapso tempore post confessionem peccatorum profertur absolutio, quia id est peculiare in eo sacramento, in quo forma habet modum absolutionis sententiæ. At in matrimonio iuxta dicta à nobis supra lib. 1. capit. 8. materia non est consensus vnius comparatione alterius, sed materia sunt corpora ipsa contrahentium, forma autem sunt vtriusque consensus signo exteriori expressi. Quare, nisi simul sint moraliter, ita vt ad eandem actionem ordinari videantur, non est tota forma, sed pars formæ, atque adeò cum parte formæ non potest constare contractus. Si quis dicat, ego bibo, habeatque poculum in manu, & altero die post prolationem verborum bibat, nullus dicet eam propositionem die præcedenti prolatam fuisse veram. Ergo neque vera erit propositio si quis dicat hodie, *contraho tecum*, & alter post annum dicat, *contraho ego etiam tecum*. Quam doctrinam insinuauit nobis Gabriel Vazquez tom. 2. in

tertiam

tertiã partem disp.128.c.7. in fine, & nos diximus supra lib.2. capit. vltimo. Fuit itaque nullus contractus matrimonij â principio ex defectu veritatis formæ,neque fuit in consensu vnius vera pars formæ, & ideò non potest cum sequenti consensu alterius vnum contractum legitimum matrimonij efficere, sed vterque simul renouari debet, quia consensus vnius sine alio nullius momenti aut considerationis est.

7 Ex hac á nobis verè, & iuxta Pontificis decisionem constituta doctrina, multa inferri possunt oppolita his, quæ eadem disputatione 32. infert Thomas Sanchez. Primò colligitur idem dicendum esse, siue matrimonio desit consensus vnius, ex eo quod fictè consensit, siue quia ex metu consensit, & ita non esse verum quod docet num. 12. quocumque tempore postea satis esse, si vnius adhibeatur consensus, debet enim simul adhiberi vtriusque, vt dicit Põtifex.

8 Deinde colligitur falsum esse, quod dicit num. 11. non esse necessarium exprimatur verbis, sed sufficere si interius renouetur. Id enim omninõ falsum iudico, in quauis sententia. Ratio est manifesta, quia consensus vnius exterius expressus est pars formæ contractus ciuilis. Ergo debet esse sensibilis, & concurrere debent verba vel nutus ex parte vtriusque,alias in eo casu sacramentum perficeretur sine verbis vel signis vtriusque,sed vnius tantum. Nisi forte dicat Thomas Sanchez absurdius aliquid, scilicet satis esse verba ante annum protulisse,& postea habere animum, quasi verbis falsis possit matrimonium perfici, illa autem verba iam non possunt fieri vera, vt constat. An autem necessarium sit, vt vterque coniux in eo casu admoneatur de nullitate matrimonij dicam cap. sequenti. An vero necessariũ sit,vt repetant coram paroco, & testibus, explicandum est sequenti libro.

An requiratur ad legitimam renouationem consensus, vt coniux ignarus fiat conscius nullitatis?

CAPVT XXV.

SVMMARIVM.

Quorundam opinio sub distinctione. num.1.
In quouis casu coniugem debere fieri certum de matrimonij nullitate, vt valeat renouatio cõsensus.num.2.
Probatur,& reijcitur distinctio primæ sententiæ. num.3.
Quomodo debeat coniux reddi certus,varia dicta Thomæ Sanchez.num.4.
Reijcitur secundum dictum. num.5.
Reijcitur tertium,num.6.
Reijcitur quartum.num.7.
In materiam Sacramentorum non licere sequi opinionem probabilem, sed magis tutam. numero 8.
Ex qua radice hoc oriatur.num.9.
Ex ea doctrina amplius reijcitur, quod dicebat Thomas Sanchez. num.10.
Reijcitur vltimum dictum.num.11.
Quid dicendum de ratificatione professionis.numero 12.

1 IN hac difficultate Thomas Sanchez sub distinctione respondet. Si enim inquit, matrimonium fuit nullum ex defectu consensus vnius, quia fictè consensit,aut ex metu,non est necessarium,vt vterque fiat conscius nullitatis, sed tantum, vt ille qui fictè consensit, verè consentiat, vt iam ex ipso retulimus. Sic expresse docet lib.2.disput.32.num.10. At si matrimonium fuit nullum ex defectu impedimenti dirimentis,quod inter ipsos erat, tunc necessarium esse intimare etiam ignaro impedimenti nullitatem contracti matrimonij. Sic docet multis citatis disput.36. eodem lib.num.3. & 4. & sequentibus, illumque sequitur Ægidius disp.24.cit.dub.10.

2 Mihi videtur in vtroque casu debere coniugem vtrumque fieri certum de nullitate matrimonij, alias quantumcunque renouent consensum, nihil fieri. Hanc sententiam expresse docuit Comitolus loco citato,& habemus pro illa responsum Clementis VIII. cap. præcedenti relatum,cum consultus esset de nullitate matrimonij ex eo, quod vnus ex coniugibus fictè consenserat. *Admonito*, inquit, *prius coniuge de matrimonij nullitate*. Similiter in priuilegio, quod concedit Pontifex Commissario Cruciatæ dispensandi in nonnullis casibus, inter eos concedit, vt possit dispensare cum his,qui scienter in gradu prohibito contraxerunt: *Altero*, inquit, *impedimentum ignoranti prius de nullitate prioris consensus certificato*. Nec verò dici potest Pontificem tantum assignare formam priuilegij, iuxta ea quæ ipse opinatur, & ita seruandam: tum quia

ea solutio non potest accómodari responsis Clementis Octaui, supra relato. Tum etiam quia Pontifices in hoc non formam, quæ iure positiuo inducatur, constituunt, sed ipsum ius naturale explicant. Nam ea admonitio de nullitate prioris matrimonij iure ipso naturali requiritur, cum error iure naturali obuiet matrimonio. Est autem hic error circa personam, quia refunditur in qualitatem personæ, cum ille non consentiat, nisi in personam legitimam, & non impeditam, ea autem impedita est. Adde consensum illum ferri secundum ea, quæ iure insunt, quæ pro expressis habentur. Vnde idem est, ac si expresse diceretur. *Consentio, si nullum est inter nos impedimentum.* Cum ergo, si eo modo consentiret, conditione de præsenti non existente, non esset consensus aliquis, ideò renouari debet vterque, & cognosci nullum fuisse ante contractum. Nam quandiu non fit certus de nullitate prioris coniugij, non contrahit matrimonium, sed tantum in præcedenti perseuerat, quod nullum fuit. Quare eo ipso, quod necessarium est renouari vtriusque consensum, necessarium est, vt vterque sit conscius nullitatis, aliàs semper probat id quod iam ante gestum est, & non fertur in nouum contractum, sed in præcedentem. Atque huic doctrinæ fauet etiam Gabriel Vazquez loco infra citando.

3 Sed specialiter contra distinctionem illam, quam Thomas Sanchez, & Ægidius sequuntur, militat argumentum. Quia nulla potest assignari commoda diuersitatis ratio, propterquam in vno casu necessarium sit coniugi ignaro intimari nullitatem matrimonij, in alio verò non. Nam sicut contingere potest, vt matrimonium sit nullum ex defectu consensus vnius tantum, qui fictè contraxit, vel ex metu, ita etiam contingere potest, vt matrimonium sit nullum ratione impedimenti, quod vnum tantum ex contrahentibus attingit, vt si vnus conscius se esse religiosum Sancti Ioannis contrahat cum alia ignorante, & postea ille occulte dispensationem petat, cur in hoc casu necessarium sit admonere coniugem de nullitate prioris matrimonij, si in primo casu non est necessarium, nulla assignari ratio potest. Quia si errauit alter ex eis existimando illum, cum quo contrahit non teneri impedimento voti, vel ordinis: ita etiam ignorauit teneri alium impedimento metus, vel esse in illo defectum consensus, quod tamen impedimentum ille alter, cum quo contrahit, non ignorabat.

4 Sed explicandum adhuc superest. Quomodo debeat vel oporteat, vel satis sit, coniugem ignarum fieri certum de nullitate prioris matrimonij. Thomas Sanchez disput. 36. citata numero 5. & 6. & 7. hæc habet. Primò dicit, si nullum timetur scandalum, neque infamia, neque periculum aliquod attenta conditione viri, & fœminæ, manifestandum planè est alteri coniugi nullum fuisse matrimonium. Et in hoc casu putat opinionem, quæ contrarium docet, non esse probabilem, nec posse probabiliter sustineri. Secundò dicit sufficere, si per cognitionem æquiualentem scientiæ nullitatis prioris matrimonij eruatur cõsensus, licet coniux eam ignoret. Vt si coniux impedimenti conscius sic ab alio petat, vt consentiat, quasi tunc contraheretur matrimonium: *Diligis me, ita vt si inter nos non fuisset matrimonium, contraheres, & ex nunc vis me in coniugem, ac si nõ fuisset hactenus validum.* Quod etiam docet Emmanuel Sa verbo *matrimonium*, num. 3. in codicibus Hispanis, Ægidius dub. cit. num. 89. Tertiò docet Thomas Sanchez num. 6. sufficere, etiamsi coniuges conscij nullitatis, se affectu maritali cognoscant, vt prius matrimoniũ inualidum confirmetur. Quartô dicit num. 8. vbi esset probabilis timor prædicti scandali, aut periculi, vel infamiæ nec posset extorqueri consensus eo modo, & cautela, posset tunc operari iuxta aliam opinionem probabilem, quæ dicit satis esse, vt non detecta prioris matrimonij nullitate persuadeatur ignoranti, vt ex tunc habeat illum in coniugem: nam ratione periculi licet sæpe vti opinionibus minus probabilibus. Denique dicit num. 9. si neque hoc modo posset extorqueri consensus viri, & peteret debitum, quod negare non posset fœmina, potest absque verbis denuo matrimonium illud consistere, copula illa habita affectu maritali, ex parte sua, nam ex parte viri certum est haberi copulam affectu maritali cum sit ignarus nullitatis matrimonij.

5 Sed non omninò placent hæc istius Auctoris dicta. Quod primo loco dicit absque controuersia videtur, quamvis nonnullam etiam dubitationem habere possit, vt constabit ex his quæ dicam circa quartum dictum. Quod secundo loco dicit non probatur, neque existimo sufficere eum modum, vel cautelam extorquendi consensum. Planè enim inquit Pontifex: *Conscio*

prius

prius, certificato prius coniuge de matrimonij nullitate, ea autem ratione, neque certificatur, neque fit conscius nullitatis. Deinde est ratio meo iudicio manifesta. Quia consensus ille adhuc extorquetur dolo. Ergo nullus est, sicut extortus metu. Vnde quemadmodum cum metus adhibetur ad extorquendum consensum, matrimonium ex eo consensu nullum est, & tamen si ipse, qui metu etiam iniustè opprimitur, offerat alteri matrimonium tanquam in præmium, ut se eripiat à metu, quod alius incutit, matrimonium valet, sunt enim hæc duo longe inter se diuersa, vt diximus supra hoc lib. 4. & fatetur idem Thomas Sanchez: ita diuersa valde inter se sunt, si quis errore deceptus putans esse matrimonium, diceret ex motu proprio, & à se ipso inductus: *Ego ita te diligo, vt si obstante aliquo impedimento matrimonium inter nos contractum fuit nullum, illudque cessauit, nunc denuo volo contrahere*, validum quidem erit matrimonium in hoc casu. Quis dubiter? Aliud verò est, si ea dissimulatione ab alio extorqueatur consensus, in hoc enim casu nullus est, vt pote dolo extortus. Quod optimè explicat exemplum desumptum ex metu, posset enim contingere, vt ille alter certò conscius nullitatis tactus non consentiret iam in matrimonium. Consensus autem illius, qui ex errore validum putat matrimonium, aliàs non consensuri, non est sufficiens, vt docet Emmanuel Sà in Codicibus Hispanis, verbo *matrimonium*, num. 4. Adde etiam quod supra eo libro cap. 20. num. fin. dixi consensum cum errore concomitanti non sufficere ad matrimonium, hic autem est consensus cum errore concomitanti.

6 Neque etiam placet, quod tertio loco docet, inter coniuges iam conscios nullitatis sufficere, quod se affectu maritali cognoscant. Tum quia ostendam libro sequenti, post Concilium Tridentinum renouandum esse matrimonium coram paroco, & testibus, nisi dispenset Pontifex. Tum etiam, quia iam supra lib. 2. cap. 12. diximus nunquam ab Ecclesia iudicari copulam signum consensus coniugalis de præsenti. Quare coniuges conscij nullitatis, nisi verbis, aut alijs signis æquiualentibus sibi mutuò explicent consensum, nunquam valide contrahent per copulam certè, si nulla alia signa vel verba proferant, sibi non significant, & affectus maritalis in occulto manet, cum tamen ipsis deberet innotescere.

7 Quod quartò loco docet, non omni ex parte probatur. Ego enim in ea specie duo existimo vera. Primum est, si opposita opinio revera probabilis est in praxi, etiam extra casum necessitatis posse illa vti & illi se conformare per extrinseca principia. Secundum est, si sit casus necessitatis, & huic opinioni non sit locus, non tantum potest vti opposita sententia, sed etiam tenetur ea vti, si probabilis iudicatur. Quæ duo constant, ex his, quæ dici solent in tractatu de conscientia probabili, & constabunt etiam ex his, quę statim subijciam. Affert autem in exemplum Thomas Sanchez, quod baptismus in extrema necessitate cõfertur ostendenti paruulo tantum extremã partem digiti, & etiam ostendenti signa contritionis absente sacerdote potest sacerdos in articulo mortis superueniens ex relatione aliorum beneficium absolutionis impendere. Exempla tamen hæc non sunt ad rem, de qua agimus.

8 Quare, vt id ostendamus, & simul etiam explicemus quid in hac re dicendum sit id quod dici solet licere sequi opinionem probabilem, in quauis materia, in sacramentorũ administratione non esse vniuersim verũ. Nam licet minister sacramenti possit sequi opinionem probabilem in his, quæ tenent se ex parte eius, cui sacramentum confertur: at in his, quæ tenent se ex parte ipsius conferentis, non potest sequi probabilem, nec magis probabilem, sed magis tutam. Id quod optimè vt solet, explicat Theologorũ huius ætatis meo iudicio Princeps Gabriel Vazquez tomo primo in 1. 2. disputat. 63. cap. 2. num. 3. Vnde potest se conformare opinioni probabili, quæ docet subiectum sacramenti Baptismi esse quamcumque partem hominis baptizandi, & materiam sacramenti Pœnitentiæ esse signa relata, & non visa, sicut & potest absoluere aliquem, quem conspicit tantum habere attritionem scitam, licet sit opinionum diuersitas, an attritio cognita sufficiens dispositio sit: attamen non posset minister vti forma, quæ esset sub opinione probabili, sed magis tuta. Ad rem ergo. In nostro casu contrahentes sunt ministri sacramenti, & qui apponunt formam, quæ est consensus externe significatus: varietas est opinionum, an sufficiens sit consensus taliter explicatus vel non, non videntur posse vti forma dubia etiam probabili, sed magis tuta, sicut neque sacerdos forma absolutionis dubia.

9 Sed addendum quo res ista omninò explicetur, cum obligatio seruandi opinionem magis tutam in administratione Sacramentorum oriri possit, aut ex virtute religionis, ne fiat irreuerentia sacramento, aut ex virtute charitatis, vel misericordiæ erga proximum, quem frustraremus debito sacramento: obligatio sequendi opinionem magis tutam in sacramentis non nascitur ex lege religionis, vt optimè docet Gabriel Vazquez cap. 2. citato. Quia qui prudenter operatur iuxta opinionem probabilem, non facit irreuerentiam sacramento. Quod enim possit carere effectu sacramenti in ea opinione, non videtur moralis irreuerentia, quæ imputetur operanti, siquidem ille administrat, probabiliter, & secundum rectam rationem iudicat non fieri irritum. Sicut etiam, cum sunt variæ opiniones de obseruantia alicuius præcepti, non fit irreuerentia legislatori, neque transgressio censetur, quod operetur aliquis secundum opinionem probabilem minus tutam, cum qua est periculum faciendi aliquid, quod re ipsa irritum sit. Quare tota ea obligatio oritur ex lege charitatis, & misericordia erga proximum, quia adhibemus medium inutile. Ratio autem charitatis postulat, vt si proximo possumus certum remedium, & sine vllo dubio, aut periculo adhibere, non adhibeamus illud, quod forsan in re nullius erit momenti.

10 Ex hac doctrina, quæ verissima meo iudicio est, iam sequitur nullum esse peccatum in eo, quod etiam extra casum necessitatis in praxi sequatur opinionem probabilem in hac re, si revera illam iudicat probabilem per extrinseca principia. (Dico si probabilis est. Ego enim illam sententiam nullo modo existimo esse probabilem.) Quia in eo quod sequatur eam opinionem in isto casu, nullam iniuriam irrogat sacramento matrimonij, vt explicatum est. Præterea etiam non opponitur legi charitatis, & misericordiæ. Nam licet cum sacramenta sunt necessaria necessitate medij, agat contra legem charitatis qui adhibet proximo remedium incertum, cum possit adhibere certum: attamen in hoc casu, cum sacramentum hoc non sit necessarium necessitate medij, non infert spirituale nocumentum. Quod ita explicatur. Nam nocumentum, vel considerari potest in eo, quod priuetur effectu sacramenti: at hic effectus non est necessarius necessitate medij ad salutem, vt constat: vel quod illicitè vtatur postea actu coniugij, at neque in hoc vlla culpa est, quia ille bona fide accedit, & ignorantia excusatur: vel quia proles erit illegitima, & neque hoc damnum sequitur, quia Ecclesia semper iudicabit illam prolem legitimam, cum matrimonium fuerit contractum in facie Ecclesiæ, & cum bona fide alterius coniugis, quod satis est, vt proles censeatur legitima iuxta textum in cap. *ex tenori, qui filij sint legitimi*. Ergo nullum proximo damnum imminet, quod teneatur lege charitatis vitare, qui ministrat sacramentum matrimonij. Poterit ergò in praxi eam opinionem sequi, etiam extra casum necessitatis, si illa opinio probabilis est iuxta generalia principia. Hoc solum speciale erit in casu necessitatis, & cum vrget tantum damnum, quod in eo non solum posset vti ea forma probabili, sed etiã teneretur ea vti, si probabilis est, vt si forte ea sufficiat, validum efficeretur matrimonium, quia formam certam tunc teneor adhibere cum possum, & non habet locum probabilis opinio. At quando non possum certam adhibere probabilem adhibere teneor, quam tamen extra casum necessitatis possem adhibere iuxta opinionem probabilem, quoties non impediret charitatis lex, quæ certè in hac specie non impedit, vt explicatum est.

11 Quod autem vltimo loco dicit, multo magis alienum videtur â veritate. Tum quia dicam lib. sequenti matrimonium post Tridentinum debere renouari coram parocho, & testibus. Non ergo sufficit affectus maritalis copulæ. Tum etiam nunquam copula est sufficiens signum consensus, vt iam diximus. Quare nisi alia signa præcedant, nunquam potest esse affectus maritalis ex parte illorum. Non quidem ex parte coniugis ignari, quia illius affectus innititur matrimonio præcedenti nullo, & ita non est affectus re ipsa maritalis. Non etiam ex parte coniugis scientis nullitatem, quia non explicat alteri suum consensum, copula vero non est sufficiens signum eius explicationis, vt dictum est. Quare in eo casu non deerunt fœminæ remedia, quibus copulam euitet, & euadat animæ periculum, quæ licet dura videantur, eligentur arbitrio prudentis, quæ minus aspera sint. Nihil enim tam asperum, quod euitandi periculi spiritualis causa sustineri non debeat. Adde affectum illum maritalem in eo casu non esse causam efficientem coniugij, neque ratum haberi coniugium, sed tantum supposito

posito matrimonio præcedenti, vult eo matrimonio vti. Simile est in eo qui vouit ante annos puberbatis, & ex eo quod iustè credit se teneri vinculo voti, illud obseruat non habet ratum votum, quod prius emisit, neque denuo illud emittit, id quod maxime notari debet, vt dicamus an irritari possit postea elapso tempore pubertatis, vt docuit optimè Gabriel Vazquez dist. 12. disp. 66. cap. 5. in fine.

12 Iuxta hæc, quæ in his duobus capitibus diximus, philosophandum est de renunciatione professionis, quæ ex aliquo defectu fuit nulla. Debet enim renouatio fieri coram prælato, neque sufficit si interius renouetur, cum præter vota sit in ea professione contractus reciprocus inter religiosum, & prælatum, vt explicabo late infra lib. 7. Quare vterque debet certior fieri de nullitate prioris professionis, neque vllo modo ratificata censetur per actus quos religiosus, vt professus exercuit, cum eos fecerit eixstimans se priori professione teneri, vt modo dicebamus de eo, qui vouit ante pubertatem. Quare in his non omninò probo, quæ habet Thomas Sanchez lib. 2. disp. 32. num. 14. & disp. 35. num. 4. & Ægidius dub. 10. cit. num. 98. & de hoc libro hactenus, & Leonardus Lessius lib. 2. cap, 41. dubit. 7. num. 16. sentit autem nobiscum Ioannes Azor tom. 1. lib. 14. cap. 4. quæst. 7. Et induci potest pro hac sententia, quod Gregorius XIIII. in ea Bulla qua moderatus est literas Sixti Quinti, de illegitimis præcipit diligentem de illis inquisitionem fieri ante professionem. Ergo expressa acceptatione prælati indiget ea professionis renouatio. Neque ea quæ in contrarium ex iure adducit Lessius, sunt alicuius momenti, non enim constat ex illis ignorantia nullitatis professionis, neque in prælato, neque in subdito, & ideò non mirum, si gestatione habitus professorum, censeatur professus, videnti & consentiente prælato, sed de his suo loco. Et hactenus de hoc libro.

DE IIS, QVAE PVGNANT CVM MATRIMONIO EX PARTE FORMÆ, HOC EST, DE CONSENSV CLANDESTINO.

LIBER QVINTVS.

Quinque erunt præcipuæ huius libri partes. Prima de Matrimonij Clandestini prohibitione ante Tridentinum, & postea. Secunda de præsentia parochi in matrimonio. Tertia de præsentia alterius loco parochi Quarta de ijs, quæ ad denunciationes pertinent. Quinta de pœnis clandestine contrahentium. His enim partibus tota hæc disputatio de consensu clandestino videtur comprehendi. Qui solemnitatis defectus pugnat cum matrimonio ex parte formæ, cum ea solemnitas præsentiæ parochi, & testium designata sit à Tridentino pro forma matrimonij, vt constabit ex dicendis.

Prohibitum matrimonium clandestinum ante Tridentinum.

CAPVT PRIMVM.

SVMMARIVM.

Quibus modis dicatur clandestinum matrimonium. num. 1.
Sepibus Ecclesiasticis prohibita clandestina coniugia. num. 2.

1 CLANDESTINVM matrimonium dici volunt Ioannes Andræas, & Abbas in *cap. fin. de clandestina desponsatione*, quodcunque fit cõtra interdictũ Ecclesiæ tacitè, vel expressè. Hostiensis verò ibidem varios recenset matrimonij clandestini modos. Alij tamen cum Alphonso *l. 1. tit. 3. part. 4.* tres tantũ afferunt modos quibus dicitur matrimonium clandestinũ. Primus est, quãdo sine vllis testibus celebratur. Secundus quando sine parẽtum cognitione. Tertius est, quando sine Ecclesiasticis proclamationibus, aut denunciationibus. Verũ commodius ad ea, quæ in sequentibus dicẽda sunt, matrimonium clandestinum dicimus vno è duobus modis, vel ex defectu solemnitatis nouo iure requisitæ, vel ex defectu denunciationum, quæ præmitti solent ante contractum matrimonij.

2 In primis autem certum sit clandestina matrimonia, quæ clam sine denunciationibus, fierent, & sine eorum cognitione, quorum interesse poterat, & sine testibus, prohibita olim fuisse in Ecclesia multis legibus Ecclesiasticis. Prima scripto tradita lex fuit Euaristi Pontificis, qui ad sedem euectus est anno 112. & habetur in cap. *aliter* 30. *quæst.* 5. Quam constitutionem ab Apostolis emanasse sine scripto, sed traditione deriuatam constat ex eodem decreto in integra decretali ibi: *Vt à patribus accepimus, & à Sanctis Apostolis, eorumq; successoribus traditum inuenimus.* Postea eandem constitutionem confirmauit Concilium Arelatense 3. & habetur apud Gratianum cap. *nullum* 30. *quæst.* 5. Confirmauit Hormisdas, & habetur cap. *nullus eadem quæst.* & Concilium in Palacio Vernis sub Stephano 3. ca. 15. *Vt omnes homines laici publicas nuptias faciant, tã nobiles, quàm ignobiles.* Concilium Foroiulienſe sub Adriano I. cap. 8. *Ita dumtaxat vt nemini liceat furtim, raptimq; nuptias contrahere, ne forte per erroris ignauiam, vel certe, quod peius est, diabolico instigati amore illicita connubia celebrentur. Sed interuentis pactis sponsalibus per aliquam dilationis moram requisiti quin etiam diligenti cura vicini vel maiores natu loci illius, qui possint scire lineam generationis vtriusque sponsi scilicet, & sponsæ, in eo etiã vt sine notitia sacerdotis plebis illius nullatenus fiat, quatenus nulla deinceps separationis tribulatio intercedat.* Leo IIII. in epistola de cura Pastorali prope finem: *Omnibus plebibus denuntiate, vt nullus vxorem accipiat, nisi publice celebratis nuptijs.* Nicolaus I. ad Cõsulta Bulgar. c. 3. & habetur *hac quæst. c. nostrates.* Londinense sub Paschali II. apud Baronium tom. 12. anno 1102. num. 13. *Vt fides inter virum, & mulierem occulte, & sine testibus data de coniugio, si ab vtroque negata fuerit, irrita habeatur.* Alexander III. in Append. Concilij Lateranensis part. 6. cap. 8. *Super hoc inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod si legitimus consensus, ea solemnitate, qua fieri solet, præsente, scilicet sacerdote, aut etiam eius notario, sicut etiam in quibusdam locis adhuc obseruatur, coram idoneis testibus interueniat de præsenti, &c. siue sit iuramentum, siue non, non licet mulieri alij nubere,* & p. 49. cap. 10. habetur cap. *nullus* ex decretis Hormisdæ Papæ, & p. 50. cap. 17. *Quod nobis ex vna parte significatum est.* Londinense sub Innocentio III. *Ne contrahatur aliquod matrimonium sine trina denunciatione publica in Ecclesia, neque si fuerint personæ incognitæ. Sed nec copulentur aliquæ personæ matrimonio, nisi publice in facie Ecclesiæ, & præsente sacerdote, & si secus fuerit factum, non admittantur alicubi in Ecclesia, nisi speciali auctoritate Episcopi.* Lateranense sub Innocentio III. cap. 51. habetur cap. 3. *de clandestina desponsatione.* Concilium Rauennatense 2. sub Clemente V. cap. 19. mentione facta decreti Lateranensis. Turonense sub Nicolao V. cap. 12. *Quia per clandestina matrimonia à sanctis Patribus non sine causa, & merito prohibita multa mala eueniunt, prohibemus ne quis presbyter secularis, aut regularis de cætero talia matrimonia celebrare, aut solemnizare præsumat sub pœna excommunicationis.* Concilium Toletanum sub Sixto IIII. cap. 17. Senonense sub Clemente VII. cap. 39. in fine: *Sed cum ex clandestinis matrimonijs grauia eueniant in dies scandala & pericula, volumus omnes contrahentes, consulentes, scientes, interessentes, auxiliantes, & adiuuantes sententiæ excommunicationis ipso facto subiacere.* Colonienſe sub Paulo III. part. 7. cap. 43. 44. & 45. Synodus Augustensis sub eodem cap. 21. Colonienſe 2. sub eodem cap. 31. & 32. Moguntinum sub eodem cap. 38. ab illis, *& vt pericula.* Nouissime Trĩdentinum Sessio. 24. de reformat. matrim. cap. 1. cuius verba infra referemus. Atque hæ sunt leges Ecclesiasticæ, quæ hactenus de matrimonijs clandestinis emanarunt, quas citauimus seruato temporum ordine. His legibus Ecclesiasticis consonat ius Hispanum *l. 8. tit. 18. part. 3. l. 1. cum sequentibus tit. 3. part. 4. & l. 46. Tauri*, quæ nunc, *lex 10. tit. 1. lib. 5. Compilationis.* Nec mirum Ecclesiasticis legibus prohiberi si ea etiã vel ipsi, & vicini repudiarunt, & publicem fieri voluerunt varijs vicibus designatis de quo Petrus Greg. lib. 9. cap. 5. à num. 17.

Proponitur Trideutini decretum, & eius summa.

CAPVT II.

SVMMARIVM.

Proponitur decretum Tridentini. num. 1. & 2.

Decem conditiones requiri à Concilio in eo decreto. num. 3.

Dupliciter dici matrimonium clandestinũ. n. 4.

Peccatum mortale esse omittere solemnitatem præscriptam à Concilio. num. 5.

Constitutione Tridentini solos fideles teneri, non infideles. num. 6.

1 SED quia totus hic liber versabitur in explicatione decreti Conc. Trident. supra relati, ideò placet illius verba proponere, & quæ in eo docet colligere. Igitur Sess. 24. de reform. matrim. c. 1. hæc habet. Tametsi dubitandū non est clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse matrimonia quādiu Ecclesia ea irrita non fecit, & proin de iure damnandi sint illi, vt eos Sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera, ac rata esse negant, quiq; falso affirmāt, matrimonia à filijs familias sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse, nihilominus sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit. Verū cum Sācta Synodus animaduertat prohibitiones illas propter hominum inobediētiā iam nō prodesse, & grauia peccata perpendāt, quæ ex eisdē clandestinis cōiugijs ortū habent, præsertim verò eorū, qui in statu dānationis permanent, dū priore vxore, cū qua clācontraxerant, relicta, cum alia palam contrahant, & cum ea in perpetuo adulterio viuunt; cui malo, cum ab Ecclesia, quæ de occultis non iudicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur. Idcirco sacri Lateranensis Concilij sub Innocentio III. celebrati vestigijs inhærendo præcipit, vt in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium parocho tribus cōtinuis diebus festiuis in Ecclesia inter missarum solemnia publicè denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum. Quibus denunciationibus factis, si nullum legitimū opponatur impedimentum, ad celebrationē matrimonij in facie Ecclesiæ procedatur, vbi parochus viro, & muliere interrogatis, & eorū mutuo consensu intellecto, vel dicat. Ego vos in matrimonium coniungo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vel alijs vtatur verbis, iuxta receptum vniuscuiusque prouinciæ ritum. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiosè impediri posse, si tot præcesserint denunciationes, tunc vel vna tantum denunciatio fiat, vel saltem parocho, & duobus, vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denunciationes in Ecclesia fiant, vt si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur, nisi ordinarius ipse expedire iudicauerit, vt prædictæ denunciationes remittantur, quod illius prudentiæ, & iudicio Sancta Synodus reliquit. Qui aliter quam præsente parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius parochi, seu ordinarij licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum inhabiles reddit, & huiusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat. Insuper parochum vel alium Sacerdotem, qui cum minore testium numero, & testes, qui sine parocho, vel sacerdote huiusmodi contractui interfuerint, necnon ipsos contrahentes grauiter arbitrio ordinarij puniri præcipit. Præterea eadem Sancta Synodus hortatur, vt coniuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent, statuitque benedictionem à proprio parocho fieri, neque à quoquam, nisi ab ipso parocho, vel ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alij sacerdoti concedi posse, quacunque consuetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda est, vel priuilegio non obstante.

2 Quod si quis parochus, vel alius sacerdos, siue regularis, siue sæcularis sit, etiamsi id sibi ex priuilegio, vel immemorabili cōsuetudine licere contendat, alterius parochiæ sponsos sine illorum parochi licentia matrimonio coniungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tandiu suspensus maneat, quandiu ab ordinario eius parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absoluatur. Habeat parochus librum, in quo coniugum, & testium nomina, diemque & locum contracti matrimonij describat, quē diligenter apud se custodiat. Postremò Sancta Synodus coniuges hortatur, vt antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonij consummationem, sua peccata diligenter confiteantur, & ad sanctissimum Eucharistiæ sacramentum pie accedant. Si quæ prouinciæ alijs vltra prædicta laudabilibus consuetudinibus, & cæremonijs hac in re vtuntur, eas omninò retineri Sancta Synodus vehementer optat. Ne verò hæc tam salubria præcepta quemquam lateant, ordinarijs omnibus præcipit, vt cū primum poterunt, curent hoc decretum populo publicari, ac explicari in singulis suarum Diœcesum parochialibus Ecclesijs, idque in primo anno quā sæpissime fiat; deinde vero quoties expedire viderint. Decernit insuper, vt huiusmodi decretum in vnà qua-

quaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat à die primæ publicationis in eadem parochia factæ numerandos. Hæc Concilium.

3 Ex quibus colligitur primò, decẽ conditiones assignari à Concilio ad perfectam matrimonij solemnitatem, quarum quatuor à contrahentibus, reliquæ à parocho seruandæ sunt. Prima, vt triduo antequam contrahant, peccata confiteantur, & communicẽt, quod consilium est, non præceptum, quamvis teneantur se per contritionem præparare ad huiusmodi sacramentum. Secunda, vt proprius parochus adsit, vel alius Sacerdos de eius, vel ordinarij licentia, & duo in super vel tres testes. Tertia, vt ita declarent mutuum consensum, vt si opus sit, parochus de eo, & testes ferre testimonium possint. Quarta, vt non cohabitent ante Ecclesiæ benedictionem acceptam. Quod si consummẽt, sublato scandalo, & contemptu legis Ecclesiasticæ, nullum mihi videtur esse peccatum, etiam veniale, maximè, si probabile adsit periculum incontinentiæ, vt docuit Nauarrus in summa cap. 22. num. 83. cum Soto in 4. distinct. 28. quæst. 1. art. 2. qui Tridentino decreto interfuit. Vnde Cõcilium non præcipit, sed hortatur ad benedictionem suscipiendam. Verum est alijs videri mortale, alijs veniale, sed quod dixi videtur verius. Excipe, nisi adsit contemptus, vel scandalũ iuxta principia in materia de scãdalo, vel lata sit in ea diœcesi excommunicatio contra oppositum facientes. At cum in his casibus peccatum est, tantum peccabitur prima vice. Quinta, vt tribus continuis diebus denunciationes fiant publicè in Ecclesia, & inquirat parochus de impedimentis, & ipsos contrahentes vrgeat, si opus fuerit, alias si omiserit peccabit lethaliter, cum sit peccatum in materia graui. Satis tamen erit, si aliunde habeat etiam notitiam necessariam, vel per publicationem, aut denunciationem. Sexta, vt vtrumque roget, intelligatque mutuũ consensum, quod si omittat, grauiter peccat. Septima, vt intellecto consensu dicat: *Ego vos coniungo in nomine Patris, &c.* vel alia iuxta patriæ consuetudinem, quæ verba non sunt necessaria ad effectum sacramenti tanquã pars necessaria. Octaua, vt si probabiliter timetur impediendum malitiosè matrimonium, si trina monitio præcedat, vel vna tantum præcedẽte, aut sine vlla, parocho, & testibus præsentibus celebretur matrimonium, postea autem ante consummationem denunciationes fiant, nisi ordinarius, cuius id prudentiæ committit Concilium, aliter iudicet debere fieri. Nona, vt parochus librum habeat, in quo coniuges, testes, diem, mensem, annum scribat, quæ obligatio sub lethali est, & attinet etiam religiosos, qui apud Indos parochi munus exercent. Decima, vt nullus Sacerdos regularis, vel sæcularis, nisi de licentia parochi aliquos iungat, etiam virtute cuiuscunque priuilegij, aut antiquæ consuetudinis sub pœna suspensionis ipso facto, donec ab ordinario eius parochi, qui matrimonio interesse debebat, absoluatur, sublata tamen excommunicationis pœna lata *Clementina 1. de priuilegijs* ad finem ex declaratione Cardinalium.

4 Secundò colligo iuxta ea, quæ in eo decreto dicuntur, dupliciter dici matrimoniũ Clandestinum. Primo, si aliter quam præsente parocho, & testibus celebretur. Secundò, si omissis denunciationibus celebretur, licet in præsentia parochi, & testium, vt dicebamus initio capitis præcedentis.

5 Tertiò colligitur esse peccatum mortale omittere solemnitatem à Concilio præscriptam. Sed cum discrimine. Nam omissio parochi, & testium, quamvis parochi verba non sint de essentia matrimonij, nec peccet mortaliter, si omittat verba, in nullo casu licet his, qui iuxta decretum Concilij Tridẽtini tenentur contrahere, quia ea præsentia parochi, & testium assignata est pro forma contractus, vt explicabo in sequentibus. At omittere denũciationes aliquãdo licet iusta causa, vt dicam postea, aliàs peccatũ erit.

6 Vltimo colligitur hanc constitutionem Tridentini ad solos fideles pertinere. Vnde infideles etiam inter Christianos degentes non obligantur ea constitutione, quia est mere Ecclesiastica, de quo Thomas Sanch. lib. 3. de matrim. disp. 7. n. 8. & fauet text. in *cap. gaudemus de diuortijs*, vbi de impedimẽto cõsanguinitatis sermo est. An autem Ecclesia posset eandem solemnitatem præscribere matrimonijs infidelium, qui Ecclesiæ tẽporali ditioni subduntur, constabit ex his quæ dicam lib. 6.

Matrimonia clandestina valuisse aliquando ante Tridentinum.

CAPVT III.

SVMMARIVM.

Ante Concilium Tridentinum nunquam fuisse irrita

irrita coniugia quorundam sententia est. numero 1.
Duæ partes veræ sententiæ. num. 2.
Prima pars probatur. num. 3.
Opponitur ex l. non dubium, C. de legibus. numero 4.
Prior interpretatio refellitur. num. 5.
Aliæ explicationes reijciuntur. numero 6. 7. 8. & 9.
Eam legem confirmatam iure Canonico. numero. 10.
Verus sensus collectus ex integra. num. 11.
Duæ aliæ interpretationes. num. 12. & 13.
Cum lex respicit personam, vt assignet legitimum auctorem illius, nullus est actus secus factus, licet simpliciter prohibeatur. numero 14.
Secus quando ex alia causa respicit personam, num. 15.
Quid dicendum, quando lex prohibet substantiã actionis. num. 16.
Quid dicendum quando lex prohibet circunstantias actionis. num. 17.

1 SED circa Tridentini decretum, & præcipuam eius prohibitionem, nonnullæ sese offerunt difficultates explicandæ. Quarum prima est, eaque non leuis, an matrimonium clandestinum sine vllis testibus celebratum fuerit non solum prohibitum, sed etiam irritum iure Ecclesiastico aliquo tempore ante Concilij Tridentini dispositionem. In qua difficultate nonnulli Recentiores sentiunt ante Concilij Tridentini dispositionem clãdestina matrimonia semper fuisse rata, atque valida in Ecclesia Dei. Sic tanquam certum supponit Petrus Ledesma de matrimonio quæst. 45. art. 5. dub. 1. dicitque esse communem Theologorum, & Iurisperitorum omnium sententiam, quam sequitur Thomas Sanchez lib. 3. disp. 3. nu. 2. Imò rem hanc dicunt de fide esse. Probant primo ex Tridentino sess. cit. ibi: *Tametsi dubitandum non sit clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta rata, & vera esse matrimonia, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit, & proinde iure damnandi sint illi, vt eos Sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera, & rata esse negant.* Deinde, quia si clandestina matrimonia ante Concilium fuere irrita, quid opus erat ea matrimonia per Tridentinum irritari noua dispositione. Denique, quia matrimonium solo contrahentium consensu celebratum iure naturali valet, si talis consensus non fiat irritus á Republica. Sed consensus clandestinus irritus non erat ante Tridentinum aliqua lege. Ergo valebat solo præsenti contrahentium consensu.

2 Cæterum ego semper vera existimaui duo. Primum est primis Ecclesiæ temporibus per nonnullas annorum centurias nullatenus valuisse clandestina matrimonia. Secundum est postea eas leges in dissuetudinem abijsse, valuisseque clandestina coniugia, vsque ad Concilium Tridẽtinum, quod rursus ea reddidit inualida. Hoc secundum facile constat ex c. 2. *cap. Quod nobis, de clandest. desponsat.* & ex verbis Tridentini supra relatis. Atque id est, quod secundum fidem certum est, & si de hac nostra secunda conclusione intelligantur Doctores citati rectè loquuntur. Si verò de prima, temere locuti sunt, dum eam de fide esse volunt sine fundamento, & antiquitatis ignorantia lapsi sunt.

3 Igitur primam partem nostræ sententiæ docent non pauci, Cassaneus in catalogo gloriæ mundi, consideratione 36. Corrasius lib. 1. miscellan. capit. 37. Gentianus Heruetus in oratione ad Tridentinum, Ferdinandus Mendoça lib. 3. de confirmando Concilio Illiberitano, cap. 32. ad can. 54. & ex Iurisperitis illi omnes, qui docent iure ciuili non valuisse filiorum matrimonia sine parentum consensu, quos retuli supra lib. 2. cap. 1. Eam etiam probat meo iudicio manifestè textus in capit. *aliter* 30. *quæst.* 5. quod est decretum Euaristi Papæ, cum enim solemnitatem in matrimonijs adhibẽdam exposuisset subijcit: *Aliter præsumpta, non coniugia, sed adulteria, aut contubernia, aut stupra, aut fornicationes potius, quam legitima coniugia esse non dubitatur, etiamsi voluntas propria suffragauerit.* Quem textum latissimè lib. 2. cap. 1. expendimus, & multis alijs legibus Ecclesiasticis posterioribus, & testimonio Concilij Colonien sis ostendimus, hanc esse veram, & germanam intelligentiam decreti Euaristi, & aliorum interpretationes reijcimus. Quare in hoc non est amplius immorandum.

4 Sed primæ parti nostræ sentẽtiæ obstare videtur difficilis, licet vulgaris tex. in l. *non dubiũ C. de legib.* vbi ea quæ fiunt lege contrahere prohibente pro infectis habentur licet legislator prohibuerit tantum, neq; declarauit infectum debere esse, quod factum est. Quæ lex per canonem approbata est in c. *Imperiali* 25. q. 5. c. *vides, dist.* 10. obstat præterea regula iuris 64. *de reg. iur. in 6. Quæ contra ius fiunt, debent vtique pro infectis haberi.*

Rur-

Rursus obstat textus in cap. *videtur nobis* 35. q.6. ibi: *Nam quod contra interdictum, & ordinationem Ecclesiæ factum est, tanquam in ordinatum ratum non haberi tam diuinæ, quàm humanæ legis proclamat authoritas. Et ea quæ contra leges fiunt, pro infectis habēda sunt. l. iubemus §. sane, C. de sacros. Eccles. l. conditiones, D. de condit. instit.* Per quæ iura videtur conuinci matrimonia clandestina semper fuisse nulla cum fuerint cōtra prohibitionem Ecclesiæ, & non solum primis Ecclesiæ temporibus, cum quidquid fiat lege fieri prohibente sit irritum, & nullum, etiamsi lex non irritauerit.

5 Lōga hic sese offerebat occasio latè disputandi de sensu prædictæ legis non dubiū: de qua multa glossa ibi, & interpretes, Bartolus, Baldus, & alij, Gregor. Lopez *l. 28. tit. 11. part. 5.* Couarruuias cap. *quamuis pactum*, p. 2. §. 4. Ferdinandus Mendoça lib. 1. de pactis cap. 4. num. 41. ex Theologis Salas latissimè de legib. disp. 16. sect. 8. In cuius textus explicatione mirum est, quàm varient interpretes, dum vnusquisque prolibito eas limitationes adhibet, quæ ipsi videntur sufficere ad difficultates euitandas, percurrā breuiter, & refellam. Quidam dicunt nullum esse actum, quando simpliciter prohibetur lege, at verò, si addatur pœna vltra prohibitionem, non esse irritum, ne duæ apponantur pœnæ, sic docet Sylues. verbo *lex*, q. 28. cum Cardinale *Clementina 1. de rescriptis*. Idē docet cum alijs Felin. cap. *2. de testibus*. Sed refelluntur facile. Quia in primis simplex prohibitio non semper reddit actum nullum, vt constat in ludo, in matrimonio contra votum c. *vursus, qui clerici, vel vouentes, cap. vnico de voto in 6.* & etiam in matrimonio contra interdictum Ecclesiæ, & in instrumento per clericum tabellionem facto, & in professione ante annum facta prohibita olim, valida tamen, cap. *ad Apostolicam de regularibus*. Deinde si præcisè attēdamus verba, prædictę legis, adeò vniuersalia sunt, vt illis prædicta distinctio nō videatur posse accommodari. Deinde pœnæ adiectio non offendit actum non esse irritum, quia in simonia reali præter nullitatem actus aliæ inducuntur pœnæ, & idem est in electionibus, aut collationibus, beneficiorum. Quare etiam actum cum adiectione pœnæ esse irritum docuit Bartolus in l. *Prætor*, *D. de noui operis nunciatione*, num. 3. & communis Doctorum, cap. 2. *de testibus*, & vt optime Glossa Marginalis in præsenti, interdū, & cōtractus ipse non valet, & qui cōtraxerit punitur *l. nemo martyres, C. de sacros. Eccles.*

6 Secundò alij dicunt habendam esse rationem causæ prohibitionis, an perpetua, vel tēporalis sit. Si enim perpetua est, actus prohibitus est nullus, si temporalis, valet, etiamsi prohibeatur. Solet enim actus restringi iuxta exigentiam causæ, *l. si stipulor, D. de verb. oblig.* Vnde matrimonium festis diebus contractum valet, & emptio atque venditio. Sed non est firma hæc interpretatio, nam præterquam non potest prædictæ legis verbis accommodari, non subsistit. Nā defectus ætatis temporalis causa est in minori, & tamen contractus minoris sine tutoris auctoritate nullus est. Itē defectus anni probationis ante professionem temporalis causa est. Adde etiam, quis prohibet posse irritari electionem metu factam, & tamen esset temporalis causa. Ex alia parte etiam causa subsistente perpetua non fit actus nullus, votum enim ex se perpetua causa est, & tamen valet matrimonium contra votum factum. Similiter cognatio, quæ ex baptismo cōtrahitur perpetua est, & tamen valet *cap. per catechismum, de cognatione spirituali in 6.*

7 Tertiò alij dicunt dispositionem, d. l. intelligendam, quando actus prohibetur directè ratione sui, & non ratione circunstantiarum temporis vel loci. Quæ communis Iuristarum interpretatio est, qui eam nullo cū fundamento tradunt, sed propter instantem necessitatem, quorundam argumentorum. Hæc autem interpretatio non subsistit, & apertissimè refellitur. Quia lex prohibens matrimonium propter votum, vel consanguinitatem non minus directè fertur in actū in vno casu, quàm in alio, & tamen in vno casu valet, secus in alio. Et sententia subcōditione lata directè prohibetur, & tamen valet lata. Item ludus alearum directè prohibetur, & tamen qui lucratur verè dominus est, vt docet Couar. in regula *peccatum*, p. 2. §. 4. num. 1. Nauarrus cap. 17. num. 18. Læsius lib. 2. cap. 26. dub. 3. & alij. Item instrumentum facere prohibetur clericus tabellio, & tamē factum tenet cap. *sicut te ne clerici vel monachi.*

8 Quartò alij dispositionē prædictæ legis accipiunt, quando lex respicit solum agētes contra legem. Si enim alios respiciat, in quorum vtilitatem cōtractus vel actus celebratus est, valere dicunt, licet prohibeatur. Sic Gregorius Lopez loco citato, & Glossa marginalis in d. l *non dubium, litera* K. Verum neque ista interpretatio constans vndequaq; est. Nam licet instrumentū factum à clerico tabel-

tabellione valeat, est enim incommodum tertij, attamen etiam alia, quæ in vtilitatem alterius facta sunt, non valent, vt videre licet in contractibus minorũ. Idem constat in lege, quæ prohibet quẽ sine examine exercere tabellionatũ, cuius diuersa dispositio esset ab ea, quæ prohibet clerico tabellioni exercere officium, & tamen vtrunque est in vtilitatem tertij. Non ergo firma est ea interpretatio.

9 Quinta aliorum interpretatio est, ea esse vera in externo foro, scilicet, ob solam simplicem prohibitionem actum esse nullum, nõ vero in foro interno. Ita docet Syluester verbo *lex*, num. 18. Panormitanus ca. *ad Apostolicam num.* 11. *de regularibus*. Mendoça loco supra citato alijque non pauci. Cæterum adhuc contra eam interpretationem militant ea quæ adduximus, scilicet plures contractus esse, qui etiam in foro externo non sunt irriti, quamvis contra leges fiant, vt diximus de contractu ludi, & de instrumento per clericum tabellionem confecto, & alijs huiusmodi.

10 Quare, vt difficultatem ex prædicta l. *non dubium*, desumptã explicem, dico in primis, quod ex ea lege ciuili ad res spirituales, & causas Ecclesiasticas nullum argumẽtum desumi posset, nisi ea lex iam per canones recepta esset in d. cap. *Imperialis, & d. c. videtur nobis*. Cælestinus enim primus secutus est Theodosium huius legis cõditorem, electus enim est Cælestinus anno decimo Imperij Theodosij, & lex lata est à Theodosio, & Valentiniano simul, qui ad Imperium adscitus est à Theodosio, anno Christi 425. & Cælestini II. Adde prædictam legem intelligendam esse, quando actus capax est irritationis. At matrimonium factum contra legem, vel contra votum irritabile non est.

11 Dico ergo in primis, vt constat ex integra, quæ est in Nouellis Theodosij C. Theodos. tit. 4. legem illam latam esse contra Curiales quosdam, qui cum prohibiti essent ad rerum alienarum procurationem accedere, conducebant vel fideiubebant, contra legis mentem fraudulenter agentes. De illis ergo determinatè loquens, non de alijs, vult irritum esse pactum, conuentionẽ ve, etiamsi solum prohibuerit, & id extendendum esse ad veteres, & Nouellas constitutiones, scilicet de eo loquentes, vt Imperatori, quod fieri non vult, scilicet in eo casu, solum prohibuisse sufficiat. Itaq; iuxta hanc interpretationem non ita latè patere existimauerim huius legis dispositionem, sicut Bartolus, & vulgus interpretum existimat, sed solum ad speciem facti, de qua loquebatur restrinxerim. Quo constituto omnes huius legis difficultates ab interpretibus propositæ euanescunt.

12 Sed quoniam Ecclesiasticæ leges in d. cap. *Imperiali, & cap. videtur nobis*, prædictæ legis dispositione vtuntur in alijs casibus, & latius intelligunt, ideò addiderim duas alias interpretationes. Prima est in d. *l. non dubium*, non decerni factum contra legẽ esse irritum ipso iure, sed vt irritetur à iudice in iudicio ope exceptionis, & ideò indigere iudicis sententia. Cui interpretationi fauent illa verba *pro infectis habeantur, & inutile videri debet, quod factum est*. Quo sensu mitior esset huius legis dispositio. Et quidem valde adiuuant hanc interpretationem alie, quæ adducuntur ex d. cap. *Imperiali, c. videtur nobis, & cap. vides*, ibi, *per leges dissolui meretur*.

13 Secunda interpretatio est prædictam legem intelligendam esse cum ea generali regula, ita vt in terris imperio subiectis, vbi ea lex viget, quidquid simpliciter prohibetur, nullum etiam sit. In quem sensum passim ferè video accipi à Donello, & docet Molina tomo 1. de iustitia tract. 2. disp. 88. Gabriel Vazquez tom. 2. in 1. 2. disp. 164. ca. 3. Salas de legib. disp. 15. sect. 8. Alijque non pauci. Addendum tamen, nisi actus talis sit, vt vel irritari non possit, aut ex lege, vel consuetudine constet eum actum irritare noluisse legislatorem. Id quod etiam præter citatos Doctores docet ex parte Gregorius Lopez loco cit. Azor tom. 1. lib. 5. cap. 16. quæst. vltima Glossa in d. *l. verbo. non dubium*. Verba namque prohibitionis alia sunt à verbis irritationis, vt constat ex legibus Ecclesiasticis Sixti V. & Clementis VIII. Quorum ille annullauit professionem in certis quibusdã casibus: iste autem prohibuit professionem fieri, non tamen irritauit. Quare cum lex aliquid prohibens, non afferat secum irritationem actus, hinc est ex vi prædictæ *legis non dubium*, propter speciale Imperatoris constitutionem afferre irritationẽ actus, nisi aliunde, vel ex alia lege, vel consuetudine constet nolle irritare. Neq; enim habet locum ea lex generalis, cum habent locum speciales clausulæ *l. dolo, D. de verb. oblig. & l. sanctio, D. de pœnis*. Quo constituto cessant difficultates, quæ contra prædictam legem afferri solent, cum sint ex eis rebus desumptæ, quę vel irritari non possunt,

vel

vel quæ constat ex alia lege,& consuetudine noluisse Legislatores irritare. Inter quæ est hæc de matrimonio clandestino prohibitio ante Tridentinum; constat enim ex dictis supra isto cap. per multa tempora ante Tridentinum fuisse prohibita,& non irrita, quamuis aliquando etiam irrita fuerint. Neque vero negauerim simplici prohibitione potuisse reddi nullum matrimonium clandestinum,si generali aliqua lege id se intendere Legislatores explicuissent, vt explicuit de suis prohibitionibus Theodosius;cũ ea parte qua contractus est ,legibus subdatur humanis quoad sui valorem vel nullitatem.

14 Sed explicemus in hoc cap. pro doctrinæ complemento: quomodo, quando lex non habet clausulam irritantem,sed tãtum prohibentem,dignosci possit contractum iuxta illã celebratum esse nullum vel validum. Ego quidem sic statuo. Lex omnis prohibens vel respicit personam, vel actionem. Si personam aliquid circa illã statuẽdo, vt assignet legitimum auctorem illius actionis vel contractus, reuera contractus aliter celebratus est nullus,etiamsi simpliciter tantum prohibeatur. Huiusmodi sunt leges agẽtes de his qui testari possunt, & quæ definiunt hæredes aut partes hæreditatis, non enim permittunt amplius aliquid accipi,cum nullus sit titulus. Item quando prohibent Episcopis tutari, eo ipso auferunt ab illis administrationem bonorum in testamento,& quando minori prohibent cõtrahere sine consensu tutoris;tollunt enim ab eo administrationem bonorum,sine qua cõtractus est nullus. Idem iudicium est de lege prohibente prodigo contrahere. Huiusmodi etiam est lex,quæ prohibet exercere Tabellionatum sine examine, neque enim sine prædicto examine vult aliquem esse legitimum ministrum Tabellionatus.

15 Hinc fit non idem esse iudicium de istis legibus,& illis, quæ aliquid interdicũt aliquibus personis,non vt legitimũ auctorem assignent,sed propter indecẽtiam,vel intuitu alicuius peculiaris virtutis à iustitia diuersæ. Huiusmodi est lex, quæ vetat clericis ludum, vel negotiationem, vel exercitium Tabellionatus; hæc enim interdicuntur intuitu vitandæ auaritiæ, & vt sine huius vitæ solicitudine vacare Deo possint. Similiter quæ interdicunt Regijs ministris munera accipere,nisi aliud addant, non reddunt eos inhabiles ad retinendum,quia statutæ sunt intuitu vitãdæ auaritiæ. Vt enim notum est ex disput. de legibus, lex præcipiens actum aliquem constituit illum in materia eius virtutis,cuius intuitu lata est lex. Prædictæ autem leges vel religionem, vel liberalitatem respiciunt,non iustitiã,nisi id explicent,& transgressores inhabiles ad retinendum efficiant. Huiusmodi etiam existimo fuisse leges,quæ religiosis olim interdixerunt matrimonia. Neque enim fuerunt multis temporibus inualida, donec id specialibus legibus statutum fuit, vt latè demõstrabo infra lib.7.

16 Si verò lex prohibet actionem, aut prohibet substantiam actionis, aut circunstantias. Si substantiam, vel illã simpliciter prohibet,hoc est,vetando ne fiat. Et ex huiusmodi prohibitione non colligitur irritũ esse id,quod contra fit, vt de prohibitione ludi talorum constat. Vel ita prohibet, vt assignet etiam,formam, qua actio fieri debeat. Et in hoc casu quidquid secus actum fuerit,nullum est,etiamsi tantum simpliciter prohibeatur. Huiusmodi est lex,quæ assignat certum numerum testium, & tractatuum,vel certam solemnitatem pro forma contractus. Solemnitas enim illa datur pro forma legitima contrahendi;deficiente autem forma personæ non cẽsentur legitimæ ad contrahendum,ac proinde omnino sunt excluſæ à contractu. Huiusmodi etiam sunt leges de alienatione minus solemni,de transactione minoris,sine cognitione Prætoris, de solemnitate votorum, & ex multorum sententia leges de testamentorum solemnitate. Atque huius generis est hæc lex de matrimonio ineundo coràm Parocho & testi-

17 Quando vero respicit tantum circũstantias,vel assignat aliquid non pro substãtia,vel forma,sed vt melius fiat,non est irritus contractus,etiamsi contra legẽ fiat. Huiusmodi est lex,quæ decernit pretia rebus, & prohibet vendere,nisi iuxta pretium taxatum iustum. Siquis enim illam transgrediatur,contractus valet,tenetur tamen pretium restituere, cum lex illa solũ respiciat excessum pretij,non verò substantiam eius contractus. Cum enim lex illa substituatur loco æstimationis communis, idem iudiciũ est de illa,atque de communi æstimatione. Ad hoc etiam genus pertinet lex Tridentini,quæ iubet præmitti denunciationes,quibus etiam omissis valet matrimonium;tantũ enim illæ institutæ sunt pro forma, qua melius fiat contractus matrimonij.

Ecclesiam potuisse irritare matrimonia clandestina explicatur.

CAPVT IIII.

SVMMARIVM.

Hæreticorum error, n. 1.
Catholica veritas, n. 2.
Explicatur quomodo Ecclesia potuerit aliquid variare in materia, forma & ministro matrimonij, n. 3. 4. 5. 6.
Explicantur hæc exemplo desumpto ex Sacramẽto pœnitentiæ, n. 7.
His non obstare, quod matrimonium sit de iure naturali, n. 8.

1 SED iam circa idem decretum secunda difficultas est, quo pacto potuerit Ecclesia irrita reddere matrimonia clandestina contracta? In qua difficultate Hæretici potestatem Ecclesiæ negauerunt. Catholici verò nonnulli tempore Tridẽtini de Ecclesiæ potestate valde dubitarunt; & Soto in 4. distinct. 28. quæst. 1. art. 1. in solut. ad 1. indecisam eam difficultatem reliquit, & Ecclesiæ iudicio definiendam: nec minus dubius Decanus Louanensis art. 20. §. *Ante professionem religionis.*

2 Cæterum Catholica veritas est potuisse Ecclesiam irritare, vt constat ex Tridentino loco citato, & ex his quæ diximus cap. præcedenti, cum reuera & post Tridẽtinum irrita sint, & antea etiam aliquo tempore matrimonia clandestina inualida fuerint, aliàs in re grauissima erraret Ecclesia. Probabitur autem eam potestatem Ecclesiæ conuenire, si explicemus modum quo reipsa irrita reddidit. De quo multa Thomas Sánchez lib. 3. disput. 4. à num. 3. qui probare contendit Ecclesiam & directè irritasse annullando contractum, & indirectè inhabilitando personas. Ego tamen rem hanc aliter explicandam existimo, qua etiam explicatione constituta facile soluentur, quæ idẽ habet num. 1. pro parte contraria negante.

3 Igitur apud Catholicos Doctores certa & indubitata res est Ecclesiam nihil posse immutare de materia & forma Sacramentorum, neque quidquã noui addere vel constituere. Idque colligi videtur ex Tridentino sessione 21. in doctrinade Sacramẽto Eucharistiæ c. 2. vbi declarat Sancta Synodus hanc potestatem in Ecclesia perpetuã fuisse, vt in sacramentorum dispensatione salua illorum substantia statueret. Quãuis autem id certum sit inter Doctores Catholicos pro omni sacramento etiam matrimonij, addendum tamen est matrimonij institutionem sic in vniuersum à Christo factã esse, vt legitimus contractus matrimonij deinceps Sacer, esset signum, videlicet, & causa gratia, nulla quidem mutatione facta in materia matrimonij, quatenus cõtractus est, sed ita vt maneret in genere contractus ciuilis, & tamen eodem modo permanenti sacramenti ratio adderetur. Quare Christus nullam specialem materiam & formã, & ministrum perscripsit, sed eandem materiam formam & ministrũ matrimonij esse voluit in genere sacramenti, atque erant in genere contractus. Huius autem institutionis sic in vniuersum factæ nulla prorsus ab Ecclesia circa materiam, formam, aut ministrũ mutatio facta est, neque ei aliquid additum.

4 Verùm quia matrimoniũ quatenus ciuilis quidã cõtractus est, suapte natura subditur imperio Principis, sicut alij contractus, vt vel ex parte formæ, vel ex parte materiæ ab eis variari possit; ideo hac ratione ex parte materiæ & formæ irritari potest matrimoniũ, aliquid materiæ mutando, vel aliquid formæ addẽdo. Hac ratione materia quæ sunt corpora cõtrahẽtiũ, vt dixi supra lib. 1. multis de causis impediri possunt, quo minus sint materia apta & habilis, & reipsa iure humano in multis casibus ita factũ est. Et quia in his casibus iure humano est irritus cõtractus matrimonij, cõsequẽter effectũ est, vt non sit sacramentũ, sublato enim priori tollitur posterius ab ipso dependens *c. translato, de constitutionibus*, iã enim eo iure nõ manet verus cõtractus, & mutata fuit materia matrimonij, vt contractus est. Quia personæ, quæ aliàs iure naturali aptæ & habiles erant ad matrimoniũ verũ & firmum contrahendũ, redditæ sunt inhabiles, de quibus sigillatim infra lib. 7. & in præsenti Cõciliũ Tridentinũ personas ad clandestinè cõtrahendũ inhabiles reddidit. Non fuit autẽ ex eo mutata materia matrimonij, quatenus sacramentũ est, neque illius institutioni detractũ; quia Christus in institutione huius sacramenti non designauit specialiter has vel illas personas, sed solùm instituit, vt personæ, quæ aliàs legitimæ essent, & quæ secũdum iura esse possunt materia contractus, pro sacramento etiam deseruirent. Quæ sanè institutio omnino immota manet, nec variari potest ab Ecclesia.

5 Sic

5 Sic etiam ex parte formæ matrimonij, quatenus contractus est, ita fuit additũ aliquid, vt aliter contractus matrimonij initus nullus esset. Sicut enim in alijs cõtractibus pro forma se habet ea, quæ pro solẽnitate ita sunt præscripta per legẽ, vt sine illis contractus factus viribus careat; vt constat in alienatione bonorum minoris per tutorem facta, vel bonorum Ecclesiæ: sic etiam concilium pro forma huius contractus addidit præsentiam parochi & testium, ita vt ea forma omissa nullus esset contractus matrimonij. Quo etiam modo potuisset Ecclesia pro forma addere tres denũtiationes, & Sacerdotis verba. Ob id autẽ nihil additũ fuit institutioni diuinæ; nam Christus non instituit hoc aut illud speciatim pro forma matrimonij, quatenus sacramẽtum est; si enim hoc fecisset, nihil Ecclesia addere potuisset: sed hoc tantum instituit, vt legitima forma matrimonij quatenus contractus est pro forma quoque deseruiret pro ipso etiam, quatenus sacramentum est.

6 Deinde, quia in matrimonio prout cõtractus est, contrahentes ipsi non tantũ sunt materia, sed etiam ministri, ac proinde in ipso prout sacramentũ est, ijdem ministri esse debent, hinc etiam effectum est, vt Ecclesia aliquid de ministro mutauerit, inhabiles efficiẽdo personas aliquas ad contrahendum, & ita etiam administrandum, nihil tamẽ de diuina institutione mutauit circa ministrũ, quia Christus hoc tantum instituit, vt legitimus minister contractus matrimonij esset etiam sacramenti.

7 Quæ omnia explicari possunt exemplo desumpto ex sacramento Pœnitentiæ. Quãuis enim Ecclesia aliquid statuerit circa materiam, & ministrum Pœnitentiæ, ex quo illud sacramentũ irritũ & inane esset, quod aliàs quidẽ firmũ, & ratum foret; nihil tamen dicitur mutasse de institutione diuina materiæ, aut ministri. Nam diuina institutione constitutũ est, vt materia sacramenti Pœnitentiæ sit confessio peccatorum facta coram sacerdote legitimam iurisdictionem in pœnitentiam habente. Quia tamen habere in aliquem iurisdictionem pendet ab ipsa Ecclesia, quæ actiuæ iurisdictioni sacerdotis debitam materiam applicat, vt in eam cõpletam iurisdictionem exerceat, ideo sacramentum, quod aliàs esset verum & firmum, irritũ est, quia scilicet, aut superiores Ecclesiæ Prælati sibi aliqua peccata reseruantes in ea iurisdictionem non concesserunt, aut aliquibus sacerdotibus nullam materiam applicarunt, nec subditum, in quem vllam iurisdictionem exercerent.

8 Ex his iã colligitur quare, licet contractus matrimonij sit de iure naturali, vt diximus, & probat textus. *Institutis de iure naturali*, in principio, ibi: *Hinc descendit maris & fœminæ coniunctio, quam nos matrimonium appellamus*; & quamuis contractus matrimonij sit eleuatus ad rationem sacramenti; nihilominus; & Ecclesiastica potestas apud fideles, & sæcularis etiam potestas apud infideles potuerit matrimonia irritare reddendo inhabiles personas aliquas, de quo etiam dicemus infra lib. 6. sed de huius capitis materia videndus etiam Petrus Ledesma, q. 45. de matrimonio art. 5. dub. 2. pagina 176. col. 2. & sequentibus.

An matrimonium clandestinum, & vniuersim cõtractus iure nulli vim habeant in foro conscientiæ?

CAPVT V.

SVMMARIVM.

Quid agendum, n. 1.
Reijcitur media quædam sententia, n. 2.
Quædam extrema sententia, n. 3.
Vera sententia, n. 4.
Legislatores posse irritare actus aliàs legitimos, num. 5.
Distinguitur præsumptio legum, & explicatur primum genus, n. 6.
Explicatur secundum, n. 7.
Lex fundata in præsumptione vt plurimum, obligare etiamsi in aliquo peculiari deficiat, probatur, n. 8.
Quid dicendum de sententia lata, quando non subest culpa, n. 9.
Quid in filio damnati, vt criminosi, si venera non fuit pater criminosus, n. 10.
Quid quando religiosis prohibetur ingressus in cellas, n. 11.
Quid dicendum in testamentis minus solemnibus, quorundam opinio, n. 12.
Vera sententia, n. 13.
Quid de matrimonio, n. 14.

1 SEQVITVR tertia difficultas, an saltem in foro cõscientiæ vim vllã habeat matrimonium clandestinũ, quando sine vllo incommodo reuera celebratum est? Et quia res communis est omni contractui vel actui, qui iure humano nullus est, dicam vniuersim de omnibus, & in-

de colligam, quid in matrimonio dicēdum sit. Nam de matrimonio quidem Soto in 4. distinct. 28. quæst. 1. insinuare videtur validum esse in foro conscientiæ.

2 Reijcienda est in primis media quædam sententia, quam excogitauit Soto lib. 4. de iustitia, quæst. 4. art. 3. quæ etiā fertur fuisse Victorię, & Ioannis à Pena ex Dominicana familia, leges huiusmodi humanas non intendere, vt contractus à persona legitima celebratus irritus sit, & nullus deficiente omni fraude, sed vt iudicentur nulli. Quod videntur sibi colligere, quia finis legum tantum est obuiare fraudibus, quod ea ratione satisfit; quare non alia maior vis illis tribuenda est. Hanc quippe sententiam verba multarum legū manifestè explodūt, quæ contractum aliquem nullum reddunt, vt infra videbimus. Quare vniuersè sustineri non potest, licet in aliquo fortasse casu verum sit.

3 Extrema ergo quædam sententia est eiusmodi contractus validos esse in cōscientia, modo constet eam veram fuisse contrahentium voluntatem. Ita docet Panormitanus in *c. quia plerique, de immunit. Eccles.* à n. 42. & *c. 1. de in integrum restit.* num. vltimo. Adrianus Quodlib. 6. concluſ. 2. Syluester verbo *hæreditas* 3. q. 7. & verbo *testamentum* 1. q. 5. & verbo *Alienatio*, §. 13. Medina C. de restitut. q. 27. & alij multi iuris interpretes, inter quos videtur esse communis in *c. cum esses, de testamentis*. Quamuis autem multa fundamenta referantur ab Auctoribus, potissimum tamen est, quia fine legis propterquem statuta est, cessante, deficiat lex ipsa necesse est. Finis autem istarū legum est euitatio fraudum, quæ præsumuntur in huiusmodi contractibus, vt in alienatione bonorum Ecclesiæ sine certa solemnitate. Ergo vbi constiterit huiusmodi fraudem non fuisse, non est cur contractus non sit validus in conscientia. Vt enim habetur. *Instit. de rerum diuisione*, §. *per traditionem*, Nil tam conueniens naturali æquitati, quam voluntatē Domini volentis rem suam in alium transferre ratam habere. Prior illa propositio habetur in iure, *c. cum cessante, de appellat. & c. si Christus, de iure iurando*. Et confirmatur ex lege Diuina de correctione fraterna, cuius obligatio cessat, quando cessat etiam finis legis, scilicet eruditio fratris.

4 Altera extrema sententia est contractus istos iure nullos nullam parere obligationem in cōscientia; imo quidquid per huiusmodi contractus adquiritur, obnoxium esse restitutioni, impedirique translationem dominij. Ita docet Innocētius, *c. quia plerique, de immunit. Eccles.* Baldus in *l. 1. C. de Sacrosanctis Ecclesijs*, n. 55. Alexāder & Immola in *l. nemo potest D. de leg. 1.* Couar. in *c. cum esses, de testamentis*, & in regula *peccatum* p. 2. §. 2. ex Theologis Molina tom. 1. de iustitia tract. 2. disp. 8. Salon tom. 1. de iustitia, q. 5. de dominio art. 4. & fertur tenuisse M. Cano, & testatur Soto vsq; ad sua tēpora inter Theologos Salmanticēses fuisse cōmuniter receptā. Eāque docent alij viri docti huius ætatis, ac mihi summopere probatur. Multa argumenta pro illa congerunt Salon & Molina, omnia tamē in vnū fundamentū recidunt, quod proponam, si prius nonnulla præmisero, ex quibus facili ratiocinatione deducatur.

5 Vt ergò nostra probetur sententia, & fundamentū oppositū cōuellatur, simulque ad alia multa egregia tradatur doctrina, supponamus primo certū esse apud DD. omnes Legislatores non tantū posse obligare sua lege in conscientia, & ad pœnā, sed etiā posse irritare actus & contractus aliàs legitimos, ita vt nulli sint & inualidi, ac si facti non essent: qualis est lex Concil. Tridētini de qua supra, de matrimonijs Clandestinis, & aliæ de quibus cap. præcedenti. Huius optimā rationē reddit Couarruuias, quia licet lex humana decernere non possit aliquid circa id, quod deducitur immediatè ex principijs naturalibus, benè tamen circa ea, quæ deducūtur tantū frequentius, & vniuersaliter, aut quæ se habēt, vt determinationes iuris naturalis. Ergo potest aliquid decernere, aut innouare circa materiā cōtractus ex his, quæ iure naturali nō requirūtur; & sicut lex præcipiēs aliquid aut prohibēs obligat in cōsciētia, etiā lex irritās cōtractū, & explicās nullū fore, obligabit in conscientia.

6 Obseruemus deinde huiusmodi leges in præsumptione fundari fraudū, quas euitare intendunt. Duplex autem præsumptionis genus distinguendum est. Quædam præsumptio est, quæ præsumitur à iure in vnoquoque casu particulari. Hac præsumptione statuit Pōtifex in *c. veniens, 2. & c. his qui fidem, de sponsal.* sponsalia de futuro transire in matrimoniū legitimū secuta copula, quia, licet ad matrimoniū requiratur consensus absolutus de præsenti; tamē, ne Ecclesia præsumat accessisse cum peccato, præsumit habuisse consensum maritalem, & id præsumit non solum in plurimū, sed etiā in quouis casu, cum nulla sit maior vnius

quam

quam alterius. Et hoc genus præsumptionis appellatur iuris, & de iure, quia & iuste præsumit, & ea de causa aliquid statuit, vt non admittat probationem contrarium. Lex autem in huiusmodi præsumptione fundata, non obligat tali præsumptione non subsistente, neque mandatum, aut sententia iudicis, si in ea fundatur: est enim ea quædam peculiaris lex pro singulari casu, vt ostendimus, cum ageremus de censuris, in tract. de excommunicatione. Atque de hoc genere præsumptionis intelligendum est commune axioma, *lex fundata in præsumptione non obligat ea non subsistente.*

7 Alterũ genus præsumptionis est, quãdo non præsumitur fraus aut dolus in vnoquoque peculiari casu, sed in plurimum; & hoc est fundamentum cuiusque legis nõ solùm irritantis, sed etiam præcipientis, aut prohibentis. Nulla enim lex est, quæ non statuatur ad vitandum aliquod publicum incommodum, idest, totius Reipublicæ, aut certi generis personarum, quæ sunt in Republica. Vnde si talis præsumptio esset falsa, lex esset nulla, quæ statuitur contra libertatem naturalem. Tamen quia hæc præsumptio non habet locum in singulis casibus, sed in plurimum: ideo etiamsi præsumptio legis desit in vno casu, nõ ideo lex vim amittit, nec definit obligare in eodem casu. Et hoc est quod dici consueuit, cessante causa legis in vno casu, non ideo cessare obligationem legis, vt optimè docuit Castro lib. 1. de lege pœnali cap. 5. documento 3. Vnde minus bene mihi videtur locutus Molina, qui sæpe in suo opere de iustitia pro certo sumit legem humanã, quæ in præsumptione fundatur, deficiente præsumptione in aliquo casu, in eo nõ obligare: nec video quomodo principium istud stare possit, cum conclusione præsentis dubij, quam diximus tenere Molinam. Cum enim leges irritantes contractus in præsumptione fundentur, ex eius fundamento sequeretur, cum deest fraus, quam lex præsumit in aliquo casu, vim habere in foro conscientiæ, atque in eo tantum foro validos esse eos contractus, quod tamen ipse negat in præsenti. Emanuel quoque Rodriguez tom. 1. quæst. regular. quæst. 67. art. 3. non rectè præsumptionem distinguit, nec rectè docet vniuersim legem, quæ fundatur in præsumptione, stante veritate in contrariũ non obligare, cõmotus argumento desumpto ex sententia quæ fertur cõtra aliquẽ innocentẽ, quã Caietanus & alij graues Auctores dicunt non obligare, nosq; etiam docuimus in tract. de excommunicatione loco cit. Huius tamen rei disparem rationem reddidimus in hac obseruatione.

8 Quod autẽ lex quæ fundatur in præsumptione, vt plurimùm obliget etiam in casu, vbi deest præsumptionis materia, probo & ratione & exemplis. Ratio est, quia vt habet receptissimũ Theologorũ axioma in materia de legibus, non deficit lex, nõ cessante causa illius legis. Sed causa istarum legum non est fraus in isto peculiari casu, sed in vniuersum, quæ causa non cessat, ex eo quod in isto casu deficiat. Ergo viget adhuc lex, legi autem viuenti natiua inest obligatio, atque adeo etiam obligabit in eo casu etiam. Exempla sunt. Primum, quia lex Tridentini prohibet matrimonia clandestina ad euitandos dolos, & incommoda in Republica; & tamen nullus hactenus dubitauit eam non obligare, etiam si aliquis in aliquo casu cõtraheret sine fraude, & damno. Cur ergo aliæ leges, quæ in præsumptione fundantur, non habebunt eandem vim in quolibet casu, etiamsi constet veritas in contrarium, cum non constet Legislatores aliquid diuersum pro eo casu statuisse, & aliàs quis teneatur priuatum damnum pati ob cõmune & publicum bonum, quod ex eius legis obseruatione sequitur? Secundum exemplum sit in lege, quæ iubet in Republica iudicari, secundum allegata & probata, quia aliàs præsumit falsum. Etiamsi in particulari casu constet falsitatem esse in allegatis & probatis, & nota sit innocentia rei, debet iudex secundum allegata & probata iudicare. Ecce in hoc casu deest præsumptio legis, & nihilominus vim retinet vniuersalis lex, cuius præsumptio est vt plurimum. Ergo idem etiam in alijs dici debet.

9 Ex ista obseruatione multa colligi possunt in peculiaribus materijs. Primũ: quãcũque sententiã latã cõtra aliquẽ reuera innocẽtẽ, qui tamen probatur nocens, vim non habere in cõscientia, atque adeo illũ, vbi absit scandalum, parère non teneri; vt de excommunicatione iniusta secundũ rem, iusta tamen secundũ allegata & probata dictũ est loco cit. Ea enim lex, cũ tantum hunc peculiarem casum & personam respiciat, tantã præsumit in isto casu, atque adeo cessante præsumptionis materia in hoc peculiari casu, cessat tota ratio istius legis & sententiæ.

10 Secundò colligitur, quod siquis priuatus sit officijs, vel actibus legitimis, quia descendit à patre criminoso secundũ cõfes-

sionem patris, qui metu mortis, aut alio graui id confessus est, si filio constet veritas in contrariũ, potest in foro conscientiæ vti legitimis actibus. Ratio est eadem, quia sententia illa fuit peculiaris quædam lex, quæ fundamentum habuit in præsumptione culpæ in hoc peculiari casu, atq; adeo ea deficiente corruit in conscientia eius obligatio.

11 Tertiò colligo Religioforum præcepta, quæ sub obedientiæ virtute prohibent ingressum in cellas ob aliqua incommoda euitanda, etiam siquis certo sciat se non ingredi eius gratia, cuius euitandi causa illa statuta lex est, obligare nihilominus, & illũ sic ingredientem peccare. Quia lex illa nõ fundatur in præsumptione incommodi, in quouis casu, sed vt plurimum præsumit esse incommoda. Cumque, quãuis in peculiari casu deficiat huiusmodi præsumptio, nõ inde sequitur in omnibus deficere, ex eo etiã est legẽ illam vim in conscientia retinere; non enim cessat causa legis, & ideo neque eius obligatio.

12 At quæres, quid dicendum de testamentis minus solemnibus? Id quidem multis disputari solet, perstringã breuiter. Non pauci propter doctrinã traditã existimãt testamenta nuncupatiua tẽpore pestis celebrata, quod Tabellio adesse non potuit, quantũuis magno testium numero probari possit voluntas testatoris, & ita reuera se habeat, nullã etiam in foro conscientiæ obligationẽ inducere, vbi scriptura lege requiritur. Cõueniens enim valde fuit vltimarum voluntatũ falsitati, quæ frequẽtissima esse solet, obuiam iri. Similiter testamentum conditum tẽpore pestis cum quinque testibus, quãuis septẽ inueniri nõ possint, quamuis illud etiã verũ sit, nullã vim inducere in cõscientia, cum sit nullum ipso iure, *l. 8. C. de Testamentis*, in hæc verba. *Casus noui ac contingentis ratione aduersus timorem contagionis, quæ testes deterreret, licet aliquid de iure laxatum est, non tamen prorsus reliqua testamentorum solemnitas remota est. Testes enim huiusmodi morbo oppressos eo tempore iungi, atque sociari remissum est, non etiam conueniendi numeri eorũ obseruatio sublata est*, siue, vt alij legunt, *conuenientis numeri*. Nullum ergò videtur in foro conscientiæ, quia fundamentum habet in præsumptione fraudum, quæ frequenter, occurrere solent in suppositis testamentis, quæ præsumptio non tollitur ex eo, quod cesset in isto peculiari casu. Inde etiam colligunt testamentum rusticorum, etiamsi numerus quinque testium reperiri nõ possit, sine illo quinario numero conditum nõ valere. Id enim constitutum videtur à Iustiniano, *l. vlt. C. de testamentis: sin autem in loco illo minimè inuenti fuerint septem testes, vsque ad quinque modis omnibus adhiberi iubemus, minus autem nullo modo concedimus*. Idque ex eadem ratione colligunt. Non enim cessat tota ratio legis, atque adeo, neq; lex ipsa: æquum autem est, vt legi latæ in commune bonum, cedat hic cum priuato suo damno: imo & parum curandum est, si iste damnum patiatur, dummodo lex, quæ communi bono prospicit, omnino vigeat. Merito autem iura adeo exactam solemnitatem requirunt in testamentis, quam tamen in contractibus alijs nõ exigunt, tùm quia maioris momenti fraudes sunt in vltimis voluntatibus: tum etiam, quia si de contractu inito ageretur, debitor, qui ex fide promissionis cõuenitur, potest datæ suæ fidei ratio nẽ reddere. At cũ de testatore defuncto, & vltimæ voluntatis executione agitur, non licet sopitos mortui cineres excitare, nec recta, veraque voluntatis interpretatio amplius à defuncto requiri potest. Tum denique vt defuncti voluntati quoad fieri possit, melius consulatur. Ea enim (inquit Quintilianus declamat. 311.) *nihil potentius apud nos, nihil animo nostro sacratius esse debet*; & vt præclare ex D. Trajani Rescripto Florentinus in *l. Diuus D. de Testamento militis, nullorum magis interest quam ipsorum, quibus id priuilegium datum est, eiusmodi exemplum non admitti. Alioqui non difficulter post mortem alicuius militis testes existerent, qui affirmarent se audijsse dicentem aliquem relinquere se bona cui visum sit, & per hoc iudicia vera subuerterẽtur*. Neque est cur aliquis impedimenta & necessitates obijciat, quæ legibus subijci non videntur. Imperatores enim non latuerunt hæc impedimenta, & difficultates: & tamen aperte sanxerunt nihil de numero testium sublatum esse. Quid etiamsi nec duo testes haberi possent, nunquid valeret testamentum coram vno teste? Minimè sane. Et tamen argumentum ex necessitate probat etiã vno teste adhibito valere: imo & nullo, si haberi non potest.

13 Cæterum ego, quod attinet ad testamẽta minus solẽnia, contrarium dicendum existimo ex iuris dispositione. Leges enim de eo latæ satis indicasse videntur, cũ solẽnitatem in testamento requirunt, hanc esse tantum mentem, ne instrumenta illa minus solemnia fidẽ faciant in iudicio, & ne vllo instrumento aliquid possit exigi; non tamen

tamen abstulerunt vel eneruarunt natiuam obligationem voluntatis testatoris. In quo quidem optime sensit Molina disput. cit. sed non recte probat *ex l. fin. C. de fideicommissis & §. fin. instit. de fideicom. hæred.* in illis enim vt facile constabit expendenti, agitur de fideicommissis sine vlio testamento relictis, vt constat ex illo, *si sine scriptura & præsentia testium fideicommisso derelicto*, cum qua expositione congruunt reliqua, quæ in ea lege continentur. Esse ergo eam, quam diximus, Legislatoris voluntatem colligi videtur ex *l. fin. C. de rebus eorum. Paulus respondit, & si testamentum patris irritum esse apparuerit: tamen tutores pupilli, siue curatores filij nihil contra voluntatem Diuorum Principum fecisse videntur, si secundum voluntatem defuncti testamento scriptam prædium rusticum pupillare vendiderunt*, vbi expende illud, *nihil contra voluntatem, &c.* Ergo venditio illa rustici prædij iuxta voluntatem defuncti in minus solemni testamento expressam, non erat contra voluntatem Imperatorum, quia scilicet eorum voluntas non fuit auferre à testamentis natiuam obligationem, licet possent; sed ne in iudicio fidem facerent. Eandemquoque esse Legislatoris voluntatem in illis de minus solemni testamento latis legibus constat ex iure nostri Regni, *l. 31. tit. 14. part. 5.* vbi solutum ex minus solemni testamento, etiam ignoranter, repeti non potest.

14 Et in lege Tauri expresse dicitur. *No vala ni haga fe*, signũ ergo est tantũ vim eius instrumenti in foro externo sustulisse, non verò naturalẽ obligationem eneruasse. An vero idem censeri debeat de fideicommissis & legatis in testamento minus solemni relictis propter, *l. vltimam C. de fideicommissis*, alibi dicendũ est. Atque ex doctrina tradita facilis est solutio eorũ, quibus alij Doctores nitebantur, est enim in testamentis specialis Legislatorum voluntas, quam ex eorum verbis deprehendimus. Argumenta huius capitis initio adducta ex dictis soluta manent.

15 Denique, quod ad matrimoniũ attinet, longe facilius colligitur nullum esse in foro conscientiæ, si celebretur sine parocho & testibus, quamuis nulla interueniat fraus, tum quia neque ea ratio in vniuersum cessat; tum etiam quia contrahentes omnino inhabiles effecti sunt per Tridentinũ ad sic contrahendũ. Ex quo fit neque esse idoneos ministros, neque materiam legitimam huius contractus. Id quod communi Doctorum sensu nemine dissentiente receptum est, vt dicebam suprà.

In nullo casu post Tridentinum esse locum matrimonio clandestino, neque renouari prius initũ posse sine ea forma.

CAPVT VI.

SVMMARIVM.

Quid agendum, num. 1.
Prima opinio, num. 2.
Vera sententia, n. 3.
Proponitur noua alia difficultas, n. 4.
Non esse necessarium renouare consensum coram parocho & testibus, quorundam opinio est, maxime si occultum est impedimentum, numero 5.
Vera sententia, necessarium esse, n. 6.
Probatur ex responso Clementis Octaui, ibidem.
Excluditur quædam cuasio ex decisione Rotæ, num. 7.
Aliter probatur, n. 8. 9.
Reijcitur quædam solutio, n. 10.
Nulla absurda neque inconuenientia esse in nostra sententia, n. 11.
Probantur hæc omnia ex alia decisione Rotæ, num. 12.
Proponitur alius casus & eius resolutio, nu. 13. 14.
Solemnitatis omissio peccatum mortale est, numero 15.
Episcopum non posse dispensare in ea solemnitate, n. 16.
Etiamsi contrahatur sciente vicinia nullum sub esse impedimentum, seruandam esse formam, num. 17.
Ligari etiam eo decreto ignorantes, num. 18.

1 SED iam circa idem decretum est quarta difficultas. An post Tridentinum in aliquo casu locum habeat matrimonium clandestinum, ita vt valeat initum sine parocho, & testibus ex præsumpta voluntate Concilij Tridentini nolentis in eo casu obligare.

2 Dominicus Soto in 4. distinct. 22. q. 1. art. 2. existimat esse casus aliquos, in quibus valeat clandestinum coniugium, etiam sine parocho, & testibus celebrato, quem etiam sequitur Iacobus à Graffis lib. 2. decision. aurearū c. 86. Primus est, quando virgo sub tutela est iniqui tutoris, & clandestine contrahit, ne tutor eam tradat viro ignobili. Item siquis lethaliter vulneratus fœminam concubinam, vt filios legitimos reddat, & faciliorem viam paret ad salutem, clandestinè cum illa cōtrahat, quia copia parochi & testium haberi non potest. Tertiò, si concubinarij iter facientes, vel alia ratione comprehensi, si in pericula ob concubinatum inciderent, subitò matrimonium secretò contraherent, vt affirmarent se esse cōiuges. Quarto. Si aliqui, quibus maxime expediret nubere, & valde metuerent illo tempore impediendos esse, ne contrahere possint, tunc secreto in matrimonium consentirent, animo postea publicandi.

3 Verùm ego longe verius existimo, & dispositioni Cōcilij Tridentini cōformius in nullo casu iam valere clandestinum matrimonium inter eos, & in illis locis, in quibus Concilij Tridentini lex viget. Quæ cōmunis sententia Doctorū est hoc tēpore, & docet Corduba in Summa Hispana q. 51. & alij discipuli D. Thom. & in terminis Concilij veriorē vocat Petrus Ledesma, q. 45. de matrim. art. 5. in dubio, quod incipit: *Aliud dubium est, an in aliquo casu*, pag. 194. col. 1. & sequentib. Thomas Sāchez citatis alijs lib. 3. de matrim. disput, 17. per totam. Eamque sententiam mihi persuadeo ista consideratione. Quia præsentia parochi & testium datur à Tridentino pro forma contractus sine exceptione vlla. Ergo nunquam valebit aliter contractum. Nam quod in aliquo casu frausceſſet, aut eius suspicio, non satis est vt cesset omnino lex, vt dixi c. præcedenti; & minus inconueniens est, quod in aliquo casu non possit contrahi matrimonium, quia non potest haberi copia parochi & testiū, & priuatus aliquis damnum patiatur, quam quod clandestinis coniugijs aperiatur via. Vnde quamuis aliæ leges Ecclesiasticæ in alijs casibus recipiant Epicheiam, aut non obligent; attamen istæ leges, quæ formam contractibus constituunt, vbi vigent, nullā interpretationem patiuntur quo ad formā, sicut neque leges, quæ impedimenta consanguinitatis aut alia constituunt.

4 Sed maior difficultas est in alio casu. Malitia alterius coniugis cōtingere potest, vt matrimonium celebretur illo non adhibente consensum internum, sine quo matrimonium est omnino nullum, quāuis adsint exteriora signa. Id celebratū fuit coràm parocho & testibus, postea ad sanam mentem ille rediens vult adhibere consensum, quæstionem habet, an satis sit occultè iterum cōtrahere, an rursus adhibendi sint parochus & testes? Si enim primum satis est, valebit in eo casu clandestinum matrimonium, nā quod fuit antea cōtractum, nullum extitit. Non dissimilis casus est, cum duo contraxerunt denunciationibus, & solemnitate præcedente, quibus nondum innotuit impedimentum aliquod canonicū, quod obstabat. Contracto matrimonio & consummato, & liberis susceptis innotescit vel alteri, vel vtrique, impetrant dispensationem à Pontifice prædicti impedimenti. Quæstionem habet, an tunc etiam satis sit clādestinè mutuū adhibere, & explicare consensum.

5 Et quidem in his casibus nō pauci docuerūt posse valide cōtrahi etiam occultè, & non esse necessarium, vt coram parocho, & testibus renouetur cōsensus. Hanc sentētiā sic absolutè docet Nauarr. in Sūma c. 22. n. 70. & in noua editione c. 16. n. 37. & affirmat sic postea declarasse Piū V. & sacrū Pœnitentiæ Prætoriū, & Petrus Ledesma loco cit. asserit sic declarasse Cardinales, seq; eā declarationē vidisse: Tenet etiā Soto loco cit. Thom. Sāchez lib. 2. de matrim. disput. 37. à n. 3. citatis multis, & Rebellus p. 2. lib. 2. q. 9. n. 5. & 6. Et quāuis pleriq; ex his Doctoribus sententiā istā indistinctè docuerūt, attamen Thomas Sanchez atque Rebellus sub distinctione loquuntur. Dicunt enim eā sententiam procedere, quando impedimentum fuit omnino occultum, & sequeretur scandalum, si iterū coram parocho & testibus contraherent. Ex quo Thomas Sanchez multa infert numeris sequentibus vsque ad 9. & postea etiam n. 14. valere dicit etiamsi tantū per copulā ratū habeatur, dummodo ex affectu maritali facta sit. Et idem dicendū scribit n. 12. etiamsi impedimentum deductum fuerit ad iudicium, non tamen probatum, manet enim in eo casu adhuc occultū. At vero si impedimentū innotuit, vel testibus, & parocho, vel alicui ex illis, non posse iterū occultè contrahere, quia iam tunc non possunt illi esse testes valoris, sed potius nullitatis matrimonij, vtpote quibus certo constet de impedimēto. Id quod etiā docuit Henriquez lib. 11. de matrimonio c. 3. num. 7. Petrus Ledesma loco citato dubio

vltimo,

vltimo. Imo & addunt idem dicẽdum esse, si periculum subsit, ne detegatur nullitas, & probetur in foro externo. Addit etiã Thomas Sanchez n. 11. idem dicendum esse, licet periculum non sit, si tamen impedimentũ sit plenè probabile in foro externo. Erit autem plenè probabile, si duobus tantum testibus idoneis probari possit c. *quoties de testibus*. Nam si impedimentum plenè probabile est, redeunt in conuenientia, quæ euitare contendit Concilium Tridentinum.

6 Cæterum ego semper verius existimaui etiam in hoc casu, siue impedimentũ sit publicum, siue occultum, siue probari possit, siue non locum nõ esse matrimonio clandestino, sed necessarium esse, vt consensus renouetur coram parocho & testibus. Quam sententiam probabilem esse docuit Veracruz in Appendice ad Speculum dub. 10, concluſ. 6. sequitur Ioannes Gutierrez in quæstionibus Canonicis lib. 1. c. 18. nu. 7. & 8. & lib. de iuramento confirmat. 1. p. c. 51. n. 22. & 43. Palacios in 4. dist. 27. q. 1. fol. 566. Bartolom. Ledesma dub. 17. de matrimonio. Matienço lib. 1. Recopilat. tit. 1. l. 1. Glossa 1. n. 3. Perez lib. 5. Ordinamenti tit. 1. l. 1. §. *ex quibus respondendum*, & Paulus Comitolus lib. 1. respons. moral. q. 120. n. 3. & alij frequenter. Et in primis pro hac sententia adduco responsum Clemẽtis 8. quod ad verbum refert Comitolus loco cit, & retuli supra lib. 4. cap. 24. Quod si quis existimet Clement. 8. locutum esse tantum in eo casu, quando impedimentum est publicũ, vel probari potest, refellitur sane ipsis verbis Clementis 8. dixit enim, se dispẽsare in solemnitate ob scandalum. Erat ergo occultũ alias si publicum esset, aut probabile in iudicio, nullũ sequeretur scandalũ ex eo quod publicè contraherent; imo potius cessaret scandalum, quod sequeretur necessario, si aliquo tempore detegeretur impedimentum. Quare vt illi malo occurreretur, tutius erat publicè contrahere, asserentes in eorũ cognitionem postea deuenisse impedimentum, & ideo se dispensationem impetrasse, & publicè cõtrahere. Agebat ergò de occulto impedimento. Quare ex isto decreto colligo melius dixisse Petrum Ledesma dispẽsasse Pium V. si talis declaratio extitit, quã declarasse Ius Tridentini; expressè enim inquit Clemens 8. *Sanctitas sua dispensat*. Dispensauit ergò prius Pius V. non declarauit.

7 Sed quo hæc euasio tollatur accipe apud Seraphinum decisionem 900. in hæc verba: *Retuli RR. PP. DD. meis me consuluisse Illustrissimum, & Reuerendissimum Dominum Cardinalem Carrafam super allegata decisione Sacræ Congregationis Concilij in materia matrimonij per vim & metum contracti qui Illustris. D. meus ostendit mihi librum, præsente R. P. D. meo Comitulo, in quo scriptum erat in hanc sententiam. Quæsitum fuit quid seruandum in his, qui per vim & metum adhibitis omnibus solemnitatibus à sacro Concilio Tridentino, sess. 24. c. 1. de reform. contraxerunt, Congregatio respondit, si huiusmodi impedimentum sit occultum, & partes postea in matrimonio sic contracto permanere libere consentiunt, consueuisse Papam ex stylo Pœnitentiariæ, quamuis matrimonium sit nullum ratione etiam occulti impedimenti dispensare, ita vt de nouo possint inter se contrahere, non adhibitis, seu repetitis solemnitatibus à Concilio requisitis. Si verò impedimentum sit manifestum, iterum contrahendum est repetitis omnibus solemnitatibus in primo cõtractu adhibitis.* Et in fine. *Qua relatione habita Domini mandarunt, vt si pars nihil releuans adducit in contrarium, causam expediam*. Hæc ibi.

8 Præterea ostendo sententiam nostrã ista consideratione. Quia præsentia illa parochi & testiũ assignatur pro forma matrimonij, vt iam sæpe dictum est. Contractus autem matrimonij non est, nisi quando fit, tunc enim est sacramentum, & non antea, nec postea. Debet ergo tunc adhiberi forma, quando fit. Sed quando primum celebratum est matrimonium nullum fuit. Ergo quando denuo fit, debet adhiberi forma. Quod enim antea apposita fuerit, perinde est, ac si nunquam fuisset adhibita, cum tũc nullus extiterit matrimonij contractus. Sed cõcidamus ista minutius, vt clarè perspiciatur, quanta ex opposita opinione rerũ perturbatio sequatur. Planè iste, qui ignarus impedimenti contraxit, non tenetur iam impedimenti conscius contrahere iterum cum eadem vxore, sed potest ab ea discedere, & tuta conscientia in alium locum remotum secedens ibi alteri nubere. Ponamus igitur istum renouasse consensum occultè. At cũ id in opinione positum videret; aliò secederet, & ibi iterum sine impedimento coram facie Ecclesiæ alteri nuberet, dubitari non potest, quod ad Deum attinet, in casu hoc dubio secundũ matrimonium præstare primo, & ex consequenti illi stare tenetur, qui contraxit, quamuis excommunicationibus cogatur ad primum redire, quod sanè in cõtrouersia est, an sit matrimonium. Quæ ta-

men difficultas ceſſaret, ſi renouatio conſenſus publicè facta fuiſſet coram parocho, & teſtibus.

9 Denique argumentum deſumi poteſt ex doctrina Bartoli & aliorum, quos refert & ſequitur Tiraquelus in tract. *ceſſante cauſa* limitatione 37. quod dum lex aliquid tanquam formam exigit, ceſſante cauſa non ceſſat lex; maximè cum non ceſſet in vniuerſum, ſed in aliquo peculiari caſu, cum tamè niteretur præſumptioni vt plurimum. Quæ doctrina communis inter Doctores eſt, vt docet Salas de legib. diſput. 11. ſect. 3. & Ioannes Azor tomo 1. inſtit. moral. lib. 5. c. 16. q. 15. vbi expreſſè in legibus, quæ aſſignant formam contractibus; docet, etiamſi ceſſet ratio, non ceſſare legem. Cum ergo lex iſta Concilij Tridentini præſcribat formam iſti contractui, & ex alia parte in hoc caſu tantum ceſſauerit fraus, non in plurimum; imo adhuc & in iſto caſu poſsit eſſe, vt vidimus ratione præcedenti, planè efficitur etiam in eo caſu vim habere legem Tridentini, & ideo matrimonium eiuſmodi iterum coram parocho & teſtibus renouandum.

10 Sed videamus, quid ad rationẽ iſtam reſpondeat Thomas Sanchez, quam quidẽ diſſoluere conatur, ſed meo iudicio nõ præſtat. Supponit itaque diſput. cit. nu. 3. aliud eſſe ceſſare rationem legis in aliquo caſu, aliud vero rationem legis non ſe extendere ad illum caſum. Nam in priori caſu lex ex ſua generalitate comprehendit caſum illum, in eoque locum habuit, aliàs non diceretur ratio vel lex ceſſare, cum nec lex, nec ratio in eo caſu locũ habuerit, & quod nunquam fuit, ceſſare nequit, in poſteriori vero, nunquam ratio legis amplexa eſt illũ caſum, & per conſequens nec lex ipſa, cum verba legis quantumuis generalia ſint, reſtringantur iuxta limites ſuæ rationis. Quãuis ergo ratio finalis decreti Tridentini ea ſit, vt vitentur grauia peccata ex clandeſtinis nuptijs conſurgentia; hæc tamen ratio non ſe extendit adhũc caſum, cum prius matrimoniũ inualidum fuerit validum, & publicum in foro Eccleſiæ, & proinde, ſi aliud matrimonium inire vellent, impedirentur ab Eccleſia, quæ primum matrimonium validum iudicatet. Vnde ratio eius legis caſum iſtum nunquam comprehendit. Verum doctrina hæc, licet vera ſit, attamen non eſt ad rem. Tum quia adhuc oſtendimus in hoc caſu fraudibus locum eſſe: tum etiam, quia quamuis motiuum condendæ legis fuerit illis malis mederi, quæ ex clandeſtinis nuptijs oriebantur, attamen non is finis legis cõdendæ fuit, ſed voluit Eccleſia ex eo motiuo & conſideratione, vt cõſtaret idonee de matrimonio validè contracto, & ideo dedit pro forma præſentiam parochi & teſtium cuicumque matrimonio, Concilium enim vniuerſaliter loquitur de omni matrimonio. Cumque huius contractus hanc formã eſſe voluerit, planum eſt caſum iſtum comprehenſum fuiſſe hoc decreto. Vt enim diceremus caſum aliquem non comprehendi ea lege, quæ formam aſſignat actus, neceſſe eſſet illũ excipi lege, nec ſatis eſtet, ſi occaſio aſſignandi formam nõ reperiatur in eo. Satis enim videtur vt comprehendi dicamus, ſi actus ille is ſit, cui forma præſcripta eſt.

11 Addo præterea ex eo quod lex Concilij in omni contractu locum habeat, nulla ſequi inconuenientia, nulla abſurda. Quod enim ſcandalum actiuum ſequi poteſt ex eo, quod dicatur publicè in Eccleſia, inter hos, cum primo contraxerunt, erat impedimentum, & cum in eorum cognitionem venit, obtinuere diſpẽſationem, & ideo nunc iterum valide contrahunt. Ne decipiamus nos ipſos, dum ſcandala fingimus, actiuum enim eſſe non poteſt, cum non ſit opus malum, aut habens ſpeciem mali. Si autem fuerit paſsiuum ſcandalum, & illud oritur ex ignorantia, hac animaduerſione præmiſſa ceſſat: ſi ex malitia oriatur, parum curandũ eſt: ſi ex infirmitate naſcatur, non omittendum eſt ob ſcandalum id quod mihi in præcepto eſt, iuxta generalia principia in tractatu de ſcandalo. Adde ex eo quod omiſsis denuntiationibus, quæ facile, iuſteque in eo caſu vt omittantur concedet Epiſcopus, cõ tractus fiat coram parocho, vel obtenta licentia ab ordinario, etiam ſine expreſsione perſonarum, ſi opus fuerit, & coram duobus amiciſsimis, qui teſtes ſint, quæ ſcandala oriri poſsint non video. Et denique, quia quando maxima & ineuitabilia incõmoda orirentur, ideo in Eccleſia relicta eſt Sũmo Põtifici poteſtas, qui adeo grauibus incõmodis exiſtentibus diſpenſabit in ſolemnitate, vt feciſſe in eo caſu refert Paulus Comitolus.

12 Sed, cum hæc iã typis madare vellẽ, incidi in volumẽ ſecundum deciſionũ Rotæ apud Farinacium, vbi reperi deciſionem 265. in qua Thomæ Sanchez ſententia expreſſè reprobatur, & approbatur noſtra, ex qua nonnulla hic ad verbum ſubijciam, vt con-

constet à nostra sententia neque in iudicando, neque in consulendo esse recedendum. Agebatur de causa inter duos Hispaniæ nobiles, quorum alter coniux, fœmina scilicet metu coacta contraxerat, & cohabitauerat longo tempore. Habetur autem in ea decisione. *Pro faciliori autem & celeriori causæ expeditione Rota instante Marchionissa & citato procuratore Domini Philippi statuit, vt videretur, an fuerit necessarium, quod matrimoniũ de nouo cum solemnitatibus ab Ecclesia requisitis celebraretur. Si enim requiritur, frustra laboratur super purgatione metus, quæ non sufficeret. Quod Domini informante tantum Marchionissa affirmatiuè resoluerunt, sequendo declarationem Sacræ Congregationis Illustrissimum interpretum Concilij, quam in proprijs terminis prius fuerat amplexata Rota in Toletana matrimonij coram Illustrissimo Cardinali Seraphino. Quotiescumque enim matrimonium non tenet ex aliquo impedimento, quod abinitio viget, si postea cesset, opus est, quod omnia de integro ponantur, quæ sunt necessaria, & de essentia matrimonij, vt ex multis bene comprobat Victoria in suis relectionibus Theologicis relect. 7. de matrimonio in 2. puncto 1. p. vers. in contrarium, num. 9. & alij per informantes adducti, quorum rationes placuerunt Dominis, quidquid in contrarium dicant moderni Thomas Sanchez lib. 2. de matrimonio disput. 37. & post pauca, num. 8. hæc habentur. Vbi autem in matrimonio deficit consensus matrimonium est ipso iure nullũ. Abbas in cap. 2. num. 2. vbi alij communiter, de eo qui duxit in matrimonium, &c. Sed etiam dici potest non fuisse contractum, quia vbi deficiũt substantialia, nihil dicitur actum. Ioannes Andreas in cap. 1. num. 3. vbi etiam Antonius de Butrio, num. 7. Ioannes de Anan. num. 1. de sacra vnctione. Et propterea omnia sunt iteranda, & non est locus suppletioni, vt dicunt post Hostiensem Ioannes Andreas & alij. Accedit etiã, quod præsentia parochi à Concilio requiritur pro forma, vt dixit Rota in vna Florent. matrimonij, & probatur quia Concilium Tridentinum procedit annullando matrimonium eo absente factum. Quæ autem sunt de forma debent interuenire in tempore, quo actus producitur in esse, Baldus in l. obseruari, §. fin. num. 5. de officio Proconsulis, & alij. Nec potest agi de ratificatione ex subsecuto consensu, quia si matrimonium metu contractum ex consensu subsequenti conualesceret, vt ex nunc, non vt ex tunc, vt notat Abbas in cap. ad id in 1. notabili, nu. 1. in fine de spõsalibus. In ratificatione enim actus nullius consideratur tempus ratificationis, Surdus qui allegat alios decisione 241. num. 7. cum ratificatio actus inualidi nihil aliud sit, quam nouus actus l. asse toto D. de hæred. instit. l. obuenire solet D. de V. S. Socinus consilio 92. num. 11. lib. 3. Menochius consilio 80. num. 66. Et propterea omnis forma, & solemnitas, quæ debet interuenire in actu, vt valeat, interuenire debet in ratificatione, Socinus ibi cum multis cumulatis per informantes, & tenuit Rota in vna Romana donationis coram Illustrissimo Cardinali Seraphino. Nec potest deseruire solemnitas per prius seruata, quoniam, vt dictum est, illa debet concurrere de tempore actus, nec potest ab eo separari, neque iuuare potest fictio, aut retrotractio, cum nõ fiat, quando actus est omnino nullus, Bartolus in l. ob seruari, num. 4. D. de officio Proconsul. Quia tunc retrotractio non inuenit principium conseruabile. Baldus in l. fin. num. 2. C. ad Velleian. & vbi consensus requiritur certo tempore, prout requiritur ex dispositione Concilij tempore, quo parochus est præsens nunquã retrotrahitur, Baldus in d. l. fin. num. 2. Facit simile de consensu præstito iuxta formã regulæ à Procuratore, qui non implendo mandatum nulliter præstitit, resignatio enim non conualidatur ratificatione resignantis, sed denuo præstandus est alius consensus formalis. Putens decisione 111. lib. 3. Nullus autem remanet dubitandi locus, cum habeamus in terminis declarationem Sacræ Congregationis, qua audita ad relationem ponentis sine alia discussione Rota in illa Toletana omisit longam disputationem super metus purgatione, & ordinauit, vt causa expediretur prout fuit expedita.* Hæc ibi, in quibus nostra sententia cõprobatur, & præterea asseritur extitisse de hoc declarationem Cardinalium. Quare necesse est, vt de ea, quam Doctores alij pro opposita sententia referunt, dubitemus.

14 Deniq; casus alius esse potest. Duo infideles coniugati simul fidẽ suscipiunt, vt in illis matrimonium Sacramenti rationem habeat, gratiamque conferat, quæritur, an satis sit clandestinè denuo consentire, an necessario adhibendi sint parochus & testes?

14 Dicendum est matrimoniũ hoc nulla egere renouatione, imõ si renouetur, nullius esse momenti renouationem istam. Illorum enim matrimonium in infidelitate contractum eo ipso, quod baptizantur fit ratum, cum antea esset tantum legitimum. Nã iam vinculũ illud, quod manet in facto esse, vt Dialectici loquuntur, est baptizati vinculum. Fidelium autem matrimonij vinculum est legitimum, & ratũ, nullatenus enim dissolui potest, iuxta dicta supra lib. 1. vnde non possunt iam conuersi ad fidem, ita contrahere, vt matrimonium fiat sacramentum

ad

ad recipiendam gratiã. Ratio est, quia Christus instituit Sacramentum matrimonij eleuans contractum vt esset sacramentum. Huius autem sacramenti, sicut & aliorum, excepta Eucharistia, ratio consistit in fieri ipsius cõtractus, quod fieri supponitur vt fundamentum necessarium ad rationem sacramenti, ita vt non possit reperiri sacramentum matrimonij sine fieri ipsius contractus. Cumque iam contractus validè celebratus in infidelitate sit, & post susceptam fidem non possit inter eosdem celebrari denuò, prior ille matrimonij contractus, inde fit, vt neque possint illi iterum consentire, vt fiat sacramentum ad suscipiendam gratiã, quandoquidem iam contractus celebratus est, in cuius tãtum prima effectione siue fieri consistebat ratio sacramenti. Id quod eleganter attigit Gabriel Vazquez 2. tom. in 3. part. disput. 138. cap. 5. & olim Durandus in 4. distinct. 26. quæst. 3. num. 14. & explicui supra lib. 1. At quando matrimoniũ ex aliquo defectu erat nullum, cum nondũ celebratus sit contractus, potest denuo contrahi; vt fit sacramentum, cum iterum fiat contractus; qui antea ob defectum nullus erat.

15 Ex dictis colligitur primo, peccatũ mortale esse, eam solemnitatem omittere, nulla enim de causa licet, peccant itaque, qui contrahunt vel contrahere intentant. An autem peccet, qui clandestinè contrahit? idest, omissis denuntiationibus, dicam postea.

16 Secundò colligitur Episcopum quauis vrgente causa dispensare non posse, vt ea solemnitas omittatur. Tum quia Concilium formam substantialem constituit, & reddit inhabiles non quomodocumque, sed omnino, qua dictione omnem gratiam excludere videtur. Et cum concedat Episcopis potestatem dispensandi, vt omittantur denuntiationes, negare videtur in hoc casu, *cap. non ne, de præsumptionibus*, & est argumentum Glossæ in *cap. ad audientiam. verbo vt duo. de Clericis non residentibus.*

17 Tertiò colligitur, etiamsi matrimonium contrahatur sciente maiori parte vicinię, vbi fraudi locus esse nõ posset, adhuc obseruari debere decretum istud. Præscribit enim formam, quæ per æquipollens supleri non debet, vt supradixi, & docet Thomas Sanchez in hoc lib. 3, disput. 17. n. 7.

18 Quartò colligitur isto decreto ligari etiam ignorantes, cum reddatur inhabilis persona, quod nulla ignorantia supplere potest, vt constat in materia sacramentorum, & alijs contractibus. Quamuis enim pœna liberet ignorantia, non tamen reddit actum validum, vt probat textus in *cap. 1. de concessione præbendæ in 6.* ibi. *Siue ignorauerit, siue non, non valebat.* Non enim per ignorantiam ponitur, quod abstulit inhabilitas, maximè cum in isto decreto non adijciatur vt pœna, de quo Sanchez ibidem, n. 10.

Qui teneantur decreto Concilij Tridentini?

CAPVT VII.

SVMMARIVM.

Status quæstionis, n. 1.
Apud quos non est promulgatum Tridentinum, adhuc valere clandestinum, n. 2.
Proponitur quid dicendum de peregrinantibus apud eos, inter quos non est receptum Tridentinum, n. 3.
Postea inuenies aliam sumaria.

1 IAM supereſt postrema difficultas, quinam teneantur huiusmodi decreto? In primis certum est in illis locis, in quibus vel non est promulgatum, vel nõ est receptum, non obligare. Nam Concilium in fine decreti præcipit omnibus ordinarijs, vt cum primum possint, curent hoc decretum populo publicari, & explicari in singulis suarum Diœcesum parochialibus, idque in primo anno, quam sæpissime, postea vero quoties opus fuerit; statuitque decretum hoc tantum habiturum vim post triginta dies numerandos à prima die publicationis in eadem parochia. Vnde Catholici omnes, apud quos promulgatum, & receptum est, eo tenẽtur, etiamsi postea ad hæresim declinauerint, & etiamsi sint in mortis articulo.

2 Hinc fit in his locis, in quibus decretum Tridentini non est receptum, aut saltẽ quoad eam partem, valere adhuc matrimonia clandestina, licet peccent, si sine iusta causa omittant iuris antiqui dispositionem. Quod quidem non nascitur ex eo, quod lex ad sui obligationem exigat, vt acceptetur à populo, id enim falsum esse alio loco ostendam. Neque quia lex debeat figillatim promulgari, sed ex speciali dispositione Ecclesiæ in hoc casu, quæ noluit hac lege fideles obligari, nisi post promulgationem in singulis

gulis parochijs factam, triginta que à publicatione diebus elapsis.

3 Sed quamuis hæc certa sint, superest explicandum, quid dicendum sit de his, qui ex eo loco, vbi seruatur Tridentinum, peregrinantur inter eos, apud quos non seruatur, & etiam é contra, quando aliqui ex illis locis profecti, vbi non seruatur, peregrinantur inter eos apud quos viget; & quid etiam dicendum de Christianis siue captiuis, siue commorantibus inter infideles. Quas difficultates, quia commodè explicare non possumus, nisi explicemus prius, qua ratione peregrinantes obligentur legibus populi, per quem transeunt, ideo de eo specialem instituamus disputationem.

An peregrini teneantur legibus populi, quà transeunt?

§. PRIMVS.

SVMMARIVM.

Proponuntur quæ certa sunt, n.5.
Variæ DD. sententiæ, n.5.
Vera sententia, n.6.
Probatur ex iure, n.7.8.9.
Quorundam solutio refellitur, n.10.
Ratione probatur, n.11.
Et ex his, quæ cõcedunt aduersarij, n.12.

4 LONGAM de hac re disputationem instituit Thomas Sanchez lib.3. de matrimonio disput.18.q.1. & quia eius decisio nobis minimè probatur, ideo placuit rem istam hoc loco diligẽter examinare. Igitur iste author primo supponit vt certũ, quod reuera certum est, non esse quæstionẽ de peregrinis, quando defert o proprio domicilio in aliũ locum migrãt, tunc enim non aduenæ & peregrini, sed incolæ censentur. Quid autem requiratur, vt quis dicatur domicilium constituere, explicabo infra in hoc lib. Deinde n.3. supponit vt certũ peregrinos teneri legibus illius populi, qua transeunt, si alias illius leges seruẽtur etiam in suo territorio. At hoc non videtur veritati cosonũ, nec satis in hoc author iste secũ ipse cohæret, vt dicam postea. Præterea certum etiam videtur apud Doctores peregrinos teneri legibus alterius populi, si per maiorem anni partẽ decreuerint ibi habitare, etiamsi non cõmorentur animo figendi domicilium, vt docet Lessius lib.4.c.2. dub.7.n.47. Denique etiam certum est, si adsit scandalum, ratione scandali teneri etiam legibus illius populi, idque docent Doctores omnes infra citandi. Solum ergo controuersia est, quid dicendum sit secluso scandalo, & domicilio, & diuturna habitatione, an præcisè ex vi legis teneantur eam seruare illac transeuntes.

5 In qua difficultate non vna est Doctorum sententia, sed maxima opinionum varietas, neque Doctores satis consequenter, atque distinctè loquuntur. Primò ergo non nulli dicunt requiri animũ perpetuò manẽdi, vt peregrini illius populi legibus obligentur. Sic docent multi, quos refert Suarez tom.1. de Religione tract.2. lib.2. de diebus festis c.14. n.2. Eam tamen sententiam merito reijcit; est enim contra rationem, & communem sensum. Quis enim dicat Scholasticos Salmanticæ commorantes non teneri legibus Salmantinis, quãuis non sint perpetuò cõmoraturi? Secundò alij duo dicũt. Primum est non esse necessarium animũ perpetuò manendi, sed sufficere quasi domicilium, etiamsi non sit ex animo manendi. Secundũ est non obligari, si minori anni parte cõmorentur, etiãsi per multos menses. Quã sententiam sequitur citatis multis Thomas Sanchez disput. cit. n.6. Quamuis non pauci ex his Authoribus, quos refert, primã sententiam sequantur, quam modo retulimus. Addit autem idem author, n.7. idem iudicium ferendum esse de legibus cõmunibus, aut particularibus eius populi, vt si in aliquo loco non seruentur, posse eius loci incolas, si aliò transeant, vbi seruantur, nõ seruare. Sic Mediolanẽses, apud quos quatuor primis diebus quadragesimæ non seruatur ieiunium, non tenentur seruare, si transeãt in aliũ locum, in quo ieiunatur. Addit deinde prædictæ suæ sententiæ tres limitationes. Prima est, vt in contractibus seruentur leges illius populi excepto contractu dotis. Secunda limitatio est, nisi lex illius populi, in quo cõmoratur, redundet in cõmune populi bonũ. Tertia est, qua excipit vagos homines, cum enim illi nullibi habeant perpetuũ domicilium, necesse est, vt alicuius populi legibus teneantur, cum eo ipso, quo in alio quo loco versantur, domicilium comparent. Sic docet n.15. Eodem fere modo loquitur Ioannes Azor tom.1. lib.5. c.13. q.3. Tertiò alij sub distinctione respondent. Si sint leges cõmunes totius regni, teneri peregrinos eas seruare, etiamsi in loco domicilij nõ seruẽtur; nõ verò si sint leges peculiares illius

oppidi.

oppidi, Sic Ioannes Medina, q.76. art.5.C. de ieiunio, Sairo lib.3. de censuris c.4.n.15. Sed immerito ita distinguunt, eadem enim de omnibus legibus ratio est, vt cõstabit ex infra dicẽdis. Alij deniq; aliter distinguũt, cum magna possit esse latitudo in modo manendi, & commorandi in aliquo loco; nam vel aliquot dieb⁹ moraturus est, quia est vitæ terminus; vel tantum per eum locum transit ibi prandendo, vel pernoctando crastina die discessurus. In primo casu censent obligari peregrinos legibus eius populi, non verò in secundo. Sic Leonardus Lessius loco supra citato.

6 Verior tamen mihi videtur sentẽtia, quæ vniuerse docet vagos, & peregrinos, vel interfacientes teneri legibus, statutis, cõsuetudinibus receptis in eo loco, per quem transeunt, dummodo eo tempore, quo transeunt, occurrat occasio eius præcepti seruãdi, vel violandi. Hæc sententia inter Doctores longe communior est, pro qua plures refert Thomas Sanchez disput. cit. n.4. in fine. Sequitur Franciscus Suarez loco cit. à n.8. Salas de legib. disput. 15. sect.4, cõclus. 4. & qui mihi in his rebus moralibus præsertim, est vnus pro mille Gabriel Vazquez 3. tomo in 3, partem disp. 184. c.3. n.28. vbi hæc habet: *Non quia non existimem in vniuersum verum peregrinos, & alienigenas alicubi habitantes solius negotij gratia, seruare debere consuetudines, & leges eius ciuitatis: nam reuerata libus legibus obligantur, neque oppositũ aliquã speciem probabilitatis habere puto.* Hæc ille. Idem docent innumeri alij, quos refert Ioãnes de Salas loco cit.

7 Fundamenta huius nostræ sententiæ desumũtur ex authoritate & ratione. Quod ad authoritatem attinet, primò adducitur textus in *c. quisquis, distinct.41.* desumptus ex August. lib.3. de doctrina Christiana c.22. cuius hæc sunt verba. *Quisquis rebus præteruntibus restrictius vtitur, quam se habeant mores eorum, cum quibus viuit, aut intẽperans, aut superstitiosus est. Quisquis vero eis sic vtitur, vt metas consuetudinis bonorum, interquos versatur, excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est.* In quem textum mirum est, quam hallucinetur Glossa. Illud tamen primo monendum est, non esse legendum, *intemperans.* Quomodo enim, qui restrictius vtitur bonis intemperans esset? Legendum ergo *temperans*, qua lectione iam cessat primæ partis difficultas. Solũ in eo textu illud difficile est, *aut aliquid significat*; quomodo enim aliquid significat, qui per excessum non se accõmodat bonorũ, interquos versatur consuetudini? Glossa inquit, *Ex eo forte quod habet ventrem insatiabilem, aut causa infirmitatis hoc facit.* Sed reuera Glossa longè discedit ab Augustini mente, sensus enim Augustini est, flagitiosum esse non se bonorũ cõsuetudini accõmodare, nisi afflatu Spiritus Sancti ad aliquid significandũ illi consuetudini aduersetur, vt Hoseas, qui accessit non sine mysterio ad mulierẽ fornicariã, quo exemplo ibidem vtitur Augustinus.

8 Deinde facit etiam pro hac sententia Augustinus relatus in *c. illa distinct.12.* ibi. *Mater mea Mediolanũ mi secuta inuenit Ecclesiam Sabbato non ieiunantem, tunc consului Ambrosium Episcopũ; & ille ait; cum Romã venio, Sabbatum ieiuno; cum Mediolani sum, non ieiuno, sic & tu ad quamcumque Ecclesiam veneris, eius mores serua.* Vbi glossa verbo. *Societate*, colligi argumentum dicit ad probandum quemlibet viuere debere secundum consuetudinem eorum, interquos versatur.

9 Præterea facit aliud testimoniũ Augustini & habetur *cap. quæ contra distinct.8.* ibi. *Quæ contra mores hominũ sunt, flagitia, pro morum diuersitate sunt vitanda, vt pactum interse gentis aut Ciuitatis consuetudine & lege firmatum nulla ciuis, aut peregrini libidine violetur; turpis enim est omnis pars vniuersi suo nõ congruens.* Solet etiam afferri textus in *c. in his, distinct. 11.* ex Epistola 86. Augustini ad Casulanum, sed frustra; tantum enim eo loco affirmat Augustinus, vbi cõmunes leges Ecclesiæ non fuerint, seruanda esse instituta particularis Ecclesiæ, quæ doctrina etiã de incolis vera esse potest. Proposui hactenus testimonia Augustini, quæ non ideo adduco, quia existimem illa pro iure haberi. Cũ enim non sint Summi Pontificis, aut Generalis Concilij vbique recepti; vim Canonis non habent, neque Gratianus illis eam vim tribuere potuit, dũ suę inseruit Collactioni.

10 Sed videamus, quid ad hæc Augustini testimonia responderi soleat. Nonnulli in primis Augustinum interpretantur iuxta ea, quæ initio certa esse diximus, scilicet, teneri peregrinos consuetudine eorum, interquos versantur, ratione scandali, potestque ea interpretatio adiuuari ex Epistola 118. ibi, *si cuiquam non vis esse scandalo, aut quẽquã tibi.* Hæc tamen interpretatio accommodari non potest omnibus Augustini testimonijs, qui non desumit rationem ex scandalo, sed quia turpe est partem non conformari suo vniuerso: quæ ratio militat in quocũque casu, etiam cessante scandalo. Secundò respon-

respondent alij Augustinū tantū optimum præbuisse consiliū, non præceptū. Sed valde abhorret ab Augustini mente hæc interpretatio. Nā in primo testimonio appellat superstitiosum, vel flagitiosum illū, qui cōsuetudines eorum, interquos versatur, trāsgreditur; & in tertio testimonio dicit esse turpe, & contra pactum firmatum, quæ verba non consiliū; sed præceptū indicant. Tertiò alij dicunt. Augustinū intelligendū esse de his, qui morantur inter alios animo ibi manendi, non autem, si peregrini sint. Sed huic interpretationi multa obstant. In primis in d. c. *illa*, inquit Ambrosius se cū Romæ versatur seruare Romanos mores; Ambrosius autem non ibat Romam, animo ibi manendi. Deinde vniuersè præcipit Ambrosius, *ad quamcumque veneris Ecclesiam*; sine distinctione vlla diuturnæ, aut breuis habitationis. Præterea in d. c. *quisquis* inquit flagitium esse non seruare mores eorū, interquos versatur, absolutè & sine distinctione vlla. Adde etiam in ea Epistola 118. c. 2. Augustinū dicere, *ad quam forte venerit Ecclesiam*, non vero dicere, *in qua manserit*. Adde denique Augustinum in d. c. *quæ contra*, ex eo dicere debere seruari, quia turpe est partem non conformari suo vniuerso, vbi etiā expende illa verba, *nam cohærere & coniungi non possunt, quibus & studia & vota diuersa sunt*. Huiusmodi autem rationes locum habent, vbicūque aliquis reperiatur, siue illac transeat, siue ibi maneat. Non ergò Augustini sententia restringi potest ad eos tantum, qui ad aliquem locum accedunt animo ibi commorandi,

11 Agamus iam rationibus. Prima autē ratio pro nostra sententia colligitur ex eodem Augustino, & in qua nititur omniū legum obseruantia. Quia ius naturale postulat, vt pars conformetur vniuerso. Ergo aduena conformari debet toti Reipublicæ, in qua viuit. Cum enim iam sui territorij legibus non teneatur, necessarium est, vt cōformitate legum vniatur cum ea Republica, in qua degit. Conformitatem eam ad pacem conseruandam necessariam esse probat textus in *c. in nona 16. q. 7. & c. illud. de electione*, & indicat Augustinus supra relatus in d. *c. illa, distinct. 12. §. quod enim*. Quare huius sententiæ ratio non desumitur ex eo, quod princeps, vel respublica possit obligare sibi nō subditū; sed ex eo quod statim atque territorium alicuius ingreditur, fit illi subditus ratione personæ; cum conformitatem seruare teneatur cum ea republica, cuius illo tempore pars quædam est, nec enim sine superiore legitimo esse potest.

12 Denique probatur ad hominem ex ij, quæ concedit Thomas Sanchez. Qui dū limitat suam sententiam, eam limitationē adhibet, n. 14. nisi legum transgressio cedat in damnum illius populi, tunc enim etiam peregrini tenentur: vt si prohiberetur extra hi aliquid ex eo oppido. Ex hac autem limitatione nostra sententia confirmatur. Nam si quoties statuta vel cōsuetudines loci disponunt circa bonum & vtilitatē illius, seruari debent à quibuscūque peregrinis, semper seruandæ erunt, quia semper eo modo disponunt, cum leges semper ferantur propter bonum cōmune, & semper spectēt ad pacem, & trāquillitatē, & bonū exemplum reipublicæ, quod peregrini illius legibus se accōmodent, & ex contrario oriri soleant dissensiones, rixæ atque dissidia, vt paulo supra ex Augustino dicebamus. Deinde in alia limitatione iste Auctor concedit teneri peregrinos legibus eius oppidi, quando aliàs illa etiā lex seruabatur in proprio territorio. Ex hoc autem vel nostra sententia confirmatur, vel illud à veritate abhorret, vt rectè deducit Suarez loco cit. n. 15. Quia ille tunc non tenetur seruare legem illam in loco vbi est præsens, ex vi constitutionis, aut consuetudinis suæ patriæ, quia hæc non obligat extra territorium, vt ipse Auctor cōcedit, & dicam postea. Ergo si obligatur, ex vi consuetudinis aut statuti illius loci, in quo inuenitur, obligatur; quia non obligatur ex lege generali Ecclesiæ, vt suppono, & oportet vt ex aliqua lege obligetur. Nihil ergo minus obligaretur, si etiam in patria sua non esset eadem cōsuetudo, vel lex; quia supposita absentia ea lex vel cōsuetudo nihil cōfert ad hāc obligationem. Quare vel in eo casu non obligatur, quod auctor iste reputat absurdū, vel semper obligatur. Et vrgetur magis argumentū. Nam etiā in eo casu habet locū ratio eiusdem auctoris, quod ille non est subditus Episcopo loci, vbi est præsens, & lex alterius Episcopi iam non obligat illū. Ergo è cōtrario, si tūc obligatur lege loci, in quo versatur, ratione eiusdē loci subditus est, cū fine subiectione obligatio legis esse non possit, & nihil refert, quod in loco domicilij eadem lex seruetur, vel nō seruetur. Atq; istæ rationes eā dē vim habent, etiāsi breui tempore cōmoretur, si tamen sit tempus habile ad exeeutionē præcepti, vt rectè deducit Suarez ibidem, n. 18. 19. & 20.

Colli-

Colliguntur nonnulla.

§. SECVNDVS.

SVMMARIVM.

Proponitur quid agendum, n.13.
Quid dicendum in obseruantia festorũ, & ieiuniorum à transeuntibus, n.14.
Peregrinantem esse etiam subditum quoad vim coactiuam, n.15.
Quomodo possit puniri delinquens in alieno territorio, n.16. 17.
An teneatur de iure remittere delinquentem in alieno territorio, n.18.
Quid dicendum de excommunicatione an liget transeuntes, n.19.
Episcopus non posse excommunicare subditum in alieno territorio, n.20.
Quomodo philosophandum in contractibus, numero 21.
Quid in contractu dotis, n.22.
Maior explicatio, n.23.
Quid in factione testamenti, n.24.

13 SED quo magis hæc nostra sententia probata & explicata maneat, colligamus nonnulla doctrinæ causa, in quibus perspicuum est teneri peregrinos legibus eorum, apud quos versantur; in de enim non leue argumentum desumetur ad asserendum idem etiam in alijs casibus dicendum esse.

14 Primò ergo ex dictis colligitur, quod attinet ad ieiunia, abstinentias, & dies festos seruandam esse peregrinanti consuetudinem loci, ad quẽ peruenerit. Id quod verum est siue accedat ad oppidum animo ibi manendi pluribus diebus, siue vno tantum. In quo non rectè Lessius loco citato. Et quãuis de præcepto Missæ, & de abstinentia variè Doctores sentiant, quos refert Salas disput. cit. num. 49. vers. *& quamuis aliqui Doctores*; attamen eodem modo de omnibus istis præceptis iudicandum est, si consequẽter loqui velimus, idque hac generali regula comprehendo, & explico. Tenentur peregrini ad ea præcepta seruanda, si tempore, quo moram faciunt in eo loco, occurrat tempus obligationis adimplendi præceptum, aliàs vero non. Vnde si occasio fuerit comedendi, tenentur à carnibus abstinere, si in eo oppido abstinetur à carnibus. Idem est, si cum commoratur, instat occasio audiẽdi Missam, quia videlicet dies festus est, & tantum est vnicum sacrum, quod celebratur eo tempore, quo ille moram trahit, tenetur enim illud audire, quia tunc instat obligatio adimpletionis præcepti, ibidem degentibus: non verò teneretur, si eo tempore quo commoratur, nullum celebraretur sacrum, vt docet Suarez. Et similiter si accedat ad oppidum aliquod, in quo festus dies agitur, & plurium sacrorum copia est, cùm tẽpus audiendi sacrum non instet vsq; ad horam 12. quæ est vltimum tẽpus adimpletionis præcepti, etiam siquis in eo loco prandiũ sumat, si tamen ante horam 12. profecturus est nonnulli volunt non teneri audire sacrum, dum cõmoratur, non enim eo tempore instat obligatio adimplendi præceptum incolis illius loci. Sic sentit Franciscus Suarez loco cit. n.22. 23. & 24. iunctis his, quæ docet cap.15. n.9. 10. & 11. At probabilius est teneri, cum sciat apponendum impedimentum, & antequam egrediatur sit occasio implendi, vt magis constabit ex his quæ dicam, c. sequenti, & fauet nobis Salas loco cit. n.50. vers. *ego autem sic explicarem.* Itaque si eo tempore, quo in eo oppido commoratus est, fuit idoneum ad sacrũ audiendum, cuius tunc erat copia, tenetur audire; non verò si expectandum illi erat. Hinc etiam colliges idem dicendum esse, quamuis ex consuetudine alicuius specialis loci ablata sit obligatio iuris communis, vt docet Suarez loco cit. n.27. Hinc etiã colliges idẽ dicendũ esse de religiosis, qui ex diuersis Prouincijs, vel domibus ad alia monasteria, vel prouincias accedunt tanquã hospites, tenentur enim legibus eius conuentus, in quo hospites sunt, & eisdem præceptis & excõmunicationibus, quibus ligantur eiusdẽ monasterij conuentuales, quid quid nonnulli dixerint libertatis amatores. Quare probandũ non est, quod in hac parte docet Emanuel Rodriguez tomo 1. quæstion. Regular. q.68. art.4. sentit autem nobiscum Salas disput. cit. n.56.

15 Secundò colligitur peregrinantem non tantum subditum esse legibus & Episcopo loci quoad vim directiuam, sed etiam coactiuam. Vnde fit delinquentem in alieno territorio illac transeuntem posse à iudice loci puniri. *c. fin. de foro competenti, c. postulasti eodem, c. si peccauerit 1. q. 1. c. placuit 6. quæst. 3.* per quæ iura & alia complura idem citatis multis docet Farinacius 1. p. praxis q.7. n.1. Cuius rationem existimãt nõnulli ex iuris interpretibus eã esse, quia sortitur forũ ratione delicti. Ego verò eam esse existimo,

stimo, quia peregrinus subiectus est iudici illius loci, sicut & legibus eiusdē territorij, vnde contra illum ibi delinquentem quauis pœna secundum iura agere potest.

16 Ex quo eodem principio nascitur in primis, eatenus posse in illū ibi delinquentem ius dicere, quatenus ibidem commoratur: si enim egrediatur territorij fines, non amplius illum puniendi potestatem habet: desijt enim esse eius subditus, statim atq; egressus est, textus in *Clementina Pastoralis, de sententia, & reiudic.* ibi *Quod si punitio criminis intra districtum imperialē commissi ad Imperatorem forsan pertinuisse asseratur, verū est quidem, si in eodem districtu fuisset inuentus delinquens, vel ad illū de more remissus. Quare si eius fines egrediatur, cessat potestas.* In quo vides plane non delictum, sed quia subditus eo tempore erat, & in eodem loco commorabatur, legitimam rationem esse; aliàs si delictum causa esset, semper, & vbique maneret subiectus iudici eius loci, in quo commisit delictum, quod secus est. Sic etiam docēt Doctores supra citati, & alij communiter.

17 Ex eodem etiam principio nascitur delinquentem, si delicti locum, fines egrediatur, posse alibi comprehensum, ibi puniri, vbi comprehenditur. Iam enim est subditus iudici loci, vbi comprehenditur, & reuera delinquēs est, & reus pœnæ: quod etiā habet locum in Regnis confœderatis. Sic docent multi secuti Bartholum in *l. non dubito C. de captiuis, & postlimin. reuers.* licēt displiceat Fariant. q. cit. n. 6. Idem etiam dicēdū in fure, raptore, assassino, & vniuersē in quouis crimine, vt docet idem Bartholus, quem non recte refellit Farinatius à num. 7. & sequentibus. Atque hinc etiā deriuatur, quod in vrbe romana quiuis delinquens puniatur etiam extra locum delicti, vt late ibidem Farinatius num. 12. non solum quia Roma cōmunis patria olim fuit, ea enim ratio nunc cessat, sed quia quicumque peregrinus subditur potestati iudicis eiꝰ loci, in quo cōmoratur. Etquidē aliàs daremus sæpissime delicta impunita manere, quod abhorrēt iura. Quare me iudice nō tātū extraordinariapœna sed etiā ordinaria puniri potest à iudice loci, in quo cōprehēditur, vt docēt Doctores nō pauci citati à Farinatio eodem n. 12.

18 Ex eodē etiam principio fit non teneri de iure iudicem vnius loci, delinquentē, quem in suo territorio apprehendit, ad aliū iudicē remittere, non solū si iudices illi sint sub diuersis Principibus, vt docet idē Farinat. n. 25. sed etiam si sub eodē Principe, aut præside, loquendo de iure, secus de more, & cōsuetudine. Quia cū sub eodē principe sint illi iudices, potuit cōsensus principis, vel tacitus, vel specialis in hoc casu vnius iurisdictionē limitare, & alteri cōcedere. Vndenotāterdixit Pōtifex in *d. clem. fuerit de more remissus de more*, inquit nō de iure. Id quodetiā docuit Accur. Innoc. & alij cit. per glos. ibi: neq; obstat text. *in c. 1. de priuil.* ibi enim tātū explicatur nō posse ordinariū procedere, quia ab illo exempti erant, an verò iudex exempti teneatur remittere, non decernit. Neque etiam obstat textus *in authēntica, vt nulli*, de quo vide glos. ibidē. Puniat itaque iudex, qui apprehendit, & non remittat. Id quod etiam docuit Conar. citat. à Farinatio n. 30. alias delicta manerēt impunita. Nec rectē Farinatius dicit manere impunita ratione defectus iurisdictionis: supponit enim probandum; contēdimus namque nos quemcumque iudicem naturali iure habere iurisdictionem in quemuis inferiorem illāc trasseuntem, vt probatū est. Adde tamē eum iudicē apud quē delinquit, posse de eo delicto cognoscere, etiāsi egrediatur extra territoriū, dūmodo antequā egrediatur citatus fuerit delinquēs; tūc enimiudex, apud quē deliquit, procedere potest ex eodē certē fundamēto. Quia iudicium inceptū fuit cū subditus illius erat: quare ab eodem iudice finiri debet *l. vbi cæptum. D. de iudicijs.*

19 Ex eodem etiam principio nascitur, si in aliquos lata sit excōmunicatio, teneri illāc transeuntes. Et quamvis nonnulli distinguāt, an ea excommunicatio lata sit per modum sententiæ, seu per modum statutī vt refert Auila p. 2. de cēsuris c. 3. dis. 2. dub. 3. concl. 3. & 4. ego tamen existimo eorum eandem esse rationem. Si enim Episcopus excommunicationem ferat in omnes eos, qui sciūt furtū aliquod esse cōmissum nec reuelāt, semper ea excōmunicatio viget, quādiu non manifestatur. Vnde toto eo tempore ligat etiam trasseūtes, neq; in hoc ego alī quam discriminis rationē inuenire possum. Sed de his videndus est Salas loco cit. n. 44.

20 Ex eodē etiam principio colligo cōtra nōnullos Episcopum nō posse sentētiam excōmunicationis ferre cōtra subditū suū existentem tamen in alio territorio, etiam pro delicto commisso in suo territorio. Id quod etiā docuit Gabriel in 4. distinctione 18. q. 2. concluſ. 6. & facit textus in cap. *vt animarum, de constitutionibus in 6.* ibi *extra territorium ius dicenti non paretur impunè.* At pro delictoextra territorium commisso si ad

su in diœcesim redeat, potest illum punire, siue per excommunicationem, siue alias pœnas infligendo, de quo videndus Auila 2. p. cap. 3. disp. 2. dub. 2. conclus. 6. Sairo lib. 1. cap. 6. num. 42. & fauent, quæ docet Farin. loc. cit. num. 20. Id enim verum est tam secundum ius Canonicum, quàm ciuile. De his tamen late dicam in tract. de censuris. Quid autem fieri debeat, quando delictũ inchoatur in vno loco, & in alio perficitur, & ad quem iudicẽ spectet eius cognitio, latè docet Farinac. loc. cit. à n. 14. quem vide.

21 Tertiò ex tradita doctrina colligitur teneri contrahentes in contractibus ineundis seruare consuetudinem eius loci, in quo cõtractus ineunt. Sic Felinus citatis multis ca. 1. *de sponsal.* num. 23. Thomas Sanchez cum alijs disp. cit. num. 16. Salas loco cit. nu. 51. Vnde & contractus absolutè celebratus censetur initus iuxta leges loci, in quo fit, & contrahens in eo loco tenetur ad gabellas ibidem soluendas est enim pars contractus, de quo Felinus loco cit. vers. *Secundo limita.* Tenetur etiam seruare pretium ibidem lege taxatum in emptione: verbi gratia, & venditione tritici, vt docet idem Thomas Sanchez num. 12. & 13. Atque idem verũ est siue per epistolam vel nuntium contractus celebretur, Felinus ibidem vers. *Sed aduerte.* Quod adeò verum est, vt si contractus vitio laborauerit, adhuc censeatur initus iuxta leges populi, in quo initus est, non vbi ratus habitus, vt docet Gregorius Lopez loco infra citando.

22 Sed excipit Thom. Sanchez ab hac cõmuni doctrina contractum dotis, in quo dicit attendendam esse consuetudinem domicilij viri iuxta textum in *l. exigere dotem*, ibi: *Illic mulier debet, vbi maritus domicilium habuit non vbi instrumentum dotale scriptum est.* Quod etiam docuit Felin. loc. cit. num. 24. concluſ. 2. qui citat etiam Abbatem pro sua sententia. Cæterum ego existimo etiam in contractu dotali seruandam esse loci cõsuetudinem, in quo eiusmodi contractus celebratur quoad solemnitatem contractus, etiamsi vir, & fœmina in eo loco nõ fixerint domicilium. Tum quia iure ciuili de hoc contractu non est specialis aliqua dispositio, sed tantum circa exactionẽ dotis in d. l. *exigere.* Aliud enim est definire, quo loco sit dos repetenda, aliud vero iuxta quam consuetudinem constituẽda sit quoad lucrum, & alia. In hoc secundo attenditur locus, vbi contractus celebratus, in primo vero domicilium viri. Si enim moueatur controuersia circa dotis exactionẽ, & recuperationem, voluit ius, & merito quæstionẽ haberi, vbi domicilium vir habet. Cum enim bona viri dotí obligari sint, planũ est exigendam dotẽ, vbi viri bona cum domicilio sunt. Tum etiam quia iure nostri regni plana est de hoc dispositio *l. 24. tit. 1. part. 4.* ibi: *Esso mismo seria maguer ellos no pusiessen pleyto contra si (id est, fiziessen concierto) ca la costumbre de aquella tierra, do fizieron el casamiento, deue valer quanto en las dotes, en las arras, en las ganancias q̃ fizieron, è non la de aquel lugar, do se cambearõ.* Itaque quãvis si à principio inter eos pactum fuerit de modo, & ratione dotis, illud seruari debeat: at si nihil pactum est iuxta loci cõsuetudinem factũ censetur. Nec vero, mihi placet limitatio, & interpretatio Roderici Suar. in comm. *l. 1. tit. de las ganancias lib. 3. fori*, quam etiam impugnat Greg. Lop. ibid. Expendo enim legem non considerasse locum mariti, sed nuptiarum, quod infringit interpretationem Roder. Suar. Sed de hoc plenius fortasse dicemus, cum de lucris diuidendis fuerit sermo. Videndus est Iacobus Simancas de catholicis institutionib. tit. 9. à num. 138. Illud tamen præ oculis habẽdum est, istas duas quæstiones à multis Doctoribus misceri, atq; confundi primam quæ attinet ad forũ, vbi repeti debeat, & cõueniri maritus cũ contractus celebratus est, aliam, quæ pertinet ad solẽnitatem contractus, & cõditiones in eo seruandas. Itaq; quamvis conueniri debeat in loco mariti, at vero solẽnitas, lucrũ, vel adquisitio debet esse iuxta leges populi, vbi celebratur contractus, nisi aliter paciscantur contrahentes.

23 Imò, vt quod sentio dicam, existimo idem etiam dicendum de foro, scilicet, ad illud forum pertinere iudicium de contractu, vbi celebratus est. Quæ communis iuris dispositio est, *l. 2. §. legatis, l. sibæres absens, §. si quis tutelas, l. omnem obligationem, D. de iudicijs, capit. dilecti, & capti. fin. de foro competenti, cap. Romana, §. contrahentes eodem tit. in 6. l. 8. tit. 9. part. 1. & l. 32. tit. 2. part. 3.* de quo videndus est Gregorius Lopez dicta l. 32. verbo, *en aquella tierra.* vbi alias huius doctrinæ ampliationes adducit. Sed limitanda tamen cum eodem Gregorio Lopez ibidem, quoties ex mente contrahentium, aut natura contractus colligitur solutionem, & executionem alibi promitti, tunc enim in loco executioni designato conueniri debet, *l. contraxisse, D. de action. & oblig.* Hinc constat, quare ea iuris dispositio sit in repetitione dotis in d. *l. exigere.* Hinc etiam

etiam constat, quæ iuris dispositio sit in *l. si hæres absens, D. de iudicijs*, cum quis contrahit cum aliquo, quem statim ab eo loco scit recessurum, quia non videtur ibi promissa solutio, secus si ignoraret. Sed de his optimè Salas loco citat. num. 45. quem vide.

24 Denique ex tradita doctrina colliges idem dicendum esse in testamenti factione, scilicet seruandam loci consuetudinem, & legem circa testamentorū solemnitates, vt cum multis docet Thomas Sanch. disp. cit. num. 11. Ioannes de Salas num. 53. Erit itaque irritum testamentum factū contra formam legis in eo loco vigentis. Vide etiam Quintilia. Mandos. in cap. 1. de cōst. num. 41. vbi etiam aliqua iura concordat.

Obiectiones soluuntur.

§. TERTIVS.

SVMMARIVM.

Obijcitur primo ex Leone VIII. num. 25.
Obijcitur secundo ex Augustino. num. 26.
Obijcitur tertio ex l. hæres absens, num. 27.
Obijcitur quarto ex eo, quod qui breui tempore alicubi moratur, non censetur ibi esse. num. 28.
Obijcitur quinto ex capit. à nobis de sentent. excommun. num. 29.
Vera interpretatio. num. 30.
Obijcitur denique ex varijs exemplis. num. 31.

25 SED videamus quid pro se adducit Thomas Sanchez, & alij, qui adhærent oppositæ sententiæ. Primò adducitur decretum Leonis VIII. vulgo Noni in epistola aduersus Michaelem Imperatorem Constantinopolitanum, cap. 29. vbi statuit, vt vnusquisque iuxta suæ Ecclesiæ ritū celebret, licet in alieno loco versetur. Sed Doctores isti non sunt assecuti huius decreti mentem. Agitur in eo de controuersia inter Græcos, & Latinos super consecrando in Azymo vel fermentato, de quo etiam extat dispositio in Concil. Florent. sub Eugenio IIII. vbi statuitur vnum quemque siue Græcum, siue Latinum suæ Ecclesiæ morem in consecratione seruare debere, de quo decreto latè dictum à nobis est in materia de Eucharistia. Quare, vt optimè Gabriel Vazquez loco cit. ea dispositio non est regulanda ex generali doctrina, cum sit speciale decretum Pontificis, & Concilij in eo casu adseruandam pacem. Si enim iuxta generalia principia dispositio esset, aliter esset dicendum. Ex eo ergo, quod in eo casu statutum est, ad nostram doctrinam argumē tum sumere non licet.

26 Secundò adducitur textus ex Augustino epistola 118. cap. 9. & epistola 119. cap. 18. & habetur in capit. *illa*, distinct. 12. ibi: *Alia quæ per loca terrarum regionesque variantur, sicut est, quod alij ieiunant Sabbatho, alij non totum hoc genus rerum liberas habet obseruationes.* Vbi Glossa dixit, liberas esse eas obseruationes, quantum ad extraneos, non vero quantum ad illos, vbi talis consuetudo obseruata est, sed valde aberrat Glossa ab Augustini mente. Dicit enim Augustin. in eiusmodi rebus obseruationes esse liberas, non quod vbi iam vigent, non teneantur incolæ simul, & peregrini, sed quia sine præiudicio aliquo fidei Catholicæ in his esse varietas potest, cum tamen in illis, quæ ad fidem pertinent, summa debeat esse consensio, nec sit libertas variandi pro regionum recepta consuetudine aut consensu.

27 Tertiò adducitur textus in *l. hæres absens 19. §. proinde, D. de iudicijs*, vbi probatur, viatores non sortiri forum ratione loci per quem transeunt: forum autem eius loci sortiri, & ad illius statuta obligari à pari procedunt. Sed textus iste non facit ad rem: tum quia §. præcedenti iam monui distinguendas esse quæstiones de foro, in quo contrahens conueniri debet, & de solemnitate, vel lege seruanda in contractibus. Hoc secundum etiam in viatoribus contrahentibus locum habet, illud vero non nisi in casibus à iure expressis iuxta dicta §. præcedenti. Quare quod hoc noluerunt iura peregrinos, in quocunque loco contraherent, conueniri. Durissimum enim esset inquit I. C. *quotquot locis quis nauigans, aut delatus est, tot locis se defendere.*

28 Quartò adducitur, quia qui transit, aut breui tempore diuerrit ad locum aliquem, non dicitur moraliter in eo esse *l. quæsitum 76. §. final. D. de legibus*, 3. ibi: *Rebus quæ in fundo sunt, legatis non accedunt, quæ casu illic fuere, & l. si ita 84. D. de legatis primo*, ibi: *Nec quod casu ibi sit, magis esse legatum, & cap. nam & ego de V. S.* Vbi statim obiens, quasi non natus reputatur, nec enim dicitur factum quod non durat iuxta Glossam ibi. Si ergo transeuntis non

dicuntur moraliter esse in loco, non tenebuntur legibus, quæ solos existentes ibi obligant. Sed leuissimum argumentum est à dispositione illa legatorum ad legũ obligationem. Quicunque vbicunq; sit iurisdictioni pareat necesse est, ne extra iurisdictionem sit. Quare quantumuis sit minimũ tempus, eius iurisdictioni subditur, in cuius loco est, non autẽ quæcunq; in aliquo loco sunt, eius loci domino subdi necesse est. Adde etiam ex voluntate legãtis fundum oriri diuersitatis rationem, quæ aliter legari non possunt legato fundo, nisi vt accessoriæ, & connexæ cum illo, cum connecti non possint sine mora, ideò est vt mora necessaria sit vt rectè docet Suarez cap. cit. n. 16. vbi explicat textum in *l. debitor, D. de pignor.* ea autem, quę adducuntur ex cap. *nam & ego*, per metaphorã dicta sunt, Pontifex enim vnius diei verè Pontifex est. Et illud Glossæ, vt cumque locum habere posset in præsumptione, hic autem de veritate agimus, ad quã ea tantum spectanda mora est, quæ sufficiẽs est, vt sit subditus legi eius loci, sufficit autẽ quæcunque, vt dictum est. Sic respondet Suarez cap. cit. num. 25.

29 Quintô adducitur textus in cap. *à nobis 1. de sententia excommunicationis*, vbi disponit Clemens III. sententia excommunicationis generaliter lata in eos, qui furtum fecerint, tantum comprehẽdi subditos, hoc est, in eius territorio existentes, nec enim de alijs extra territorium interrogari poterat, cũ de illis nulla videretur esse quæstio. Textum istum varie Doctores interpretantur. Non pauci volunt intelligi de excommunicatione lata per modum sentẽtiæ pro futuris culpis, & in ea veram esse dispositionem Pontificis, conãturque assignare discrimen inter sententiam huiusmodi, & statutum. Sic Panormitanus, & Felinus ibidem. Ancharranus, & Francus in cap. *Romana de sententia excommunicationis in sexto*. Couar. in cap. *Alma mater* 1. p. §. 10. num. 2. Ea tamen distinctio iam supra reiecta est. Et quãdo ea interpretatio admitteretur, dicendum esset, quod addit Suarez, discrimen illud inter excommunicationem per modum sententiæ, vel statuti, tantum oriri ex voluntate ferentis excommunicationem, quia præsumitur noluisse ligare alios, quam incolas, cum facile ab illis ignorari posset; verba autem statuti generalia esse, & ideô non limitanda prolibito. Quamquam neque hæc explicatio Franciſci Suarez omninô sit firma. Neque enim aliquid est, vnde is animus excommunicantis colligatur. Quod enim facile ignorari possit ab alijs, non conuincit animum excommunicantis, tum quia eadem ratio militat in excommunicatione lata per modum statuti, tum etiam, quia in eo nullum inconueniens est, cum eos etiam ignorantia excusaret à censura.

30 Cæterum ego ad huius textus interpretationem dico, in primis sermonem esse de excommunicatione, non per modum sententiæ pro futuris culpis, sed de ex-excommunicatione statuti vel legis. Idque mihi persuadeo, tum quia eius capitis verba de statuto commodè intelligi possunt, tum etiam, quia similis constitutio videtur esse in cap. *vt animarum, de constitutionibus in sexto*, & tamen in eo textu sermonem esse de excommunicatione lata per modum statuti, docet Couarruuias in dicto §. num. 11. cum alijs. Deinde dico in eo textu tantum disponere Pontificem statuto Episcopi non ligari, nisi subditos in eius territorio existentes. Quare subditorum nomine intelligit existentes in eius territorio, siue incolæ sint, siue forenses. Nec vero ea res erat indigna decisione Pontificis, si quidem posset in dubium vocari, an subditi Episcopi, cum extra eius territorium commorantur, teneantur mandatis sui Episcopi, vel censuris, cum & adhuc hodie quoad aliqua in opinione sit. Quare & ea res explicata est à Bonifatio in cap. *vt animarum, de constitutionibus in sexto*, ibi: *Subditi eius furtum extra diœcesim committentes minime ligati noscuntur*. Sic Glossa Marginalis in d. cap. *à nobis*, & alij Theologi, quos refert Salas loco citat. num. 44. vers. *Ad hoc argumentum*, & inclinauit etiam in hanc interpretationem Cardinalis Zabarella in d. cap. *à nobis*, secundum primum intellectum.

31 Denique adducuntur ad idem probandum varia exempla. Primum, quia infideles, dum transeunt per terras fidelium, non arctantur eorum legibus. Secundum. Neque regulares legibus territorij. Tertium Neque nouitij legibus professorum. Quartum. Neque Græci Sacerdotes legibus Latinorum. Sed infirmissimum ex his desumitur argumentum. Nam quod attinet ad primum planum est infideles non teneri legibus Ecclesiasticis, quarum incapaces sunt, cum sint extra Ecclesiam, tenentur tamen omnibus alijs legibus sæcularibus eius loci, tam in delictis, & pœnis, quàm in contractibus, & alijs, quorum

sunt

sunt capaces. Secundum exemplum non est ad rem. Quia religiosi sunt speciali iure exempti, quare idem est actũ in alieno territorio essent. Vnde ex legibus ciuilibus illis tantũ tenentur quoad vim directiuã, quibus alij Ecclesiastici, iuxta ea, quę dici solent in tract. de legibus, quo ad Episcopales vero tenẽtur in illis casibus, de quibus sermo est in Trident. sess. 25. cap. 12. de regularib. Adde etiam religiosos non esse peregrinos in locis, vbi morantur, sed incolas exemptos. Quare frustra ab his petitur argumentum. Idem etiam dixerim de nouitijs, neq; enim forenses sunt, non tamen tenentur legibus professorum, quia nondum appositum est fundamentum, vnde consurgat obligatio, scilicet emissio votorum. Quare his tenentur, quæ ad eorum statum pertinent, sicut diuersi status incolæ in Republica eadem diuersis legibus teneri solent. Vltimum denique exemplum nullius est momenti iuxta dicta supra hoc §. in solutione primi argumenti.

Peregrinos non teneri legibus suæ patriæ.

CAPVT VIII.

SVMMARIVM.

Peregrinos non teneri legibus suæ patriæ. n. 1.
Idem dicendum, quamuis ea quæ in patria seruantur sint iuris communis. num. 2.
Nec potest vti indulgentia sui territorij, si in loco vbi moratur seruatur ius commune. n. 3.
Idem infestis dicendum. num. 4.
An teneatur antequam exeat ex loco vbi festus dies est, sacrum audire variæ sententiæ. n. 5.
Vera sententia probatur. num. 6.
Quorundam solutio reiicitur. num. 7.
Quid de præcepto confessionis annuæ, si iam impletum est in patria. num. 8.

1 HAC explicata quæstione iam facile expedietur alia. An scilicet teneantur peregrini legibus sui territorij, dum per alia loca peregrinantur? In qua quæstione communis Doctorum, & vera sententia est non teneri. Sic docet Abbas in cap. *à nobis 1. de sententia excommunicationis num. 11.* Felinus ibidem, qui testatur esse communem, & cum alijs Thom. Sanch. disp. cit. num. 18. Couar. 4. variar. cap. 20. n. 8. Suarez lib. cit. cap. 13. num. 2. Lessius d. lib. 4. cap. 2. dubit. 8. Facit pro hac sententia in primis textus in cap. *vt animarum, de constitut. in 6. §. statuto Episcopi.* Vbi dicitur non ligari subditum furãtem extra territorium statuto Episcopi sui excommunicantis subditos furantes. Facit etiam textus in d. cap. *à nobis* iuxta dicta cap. præcedenti, de eius textus intelligentia. Facit etiam textus in cap. *Romana §. contrahentes, de foro compet.* vbi contractus subditorum extra territorium non subiacent legibus territorij. Facit etiam textus in capit. *illa distinct. 12.* vbi dicitur vnumquemque se conformare debere moribus Ecclesiæ, ad quam accedit. Ratio autem huius communis sententiæ. Quia leges illæ affixæ sunt illi territorio, subditus autem ille iam est alterius territorij legibus subiectus, vt cap. præced. probatum est.

2 Ex his primò colligitur, etiamsi ea quæ seruantur in proprio territorio, sint iuris communis, & quæ in alijs, per quæ transit, seruantur sint contra ius commune, cui vel consuetudine, vel speciali lege derogatum sit, iam non teneri communi lege, sed operari posse iuxta eius loci consuetudinem, vt rectè Suarez lib. 2. cap. 14. citato num. 29. Hinc fit magis in speciali eos, qui per Hispaniam iter faciunt, quamvis ex eo loco oriundi sint, in quibus non vescuntur intestinis die Sabbathi, posse illis vesci iuxta Hispaniæ consuetudinem. Item eos qui ex his locis sunt, in quibus lacticinia non comeduntur diebus ieiuniorum secũdum ius commune, posse vesci illis in eis locis, in quibus etiam sine priuilegio ex consuetudine adhibentur in cibum. Idem dicendum de alijs cibis prohibitis secundũ ius commune in vno loco, quorum vsus est ex consuetudine in alio, vt de carne suilla die Sabbati in diœcesi Saguntina, & de cerebicibus arietum die Sabbati in nonnullis locis Archiepiscopatus Toletani. Idem etiam dicendum de refectionibus nocturnis tempore ieiuniorum, posse scilicet peregrinantes per Hispaniam eam consuetudinem seruare, licet deuiet à iure communi, & eadem ratio est de refectione nocturna in vigilia Natiuitatis, & apud Granatenses in vigilia sancti Ioannis Baptistæ, apud quos etiam inualuit, vt eadem esset refectio in eius nocte, atque in vigilia Natiuitatis Domini.

3 Secundò colligitur, si in propria patria ex cõsuetudine nõ seruabatur ius cõmune, & in locis, per quæ transit seruatur, nõ posse vti indulgentia sui territorij, vt docet

optimè Suarez d. cap. 14. n. 27. & 28. contra Thomam Sanchez disp. cit. n. 7. vbi & docet Suarez oppositam sententiam, neq; esse probabilem, neque securam in praxi. Hinc magis in speciali fit, eum qui discedit a loco, in quo iuxta patriæ consuetudinem ieiunium seruatur, & accedit ad eum locum, in quo carnibus vescuntur, non posse ante exitum cibum sumere, tenetur enim in eo loco lege ieiunij, cum sit præceptum negatiuum habens vim obligandi pro semper, in quo non rectè loquitur Thom. Sanch. disp. cit. num. 22. Quamvis autem certus sit de profectione, adhuc violatur lex ieiunij sumptione cibi, quandiu ibi commoratur, qua lege tantum liberatur, quando exit extra territorium proprium. Idem dicendum è contra, si egrediatur ex proprio territorio, in quo ieiunium iuris communis ex consuetudine non obligat, & perueniat ad locum, in quo obligat, tenetur lege ieiunij, nisi forte in eo loco, vnde exijt, sumpsisset cibum, aut refectionem aliquam. Quia si antequã exiret ex priori loco, cibum sumpserat, quod licite facere potuit, cum ibi non seruaretur ieiunium, iam amplius non tenetur ieiunare, cum non possit, sicut dicendum est de eo qui semel fregit ieiunium idem, & eodem modo dicendum est fieri posse, vt is, qui ad meridiem vsque ieiunauit, quia in eo commoratur loco, in quo ieiunij obseruatio est, noctu ad cænandum carnibus vtatur, si in eo oppido pernoctet, in quo nulla est à carnibus abstinentia.

4 Tertiò colligitur idem contingere posse circa obseruationem festorum, vt aliquis exeat ex eo oppido, in quo festus dies agitur, & deueniat ad eum locum, in quo festum non celebratur, poterit enim ibi seruilia opera exercere, & laborare sine vllo peccato, vt docet Nauarrus in Manual cap. 13. num. 5. & cap. 23. num. 120.

5 Sed quæstionem habet, an teneatur priusquam exeat ex eo loco, in quo festus dies est, sacrum audire? Nonnulli existimant, non teneri audire sacrum, si ante meridiem egressus est ex eo territorio. Sic docet cum alijs Thomas Sanchez disput. citat. num. 21. & sequitur Lessius dict. dubitatione 8. num. 56. Quorum fundamentum est, quia vsque ad meridiem poterat iure differre ad impletionem præcepti, nec enim ante illud tempus instabat obligatio præcepti, & ita ille censetur vti iure, & libertate sua non implendi pro illo tempore, postquam autẽ discessit ab eo loco, iam omninò liber est ab obligatione præcepti.

6 Ego tamen verius existimo, id quod docet Francisc. Suar. lib. cit. c. 15. n. fin. qui existimat teneri audire sacrum, antequam egrediatur cum Nauar. loc. cit. limitatione tamẽ addita scilicet, si tunc sit copia sacri. Si tamẽ in eo oppido sacrum non diceretur non teneretur expectare, quia obligatio eius præcepti affirmatiui non obligat ad permanendum in loco, sed supposita permanẽtia obligat ad audiendum cum potest, & sese offert occasio. Per illum autem non stetit, quo minus non audiret, cum non esset eo tempore sacri copia. Cuius sententiæ præcipuum fundamẽtum est, quia ille nouit se impediendum ab audiendo sacro, quod audire tenebatur profectione, & exitu illo, sicut qui incola est eius loci, in quo festus dies est, si certò sciat impediendum fore ab hora nona, ne sacrum audiat, tenetur horã præuenire. Et sicut licet toto die possit clericus recitare diuinũ officium, tamen, si scit superuenturam occupationem, qua impediatur ab officio recitando, tenetur præuenire. Et idem de confessione annua, & alijs præceptis, quæ tempus ad sui obseruationem determinatum habent, vltra quod impleri non possunt, dixi in materia de pœnitentia, cum communi sententia, quam docet Suarez to. 2. de religione lib. 4. de horis canonicis ca. 27. num. 36. Ioannes Azor tom. 1. lib. 10. ca. 13. quæst. 15. & alij.

7 Sed ad diluendum hoc argumentũ Thomas Sanchez, & Lessius conantur assignare discrimen inter nostri casus speciem, & exempla adducta, dicuntque discrimen esse, quia in casu, quo superuenit impedimentũ existenti in oppido, vbi festum agitur, licet excusetur ab obligatione, perseuerat tamen semper præceptum obligans illum, vnde præuenire debet impletionem præcepti. At vero ille qui egreditur, nõ tantũ excusatur, sed omninò liberatur ab obligatione, quæ affixa est illi territorio, obligatio autem in eo territorio, non erat pro totò matutino tempore, & quando egreditur, est totalis ablatio obligationis. Ego tamen non video, in quo consistat hæc ratio discriminis. Sicut enim ille, qui manet in eodem oppido occupatus, iam deinceps omninò excusatur ab obligatione, ita vt iam amplius non teneatur, nec peccet, ita etiam qui extra territorium egreditur, solum enim diuersa causa excusationis est, idem tamen effectus.

8 Sed quæres, quid dicendum sit, si quis ab eo loco proficiscatur, in quo finita est

Qua-

Quadragesima, & ipse iã impleuit præceptum annuæ confessionis, & communionis, & ad eum locum perueniet, in quo quia nõ est receptum Kalendarium reformatum, nõ dum Quadragesima finita est, an teneatur ibi ieiunare, & iterum confiteri, & sacram Eucharistiam accipere? Lessius dubit. 7. n. 52. affirmat, neque teneri lege ieiunij, neq; confessionis aut communionis, etiamsi ibi figeret domicilium. Cæterum ego aliter dicendum existimo de præcepto annuæ cõfessionis, & communionis, & aliter de præcepto ieiunij, & festi. Hoc posteriori existimo sine dubio teneri expræiactis fundamẽtis, eandem enim etiam in hoc casu vim habẽt, sicut è contra qui proficiscitur ex eo loco, in quo nondum finita est Quadragesima, & peruenit ad eum locum, in quo iam finita est, non tenetur lege ieiunij, sicut de his qui quatuor primis diebus Quadragesimæ peregrinantur apud Mediolanenses dicendum est, quidquid dicat Lessius dubit. 8. num. 59. At de præcepto annuæ confessionis, & communionis alia est ratio. Est enim eius præcepti obligatio absoluta independens à loco, affixa tantum personæ, vbicunque fuerit, & quandocunque, secundum quam semel in anno debet confiteri, & ea obligatione non soluitur, quandiu non cõfitetur: semel autem impleto eo præcepto cessat obligatio, vt manifestum videtur. Est enim ea obligatio ex iure communi, quæ eadem est in duobus illis locis.

Accommodatur doctrina præcedẽtium capitum, vt explicetur, qui teneantur decreto Tridentini.

CAPVT IX.

SVMMARIVM.

Qui sunt ex his locis, in quibus non est receptum Tridentinum, peregrinantur vbi receptum, tenentur contrahere iuxta formam illius. n. 1.

Qui sunt ex his locis vbi seruatur, peregrinantes vbi non seruatur possunt contrahere sine ea forma. num. 2.

Quorundam, qui contra sentiunt argumentum diluitur. num. 3.

Id esse verum etiamsi eò accedant animo non seruandi Tridentinam. num. 4.

Aliorum qui contra sentiunt fundamentum diluitur. num. 5.

Quid dicendum in hoc casu in sacramento Confessionis. num. 6.

Quid de commorantibus inter infideles. n. 7.

1 EX his, quæ capitibus præcedentibus dicta sunt, facile est colligere, quid statuendum sit in præsenti casu circa obseruationem decreti Concilij Tridentini. Et præter ea, quæ diximus esse certa initio capitis 7. in primis dicendum est. Incolæ eius loci, vbi Concilium Tridentinum nõ obligat, quia nondum receptum est, si peregrinantur in his locis, in quibus seruatur planè tenentur seruare in contrahendo matrimonio formam Tridentini. Sic docet Thom. Sanch. etiamsi sentiat peregrinos non teneri legibus eius loci, in quo peregrinãtur disp. cit. n. 26. Ledesma de matrim. q. 45. ar. 5. fol. 197. §. *Primum certum est*, Salas disp. cit. n. 5. in fine. Id autẽ ex eo probat Thom. Sanchez, quia ab ea sua doctrina excipit contractus, cumq; matrimonium sit contractus, videtur exceptus, & ideò celebrandus iuxta consuetudinẽ populi, in quo fit. Ego vero id ostendo ex his quæ dixi c. 7. quia peregrini tenentur legibus populi, per quem transeunt. Quare si lex Concilij Tridentini eo loco seruatur, eandem etiam tenentur obseruare in contrahendo.

2 Secundo dicendũ est, illi qui sunt ex his regionibus oriundi, in quibus Concil. Trident. vim obtinet, si aliò migrent, vbi non est receptum, possunt validè contrahere clãdestine, seruata quoad fieri possit, antiqua lege Ecclesiastica, siue illac transeant, siue domiciliũ ibidem collocarint. Ita sentit Petrus Ledesma de matrim. q. 45. a. 5. p. 3. dub. vlt. concluſ. 3. Fernand. Rebel. cit. alijs 2. p. de obligat. iustitiæ lib. 2. q. 7. sect. 3. n. 15. iuxta receptum axioma. *Dum fueris Romæ*, & doctrinam August. lib. 3. confes. cap. 8. & c. *quæ contra distinct. 8. & cap. illa distinct. 12. & cap. quisquis distinct. 41.* ex August. lib. 3. de doctrina Christiana cap. 12. Commune etiã est in contractibus ineundis spectari loci, in quo celebrantur, consuetudines. Idemq; probant superiora omnia dicta c. 7. & 8. Cũ enim isti non teneantur extra territorium legibus suis, & in alieno territorio vigeant leges illæ, etiamsi sint iuri communi contrariæ, non est cur dicamus nõ posse cõtrahere iuxta receptã in eo loco cõsuetudinẽ, quod etiam docuit Thom. Sanch. disp. cit. n. 28.

3 Oppositũ sentire videtur Henriq. lib. 11. de matrimonio cap. 3. n. 8. & alij, quorum fundamentum hoc est. Quia iam ille homo contraxit obligationẽ seruandi Tridentinũ.

Ergo quocunque proficiscatur, secū defert eandem obligationem, maximè cum Concilium inhabiles reddiderit personas ad sic contrahendum, inhabilitas autem semper comitatur personam, sicut consanguinitas & alia. Sed facile eluditur argumentum, eo dem enim probari posset teneri legibus iuris communis, in quouis loco, etiamsi in eo in quo peregrinantur, non seruentur. Dico itaque legem illam affixam esse territorio tantum in quo promulgatum est Tridentinum, vt ibidem decernitur, & non in alio loco, & similiter etiam inhabilitas. Quare in eo loco, in quo promulgatum non est, nō potest ea inhabilitas consistere. In quo vides diuersam esse rationem huius inhabilitatis, & consanguinitatis. Consanguinitas enim, cum fundetur in sanguine, eadem vbi que est, hæc autem loco tantum promulgationis affixa est. Sed quid dicendum erit, si in vno loco esset impedimentum consanguinitatis in quarto gradu, in alio vero ex consuetudine contraria non esset eiusmodi impedimentum, possent ne illi, qui consanguinei essent, eo peregrinantes contrahere? Mihi affirmandum videtur, quia iam in eo loco cessat inhabilitas.

4 Tertiò dicendum doctrinam traditam in hac secunda conclusione veram esse, etiā si aliquì in fraudem legis Concilij Tridentini, & vt contrahant sine parocho, & testibus, eo proficiscātur, vt etiam docet Thomas Sanchez disp. cit. num. 29. Idque constat, tum quia contractus non læditur ex bona vel mala intentione, ea enim permanet in affectu, nec transit in contractum exteriorem. Hinc enim communi sensu Doctores docent ex praua intentione non oriri restituendi obligationem, si revera non est illatum damnum. Tum etiam. Quia cum quis vtitur iure suo, non dicitur dolo malo facere, text. in *l. nullus videtur* 55. *de reg. iur. nullus videtur dolo facere, qui iure suo vtitur, & l.* 3. *§. is tamen D. de libero hom. exhib. dolo malo non videtur agere, qui iure suo vtitur, & l. cum creditor* 55. *D. de furtis. Cum creditor rem sibi pignoratam aufert, non videtur contrectare, sed pignori suo incumbere*, cum alijs citatis per Glossam in dicta l. 3. At iste vtitur iure suo, neque fraus illicita est, vel dolus malus, quia non est prohibitum aliò proficisci, vbi licea sine testibus, & parocho contrahere. Igitur iste non facit dolo malo. Sicut si quia statutum est, ne Salmanticæ natus obtineat Collegium Salmanticense, & fœmina aliqua in fraudem legis egrederetur Salmantica partus tempore, in loco vicino paritura, iure suo vti diceretur. Atque his fauet *lex* 55. *tit.* 12. *lib.* 60. *Basilicon, siue imperialium constitutionum.*

5 Oppositum sensit Pet. Ledesma eodem dubio vltimo conclus. 1. & 3. fol. 198. & Emanuel Rodriguez tomo 1. Summæ ca. 219. num. 2. in fine & alij, eoque inducuntur argumento. Quia fraus nemini patrocinari debet *cap. sedes, de rescriptis*, patrocinaretur autem in hoc casu. Deinde quia in *l.* 1. *§. ijdem aiunt, D. de aqua pluuia arcē.* dicitur, eum qui fodiens agrum suum vicini fontem auertit, si faciat dolo malo, non posse id facere. Sed leuia argumenta sunt. Primum ex dictis facile diluitur, neque enim ibi fraus illicita, aut dolus malus est, vt iam diximus. Neque textus ex dicta l. 1. est alicuius momenti. Agitur enim de actione doli concedenda, qui cum in agro suo fodiat, & illum excolat, fontem vicini auerterit. Ad eam autem actionem concedendam considerat ius animum, cum sit ea actio alteri nociua. Hæc vero nostri casus nulli nocet, neque iniurioſa est, vt constat in matrimonijs incolarum eius loci, qui contrahunt sine prædicta forma.

6 Ex his colligo cum in *cap. omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remis.* statutum sit, vt quis semel in anno confiteatur proprio sacerdoti, & vel ex consuetudine, vel ex declaratione Eugenij IIII. vt in tract. de Pœnitentia dictum est, peregrinus posset confiteri illi parocho, in cuius parochia habitat, non quidem ex commissione proprij, sed tanquam proprio sacerdoti, sit inquam idem dicendum esse, etiam si quis animo solum confitendi illi parocho eo accedat, & à sua domicilij parochia recedat, illi enim licet alteri confiteri, dum extra suam parochiam est. Scio dissentire Gabrielem Vazquez 4. tom. in 3. p. q. 98. art. 2. sed sine efficaci fundamento.

7 Denique dicendum est. Mihi fit valde verosimile, eos qui inter infideles commorantur, vel mercium congregandarum causa, vel alia ratione, aut inter Turcas captiui detinentur, etiamsi ex his locis sint oriundi, in quibus promulgatum, & receptum est Tridentini decretum, non teneri contrahere iuxta formam à Concilio præscriptam. In eo enim casu locum habet Epicheia, deficit enim lex contrariè, & vitiosa esset obseruatio legis, cum vel compellendi essent vitam seruare cælibem, vel auferendum illis, quod in remedium infirmitatis

tis

tis est, matrimonium. Curandum illis tamē, vt seruēt antiquas leges Ecclesiasticas, quod fieri posset, scilicet, testes adhibendo, quibus probari coniugia possint: instrumenta etiam de eo publica conficiendo, quandoquidem nec parochi copia est, nec denuntiationibus, ac benedictionibus Ecclesiasticis locus; facto etiam examine sufficienti, an illis obstet aliud canonicū impedimētū. Quidē hæc mihi verosimilia videntur, quæ expediret à Summo pontifice declarari. Sic etiam docuit Thomas Sanchez disput. citata num. 35. Palacios in 4. distinct. 29. disput. 1. vers. *iam verò istis explicatis.* Neque obstat quod alijs legibus Cōcilij, & Ecclesiasticis illi teneātur quāvis ibi promulgatæ non sint: est enim diuersa ratio, quia voluit Concilium huius obligationem pendere ex promulgatione in parochia, & loco habitantis, vt idem Thomas Sanchez respondet disput. cit. num. 36.

Quis intelligatur nomine ordinarij in decreto Tridentini?

CAPVT X.

SVMMARIVM.

Quid agendum. num. 1.
Quis censeatur ordinarius. num. 2.
Episcopum in sua diœcesi esse ordinarium numer. 3.
Capitulum sede vacante. num. 4.
Abbatem Ecclesiæ exemptæ. num. 5.
Cardinales in Ecclesia sui tituli. num. 6.
Delegatum Apostolicum in prouincia suæ legationis. num. 7.
An Archiepiscopus in suffraganeis sit ordinarius num. 8.
Vera sententia non esse, nisi in quibusdam casibus. num. 9.
Quædam animaduersio. nu. 10.
Quando Archiepiscopus possit absoluere suffraganeum ab excommunicatione. num. 11.
Quid possit Episcopus in Abbatia, quæ est in eius diœcesi. num. 12.
Qui habet in commēdam Abbatiam, quæ iura Episcopalia habet, non esse ordinarium n. 13.

1 EXPLICVIMVS hactenus, quale sit decretum Tridentini, an nouū, an vim habeat in quocunque casu, & quos adstringat, nunc superest, explicemus alia, quæ in forma ipsa, & solemnitate præscribuntur, scilicet, quæ spectent ad ordinarij, & parochi præsentiam. Et quia de ordinario, & parocho in eo decreto magna mentio est, illorum enim præsentia necessaria est, & ab illis concedi licentia debet, vt assistant alij, ideò explicemus prius nonnullis capitibus, quæ ad ordinarium, & parochum spectant, qui scilicet nomine ordinarij, aut proprij parochi intelligātur. Quæ ad ordinarium pertinent absoluemus in hoc cap. & sequenti, postea verò, quæ ad proprium parochum spectant.

2 Ordinarij nomine in prædicto decreto Tridentini intelligimus eos omnes, qui ordinariam potestatem habent Episcopalem, & quasi Episcopalem. Ordinarius enim est, qui lege vel consuetudine, vel priuilegio iurisdictionem, causarumque cognitionem habet, & proprio iure exercet *l. 1. l. & quia D. de iurisdictione omnium iudicum, l. 2. C. de officio eius, qui vices alterius gerit, cap. à iudicibus, §. 2. 2. quæst. 6. cap. 1. & cap. conquerente, de officio ordinarij*, & alijs capitibus eo titulo, tam in decretali b. quàm in 6.

3 Hinc fit primò Episcopum in sua diœcesi, & Archiepiscopum in sua assistere matrimonio posse, & alijs præbere licentiam assistendi, sunt enim ordinarij, vt constat ex prædictis iuribus. Videndus Zenedo q. 30. num. 45. quilibet enim in diœcesi dicitur parochianus Episcopi.

4 Secundò fit capitulum sede vacante posse etiam assistere, & alijs licentiam assistendi concedere, habent enim potestatem ordinariam, cum succedant in Episcopali audientia *cap. is quæ & cap. cum olim, de maioritate, & obedientia*, & ibi Doctores omnes. Glossa in *cap. 2. ne prælati vices suas*, Ioannes Andræas *cap. vltimo de supplenda negligentia prælatorum*. Vnde & posse etiam interponere decretum in alienationibus docuit Ioannes Azor tom. 2. instit. lib. 3. cap. 37. quæst. 7. quamvis de eo olim dissensio fuerit, videndus ibidem quæst. 6. Hinc etiam fit posse exequi literas directas ad Episcopum, vel eius officialem, vt his annis superioribus vidimus in literis Apostolicis Scholastici Salmanticensis Domini Francisci Arias, de quo tamen alio loco dicendum est, an verum sit.

5 Tertiò fit, Abbates Ecclesiæ exemptæ, id est, nulli Episcopo subiectæ, & interesse matrimonio posse, & alijs licentiam concedere, habent enim authoritatem ordinariam, & quasi Episcopalem, vt docent Doctores omnes in *cap. Ioannes de testam.* & ibi

Couarruuias num. 1. Vnde quæ ab Episcopis, & ordinarijs fieri possunt in his, quæ ad iurisdictionem spectant, etiam ab illis.

6 Quartò fit idem licere Cardinalibus in Ecclesijs sui tituli, in quibus habent iurisdictionem, quasi Episcopalem, textus in cap. *is quæ, de maiorit. & obed.* cum ibi notatis, & ibidem Abbas, Felinus, Butrius, & Ioannes Immola *Clement. ne Romani, de electione*, Ioannes Monachus, *cap. 1. de maioritate, & obedientia in 6.* & alij, quos refert Ioannes Azor tom. 2. lib. 4. cap. 3. q. 2.

7 Quintò fit idem dicendū esse de legatis Apostolicis in Prouincia suæ legationis, sunt enim ordinarij, & ordinariā auctoritatē habent, vt constat ex *cap. legatus, de officio legati in 6.* Vbi dicuntur ordinarij, non delegati, sicut Proconsules, & Præsides Prouinciarum olim erant ordinarij. Neque obstat, quod Prouincia illis committi dicatur, idē enim est committi atque destinari, siue decerni. Id autem quod diximus intelligendū est tam de legatis à latere, quām de nuntijs siue missis. Adde etiam extendendum, vt non solum assistere possit, & licentiam dare legatus ad plures Prouincias destinatus in ea Prouincia, ex qua sunt contrahentes, sed etiam in alio loco, & in alia Prouincia. Legatus enim Apostolicus non tantum causas, quæ iurisdictionis voluntariæ sunt vnius Prouinciæ potest expedire in alia, sed etiam causas, quæ sunt iurisdictionis contentiosæ. Primum constat, quia *cap. 2. de officio legati in sexto.* Legatus & Proconsul æquiparantur. Sed huiusmodi præstare poterat extra Prouinciam Proconsul, *l. 1. D. de officio Proconsulis.* Secundum autem docent Gundisaluus Villa-Diego in tract. de officio, & potestate legati à latere quæst. 5. ex *cap. olim de iniurijs, & cap. finali de iudicijs*, vbi communis Doctorum sententia est coram delegato posse quem quam etiam extra Prouinciam sisti in iudicio. Et quamvis dissentiat Barbacius in tract. de eodem argumento eo commotus, quia nemo inuitus potest extra Prouinciam ad iudicium trahi, *cap. neminem 3. quæst. 6.* hoc tamen solum verum est de iure, vbi autem Princeps id voluit, potest quidem, cum tantum in eo derogetur iuri communi, Pontifex autem, cum legatum ad plures Prouincias destinat, eo ipso tacitè concessisse videtur, vt causas vnius Prouinciæ in alia expedire possit. Sed de his suo loco. Videndus Thomas Sanchez lib. 3. de matrimonio disp. 28. num. 8.

8 Sed quamvis, hæc quæ diximus communi sensu recepta sint, sunt tamen nōnulla, de quibus dubitari solet à Doctoribus, & ex illis duo expediemus in hoc capite, alia in sequenti. Primum est de Archiepiscopis, an sint ordinarij in diœcesi suffraganea, ita vt in illa & assistere matrimonio possint, & alijs licentiam assistendi cōcedere. Glossa in cap. *per singulas 9. quæst. 3.* Ordinarium esse censet, & Glossa in *ca. Pastoralis, in principio*, verbo, *exceptis de officio ordinarij*, censet habere habitualem iurisdictionem, quāvis vsum alligatum. Cumque ea assistentia non sit actus iurisdictionis contentiosæ, videtur assistere posse matrimonio, vel dare licentiam assistendi.

9 Cæterum communis, & vera in iure sententia est Archiepiscopum in sua quidē Prouincia ordinariam potestatem habere, at vero in suffraganea diœcesi nequaquam, sed tantum iurisdictionem Archiepiscopalem, vt docet Abbas, & communis in cap. *quanto, & capit. pastoralis de officio ordinarij.* Quare maiorem habet potestatem in Episcopos sibi subiectos, quam in clericos suffraganeos, in hos enim Archiepiscopalem tantum, in illos vero ordinariam potestatē habet. De quibus autem Episcoporum criminibus possit cognoscere enumerat Glossa in d. cap. *Pastoralis, & cap. conquestus 9. q. 1.* Potest autem de omnibus, nisi de illis, quos Pontifex sibi reseruauerit. Tantum itaque potestatem habet, quando vel per appellationem res ad illum deuoluta est, vt docet communis sententia *cap. 1. de officio legati, & cap. duo de officio ordinarij.* Vel quando adest Episcopi negligentia, quæ causa sola sufficiens est, vt docet Abbas in cap. *ex frequentibus de institutione*, vbi generaliter ait sola negligentia Episcopi deferri iurisdictionem ad Archiepiscopum, & Glossa in cap. *Romana de supplenda negligentia Prælatorum*, dicit in negligentia Episcopi Archiepiscopum supplere vicem eius *cap. sinus 9. quæst. 3.* Quod tamen limitandum est, vt non habeat locum in delictis, nam in illis, nisi notoria sint, ob solam Episcopi negligentiam non contingit, vt ad Archiepiscopum deferantur. An autem, dum Prouinciam suffraganeam visitat, ordinariam potestatem habeat ex eo quod *cap. perpetuo de censibus in sexto*, conceditur absoluendi potestas, quæstionem habet, de qua agimus infra lib. 6. cū de dispensatione sermo est.

10 Verum aduertit optimè Thomas Sanchez lib. 3. disp. 28. num. 4. cum causa de uoluitur ad Archiepiscopum per appellatio-

tionem, prolata iam sententia, adhuc non posse concedere eiusmodi facultatem, nisi transacto decendio, & postquam sententia transijt in rem iudicatam. Nam vsque ad illud tempus sententiæ effectus quasi in suspenso est. Quod tamen aliter se habet in Episcopis, nam etiam infra tempus appellationis, si coniunxerit aliquos, vel licentiã dederit, valet quia ordinarius est, & in hoc casu sufficit facultas ab ordinario concessa.

11 Ex his fit facile intelligi, quando Archiepiscopus possit absoluere suffraganeos ab excommunicatione lata ab inferiori Episcopo, & quando non possit, de quo Auila part. 2. de censuris cap. 7. disp. 1. dub. 11. Ioannes Azor tom. 2. instit. moral. lib. 3. ca. 34. quæst. 14. & nos diximus in tract. de censur. Fit etiam Archiepiscopum, vel Patriarcham per facultatem concessam à Tridentino sess. 24. cap. 6. de reformat. qua conceditur, vt possit absoluere à qualibet censura, & dispensare in irregularitate ex delicto occulto prouenient, excepta ea quæ prouenit ex homicidio voluntario, non posse absoluere, vel dispensare cum clericis suffraganeis, dicitur enim ibi, vt suos subditos absoluat: illi autem non sunt eius subditi, nisi in prædictis casibus. Episcopus autem poterit absoluere, vel cum illis dispensare, habet enim in illos ordinariam potestatem, quidquid dicat Auila loco cit. dub. 10. concluf. 3. sed de hoc latius fortasis infra lib. 8.

12 Præterea dubitatur, an Episcopus possit eiusmodi facultatem concedere in Abbatia, quæ est intra eius diœcesim, v. g. Abbas Metinensis solebat esse intra diœcesim Episcopatus Salmantini. Quæritur. An Salmantinus Episcopus possit concedere licẽtiam alicui, vt assistat matrimonio, quod contrahitur in Abbatia Metinensi, & inter eius Abbatis subditos, vel etiam assistere? In qua quæstione, iuxta ea quæ de absolutione à censura lata per eiusmodi Abbatem tradunt Doctores, videtur probabilius posse, dummodo vel non vigeat consuetudo in contrarium, vel Abbas non præscripserit iurisdictionẽ, ita vt Episcopus volens exercere iurisdictionem ordinariam, sit prohibitus ab inferiori prælato. Videndus Auila loco cit. dub. 11. concluf. 1.

13 Denique quæret aliquis in hoc cap. An qui habet in commendã Abbatiam, quæ iura Episcopalia habeat, intelligatur in præsenti nomine ordinarij. Extat de hoc decisio Cõgregationis Cardinalium, quæ apud Farinacium Sessione 24. Concilij Tridentini cap. 1. de reformat. matrimonij his verbis concepta est: *Non permittitur hæc facultas commendatario, licet eius Abbatia iura Episcopalia habeat, cuius Abbas appellatione ordinarij venit iuxta Glossam in c. fin. de offic. ordin. in 6. Dixit enim S. D. N. quod ordinarius hic non intelligitur, nisi Episcopus, tamen Cardinali Farnesio Commendatario Farfensis monasterij fuit permissum, non autem eius Vicario.* Hæc ibi. Ex quibus disces neque commendatariũ de iure posse, neque eius Vicarium, quamvis commendatario specialiter à Sede Apostolica concessum fuerit, nisi expresse etiam eidem Vicario Apostolica Sedes concesserit.

An Vicarius Generalis Episcopi intelligatur nomine ordinarij?

CAPVT XI.

SVMMARIVM.

Vicarium Generalem Episcopi esse ordinarium. num. 1.

Quædam quæ obstare videntur, explicantur. numero 2. & 3.

In quouis decreto nomine ordinarij etiam intelligi Vicarium. num. 4. Limitatur ibid.

Posse decretum interponere in alienationibus minorum. num. 5.

Vicarij, & Episcopi vnum Tribunal. num. 6.

Legitimè gestum à Vicario non posse ab Episcopo reuocari. num. 7.

Episcopo defuncto, excommunicato, interdicto cessare etiam Vicarium. num. 8.

Idem de iure dicendum de locum tenentibus Prætorum. num. 9.

Posse Vicarium audire confessiones, & dare licentiam absoluendi à reseruatis. n. 10.

Posse assistere matrimonio, & licentiam assistendi concedere. num. 11.

Posse de causa matrimoniali cognoscere ex generali institutione. num. 12.

Aliter iudicandum de Vicarijs foraneis. n. 13.

In his quæ specialiter committuntur Vicarium non esse ordinarium, sed delegatum. numero 14.

Aliorum, qui contra sentiunt, distinctiones. numero 15.

Refelluntur. num. 16.

Diluuntur eorum fundamenta. num. 17.

1 DVBIVM esse solet inter Doctores, an Vicarius generalis Episcopi in prædicto decreto Tridentini intelligatur nomine ordinarij, ita vt eo præsente possit validè matrimonium contrahi, & ab eodem etiam concedi licentia alijs, vt assistant? Quæ quæstio ex alia pendet, an sit ordinarius, vel delegatus? In quo, licèt nonnulli senserint Vicarium generalem Episcopi non esse ordinarium, Alciatus in rubrica de officio ordinarij: attamen vera, & communis Doctorum sententia est ordinarium esse, non delegatum, vt docet Innocentius, Hostiensis, Abbas in cap. *tua nobis de officio Vicarij.* Couar. lib. 3. variar. cap. fin. num. 4. Thomas Sanchez citatis multis lib. 3. disput. 29. n. 3. Ioan. Azor tom. 2. lib. 3. c. 6. q. 12. & c. 43. q. 5. Sahagũ in rub. *de officio delegati* à n. 10. citatis multis, & glossa *in cap. licèt de officio Vicarij.* in 6. & alia glossa *in c. per lectis d.* 25. verbo *iurgia*, & etiam Doctores communiter in *cap. quoniam in plerisque de officio ordinarij, & cop. 2. de consuetudine in 6.* Et videtur hæc sententia contineri in *cap. licèt de officio vicarij in 6.* ibi *per commissionem officij iurisdictio illi transferatur.* Itaque licèt Episcopus vicarium instituat, & solius Principis sit, vel etiam iuris, iurisdictionem ordinariã tribuere, Vicarius quidem ab Episcopo datus à iure potestatem accipit.

2 Neque obstat primò quod Episcopi nomine exerceat. Verius enim est officij natura, cùm primum ab Episcopo vicarius creatur, pro Episcopo iurisdictionem habere ex textu in *l. 2. C. de officio eius, qui vicem alterius gerit.* Ita etiam delegatus gerit vices Papæ *c. 1. de officio legati*; & tamen habet iurisdictionem ordinariam *cap. 1. de officio legati in 6.* pro quo sæpe in Rota pronunciatũ est. Et quanvis diuersitas aliqua videatur esse in allato exemplo, quia legatus creatur à Principe, à quo potest tribui ordinaria iurisdictio: attamen etiam Vicario Episcopi tribuitur à iure, cuius Princeps author est.

3 Neque obstat secundò discrimen communiter assignatum inter ordinariam potestatem, & delegatam, quod ordinaria mortuo concedente non expirat, sicut delegata, si res est integra *cap. gratum, cap. relatum, cap. licèt vndique de officio delegati.* Id enim verum est de iurisdictione ordinaria, quæ non adhæret alteri, vt accessoria illius, vt adhæret vicarij iurisdictio Episcopo: cessat enim morte concedentis, vt dicam postea isto libro, vel 8. & extincta principali, vt latè Thomas Sanchez lib. 3. disput. 29. num. 13.

4 Ex dictis colligitur primò in quouis decreto nomine ordinarij, nisi ratione materiæ subiectæ aliter interpretari debeamus, intelligi etiam quemcumque ordinarium, vt latè Thom. Sanchez cũ alijs disp. 29. cit. n. 5. & etiam vicarium Episcopi. Id que videtur colligi ex Tridentino sess. 24. c. 6. de reformat. vbi in absolutione hæresis, quam noluit impẽdi ab officiali, illum expressit, quasi si non expressisset, concessa etiam videtur illi eo ipso, quod Episcopo conceditur tanquam ordinario. Itaque vniuersè dicendum est intelligi vicarium Episcopi nomine, vbi non excluditur, vt in Tridentino sess. 23. c. 3. de refor. vbi dicitur solos Episcopos posse literas excommunicationis cõcedere pro rebus ablatis, extendi etiam ad Episcopi vicarios, docet Ioannes Gutierrez lib. 1. quæstion. canonicar. cap. 11. num. 8. Praxis episcopalis, & Zerolæ verbo *vicarius §. decimum septimum.* Atque idem etiam dicendum de nomine *Diœcesani* neq; obstat, quod glossa Clem. vn. de foro cõp. vt diœcesani vbi textus cõcedit, vt diœcesani possint licentiã cõcedere Episcopis expulsis, vt iurisdictionẽ cõcedãt, dicit eo nomine nõ intelligi vicarios: hoc enim ideò est, quia causa grauis est, nõ verò quia diœcesani nomine nõ intelligatur vicarius generalis. Diximus autem supra, doctrinam hanc pro subiecta materia esse intelligendam: nec enim in generali vicariatus cõcessione omnia veniũt concedenda. Eadem, quæ in hac illatione diximus, intellige etiam de vicario capitulĩ Sede vacante, cum succedat Episcopo capitulum iuxta dicta, & de vicario generali habentium iurisdictionem Episcopalem, habet enim eandem iurisdictionem, atque vicarius Episcopi. Appellatione autem iudicis, nisi materia aliter postulare videatur, non veniunt alij, quam iudices ordinarij, non delegati, vt docet Sahagun cum alijs in rubrica de officio delegati num. 13. cum sequentibus.

5 Secundò colligitur vicarium generalem posse decretum interponere in alienationibus rerum minorum, in emancipationibus, & manumissionibus, & dare tutores, & curatores, expedire quoque omnia, quæ ad iurisdictionem pertinent *l. suggerente C. de officio eius, qui vices alterius*, quæ quidem delegato non conceditur exercere, *l. mandata D. de officio eius, cui mandata est iurisd. & l. ne quicquam §. ibi decretum D. de officio Proconsul.* iuxta communem Doctorum interpre-

ta-

tationem, quam vide in glossa ibi.

6 Tertiò colligitur Episcopi, & Vicarij vnum, & idem esse tribunal, & auditorium *cap. non putamus de consuet. lib. 6. cap. Romana in principio de appellat. in 6.* Ex quo fit non posse Episcopum appellari à vicario, neque valere consuetudinem contrariam, vt ab eo ad Episcopum appellatio interposita videatur, vt docet communis Doctorum sententia, quamvis nonnulli senserit appellari posse. Sic docuit Gothphredus in summa *de officio vicarij §. item dubitari de electione.* Quod tamen de sententia definitiua, non de interlocutoria dicit intelligendum praxis episcopalis verb. *vicarius §. tertium.* Hinc etiam recusato Episcopo, recusari vicariũ docuit Sahagun loco citato num. 11.

7 Quartò colligitur, id quod legitimè, & canonicè gẽstum est à vicario, non posse per Episcopum reuocari, vel impugnari, vt docet Rebufus in praxi episcopali tit. *de vicarijs Episcoporum* num. 40. An autem idem dicendum sit de vicarijs Prætorum, siue locum tenentibus latè nouissimè Bouadilla lib. 1. polit. cap. 16.

8 Quintò colligitur Episcopo defuncto statim cessare iurisdictionem vicarij, & omnia per eum gesta post eius mortem nullius esse momenti. Est enim idem tribunal, & reputatur pro eadem persona *dict. cap. 2. de consuetudine in 6.* & docẽt innumeri, quos refert, & sequitur Thomas Sanchez disput. 30. num. 2. Atque in hoc aliqua ex parte cõuenit delegatus cum vicario ordinario. Similiter etiam dicendum cessare vicarium etiam quoad negotia incepta: cùm enim sint idem tribunal cum Episcopo, idem est, ac si Episcopus, & vicarius obijssent. In quo differt delegatus à vicario; iurisdictio enim delegata re non integra non expirat, *cap. gratum de officio delegati*, de quo latius dicã infra isto lib. vel 8. Similiter etiã abeũte Episcopo, & mutante sedem, cessat etiam vicarij iurisdictio, cessat quoque reuocatione facta per Episcopum, quæ ad libitum esse potest, glossa *Clementina 2. de resc.* Geminian. c. 1. *de officio vicar. in 6.* Idem etiã dicendum, quando Episcopus excommunicatus est, vel interdictus, vel suspensus, & iurisdictione caret, iuxta decretum Concilij Constantiencis. Suspenditur enim vicarij iurisdictio, glossa in prædicta *Clementina*, & *cap. 1. de officio vicarij in 6.* Thom. Sanchez cum alijs lib. 3. disput. 30. num. 6. in his casibus extingui dicitur vicarij iurisdictio. Ex quibus fit excommunicationem latã in vicarium non ligare successorem *cap. pen. de officio vicarij in 6.* Sed addendũ est reuocato vicario, vel mortuo Episcopo, aut etiam excommunicato, si vicarius id ignorans administret officium, gesta per eum valere, in quo differt à delegato, vt dicam infra. Cuius ratio est, quia ista iurisdictio ordinaria est: publicè autem interest iurisdictionem ordinariam conseruari, vt cum alijs docet Thomas Sanchez disp. citata num. 11. & sequentibus, Emanuel Sa verbo *vicarius* num. 3. Ioannes Azor tomo 2. lib. 3. cap. 45. q. 14. Quo modo autem illi debeat innotescere reuocatio dicam infra.

9 Sextò colligitur de iure idem etiam esse dicendum in locum tenentibus Prætorum, scilicet Prætore remoto, eius iurisdictionem cessare, vt docet Couar. in practic. cap. 4. num. 4. Molina de primogen. lib. 2. c. 25. num. 12. Quanvis contrariam opinionẽ ob publicum bonum Regius Senatus in Hispania non semel approbauerit propter l. 7. tit. 5. lib. 3. compilat. & docet Auendaño in capitul. Prætor. 1. p. cap. 3. num. 3. Azeued. in l. 1. tit. 9. num. 8. lib. 3. comp. Bouad. lib. 2. polit. cap. 16. num. 145. Idem in magistratibus, qui ab oppidorum dominis constituuntur, vt eorum morte iurisdictionem habere desinant, probat Molina de primog. dict. cap. 25. à num. 6.

10 Septimò colligitur vicarium Episcopi posse ex officio confessiones audire, & licentiam alijs concedere, vt audiant. Est enim verè ordinarius, & prælatus in tota diœcesi: quare & proprius sacerdos est iuxta textum in *cap. omnis vtriusque sexus de pœnitentijs, & remissionibus:* cùmque repræsentet eius personam, censetur approbatus ab Episcopo, vt docent innumeri, quos refert, & sequitur Thomas Sanchez disput. 29. cit. num. 15. Vnde & posse facultatem absoluendi à reseruatis dare, docuit Emanuel Sa. verbo *vicarius* num. 2. Episcopi itaque nomine intelligitur in Trident. sess. 23. c. 15. de reformat. cùm Concilium statuit, vt nullus audire confessiones possit, nisi approbatus ab Episcopo iuxta dicta corollario 1. Quod si in *cap. 2. de officio vicarij lib. 6.* dicitur illum tantum habere iurisdictionem in ciuilibus, non excluduntur spiritualia, & sacramentorum administratio, sed tantum criminalia, vt communiter ibidem interpretantur Doctores.

11 Octauò colligitur posse vicarium generalem assistere matrimonio, & licentiam assistendi alijs cõcedere, cum Tridentinum

in

in præsenti decreto id cõcedat ordinarijs,& Vicarius ordinarius sit. Sic Flaminius expresse de resignat. benef. lib. 3. quæst. 11. n. 20. & 21. Nauar. de sponsal. consilio 47. in prima editione. Thomas Sanchez disp. 29. cit. num. 18. Zenedo quæst. 30. num. 46. An autem necessarium sit, vt Vicarius generalis Sacerdos sit, vt assistere matrimonio possit, examinat Zeuallos, quæst. 604. num. 59. & affirmat Sacerdotem esse debere, vt ab eo solemnizari possit matrimonium, quem sequitur Zenedo ibidem. Sed contrarium est verius, vt de parocho non sacerdote dicemus postea.

12 Nono colligitur posse Vicarium Episcopi generalem de causis matrimonialibus cognoscere, etiam sine speciali mandato, sed solum ex generali institutione, quamvis Rebuf. in praxi *de officio Vicarij*, nu. 155. & quidem alij negent. Oppositum tamẽ communius,& verius est, vt docet Panormit. & Præpositus in cap. vlt. *de cognat. spirituali*, Couar. 2. p. de matrimonio cap. 8. §. 12. num. 1. Lambertinus de iure patron. 3. p. lib. 2. quæst. 2. à. num. 12. Thomas Sanchez cum alijs disp. 29. cit. num. 18. Ioannes Azor tom. 2. lib. 3. cap. 45. quæst. 2. & Decius in capit. *si pro debilitate de officio deleg.* quamvis multa dicat pro opposita sententia, nobiscum tandem conuenit. Et colligitur ex d. cap. *fin. de cognat. spirit. & cap. 1. de frigidis, & maleficiatis.* Vbi causa matrimonialis proponitur coram officiali Cantuariensi. Neque obstat, quod in cap. *ex accedentibus de excessibus Prælatorum* dicitur hanc cognitionem esse Episcopalis dignitatis, & in Tridentino sess. 24. cap. 20. de reform. dicitur ad solos Episcopos pertinere: his enim verbis non excluduntur Vicarij, vt dictum est corollario primo. Neque obstat etiam stylus Curiæ, quod scilicet huiusmodi causæ delegari non soleant, nisi Episcopis, solent enim etiam Vicarijs, vt probat textus in cap. *proposuisti de probat.* & ibidem cum alijs Decius num. 1. committitur enim causa matrimonialis cuidam Præposito, qui Episcopus non erat.

13 Denique colligitur non idem dicendum esse de Vicarijs Foraneis. Est autem Vicarius Foraneus, qui iurisdictionem habet extra ciuitatem, in qua est Episcopi sedes in alia certa parte diœcesis, qui non habet potestatem ordinariam, sed delegatam. Vnde eius auditorium atque tribunal non censetur esse vnum,& idem cum Episcopo;& ab eius sententia Episcopus appellatur, cum solum habeat iurisdictionem commissam vt docet Zerola in praxi Episcopali verbo *Vicarius*, vers. *Secundum*, quidquid dicat Anastasius Germonius lib. de indultis Cardinal. §. *Tibi quoad vixeris*. Insuper non videtur dignitatem habere, vt rescripta Pontificia directa ad constitutum in Ecclesiastica dignitate, ad illum extendantur, & ideò neque Conseruatoris munus exercere potest. Quæ omnia vera sunt, quamvis eiusmodi Vicarius Foraneus constitutus sit ad vniuersitatem causarum, vt cum alijs docet Thom. Sanchez disp. 29. cit. nu. 11. concluf. 2. Quare de illo idem dicendum est, atque de iudice delegato, iuxta ea quæ dicemus infra vel lib. 8. Vnde neque assistere matrimonio poterit, neque licentiam assistendi præbere, nisi id specialiter concessum sit. Quod si causarum matrimonialium cognitio in genere concedatur, hoc etiam concessum videri docuit Thomas Sanchez cum Segura disput. 29. cit. num. 20.

14 Sed illud in huius capitis fine aduertendum est id, quod diximus vicarium habere iurisdictionem, tantum intelligendum esse in his, quæ illi competunt ex generali Vicarij institutione; non vero quo ad illa, quæ tantum competunt ex cõmissione speciali; nam quoad ea est delegatus Episcopi, non ordinarius, vt docet Glossa in cap. 2. *de officio Vicarij in 6.* & alij quos refert Thom. Sanchez disput. 29. num. 6. & docuit etiam Ioannes Azor tom. 2. lib. 3. cap. 43. q. 5.

15 Sunt tamen nonnulli, qui aliter sentiunt, & sub distinctione respondent. Primo quidam ita distinguunt. Si commissio alicuius casus fiat, & addatur clausula generalis, totam commissionem esse ordinariam quia vniuersalis causarum commissio ordinarium constituit *l. cum Prætor §. 2. D. de iudicijs.* Si vero non addatur clausula generalis, totam commissionem esse delegatam, vt docent Ancharranus in cap. 2. *de officio Vicarij in 6.* num. 2. quæst. 1. Geminianus n. 9. Alij autem aliter distinguunt. Si Episcopus vnica commissione, dum constituit Vicarium, committat illi aliquem vel aliquos casus, Vicarius est ordinarius etiam quoad casus commissos. Licet enim Episcopus cõferre nequeat iurisdictionem ordinariam: at quando simul, & semel cum iurisdictione ordinaria commissionem facit, quæ deberet esse delegata, illa ordinaria tanquam dignior trahit ad se minus dignam, vt tota censeatur ordinaria, iuxta textum in capit. *quod in dubijs, de consecratione Ecclesiæ*, & probant

bant etiam ex *c. translato de constitution.* quia quod de vno dicitur cõnexo, necesse est, vt de altero intelligatur. Cũ ergo ea potestas simul cõferatur ab Episcopo cum ordinaria quæ principalis est, ea etiam erit ordinaria. Idem dicunt censendum esse, si in commissione, aut in principio, aut in progressu fiat mentio vicariatus, vel officij, vt *tali officiali nostro committimus*: tunc enim etiamsi seorsim committatur aliquid, est ordinaria, extenditur enim ad eos casus. At si seorsim committatur aliquis, nulla facta mentione officialis, siue vicariatus, delegata tantum iurisdictio est. Sic sentit Thomas Sanchez disputat. 29. num. 8: pro qua sententia refert paucos quosdam iuris interpretes.

16 Sed nulla istarum distinctionum mihi probatur, sed vniuersim existimo quoties aliquis alius casus committitur, siue seorsim siue simul, esse delegatum, & illam commissionem vnicam pluribus æquiualere. Ratio quæ me mouet insinuata iam est. Quia Episcopus iurisdictionem ordinariam conferre non potest; vicario enim à iure confertur iurisdictio in casibus, in quibus ordinarius est. Quod autem vel cum clausula generali, vel vnica commissione committat speciale casũ, parũ refert: neque enim illa duo inter se ita connectũtur, vt vnũ trahat ad se aliud quod necessarium erat, vt allegata iura locum haberent, sed separata inter se sunt, & vnius casus cognitio sine alio potest consistere, ac si diuersis commissionibus commissa essent.

17 Quare non obstat textus in *lege cum Prætor D. de iudicijs* quo prior distinctio nitebatur: neque enim ego video quorsum adducatur, cum ibi de iurisdictione delegata, & iudice dato sermo sit, nõ de iurisdictione ordinaria; neque ex ea colligitur inferiorem à Principe posse dare iurisdictionem ordinariam, illi cui lege, vel iure non conceditur: vide glossam ibidem. Neque obstat textus in *c. translato*, quod pro se adducit Thomas Sanchez. Ex eo enim, quod est Augustini, tantum colligitur, vt optime notat ibi glossa verbo *quod de vno*, id obseruandum vt quod de vno constitutum est, extendatur ad alium casum, & sit idem ius, quando eadem ratio est, & quod de similibus idem iudicium ferendum sit, ad idem enim propositum textus ille inseritur eo loco, aut esset omnino extra rem. In nostro autem casu neque est eadem ratio, neque illa duo sunt similia, sed valde dissimilia, cum in vna specie vicarius à iure potestatem, & iurisdictionem habeat, non ab Episcopo; in alia verò specie tantum ab Episcopo. Neque obstat etiam id, quod adducitur ex textu in c. *quod in dubijs de consecratione Ecclesiæ*. Nam illa regula *dignius trahit ad se minus dignum*, vel *accessorium trahitur ad principale*, intelligenda est, quando accessorium sequitur ex principali, aut sunt inter se connexa; non verò quando non est accessorium, sed æquè principale, vt in isto casu. Videndus est Pechius in *regula 42. de regulis iur.* vbi docet illam non esse vniuersalem regulam, vt patet in vino, quod miscetur speciei iam consecratæ, & tamen non consecratur.

Quid dicendũ sit de Archipresbytero, & Scholastico Salmantino, an sint ordinarij;

CAPVT XII

SVMMARIVM.

Quid agendum num. 1.
Quis Archipresbyter, num. 2.
Eius munera. num. 3.
Quid circa sacramenta Archipresbyter vrbanus & ruralis num. 4.
Quod eius munus in sacramento confessionis quorumdam sententia. num. 5.
Vera sententia. num. 6.
Nihil circa matrimonium posse. num. 7.
Scholasticum Salmantinum ordinarium esse, nihil tamen circa matrimonium posse. num. 8.

1. DVÆ difficultates explicãdæ sunt in isto capite. Prima est an Archipresbyter intelligatur nomine ordinarij in isto decreto Tridentini. Secunda est, an etiam Scholasticus Salmantinus comparatione scholasticorum sit ordinarius, ita vt, & assistere matrimonio possit, & præbere alijs licentiam assistendi?

2 Quod ad primum attinet, obseruo in primis, quod quamvis Decanus Ecclesiæ Archipresbyter vocari soleat, vt probat textus in *cap. ad hoc de officio Archidiaconi*, attamen Archipresbyter communi sensu in iure is intelligitur, qui supra alios præsbyter est, & antiquior, sicut olim antiquissimus Episcopus cæpit Archiepiscopus dici. Vnde antiquis temporibus locus illi statim post Archidiaconum designatus erat, & in iure titulus *de officio Archipresbyteri* imme-

immediatè sequitur titulum *de officio Archidiaconi*. Sed quamvis Archipresbyter minor sit Archidiacono in iurisdictione, est tamen maior in ordine presbyterij.

3 Quæ autem sint Archipresbyteri cathredalis munera, disce ex *cap.* 1. *& cap. ministerium, & cap. officium, de officio Archipres.* Est autē Archipresbyter duplex, Vrbanus, de quo inc. *officiū de offic. Archipresb.* & Ruralis alterde quo in cap. *vt singulis eodem*, vbi eius officium describitur.

4 Sed quod ad nostrum institutum attinet in d. *c. officium* hæc habentur de Vrbano Archipresbytero: *Confessionem peccatorū eorum, qui foris veniunt audire, cum omnibus sacerdotibus.* Itaque non tantum sacerdotum illius Ecclesiæ confessiones excipiebat, vt constat ex *d. cap* 1. sed etiam eorum omniū qui aliunde ad Ecclesiam confluebant. De Rurali autem hæc habentur. *Vt singulæ plebes Archipresbyterum habeant, propter assiduam erga populum Dei curam, qui non solum imperitū vulgus, verum etiam presbyterorum, qui per minores titulos habitant &c.* Itaque illi cura tantum suæ plebis commissa iure censetur. Ex quibus colliges Archipresbyterum vtrū que curam animarum habere in dicto cap. *officium, & dict. cap. vt singulis*, & eius iurisdictionem non esse delegatam, sed ordinariam, vt docet glossa in *dict. cap. vt singulis.* Id que colligit ex *cap.* 1. *de officio iudicis ordinarij, & ex cap. ex literis de consanguinitate, & affinitate.* Fit etiam dignitatem habere non tantùm quæ beneficiū est, sed etiā eā, quæ requiritur, vt ad illum literæ Apostolicæ dirigantur, de quo in *cap. statutum de rescriptis in 6.* & vt officium Conseruatoris habere possit, de quo in *cap.* 1. *& 2. & fin. de officio delegati in 6.*

5 Ex hoc autē oritur bubitatio, an etiam Archipresbyter ordinarij nomine cēseatur, & ad assistendum matrimonio, & vt licentiam assistendi dare possit in tota diœcesi. Et quidem omnium confessones audire posse Vrbanum Archipresbyterum docent innumeri, quos refert Thomas Sanchez disp. 27. num. 1. Quamvis nonnulli ab eodem relati num. 2. aliter sentiant, neque tutum existiment Archipresbyterū licētiā administrā di sacramēta cōcedere, vel ab illo accipere.

6 Mihi tamen non est dubium iure cōmuni, quod attinet ad sacramentum confessionis, Archipresbyterum vrbanum potuisse olim, & nunc posse ministrare confluentibus ex tota diœcesi, vt docet Emanuel Sà verbo *Archipresbyter*, & in eo casu sibi vicarium constituere, licet absoluere à reseruatis non possit sine Episcopi licentia, neque vllam maiorem iurisdictionem cōcessam circa alia: præcipitur enim ordinare omnia consulto Episcopo. Quare in iure non intelligitur, neque Episcopi nomine, neq; ordinarij, neque diœcesani.

7 Quod verò attinet ad sacramentum matrimonij huiusmodi Archipresbyteri, neque vrbani, neque Rurales habent ordinariam aliquam iurisdictionem ad assistendū matrimonio, vel vt probare possint licentiam assistendi, nisi tantum in Parochia Cathedrali, aut rurali. Quia ius hoc tantùm à Tridentino inductum est, & ante illud nullæ istorum partes erant in matrimonio contrahendo, sicut neque ordinarij. Quare in hoc tantum standum est decisioni Concilij cùm in Tridentino tantum mentio fiat ordinarij, & parochi, istis Archipresbyteris tantum conueniunt ea, quæ parochis, cùm parochi earum Ecclesiarum sint, neq; aliud cōsuetudine videtur esse receptū, vt docet Ioannes Azor tomo 2. inst. moral. lib. 3. c. 15. quæst. 7.

8 Restat dicamus de Scholastico Salmā tino. Illum quidem ordinem iurisdictionis habere ex constitutione Pontificis certum est, vt docet Sahagum rub. *de officio, & potestate iudicis delegati.* num. 12. Hinc orta est quæstionis occasio; si enim ordinarius Scholasticorum est, & Concilium dicat matrimonium validum, si contrahatur coram ordinario, vel proprio parocho, aut de eorum licentia, videtur sequi validum fore matrimonium scholasticorum coram Scholastico Salmantino, aut de eius licentia. Sic censuerunt nonnulli, nec ignobiles literarum professores in hac Salmanticensi Academia quibus ego minimè assentior. Et quamvis pro hac mea sententia multa adduci possent, illud mihi præcipuum, & potissimum fundamentum est. Quia existimo Scholasticum Salmantinum, licèt ordinarius sit, attamen in laicos scholasticos nō habere Ecclesiasticam iurisdictionem, sed tantum sæcularem, & à Rege concessam: ad hoc autem, vt ordinarij munere in eo casu fungeretur, necessaria erat iurisdictio Ecclesiastica. De eo autem, quod pro fundamento assumo, latè disputo in peculiari commētario de hoc argumēto ad textum in *cap. alind est.* 11. *q.* 1. quem cum alijs opusculis cito in lucē emittemus. Præcipua tamen eius commentarij capita in compendium redigam §. sequenti.

De

De iurisdictione Scholastici Salmantini breuis, & opportuna digressio.

§. VNICVS.

SVMMARIVM.

Proponitur quæstio.num.9.
Quando possit Pontifex laicos eximere à iurisdictione sæcularium.num.10.
Probatur.num.11.
Extra eum casum non posse eximere laicum à Principis sæcularis potestate.num.12.
Iurisdictionem datam à Principe sæculari iudici Ecclesiastico in laicos sæcularem esse, & perseuerare sæcularem.num.13.
Ex his colligitur qualis sit iurisdictio Scholastici Salmantini in Scholasticos laicos.numero.14.
Quid de iurisdictione Inquisitorum in Familiares extra causas fidei.num.15.
Quid de iurisdictione Commissarij Cruciatæ, atque subsidij.num.16.
Obijcitur primo ex iudice ad quem appellationis Scholasticorum.num.17.
Secundo obijcitur ex eo, quod censuris agant in subditos.num.18.
Tertia, & quarta obiectio Parami.num.19.
Vltima obiectio aliorum.num.20.
An ea iurisdictio semel concessa à Rege reuocari possit.num.21. Verius posse, etiamsi non dederit sub conditione.ibidem.

VT explicatum maneat fundamentum, quo in præcedentibus ostendimus non posse Scholasticum Salmantinum interesse matrimonijs, neque licentiam assistendi concedere, statuamus oporter, qualis sit ea iurisdictio, quæ conuenit Scholastico in Scholasticos laicos: nam eam quæ conuenit in Scholasticos clericos, non dubitamus esse Ecclesiasticam, cum solum à Pontifice illa deriuari potuerit. Et antequam ad huius explicationem deueniam tres enunciationes præmittam, quibus & huic nostræ quæstioni, & multis alijs lucem inferam, quæ quidem erunt, vt credo non iniucunda.

10 Prima enunciatio sit. *Quoties salus spiritualis versatur, vel periculum animarum, potest Ecclesia pro concessa sibi à Deo potestate laicos etiam inuitis Principibus subijcere iudicibus Ecclesiasticis.* Communis hæc est Doctorum sententia, cum docent Pontificem in ordine ad spiritualia habere potestatem indirectam in temporalia, & in personas, & iurisdictionem Regum, vel Imperatorum. Pro qua sententia stant Catholici Doctores omnes. Theologiæ Princeps D. Thomas 2. 2. quæst. 10. art. 10. consensum autem Doctorum ex toto Christiano orbe Conciliorum, atque Pontificum videat Lector apud Bellarminum lib. de potesta. Papæ contra Barclaium in prologo. Adeat etiam Franciscum Suarez lib. 3. contra Regem Angliæ cap. 21. & 22. sed præcipue cap. 23. vbi satis ostendit Pontificem in ordine ad spiritualem salutem procedere posse vsque ad Regni depositionem. Adeat iuris interpretes in cap. *Nouit de iudicijs*, qui textus propria sedes est huius argumenti. Nec enim ego hoc loco ista latè disputare, sed delibare volo. Et quidem ita postulabat ipsa iurisdictionis spiritualis ratio, quæ sine coactiua infirma esset, & imbecilla.

11 Sed huius enunciationis veritatem illud maximè demonstrat, quod primis Ecclesiæ temporibus quibusuis fidelibus prohibitum fuit experiri coram sæculari iudice, vt latè ostendo in prædicto commentario. Iuxta quem sensum accipio textum in cap. *Omnis oppressus 2. quæst. 6.* maxime si legatur iuxta correctionem censorum decreti Gregoriani, de quo etiam videndus Ferdinandus Mendoça de consess. Concil. Illiberitan. lib. 3. ad can. 56. pag. 226. Hinc etiam prohibitum olim Christianis Magistratum gerere inter infideles, vel ab illis accipere, ad euitandum scilicet periculum subuersionis, de quo latè agimus in comment. de Canonibus Apostolicis. Hinc etiam prohibitum olim Christianis sub infidelibus Principibus militare, vt ibidé ostendo. Hinc etiam ortum est, quod de baptizandis filijs infidelium, & separandis docet D. Thom. 1. 2. q. 10. art. 10. & latè & eleganter examinat Gabriel Vazq. tom. 2. in 3. p. disp. 155. cap. 3. corol. 2. vel notabili 2. Hinc etiam ortum habuit, quod de separãdis seruis à Iudæorum potestate habetur in cap. *Præsenti, & cap. Iudæis 2. de Iudæis*, vbi statuitur, quod illi pretio redimantur propter periculum fidei, quod quidem iure optimo Ecclesia in fauorem nostræ fidei potuit decernere, & *l. Deo nobis, §. his etiã C. de Episcopis, & Clericis*, statuitur, vt nullius Christianus sit seruus Iudeorũ, Hæreticorũ, aut Paganorum, & si quis sub horum seruitute inueniatur, liber sit, quod etiam multis Cõciliorum canonibus constitutum est, quos

refero in comment. de can. Apostol. Quod si quis existimet hoc ideò præcipi, quia Iudæi serui sunt eorum Regum, in quorum regnis habitant, valde fallitur, non enim sunt verè serui, vt rectè docet Gabriel Vazquez disp. cit. cap. 5. Hinc denique ortum est, vt & Pontifex Reges Regno priuare possit, & subditos iuramento fidelitatis absoluere, vt eleganter probat Franciscus Suar. d. lib. 3. cap. 23. à num. 14.

12 Secunda enunciatio est. *Extra eum casum solus Princeps sæcularis potest subijcere laicos iudicibus Ecclesiasticis.* In qua enunciatione conueniant omnes necesse est, qui sentiunt Pontificem non habere temporalem aliquam iurisdictionem directam in laicos subiectos Principibus sæcularibus, quod fatetur Pontifex in cap. *per venerabilem, qui filij sint legitimi.* Idemque & testimonijs, & rationibus latè probat Suarez dict. lib. 3. cap. 5. num. 8. & sequentib. Hinc olim concessum fuit per sæculares Principes, vt Episcopi cognoscerent etiam de sæcularium causis: vt vel hac ratione Principes sæculares magnam erga auctoritatem Episcopalem obseruantiam ostenderent. Fuit ergo in potestate rei vel accusatoris ad Ecclesiasticum iudicem causam perducere, vt apertè constitutum est à Theodosio *l. 1. de Episcopis, & Clericis lib. 16. C. Theodos.* & est apud Gratianum *cap. Quicunque* 11. q. 1. Quem textum latè inducimus in comment. de hoc eodem argumento. Atque hinc petenda lux est ad textum in cap. *Iudices alij esse non debent.* 11. quæst. 1. Hinc etiam inquisitionis sanctæ Ministri, quos Familiares vocant, subiecti sunt Inquisitoribus, & in ciuilibus, & in criminalibus fidei causas non cõcernentibus ex Regia concessione tantum. Hinc etiam effectum est, vt qui vulnerant ministros sancti Officij, dummodo non sit ex odio sancti Officij, possint ab ipsis Inquisitoribus puniri ex Regum, & Principũ sæcularium concessione, quæ omnia latè in prædicto commentario examinamus, & explicamus: atque ex his duabus enunciationibus inferimus lucem textui alias difficili, & in cuius explicatione multum se torquet Couarru. & alij in cap. *aliud est*, 11. quæst. 1.

13 Tertia enunciatio sit. *Ea iurisdictio data Ecclesiasticis in laicos à Principe sæculari, sæcularis manet; nec fit Ecclesiastica.* Quam sententiam docet Petrus Gregorius in Syntag. iuris lib. 15. capit. 12. num. 36. Couarruias pract. cap. 4. num. 2. Bouadilla citat. alijs lib. 2. politic. cap. 17. num. 14. & 195. Glossa in cap. *Reprehensibile*, 23. quæst. 8. Iuris interpretes in cap. *Solita, de maiorit. & obed.* Vnde non secus atque alios sæculares iudices exercere debere docet Segura in director. iud. Eccles. cap. 11. num. 3. Bouadilla lib. 5. polit. num. 195. & 203. Atque de hoc iuxta Hispanorum iura dubitari non potest, vt probat textus in *l. 52. titulo 6. part. 1. & l. 8. titulo 3. lib. 1. compilat. & l. 5. titul. 1. lib. 2. & l. 28. tit. 18. lib. 6.* Cuius sententiæ probationes late proponimus comment. citat. nunc breuiter indicabo. Quia in primis non repugnat iurisdictionem Ecclesiasticã, & sæcularem manentem sæcularem, in eandem personam conuenire. Remanere autẽ sæcularem conuincitur ex duobus. Primum est. Quia vel ea potestas fit Ecclesiastica ratione causæ derivantis, vel ratione subiecti recipientis. Non primum quia ea manat à sæculari Principe, non à Pontifice, vt constat ex dictis cõclus. 1. & 2. à Principe autẽ sæculari non potest deriuari, nisi iurisdictio sæcularis tantum. Non secundum, quia vt dictum est, sæpe coniungitur sæcularis potestas cum Ecclesiastica in eadem persona. Alterum est. Quia iudex Ecclesiasticus ex vi iurisdictionis Ecclesiasticæ non potest laicum capere, neque incarcerare, exceptis ijs criminibus, quæ ad fidem pertinent, sed id præstandum est cum inuocatione brachij sæcularis. Quæ communis est Doctorum sententia, eamque multis probat Bouadilla lib. 1. cap. 17. num. 167. *ex cap. 1. de officio ordinarij, & cap. cum Episcopus eodem in sexto, & cap. postulasti de iudicijs, & cap. postulasti de homicidio, & l. 59. in fine, tit. 6. part. 1. & l. 14. & 15. tit. 1. lib. 4. compilationis, & l. 6. tit. 4. lib. 1.* Videndus est Azeuedo in dicta l. 14. At huiusmodi iudices Ecclesiastici apprehendunt laicos sine inuocatione brachij sæcularis: remanet ergo iurisdictio sæcularis, & non fit Ecclesiastica.

14 Ex his iam facile est colligere. Quid dicendum sit de iurisdictione Scholastici Salmantini in Scholasticos laicos? Censendum quidem illam non esse Ecclesiasticam, sed sæcularem. Cuius probatio facile deducitur ex dictis. Quia laicos subijcere illi potuit solus sæcularis Princeps. At etiam postea perseuerat sæcularis. Cuius argumẽtũ est, quia procedit à Principe sæculari, à quo deriuari solum potest sæcularis iurisdictio, & quia apprehendit sine inuocatione brachij sæcularis: & denique, quia à regibus varijs modis limitatur prout occasiones exigunt.

Vnde

Vnde superioribus annis exceptum est à iurisdictione Scholastici crimen, quod committitur, dum Regijs iudicibus resistitur, siue die, siue nocte. Et ex eodem principio manat, quod sæpe Reges destinant sæculares iudices, qui de grauioribus criminibus Scholasticorum cognoscant, vt de homicidijs qualificatis, vel effractione carcerum. Idem etiam manifestissimè constat ex legibus Tit. 7. lib. 1. Cõpilat. Itẽ quod annis superioribus reassumpsit eandem iurisdictionem, & Gubernatori Regio Ciuitatis Salmantinæ ad tempus concessit. Quod summo iure & æquitate factum est, & iustissime facere posset, quoties Academiarum paci, & tranquillitati expedire iudicaret. Quibus consonant ea quæ habentur in l. 18. cap. 1. tit. 1. lib. 1. Compilat. Vnde constat iurisdictionem hanc ita à Regibus concessam Scholasticis, vt non omnino à se abalienauerint, sed conditionaliter, ita vt moderari, limitare, & suspendere, & reassumere possint, quoties æquum ipsis videbitur, vt ex facto ipso compertum est. Quare, quamuis sit Panormitani doctrina, quando iurisdictio transfertur donatione in Ecclesiam, fieri Ecclesiasticam; attamen in hoc casu & nostro Regno non habet locum, vt optimè docet Couarruuias pract. cap. 4. num. 2. Atque hæc non leuiter confirmat constitutio Federici Imperatoris in Authent. *C. ne filius pro parte*, cuius verba placuit subijcere, vt inde constet, vnde hæc Scholasticorum iurisdictio in Scholasticos Laicos deriuata sit, & quomodo illis concessa. In qua inter alia hæc habentur. *Dignum namque existimamus, vt cum omnes bona facientes nostram laudẽ & protectionem omnimodo mercantur, quorum scientia totus illuminatur mundus, & ad obediẽtiam Deo & nobis eius ministris vita subiectorum informatur: quadam speciali dilectione eos ab omni iniuria defendamus. Quis enim eorum non misereatur, qui amore scientiæ exules facti de diuitibus pauperes, semetipsos exinaniunt, vitam suam multis periculis exponunt, & à vilissimis sæpe hominibus, quod graviter ferendum est, corporales iniurias sine causa perferunt. Hac igitur generali, & in perpetuum valitura lege decernimus, vt nullus de cætero tam audax inueniatur, qui aliquam Scholaribus iniuriam inferre præsumat, nec ob alterius cuiuscumque Prouinciæ delictum siue debitum, (quod aliquando experuersa consuetudine factũ audiuimus) aliquod damnum eis inferat: sciturus huiusmodi sacræ cõstitutionis temeratoribus, & etiã ipsis locorũ rectoribus, qui hoc vindicare neglexerint, restitutionẽ rerũ ablatarum ab omnibus exigendam in quadruplum, notaque infamiæ eis ipso iure irroganda, dignitate sua se carituros in perpetuũ. Verum tamen si litem eis quispiam super aliquo negotio mouere voluerit, huius rei optione data Scholaribus eos coram Domino, vel Magistro suo, vel ipsius ciuitatis Episcopo, quibus hanc iurisdictionem dedimus, cõueniat: qui vero ad aliũ iudicem eos trahere tentauerit, etiamsi causa iustissima fuerit, à tali conamine cadat. Hanc autẽ legem inter Imperiales Cõstitutiones, scilicet sub titulo. Ne filius pro patre, &c. inscri iussimus. Datũ apud Roncalias Anno D. M. C. LVIII. Mense Nouembri.* Hæc ibi.

15 Hinc etiã colliges iuxta hæc philosophandũ esse de iurisdictione Inquisitorũ in familiares suos in criminibus alijs diuersis ab hæresi, aut quæ hæresim nõ cõcernũt, ea enim sæcularis sine dubio est. Quod demonstrant superiora omnia, & constat etiam ex varijs cõcordijs editis tàm pro Regnis Siciliæ, quã Aragonum, Valentiæ & Castellæ, quarum nonnullas refert Simancas tit. 41. num. 16. in editione Complutensi Anno 1569. & Paramus tàm lib. 3. de Orig. Inquisit. quam in responsione ad allegationes Iosephi Mur. & Heuia Bolaño in Curia Philip. III. p. §. 1. num. 19. Constat etiam, quia varij etiam casus varijs etiam temporibus excepti sunt Regijs cõstitutionibus, de quibus nõ possunt Inquisitores cognoscere, quale est crimen familiariũ Læsæ Maiestatis, & nefandum. Idem etiã apertissimè constat, quia iurisdictio iudicis, qui de bonis fisco addictis cognoscit; quæ est etiam pars quædã Tribunalis Inquisitionis, Regia absque dubio & sæcularis est, solumque inter Laicos exercetur, sine admixtione tamen spiritualis iurisdictionis. Vnde quando circa confiscata bona lis interuenit cum clericis, iudex in bonis confiscatis non exercet iurisdictionem in illos, sed ipsi Inquisitores, vt aduertit Simancas tit. 41. num. 4. Idem etiam constat, quia Rex, prout sibi æquum videtur, eiusmodi Inquisitorum iurisdictionem variè limitat, & suspendit. Sic enim in Sicilia suspendisse ab Anno 1539. vsque ad Annũ 1545. fatetur Paramus lib. 2. de origine Inquisit. t. 2. n. 16. & 18. & varias alias limitationes, prout casus exposcebãt refert Simancas tit. 41. nu. 16. Quod quidẽ fieri à Rege nõ posset, nisi illa iurisdictio & sæcularis esset in sua origine, & sæcularis etiã cõseruaretur. Si enim Ecclesiastica fieret, iã amplius nõ esset illius dominus, vt eã limitare aut suspẽdere posset. Idẽ etiã apertissimè

tissimè constat ex eo, quod sæpissime contingit in Castellæ, Aragonū & Siciliæ Regnis. Quoties enim inter Regis Senatum & Inquisitores controuersia oritur de iurisdictione. Rex ipse consulit, & si qui ex Regio Senatu & inquisitionis supremæ coniungū tur ad ea de controuersia cognoscendū, non conueniunt, Regis iudicium expectatur, & quod illi placet, executioni mādatur. Quod quidem non aliūde prouenit, nisi quia Rex Dominus est, & iurisdictionis eius, quæ in Regijs Senatoribus, & Inquisitoribus residet, quoad prædictos casus. Hunc autem stylum obseruari testatur Simancas tit. 41. cit. n. 21. & Paramus, dum varias refert concordias lib. 2. c. 11. n. 17. Quæ omnia euidenter demonstrant hanc iurisdictionem esse sæcularem & in principio, & sæcularem permanere, ita vt eam extendere, limitare, & suspendere possit Rex, qui eam à principio cōcessit. Vnde etiam ortum habet, quod Rex in huiusmodi concessionibus addat eā clausulam, *vt ad ipsius beneplacitum concessa intelligatur*, vt fatetur etiam Paramus in 1. resp. ad Mur. cap. 1. n. 80. Illud etiam rem illam manifestissimè demōstrat, quod adhuc post eius iurisdictionis concessionem, excepit Rex quinque casus in Sicilia, vt constat ex his quæ idem Paramus refert d. resp. 1. cap. 1. num. 52. & post concordiā editam Anno 1580. in alia quæ facta est Anno 1591. explicatus à Rege fuit quidam alius articulus, vt idem refert d. resp. 1. cap. 1. num. 45, Quod quidem nullatenus à Rege fieri posset, nisi & ea iurisdictio sua esset, & sæcularis perseueraret; euidens siquidem est, iurisdictioni, quæ Ecclesiastica sit, nullam à Rege adhiberi limitationem posse. Quare turpissimè labitur Paramus, dum in 2. resp. pro eadem iurisdictione à num. 136. affirmat Inquisitores nunquam hanc iurisdictionem prædictam à Regibus accepisse, contra omnes Doctores, quos supra retulimus, & contra id, quod etiam ipse fatetur multis in locis citatis, & præterea lib. 3. de orig. Inquisit. p. 2. num. 144. & 121. & in 2. respon. in præfatione, num. 22. & 52. & 67. Quæ dum asserit, grauem infert iniuriam Regibus Catholicis, qui iniustè & iniquè fecissent contra ius fasque, quoties eam iurisdictionem limitarunt, modificati sunt, aut suspēderunt, aut ad suum beneplacitum concesserūt, quæ ignorātia crassissima est, ne quid grauius dicam.

16 Hinc rursus colliges eodem modo philosophandum esse de iurisdictione Cōmissarij Cruciatæ, atque subsidij. Nam in illo coniunguntur etiam iurisdictio Ecclesiastica, & sæcularis, & in virtute huius procedunt contra Laicos, & illos sine inuocatione brachij sæcularis comprehendunt, vt constat ex his, quæ latè scribit Perez de Lara lib. *de las tres gracias*, maxime pagina 16. & 63. Vnde fit, vt ea iurisdictio, virtute cuius procedunt contra Laicos, tam quam quæ à Regibus originem ducit, modificetur, & limitetur, prout ipsis expedire videtur, & probatur *ex l. 10. cap. 5. tit. 10. lib. 1. Compilat.* & docet Lara d. pag. 63. Idque ipsum indicat Emblema, quod Lara posuit initio libri, vbi inter alia sunt insignia Pontificia & Regia cum inscriptione *ab vtroque accipit*. Quare eam iurisdictionem, quam Cruciatæ Commissarius exercet in Laicos, sæcularem esse dubitari non potest.

17 Verùm diluamus, quæ contra doctrinam hanc, vt mihi videtur, certam opponunt nonnulli. Obijciunt primo. Quia ex appellatione, hoc est ex iudice ad quem appellationis, cognoscimus, qualis sit iurisdictio iudicis à quo. Sed iudex ad quem appellationis est Ecclesiasticus, appellatur enim Nūtius Apostolicus ab Scholasticis. Ergo ea iurisdictio Scholastici Salmantini Ecclesiastica est. Idem etiam argumentum probabit iurisdictionem iudicis bonorum confiscatorum inter Inquisitionis tribunal esse Ecclesiasticam, quia ab eo appellatur Supremæ Inquisitionis Senatus. Atque his fauet decisio Pontificis in *cap. Romana §. debet de Appellat. in 6.* vbi Summus Pontifex de Archiepiscopis respondens ita inquit. *Debet autem ad eos scilicet Archiepiscopos ab Episcopis præfatæ Prouinciæ, super casibus, in quibus temporalem iurisdictionem exercent, nisi forte de consuetudine, aut priuilegio, siue iure alio speciali sit appellandum, ad alium appellari.* Hæc ibi. Hoc mihi opponebat quidam legum interpres Salmanticensis eximiè doctus, & quia in eius solutione multa dico in prædicto commentario, ideo nunc breuiter dico, sicut consensu Regis ea iurisdictio concessa est Scholastico Salmantino, ita etiam consentiente eodem à Laicis tribunal Nuntij appellari, sicut & de eius consensu appellatur Supremæ Inquisitionis Senatus à sententia iudicis bonorum confiscatorum. Quare minus cautè Simancas, titulo 38. numero 2. & Zeuallos, quæstione 897. numero 282. dixerunt ab eo iudice non deferri

causas

causas ad Regium Senatum, vt de vi illata cognoscat. Si enim ea iurisdictio iudicis illius Regia est, & à Rege deriuatur, quid mirum; si non ea ratione deferantur ad Senatum Regium, cum potius per viam appellationis deferri deberent, nisi ad supremæ Inquisitionis Senatus deferri per appellationem Regia Maiestas statuisset. Cum enim ea iurisdictio regalis sit, designauit iudices appellationis, quos voluit. Quare quod prudenter dixerunt Rodericus lib. 1. de annuis reddit. quæst. 17. num. 75. & Salzedo cit. ab eodem Zeuallos, quod ab Inquisitoribus non deferuntur causæ ad Regium Senatum per modum querelæ & iniuriæ, aut vis illatæ, etiamsi ex iurisdictione Ecclesiastica procedant, ille Zeuallos in considerate extendit ad iudicem bonorum confiscatorum, cuius auctoritas & iurisdictio plane Regia est. Adde etiam in multis casibus ab Scholastico Salmantino supremum Regis Senatum appellari, non Nuntium Apostolicum, vt compertissimum est. Decisionem autem Pontificis in d. *cap. Romana* in Hispania non habere locum docet Couarruuias pract. cap. 4. num. 2. prope finem, sicut & in Gallia etiam non seruari docent alij, quos refert ibidem Couarruuias.

18 Secundò opponunt, quod & Scholasticus Salmantinus, & etiam Inquisitores censuris agant in eius etiam iurisdictionis defensionem, quod magnum argumentum est esse Ecclesiasticam; aliàs non possent per censuras procedere. Sed respondemus facile rectè quidem per censuras defendi & iustè. Primo quidem, quia à Rege expresse concessum Inquisitoribus, vt censuris suam defendant iurisdictionem plane fatetur Param. resp. 1. cap. 1. num. 52. & 63. Cum autem dicimus Regis concessione eã iurisdictionem defendi per censuras latas contra violantes, vel repugnãtes, vel quomodolibet impedientes, non ita intelligendum est, quasi Rex facultatem concedat ferendi in ea causa censuras. Id enim nulla ratione præstare posset Princeps sæcularis. Sed sic explicamus. Inquisitoribus per censuras licet defendere, quod ipsorum est, argumento textus in *cap. dilecto, de sent. excommunicat. in 6.* cuius verba, quia ad rem hanc explicandam, apertissima sunt, libenter transcribo. *Dilecto filio Decano Aurelianensi: & infra. Præterea cum omnes leges omniaque iura vim vi repellere, cunctisque se se defensare permittant, licuit vtique ipsi Decano, (si prædictus balliuus cum bonis suis mundanis iniurioſe spoliare, vel ea violenter occupare præsumpserit, vt superius est expressum) cõtra illius violentiam iniuriamque setueri. Et paulo infra. Præsertim cum dictus balliuus post latas in eum ab eodem Decano ex alijs causis excommunicationis sententias (sicut idem Decanus asseruit) ipsum tanquam exinde pronocatus, sententijs ipsis contentis bonis spoliasset eisdem, & propter hoc postmodum ipse Decanus sententiam tulerit interdicti, tanquam spiritali se mucrone defendens contra illius iniuriam, & violentiam sibi ab eodem occasione prædictarum sententiarũ & in ipsarum contemptum illatum.* Hæc ibi. Quod præcipuè locum habet in iurisdictionis concessæ defensione, vt docet Capicius decis. 124. num. 11. late Martha de iurisdict. cap. 1. in principio. Cui quidem defensioni solum obstare poterat, si Rex eo tempore, quo iurisdictionem concessit, explicaret, se non ad eum effectum concedere, neque vt suam eam iurisdictionem efficerent. Quare dum permittit, vt censuris eam iurisdictionem defendant, non quidem ferendi censuras potestatem concedit, neque enim Princeps sæcularis posset; sed declarat se non impedire, neque restringere donationem iurisdictionis, ita vt si censuris defendatur, ablatam eo ipso velit; sed potius vult eorum esse, quibus concedit ad beneplacitum voluntatis suæ, & vt eo tempore sui beneplaciti, vt propriam defendant: Atque hũc effectum habet ea expressa concessio, qua in Regno Siciliæ Inquisitoribus concedit, vt concessam ab ipso iurisdictionem Regiam censuris tueantur; non vero affectat facultatem imponendi censuras concedere, vt nonnulli praue interpretantur. Ex eo ergo quod per censuras defendant, tàm Scholasticus Salmantinus, quam Inquisitores iurisdictionem datam in laicos, non sequitur eam esse Ecclesiasticam iurisdictionem, sed adhuc perseuerare sæcularem.

19 Tertiò opponunt, idque magni ponderis Paramo visum est. Quia ea cognitio causarum & iurisdictio, quam Inquisitores habent in familiares, necessaria est ad procedendum in rebus fidei, & eiusmodi causas expediendas. Cui consequens est, vt ab eo ea iurisdictio in familiares data censeatur, à quo datur iurisdictio in causis fidei. Cumque hæc Ecclesiastica sit, illa etiam videtur Ecclesiastica. Qui enim dat formam, dat consequentia ad formam; & qui dat iurisdictionem

nē, concedit ea, sine quibus eius iurisdictionis vsus esse nequit. Infirma tamē hæc obiecto est. Vt enim Inquisitores plenissimam auctoritatem & iurisdictionem habeant in causis fidei, necessaria non erat ea in familiares iurisdictio, de qua loquimur, licet cōueniens esset. Quæ maior conuenientia & congruentia præbuit concessioni causam, ita tamen vt necessarium fuerit à Regibus illam concedi. Nec verò ex illis verbis, quibus à Christo, Petro, & successoribus eius data est potestas Ecclesiastica, *Pasce oues meas*, vel *quæcumque ligaueris super terram*, *&c.* Licet colligere habere eiusmodi iurisdictionem; aliàs etiam dicendum esset ex eius concessionis vi posse laicos apprehendere sine inuocatione brachij sæcularis, quod ab omnibus communi consensu reprobatur.

20 Quartò opponit Paramus d. lib. 3. q. 2. n. 115. Quia accessorium sequitur naturā sui principalis iuxta iuris regulam, & quando aliquid propter aliud apponitur, debet ab eodem esse vel non esse assumere, *l. qui res, §. si mihi D. de solut. & l. cum seruus D. de condit. & demonstrat.* & facit textus cum Glossa *Clement. 1. de hæret.* v. *intellectiuæ*. At ea iurisdictio, licet à Rege concessa fuerit, attamen vt Ecclesiastica considerari debet, & accessoria vnita Ecclesiasticæ, & eius naturam sequi per textum & notata in *cap. quanto de iudicijs*. Verum hoc argumento nihil efficitur, iam enim pridem à iuris interpretibus dictum est accessorium sequi naturam principalis, quando accessorium sine principali stare non potest; & quando est eadem ratio, ac dispositio in vno & in alio; & etiam, quoad aliqua, non quoad omnia. Hic autem accessoria hæc iurisdictio à Rege data stare potest sine principali, diuersam habet causam diuersamque rationem, vt ex dictis constat. Adde iurisdictionem hanc licet sit minus nobilis Ecclesiastica, non esse vere & in rigore accessoriam, sed in laicos principalem, cum à nullo alio concedatur, limitetur modificetur, aut suspendatur, quam à Rege, ex quibus cō stat, ea quæ ex iure adducuntur non esse ad rem de qua agimus.

21 Deniq; mihi opponebat alius. Quia Pontifex potest aliquos etiam laicos eximere à iurisdictione Principum sæculari; vt conuinci potest ex vxoribus, quæ olim erant Presbyterorum, Diaconorum, & Episcoporum, quæ Episcopæ, Presbyteræ, Diaconissæ vocabantur. De quibus multa dicemus inferius lib. 7. Sed ex ignorantia procedit hæc obiectio. Erant illæ religiosæ, neque enim viri ad Sacros ordines assumebantur, nisi esset ab vxoribus promissa conuersio, vt ostendo loco citato. Ita non mirum, si exemptæ essent à Principum sæcularium iurisdictione. Aliud enim est aliquem laicū remanentem eximere; aliud, statum aliquem Ecclesiasticum instituere, quem qui assumat, exemptus maneat. Nulli autem prohibetur assumere. Scholasticorum autem, qui in Academijs commorantur, aut familiarium Sanctæ Inquisitionis non est status Ecclesiasticus, atque ideo, vt eximantur à Principis sæcularis iurisdictione, necessaria est eiusdem voluntas, atque concessio.

22 Restat explicare. An ea potestas semel à Rege concessa, vel Scholastico Salmantino, vel etiam Inquisitoribus in familiarium causis, possit à Rege reuocari? De qua quæstione latè agimus in prædicto commentario, nunc breuiter dicimus eam decidendam esse ex generalibus iuris principijs, in materia de priuilegiorum reuocatione. Disputant de ea latè Felinus in *cap. nouit, de iudicijs*. Decius & alij ibidem. Anton. Gabr. lib. 3. commun. *titulo de iure quæsito*, concluſ. 6. numero 20. Matienço in *l. 6. titulo 10. lib. 5. compil. Gloſſa 1. & l. 11. tit. 7. eodem lib. Gloſſa 1. & 9.* & multis citatis Suarez de legib. lib. 8. cap. 37. Thomas Sanchez lib. 8. de matrimonio disput. 33. num. 2. Ex quibus disces, quàm facilis sit reuocatio priuilegij omnino gratiosi, & præsertim in materia iurisdictionis, etiamsi absolutè concessum sit; quod multò magis & absque dubio verum habet, quando ea iurisdictionis concessio conditionalis fuit, vt in prædictis casibus fuisse ostensum est ex factis ipsis. Quod si de hac certissima veritate dubitauit Paramus in d. resp. 2. à numero 149. in primis errauit in iure. Deinde contendit ille diuersam esse rationem in Inquisitoribus Regni Siciliæ, quos ille vult longi temporis consuetudine legitimè præscripta iam adquisijsse ius cognoscendi priuatiuè de causis familiarium. Ex quo, licet in facto verum esset, (quod secus existimo) non posset deduci idem in alijs Prouincijs, & nostro casu dicendum esse. Imo addiderim, quod quamuis in prædictis concessionibus Reges expressè nō reseruassent sibi potestatē limitādi, modificandi, suspendendi, vt reseruasse facta ipsa conuincunt, sed absolutè po-

testas

testas ea Sæcularis concessa esset Scholastico, aut Inquisitoribus, ex natura ipsius delegatæ iurisdictionis oriebatur, vt indelegante potestas remaneret revocandi, suspendendi, limitandique eam donationem, prout ipsis Regibus expedire videretur, etiamsi in priuilegij forma concessa esset, vt post Felinū & alios in d. *cap. nouit de iudic.* affirmat Suarez d. cap. 37. num. 10. & Thomas Sanchez vbi supra num. 6. atque de his satis: de quibus latè agimus in cit. cōmentario, vbi & nouis quorumdam argumentatiunculis satisfacimus; iam ad institutum nostrum.

Quis dici debeat proprius Parochus.

CAPVT XIII.

SVMMARIVM.

Quid agendum, n. 1.
Quædam certa proponuntur, n. 2.
Quorundam sententia, n. 3.
Verior sententia, n. 4.
Cardinalium congregationis declarationes, n. 5.
Probatur primo, n. 6.
Explicatio decisionum Rotæ, quæ obstare videntur, n. 7.
Coram Parocho habitationis domicilij posse contrahi, etiamsi paruo tempore alicubi commoretur, n. 8.
Quid dicendum de concubina quæ est in domo concubini, n. 9.

1 EXPLICVIMVS hactenus, qui censeantur nomine Ordinarij, vt & assistere possint matrimonio, & licentiam concedere vt alij assistant. Oportet videamus, quis etiā proprius parochus censeri debeat, cum & is assistere matrimonio, & licentiam assistendi concedere possit. Cum autem diuersa sint in Ecclesia Dei sacramenta, non eodem modo de proprio Sacerdote & parocho in omnibus illis iudicandum est. Verùm de proprio Sacerdote in ordine ad alia sacramenta suis locis satis dictum est; nunc tantum agemus de proprio parocho in ordine ad sacramentum matrimonij, & in ordine ad funeralia, decimas, & primitias.

De proprio Parocho in ordine ad matrimonium, §. 1.

2 Nonnulla præmittenda, quæ certa sunt. Primū est parochū solius originis, & ex consequenti neque Episcopum illius cēseri proprium comparatione cōtrahentiū. Nam cum Concilium dicat contrahendum esse coràm proprio parocho, proprius autē in dubio non intelligitur originis, sed domicilij. Atque id ita sensisse Concilium colligi potest ex eo, quod de vagis statuit, & infra dicemus; cum tamen illi certum habeāt parochum originis, neque in hoc est multū immorandum. Sic docet cum alijs Thomas Sanchez lib. 3. de matrim. disput. 23. nu. 7. Deinde certum est, eum qui fixum domicilium habet siue à paruo tempore, siue multo, ibi contrahere debere coràm parocho eius domicilij, neque in hoc est aliqua difficultas. Vnde, si modo mulier contrahat cū viro in sua parochia, & statim se transferat ad parochiam viri mutato domicilio, si matrimonium fuerit nullum, & eadem die iterandum, iam non poterit coràm priori parocho contrahi, fixit enim alibi domicilium relicto primo. Ex quo consequenter infertur, eum qui eodem tempore habuerit duo domicilia, coram alterutro posse contrahere, nam vtriusque æque parochianus est. Id quod non tantum verū est, cum in vnius cuiusque parochia habitat, pro tēpore quo habitat respectiuè, sed etiam indifferenter quouis tempore coram eorum quolibet poterit contrahere. Quid ni? Quandoquidem eodem tempore verificatur vtrumque esse parochum illius iuxta textum in *cap. 2. de sepult. in 6.* & latè docet Thomas Sāchez lib. cit. disput. 24. Neque in hoc etiam video esse difficultatem aliquam. De vagabundis dicam postea.

3 Sed cum in his conueniat Thomas Sanchez, asserit duos alios casus distinguendos esse. Primus est, siquis habet alicubi domicilium & migrat aliò breui rediturus, scilicet, vel recreationis gratia, vel vt ruralia opera exerceat. Et in hoc casu censet non sufficere parochum habitationis. Sic enim multos consuluisse testatur Menochius consilio 378. volum. 4. & de eo extitisse quatuor decisiones Rotæ, quas ibidem adducit. Secūdus casus est, cum quis domicilium habens in aliquo loco transijt in alium ibi habitaturus ad certum tēpus causa alicuius negotij expediēdi, vt eo expedito ad propriū

domiciliũ redeat, ſicut ſunt Scholaſtici in Academia, & mercenarij ſolicitatores in curia, & qui cauſa peſtis aliò confugiũt. Et in hoc caſu dicit eſſe cõtrouerſiã. Sanctium ſequitur Zenedo q.30. à n.59. Cæterum ego hos duos caſus ægrè diſtingo, niſi tantũ diſtinguantur ratione temporis habitationis. Quare parũ intererit; an negotij cauſa vel peſtis, vel mercis, vel ſtudij, vel ruralis operis, aut recreationis aliquis ſecedat, ſed ſolũ conſiderandum erit, an maiori anni parte habitet in eo loco in quẽ ſecedit, an minori. Si enim per minorẽ anni partem habitent, certum putat Thomas Sanchez cũ Menochio non poſſe cõiungi matrimonio præſente Parocho habitationis. Si tamẽ per maiorem anni partem commorentur, rem eſſe dubiam exiſtimat, & duas eſſe opiniones: vnam, quæ affirmat adeſſe debere parochũ domicilij, & non habitationis; aliam, quæ affimat adeſſe debere parochum habitationis, non tamen breuis, quas ſententias ſigillatim infra referemus.

4 Nihilominus ego exiſtimo vtriuſque caſus eandem deciſionem eſſe, quod attinet ad Sacramẽtum matrimonij, & in vtroque caſu parochũ idoneũ ad coniungendos matrimonio contrahentes eſſe parochum etiã illius breuis habitationis. In qua ſententia neceſſarium eſt conueniant Doctores, quos refert & ſequitur Thomas Sãchez n.12. Saltem quando habitatio diuturna eſt, & maioris partis anni, & quoad vtramque partem eam expreſſe docet Emanuel Sa, verbo, *parochus*, num.7. vbi hæc habet. *De parochia efficitur, quis ratione domicilij, quantum ad pœnitentiam autem, & Euchariſtiam ſufficit habitatio per ſex menſes ſecundum quoſdam. At melius alij ſufficere quantum ad ſacramenta illic habitare, & non poſſe commodè ad proprium ire. Ad matrimonium vero ſufficit vel modica habitatio*. Expendo autem ſic etiam haberi in Aphoriſmis expurgatis per Magiſtrum Sacri Palatij: cumque ex eo libro expũcta fuerint per dictum Magiſtrum, non tantũ quæ minus ſanam doctrinam illi videbantur cõtinere, ſed etiam ea, quæ contra praxim, & ſtylum Curiæ aſſerebantur, vt in multis locis paſsim videre licet, ſi parochus breuis habitationis in matrimonio non ſufficeret, non eſt credibile relinquendum, vel præter miſſum ab expurgatore, cũ ex eo valor matrimonij ſæpe ſæpius pendere poſſet. Nec vero id ſemel ſcriptum reliquit Emanuel Sâ, ſed etiam iterum verbo *matrimonium*, n.2. vbi ſic ait. *Qui alicubi habitant non animo permanendi, quibuſdã non videtur poſſe ſub illo parocho contrahere, at mihi videtur congregatio Concilij aliud ſentire, ſufficere illic habitare, dũ contrahunt, &c.* De vagabundis autem aliter ſtatim ſenſit.

5 Sed proferamus Cardinalium declarationes. Illæ extant apud Farinacium in nouiſsimis ad ſeſsionem 24. Concilij Trident. cap.1. num.2. vbi ſic: *Proprius parochus eſt in cuius parochia contrahentes habitant tempore, quo matrimonium contrahitur*, & num.4. *quando matrimonium contrahitur inter duos alienigenas, & à paruo tempore in aliquo loco habitantes, qui tamen ſint cogniti, & non ſint compreheſi inter vagabundos, proprius eorũ parochus eſſe intelligitur, in cuius parochia habitant eo tempore, quo matrimonium contrahunt?* Et eadem ſeſsione cap.7. num.2. eadem declaratio habetur.

6 Deinde etiam noſtra ſententia probari poteſt primo argumento Thomæ Sanchez, quo etiam pugnaueris contra ipſum ex parte. Quia idem eſſe cenſetur parochus ad coniungendos matrimonio, atque ad cõfeſsiones excipiendas iuxta textum in *cap. omnis vtriuſque de pœnitẽtijs & remiſsionibus*. Sed ille proprius Sacerdos habetur ad ſacramentum confeſsionis, inquo quis habitat etiam ad modicum tempus, vt probaui in tractatu de Pœnitentia. Ergo etiam ad matrimonium. Nec vero hæc ratio conſtans, atque perpetua eſt; neque enim licet argumentũ ſumere ab vno ſacramento ad aliud; plura enim potuerunt à iure exigi, vt quis in aliquo ſacramento cenſeretur proprius Sacerdos, quàm in alio. Cuius ſignum eſt, quia non ſtatim conceſſa facultate ad percipienda ſacramenta de manu alicuius ſine licentia parochi, intelliguntur conceſſa omnia, nec enim comprehenduntur ordo & confirmatio. Cum enim ea ſacramenta ad Epiſcopum pertineant alia ſemper intelligitur conceſſa ſaluo Pontificialium iure. Neque intelligitur conceſſa facultas ad matrimonium, quia cum ſacramentum matrimonij non miniſtretur à parocho, ſed à contrahentibus, vt probatum eſt lib.1. & parochus ſolũ requiratur, vt approbatus teſtis, non valet argumentum ab vno ad aliud, nõ enim quemuis cenſetur Eccleſia eligere in teſtem. Neque etiam valent argumenta deſumpta ex eo quod ad alia, ſcilicet, funeralia, vel decimas requiratur maioris temporis habitatio. Aliter enim iudicandum eſt de proprio parocho in ordine ad ea vtilia parochorũ, vt dicã ſtatim. Atque hoc vno

verbo

verbo corruunt argumenta Sanctij pro sua sententia, quibus contendit, non quamcunque, sed per maiorem anni partem habitationem requiri ad contrahendum coram parocho habitationis. Cessant etiam argumenta eorum, qui sentiunt domicilij parochum requiri. quæ referam §. sequenti, illa enim vera sunt in ordine ad vtilitatem parochi, in funeralibus & decimis. Quare vnicum tantum huius nostræ sententiæ fundamentum ex eo petendum est, quod cum præsentia proprij parochi solo iure nouo Tridentini introducta sit, & congregatio Concilij, quæ præest declarandis dubijs, quæ ex Concilio oriuntur, declarauit, satis esse parochū etiam modicæ habitationis, sicut Eugenius IIII. declarauit pro Sacramentis Pœnitentiæ & Eucharistiæ.

7 Ex his colligitur primo non obstare decisiones Rotæ, quas pro sua sentētia Menochius refert. His enim ego oppono Congregationis declarationes, quæ maius pondus authoritatis habent, vt diximus in tractatu de beneficijs Ecclesiasticis.

8 Secundò colligitur, eum qui habet alicubi etiam parui temporis habitationē, posse contrahere, & coram parocho habitationis, & coram sui domicilij parocho, si velit, aut eò forte accederet parochus domicilij, neque enim modica illa aut longiori habitatione amittit domicilium, vt notū est. Quare non rectè, neque consequenter Thomas Sanchez disput. 23. citata, num. 19. asseruit eo tempore non esse parochianum parochiæ domicilij, sed habitationis. Si enim ex adquisito alibi simul domicilio non amittit habitationem, cur amitteret ex habitatione per maiorem anni partem? Quare coram vtroque potest indifferenter contrahere, sicut de eo qui duo domicilia habet eodem tempore diximus superius.

9 Tertiò colligitur non idem dicendū esse de concubina, quæ ex eodem oppido non relicto suo domicilio habitat vel maiori, vel minori anni parte cum concubino. Ea enim contrahere debet, si velit contrahere cum aliè, non coram parocho concubini, sed proprio. Nec enim ea declaratio Cardinalium est, nisi pro alienigenis peregrinis, & alio commorantibus, exceptis vagabundis. Atsi à suo oppido, in quo concubina domicilium habet, retento eo domicilio in aliud oppidum recedat habitatura cū concubino, etiam minori anni parte, si velit contrahere cum alio, satis esse parochū concubini, in cuius domo habitat eo tempore. Neque obstat, quod concubina non sortiatur forum concubini, sed legitima vxor. Nam certè, quoad sacramenta pœnitentiæ, Eucharistiæ, Baptismi, & Extremæ Vnctionis, & matrimonij hoc iure vtimur ex speciali declaratione Eugenij IIII. & Cardinalium. Sed cum duo contrahunt, an sufficiat parochus vnius ex contrahentibus, & cuius, dicam infra cap. 16.

Quis nam sit proprius Parochus in ordine ad funeralia.

§. SECVNDVS.

SVMMARIVM.

Quid agendum, n. 10.
Prima sententia, num. 11.
Prima pars veræ sententiæ, n. 12.
Probatur ex iure, n. 13. 14.
Opponitur 1. ex cap. nostra de sepulturis, numero 15.
Et ex cap. fin. de Parochijs, n. 16.
Et ex cap. quæst. 16. q. 1. n. 17.
Et ex cap. cum nullus de temp. ord. n. 8.

10 MVLTA, quæ ad huius dubij exactam resolutionem pertinent ex consuetudine recepta pendent iuxta quam definienda sunt. Ego tantum dicā, quid ius statuat, cætera ex peculiaribus consuetudinibus definientur.

11 Prima ergo sententia asserit vniuersè habitationem per maiorem anni partem sufficere, vt quis parochiam nanciscatur, etiam sine animo ibi perpetuo manendi, & illi parocho deberi funeralia. Sic Emanuel Sà verbo *Parochus*, num. 2. At quātum ad decimas & vtilia sacerdoti sufficit animus habitandi fere per annum. Eandem sententiā docuit Thomas Sanchez disput. 23. cit. à n. 12. pro qua refert complures Doctores, qui tamen maiori ex parte loquuntur de sacramentorum administratione, & votis commutandis, à quibus tamen ad id, de quo agimus, commodum argumentum sumi non posse iam ostendimus. Sequuntur tamen ex his, quos refert, non Pauci, quorum fundamenta adducam postea atque dissoluam.

12 Verum vt rem istam explicem distinctius, quasi per partes procedēdum est. Dico itaque primo, quod attinet ad funeralia, siquis decessit non electo sepulchro, sepeliendum esse in Ecclesia parochiali domicilij

micilij non habitationis, si cõmodè deportari possit. Similiter, si decesserit electo sepulchro, Canonica portio debetur parochiæ domicilij, & non habitationis. Hanc sententiam expresse docet Abbas in *cap. in nostra de sepulturis*, num. 10. & affert pro se Ioannem Andræam in Nouella, qui scribit eum, qui breui tempore à villa in vrbem se recipit animo rus repetendi bello conflicto, si in vrbe decedat; ad villæ Ecclesiam quartam funeris pertinere. Adiũgit pro ea Antonium de Butrio in quadam quæstione affirmantem ciues Florentinos ad vitandã pestem, si se Bononiam conferant, eo consilio, vt peste finita ad proprios lares remeẽt, si diem suum obeant Bononiæ, quartum funeris Florentinæ Ecclesiæ deberi, nec secus Bononiæ iudicatum esse. Idem contendit authoritate Pauli *Clement. Dudum de sepulturis*, docentis cum quis in aliena parochia, in qua annum vixit, de vita exijt, quartam funeris partem inter Ecclesiam parochiæ, quæ est domicilij. & eam, quæ dicitur habitationis diuidi. Quibus accedit Paulus Comitolus lib. 1. responsorum moral.

13 Hanc sententiam mihi videor ex iure colligere, si attente considerentur iura. Primo. Quia in *cap. 2. de sepulturis in 6.* dicitur canonicam portionem deberi Ecclesiæ duntaxat, in qua consueuit audire diuina, & Ecclesiastica sacramenta percipere, quæ verba sunt periphrasis domicilij, vt colligitur ex §. sequenti, vbi dicitur, si quis duo domicilia habuerit pariter in vtroque se collocans & in tertio elegerit sepulturã, Ecclesijs domiciliorum diuidendam esse canonicam portionem, quasi pro eodem vsurpet Pontifex Ecclesiam domicilij, & vbi cõsueuit audire diuina, & percipere sacramenta. Idque insinuat etiam verbum illud *consuenit*, quod non de habitationis parochia, sed de domicilij verius & magis perse affirmatur, cum in alia ex accidenti audiat diuina, & percipiat sacramenta. Deinde eandẽ sententiam confirmo ex *cap. 3. is qui, de sepulturis in 6. Is qui habet domicilium in ciuitate vel castro, quando transfert recreationis causa, vel vt ruralia exerceat opera in eodem, si non electa sepultura decedat ibidem, non in Ecclesia dictæ villæ, sed in sua parochiali, vel in ea potius, in qua maiorum ipsius ab antiquo sepultura extitit, sepeliri debebit, dum modo absque periculo ad ipsam valeat deportari.* Hæc ibi. In quo textu expendo primùm, secedentem *vt ruralia opera exerceat*, in quibus quis non videt sæpe maiorem anni partem insumi; & tamen adhuc pertinere dici ad parochiã annexam domicilio. Quod siquis interpretetur textum de opere rurali, quod cito finitur, diuinat, textus enim vniuersè loquitur *vt ruralia opera exerceat*. Quid autem rogo, magis interest, vtrùm quis proficiscatur ruris exercendi causa, vel negotij gerendi? potest enim in vtroque & modicum, & longũ tempus insumi. Quare ea verba *vt ruralia opera exerceat*, exempli causa, posita existimo, & addita, nequis existimaret tantum ad parochiam domicilij pertinere eum, qui abijt recreationis gratia, quæ paucis diebus concludi & definiri solet; sed etiamsi abeat longiori tempore immoraturus, scilicet, causa exercendi opera ruralia, metendi, vindemiãdi, serendi, in quibus maior anni pars consumitur.

14 Denique considerari pro hac sententia possunt illa verba textus in *cap. 1. de sepulturis, illi Ecclesiæ dari censemus, in qua cœlesti pabulo refici consueuit*, & *cap. de his*, ibi, *Ecclesijs in quibus receperunt salutis pabula.* Quæ verba siquis expendat, & cum antecedentibus & sequentibus componat, planè colliget sermonem esse de Ecclesia annexa domicilio. Ad illam ergo pertinet ius sepulchri, nisi alibi elegerit habitationem; electa autem pertinet ad illam portio canonica, non ad Ecclesiam habitationis. Quod si ad suam commode deportari non possit, & sepulturam non elegerit, ad eam parochiam pertinet, in qua sacramenta suscepit, & habitabat, vt ex d. *cap. 3. de sepulturis in 6.* colligitur, & docuit Emanuel Sa verbo *sepultura*, num. 2.

15 Sed videamus quæ pro sua sententia adducit Thomas Sanchez. Obijcit primo textum in *cap. nostra de sepulturis*, vbi dicitur soluendam esse quartã parochiali Ecclesiæ, de cuius parochia extrahuntur corpora mortuorum, quibus indicari videtur solam habitationem requiri. Dico tamen ex his verbis adiunctis præcedentibus id nõ colligi; expressè enim agitur de parochianis alterius Ecclesiæ. Vnde explicandum restat, quæ parochia sit, & ego quidem dico esse illam, in qua domicilium constituerunt, nã illa verba sunt periphrasis quædam domicilij, vt constat ex *cap. certificari 9. & cap. nostra 10. de sepulturis.* Adde illa verba esse in narratione facti, in responso autem tantum dicit Pontifex soluendam esse Ecclesiæ parochiali. Vnde examinandum vlterius, quæ sit parochialis, & cuius Ecclesiæ aliquis dicatur parochianus.

16 Secun-

16 Secundo obijcit textum in *cap. finali de parochijs* ibi. *Cum ad inhabitandum in ea se quam plurimi contulissent.* Dico tamen ibi esse sermonem de his, qui recuperata Aconensi ciuitate alijs occupatis, ibi domicilium elegerant, alio relicto, quod in hostiũ potestate erat. Itaque potius ibi censentur parochiam nanciscí ratione domicilij. Idque constat, quia existentibus aliarum vrbium Episcopis, postea ad eas non sunt reuersi, quamuis in eis prædia haberent: non autem est idem in aliquo loco prædia habere, & domicilium.

17 Tertio obijcit textum in *cap. quæsti sunt 16. quæst. 1.* vbi dicitur decimas persoluendas illis, à quibus per anni circulũ missas audiunt. Respondeo tamen esse specialem & expressam dispositionem iuris decimas prædiales deberi, vbi prædia sunt, personales vero vbi sacramenta ministrantur, *cap. vltimo de sepulturis in 6. & cap. fin de parochijs*, vt dicam §. sequenti. Quare ex ea dispositione nihil colligitur contra nos.

18 Vltimo obijcit textum in *cap. cum nullus, de temporib. ordin. in 6.* vbi agitur de proprio sacerdote ad ordines, diciturque illum esse à quo quis oriundus est, vel in cuius Diœcesi beneficium obtinet, aut domiciliũ collocauit. Sed hic textus potius pro nobis est, nam Scholastici in Academia nõ dicuntur domicilium, sed habitationem habere. Hæc adduximus, non quia difficilem solutionem habeant, sed vt respondeamus illis, quibus permotus Thomas Sanchez opositam sententiam secutus est, quamuis Panormitani sententiam, quam sequimur, probabilissimam esse fateatur.

Quis sit proprius Parochus in ordine ad decimas & primitias?

§. TERTIVS.

SVMMARIVM.

Decima personalis debetur domicilio, numero 19.

Prædialis soluenda, vbi prædia constituta sunt, num. 20.

Quid si prædia non sint in aliqua parochia, numero 21.

Quid de decimis mixtis, quorundam sententia, num. 22.

Vera sententia, num. 23.

Quid quando pascuntur in vna & pernoctant in alia, num. 24.

Quid quando non pascuntur, neque aluntur in Ecclesia domini sui, num. 25.

Quid quando Ecclesia parochialis & baptismalis fuerint diuersæ, n. 26.

19 QVOD ad decimas attinet, supposita communi distinctione decimarum, quæ personales, prædiales, & mixtæ dicuntur licet de huius diuisionis veritate dico quod sentio tract. de Ordine lib. 6. statuo primũ. Decimæ personales, si alicubi sunt in vsu (nam non esse in vsu docet Sà verbo *decimæ*, nu. 1. Suarez tomo 1. de religione tract. 2. lib. 1. cap. 21. & alij:) itaque si alicubi sunt in vsu, non spectant ad Ecclesiam habitationi connexam, sed domicilio. Hanc conclusionem mihi videor ex iure aperte colligere. Facit enim pro ea primo, quod sæpe in iure dicatur hasce decimas soluendas Ecclesiæ, in qua baptisma, sacramenta, & manus impositio, ideſt, Confirmatio, & Ecclesiastica, audiuntur, tex. in *cap. de Decimis 45. 16. quæst. 1.* ibi, *vbi Sacrosancta Baptismata dantur*, & *cap. questi 46.* ibidem: *Familiæ vero eorum ibi dent decimas suas, vbi infantes eorum baptizantur, & vbi per totum anni circulũ missas audiunt*, quæ domicilium indicãt. Quod caput est ex Concilio Cabilonensi 2. c. 19. & ex Ticinensi c. 11. & habetur *cap. in sacris 56. eadem causa & quæstione*, ibi, *vbi Baptismũ, prædicationem, manus impositionẽ, & alia Christi sacramenta percipiunt.* Expẽdo illa, manus impositionem, quo nomine cõfirmationis, & ordinis sacramenta intelligi solent. At ordinis & confirmationis sacramenta non nisi ab eo Episcopo, vbi domicilium, vel beneficium, vel origo est, non ab Episcopo habitationis peti possunt. Facit etiam tex. in *cap. ad Apostolicæ 20. de decimis*, quod extat in Appendice Lateranensis Concilij p. 50. c. 39. ibi. *In qua Ecclesiastica percipiunt sacramenta*, & tex. in *c. significauit fin. de parochijs* ibi: *Neque ab eis temporalia exigant, quibus spiritualia non ministrant.* Et planè ibi de loco domicilij sermo est. Nam in Aconensem ciuitatem plures relicto domicilio aliarum vrbium, quas hostes occupauerant, transierant. Fixisse autem ibi domicilium ex eo cõstat, quia iam ad easdem vrbes recuperatas redire noluerant; domicilium autem hostium occupatione extinctum fuerat. Huius autem conclusionis non vna ratio est. Prima quia decimæ istæ persoluuntur ad sustentationem eorum, qui spiritualia ministrant,

strant. Secunda, quia transeunt hæc onera cum persona, non enim inhærent rei, quare æquum videtur, vt illi Ecclesiæ soluantur, quæ spiritualiter fidelem alit sacramentis atque doctrina. Vnde siquis mutet domicilium, licet habeat in alia parochia possessiones, illi debentur, vbi domicilium habet; & licet non mutet domicilium si tamen extra suam parochiam laboret, etiam per magnam anni partem, semper decimas personales soluet illi Ecclesiæ, vbi habet domicilium, quia ibi perse recipit diuina, licet ex accidenti ratione absentiæ contingat quandoq; alibi recipi sacramenta. Quæ colligi videntur ex *d. cap. ad Apostolicæ & cap. 3. de sepulturis in 6.* Quod si contingat habere duo domicilia, si vnum accessorium est; principali soluet: si vero in vtroque, æqualiter se collocat, inter vtrumque diuidentur.

20 De prædialibus verò decimis statuo secundo prædiales decimas soluendas esse illi parochiæ, vbi prædia constituta sunt. Est communis, certaque sententia, eamque probat textus in *cap. cum contingat, & c. cum in tua de decimis & c. quoniam eodem tit. & c. vltimo in fine de parochijs, & cap. fin. de restit. spol. in 6.* Cuius optimam etiam rationem iura insinuarunt. Nam cum ipsa parochiarum diuisione diuisa etiam territoria sunt, quo factum est, vt vnicuique parochiæ applicarentur ea prædia in sustentationem ministrorum, atque adeo videtur immutabile, constat ex *c. 1. 13. q. 1. & c. si quis laicus 16. q. 1. & c. Ecclesia & c. quicumque eadem q.* Et quidem iure optimo ita constitutum est, alias magna sequeretur confusio, si promutatione domicilij mutarentur etiã decimæ prædiales, vt eleganter attigit Alex. III. *in c. cum sint de decimis*, ibi, *cum ex hoc Episcopatuum fines confundi non immerito viderentur.* Quæ ratio, licet in Episcopatibus loquatur, attamen eandem vim habet in parochiarum diuisione, vt supponitur in *c. super eo de parochijs, & in c. ac licet 16. q. 3. & c. quicumque ibidem*, & Tridentino sessione 14. de Reformat. c. 9. & sessione 24. c. 13. in fine. Eoque magis iuri conformem & rationi eã dispositionem esse cõstat, quia per hoc nulli parochiæ fit iniuria, tum quia semper remanet congrua; & idem in commodum potest pro decursu temporis commutari, cum sæpe ex vna parochia ad aliam mutent domicilia. Accedit etiam leges humanas attẽdere id quod frequentius frequentiùs autẽ est parochianos ibi domicilium figere, vbi prædia habent; quod si secus accidat, rarum est, quod non solent leges attendere. Vide Rebuffum de decimis, q. 5. n. 19. & q. 6. n. 11. & q. 14. num. 39.

21 Sed quid dicendũ, si prædia non cadant intra territorũ alicuius parochiæ? Dicendum est de iure cõmuni ad nullam parochiã pertinere, sed ad Episcopalẽ mensam, vt docet Abbas in d. *c. cum contingat* & Rebuffus q. 7. n. 8. Et facit pro ea textus *in c. quoniam*, quatenus dicit decimas noualium pertinere ad Episcopos, si non sint intra terminos alicuius parochiæ, eadem enim videtur esse ratio de prædijs excultis ab antiquo tẽpore. Cuius ratio ex eo desumitur, quia Episcopus ante parochiarum diuisionẽ ius habebat disponendi de decimis, prout illi videbatur expedire. Si ergo aliqua prædia non cõtinẽtur terminis alicuius parochiæ, videntur sub antiqua iuris dispositione remansisse, atque ideo ad Episcopum pertinere, qui vel sibi, vel alijs Ecclesijs poterit applicare iuxta tex. in *d. c. quoniam.*

22 Sed restat difficultas expedienda de Decimis quas vulgo mixtas vocãt, scilicet, quæ ex fructibus pecorum desumuntur, cui scilicet parochiæ persoluendæ sint. Cuius dubij resolutio incerta videtur, tum quia iura tantum loquuntur de decimis personalibus, & realibus, de his autem mixtis nullum extat ius, quod ego viderim. Præterea cum mixtæ sint, non apparet, ad quarum potius naturam accedant, realium ne, an personalium. Quare Nauarrus consil. 1. de Decimis n. 10. existimauit, etiamsi oues non pascantur in loco domicilij, adhuc tamen aliquam partem soluẽdam esse Ecclesiæ Domicilij. Quia cum sint eiusdẽ Decimæ mixtæ, ideo debent partim accedere ad realium, partim ad prædialium rationem.

23 Verum statuo tertio huiusmodi decimas magis ad prædialium naturam accedere, & ideo ibi soluendas, vbi pascuntur greges, vt docet communis sententia, quã tenet Glos. in *c. ad Apostolicæ*, & Doctores ibi frequenter. D. Thom. 2. 2. q. 87. art. 3. ad 2. Alensis 3. p. q. 51. membro 4. art. 1. in fine Rebuffus d. q. 6. n. 25. Suarez tomo 1. de religione tractatu 2. lib. 1. c. 7. Facit pro hac sententia, quia huiusmodi Decimæ inter prædiales comprehenduntur in iure, non inter personales, vt docet idem Suarez. Facit etiam, quia decimæ Pascuorum debentur Ecclesiæ prædiali argumento tex. *in c. commissum.* Ergo quando pecora aluntur ex aliquibus Pascuis, illa debentur Ecclesiæ, cui

deben-

debentur pascuorum decimæ pro rata temporis. Atque sic in praxi iudicãdum est, nisi aliud habeat consuetudo. Quod idem iudiciũ esse existimo, quãdo ab vno loco ad aliũ proficiscuntur, de locis intermedijs, in quibus paruo tempore commorantur, dum trãseunt: existimo enim, nisi aliud exigat consuetudo, tantum terminorum à quo & ad quem habendam esse rationem, vt Nauarrus voluit loco cit. n. 3. Quod si non solum transeant, sed modo in hac, modo in illa parochia per mensem vnum, aut alium commorentur, proportio seruanda est etiam in decimis.

24 Ex his colligitur primò, cum sæpe contingat vt Pascantur interdiu in vna parochia, & pernoctent in alia, quamuis multis videatur soluendas esse decimas Ecclesiæ prædiali, quia ex eius Pascuis aluntur, probabilius dicetur cum glossa Rebufo, & alijs diuidendas esse Decimas inter vtramque parochiam. De animali enim iudicãt sicut de prædio, quod nõ minus esse dicitur, vbi alitur, quam vbi iacet, & cubat. Induci potest pro hac sententia tex. *in l. si plures D. Arborum furtim cæsarum*, in vltimis verbis. *Si radicibus vicini alitur, arbor tamen eius est, in cuius fundo origo eius fuerit.* Vbi autem oues iacẽt & dormiunt, ibi accommodatione quadam radices figunt, & ab inclementijs protegũtur.

25 Secundò colligitur idem dicendum esse, quando huiusmodi oues neque Pascuntur, neque aluntur per vllam anni partem in Ecclesia Domini sui, sed in alijs; tunc enim nulla pars decimarum debetur Ecclesiæ parochiali domini, sed illis vbi Pascuntur & morantur; fortiuntur enim istæ rationem decimarum prædialium. Vnde non rectè Nauarrus docuit saltem quartam partẽ soluendam esse Ecclesiæ parochiali domini, nec enim vlla ratio reddi potest, quare magis debeatur quarta, quã sexta, vel octaua. Dicamus ergo consequentius has decimas sortiri rationem prædialium, & ita iuxta eam regulam in omnibus philosophemur.

26 Tertiò colligitur, quomodo philosophandum sit in eo, quod quæri solet, cui Ecclesiæ debeantur decimæ, parochiali, vel baptismali, quando cõstiterit esse diuersas. Nam personales parochiali debentur, prædiales illi, in cuius territorio sunt, nisi obstet consuetudo præscripta, aut alius titulus legitimus, de quo late Suarez d. libro 1. c. 24. illud aduerte sæpe in iure pro eodem vsurpari baptismalem, & parochialẽ Ecclesiam, ne decipiaris, vt monet Suarez d. cap. 24. num. 4.

De proprio vagorum Parocho ad matrimonium.

CAPVT XIIII.

SVMMARIVM.

Decretum Tridentini de vagorum parocho, n. 1.
De quibus vagis intelligat, n. 2.
Extendi ad etiam alienigenas, n. 3.
Idem seruandum, etiamsi vnus sit vagus, n. 4.
Quemuis parochum alterius populi posse eligi à vagis, n. 5.
Idem etiamsi in fraudem fiat, n. 6.
Etiam si quis in aliquo loco depœtatus sit vagorum confessor, non esse proprium parochum ad matrimonium, n. 7.
Parochum qui sine ea diligentia coniungit vagos, peccare graniter, valere tamen coniugiũ, num. 8.

1 VAGORVM nomine comprehẽduntur, qui nullibi certum domicilium habent; quo supposito cõstituenda in primis est de illis decisio Concilij Tridentini sess. 24. c. 7. sic enim habet. *Multi sunt, qui vagantur, & incertas habent sedes, & vt improbi sunt ingenij prima vxore relicta aliam & plerumque plures illa viuente diuersis in locis ducunt. Cui malo cupiens Sancta Synodus occurrere, omnes ad quos spectat, paternè monet, ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium facile admittant, magistratus etiã sæculares hortatur, vt eos seuerè coerceant; Parochis autem præcipit, ne istorum matrimonijs interfint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, & re ad ordinarium delata ab eo licentiã id faciendi obtinuerint.* Hactenus Concilium.

2 Circa quod decretum Concilij Tridentini obseruandum est primò, illud de solis vagis esse, non quibuscumque, sed qui vagãtur, & incertas sedes habẽt. Quare qui in eodem oppido de vna parochia ad aliam vagantur, & dum domicilium in aliqua figunt, quia alio habitatore occupatum est, breui tempore alicubi hospitantur, non cõputantur inter vagos, illi enim in oppido noti sunt. Quare vel in ea parochia, vbi diutius habitarunt, contrahent, vel in ea, in qua ad tempus habitarunt; & idem de illis, atque de alienigenis cogitis iudicium erit.

Idem

Idem dicendum de illis, qui in aliqua terra ab vno oppido in aliud per plures annos transeunt; non enim vagi sunt, sed alienigenæ. Vnde Congregatio Cardinaliũ apud Farinatium sess. 24. de matrimonio cap. 7. num. 1. inquit. *Non dicitur vagans illa mulier, quæ per octo annos in vna eademque terra habitauit.*

3 Secundo obserua prædictum decretum extensione quadam & identitate rationis extendendum non solùm ad eos, qui verè vagantur, & nullibi certas sedes habent, sed etiam ad alienigenas, qui alibi habent domicilium, breui tamen aliquo loco commorantur, & ignoti sunt. Tunc enim ex ea conditione videntur inter vagos computandi, aut saltem hoc decreto comprehendi, quia possunt in istorum matrimonijs eædem fraudes euenire, quibus occurrere vult Concilium Tridentinum. Olim enim sine literis testimonialibus, qui aliò commigrarent, contrahere non poterant, vt citatis alijs docet Thomas Sãchez lib. 3. disput. 25. numero 8. Atque id quidem manifestè colligi videtur ex secunda declaratione Cardinalium, quam retuli supra cap. vbi cum de alienigenis matrimonio iungendis sermo esset, additur: *Qui tamen sint cogniti, & non sint comprehensi inter vagabundos.*

4 Tertiò obserua eandem sufficientem diligentiam adhibendam esse, etiamsi vnus tantum ex contrahentibus sit vagus. Potest enim idem inconueniens sequi, cui vult occurrere Tridentinum, vt docet Thomas Sanchez cum Veracruz disput. 25. cit. numero 9.

5 Quartò obserua proprium istorum parochũ esse quemcũque parochum illius oppidi, quemuis enim possunt eligere, vt docet communis sententia, quam Thomas Sanchez ibidem numero 11. probat ex eo, quia idem est eorum parochus ad confessiones & matrimonia. Sed hæc ratio non est efficax, neque constans, cum non liceat argumentum sumere ab vno sacramento ad aliud, vt dixi cap. præcedenti. Quare eã conclusionẽ sumo ex declarationibus Cardinalium supra positis. Cum enim illi in duabus posterioribus plane docuerint proprium parochum alienigenarum, qui non reputantur inter vagabundos, esse eum in cuius parochia etiam â modico tempore habitant, pro comperto relinquunt, si vagi sint, nullum habere certum parochum, sed quemuis eius oppidi assistere posse.

6 Ex his colligo primò idem dicendum esse cum Thoma Sanchez ibidem, num. 11. etiamsi in fraudem parochi proprij vagari voluerint, vtuntur enim iure suo iuxta dicta supra.

7 Secundo collio gnon rectè Sanctium ibidem, num. 12. asseruisse, si quis in aliquo loco vagorum confessor deputatus sit ab Episcopo, ita vt nulli alteri audire eorum confessiones liceat; eum etiam, esse qui eos coniungere matrimonio debet. Non enim valet ab vno sacramento ad aliud, & ita restricta licentia ad confessionis sacramentum non videtur restricta ad matrimonium iuxta dicta supra. Adde etiam Episcopum non posse auferre à parocho, qui secũdùm iuris dispositionem parochus est, potestatem assistendi, ita vt si assistat non valeat, vt constabit ex his quæ infra dicemus. Quare, cum secundum noui iuris dispositionem à Cardinalibus explicatam proprius vagorum parochus sit cuiuis parochus eius Diœcesis, prohibitio Episcopi obstare non potest, quominus validè eos coniungere matrimonio possit.

8 Vltimò obserua parochum, qui sine Ordinarij licentia, & diligenti inquisitione vagos coniungeret, peccare grauiter, violat enim legẽ & in materia graui. Quare peccatum mortale esse iudico, vt docet Petrus Ledesma de matrimonio, quæst. 45. folio 193. Henriquez lib. 11. de matrimonio cap. 3. numero 2. Thomas Sanchez disput. cit. numero 16. Quod idem dicendum de eo, qui de licentia parochi coniungeret, si tamen ipse sciret neque adhibitam sufficientem diligentiam, neque licentiam petitam ab Ordinario. Quod si & Inquisitionem omittat, & licentiam non petat, sed sine ea interfit matrimonio, valet quidem, tum quia tantum requiritur præsentia parochi proprij, & testium ad valorem matrimonij: tum etiam, quia sola prohibitio sine decreto irritanti in hac materia non efficit inualidum matrimonium. Henriquez loco citato & Thomas Sãchez disput. cit. numero 17. dicunt sic declaratum esse à Cardinalibus, quorum tamen ego declarationem non legi inter eas, quæ excusæ circunferuntur: extat tamen apud me inter quasdam manu scriptas, quas accepi ab Illustrissimo Domino Domino Petro Portocarrero Calagurritano primùm, deinde Corduben si, denique Conchensi Episcopo, Supremæ Inquisitionis Senatus Supremo Iudici, viro, cuius integritatem nulla vnquam delebit

bit obliuio. Inter illas ergo sic habetur: *Vt matrimonium contractum seruatis solemnitatibus traditis à Concilio cum sponso vagabundo, qui resilire, & recedere contendit prætextu, quod matrimonium fuerit celebratum, nulla facta sui status inquisitione per parochum, neque parochum habuisse licentiam ab Ordinario suo iuxta dispositionem Concilij Session. 24. cap. 7. validum sit, & non videri nullum.* Hæc ibi. Vide Zenedum de materia huius cap. quæst. 30. à num. 66.

Quinam alij parochorum nomine censeantur.

CAPVT XV.

SVMMARIVM.

Duo agenda. num. 1.
Idem de religiosis, atque de alijs parochis apud Indos dicendum, inter quos parochi munus exercent. num. 2.
Ad coniungendos vagos debent religiosi parochi petere licentiam ab ordinario. n. 3.
Obijcitur, & diluitur. num. 4.
Quæ requirantur, vt religiosi possint apud Indos esse parochi. num. 5.
Posse coniungere matrimonio cum transeunt per locum, in quo non est parochus. n. 6.
Rectores, & Coadiutores gaudere parochorum nomine. num. 7.

1 DE duobus tãtum dubium esse potest. Primò de religiosis in nouo orbe. Secundò de eo, qui ad nutum Episcopi constitutus est in aliqua parochia, vt Rector illius, vel de Vicario ipsius parochi ab eo constituto.

2 Quod ad primum attinet, certum est in locis Indiarum, vbi religiosi parochorum munus exercent, ex concessione Pij Quinti, quam refert Vera-Cruz in Appendice ad speculum idẽ de illis atque de alijs parochis dicendum esse, cum revera parochi sint. An autem illi concessioni Pij V. derogatum fuerit per Gregorium XIII. in ea Bulla, qua reuocauit omnes proprios Motus Pij Quinti, qui derogant Concilio Tridentino, examinat Zenedo dict. quæst. 30. num. 48. & 49. & sentit reuocatam esse. Ego tamen existimo Bullam illam Gregorij, neque quoad hunc articulum, neque quoad alios plures esse receptam. Igitur quod ad Sacramentorum omnium administrationem attinet seruanda ea, quæ de alijs parochis dicuntur sine exceptione vlla.

3 Ex quibus fit posse vagos coniungere matrimonio, & peregrinos, & alienigenas iuxta regulas superius positas, neque in eo est vlla specialis difficultas. Ad coniungendos autem matrimonio vagos, debent licentiam petere ab ordinario. Quia nullum habent priuilegium, quo derogetur dispositioni Tridentini, vt magis constabit ex dicendis. Concilio autem generali derogari non solet per clausulas generales, nisi etiam fiat eius expressa mentio, vt colligitur ex *cap. ex parte, & cap. vltimo de capellis Monachorum, & cap. eam de ætate, & qual. & c. nonnulli de rescriptis*; & est communis Doctorum sententia, quos refert & sequitur Thomas Sanchez lib. 3. disput. 26. numero final. Id quod maximo iure statutum est. Cum enim decreta Concilij tam mature condita sint, non videtur rationabile illis derogari, sine eorum expressa metione. Adde etiam, vt merito docet idem Thomas Sanchez, quando Concilium generale recens est, veluti Tridentinum, non sufficere generalem clausulam derogatoriam Concilij generalis, nisi Tridentini fiat expressa mentio.

4 Contra doctrinam hanc sensit Vera-Cruz in Appendice ad speculum, qui docet religiosos in partibus Indiarum non indigere licentia ordinarij ad coniungendos matrimonio vagos. Idque probat, quia Pij Quinti priuilegio conceditur, vt possint matrimonio iungere, sicut antea consueuerant, poterant autem ante Concilium Tridentinum sine ordinarij licentia ex priuilegio Leonis Decimi, & Adriani Sexti, & in eodem etiam Pij Quinti priuilegio dicitur ordinariorum locorum, & aliorum quorumcunque licentia minimè requisita. Cumque priuilegij verba aliquem effectum habere debeant, *cap. Abbate de V. S.* ibi, *cum priuilegium sit lex priuata*, imò & syllabæ priuilegij effectu carere non debeant, vt Glossa in cap. *solitæ, de maiorit. & obedientia*, efficitur non esse necessariam licentiam, alias si necessaria esset, nihil nouum concederetur. Respondetur tamen eo priuilegio minimè derogari Tridentino, cum illius mentionem specialem non faciat: meminisse autem eius deberet, vt illi derogatum esset iuxta dicta. Idque magis constat ex clausula derogatoria,

ria, posita in eo priuilegio, in qua solum fit mentio Synodalis, aut Prouincialis Constitutionis. Deinde addendum est, cum & iure communi antiquo, & Tridentini prohibitum sit religiosos interesse matrimonio, id statuit Pontifex, vt sicut antea consueuerant, ex aliorum Pontificum priuilegijs assistere sine ordinarij licentia, id possint, modo sola licentia sui Prælati, qua parochi destinantur. Itaque ad hoc decernit Pontifex non requiri ordinarij licentiam, non verò concedit, vt ad casum specialissimum contentum in sessione 24. d.c. 7. non requiratur licentia ordinarij. Quare illam petendi obligatio est.

5 Solum aduertenda sunt duo. Primum est, religiosos non posse eam parochorum curam exercere apud Indos, nisi seruetur in primis quod Episcopus, vel Prorex, vel gubernator oppida illa committat religiosis. Deinde, quod capitulum Prouinciale concedat eam licentiam in illis oppidis munus parochorum exercendi. Dixi autem nominatim Capitulum, quia ad illud pertinet eam licentiam, & facultatem cõcedere, adeò vt vbi non est capitulum, non possint fratres eam curam suscipere, nec iniunctam à Capitulo Prouinciali alterius Prouinciæ. Nec vero necessarium est fratres personaliter præsentari, aut nominatim designari à capitulo, sed satis est si Capitulum Prouinciale illis facultatem in genere concedat, quos designauerit Prouincialis. Hæc sunt conformia priuilegio Pij Quinti: de quibus latè Emanuel Rodriguez tomo 1. quæstion. Regular. quæst. 35. art. 1. 3. 4, & art. 6. docet circa fratres sic designatos à capitulis non posse Episcopos aliquid innouare, neque in assignatis auferendo ab eis iurisdictionem, datur enim à Pontifice.

6 Secundum est, in his locis posse religiosos transeuntes per oppida, in quibus fideles habitant, sine parocho tamen, posse inquam matrimonio iungere. Nam cum ex ampliss ima concessione Leonis X. & Adriani VI. possent religiosi in nouo orbe ministrare sacramenta omnia, Pius Quintus illis concessit, vt possent matrimonio assistere sicut antea consueuerant, cumque circa hoc nihil immutatum sit, nec designatum à Concilio, planè poterunt eos matrimonio iungere.

7 Quod ad secundum attinet, certum est parochorum nomine gaudere etiam eos proprietarij non sunt, ex eo quod Episcopus est immediatus parochus, vt in Regno Granatẽsi, Cordubensi, & Hispalẽsi, vbi Rectores tãtum ad nuntum Episcopi amouibiles cõstituuntur. Similiter etiam ille, quem aliquis parochus asciuit coadiutorẽ locantem operas, assistere quidẽ matrimonio poterit, an verò licentiam alijs assistendi dare possit, dicam postea. Atque his fauet declaratio Cardinalium apud Farinacium, pag. 268. cum inquit: *Matrimonium coram coadiutore in administrandis Sacramentis parochi, vel Vicarij perpetui in illa parochia valet.*

Quis contrahentium parrochus adesse debeat, & in qua parochia?

CAPVT XVI.

SVMMARIVM.

Proprius parochus adesse debet. num. 1.
Non est necessarium vt vterque parochus adsit. num. 2.
Quis eorum adesse debeat, prima sententia. numero 3.
Illum adesse debere in cuius parochia contrahitur, & non alium. num. 4.
Quorundam solutio reijcitur. num. 5.
Non obstare declarationem aliquam. n. 6.
Ratio declarationum adducitur. n. 7.
Afferuntur aliorum fundamenta, & diluuntur. num. 8. 9. & 10.
Parochum in aliena parochia coniungentem etiam suum parochum, peccare, & nihil efficere. num. 11.
Neque posse de licentia parochi, aut ordinarij, num. 12.
Obijcitur, & diluitur. num. 13.
Si vnus ex contrahentibus sit vagus quinis parochus potest. num. 14.
Si in vnius parochia non est promulgatum Tridentinum, potest sine ea forma contrahi coniugium. num. 15.

1 HACTENVS explicatũ est, qui ordinarij, & parochi nomine gaudeant, vt inde colligeremus qui assistere matrimonio possint, & quidẽ cũ iam constet, qui ordinarij, & parochi nomine censeantur facile cõstat illos assistere ma-

matrimonio posse, & necessariũ esse, vt aliquis eorum assistat, vel proprius parochus. Nan Concilium non loqui de parocho indefinite, sed de proprio manifestè constat ex c. 1. eiusdẽ Sessionis multis in locis, & cum de denũciationibus agit ibi: *à proprio contrahentium parocho denuntietur*, & cum de licentia agit, vt alius assistere matrimonio possit quam solus proprius potest concedere, & in eiusdem capitis fine, vbi coniungens matrimonio absque licentia proprij suspenditur.

2 Deinde certũ est non esse necessariũ, vt si contrahentes sint ex diuersis parochijs interſint vterq; parochus, sed satis esse vnum ex illis. Quia cũ matrimoniũ sit inter duos, aut vtrumq; cõiungere posset, aut neutrum. Ratione itaq; connexionis fit, vt vterq; fiat subditus illius parochi, & cũ matrimonio iungere illi cõcedatur, cum eo qui subditus est, potest & non subditum, argumẽto text. in *l. si cõmunem, D. quemadmodũ seruitus amittatur* ibi: *Si cõmunem fundum, ego & pupillus haberemus, licet vterque non vtercetur, tamẽ propter pupillum, & ego viam retineo.* Est enim res indiuidua, vt ibi inquit Glossa, de quo etiam vide Zenedo q. 30. n. 47. Adde etiam (quæ potissima ratio est) cum ius illud iure nouo Concilij Tridentini inductum sit, & Concilium vnum tantum parochũ exigat, satis erit alterum ex duobus contrahentium parochis interesse. Solum ergo difficultas est, quis contrahentium parochus debeat assistere matrimonio.

3 Et quidem, dum librum de impedimẽtis primò in lucem emisi, mihi persuasi sufficere quemvis parochum ex duobus cõtrahentium, & ita parochum viri in parochia fœminæ, & è contra posse illos iungere matrimonio. In eam sententiam inductus fui, quia existimaui de eo extare declarationem Cardinalium, prout nonnulli afferunt, qui tamen eius verba non referunt, sic etiã sensit Thom. Sanch. lib. 3. disp. 19. num. 11. cum alijs, qui & docet esse declarationem Cardinalium, & idem citatis alijs docuit Zenedo disp. 30. citata num. 56.

4 At re maturius cõsiderata lõge verius videtur propriũ parochũ, qui assistere matrimonio debet, esse eũ, qui parochus proprius est alterius ex cõtrahentibus, in ea parochia vbi cõtrahitur. Itaq; in parochia viri erit parochus viri, in parochia fœminæ parochus fœminæ. Sic Nauar. in sum. c. 25. n. 144. Zeual. q. 604. n. 60. Ludou. Lop. 1. p. instructo. cap. 86. §. *Præterea*, & 2. p. de matrimonio, c. 39. Salzed. in praxi cap. 73. verf. 14. in noua editione, Eman. Rodrig. 1. p. sum. cap. 218. n. 5. Henriq. li. 11. de matri, c. 3. n. 2. & alij. Extãt apud me pro hac sentẽtia tres Cardinaliũ declarationes. Prima Brugnatẽsi Episcopo: *Vt si quando vir ad domũ vxoris accedit pro cõtrahẽdo, & cõsummãdo matrimonio, is proprius parochus sit, qui vxoris est, & illis benedictionẽ sacerdotalem dare poterit de iure, habetur li. 1. declarat. fol. 128.* Secũda Episcopo Leoniẽsi: *Vt proprius parochus sit, qui vxoris parochus est, si in domo vxoris cõtrahitur, vel eius parochia, vt supra in vna Brugnatensi benedicere spõsos debeat, nõ obstãte quacunq; cõsuetudine cõtraria, etiã immemoriali.* Tertia. *Vt in hoc casu, quãdo scilicet cõtrahẽtes sunt diuersarũ parochiarũ, sufficiat proprius parochus mulieris, quæ interfit matrimonio, ibid. fol. 167. Idem supra in vna Brugnatensi.* Quibus consonat etiam Cõcilium Colonieñse sub Paulo III. cap. 32. quod idem sentire videtur.

5 Et quãvis aliquãdo existimauerim ad has declarationes posse respõderi, in illis tantũ dici sufficere parochũ vxoris, quando contrahitur in parochia vxoris, & nõ addi illũ præcise requiri, quasi eo ipso dicãt vnũ sufficere, nõ vero negari, quin alter possit esse præsens: hoc tamẽ respõsum mihi videtur refelli ex earũ declarationũ verbis rectè cõsideratis. Nam quæstioni propositæ, quis cẽsendus esset in parochia fœminæ, v. g. proprius parochus, respõdẽt Brugnatẽsi propriũ parochũ esse vxoris, quãdo in parochia vxoris. Cumq; conciliũ dicat cõtrahẽdũ coram proprio parocho, & cõgregatio declaret illum esse propriũ parochũ, manifestè sequitur, corã alio non posse contrahi matrimonium. Expẽdo etiã in secũda declaratione dictũ esse parochũ vxoris esse, qui in eius parochia benedicere spõsos debet. Nota verbum *debet*. Nõ ergò alius potest, nec parochus viri in parochia fœminæ aliàs nõ vterẽtur Cardinales verbo *debet*, sed *potest benedicere*, si quidẽ & alius etiã potest. Expẽdo etiã in eadem secũda declaratione propriũ parochũ, qui interesse, & benedicere debebat, vnum & eundem esse. At solus benedicit proprius eius parochus, id quod etiã fatetur idẽ Tho. Sanc. dis. cit. n. 19. Cuius cõmoda discriminis ratio assignari nõ potest, cum parochus sit de solemnitate matrimonij, benedictiones vero nequaquam.

6 Nec vero his obstat declaratio aliqua, non enim video eius verba ab Auctoribus referri, & Thom. Sanchez illam referri scribit à Nauarro. At Nauarrus consilio citato,

illam non refert, sed tantum dicit se audire aliquos ita dicentes, quo adhuc rumore nō obstante ille in oppositā sententiā inclinat.

7 Et quidem iure optimo id ita declaratū est à Cardinalibus. Tum quia vt Nauar. inquit in eo consil. 4. *de clandestina desponsatione*, sequeretur dari auctoritatē parocho in aliena parochia. Quod tamē in his quæ pertinēt ad forum exterius ægre admittēdū est, maximē cum prēiudicio tertij, nisi expresso iure concedatur. c. *Lugdunensi* 7. q. 2. & *clem.* 1. *de priuileg.* Cumq; Concil. Trident. id expresse non cōcedat parochis in aliena parochia, tantum credendū est id fuisse concessum, quod in iure sine præiudicio tertij cōcedi potest. Tum etiam nō opus esse alia declaratione ostendo prædicta cōsideratione. Quia si vir est in parochia fœminæ, cum sit proprius parochus fœminæ, & existēs in sua parochia, satis consultū matrimonio est, cū ratione cōnexionis, vt dicebā supra isto ca. possit vtrumq; coniungere. Si verò vterq; extra suam parochiā velit contrahere, si peregrinantur habent parochum illum, in cuius parochia cōmorantur, vt iam supra à nobis demonstratum est. Non ergo est vlla ratio, quæ cogat asserere parochum in aliena parochia posse coniungere matrimonio.

8 Denique in hanc sententiā inclino, quia fundamenta, quibus oppositā nititur imbecilla sunt. Primo probat Thom. Sanch. quia Concil. Trident. solum petit proprij parochi presentiā. At parochus nō amittit iurisdictionē voluntariā, qualis hæc est, dū egreditur propriæ parochiæ limittes. Sed infirma hæc ratio est. Tum quia Cōciliū expresse petit proprij parochi præsentiā, & vt in aliena parochia alius esset proprius parochus, quam is, in cuius parochia versantur cum præiudicio tertij, ex primi à Concilio deberet: hic autē versatur tertij præiudiciū vt constat. Adde etiam, id quod optimē Nauar. docuit eo loco, frustra desumi argumētum ab actu vel exercitio iurisdictionis volūtariæ ad institutum nostrū. Nec enim hic interuenit iurisdictio vlla voluntaria, sed nuda præsentia, neque assistentia illa est actus volūtariæ iurisdictionis. Tum etiā quia ea doctrina de exercitio iurisdictionis volūtariæ extra proprium territorium eatenus locum habet, quatenus iustè alius diuersi territorij conqueri non potest: at hic iusta proprij parochi querela esse potest, & sequitur illi præiudicium. Nō ergo est eadem ratio de iurisdictione voluntaria, & de assistentia parochi.

9 Secundo opponit, quia is est legitimus parochus, vt assistat matrimonio, qui est legitimus ad audiendas cōfessiones. Sed iuxta omnes parochus extra suā parochiā legitimus parochus est ad audiēdas confessiones sui parochiani. Ergo etiam in isto casu. Sed respōdetur in primis, vt supra dictū est, non sumi idoneū argumentū ab vno sacramēto ad aliud, sed in vno quoq; sacramento spectandū esse, quid decretum sit, maximē cum hæc præsentia parochi in matrimonio iure nouo Concilij Tridentini, vel inducta, vel renouata fuerit.

10 Tertiò opponit, quia assistere matrimonio reducitur ad iurisdictionē voluntariam cum non exigat causæ cognitionem. Ergo potest extra parochiam exerceri valide. Sed hoc argumentum iam in primo solutū est, non enim est hic actus iurisdictionis voluntariæ, imò cum versetur præiudiciū tertij, potius pertinere deberet ad contentiosam, sicut Panormitan. docuit de legitimatione, quoties est in præiudicium tertij, esse contentiosam.

11 Ex tradita doctrina nōnulla licet inferre maioris claritatis gratia. Primò colligitur parochū in aliena parochia cōiungentē suū parochianū peccare grauiter, & puniendū esse, vt docent Henriq. Salzedo, & Emanuel Rodrig. Ratio est, quia peruertit ordinē Ecclesiasticū in diœcesibus, & parochijs constitutum. Deinde nullū omninò redditur matrimoniū, quia perinde est, ac si alienus omninò parochus assisteret. Quare etiā cessāte scandalo graue peccatū est, & non tantum ratione scandali, vt non rectè docuit Thomas Sanch. disp. 19. cit. n. 18.

12 Secundo colligitur neq; etiā de licentia parochi, aut ordinarij posse aliū cōiungere in aliena parochia. Quāvis enim ea licentia cōcedi possit extra territoriū, cum ea cōcessio sit actus iurisdictionis volūtariæ: At vero nō potest dari, vt assistat quis extra propriā parochiā cōtrahentiū, cū ipse parochus vel ordinarius assistere nō possit vt dicebamus.

13 Sed cōtra illationē hanc sentit Paulus Comitol. lib. 1. responsorum moralium, & Tho. Sanch. loc. cit. qui sibi persuadent posse dare licētiā alteri vt cōiungat eos in aliena parochia, aut territorio. Inducuntur primo, quia etiā ipse parochus posset eos in aliena parochia coniūgere. Sed hoc iam reiectū est, & ostēsum nequaquā posse. Inducūtur secūdò, quia Episcopus suis parochianis peregrinātibus cōcedere solet, & potest facultatē, vt in alijs locis accipiant sacramēta

pœni-

pœnitentiæ, & confessionis. Ergo etiam dare potest licentiam, vt assistat alius in aliena parochia. Respondetur tamen valde diuersam esse rationem: tum quia vt dixi in materia de Pœnitentia, ea licentia necessaria non est ad huiusmodi sacramenta. Tum etiam, quia ea licētia supponit extrema habilia, neq; enim concedere potest, vt qui in aliena parochia administrare non potest sacramenta, administret suis, sed ex approbatis in alia. At in matrimonio nullus est idoneus, nisi proprius parochus, proprius vero non potest, nisi in propria parochia. Adde etiā non esse necessariā eam licentiā ad sacramentū matrimonij, cum ad illud recipiē dum sufficiat quæuis habitatio extra diœcesim, vt cēseatur proprius parochus ad assistendum, ille in cuius parochia habitāt. Inducuntur tertiò, quia iudex, qui extra suæ iurisdictionis locū iudex non est, potest licentiā concedere minori, vt cōtrahat extra suū territoriū. Ergo idem dicendū est in matrimonij contractu. Respondetur tamen minorem eatenus esse inhabilē, quatenus sine licētia contrahit, semel autem concessa licentia iam esse habilem ad vbiq; contrahendum. Secus autem contingit in nostro casu, neq; enim est quicunque vbicunq; habilis ex licentia concessa ad assistendum, sed intra suę parochiæ limites.

14 Tertiò colligitur, si alter ex contrahentibus sit vagus, proprium parochū, qui assistere debet matrimonio, posse esse quemcūque, quia quicunq; est vagorū parochus iuxta dicta, vt docet etiam Thom. Sanch. disp. 25. nu. 14. & 15. atque hunc posse licentiam dare alijs, vt illos coniungant, dummodo coniungant in propria parochia, nā in aliena non possunt.

15 Vltimò colligitur, si vnus ex contrahētibus sit ex ea parochia, in qua nō dum promulgatū est decretum Trident. aut non sunt elapsi triginta dies â publicatione, alter vero sit ex parochia, in qua iam publicatū est, atq; receptū, si contrahant in priori parochia, non esse necessariā assistentiā parochi alicuius. Sic video respondisse Cardinales apud Farin. pag. 277. circa illa verba, *Irritos facit, & annullat*, vbi hæc habet. *Quæsitum est quid faciendū, cū duo clandestine contrahunt, aut contraxerunt, & in vnius parochia publicatum fuit decretū, in alia non item, in qua contrahunt simul, responsum est non obligare decretū nō dum in ea parochia vbi contrahitur, publicatum.* Ex quo potest etiam amplius confirmari, quod supra dicebamus eum solum esse parochū, qui assistere debeat, qui est eius parochiæ, in qua contrahitur.

Quæ qualitates requirantur in parocho, qui assistere matrimonio debet?

CAPVT XVII.

SVMMARIVM.

Non requiritur qualitas sacerdotij in parocho, vt adsit matrimonio. num. 1.

Quorundam obiectiones diluuntur. n. 2. & 3.

Parochus non sacerdos assistens matrimonio non peccat, potest etiam licentiam concedere, licet non sit sacerdos. num. 4.

1 IN hoc cap. expedienda nōnulla sunt, de quibus dubitari solet, cum tamen parū difficultatis habeāt. Primò ergo quod attinet ad qualitatem sacerdotij, non requiritur ea qualitas in parocho, vel ordinario, vt assistere matrimonio possit, quare corā parocho vel ordinario nō sacerdote cō tractū matrimoniū valet. Hanc sententiam tenet Eman. Sà verbo *matrimon.* n. 1. Suar. de excommunicat. disp. 11. sect. 2. n. 18. Thom. Sanch. cum alijs lib. 3. disp. 20. n. 3. Henriq. lib. 11. de matrimon. cap. 3. n. 5. Alijq; non pauci, licet valde dubitent. Attamen extra dubium ea opinio est, sic enim declararunt illustrissimi Cardinales. Nam inter nouissimas Rotæ decisiones, quas cum declarationibus Concilij excusit Farina. decis. 70. sic habetur. *Abulensis cadē scilicet prima Decembris 1593. congregatio Concilij censuit, matrimonium contractū coram parocho non sacerdote valere.* Quare de eo amplius dubitare nō licet. His accedit iure optimo ita declarasse Cardinales, quia cum hæc forma solēnitatis matrimonij Conc. Trid, decreto inducta sit, mirum est, nunquā Concilium qualitatem hanc expressisse in parocho, vbi de eius valore agebatur. Adde etiā, cum in hoc sacramēto parochus nō sit minister, sed testis, neq; iurisdictionem vllam exerceat, & ex alia parte, quāvis sacerdos non sit, parochi munus, & nomē, & auctoritatē verē retineat, & proprie, solumq; exigat Concilium præsentiam proprij parochi, absq; dubio dicendū est in eo, qualitatē sacerdotij non requiri. Deniq; his accedit nullum esse caput, ex quo possimus deducere hanc necessitatem sacerdotij. Non enim colligitur ex verbis, quæ prolaturus est, cum illa non sint de substantia matrimonij, neque etiam ex iurisdictione, nullam enim isto loco exercet.

2 Sed contra sententiã istam sentiunt alij non pauci, quos refert Thom. Sanch. disp. cit. n. 1. & Zenedo disp. 30. n. 54. & 55. Quã etiam ipse probabiliorẽ putauit, donec vidit decisionem Rotæ quam citauimus. Mouentur primo, quia Zeuallos disp. 604. n. 89. asserit illustrissimos Cardinales declarasse Vicarium generalem Episcopi sacerdotem esse debere de necessitate, vt matrimonium solemnizare possit. Qua etiam ratione cõmotus idem asseruit Zerola in praxi 2. p. §. parochus vers. 3. Cæterum ego Cardinaliũ declarationes solum ex aliorũ fide non prolatis verbis ægrè extare credo, aut illis certè non commoueor. Maximè cum videam in nouissimis literis Põtificijs Clemẽtis VIII. aut Pauli V. quæ circa qualitatẽ Vicarij Episcopalis emanarunt sacrum ordinẽ in illo requiri, sacerdotij veroqualitatẽ non item.

3 Secundo mouentur. Quia Conciliũ inquit: *Qui aliter, quam præsente parocho, vel alio Sacerdote de licentia parochi.* Ergo indicare videtur parochũ etiam sacerdotẽ esse debere, quia particula *alius* est repetitiua similium, probat text. in *l. si fugitiui, C. de seruis fugit.* verbo, *alia pœna, l. quidam relegatus,* & ibi Bartol. & Socin. *de reb. dub.* & melior tex. *in authentico ea testamenta, C. de collationib.* ibi, *Aliorum datorum,* vbi idem omnes sine scrupulo docent, quod idem varijs doctrinis, & citatis Auctoribus probat Thom. Sanch. disp. 20. n. 2. Sed respondetur facile eam particulam *alius,* esse repetitiuam similium, non tamen semper, scilicet cum adsunt plures cõiecturæ, quibus oppositum dicendum esse conuincatur. Et quidem particulã hanc non semper esse similitudinis notam cõstat primum ex Euangelio Matth. 28. & Marci 15. *Crucifixi sunt cum eo,* scilicet Christo *alij duo Latrones.* Deinde ex iure cap. *Nouatianus* 7. q. 1. ibi: *alios pseudo Episcopos,* cum de ipsis catholicis Episcopis fide integra in pressura probatis, & in persecutione proscriptis sermo esset, & cap. *Apostolica* 54. dist. & est tex. in *l. 1. de constit. pecun. §. debitum,* ibi: *Ex quocunque alio contractu, & authentica qui semel,* verbo *aliud, C. quomodo, & quando,* glos. in cap. *sedes,* verbo *maiore de rescriptis,* & ibi Felinus, & Immola. In quam rem plura adducit Felinus ibi. n. 6. & eius Additionator ibidem verbo *alius,* litera C. Quæ etiam doctrina exornari potest ex his, quæ habet Donel. lib. 17. comment. cap. 10. Alia leuioris momenti adducunt, quæ rectè dissoluit Thomas Sanchez disp. cit. num. 5.

4 Ex his colligitur primò: parochum nõ sacerdotem assistentẽ matrimonio non peccare, licet enim illi assistere secundum ius Tridentini, vt dictum est. Secundò colligo, posse etiam validè licentiam concedere alijs, vt assistant, etiamsi ipse parochus sacerdos non sit, nihil enim obstat. Id quod procedit non solum retẽta nostra opinione, sed etiamsi dicamus illum per se non posse assistere: & explicatur exemplo sacramenti pœnitentiæ, potest enim licentiam dare alijs, vt suorum parochianorum confessiones audiant, cum tamen ipse audire non possit. Atque hæc de qualitate sacerdotij.

An possit assistere excõmunicatus, vel irregularis?

§. VNICVS.

SVMMARIVM.

Regula generalis statuitur. num. 5.
Excommunicatum etiam denuntiatum suspẽsum irregularem parochum posse assistere matrimonio. num. 6.
Suadetur ex declaratione Cardinalium. n. 7.
Obiectiones proponuntur. num. 8.
Diluuntur. num. 9.
Parochum excommunicatum assistentẽ matrimonio non effici irregularem. num. 10.
Peccare tamen, & grauiter. num. 11.
Limitatur in casu necessitatis. num. 12.
Valet matrimonium, cui assistit parochus prohibitus assistere. num. 13.
Posse licentiam dare alijs vt assistant parocho excommunicatum. n. 14.
Obiectiones proponuntur. num. 15.
Diluuntur. num. 16.

5 IN hac difficultate hæc statuatur regula generalis. Si cẽsura vel pœna lata in iure non priuat officio clericũ, vel suspendit, assistere matrimonio potest. Huius hæc ratio est, quia cum Conciliũ tantum exigat præsentiã parochi, quandiu ille quauis cẽsura irretitus parochus est, & eius officium retinet, assistere potest.

6 Hinc colliges parochum excõmunicatum validè assistere matrimonio posse, itẽ suspensum, & irregularem, etiãsi sit excommunicatus non toleratus, & nominatim denuntiatus iuxta Extrauag. *ad euitanda scandala.* Sic docet Thom. Sanch. lib. 3. disp. 21. n. 4. Emanuel Sa verbo *matrimonium,* n. 1. in fine, idem videtur supponere Suar. de excommunicatione disp. 11. sect. 2. n. 2. in fin. & n. 17. & 18. & Gabriel Vazquez de excommunica-

nicatio, dub. 4. nouissime Riccius in praxi decis. 243. n. 1. Huius autem ea mihi videtur esse ratio, quia licet dictum sit à Concilio Trident. matrimonium sine testibus, & parocho contractum esse nullum ipso iure, nõ tamen inuenitur decretum in aliquo iure, quod si sacerdos copulans aliquos matrimonio sit excõmunicatus, inualidum sit. Nam licet iure communi abstrahantur excommunicati ab administratione sacramentorum, tamen vniuersaliter intelligitur carere esse ctu, quando minister est de essentia sacramẽti distinctus à suscipiẽte. In matrimonio autem parochus aliquos coniungens nõ est de essentia sacramenti, neq; vt minister, neque vt suscipiens, quam vis post Trident. sine illo contractum sit nullum. Idq; magis explicatur, & confirmatur, quia matrimoniũ contractum ab ipsis excõmunicatis valet, licet Ecclesia potuerit cõstituere, vt illud esset nullum, scilicet si cõstitueret excommunicationem esse inhabilitatem ad contrahendum, sicut statuit consanguinitatẽ, aut alia impedimenta inhabiles reddere. Atq; hæc est potissima ratio huius nostræ sententiæ. Nam cum iure nouo Trident. ea præsentia parochi inducta sit, standũ est tantũ his, quę Concilium disponit, & non alijs, quæ iure antiquo dispositi erant, neque enim sub antiquis excommunicationis effectibus, hic qui nondum erat, cõprehendi potuit. Habemus exẽplum in iure ciuili. Pater enim, qui tutorem filijs testamento reliquit, omnibus filijs reliquisse censetur, nisi voluntas refragetur. Quod tũc fit, cum testator de quibusdam non sensit, qui verbo appellatorũ non cõtinebantur. Vlpian. *l. si quis ita §. 1. de testa.* tut. hoc exemplo vtitur. Finge patrem, cum ignoraret se filium Titium habere, tutores testamento dedisse filijs, magis esse ait, vt huic tutores dedisse non videatur, quippe de eo non potuit cogitare, quem ignorauit, multoq; minus de eo sentire *l. qui cum tutoribus, §. penult. & vltim. D. de transact.* voluntas autem in testamentis totum facit, *l. ex facto, §. rerum, D. de hæredib. instit. l. si mihi in fine. D. de leg. 1.* Alijs etiam rationibus probat Thom. Sanch. quæ desumuntur ex eo, quia assistere matrimonio non est actus iurisdictionis solumq; illi assistit, velut testis omni exceptione maior, auctoritatem præbens matrimonio. Sed cum videamus etiam testes excommunicatos repelli à testimonio, & non in matrimonij cõtractu, legitima huius ratio ea censenda est, quam adduximus.

7 Induci etiam pro hac sententia potest quædam Cardinalium declaratio, quæ sic habet apud Farinac. *Matrimonium contractũ coram notorio fornicatore valet, nisi per sententiam condemnato, & confesso.* Id enim non alia ratione statuitur, nisi quia propter notoriũ concubinatum non suspenditur ipso iure, sed suspendendus est, & puniendus. At qui cum per sententiã, & iudicialem confessionem fit ipso iure suspensus ab officio, fit vt assistere matrimonio non possit. Simili ergo ratione cum per excommunicationem maiorem, etiamsi sit denuntiatus, nõ sit priuatus officio parochi, sed adhuc verè parochus sit, assistere quidem poterit matrimonio. Vnde Emanuel Sà loco citat. merito dixit, *modo non sit per sententiam priuatus officio.*

8 Verum contra doctrinam huius illationis sentit Auila de censuris p. 2. cap. 6. disp. 3. dub. 1. concl. 5. & videtur inclinare Emanuel Sa verbo, *matrimonium*, num. 1. in fine dum expresse inquit, *sufficit & parochus toleratus*. Probat Auila 1. quia actus, quos excommunicatus non toleratus exercet, ratione publici officij sunt nulli, vt tradit Syluester verbo, *excommunicatio*, 2. n. 2. & 3. Nauarrus in Manuali ca. 27. n. 36. Sed in matrimonio assistit parochus ratione publici officij & publicæ potestatis: assistit enim quatenus parochus est, cuius signum est, quia si adhibeantur mille testes nullius sunt momenti. Secundo probat, quia contractus, in quibus secundum ius requiritur de substantia præsentia tabellionis, sunt inualidi, & nulli, si tabellio sit excommunicatus, nõ toleratus. Sed de substantia matrimonij est præsentia parochi. Ergo non valet coram non tolerato. Major habetur ex Glossa in c. *decernimus, de sententia excommunication. in 6.* Quam sequitur Geminianus ibi. n. 6. Franc. num. 7. Ancarranus colum. antepenul. Syluester *excommunicatio*, 3. num. 2. & communiter Canonistæ. Secus dicendum est de testibus, quia non assistunt ratione publici officij, nec potestatis.

9 Sed hæc nõ obstant. Nam ad primum respondetur ex doctrina tradita hunc actũ non comprehensum antiquo iure, sed de eo standum dispositioni Concilij, nullum autem decretum extare, quo irritetur, id enim spectandum præcipuè est, cum quæritur an iure fieri possit vel non? Deinde dico assistentiam parochi non esse actum eius, vt ordinem, vel iurisdictionem habet, sed quatenus legitimus testis designatus est, cum facultate substituendi, vt rectè docet Thomas Sanchez ibidem nume. 7. Adiun-

xit itaque eam auctoritatem legitimi testis Ecclesia officio parochi ali cum potestate substituendi in sacerdotem. Quare non cõprehenditur illis decretis, in quibus parochis prohibetur administratio sacramentorum, vel iudicibus vsus iurisdictionis, aut ordinis. Neq; obstat secundum ex eadẽ ratione, quia quando illa doctrina de Tabellione vera esset: hic non habet locum, quia nõ inuenimus decretum Tridentini irritãs matrimonium, cui assistit parochus excõmunicatus, vel suspensus. Addo præterea neq; eam doctrinam de præsentia tabellionis excommunicati esse constantẽ. Vnde Franc. Suar. de excommunicat. disp. 16. sect. 5. docet in conscientia valere acta tabellionis excõmunicati de rigore iuris, licet ex consuetudine ob opinionem cõmunem Canonistarũ censeat in foro externo non valere, & certe nullus textus est, in iure canonico, vnde ea sententia deducatur, vt suo loco probatum est.

10 Ex his etiam consequenter colliges secundò non effici irregularem parochũ ex communicatum assistẽtem matrimonio, vt expresse docet Francisc. Suar. de excommunicat. disp. 11. sect. 2. num. 17. cum sequentibus. Quidquid enim de eo sit, an si excõmunicatus benedicat sponsos, maneat irregularis, de quo suo loco, attamen ex eo quod excommunicatus assistat, non efficitur irregularis. Tum quia hæc non est administratio sacramenti, neque alicuius ceremoniæ sacræ. Tum etiam, quia ex dispensatione Concilij Trident. ad eam assistentiam non est necessarius aliquis vsus ordinis. Nam etiamsi contingat parochum non esse sacerdotem, coram eo, & testibus fit validũ matrimonium. Imò addo cum eodem Suarez, quod etiamsi sacerdotij conditio in parocho ipso requisita esset, sicut requiritur in eo, qui de eius licentia interest, nihilominus ex vi illius assistentiæ non manere irregularem clericum assistentem. Quia quamvis talis conditio requireretur iure positiuo in ea persona, non tamen exercet ibi actum ordinis sacerdotalis, sed est qualitas requisita in ea persona ad maiorem fidem faciendam.

11 Tertiò colliges parochum excommunicatum assistentem matrimonio, peccare quidem ex vi eius iuris, in quo prohibita est excommunicato communicatio cum fidelibus. Sentit nobiscum Gabriel Vazquez de excommunicat. dub. 7. num. 7. Est enim communicare quidem non in sacramentis, ea enim communicatio tantum est inter sumentem, & ministrantem, sed in sacris, qualis cõmunicatio est in diuinis officijs, Missa audienda, & alijs eiusmodi, quam communicationem etiam Couar. asserit esse mortale peccatum. Nec verò dici potest parochũ illum communicare in re necessaria, & ideò excusari, vt indicare videtur Thomas Sanchez lib. 3. disp. 21. num. 8. neque enim sacramentum matrimonij videtur esse necessitatis, idque exemplo testis idonei excommunicati tamen confirmari potest. Imò addiderim non esse venialem culpam est enim cõmunicatio in re adeò grauí & sacra.

12 Quartò colliges cum Francisco Suarez disp. 11. cit. sect. vltim. num. 24. non peccare quando in articulo mortis esset necessarium assistere, sicut diximus de excommunicato sacerdote, qui in articulo extremæ necessitatis ministrat pœnitentiam. Potest enim euenire huiusmodi casus, in quo moraliter necessarium sit, vel ad salutem spiritualis hominis morientis, vel ad magnum commodum temporale filiorum, vt in articulo mortis vxorem ducat, quam vsque ad illud tempus in concubinam habuerat, & quod nullus alius adsit sacerdos, vel parochus, nisi excommunicatus, qui interesse possit. In eo certe casu quantum est ex parte censuræ dubitari nõ potest, quin licitè possit huiusmodi sacerdos adesse matrimonio. Si enim licitè potest ministrari sacramentum ab excommunicato in eo articulo, cẽsetur enim Ecclesia pro eo tempore excommunicationem suspendere, multo magis hoc verum erit in matrimonio, in quo non est minister sed testis iure Ecclesiastico qualificatus. Similiter etiam parochus excommunicatus assistens matrimonio excusaretur à peccato metu mortis incusso. Quamvis enim aliæ leges diuinæ de non communicando in sacramentis obligent cum vitæ dispendio, vt probat Gabriel Vazquez dub. 7. cit. à num. 10. attamen non habere locum in hac communicatione in sacris. Idem docet ibidem num. 16.

13 Quintò colliges à fortiori matrimonium valere, cui assistit parochus, cui interdictum est, ne assistat matrimonio, siue quia generaliter ob imperitiam prohibitus est sacramenta ministrare, dato ob eam causam coadiutore iuxta text. in cap. *Illiteratus* 27. *dist. & ca. nisi cum pridem, de renuntiat.* & Tridentinum sessione 21. cap. 6. de reformatione, siue specialiter interdictum sit ab Episcopo, ne assistat. Adhuc enim verè parochus est, retinetque titulum parochi, vt cum alijs docet Thomas Sanchez disputat.

21. ...

21. n. 11. & 12. Id quod verum est etiam de Rectore, vel Vicario ad nutum amouibili. Vtrumq; declarauit congregatio Cardinalium apud Farina. pa. 270. in hæc verba: *An prohibitione facta ab ordinario parochus coniũgat aliquos, ita tollatur, seu suspendatur iurisdictio parochi, vt ad celebrandum matrimoniũ non sit legitimus parochus, matrimoniumq; coram eo contractum nullum? Sacra congregatio respondit matrimonium valere. Quod si hæc prohibitio facta sit, non ipsi Rectori, sed eius Vicario, qui ad nutum ordinarij amoueri potest, an matrimoniũ, in quo contra ordinarij prohibitionem Vicarius iste interuenit, validum sit. Congregatio respondit, validum esse.* Hæc ibi. Quare de eo amplius dubium esse non potest. Idem cit. alijs Riccius in praxi decis. 243. n. 2.

14 Vltimò colliges valide posse licentiam dare alijs, vt assistant, parochum excõmunicatum, etiam non toleratum, vt docet Thomas Sanchez cum alijs disp. 21. cit. n. 7. Emanuel Sa verbo, *matrimonium*, num. 1. in fine. Quod quidem ex dictis facile deducitur, nam assistentia illa non est actus iurisdictionis, nec etiam concessio licentiæ, sed tantum quasi substitutio testis, cui concessum à Concilio est, vt alium suo loco possit substituere, nec parochus excõmunicatus prohibitus est substituere iure nouo Tridentini, quo in hac re vtimur. Alij probãt, quia Episcopus, & ordinarius excommunicatus potest alteri concedere licentiam audiendi confessiones, vel ministrandi sacramenta. Sed non placet ea ratio. Nec enim eam licentiam excommunicatus nõ toleratus potest concedere, vt in materia de excommunicatione tradunt Doctores, ea enim licentiæ concessio ad sacramenta ministranda actus iurisdictionis est, quæ pro commisso sibi munere ipse ministrare deberet suis ouibus.

15 Sed contra illationẽ hanc sentit Petrus Ledesma de matrimonio q. 45. a. 5. dub. 4. fol. 192. & alij, mouenturq; non facili argumento. Quia generalis regula est vsum iurisdictionis spiritualis interdictũ esse excommunicato *cap. audiuimus* 24. q. 1. & alibi passim. Quæ regula ad omnes eos actus extenditur, qui proprie iurisdictionis sunt, qua les sunt illi, qui proprie sunt iudicis superioris, & Ecclesiastici, vt præcipere, leges ferre, dispensare, licentiam cõcedere, ad quod libet munus Ecclesiasticum exercendum, iudicium ferre, & alij similes, qui numerantur in cap. *Accedentibus, de excessibus Prælatorum & in cap. dilectus de officio ordinarij.* Sed concessio huiusmodi licentiæ ad assistendum, videtur esse actus iurisdictionis. Ergo ab excommunicato esse non potest. Tota difficultas est in maiori propositione probãda, quæ ostenditur primo. Quia ea concessio pertinet ad parochum, vt parochus est, ratione publici officij, cũ nullus alius, quã proprius parochus, quo etiã nomine intelligitur ordinarius, eam licentiam possit concedere. Deinde, quia concessio licentiæ ad administrandũ sacramentum Pœnitentiæ, vel extremæ vnctionis actus iurisdictionis est, & ab excõmunicato cõcedi nõ potest, vt expresse docet Suar. de excõmunicatione disp. 14. sect. 1. n. 7. vbi improbabiliẽ censet, quorundam sententiã asserentium parochum excõmunicatum posse valide conferre licẽtiam ministrandi sacramentum Vnctionis, ex eo quod ministratio nõ sit actus iurisdictionis. Quamvis enim ministratio vnctionis nõ sit iurisdictionis actus, attamen cõcessio licẽtiæ ad ministrãdũ est iurisdictionis vsus. Ex quo etiam posset pro ea sententia sumi nõ leuis confirmatio. Quia licet assistere matrimonio non sit actus iurisdictionis, attamen præbere licentiam assistendi actus iurisdictionis videtur. Denique conijcitur esse vsum iurisdictionis, quia etiamsi Concilium non dixisset, *vel aliter de licentia parochi*, posset parochus eam licentiam concedere, quod signum est iurisdictionis eius esse, & ad illum tanquam ad ordinarium pertinere.

16 Sed hæc non obstant, quominus in nostra sententia persistamus. Quare dicẽdum est eius licentiæ concessionem nõ esse vsum iurisdictionis, sed quasi substitutionẽ testis qualificati, cui concessum est, vt alium pro se substituat ad testimonium ferendum de eo matrimonio. Nam assistere matrimonio non est actus ordinis, neque iurisdictionis, vt dictum est. Id quod speciale est in hoc sacramento, in quo parochus nõ est minister, vt ostensum est supra lib. 1. Vnde licentiam ad assistendum dare, neque iurisdictionis, neque ordinis actus est, sed tantum vti facultate concessa parocho per Tridentinum, quod parochũ ita testẽ esse voluit, vt alium non nisi sacerdotem pro se posset substituere. Quod quidem, nisi per Tridentinum concessum esset, nequaquam posset parochus efficere, esset enim electa industria personæ sicut ex doctrina Hostiensis, & cõmuni docet Thomas Sanchez disp. 21. num. 9. in fine. Atque ex his soluta manent quæ modo allata sunt.

An peccent contrahentes, dum ab excommunicato parocho petunt, vt assistat, vel licentiam præbeat?

CAPVT XVIII.

SVMMARIVM.

Quid agendum.num.1.
Diuisio scandali.num.2.
Alia diuisio in actiuum, & passiuum.num.3.
Prima regula de scandalo actiuo.num.4.
Quid requiratur, vt quis censeatur dare scandalum actiuum.num.5.
Eadem obligatio vitandi, si scandalum fratris futurum sit in eodem genere vel diuerso.n.6.

1 DIXIMVS cap. præcedenti peccare mortaliter parochum excommunicatū, dum assistit matrimonio. Superest explicemus an peccent etiam contrahentes matrimonium coram illo, atque ideò existo capite frustrētur fructu sacramenti. Quæ quidem dubitatio in multis alijs materijs locum habere potest. Quare vniuersalem doctrinam trademus, qua explicemus, quando verè dicamur alijs occasionem præbere ruinæ, & peccati, ita vt nobis aliorum peccatum, cui occasionem dedimus, imputetur. In quo explicando hoc ordine procedemus. Primò generales trademus regulas, quibus in hac materia vtendum sit. Secundò loco colligemus in nonnullis materijs, quomodo iuxta præmissa principia philosophandum sit, in quibus ea res frequentius examinari solet, quarum resolutio obscura est propter varias, & discrepantes Doctorum sententias.

Obseruantur nonnulla, & proponitur prima regula.

§. PRIMVS.

2 Antequam regulas meo iudicio optimas statuamus. Primò obseruandum est, quod ad præsens institutum attinet, scandalum duplex esse, generale & speciale. Generale quidem est iuxta doctrinam Diui Thomæ 2.2.quæst.43.art.3. quod est per accidens causa ruinæ alterius, speciale autem quod est per se causa ruinæ. Quod tamen ita intelligendum est scandalum generale dici, quod quamvis ex se sit occasio ruinæ, attamen est præter intentionem operantis qui non intendit scandalum offerre. At speciale est in quo per se intenditur, & directè ruina proximi. Hic autem non agimus de peccato, quod quis committit, cum directè, & ex intentione fertur in ruinam proximi, quatenus illius ruina est, sed de scandalo generali, quando ex operatione alterius sumitur, vel præbetur occasio ruinæ.

3 Secundò obseruandum est iuxta doctrinam eiusdem D. Thomæ in eadem quæstione art. 1. Scandalum generale duplex esse, alterum actiuum, passiuum alterum. Actiuum est dictum vel factum, minus rectum præbens alteri occasionem ruinæ. Dicitur autem minus rectum, vel quia in se malum est, vel quia habet speciē peccati. Passiuum est, peccatum eius, qui scandalizatur. Hoc autem est in duplici differentia. Nam vel oriri potest ex scandalo actiuo, quod est dictum vel factum minus rectum in altero, & in hoc casu scandalum passiuum cō iungitur cum actiuo, ex eo enim nascitur. Vel potest scandalum passiuum oriri ex opere bono alterius non habente speciem mali, estque scandalum passiuum tantum, & non dicitur occasio præberi, sed sumi. Quæ doctrina colligitur ex D. Thoma loco proximè citat. & amplectuntur communiter alij. Hoc autem scandalum passiuum tantum adhuc triplex est: nam vel nascitur ex malitia, vel infirmitate, & fragilitate, vel ex ignorantia. Potest enim quis ex opere bono alterius, aut non habente speciem mali sumere occasionem ruinæ, vel malitia sua, quæ interpretatur in malam partem, & ex eo bono opere sua prauitate inducitur ad peccandum: vel quia licet opus bonum sit, ignorat tamen, qui videt bonum esse, & ea ignorantia inducitur, vel quia fragilis, & infirmus est, & ex opere alias licito pro sua fragilitate inducitur ad lapsum, sicut ex ornatu fœminæ licito labitur fragilis ex fragilitate, prauus ex malitia, & qui licere ignorat ex ignorantia. Tota hæc doctrina traditur à Basilio in regulis breuioribus interrog. 64. cuius verba hæc sunt. *Sane scandalizat quidem aliquis, quandocumque dictis factisve legē violat, & exemplo suo alium ad legis violationem inducit, vt serpens Euam, & Eua Adam, vel quandocunque prohibet exequi voluntatem Dei, vt Petrus Dominum, quando dixit absit à te Domine, non erit tibi hoc, cui tum dictum est: vade post me Satana, scandalum es mihi, quia nō sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum, vel quan-*

quando ædificat animum imbecilli, ad aliquid eorum quæ vetita sunt: conuenienter illi, quod scriptum est ab Apostolo his verbis: si quis enim viderit te, qui habes scientiam in idolio recūbentem, nonne conscientia eius cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? Et statim, Oritur autem scandalum pluribus ex causis. Vel enim ab eo qui scandalizat, scandalum nascitur, vel ab eo qui scandalizatur causa proficiscitur cur scandalizetur, atq; in his item non vno atque eodem modo. Aliquando enim ex malitia aliquādo autem ex inscitia vel huius vel illius. Hæc Basilius. Vnde fit contra Caietanū scandalum passiuum non tātū esse, quod nascitur ex opere malo alterius, sed latius patere cum etiā ex opere bono alterius nasci possit iuxta dicta. Fit etiam contra Maiorem, & Sotum, & alios scandalum passiuum non tantum esse scandalum Pharisæorum, cum etiam sit pusillorum, & ignorantium, vt dictum est. Quare Pharisæorum scandalum illud dicitur, quod ex malitia operantis nascitur.

4 His præmissis primam regulam constituamus, quæ in hac materia valde præ oculis habenda est: *Quoties peto ab aliquo actū aliquem, quem ille non potest bene exercere, sed male, si exerceat pecco peccato scandali, & præbeo occasionem ruinæ. Cum autem peto actum, quem posses exercere bene, sed sua culpa facit male, aliquando dicor præbere occasionem ruinæ, aliquando non, iuxta dicenda in regulis sequentibus.* De prima parte huius regulæ nulla potest esse dissensio. Nam si induco ad actum suapte natura malum, plane præbeo occasionem ruinæ, atque ideò pecco. Vniuersaliter itaque, quando malo opere, vel habente speciem mali alteri datur occasio peccandi, siue ille alter peccet ex ignorantia, vel malitia, vel fragilitate, dicor inducere in peccatum. Nulla enim occasione id cohonestari potest, ac proinde mihi peccatum illius imputatur. Quod quidem ita contingit, quoties peto ab aliquo actum, quem si exerceat, non potest exercere bene, sed male.

5 Verum circa hanc regulam duo sunt obseruanda. Primum est, vt opus aliquod dicatur habere rationem scandali actiui, nō requiri, vt opus sit malum ex malo fine operantis, sed aut ex suo obiecto, & circunstantijs habere debet rationem, aut speciem mali. Quare si opus alias ex obiecto, & circunstantijs non sit malum, neque habeat speciem mali, sed tantum reddatur malum ex prauo fine operantis, perinde iudicandum de illo est. ac si non esset malum ex fine. Ratio vero est, quia qui sumit occasionem scādali, non sumit ex prauo fine, qui manet in mente operantis, sed sumit ex ipso opere cum alijs circunstantijs, ex quibus non habet rationem aut speciem mali.

6 Secundò obseruandum est, eodē modo cessandum esse ab opere, quod est malū, vel habet speciem mali propter scandalum fratris, si scandalum futurum est in eodem genere peccati, vel in diuerso, vt si ex furto sequitur peccatum scandali furti in proximo, vel peccatum homicidij eodem modo ab opere furti cessandum est propter scandalum. Dixi autem cessandum esse propter scandalum, quia non tantum debet homo cessare à furto, quia furtum est, sed etiam quia furtum est causa alterius furti, aut homicidij propter scandalum. Quare propter hanc duplicem obligationem incurrit homo duplex peccatum, aut duplex furtum, si furto suo est causa alterius furti, aut furtum & homicidium, si causa est homicidij, furto suo.

Secunda regula proponitur, & explicatur.

§. SECVNDVS.

SVMMARIVM.

Secunda regula de scandalo passiuo. n. 7.
Probatur ex iure. num. 8.
Et explicatur ratione. num. 9.
Prima obiectio diluitur. num. 10.
Secunda obiectio diluitur. num. 11.
Reijcitur quædam limitatio. num. 12.
Ampliatio doctrinæ. num. 13.

7 SECVNDA regula sit: *Quoties opere aliquo præceptum adimpleo, siue sit legis naturalis, vel positiuæ, non dicor præbere occasionem ruinæ, nec mihi imputatur peccatum, siue alius peccet ex scandalo malitiæ, vel ignorantiæ, vel fragilitatis, & ex consequenti non teneor, nec possum omittere actum illum, vt vitetur scandalum passiuum aliorum.* Hanc regulam docent non pauci, qui constanter asserunt nullum præceptum, siue iuris naturalis, siue humani dimittendum esse propter scandalum passiuum proximi, quos refert, & sequitur Gabriel Vazquez in opusculo de scandalo, ex quo fere totam doctrinam huius capitis desumpsimus, & in com-

pendium redegimus, & docet etiam Greg. de Valentia 3. tom. disp. 3. generali, quæst. 18. punct. 4. & videtur esse doctrina Diui Thom. d. q. 43. art. 7. Hæc eadem regula manifeste traditur à Basilio interrogat. 64. cit. his verbis: *Aut enim mandatum Dei aliquo faciente, aut his quæ in libera potestate posita sunt libere vtente scandalizatur, qui scandalizatur. Quotiescunque igitur in his, quæ ex mandato vel fiunt, vel dicuntur homines offensionem incurrunt, vt in Euangelio quidam in his, quæ à Domino ex voluntate patris fiebant, & dicebantur, enim vero tunc eain memoriam nobis sunt reuocanda, quæ de huiusmodi hominibus idem Dominus responderit, quando illum adeuntes discipuli sic allocuti sunt, scis quod Pharisæi audito verbo hoc scandalizati sunt? Sic enim illis respondit, sinite illos, &c.* Hæc Basilius.

8 Pro qua sententia facit primo Innocentius III. in cap. 2. *de noui operis nunciatione*, cum inquit: *Tu saltem pro euitando tam graui scandalo proximorum ab huiusmodi etiam tibi prohibitis non cessasti, cum Sacræ Scripturæ testimonio debueras didicisse, quod licet illa opera, quæ sine peccato mortali cõmitti nõ possunt nõ sunt pro euitãdo scãdalo dimittẽda, nec ea debẽt pro vitando scandalo committi, quæ sine peccato mortali committi non possunt, ab his tamen, quæ sine peccato mortali committi possunt, pariter & dimitti, sit pro scandalo tollendo cessandum, & eis etiam pro euitando scandalo insistẽdum.* Hæc Pontifex. In quibus vniuersaliter docet nullum esse violandum præceptum pro euitãdo scandalo, quia alias sine peccato mortali violari non potest, atque ideò adimpletione præcepti nequaquam præberi occasionem ruinæ. Sic respondet Couarru. sententiam Pontificis intelligẽdam esse de his tantum præceptis, quæ etiam occurrente occasione scandali obligant, non de omnibus alijs præceptis, quorũ obligatio cessare debet; occurrente scandalo. Sed certè ridiculum esset respondere Pontificem ea præcepta esse omittenda occurrente scandalo, quæ revera non obligant in ea occasione, & seruanda quæ obligant, nec enim hoc ignorare potuit Episcopus, & aliàs æquè obscurum maneret responsum Pontificis, cum id explicandum esset, quæ nam præcepta obligarent occurrente scandalo. Voluit ergo Pontifex vniuersaliter docere seruanda esse præcepta, quæ aliàs seruanda sunt, non obstante occasione scandali. Quia non est accõmodatum remedium ad euitandum scandalum omissio præceptorum, quæ aliàs imposita sunt.

9 Secundò probatur, & explicatur prædicta regula ista consideratione. Quia revera scandalum passiuum proximi vitare non est in præcepto naturali, aut positiuo, quomodocumque & absolutè, sed cum quibusdam circunstantijs: si quidem aliquando etiam consilia prætermittenda nõ sunt propter scandalum passiuum proximi, etiam cõtra ius naturale, vt dicam in alijs regulis. Quare videtur circunstantia necessaria, vt obliget præceptum vitandi scandali passiui proximi, vt non occurrat nobis interim aliquod præceptum etiam positiuum. Nam mandatum quod nobis impositum est de proximo nostro, est quasi secundariæ cuiusdam obligationis. Prius enim quisque curã habere debet de salute propria, quàm aliena, & prius debet in se ordinare opera virtutum, quam in proximo. Esset ergo peruersus ordo, si aliquis omitteret præceptum sibi primarie impositum, etiamsi positiuum tantum sit, vt curam haberet de proximo, ne contra aliquod præceptũ peccaret. Quare, cum dicimus non esse omittendum præceptum positiuum propter vitandum scandalum passiuum proximi, non dicimus præcepto naturali derogari præceptum positiuum tanquam fortius, sed dicimus occurrente præcepto positiuo cessare quandam circunstantiam necessariam, vt obliget præceptum de euitando scandalo, etiamsi naturale sit. Quæ sane doctrina in multis alijs etiam attendenda est, quia contingit interdum cessare obligationem præcepti naturalis propter occursum præcepti positiui, quia ex tali occursu tollitur circunstantia necessaria ad obligationem præcepti naturalis. Hac ratione putant nonnulli licitum esse in confessione explicare complicem, quando aliter fieri non potest integre confessio, non obstante infamia cõplicis apud confessarium, quia infamare proximum absolutè sumptum non est contra ius naturale, sed infamare absque rationabili causa: videtur autem rationabilis causa infamandi complicem apud vnum confessarium obseruatio præcepti de integritate confessionis, etiamsi præceptum positiuum sit. Sed de hoc latè dixi in tractatu de Confessione. Omitto rationes alias, quæ in huius regulæ cõfirmationem adduci possent, mihi enim istæ videntur esse potissimæ.

10 Sed contra huius regulæ doctrinam potest obijci primò. Si immineret alicui mors corporalis, dimittendum esset præceptum de audienda Missa. Ergo si alicui immi-

net

net periculum animæ per scandalum passiuum, dimittendum esset præceptum audiendi Missam. Respondet Gabriel Vazquez nō esse eandem rationem. Nam qui scandalizatur, patitur damnum spirituale sciens & volens, & ideò iusta ratio nō postulat, vt omittatur præceptum positiuum propter vitandum huiusmodi scandalum. Innocens autē patitur damnum vitæ corporalis inuitus, & ita rectaratio exigit, vt ei succurramus omisso præcepto positiuo. Sed facilius respondeti potest obligationem succurrendi vertanti in periculo vitæ primariò obligare potentem subuenire non autem eum, qui laborat, vel premitur. Quare in eo euentu concurrūt duæ obligationes primariæ. Vna audiendi Missam, alia subueniendi, & ideò prævalet fortior. In casu autem nostræ regulæ concurrunt quidem duę obligationes, vna tamen primaria, & alia secundaria, iuxta ea quæ diximus in 2. probatione, & ideò prævalet primaria.

11 Secundò potest obijci. Quia si aliquis velit se ipsum corporaliter occidere, omittendum esset præceptū audiendi Missam, vt mortem illius impediremus. Ergo si quis velit se occidere spiritualiter per peccatum, idem faciendum est. Respondetur tamen obligationem vitandi scandalū proximi tantum pertinere ad eam virtutem, cōtra quam scandalizatus peccat, non autem ad misericordiam, quia si ad misericordiam pertineret, ille qui scandalizat proximum, duplici peccato peccaret, vno speciali contra misericordiam, & alio contra eam virtutem, contra quam scandalizatus peccat, & ita scandalum, in quo non intenditur directè ruina proximi, esset speciale peccatum scandali cōtra misericordiam, quod falsum est, vt alio loco dicam. Obligatio igitur vitandi scandalum pertinet solū ad eam virtutem, contra quam peccat scandalizatus. Cumque hæc obligatio sit secundaria, vt tū pra dicebamus, necessariò cessare debet occurrente præcepto positiuo primariè imposito, quia eius obligatio in primo loco esse debet. Impedire autem mortem corporalem proximi siue illatam ab alio, siue à se ipso, pertinet ad opus misericordiæ. Huius autem misericordiæ obligatio solum & primariò obligat eum, qui succurrere potest, eum autem qui se ipsum occidit, non obligat. Et quia est maior obligatio misericordia, quam præceptum audiendi Missam, iuxta illud Christi: *Misericordiam volo, & non sacrificium*, ideò in tali necessitate omittendum est præceptum audiendi Missam.

12 Verum Gregorius de Valentia disp. citata quæst. 17. puncto 4. versiculo, *Tertio sequitur ex eadem regula*, quandam huic sententiæ limitationem adhibet, scilicet, præcepta Ecclesiastica seruanda esse, cum sequitur scandalum tantum in eo casu, in quo omnibus pensatis circunstantijs obligant ad sui obseruationem. Si vero ob aliquam circunstantiam occurrentem non obligarent eo tempore, cessandum ab illis esse: iuxta quam limitationem postea in versiculo, *Secundo sequitur* post tertiam regulam infert omittendum esse aliquod præceptum humanum quando non est necessarium, vt sic vitetur scandalum infirmorum, vt audire Missam in die Festo, omittendum erga fœmina ornata, si ex eo sumitur scandalum. Ego tamen sine vlla limitatione, veram existimo propositam regulam. Non enim credo esse casum aliquem, in quo cesset obligatio præcepti Ecclesiastici propter vitandum scandalum, tum quia primaria obligatio nō cessat ex secundaria obligatione, vt dictum est. Tum etiam, quia non videtur esse casus, in quo circunstantia scandali orjundi tollat circunstantias necessarias ad obligationem præcepti. Nam in docēda veritate, vel corripiendo, aut docetur ille, qui scādalum patitur, quia est in necessitate, vel corripitur, & tunc non est dimittendum præceptum, primariæ enim obligationis est, nisi forte dimittatur, quia inutilis correctio est. Hoc autem non est cessare ab opere propter scādalum, sed tantum, quia cessat eius ratio vel necessitas. Si vero docendus est alius, non est dimittendum præceptum docendi. Vt enim inquit Gregorius Homil. 7. in Ezechielem: *Si de veritate scandalum sumitur vtilius scandalum permittitur, quam veritas relinquatur*, & idem docet Beda in cap. 9. Marci, & habetur in cap. *Qui scandalizauerit de reg. iur.*

13 Hinc colligesnon licere aliquid facere à fortiori contra legis naturalis præcepta negatiua, vt occidere, neque dispēsare bona, qui eorū dominus nō est, nec docere falsum, & similia, vt euitetur scandalum. Imo addendum est neque licere peccatum aliquod veniale committere, vt mentiri etiam leuiter ad euitandum scandalum, nunquam enim est medium conueniens cuiuscunque etiam leuis peccati perpetratio ad euitandum scandalum, vt rectè docet Valentia ibidem regula 2. Atque ex his facile erit iudicium ferre de aliorum opinionibus in hac par-

parte, quas consulto omitto, ne longior eua dat disputatio, & quia nullum afferunt eorum, quæ dicunt, firmum fundamentum.

Tertia, & quarta regula proponuntur, & explicantur.

§. TERTIVS.

SVMMARIVM.

Scandali passiui diuisio, & explicatio. n. 14.
Tertia regula explicatur. num. 15.
Obiectioni fit satis. num. 16.
Quarta regula. num. 17.
Explicantur Basilius, & Chrysostomus. numero 18. & 19.

14 SED antequam illas constituamus, recolenda est distinctio scandali passiui posita supra §. 1. ex ignorantia, infirmitate, & malitia. Ex ignorantia in præsenti est peccatum illud, de quo agit D. Thomas 1. 2. quæst. 76. quod procedit ex ignorantia speculatiua iuris aut facti. Quamvis enim in quouis peccato sit ignorantia, id est, defectus considerationis, vt alio loco dicendum est, hic tamen tantum agimus de peccato ex ignorantia speculatiua. Peccatum autem ex infirmitate est peccatum ex passione, vt docet D. Thomas 1. 2. quæst. 77. art. 3. Peccatum vero ex malitia explicatur ab eodem D. Thoma 1. 2. quæst. 78. art. 3 & inter alias acceptiones peccati ex malitia ea, quæ maximè pertinet ad nostrum institutum est, qua aliquis dicitur peccare exhabitu. Illud addendum est, quando scandalū præsumitur oriundum in aliquo homine particulari, tunc inspiciendum esse, an oriatur ex ignorantia, fragilitate, aut malitia, & habet in eo casu locum ea consideratio diuisionis scandali. At quando tantum præsumitur scandalum in vniuersum, scilicet in aliquo homine vagè, vt solet accidere in publicis conuentibus, nō potest timeri peccatum ex ignorantia, aut fragilitate, sed ex malitia. Ideò autem timeri non potest ex ignorantia, aut infirmitate, quia vt hoc timeatur, cognosci debet qualitas, & conditio personæ: vt autem timeatur peccatum ex malitia, non est necesse cognosci personam aliquam in particulari, sed satis probabiliter timeri potest in publico conuentu hominum, & mulierum futura aliqua peccata ex prauo habitu, qui est in pluribus hominibus, & hoc est peccatum ex malitia.

15 His suppositis tertia regula fit. *Quotiescunque opus nostrum, quod tamen non est in præcepto, est bonum, aut non habens speciem mali, vtile tamen, aut spiritualiter, aut temporaliter nobis, si alter ex eius operis occasione peccaturus est ex malitia, non præbeo occasionem peccati, neque tenetur dimittere ad vitandum peccatum illius.* Sic docet D. Thomas 2. 2. quæst. 43. art. 7. & 8. Valentia puncto cit. regula 4. Gabriel Vazquez opusc. citat. & alij communiter. Cuius probatio in primis desumi potest ex Christi exemplo, qui scandalum Pharisæorum non curauit, dicens Matt. 15. *Sinite illos, quia cæci sunt, & duces cæcorum.* Quo testimonio ad id confirmandum vtitur Gregorius homil. 7. in Ezechielem. Fauet etiam manifesta ratio. Quia recta ratio non postulat, vt malitiæ alterius cum damno nostro consulamus, etiam temporali: alioquin vnusquisque posset sua malitia nobis nocere, vt opus vtile nobis, aut temporaliter, aut spiritualiter dimittamus. Imò, vt docet D. Thom. art. 8. cit. aliquando esset perniciosum bono communi temporalia bona dimittere, vel condonare eiusmodi improbis ad euitandum scandalum eorum. *Daretur enim* (inquit) *malis rapiendi occasio, & noceret hoc ipsis rapientibus, qui retinendo aliena remanerent in peccato.* Sed aduertit rectè Caietanus ibidem, interdum posse, & debere dimitti ea bona temporalia eiusmodi improbis propter vitandum scandalum, non ipsorum, sed aliorum pusillorum, qui sub eorum potestate sunt, & ab ipsis in hæresi, vel alijs flagitijs detinentur, ne amittant bona aliqua temporalia, quæ iniustè occuparunt. Vnde inquit Caietanus, si Princeps aliquis potius induceret populum in infidelitatem, aut in ea retineret, quam pateretur sibi auferri bona temporalia, quæ Ecclesiæ, vel alicui alteri Principi iniustè eripuit, vt Ieroboam fecit in populo Israël, ne perderet regnum, & Reges Angliæ his nostris sæculis, dimittēda essent bona eiusmodi temporalia ab Ecclesijs erepta, non propter Principem, sed propter populi salutem.

16 Sed contra hanc regulam obijciet aliquis necessarium esse omittere opus Cōsilij propter correctionem fratris. Nam si aliquis potest impedire peccatum fratris per correctionem, debet dimittere Missam, quæ non est in præcepto, vt corripiat fratrem. Ergò eadem ratione tenetur omittere opus consilij, ne scandalizetur frater, etiam

si scandalum futurum sit ex malitia. Quia etiamsi peccatum futurum esset ex malitia, propter correctionem omittendum esset opus consilij. Respondetur tamen diuersam esse rationem. Nam correctio respicit peccatum fratris, quod non scandalum ex parte corripientis, sed est opus quoddam misericordiæ respiciens malum spirituale proximi, à quo debet ipsum liberare: præceptum autem correctionis, quod est misericordiæ specialis eximiæ virtutis, obligat etiam in eo casu, in quo necesse sit omittere opus cõsilij, etiamsi sit peccatum fratris futurum ex malitia: quia correctio non respicit peccatum fratris futurum ex malitia, vel infirmitate, sed quouis modo si tamen sit spes correctionis. At verò scandalum passiuum, de quo intelligitur hæc tertia regula, sumpsit occasionem ex opere bono, & non habente speciem mali, ei autem non est succurrendũ per correctionem ex obligatione misericordiæ, sed obligatione illius virtutis, contra quam scandalizatus peccat. Succurrendum autem est auferendo opus, ex quo ille sumpsit occasionem, vt autem auferamus opus bonum, plurimum interest, an ille sumpserit occasionem malitia sua, aut infirmitate, vel ignorantia, vt dixi in hac tertia regula, & dicam in quarta. Nec enim malitia alterius nobis nocere debet, aut impedire nostram vtilitatem etiam temporalem: hoc enim nimium esset, præsertim cum præcepto illius virtutis, contrà quam scandalizatus peccat, non teneamur, nisi se cundaria obligatione, vt dictum est. Quare recta ratio postulat, vt prius nos attendere nostræ vtilitati possimus, quam efficere, vt frater noster obseruet præceptum, quod nos secundario obligat. Ex quo fit, quando nullum nostrum damnum temporale versatur, debere omittere ea, quæ non sunt in præcepto, propter vitandum scandalum ex malitia alterius, cum revera frater ille, etiã si ex malitia peccaturus sit, in aliquali tamẽ necessitate versetur, vt rectè docet Valentia puncto cit. §. *existimo etiam.*

17 Quarta regula sit: *Quotiescunque scãdalum passiuum proximi ortum habet ex ignorantia, vel infirmitate, si opus nostrum non est in præcepto, sed tantum vtile spiritualiter, aut temporaliter, quod neque est malum, neque habet speciem mali, omittendum est, aut differendum alias dicetur eo opere præbere occasionem scandali.* Hanc etiam regulam tradit Valentia loco citato, §. *Tertia regula*, eamque statuit Sanctus Gregorius homil. 7. in Ezechielem ibi. *In quantum sine peccato possumus vitare proximorum scandalum debemus.* Id ipsum docet Beda super cap. 9. Matth. & habetur in dict. cap. *Qui scandalizauerit, de reg. iur.* Et id ipsum probat Glossa Matt. 15. in illa verba: *Scis quia Pharisæi*, & recipiunt communiter Doctores. Soluit Christus tributum, cum non teneretur, & posset non soluere, propter vitandum scandalum ignorãtium. Dixi in hac regula *differendum*, quia aliqua possunt esse bona, quæ licet non sint in præcepto, durum tamen esset ea in perpetuum omittere, vt de ingressu religionis docuit D. Thom. quæst. 43. cit. art. 7. ad quartum. Ratio autem huius regulæ est, quia aliquid condonandum est infirmitati fratris, aut ignorantiæ, neque nimium est ei succurrere omittendo, quod alias nobis necessarium non est, sed differendum erit, donec admoneatur frater. Admonitus enim, si scandalũ erat ex ignorantia, tolletur admonitione, & vix continget post admonitionem ignorantiam perseuerare, sed potius malitiam. Quod si adhuc post admonitionem perseueret scandalum ex passione, vel infirmitate, quod contingere potest, desistendum erit ab opere, alias præbere dicetur occasionem minæ, & scandali, & ei imputabitur peccatum.

18 Atque iuxta hunc sensum accipienda sunt, quæ habet Basilius interrogatione 64. cit. cum loquitur de omittendis ob scandalum illis, quæ in nostra potestate sita sunt sine vllius præcepti obligatione, inquit enim: *Vbi vero in his, quæ posita in potestate nostra sunt, impingit aliquis, scãdalizaturve, enim vero tunc veniendum est in memoriam eorum Domini ad Petrum verborum, quando dixit, ergo liberi sunt filij. Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies staterem, illum sumens, da eis pro me, & te. Et item eorum quæ Apostolus ad Corinthios scribit, his verbis. Non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem. Et alio in loco: bonum est non manducare carnẽ, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. Quam autem metuendum sit in his, quæ videntur posita esse in potestate nostra pati, vt frater scandalizetur, docet præceptum Domini, quo in vniuersum modus omnis interdicitur scandalizandi, quando dicit: videte ne cõtemnatis vnum ex his pusillis, dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui est in cœlis.* Hæc Basilius.

16 Eo-

19 Eodem etiam modo accipienda sunt illa verba Pauli 1. Corinth. 8. *Si æsca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum*, vbi Chrysostomus: *Neque dixit siue iusta, siue iniusta, sed quomodocunque. Neque doco, inquit, idolo immolatum, quod etiam propter aliam causam est prohibitum, sed & si quid etiam eorum, quibus vesci licet, offendit, ab illis quoque abstinebo, neque vno aut altero die, sed toto tempore vitæ meæ.* Quæ omnia accipienda sunt de his, quæ sub præcepto non cadũt, ex quibus alij sumunt occasionem scandali ob eorum vel infirmitatem, vel ignorantiam.

Quinta regula proponitur, & explicatur.

§. QVARTVS.

SVMMARIVM.

Quædam obseruatio præmittitur. num. 20.
Quinta regula. num. 21.
Duæ aliæ partes eiusdem regulæ. n. 22. & 23.

20 HACTENVS tãtum explicatum est, quando euitandum sit scandalum passiuum fratris, quod tãtum vergit in damnum spirituale scandalizati. Explicandum hac vltima regula, quid agendum, cum scandalum passiuum fratris est etiam cum damno spirituali sui, vel alterius tertij. Sunt autem bona temporalia in triplici differentia, honoris, vitæ, & rei familiaris. Tenetur autem homo non tantum abstinere ab opere, ex quo sumenda est occasio peccati, iuxta supra dicta, quæ obligatio oritur ex ea virtute, contra quam cõmittitur peccatum: sed etiam est obligatio euitandi damni temporalis proximi, quæ obligatio nascitur ex peculiari virtute misericordiæ, quæ obligat ad defensionem bonorum proximi.

21 Distinguendum ergo est, an damnum temporale sequatur in bonis temporibus ipsius scandalizati, an alterius tertiæ personę. Si damnum est scandalizati in bonis temporalibus, hæc regula seruanda est: *Vt quoties video fratrem sumpturum occasionem ex meo opere dilapidandi bona sua, teneor cessare ab opere pro euitando huiusmodi scandalo, quando talis dilapidatio esset aut contra iustitiam debitam gubernationi suæ familiæ, aut quando ipsum induceret in eam egestatem, à qua ex misericordia deberet ipsum liberare. In alijs vero casibus nõ debeo ab opere abstinere propter damnũ temporale, sed tantum propter peccatum sequutum ex meo opere iuxta regulas supra traditas. Idem est cum sumpturus est occasionem ex meo opere infamandi, aut occidendi se ipsum.* Cuius regulæ ratio est, quia in his casibus non solum tenemur respicere scandalum passiuum illius, quatenus peccatum est contra eam virtutem, contra quam ipse peccat, sed etiam prospicere debemus ex misericordia damno temporali bonorum, famæ, aut vitæ. Eodem enim modo ex misericordia debemus subleuare miseriam proximi, in quam etiam ipse voluntate sua incidit, & eam propulsare, aut impedire, quoties imminet periculum illius etiam ex propria voluntate. Scandalum autem passiuum illius solum impedire debemus secundaria obligatione eius virtutis, contra quam fit peccatum. Quæ obligatio solum habet locum in casibus superius assignatis, obligatio verò hæc misericordiæ est primaria, atque adeò semper locum habet. Quare peccarem tunc contra misericordiam, nisi cessarem ab opere, quod mihi non est in præcepto occurrente præcepto misericordiæ.

22 Sed quid si opus meum sit in præcepto, & ex eo opere sumit alius occasionẽ peccandi, & cum damno temporali suo? Respondendum est hac regula: *Siue sint præcepta positiua, siue naturalia, illa omnia dimittenda sunt, quæ concurrente illo præcepto misericordiæ fuerint minus strictæ obligationis. Quod si strictiora fuerint, illa seruanda sunt, etiam cum damno temporali scandalizati.* Ex quo fit multa præcepta positiua esse dimittenda, quia strictius obligat misericordia, & similiter multa naturalia iuxta illud: *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Fit etiam aliqua positiua seruanda esse, etiam cum eo damno, v. g. præceptum de sigillo confessionis, etiamsi positiuum sit: maioris enim momenti est propter reuerentiam istius sacramenti, & eius vtilitatem, quam impedire totius Reipublicæ ruinam. Ex quo etiam fit diuersimo dè procedi, quãdo solum timetur damnum spirituale scandalizati: tunc enim non tenemur dimittere præcepta, siue sequatur ex malitia, vel ignorantia, vel fragilitate iuxta supra dicta.

23 Si verò scandalum passiuum coniunctum sit cum damno temporali alterius proximi, tunc sit tertia pars nostræ regulæ. *Quoties damnum proximi sequitur contra iustitiam, teneor cessare à meo opere: alias & mihi imputa-*

bitur

bitur peccatum, & tenebor etiam ad restitutionẽ damni alterius. Verbi gratia, deponit quis pecunias apud nummularium, siue paratum meis pecunijs fœnerari, siue non paratum, sumpturum tamen occasionem ex eo depositio, vel arma bellica apud furiosum, vel puluerem bellicum apud hostes, imputatur peccatum eius apud quem depono, si ille revera meo depositio damnũ infert, aut fœneratur meis pecunijs, vel simpliciter, vel aliqua ex parte, & præterea teneor ad restitutionẽ vsurarum, & damni illati proximo. Ita docet Soto lib. 6. de iustitia quæst. 1. art. 1. in fine, Nauarrus in summa cap. 14. num. 30. illatione 12. & Sanctus Thomas q. 3. de malo art. 14. ad 18. Huius ratio est, quia ille revera reus est eius peccati. Quare non rectè Caiet. 2. 2. quæst. 78. art. 4. docuit eum qui deponit pecunias apud nummularium quem scit pecunia illa fœneraturum esse solum peccare peccato prodigalitatis. Constat enim peccare contra iustitiam, & præterea contingere potest, vt peccato prodigalitatis non peccet, si nummularius fidelis depositarius sit, & suo tempore reddat, vt esse solet.

Colligitur quando liceat consulere minus malum.

§. QVINTVS.

SVMMARIVM.

Status quæstionis. num. 24.
Non licet suadere minus malum absolute. numero 25.
Licere suadere ad euitandum maius n. 26.
Explicatio doctrinæ. num. 27.
Quomodo hæc doctrina seruanda in materia iustitiæ. num. 28.

24 SVPEREST, vt ex regulis traditis colligamus nonnulla, quę ad varias materias pertinent non inutilia, neque iniucunda. Illud in primis ad primam regulam attinet, quod examinari solet, an liceat suadere minus malum ei, qui paratus est maius committere. Cum enim in ea regula dictum sit scandalum actiuum esse, quoties quis petit actum, quem proximus non potest exercere bene, sed necessario male, & id quod consulitur, vt minus malum, nõ possit benefieri, cum sit minus malum, videtur effici non licere huiusmodi consiliũ.

25 In quo certum sit primò suadere malum absolutè peccatum esse, quia est scandalum actiuum ex se præbens occasionem ruinæ iuxta primam regulam. Similiter etiam certum est non licere consulere minus malum, quando ille qui consulit, habet complacentiam in eo malo, talis enim complacentia absque dubio peccatum est in eo, qui eligit minus malum. Neque excusatur aliquis illorum ex eo, quod est minus malum, quia comparatio nõ tollit, quin potius supponit positiuum. Ex hoc ergo quod istud sit minus malum, non tollitur quod sit malum, & peccatum inducere ad illud cum cõplacentia ipsius, sicut etiam est peccatum illud prosequi.

26 Omissis autem Doctorum opinionibus, mihi verius visum est licitum esse suadere minus malum ad euitandum maius. Quod latè docet Soto lib. 6. de iustitia quæst. 5. art. 5. sequunturque alij complures. Et quamvis inefficaciter probari soleat, probari tamen potest ex Augustino lib. de adulterinis coniugijs cap. 14. & refertur in cap. *Si quod verius est. 32. quæst. 2. & cap. Quod ait dist. 14.* vbi sermo est de eo, qui cupit vxorem suam interficere, vt ducat concubinam & sic euitet fornicationem, in hoc enim casu, inquit Augustinus: *Vtrunque nefarium est, neque debet vnum pro altero perpetrare, sed vtrunque vitare, sed si ille facturus sit malum faciat quod minus est, nempe adulterium cum concubina, ne occidat vxorem.* Est etiam pro hac sententia insignis locus Chrysostomi tom. 6. in Homilia de Sanctis Martyribus Bernice, & Prosdose, cum excusat Abrahami factum consulentis vxori, vt diceret sororem esse, quo consilio videbatur occasionem dedisse, vel maluisse stuprum vxoris. Inquit itaque: *Vt intelligas, ne morte quidẽ sua potuisse Abrahamum eam ab adulterio liberare, audi, quid dicat. Et erit cum viderint te Ægyptij, te quidem seruabunt, me vero interficient. Futurũ igitur erat, vt duo scelera patrarentur, adulteriũ & cædes: erat autem prudentiæ non vulgaris ex duobus istis vnum lucrifacere. Nam si quidem exposita vita sua liberaturus eam a stupro fuisset, & occiso iusto Saram illi non attigissent, rectè accusares: sin autem etiam eo morte sublato pari ratione futurum erat, vt stupraretur vxor, qua de causa instum accusas, quod cum duo euentura mala essent adulterium ac cædes, alterum sapientia sua impedierit, cædem nimirum?* In quam sententiam multa alia subiungit, quæ breuitati consulens omitto. Huius autem ratio est, quia qui suadet minus malum ei, qui

qui paratus est committere maius malum, non simpliciter suadet malum, sed tantum intendit vitationem maioris mali. Quod quidem non solum verum est, cum ille, cui præbetur consilium, paratus erat vnum ex illis duobus malis facere, sed etiamsi non esset paratus illud minus committere, neq; de illo cogitaret, vt si quis dissuadeat alteri adulterium, & nihil ab illo obtinere possit non erit peccatum proponere ei fornicationem tanquam minus malum ad explendam libidinem, quam aliter dissuadere non potest. Atque id conuincunt, quæ ex Chrysostomo, & Augustino adduximus. Et hac etiam ratione excusatur factum Lot. Genes. 15. & illius Leuitæ Iud. 19. Qui suaserunt fornicationem nefarijs hominibus, vt hac ratione euitarent peccatum contra naturam. Et quamvis Lot reprehensibilis videatur ex eo, quod filiarum curam non habuerit illas prostituendo, excusatur tamen propter bonam fidem, quam habuit, vt constat ex 2. Petri cap. 2. qui eo tempore, quo eductus est de Sodomis, scribit iustum fuisse apud Deum. Hinc etiam excusantur illi decem viri, qui occurrerunt Ismaeli, & ostenderunt thesauros offerentes materiam furti, vt vitarent homicidium.

17 Verum vt prædicta doctrina locum habeat, requiritur in primis, quod alter sit in actuali proposito, & occasione maioris peccati, nec sufficit vt sit in habituali proposito maius peccatum perpetrandi, vt ex adductis constat. Deinde requiritur, quod non possit aliter auertere alium à maiori peccato, nisi proponendo materiam minoris. Nam ei qui paratus est cras committere simoniam, non licet consulere, vt nunc furetur, quia poterat propositum mutare, & ei qui potest auertere ab vtroque, non licet consulere, vt faciat alterum, licet minus malum sit.

28 Ex quibus etiam colligitur, quid dicendum sit in materia iustitiæ, an liceat minus furtum consulere ei, qui paratus est maius committere? In quo quidem dico breuiter in materia iustitiæ in his bonis, quorum quis est dominus, qualia sunt bona temporalia, non tantum licitum esse consulere minus furtum ad euitandum maius, sed etiam cooperari cum illo, & adiuuare ad minus furtum, ne maiorem quantitatem furetur. Primum constat ex dictis. Secundi autem ratio ea est, quia in ea cooperatione dominus nullam patitur iniuriam, nec potest esse rationabiliter inuitus ex eo, quod alter cooperetur ad minus furtum: cum potius censeatur prospicere rebus domini, & idem facere, quod dominus ipse faceret, si præsens esset, qui libenter offerret, quod minoris valoris est, vt retineret quod maioris momenti est. Dixi autem hoc verum esse in his bonis, quorum quis dominus est, quia in alijs, qualia sunt bona vitæ, & corporis, quamvis liceat minus consulere, ne committatur maius, vt absciſsionem membri, ne committatur homicidium, non tamen licet cooperari ad absciſsionem propter eundem finem. Cuius ea ratio discriminis est, quia illorum bonorum alter est dominus, & præsumitur rationabilis domini voluntas, qui sua voluntate disponere posset de rebus illis. At vero in alijs bonis non potest præsumi ea voluntas, cum ille alter, qui damnum passurus est, non sit dominus vitæ, & corporis. Limitanda etiam est prædicta doctrina, vt solum locum habeat, quando qui proposuit committere maius furtum, consulitur, vt furetur minus ab eadem persona: si enim consulatur vt furetur minus ab alia, quod quidem licet iuxta dicta, non tamen licet cooperari, quia non est præsumendum in eo casu dominum illius rei rem suam oblaturum latroni, ne maius peccatū committeretur, nisi in eo casu in quo ipse alias ex misericordia teneretur: vt si magnum furtum committendum esset contra pauperem, quod diues homo ex misericordia teneretur impedire, tunc non tantum licitum esset suadere minus furtum, sed etiā cooperari, quia si ipse præsens esset rem suam deberet offerre.

Colligitur quid dicendum in redemptione iniustæ vexationis.

§. SEXTVS.

SVMMARIVM.

Status quæstionis. num. 29.
Regula generalis. num. 30.
Refertur posse offerri pecuniam latroni volenti occidere. num. 31.
Posse offerri pecuniam nolenti administrare sacramentū in periculo mortis. num. 32.
In alio etiam casu cedere religionem misericordiæ. num. 33.
Obiectio prima diluitur. num. 24.
Item obiectio secunda. num. 35.
Et tertia obiectio. num. 36.

Quomo-

Quomodo in beneficijs habeat locum redemptio vexationis, variæ sententiæ. num.37.
Vera sententia.num.38.
Quid ante eius quæsitum.num. 39.
Variæ explicationes.unm.40. & 41.
Quid in electione Summi Pontificis. numero. 42. & 43.
Quid in Cathedris.num.44.

29 RE s est explicatu difficilis, & maximè necessaria. Videtur autem in eo casu esse aliqua ratio scandali, & inductionis ad peccatum. Exemplũ enim huius redẽptionis esse solet, cum aliquis non vult administrare sacramenta existẽti in extrema necessitate, an liceat ipsum inuitare ad administrationẽ oblata pecunia? In quo casu & similibus videtur dari aliqua ratio scandali, quia ille qui accepturus est pecuniam pro administratione sacramenti, peccat accipiendo pecunias, ac proinde ille, qui offert, videtur præbere aliquam occasionem scandali.

30 Sed constituamus in hoc generalem regulam obseruandam in materia iniustæ vexationis, & ex ea inferemus nonnulla, quæ spectant ad peculiares materias. Vt ergo sit iusta redemptio vexationis, & alterius peccatum nobis non imputetur, hæc regula seruanda est. Tunc redimimus licitè iniquam vexationem, quotiescunque suademus, vel præbemus occasionẽ pecunia nostra, vt fiat minus peccatũ, & omittatur maius, vel succurrimus pecunia nostra maiori obligationi. Cuius regulæ ratio est. Quia, vt dictũ est §. præcedenti, cõparatione maioris peccati licet suadere quod minus est, vt omittatur maius. Eadem ratione quotiescunq; occurrunt duo præcepta, & necessario alterum omittendum est, dimittere debemus minus. Si autem hæc regula locum non habeat in redemptione vexationis, illicitũ erit pecuniam offerre, sicut illicitum erat similem occasionem offerre sine vexatione.

31 Ex qua doctrina colligitur primò sine peccato offerri pecuniã latroni volenti aliquem occidere, ne ipsum occidat, præbetur enim occasio minoris peccati scilicet furti ad vitandum homicidium.

32 Secundò sequitur licitè offerri pecuniã nolenti administrare sacramentum Baptismi, vel Pœnitentiæ existenti in articulo mortis, quando alius non est, qui administrare possit. Cuius ratio est, quia vel datur occasio minoris peccati, si misericordia, ex qua aliquis tenetur administrare sacramẽta, est maior virtus quã religio, vt videtur docere D. Thom. 2.2, q. 30. a. 4. vel certè, quia quãvis religio quæ est erga Deum, sit maior virtus, quã misericordia erga proximũ, quia nihilominus, vt docet D. Thom. eod. art. ad primum, actus virtutis religionis non ordinatur ad aliquã vtilitatẽ Dei: misericordiæ autem virtus ordinatur in meum cõmodũ, ideò præfertur misericordia sacrificio Oseæ 6. & Matth. 12. & ideò etiam maioris obligationis est, vt curam habeamus de spirituali salute eius, qui est in extremo periculo, quam de reuerentia, quam debet Minister Sacramento, & ob eam rationem rectè possumus offerre pecuniam.

33 Nec verò solũ in hoc casu cedit religio misericordiæ, sed ex eodẽ etiam fundamento deducimus, cum quis ita subito vocatur ad sacramentũ ministrandũ alicui in articulo mortis existẽti, vt præ festinatione nõ potuerit se disponere ad rectè ministrandũ, nõ peccare in ea ministratione, etiãsi existat in mortali peccato, neq; irreuerenter tractare sacramentũ. Quamvis enim dignior virtus sit religio, quàm misericordia erga proximum, tamen quia Deo plus placet, vt proximo, in cuius vtilitatẽ institutũ est sacramentum, succurramus, quàm vt dispositionem aliàs debitam erga sacramentum seruemus: ideò tunc licitè sacramentũ in peccato mortali ministratur, & ministrari debet. Nec vero hæc solum pendent ex libera voluntate Dei, sed ratio ipsa institutionis sacramentorum sua natura poscit, ac proinde iure naturali diuino ita dicẽdum est. Nam cum sacramentum ea ratione institutum fuerit, vt humanæ miseriæ remedium esset, ratio ipsa postulat, vt non censeatur irreuerenter tractare sacramentum, neque Deo iniuriam irrogare, qui vrgẽte necessitate eius, propter quam sacramẽtũ institutum est, illud etiam in peccato ministrat, quia prius à peccato sine damno proximi iustificari non potuit. & eadem ratione censendus est materiam offerre minoris peccati, quãdo quidem ea occasione oblata succurritur maiori obligationi. Neque in hoc casu obligatio maioris virtutis cessare dicitur propter occursum minoris, sed circunstantia quædam, quæ necessaria erat, vt maior virtus obligaret, aduenientè necessitate, ad quam tenemur ex minori virtute, cessauit. Circũstantia autem necessaria, vt obliget religio ad illam reuerentiam erga sacramentum, est ne sit in detrimentum eius, propter cuius necessitatem institutum est. Quam doctrinam

eleganter tradidit nobis Gabriel Vazq. tom. 2. in 3. p. disp. 136. cap. 3. â num. 40.

34 Sed obijcies primò, quia emere sacramẽtũ intrinsecè malũ est, ac proinde ex nulla circunstantia, etiam occurrendi extremæ necessitati licet. Et explicatur, & vrgetur magis argumẽtũ. Quia in hac oblatione pecuniæ, non tantũ scandalizatur frater accipiens illam, sed etiam est peccatũ simoniæ, quia in ipsa oblatione pecunię emitur sacramentũ, quod tam simoniacũ est, quã ipsum vendere. Respondetur tamen emere sacramentũ tàm simoniacũ esse, quàm vendere, offerre tamen pecuniã in ea necessitate nõ esse emere sacramẽtũ. Quia de ratione emptionis est, vt emptor rem, quã emit, æstimet pretio. qui autem in ea occasione pecuniam offert, non æstimat sacramentum pecunia, neque existimat donum Dei pecunia obtineri, sed tantum contendit mouere animũ ministri pecunia oblata, vt succurrat extremæ necessitati.

35 Secundò obijcitur, quia quãvis licitum sit redimere propriam vexationẽ pecunia, si aliquis ab aliquo iniustè patiatur, tamen hoc intelligendũ est, quãdo ille, qui iniquè vexat, prodesse nõ potest cessando â vexatione, & obesse potest persistẽdo in ea, veluti ab eo, qui vexat electũ ad aliquod beneficiũ redimere licet donando pecuniã. Quia ille ita iniquè vexat, vt quãvis obesse possit persistendo in vexatione, prodesse tamen non potest cessando ab ea, quia nihil omninò iuris cõfert sic electo. Si tamen ille qui vexat, cessando à vexatione prodesse potest conferendo aliquid iuris, nulla ratione licet redimere ab eo vexationẽ. Quia si pecunia redimatur talis vexatio, videtur emi aliquid spirituale, quod non licet, vt cum aliquis non vult aliquẽ eligere ad beneficiũ, quem debebat secundũ rectã rationem eligere, non licet ab eo pecunia redimere, huiusmodi vexationẽ, quia cessando à vexatione, & eligendo aliquid iuris confert electo. Sed qui in extrema necessitate nõ vult administrare sacramenta cessando à vexatione, prodesse potest conferendo aliquid spirituale, nẽpe sacramentum. Ergo ab eo non licet hanc vexationẽ redimere. Respondetur tamen facile redemptionem iniquæ vexationis, non tantum locum habere, quando ille, qui vexat, obesse potest, sed etiã quando prodesse potest, etiam conferendo aliquid spirituale, si tamen seruetur doctrina superius tradita de vitando maiori peccato, aut de seruãda maiori obligatione.

36 Tertiò obijcitur. Quia in eo casu, quo negatur sacramentum indigenti, nõ est iniqua vexatio: hæc enim est cum aliquis turbatur à iusta sua possessione, vt cum aliquis turbatur à possessione beneficij iuridice collati. Sed in prædicto casu tantũ est quædam negatio sacramenti, quæ alterius rationis longè diuersæ videtur esse quam iniqua vexatio. Respondetur tamen iniquam vexationem non tantum esse, cum quis turbatur à iusta possessione, sed etiam cum aliquid debitum denegatur: ille enim, cui negatur, quod debitum est, iniquè vexatur.

37 Tertiò etiam colligitur ex doctrina tradita explicatio eius, quod quæri solet, an etiam in beneficijs Ecclesiasticis locum habeat redemptio vexationis. In quo nonnulli Doctores sub distinctione respondent. Dicunt enim, si is, qui iniustè vexatur, habet ius adquisitum, licitum esse oblata pecunia vexationem redimere. Si tamen non habet ius adquisitum, non licere. Ratio est, quia in primo euentu datur pecunia ad auferenda impedimenta iniusta, quod non est emere beneficium: at verò in secundo casu re ipsa videtur comparare ius ipsum spirituale, quod antea non habebat, qui offert pecuniam. Prædicta distinctione vtitur Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 100. art. 2. ad quintum, & alij non pauci. Hanc vero doctrinam sic explicat Soto lib. 9. de iustitia q. 6. art. 1. ad quintum, vt non sit intelligenda de his, qui vim inferũt iniustè. Hãc enim vim, etiam ante ius adquisitum ad beneficium licet repellere: secus si quis iustè vexetur. De qua explicatione dicam infra. Sylvester autem verbo *Simonia*, quæstio 13. & alij Recentiores aliter distinguunt. Dicunt enim videndum esse, an pecunia ante ius quæsitum detur ei, qui potest circa beneficium prodesse, vel ei, qui prodesse non potest, sed obesse. In priori euentu dicunt esse simoniam, quia emeretur ius spiritnale, & ita non licere vexationem redimere: in posteriori autem casu dicunt non emi ius spirituale, sed auferri impedimentum, datur enim pecunia illi, qui non potest conferre ius spirituale, & hac ratione licere tunc redemptionem vexationis. Prædictæ tamen distinctiones non videntur idoneæ, ad diluendam hanc dubitationem. Quia, vt dicebam supra illo §. redemptio vexationis tunc habet locum, quando offertur materia minoris peccati, licet enim minus malum consulere, neque alia distinctione, aut regula opus est.

Igitur

38 Igitur in hac re supposito, quod sit iniusta vexatio, si enim nō vexetur aliquis iniustè, non peccat qui vexat, atque adeō vexatus non potest illi offerre materiam peccati, quia tunc non offert materiam minoris peccati, cum ille alius, vt supponimus, non vexet. Considerandum ergo est, an qui iniustè vexat, talis persona sit, vt nullū omninò ius spirituale conferre possit, & tunc is, qui iniustè vexatur, poterit redimere talem vexationem, si offert materiā minoris peccati, & saltem non peccabit peccato simoniæ, si quidē vexans non potest conferre aliquod ius spirituale. Si verō persona iniustè vexās possit aliquod ius spirituale cōferre adhuc considerandum est, an vexatio illa versetur circa materiā beneficij, & rei spiritualis, vel circa aliam, quæ non sit materia simoniæ. Et quidem si iniusta vexatio non sit circa materiam simoniæ, vexatus poterit offerre pecuniam ad redimendam vexationem illā absque peccato simoniæ, quia nihil emit spirituale, sed tantum aufert impedimentū iniustum, ac proinde hac de causa habet ius ad illud auferendum offerendo materiā minoris peccati. Si autem vexatio versetur circa materiā ipsius beneficij, verū est, quod secūdo loco docent S. Thom. & alij, non esse simoniam, si quis offerat pecuniam ad auferēdum impedimentum iniustum contra ius, quod vexatus habet ad beneficium. Tunc enim non emit ius, cum iam illud habeat, sed tantum contendit auferre impedimentum illud, ac proinde non offert pecuniam pro re spirituali, & ita non potest peccare peccato simoniæ, & fieri potest, vt nullum peccatum committat, sed solum offerat vexanti materiam minoris peccati.

39 Secundum vero, quod dixit S. Thomas & alij, de eo qui vexatur ante ius adquisitū, multū hbeat difficultatis. Quia non potest aliquis iniustè vexari, quin vexans faciat cōtra ius aliquod vexati. Vel ergo tale ius est in materia diuersa à materia beneficij, & tūc vexatus non peccabit peccato simoniæ, si talem vexationem redimat pecunia, imò interdum nullum peccatum committet, vt antea dicebam, quia huiusmodi pecunia non datur pro re spirituali, sed pro remotione impedimenti. Quod si vexatio versetur circa materiam ipsius beneficij: ergò vexatus ius habet ad beneficium, aliàs enim non vexaretur iniustè. Ergò si offert pecuniam, non offert ad emendum ius spirituale ad beneficiū, quia hoc ius ipse prius habebat, & prædicti Doctores fatentur non esse simoniam offerre pecuniam, quando quis habet iam ius adquisitum ad beneficium.

40 Soto loc. sup. cit. vt vidimus, manifestè concedit licitum esse offerre pecuniam his, qui vexant iniustè, & cum hoc vult Sanctum Thom. intelligendū esse, vt non detur pecunia his, qui iustè vexant. Quæ tamē Soti explicatio manifestè pugnat cūD. Thom. qui planè loquitur de eo, qui iniustè vexat, & aliàs nō diceretur iniusta vexatio. In præsenti autem difficultate loquimur de vexatione iniusta: quia si iusta vexatio est, non esset licitum offerre vexanti materiā peccati. Eodē fere modo alij videntur intellexisse D. Thom. dicunt enim non esse licitum offerre pecuniam vexanti, quando opponit iustum impedimentum, quod deducitur ex cap. *Matth. de simonia*, & ita intelligit sentētiam D. Thomæ, & Sylvestri, Lessius lib. 2. de iustitia cap. 35. concluſ. 18.

41 Alij alio modo conantur explicare D. Thom. distinguentes de iure in re, & ad rem ius in re habere dicitur, quod quis habet iā adquisitū circa rē, quam possidet, ius tamen ad rē dicitur, quod quis habet vt sibi detur res. Dicunt ergo prædicti Doctores, eū qui solū habet ius ad beneficiū cōparandū, & nō habet ius in re, nō posse redimere suā vexationē, secus tamē illum, qui habet ius in re. Sed contra hanc doctrinā est primo S. Tho. simpliciter distinxisse de eo, qui habet ius, vel non habet. Deinde si is, qui habet ius in re, potest redimere suā vexationē per oblationē materiæ minoris peccati, eodē modo poterit is, qui habet iusad rē, si cōtra tale ius vexetur iniustè, quia per talē redemptionē vexationis nō intendit emere ius ad beneficiū, quod iam habet, sed auferre impedimētum iniustū. Illud ergo solum præ oculis habendū est, an per oblationē pecuniæ offeratur materia minoris peccati ei, qui iniustè vexat, quia vt sæpe diximus, nos loquimur cum communi Doctorum de redemptione vexationis iniustæ, in qua prædicta regula obseruanda est.

42 Præterea ex predicta doctrina nō est difficile aliam dubitationē soluere, de qua nōnulli Doctores differunt. An sit licitum in electione Summi Pontificis offerre pecuniā electoribus, vt vnus aliquis determinatē eligatur, quando prudenter timetur Ecclesiæ damnum, si alius eligatur. In quo dubio Caiet. tom. 2. opuscul. tract. 9. q. 3. fatetur licitum esse offerre pecuniam, ne eligatur indignus, quod etiam docuit Lessius supra dubit. 19. Cuius ratio ex dictis colligetur.

Quærimus autem, an expresse possit dari talis pecunia, non solum vt non eligatur indignus, sed etiam vt in prædicto euentu talis persona determinatè eligatur. Nonnulli negare videntur, quia tunc offertur pecunia pro electione ipsa, & ex consequenti emitur aliquid spirituale.

43 Affirmant tamen licitū esse Soto lib. 9. de iust. q. 6. a. 1. Nau. in sum. c. 24. n. 102. Valent. 3. to. disp. 10. generali q. 2. puncto 3. §. 4. Les. dubit. 19. cit. in fine, & mihi placet. Quia in hoc euentu potest habere locū redeptio vexationis iniustæ, quæ prudenter timetur, offerturq; materia minoris peccati, minus enim peccatū est acceptio illa pecuniæ, etiāsi electores simoniā cōmittant, quā vexatio iniusta totius Ecclesiæ, vt per se cōstat. Ad rationem verò contrariæ sententiæ respondetur eum, qui offert pecuniā in casu assignato, nō emere rem spiritualē, quia nō existimat rem illam esse pretio cōparandā, vt iam explicui supra isto §. sed solum vult offerre materiam minoris peccati.

44 Deniq; ex tradita doctrina facile colligitur quomodo philosophādū sit in electione ad Cathedras. Si enim vnus ex candidatis dignus est, & cæteri indigni, offerri pecunia potest, non tantū ne eligantur alij, & ne Scholastici suffragiū pro illis ferant, sed etiam directè potest offerri pecunia, vt eligatur ipse, qui dignus iudicatur à viris prudētibus, & literatis, qui in iudicando non ducuntur amore vel odio, sed ratione. Quod si alius dignus etiā sit, nō licet pecuniā Scholasticis offerre. Idem dico si vnus ex eis dignior sit reliquis, qui nō digniores, digni tamē sunt, posse offerre pecuniam, vt eligatur dignior omisso digno. Cuius doctrinæ ratio desumitur ex dictis. Est enim graui' peccatū eligere indignū prætermisso digno, vel eligere dignū omisso digniori, quam furtū cōmittere, quod perpetratur in ea acceptione pecuniæ, vt constat. Vnde licet offerre materiā minoris peccati. Hoc tamē intelligendū iuxta ea, quæ dixi §. præcedēti, si scholasticus paratus sit maius peccatū cōmittere, sci licet eligere indignū omisso digno, vel dignū omisso digniori. Quod si duo reperiātur æq; digni, quia vel re ipsa sunt, vel difficile de eorū excessu iudicari potest, nō licet tūc offerre pecuniā scholasticis, cum nō offeratur materia minoris peccati, si quidē illi in cuiusq; ex illis electione, iustè agunt, solum excipe casum, si scholasticus prius nō incitatus, sed sua sponte pecuniā postulauerit, aut indicauerit, licet enim dare in eo euentu.

Colligitur, quando liceat petere mutuum ab vsurario sine scandalo.

§. SEPTIMVS.

SVMMARIVM.

Sensus quæstionis. num. 45.
Licitum esse petere mutuum ab eo, quem scio exacturum vsuras. num. 46.
Licere petere mutuum ad vsuras nonnulli affirmant. num. 47.
Improbatur. num. 48.
Ratio veræ sententiæ. num. 49.
Ab eo, qui paratus nō est non licere petere. nu. 50.
Quæ necessitas vel vtilitas requiratur in postulante. num. 51.
Quid si mutuatarius petat ad negotiandum. n. 52.
Non esse peccatum in soluendis vsuris. n. 53.
Obiectio diluitur. num. 54.

45 DVOBVS modis potest peti mutuum ab vsurario. Primus est, cū tantum petitur mutuum ab eo, quem scimus exacturum esse vsuras: alter est, cum expresse aliquis petit mutuum sub vsuris.

46 Quod ad primum attinet, omissis aliorum opinionibus, mihi videtur certum licere petere mutuum ab eo, quem scio exacturum esse vsuras. Quæ videtur esse sententia D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 4. Quæ tamen doctrina explicanda est iuxta regulas supra positas. Nam si aliquis non sit paratus exigere vsuras ex consuetudine, vel ex malitia, sed ex infirmitate, vel ignorantia petiturus est, non est licitum ab eo huiusmodi mutuum exigere, vt constat ex dictis in 4. regula vbi ostendimus dimittendam esse quamcunque vtilitatem temporalem, vel spiritualem propter scandalum passiuum alterius futurum ex infirmitate, vel ignorantia. Si autem aliquis paratus sit exigere vsuras, licitum est propter vtilitatem tantum temporalem mutuum petere, etiamsi ille revera petiturus sit vsuras iuxta regulam 3. supra assignatam. Petitur enim ab illo actus, qui posset benè fieri, & alterius culpa fit malè. Vnde si sine aliquo meo damno possim ab alio mutuum petere, qui sine vsuris concedat, non possum petere ab vsurario, cessat enim vtilitas temporalis.

47 Quod verò attinet ad secundum difficilius, explicatu est, an scilicet illi, qui paratus est dare vsuras, licitum sit dicere.

Da

Da mihi mutuũ ad vsuras, vel da mihi mutuo centum, & reddã tibi centum, & decẽ; an verò iste talis dicatur cooperari peccato vsurarij. Soto lib.6.de iustitia q.1.art.5. respondet istum non peccare, sicut neque, qui petit à meretrice consensum ad fornicationẽ, cõmittit aliud peccatũ, quam fornicationẽ, quia sic petẽdo nõ inducit meretricem, quã sententiam secutus est Molin.tom.2.de iustitia disp.335. At vero Greg.de Valen.3. to.disp.cit.generali pũcto 4.quẽ sequuntur Recẽtiores alij, sic distinguunt, supponẽtes eũ, qui eo modo petit mutuum, non intẽdere ruinã spiritualem proximi, sed suũ cõmodũ qui ergo peteret ad vsuras, ita vt eius petitio esset cõiuncta cũ desiderio, vt alter det sic, & non aliter, id est ad vsuras, & non gratuitò, absq; dubio peccat, & idẽ dicendum si habet cõplacentiã de peccato alterius. Similiter si ille, à quo petit mutuũ sub vsuris, aliquomodo excitetur per huiusmodi petitionẽ ad mutuandũ sub vsuris, taliter quod licet alias sit paratus, nõ tamen semper neque omnibus mutuatur sub vsuris; si deniq; sit aliquid speciale in ipsa petione ratione cuius alius mutuetur sub vsuris, in his omnib⁹ casib⁹ peccatũ est in tali petitione, & aliqua lis cooperatio ad peccatũ alterius. Idem docent de eo, qui petit consensum ad fornicãdũ à fœminà, quæ nõ omnibus prosternitur, si ex tali petitione aliquo modo excitetur ad peccandũ. At verò quãdo ista petitio est simplex propositio, ex qua nullo modo ali⁹ excitatur, sed mutuatarius solũ explicat animũ suũ, quẽ habet ad soluendũ vsuras, in tali casu nõ est peccatũ, quia potest esse vsurarius ita paratus, vt idem sit ab eo petere mutuum, atq; petere ad vsuras, neq; ex hoc secundo aliquo modo incitetur, præsertim quando nõ est mutuũ explicitum, sed palliatum, vt in vẽditione, vel alio cõtractu. Quibus addunt Recẽtiores, quod quãdo aliquis paratus est ex habitu, & quasi remotè, non licet petere vsuras, ne alter excitetur ab habitu ad actum peccati: tamẽ si quis actu exerceat vsuras, non excitatur per hoc quod alius petat.

48 Verùm mihi neq; Soti sententia, neq; istorũ distinctio probari potest, & res videtur in praxi scrupulis, & difficultatibus plena. Vt autẽ eorũ sententia refellatur, & nostra probetur, suppono contra nõnullos nũquã licitũ esse inuitare ad actũ peccati eũ, qui paratus est illud committere. Quod adeò verũ est, vt existimẽ oppositum carere probabilitatis specie. Tum quia sequeretur licere inuitare ad fornicationẽ, vel homicidium eum, qui paratus est occidere, aut fornicari, & licere etiã hominẽ paratum non audire Missam die festo inuitare ad ludum, & eo ludo ipsum detineri, ne audiat Missam, dũmodo nihil horum fiat ex intentione ruinæ proximi. Tum etiã, quia ille, qui inuitat aliũ ad peccandum, non semper ex eo peccat, quia directè intendat ruinã proximi, sed quia sua det actum tali loco, & tẽpore, ex quo sequitur malitia cõtra aliquod præceptum. Vnde fit nõ licere inuitare ad cœnandũ tempore ieiunij eum, qui paratus est cœnare, quia cũ illo actu tali loco, & tempore inseparabiliter est coniuncta malitia. Hinc etiã constat, quomodo peccent famuli ministrantes cœnantibus eo tẽpore. Si enim cibaria, quæ ministrantur à famulis, sunt prohibita simpliciter eo tempore, quales sunt carnes tempore ieiunij, quibus domini non possunt benè vel malè vti, sed necessario malè vescũtur, in eo casu licitũ non est famulis huiusmodi carnes ministrare, quia, reuera cooperantur peccato. Si tamen cibaria, talia sint, quibus domini ea hora, & tẽpore benè vel malè vesci possint, licitum est famulis ministrare, etiam si sciant dominos peccaturos in vsu illorum ciborum. Ex quo magis in speciali colliges, sicut die ieiunij carnes ministrare, quia illarũ nõ potest esse bonus vsus, peccatũ famulorũ est, ita etiam nocte diei ieiunij hora refectiunculæ ministrare cibaria, quorum rectus vsus in ea refectiuncula esse non potest, peccatũ erit propter eandem rationem. Idem dicendum, si extra horas, in quibus eo die vsus ciborum esse potest, cibaria ministret, cooperatur enim violationi præcepti. Atq; ex hoc etiã iudicabis, quid dicendũ de famulis, qui sciẽter literas deferũt ad fœminas, cũ quibus domini inhonestã consuetudinẽ habẽt, vel numos, vel quæ ad vitę sustẽtationẽ necessaria sunt, vel illas dominis iubentibus vocant, & domũ adducũt; in his enim omnibus, peccatũ est, cũ cooperentur ad malũ hic, & nunc. In deferendis autẽ nummis aliqua ratione excusari possent, si eos deferant, vt mercedẽ iniquitatis: tunc enim tantũ cooperarentur solutioni debiti, quæ licita est, quãuis ex iniqua causa debitũ contractum sit, vt satis notum est.

49 His suppositis facilis colligitur ratio pro nostra sentẽtia. Nã illa propositio peccati, cũ petitur mutuũ sub vsuris, est propositio actus, qui ab illo benè vel malè fieri nõ potest, atque adeò est inductio ad peccatũ hic, & nunc. Vt autem ea inductio sit, non est

neceſſarium, vt quis vel deſideret, vel conplaceat in eo, quod alter non det niſi ſub vſuris; ſatis enim eſt, vt proponat materiam, cum qua hic, & nunc coniunctum peccatum eſt, vt dicebamus. Neque quidquam refert, quod habeat iam actu animum peccandi, vt ideò non dicatur induci: induco enim ego reuera, quātum ex me eſt, vt ſatis conſtat. Neque etiam placet limitatio, quam addunt Recentiores vltimo loco, ſi enim licitum eſſet in aliquo caſu â parato petere mutuum cum vſuris, parum referret, quod tantum habitu paratus eſſet, & non actu. Quare dicendum eſt numquam licere petere mutuum expreſſe ſub vſuris, vt expreſſe docuit Caiet. 2. 2. q. 78. ar. 4. Nauar. in Manual. cap. 27. nu. 262. An autem in caſu extremæ neceſſitatis, vt ſubuenias indigenti, ad quod ex miſericordia teneris, liceat cõſulere, vt des ad vſuras, ex eo pendet, quod iam ſupra reſolutum eſt, ſcilicet licere conſulere minus malum, vt euitetur maius, videndum autem hic, an ſit minus malum peccatum iniuſtitiæ, quod cõmittitur in vſuris, quam peccatum non ſubleuãdi extremã neceſſitatem, quod eſt contra miſericordiam.

50 Relinquitur ergò nunquã eſſe licitũ petere mutuũ ſub vſuris. Petere autẽ mutuũ ab eo, qui paratus non eſt, non licet, quia ille non peccaret ex malitia, ſed ex infirmitate, & teneor euitare huiuſmodi peccatum omittẽdo opus quod mihi nõ eſt in præcepto, ſed tãtũ vtile. At verò quãdo paratus eſt, ſiue actu, ſiue habitu dare ſub vſuris, poſſum licitè mutuum petere, etiam ſi ſciam exactu rum vſuras, ſi tamen aliqua mea vtilitas aut neceſsitas verſetur, iuxta ea quæ in principio huius §. dicebamus.

51 Sed opus eſt, vt magis in ſpeciali explicemus, qualis debeat eſſe huiuſmodi neceſsitas, aut vtilitas in eo, qui petit mutuum ab vſurario, vt licitè dicatur petere, & non cooperetur peccato alterius. Et in primis nõ opus eſt, vt ſit aliqua extrema, vel grauis neceſsitas, vt omnes fatẽtur. Vnde Caiet. & Soto quos alij ſequuntur, merito affirmant ſufficere eſſe aliquã vtilitatem ad decentiã ſtatus, & debitum ornatum mutuatarij, vel ipſius familiæ, vt licita ſit hæc petitio ab eo, qui paratus eſt dare ad vſuras.

52 An vero licitũ ſit petere ad vſuras, quãdo mutuatarius petit ad negotiandũ cũ pecunia ſic accepta: dubitationẽ habet. Fertur D. Thom. reſpondiſſe cuidã Florentino nõ licere. Sed intelligebat, vt ego credo, quãdo huiuſmodi negotiatio aut nõ erat neceſſaria, nec decẽs ſtatũ alterius petẽtis mutuũ ab vſurario, ſed ad lautiùs viuendũ. Nã ſi negotiatio neceſſaria eſſet ad vitã agendã, vel vtilis ad cõſeruationẽ ſtatus, licitũ eſſet petere mutuum ab vſurario propter huiuſmodi negotiationẽ. Imo nõ ſolũ ad bonũ vtile, ſed etiã ad delectabile, quod alias eſt licitũ, poteſt aliquis petere pecuniã mutuã ab vſurario, vt quãdo viri generoſi, atq; illuſtres petũt ad exercẽda torneamẽta, vel alios ſimiles equitũ actus, aut ludos, vt optimè obſeruãt Caiet. Soto, & alij. Quod tamẽ limitandũ videtur ad caſum, in quo huiuſmodi generoſi viri aliquã notã incurrerent, ſi iſtis ludis nõ aſsiſterẽt, præſertim ſi alij eius cõditionis ac ſtatus aſsiſtũt, & cauſa iſtorũ ludorũ eſt publica lætitia, & dũmodo non fiat exceſſus in eorũ ludorũ ſumptibus, in quo frequenter peccant equites ratione ſumptuũ. Reſponſum ergo D. Thom. quod non liceat petere mutuum ab vſurario ad negotiandũ cum pecunia ſic accepta, intelligendum eſt, quando negotiatio neque eſt licita, nec neceſſaria, neque vtilis.

53 Sed deniq; quæret aliquis, an ſit peccatũ in ſoluẽdis vſuris, videtur enim ſoluẽs cooperari peccato iniuſtæ acceptionis. De quo dubio ſolus agit Valẽtia, quẽ ego viderim. Reſpõdet autẽ, quod ſiquis peccauit petẽdo mutuũ peccat etiã ſoluendo vſuras. Cẽterũ mihi abſolutè loquẽdo, & ſe cluſa praua aliqua intẽtione ſolũque ſpectata vſurarũ ſolutione, videtur nullum in ea inueniri peccatũ. Idq; manifeſtè conuincitur argumento deſumpto ex *c. debitores, de iure iurando.* Iuramẽtum de re illicita nõ eſt ſeruandũ, cũ iura, & ratio clamẽt, iuramẽtum non eſſe vinculũ iniquitatis. At iuramentũ de ſoluẽdis vſuris eſt obligatoriũ, & adimplendũ ex *d. c. debitores.* Ergò non eſt peccatũ in ſoluendis vſuris, alias non ligaret eiuſmodi iuramentum, imo peccatum eſſet adimplere.

54 Sed obijci poteſt. Quia qui dat proximam materiam alteri ad peccandũ, in hoc ipſo peccat: vt ſiquis dederit vinum ebrio, vel depoſuerit virginẽ apud luxurioſum. Sed qui ſoluit vſuras, dat proximam materiam vſurario ad peccandum. Ergo peccat. Neque ſatis eſt dicere vſurarium eſſe paratum, quoniam etiam ſi aliquis ſit paratus inebriari, peccat qui dat illi vinum. Reſpondetur tamen eum qui ſoluit vſuras, non offerre materiam proximam peccati, ſi rectè inſpiciatur, in quo differt valde ab eo, qui offert vinum, vel deponit virginem, ſed extorquẽtur ab eo pecuniæ. Quare non agit ſed patitur

tur iniustitiam, pati autem iniustitiam nullum omninò peccatū est. Quod autem ille revera non offerat, sed tantū patiatur, ex eo colligi potest, quia sæpe potest contingere, vt cogatur soluere, vt si interuenerit instrumentum de cōtractu, & iuratum, vt dictum est. Ergo signum est hunc non offerre materiam, sed pati iniustitiam. De his tamen latè in tractatu de vsuris.

Colligitur an liceat inducere ad iurandum, quem scio falso iuraturum, vel iuraturum verè per falsos Deos.

§. OCTAVVS.

SVMMARIVM.

Sensus quæstionis. num. 55.
Non licet inducere ad iurandum sine causa, quē scio falso iuraturum. num. 56.
Potest tamen petere à iudice, vt compellat ad iurandum, licet sciat falso iuraturum. n. 57.
Non potest id facere priuata persona extra iudicium. num. 58.
An possit peti ab aliquo vt iuret rem quam existimat esse veram, & petens iuramentum, scit esse falsam remittitur. num. 59.
Qui falso iurat per falsos Deos, quo modo sit periurus. num. 60.
Posse licite peti iuramentum ab eo, qui iuraturus est verum per falsos Deos explicatur iuxta traditas regulas. num. 61.
Obiectio soluitur. num. 62.
Quid seruandū in iuramento promissorio. n. 63.
Alia etiam breuiter explicantur. num. 64.

55 QVÆSTIONIS huius occasio sumitur ex eo, quod inducere ad peccatum sit peccatum scandali iuxta dicta: hoc autem videtur esse, si quis inducat alium ad iurandum, quando scit illum falso iuraturum. Ex regulis autem supra positis facile huius dubij solutionem deducemus, & prius agemus de primo, postea de secundo.

56 Quod ad primum attinet, in primis certum est non posse aliquē inducere alterum ad iurandum sine causa, quem scit falso iuraturū. Quia licet petat actum, qui bene fieri ab alio potest, tamen manifestè est cōtra rationē offerre alteri occasionē peccati absque aliqua causa ex parte ferentis, vt docēt Doctores cōmuniter iuxta doctrinam tradi tam in tertia regula, & in specie docuit Gabriel Vazq. 1. 2. disp. 102. c. 6. in fine, atq; hoc sensu accipiendus est Augustinus in ca. *ille qui hominem prouocat*, 22. *quæst.* 5.

57 Deinde dicendū est posse hominē iusta de causa petere, vt iudex cogat alterū ad manifestandā veritatem sub iuramēto, etiamsi sciat falso iuraturum. Hanc partem probo ex August. serm. 28. de verb. Apost. & refertur in ca. *qui exigit*, 22. q. 5. vbi fatetur posse hoc iudicē ratione potestatis & officij, qui ad veritatem indagandam tenetur, & exquirēdā modo licito, quo possit & versatur bonum adimplendi suum munus, ad quod tenetur ex pacto cum Republica. Ergo qui ab illo petit, rem iustam petit, etiamsi sciat falso iuraturum. Quam sententiā sequitur D. Thom. 2. 2. q. 98. a. 4. Sot. lib. 8. de iust. q. 2. a. 3. Couar. in *regula, quamuis pactum*, p. 1. §. 6. num. 2. alijque non pauci.

58 An verò possit quis, vt priuata persona extra iudiciū petere iuramentū ab eo, quem scit falso iuraturū, quæstionē habet. Et quidem placet Augustini sententia affirmātis non licere in d. cap. *qui exigit*, & *in d. c. ille qui hominem prouocat*, ex serm. *de Decollatione S. Ioannis Baptistæ*, siue serm. 11. de Sanctis. Idem docent secuti Augustinum D. Thom. & Couar. locis proximè citatis. Hanc autem esse mentem Augustini facile intelliget quisquis legerit illius verba. Docet enim licitum esse exigere iuramentum ab eo, qui iuraturus est verū per Deos falsos, negat tamen licere priuatæ personæ exigere iuramētum ab eo, qui falso iuraturus est, quod tamē dicit licere iudici propter suum officiū. Probat autem Augustin. non licere priuatæ personæ exigere iuramentum extra iudiciū ab eo, quem scit falso iuraturum, quia si ille falso iuraturus est, nullum est bonum, quo possit vti is, qui petit iuramētū. Hoc autem explicat August. assignans discrimen inter illum, qui petit iuramentū ab eo, qui iuraturus est verū, licet per falsos Deos, & inter illum, qui petit iuramentum ab eo, qui iuraturus est falsum: prior enim potest vti ex causa iuramento alterius, vt dicā infra isto §. quia in illo iuramento est bonū fidei, inquit August. id est, bonum veræ assertionis, ex qua potest vtilitas aliqua accrescere petenti iuramentum. in iuramento tamē falso nullū est bonū inquit August. quo possit vti is, qui petit iuramentū. Cum enim sit ibi bonū veræ assertionis, quod possit esse vtile petenti iuramentum, & ratione cuius possit ex causa permittere peccatum iuranti: quam rationem meo iudicio acutè concepit Augustinus, licet breuiter explicuerit.

Cum ergo communiter doceant Doctores, vt vidimus in tertia regula, non posse sine causa peti ab aliquo actum aliquem, in quo ille peccaturus sit, & in prædicto euentu iuramenti falsi non sit bonum aliquod, ex quo petēti accrescat vtilitas, merito docuit Augustinus id non esse licitum, quod amplius explicabo isto §. insequētibus. Quod aliquid peculiare habet circa iuramentum promissorium, hactenus enim locuti sumus de assertorio; peccat autem is eodem peccato, ad quod inducit.

59 Sed quæret aliquis, an Ioannes, v. g. possit petere à Petro, vt cum iuramento affirmet rē aliquā, quā Petrus existimat esse veram. Ioannes autem certò cognoscit esse falsam. Exemplum sit valde frequens. An possit aliquis in Academia petere ab alio, vt sub iuramento affirmet petentem audisse lectiones Theologiæ, v.g. per maiorem anni partem, quod appellant *probar el curso*, & tamen, qui petit scit illud esse falsum, & alter à quo petitur, deceptus putat esse verum. In quo generatim docuit Ioannes Azor tomo 1. instit. moral. lib. 10. cap. 11. q. 2. §. *Quæres*, id non esse licitum. Et ratio est, quia nullus potest inducere aliquem ad actum, quem scit esse peccatum, etiamsi inductus facturus sit illud ex ignorantia. Sine controuersia enim est, non esse licitum inducere alterum in fornicationem, etiamsi ille commissurus sit fornicationem ex ignorantia, putans non esse peccatum, aut fortasse esse rem suam, quæ aliena est. Præceptum enim, quo quis prohibetur tale peccatum committere, etiam obligat ad vitandū tale peccatum in altero, id est, ad non inducendum illum ad actum, quem inducēs scit esse peccatū. Sed hæc sententia vniuersim accepta non est omninò vera, de qua tamen latè ago lib. 7. de ordine cap. 11.

60 Quod verò attinet ad secundum. An scilicet liceat inducere ad iurandum eum, quem scio iuraturum esse verum, per falsos tamen Deos, supponenda in primis Augustini doctrina sermone 28. de verbis Apostoli, vbi expresse docet sic iurantem esse periurum, si non impleat, aut si falsum dicat, & idem videtur docere Augustinus epist. 154. ad Publicolam, & refertur in cap. *mouet*, 22. quæst. 1. & eandem sententiam amplectitur Couarru. in cap. *Quamuis pactum*, §. 7. Quā Augustini doctrinam sic esse intelligendam docuit Petrus Aragon 2. 2. quæst. 98. art. 2. Azor lib. 10. cap. 12. scilicet, si is, qui iurauit falso errore ductus revera existimat esse veros Deos. Nam propter conscientiam erroneam peccat peccato periurij, quod elegantibus verbis docuit Augustinus sermo. citato. Et ratio est, quam ipse indicat: quia ille ex falsa sua oppinione infert iniuriam illi, quem putat verum Deum, etiamsi revera ille non sit Deus. At si ille qui iurat per falsos Deos, cognoscebat non esse veros, non potuit committere verum periurium non implens promissionem, aut falsum dicens. Hoc enim peccatum est irreligionis contra verum Deum, atque adeò ad implendam promissionem per se loquēdo tantum obligabitur virtute iustitiæ, aut ad asserendam veritatem ex virtute veritatis, aut fidelitatis: fieri autem poterit, vt exterius ex falsa aliorum opinione ille iudicetur periurus, si existiment decepti hominem illum, qui iurauit per falsum Deum, iurasse per Deum verum, quod etiam indicat Augustinus sermone citato. Quo supposito dubitatio est in primo casu, quando scilicet, qui iuraturus est per falsos Deos existimat veros Deos esse.

61 Communiter recipiunt Doctores Scholastici doctrinam eiusdem Augustini epist. cit. non longe à principio, qui docet id esse licitum, sequitur Diuus Thomas 2. 2. quæst. 98. art. 4. Magister in 3. dist. 39. §. post hoc quæritur. Vbi refert Augustini verba, & sequuntur ibi Scholastici, & interpretes D. Thomæ 2. 2. loco cit. vel quæst. 89. & sequitur etiam Couarruuias in cap. *Quamuis pactum* part. 1. §. 1. in fine. Ioannes Azor d. lib. 10. cap. 11. cit. quæst. vlt. Valentia disp. cit. generali puncto 3. Soto lib. 8. de iustitia quæst. 2. art. 4. & alij Recentiores. Ratio vero huius doctrinæ petenda est ex his quæ in regula 3. & 4. modo dicebamus. Quia subsistente causa possumus vti actu alterius, qui potest benefieri, licet ille alius male facturus sit, & peccaturus ex malitia. Possumus ergo petere ab altero, vt verum iuret, si verum dicturus est, etiamsi iuraturus sit per Deos falsos. Est enim ibi bonum aliquod, & habemus causam ad petendum illud iuramentum, bonum autem est vera assertio illius, quæ nobis vtilis, aut necessaria esse potest. Ergo possumus illud iuramentum petere causa subsistente. Quod autem ille iuraturus sit per Deos falsos, nihil refert, quia nobis nocere non debet, quod oritur ex malitia illius. Quod si peccaturus esset ex ignorantia, prius est liberandus ab illa, quam induceretur ad iurandum iuxta dicta supra regula 4.

62 Sed

62 Sed vt explicetur magis doctrina tradita sic obijcio. Licitum non est petere iuramentum ab eo, qui iuraturus est falsum. Ergo non est licitum petere iuramentum, ab eo qui iuraturus est per falsos Deos, vterque enim iuraturus est ex malitia, vt supponimus. Huic obiectioni satisfecit iam olim Augustinus loco citato, & Sanctus Thomas ex doctrina illius 2.2.quæst. 98.art. 4. & nos assignauimus discrimen inter vtrunque supra isto §. Discrimen autem est, quod paucis verbis, sed disertis reddidit nobis Augustinus, nempe in eo, qui iuraturus est verum per falsos Deos, esse bonum aliquod, quod potest esse vtile petenti iuramentum, nempe bonum veræ assertionis. Si ergo ea vera assertione indiget, poterit petere iuramentum, & vti bene illo, malitia enim iurantis petenti iuramentum nocere non debet. In eo autem qui iuraturus est falsum extra iudicium, nullum est bonū, ad quod habeat ius petens iuramentum, vel quod illi vtile esse possit. Pone enim me egere ad aliquid indagandum assertione alterius, si ego scio alium etiam sub iuramēto negaturum, quæ vtilitas ad me deriuari potest ex falsa illius assertione extra iudicium. Et ideô dixit Augustinus in tali iuramento, non esse bonum fidei, quo possit vti petens iuramentum, quod manifestum discrimen est, illudque etiam assignari potest inter illum, qui petit iuramentum ab eo, quem scit falso iuraturum, & eum qui petit ab aliquo mutuum, quem scit non datum sine vsuris. Nam qui petit mutuum ab vsurario, petit actum, in quo est bonum aliquod, & habet causam petendi. Potest ergô vti actu alterius qui peccaturus est ex malitia. In actu autem iuramenti falsi, non est bonum aliquod, quo possit vti petens iuramentum.

63 Illud denique notandum est circa iuramentum promissorium, quod etiamsi iurans sit falso iuraturus, id est, sine animo adimplēdi, si tamen petens iuramentum probabiliter, & prudenter iudicat illum impleturum iuramentum, meo iudicio petere potest ab illo, vt iuret, causa subsistente, scilicet vtilitate adimpletionis, quia in adimpletione talis iuramēti est bonum aliquod fidei, qua potest vtilis esse iurans, etiamsi iuraturus sit sine animo adimplendi promissionem. Sicut ergo admittit Augustinus aliquem posse ex causa inducere alium ad iurandū, quādo iuraturus est verum, etiam si ex malitia iuraturus sit per falsos Deos, quia in eo iuramēto est bonum veræ assertionis, quo pō test vti petens iuramentū ex causa, ita consentaneè ad doctrinam Augustini dicēdum est posse hominem inducere alterum ad iurandū promissionem, etiamsi iuraturus sit sine animo implendi, si tamen prudenter iudicetur impleturus, in hoc enim euentu est bonum fidelitatis in impletione iuramenti atque adeô potuit illo vti petens iuramentum ex causa idonea.

64 Atque ex prædictis regulis, ne longius procedamus, decidenda sunt ea, quæ pertinent ad fæminarum licitum ornatum, & similiter an possit aliquis vēdere ea, quibus scit alium malè vsurū, cum tamen possit benè vti, vt Agnum Iudæo, quem scit immolaturum, aut vestes Idolorum sacerdotibus ad immolandum, & an liceat locare domum meretrici, quam scio abusuram esse domo ad peccatum, & an etiam liceat Christianis remigare apud Turcas contra Christianos. In his enim & alijs ea regula obseruanda est iuxta doctrinam traditā, vt liceat exercere eum actum, vel petere qui potest ab alio benè vel malè fieri, vel quo potest alius bene vti, quando subest aliqua causa vtilitatis, vel temporalis, vel spiritualis petentis, aut exercentis actum iuxta ea, quæ in superioribus dicta sunt.

Colligitur qua ratione liceat sacramentorum administrationem petere ab excommunicato.

§. NONVS.

SVMMARIVM.

Quomodo liceat petere sacramentum ab excommunicato adhibita distinctione explicatur iuxta prædictas regulas. num. 65.

Non excusatur quis ex eo quod petat à suo parocho, num. 66.

Quid, quando scit esse in statu peccati mortalis. num. 67.

Quomodo liceat petere vt parochus excommunicatus assistat matrimonio. n. 68.

65 DIFFICVLTAS hæc, quæ ex regulis traditis non obscure diluitur, procedit de excommunicato nondum denunciato: nam de denunciato, fatentur omnes non esse licitum ab eo petere sacramenti administrationem. Varias autem distinctiones Doctores in hac re explicanda secuti sunt, quas late referimus in tractatu de excommunicatione. Nunc

autem breuiter pro huius explicatione supponendū est ex eodem tractatu peccare excommunicatum non denunciatum in administratione, & receptione sacramentorum, neque in hoc fauisse excommunicatis decretum Constantiense. Quo supposito facile colligitur iuxta traditas regulas, huius difficultatis explicatio, cum enim excommunicatus nulla ratione possit propter petitionem administrare sacramentum, sed administrando peccet, aliquando petenti imputabitur peccatum ipsius iuxta regulas supra positas §. 1. 2. & 3. Distinguendum autem est de statu excommunicati administrantis sacramenta, aut enim in eo statu est, vt copia absolutionis haberi non possit. Et in hoc casu semper imputabitur scandalum petenti, quia tunc petit sacramētum ab eo, qui acquiescēs eius petitioni, nō potest bene, vel male administrare sacramētū, sed necessariò administrabit malè, eo quod non est in eius potestate absolui ab excōmunicatione, propterquam impeditur ab administratione sacramenti, & tunc petitio habet rationē scādali actiui, quia petit id, quod necessariò malè faciendū est, si fiat. Si autem sacerdos copiam habeat absolutionis, sed illam nolit, tunc petitio non habet rationē scandali actiui, quia petitur id, quod benè & malè fieri potest, & in potestate concedentis est benè & malè administrare. Solum igitur erit scādalum passiuum in ea administratione, & in eo casu seruandæ sunt 3. & 4. regulæ supra traditæ §. 3. nēpe si minister sacramenti peccaturus sit ex malitia, tunc propter vtilitatem temporalem, vel spiritualem licitū est petere. Quod tamen intellige, si non æquè vtiliter accipi potest ab alio non excommunicato, tūc enim nulla vtilitas excusaret ab scandalo. Si autem peccaturus sit minister ex infirmitate, aut ignorantia, abstinendum est à petitione, donec cesset huiusmodi scādalum, vel post admonitionem, vt ibidem dictum est.

66 Ex his colligitur primo, ex eo solum quod aliquis petat sacramentum à suo parocho, non posse excusari, vt constat ex doctrina tradita. Quare in hoc casu dici non potest subditum vti iure suo petendo sacramentum à parocho. Quia subditus non habet ius petendi sacramentum à parocho, quando ille est legitimè impeditus. Neque in hoc casu dici potest subditus vti peccato alterius, sed potius inuitare ad peccatum, si parochus non potest benè & malè administrare sacramentum, vt dictum est. Quia inuitare ad id, quod bene fieri non potest non est vti peccato alterius tantum, sed ipsum positiuè scandalizare. Tunc autem dicimur vti peccato alterius tantum, quando sine scandalo actiuo ille scandalizatur, & scandalum passiuum eius nobis non imputatur iuxta regulas traditas. Quando enim imputatur, non vtimur peccato alterius tantum, sed sumus eius causa.

67 Secundò colligitur quomodo etiam philosophandum sit de eo, qui petit sacramentum ab eo, quem certo scit esse in statu peccati mortalis. Potest enim ab eo peti, si ex malitia administraturus est malè, & petens non potest ab alio recipere æquè benè, quia ille in sua potestate habet per actum contritionis se disponere, & reddere ministrum idoneum sacramenti. Si verò ex ignorantia aut infirmitate administrabit malè, admonendus erit iuxta dicta.

68 Denique colligitur quomodo philosophandum sit in eo, quod initio huius capitis propositum est, an scilicet liceat petere à parocho excōmunicato vt assistat matrimonio. Cum enim supra cap. præcedenti illatione 2. dixerimus peccare mortaliter parochum excommunicatum, dum assistit matrimonio, eo quod licet non communicet in sacramentis, communicat tamen in sacris, planum est esse peccatum actiuum scandali inuitare, vt assistat matrimonio, si aliàs copiā non habet, vt absoluatur à cēsura, iuxta ea quæ in hoc §. dicebamus. Quod si copiam absolutionis habuerit, licebit ab eo petere vt assistat, si tamen non sit alius, qui assistere possit, vel iure ordinario, vel de licentia ordinarij, tunc enim non licebit petere à parocho excommunicato, vt assistat. Quod verò attinet ad petendam licentiam à parocho excommunicato, vt alius eius nomine assistat, quando ab ordinario peti non potest, aliter iudicandum est. Quia cum petere ab illo licentiam non sit communicare in sacris, ratione vtilitatis petentis potest fieri licita ea communicatio iuxta generalem doctrinam in materia de excommunicatione. Dixi si ab ordinario peti non potest, quia si commodè peti potest ab ordinario, cessat iam ea vtilitas, quæ licitam reddebat eam communicationem cum excommunicato, maximè cum communicatio cum excommunicato non denuntiato, quæ non est in sacramentis vel in sacris, nō sit peccatum, iuxta ea quæ in tractatu de excommunicatione dicta sunt.

An

An sufficiat ad matrimonij valorem parochus, qui à legitimo superiore titulum habet, inualidum tamen?

CAPVT XIX.

SVMMARIVM.

Improbatur quod vulgo dicitur communem errorem ius facere. num. 1.
Nonnulla soluuntur. num. 2.
Regula generalis in hac materia, quando valeãt gesta ex communi errore. num. 3.
Requiri vt communi errore officij capax, aut iudex existimetur. num. 4.
Non habet locum quando impedimentum ortum fuit ex iure diuino. num. 5.
Locum habet, quando est impedimentum inductũ iure humano. num. 6.
Locum habet in his quæ pertinent ad forum exterius. num. 7.
Etiam in his, quæ spectãt ad forum interius. n. 8.
Obijciuntur nonnulla, & diluuntur. n. 9. & 10.
Etiam habere locum in iudice delegato. n. 11.
Alij dissentiunt. num. 12.
Idem dicendum etiamsi vitiũ nascatur ex commissionis defectu. num. 13.
Etiamsi vitium nascatur ex parte delegantis. numero. 14.
Idem in delegato ad causas fori interni. n. 15.
Idem dicendum siue ante delegationem, siue postea fiat incapax tituli. num. 16.
Idem dicendum comparatione eius, qui defectum scit, alijs ignorantibus. num. 17.
Idem dic, etiamsi sit confessarius quem scio carere iurisdictione. num. 18.
Quid dicendum in matrimonio. num. 19.

1 VT veram huius rei decisionẽ tradamus, quæ alijs etiam multis casibus communis est, repetẽda est res ista aliquanto altius. Non pauci Doctores hactenus affirmarunt communẽ errorem ius facere Glossa in l. *Barbarius*, D. *de officio Prætoris*, verbo, *reprobari*, & communiter interpretes in d. *l.* & §. *sed cum inst. de testam. ordin.* & Thomas Sanchez lib. 3. disp. 22. num. 6. communis tamen error hic Doctorum est, vt rectè iam notarunt Antonius Guibertus q. iuris 20. num. 8. & 9. & multi alij, quos refert & sequitur Osual. ad Don. lib. 6. cap. 7. litera I. & lib. 1. cap. 5. litera A. vt enim inquit Guibertus, error contrarius est consensui, quem ius omne requirit, absurdumque est ius quod æquum, & bonum est ex erroribus nasci. Quare nunquam credendum est ex errore ius nasci, sed ex æquitate, & dispositione Imperatorum ob bonũ & vtilitatem publicam valere, quod alias mero iure non valeret.

2 Neque obstat text. in *l.* 39. *D. de legibus*, ibi, *errore obtentum*, potius enim insinuatur non ius fecisse errorem. Quia enim in similibus casibus, qui contingunt post compertum errorem, non obtinet, planè relinquitur ius non esse, quæ autem antea obseruata, nõ reuocantur, nõ quidẽ quia error ius faciat, sed propter vtilitatem publicam, qua multa facta durant, quæ fieri prohibentur. Et iuxta hæc accipio textum in d. §. 7. *sed cũ inst. de testam. ordin.* & text. in *l.* 1. *C. eodem*, vbi dicitur, eum qui verè seruus erat, si in communi opinione existimabatur liber, esse testem idoneum. Cum enim in hoc casu dicat Imperator liberalitate Principis subueniri, planum est testamentum illud mero iure non valuisse, alioqui Imperatoris subuentioni locus non esset. Quare non error, sed summa potestas Imperatoris, & benignitas illius iuris causa est, vt inquit Hothoman. in §. *testes 6. instit. de testamentis*, quia ex illo errore facti nihil imputari potest testatori. Sic etiam in eundem sensum accipio textum in *l.* 3. *in fine D. de supellectili legata*, ibi, *error ius facit*. Id quod nonnulli accipiũt de errore non communi, sed vnius tantum, & testatoris, qui existimauit candelabrum argenteum in argento relatum esse, atque adeò argenti esse videri. Sed non probo, cõmunẽ enim errorẽ indicat iure cõsultus ibi, *hodie propter vsum imperitorum*. Quare dico in specie eius textus non tam errorem, quã perspicuam testatoris voluntatem iuris causam esse, & facere ne error in nomine noceat, iuxta ea quæ dixi supra lib. 2.

3 Ex qua doctrina hanc desumo vniuersalem regulam. *Quoties causa publica bonum publicum agitur, si tamen materia subiecta est potestati Principum, valent ex æquitate, quæ gesta sunt cum communi errore.* Facit pro hac regula textus in d. *l. Barbarius Philippus*, D. *de officio Prætoris*, ibi: *Si seruus, quandiu latuit dignitate prætoria functus fuit.* Et infra: *Verum puto nihil eorum reprobari, hoc enim humanius est, cum populus Romanus etiam seruo potuisset detẽrnere hanc potestatem.* Cum qua lege concordat textus in *l.* 2. *C. de sent. & interloq.* & *l.* 4. *tit.* 4. *part.* 3. & *l.* 8. *tit.* 19. *lib.* 3. *compilationis*, & in iure Canonico textus in cap. *infamis* 3. *quæst.* 7. ibi, *sententia ab eo dicta rei iudicatæ firmitatem tenet.* De cuius legis interpretatio-

ratione multa communiter scribentes, ex quibus nonnulla, & maioris doctrinæ, & explicationis gratia colligemus.

4 Iuxta hanc ergò regulam in primis inferes, vt locum habeat, ad eam requiri cõmunẽ errorem, quo illi officij capax aut iudex existimetur. Idque ostendunt verba textus in d. *l. Barbarius, quandiu latuit*, & in d. *c. infamis, dum putaretur liber, & in d. l. 4. quando tal yerro como este fiziesse algun pueblo communalmente*. Si enim vnius tantum esset error, nullum sequeretur inconueniens, aut damnum cõtra publicam vtilitatem, si eius acta rescinderentur: quare nec satis esset error solius Principis titulum cõcedentis, neque communis error, si crassus, & supinus sit, error enim ille æquiparatur scientiæ c. *cum inhibitio, de clandestina desponsatione, & c. 2. de consuet. in 6.* & docet Thomas Sanchez citatis alijs d. disput. 22. n. 6. 7. & 8. Neque obstabit huic communi errori, quod in alio loco notorium impedimentum sit, aut in alio tempore fuerit, si iam ratione distantiæ loci aut temporis vitiũ occultum est, vt docet cum alijs idem Sanchez n. 9. & 10. Et pro hoc cõsiderari potest tex. in d. *l. Barbarius*, verosimile enim erat seruum illum alicubi notum esse, in ea scilicet regione, ex qua profugit.

5 Secundò colliges eam doctrinam locum non habere, quando impedimentũ fuit ortum ex iure diuino, atque ideo in regula posui, *si tamẽ materia subiecta est potestati Principis*. Vnde nec fœmina, quæ vir existimetur communi errore, excommunicare potest, neque non baptizatus: licet secundum opinionem eorum, qui censent hanc potestatem fœminæ à Papa concedi posse, aliter dicendum esset, de quo videndus Sairo lib. 1. de censuris cap. 5. num. 16. 17. 18. Huius autem doctrinæ ratio desumitur ex dictis. Si enim ex æquitate iuris disponentis illa valent, planè tantũ locum habere potest æquitas iuris in his, in quibus ipsum ius humanum supplere defectum potest, idque indicant illa verba textus in *d. l. Barbarius, cum populus Romanus etiam seruo potuisset decernere hanc potestatem*. Ex eo enim valere colligit, quia fingitur respublica supplere iurisdictionis defectum, quam vere conferre potuisset. Vnde fit, si careat iudex vsu rationis, vel furiosus sit, nulla eius acta valere: est enim defectus iuris naturalis, quem nulla principum potestas supplere potest. Idem dicendum si non Sacerdos absolueret, vel ordinaret, cum enim determinati sint iure diuino ministri, & materia, & forma sacramentorum non possint iure humano suppleri, aut immutari, si deficiat id quod iure diuino constitutum est, parum prodest communis error. Idem est, siquis Clericus sine intentione debita protulerit sacramentorum formas, vel absoluerit, vel baptizauerit, nulla sunt ab eo collata sacramenta ex defectu intentionis, quæ diuino iure ad conficienda sacramenta requiritur iuxta decretum Eugenij IIII. de sacramentis.

6 Tertio colliges eam doctrinam locũ habere, quando impedimentum est iuris humani, & auctoritate humana introductum, qua aufertur etiam, sicut introductum est, ideo enim valere vult eius gesta, & acta. Quare si seruus testis sit ignorata seruitute, vel tutor eligatur, vel iudex, valent gesta, quia hæc impedimenta iure humano inducuntur, atque tolluntur. Idem dicendum si crimen commiserit, ratione cuius sit ipso facto priuatus officio, si crimen communiter occultum est, & non censetur priuatus, valent acta in eo officio. Vnde gesta à prælato, qui occultè fœminã introduxit in monasterium, valent, ex eodem fundamento, vt docet Petrus Aragon 2. 2. quæst. 60. art. 6. Idem etiam dicendum, quanuis impedimentũ sit ab excommunicatione proueniens, siue in eam inciderit ante collatum titulum, siue postea. Idque si impedimentum excommunicationis occultum est, mihi facile persuadeo, cum mihi certum sit gesta per iudicem excommunicatum non denunciatum valere, sed rescindi posse, vt ostendi in tract. de excõmunicatione, & docet etiam Thomas Sanchez disput. citat. nu. 30. & Sairo d. lib. 1. cap. 5. à num. 32. Inducebar Decreto Constantiensi, & omnia iura quæ in contrarium adducuntur, antiquiora dixi, & ita solum habere locum in excommunicatis denunciatis. Idem dicendum ex eodem fundamento, quamuis impedimentum proueniat ab hæresi, hæreticus enim occultus impeditus tantum est iure humano. Quare ob vtilitatem publicam suppleri ille defectus potuit. Valebunt itaque gesta à Pontifice Romano hæretico, quamuis nullum hactenus hæresi infectum Pontificem extitisse in Romana sede ostendo alio loco manifestissimè.

7 Quartò colliges eam doctrinam locum habere in eo, qui per errorem constituitur iudex ordinarius in his actis, quæ pertinent ad forum externum, siue sit datio tutoris, siue collatio beneficij, siue electio, & similia. Adde etiam idem dicendum in excommunicatione ferenda. Quanuis non-

nulli

nulli contra senserint, quos reprobat Hugolinus de censuris tabula 1. cap. 2. §. 22. nu. 1. suppletur enim defectus, atque adeo valet, ac si potestatem legitimam collatam haberent, atque ita dicendum docet Thomas Sanchez cit. disp. 22. num. 11. sicut etiam valet excommunicatio lata à iudice excommunicato occulto, vt latè docet Sairo loco proximè cit. vbi respondet contrarijs.

8 Quintò colliges eam doctrinam locum etiam habere in gestis, quæ pertinent ad forum interius, & suppleri defectus potest iure humano. Idque vel ea ratione mihi persuadeo, quia maximè in hoc versatur publica vtilitas. Quare si publicæ vtilitatis causa acta valere voluit Princeps, cur non etiam hæc, quæ ad forum conscientiæ pertinent? Alijs rationibus probat Thomas Sanchez, mihi hæc videtur esse potissima; estque magis communis, atque recepta sententia, quam tenent multi quos refert, & sequitur idem auctor disput. cit. num. 13. Quare siquis peccata sua confessus fuerit illi, qui vere sacerdos est, carebat tamen iurisdictione, non est repetenda confessio, remanet enim absolutus, ita prouidente Ecclesia, ne magna animarum perturbatio sequeretur. Ex quo etiam colliges, vt latè dico in tract. de confessione, confessarium, qui occultè iurisdictione priuatus, quod ipse nouit, aliquem absoluit, non teneri postea absolutum monere, vt iterum peccata semel iam confessa confiteatur. Quia ille ductus communi errore legitimum confessarium existimans verè absolutus est à peccatis, & censuris, cum Ecclesia eam iurisdictionem in eo casu contulisse censeatur, in quo non satis rectè, nec perspicuè loquitur Gabriel Vazquez de confessione quæst. 93. art. 3. dub. 8.

9 Sed contra huius illationis doctrinã sensere nonnulli, quos refert Palud. in 4. dist. 17. quæst. 6. artic. 2. num. 21. opponi potest primò quia iura supra citata tantum loquuntur de gestis in foro externo. Quare nõ sunt extendenda ad conscientiæ forum. Secundo opponi potest text. *in cap. dudum 2. de electione*, ibi. *In multarum animarum dispendium parochiales Ecclesias retinebat, cum earum cura, qua iam priuatus fuerat ipso iure ad eum nullatenus pertineret, & sic per ipsum eadem animæ miserabiliter sint deceptæ.*

10 Sed hæc non obstant. Respondetur enim ad primum, etiam idem constitutum esse in foro animæ ex eadem ratione, vt dicam infra lib. 11. cum de legitimatione sermo fuerit: multo autem maior publicæ vtilitatis ratio militat in isto capite. Ad textũ ex d. *c. dudum* non vna responsio est. Glossa ibi. verb. *deceptæ*, existimat, nihil absolutionis contulisse parochianis, attamen animas illas non perijsse, non quia ille absolutionem concessisset, sed propter fidem, quam parochiani habebant de sacramento, cum crederent adhuc suum prælatum esse, & ita in sola fide saluari *cap. debitum, de Baptismo, & eius effectu, cap. Apostolicam de Presbytero non baptizato, & cap. Baptismi vicem, de consecratione dist. 4.* Duas alias adhibet interpretationes Thomas Sanchez ex Abbate. Prima est, animas deceptas dici, quantum est ex parte Prælati, qui sciebat se esse priuatum, non verò quoad effectum, vere etenim absoluebat. Secunda est illum defectum fuisse publicum, atque ita defuisse communem errorem. Mihi alia longè facilior occurrit intelligentia. Expendo enim verba illa posita nõ à Pontifice in decisione, sed potius relata tanquam opposita à parte contradicẽte electioni illius Archidiaconi. Quin potius ex toto eo capite, & decisione Pontificis colligitur probabilem errorem esse potuisse, quanuis omnibus notum esset illum plura beneficia simul obtinere. Cõtendebat enim cum ipso dispensatum esse, & de eo controuersia excitatata fuit, & constitit dispensationis literas subreptionis vitio laborasse. Quare donec ea lis finita est probabili opinione ducti populi illum pro Prælato habebant in illis parochialibus, & ab illo accipiebant sacramenta, & quidem validè. Cui etiam adde forte illa verba dicta esse comparatione aliquorum, qui scientes defectũ ab illo absolutionem petebant, ijs enim inutilis esset absolutio.

11 Sextò colliges eam doctrinam locum habere non tantum in iudice ordinario, sed etiam in delegato, vel ad vnam, vel plures causas fori externi. Pro quo facit textus in d. *cap. infamis*, ibi. *Si seruus dum putaretur liber ex delegatione sententiam daret*, vbi apertè sermo est de iudice delegato, & tamen eius sententia sustinetur. Facit etiam text. in *l. 2. C. de sent. & interloc.* ibi. *Si arbiter datus à Magistratibus.* Facit etiam argumentum desumptum à teste, qui communi errore liber putabatur, cum esset seruus, cuius testimonium in ea causa testamenti admittitur *d. §. sed aliquis, instit. de Testam. & l. 1. C. eodem.* Neque verò ego vllam reperio diuersitatis rationem, quare eadem debet esse iuris dispositio *l. à Titio 108. D. de verb. oblig.*

12 Sed ab hac illatione dissentiunt nõnulli

nulli iuris interpretes in *cap. cum dilecta de Rescriptis*, eo commoti fundamento. Quia ius statuit, vt valeant gesta per iudicem delegatum, quando agitur de communi vtilitate. At cum delegatus est ad vnam tantum causam vel alteram, non versatur communis vtilitas. Non ergò habebit locum ea dispositio in eo casu. Sed hoc argumentum nō obstat, quanuis non placeat solutio, quam ex Bartolo refert, & probat Thomas Sanchez disput. cit. num. 20. scilicet, satis esse errorem communem, cum titulo putatiuo, etiā si desit publica vtilitas. Ostendi enim in principio huius capitis vulgarem Bartoli, & Bartolinorum errorem esse existimare iurisdictionem tribui communi errore; tribuit enim publicum ius, & communis vtilitas. Quare placet prior solutio, quam refert Thomas Sanchez, quæ est Abbatis in d. *cap. cum dilecta* num. 10. & Felini num. 3. versari hic vtilitatem publicam in qualitate officij, interest etiam reipublicæ iustitiam ministrari.

13 Septimò colliges eam doctrinam locum habere, siue vitium in delegatione proueniat ex defectu delegati occulto, siue sit ex defectu commissionis, quia habeat vitiū subreptionis, dummodo communiter ignoretur. Nam tam vitium personæ, quam commissionis potest communiter ignorari, & reputari valida commissio, vt docet Thomas Sanchez disp. cit. num. 19. Neque obstat quod quando dubia est iurisdictio, debet se iudex delegatus iudicem pronunciare: idem enim argumentum de iudice ordinario fieri posset, qui etiam id præstabit in dubio, id autem est faciendum cum opponitur: at cum communi errore ducti coram illo litigant, neque opponitur nullitas commissæ, aut ordinariæ iurisdictionis, valent gesta per eum. Illud tamen admonuerim non rectè Sanctium, neque consequenter, ad suam doctrinam reprobare Felinum, dum asserit non valere gesta per delegatum, quando instrumentum delagationis est falsum, licet valeant quando laborat vitio subreptionis. Cum enim Thomas Sanchez asserat, vt dicam capit. sequenti non valere gesta per iudicem, nisi titulus collatus sit à legitimo superiore, non debuit negare Felino, quando instrumentum falsum est; non valere gesta per eum iudicem, siquidem in eo casu non est titulus collatus à legislatore vel superiore legitimo, sed falso confictus.

14 Octauò colliges eandem doctrinam veram esse, quando vitium non est ex parte delegati, nec commissionis, sed ex parte delegantis, quia scilicet defuit eius intentio, & solum externis verbis iurisdictionem concessit, vel licentiam etiam in his quæ spectant ad forum conscientiæ. Est enim communis error, & titulus præsumptus, & publica versatur vtilitas. Idemque docuit Thomas Sanchez disput. cit. num. 64. contra Petru de Ledesmam, qui lib. de matrimonio q. 41. art. 5. fol. 192. col. 2. in fine oppositum docuit sine vllo, vt mihi videtur, rationis aut iuris fundamento. Adde etiam, id quod caput est, & nos docuimus supra lib. 2. in omni contractu, excepto matrimonio, & in omni actu, excepta sacramentorum administratione, vel vniuersaliter in omni actu, in quo iure diuino vel naturali non requiritur intentio, valere consensum fictum, verbis tantum expressum. Quod ibidem latè ostendi. Quare huiusmodi licentiæ valent non tantum ex æquitate, sed mero iure; in quo etiā non satis sibi constat Thomas Sāchez, cum in sponsalibus, & alijs contractibus sentiat cum Ledesma, vt eo loco notaui.

15 Nonò colliges eam doctrinam locum habere non tantum in delegato ad causas fori exterioris, sed etiam in delegato ad causas interiores fori, vt siquis ex commissione peccata audiat, qui tamen ratione alicuius defectus prouenientis ex iure positiuo eius commissionis capax non est. Sic docet cum alijs Thomas Sanchez disput. citat. numero 39. Idque mihi persuadeo imprimis ex his, quæ dixi supra illatione 5. de parrocho, qui ob occultum impedimentum caret iurisdictione: ego enim nullum in eo discrimen reperio, quia in vtroque casu adest communis error, & titulus putatiuus, & versatur vtilitas publica recta administrationis sacramenti. Vnde Concilium Constantiēse Decreto citat. cap. præcedenti, cum agit de impedimento censurarum nō restringit ad parochos, vt scilicet non teneātur vitari, & eorum gesta valeant in fauorem fidelium, sed vniuersè loquitur, vt late ostendo in tract. de excommunicat.

16 Decimò colliges idem dicendum esse, siue à principio iudex ob impedimentum antecedens fuerit incapax tituli, siue post acceptum titulum ratione alicuius delicti postea commissi, iurisdictione priuetur à iure siue reuocetur iurisdictio. Quandiu enim latet, communi errore gesta valent. Id quod etiam verum est, quamuis ipso iure priuatus esset possessione, quod multis citatis docet Thomas Sanchez disput. cit. num.

num. 56. & 58. Facit etiam pro ea sententia, quod iurisdictio delegata etiam re integra mortuo delegante vel etiam reuocata iurisdictione, quandiu ignoratur iurisdictionis reuocatio, aut mors delegantis valent gesta per eum, nō quidem mero iure, sed exæquitate, vt dicam infra hoc libro. Vbi quid etiā rei sit in mandato, ignorata morte mandantis latè explico. Atque idem dicēdum quod ad forum confessionis attinet, etiam confessarium, cuius iurisdictio reuocata est, vel finita, quia ad tempus tantum concessa fuit, si tamen id communiter ignoretur, validè absoluere à peccatis ex eodem fundamento, & rationibus supra factis, & docet Thomas Sanchez disput. cit. num. 58. Idem est si postea impeditus excommunicatione fuerit, & denūciatus sit, & ignoretur eo loco, quia valde distat.

17 Vltimò colliges eandem doctrinam veram esse non tantum comparatione eorum, qui communi tenentur errore, ita vt gesta cum illis valeant, sed etiam vt valeant gesta cum eo, qui defectum sciebat. Loquor modo de gestis, quæ ad forum externum pertinent, postea de his, quæ ad conscientiæ forum. Et quidem si impedimentum proueniat ex censura aliqua vel irregularitate, planum est gesta valere etiam respectu scientis impedimentum. Dixi enim supra post Decretum Constantiense nullam esse obligationem vitandi excommunicatum, aut impeditum censura non denunciatū. Quod si iam denunciatus sit, vel notorius Clerici percussor, idem affirmandum erit iuxta dicta, sicut si teneretur alio impedimento. Ratio autem, quæ me mouet, hæc est. Nam cūius statuit valere gesta per eum, qui communi errore legitimus existimabatur iudex, respicit id quod communiter accidit: & sicut error vnius non satis est, ita neque scientia, vnius impediet valorem gestorum. Leges enim communiter contingentia considerant *l. nam ad ea D. de legibus*. Sic docet Thomas Sanchez cum alijs disput. cit. num. 42. Limitat tamen ea gesta esse retractanda in odium eius, qui conscius eius impedimenti coram illo iudice causam egit. Sed non video quo nitatur fundamento. Quid enim si non alius iudex erat, coram quo causa agi posset? Ille enim competens erat. Debuit ne impedimentum detegere? At sæpe non licet, aut quia occultum, aut quia manifestatio nullius esset momenti, si probari non posset, & contra communem vtilitatem, & bonū publicum, vt pote, quod maxime, ordinem iudiciorū perturbaret. Quare iustam ille causam habuit, & causam apud illum iudicem agendi, & occultandi impedimentū. Nec verò hæc limitatio Sanchez satis consonare videtur cum ea doctrina, quā tradit n. 45. prope fin. nullus enim casus erit, in quo ob vtilitatem publicam, & ne iudicia perturbentur, silere non debeat priuatus ille, qui nouit impedimentum.

18 Sed quid dicendum, quod attinet ad conscientiæ forum: licebit ne scienti aliquem confessarium iurisdictione carere, vel quia scit reuocatam, vel finitam, vel fictè cōcessam, vel quia scit confessarium excommunicatione teneri iam denunciatum, aut esse manifestum Clerici percussorem, vel saltem esse excommunicatum non denunciatum, validè ne petet ab eo sacramentum confessionis? In quo ego absolutè dicendū existimo, si impedimentum sit quia confessarius excommunicatus est, vel censura impeditus, non tamen denunciatus, validè quidem sacramentum peti, & administrari, quādo pœnitens licitè petit sacramentum, nec ponit obicē peccaminosæ petitionis. Quod quando liceat, iudicandum est iuxta regulas traditas capit. præcedenti. Si vero confessarius aliud impedimentum ex dictis habeat, existimo nec licitè peti, nec validè ministrari. Id quod ista consideratione conuincitur. Quia vel pœnitēs est in articulo mortis, aut extremæ necessitatis casu, vel non. Si primum, quiuis Sacerdos habet expeditam potestatem absoluendi in extremis, nulla enim tunc censura vel defectus impedit eum, qui Sacerdos est, quominus possit absoluere, de quo late dico in materia de Cōfessione. Si vero est extra mortis articulum, nullus casus est, in quo licitè possit aliquis sacramentum petere. Demus enim in eo oppido non esse alium confessorem, facile erit aliò proficisci, & confiteri, sed demus etiam non posse aliò pergere; si non est tempus præcepti, nulla est necessitas confitendi: si est tempus præcepti, censendus est non habere copiam confessoris non habentem autem copiam confessoris non obligat præceptum. Quare ex obice petitionis praui existimo in eo casu comparatione scientis impedimentum, inualide ministrari sacramentum pœnitentiæ.

19 Ex his, quæ hactenus dicta sunt, non obscurè constat quid dicendum sit in nostri facti specie, videlicet cum parochus titulum habet à legitimo superiore collatū, & ratione alicuius defectus non est parochus,

an

an scilicet valeat matrimoniũ si assistat. Dicẽdũ enim est iuxta dicta valere. Cuius appositissimum exemplum est, quod de teste testamenti affirmat Imperator, §. *Sed si aliquis, Inst. de testam. ordin.* Atque idem dicendum est, si concedat alicui licentiam vt assistat, qui communi errore existimatur esse sacerdos, vel ipse, qui licentiam concedit, communi errore habetur pro legitimo parocho iuxta doctrinam supra traditam. Neque in hac re præter ea quæ dicta sunt, occurrit aliquid amplius notatione, vel consideratione dignum.

An parochus putatiuus, sine titulo collato à legitimo superiore, validè assistat matrimonio?

CAPVT XX.

SVMMARIVM.

Prima sententia, num. 1.
Verior sententia, num. 2.
Variæ probationes, n. 3. 4. 5.
Colliguntur nonnulla, n. 6.
Quorundam illatio examinatur, n. 7.
Quid dicendum in concessione indulgentiarum, num. 8.
Matrimonium coram parocho existimato, licet intruso validum, n. 9.

1 MAIOR in hoc definiendo difficultas est. Vt gesta valeant tã in foro externo, quam conscientiæ non satis esse communem errorem, sed necessarium etiam titulum collatum à superiore legitimo, quamuis ob aliquod impedimentum sit inualidus, docent non pauci Doctores, quos refert & sequitur Thomas Sanchez disput. cit. 22. ex numero 49. Quamuis multi ex his quos refert, potius nostræ sententiæ faueant, vt dicam statim. Non alio fundamento probat, nisi quia in *d. cap. infamis* dicitur, *ex delegatione sententiam dedit*; & in *d. l. Barbarius*, dicitur, *nam populus Romanus etiam seruo potuisset decernere hanc potestatem*. Quibus indicari videtur necessarium esse, vt cum communi errore concurrat etiam titulus à legitimo superiore collatus. Cum enim quod huiusmodi gesta valeant, pendeat ex iuris humani dispositione, standum est his, quæ expressa in iure sunt.

2 Cæterum mihi probabilius videtur etiam eius, qui caret titulo, esse tamen putatiuus & intrusus, valere gesta per eum. Auctores qui nobiscum sentiant, referam statim, placet enim hanc sententiam per partes explicare, ex quibus sufficienter probata relinquetur.

3 Nam in primis facit, quod negari nõ potest, iurisdictionem adquiri præscriptione, vt colligitur ex *c. duo simul*, & docet Panormit. ibi. n. 2. *de officio ordinarij & c. cum contingat*, & ibi Glossa & Panormit. n. 5. & 6. *de præscript.* & Rota decisione 2. in nouis, *de præscript.* Quod si præscriptione adquiritur iurisdictio, necessarium est dicere non semper illam haberi ex superiore legitimo, sed tẽpore & antiqua possessione obtineri.

4 Deinde etiam facit, quia negari non potest iurisdictionem etiam quæri consuetudine *c. cum contingat*, & ibi Glossa in verbo, *vel consuetudine*. Panormit. ibi, num. 5. *de foro competenti* & *c. Romana de officio ordinarij in 6.* & *c. Romana vers. neque suffraganeorum*, & ibi Glossa verbo. *Consuetudine, de foro compet. in 6.* & *c. Romana*, & ibi Glossa *de sententia excommuni. in 6.* & multis citatis docet Sairo lib. 1. de censur. c. 6. n. 31. Quibus etiam adde, quod eisdem modis adquiritur ius præsentandi, *c. querela*, vers. *nos igitur de electione, & c. consultationibus, de iure patronatus.*

5 Præterea facit etiam pro nostra sententia, quod instrumenta confecta à Notario, qui se fingebat notarium, cum non esset, valent, in primis, quando sunt antiqua concurrente communi fama & opinione, quod ille esset notarius, vt constat ex allegatis per Iasonem in *d. l. Barbarius*, n. 54. limitatione 3. & n. 55. & docet Pacianus de probationibus lib. 2. c. 21. n. 40. cum sequentibus. Valent præterea instrumenta eiusmodi notarij, quando exercuit officium sciente & sustinente superiore habente potestatem creandi notarios, vt docet Iason in *d. l. Barbarius* in 2. limitat. Alexãder consil. 138. num. 8. lib. 1. Pacianus d. lib. 2. c. 21. n. 33. & sequentib. vbi id satis probat reprobato Abbate contrarium asserente. Valent etiam gesta per notarium forensem, & de longinquis partibus, si constet eum in sua patria esse quasi in possessione notariatus, licet nõ esset, vt docet Albericus in *d. l. Barbarius*, n. 32. vers. *Dicemus* el 2. iuncto vers. *Quidquid sit de iure*. Valent præterea instrumenta notarij putatiui in omnibus illis casibus, in quibus de iure præsumitur aliquem esse notarium.

tarium, vt docet Iason in d. *l. Barbarius* n. 56. vbi ponit exemplū in eo, qui descriptus est in matricula notariorū, & ibi etiā inquirit, an ex iuramento probetur aliquem esse tabellionem. Et absolutè valere instrumenta confecta à notario, qui est in quasi possessione docuit Bartolus in *d. l. Barbarius* n. 6. Albericus ibidē n. 31. vbi discussa quæstione planè docet in iudicijs ex cōsuetudine seruari, quamuis affirmet etiā contrariam opinionem teneri communiter à Doctoribus Fulgos. n. 13. hanc vt humaniorem in iudicijs seruandam esse dicit. Magnorum etiam virorū auctoritate suffultam Felinus in c. 1. n. 18. de fide instrumētorum, dicitque esse communē, & Additionator ab Alexand. in d. consilio 138. litera B. in verbo *valeant*, & litera F. in verbo. *Non obstat*: semper hanc sententiam dicit se obseruatam vidisse, Tiraquellus de legib. connub. gloss. 8. nu. 153. hanc sententiam de consuetudine seruari, & vt humaniorem testatur. Innumeros alios Doctores pro hac sententia refert Additionator ad Seraphinum de priuilegijs iuramenti priuileg. 46. n. 6. Horū autem Doctorum sententiam meo iudicio probat efficaciter textus in *Authentico de tabellionibus*, siue *nouella* 44. *ca.* 1. in fine ibi. *documentis propter vtilitatem contrahentium non infirmandis*. Eius argumenti vim non omnino percepisse videtur Thomas Sanchez in hoc sibi ipsi repugnans. Explico vim huius argumenti isto pacto. Tabellioni per eam Iustiniani nouellam interdictum est delegare, atque ita interdictū, vt omnino priuatus sit potestate delegandi, vt ex textu constat. Ergo idem iudicū de illo est quoad delegationem, ac si intrusus delegaret, & de delegato, idem iudicium faciendum erit, atque de eo, qui nullum titulum à superiore habet. Nam quoad delegationem non magis tabellio potens est, quam quiuis alius de populo. Hæc plana, & aperta sunt. Cumque ideo Thomas Sanchez disput. 22. cit. n. 51. proferat hæc verba: *Idem dicerem, quando verus superior delegaret casu quo verè delegare non posset, nam tunc gesta per delegatum non obstante communi errore sunt inualida, eo quod deficit titulus collatus ab habente potestatem*. Hæc ibi. Quomodo ergo iste auctor sui oblitus pauciss imis interiectis lineis scilicet, num. 54. vers. *ad confirmationem*, scribit delegatum tabellionis habuisse auctoritatem à vero tabellione, in casu dictæ nouellæ, & quamuis illi interdictum sit, ne delegaret, valere tamen delegationem. Ecce verum tabellionem, & in casu, quo vere delegare non potest, & tamen delegatio valet, & gesta per delegatum non infirmātur, vt idem affirmat. Est ergo opinio Sanctij, & cō tra textum, & sibi ipsi parum consona. Denique facit ratio communis vtilitatis, quæ non minus militat in hoc casu, quā in dictis superiori capite atq; ideo idē dicendū esse cōstat, quia eadē debet esse iuris dispositio.

6 Ex dictis colligo primō. Tam notariū, quàm iudicē creatum, vel præsentatū ad beneficia, vel collationē beneficij, vel etiā electionē factā ab eo, qui est in possessione eligēdi, aut eū actū exercendi, & cōmuni errore sic existimatur, licet sit intrusus, valere omnia per eū gesta. Idē etiā dicēdum, quod ad fōrū internū attinet in his, quæ iure humano suppleri possunt. Quare licet quis nō Sacerdos existimatus Sacerdos, inualidē absoluat, attamē Sacerdos existimat⁹ paroch⁹, & intrusus, verē absoluit, & cōfert, reliqua sacramēta, quæ Sacerdoti iure diuino cōferre licet. Ex quo etiā fit, si quis in parochum constitutus esset ab oppidi consilio, & communi omniū errore existimaretur verus parochus, omnia sacramēta ab illo administrata valuisse, cui⁹ oppositū ex suo fundamēto docet Tho. Sanc. disp. cit. n. 63. Hic quæso lector animaduertat, quāta animorū perturbatio sequeretur, si omnia sacramēta matrimonij, & cōfessionis fuissēt inualida. Quod si quis nobis opponat eandē perturbationē sequi, si parochus sine intentione ministraret, & tamē planū est sacramenta confessionis, Baptismi, & alia in eo casu non valuisse, in promptu est responsio: est enim longe diuersa ratio, quia intentio in sacramētis iure diuino requiritur, iure autem humano applicatur iurisdictioni materia, & ita⁹ facit quod potest ad euitandam rerum perturbationē, & ita censetur in his casibus iurisdictionem contulisse, vel materiam applicasse.

7 Secūdo colligit Tho. Sāc. disp. cit. n. 65. cū Henriq. li. 5. de pœnitētia c. 14. n. 4. Quoties duæ sunt opiniones probabiles, vel circa legitimū ministrū matrimonij, aut confessionis, vel an licētia illi cōcessa sit legitima, vel an priuilegiū bullæ reuocatum sit, vt sæpe inter religiosos alicuius religionis dubitari solet, vel an extendatur ad eum casum, vt in confessoribus approbatis ab vno ordinario, licet opinio negās esse legitimū impedimentū sit fortasse vera, nihilominus, dum veritas latet, & probabili sapientū opinione reputatur probabilis opinio opposita cōfessionē, & alia valere, quia dicit esse cōmunē errorem, titulumque præsumptum. Ego ta-

men hanc illationem intelligerem in casu quò non esset animus formaliter dubius, cũ habeamus certam iuris regulam, in dubijs tutiorem partem esse eligendam. Quare cum in eiusmodi dubijs tutior pars sit opposita, illa eligenda erit. Et sane videtur esse longè diuersa ratio inter huiusmodi formale dubium ratione probabilitatis opinionum, & inter communem errorem. Nam cũ aliquis existimatur parochus communi sensu v. g. nulli dubium occurit. Quare non est cur cogatur aliam partem eligere, cum de ea nulla contingat dubitatio.

8 Sed quæret aliquis, quid dicendum sit de indulgentijs concessis ab intruso, qui communi errore existimatur legitimus Episcopus? Respondetur eas indulgentias non valere, & quia in intruso non est potestas, quæ iure diuino requiritur ad cõcedendum, & quia ipso iure non reputantur concessæ in illis casibus, quia non sunt simpliciter ad salutem necessariæ, neque versatur ea publica, & communis vtilitas, quę in valore sacramentorum Pœnitentiæ, & Baptismi.

9 Vltimò colligo matrimonium contractum coram parocho existimato, etiam si sit intrusus, & non constitutus à superiore legitimo valere. & similiter licẽtiam ab illo concessam esse validã. Id quod aperte ex præmissis fundamẽtis deducitur, in quibus, qui nobiscũ cõueniũt, in hoc dissẽtire nõ possunt.

Explicantur nonnulla alia circa parochi præsentiam.

CAPVT XXI.

SVMMARIVM.

Tridentini decretum proponitur, num. 1.
Verba parochi non esse de necessitate sacramenti, num. 2.
Non est necessarium vt parochus interroget de cõsensu, si ipsi explicant, num. 3.
Requiritur vt parochus sit ad eam rem formaliter adhibitus, num. 4.
Nihil refert quod dolo vocatus sit, num. 5.
Explicatur Regula iuris, quæ obstare videtur, num. 6.
Alia obiectio soluitur, num. 7.
Necessarium est vt parochus intelligat quod agitur, num. 8.
An satis sit vt intelligat per interpretem, num. 9. 10. 11.
Quid si parochus affectet nõ intelligere, num. 12.

1 CONCILIVM Tridentinum sess. 24. de reformat. matri. c. 1. inquit. *Ad celebrationem matrimonij in facie Ecclesiæ procedatur, vbi parochus viro, & mulie re interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat. Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vel alijs vtatur verbis iuxta receptum vnius cuiusque Prouinciæ ritum.* Hæc ibi.

2 Circa quam decreti partem inprimis obserua, ea verba non esse de necessitate sacramenti; alias essent aliqua verba determinata, si assignata essent pro forma. Cũ enim parochus non sit minister sacramenti, vt ostendi supra lib. 1. eius verba nullatenus requiruntur. Communis hæc sententia est, extatque pro illa non vna declaratio Cardinalium apud Farinacium pag. 268. ibi. *Ego vos coniũgo. Et si parochus nihil dicat constat tamen matrimonium.* Et latim. *Non pertinet ad substantiam matrimonij, vt parochus aliqua verba proferat, ideo valet matrimonium, quamuis verba exprimentia consensum prolata sint tantum à contrahentibus, dummodo parochus sit præsens, & intelligat id quod agitur.* Et postea. *Quæ verba non pertinent ad substantiam sacramenti matrimonij, ideo valet matrimonium etiam quod verba consensus prolata sint tantum à contrahentibus non à parocho, dummodo adsit præsentia parochi, quæ sufficit absque ipsius parochi verbis.* Quare de hoc amplius dubitare non licet. Peccare tamen parochum, si omittat ea verba, vel alia iuxta receptam Prouinciæ consuetudinem cõmunis sententia est, quam docet Thomas Sanchez disp. 38. n. 6. ex Vera-Cruz, & alijs. Qui etiam rectè docet non esse culpam mortalem, leuis enim rei omissio est, an autem ea verba parochi possint per interpretem proferri vel non, parum refert, quidquid dixeris.

5 Secundo circa eandem decreti partem obseruandum est contra Sanctium ibidem num. 9. Quod licet parochus interrogare teneatur de mutuo consensu, si tamen contrahentes non interrogati illum explicant, nõ existimo esse peccatum omittere interrogationem. Quid enim opus est, si id, quod interrogatione cognoscendum erat, ipsi plane ostendunt. Quod si concilium inquit, *viro & muliere interrogatis*, hæc verba accipe, cum necesse est, & illis æquipollentia sunt, quæ sequuntur, *& eorum mutuo consensu intellecto*. Neque similiter necessarium est, vt parochus contrahentes interroget de impedimẽto aliquo, vt recte

recte contra Veracruz docet Thomas Sanchez ibidem num. 10. si enim in *cap. cum inhibitio, de clandest. desponsat.* iniungitur, vt præter denuntiationes ipsi etiam parochi inuestigent, an subsit aliquod impedimentum, vel intelligendum est, cum suspicio est alicuius impedimenti, vel dicendum est in dissuetudinem abijsse, & iudicari denunciationes sufficere. Tridentinum autem, cum præcipit vt parochus interroget contrahentes, de consensu loquitur, non de impedimento.

4 Tertio obseruandum est, vt parochus dicatur præsens matrimonio, requiri vt sit ad eum casum formaliter adhibitus, & vocatus. Adhibitus enim in iure dicitur, qui rogatur *l. hæredes §. in testamentis D. Qui test. fac. poss.* Quare, si casu parochus adfuerit, etiam si coram illo contrahatur matrimoniũ, nullum est, nisi parochum casu trãseuntem moneant prius se velle contrahere, & ideo valebit parocho tunc gradum sistente; cuius doctrinæ oppositum immerito docet Thomas Sanchez disp. 39. num. 11. Est enim expresse à Cardinalibus declaratũ non semel, quæ declarationes extant apud Farinacium. Prima pag. 268. ibi. *dummodo sit adhibitus ad illum finem.* Secunda pag. 273. *Parochus præsens matrimonio debet esse, vt appareat à contrahentibus hac de causa adhibitus fuisse.* Tertia pagin. 276. *an sit matrimonium, si duo contrahant per verba de præsenti proprio parocho præsente, & alijs requisitis non omissis, cui contractui parochus formaliter adhibitus non fuit, sed dum forte conuiuij, vel confabulationis causa, vel aliud tractandi causa, adesset audit huiusmodi contractũ geri, & postea alter contrahentium velit ab huiusmodi contractu ratione defectus resilire: Congregatio respondit posse, nisi alia interuenerint, quæ parochum à contrahentibus adhibitum fuisse arguant, qui diceretur adhibitus vt supra, quanuis ex alia causa esset vocatus, dummodo sit adhibitus ad illum actum:* hæc ibi. Quare de hoc amplius dubitare non licet. Vnde siqui transeunte illac casu parocho ita altè proferrent verba contractus, vt audiret parochus, nihil agerent. Idem dicendum si parocho sacrum agente aliqui contraherent nõ præmisso aliquo, quo iudicaretur adhibitus adeum actum. Sed quando testis videatur adhibitus recte explicat Donellus de testibus, & lib. 24. comment. cap. 14. cuius doctrina eo loco non parum proderit huic illustrandæ.

5 Quarto obseruandum est, parum referre, quod parochus dolo vocatus sit, aut vi adductus, vel vi detentus, valet certè matrimonium coram eo contractum, dummodo ad eum casum vocatus sit. Facit textus in *l. coram Titio 209. D. de V. S.* & inuitus testis in iure valet, vt explicat Donellus *l. penult. de testib.* pag. mihi 223. Atque in hoc nostro casu ita declaratum sæpe est à Cardinalibus, quæ declarationes extant apud Farinacium. Prima pag. 268. *dummodo parochus sit præsens, & intelligat id quod agitur, licet dissentiat, & contradicat: adhibitus vero parochus intelligitur etiam si ex alia causa vocatus sit, dummodo sit adhibitus ad illum effectum.* Secunda pag. 273. *An vero si inuitus, & compulsus per vim adsit parochus etiam contrahatur matrimonium, præcedente supra dicta prohibitione ordinarij, tale matrimonium subsistat? Congregatio respondit, subsistere.* Hæc ibi. valet ergo matrimonium coram parocho etiam per dolũ adducto, siue per vim, ibique detento.

6 Neque obstat regula iuris, *qui potest in uitu 26. D. de Regul. iur.* cum qua consonat tex. in *l. necnon ignorante D. de tutorib. & curatorib. & l. 4. §. 1. D. de fideicommissis.* Matrimonium enim, quanuis possit coram inuito parocho cõtrahi, nõ tamen ignorante, quia specialiter petit fieri coram parocho. Quare ea regula intelligenda est cum limitatione Decij ibidem, scilicet eam veram esse, quando est eadem ratio, pro vt regulariter contingit. Si enim possum aliquid facere te inuito, & contradicente, possum, & ignorante, & absente, nec enim expectari debet præsentia, & scientia, quæ nihil operatur, argumẽto tex. in *l. aliquando §. fin. D. ad Velleian.* Secus autem dicendum est, vbi est diuersa ratio, vt in nostro casu, in quo coram parocho fieri præcipitur actus matrimonij, & idẽ est in iudicialibus, in quibus ea regula non habet locum, quia iudicia redduntur in inuitum *l. inter stipulantem §. 1. de V. O.* & tamen non procedit iudicium contra absentem, cum citatio requiratur *l. de vno quoque in principio D. de reiud.* Idem est in casu electionis prælati, & actibus capituli, vel collegij, quanuis enim valeant gesta à maiori parte capituli, licet minor contradicat *ca. cum omnes, de constitutionibus*, factum tamen à maiori parte non valet aliquibus absentibus, & ignorantibus, qui adesse poterant: nocet enim plus vnius contemptus, quam paucorum contradictio *cap. per venerabilem, de electione.* Idem etiam est in casu *l. duo ex tribus D. de re iudicata, & l. si in tres D. de arbitris.* ibi. *Duo ex tribus arbitris, vel iudicibus iudicare possunt ter-*

tio contradicente, & inuito, non autem absente eo, vel ignorante. Et in d. l. si in tres, ratio redditur. *Quia tertius, si esset præsens, posset alios in suam sententiam trahere*, quanuis ea ratio Bartolo displiceat. Horum autem omnium ratio est. Quia in his data est forma à iure, quod absentes requirantur, sicut & in matrimonio, quod adsit parochus præsens.

7 Neque obstat etiam textus ex *l. 1. in fine D. de auctoritate tutor.* ibi. *tutor si inuitus retentus sit per vim, non valet, quod agitur; nec enim præsentia corporis sufficit ad auctoritatem.* Respondetur enim disparem esse rationem, quia parochus interest matrimonio tanquam testis qualificatus, non verò auctoritatem præstans matrimonio, neque vt eius minister, vt dictum est. At vero tutor in contractu pupilli adest tanquam is, cuius consensu fit, & valet contractus, & auctoritatem illi præstans, vt planum est. Quare non licet à tutore ad parochum argumentari.

8 Quinto obseruandum est circa huiusmodi decretum solum necessarium esse vt parochus assistat, & intelligat quod agitur, vt in decreto continetur: ideo enim nomine Ecclesiæ testis adhibetur, vt possit Ecclesiam certam reddere de huiusmodi contracto matrimonio. Quod præstare non potest, nisi intelligat id quod agitur, qui enim non aduertit in iure non censetur esse præsens, ex text. in *d. l. coram Titio 209. de V. S. coram Titio aliquid facere iussus, non videtur præsente eo feciſſe, nisi is intelligat. Itaque si furiosus sit, aut infans, aut dormiens, non videtur coram eo feciſſe.* Videndus Rebufus eo loco, estque communis sententia, quam cum alijs docet Thomas Sanchez disput. 39. num. 1. Qui & num. 2. optimè addit satis esse, si parochus aliquo sensu contrahentium consensum percipiat: verbi gratia visu, si non auditu percipiat, potest enim matrimonium verbis, & signis contrahi, vt dixi supra lib. 1.

9 Sed docet idem auctor num. 3. satis esse si parrochus intelligat contrahentium consensum per interpretem. Pro quo facit primò, quia in sacramento pœnitentiæ ex communi Doctorum sententia potest fieri confessio per interpretem, & satis est, si confessarius intelligat peccata per interpretem. Facit secundò, quod in hoc eodem sacramento matrimonij in quo contrahentes sunt ministri satis est si inuicem mutuum consensum per interpretem intelligant, vt docet Couarruuias cum alijs 2. part. de matrim. capit. 4. §. 1. num. 3. A fortiori ergò satis erit, si parochus, qui minister non est, neque iudex, sed testis, quæ aguntur, intelligat per interpretem. Facit denique, quod generale est obligationes aliorum contractuum nasci, etiam si per interpretem fiant *l. 1. §. fin. D. de V. O.* ibi, *vt omnis sermo contineat verborum obligationem, ita tamen vt alter alterius linguam intelligat, siue per se, siue per verum interpretem.*

10 Verùm egò valde de huius ampliationis veritate dubito. Ratio quæ me dubitare facit, hæc est. Quia ea de causa vult Ecclesia parochũ, & testes esse præsentes, vt possint Ecclesiam certam reddere de matrimonio contracto. At si parochus, & testes tantũ per interpretem intelligãt quod agitur, nec possunt illi esse certi, neq; Ecclesiã certam reddere, innumeris enim litibus pateret aditus. Pone enim vnum ex contrahentibus dicere interpretem esse mentitum in eo, quod explicuit ipsum cõsensisse, in quo casu interpreti etiam iuranti non est habenda fides, cũ interpreti in re dubia non adhibeatur fides, etiam si contrahens non producat testes alios, vt docuit Donellus in d. l. 1. Tũ quia ille interpres in eo testimonio vnus est, vnius autẽ testimonio non creditur *l. iuris iurandi C. de testibus.* Deinde huius interpretis interest ita existimari, vt dicit, eius enim res agitur in eo testimonio, in sua autem causa nullus est testis *l. nullus D. de testibus, & l. omnibus C. eodem.* Quare duobus testibus probare debet alter contrahens, qui vtriusque linguæ periti fuerint, & ibi interfuerint alium qui negat consensisse. In hoc ergo casu quo modo per parochum probabitur matrimonium apud Ecclesiam? Quãuis enim denus duos alios testes, qui cum parocho adsunt, vtriusque linguæ peritos esse, & rectè intelligere, an interpres verè explicet parocho, quid agant contrahentes. At Ecclesia non tantum voluit esse duos illos testes, sed tres scilicet, parochum etiam testem qualificatum. Testis autem esse non potest parochus, nec potest affirmare se scire, neque se audiuisse, sed erit in eo casu testis ex auditu alieno, cuius testimonium ex regula generali non admittitur, *capit. licet ex quadam*, ibi. *Præter communem formam, de testibus*, vt ibidem notant Canonistæ. Cuius regulæ generalis ea ratio à Doctoribus communiter affertur, quod testis debet deponere de his, quæ nouit, & quibus præsens fuit,

fuit, & sic per proprium sensum, & non per sensum alterius c. *testes* 3. q. 9. Quam rationē reddunt Ioannes Andreas in d. c. *licet* alijque non pauci. Addit etiam aliam rationem Baldus. Quia sicut exemplum exempli non probat, ita neque testimoniū de alieno auditu. Et quidem in eo testimonio de auditu alieno causa scientiæ nō est manifestior dicto, sed ignotior, & est quasi relatio relationis veritatis. Et quamvis nōnulli Doctores doceant testimonium de auditu alieno, aliqualem præsumptionem facere alijs cōcurrentibus, atque ita parochum, licet sit testis de auditu alieno, tamen fidem facere cōcurrentibus alijs duobus testibus, hoc certē non satis mihi placet, quia licet in quouis alio testē admitti posset, non tamen in qualificato, qualis est parochus, cuius præcipuum debet esse testimonium.

11 Quare ego existimo esse contra rationem testis, qui fidē facturus sit, vt per interpretem intelligat quod agitur, sed per suū proprium sensum debet intelligere, aliàs infirmum eius testimonium erit: quod non ita repugnat iudici, ad cuius officiū exercendū solum exigitur, vt causæ iudicandæ compos fiat, quā per se vel per alium potest intelligere. Atq; ex hac ratione satis diluitur primum argumentum Thom. Sanch. desumptū ex sacramento pœnitentiæ. Quātuis addēdū est nō teneri quēquam cōfiteri per interpretē, quando aliter confiteri nō potest ex præcepto institutionis sacramenti pœnitentiæ, nisi solū in articulo mortis, si non speret probabiliter se habere contritionē, vt docet Gabriel Vazquez de pœnitentia q. 91. ar. 4. dub. 3. & nos late diximus in tract. de Confessione. Ex eadē etiā ratione diluitur secundū, & tertiū argumentum: nec enim repugnat contractū fieri medio interprete, ad quē satis est intelligat consensum alterius simul cōtrahentis, vel stipulantis vel promittētis: Attamē repugnat naturæ testimonij, vt quis sit testis fidē faciens de his, quæ nouit per interpretē, cū debeat deponere de his quæ nouit per propriū sensum, & quibus præsens fuit, vt dictum est. Sed hæc alijs exactius cogitanda relinquo.

12 Sed quid dicendum, si parochus assistat inuitus, & affectet non intelligere aures occludens. Thom. Sanch. disp. 39. n. 6. existimat non valere coniugiū, quia tunc reuera parochus non est præsens, nec testificari potest de matrimonio contracto. Cæterū habemus de hoc expressam declarationē Cardinalū, quæ extat apud Farinaciū pag. mihi 273. in hæc verba. *Et quid si parochus assuisset, nihil tamē eorum quæ agebantur vidit, vel audiuit, vtrum tale matrimonium sit nullum? Sacra congregatio respondit matrimonium non valere, si non intellexisset, nisi ipse parochus affectasset non intelligere.* Et quidē merito ita respōsum est. Nā eo ipso, quo parochus affectat nō intelligere, admonitus primò velle matrimoniū contrahere, eos qui adsunt, sane iā ignorare nō potest cōsensum cōtrahētium, atq; adeō testis esse potest eius consensus apud Ecclesiā. Huic tām apertissimæ decisioni frigidè respōdet Thom. Sanch. inquit enim horum verborum sensum esse, nisi parochus consulto, & data opera fingat se non intelligere, cū tamē reuera intellexisset. Quasi qui vocatus ad hoc, vt adsit matrimonio, & monitus à cōtrahentibus se velle cōtrahere, potuerit non intelligere matrimonium ab illis contrahi, quanuis postea aures occludat.

Cui actui interesse debeant parochus, & testes?

CAPVT XXII.

SVMMARIVM.

Ratio quæstionis num. 1.
Regula generalis, num. 2.
Non satis esse vt parochus, & testes sint præsentes sponsalibus etiam iuratis, num. 3.
Etiam si post sponsalia quibus adfuit parochus, sequatur copula, num. 4.
Idem etiam si fuisset præsens copulæ, & non sponsalibus, num. 5.
Idē etiā si adfuisset sponsalibus, & copulæ, n. 6.
Idem etiam si parochus adfuisset sponsalibus impuberum, num. 7.
Idem etiam si sit præsens matrimonio conditionato, num. 8.

1 OLIM antiquo iure spōsalia transibāt in matrimoniū, vt dixi sup. li. 2. trāsibant etiā sponsalia inter impuberes, vel matrimonia, quę tantū spōsalium vim habuerunt, aut per copulam, aut alios actus, quos explicui supra eodem lib. hodie autem iam post Tridentini decretum cessarunt hæc omnia, neque enim transeunt in matrimonium per aliquos actus occultè habitos, nisi actus sufficiens ad contrahendum matrimonium fiat coram parocho, & testibus.

2 Quare iuxta hæc statuenda est vniuer-

salis regula. *Parochus, & testes debent esse præsentes actui sufficienti ex hominum institutione, vel recepta consuetudine ad significandum consensum de præsenti, & alias matrimonium est nullum.* Quæ communis Doctorum sententia est, & ratio facilis. Quia ex decreto Ecclesiæ, ideò requiruntur parochus, & testes, vt possint Ecclesiæ sufficientem probationem offerre de coniugio eorum. Ergo debēt esse præsentes actui siue signis manifestatiuis consensus de præsenti, aut deficiet forma à Concilio præscripta.

3 Hinc colliges facile nonnulla, quæ non indigent longa disputatione. Primò colligitur, si parochus, & testes sint præsentes sponsalibus confirmatis iuramento adhuc non esse validum matrimonium. Ratio est, quia sponsalia illa etiam iuramento confirmata non habent vim matrimonij, sed tantum sponsalium, quibus additur per iuramentum obligatio religionis, tantum enim iuramentum confirmat obligationem, quæ est in actu, non autem facit transire de vno contractu in alium, vt docuit eleganter D. Thomas in 4 dist. 28. quæst. vnica art. 1. in corpore. Neque his obstat tex. in cap. *si quis diuinis* 30. quæst. 5. ibi enim non agitur de spōsalibus, sed de matrimonio. Vnde supra lib. 2. ex eo text. probaui illa verba, *habebo te in vxorem*, esse sufficientia ad constituēdum matrimonium, & idem dico de textu in ca. *ex parte de sponsal.* loquitur enim ibi Pontifex de matrimonio de præsenti.

4 Secundò colliges etiamsi parochus, & testes adfuerint sponsalibus tantum, licet postea secuta fuerit copula, non effici matrimonium. Quia parochus, & testes tantum possunt testificari de sponsalibus, non de copula, per quam sponsalia iure antiquo transibant in matrimonium. Sic communis sententia, quam docet Thomas Sanchez loco cit. cum Petro Ledesma de matrimonio, quæst. 46. art. 2. dub. 1.

5 Amplia hanc illationem primo, vt idem dicatur, quando parochi, & testes fuerunt tantum præsentes copulæ, non tamen sponsalibus. Quia copula sola non est signum consensus de præsenti, vt rectè contra Ledesmam docet Thomas Sanchez disput. 40. num. 7.

6 Amplia secundò eam illationem, vt idem dicatur quamvis parochus, & testes fuerint præsentes sponsalibus, & copulæ sequenti. Cuius contrarium docet Thomas Sanchez loco cit. ea inductus ratione. Quia mutuus consensus de præsenti externo signo manifestatus coram parocho, & testibus cōstituit matrimonium. At illa copula post sponsalia est sufficiēs signum consensus de præsenti c. *Is qui fidem, de sponsal.* aliàs male Ecclesia ex ea copula sequente sponsalia præsumpsisset matrimonium, & sic copulatos compulisset ad cohabitandum. Et idem dicendum existimat, si parochus, & testes fuerint præsentes sponsalibus, & cuicumq; signo, per quod sponsalia iure antiquo trāsibant in matrimonium. Verum contra Auctorem hunc persistendum est in prædicta sententia, communis enim docet post Tridentinum sublata esse matrimonia præsumpta. Et ratio facile colligitur ex dictis supra lib. 2. de signo copulæ. Copulā enim non iudicauit Ecclesia esse signū cōsensus, sed præsumpsit, ne peccatum præsumeret, ante copulam sibi mutuò explicuisse consensum de præsenti, ne peccarent, non quasi consensus sponsaliū secuta copula fiat matrimonium, & in eo tantum sensu dici potest sponsalia transire in matrimoniū per copulā, quia sci licet præsumebat Ecclesia verū consensum mutuo significatū de præsenti iam præcesisse inter eos, si quidem ad copulā accedebāt. Ex his ergo sic formo argumentum. Vel parochus, & testes, qui fuerunt præsentes spōsalibus de futuro, & postea adfuerunt copulæ, tantum viderunt copulā nullis alijs verbis auditis, quibus sibi mutuo indicarēt, qui contraxerant sponsalia, consensum de præsenti, quo copula esset licita: & sic non possunt testificari de matrimonio, sed de sponsalibus, & copula, quæ potuit esse inter illos affectu fornicario, etiamsi præcesisset spōsalia, neque ipsi explicarunt non esse ex affectu fornicario. Quare tantū testificari poterunt, vidi illos copulari, & præsumo, antequam copularentur, habuisse consensum de præsenti, licet mihi non constet. Quod quidem non est testificari de matrimonio. Vel cum viderunt copulā, audierūt etiam verba quibus illi mutuo sibi manifestarunt cōsensum de præsenti, ne in copula peccarent. & tunc valebit quidem matrimonium, non quia parochus, & testes præsentes fuerint copulæ & sponsalibus, sed quia præsentes fuerunt illis verbis, quibus consensum manifestarunt, cum hoc solum sufficeret ad matrimoniū, etiamsi alijs rebus non interfuissent. Ex quibus constat eam rationē, qua inductus est Thomas Sanchez, parui esse momenti, & constat etiam idem dicendum esse de quolibet alio signo ex se indifferēti, qualis est copula, propter eandem rationem.

7 Ter-

7 Tertiò colliges, etiamsi parochus & testes sint præsentes matrimonio de præsenti impuberum, vel puberis cum impubere, quando malitia non supplet ætatem, adhuc subsecuta copula aut alijs signis non esse matrimonium, quia illa sponsalia tantum fuerunt, non verò matrimonium, *cap. finali de desponsatione impuberum & cap. vnico eodem in 6.* Vnde & quamuis fuissent præsentes illi matrimonio & copulæ postea secutæ, idem etiam dicendum esset propter eandem rationem, quam modo dicebamus.

8 Quartò colliges, etiãsi parochus & testes sint præsentes matrimonio conditionato, si non sint præsentes postea, cum post euentum conditionis renouatur consensus, non esse matrimonium. Ratio desumitur ex dictis supra lib. 3. Quia illud matrimonium sub conditione celebratum non est matrimonium, sed tantum sponsalia. Ergo non satis est, quod illi interfuerint. Idẽ enim est, ac si sponsalibus tantum adfuissent. Et quamuis ipsi contrahentes dicant se de præsenti contrahere ex nunc prout ex tunc, adhuc est consensus sponsalium, vt ibidem diximus; & ideo habendus est consensus de præsenti coram parocho & testibus post conditionem impletam. An autem, quando matrimonium fuit nullum à principio, coram parocho & testibus debeat renouari, dixi supra isto lib. cap. 5.

Iurisdictionem delegatam cessare morte concedentis.

CAPVT XXIII.

SVMMARIVM.

Quid agendum, num. 1.
Iurisdictio delegata expirat morte delegantis re integra, n. 2.
Communis ratio, n. 3.
Obijciuntur nonnulla, n. 4.
Diluuntur, n. 5. 6. 7. 8.
Reijcitur communis ratio, n. 9.
Vera ratio, n. 10.
Explicatur ex discrimine iurisdictionis ordinariæ & delegatæ, n. 11.
Potissimum vtriusque discrimen, n. 12.
Quid de iurisdictione per vim legis concessa, etiam delegata, n. 13.
Idem de iurisdictione delegati à Principe, n. 14.
Obiectio soluitur, n. 15.
Idem dicendum in delegatis ad vniuersitatem causarum, n. 16.
Non posse delegatum mortuo delegante re integra commissum negotium inchoare etiam de consensu partium, n. 17.

1 POSTQVAM explicatũ est in secunda huius libri parte, quis intelligatur nomine parochi & ordinarij, qui possunt assistere matrimonio & licentiam assistendi alijs concedere, vt in sequentibus explicare possimus ea, quæ spectant ad tertiam partẽ, videlicet de eo, cui licentia delegatur, oportet ad exactam intelligentiam eorum quæ dicenda sunt, præmittamus in hoc capite & sequentibus nonnulla, quæ pertinent ad iurisdictionem delegatam, quando scilicet, & in quibus casibus semel delegata expiret; & similiter, quãdo & in quibus casibus delegatus subdelegare possit, vt inde deducamus, quando expiret licentia alicui data vt assistat matrimonio, & an is possit alteri eam licentiam concedere, & subdelegare. In hoc autẽ capite explicabo tantum primum modũ, quo expirare solet iurisdictio delegata, si prius supponamus iurisdictionem delegatam dici quæ manat ab ordinaria, neque perpetuò annectitur officio vel sedi.

2 Materia hæc latè explicatur à Doctoribus in *c. Relatũ de officio deleg.* ex quibus desumam, quæ huic rei explicandæ mihi videntur necessaria. Conclusio autem Pontificis in d. c. hæc est. *Iurisdictio delegata expirat morte delegantis re integra.* Idem habetur in *c. Gratum c. licet vndique, de officio deleg. c. si delegatus 7. c. fin. §. officiũ eodẽ lib. 6. l. & quia D. de iurisdict. omn. iud. l. 12. l. 20. tit. 4. part. 3.* Quod etiã obseruatur in mãdatis ad lites & negotia, *l. mandatũ 5. C. mandati, & §. rectè cũ sequenti instit. eodem l. inter causas 26. l. si quis alicui 27. §. morte D. eodem.*

3 Cuius cõclusionis ea ratio cõmuniter assignatur à Doctoribus Barto. *in l. more de iurisdict.* n. 17. Couarru. lib. 3. variar, cap. 15. n. 4. vers. 1. & relatis à Morla tom. 2. in præludio, n. 92. & Pichardo in *d. §. rectè* n. 8. scilicet quod iurisdictio hæc pendet à voluntate delegantis, cuius Imperio & potestate vtitur, qui delegatam iurisdictionẽ accipit, *l. 1. §. Qui mandatam l. etsi Prætor D. de officio eius.* Vnde & reuocari mandatũ iurisdictionis potest ab eo, qui iudicare iussit, *l. iudicium soluitur 58. D. de iudicijs*, cumque cessset per mortem voluntas, *l. 4. D. locati, l. non solum §. morte D. de noui operis nunciat, l. centesimis 46. §. fin. de V. O. cap. si gratiosè*

de reſcriptis in 6. Authent. de nuptijs cap.20.§. deinceps collatione 4. neceſſe etiam eſt mandatum hoc ceſſet morte mandantis. Ratio itaque iſta illi fundamento nititur, quod actus, qui ex libera agentium voluntate pẽdent, eorum morte finiuntur.

4 Sed contra rationem hanc nonnulla pugnant, quibus oſtendi videtur etiã actus, qui ex agentium voluntate pendent, non ceſſare per mortem. Primo ex *l. Lucius 32. D. de donation.* vbi conceſsio habitationis ad voluntatem concedentis facta non extinguitur eius morte, ſed nouam hæredis reuocationem exigit. Secundo. Precarium tãdiu durat, quandiu is patitur, qui conceſsit, *l.1. de Precario & cap. fin. de Precarijs*, & tamen ad hæredes eius, qui Precario conceſsit, tranſit, *l. cum Precario 12.§. fin. de Precario, l. quæſitum §. quod à Titio eodem tit.* Tertio noui operis nunciatio pendet ex voluntate nunciantis, *d.§. morte*; & tamen tranſit ad hæredem eius, qui nouum opus nunciauit, *l. Prætor, 20. §. hoc interdictum D. de noui oper. nunciat.*

5 Sed quidquid ſit de huius rationis efficacia hæc quidẽ argumenta nõ expugnãt cõmunem doctrinam voluntatẽ & actus, qui eius durationem exigunt, morte finiri. Atque, vt duo priora diluamus, obſeruandum diſcrimen eſt inter eos actus, qui vel ex lege, vel ex partium conuentione habent, vt durent ad libitum agentis, & quandiu ipſe velit, & inter eos, qui eam conditionem habent vt durent quouſque reuocentur. In priori caſu actus per mortem ceſſat, in poſteriori non item, ſed requiritur hæredis reuocatio Bartolus *in d.l. more de iuriſdict.* nu. 17. quem ſequuntur communiter Doctores, Couarru. d. nu. 4. Valaſcus de iure Emphyt. 1. p. quæſt. 34. Cuius diſcriminis ratio eſt. Quia actus ad voluntatem agentium celebratus durationem voluntatis requirit, quæ per mortẽ ceſſat *d.l. 4. D. locati*, & per alia iura ſupracitata: Actus vero, qui durat quouſque reuocatur, poſt mortem etiam permanet, quia reuocatio, quæ neceſſaria eſt ad eos infirmandos, non poteſt à mortuo fieri, ſed vel à ſucceſſore, vel hærede. Atque hinc colliges diſcrimen inter priuilegium conceſſum, quandiu concedens voluerit, aut quandiu non reuocauerit, vt inſinuari videtur *in d.c. ſi gratioſè* de quo diſcrimine iterum agemus infra lib. 8. & diximus etiam in tract. de confeſsione, cum ſermo eſſet de licentia conceſſa ad illud ſacramentum miniſtrandum.

6 Hac obſeruatione præmiſſa facile explicabitur textus *in d.l. Lucius*, quã obijciebamus primo. Nõnulli omiſſa interpretatione, quã affert Connan. lib. 5. cõment. c. 9. n. 15. & Cuiacius lib. 17. obſeruat. c. 33. ſcilicet in eius legis ſpecie donationẽ interueniſſe, probãt interpretationẽ Accurſij *in d.l. Lucius*, verbo *ex voluntate*, quã etiã ſequitur Couar. d. c. 15. n. 5. Menoch. de arbit. lib. 1. q. 69. n. 22. ſcilicet inſpecie eius textus Precariũ interueniſſe. Id tamẽ ab hæredibus reuocari poſſe. Precarij enim natura ea eſt, vt tandiu duret, quãdiu à cõcedẽte, vel eius hæredibus nõ reuocatur, quod tamen eis liberũ eſt facere, quandocũque libuerit, etiamſi vſq; ad tẽpus determinatũ cõceſſum ſit, vel quãdiu velit is qui conceſsit, *l. cum Precario D. eodem.* At eam interpretationẽ reieci ſupra lib. 3. c. 10. Quare ſtatuo cũ Cuiacio agi de donationibus, vt ibi dixi. Sed adhuc vrgere videtur illa textus verba, quibus traditur cõceſsionẽ ad voluntatẽ cõcedentis factã poſt eius mortẽ durare, ibi, *ex voluntate mea.* Reſpondetur tamen ea verba non ſignificare ad voluntatem meam, vel quandiu ego velim, ſed tantum conſenſum concedentis: ideo autem conſenſus per mortem non ceſſat, quia precarium interceſsit iuxta dicta, vel quia licentia habitandi in domo alterius, etiamſi adijciatur, *quandiu ipſe voluerit*, hæredes concedentis non obligat, *l. Cincia*, quam refert Cuiacius in d. cap. 33. Neque huic obſtat textus *in l. Aquilius 27. D. de donat.* vbi donata Cœnaculi habitatio ab hæredibus reuocari non poteſt, quia donatio ibi non fuit ſimplex, & mera donatio, ſed remuneratoria, ac proinde accedit oneroſo contractui iuxta textum in *l. ſed etſi lege §. conſuluit D. de petitione hæredit. l. ſi vero non remunerandi 12. D. mandati*, docet Pinellus l. 1. 3. p. num. 71. C. de bon. mat. Connanus ſupra, num. 6. Pacius Centur. 6. antin. 81. lex autem Cincia, quæ meris donationibus modum impoſuit, non pertinet ad remuneratorias, vt *ex l. ſi Pater 35.§. 1. D. de donat.* cum alijs deducit Cuiacius d. cap. 33. & in Poſthumis ad lib. 29. quæſt. Papin. in d.l. Aquilius, & dixi d. cap. 10.

7 Ex eadem etiam obſeruatione facile etiam explicabimus textum *in d.l. cum Precario*, quam obijciebamus ſecundo. Cum enim precario ea inſit conditio, vt duret quouſque reuocetur, *l. 2.§. 1. D. de Precario*, permanebit poſt mortem concedentis. Neque obſtat textus in *d. l. 1. de Precario*, ibi, *quandiu is patitur, qui cõceſsit*, quia ea verba, quid-

quidquid innoluat Meno ch. supra num. 17. sic accipienda sunt. Quandiu is, qui concessit non reuocauerit, neque facti eum pœnituerit, vt explicat idem I. C. *in d. l.* 1, ibi. *Cũ sibi libuerit precarium soluere, & in d. l.* 2. §. 1. *& 2. eodem*, ibi. *Et vt poßim reuocare cum mutauero voluntatem*, & docet Couar. d. num. 4. vers. 4. vide quæ dixi lib. 3. cap. 10.

8 Nec denique obstat tertium. Respondetur enim edicti de noui operis nunciat. quod proposuit Prætor duo esse capita. Primum est ne quid facta noui operis nunciatione ædificetur. Secundum de opere quod post nunciationem factum est demoliendo. Nunciatio, contra quam nihil ædificatum est, quia finitur morte ius nunciandi finito domino rei, quemadmodum alienatione d. §. *Morte*. Cæterum si post nunciationem ali quid factum sit, transit ius operis demoliẽdi ad hæredem d. §. *Hoc interdictum*, quem ad hunc casum pertinere demonstrat *l. Prætor in principio*. Ratio differentiæ est, quia in priori casu nũciatio est integra, & sic ad hæredem non transit: in secundo vero casu nũciatio est nõ integra, quia post eam aliquid factum est, & sic ad hæredem transit non sola nunciatio, sed ius destruendi quod post eam nunciationem ædificatum est. Docet Accursius in d. §. *Morte*, verbo *extinguitur*, Cuiatius in Posthum. ad eum text. in l. 48. Pauli ad edictum, Pacius centur. 6. antin. 65. non nihil Donellus lib. 15. comment. c. 46. vers. *mutatum*.

9 Verum, licet obiectiones istæ sufficiẽter dissolutæ sint, & earum difficultas expedita, adhuc tamen non videtur constanter verum, ideò iurisdictionem mandatam siue delegatam morte finiri, quia pendet ex voluntate concedentis, cum aliquando ea iurisdictio duret donec reuocetur *l. iudicium*, 58. *D. de iudic.* aliquando finiatur morte in d. cap. *relatum*, & similibus, & d. l. & quia. solui dicitur mandata iurisdictio eo modo, quo reliqua mandata soluuntur, quæ certũ est etiam sola morte extingui sine reuocatione. Ex alia etiã parte vt expiret, necessarium est sit res integra. Nam re non integra non expirat ex dict. cap. *relatum*, iurisdictio enim delegata, etiamsi in perpetuum concessa sit, expirat morte concedentis re integra etiam concedente inuito.

10 Quare quod ad iurisdictionem delegatam attinet mihi verius videtur in ea extinguenda nihil morientis voluntatem operari, sed totam rem hanc pẽdere ex legis dispositione. Quod bene probat text. difficilis in cap. *si delegatus de officio deleg. in* 6. vbi mandata hoc modo iurisdictio *donec reuocetur*, finitur morte, si res sit integra: parum ergo refert voluntas concedentis, quando eo inuito expirauit eius morte. Cuius rei ea ratio est, quia licet actus duraturi quousque reuocentur, non finiantur morte, vt dixi supra, iurisdictio tamen finitur, quia non inspicitur, an is desierit velle, aut potuerit reuocare, sed an mandata iurisdictio talis naturæ sit, vt iuxta legum dispositionem manere potuerit in delegato, quod non satis ad d. text. in cap. *si delegatus* aduertit Bart. in d. *l. more*, num. 17. in fine. Vbi Iason num. 15. Couar. d. num. 4. vers. *Primum*.

11 Discriminis autem ratio, propter quam reliqui actus ita facti, *donec reuocentur*, post mortem durant, iurisdictio autem sub ea clausula mãdata morte extinguitur, hæc est. Quia reliqui actus sola agentium voluntate perfecti sunt, & sic donec ea reuocentur durant, iurisdictionis autem mandatum sola concedentis voluntate non perficitur, sed requiritur vltra, quod delegatus ea vti cæperit, & ideô delegante mortuo expirat, siue simpliciter concessa fuerit, siue donec reuocetur. Quia quousque inchoetur negotium, non est iurisdictio efficaciter translata, neque eius delegatio perfecta, sed manet illius principium, & radix penes delegantem, quod morte resoluitur. Et sic habet locum regula in *l. vectigalia* 31. *D. de pignorib.* Atque hæc ratio colligi videtur ex c. *quamuis in fine*, *eodem lib.* 6. & notat Abbas in d. cap. *Relatum*, num. 5. & Sahagum ibid.

12 Ex his facile est nonnulla colligere doctrinæ causa. Primò colligitur discrimen præcipuum inter iurisdictionem ordinariã, & delegatam. Hanc enim expirare diximus morte delegantis re integra: ordinaria autẽ non extinguitur morte concedentis cap. 2. *de officio deleg. in* 6. vbi Glossa verbo, *declaramus*, & Glossa verbo, *Principaliter* in d. l. & quia. Bart. in d. *l. more*, num. 17. Gregor. Lop. *l.* 20. *tit.* 13. *part.* 2. *& l.* 2. *tit.* 4. *lib.* 6. *compilat.* & ibi Azeuedo, Molina lib. 2. de primoge. Hisp. cap. 25. num. 5. Thomas Sanchez lib. 8. disp. 28. num. 4. Ratio ex dictis petenda est. Quia iurisdictio ordinaria sola Principis concessione perficitur, & in Magistratum efficaciter transfertur, & in eius persona radicatur, proinde nihil refert Principẽ concedentem mori. Abbas in d. cap. *Relatũ*, num 4. in fine. Quod adeò verum est, vt licet actus ad libitum, aut voluntatem agentium celebrati morte finiantur, vt supra di-

ximus, iurisdictio tamen ordinaria hoc modo concessa post obitum concedentis durat propter bonum publicum, quod versatur in conseruanda ordinaria iurisdictione, vt cum multis docet Menoch. d. quæst. 69. n. 8. Ioannes Gutierrez tom. 3. pract. quæst. 11. à num. 2. Molina, & Sanchez supra cit. Quare autem iurisdictio Vicarij generalis Episcopi, licet ordinaria sit, expiret morte Episcopi, dixi tam supra cap. 10.

13 Secundò colligitur iurisdictionem per viam legis concessam alicui, etsi delegata sit, non expirare morte concedentis. Quia quod lege disponitur, statim perficitur nullo actu eius, in cuius fauorem fit dispositio, & sic non requiritur, quod delegatus iurisdictione vti cæperit. Abbas in irrefragabili, cap. 3. §. *Cæterum. num. 1. in fine de officio ordinarij.* Facit etiam, quod lex in viridi obseruantia esse dicitur *l. Arriani, C. de Hæreticis.* Quod ad quascunque literas, siue iustitiæ, siue gratiæ, siue præcepta superiorum per modum legis, & constitutionis, & ita extenditur à Felino in d. cap. *Licet vndique* num. 1. & cum alijs docet Thomas Sanchez supra disp. 28. num. 2. & 3. & alijs. Qui ijdem docent, cum iurisdictio rescripta, vel literæ per modum contractus expediuntur non expirare mortuo concedente, etiam re integra. Quia contractus sua natura perpetui sunt, & successorem ligant, cap. 1. *de probation.* & sine vllo actu eius, in cuius fauorē celebrantur, ius illi adquirunt.

14 Tertio infertur iurisdictionem etiam delegati à Principe expirare eo mortuo re integra Glossa in d. *l. & quia*, verbo *Principaliter*, Bart. in d. *l. more*, num. 7. ibi Iason n. 6. Sanchez supra num. 33. qui plures falso citat. Quorum sententia probatur expresse in d. cap. *Relatum, & in cap. licet vndique, & cap. si cui nulla 36. de præbendis lib. 6. & in cap. fin. §. officium de officio deleg. in 6.* & ratio ex dictis est euidens. Quia iurisdictio à Principe mandata non ante in delegatum efficaciter transfertur, quam ipse ea vti cæperit: cum enim officium non habeat, cui iurisdictio inhæreat, ex eo solum capite illam suā potest efficere, quod negotium inchoauerit.

15 Neque obstat, quod habetur in d. *l. & quia*, cum cui principaliter iurisdictio data est, illam non amittere, etiamsi concedens re integra moriatur. Illud enim *principaliter*, vel cum Accursio, & Bart. debet accipi de iurisdictione data à Principe, per quam accipientem constituat ordinarium Magistratum, vel de iurisdictione ita data, vt principaliter in accipiētis persona resideat, quo nomine ordinaria iurisdictio denotatur, nō delegata. Hæc enim non principaliter â delegato exercetur, sed accessorie nomine, & vice mandantis *l. 1. §. Qui mandatum, D. de officio eius.* Quomodo autem cognoscatur, an Princeps iurisdictionem delegatam dare voluerit, an ordinariam, tradit Bart. supra num. 8. & latius idem Bart. in *l. Ambitiosa de decretis ab ordine faciendis*, & latissimè Barbosa in *l. cum Prætor 12. §. 1. de iudicijs*, à numero 29.

16 Quartò infertur prædictam regulam in d. cap. *Relatum* admitti etiam debere in delegato ad vniuersitatem causarum, quia in eo militat ratio adducta, Abbas in d. cap. *Relatum*, num. 7. Bart. supra num. 19. & ibi Iason latè num. 19. qui pro se considerant officium Inquisitorum hæreticæ prauitatis, quos delegatos esse ad vniuersitatem causarum docet Simancas de Catholicis institut. tit. 34. num. 3. Barbosa supra à num. 44. non expirare mortuo concedente in fauorem fidei cap. *ne aliqui de Hæret. in 6.* Ergo in contrarium extat ius commune. Facit etiam textus in d. §. *Officium.* Neque obstat delegatum ad vniuersitatem causarum equiparari ordinario, ex his quæ tradit Couar. lib. 3. variar. cap. fin. num. 11. Gutierrez lib. 2. Canonic. quæst. quæst. 2. num. 8. Morla dict. tom. 2. quæst. 15. num. 11. Quia id perpetuum non est, neque ad nostrum casum stante rationis diuersitate debet extendi, vt notant supra adducti, & Thomas Sanchez, d. disp. 28. num. 34.

17 Vltimo infertur mortuo delegante re integra delegatum non posse commissum sibi negotium inchoare, quamvis partes cōsentiant, Glossa Magistralis in cap. *cum veniissent 25. de testibus*, verbo *egerit*, quam cum omnibus ibi, & Bart. supra num. 18. Iasone num. 7. sequuntur innumeri relati à Morla tomo 2. in præludio num. 98. & Thom. Sanchez d. disp. 28. nu. 41. & Quintana Dueñas de iurisdictione lib. 2. tit. de delegata iurisdictione num. 15. Pro quibus primo facit iurisdictionem in nostra specie extingui ipso iure d. §. *officium, & ca. penult. in fine de officio deleg. in 6. & dicto cap. si cui nulla*, in fine, & communis Doctorum ex Sanctio supra num. 39. & 40. Secundo facit, iurisdictionem delegatam non radicari in persona delegati ante vsum eius, vt dixi, & proinde cum delegatus priuatus efficiatur, non poterit consensu litigantium iurisdictionem consequi

sequi *l. priuato, C. de iurisdict.* ibi: *Sane si partes actis ab hoc legato consentiant, valebunt illa, non in vim sententiæ, sed contractus.* Glossa celebris in *l. 2. verbo non fuit, C. communia vtriusque iudicij*, Gomez in l. 45. Tauri n. 41. Anton. Quintana Dueñas vbi supra.

Quid dicendum, si delegatus ignoret obijsse delegantem re integra?

CAPVT XXIIII.

SVMMARIVM.

Ignorantiam mortis non adimere iurisdictionẽ delegatam est quorundam opinio. n. 1.
Verior sententia. num. 2.
Obijciuntur nonnulla, & diluuntur. n. 3. 4. 5.
Interpretãtur nonnulla iura. num. 6. 7. 8. 9. 10. 11. & 12. Quæ obstare videntur.

1 QVAMVIS ex dictis facile colligatur, quid in hac redicendũ sit, attamen propter varias Doctorum de hoc pũcto sentẽtias, placuit rem istam sigillatim hoc capite examinare. Nonnulli censent ignorantiã mortis non adimere iurisdictionem delegato, sed vti iurisdictione posse, & non expirare etiam re integra quandiu mortem ignorat. Innocentius in d. *cap. licet vndiq;* Albericus in *l. si forte, de officio Præsidis, num. 1. & in l. Barbarius de officio Prætoris*, num. 30. & alij ex Speculatore in tit. *de officio iudicis deleg. §. restat. n. 5.* Quamvis ipse contrariam sententiam sequatur. Idem cum quadam limitatione sequitur Thom. Sanch. lib. 3. disp. 22. num. 59. & d. disp. 28. num. 4. Sentit enim cum communiter ignoratur mors, non expirare delegatum, etiamsi ipse, sciat mortẽ: secus est si ipse ignoraret, alijs autem communiter nota esset. Fundamenta huius sententiæ proponam postea.

2 Mihi tamen semper verius visum est delegati iurisdictionem expirare morte delegantis, etiãsi delegatus, & litigantes mortem eius ignorent, quamvis gesta per eum sustineantur non mero iure, sed ex æquitate quadam, vt dicebam supra isto libro. Glossa in dicto c. *Gratum* v. *maxime. de officio deleg. & in l. eius, qui in Prouincia, D. de rebus cred. verbo ignorassent*, Bart. dict. num. 18. Iason supra num. 8. Morla num. 99. Quintana Dueñas num. 15. & relati à Sanchez lib. 3. disput. 22. citato num. 55. Pro hac sententia primo facit iurisdictionem in personam delegati efficaciter translatam non esse, antequam ea vti cæperit, vt dixi cap. præcedenti. In his autem, quæ ipso iure fiunt, nihil operatur scientia vel ignorantia *l. etiam inuitis 32. D. de adquir. rerum dominio, l. an Titius 62. §. fin. de adquirend. hæred. l. si à furioso 23. cum alijs de action. & obligat.* Tertiò facit mandatum extingui morte mandantis, etsi eam ignoret, qui mandatum suscepit, cap. *fin. de Procurator. in 6. & l. Quæsitum 15. §. Iulianus, D. qui & à quibus, & d. l. eius qui in Prouincia* vers. *Quas vero.* Quarto etiam pro hac sententia facit ratio ex capitis præcedentis doctrina collecta, quia tota hæc iurisdictionis finitio ex legum, & iuris dispositione pendet, & non ex mera voluntate concedentis. Constat autem ex iure delegatam iurisdictionem expirare morte mãdantis, nullo autem iure cauetur ignorantiam subuenire, quominus morte delegantis expiret.

3 Sed contra nostram sententiam pro prima opponitur primo text. in *l. si forte D. de officio Præsidis.* Sed reuera textus ille non procedit in delegato, sed in ordinario, cuius iurisdictio nõ expirat reuocatione superioris, quousque reuocatio hæc & Magistratui, & populo nota sit, debet namque successor decessorem suum de aduentus die certiorem facere *l. 4. §. recte, D. de officio Proconsul.* Quæ interpretatio duplici ratione procedit. Prior est, quia ordinarius habet iurisdictionem propriam, & in sua persona radicatam, quæ difficilius tollitur, quæ ratio in delegato cessat, quippe qui delegante mortuo re integra priuatus manet. Posterior ratio desumitur ex fauore publico, publicè enim interest iurisdictionem ordinariam conseruari, ex quo supra deduximus quid dicendum sit de vicario Prætoris Prætore mortuo. Sic interpretantur textum in d. *l. si forte*, Albericus d. num. 30. & Annæus Robertus lib. 3. rerum iudicat. cap. 1. fol. 6. pag. 1.

4 Secundò opponitur, quia gesta ab eo, qui communiter iudex putabatur, etsi verè iudex non esset, valent d. *l. Barbarius, & l. 2. C. de sentent. & interlocut. cap. infamis 3. q. 7. & cap. ad probandum de re iud. & l. 4. tit. 4. part. 3.* Respondetur tamen iuxta dicta supra eiusmodi gesta sustineri ex æquitate propter bonum publicum, & auctoritatem superioris, vt probant iura in argumento adducta. Nam certè Barbarium Philippum verè Prætorem non fuisse constat ex d. *l.*

Bar-

Barbarius, ibi. *quasi Prætor non fuerit*, ea tamen, quæ ab illo gesta sunt, non reprobantur ex æquitate propter commune bonum, ne lites iam decisæ iterum suscitentur *d. l. Barbarius*, ibi. *propter vtilitatem*, & ibi. *hoc enim humanius est*. Et ita eam legem interpretantur innumeri, quos referunt Antonius Pichardo §. *sed cum aliquis inst. de testam.* à nu. 10. Morla supra num. 100. & tomo 2. quæst. 26. Thomas Sanchez d. disput. 22. per totã, Quintana Dueñas d. num. 15. Madera singular. animaduers. ca. 6. Idem etiam admittendum esse indelegato, quamuis nonnulli dissentiant, quos refert Thomas Sanchez ibidem num. 15. mihi verius videtur cum eodem nu. 16. & 56. & in Sacerdote, qui ex delegatione confessiones audit num. 39. vt dixi etiã supra. Quacumque ergo ex causa delegatus, qui mandatum à superiore accepit, iurisdictione careat, vel quia rescriptũ subreptitium est, vel quia aliter vitiosum, vel quia delegatus iurisdictionis incapax ex impedimento proueniente ex iure positiuo, vel quia delegante mortuo expirat iurisdictio, etsi mero iure nõ valeant ab eo gesta, valebunt ex æquitate, quandiu vitia hæc cõmuniter ignorantur, vt supra probatum est. Quia quanuis in conseruanda vnius causæ delegatione priuatus fauor versari videatur, re tamen vera cum hoc ius ad innumeras causas pertinere possit, & in deleganda iurisdictione publico iure agatur, publicus, etiam fauor considerari potest. Nam & testamentum, quod seruus pro libero habitus signauit, eadem ratione defenditur *d. §. sed cum aliquis*, & si in eo priuatum commodũ versari videatur.

5 Tertio opponitur. Quia mandatum morte aut expressa reuocatione non soluitur, nisi reuocationis aut mortis notitiam habuerit procurator, & qui cum eo contrahit *cap. ex parte 33. de Rescriptis, clement. vnica de Renunciatione l. si mandatum 15. D. Mandati l. 1. §. 1. vers. Quemadmodum D. Quod iussu l. fundi venditur §. 1. D. de adquir. possess. l. 4. D. de Manumissis vindicta l. cum pater 79. §. si Titiũ l. cum quis 38. §. si debitorem D. de solution. & d. l. eius qui in Prouincia vers. placebat, & cap. mandato 13. de Procurat.* Respondetur tamen solui reuocatione mandantis aut morte, etsi vtrique mandatarius, & contrahentes ignorent, quia morte soluitur voluntas, vt diximus; vel quia hoc actum videtur inter mandantem, & mandatarium, vt ipsi soli, non eorum hæredes mandato teneantur, vt optime, & acute Donellus li. 16. comment. cap. 23. vers. *altero*. Idque probant iura supra adducta cap. præcedenti, & ex iuris constitutissimi, & ab omnibus recepti secundum Couar. lib. pract. cap. 11. num. 2. de quo iam supra dixi lib. 2. cap. 15. Atque id quidem ex mero, & naturali iure sequebatur. In his autem, in quibus respublica consensum supplere potest, suppleuit consensum mandantis etiam eo mortuo, in his, in quibus vel vtilitas publica, vel mandatarij damnum interuenire poterat. Nec enim æquum erat vt quis ex officio suo rectè administrato damnum pateretur, vt Donellus loco citat.

6 Atque hinc facile intelligitur textus in d. *cap. ex parte*. Nam propter auctoritatem iudiciorum, ne fiant illusoria, inductum à iure est, vt gesta per procuratorem reuocatum sustineãtur, quandiu reuocatio nescitur, vt probat etiam textus in *cap. mandati 13. de Procurator*. Atque hinc etiam intellectus ad text. in *d. Clement*. Licet etiam nonnulli credant id statutum, vt in personis Ecclesiasticis variatio vitetur, & ad euitandam illusionem iudicis, de eo tamen iam dixi supra lib. 2. cap. 15.

7 Hinc etiam petenda est interpretatio ad textum in *l. si mandassem*. Donellus censet mandatum quidem solui, sed mandati actionem manere. Non satis percipio quomodo ex mandato non existente oriri aut nasci obligatio possit. Melius ergo nos. Ius supplet in eo casu cõsensum ob vtilitatem mandatarij, nemini enim suum officium debet esse damnosum *l. si seruus 63. §. Quod vero D. de furtis*. Ita probant iura in. *§. recte inst. mandati, & l. 26. & l. 58. D. Mandati*, & Antonius Gomez lib. 2. variar. capit. 4. num. 4. Molina tomo 2. de iust. disput. 263. vers. *Antonius Gomez*. Vnde quando ea vtilitas non versatur, non supplet respublica consensum. Hinc petenda ratio *d. l. eius qui in Prouincia*, cum Donello supra, & intellectus ad *l. 2. §. sed si quis, de donationib.* cum Donello supra. Quamquam ex ea l. non constat sermonem esse de eo, qui dedit ignorans. Adde tamen, si mandatarius expensas in re perferenda fecerit, posse agere actione mandati, si fecerit bona fide, dum mortem ignorat iuxta supradicta, & *l. 15. D. de condit. causa data*.

8 Hinc etiam colligitur intellectus ad textũ difficilẽ in *l. hoc iure 19. §. si quis dederit D. de donationib.* In cuius interpretationem Barto, *in l. eius qui in Prouincia*

nu. 22.

nu. 22. constituit mandatum donandi non extingui morte, si res donanda fuerit translata in dominium mandatarij *d. §. siquis dederit*, ibi. *erat enim dantis*: si vero translata non fuerit, extingui. Laborat autem multum Bart. in explicando quando translata videatur in mandatarij dominium, quod etiam prosequuntur Fulgos. & Ias. ibidem num. 5. Thomas Sanchez lib. 1. de matrimonio disput. 6. num. 7. in fine. Sed hoc omnino tale sum est, siue enim res sit translata in dominium mandatarij siue non, semper sine dubitatione mandatum donandi extinguitur morte vel reuocatione mãdantis ex iuribus, & rationibus supra adductis, nisi in prædictis casibus. Deinde quia Titius disponere non potest de his, quæ ipsius non sunt, sed hæredum. At statim atque quis decedit, siue pecunia donanda sit translata in dominium, siue non ad hæredes spectat. Ergo, & illis actio competit ad eam pecuniam, succedũt enim in iure, & ideo sine eorum voluntate donari non potest: & aliâs nullum sequitur damnum mandatarij, quod illi pecuniam donatam repetant.

9 Quare ego quidem sic intelligo textum in d. *l. hoc iure*. Certum est hæredem succedere in omni iure defuncti, vnde, si quis antequam decederet dedit pecuniam perferendam ad aliquem, siue mutuatus fuerit alicui eo pacto, vt ille postea donaret alteri, si decedat mandator, succedunt hæredes iniure, habentque actionem ad eam pecuniam exigendam à perferente, vel mutuatario. Sed demus perferẽtem ignorata morte donare, nihil efficit, neque pecunia fit donatarij. Quia cum is qui perferebat pecuniam, dominium pecuniæ non haberet, & ex alia parte dominium esset iam penes hæredes, qui in bonis successores sunt, non poterit in donatarium transferre dominiũ, habentque hæredes ius repetendi, cum etiam alias ex eo nihil damni sequatur mandatario. Atque id est quod habetur in *l. 2. §. penult. D. de donation.* At si is, cui creditur pecunia donanda, iam cum illam mutuam acceperit, dominiũ adquirit: pecuniæ enim mutuatæ dominium quæritur mutuatario, decedente tamen mandatore hæredibus competit ius ad eam pecuniam alteri mutuatam, & datur illis actio ex mutuo aduersus mutuatarium, succedunt enim in omni iure defuncti. Quod si is cui mutuata pecunia est, eam post obitũ mandatoris donet, transfert quidem dominiũ non ex vi mandati, quod iam finitũ est, neq; id considerauit I. C. sed quia dantis pecunia est, & ratione traditionis. Id quod verum est siue mutuatarius, qui tradidit, ignoret, siue sciat mortem donantis. Sed si sciens dederit, non liberatur ab actione, quam cõtra illum habent hæredes: si verò ignorauerit, ab ea actione liberatur, habent tamen hæredes defuncti actionem aduersus donatarium vt pote cui donata pecunia sit, quæ donari non potuit, in quo nihil damni sequitur mandatario. Itaque species *d. l. hoc iure & d. l. 2.* partim conueniunt, partim differunt: conueniunt quidem in eo quod donatio non valet, sed reuocatur petentibus hæredibus, vt pote quia res donata est post mortem donantis, in quam illi pleno iure subierunt: differunt autem, quia in specie *l. 2.* dominium non erat translatum in donatarium, ex eo quod cum perferens pecunias illud non adquisiuisset, & penes donantem esset, quandiu nõ donabatur, successerunt hæredes in eo dominio, sine quorum voluntate in alium transferri non potuit. At vero in specie *l. hoc iure*, dominium quidem translatum est in donatarium, quia res illa non erat iam sub dominio donantis, sed mandatarij, non tamen manet liber donatarius ab actione, & petitione hæredum, sed tantum mandatarius. Ius itaque mandatum donandi valere noluit mortuo mandatore, sed tantum mandatarium liberum esse ob ignorantiam, vel eatenus valere mandatum, quatenus mãdatarium ignorantem excusaret, non vero quatenus hæredes priuaret iure hæreditatis, in quo successerũt. Vno itaque verbo in d. *l. hoc iure & l. 2.* non constituit I. C. discrimen in valore donationis, in nullo enim casu valuit, sed reuocatur. solum in eo discrimen constituit, quod in *l. 2.* non quæritur dominium: at in *l. hoc iure* quæritur propter rationẽ dictã. Illud autẽ addẽdũ est circa donationes, si perfecta donatio sit ante mortẽ, & alicui tantũ indictũ sit, vt intimet donationẽ, valet etiã mortuo ante intimationẽ donãte, nec reuocari potest ab hærede, cum perfecta sit. Si vero alicui datur res per eum donanda expirat, vt dictum est. finitur enim mandatum donandi morte *d. l. 2. §. sed si quis*, & ibi glossa verbo *constat*. Couar. in c. 3. de testam. 3. p. n. 13. prope finẽ Gomez dicto n. 4. Molin. d. disp. 263. in principio, & in vers. *iuxta* Thom. Sanch. d. n. 7.

10 Rursus iuxta dicta etiam interpretor text. in *d. l. 1. vers. quemadmodum D. Quod iussu*, reiecta enim distinctione Bartoli dicendum est cum glossa v. *quemadmodum* in fine ea verba, *& me certiorasset*, nõ ideo adie-

cta esse, quod requiratur ad solutionem mandati intimatio reuocationis, sed vt magis intelligatur mandatarius mandati transgressor. Dici etiam potest iussum patris aut domini sola eorum reuocatione solui; actionē autem aduersus eos ad interesse competere ijs, qui reuocationis ignari bona fide cum filio, & seruo contraxerant, quod tum verum existimo, cum reuocatio sine fraudis suspicione facta proponitur, vt de societate absenti renunciata traditur in *l.* 17. §. 1. *& l.* 68. *D. Pro socio, & §. manet inst. eodem* Donellus lib. 16. comment. c. 24. versic. *quæuis.*

11 Rursus non obstat etiam textus in *d. l. fundi venditor de adquir. possessione.* Nā Bartolus ibi, & in *d. l. sed siquis, & in d. l. eius qui in Prouincia.* nu. 22. & gloss. ibi. v. *nam etsi tibi,* in fine recepta communiter ex Iasone ibi versiculo *placebat,* nu. 1. limitat. 8. Alciato nu. 23. Couar. pract. c. 11. nu. 2. respondet mādatum ibi non extingui morte, quia processit ex causa necessaria, tenetur enim venditor vacuam possessionem emptori tradere *l. ex empto* 11. *de actionibus empti, & l. fistulas* 78. §. 1. *D. de contrahenda emptione, & l. magis puto* 5. §. *si pupillus D. de rebus eorum.* Quibus adde Pinellum in *l.* 1. 3. *p. n.* 25. *C. de bonis maternis.* Communiter ergo recipitur māda tum ex causa necessaria procedēs, id est, per quod procuratori iniungitur, vt id faciat, quod ex mandato, vel ex officio, vel ex contractu facere tenebatur morte non solui. Ex quo ad practicabiles quęstiones inferunt Iason in *d. l. more* nu. 62. Couar. d. c. 11. nu. 1. & probari videtur ex *l. Papinianus* 14. *D. de Publiciana,* vbi simile mandatum de re tradenda emptori expressa reuocatione non soluitur.

12 Sed hæc interpretatio non conuenit d. §. fin. Nam in eius specie certum est mandatum solui morte, aliàs enim liceret mandatario illud exequi, etsi mortem mandantis sciret, & eius hæredes prohiberent. Mandata enim, quæ post mortem durant, perfici à mandatario possunt, etiam morte domini cognita, & prohibentibus hæredibus *l. mortis §. Ticia D. de donat. caus. mort. l. si vero* 12. §. *vltimo D. Mandati* Couar. d. nu. 2. Deinde mandatum etiam ex causa necessaria morte non extingui falsum est, vt probat etiam Couar. d. cap. 11. num. 2. neque aliud traditur in *d. l. Papinianus,* vt dicam fortasse infra.

13 Aliter ergo Alciatus in d. num. 23. interpretatur textum in *d. §. fin.* Existimat enim, quod licet dominium non possit transferri ex mandato, quod morte solutum est, etiam si mors ignoretur ex supradictis, possessionem tamen in hoc casu transferri posse, sequitur Couar. d. nu. 2. & docuit ante eos Accursius in d. §. fin. v. *recte.* Quæ interpretatio, etsi ab alijs impugnetur, mihi placet, quia cum possessio facti sit, potuit obstante iuris rigore ex sola traditione trāsferri argumento *l.* 1. §. *sed si vir D. de adquir. possess.* & facit text. difficilis in *l. mandatum* 57. *D. Mandati,* vbi Papinianus ex traditione facta ab hæredibus mandatarij possessionem, & condictionem vsu capiēdi transferri probat, quia bona fide res accepta est, & tradita.

Iurisdictio delegata quando expirat elapso termino?

CAPVT XXV.

SVMMARIVM.

Summa Alexandri 3. *in cap. de causis, nu.* 1. 2.
Obiectio proponitur, num. 3.
Diluitur primo, num. 4.
Diluitur secundo, num. 5.
Tertia conclusio Alexandri III. in d. cap. nu. 6.
Obiectio proponitur, & diluitur, num. 7.

1 ALEXANDER III. in *c. de causis de officio, & potestate iudicis deleg.* quod ad nostrum institutum attinet, tria constituit. Primum est delegatum ad certum terminum fieri posse. Cuius ratio est, quia quemadmodum delegans ad certas personas potest delegare *cap. P. & G. eodem,* & ad certas causas *cap. ex conquestione de restit. spol.* & ad certum locum *cap. tua nobis de officio vicarij.* Ita ad certum terminum delegatio fieri potest ex voluntate Principis, qui certis temporum limitibus lites includere dignū arbitratur, ne fiant immortales, & partes sumptibus vexentur *l. properandum C. de iudicijs, & cap. finem litibus de dolo, & contumacia.*

2 Secundo statuit delegationem ad certum terminum factam eo lapso finiri. Quia limitata causa limitatum producit effectum *l. in agris D. de adquir. rerum dominio,* & actus agentium operari non debent vltra intentionem operantis *l. non omnis* 19. *D. si certum petatur.* Quamuis enim iurisdictio natura sua perpetua sit, tamen termini adiectione efficitur temporalis ex *d. cap. de causis*

fis, & ex l. 2. in princ. vers. si & iudex, de iudic.

3 Sed huic obstare videtur, quod iurisdictio delegati ad certum terminum restricta eo elapso non expirat, sed adhuc iudex in causa procedere potest tex. difficilis *c. venerabilis 20. de iudic.* Respondetur tamen in *d. c. venerabilis non* agi de delegatione facta cum temporis præfinitione, quæ finito termino euanescit, sed de delegatione ad tempus non restricta, & dubium est circa instantiã iudicij, quæ triẽnio perimitur iuxta tex. in *d. l. Properandum C. de iudic.* cui l. aduersari videtur textus in *d. c. venerabilis*, quando quidem triennio etiã trãsacto adhuc iudex in causa procedere poterit in eius specie.

4 Cui difficultati dupliciter respõderi potest; primô cũ glossa magna cõmuniter recepta in *d. l. properandum*, videlicet differentiã considerãdã esse inter ius canonicum, & ciuile. Nã iure canonico instãtia iudicij perpetua est ex d. c. iure verò ciuili triennio finitur in causa ciuili, biennio in criminali *d. l. properandum, & l. fin. C. vbi de criminibus agi oporteat.* Ratio differentiæ inter vtrũque ius illa elegans assignari potest, quia de iure ciuili à sententia interlocutoria non admittebatur appellatio, nisi vim definitiuæ, & grauamen irreparabile contineret *l. ante sententiæ C. Quorum appellatio non recip.* Seacia de appellat. lib. 3. c. 2. q. 17. Donel. lib. 28. comment. c. 6. Villa-Diego in Polit. lib. 1. ca. 4. n. 17. Quare meritò statutũ fuit vt lites triẽnio finirentur: at de iure canonico indistinctè appellatio ab interlocutoria sententia admittebatur *c. super eo 12. de appellat.* Paz in praxi tomo 1. fol. 171. puncto 6. num. 25. Petrus Gregor. lib. 50. ca. 2. nu. 12. Fachin. lib. 1. controuers. cap. 81. & alij frequenter. Vnde merito instantia iudicij triennio non finitur in d. cap.

5 Secundo, & melius poterit responderi ideo in specie dicti *c. venerabilis*, transacto triennio iudicem delegatum adhuc in causa processisse, quia malitiosè, & dolosè fuit triennium elapsum, vt constat ex illis verbis: *per cauilationes, & subterfugia*, Quare, ne ex sua malitia cõmodum reportaret aduersarius, merito post lapsum triennium index in causa potuit procedere, ex qua interpretatione nulla consideratur differentia inter ius Canonicum, & Ciuile. Quomodocumque tamen accipias dictum *cap. venerabilis* lex Põtificia, in duobus reformata est per Tridentinum sess. 24. de *Reform. c.* 25. Primo vt instantia iudicij in quacumque causa triennio perimatur à die motæ litis, de qua Gutierrez de iuramento confirmatorio 3. part. cap. 5. Secundo vt ab interlocutoria tantum appelletur, quæ contineat vim definitiuæ, vel grauamen irreparabile. Quo iure, vtimur 3. *tit.* 18. *li.* 7. *Cõpilat.* vbi Azeuedo num. 1. & facit regula 33. Chancellariæ, Seacia vbi supra d. quæst. 17. limit. 6. nu. 18. & limit. 47. nu. 83. vsque ad num. 214. Villa-Diego supra num. 17. & 19. Francus in cap. super eo de appellat. num. 2. Rebuf. tit. de executione sententiæ articul. 10. glossa 1. num. 2.

6 Tertio docet Alexand. III. iurisdictionem ad certum terminum delegatam, & eo elapso finiendam partium voluntate prorogari. Cuius ratio, & Principis voluntate, & iuris constitutione constat. Principis voluntate: quia patitur iurisdictionem à se restrictam extendi, ipsarum partium fauore, quarum gratia præfixus fuit terminus ad iudicandum, cui fauori possunt partes renuntiare, sicut & alijs beneficijs *l. penult. C. de pactis.* vtile enim partibus est coram eo iudice, qui semel de causa cognouit, litigare potius, quam nouum iudicem experiri *l. penult. D. de vacatione muner.* Iuris constitutione, ex qua constat priuatum iurisdictionem dare non posse, bene tamen prorogare *l. 1. l. priuatorum C. de iurisdictione.* Quamuis nec tunc quidem dicendum est partes prorogare, nec iudicem accipere à partibus prorogatam iurisdictionem, sed à iure vel à delegante, qui eam concessit, si partes consentiunt, quæ est conditio, sine qua illa iurisdictio ad tempus concessa vlterius non extenditur. Vnde quando partes prorogant, hoc est, conditionem apponunt, ex voluntate prorogantis, aut legis producitur delegati iurisdictio. Quo fit vt terminus iurisdictioni præfixus in fauorem publicum Ecclesiæ, vel alicuius tertij, prorogari non possit, cum ex eo litigatorum iuri detraheretur, non suo renuntiarent, Baldus in *l. siquis ex consensu nu. 8. C. de Episcopali audientia.*

7 Neque his obstat, quod in *c. cum dilectus 22. de Rescriptis*, & alijs dicitur iurisdictionem delegatam odiosam esse, & quoad possit restringendam; atque ideo non prorogari non posse consensu partium. Respondetur enim, quod quamuis certum sit odiosam esse, & restringendam delegationem, non tamen ea restrictione ipsi pedibus extensiones prouenientes ab ipsius delegationis natura, & iuris interpretatione. Illa enim regula intelligitur, nẽ

scilicet

scilicet delegatus formam rescripti egrediatur in præiudicium alterius. Nam si ex litigantium cõsensu terminus prorogetur, qui in eorum fauorem fuit restrictus, nihil contra formam restricti fieri intelligitur, cũ possit quis fauori suo libere renunciare *d. l. penult. C. de pactis.* De requisitis autem ad prorogationẽ iurisdictionis necessarijs late disputant Doctores in *d. c. & c. 1. de iudicijs, & in l. si conuenerit D. de iurisdict.* Et alijs in locis, quæ tamen quia ad nostrum institutum parum conferunt, consultò omitto.

Exponuntur nonnulla de potestate subdelegandi.

CAPVT XXVI.

SVMMARIVM.

Sententia Pontificis in cap. si pro debilitate, numero 1.
Delegatum non posse subdelegare, num. 2.
Prima limitatio in delegato Principis, numero, 3.
Examinatur, & reijcitur ea limitatio, numero 4. 5. 6.
Secunda limitatio, num. 7.
Eius explicatio, num. 8.
Tertia limitatio, num. 9.
Reijcitur, num. 10. 11.
Verè explicatur, num. 12.
Quarta limitatio, num. 13.
Reijcitur, num. 14.
Diluitur obiectio, num. 15.
Explicatur, num. 16.
Quinta limitatio, num. 17.

1 HVIVS rei cognitio valde necessaria est ad ea, quæ postea dicturi sumus, vt intelligatur, quando is, qui licentiam habuit assistendi matrimonio ab ordinario vel parocho, possit alijs etiã concedere. Agemus itaque in hoc capite de potestate subdelegandi, quando scilicet delegatus subdelegare possit. & de ordinarij, & delegati quo ad hoc discrimine. Huius autem capitis materia examinari solet à Doctoribus in *cap. si pro debilitate 3. de offic. & potest. iud. deleg.* in quo text. hæc habet Romanus Pontifex. Primum est delegatum Pontificis rectè impeditum posse alteri committere negotium subdelegando. Secũdum est: si causa grauis est, ita demum hanc subdelegationem admitti, vt subdelegatus debeat consulere delegantem. Tertium est. Vt si causæ adeo graues sint, vt sine delegati præsentia terminari non possint, non licere eas subdelegare, quæ tria hoc cap. & sequenti examinanda sunt.

2 Vt autem examinetur primum, hanc statuo generalem regulam delegatum non posse alteri committere cognitionem causæ sibi mandatæ *l. à iudice C. de iudicijs l. more D. de iurisdictione omn. iud. l. fin. D. de officio eius l. 19. tit. 4. part. 3.* Ratio traditur in *d. l. more.* Quia delegatus non suo iure, sed vice, & nomine delegantis iurisdictionem habet, non propriam, id est, in sua persona radicatã in proprietate, sed eius tantum vsum, & exercitium *l. 1. §. Qui mandatum l. & si Prætor de officio eius l. solet de iurisdict. omn. iud.* Vnde bene delegati vsuarijs comparantur, vt quemadmodum vsum sibi concessum nemo in alium transferre potest *instit. de vsu, & habit in princ. l. sed neque 8. D. eodem*, ita neque delegatus alium delegatum nominare poterit. Ordinario vero magistratui hoc licet, quia proprietatem iurisdictionis accipit adeò in sua persona radicatam, vt abdicare eam à se, etsi maximè velit, non possit *l. penult. De officio Præsidis*, & post antiquiores quos refert Morla tomo 2. quæst. 5. num. 4. sequitur Donellus lib. 17. comment. cap. 8. Hanc etiam rationem insinuat Imperator in *d. l. à iudice*, ibi. *cum ipse iudiciario munere fungatur*, nam verbo, *munus*, denotatur nudum iudicandi ministerium, & verbo: *fungatur*, sæpe significatur alieno nomine subrogari, vel substitui *l. 2. §. mutui datio D. si certum petatur*, & verbo ipse denotatur iurisdictionem delegatam ipsi soli personaliter concedi, quemadmodum omnis vsus personalis est. Quanuis ea verba aliter explicet Barbosa in *d. l. cum Prætor 12. §. 1. de iudicijs* numer. 26. & ex numer. 159. Thomas Sanchez libro tertio disp. 31. numero primo.

3 Sed huic generali regulæ nonnullæ à Doctoribus adhibentur limitationes siue exceptiones, quas examinare oportet. Primò ergo limitari solet hæc regula in delegato Principis non agnoscentis superiorem, qui subdelegare potest *cap. super quæstionum §. porro. & §. qui vero ca. Pastoralis §. fin. in principio, & fine de officio deleg. l. vnica versic. fin. C. qui pro sua iurisdictione cap. cum causam 62. de appellationibus, capite is cui de officio delegati in 6. & ex dicto capite si pro debilitate*, ibi, *vices suas committere & i.*

& l. 19. tit. 4. part. 3. docet Fachin. lib. 12. controuers. c. 42. & 47. Quintana Dueñas lib. 2. de iurisdictione c. fin. n. 1. & sequentibus Donel. lib. 17. Coment. c. 8. & c. 22. Anton. Faber. in rationali in *d. l. & quia, de iurisdict.*

4 Sed hæc limitatio difficilis ex eo redditur, siquidem generalis ratio, quæ impedit delegatos subdelegare, versatur etiã in Principis delegato, & ideo in omnibus esse debebit vna & eadem iuris dispositio argumento *l. à Titio 108. de V. O. l. illud ad l. Aquil.* Ratio autem quare delegatus subdelegare non potest, describitur à Iuliano in *d. l. more* scilicet, vt is mandare possit iurisdictionem, qui eam iure suo habet, & non alieno beneficio. Cum ergo delegatus Principis iurisdictionis proprietatem non habeat, non potest in alium transferre, cum ipse non habeat *l. nemo 55. D. de reg. iur.* cuius cõtrariũ, cũ in delegato. Principũ dispositũ sit, ratio differentiæ inquirẽda est; hæc enim ratio tradita omni delegato communis est.

5 Paulus de Castro & Iason in *d. l. à iudice* illam esse rationẽ affirmant, quia delegatus Principis in causa sibi commissa maior est quocũque ordinario *c. sane 11. de officio deleg.* Igitur sicut ordinarius delegare potest, ita & Principis delegatus. Cui rationi cõuenit alia, quam affert *in l. legatus n. 6. de officio Proconsulis*, ideo delegatus Principis potest subdelegare, quia accipit potestatem ab eo immediate, qui dat ordinariam, & propterea talis iurisdictio sapit ordinariam. Hæc tamen ratio non concludit, quia etiam militat in vtroque, scilicet in delegato Principis, & ordinario, hic enim propriã habet iurisdictionẽ, ex *d. l. more*, & ideo potest eam delegare, quod secus est in illo delegato, qui etiamsi à Principe datus sit, propria iurisdictione non vtitur.

6 Omissis ergo alijs differentiæ rationibus, vera & solida est scilicet, attenta rei natura iudicem delegatũ non posse subdelegare, cum nihil propriũ habeat, secus tamen esse in delegato Principis, quia hoc singulare priuilegiũ illi à iure concessum est, cuius fauore multa specialiter in iure concessa reperiuntur *l. bene à Zenone in fine. C. de Quadriennij præscript. & cap. 1. de rerum permutatione.* Pro qua ratione induco tex. *in capit. pastoralis 28. de officio delegat.* ibi, *à lege concessa* & *tex. in d. c. fin.* ibi, *cum delegato à Principe id concedatur à iure.* Quæ verba non obscure demonstrant ius speciale versari in Principis delegato: docet Panormit. in *d. cap. si pro debilitate*, num. 9. in principio, Decius num. 4. Quintana Dueñas tit. de iurisdict. mandata num. 4. Barbosa in *l. cum Prætor in principio de iudicijs*, num. 394. Aliter interpretatur Donellus lib. 17. comment. c. 8. Quod si vlterius rationem exigas, quare specialiter ius hoc priuilegium concesserit delegato Principis, & non delegato ordinarij, ea quidem sumenda est ex diuersitate vtriusque delegati, & principis à quo eorum dimanat iurisdictio. Quia sicut Principis potestas longe maior est potestate cuiuscũque ordinarij inferioris, ita etiã illius delegatus alijs omnibus debet esse præstantior. Qua differentia euitãtur difficultates, quibus implicantur Doctores, qui alias diuersitatis rationes sequuntur.

7 Secundo prædicta regula limitari soletin delegato, coram quo lis fuerit contestata, hic enim subdelegare poterit, cum sit effectus dominus instantiæ argumẽto eius, quod de procuratore receptum est in *d. l. quod quis l. neque tutores, l. ita demum l. nulla dubitatio C. de Procuratorib.* docet glossa 1. in *d. l. legatus & in d. l. à iudice*, & glossa magna in *d. §. ab eo.*

8 Circa hanc autem limitationem duo animaduertenda sunt. Primum est, in puncto iuris hanc limitationem veram non esse, & communiter reprobari. Diuersa enim militat ratio in Procuratore, quam in delegato. Ille enim, postquam dominus litis per contestationem factus est, non potest sine causa legitima reuocari *l. procuratoris 22. C. de procuratorib.* Paulus de Castro in *l. ante litem 11. D. de Procurator.* & fauet textus in *cap. 2. de officio deleg. in 6.* obstat tamen textus in *cap. si quem eodem titulo.* Sed in illo renuit Procurator, in hoc autem consentit, & ita non potuit illo renuente reuocari mandatum absque iusta causa, consentiente vero potuit. Et sub eisdem terminis accipio textum in *cap. mandato de Procuratoribus.* Delegata verò iurisdictio, quandocumque reuocari potest à delegante *l. iudicium soluitur 18. D. de iudicijs*, & ita Accursium reprobat Barto. & alij in *d. l. à iudice*, & Panormitanus in *cap. cum Bertoldus num. 19. de reiud.* Pro quibus facit Glossa v. *Procurator in cap. 1. de Procuratoribus in 6.* Alterum est, quamuis hæc sententia in puncto iuris verior sit, tamen contraria Accursij iure Regio probata est in *l. 19. titulo 1. part. 3.* ibi, *Si primeramente no fueren começados por demanda è por repuesta ante ellos.* Quibus expressè cauetur delegatum coram quo lis fuerit contestata,

posse subdelegare, docet Morla tomo 2. quæst. 15. num. 8. & in praxi obseruandum est.

9 Tertio communiter limitatur eadem regula in delegato ad vniuersitatem causarum, hunc enim posse specialem aliquam causam ex delegatis subdelegare. Maximè cum delegati ad vniuersitatem causarum habeantur ordinariorum loco, vt habet decisio Rotæ apud Seraphinum, 265. nu. 3. Dicitur autem delegatus ad vniuersitatem causarum ille, qui ad causas alicuius territorij delegatus est, vt latè explicat Sanchez disput. 31. n. 4. Is enim, licet ab inferiore datus sit, subdelegare poterit secundum cõmunẽ sententiam vnam aut alteram causam, non vero totam iurisdictionem, docet Glossa, v. *neque ipsa lex in d. l. & quia* & v. *delegatus* in *c. cum causam 62. de Appellat.* Accurs. in *d. l. à iudice* v. *non debet.* & communem sententiã testatur Iason in *d. l. à iudice* n. 8. Bartolus in *d. l. more* n. 11. Felinus in *d. c. si prodebilitate*, n. 1. limit. 2. Couarru. 3. variar. num. 11. in fine Thomas Sanchez cum alijs d. disp. 31. num. 2. Adducũt pro sua opinione tex. in *l. 1. §. ab eo D. qui & à quo.* De quo tamen infra fortasse.

10 Verius tamen dicendum existimo in stricta disputandi ratione delegatũ ad vniuersitatem causarum nequaquam subdelegare posse, cum id nulla lege probetur, imo ratio iuris resistat, de qua in *d. l. 1. §. qui mandatum & d. l. more*, quæ pariter in vtroque delegato versatur, siue simplici, siue ad vniuersitatem causarum, præcipue cum manifeste repugnet iuris regula, qua cauetur nõ alium, quam à Principe delegatum posse subdelegare vt in *d. l. à iudice* ibi, *Nisi à Principe datus sit*, & constat ex *d. cap. si prodebilitate*, ibi, *vices suas committere.*

11 Neque supradicta communis sententia probatur ex iuribus pro ea allegatis. Nã in *d. l. 1. §. si ab eo*, nulla interuenit subdelegatio, sed vnus tantum fuit delegatus, cui mandata est iurisdictio, à quo non appellatur mandans, sed superior mandantis ex vero illius, §. sensu per Glossam 1. ibi Minus obstat *d. l. legatus* 12. quia ea non in iudice delegato, sed dato accipiẽda est, inter quos magnum est discrimen, vt notat Alciatus lib. 2. Parad. c. 5. vnde potius ille textus in contrariam sententiam retorqueri potest.

12 At licet hæc omnia in se verissima sint, vsu tamen & consuetudine communis sententia sustinetur, quæ in praxi obseruanda est, vt docet Quintana Dueñas lib. 2. de iurisdictione titulo de delegata iurisdictione num. 2. Quia in causis iurisdictionis recedendum non est ab his, quæ diu seruata & recepta sunt, quæ in hoc casu legem vincere poterũt, vt cum multis docet Barbosa in *d. l. cum Prætor* in principio ex num. 281. & ita intelligendi sunt Doctores supra citati.

13 Quartò communiter limitatur communis regula in delegato, cui ab ordinario potestas subdelegandi specialiter concessa fuit in delegatione. Quia in tali casu ipse ordinarius delegare videtur argumento *l. vnã ex familia, §. si de Falcidia deleg.* 2. docet Fulgosi in *d. l. more*, num. 14. & intrepide hanc sententiã determinat Ioannes Andræas per tex. ibi. *in capite is cui, de officio delegati in 6.* & cum multis communem appellat Nicolaus Garcia de Benef. tom. 1. p. 5. c. 8. ex nu. 161. & cum alijs Thom. Sanchez lib. 3. disp. 31. n. 6. & 7. Quorum sententia etiam à simili probari potest, nam procurator, qui ante litem contestatam substituere non potest, *l. si procuratorem §. si quis mandauerit D. mandati l. quod quis 8. C. de procuratorib.* id rectè facere potest, si ad hoc speciale mandatum habuerit, vt probat tex. *in d. cap. 1. §. 1. de procuratorib. in 6.* & ibi ordinarij frequenter.

14 Cæterum mihi placet contraria sententia, quam defendunt relati à Fachineo lib. 1. controuers. cap. 45. Moueor primo ex decisione in *d. l. à iudice*, & similibus, vbi facultas subdelegandi Principis tantum delegato speciali iure conceditur. Quod autem contra rationem iuris accipitur, ad consequentiam producendum non est *l. quod contra, D. de legibus.* Secundò, quia si sententia communis vera esset, etiã delegatus à Principe posset subdelegare etiam cum potesta te subdelegandi, cum non sit maior ratio in vno quam in alio. Hoc tamen negant omnes communis sententiæ Doctores. Ergo & illud ex quo sequitur falsum est. Tertio, quia incertus iudex dari nõ potest *c. ad hæc de rescriptis*, quod per necessariã cõsequentiã eueniret, si delegato iudici subdelegandi potestas dari posset, maximè cũ cõmunis sententia dicat in eo casu ordinarium delegare videri. Quarto, nam quæ specialiter lege vel Senatus Consulto, vel constitutione Principum certis Magistratibus tribuũtur, ea in alios ab ipsis Magistratibus transferri non possunt *d. l. 1. D. de officio eius.* Sed potestas delegãdi specialiter cõceditur certis Magistratibus, *d. l. cũ Prætor*, ibi, *Iudices*

dare

dare possint, quibus lege, vel constitutione, vel Senatus Consulto conceditur. Ergo talis Magistratus eam potestatem in alios transferre non potest. Quam sententiam à triplici impugnatione defendit Fachineus lib. 12. controuers. c. 53. Quod indicasse tantum sufficiat, & sequuntur alij quos refert Thomas Sanchez disput. cit. n. 5.

15 Neque obstat primum fundamentū communis sententiæ ex tex. in *l. vnum ex familia.* Nam concesso per illum tex. subdelegatum à delegante datum videri, repugnat ratio iuris, de qua supra, quod delegatus ex defectu potestatis eam ad subdelegandum conferre non potuit, quod secus est in illa specie, quia solum agitur de nuda electione & ministerio, quod à testatore potuit cōmitti, imo & in nostro casu subdelegationis cum potestate subdelegandi ab ordinario dicendum esset subdelegatum censeri nominatum ab ipso delegato, non à delegāte, vt communis existimabat. Quod patet ex presse in *l. fin. D. Qui & à quo appellatur*, vbi iudex à Magistratibus datus iussu Principis nominatim iudicem declarantis non tam á Principe, quam à Magistratibus datus intelligitur, ac proinde ad Magistratum, non ad Principem appellatur inspecie illius textus. Neque etiam supradictis quidquam obstat, quod de Procuratore opponitur ex *c. 1. §. 1. de procuratorib. in 6.* Nā illud in priuatis iuribus & negotijs locum habet, quorum dominus est moderator & arbiter: secus in iudicijs & Magistratibus dicēdum est, quia iura Magistratuum & iudiciorum non cuiusuis arbitrio, sed ex legum forma & potestate metienda sunt.

16 Vno tamen casu procedere posset communis sententia, quando ordinarius delegans cum facultate subdelegandi addat, quod *ex nunc illi delegat, cui delegatus vices suas commiserit*: tunc enim ipsemet ordinarius subdelegare intelligitur, delegatus autem nudum ministerium seu electionē exercet, quæ ab ordinario iudice potuit cōmitti alteri. Sic ex mente Dominici in *c. is cui de officio delegati in 6.* docet Nicolaus Garcia supra n. 162. An autē delegatus iudex possit vnum causæ articulum subdelegare, docet Thomas Sanchez d. lib. 3. disput. 31. nu. 10. & dicendum est posse, si tantum sit subdelegati nudum ministerium.

17 Denique hæc communis regula limitari solet à Doctoribus in Legato Procōsulis, qui licet delegatus sit habet tamen ius subdelegandi, *l. Legatus 12. D. de officio Proconsul. & l. cum Prætor, §. is quoque D. de iudicijs.* Huius tamen limitationis examen ex ea quæstione pendet, an Proconsulis delegatus ordinariam iurisdictionem habeat; an delegatam, quam quæstionem, quia aliena est valde ab instituto nostro, iuris Interpretibus examinandam relinquimus. Quāuis pro constituto habeamus Legatum Proconsulis non esse ordinarium, sed delegatum; & addimus etiam in *d. l. Legatus & d. l. cum Prætor* tantum concedi delegato Proconsulis, vt iudicem dare possit, quod quidem valde diuersum est à facultate subdelegandi. Quare licet Proconsulis Legatus iudicem dare possit, mandatam verò sibi iurisdictionem â Proconsule alijs mandare non potest. Docet Alciatus lib. 2. Parad. cap. 5. Donellus lib. 17. comment. cap. 23. Fachin. lib. 12. controuers. cap. 89. Pacius Centuria 1. antinom. 54. Decius in d. *cap. si prodebilitate*, num. 18. Felinus ibidem numero 1. vers. *tamen primam partem.* Sed controuertunt iuris Interpretes an quod Legato Proconsulis conceditur, vt iudicem dare possit concedi etiam debeat alijs delegatis. Sed de hac controuersia videndi sunt Alciatus, Donellus, Fachin. Pacius supra citati, qui affirmatiuam partem sequuntur, respondentque contrarijs. Quare respectu subdelegationis nihil speciale est in Legato Proconsulis. Vnde in eo viget etiam adducta regula, quod etiam benè probat Iosephus Gonçalez lib. vnico variar. quæst. cap. 16. per totum.

An ad subdelegandum causa requiratur in delegante.

CAPVT XXVII.

SVMMARIVM.

Proponitur difficultatis ratio, n. 1.
Sententia Glossæ proponitur, n. 2.
Non requiri causam ad subdelegandum verior sententia est, n. 3.
Obijcitur & diluitur, n. 4. 5.
Quomodo sit verum subdelegatum à delegato Principis teneri in causa graui consulere delegatum, n. 6.

1 DIFFICILIS redditur huius rei decisio propter tex. in *c. relatum de officio deleg.* ibi. *Si pro debilitate, vel pro qualibet alia iusta causa* vbi impedimentum requiri videtur, vt delega-

tus Principis possit subdelegare: at vero in *c. p. super quæstionum, §. si vero & c. fin. eodem* Principis delegato facultas libera conceditur subdelegandi, nulla etiam causa vel impedimento stantibus.

2 In hac re glossa in d. *c. relatum* v. *liberum* defendit iustam causam esse necessariã ex text. in d. c. in verbis supra relatis. Facit text. *in d. c. pastoralis*, ibi, *exigente necessitate, & in c. venerabili*, ibi, *corporis infirmitate granatus, de officio deleg.* Pro qua etiam sententia facit ista consideratio. Nam delegatus ab inferiori, etiam subsistente impedimento, subdelegare non potest, vt c. præcedenti dictum est: & sic magna datur prærogatiua Principis delegati, si ei conceditur, vt subdelegare possit iusta causa interueniente. Quibus fundamentis hanc sententiam cum glossa defendunt Decius in *d. c. relatũ* n. 12. Riminaldus *in l. 1. n. 96. de officio eius.* Menochius lib. 2. de Arbit. Centur. 1. casu 60. nu. fin.

3 Cõtraria tamẽ sententia in puncto iuris verior est, & in consulendo & iudicando receptior, nempe non requiri præcise iustam causam ad faciendam subdelegationẽ, quam defendunt glossa verbo *exornare in d. c. Pastoralis*, sequitur Cardinalis ibidem oppositione 1. Immola n. 9. Felinus, n. 5. Decius in *c. si pro debilitate* ex n. 9. & sequentibus, & est communis secundum Riminaldũ & Mandosiũ in d. *c. relatum.* Pro qua sententia primo facit textus in *d. c. Pastoralis*, in principio, vbi in vno tantum casu prohibetur subdelegatio, videlicet quando facta sit cum malitia vel fraude. Ergo ea cessante, quamuis nullum sit impedimentum, poterit delegatus Principis subdelegare. Secundo facit textus in *d. l. à iudice & d. c. super quæstionum, §. si vero & d. c. fin.* supra in principio adductis, in quibus conceditur delegato à Principe facultas subdelegandi, & non fit mentio de impedimento, vel causa, quæ si necessaria fuisset credendum non est iuris Conditores illam silentio prætermissuros argumento, *l. item apud Labeonem §. ait Prætor D. de iniurijs*, ea enim quæ notabiliter fiunt, nisi specialiter notentur, videtur esse neglecta.

4 Neque huic sententiæ aduersatur textus in *d. c. relatum & d. c. Pastoralis*, quibus nititur prima sententia. Respondet enim Panormitanus in præsenti, causam necessariã non esse ad delegandũ, benè tamen requiri, vt subdelegatus si recusauerit, acceptare cõpellatur à delegato, & ita iusta causa nõ requiritur in præsenti quoad actũ delegandi, sed quantũ ad actũ cõpellendi subdelegatũ reluctantẽ. Improbat tamen Decius hãc interpretationẽ in d. c. n. 11. Quia si concedimus delegatũ subdelegare posse, necessario fateri oportet cõpellere posse subdelegatũ ad acceptandũ, vt omnia cũ effectu accipiamus iuxta *l. 1. §. hæc verba in fine D. quod quisque iuris.* Præterea hæc interpretatio cõuincitur ex d. c. & ex eius contextu, in quo nõ de cõpulsione, sed tantũ de commissione fit mẽtio. Facit etiã textus in *d. c. Pastoralis* cõtra interpretationẽ hãc, in quo in vno tantũ casu non cõpellitur subdelegatus, quando scilicet delegatus malitiosè subdelegare cõtendit. Igitur regulariter subdelegatus cõpelli poterit acceptare.

5 Quare verius dicendũ est textum in *d. c. Relatum*, & similes continere formã obseruandã in subdelegatione, non substantia lẽ, vt ex eius defectu actus sit nullus, *l. ad testiũ, §. si quis testibus de testam.* sed solemnem, cuius defectu non annullatur actus, sed sustinebitur delegatio etiã sine iusta causa facta argumento eius, quod obseruatur in denunciationibus præcedentibus excõmunicationẽ iuxta glossam, v. *potuit in c. sacro 48. de sententia excommunicat.* & docet Couarr. in *c. Almamater* 1. p. §. 9. n. 7. Gutierrez Canonicarũ q. lib. 1. c. 4. n. 4. Nauarrus in Manuali, c. 27. & nos latè dicimus in tract. de excommunicat. Idem etiam reperitur in denunciationibus ad matrimonium requisitis, *c. cum inhibitio 3. de clandestina desponsatione*, & dicemus infra hoc libro. Istæ enim denunciationes requiruntur pro forma solẽni, & nõ substantiali, ac propterea illarũ omissio nõ vitiat matrimonium iuxta glossam verbo *voluerit in d. c. cum inhibitio.* Intellige tamen hanc subdelegationẽ faciendã esse personis discretis, & idoneis, & constitutis indignitate, vt probat tex. *in c. statutum de Rescriptis in 6.* docet glossa in d. *c. relatum* v. *discretis*, cõmuniter recepta. Tridentinum sessione 25. de Reformatione cap. 10.

6 Sed vlterius obseruandum est in d. *cap. relatum* statui à Romano Pontifice, vt subdelegatus à delegato Principis teneatur in causa graui consulere delegatum. Constituit itaque, vt si causa grauis sit, ea subdelegetur reseruato sibi consilio; quo casu delegatus, licet à se abdicauerit iurisdictionẽ *c. venerabili 37. de officio deleg. c. quãuis c. si à subdelegato c. si delegatus eodẽ in 6.* Tamen cõsulẽdus est, nõ vt iudex, sed vt vir discretus & prudẽs, cuius cõsiliũ licet necessario sit

peten-

petendum, aliàs sententia erit nulla ex defectu formæ substantialis, *c. cum dilecta, de rescriptis*, non tamen erit præcisè sequendum & valebit sententia, etiamsi subdelegatus in pronuntiando illud non fuerit sequutũ. Huius ratio est, nam consilium suapte natura non obligat, sed ad deliberãdum excitat, *c. cum olim de Arbitris, l. consilij 48. de regulis iuris c. nullus 61. eodem tit. lib. 6.* Atque ex hac natura consilij diximus supra lib. 3. conditionem, quæ mulieri apponitur, vt contrahat matrimonium de consilio Titij, validã esse, quia tunc non impeditur libera facultas contrahendi matrimonium, cum solum adstringatur petere consilium, non tamen sequi, cum tamen si conditio apponatur, vt contrahat arbitratu Titij, nulla sit, quia præiudicium affert libertati matrimonij, docet Couarr. 2. p. de spõsalibus, c. 3. §. 8. n. 3. Molina lib. 2. de primogen. c. 13. n. 35. & 36. Costa in *l. cum tale 72. §. si arbitratu*, ampliat. vltima n. 2. *D. de condit. & demonst.* De materia autem huius obseruationis latè agunt Felinus, & Decius in d. *c. relatum.* Et breuiter ad hæc puncta reuocatur, quod si delegatus in subdelegatione reseruet sibi consiliũ, nulla sit sententia lata à subdelegato sine eo consilio Decius, n. 56. Secundum quod subdelegatus non tenetur sequi consiliũ Decius, n. 57. & sequentibus. Limitat tamen, n. 64. ni si delegatus præceperit subdelegato, vt sequatur: & limitat etiam, n. 67. in ignaris. Tertium non abdicasse delegatum à se iurisdictionem, si sibi reseruauit consilium vt iudici, Decius n. 66. Quæ apud illum latè videri possunt. Quæ autem causæ subdelegari possint, latè explicant iuris Interpretes locis citatis, & ita apud illos videantur, nec enim instituti nostri est eas prosequi.

De assistentia alterius loco parochi.

CAPVT XXVIII.

SVMMARIVM.

Tridentini Decretũ proponitur. n. 1.

Parochum posse concedere licentiam, an cum facultate subdelegandi, & quid de eorum Vicarijs, n. 2.

Eodem modo iudicandum de Religiosis apud Indos, vbi parochi sunt, n. 3.

Quid de Archipresbytero, & Archiepiscopo, numero 4.

Quid de Capitulo Sede vacante, legato, & Vicario Episcopi, num. 5.

In eo cui licentia conceditur requiruntur qualitates quæ in parocho, & quod sit sacerdos, numero 6.

1 POSTQVAM iã in genere explicata sunt ea, quæ necessaria visa sunt de fine potestatis delegatæ, & quæ ad subdelegandũ requirantur, super est in speciali agamus de eo, qui assistit matrimonio loco parochi tanquam delegatus illius, cuius causa illa præmissa sunt. De eo tamen, qui assistit loco parochi Tridentinũ sessione 24. c. 1. de Reformat. matrimo. hæc tantum habet. *Qui vero aliter quàm præsente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi, vel ordinarij licentia, & duobus aut tribus testibus præsentibus, &c.* Hæc ibi. Tria ergo videnda sunt. Primum est, quis possit licentiam cõcedere alteri, vt assistat. Deinde, cui concedenda est, ideſt, quæ qualitates requirantur in eo, cui conceditur. Tertiũ, quomodo concedẽda, & quis vsus illius, & quæ pœna eius qui assistit sine licentia parochi.

2 Primũ ergo, scilicet, quis possit licentiam concedere assistendi matrimonio facile ex dictis expediri potest. Cõstat enim iã quis fungatur munere ordinarij, & quis delegatus subdelegare possit, de quibus hactenus per plura capita dictũ est; quare ex iam dictis ista facile colligemus & proponemus in hũc modũ. Potest eã facultatẽ concedere parochus, qui potest delegare, imo & cum subdelegandi facultate iuxta ea, quæ supra c. 26. explicata sunt. Idẽ dic de parochis nõ proprietarijs, quando Episcopus est immediatus parochus, vt in Regno Granatensi, & alijs, potest enim hic assistere, & licentiam assistendi alijs concedere. Quia licet delegati sint, cũ tamen sint delegati ad vniuersitatẽ causarũ possunt illi delegare specialem aliquã causam iuxta dicta supra c. 26. extatque de hac re declaratio Cardinalium apud Farinacium pag. 275. quæ sic habet. *Vicarij etiã tẽporales ad nutũ amouibiles Ecclesiæ parochialis, qui sacramenta administrant, & matrimonijs interueniũt, sicut ipsi interuenire possũt, ita etiã dare licentiã alijs possunt interueniendi. Ita decidit Rota in vna Barchinonẽsi.* Hæc ibi. Eiusmodi autẽ Vicarij subdelegare nõ possunt, hoc est, concedere facultatem cum potestate subdelegandi, licet possint in ea forma delegare, *ex nunc ego do facultatem assistendi matrimonio sacerdoti, quem tu delege-*

ris, nam iam hic posterior non suo nomine eligit, sed nudum exercens ministerium, vt explicui supra d. c. 26. At ille, quē aliquis parochus assumit locantem operas vt adiuuet, delegare non potest, neque is cui ea licentia data est assistendi matrimonio, quæ omnia constant ex traditis supra in d. c. 26.

3 Id autem, quod de parocho diximus, locum habet in religiosis apud Indos, apud quos munus Parochi exercent de suorum Prælatorum licentia, vt pro illis declarauit Pius V. vnde & vagos iungere possunt, licētia tamen petita ab Ordinario, vt ex eodem Breui constat adiunctis literis Leonis X. & Adriani VI. quas refert Veracruz in suo speculo, & cōstat ex dictis supra isto libro.

4 Archipræsbiter Ecclesiæ Cathedralis, quāuis olim forsan posset in tota diœcesi ministrare sacramenta, & ideo etiam iungere matrimonio: at nūc restrictior est eius potestas, atq; ita nō potest nisi in Parochia tantum vna cum parocho iuxta dicta supra isto libro. Archiepiscopus autē in territorijs suffraganeis ordinarius non est, neque licentiā dare potest, vt cōstat ex dictis supra. Est tamen iudex in causa appellationis, quā do per appellationē causa deuoluitur ad ipsum *c. Pastoralis, de officio ordinarij.* Vnde in casu, quo nollet Episcopus, per appellationem ad Archiepiscopū deuoluta causa potest licentiam concedere, est enim tunc ordinarius: & etiam in casu, in quo sententia transeat in rem iudicatam Archiepiscopus ordinarius est, in quo casu est diuersitas aliqua inter ipsum & Episcopum. Nam cum Archiepiscopus non sit ordinarius, nisi in casu, quo sententia transierit in rem iudicatam, ideò ante id tempus nec potest interesse aliquorum matrimonio, nec licentiam assistendi alteri concedere. At Episcopus, cum sit ordinarius, si velit etiam pendente appellatione licentiam concedere valet.

5 Idem quod de ordinario diximus, dicendū est de capitulo Sedevacāte: est enim eius potestas ordinaria: & de Abbate nulli Episcopo subiecto; & de Prioribus Militarium in suis Prioratibus, qui nullius diœcesis sunt; & de Cardinali in Ecclesijs sui tituli; & legato in Prouincia suæ legationis; est enim ordinarius, *c. 2. de officio legati in 6.* iuxta dicta supra isto libro. Quod verum est siue sit legatus à latere siue non, quoad hoc enim nullum inter ipsos discrimen est. Idē etiam dicendum de Vicario Generali, vt habet declaratio Cardinaliū apud Farinaciū loco cit. in hæc verba. *Intelligitur etiam de generali Vicario Episcopi, qui hanc licentiam cō cedere poterit.* Hæc ibi. Quod verū est tā de Vicario Generali Episcopi, quām de Vicario Capituli Sedevacante, sunt enim ordinarij, efficiuntque vnum tribunal, & intelligūtur nomine ordinarij in Tridētino tām in hoc decreto, quām in alijs iuxta ea, quæ diximus supra isto libro. Ex quibus etiā constat, quid dicendum sit de Vicario foraneo Episcopi.

6 Quod vero attinet ad secundum, scilicet, cui sit concedenda licētia vt assistat matrimonio, certū est requiri in eo, cui licētia conceditur, eas qualitates, quas supradiximus requiri in parocho assistente, vt quod non casu assistat, quod attēdat, quod sit sui compos, & quoad excommunicationē etiā idem quod dixi supra de parocho, dicendū de eo qui assistit loco illius. Insuper addendum necessarium esse, vt sit sacerdos, nam non sacerdoti licentia assistendi cōcedi nō potest: Quamuis enim illa coniunctio contrahentium non sit functio sacerdotalis ordinis, & etiam non sacerdos parochus adesse possit: attamen, cum Decretum Tridentini, quo tantum ea forma est inducta, dicat *vel alius sacerdos de licentia parochi*, stādū est eius dispositioni. Et quidē per declarationes omnes Cardinalium, in quibus de hac re fit mentio, semper in eo, cui licentia conceditur, exprimitur qualitas sacerdotis, vt ex sequentibus constat, quæ extant apud Farinacium loco cit. Prima pag. 271. *Matrimonium contractum corā testibus, sed sine parocho, vel alio sacerdote de eius licentia, &c.* Secunda pag. 272. *Matrimoniū, quod non contrahitur in præsentia parochi proprij, aut alterius sacerdotis de ipsius parochi, vel ordinarij licentia, nullum est, &c.* Tertia pag. 274. *Matrimoniū cōtractū absque præsentia parochi, seu alterius sacerdotis de ipsius parochi, vel ordinarij licētia, &c.* Quarta pag. 275. *Si sacerdos alienus non habuerit licētiā, neq; ab ordinario, neque à proprio cōtrahentium parocho, &c.* Quinta pag. 276. *Ordinarius iudicare debet matrimonia illa nulla esse, quæ præsente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi vel Episcopi licentia, & duobus vel tribus testibus contracta non sunt.* Sexta pag. 278. *A proprio parocho contrahentium, vel alio sacerdote, cui ipse parochus, vel ordinarius licentiam dederit, &c.* Quamuis autem ea sacerdotij qualitas requiratur in eo, cui licētia assistendi conceditur, non tamen requiritur, vt is, cui datur sit sacerdos approbatus, neque alicubi exigitur ea qualitas per Tridentini decretū, nec per declarationes Cardinaliū.

Quomodo

Quomodo sit ea licentia concedenda?

CAPVT XXIX.

SVMMARIVM.

Licentia debet esse expressa, n. 1.
Sufficit generalis administrandi sacramẽta, n. 2.
Valet data à parocho etiam contra denunciationem Episcopi, n. 3.
Quid quando datur sub aliqua speciali forma, sententia quorundam, n. 4.
Impugnatur ab alijs, n. 5.
Explicatur quid verius videatur, n. 6. 7.
Concessa licentia innotescere debet, & ostendi, num. 8.
Posse licentiam concedi à parocho, vt coniungat sibi subditum in aliena parochia, aut diœcesi, num. 9.
Obiectio soluitur, num. 10.

1 QVOD attinet ad tertium, quomodo scilicet concedenda licẽtia sit breuiter expediemus, quia ea, quæ ad modum concedendi licentiam, & eius durationem & reuocationẽ pertinent, explico latè partim supra capitibus præcedentibus 24. & 25. partim in tract. de Sacramento Cõfessionis, cum de ministro Sacramenti exalterius delegatione sermo est; eadem enim est ratio. Dico ergo breuiter licentiam specialiter & expressè debere cõcedi; sic enim habet declaratio Cardinaliũ, quæ extat apud Farinacium pag. 275. ad illa verba decreti, *vel de ordinarij licentia*, quæ sic habet. *Non sufficit tacita, quæ resultat ex tolerantia: requiritur vero, vel commissio generalis administrandi sacramenta, vel si hæc absit, expressa, vel specialis licentia.* Hæc ibi. Vnde non satis est tacita, nec enim hic locum habet ratihabitio de futuro. Quod adeo verum est, vt nec sub spe ratihabitionis posset sine licentia contrahi, etiam vt subueniatur alicui in articulo mortis constituto, cum aliter cõtractum matrimonium irritum sit. Aliter censendũ est de ratihabitione de præsenti, vt si fieret coràm parocho illo videnti & tacente, id enim ad licentiam videretur satis.

2 Sufficit etiam ex eadem declaratione Cardinalium licentia generalis administrandi sacramenta omnia vel exercẽdi munia parochum concernentia, & docet Thomas Sanchez lib. 3. disput. 35. per totã Rebellus lib. 2. de matrimonio quæst. S. parum à principio. Dixi *administrandi omnia sacramenta*, quia AEgidius de sacramentis disp. 27. dub. 3, num. 30. existimat non sufficere, cum ille actus non sit administratio sacramenti. Sed præcisè eo nomine comprehenditur à Cardinalibus in ea declaratione, quare in hoc illis standum est, quia hoc nomine comprehenduntur munia omnia parochũ concernentia. Non autem requiritur, vt ea licentia detur in scriptis, quia Tridentinũ scripturam non exigit, neque postulat, argumento etiam eiusdem Tridentini sess. 25. c. 5. de Regularib. & docet cum alijs Thomas Sanchez disp. 35. cit. n. 10.

3 Valet etiam prædicta licentia data à parocho, quamuis detur contra interdictũ Episcopi, vel constitutionis Synodalis prohibentis, vel in vniuersum ne concedatur, vel ne detur, nisi approbatis, ab ordinario, docet Thomas Sanchez citatis alijs disp. 32. num. 2. Emanuel Sà v. *matrimonium*, in editione Hispana n. 2. & sic etiam habet declaratio Cardinalium, quã refert Farinacius, pag. 270. hisce verbis. *An prohibitione facta ab ordinario, ne parochus in matrimonium coniungat aliquos, ita tollatur, seu suspendatur iurisdictio parochi, vt ad celebrandum matrimonium non sit legitimus parochus, matrimoniumque coram eo contractum nullum sit? Respondit Congregatio, matrimonium valere. Quod si hæc prohibitio facta sit non ipsi Rectori principali, sed eius Vicario, qui ad nutum ordinarij amoueri potest, an matrimonium, in quo contra ordinarij prohibitionem Vicarius iste interuenit, validum sit? Respondit Congregatio, validũ esse matrimonium.* Accedit etiam decisio Rotæ in nouissimis, quas excusit Farinacius tom. 1. decis. 270. num. 4. vbi decidit valuisse licentiam datam à parochis assistendi matrimonio contra formam Synodi præcipientis, ne daretur, nisi adhibito notario, & tribus testibus, eo quod Synodus non addiderit clausulã annullantẽ. Facit etiã alia decisio Rotæ apud Seraphinũ. 189. Facit etiam tex. *in cap. 2. de matrimonio contra interdictum Ecclesiæ*, ibi. *Contra interdictũ Ecclesiæ contracta matrimonia non sunt nulla, licet eũ peccato fiant.* Quare nõ habet hic locũ, quod à Iure Consultis dici solet argumento tex. *in l. nox dubium C. de legib.* quod simplex prohibitio annullet actũ, sed requiritur in hoc casu, vt habeat etiã clausulã irritantẽ, quo vno verbo soluuntur omnia quæ contra nostrã sententiam adduci possent. Sed de hoc dixi etiam suprà isto libro.

4 Sed difficultas est, an valeat licentia data sub aliqua speciali forma. Res quidem inuoluta neque explicatu facilis. Thomas Sanchez, qui cæteris diligentius rem istam explicat nonnulla affirmat. Primum dorcet, quando conceditur ab Episcopo forma, exprimendo in illa id quod iure inest, non reddit actum inualidum, etiamsi non seruetur, sicuti iure ipso non esset inualidus actus, quando non seruaretur. Quam regulam habet etiam Couarru. *in cap. Almamater* p. 1. §. 9. num. 8. Nauarrus in summa cap. 27. num. 37. Ex qua regula fit, si in prædicta licentia dicatur, *do tibi licentiã, vt possis coniungere aliquos matrimonio, monitis tamen prius ne consumment, donec præmittantur denuntiationes*, si non moneat, valet matrimonium. Quia ea expressio non tam conditio, quam exhortatio est muneris iniuncti; iure enim tenetur id facere, licet eius omissio non vitiet actum. Similiter, si dicat Episcopus, *do tibi licentiam assistendi matrimonio, dummodo ne coniungas eos, nisi præmissis denuntiationibus, vel desponsandi impedimento careant*, etiamsi ille, cui ea licentia data est, denuntiationes omittat, matrimonium valet, quia ea conditio iure inest, & non habet alium effectum expressa ea conditio, quam tacita. Secunda eiusdem Auctoris regula est. Quando conditio vel est alia extra formam iuris communis, vel aliter posita aut expressa alium sensum habet diuersum ab eo, quem habet, quando iure inest, non seruata ea conditione, nullum est matrimonium. Eam regulam tradunt citati Doctores, & Thomas Sanchez disput. cit. num. 4. Ex quo infert, si Episcopus det licentiam alicui, vt assistat matrimonio, & coniungat aliquos, si diligenti inquisitione facta non inuenerit eos teneri aliquo impedimento, non seruata ea conditione nulla est coniunctio, quia in ea conditione exigitur diligens indagatio & inquisitio, quæ nõ exigitur iure communi.

5 Verum cõtra duas istas regulas AEgidius disput. 27. dub. 3. â num. 34. nonnullas proponit difficultates, quæ illi grauissimæ videntur. Primò obijcit contra primã; quia iure communi constitutum est, vt nemo ob damnum alteri illatum excommunicatus absoluatur, nisi satisfacta prius parte. Si tamen ordinarius concedat alicui licentiam absoluendi alium ab excommunicatione, modo quantum possit prius parti satisfecerit multo probabilius est esse eam absolutionem inualidam non seruata ea conditione, quæ tamen iure inest. Secundo obijcit contra secundam. Quia siquis ordinarius tempore Iubilei det alicui facultatem absoluẽdi fideles â peccatis, si tamẽ prius moneat, vt lucrentur illas indulgentias, dici non potest absolutionem fore inualidam, etiamsi non præmittat monitionem illam, & tamẽ conditio illa est præter formam iuris communis. Similiter, si dicat Episcopus *concedo tibi vt aliquos matrimonio iungas, dũmodo præmittas denuntiationes, vel dummodo moneas sub excommunicatione, ne contrahant non præmissis denuntiationibus.*

6 Cæterùm ego aliqua ex parte probo regulas supra traditas, si tamen rectè explicentur. Dico ergo primo, primam illam regulam vniuersè veram esse. Itaque quoties exprimitur id, quod iure inest, non efficitur ea concessio conditionalis, vt dixi supra lib. 3. sed admonetur officij sui. Quare non habent illæ conditiones alium effectum, si exprimantur, quam quem habent tacitæ ex iure communi. Hoc autem aduertendum diligenter. Si in iure communi subintellectæ no habent effectum irritandi, si non seruentur, etiamsi expressæ non seruentur, nõ vitiabitur actus. Exemplum est in denuntiationibus præmittendis, & etiam in monendo, ne consumment ante benedictionẽ, vel ante denuntiationes, quãdo illæ ex causa postponuntur. Nam iure communi, etiãsi hæc omnia omittantur, non redditur inualida coniunctio. Adde etiam his annumerandum exemplum illud, *nisi diligenti inquisitione inueneris non teneri impedimento*, quo exemplo non rectè vtitur Thomas Sanchez in secunda regula. Quia hæc etiam cõditio diligentis inquisitionis iure inest, vt constat ex *cap. fin. de clandestina desponsatione*: At si ea conditio, quæ iure inest, non seruata vitiat actum, neque aliter consistit, nisi ea conditione seruata, pariter expressa vitiabit, eumque effectum habebit expressum & tacitum in hac parte. Ex quo cessat difficultas prima AEgidij contra primam regulam. Nam ea conditio *satisfacta parte quantum fieri possit*, ita reuera iure inest, vt aliter non valeat absolutio. Quamuis enim iudex possit aliquem absoluere ab excommunicatione etiam non satisfacta parte, quia potest absoluere inuitum, & manente in peccato, vt suo loco dicemus: attamen non confertur ea iurisdictio, neque iure, nec priuilegio, cum petitur partis satisfactio, ne eneruetur pœna censuræ Ecclesiasticæ, sed debet seruari satisfactio partis, quæ possibilis fuerit,

fuerit, vt dico in tract. de Excommunicatione. Quod enim Nauarrus dicit, cum exprimitur in priuilegio ea conditio, exigi vt non detur absolutio, nisi reipsa satisfacta parte, quamuis sit impotens ad satisfaciendum, veritate caret, vt loco citato ostendo. Vnde vniuersaliter verum existimo clausulam iuris communis appositam in priuilegio non aliter intelligendam, aut intelligi positam, quam iure intelligitur posita, nisi speciali cautione detur, vt ex sententia Nauarri docet Gabriel Vazquez tom. 4. in 3. p. de excommunicat. dub. 20. num. 3. Vnde etiam si lite mota, quia fœmina opponit alicui secum contraxisse sponsalia iurata, aut sub spe matrimonij illam cognouisse, si tūc det Episcopus licentiam ad coniungendū virum illum cum alia fœmina, si constet nō contraxisse sponsalia cum alia, si ille nihilominus eo non inuestigato coniungat, valet matrimonium, nisi Episcopus aliud exprimat, quia censetur data licentia secundum formam iuris communis. Iure autem communi, si parochus sciens virum contraxisse sponsalia, & sub ea promissione illam defloraſſe, coniungeret cum alia, licet in eo peccaret, matrimoniū tamen valeret. Quandiu enim aliud non exprimitur, intelligitur secundum formam iuris communis.

7 Secundam autem regulam ego limitarem, vt verum sensum habeat. Dico itaque certum esse totum hoc pendere ex intētione licentiam concedentis. Si enim innitatur alicui, quod iure non inest tanquam conditioni, planum est non seruata ea conditione non concedi licētiam, vt supra lib. 3. diximus de actibus conditionatis. Itaque si certa est mens concedentis, cessat quæstio. At si dubia sit, quia sæpe aliquid non ponitur, vt conditio, sed vt modus, vel admonitio, vt dixi etiam lib. 3. ideo in hoc casu coniecturis agendum est, vt monet idem Thomas Sanchez disput. 33. cit. num. fin. in solutione ad 2. Ad coniectandam autem concedentis voluntatem optima mihi coniectura videtur, qua vtitur AEgidius loco citato, num. 35. scilicet, spectandum esse finem, obquem ea conditio apponitur. Si enim finis, quem concedens intendit, euertitur non seruata ea expressa conditione, sentiendum est concedentem illam expressisse in vim conditionis, ita vt voluerit suspendi licentiam, cōcessionem & effectum, donec ea conditio seruaretur. At si finis nō euertatur, non est sentiendum illam formā expressam esse vt conditionem, sed in vim pacti, neque suspensam licentiam vsque ad implementum eius conditionis. Hinc fit validam esse absolutionem, quāmuis non hortetur, vt lucrentur indulgētias: similiter valere matrimonium, cui assistit parochus, cui licentia data est, dummodo sub excommunicatione denuntiet, ne coniungantur non præmissis denuntiationibus. Quia cum finis Episcopi sit, ne matrimonium sit irritum ob aliquod impedimentum, & ne sint in statu fornicationis, non est sentiendum velle vt, si sine ea monitione coniungantur duo, interquos reipsa non est aliquod impedimentum, matrimonium esset nullum, & manerent etiam in statu fornicationis ex defectu licentiæ, quæ tamen pericula ipse Episcopus licentia illa eo tenore concessa euitare contendebat.

8 Concessa tamen licentia vti non potest is, cui conceditur, nisi illi innotescat; nec enim satis est quod concessa iam fuerit ad eius petitionem, & innotuerit Nuntio, vel procuratori, vt latè ostendo in tract. de Confessione contra Sanctium. Vnde neq; satis existimo, si contrahentes dicant, se licentiam habere, vt eos iungere matrimonio possit, solēt enim in eo innumeræ fraudes interuenire, nisi forsan adeo virtute & auctoritate polleret, qui diceret, vt de eius veritate nullo modo dubitari posse videatur, de quo Thomas Sāchez disput. 37. Ego tamen peterem licentiam ostendi etiam à quocumque viro quantumuis virtute præstanti, nec enim in hoc vlla irrogaretur iniuria, quod in re tanti momenti, & ex qua valor matrimonij pendet, diligenter conaretur extraneus Sacerdos suo muneri satisfacere. Quibus faueret decisio Rotæ apud Seraphinum 1099. Quando autem reuocatur, debeat ne innotescere ei, cui conceditur, & quando expiret vel reuocatione, vel concedentis morte, definiri potest ex his quæ dixi supra isto libro, & ex his quæ dico in tractatu de Cōfessione in simili de licentia ad audiendas confessiones.

9 Illud denique addendum est non tantum valere licentiam cōcessam à parocho, vel ordinario, vt in sua parochia vel diœcesi alter eos coniungat, sed etiam vt id munus obeat in aliena diœcesi. Pone aliquem exulare Salmantica, velleque cum aliqua fœmina Salmanticensi contrahere Vallisoleti, eòque illam adduci velle, facultas concessa ab ordinario Salmanticensi, vt parochus Vallisoletanus eos coniungat matrimonio, valet. Scio contrarium sensisse Na-

narrum lib. 4. consil. 37. & 52. negat enim parochum extra suam parochiam, aut Episcopum extra suam diœcesim contrahendis matrimonijs inter suos interesse posse. Id tamen quod dixi magis placet, & docet Thomas Sanchez lib. 3. disput. 34. AEgidius disput. 27. dub. 3. Rebellus 2. p. lib. 2. de matrim. quæst. 8. num. 5. Paulus Comitolus lib. 2. responsorum moral. Nam ex decreto Tridentini loco citato constat formam ab eo præscriptam & seruandam in matrimonijs in eo intrinsecè & essentialiter sitã esse, vt adsit parochus, vel alius sacerdos de licentia parochi, vel ordinarij, & duo præterea testes. Igitur reliqua omnia tempus & locus, & alia accidentaria sunt. Quare non addenda sunt huic odiosæ restrictioni iuris naturalis. Cumque idem possit ordinarius suos coniungere in aliena diœcesi ex declaratione Cardinalium, quam refert Rebellus loco citato, cur non poterit licentiã concedere, vt alter suos diœcesanos coniũgat etiam in alia parochia? Quod si etiam iudex, qui extra suæ iurisdictionis locum iudex non est, licentiam minori tribuere potest, vt extra suæ iurisdictionis locum contrahere possit, cur idem non fàciet Episcopus in matrimonij contractu? Cur etiam, cũ Episcopus suis peregrinantibus in aliena Prouincia, facultatem concedit suscipiendi ab alienis Eucharistiæ, & Pœnitentiæ Sacramenta, non præbebit etiam facultatẽ ineũdi matrimonij?

10 Neque obstat id, quo potissimum videtur inductus Nauarrus, scilicet, parochum vel Episcopum extra suam diœcesim esse personam priuatam, & non pollere ea auctoritate publica, quam in celebrandis coniugijs exigere videtur Concilium. Id in quam non obstat, quia Cõcilium in eo personarum genere, quarum est in matrimonio præsentia necessaria, non requirit alicuius publici officij auctoritatem; aliàs neq; simplex sacerdos de licentia parochi, aut testes è priuatorum numero, non essent idoneæ personæ, quod stultum est; sed tantum exigit, vt eiusmodi sint personæ, quæ plenam Ecclesiæ fidem faciant, abstulit enim matrimonia præsumpta. Adde nomen Episcopi & parochi esse nomen hominis publicam personam habentis, & sustinentis, vnde publica id auctoritate factum iudicari debet, cum actus ille non sit iurisdictionis cõtentiosæ, sed voluntariæ, vt dicebam supra.

De denuntiationibus præmittendis.

CAPVT XXX.

SVMMARIVM.

Tridentini Decretum, n. 1.
Denunciationes non sunt de substantia matrimonij, n. 2.
Non posse neque omnes neque aliquam omitti sine peccato mortali, n. 3.
Debere fieri in vtriusque parochia, n. 4.
Sufficere vt fiant in parochia habitationis, nisi ordinarius aliud decernat, n. 5.
Debere fieri in Ecclesia, nisi consuetudo obstet, num. 6.
Et in diebus festiuis non ferialibus, n. 7.
Non tamen continuis, n. 8.
Et petentibus contrahentibus, & per parochum, licet id consuetudine sublatum, n. 9.
Non multo post denunciationes matrimonium contrahendum, aut iterum repetendas, numero 10.

1 HAEC est huius libri quarta pars, inqua de denuntiationibus agẽdum est, quæ præmitti matrimonio solent, de quibus Concilium Tridentinum hæc habet sessione 24. de reformat. matrimonij cap. 1. *Præcipit, vt in posterum antequam matrimonium contrahatur à proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festiuis in Ecclesia inter missarum solemnia publice denuncietur, inter quos matrimonium sit contrahendum.* Reliqua quæ Tridẽtinum circa denunciationes statuit, proponam cap. sequenti.

2 Circa quam decreti partem in primis obseruandum est, denunciationes non esse de substantia matrimonij, quasi nullum sit, si sine illis fiat, valet enim etiam omissis denunciationibus. Idque non semel declaratum est à Cardinalibus, quas declarationes refert Farinacius, & communi Doctorum sensu receptum est, ita vt necesse non sit, neque declarationes, neque Doctores referre. Constat manifestè ex ipso decreto Tridentini. Cum enim præmisisset, quæ ad denunciationes pertinent, inquit: *Qui aliter quàm præsente parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius parochi, vel ordinarij licentia & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & huiusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti*

senti decreto irritos facit & annullat. Hæc ibi. Ergo tantum defectus parochi & testium facit matrimonium nullum, non defectus denunciationum. Quare cum iure antiquo *cap. fin. de clandestina desponsatione*, valeret matrimonium sine illis, quoad hoc non est immutatum: sed tantum tradidit Concilij ordinem & formam, secundum quam rite & recte parochus procedat, ante contractū matrimonij, non vero formam, quæ si desit annullet actum. Quare in matrimonio non habet verum, vt factum contra legem habeatur pro infecto iuxta tex. *in l. non dubiū, C. de legib.* cuius explicationem iam supra tradidimus in hoc libro. Videndus de hoc Thomas Sanchez lib. 3. disput. 5. q. 1.

3 Secundo obseruandū est esse in præcepto eas denunciationes præmittere, ita vt sine mortali culpa omitti non possint. Communis Doctorum sententia est, ita vt superuacuum sit Doctores referre, plures refert & sequitur Thomas Sanchez disp. 5. cit. quæst. 2. Cuius ratio facile desumitur ex dictis. Quia est lex Tridentini præceptiua, & in materia valde graui, & quæ statuitur ad multa incommoda euitanda; quare non est vnde possit dici culpa venialis. Amplia autem vt sit etiam obligatio præmittēdi non solum denunciationes, sed & tres numero, ita vt vnam omittere sit lethale peccatum. Sentit nobiscū AEgidius disp. 27. dub. 5. num. 51. quamuis oppositum sentiat Thomas Sanchez disp. cit. num. 8. Et ratio est, quia omissio vnius proclamationis non est materia leuis, vt constat ex fine, ad quem ordinatur. Quare parochus, qui id suo arbitratu faceret, grauiter puniendus esset ab Episcopo. Hæc dixerim, quando iusta causa omittendi non subest; nam quid faciendum sit, quando adest omittendi causa dicam cap. sequenti. Neque satis erit ad excusandum à mortali culpa, quod cesset causa denunciationum in aliquo peculiari casu, vt dixi supra vniuersè de legibus in præsumptione fundatis.

4 Tertiò obseruandū est prædictas proclamationes fieri debere in vtriusque parochia, quod licet non satis explicatum fuerit in *d. cap. fin. de clandestina desponsatione*, attamen planè colligitur ex decreto Tridētini. Quia, cum præcipiat vt fiant à proprio contrahentium parocho, planè sequitur, si diuersarum parochiarum sint, per diuersos parochos fieri debere in ipsorū parochijs. Et ratio etiam est manifesta, cum ideo istæ proclamationes adhibeantur, vt impedimēta si qua fuerint innotescant; potest autem impedimentum viri incognitum esse in parochia fœminæ, & è contra: & facile id accidere potest. Quare in vtriusque parochia fieri debent, vt habet etiam Congregatio Cardinalium apud Farinacium, quæ sic inquit. *Quando matrimonium contrahitur inter duos de diuersis parochijs, debent in ambabus fieri denunciationes.* Hæc ibi. Vnde erit etiam peccatum, omittere denunciationes in aliqua parochia, si tantum in vna fiant.

5 Sed in quibus parochijs fieri debeant dissensio est. Nam Thomas Sanchez disp. 6. num. 6. dicit denunciationes fieri debere in vtriusque parochia, in qua diutius commorati sunt, & vero similius est, vt sciantur impedimenta, ad eum enim finem adhibētur, non autem ita facile innotescerent, si in ea parochia fiant, in qua à breui tempore commorantur. Sequitur AEgidius dub. cit. nu. 50. refertque Thomas Sanchez pro ea sententia Seguram dicentem sic declarasse Cardinales, sequitur Riccius in praxi decis. 257. num. 4. Ego quidem, si viderem declarationem Cardinalium, istorū opinioni acquiescerem. Cæterū neque lego in his, quas ediderunt Farinacius, atque Rebellus, quin potius, ex his quæ excusæ habentur, ego colligo in eis tantum Ecclesijs debere fieri proclamationes, de quarum parochia sunt. Nā cum Tridentinum dicat eas debere fieri à proprio parocho, declarāt Cardinales proprium parochum esse, in cuius parochia cōtrahentes habitant tempore, quo matrimonium contrahitur. Et in alia declaratione expressè dicitur, vt quando matrimonium contrahitur inter duos alienigenas, qui à paruo tempore in aliquo loco habitant, & non sunt de vagabundis, proprium parochum esse, in cuius parochia habitant tempore, quo cōtrahunt matrimoniū. Et in Regimine Ecclesiæ Bononiensis sub Cardinale Palæoto p. 3. de Sacramento matrimonij pag. mihi 158. sic habetur. *Post tres denunciationes factas in Ecclesia parochiali, cui tam sponsus, quam sponso subditi erunt &c.* Et sæpe ibi inculcatur debere fieri in parochia & testimonium petendum à parocho, ad quem pertinet matrimonij celebratio. Et in constitutionibus Mediolanēsibus lib. 4. de sponsalibus cap. 10. iniungitur. *nequis parochus denunciationes in Ecclesia faciat, nisi petentibus eisdem contrahentibus: & si forte fuerint ex diuersis parochijs, ne denuntiet, nisi ab altero parocho certior factus sit de postulatu & cō sensu illius, qui suæ est curæ subiectus.* Quæ ideo

ideo adduco, vt ostendam quomodo ea Cõcilia Mediolanensia & Bononiẽsia, quæ Tridentinum secuta sunt, & approbata per cõgregationem Cardinalium, vt in ipsis habetur, intellexerint Tridentini decretum de denuntiationibus faciendis in parochiali Ecclesia. Existimo itaque de iure in prædictis præcisè parochijs debere fieri: an verò in alijs etiam fieri expediat relictum existimo Episcoporum iudicio. Nam in Regimine Ecclesiæ Bononiensi p. cit. pag. mihi 157. columna 2. in principio hæc habentur. *In his igitur aut alijs huiusmodi casibus, in quibus aliqua existere possit difficultas, siue etiam cum dubitetur in qua parochia fieri debeat denũciatio, parochus ab eodem Illustrissimo Archiepiscopo quid agendum sit accipere debebit.* Hæc ibi.

6 Ex his colliges eas denunciationes debere fieri in Ecclesia, vt constat ex omnibus adductis. Quare nõ possunt fieri extra Ecclesiam, etiamsi locus sit aptus, vt ad multorũ notitiam perueniat: nisi forte alicubi consuetudo fuerit, vt eiusmodi edicta voce præconis proponantur in vicinia parochiæ. Nã eiusmodi consuetudinem etiam post Tridẽtinum seruari posse ex consuetudine immemorabili constat ex quadã declaratione Cardinalium, quæ est apud Farinacium pagina mihi 270. in hæc verba. *An omissio edictorum, quæ præcedere debent celebrationem matrimonij ex constitutionibus Synodalibus diœcesis, & ex consuetudine immemorabili, quam seruandam esse etiam post Concilium Tridentinum Congregatio declarauit, reddat matrimonium clandestinum, prolemque illegitimam, perinde ac si matrimonium cõtractum esset sine parocho & testibus. Congregatio respondit negatiue.* Quæ etiam declaratio extat apud Rebellum post librum 4. de sponsal. num. 28. Ex qua declaratione planè colligitur, sicut immemorabili consuetudine induci potuit, vt non essent denunciationes præmittendæ, ita etiã eadem consuetudine post Tridentinum induci posse, ne denunciationes in Ecclesia fiant, sed in alio publico loco, & præconis voce.

7 Quarto obseruandum est eas denunciationes debere fieri tribus festiuis diebus, id enim expressè decernit Concilium Tridentinum, & explicat Mediolanense d. tit. cap. 2. *vt in illis festiuis diebus fiant, qui Ecclesiæ præcepto seruantur.* Quare in feriali aliquo nec semel denunciare licebit, vt colligitur ex declaratione Cardinalium, quæ extat apud Farinacium pag. 269. in hæc verba. *Episcopus ob vicinitatem temporis, quo prohibitæ sunt nuptiæ omittere potest aliquas denuntiationes secundum prudẽtiam suam, & iudiciũ, non tamen iubere vt in diebus ferialibus fiant.* Quæ etiam est apud Rebellum loco citato, num. 19. & 27. Quare non placet quod contra hoc docet Thomas Sanchez disput. 6. num. 10. Vnde neque in eo dispensare poterit Episcopus contra eundem Sanctium disput. 7. num. 6. cum expressè prohibeantur etiam extraordinariè facere, si rectè expendantur verba declarationum; maximè cum si aliqua subsit causa, omitti possint de Episcopi iudicio. Sine peccato ergo mortali ferialibus diebus fieri non possunt denunciationes, & aliàs nullius erunt momenti. Sic nouissimè Riccius in praxi decis. 257. numero 3.

8 Sed numquid poterunt fieri tribus festiuis diebus continuis, vt tribus diebus Paschatis, vel interruptis & aliquo interuallo distinctis? In hoc dicendum non debere esse continuos. Sic tanquam iuri consonum declaratum est in Concilio Colonien si sub Adolpho titulo Cẽsuræ & decreta lata pro abusuum reformatione cap. 32. & Prouinciali Moguntino sub Sebastiano capite 38. Verum neque nimis differendæ sunt, aut procrastinandæ, vt habet Concilium Mediolanense titulo de sponsalibus capite secundo: illud enim interuallum petit ipse denunciationum finis, vt sic melius detegantur impedimenta. Vnde in nonnullis Ecclesijs prudenter constitutum est, ne ipso die vltimæ denunciationis contrahatur matrimonium, sed duobus aut tribus elapsis diebus. Sic habetur in constitutionibus Mediolanensibus titulo de sponsalibus cap. 13. & in Regimine Ecclesiæ Bononiensis p. 3. cit. pag. mihi 168. col. 1. & ideo etiam præcipitur, vt si temporis angustiæ vrgeant, statim post tertiam denunciationem celebrari matrimonium, in secunda denunciatione populus moneatur, denuncieturque statim post tertiam denunciationem matrimonium esse in facie Ecclesiæ celebrandum. Idemque mihi videor colligere ex quadam declaratione Cardinalium apud Rebellum numero 12. in qua præcipitur parocho, vt in illis Regionibus, in quibus sponsi statim tribus factis denunciationibus se carnaliter cognoscunt, Episcopus prouideat, vt parochus vltima denunciatione absoluta in matrimonio subito illos coniungat ad stupri periculum euitandum. Ergo vbi abusus ille non est, non sunt eadem die coniungendi,

nisi

nisi accedat Episcopi licentia, vt habet cõstitutio Mediolanensis loco cit.

5 Quintò obseruandum est hasce denũciationes non debere fieri de arbitrio parochi, sed petentibus illis, qui volunt contrahere, vt explicat constitutio Mediolanensis, cap. 4. 10. & 18. vbi etiã præscribit modum explorandæ libertatis, aut voluntatis contrahentium. At quamuis Concilium dicat fieri debere per parochum prõprium, in hoc tamen â iure recessum est apud nos, fiũt enim per æditũũ, sicque seruatur in praxi. Quamuis, quando sunt contrahentes ex diuersis parochijs, & affertur testimonium ad parochum, quo præsente celebrandus contractus est, testimonium debet esse chirographo parochi munitum, & alijs, quæ iuxta diuersas Constitutiones Synodales exiguntur in diuersis Ecclesijs. Sed & antequã præmittat denunciationes, si parochus aliquod impedimentum esse intelligit, vel difficultatem etiam ex vnius fide, vel inceptis denunciationibus, ne vlterius progrediatur, sed Episcopum consulere præcipiunt acta Mediolanensia tit. de sponsal. cap. 10. etiamsi ea dubitatio contingat ex probabili coniectura, & acta Bononiensia loco cit. pag. mihi 158. col. 2. in princ.

10 Denique obseruandum est non multò elapso tempore post denunciationes matrimonium esse contrahendum. Acta Mediolanensia loco cit. cap. 22. præcipiunt, vt intra duos menses contrahatur, quibus elapsis nequeat contrahi matrimoniũ, nisi præmissis iterum denunciationibus, aut nisi de licentia Episcopi remittantur. In Regimine Eccles. Bonon. p. 3. cit. pag. 158. col. 1. in fine iniũgitur, vt elapsis illis duobus mẽsibus ab vltima denunciatione computandis non procedat parochus ad celebrationẽ matrimonij, nisi prius admonito Illustrissimo Archiepiscopo, & licentia ab eo in scriptis obtenta, vel à generali eius Vicario. Inter declarationes autem Cardinalium extat quædam apud Rebellum loco cit. nu. 8. & Farinaciũ pag. mihi 266. in fine vbi dicitur in Congregatione Cardinalium approbatum fuisse decretum Rauennatensis Concilij 2. quo cautum est, vt ij, qui peractis denunciationibus intra quatuor menses non contraxerunt, non possint contrahere, nisi iterum peractis denunciationibus, arbitrio tamen Episcopi. Et quidẽ merito, quia potest longo tempore post denunciationes elapso superuenire impedimentum ex affinitate aliqua. Illud denique addendum, cũ denunciationes ex causa differuntur faciendæ post contractum, peccatum mortale esse consummare ante denunciationes, vt dicã infra lib. 10.

Quando omitti denunciationes possint, & cuius auctoritate?

CAPVT XXXI.

SVMMARIVM.

Tridentini Decretum, num. 1.

Non posse omitti denunciationes auctoritate parochi, n. 2.

Quis intelligatur hoc loco nomine ordinarij, numero 3.

Obiectio diluitur, n. 4.

Non intelligi Vicarium Episcopi, nisi committatur, n. 5.

Obiectiones proponuntur, & diluuntur, numero 6. 7.

Potest eam potestatem Episcopus concedere Vicario suo, n. 8.

Cum contrahentes sunt ex diuersis diœcesibus, & vnus ex eis remittit denunciationes, non videntur aliæ remissæ, n. 9.

1 TRIDENTINVM cap. cit. hæc habet. *Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio matrimonium malitiose impediri posse, si tot præcesserint denunciationes, tunc vel vna tantum denunciatio fiat, vel saltem parocho & duobus aut tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur. Deinde antè illius consummationẽ denunciationes in Ecclesia fiant, vt si aliqua subsint impedimenta, facilius detegantur, nisi ordinarius ipse expedire iudicauerit, vt denuntiationes remittantur. Quod illius prudentiæ & iudicio relinquit Sancta Synodus.* Hæc ibi.

2 Ex quo decreto habemus in primis denunciationes non posse omitti, neque omnes, neque vnam auctoritate parochi, expressè enim Concilium inquit, *nisi ordinarius ipse, &c.* Ergo non conceditur parocho arbitrium omittendi, ad id enim eligitur industria personæ, cum dicat etiam Concilium id relinqui iudicio & prudentiæ ordinarij; parochi autem magna ex parte sunt ignari & imprudentes. Et sic intellexerunt Concilium Tridentinum Acta Mediolanẽsia tit. de sponsal. cap. 4. ibi. *Eas autem denunciationes ne vlla quidem ex parte remittere parochis liceat, nisi Episcopi concessu, idque causis iure permis-*

permissis. Idem indicant, cap. 10. & expressè habet declaratio Cardinalium apud Farinacium pag. mihi 269. *arbitrio ordinarij non parochi.* Idemque insinuatur in multis alijs declarationibus. Et quamuis nonnulli existimauerint, quos refert Petrus Ledesma, in casu malitiosi impedimenti parochum dispensare posse, quia id videtur innuere Concilium; attamen longè verius est, neque in eo casu posse. sed omnino denegatam illi facultatem, vt citatis alijs docet Thomas Sanchez lib. 3. disput. 7. num. 17. tum quia satis aperte id habet dicta declaratio; tũ etiã quia id negatur alijs ex declaratione Cardinalium, qui aliàs intelliguntur nomine ordinarij; tum etiam, quia sic intellexit Concilium Constitutio Mediolanensis tit. cit. cap. 4.

3 Potest ergò ordinarius dispensare, vt omittantur vel omnes denunciationes, vel aliquæ ex illis, vt docet Tridentinum loco citato. Sed numquid in hoc casu nomine ordinarij intelligendi sunt quotquot suprà diximus ordinariorũ nomine intelligi? Etiam intelligi eos, quos supra isto libro iurisdictionẽ quasi Episcopalem habere diximus, quia ordinarij sunt cum Nauarro, Henriquez, Emanuele docet Thomas Sanchez d. lib. 3. disput. 7. num. 4. Sed in contrarium esse videtur declaratio Cardinalium, quæ sic habet. *Non permittitur hæc facultas commendatario, licet eius Abbatia iura Episcopalia habeat, cuius Abbas appellatione ordinarij venit iuxta glossam in cap. fin. de officio ordinarij in 6. Dixit enim Sanctissimus Dominus noster quod ordinarius hic non intelligitur nisi Episcopus; tamen Cardinali Farnesio Farcensis Monasterij Commendatario fuit permissum, non autem eius Vicario.* Quare ego non dubito iuxta Cardinalium declarationem hanc potestatem solis Episcopis iure Tridentino concessam, & non his, qui iurisdictionem quasi Episcopalem habent, vt Abbatibus aut Vicarijs Sancti Ioannis vel similibus. Eadem declaratio extat apud Rebellum, n. 22.

4 Verum pro sua sententia contra istam solum adducit Thomas Sanchez hos Abbates & similes ordinarios esse, & ordinarij nomine intelligi. Sed id iam supponit præ dicta declaratio, & adhuc dicit Cõcilij sensum hoc loco restringendum, & nomen ordinarij non ita latè patere sicut alibi. Magis hæc explicabuntur ex his, quæ dicam statim.

5 Sed adhuc quæret aliquis, an in hoc loco ordinarij nomine intelligatur solus Episcopus, an etiam eius Vicarius generalis. Ego existimo non intelligi Vicarium generalem, & ita illum non posse has denunciationes remittere, nisi specialiter cõmittatur, docet Henriquez lib. 11. de matrimonio, cap. 5. num. 5. qui & testatur sic declarasse Cardinalium Congregationẽ, sequũtur etiam multi alij, quos refert Riccius in praxi decis. 259. Fauet huic intelligentiæ Concilij, quod Toletanum Congregatum Anno 1583. sic senserit intelligi Concilium Tridentinum; & Patres Concilij Mediolanensis sæpe cit. sic habent. *Illas vero denunciationes ab Episcopo, cum præsens in vrbe vel diœcesi adest, solum remitti deinceps liceat, ab alio præterea nemine, ac ne à Vicario quidem generali, nisi aliud Episcopus iudicauerit, attenta sui Vicarij qualitate & prudentia.*

6 Contrariam tamen sententiam tenet cum nonnullis Thomas Sanchez d. lib. 3. disput. 7. num. 10. & Riccius decis. citato sed Sanchez cum quadam tamen limitatione, quam habet numero 13. nisi Episcopus hanc facultatem dispensandi sibi reseruauerit. Fundamenta eius hæc sunt. Primò quia hæc potestas in Tridentino conceditur ordinario, Vicarius autem ordinarius est. Secundò, quia in hoc eodem decreto, cum dicit Tridentinũ debere matrimonio interesse, parochum vel alium sacerdotem de licentia parochi, aut ordinarij, ibi nomine *ordinarij* intelligitur etiam Vicarius, qui & concedere potest licentiam assistendi. Ergo etiã intelligitur in isto casu. Tertiò, quia ante Tridentinum poterat ex generali consuetudine dispensare, vt testatur Paludanus in 4. distinct. 28. quæst. 2. At Tridentinum id ei non negat, sed potius concedit. Denique quia quando Tridentinum excludere voluit Vicarium, id exprimit, vt sess. 24. c. 6. de Reformat. ibi. *& non eorum Vicario.*

7 Hæc tamen non obstant, vt à proposita discedamus sententia. Primum non obstat, quia hic habemus ius nouum à Tridẽtino constitutum, cuius declaratio pertinet ad Congregationem Cardinalium, quæ declarauit in hoc casu non intelligi Vicariũ. Quo etiam dilues secundum & tertium argumentum, & quartum similiter, cum, licèt non expresserit Concilium in hoc casu nõ intelligi Vicarium, expresit tamen Cardinalium Congregatio. Ea autem limitatio, quam adhibet Thomas Sanchez, mihi non probatur, & nisi valde fallor, sentẽtiam ipsam, quam sequitur euertit. Si enim Vicarius eo ipso, quo Vicarius constituitur, habet

bet à Tridentino potestatem denunciationes remittendi, non posset per Episcopum tolli, sicut quamuis resistat & contradicat Episcopus, non potest tollere paroco licè tiam assistendi matrimonio, neque potestatem concedendi alteri licentiam. Quod ergo Episcopus denegare potest Vicario, cui generalem administrationem commisit, signum est non esse illi concessum à Concilio eo ipso quod Vicarius est. Inferior enim contra legem superioris nihil potest *cap. inferior, de maioritate & obedientia.*

8 Quamuis autem iure Tridētini Episcopo tantum concedatur, attamen non ita vt delegare non possit. Quare potest Vicario suo generali committere, & etiam alijs, vt rectè docet & probat Thomas Sanchez d. lib. 3. disput. 7. nu. 20. tum quia in hoc non est electa industria Episcopi, cū id munus demandatum sit personis incertis ignotis, & tàm præsentibus, quàm futuris, vt docet cum nonnullis idem Thomas ibidem. Tum etiam quia, potestas hæc data Episcopo per Concilium, cum sit perpetuo adiuncta sedi Episcopali, est ordinaria, vt dicam lib. 8. de dispensationibus; & ita potest eam delegare. Quam etiam Vicariū ipsum posse delegare alteri docet Thomas Sanchez loco cit. num. 21. Hoc tamen definiendum est iuxta ea, quæ dixi supra isto libro, an ea quæ speciali commissione committuntur Vicario ab Episcopo pertineant ad iurisdictionē ordinariam vel delegatam. Vide Felinum latè in cap. 1. de constitutionibus columna mihi 17. versiculo, *quod si dicas, &c. significasti, de homicidio in fine, &* latissimè, *c. fin. de officio deleg.* §. 10.

9 Illud tamen addendum est, quod docuit Thomas Sanchez disputatione cit. nu. 7. & AEgidius disput. 27. dub. 6. num. 54. cū contrahentes sunt ex diuersis diœcesibus, & ordinarius vnius remittit denunciationes in sua diœcesi, consequenter dispensare, ne fiant in alia parochia, sicut ratione connexionis potest vtrumque copulare matrimonio. Dubito tamen de huius dicti veritate. Quia sæpe potest contingere, vt impedimē tum quod in vna diœcesi notum non est, sit notum in alia, & ita ex dispensatione denū ciationum in vna diœcesi non sequitur per connexionem, & colligationem aliquam dispensatio in alia. In quo est valde diuersa ratio de matrimonio & denunciationibus. Nam in matrimonio, cum sit necessario vinculum duorum, necessario etiam fit, vt qui vnum coniungere potest, possit & alium, est enim mutua coniunctio. At in denunciationibus non est ita necessaria colligatio & consequentia, vt satis constat.

Ex qua causa omitti denunciationes possint, & debeant?

CAPVT XXXII.

SVMMARIVM.

Denunciationum omittendarum non vnam causam esse, n. 1.
Illæ referuntur, n. 2.
Non esse necessariam iudicialem causæ cognitionem, n. 3.
Obiectio diluitur, n. 4.
Posse fieri eam dispensationem extraiudicialem, num. 5.
In quibus causis teneatur ordinarius dispensare, num. 6.
Posse aliquando contrahi etiā non petita ea dispensatione, n. 7.
Vera eius ratio, n. 8.
Limitatio veræ sententiæ, n. 9.
Quid agendum quando ordinarius negat licentiam, cum potest, n. 10.
Quæ certa sunt, ibidem.
Quorundam sententia, n. 11.
Reijcitur, n. 12.
Verior sententia, n. 13.
Executorē vltimæ voluntatis, cuius conscientiæ relinquitur dispositio, posse compelli ad reddendam rationem, n. 14.

1 CONSTAT ordinarium in denunciationibus omittendis dispensare posse. At id non licet sine causa: quia dispensatio sine causa, etiam in his, quæ iuris positiui sunt, licet fiat validè, tamen illicita est, vt dicam late lib. 8. Quare interueniat causa necesse est. Sed quæ nam illa erit? Tridentinum in prædicto decreto illam expressit, *quando probabilis suspicio est matrimonium malitiosè impediendum.* An autem ex alia causa, quàm ea quæ iure exprimitur, remitti denunciatio possit, dubium est. Concilium Mediolanense cap. 4. citato non aliam agnoscit ibi, *idque in causis iure permissis*; & apertius idem habet cap. 2. At longè verius est posse etiam denunciationes remitti ex alijs causis, docet communis sententia, quam sequitur Thomas Sanchez lib. 3. disput. 9. AEgidius disput. 27. dub. 6. & alij. Idque constat, quia Tridentinū loco

cit.

cit. quamuis eam causam probabilis suspicionis expresserit, tamen in fine eius clausulæ totum hoc remittit iudicio, & prudentiæ Episcopi. Atque sic intelligi decretum Tridentinum indicant variæ declarationes Cardinalium, extant enim apud Farinaciū pag. 269. Prima. *Episcopus ob vicinitatem temporis, quo prohibitæ sunt nuptiæ, remittere potest aliquas denunciationes secundum prudentiam suam & iudicium.* Secunda. *Episcopus potest post matrimonium contractum ante illius cōsummationem, si ita expedire iudicauerit, secundum prudentiam suam & iudicium ex aliqua causa arbitrio suo remittere denunciationes, etiā si non sit suspicio, quod matrimonium malitiosè impediatur.* Tertia. *Non solum ex causis hic expressis possunt denunciationes omitti, sed alijs etiam arbitrio ordinarij, qui illas remittere potest etiam post matrimonium contractum, & ante illius consummationem.* Quarta. *Præter causas hic à Concilio expressas super omissione denunciationum, etiam aliæ sunt sufficientes secundum ordinarij prudentiam, atque iudiciū.* Hæc ibi. Quare de hoc amplius dubitare non licet.

2 Sed exprimamus causas, quas Doctores iudicant esse iustas ad omittendas denūciationes. Prima causa assignari solet. Quā do magnates contrahunt, quia hi cum magna deliberatione procedunt, & cessat omne periculum. Quam causam, licet non admittat Nauarr. attamen iustam eā reputant multis citatis Thomas Sāchez, & AEgidius locis citatis. Secunda. Quando obstat contrahentiū pudor, & verecundia ob inæqualitatem conditionis, vt si nobilis ignobilem ducat, vel ob inæqualitatem ætatis, vt si valde senex puellam ducat, vel valde senes interse contrahant, docet cum alijs Sanchez num. 3. Tertia causa est, notabilis contrahēntium temporalis commoditas, si aliàs non subest periculum occulti impedimenti, vt quando oporteret ad factionem cito sedandam iniri matrimonium, de qua Sanchez num. 18. Quarta causa est, quando matrimonium omnino creditur per maleficium, aut per parentum, tutorum, vel aliorum factionem iniustè impediendum. Quam causam benè explicat cum alijs idem Thomas Sanchez disput. 9. cit. num. 11. Dixi iniustè, quia Tridentinum inquit *cum probabilis suspicio est malitiosi impedimenti.* Non autē malitiosè impedit, qui iustè impedit, vt cum filius indignæ vult nubere, etiamsi illam defloraverit, vel sponsalia contraxerit, aut quia grauiora incommoda resultabunt ex matrimonio, quàm ex omissione. Quare diligenter iudex Ecclesiasticus perpēdere debet, quibus ex causis timeatur parentes aut tutores impedituros, solent enim in hoc nō nullæ fraudes latère. At quando perpensis causis constaret non esse parenti v. tutori iustam causam impediendi, potest Episcopus in denunciationibus omittendis dispēsare. Idem est, si parentes vel tutores causa consumendi patrimonium vellent impedire matrimonium filij aut minoris. Quinta causa est, quando sine contrahentium infamia aut scandalo non possunt fieri proclamationes, vt si aliqui concubinarij, qui diu coniugati existimati sunt, velint contrahere, oritur enim infamia, quæ vt vitetur est sufficiens causa, docet Thomas Sanchez, num. 5. Similiter quando comprehensi in flagranti delicto, vt vitent infamiam, dicūt se esse coniugatos. Sanchez num. 16. Similiter quando duo contraxerunt matrimoniū, quod nullum fuit ob impedimentum occultum, & post longam cohabitationem detecto impedimento volunt iterum contrahere, vitatio scandali sufficiens causa est, vt docet cum alijs Sanchez num. 9. Sexta causa est, quando sine notabili animæ aut rerū temporalium periculo non posset matrimonium differri, donec proclamationes fiant, vt si aliquis morti proximus vellet aliquam ducere, aut ad vitandum peccatum, vel ad legitimandos liberos, docet cum alijs Sanchez num. 19. Similiter si aliquis longe profecturus statim sit, & necessarium sit ob eosdem fines statim contrahere. Item quando concubinarij ad vitandum peccatum volunt contrahere, & probabile periculum est de mutatione propositi, vel si defloratæ virginis, vt damnum reparet, & eius mutatio timeatur: vel etiamsi non violauerit, infamauerit tamen, vel fidem alteri dedit, & probabilis etiam suspicio sit illum mutaturum voluntatem, vel etiam quando instat tempus, quo nuptiarum solemnitas prohibetur, & non possunt omnes proclamationes fieri, iusta etiam causa est dispensandi, etiamsi non adsit inter contrahentes periculum incontinentiæ, vel damnum aliud. Et quamuis Mediolanensis constitutio tit. cit. de sponsal. cap. 21. non iudicauerit hanc sufficientem causam dispensandi, attamen sic iudicat declaratio Cardinalium apud Farinacium his verbis. *Episcopus ob vicinitatem temporis, quo prohibitæ sunt nuptiæ, omittere potest aliquas denunciationes secundum prudentiā suam & iudicium.* Quod etiā cum alijs docet Tho-

Thomas Sanchez disputat. citato num.8. AEgidius dub. 6. cit. Vide etiam de his causis Riccium in praxi decis. 258.

3 Sed nonnulla circa eiusmodi causas inquirenda supersunt. Primum est. An sit necessaria iudicialis causæ cognitio, vel sufficiat extraiudicialis. Extraiudicialem sine strepitu forma aut figura iudicij, partisque citatione sufficere probabilius est, docet cum alijs Thomas Sanchez lib. 3. disput.8. Cuius præcipua ratio desumitur ex eo, quod totum hoc negotium à Tridentino tãdem committitur iudicio & prudẽtiæ Episcopi, vt constat ex d. cap.1. de reformatione matrim. Quando autem aliquid relinquitur iudicio alicuius idem est, ac si relinquatur conscientiæ, & non requiritur iudicialis cognitio, vt constat ex multis iuribus, quæ colligit Glossa in *cap. finali de voto, & cap. nisi cum pridem, de renunciatione* ad finem ibi. *Tibi reduximus relinquendum*, & *cap. fin. de Hæreticis in 6.* ibi. *Super hoc eorundem conscientias onerantes & cap. statutum de Rescriptis in 6. §. Assessori* ibi. *Quod conscientiæ relinquatur eiusdem*, vbi Glossa, *cum enim hoc conscientiæ relinquatur ipsius, ergo solus Deus hic, & nullus alius est iudex vel cognitor.* Quam Glossam approbans Philippus Francus ibidem, num.6. hæc habet. *Vbicumque aliquid committitur conscientiæ alicuius, non est necessaria alia probatio, vel citatio partium, cum sufficiat probationem concludere soli iudici, ex quo commissio est conscientialis. Vnde potest delegatus negotium expedire prout sua conscientia dictat. Et ita determinat Lapus in sua allegat. 61. citat. in principio. Ita etiam tenet Baldus in l. certum in 2. colum. C. vnde cognati, & sentit Ioannes Andræas in cap.2. infra de iuramento calumniæ super. V. viderit expedire. Licet Bartolus in extrauagant. ad reprimendam super. v. sine figura videatur sentire contrarium, de quo ibi per eum, & per Baldum in l. 2. in principio C. de fideicommissis dicentem quod lex commendat & fouet illud, quod fit ex conscientia, cui non conuenit de apicibus iuris disputare. Vnde commissum ad conscientiam videtur commissum ad veritatem & satis est quod sit munita de iure gentium secundum Baldum* ibi. Hæc Francus.

5 Neque huic sententiæ obstat, quod dispensatio dicatur esse iuris relaxatio cum causæ cognitione, non enim ibi dicitur debere esse cum iudiciali cognitione. Neque obstat etiam, quod vbi lex committit aliquid faciendum ex causa, illa probari debeat. Limitatur enim, nisi committatur conscientiæ, & iudicio alterius; tunc enim tantum necessarium est, vt animus informetur iudicantis. Neque obstat etiam quod hæc dispensatio detur etiam pro foro interiori, & exteriori. Dico enim cum præcisè datur dispensatio pro foro interiori, credi petenti. At pro exteriori credi testibus, non tamen in iudicio examinatis & iuratis, sed extraiudicialiter. Neque obstat etiam quod Tridentinum sessione 14. cap.7. de Reformatione dicit, dispensandum causa cognita, & probatis precibus. Id enim specialiter requirit Tridentinum dispensandum in ea irregularitate ex homicidio: imo inde colligi potest hic non requiri, cum non exprimat. Sed hinc oritur elegans quæstio, an si Episcopus noluerit dispensare, succurrendum sit per viam appellationis, vel supplicationis implorando superioris officium. De hoc tamen dicam cap. sequenti.

5 Ex his colligitur posse fieri hanc dispensationem ab ordinario sine vllo strepitu & figura iudicij, & posse etiam fieri extra diœcesim, quia non est actus iurisdictionis contentiosæ, sed voluntariæ. Imo etsi cognitio causæ iudicialis necessaria esset, & ea causæ cognitio non posset extra diœcesim expediri; at dispensatio maximè vt ex doctrina Baldi *in leg. vnica in principio num.11. versic. vltimo nota D. de officio Consulis*, refert Thomas Sanchez disput.8. num.6.

6 Sed ex prædictis nonnullæ difficultates emergunt. Prima est, an teneatur ordinarius his existentibus causis dispensare? Et quidem in genere, quando sit debita dispensatio, & quando secus dicam infra lib.8. In hac autem speciali materia dico tribus primis causis concurrentibus non esse debitam dispensationem, sed posse negari, vt docet Thomas Sanchez disput. 10. quæst.1. num.6. At in sequentibus teneri ad concedendam dispẽsationem, quia Prælatus tenetur saluti subditorum consulere. Cum ergo in illis casibus immineat vel periculum animæ, vel scandalum, vel notabile damnum temporale, tenetur ordinarius sub lethali culpa dispensare, quod idem docuit AEgidius dubio 6. citato in fine & desumitur ex his quæ dicam lib.8. quando teneatur Episcopus, aut superior dispensare, vbi etiam explicabo, an in dispensationibus possit apponi mulcta, ne eadem sæpius repetantur.

7 Secunda est, an liceat aliquando contrahere omissis denunciationibus, nec petita dispensatione. Nonnulli docet aliquos esse casus, in quibus licet si non sit copia Episcopi, vel ille petitam licentiam deneget. Res tamen facilis explicatu est iuxta dicta. In his casibus, in quibus tenetur Episcopus sub peccato dispensare, si non sit copia facilis Episcopi, potest sine denunciationibus contrahi. Quam sententiam probat Thomas Sanchez à simili, quia in alijs rebus vrgens causa non patitur dilationem iuxta doctrinam Abbatis in *cap. relatum num. 6. de clericis non residentibus*, vbi docet, quamuis iuxta illum textum clericus nequeat abesse absque Episcopi licentia à beneficio, si tamen tempus vel locus non patiantur petere licentiam, posse absque illa abesse per *legem 1. D. de executoria actione, in principio*, ibi. *Interdum locus vel tempus non patitur plenius deliberandi consilium & l. tutor qui repertorium D. De adminis. Tutorum in princ.* ibi. *Tutor qui repertorium non fecit, dolo malo fecisse videtur, nisi forte aliqua necessaria & iustissima causa allegari possit, cur id factum non sit.* Et paulo supra. *Nihil itaque gerere ante inuentarium factum eum oportere, nisi id, quod nec modicam dilationem expectare possit.* Ad idem etiam allegari posset textus in *l. 27. in fine D. de manumissis testam. & l. 1. §. 2. D. depositi vel contra.* Sed hæc probatio non mihi videtur sufficiens, posset enim aliquis dicere in eiusmodi casibus eam decisionem habere locum, quia lege ipsa istæ exceptiones dantur, quod non ita in nostra specie constitutum est.

8 Quare melior & vnica eius probatio desumēda est ex generali doctrina, quæ traditur in materia de legibus, quando habeat locum Epicheia. In primis enim habet locum, quoties lex deficit aliquomodo contrariè, quam doctrinam indicat D. Thomas, dum semper ponit exemplum in casibus, in quibus lex deficit contrarie, vt si redditio depositi sit adnocendum innocenti, vel si obseruare præceptum non aperiendi portas ciuitatis noctu sit in perniciem plurium ciuium, quos hostes insequuntur, & in 2. 2. quæst. 120. requirit casum, in quo legem obseruare sit nociuum, & subdit; *in his ergo & similibus casibus malum est sequi legem positam*, vbi Caietan. sic declarat rationem Epicheiæ, quia sequi verba legis, in quibus non oportet, vitiosum est, & eodemmodo loquitur 1. 2. quæst. 96. art. 6. & 2. 2. quæst. 147. art. 3. ad 2. vbi generaliter ait præcipue si casus sit talis, in quo si Legislator adesset, non decerneret, esse legem seruandam. Et quamuis inter Theologos magni nominis dissensio sit, an reuera vt lex deficiat contrariè, & habeat locum Epicheia, necessarium sit, vt eam obseruare sit malum, & nociuum, dum quidam negant, alij affirmant, & licet hoc posterius mihi probabilius videatur; attamen in illis casibus de quibus loquimur, non est ea disputatio necessaria, cum reuera in illis deficiat lex contrariè, ita vt seruare tunc legem denunciationum sit nociuū. Nam concurrunt duo præcepta, vnum positiuum Ecclesiasticum seruandi denunciationes, aliud alterius virtutis charitatis, misericordiæ, salutis proximorum, quæ magis vrgent & præponderant, atque adeo in eo casu iniquitas esset denunciationis tempus expectare, & ideo omnis illius legis obligatio cessat, etiamsi sit recursus ad superiorē. Cum enim superior non possit id quod iniquum est, præcipere, non est opus ad illum recurrere, vt ea lex seruetur; imo, neque licentiam petere, licet non obtineatur, nullo enim iure cogimur eam licentiam petere, neque ex natura rei est necessaria propter rationem dictam, vt recte docet Franciscus Suarez lib. 6. de legib. cap. 8. num. 1.

9 At vero in his casibus, in quibus Episcopus non tenetur dispensare, non possunt denunciationes propria auctoritate remitti, sed recurrendum est ad Episcopum. In illis enim nullum est periculum animæ vel corporis in mora, vt docet Thomas Sāchez cum Nauarro disput. 10. cit. num. 30. Cuius ratio desumitur ex his, quæ modo dicebamus. Quia in hoc casu non deficit lex cōtrariè, & ideo, neque cessat eius obligatio. Et quo magis hæc pars confirmetur addo non esse sufficiens indicium, quo iudicetur eos casus non esse in legibus, aut voluntate Legislatoris comprehensos, & ideo non posse illas omitti sine recursu ad superiorem iuxta generalia principia tradita in materia de legibus.

10 Vltima est, quid agendum sit, si Episcopus neget licentiam, in casu in quo potest denegare, an appellatione vtēdum sit. Quam difficultatem examinant Geminianus & Francus in d. *cap. statutum, de rescriptis in 6. §. Assessorem*. Sed omnium optimè & late Felinus multis in locis in *cap. super his de accusat.* num. 11. vbi vide etiam eius Additionatorem & in *cap. 1. columna 17. de constitutionib. & in cap. fin. §. is cui, de officio deleg. & in cap. significasti el 1. de homicidio num. 4.*

num. 4. vers. Antonius hic videtur concordare glossam, &c. Et in primis certum est, quando Episcopus tenetur concedere dispensationē, iniustè denegat, & in eo casu ab eius iniustitia appellari posse ad superiorem dicit Thomas Sanchez disput. 10. quæst. 2. At in eo casu nulla appellatione opus est, cum possint contrahentes etiam sine Episcopi consensu contrahere, vt modo dictum est. Quare tota difficultas est in casu, quo potest Episcopus denegare, cum ea dispensatio committatur prudentiæ, & iudicio Episcopi. In his autem, quæ committuntur prudentiæ vel conscientiæ, non videtur habere locum appellatio, quia prælatus iniustitiam non infert, vt cum alijs docet Thomas Sanchez disp. 10. cit. n. 23.

11 Verùm rem hanc difficilem & obscuram reddunt duæ glossæ sibi inuicem repugnantes. Prima est in *cap. statutum §. assessorem v. relinquitur de rescriptis in 6.* Secunda est in *Clement. potest. v. oneramus, de iure patronatus.* Illa dicit, ab eo, cuius conscientiæ res commissa est, appellari non posse. Secunda affirmat posse, quas varijs modis Doctores conciliare conantur, quos refert Felinus in d. *cap. significasti, de homicidio,* & Thomas Sanchez dicta disput. 10. quæst. 3. qui ita cōciliat; si loquamur in his casibus, quando Episcopus tenetur dispensare, tunc dicit habere locum glossam dictæ Clementinæ, & posse procedi per appellationem, quæ habebit in eo casu effectum deuolutiuum, non suspensiuum, iudicans enim nō tenetur illi appellationi stare. Potest autem superior aditus illum cogere ad dispensandum, & in his casibus glossa prima habebit locum, quatenus non est effectus suspensiuus; docet disput. cit. num. 20. Si vero loquamur in casibus, in quibus potest negare dispensationē sine iniuria, tunc dicit intelligendam secundam glossam, quia tunc non potest officium & misericordia iudicis implorari, vt dispenset, vel faciat, vt inferior dispenset.

12 Sed mihi hæc conciliandi ratio non placet, & contra primam partem est aperta ratio; quia quid opus est appellatione in eis casibus, in quibus etiam sine recursu ad superiorem, & sine licentia non solum non obtenta, sed neque petita omitti denunciationes possunt priuata auctoritate, cum in illis casibus sit iniqua obseruatio legis, vt dictum est? Quare ea prima pars conciliationis ad id, de quo agimus, accommodari non potest. Secunda verò pars etiam non placet. Quia supplicatio & imploratio officij non est appellatio propriè, licet effectum quoque habeat appellationis. At glossa secunda affirmat appellari posse.

13 Quare verior videtur conciliandi modus, quem probat Felinus in d. *c. significasti*, scilicet, quod prima glossa procedat, quantum ad hunc effectum, quod iudicans non teneatur deferre appellationi, neque liget eius manus, quod manifestè cōstat. Quē enim effectum suspensiuum habere posset contra voluntatem non dispensandi? Non tamen excluditur grauatus adire superiorē, vt per illū possit iudicanti inhiberi, & eius sententia retractari, & emendari. Quod explicat Felinus optimo exemplo. In casu hæresis appellari non potest, & eo stante quod iudex non teneatur deferre appellationi, superior simpliciter aditus potest inhibere & cognoscere.

14 Ex his infert Geminianus loco cit. & probat Felinus vbi proximè, quod executor vltimæ voluntatis, cuius conscientiæ relinquitur dispositio testamēti, potest per ordinarium compelli, vt reddat rationem distributionis, affirmatque se ita in praxi obseruasse. Addendum cum Felino ibidem, quod vt teneat actus commissus alicuius conscientiæ, oportet, quod iuret esse ita informatam conscientiam suam, pro qua sententia citat Angelum, & Paulum de Castro. Sed omnino videndus Felinus ibidem.

Quæ sit obligatio contrahentium, quibus notum est impedimentum?

CAPVT XXXIII.

SVMMARIVM.

Cōtrahentes conscios impedimenti teneri manifestare, aut desistere à matrimonio, num. 1.
Idem dicendum de ordinandis, n. 2.
Idem dicendum de eligendis, num. 3.
Idem dicendum de Electoribus, n. 4.
An tenentur manifestare copulam remissiuè, num. 5.
Limitantur prædicta, nisi habeat dispensationē in foro interno, n. 6.

1 QVOD ad ipsos contrahentes attinet facile explicatu est ad quid teneantur ex vi denunciationum. Nam si conscij sibi sint alicuius impedimenti dirimentis, quantumuis sit occultum, & ortum ex peccato, tenentur veritatem dicere, etiamsi ipsis infamia sequatur, aut à matrimonio contrahendo desistere. Sic in specie de matrimonio docet Henriquez lib. 10. de Sacramento ordinis cap. 18. num. 2. in comment. litera D. sequitur Thomas Sanchez lib. 3. disput. 14. & docuit etiam expresse in hac specie Gabriel Vazquez 2. tom. in 1. 2. disput. 168. cap. 6. num. 47. Franciscus Suarez lib. 5. de legib. cap. 9. & alij quos statim referam. Huius autè ratio desumitur ex quadam generali doctrina, quam de inquisitione ad detegendum impedimentum in vniuersum tradunt Sylvester v. *Inquisitio* 1. quæst. 4. Angelus eodem v. num. 1. Soto de tegendo secreto membro 2. quæst. 6. post 3. conclus. Nauarrus *cap. inter verba* 12. *q.* 3. conclus. 6. Corollario 63. num. 181. & etiã Doctores supra citati. Quia, quamuis nullus debeat rogatus etiam sub iuramento crimen suum manifestare, quando proceditur ad pœnam, nisi contra ipsum fuerit semiplena probatio, quia nullus debet esse primus testis contra se ipsum, hoc enim nimis durum videtur: tamen quando iudex procedit ad cognitionem impedimenti matrimonij, vel electionis, vel ordinis, quia inde sequerentur damna contra religionem, vel castitatem, vel iustitiam, siquis illegitimè contraheret, vel eligeretur, vel etiam ordinaretur, eo quod matrimonium vel electio nulla essent & ordinatio irrita, eo modo, quo iura eam irritam dicunt, quisque debet, etiamsi non interrogetur, manifestare impedimentum, aut ita se gerere, vt nullo modo fiat tale matrimonium, vel electio, vel ordinatio: nisi enim impedimentum detegatur, sequerentur multa damna, quæ vnusquisque debet euitare, etiam cum infamia propria, siquidem poterat aliunde omnia illa impedire, si ad tale matrimonium aut ordinationem, vel electionem non procederet. Quare sibi imputet, quod se in eas redegerit angustias.

2 Ex qua doctrina colligemus nonnulla, quibus etiam ea quæ de matrimonio diximus, magis confirmentur. Primo colligitur ordinandum tempore ordinationis, aut ante debere manifestare suam irregularitatem, vel censuram, si qua tenetur, vel discedere, ita vt non ordinetur ex eadem ratione. Constat ex *cap. nisi cum pridem, de Renuntiat.* ibi. *licet irregularitatem huiusmodi non potuerit subticere,* & *cap. innotuit de electione,* ibi. *Qui suum maluit confiteri reatum, quã læsa conscientia thronum ascendere pastoralem,* & *cap. ex pœnitentibus distinct.* 50. ibi. *Deponatur quia se ordinationis tempore non prodidit.* Estque communis doctrina, quam cum multis docet Thomas Sanchez disput. 14. numero 2.

3 Secundo colligitur idem dicendum esse in electione passiua alicuius ad præbendam aliquam dignitatem, aut prælaturam, vel teneri detegere impedimentum, vel recusare ne promoueatur iuxta textum in *cap. cum nobis* 19. *& cap. cum dilectus* 32. *de electione.* Vnde rectè Innocentius in *cap.* 1. *de postulat. Prælatorum,* num. 5. docuit, quod licet quando fit inquisitio contra promotum vt puniatur, tunc non licet absque infamia procedere, & in eo casu loquatur textus in *cap. qualiter & quando, de accusat.* Quando autem fit inquisitio contra promouendum, ne promoueatur indignus, non requiritur infamia, sed debet superior ex officio inquirere iuxta textum in *cap. cum nobis, de electione.*

4 Tertiò colligitur idem dicendum esse in electione actiua & suffragio ferendo. Qui enim scit se inhabilem ad ferenda suffragia, siue in Cathedris, siue in alijs iuxta constitutiones Vniuersitatis, quæ inhabilitatem ipso facto imponunt, tenetur vel detegere impedimentum interrogatus etiamsi occulta sit inhabilitas, vel desistere à ferendo suffragio, aliàs periurij reus erit. Quam doctrinam contra Sotum, & Ledesmam docent Gabriel Vazquez disput. citat. 168. cap. 6. num. 48. & sequentibus, Franciscus Suarez loco citato. Ioannes de Salas de legib. disput. 14. sectione 3. numero 44. Quod quidem præter rationem supra positam hac etiam ratione fulcitur. Quia ibi interuenit pactum tacitum, dum modo is qui admittitur ad suffragium ferendum, habeat has vel illas conditiones, aliàs nequaquam. Pluribus etiam rationibus probat Suarez loco citato. Addit tamen rectè Gabriel Vazquez non fore periurij reum electorem, etiamsi neget sub iuramento suam inhabilitatem, si alia via velit lationem suffragij declinare. Ratio est. Quia tunc solum tenetur respondere ad mentem interrogantis, quatenus necessarium est, vt si non habet

ius

jus suffragandi non suffragetur. Sed illo nō ferente suffragium vel schedulam signante, mordente, vel rumpente aliqua ex parte, vel aliquid aliud faciente, quo iuxta Academiæ statuta suffragium reddatur inutile, satisfiet huic intentioni. Ergo satis erit non ferre suffragium, sed alio titulo se inhabilē ostendere, aut se à suffragio excusare.

5 Quartò colligitur, quid dicendum an cum ab ordinario contrahentes ad dispensandum interrogantur etiam de copula carnali, teneantur respondere? Hoc autem pendet ex ea quæstione, an copulæ explicatio habita inter consanguineos sit necessaria ad valorem dispensationis, de quo dicam lib. 8. si non est necessaria, non tenentur detegere ordinario interroganti etiam sub iuramento: si autem est necessaria, tenentur, ne remaneat impedimentum indispensatum, & sequatur damnum contra castitatē ex nullitate matrimonij.

6 Hanc autem doctrinam, quam hactenus tradidimus tam in matrimonio, quàm electione, & ordinibus, limitabis, nisi cum impedimentum est occultum, & alias habet dispensationem pro foro tantum interno. Tunc enim non tenetur se prodere, neque manifestare, etiamsi sub iuramento interrogetur, cum reuera iam sit ablatum impedimentum illud. Quia cum iudex in eo casu non interroget, aut inquirat, nisi ad vitandum peccatum, & illud iam per eam dispēsationem euitetur, non tenetur respondere. Quam doctrinam cum Hostiensi, Antonino, Syluestro, & Tabiēna docet Thomas Sanchez disput. 14. num. 4. Dixi, *si impedimentum est occultum*; nam si sit publicum, vel aliàs laboret eius infāmia, tenetur detegere, quia pro foro externo ea dispensatio nihil prodest; & cum sit periculum ne probetur in foro externo, tam matrimoniū, quam electio & ordinatio irrita censebuntur. Neque obstat quod contrahentes, si existant in peccato mortali non teneantur detegere, quamuis peccatum impediat dignam matrimonij administrationem: satis enim constat rationem esse diuersam, cum possint per contritionem seipsos disponere ad digne administrandum, vel existimata contritione excusari, quod satis est in isto sacramento, vt latè dico intract. de confessione.

Ad quid teneatur ex vi denunciationum qui aliquod impedimentum nouit, occultum tamen?

CAPVT XXXIIII.

SVMMARIVM.

Qui tantum nouit impedimentum ex auditu, non tenetur manifestare, num. 1.
Explicatur ibidem.
Idem si timet ex manifestatione sibi graue damnum. num. 2.
Tenetur manifestare, quando impedimentum est publicum, & probari potest, num. 3.
Quando vnus solus nouit teneri, multorum sententia est, num. 4.
Oppositum probabilius, probatur, & explicatur per partes, num. 5. 6. 7. 8. 9. 10.
Obiectio diluitur, num. 11.
Fundamenta contraria diluuntur, num. 12.

1 NON disputo de ordinario, aut parocho, de quibus dicam cap. sequenti, sed de alijs quibus notum est aliquod impedimentum, occultum tamen. In quare nonnulla sunt certa, & extra controuersiam. Primum est eum qui tantum ex auditu nouit impedimentum, nec recordatur à quo vel quibus audierit, non teneri manifestare impedimentum. Cuius ratio desumitur ex eo, quod testes de auditu alieno non deponentes, à quibus audierint, nihil probant, & inutile est eorum testimonium, & nullius momenti, vt innumeris citatis docet Farinacius 2. p. praxis de testibus quæst. 69. num. 75. cum sequentibus. Idem dicendum est etiamsi recordentur, à quibus audiuerint, at illi non sint personæ fidedignæ graues, nō suspectæ, aut omni exceptione maiores. Quia eiusmodi testimoniū de auditu nullū eūq; est *c. licet ex quadam de testibus*, qui tex. loquitur in probatione cōsanguinitatis, quæ est impedimentū matrimonij, ibi. *Nec ab infamibus & suspectis, sed à fidedignis, & omni exceptione maioribus, cū satis videretur absurdū illos admitti, quorum repellerētur auditores*, & idē multis citatis docet Farinacius q. cit. n. 85. & 86. & cū alijs etiā Petrus Nauarra loco infra citando, & Thom. Sāchez lib. 3. disp. 13. n. 7. similiter certū est eū qui nouit impedimētū esse, dispensatū tamen pro foro interno, non teneri, si occultū sit, manifestare, quia iā est sublata occasio peccati, quod vitare intenditur ea denunciatione. Dixi, *quando est occultum*, nā si sit iam manifestum, cum illa dispēsatio nō prosit pro foro externo, tenebitur, iuxta dicenda, vt docet Sāchez disp. 13. n. 8.

2 Quarto etiam certum est eum, qui occulte nouit impedimentum aliquod, si timet probabiliter magnum periculum, aut scandalum ex denunciatione, non teneri manifestare, etiamsi probare possit, vt cum alijs docet Thomas Sanchez disput. cit. nu. 4. Emanuel Sa verbo *matrimonium* numero 23. Non enim tenetur cum tam graui damno fratrem admonere iuxta generalia principia in materia de correctione fraterna, & in simili docet cum alijs Petrus Nauarra lib. 2. de Restitutione cap. 4. num. 228.

3 Quinto etiam certum est, quando impedimentum est publicum vt probari possit, teneri illud manifestare, quāuis ipse in occulto sciat, & etiamsi sit impedimentum ortum ex peccato, & sequatur infamia contrahere volentibus. Ratio est facilis & aperta. Quia nulla ratio adest, quæ excuset à denūciando: non secretū, cum publicum sit; non existimatio, quod non proderit, neque effectum habitura sit manifestatio, cum probari possit; non punitio, cum non ordinetur ad punitionem, sed ad vitandum peccatum. Atque id fateri tenentur omnes maxime tamen illi qui tenent obligari ad detegendum, quamuis solus nouerit impedimentum: Illud vero addendum eam denunciationem debere fieri seruato prius ordine correctionis fraternæ, & cum circunstantijs illius, quas explicant Doctores 2. 2. in materia de charitate.

4 Tota ergo difficultas est, an quando vnus tantum nouit impedimentum, & ex consequenti probari non potest, teneatur illud ex vi harum denunciationum Episcopo manifestare. Multorum sententia est teneri manifestare, quantumuis occultè nouerit, docet cum multis Thomas Sanchez disput. 13. num. 2. Idem censet dicendum etiamsi secretò acceperit, & etiamsi iurauerit se nulli manifestaturum, & etiamsi acceperit sub secreto confessionis, dummodo vera confessio non fuerit. Fundamēta eius hæc sunt. Primum. Quia hæc denunciatio non tendit ad punitionem criminis admissi, sed ad vitandum peccatum, ne admittatur. Ergo quamuis denuntians probare nequeat, neque eius testimonium sufficeret ad impediendum, tenetur denuntiare, quia aperiet prælato viam, vt diligenter inquirat de impedimentis, & curet cum contrahentibus agere, vt tum monitionibus, tum alijs rebus à contrahendo retrahat. Secundum. Quia in alijs rebus ideo non tenetur vnus testis denūtiare, quod probare nequit, quia eius testimonium non sufficit, vt illi malo consulatur. Hoc autem in præsenti casu locum non habet, cum vnus saltem testis sufficiat ad impediendum matrimoniū. Denique, quia quiuis tenetur superiori præcipienti detegere peccatum inferens tertio damnum teste D. Thoma 2. 2. quæst. 70. artic. 1. ad 2. sed in hoc casu, si impedimentum non detegatur, sequitur graue damnū tertio ob nullitatem matrimonij. Ergo manifestandum est.

5 Cæterum in prima editione libri de impedimentis matrimonij mihi placuit sententia, quæ negat obligationem esse detegendi impedimentum, si illud est omnino occultum. & ipse solus nouit, ita vt probari nullo modo possit. Quam sententiam tenuit Ioannes Maior in 4. distinct. 21. quæst. 2. art. 3. & eadem mihi nunc sententia placet, eamque per partes explicare, & probare conabor, vt magis constet huius veritas, & primam illam sententiam sic vniuersè acceptam veram non esse.

6 Primo ergo, si contrahentes sunt in bona fide, neque existimant subesse impedimentum, nulla est ratio, quæ suadeat eū, qui solus nouit impedimentum, manifestare debere. Tum quia probari non potest impedimentum. Et quamuis Doctores nonnulli dicant etiam quando probari non potest, esse obligationem manifestandi, ideo quidem dicunt quia agitur de vitando peccato, & non inferendo damnum tertio, ad quod solus ille sufficit. At in hac specie nullum est peccatum, quod vitetur, neque damnum quod inferatur, quia cōtrahentes sunt in bona fide, & ideo non peccant contrahēdo: matrimonium etiam Ecclesia censebit validum, prolesque nascetur legitima, cum sit suscepta bona coniugum fide, & matrimonio in facie Ecclesiæ cōtracto; neque infertur iniuria sacramento, cum ibi non sit sacramentum. Ergo nullum est peccatum, quod vitari debeat, nullum etiam damnum imminet, quod repelli necessarium sit, eius autem testis dictum non sufficere dicam modo. Atque ita hanc partem in eo casu, quo coniuges ignorant impedimentum, docet Emanuel Sa, v. *matrimonio* numero 23.

7 Deinde, etiamsi contrahentes sint in mala fide, & illis notum sit impedimentum, & illud non est ortum ex peccato, quoties ille qui nouit, putat probabiliter non profuturū, non tenetur reuelare, quod etiam

etiam docet Emanuel Sà expresse in hac specie d. num. 23. in fine. Cuius ratio desumitur ex generali doctrina in materia de correctione fraterna, quod quando non speciatur pro futurum, cessat denunciationis & correctionis obligatio.

8 Quod si quis dicat vnius testis denunciationem profuturã, quia impedietur matrimonium, cum vnus testis sufficiat ad impediendum. Contra est. Quia id non potest esse verum in casu de quo loquimur, quando impedimentum non est ortum ex peccato. Pone aliquos habere impedimentũ consanguinitatis, aut affinitatis, aut cognationis spiritualis, quod vnus solus nouit, non potest vnus testis sufficere ad impediendũ. Quia contrahentes non repellentur à matrimonio contrahendo, nisi propter affinitatem & consanguinitatem. At consanguinitas seu affinitas nõ potest vnico teste probari c. *licet, ex quadã, de testibus*, nisi alia etiã adsint adminicula, quæ ponimus in hac specie non esse. Ergo ob istud impedimentum non repelletur & ex consequenti nullius erit effectus eius testis depositio.

9 Quod si rursus dicas non probari cõsanguinitatem ad dissoluendum matrimonium vnico teste, benè tamen ad impediendum iuxta textum in *cap. super eo 22. de testibus*. Ego quidem existimo neque ad impediendum sufficere vnicum testem, quãuis ex eo textu oppositum multi colligant. Nam textum illum ego accipio non de solius matris testimonio, sed de illo cum alijs adminiculis, quæ post eius testimonium diligens Episcopi inquisitio inuenit. Si enim nulla alia inuenta essent, sine dubio non impediretur matrimonium; proposita enim species illius capitis tantum exigebat consanguineos & matrem accipiendos esse testes in causa consanguinitatis.

10 Rursus si impedimentum oritur ex peccato, multo mihi certius est non teneri reuelare, siue contrahentes sint in bona fide, siue secus, & non speratur eos admonitos à matrimonio contrahendo cessaturos. Quam partem sic distinguo & probo; vel illud impedimentum ortum est ex peccato eius qui nouit, pone enim aliquem sacerdotem ex diuersis fœminis duos suscepisse liberos, masculum & fœminã, & illos ignaros impedimenti postea velle contrahere, quod impedimentum matre defuncta solus pater nouit, non tenetur manifestare impedimentum consanguinitatis inter illos contrahentes. Neque video qua ratione compelli possit ad eius manifestationem. Si enim confusè diceret se scire illos esse consanguineos non indicans quomodo, aut qua ratione id sciret, & vnde ea coniunctio sanguinis proueniret, nullius plane momẽti esset testimonium illud in re adeo graui, neque iudex Ecclesiasticus admitteret, neque iustè posset admittere. Testis enim de consanguinitate deponens non reddita ratione sui testimonij inutilis est, & nullius prorsus momenti iuxta generalem doctrinam receptam in materia de testibus. At sigillatim & distinctè eorum cognationem exponere suo peccato non explicato non potest. Eum autem ad id peccatum detegendum compellere nulla permittit ratio, neque enim me nulla infamia laborantem prodere teneor ex communi receptaque sententia, etsi interroger: si enim omnes excusant aliquem, quando ex manifestatione timetur scandalum, cur hic non excusabitur, quando ex manifestatione oritur suæ propriæ infamiæ periculum. Idem dico, si fœmina ex proprio filio filiam suscepisset eo ignorante, & cum illa vellet contrahere, quæ simul erat filia & soror ob nefariam coniunctionem, non tenetur mater manifestare, vt docuit in hac specie Paulus Comitolus lib. 1. responsorum moralium quæst. 112. Adde etiam eam impudentissimam fœminam de suo scelere confessam, & ignominiæ sordibus contaminatissimam à iudice Ecclesiastico debere repelli, & eius testimonium explodi iuxta textum in *cap. inter dilectos 8. de donation.* & Glossam ibi, & *l. 4. C. de reuocãdis donation. & l. Mercalem. 5. C. de condict. ob turpem causam.*

11 Neque obstat textus in *c. præter 13. de sponsalib.* ex quo textu colligunt Doctores communiter ad impediendum matrimonium, etiam quando impedimẽtum ortum est ex propria turpitudine, sufficere vnicũ testem de propria turpitudine deponentem. Dico enim in primis ex eo textu non colligi teneri manifestare propriam turpitudinem, sed feciſſe narratur: Potuit ille etiam cum infamia sua facere, quod non negamus, sed negamus teneri. Dico deinde ex eo capite sine sufficienti fundamento collegisse Doctores eam sententiã. Quia, vt rectè monuit Cuiacius eo loco, inhiberi matrimoniũ ibi à Pontifice ea ratione, quã etiã Alexander aduertit, quia quominus cognatus ille rem in vulgus proponeret, & testibus probaret, metus obstitit, & potentia mu-

lieris, à qua sibi timebat, alioqui id palam diuulgaturus erat: & pro eodem esse debet acsi diuulgasset, qui voluit quidem, sed nō potuit sine periculo. Itaque non ille solus nouit impedimentum, & ideo nō sumus in eadem specie. Dico rursus ex eo capite adhuc non colligi in omni casu sufficere vnū testem ad impediendum, cum dicat Pontifex id seruandum, nisi iuramentum interuenisset. Quasi si iuramentum interuenerit, nolit vnius testimonium accipi, ad religionis iuramenti obligationem conuellendā. Quamuis & ea verba quomodo accipienda sint moneat ex Hostiensi Cuiacius ibidem, quare cum ex vna parte obstet honor proximi, & ex alia non sit ius aliquod statuens vnius testis dictum sufficere in impedimento turpi, licet posset in iure statui, quod sufficeret, vt dixit Farinacius, quæst. 63. de testibus, ideo censetur non teneri manifestare.

12 Atq; ex his quæ hactenus diximus, facilis est solutio argumentorum, quæ pro sua sententia adducit Tnomas Sanchez. Ad primum respondetur, quod quamuis ea denunciatio non tendat ad punitionem, sed ad euitandum peccatum, attamen in nonnullis casibus, vt dictum est, nullum est peccatum, quod vitetur, vt cum contrahentes sunt in bona fide. Deinde nulla obligatio est Episcopo inquirendi, & inueniendi si peccatum est omnino occultum, vt iam dictum est; in eo enim casu loquimur, præterea profuturum non est, vt iam ostēdimus. Ex quo etiam ad secundum constat. Ad tertium similiter respondetur nullum ex non manifestato impedimento inferri præiudicium tertio, quare non est comprehēsus casus inter eos, in quibus D. Thom. in ea solutione dicit non esse obligationem seruandi secretum.

Quid agendum parocho, vel ordinario, qui in confessione nouit impedimentum contrahentium?

CAPVT XXXV

SVMMARIVM.

Non posse vti scientia confessionis, teneri tamen admonere pœnitentem ne contrahat, si speret profuturum, num. 1.

Non posse negari matrimonium publicè petenti, imo neque occultè, n. 2.

Obijcitur & diluitur, n. 3.

Noua aperitur via & contrahendi, & effugiendi peccatum, n. 4.

Ordinarius qui solus nouit extra confessionem tenetur publicè petenti matrimonium, non negare, vera huius ratio, n. 5.

Idem dicendum de parocho, n. 6.

Idem dicendum, si nouit in foro interno obtentā dispensationem, n. 7.

1 SVPPONO ex his, quæ latè dixi in tract. de confessione, non posse illos vti scientia confessionis ad externos actus, quod quomodo & qua ratione intelligendum sit latè ibi explicui. Suppono deinde ordinariū vel parochum, qui in confessione nouit aliquod impedimentum, teneri contrahentes admonere, ne cōtrahant. Quod tamen ita intelligendū est, si speret profuturam monitionem, etsi nouit ex confessione illius: Nam si ex alterius etiā complicis confessione cognoscit, non potest alium admonere, vt ibidem dixi. Nec vero ad illum admonendum est necessariū petere licentiam ab illo, cuius peccata nouit in eius confessione, & quem admonere vult, vt ibidem dico cum meliori Theologorum parte, quia nulla fit iniuria Sacramento, neque sigillo confessionis.

2 Deinde certum est ex omnium sentētia non posse publice petenti negari sacramentum; addo etiam, neque occultè petenti, siue à parocho, siue ab habente licentiam à parocho. Sic docet communis sententia, quam tenet etiam cum multis Thomas Sanchez lib. 3. disput. 16. quæst. 3. AEgidius disput. 27. dub. 7. num. 70. & Ludouicus Beja p. 2. casuum conscientiæ casu 32. Ratio eius ex eo desumenda est, quia ea quæ nouit in confessione vt Deus nouit, & non vt homo, vt docet D. Thom. 2. 2. quæst. 70. art. 1. ad 2. Quare ea notitia in eo casu perinde est acsi non esset. Deinde quia ille habet ius petendi à suo parocho, vel qui est illius loco sua sacramenta, neque absque iniuria potest ea illi denegare, nisi adsit manifesta denegationis causa. Quod enim quis tanquam sibi debitū postulat, non potest absq; manifesta causa denegari. Impedimentum autem illud, quod per confessionem nouit, ignotum est, & quasi non nocet. Ergo nullā habet causam denegandi. Facit etiam pro hac sententia textus in *cap. multi 2. quæst. 1.*

ibi. *Nos à communione quemquam prohibere nõ possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo iudicio Ecclesiastico vel sæculari nominatum, atque convictum.*

3 Sed his obstare videtur textus in *cap. ad aures de temporib. ordinat.* quatenus indicare videtur Prælatum posse per id, quod in confessione nouit, negare licentiam subdito ad ordines suscipiendos. Respondet Ludouicus Beja ideo esse, quia cum subditus non habeat ius ordines suscipiendi absque Prælati licentia, potest Prælatus ob secretã causam illum à tali licentia excludere, vt quæ à mera & libera Prælati voluntate pendet. At dicti sponsi cum habeant ius ad sacramẽta petenda à parocho, cui hoc ex officio incumbit, idcirco ob cognita in confessione non potest talia sacramenta denegare illa petentibus, refertque pro hac interpretatione Sotum in 4. distinct. 12. quæst. 1. art. 6. Sed hæc interpretatio non probatur; existimo enim scientia confessionis ad externam gubernationem nullatenus deseruire posse, vt dico loco citato. Quare respondetur ex eo textu nequaquam posse colligi sermonem esse de scientia confessionis. Prælatus itaque eum, quem indignum in confessione nouit, non potest repellere à suscipiẽdis ordinibus, licet possit propter crimina aliàs occulta, extra confessionẽ tamen cognita. Quod ex eo textu tantum colligi potest.

4 Cæterum excogitauit Ludouicus Beja loco citato viam quandam, secundum quam posset in eo casu celebrari matrimonium ad omne peccatum in casu proposito effugiendum, quando & Parochus impedimentum subesse nouit in confessione, & ipsi contrahentes sine scandalo à matrimonio desistere non possunt. Posset enim tunc & teneretur consulere, vt de communi scientia & consensu contrahant, non quidem intentione efficiendi verum matrimonium de præsenti, sed subconditione, si Papa dispenset, animo quidem cohabitandi tantum quoad domum tanquam fratres, non vero quoad torum, donec accedat dispensatio & iterum contrahant. Hac enim ratione cõtractus ille matrimonialis, qui alias non licet, redderetur licitus, cum non sit prohibitum contrahere matrimonium de præsenti sub conditione, si Papa dispenset, & interim ad euitanda magna scandala habitare in eadem domo, maximè cum iure ipso præfigatur bimestre tempus, in quo possint nõ coniungi sponsi, licet habitent in eadem domo, & posset etiam contrahi matrimonium subconditione caste viuendi, vt dixi supra lib. 3. siue sit conditio castitatis ad tempus, siue perpetua. Et quamuis videantur in ea cohabitatione se exponere periculo fornicandi, dum dispensatio obtinetur; attamen id excusatur ex occurrentia ingentis scandali. Vt enim dicimus in materia de confessione, licet non expellere domo eam fœminam, quæ est occasio peccandi, quando sine scandalo eijci non potest. Quæ multorum sententia est, & absolui debet pœnitẽs, & si nõ eijciat, si aliàs sit recte dispositus, de quo eo loco satis. Et quidem mihi videtur satis rationabilis hæc philosophandi ratio, neque contemnenda pro similibus casibus, si contrahentes velint sub ea conditione contrahere: maximè cum probabilis opinio sit matrimonium contractum sub conditione non esse necessariò repetendum posita conditione, vt dixi supra lib. 3. Quod si nolint sub ea conditione contrahere, & persistant in petendo à parocho vt assistat, assistere debet, quamuis nouerit impedimentum in confessione.

5 Diximus quid facere debeant parochus vel ordinarius, quando impedimentũ in confessione nouerunt; restat dicamus quid illis agendum sit, quando soli ipsi & occultè nouerunt impedimentum. Et quidem si ordinarius ipse solus nouit impedimentum, & nulla via probari potest, tenetur publicè petenti matrimonium non denegare. Id quod etiam in ordinario concedit Thomas Sanchez disput. 15. num. 11. cũ Henriquez. Ratio est, quia cum sit iudex, non potest esse testis, & aliàs non potest probare causam denegandi matrimonium, & ita tenetur secundum allegata & probata iudicare. Et facit pro hac sententia textus in *cap. ex tenore, de temporib. ordinat.* ibi, *verũtamen quia peccatum occultum est, si promouere voluerit, eum non debet aliqua ratione repellere.* Id quod verum est, siue sit impedimentum dirimens, siue impediens tantum. Hæc tamẽ probatio nõ est omnino firma; posset enim ordinarius denegare, vt tũc, qui cõtrahere volunt, appellent ad superiorem, & sic posset ordinarius coram superiori comparere, & exercere officium testis; sicut in simili docent quam plures Doctores debere facere eum iudicem, qui nouit occultè aliquem innocentem, sed secundum probata nocentem. Dicunt enim in eo casu debere remittere ad superiorem, vt ibi sit testis. Quare vera ratio desumenda est ex nostra

doctrina c. præcedēti tradita, scilicet, vnius testis dictum non sufficere, & ideo non esse obligationem manifestandi in eo qui scit impedimentum.

6 Deinde quod ad parochum attinet existimo etiam consequenter ad ea, quæ dixi cap. præcedenti, si occultum est impedimentum, & solus parochus nouit, non teneri comparere coram ordinario, & illi impedimentum detegere, mouent enim me eadem fundamenta; sed posse ac teneri assistere matrimonio petentium, siue teneantur impedimento dirimenti, siue impedienti tantum. Vnde, si illi tantum constet, & contrahentes negent, non tenetur parochus rē deferre ad ordinarium, sed potest coniungere contra Sanctium lib. 3. disput. 15. nu. 8. Atque hæc quæ diximus vera sunt, siue petant publicè, siue occultè, quando admoniti contrahentes desistere nolunt à contrahendo propter eadem fundamenta.

7 Idem à fortiori dicendum est, quando licet sciat impedimentum, nouit etiam pro foro interno obtentam esse dispensationē, potest enim tunc dissimulare, & nihil interrogare, neque inquirere de eo impedimento. Quia cum ea denunciatio impedimenti ordinetur ad euitandum peccatum, iam illi sine delicto contrahunt, & ideo non opus est denunciatione, quod rectè docet in hoc casu Thomas Sanchez disput. 15. cit. num. 13. & 14. Vnde potest index vel notarius excipiens confessionem, etiamsi confitens dixerit se habere impedimentum voti, & etiam dispensationem pro foro interno, admonere confitentem, vt illud taceat & neget, docet idem Thomas Sanchez ibidem, num. 26. Idque non solum ante subscriptionem, sed etiam postea locum habet, iuxta ea quæ de reuocatione confessionis dicam cap. sequenti, licet de eo dubitet Thomas Sanchez ibidem in fine. An autem idē possint parochus & ordinarius efficere, quando ab alio opponitur impedimentum, cuius dispensationem in foro interno ipsi nouerunt, dicam capite sequenti.

Quomodo se gerere debeant parochus & ordinarius, cum iam opponitur impedimentum?

CAPVT XXXVI.

SVMMARIVM.

Oppositio impedimento non potest vlterius parochus procedere neque in matrimonio neque in denunciationibus, n. 1.

Si tantum vnus testis sine alijs adminiculis adest, non potest ordinarius interdicere matrimonium, n. 2.

Si contrahentes confessi sunt impedimentum, & postea negent, standum est primæ confessioni, num. 3.

Si opponatur impedimentum sponsalium, & neget vnum consensisse iudicandum est subesse impedimentum, Vera ratio, n. 4.

Si opponatur impedimentum voti, & dicant se ficte vouisse, non sunt audiendi. Vera ratio, num. 5. 6.

Quid agendum, quando opponitur impedimentum, cuius dispensationem obtentam nouit ordinarius pro foro interno, n. 7.

Oppositio & non probato impedimento, quæ sint deinceps parochi munera, num. 8.

1 DICEMVS primo, quod sit parochi munus, vel ordinarij, dum impedimentum opponitur. Deinde quod sit eorum munus, quando non opponitur, aut oppositum non constat legitimè. Igitur primo siquis opponat impedimentum, iam non potest parochus vlteriùs procedere, non tantum in matrimonio, sed neque in denunciationibus, si nondum tres denunciationes factæ sunt, sed rem deferet ad ordinarium. Quod non possit vltra procedere in matrimonio, sed rem deferat ad ordinarium, constat ex *cap. fin. de clandestina desponsat.* Neque enim ad illum pertinet impedimentorū cognitio, sed ad Episcopum, *cap. 1. de consanguinitate*, ibi. *Sed per indices qui potestatem habent.* Quod autem neque in denunciationibus vlterius procedere debeat, constat sic intellectum decretum Tridentini ex constitutionibus Mediolanensibus tit. de sponsalib. cap. 10. & cum multis docet Thomas Sanchez disput. 15. cit. nu. 3. Vnde fit non posse coniungere matrimonio eos, quibus opponitur fidem sponsaliū frāgere, an enim liberi sint, aut subsit causa fran-

frangendi ordinarij iudicium est. Similiter fit non posse parochum iungere eos, quibus opponitur impedimentum, & ipsi negant, neque eos, qui prius coram ipso impedimẽtum confessi postea negarunt, sed id ad ordinarium deferendum est, qui causam examinet, neque enim istæ sunt partes & munia parochi. Similiter si opponatur impedimentum publicè coram parocho, quamuis parochus sciat contrahentes habere dispensationem pro foro interno, non potest illos coniungere. Quia ex quo oppositum est impedimentum, iam non est illius iudicare, sed remittenda res est ad ordinarium.

2 Delato autem ad ordinarium impedimento, si vnus tantum testis sit absque alijs adminiculis, censeo non posse interdici matrimonium, nec deberi, propter ea quæ dixi supra cap. 34. vnus enim testis etiã in causa matrimoniali non probat, etiam quoad effectum impediendi matrimonium, quidquid dicant multi, grauesque Doctores. Nõ nego posse humana potestate fieri, vt in eo casu sufficeret tanquam plena probatio testis vnius testimonium. At nullo id iure cautum est, vt ibi ostendi. Ergo non est cur in hac re discedamus à communi iure, quod duorũ testimoniũ requirit, vel vnius cũ magnis indicijs. Neq; hic habet locũ illa regu quæ docet tutiorem partem in dubio esse eligendam; ego enim non sum in dubio, & verum eius regulæ sensum tradam infra lib. 10. Nam in externo foro proceditur secundum allegata & probata, cumque hæc non sit legitima probatio, vt dixi, non relinquitur in dubio iudicantis animus.

3 Deinde dico si contrahentes oppositio per vnum testem impedimento nec probato primùm confessi sunt subesse impedimentum, postea negauerunt, standum erit primæ confessioni, nisi probent secundam veram. Est enim reuocationi confessionis locus non solum in continenti, sed etiam postea. De hac tamen materia reuocandæ confessionis rei multa Farinacius 3. p. praxis criminalis quæst. 81. cap. 9. ex num. 315. quem ad hoc vide.

4 Rursus si opponatur impedimentum sponsalium, & contrahens dicat se fictè consensisse, censere debet ordinarius illum teneri impedimento sponsalium. Quia, vt dixi supra lib. 2. ad valorem sponsalium, aut alterius contractus, non requiritur verus consensus, sed debitus excepto matrimonio. Vnde ex huiusmodi fictis sponsalibus oriri impedimentum publicæ honestatis dicam infra lib. 7. disparitas autem non est fictionis argumentum, vt dixi supra lib. 2. & dicam infra lib. vltimo. Contraria his docet Thomas Sanchez ex oppositis fundamẽtis lib. 3. disput. 15. num 7. Quamuis ergo oppositis sponsalibus dicat se fictè consensisse, nisi reipsa constet illum non seriò locutum, & alium, cum quo contraxit, aut intellexisse vel intelligere potuisse, nisi valde cæcus esset, ioco facta sponsalia non est audiendus reus, sed cogendus per censuras implere matrimonium.

5 Præterea dico. Si opponatur illis impedimentum voti, & dicant se vouisse, fictè tamen, non sunt audiendi. Probant nõnulli, quia quando quis fatetur delictum cum circunstantia excusante, ius admittit delictũ, & reijcit circũstantiam, vt ex doctrina Bartoli & aliorum docet Thomas Sãchez disp. 15. cit. num. 9. vers. *Tandem*. Hæc tamen probatio non placet, quia quamuis maiori ex parte verum sit confessionem qualificatam, vel qualitate adiecta scindi posse, & ex parte probari, & ex parte reprobari; attamen non est vniuersaliter verum, multas enim exceptiones patitur, quas latè prosequitur Farinacius 3. p. praxis, q. 81. à num. 142. inter alias autem limitationes ea est, vt intelligatur in prohibitis à iure communi, & quæ contra se habent iuris præsumptionem, non vero in alijs. At in hoc casu, quo quis fictè, vel sine animo se obligandi votum emiserit, nulla est iuris communis prohibitio, cum ad ius commune nõ pertineat de occultis legẽ aut iudicium ferre. Aliter etiam limitatur, quando qualitas confessioni adiecta iustificatur aliunde, scilicet, ex probationibus, vel præsumptionibus, quibus ea qualitas probari possit, vt docet idẽ Farinacius ibidem num. 153. qui etiam nu. 155. ostendit in confessione qualificata non habere locum eam limitationem, quã ponit Thomas Sanchez num. 10. quando scilicet, neque de voto, neque de qualitate constat, nisi per confessionem rei. Docet enim optimè, si hæc limitatio admittatur, nunquam posse habere locum eam regulã, quod possit ex parte probari, & ex parte reijci. Quia si de delicto aliunde constat, esset de indubitabili, & tunc non est opus confessione. Quare, etiamsi non constet aliunde de delicto, quam ex cõfessione rei, potest adhuc scindi confessio, & ex parte acceptari, & ex parte reprobari.

6 Melius ergo probat idem Thomas Sãchez disput. 15. citat. num. 9. quia quamuis

vetum

votum fictè emissum non obliget coram Deo, iuxta dicta supra lib. 2. attamen in foro externo, si quidem alij, qui opponunt, audierunt illum vouentem, non creditur infirmanti id quod plena & ingenua voce protestatus est *cap. per tuas de probationibus*, ibi. *Cum nimis indignum sit, vt quod sua quisque voce dilucidè protestatus est, in eundem casum proprio valeat testimonio infirmare. Et lege generaliter, C. de non numerata pecunia* : ex qua eadem fere verba desumpta sunt, de quo vide Dus & Dynus in c. 21. *Quod semel de Reg. iur. in 6.* cū ergo voti illius emissio publica fuerit, & publicè constet, non habet locum eiusmodi infirmatio, quod scilicet non ex animo emiserit. Faciunt etiam pro hac sententia nonnullæ præsumptiones iuris. Prima, quod nemo præsumitur ore proferre, quod in corde non habet, nisi ipse indicet iocosè dici, *l. Labeo 7. D. de supellectili leg.* ibi. *non arbitror quemquam dicere quod non sentiat.* Vnde Menochius lib. 3. præsumpt. 1. num. 36. & sequenti appellat hanc violentam præsumptionē iuris. Secunda quia delictum mendacij non præsumitur, sed ea præsumptio mendacij semper fugienda est *cap. 2. de Reg. iuris in 6. & cap. absit 11. quæst. 3.* Nemo enim existimādus est dixisse, quod non mente agitauerit. Ex quibus merito semper in voto præsumitur animus se obligandi.

7 Denique quid dicendum, si aliquis opponat impedimentum, cuius tamen dispensationem pro foro interiori obtentam nouit ordinarius, coram quo causa vertitur? Thomas Sanchez existimat in ea specie non posse non inquirere, & matrimonium prohibere, donec adducatur dispensatio pro foro externo, refertque pro sua sententia Nauarrum, Emanuelem Rodriguez, & Vegam. Nam ex quo iuridicè oppositum est impedimentum, tenetur iustitiam administrare. Hæc sententia probabilis est; existimo tamen experto & intelligenti iudici non defuturum modum quo eum liberum declaret ab eo impedimento, & licentiam contrahendi concedat, quem & sequi tuta conscientia poterit. Quod si reus falsis probationibus ostenderit se impedimento liberum, quamuis iudex falsitatem calleat, cum aliàs sciat illum iam coram Deo liberum esse impedimento, potest iuxta eas probationes ferre sententiam. Hic enim & in similibus locum habet, quod dixit Augusticus in *cap. Dominus 23. quæst. 2. quod ad iustitiam belli attinet, parum refert, an insidijs, an aperto marte quis vincat*, de quo argumento latè disputo in nostro commentario de *insidijs licitis, tam in bello cruento, quam forensi, & vmbratili.*

8 Verùm non opposito impedimento, aut eo non legitimè probato, iam potest parochus illos matrimonio iungere. Nōnulli tamen volunt vt prius inquirat abeis, an recte sciant doctrinam Christianam, & si nesciant repellat. Illud certum posse præcipi ab ordinarijs, vt repellantur donec discant, docet Thomas Sanchez disput. 15. num. 29. & refert sententia Metropolitani Salmanticensis ita pronunciatum esse, & ego in cōstitutionibus Mediolanensibus tit. de sponsalib. cap. 26. hæc reperio. *Parochus, quos sponsos experiundo viderit doctrinæ Christianæ rudimenta planè ignorare inconsulto Episcopo, ne matrimonio illos ante coniungat, quam ea itē ratione cognouerit didicisse, quæ eo de genere illos plane scire oportet.* Posse autem parochū matrimonio iungere extra Ecclesiam iam dixi supra isto libro. Iniungitur etiam, vt habeat parochus librum, in quo describantur contrahentes, & parochus & testes, vt constat ex Tridentino sessione 24. cap. 1. & idem habetur in constitutionib. Mediolanensibus cap. 1. vbi & præcipitur, vt in fine anni quidquid in eo libro parochi singulis annis scripserint, Episcopo describendū tradant. Placet mihi quod Thomas Sāchez docet disput. 15. cit. num. fin. teneri parochum sub lethali culpa ad eum librum habendum. Magni enim momenti esse librū illum ad matrimonij probationem constat ex multis Rotæ decisionibus, quas vide apud Farinacium excusas vna cum lib. 2. cō siliorum : & ostendam infra in fine huius operis in quadam Appendice.

De Pœnis matrimonij Clandestini.

CAPVT XXXVII.

SVMMARIVM.

Quid agendum, num. 1.
Decretum Innocentij III. num. 2.
Pœnam ab eo impositam incurri ipso facto, nu. 3.
Quæ ratio pœnæ illegitimitatis, ibidem.
Duo simul requiri, vt capœna incurratur, n. 4.
Incurri etiam si ignorent impedimentum, n. 5.
Esse clandestinum etiamsi contrahatur coram parocho, & testibus omissis denunciationibus, quoad effectum illius pœnæ, num. 6.

An

An ea pœna extẽdatur ad contrahẽtes cum quouis alio impedimento, num. 7.
Obiectio soluitur, num. 8. 9.
De pœna quod carcat spe dispensationis, nu. 10.
Quid dicendum de pœna suspensionis per triennium, num. 11. & 12.
Inhabilitas clandestinè contrahentium, n. 13.
De exhæredationis, pœna, num. 14.

1 PRIVS agemus de pœnis matrimonij clãdestini ex defectu denũciationũ, id enim antiquo iure clãdestinũ dicebatur: mox de pœnis matrimonij clandestini ex defectu parochi & testiũ, quæ forma iure nouo Concilij Tridentini inducta est.

2 Igitur Innocent. in Concil. Lateranensi sub ipso celebrato & habetur, *c. fin. de clãdest. desponſ.* hæc habet: *Siquis vero huiusmodi clandestina vel interdicta coniugia inire præsumpserit in gradu prohibito etiã ignoranter, soboles de tali cõiunctione suscepta prorsus illegitima censeatur: de parentũ ignorãtia nullũ habitura subsidiũ: cũ illi taliter cõtrahẽdo nõ expertes scientiæ vel saltẽ affectatores ignorãtiæ videãtur. Pari modo proles illegitima censeatur, si ambo parentes impedimentũ scientes legitimũ præter omne interdictum, etiam in conspectu Ecclesiæ contrahere præsumpserunt.*

3 Circa quã pœnã obseruãdum in primis illã incurri ipso facto ante iudicis sententiã, cùm illa in priuatione cõsistat, licet alij dissentiãt. Deinde obseruãdũ eã statui, eo quod sic cõtrahẽtes legẽ Ecclesiæ contenere videãtur, & ideo non mirũ si filij suscepti ex matrimonio cõtra dispositionẽ Ecclesiæ, illegitimi cẽseãtur, quãuis alias filij suscepti ante matrimoniũ per subsequẽs legitimi fiant. Nã in hoc postremo casu nihil factũ cõtra reuerentiam matrimonij. Deinde hoc postremũ statuit ius, vt inde alliciat homines legitimationẽ prolis proposita, quam pater natura vnicè diligit, & ea ratione deferat concubinatum, & honestam ineat coniunctionem.

4 Deinde obserua, vt ea pœna illegitimitatis prolis sequatur, duo requiri in eo Canone, & vnũ sine altero nõ sufficere. Primum vt omittãtur denũciationes; secundũ vt ob id in gradu prohibito cõtrahatur. Vnde si nõ omissis denũciationibus contrahat in gradu prohibito bona fide, legitima proles est: imo etiãsi adsit mala fides ex parte vnius tantũ cõiugis ex vi istius decreti. Canon enim in postrema parte exigit malã amborũ fidẽ, quando in facie Ecclesiæ, & præmissis denunciationibus cõtrahitur. Similiter si omittant denũciationes, nõ tamẽ cõtrahant in gradu prohibito, legitima proles est. Ex quo inferes ex matrimonio clandestino prolẽ susceptã esse legitimã, nisi in prædicto casu: & etiã per matrimoniũ clãdestinũ prolẽ antea susceptam legitimari, nõ secus ac per solẽne, & legitimũ coniugiũ, de quo latè infra lib. 11. Vtrũq; itaq; debet cõ currere, vt incidat quis in Canonis pœnam.

5 Præterea obserua eã pœnã incurri, quãuis cũ ignorantia impedimẽti, vel iuris cõtra xerint: quia ex omissis denũciationibus præsumitur affectata ignorantia, cũ illi taliter cõtrahẽdo nõ expertes scientiæ, sed affectatores ignorãtiæ videantur, inquit Pontifex. Itaque in hoc casu culpabilis & affectata ignorãtia nõ excusat à pœna. Vnde non eadẽ ratio est huius pœnæ, & excõmunicationis, quæ lata est in *Clementina vnica de cõsanguinit.* Nã ad eã ex cõmunicationẽ requiritur dolus verus, & nõ satis est præsumptus, vt ostendã infra lib. 7.

6 Sed quæret aliquis primò, an si omittãtur denũciationes, & cõtrahat quis corã paro cho, & testibus, diceretur iure antiquo matrimoniũ istud clandestinũ, quoad hunc effectũ. Vide Pelinũ de hoc in *c. porro 7. de sententia excõmunicat.* Nõnulli sentiunt non dici clãdestinũ, etiãsi omissis denunciationibus celebraretur, quãdo publicè cõtractũ est. Ita Abbas in d. *c. fin. de clandestina desponsat.* quã doctrinam moribus receptã esse docet Couarr. de sponsal. c. 6. n. 10. quia idquod scientibus vicinis fit, dicitur publicè fieri, vt notat Ioãnes Lupus in *c. per vestras 3. notab. 5. 21. n. 4. de donat. inter virũ & vxorẽ.* At Bartolus in *l. fin. D. de ritu nuptiarũ* asserit clãdestinũ esse. Illud enim dicitur fieri clam, quod fit omissis his, quæ in eius actu à lege requiruntur. Et quãuis ad id nõnulli respõdent, id quidẽ procedere, nisi aliud æquiualẽs in actu interueniat, quo effectus à lege intẽtus deducatur, vt in matrimonio publicè cõtracto euenit; adhuc id nõ videtur satisfacere; nõ enim est æquualẽs, magis enim res examinatur denũciationibus præmissis, quib⁹ in omniũ fere cognitionẽ peruenit, quã si fiat matrimoniũ publicè, & corã testibus, sic enim facile est multos latere. Quare opinionẽ Bartoli magis probo, quã etiam sequitur Thomas Sanctius lib. 3. disp. 1.

7 Secũdò quæret aliquis an hæc pœna illegitimitatis constituta hoc Canone aduersus eos, qui omissis denũciationibus cõtrahũt in gradu prohibito, extendenda sit ad quoduis aliud impedimentũ: Mihi placet nõ extendi, & saltẽ non habet locũ in his impedimentis, quæ probari nõ possunt, vt in defectu consensus, vel alterius omnino occulti. Cũ enim grauissima pœna sit illegitimitas prolis, nescio cur ad aliũ casum extẽdẽda sit, vbi expressè de eo tantũ agitur impedimento. Neque obest, quod nõnulli respondẽt esse simile casum, eãdem-

demque militare rationē. Nam si hoc esset alicuius momenti innumeræ leges extendendæ essent, quæ non extenduntur ad alios casus.

8 Neq; obstat quod legibus Partitarū 3. *tit.* 3. *p.* 4. *& l.* 2. *tit.* 15. *p.* 4. vniuersē idē de omnibus alijs impedimētis statuatur. Nā ex legib⁹ Ciuilibus ad Canonicas in materia de matrimonio nullū sumitur argumētū, vt notū est.

9 Neque obstat etiā quod in *c. ex tenore qui filij sint legitimi*, cū sermo sit de alijs impedimētis, quia alter eorū erat coniugatus, vt censeretur filius legitimus, expēdit textus bonā alterius parentis fidē, & matrimoniū publicè contractū esse. Ex eo enim non efficitur secus sentire Pontificē, si esset clandestinum. Satis enim erat bona fides vel vtriusque, vel alterius, quod autē in facie Ecclesiæ contractum esset ex abūdanti additur. Eodē modo accipiē dū quod inquit Trident. sess. 24. c. 5. cū pœnā statuit aduersus omittentes solēnitates, idest denūciationes, si ignoranter contraxerint in gradibus prohibitis, neq; ad alios casus extēdit. Vnde illa verba. *Si vero solēnitatibus adhibitis impedimētū aliquod postea subesse cognoscatur*, restringēda sunt ad impedimentū in aliquo gradu prohibito: Sicut & ea, quæ statim subiūguntur, ad impedimentū consanguinitatis tantū pertinent: *In cōtrahendis matrimonijs, vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro idq; ex causa & gratis cōcedatur. In secūdo gradu nūquā dispēsetur, nisi inter magnos Principes, &c.*

10 Sed & in eo decreto Trident. ca. 5. alia pœna imponitur clādestinē, idest, omissis denūciationibus cōtrahētibus, in gradu tamen prohibito, vt spe dispēsationis cōsequēdæ careat, quæ pœna ad alios casus non extēditur. Illis autē non indicatur ablata facultas dispēsandi à Pōtifice, sed tantū lethaliter peccare, si sine causa dispensēt, aut difficile dispensari, & ob peculiarem præ ordinaria causam.

11 Præterea aduersus parochū assistentē matrimonio clādestino, idest, omissis denunciationibus in d. *c. fin. de clandest. desponsat. §. fin.* pœna lata est, incurrit enim suspensionē per trienniū. Est autē inferenda per sentētiā iudicis, inquit enim, *suspendatur*, quod verbū significat actū iudicis, quidquid nonnulli dicāt. Incurritur autē à die sententiæ, etiāsi in eodē triennio sæpe delinquat. Nec potest absolui ab Episcopo intra trienniū, est enim terminus suspēsioni adiectus, vel ob id maxime, quod cōstitutio illa à Concilio generali condita sit; cōmunis autē Doctorū sentētia tenet Episcopos cōtra Conciliū dispēsare nō posse in *c. At si clerici §. fin. de iudicijs*, & dicā infrā lib. 8. Sed elapso termino liber euadit. Vnde licet à suspensione lata in iure, siue ob contumaciā, siue pēccatū aliud, & sine termino, & nō reseruata, posset Episcop⁹ absoluere, vt docet Innocētius cōmuniter receptus, & Nauarr. c. 27. n. 162. *c. Nuper de sententia excōmunicat. & c. ex literis de constit.* Potest enim Episcopus dispensare, vbicūque nō inuenitur prohibitū; at quādo imponitur ad certū tempus, non potest Episcopus absoluere, sed cōditor Canonis, vt tenet Paludan. in 4. distinct. 18. q. 7. in fine Sylvest. *v. suspensio*, q. 8. in fine, & cōmuniter Doctores. Neque in hoc casu habet locū limitatio Trident. sess. 24. c. 6. vbi concedit Episcopo, vt absoluat ab omni suspēsione ex occulto delicto prouenieti etiā reseruata Papæ. Nā quod parochus interfit clādestino coniugio, non potest esse occultū delictū.

12 Denique parochus & testes assistētes tantū puniūtur arbitraria pœna à Cōcilio, neque alia designata. Quare illa Triennalis suspensio, de qua modo dicebamus, non est correcta per Tridentinum. Sermo enim est in diuersis casibus. Illa intelligitur tantū, quando adest matrimonio clādestino parochus ex defectu denūciationū: hæc autē, quādo adest matrimonio nullo & inualido sine sufficiēti numero testiū. Vnde parochus nō proprius vel regularis assistens matrimonio clandestino, præmissis tamē denūciationibus, sine licētia parochi, aut sine testibus, non punitur pœna Concilij Lateranēsis, quæ tantū imposita est assistēti matrimonio clādestino ob defectum denūciationū: sed punitur pœna Tridētini: est enim matrimonium nunc sine proprio parocho & testibus, etiamsi præcesserint denuntiationes, omnino nullum.

13 At cōtra ineūtes matrimonia sine parocho, & testibus, quæ est forma à Cōcilio præscripta, nōnulla etiā statuuntur. Primū vt sint inhabiles ad sic cōtrahēdū. Quod quidē nō intelligitur eo sensu, vt sint inhabiles ad omni nō cōtrahēdū cōiugiū, esset enim grauissima pœna, quāuis nō infrequēs in Ecclesia, vt dicā infra lib. 7. Cōciliū nō nisi cū limitatione loquitur, *ad sic cōtrahēdū*, & in eo sensu declaratū est à Cardinalibus. Ea autē pœna incurritur ipso facto, neq; ad id op⁹ authoritate iudicis, nisi forsan matrimoniū esset nimis publicū, & necessaria sentētia esset, vt vitaretur scādalū.

14 Statuta etiā est exhæredationis pœna *l.* 49. *Tauri*, quę pœna nō est correcta per ius Canonicū, potest enim ius ciuile pœnas adigere ad exactiorē Iuris Canonici obseruationē, sicut & alias etiā pœnas statuit cōtra hæreticos, quāuis de illis criminibus agnoscat Ecclesia: indiget autē ea pœna iudicis sentētia iuxta generalia principia in disputatione de legibus. Atque de his hactenus.

DE

DE IMPEDIMENTIS TANTVM IMPEDIENTIBVS.

LIBER SEXTVS.

Jam ab hoc libro agere incipimus de his, quæ pugnant cum Matrimonio ex parte inhabilitatis personarum. Quædam autem inhabilitates ita impediunt, vt etiam dirimant matrimonium, de quibus agemus lib. sequenti. Aliæ vero impediunt tantum, & non dirimunt, ita vt illicitè quidem illis obstantibus contrahatur matrimonium, validè tamen. Sunt autem ea impedimenta, aut quæ ortum habeant ex crimine, aut sine illo. Quæ sine crimine impediunt, hæc sunt, interdictum, tempus feriatum, Catechismus, sponsalia, votum simplex: De his agemus primò, de alijs autem quæ propter crimen impediunt secũdo loco; si tamen prius nonnulla præmiserimus cognitu necessaria circa impedimenta in communi.

De potestate constituendi impedimenta.

CAPVT I.

SVMMARIVM.

Esse potestatem in hominibus constituendi impedimenta, sicut est potestas leges condendi, numero 1.

Ante Christi aduentum etiam in ciuilibus Magistratibus eam potestatem fuisse, n. 2.

Contractum matrimonium ab infidelibus contra leges irritantes suorum principum, nullum, num. 3.

Idem de Hebræis, nisi suis legibus viuere permittantur, n. 4.

Idem de infidelibus subiectis principibus fidelibus sæcularibus, n. 5.

In eiusmodi causis matrimonialibus infidelium legitimos iudices esse principes sæculares, numero 6.

Idem dic de infidelibus peregrinantibus inter fideles, secus de fidelibus, n. 7.

Iam post Christi institutionem penes Ecclesiam tantum esse potestatem constituendi impedimenta, n. 8.

Eius

Eius probatio, n. 9.
Obiectiones soluuntur, n. 10. 11.
Eam potestatem reseruatam quidem Pontifici, de iure tamen pertinere etiam ad Episcopos, numero 12.

1 MATRIMONIVM, vt in superioribus dictum est, non solum Sacramentum est à Christi institutione, sed ante Christi institutionem à principio conditionis humanæ contractus quidã iuris naturalis est. Ex quo efficitur inter homines potestatem esse explicandi, & etiam statuendi, quæ personæ habiles essent, & ad ineunda cõiugia, & ad huiusmodi contractum celebrandum, sicut & circa reliquos ciuiles contractus disponit, atque decernit. Id quod tam certum est, sicut certum est esse potestatem in Republica condendi leges; constituere enim impedimenta matrimonij nihil aliud est, quam legem aliquam ferre circa matrimonij contractum.

2 Ex his colligitur primò ante Christi aduentum & inter infideles omni tempore apud ciuiles magistratus esse potestatem impedimenta constituendi, vt docet D. Thomas in 4. distinct. 39. quæst. vnica art. 1. ad 4. Paludanus distinct. 26. quæst. 4. art. 3. in solut. ad 4. Soto distinct. 39. in solut. ad 3. Victoria 2. p. relectionis de matrimonio, Ruardus Tapper art. 19. contra Lutherum, pag. mihi 306. & Bellarminus lib. 1. de matrim. cap. 21. & 22. circa fin. & cum multis alijs Thomas Sanchez lib. 7. disput. 3. nu. 5. docuit etiam Glossa in *cap. siquis ancillam v. legibus 29. quæst. 2.* & colligitur ex Concilio Triburiẽsi sub Formoso Papa Anno 895. cap. 39. *Quicumque alienigenam, ideſt alienæ gentis fœminam vtrorumque consultu propinquorum legitimæ, vel suæ vel mulieris lege acquisitam in coniugium duxerit, velit nolit, tenenda erit, nec vltra ab eo separanda excepta fornicationis causa, quamuis enim vt Apostolus ait, vnus dominus, vna fides vnum baptisma vtrique communis sit nationi, legem tamen habet diuersam, & quantum ad sæculum interdum longe disiunctam. Quare si vnus è duobus vnam carnem in duas dimidere, & copulam nuptialem machinetur disiungere, dicendo non secundum suæ gentis legem iurã matrimonij contraxisse & id circo separari posse canonica institutione definimus, & nostro omniumque Orthodoxorũ iudicio instituimus, vt quod legis imperfectum sit, perficiatur, & ius matrimonij nequaquã resoluatur. Synodus Romana ait, quod non sit dimittenda vxor post Baptismum, quæ habita est & ante Baptismum; in Baptismo enim soluuntur crimina nõ legitima coniugia: cum enim in baptismo transmigrant de vita in vitam, & non mutat vxorem legitimam, &c.* Sentit igitur matrimonium iuxta leges proprias, scilicet quæ non aduersantur rationi, matrimonium contractũ ab infidelibus validum, atque adeo esse potestatem inter infideles leges decernendi circa statum & validitatem, aut inualiditatem personarum. Id quod etiam non obscure indicat Innocentius III. in *cap. gaudemus de diuortijs: & in præmissis gradibus à Paganis, quoad eos matrimonium licite sit contractum, qui constitutionibus canonicis non arctantur.* Et nihil mirum cum contractus iste perinde vt reliqui in commune bonum ordinentur, quare sicut statuit apud infideles sæcularis potestas, ne valeat propriorum bonorum alienatio, nisi sub certa forma, & à personis habilibus facta, potuit etiam lege statuere, vt valeret traditio sui. Hac ratione multa legimus statuta Iure Cæsarum de Ritu nuptiarum, & alibi.

3 Secundò colligitur matrimonium cõtractum ab infidelibus contra leges à suis Principibus latas dirimentes matrimonium nullum esse: vnde cum ad fidem venerint, vel iterum renouandum est iuxta Ecclesiæ leges, vel separandi sunt. Quod nam autem sit inter illos dirimens impedimentum, id ex vsu & consuetudine apud illos recepta petendum est.

4 Tertiò colligitur, id quod de alijs infidelibus subiectis Principibus infidelibus dictum est, extendi etiam debere ad Hebræos: cum enim illi veram rempublicam non habeant, sed aliorum Principum gubernationi subijciantur, tenentur legibus irritantibus matrimonium, quas Principes infideles tulerunt, quorum dominio subduntur. Leges enim eorum cæremoniales cessarunt Christi morte. Quod intellige, nisi Principes infideles quorum dominio subduntur, illis copiam fecerint patrijs legibus vtendi, atque secundum illas viuẽdi; in eo enim casu non quia ipsorum Hebræorum leges sunt, sed quia ab ipsorum Principibus approbantur, aut permittuntur, vim habent. De Hebræis autem subditis Principi fideli, idem quod de alijs infidelibus eidem Principi subditis dicam illatione sequenti, iudicandum erit.

5 Quartò colligitur pari etiam ratione Principes fideles sæculares posse leges validas constituere circa impedimenta matrimonij

monij, quibus teneantur infideles subiecti, eorum ditioni, & imperio. Hi enim subditi tantum sunt eorum Principum sæcularium, neque Pontifex vel Ecclesia vllam in illos iurisdictionem habet. Quid enim nobis de his qui foris sunt iudicare? Quare legibus Ecclesiasticis circa matrimonium non tenentur, *capite Quanto de diuortijs*, sed tantum legibus latis á Principe sæculari, cuius potestati subijciuntur.

6 Quintò colligitur in causa, & lite matrimoniali, quæ inciderit inter huiusmodi infideles subiectos Principibus sæcularibus fidelibus, legitimos iudices esse ipsos sæculares Principes, non Ecclesiasticos. Matrimonium enim eorum contractus quidam ciuilis est, non habens rationem sacramenti. Sed quid dicendum si alter eorum ad fidem conuertatur, & lis de matrimonio intercedat? Thomas Sanchez libro septimo disputatione tertia citata numero nono sic distinguit. Aut litem mouet infidelis, & tunc apud iudicem Ecclesiasticum examinari causa debet, quia actor sequitur forum rei, *capite si Clericus, & capite cum sit generale, de foro competenti*: aut fidelis litem mouet, & tunc conueniri infidelis debet coram sæculari. Verum ego existimo in primis non posse interuenire casum, in quo infidelis sit reus, si lis moueatur super constantia matrimonij, & perseuerantia in illo. Nam aut non vult cohabitare, & tunc cessat controuersia; matrimonium enim dissoluitur iure diuino, vt dicam infra lib. 7. cum sermo fuerit de impedimento disparis cultus. Aut vult cohabitare, sed fidelis renuit, vel contendit non fuisse matrimonium, aut separandos ex aliqua iusta diuortij causa, & tunc fidelis reus est, actor infidelis. In eo autem casu existimo causam examinandam esse coram sæculari iudice. Ratio est meo iudicio manifesta. Quia non eo ipso, quo infidelis conuertitur matrimonium prius contractum fit sacramentum, vt ostendi supra lib. 1. Semper ergo manet in ratione ciuilis contractus. Quare sicut, si controuersia moueretur inter infidelem, & fidelem conuersum super contractu aliquo imito tempore infidelitatis, cum vterque subditus erat sæculari Principi, & in materia etiam pertinente ad forum illius, coram eodem causa examinari deberet, sic etiam in proposito iudicandum est.

7 Sexto colligitur, id quod hactenus diximus de infidelibus subiectis Principibus fidelibus sæcularibus, idem dicendum esse de infidelibus peregrinantibus inter fideles, subduntur enim non legibus Ecclesiasticis matrimonij, sed ciuilibus. Quare iuxta leges sæculares Principis contrahere debent. Peregrini enim alligantur legibus loci, in quo peregrinantur, & non legibus suæ regionis, vt latè dixi libro præcedenti. De fidelibus autem contrahentibus in terris infidelium, & apud eos commorantibus dicendum est in aliquibus non teneri tunc legibus Ecclesiasticis, quales sunt illæ de matrimonio sub forma Tridentini celebrando, vt dixi lib. præcedenti. Tenentur tamen alijs impedimentorum legibus, quia eorum matrimonium non subijcitur legibus sæcularis Principis infidelis, cum sit sacramentum. Quare infidelium legibus non magis tenentur in casu matrimonij, quam in rebus diuinis, & alijs sacris. Tenerentur quidem, si tantum contractus esset. At cum habeat iam ex institutione Christi adiunctam rationem sacramenti, non est materia subiecta eorum legibus, sed Ecclesiasticis, & iuxta illas celebrari debet. Quare autem non sit necesse seruare formam Tridentini dixi supra libro præcedenti.

8 At post quam ad rationem sacramenti eleuatus est contractus matrimonij, solius Ecclesiastici iuris est impedimenta constituere. Et quidem in Ecclesia esse potestatem constituendi impedimenta, definitum est in Concilio Tridentino sessione 24. c. 4. *Siquis dixerit Ecclesiam non posse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in ijs constituendis errasse, anathema sit.* Et ante Tridentinum in Concilio Prouinciali Senonensi sub Clemente Septimo in decretis fidei cap. 17. inter errores damnatos refertur iste: *Ecclesia non potuit illegitimare aliquas personas sic quod non possint contrahere matrimonium.* Constat etiam ex perpetuo vsu Ecclesiæ, quæ toties impedimenta constituit, vt ex his quæ dicemus de vno quoque impedimento manifestum erit.

9 Quod autem inter Christianos ea potestas resideat tantum penes Ecclesiam constat in primis. Quia causa matrimonij, quo ad ea quæ necessario respiciunt rationem contractus, aut ex illa proximè sequuntur, Ecclesiastica est *cap. tuam*

de ordine cognitionum ibi, *vtpote quæ ad forum Ecclesiasticum pertinet*, & diffinitur à Concilio Tridentino sess. 24. capit. 12. *Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad iudices Ecclesiasticos, anathema sit.* De quo latè Bellarminus lib. 1. de Matrimonio capit. 32. & ex antiquis Paludanus in 4. distinctione 26. quæst. 3. art. 3. Tum etiam: quia apud Christianos ratio matrimonij à ratione sacramenti quoad iudicia inseparabilis est. Quare ad illud forum spectat contractus iste, ad quod spectat de sacramentorum rebus, & doctrina cognitio. Dixi ea, quæ necessario respiciunt, aut sequuntur ex illa ratione sacramenti, aut contractus, veluti firmitas illius, personarum legitimatio, prolis conditio legitima vel illegitima, & diuortium. Nam causa dotis, & hæreditatis, & aliæ huiusmodi sæculares sua ratione sunt, & sæculari iudicio relinquuntur. Sunt enim isti contractui extrinsecæ, licet aliquando incidenter etiam ab Ecclesia decerni soleant.

10 Neque obstat his, quæ dicta sunt, nihil immutari posse circa materiam, & formam sacramentorum. Nam licet posita sufficienti materia, & forma nihil possit variari, at pertinet ad Ecclesiam decernere quando contractus iste sit legitimus. Est enim contractus matrimonij materia sacramenti vel fundamẽtum. Christus autem non definiuit, quis esset legitimus contractus matrimonij, sed illum extulit ad rationem sacramenti, quisquis ille fuerit, dummodo sit legitimus. Quis autem sit legitimus Ecclesiæ decernendum reliquit.

11 Neque obstat etiam, quod contractus matrimonij sit iuris naturæ: ius autem naturæ sit inuariabile: contractus namque matrimonij non est iuris naturalis præcipientis, neque enim omnibus præcipit, vt nubant, sed assistit tantum: huiusmodi sunt multa alia, vt explicui supra lib. 1. In illis nulla potest esse variatio. Posterioris vero generis ordinabilia sunt à Republica, prout ad commune bonum expedire visum fuerit. Nec enim in omnibus ius naturale decreuit, quæ personæ essent ad eum contractum ineundum legitimæ.

12 Ex his colligitur, quanuis iam antiqua consuetudine hæc potestas inducendi impedimenta reseruata sit, & Pontifici Romano, & Concilio Generali: attamen de iure pertinere etiam ad Episcopos, & Concilia Nationalia, & prouincialia, vt docuit Victoria loco citato: & olim quidem multa impedimenta dirimentia, & impedientia constituta fuere ab Episcopis in suis diœcesibus, & à Concilijs Prouincialibus, & Nationalibus, quæ postea ab vniuersali Ecclesia, vel recepta, vel approbata, vel partim recepta aut approbata, & partim explosa, vt planum erit ex his, quæ dicam infrà, cum de vno quoque impedimento sermo fuerit.

Quare Principes sæculares fideles non possint leges circa matrimonium constituere?

CAPVT II.

SVMMARIVM.

Ciuilium Magistratuum leges circa matrimonium, nisi probentur ab Ecclesia nullas esse numero 1.

Non esse ob defectum potestatis, sed ob reseruationem Pontificis, quidam sentiunt, num. 2.

Verius esse ob defectum potestatis, num. 3.

Neque circa accessorium matrimonio potest sæcularis Princeps leges ferre si eo impeditur principale, num. 4.

Valent tamen eius leges circa alia accidentalia matrimonio, num. 5.

1 EX his, quæ dicta sunt liquidò colligitur nullas ciuilium Magistratuum leges circa contractum matrimonij validas esse, nisi probentur ab Ecclesia. Constat ex *capite cum secundum Apostolum, de secundis nuptijs*, vbi ea lex Cæsarum, quæ infamiam irrogat viduis nubentibus intra annum luctus, abrogatur. *In ijs*, inquit, *sæculares leges non dedignantur Ecclesiasticas imitari, & capite quædam lex 35. quæstione 2.* reijcitur à Gregorio Primo lex Honorij, & Iustiniani Imperatorum, quæ decernebat valida matrimonia inter consobrinos, cuiusmodi multa alia reperies in iure Ciuili. Vnde, & quælibet lex lata à sæculari Prin-

cipe

cipe circa matrimonium, etiam si non reprobetur ab Ecclesia, nulla est, vt docuit Syluester verbo *Matrimonium* 2. quæst. 1. & 2. ex sententia Panormitani in *cap. 1. de sponsal. & matrimon.* & docuerat antea Diuus Thomas in 4. dist. 42. quæst. 1. artic. 1. ad 4.

2 Sed existit hoc loco dubitatio, an leges latæ à sæculari Principe fideli non valeant, quia Pontifex reseruauit sibi eam potestatem condendi leges circa matrimonia, & interdixit sæculari Principi, an verò quia eas non possunt Principes sæculares condere ex defectu potestatis? Thomas Sanchez disput. 3. citat. numero 2. cum alijs existimat posse quidem quantum ex se est, attamen eam potestatem sibi reseruasse Pontifices. Probat primo, quia potestas regia ad tranquillitatem, & bonum Reipublicæ tuendum est potissimum instituta, & eius est quod ad hunc finem desideratur prouidere, quale est circa matrimonia ineunda illa impediendo, & irritando. Deinde probat, quia si potest sæcularis Princeps alios ciuiles contractus irritos reddere, cur non poterit etiam matrimonij contractum, cum id quandoque bonum commune postulet? Huic etiam sententiæ subscripsere non pauci, qui existimant valere statutum ciuitatis, quod inter homines diuersarum ciuitatum non contrahatur matrimonium sub certa pœna, dummodo possint honestè contrahere inter homines suæ ciuitatis, quod docet Bartolus, & Angelus, & alij, quos pro hac parte refert Felinus in *cap. 1. de sponsalibus numero 20. versiculo sexto fallit.*

3 Verùm leuissimis fundamentis commotus Thomas Sanchez concessit eam potestatem sæculari Principi fideli. Quare pro huius rei explicatione dico primo. Nequaquam potest princeps sæcularis fidelis legem aliquam statuere ad substantiam matrimonij directè, vel indirectè pertinentem, quæ vim habeat, nisi ab Ecclesia tacitè, vel expressè probetur, ex defectu potestatis. Sentiunt nobiscum non pauci ex Theologis, & ex iuris iuris interpretibus, quos refert Thomas Sanchez disputatione citata numero primo, & omissis leuibus alijs argumentis moneor ea tantum consideratione. Quia matrimonium, quamuis ex se contractus quidam sit subiectus etiam Principi sæculari, attamen per Christi institutionem eleuatum est ad rationem sacramenti, itaque res sacra est. Ergo non subditur ex eo tempore potestati Principis sæcularis etiam fidelis. Quod enim materia huius sacramenti contractus sit, non satis est, vt possit Princeps sæcularis leges condere, cum ex quo ea materia per Christum sacra facta est, iam extra eius iurisdictionem, & potestatem sit. Sicut licet homo ante ordinationem sit materia subiecta iurisdictioni sæculari, & similiter bona alia, & prædia; attamen post ordinationem, vel postquam donatione sacra vel Ecclesiastica facta sunt, extrahuntur à dominio sæcularis Principis, & nullam neque in personas neque in bona iurisdictionem habet. Sic ergò, & in nostro casu dicendum est, postquam matrimonio accessit ratio sacramenti. Præterea: si matrimonium etiam post Christi institutionem, quia contractus est, subiectum esset Principum sæcularium dispositioni, nequaquam inuitis Principibus fidelibus, posset Ecclesia ab illis auferre eam potestatem leges condendi, & sibi reseruare. Quo enim iure id posset? sicut neque hominem subditum sæculari Principi posset Pontifex eximere à iurisdictione illius, neque interdicere etiam, ne circa alios contractus leges statueret, vt explicui supra libro præcedenti, dum sermo esset de iurisdictione Scholastici Salmantini. Quare, nisi ea potestate abuterentur Principes, & aliquid statuerent, quod spirituale sacramenti matrimonij rationem læderet, non possent à Pontifice pro indirecta potestate, quam habet in temporalia coerceri, vt ibidem explicatum est. Quare rectè, & consequenter Petrus Soto lectione quarta de matrimonio in fine, cum falsò existimaret eam potestatem habere Principes sæculares, docuit leges ciuiles ex pietate quadam cessisse in hac parte legibus Pontificijs, atque adeo hodie etiam, si vellent, posse statuere leges irritantes contractum matrimonij. Et merito quidem falso illo principio admisso docuit non esse penes Pontificem potestatem prohibendi sæcularibus Principibus, ne leges ferant irritantes, quæ matrimonium irritent, & nullum omnino reddant. Vnde in causis matrimonialibus iudicem Ecclesiasticum esse competentem iudicem vel ipsi hæretici testati sunt: sic enim scriptum reliquit Scheneuduuinus Institutis de nuptijs parte quarta, de diuortio, numero sexto, ex

quibus inferes nullas esse leges de secundis nuptijs, cum Felino ibidem num. 13. & etiam quæ nullum reddunt coniugium contra parentum consensum, cum eodem Felino ibidem: & etiam quæ irritant matrimonium inter Præsidem Prouinciæ, & fœminam aliquam eiusdem, & huiusmodi alias cum Felino in dicto capite numero 10. 11. & 12.

4 Secundo dico neque circa accessorium matrimonij posse Principem sæcularem ex defectu potestatis leges ferre, si eo accessorio impeditur principale, vt optimè explicat Felinus in dicto capite numero 13. in fine. Idque constat *ex regula iuris 39. cum quid prohibetur, prohibentur etiam omnia, quæ sequuntur ex eo*, de qua regula videndi sunt Dynus, & Pechius. Vnde etiam prohibentur media, per quæ peruenitur ad illum finem. An autem leges sæculares punientes filios, qui contrahunt contra parentum consensum, valeant, cum illis videatur impediri principale, quod est libertas matrimonij, ex eo pendet, an eiusmodi leges iustæ sint, de quo iam dixi supra lib. 2. vbi ostendi, quando iustæ sint, & quando secus.

5 Denique dico. Circa alia accidentalia matrimonio, vel accessoria, quæ non pertinent ad eius substantiam, neque ex se impediunt principale, sæculares Principes pro sua potestate possunt leges validas statuere, vt docet Felinus ibidem, & latè explicat per nonnullas fallentias numero 14. & sequentibus. Huiusmodi sunt leges circa dotem, & lucrum dotis, vel donationes inter virum, & vxorem, & sponsalitiam largitatem, & similiter leges, quæ pœnis constitutis adiuuant prohibitiones Ecclesiasticas.

Inquiruntur alia circa eandem potestatem.

CAPVT III.

SVMMARIVM.

Iustam causam requiri ad impedimentum constituendum num. 1. Vera ratio ibidem.

An ex interdicto solo Pontificis nascatur impedimentum irritans, num. 2.

Posse Pontificem aliquam personam in particulari inhabilem reddere nu. 3.

1 SED inquirit vlterius Thomas Sanchez dicto lib. 7. disputat. 2. numero 5. An requiratur iusta causa, vt Pontifex statuat impedimenta dirimentia matrimonium, ita vt, si sine causa eam legem tulerit, nihilominus matrimonium contra eam legem valeat. Verum non est in hoc casu specialis aliqua difficultas, sed communis omni Principis legi, & ex eo principio decidenda, an lex vim habeat obligandi, nisi iusta sit, & rationabilis: de quo in materia de legibus latè. Nunc breuiter dico ius semper ex ratione æstimandum esse, & quemadmodum sine ratione iustitia non est, ita neque ius. Vt enim Vlpianus in *lege ius ciuile 6. D. de iustitia & iure, ius ciuile id est, quod neque in totum à naturali iure, vel gentium recedit, neque per omnia ei seruit. Itaque cum aliquid addimus vel detrahimus iuri communi, id proprium, id est, ciuile intelligimus.* Ex quibus verbis, vt inquit Mysingerius *instit. de iure naturali* in principio num. 22. planè constat humanum ius esse determinationem iuris naturalis. Si igitur recedat in totum à iure naturali, non determinat, sed magis affingit aliquid incognitum naturæ, id est, vt Aristot. ait. *Quod nullam causam in natura habeat.* Non ergo lex, sed quædam tyrannis, & carnificina censenda est. Recedit autem à naturali iure lex, quæ ratione non nititur. Recte igitur scriptum est ab Isidoro *in capite, erit autem lex, distinct. 4.* legem esse debere sanctam & iustam. Quare quæ rationabilis non est, neque ius, neque lex est, ac proinde salua conscientia ei legi non parere licet: de quo Bartolus recte *ad l. vltimam C. si contra ius vel vtilitatem publicam.* Vi quidem inquit Donellus lib. 1. commentar. capit. 5. vers. *Constitutio est*, fieri potest, vt pareamus, & ius etiam verbo dici potest: re autem ipsa nihil nisi vis erit, ius non erit. Sed cur ea, quæ Princeps turpiter iubet, vel prohibet, non dicantur ius, cum hæc sæpe iubeant seuerius, quam honesta, ius autem appellatum est à iubendo. Verum hic iussus pro iussu habendus nō est, atque adeo reuera non est iussus. iubere enim est, iubere vt quid fiat, quod, & fieri potest. Quæ autem turpia sunt ea nec facere posse credimus *lege filius D. de condit.*

dition. instit. Sed præter Donellum, & Minsingerium videndi sunt de hoc Corrasius ad *l. 1. de iure naturali* num. 4. & sequentibus Antonius Faber lib. 1. iurisprudentiæ Papin. principio. 1. illat. 3.

2 Sed inquirit vlterius Thomas Sanchez disputat. 2. sequenti an ex interdicto Pontificis præcepto suo interdicentis matrimonium, sit irritum cõiugium, si contrahatur contra præceptum illud. Hæc tamen communis difficultas est, quæ ex ea quæstione pendet, ex quibus verbis legislatoris colligatur actum esse irritum, si contra legem fiant, & ex eo principio decidenda. De quo Doctores latè in materia de legibus, & iuris interpretes in *lege non dubium, Cod. de legibus*, & nos diximus supra libro præcedenti.

3 Inquirit denique, An sicut Pontifex potest vniuersè statuere impedimenta dirimentia matrimonium, possit vnam singularem personam tantum inhabilem reddere ad contrahendum cum aliqua fœmina in particulari, vel vniuersè etiam aliquem inhabilem reddere ad contrahendum matrimonium, cum quauis alia fœmina? Ad vtrumque respondet disputat. 1. à num. 7. & recte affirmando id posse Pontificem effice re iusta subsistente causa: neque in hoc maior difficultas est, quam in eo, quod vniuersè constituere possit impedimenta dirimentia. Imo fortasse Ecclesia ali quando homines aliquos in pœnam grauium delictorum inhabiles reddidit ad coniugia. Atque hinc forsan emanauit illud, quod in multis antiquis canonibus legimus, *sine spe coniugij maneat*. Sed de his ex communi sensu dicam infra. Atque id, quod de inhabilitandis particularibus personis diximus de Principe Ecclesiastico, intellige etiam de infideli comparatione suorum subditorum, & de fideli sæculari comparatione sui subditi infidelis iuxta dicta.

Consuetudine induci posse impedimenta, & auferri.

CAPVT IIII.

SVMMARIVM.

Quid quæritur, num. 1.
Variæ DD. sententiæ & distinctiones n. 2. 3. 4. 5.
Vera sententia consuetudine induci, & abrogari posse impedimenta, num. 6.

1 SED hoc loco restat examinandum, an etiam cõsuetudine induci aliqua impedimenta possint, vel etiam abrogari. Et quidem tantum dubium esse potest circa ea impedimenta, quæ ius Ecclesiasticum constituit: nonnulla enim sunt quæ iure diuino, vel naturali impediunt, vt de solemnitate voti non pauci docuerunt, & de consanguinitate in primo gradu rectæ lineæ, communis sententia est ac de impotentiæ impedimento, & ligamine certissimum.

2 In hoc autem non eodem modo Iuris Canonici Doctores loquuti sunt. Varijs enim distinctionibus rem istam obscurarunt; dum explicare conantur. Inprimis Hostiensis sensit consuetudinem, dummodo approbata sit à Pontifice dirimere, & impedire in omnibus ijs casibus in quibus impedit, vel dirimit Canonica Constitutio, *capite 1. de cognatione spirituali, & capite super eo, eodem titulo, & capite quod dilectio de consanguinitate, & affinitate*. At si consuetudo nec improbata est, nec approbata à Pontifice, impedire quidem, non tamen dirimere docuit Hostiensis.

3 At Panormitanus in capite super eo citato sub alia distinctione respondet: inquit enim, si consuetudo reddat habiles eos qui sunt aliàs inhabiles, nullius esse momenti, neque considerationis, vt constat ex *dicto capite super eo, & capite quod pro ijs de consanguinitate, & affinitate*, cum ea consuetudo sit reprobata, vt irrationabilis, & contra legem, & æquitatem; si autem inhabiliter alias habiles, valet, *dicto capite super eo de cognatione spirituali, & capite olim de clericis coniugatis*. Aut etiam consuetudo dissoluit ad tempus, & tunc quoque valet. Quod si in perpetuum dissoluat matrimonium nulla est, nisi vel tacitè vel expressè probetur à Papa. At si non constet de eius approbatione, respondet Panormitanus esse sub distinctione dicendum: si enim scandalum adsit, valet consuetudo: quia sicut Papa potest diuinum ius interpretari, ita & consuetudo.

4 Præterea glossa *in dicto capite super eo*, & alij ibidem sub alia distinctione respondent. Dicunt enim, Quando consuetudo sine scandalo omitti non potest, & aliàs concurrit cum eo, quod antiquo iure statutum erat, vt si esset consuetudo de non contrahendo in sexto 6. vel 7.

gradu, quod olim etiam statutum iure fuit, obseruandam esse: vel si probetur à Papa, etiam si non concurrat. Quod si nec probetur à Papa nec concurrat cum antiquo iure, non posse impedimentum inducere.

5 Denique Thomas Sanctius de matrimonio libro septimo disput. 4. numero 11. & 14. existimat consuetudine induci posse impedimenta, quæ inhabiles reddant, alias habiles, & econuerso: dummodo ea consuetudo sit mixta laicorum, & Clericorum. Nec verò esse necessariam approbationem Pontificis, nec tacitam, nec expressam, sed satis esse generalem illam approbationem, qua *capit. fin. de consuetudine*, dicitur per consuetudinem posse legem abrogari, & nouam induci.

6 Cæterùm frustra Doctores isti his distinctionibus vsi sunt, cum res ista decidenda sit iuxta generalia principia in materia de consuetudine. Quare ea impedimenta, quæ ex iuris Ecclesiastici dispositione proueniunt, abrogari posse contraria consuetudine, & alia etiam induci, tàm certum esse debet, quàm certum est abrogari legem posse, & contrariam induci, imò, & nonnulla impedimenta dirimentia inducta esse consuetudine tantum, hoc est, consuetudinem obtinuisse, vt dirimerent, quæ tantum impediebant, asserunt Doctores non pauci, vt constabit ex ijs, quæ dicam infra, cum de dispari cultu sermo fuerit. Id tamen verum erit, dummodo concurrant ea, quæ necessaria sunt, vt consuetudo legem abrogare possit, & inducere.

Duæ primæ conditiones ad consuetudinis robur explicantur.

CAPVT V.

SVMMARIVM.

Consuetudo debet esse rationabilis, num. 1.
Quomodo ea conditio intelligatur, vera explicatio, num. 2.
Discrimen inter consuetudinem, & præscriptionem, num. 3.
Requiritur etiam cursus temporis, num. 4.
Quomodo determinandum tempus variæ sententiæ ibidem & num. 5. & 6.
Iure Hispano determinatum esse tempus licet abrogata ea lex videatur, num. 7.
Iure Pontificio, & ciuili non esse definitum tempus num. 8.
Arbitrio prudentis iudicis relinquendum, numero 9.

1 VT autem cõsuetudo vim habeat, necessarium est, quod consuetudo rationabilis sit. Rerum enim impossibilium, aut turpium nulla est obligatio *l. impossibilium 185. de regul. iuris & l. generaliter de V. O.* cum enim consuetudo vim legis habeat, lex autem honesta sit necesse est, pariter etiam oportet, vt consuetudo rationabilis sit *capit. fin. de consuetudine*, & ibi glossa v. *rationabilis l. quod non ratione 39. D. de legibus.* Vsum enim esse grauissimum iuris censorem, & exploratorem, vt non possit non æquum esse, & vtile, quod is probauit sæpius facto periculo, dixit quodam loco Liuius. Nam certè siquid mali inueheret consuetudo, vt multa iniqua moribus recepta sunt, facere deberemus magistram iniquitatis consuetudinem.

2 Sed in explicando, quæ dicatur esse rationabilis consuetudo, multi laborant. Videndus Menochius consilio 52. numero 131. Nonnulli relinquunt arbitrio iudicis, qui considerabit, an finis consuetudinis sit bonus vel malus. Sic Abbas in *dict. capit. fin. de consuetudine.* Scheneuduuinus *iustit. de iure naturali §. ex non scripto* numero 4. in fine Vvesembechius in Paratitlis de legibus numero 9. versiculo *materia circa quam.* Verum breuiter id explicandum est. Cum dicimus rationabilem esse debere consuetudinem, non ita intelligendum est, quasi irrationalis sit omnis consuetudo eo ipso, quo est contra legem; Sic enim nulla cõsuetudo rationabilis esset, quæ pugnaret cum lege, quam euertere molitur. Sed ita intelligendum, vt alias, & semota ea lege, quam euertit, turpitudinem, aut deformitatem non contineat, siue contra legem diuinam, aut naturalem, aut rationis æquitatem, quæ lex aut æquitatis ratio vigeret etiam secluſa ea lege, quam euertit. Inde rectè dictum est consuetudine non præscribi iure diuino, Baldus *in lege secunda C. de vsuris, capite ad audientiam, capite venerabilis, capite finali, & ibi Doctores de consuetudine.* Neque etiam iuri naturali. Atque hæc doctrina est, quæ asseritur in *capite mala consue-*

consuetudo, cap. veritatem, cap. consuetudinem, & aliis distinctione 8. & cap. vsus, cum aliis distinctione 11. Ideo etiam edixit Iustinianus nouella 134. *Quæ improbè excogitata sunt, ea ne longa quidem consuetudine confirmari volumus.* Et Basilius epist. 80. ad Eustathium Monachum inquit. *Non putamus æquum esse, vt quæ apud ipsos obtinuit loquendi consuetudo, pro lege, & canone habeatur rectæ doctrinæ.* Recte itaque Demosthenes in oratione contra Androtionem: *Ne dicas, inquit, quod factum sit hoc sæpe, sed quod sic oportuerit fieri.* Exornat hunc locum Balduinus *instit. de iure naturali §. ex non scripto.* Vnde non satis attente considerarunt rem istam Rochus de Curte in repetitione ad tex. *in cap. finali de consuetudine*, & Felinus *in cap. 2. de maiorit. & obedient.* dum dixerunt irrationabilem vsum diuturnitate, & immemoriali tempore transire in rationabilem, nisi pugnet cum humana aut diuina lege. Omnis quidem vsus, quo euertitur lex initio irrationalis est, quia contra eam legem est, non tamen id significant Doctores, cum exigunt in cõsuetudine, vt rationalis sit, vt explicatum est. Atque hinc ortum habet doctrina Iasonis *in l. de quibus 32. D. de legibus* num. 49. ad inducendam consuetudinem nõ esse necessarium titulum, neque bonam fidem. Omnis enim consuetudo, qua lex aliqua euertitur, non potest incipere cum bona fide, cum primi peccent contra legem scriptam. Quare nõ placet quod Bartolus in *d. l. de quibus*, num. 11. exigit, in consuetudine principiũ rationabile, id est, vt non ex errore, sed ex certa scientia inducta consuetudo sit: non enim attenditur principium consuetudinis, vt dictum est, & quia sæpe ignorari necesse est in vetustis rebus principium, quo introductæ sunt *l. si arbiter 28. D. de probat.* Et quamuis oppositum dicat Suarez lib. 7. de legib. cap. 12. sine fundamento tamen. Non enim aduertit, quæ allegat iura, nihil probare, quæ consensum populi requirunt, quia eius est legem condere, requiritur autem scientia Principis, aut eius, ad quem pertinet.

3 Ex quibus etiam intelligitur discrimen inter consuetudinem, & præscriptionem, quia consuetudo introduci potest contra legem humanam actibus à principio iniustis, & cum mala fide, præscriptio autem introduci non potest, nisi actibus à principio iustis, & cum bona fide. Vnde mala fides in consuetudine purgari potest, in præscriptione non potest. Cuius ratio apud iuris peritos ignota ea est. Quia cum præscriptio talis potestatis sit, vt auferat dominium à vero Domino, sola concessione legis, vt lites, & contentiones euitentur, necessarium fuit, vt hoc tantum concederetur possidenti rem alienam à principio bona fide. Nam si mala fide quis rem alienam inciperet possidere, iniquum esset, vt ei concederetur eius rei dominium, aliàs facile esset rem alienam rapere, & antiquo tempore præscribere. Quamuis ergo lex humana rectè potuerit ius præscriptionis constituere, non tamen potuit illud concedere rem alienam mala fide possidentibus. At verò vt consuetudo legem vincat, non habet ex virtute propria, sed ex accedente consensu Principis tacito vel expresso, vt dicam capit. sequenti, qui potest legem suam abrogare, ac proinde etiam si vsus incipiat mala fide, ex superueniente tamen consensu Principis efficitur licitus, & mala fides purificatur lege antiqua cessante. Quam discriminis rationem eleganter nobis tradidit Gabriel Vazquez 2. tomo in 1. 2. disputatione 177. capit. 7. numero 64. & 65.

4 Deinde requiritur ad consuetudinem inducendam cursus temporis, hoc est, vt diuturna sit. Sed cuius temporis cursus esse debeat inquiri solet, nec conueniunt. Connanus 1. commentariorum numero 6. & Hothomanus in *§. ex non scripto instituta de iure naturali*, & in epitome ad titulum de legibus numero 4. requirunt tempus immemoriale, cuius nulla extat memoria. Et probant quia consuetudo inueterata dicitur *in l. de quibus 32. D. de legibus.* Et antiquitus probata *l. vltima C. quæ sit longa consuetudo*, & vsus longæuus *lege 2. C. eodem.* Et præterea, quia quod *in §. ex non scripto instituta de iure naturali*, dicitur diuturni mores, alibi appellant morem maiorum *lege penultima D. de iustitia & iure lege quinta D. de iurisdictione, & lege prima §. 1. D. de officio eius, cui mandata est iurisdictio, & lege pœna 9. D. de Parricidijs.* Tantum igitur tempus requiritur, quantum superstitum hominum, neque ætas, neque memoria comprehendunt per textum *in lege secunda §. vltimo iuncta lege secunda §. septimo D. de aqua pluuia arcenda.* Neque improbat hanc sentiendi rationem Duarenus ad titulum de legibus capit. 11. & approbare videtur Balduinus *instit. de iure naturali v.*

diuturni. Alijs probatur id quod iure canonico receptum est 30 annorum debere esse tẽpus receptæ consuetudinis: docet Vvesenbechius in Paratitlis de legib. nu. 9. & alij, quos refert Osualdus in Epitome Donelli lib. 1. cap. 10. in notatis litera E.

5 At Ioannes Scheneiduuinus §. *ex non scripto Institutæ de Iure naturali* num 5. sic distinguit. Si consuetudo sit siue præter, siue cõtra ius ciuile decem annorum tempus requiritur. Si vero sit præter ius canonicum decennium non sufficit. Quod si sit contra ius canonicum, quadraginta annorum spatium requiritur, illudque computandum ab initio primi actus, si constare possit. Excipit ab hac regula quando consuetudo est contra ea, quæ sunt Principi reseruata: tũc enim multo longius tempus requiritur. Fere idẽ cum Scheneiduuino sentit Gregor. Lopez citatis alijs *l. 5. tit. 2. part. 1. v. diez, ò veynte años.*

6 Communis Doctorum sententia requirit decennium. Sic Donellus d. lib. 1. ca. 10. & alij complures, quos refert Osualdus ibidem in notatis litera E. & Gail lib. 2. obseruat. c. 31. n. 3. & Franciscus Suarez d. li. 7. de legib. cap. 15. num. 5. Nam §. 9. *Inst. de Iure naturali* dicitur *diuturna consuetudo*, & in *l. 35. D. de legib.* dicitur *longa*. D. longum autem tempus in iure decennium significatur *l. penult. D. de præscript. longi temporis.* Alij denique aliter distinguunt, & decem annorum consuetudinem requirunt inter præsentes, & viginti inter absentes, docet Azo in sua summa *C. quæ sit longa consuetudo*, columna 1. & alij.

7 Sed vt veritatẽ distinctè explicemus, procedamus per partes. Primo quod attinet ad ius nostri Regni, illud videtur cõstitutũ, vt satis sit decem annorũ consuetudo inter præsentes, viginti inter absentes. Nã *l. 5. tit. 2. part. 1.* Sic habetur *Etal pueblo como este, ò la mayor parte del, si vsaren diez, ò veynte años à fazer alguna cosa como en manera de costumbre & e. puedanla fazer, è deua ser tenuda, è guardada por costumbre &c.* Legem autem hanc Alphõ si Regis loqui de consuetudine circa homi num facta inducenda, non verò de præscriptione circa personas vel iura, planum est ex contextu. Quam ita intelligendam vt decẽnium inter præsentes exigat, viginti inter absentes, quamuis reclamet ibi Gregorius Lopez, demonstrat tamen contra illum optimè Gabriel Vazquez disput. cit. cap. 3. Nisi enim ea ratione intelligatur, nulla commoda ratio reddi potest. Cur dixerit decem aut viginti annos requiri, magis, quam decem, vel quindecim, vel triginta. Posse autem Principem sua lege designare tempus, quo velit consuetudinem obseruatam vim legis habere, dubitari non potest, & ostendit Gabriel Vazquez capit. citat. existimo tamen eam Alphonsi legem hodie in Hispania non vigere, sed contraria consuetudine abrogatam, vt idem Auctor sentire videtur, & Franciscus Suarez d. lib. 7. cap. 15. num. 7.

8 Deinde dico neque ex iure ciuili, neque ex Pontificio posse colligi certum, & definitum tempus exigi ad inducendam cõsuetudinem. Et inprimis quod attinet ad ius ciuile sic ostendo. Nam ex eo quod requiratur longa consuetudo, vel diuturna, nõ colligitur exigi decennium, vt existimauit Donellus. Ea enim illarum vocum significatio non est in iure perpetua, neque constans. Diu enim non semper significare decennium, probat mihi textus *in l. 56. D. locati*, vbi biennium significat, & *in l. 2. §. 2. D. de re militari*, vbi significat quinquennium si conferatur cum *l. 13. §. vlt. eodẽ titulo*. Longum etiam ac diuturnum tempus quadraginta annos significare, probat Cuiacius li. 18. obseruat. cap. 28. *ex l. 57. §. 1. D. de ritu nuptiar. & l. 12. C. de præscript. triginta annorum.* Ex eo etiam quod in præscriptionibus requiratur decennium, non satis firmo fundamento colligitur. Latum enim discrimen est inter præscriptionem, & consuetudinẽ. Vnde merito Antonius Fab. 1. iurisprud. principio 2. illat. 11. reprehendit eos, qui cõsuetudinem cum præscriptione confundũt. Nam in præscriptione nullum ius adquiritur, ni præscribenti, & contra eos solum, cõtra quos præscribitur, & in tantum, in quantum possedit præscribens, vel quasi possedit. At consuetudo adquirit ius in vniuersum omnibus, contra nullum autem præscribit, id quod pauci attendunt. Nam si contra aliquem præscriberet, maximè contra Principem, vel legis auctorem. Contra hunc autem minimè, cum nulla consuetudo, siue præter ius, siue contra ius, vim legis habeat, nisi ex eius consensu tacito vel expresso. Quod si ex eius consensu lex est consuetudo, & præualet, nec præscribit contra Principem, sed eo volente inducitur, quod etiã acutè cõsiderauit Gabriel Vazquez disput. citat. capit. 5. num. 43. Vnde minus verè Suarez d. cap. 15. num. 8. & alij non pauci distinguunt de consuetudine præcripta aut non præscripta, dum volunt vtramque vim legis habere, cum tamẽ nulla in consuetudine præs-

præscriptio sit. Atque ex eodem fundamento deducitur nihil etiam certi iure canonico definitum esse. Nam *cap. 3. de consuetudine in 6.* agitur de præscriptione contra personas, vt manifestè constat: ostendimus autem diuersam esse rationem, & præscriptionis, & consuetudinis. At in *cap. fin. de consuetudine* tantum dicitur præscriptam consuetudinem vim legis habere, quando autem legitimè præscripta iudicetur, non definitur.

9 Quare longè verius, & æquitati conformius, & rationi existimo, siue loquamur Hispano iure, siue ciuili, siue Pōtificio, tempus hoc sufficiens ad inducendam consuetudinem arbitrio prudentis relinquendum esse. Vnde Cuiacius lib. 20. obseruat. cap. 1. iudicis arbitrio hoc definiendum relinquit, qui pro negotij qualitate modo breuius, modo longius tempus statuet, sequitur Corras. ad *l. 71. de legibus*, nu. 8. Anton. Fab. ad *l. 38. D. de legibus*. Quantumcumque tempus sufficere dicit, modo adsit pluralitas actuum, & vniformitas. Idem Duarenus de legib. c. 11. argumento textus in *l. 1. de iure deliberandi*. Cum enim non definitur tempus, ostēditur in ius dicentis potestate esse, quem diem præstituat, & vt monet Aristot. 1. rhetoricorum in his quæ lege definita nō sunt, melius est iudicis arbitrio relinquere. Sequitur Osualdus d. cap. 10. in not. litera F. & Gabriel Vazquez disput. cit. cap. 5.

Duæ aliæ conditiones consuetudinis explicantur.

CAPVT VI.

SVMMARIVM.

Ad consuetudinem requiri vsum crebro iteratum, num. 1.
Arbitrio iudicis relinqui numerum actuum ibidem.
Non requiri vt actus sint iudiciales, num. 2.
Obijcitur, & diluitur. num. 3. 4.
Requiritur etiam consensus Principis tacitus vel expressus alias nullius vigoris erit consuetudo, num. 5.
Debet esse consensus Principis non tantum permittentis, sed approbantis, num. 6.
Non satis præsumitur consensus Principis ex doctrina in cap. fin. de consuetudine, num. 7.
Explicatur cap. consuetudinis d. 11. num. 8.
Eandem vim esse consuetudinis, licet reprobetur per legem, explicatur distinctè, num. 9.
Vt consuetudo deroget legi parum ad rem facere, quod sequatur scandalum, vel non sequatur, num. 10.

1 REquiritur tertio ad inducendam consuetudinem vsus crebro iteratus, actuumque frequentia. Facit text. *in d. §. ex non scripto instit. de iure naturali. Verbo diuturni mores, & in l. 1. C. quæ sit longa consuetudo, ibi, quæ in oppido frequenter in eodem controuers. genere seruata sunt, & l. an in totum 3. in fine C. de ædificijs priuat.* Quot autem requirantur actus dissensio est. Rem late examinat Menoch. lib. 2. de Arbitr. iud. centuria 1. casu 81. Scheneiduuinus *instit. de iure naturali §. ex non scripto* nu. 6. Vvesembech. in Parat. de legib. num. 9. vers. *ad inducendam*. Suarez citat. alijs lib. 7. de legib. cap. 10. Nonnulli vnum actum, perseuerantem tamen, sufficere voluerunt. alij duos. Sed neutrum placet. Quia non esset ex vno actu vel duobus notoria, & manifesta consuetudo, quod requiritur, cum fieri posset, vt populus vel per errorem, vel per ignorantiā, aut etiam scandalum forte non reciperet. Præterea requiritur, vt frequenter in vsu fuerit *l. 1. C. quæ sit longa consuetudo*. Frequenter autem fit non quod bis, sed quod crebrò fit, & assiduè *l. 15. §. aliud 22. D. de iniurijs*. Alij, si actus iudiciales fuerint, duos sufficere volunt, quod docent non pauci Doctores, quos refert Osualdus d. cap. 10. litera G. Eorum tamen sententiam plenè refellit Suarez d. cap. 11. a num. 12. Quare verosimilius est arbitrio iudicis relinquendum, vt docet Connanus 1. comment. cap. 10. Duarenus de legib. cap. 11. Scheneduuinus, & Vvesembechius locis cit. Borcholthen. *in §. ex non scripto, instit. de iure naturali* num. 2. cit. alijs, & Franciscus Suarez d. lib. 7. capit. 10. cum alijs.

2 Sed illud addendum est non requiri, vt illi actus iudiciales sint, neque quod in contradictorio iudicio pro ea consuetudine lata sententia fuerit. Sic docet Donellus lib. 1. comment. cap. 10. Osualdus ibidem litera H. Cuiacius lib. 20. obseruat. cap. 1. Corrasius ad l. 38. de legibus. Anton. Fab. 1. Iuris prudentiæ principio 2. illatione 1. Gail lib. 2. obseruat. cap. 31. num. 8. Vvesembechius loco cit. Scheneiduuinus loco cit. num. 6. & ex Theologis citatis alijs Gabriel Vazquez disput. cit. ca. 6. & Franciscus Suarez d. lib. 7. cap. 11. Idque breuiter hisce probatur argumentis. Et primo quia rerum iudicatarū auctoritas non inducit consuetudinem, sed

probat. Vnde *l.* 38. *de legibus* cōsue tudo à rerum iudicatarum auctoritate secernitur per particulam, *aut*, quæ disiunctionis nota est. Deinde quia vera causa consuetudinis est Principis, aut populi consensus, qui non minus animum suum actibus extraiudicialibus, quam iudicialibus declarare possunt. Præterea multo maioris auctoritatis videtur esse longo tempore, & sine dubitatione confirmatus vsus, quam quod in contradictorio iudicio fuerit obtentum.

3 Sed his obstare videtur in primis Vlpianus *in leg.* 34. *de legib.* vbi id maxime inspiciendum præcipit in consuetudine, an in contradictorio iudicio firmata sit. Sed respondetur cum Donello loco citato illud consilium esse non iussum, & vtilem esse explorationem illam, tum vt releuetur allegans onere probandi tùm, vt certior sit probatæ consuetudinis fides.

4 Deinde obstare videtur text. *in dict. lege quinta titul. 2. partit.* 1. vbi expresse dicitur, *Deue ser tenida è guardada por costumbre, si en este tiempo mismo fueren dados consejeramente dos iuyzios por ella de homes sabidores, & entendidos de iuzgar.* In cuius legis interpretatione valde laborant nostri Regni Scriptores, quos refert, & refellit Gabriel Vazquez disput. citat. cap. 6. illis autem reiectis existimat ipse licet iure ciuili, atque canonico non requirantur actus iudiciales, requiri tamen Hispanorum iure ex hac lege. Sed certè absurdissimam sententiam tribuit prædictæ legi huiusmodi interpretatio. Inuoluit enim ea conditio manifestam repugnantiam. Si enim duæ illæ sententiæ essent necessariæ, numquam prima sententia iustè proferri potuisset, cum non esset valida consuetudo. Quare hoc argumento ea reiecta interpretatione, aliam subijcit Franciscus Suarez d. cap. 11. num. 7. scilicet duas esse illius legis partes. Prima est consuetudinem esse introductam, & suum effectum habere: & ad hoc tantum requiri decem vel viginti annorum spatium. Secunda est, quod talis consuetudo sit irreuocabilis ex virtute, & ordinatione illius legis, & ad hoc requiri duos illos actus iudiciales. Sed neque ea interpretatio subsistit. Nam consuetudo, ex quo habet suum effectum, & introducta est, irreuocabilis est, nisi posteriori aliqua lege, aut alia consuetudine contraria reuocetur, quæ etiam ratione post duas illas sententias reuocari potest. Itaque nulla consuetudo est, quæ reuocari non possit, omnis autem habet vim legis statim atque introducta est. Ergo non restat aliquid in consuetudine, ad quod illi duo actus requirantur. Quare ego sic existimo vocem illam Hispanam si, in prædicta lege non esse conditionalem, sed idem valere, atque, *maximè*; ita vt non exigat Alphonsus pro conditione ad inducendam consuetudinem duos illos actus iudiciales, sed ex superabundanti, quasi dicat: Habet vim consuetudo decem vel viginti annorum tempore confirmata, maximè autem vim habet, si pro ea bis iudicatum sit.

5 Denique præter ea, quæ dicta sunt, præcipuè requiritur, vt approbetur consuetudo tacito vel expresso consensu Principis, vel eius ad quem pertineat potestas cōdendi leges: aliàs nullius roboris erit consuetudo. In quo melius loquuti sunt glossa, Panormitanus, & Hostiensis quam Thomas Sanctius. Quæ doctrina colligi videtur ex *lege sed, & ea & l. de quibus D. de legibus*, & innititur optima ratione. Quia eiusdem potestatis esse debet legem condere, & abrogare. Quare cum solus Princeps possit legem ferre, eiusdem tantum erit abrogare: vt vero consuetudo legem abroget, necessarium est accedat consensus Principis tacitus vel expressus circa illam: Quandiu enim ille consentire non præsumitur, resistere censetur, resistente autem Principe, nulla consuetudo locum habet. Neq; quoad hoc discrimen est inter leges Ecclesiasticas, & ciuiles, quanuis Pontifex habeat potestatem à Christo, & Princeps sæcularis à populo. Ex quo enim populus transtulit absolutam potestatem in Principem, illa irreuocabilis est, nec dependens ab eorum consensu, vt inter alios optimè explicat Gabriel Vazquez disput. citat. capit. 2. numero 16. & 21.

6 Debet autem præsumi consensus nō tantum permittentis Principis, vt existimauit Vvesembechius in Paratitlis de legibus numero 9. sed etiam approbantis, vt consuetudo vim legis habeat, vt docet Gabriel Vazquez loco citato, & Suarez dict. lib. 7. capit. 12. circa fin. Id quod meo iudicio non obscurè colligitur ex *cap. super eo, de cognatione spirituali, ibi, verum si de consuetudine habeatur, vt talia coniugia permittantur in Ecclesia tua, dissimulare poteris, ita quod nec contradicere, nec tamen videaris præstare assensum. Quia sicut graue est antiquam consuetudinem cum adiacentium Ecclesiarum super ijs contemnere,*

nere, sic quoq; grauius videtur, si propterea huiusmodi coniugijs tuum indulgeas assensum, cum possit sic in exemplum assumi. Igitur vt assumetur in exemplum, hoc est, vt vim obtineret legis, necessarium erat, non tantum vt permitteretur à Principe consuetudo, sed vt illi etiam præstaret assensum. Probat etiam planè text. in *dict. l. de quibus.* Si enim in ea requiritur consensus populi, qui legem potest ferre, consensus quidem populi, qui suis actibus eam inducit consuetudinem, non est tantum permittentis populi consensus, sed etiam approbantis.

7 Nec vero satis est ad consensum Principis approbantis præsumendum generalis illa doctrina in *capit. final. de consuetudine*, vt dicebat Thomas Sanchez, quem sequitur Suarez loco citato. Idque probatur ex textu in *dict. leg. de quibus*, iuxta considerationem præmissam. Si enim actibus populi inducitur consuetudo, penes quem est potestas leges condendi, ergo est specialis consensus legis, & non generalis. Quare in eo *capit. fin.* solum traditur generalis doctrina, quæ explicat vim consuetudinis approbatæ à Principe. Sicut ergo re ipsa, vt sæpe contingit, non omnis consuetudo probatur à Principe, sed aliæ approbantur, aliæ tantum permittuntur, non potest ob vniuersalem illam doctrinam, in quauis consuetudine præsumi approbatio. Et cum consuetudo specialis quædam tacita lex sit, specialis etiam Principis consensus præsumendus est circa materiam illam, sicut & requiritur ad leges aliquas in speciali ferendas. Nec præsumi potest, nec debet solo illo generali iure explicato in *dict. capit. fin.* voluisse Principem tacitum suum consensum in quauis speciali consuetudine præsumi posse, cum multis consuetudinibus se se opponat. Non igitur præsumendus consensus, nisi præsumatur etiam specialem illam consuetudinem ad eius cognitionem deueniisse, & approbatam. Neque sine fundamento iuris, & rationis, vt Suarez existimat, illum specialem consensum exigimus, vt ex dictis constat. Quamuis autem in dict. capit. fin. non exprimatur ad valorem consuetudinis requiri, habetur tamen in illis verbis, *legitime præscripta.* Quæ autem requirantur ex ratione colligenda sunt, & ex alijs capitibus.

8 Atque ex his, quæ dicta sunt, pendus intellectus ad *caput consuetudinis distinct. 11. consuetudinis, vsusque longæui non vilis authoritas est; sed non vsque adeo sui valitura momento, vt & rationem vincat, aut legem.* Quod caput desumptum ex *lege secunda Imperatoris Constantini C. quæsit longa consuetudo.* In eius autem explicatione multum laborant iuris interpretes. ex dictis autem explanatur facile. Nec enim negatur consuetudini vis legem vincendi, sed tantum asseritur id non habere consuetudinem ex sui momento, hoc est, ex sua ratione, sed aliunde, scilicet ex adiuncto Principis consensu. Quasi diceretur apertius: magnam auctoritatem habet consuetudo, eam autem non habet ex vi sua, sed ex consensu Principis, quantumuis enim ea sit actibus humanis confirmata, nisi is accedat, præualere non poterit contra legem, aut contra rationem legis. Nec huic interpretationi obstat quod in Republica, quæ populari consensu regitur, ipsa consuetudo ex se vim habeat vincēdi legē. Quamuis enim ijsdem actibus, quibus introducitur, confirmetur, cum adsit consensus legislatorum: at accidentarium est id consuetudini; cum ea duo, scilicet, consuetudo & consensus legislatorum separari possint, & reuera separantur in Monarchica gubernatione. Atque hic mihi legitimus dictæ legis videtur sensus, quo tollitur antinomia cum *dict. leg. de quibus verbo rectissimi D. de legibus*, in quibus conciliandis parum feliciter laborarunt hactenus iuris ciuilis interpretes, quorum omnium interpretationes refert, & resellit Nicolaus Genoa in conciliat. Legum pagina mihi 431. & denique lectori aliquid melius cogitandum relinquit, sibi enim nihil satisfacere affirmat Videndus etiam Osualdus dict. lib. 1. capit. 10. litera I. sed præcipuè litera L.

9 Addendum tandem est consuetudinem vim habere legem abrogandi, quanuis per legem reprobetur, siue simpliciter reprobata sit consuetudo præterita, quod necessarium est vt consuetudo reuocata censeatur, *Cap. 1. de constitut. in 6. ibi. Quia tamen locorum specialium, & personarum consuetudines, & statuta, cum sint facti, & in facto consistant, possunt probabiliter ignorari ab ipsis, dumtamen sint rationabilia per constitutionem à se nouiter editam, nisi expresse caueatur in ipsa, non intelligitur in aliquo derogare: siue reprobata sit consuetudo futura,*

cauendo

cauendo scilicet, ne in posterum introducatur: potest enim denuo induci noua sese lapsu temporis ostendente ratione, quæ Principem latuit, cum eam iterum introduci prohibuit. Cum enim consuetudo ex consensu Principis tantum vim habeat, sicut Princeps legem, quam improbauit semel, iterum potest restituere, non secus valet consuetudo iam abrogata, cum ab eius consensu pendeat etiam confirmatio consuetudinis. Id, quod docuit optime Couarruuias libro 3. variarum capite 13. numero 4. & Nauarrus de spolijs Clericorum §. 15. numero 8. Excipe nisi reprobata sit vt irrationalis, vt cum lege dicitur eam consuetudinem corruptelam esse, eo enim indicatur illam consuetudinem secluſa lege derogante turpem esse. Quare non est peculiaris aliqua difficultas quoad hunc effectum abrogandi legem Ecclsiasticam per consuetudinem in matrimonij impedimentorum materia, ac in alijs materijs.

10 Ex his fit, vt consuetudine dicamus derogari legi, parum ad rem facere scandalum, quod ex eius omissione generari possit. Nam si consuetudo reprobata est, vt irrationabilis, scandalum erit tantum passiuum, non actiuum, cuius nulla habenda est ratio, si ex malitia sit. Si verò ex ignorantia, aut fragilitate, admonendus frater erit, iuxta generalia principia in materia de scandalo, & dicta supra libro præcedenti, vt sibi persuadeat consuetudinem illam non habere vim legis: atque adeò eum, qui contra consuetudinem eo in casu operatur, rectè agere, cum eius actio consonet legi, & dissonet ab irrationabili consuetudine. Si verò sit tantum simpliciter reprobata consuetudo, aut obtinet denuò vim contra legem, aut secus, neque enim inter hæc medium aliquod excogitari potest. Si obtinet, inductum iam erit consuetudine impedimentum, vel ablatum, ac si lex ipsa abstuliſſet, aut induxiſſet, atque adeò seruanda, non ob scandalum, sed quia consensus adest Principis. Atque hic est sensus eorum Canonum, quibus interpretum Iuris Canonici distinctio nitebatur, *capit. 1. de cognatione spirituali*, ibi, *Nisi consuetudo Ecclesiæ, quæ scandalum generet, aliter se habere noscatur: & cap. super eo, eodem titulo*, verbis supra citatis, *& capit. quod dilecto, de consanguinitate, & affinitate*, ibi, *Vnde in hac parte consultius duximus multitudini, & obseruantiæ consuetudini deferendum, quam aliud in dissensionem, & scandalum populi statuendum quadam adhibita nouitate.* Eo enim ipso, quod Pontifices deferendum iudicabant cõsuetudini, eorum consensus accedebat, ratione cuius obtinebat vim; non verò ratione scandali, licèt ob euitandum scandalum induceretur Summus Pontifex, vt consuetudinem in illis casibus approbaret. Quod si consuetudo reprobata nondum vincit legem; quia consensus Principis non præsumitur, quantumuis scandalum sequatur, non dirimet, neque impediet, cum consuetudo illa vim legis non habeat, atque adeò opus contra illam non generet scandalum actiuum, sed passiuum tantum sequatur, vt diximus.

De impedimento interdicti.

CAPVT VII.

SVMMARIVM.

Interdictum impedire, & quid intelligatur nomine interdicti, num. 1

Interdictum parochi non reddit nullum matrimonium. Quid de Pontifice quæritur, numero 2.

Simplex interdictum Pontificis non irritat matrimonium, num. 3.

Id verum, siue interdicat lege, aut præcepto, siue ex causa perpetua, aut temporali numero 4.

Si interdicat cum clausula irritanti, siue ea sit specialis, vel generalis, matrimonium est nullum, num. 5.

Explicantur ex eo nonnulla iura, num. 6.

Pœna imposita contrahentibus contra simplex interdictum, num. 7.

Quale peccatum sit contrahere contra interdictũ Ecclesiæ, num. 8.

Quid dicendum de sponsalibus contractis contra prohibitionem, num. 9.

INTERDICTVM quidem impedit cõtrahere matrimonium ex communi, certaque sententia, siue eo nomine intelligas Ecclesiæ prohibitionem, qua vetuit ne clam ineantur matrimonia, quæ superioribus annis etiam clam inita valebant, nunc autem inualida sunt: vel prohibitionem, ne sine denũtiationibus contrahatur, quibus quidem etiam hodie omissis matrimonium valet, de quo late supra libro præcedenti. Interdicti etiam nomine potissimum in præsenti materia intelligo pro-

prohibitionem hominis interdicentis contrahere matrimonium ob temporalem aliquam causam, scilicet, vel ad sedandum scandalum, vel ad discutiendam veritatem circa aliquod impedimentum, vel ne orian tur graues aliquæ rixæ, vel ob alicuius festi venerationem.

2 Cæterùm cum interdicere possit ad tempus, ne contrahatur matrimonium, & Pontifex, & Episcopus, & etiam Parochus, vt ex antiquis docuit Paludanus in quarto distinct. 34. quæstion. 1. artic. 1. concluf. 4. Syluester *matrimonium* 7. quæst. 1. numero 2. ex Recentioribus Nauarrus in summa capit. 12. numero 68. Emanuel Sa de impedimentis matrimonij non dirimentibus numero 1. & citatis alijs Thomas Sanchez lib. 7. disp. 6. num. 6. certum est inprimis interdictum parochi, non reddere nullum matrimonium, si contra interdictum celebretur, quia non spectat ad parochum personas inhabiles reddere ad matrimonium. Solùm ergò de Pontificis interdicto nunc, & olim de Episcopi prohibitione dubitari potest. An suo interdicto reddant inualidum matrimonium post contractum: vt enim dixi supra hoc libro capite primo, ad Episcopos olim de iure pertinuit etiam impedimenta dirimentia constituere. Atque id quod nunc de Pontifice quæritur, locum etiam habet, tam in eius interdicto circa matrimonium infidelium sibi subditorum tanquam temporali Domino, & in interdicto Principis fidelis sæcularis circa infideles sibi subiectos, & in prohibitione etiam Principis infidelis, si prohiberet alicui, ne matrimonium iniret, cum penes hos omnes iuxta dicta cap. 1. resideat potestas impedimenta etiam dirimentia constituendi.

3 In eo igitur, an valeat matrimonium post interdictum contractum variè Doctores sentiunt, & satis obscurè loquuntur, à quorum opinionibus recensendis abstinebo, meam breuiter, & distinctè proponens. In primis si interdictum matrimonij ineundi simplex sit, & sine clausula, quæ irritum reddat matrimonium post contractum, matrimonium irritum valet. Communis hic sensus Doctorum est, expressaque decisio Benedicti Pontificis *in capit. 2. de matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ*, & habetur in Appendice Concilij Lateranensis, sub Alexandro III. part. 6. c. 28. ibi enim in fine hæc habentur. *Licet enim contra interdictum Ecclesiæ ad secunda vota transire nequaquam debuerit, conueniens non videtur vt obid solum Sacramentum coniugij dissoluatur. Alia enim pœna debebat eis imponi, quod contra prohibitionem Ecclesiæ hoc fecerunt.* Et quidem merito id statuerunt Pontifices, cum enim grauissima res sit matrimonij irritatio, aut dissolutio, non debuit nuda ac simplici prohibitione reddi nullum. Adde etiam iuxta ea, quæ dixi lib. præcedenti ex lege prohibente non colligi nullum esse quod secus factū fuerit, nisi in casibus, quos ibi expressimus.

4 Hæc autem doctrina verum habet, siue Pontificia prohibitio sit lata aliqua constitutione, vel præcepto. Nam quod ad præsens institutum attinet, discrimen inter ista duo non assequor. Quid enim interest, an constitutione prohibeatur matrimonium, an præcepto aliquo, vt irritum reddatur post contractum. Sentiuntque in hoc nobiscum Couarruuias 4. decretal. 2. part. de matrimon. capit. 6. in principio numero 6. Ludouicus Lopez 2. part. instructorij conscientiæ de matrimonio ca. 46. §. *Porro aduertendum*, Vtualdus in candelabro de sacramentis 1. part. de matrimonio numero 83. & alij. Eadem quoque doctrina vera est siue causa prohibitionis sit temporalis, siue perpetua. Nam siue temporalis, siue perpetua sit, simplici prohibitione, si alia non adsint, quæ dixi lib. præcedenti, non redditur nullum quod secus actum fuerit.

5 At si in eo interdicto vel prohibitione adhibeatur clausula irritans, existimo nullum esse matrimonium post contractū. Id quod verum censeo siue causa sit temporalis, siue perpetua, siue clausula irritans sit generalis, qua irritum reddatur, quidquid secus fuerit attentatum, siue sit clausula specialis mentionem faciens matrimonij. Quâ uis enim in his euentibus distinguant Doctores nonnulli, & inter eos Thomas Sanchez lib. 7. disput. 2 concluf. 3. & 4. Ego tamen nullam inuenio diuersitatis rationem. Ad id moueor, quia Pontifex iuxta dicta supra hoc lib. cap. 3. potest inhabilem reddere quamcumque personam in singulari iusta subsistente causa, ne contrahat matrimonium. Ergo etiam ex causa temporali, si illam iustam esse iudicauerit, poterit inhabilem aliquem ad matrimonium ineundum efficere. Vnde iure optimo non pauci Doctores nullam distinctionem admiserunt

sunt inter clausulam irritantem ex causa perpetua vel temporali, quos refert idem Thomas Sanchez ibidem numero 7. Quod etiam eadem doctrina vera sit, siue clausula sit generalis, siue specialis mihi persuadeo, quia verba ea generalia post prohibitionem de ineundo matrimonio planè etiam comprehendunt matrimonium: aliàs non video quem effectum sortiantur. Pone etiam lite pendenti super validitate sponsalium cum fœmina illum contrahere de præsenti post prohibitionem cum clausula generali irritanti, si ea non reddit inualidum matrimonium, quid erit post eam prohibitionem irritum, aut quid aliud euenire potest, quod magis sit in præiudicium tertij, cũ quo lis interuenit, aut quod magis irritum esse expediat, si secus attentatum, quam matrimonium? Ergo ea verba matrimonium nullum reddere intendunt siquid aliud. Nullum ergo discrimen est, quod ad istam rem attinet inter clausulam generalem irritantem, & specialem. Vnde & in eo non distinxere non pauci, quos refert Thomas Sanchez ibidem numero 4. 6. 7. & 8. Quod enim vt aliquæ leges irritæ reddantur per posteriores, exigant specialem earum mentionem, & non satis illis deroge tur per clausulas generales, ortum habet ex speciali ratione, quia in illis cauetur, vt non nisi expressa, & specifica earum mentione facta reuocentur iuxta text. in *cap. 1. de constitut.* Ostendant igitur nobis qui contra sentiunt quo iure caueatur, aut vnde conuincant, necessariam esse specificam de matrimonio mentionem, vt post eam prohibitio nem cum clausula generali irritanti non sit inualidum, si contrahatur.

6 Atque in hunc sensum accipio textum in *cap. ad dissoluendum de desponsat. impub.* vbi hæc habet Innocentius III. *Ne vero quid quam inpuellam interim attentetur, auctoritate Apostolica interdicimus, ne in negotio de nouo procedatur vlterius, donec vel à denuntiatione cessetur vclea probata ordine iudiciario procedatur. Quod si contra interdictum nostrum in præiudicium ipsius aliquid fuerit attẽtatum, id irritum esse decernimus, & viribus omnino carere.* Hactenus Innocentius. Eodem etiam spectat responsum Alexandri III. in *cap. tua fraternitas, de sponsa duorum*, vbi hæc habet. *De his vero, qui coram te super desponsatione facta per consensum mutuum de præsenti, controuersiam mouent, & appellatione pendenti, quam ante sententiam vel cognitionem causæ ad Sedem Apostolicam interponunt, accipiunt alias vxores, hoc arbitramur agendum, vt si à modo in tali casu duxerint appellandum, eis in Ecclesia publicè interdicas, ne ante decisionem causæ aliud contrahant matrimonium, & si contra interdictum Ecclesiæ publicè factum venire præsumpserint, matrimonium tam præsumptuosè contractum poteris irritare.* Irritant quidem isti duo Pontifices matrimonium post eam prohibitionem contractum, non tamen euincunt simplici prohibitione irritum reddi. Idque merito ab illis in eo casu, & tempore constitutum est. Vt enim constat ex eodem Alexandro III. in Appendice Concilij Lateranensis part. 6. capit. 8. 17. & 18. eo tempore quarundam Ecclesiarum consuetudo erat, imo & à prædecessoribus ita iudicatum, vt siquis incognita prima vxore, quam per verba de præsenti duxerat, aliam duceret, eamque cognosceret, secundam retinere cogeretur. Cui consuetudini valide se se opposuit Alexander III. vnde & conueniens tempori, & loco iudicauit statuere, ne lite pendente super validitate matrimonij, ad alia vota transiret: quod si secus faceret, irritum esset matrimonium. Conuincunt itaque isti canones, & esse potestatem in Põtifice inhabiles efficiendi personas aliquas ad contrahendum, & si ea clausula irritans apposita fuerit, nullum fore matrimonium post contractum. Quare non pugnant cum decisione Benedicti in *capit. 2. citat. de matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.*

7 Cæterùm quanuis matrimonium contra simplex interdictum valeat, attamen in pœnam separandi sunt coniuges ad tempus *cap. 1. de matrimonio contra interdictum Ecclesiæ*, non tamen dissoluendum matrimoniũ, in quo sensu decernit Pontifex non esse separandos *cap. 2. eodem titulo* tempus autem quo separati remanere debent arbitrarium est, vt communis tenet Doctorum sententia, eaque imponenda pœna coniugi nocenti, qui reddere debitum poterit, & debebit, nequaquam tamen petere, nisi vterque sit reus. At si periculum incontinentiæ adsit, commutanda ea pœna in aliam. Hinc constat pendente lite super valore matrimonij, vel super appellatione non esse ad aliud transeundum, vt ex dictis constat.

8 At quæri hoc loco potest, quale peccatum sit contrahere contra prohibitionem Ecclesiæ. Nonnulli lethale asserunt, alij tantum veniale, vt refert Emanuel Sa verbo *impedimenta matrimonij non dirimentia* numero

numero primo: ego tamen existimo id decidendum iuxta generalem doctrinam in materia de legibus, pensandumque ex materia & circunstantijs, quando ea prohibitio obliget sub mortali, quando sub veniali: poterit enim contingere, vt aliquando lethalis culpa, aliquando venialis sit transgredream prohibitionem. Frequentius tamen existimarem committi lethalem culpam. Idque colligo, tum ex grauitate materiæ, tum etiam ex pœna apposita separationis scilicet, quæ cum grauis pœna sit, non nisi ob grauem culpam deberet imponi; multoque magis verum est lethalem culpam interuenire, quando prohibitum est sub clausula irritanti, siquis attentet contrahere matrimonium.

9 Ex dictis sequitur quid dicendum de sponsalibus contractis contra prohibitionem etiam, si enim simpliciter interdicantur, valent: sicut valet votum etiam contra prohibitionem emissum, quanuis peccatum sit in emissione voti. At si sub decreto irritanti siue generali, siue speciali, sunt inualida. Quod si matrimonium prohibitum sit ex causa perpetua, non habebunt vim sponsalia contrahendi matrimonium, est enim iniqua promissio, cuius nullum robur est. Si vero sit prohibitum ex causa temporali, valent spōsalia de eo cōtrahendo matrimonio, nisi obligatio sit pro tempore, quo perseuerat impedimentum. Id quod bene aduertit Thomas Sanchez disput. citat. numero 9. vers. *sed quid si Pontifex.*

De impedimento ratione temporis ferialis.

CAPVT VIII.

SVMMARIVM.

Quid agendum, num. 1.
Matrimonij coniunctionem solemnem esse voluit Ecclesia, num. 2.
Idcò prohibitæ nuptiæ aliquibus diebus. Varia decreta, num. 3.
Dicm Epiphaniæ eo decreto comprehendi, numero 4.
Non Sabbathum ante Dominicam aduentus, numero 5.
Quæ prohibeantur illis diebus. Variæ sententiæ. num. 6.
Antiquo iure etiam matrimonij contractus prohibitus, num. 7.
Nunc solemnitatem tantum nuptialem prohibitam, num. 8.
Iā nullum esse peccatum in ducenda vxore illis diebus, num. 9.
Esse peccatum eo tempore benedicere, aut traducere solemniter, num. 10.
Esse mortale, ibidem.
An possit Episcopus dispensare, vt benedicantur, & traducantur sponsi, num. 11.
An possit ministrari solemnitas secundarum nuptiarum illis diebus proponitur, num. 12.
Quidam affirmant, num. 13.
Verius non posse, ibidem.
Neque solam traductionem solemnem aut conuiuia illis diebus non licere. Licet consuetudo in hoc spectanda sit, num. 14.

1 CIRCA impedimentum iisdem examinabo primum, quod ad feriatum tempus attinet. Deinde quod spectat ad tempus interdicti, vel cessationis à Diuinis. Postremo cum ipsi contrahentes excommunicati sunt, vel interdicti.

2 Matrimonialem coniunctionem quæ Ecclesiam sua propagatione multiplicat, semper Ecclesiæ Patres solemnem esse voluerunt, & honore simul ac reuerentia prosecuti sunt. Inde Valentini Concilij Patres apud Hispaniam in fragmentis cap. 10. habeturque apud Burchardum lib. 9. cap. 5. ita sanxerunt, *sponsus, & sponsa cum benedicendi sunt à Sacerdote, à parentibus, vel à Paranymphis in Ecclesia Sacerdoti offerantur: & cum benedictionem acceperint eadem nocte pro reuerentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant.* Quod eisdem verbis antea Carthaginensis 4. Concilij Patres cap. 13. statuerunt. Sed præclare Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum cap. 3. & habetur, cap. *nostrates* 30. q. 5. *Nostrates*, inquit, *tam mares, quam fœminæ non ligaturam auream, vel argenteam, aut ex quo libet metallo compositam, quando nuptialia fœdera contrahunt, in capitibus deferunt, sed post sponsalia, quæ futurarum sunt nuptiarum promissa fœdera, quæque consensu eorum, qui hæc contrahunt, & eorum in quorum potestate sunt, celebrātur: & post quam arrhis sponsam sibi sponsus per digitum fidei à se annulo insignitum despōderit, dotemque vtrique placitam sponsus ei cum scripto pactum hoc continente coram inuitatis ab vtraque parte tradiderit, aut mox aut apto tempore, ne videlicet ante tempus lege definitum tali quid fieri præsumatur, ambo ad nuptialia fœdera perducuntur. Et primum quidem in Ecclesiam Domini*

cum

cum oblationibus, quas offerre debent Deo per Sacerdotis manum ſtatuuntur, ſicque demum benedictionem, & velamen cœleſte ſuſcipiunt, ad exemplum videlicet, quos Dominus primos homines in Paradiſo collocans benedixit eis dicens: creſcite, & multiplicamini. Siquidem, & Tobias, antequam coniugem conueniſſet, oratione cum ea Dominum oraſſe deſcribitur. Verum tamen velamen illud non ſuſcipit, qui ad ſecundas nuptias migrat. Poſt hæc autem de Eccleſia egreſſi coronas in capitibus geſtant, quæ ſemper in Eccleſia ipſa ſunt ſolitæ reſeruari. Hæc Nicolaus. Inde etiam, vt lætitiæ nuptialis modeſtia comes eſſet, Laodiceni Concilij Patres, qua decebat grauitate ſanxerunt cap. 53. *Quod non oporteat Chriſtianos euntes ad nuptias plaudere, vel ſaltare, ſed venerabiliter prandere. Sicut Chriſtianos decet.* Quæ eadem inter fragmenta Ilerdenſis Concilij apud Hiſpanos refert Surius ex vetuſto C. manu ſcripto.

Sed concludamus hæc omnia eleganti teſtimonio Concilij Senonenſis ſub Clemente VII. in decretis morum cap. 39. *Sane cum matrimonium à Deo omnium rerum conditore in Paradiſo, & in ſtatu Innocentiæ inſtitutum fuerit, ſitque teſte Apoſtolo ſacramentum, proinde cum magna reuerentia, ac deuotione ſuſcipiendũ, vtpote in quo, ſicut & in reliquis ſacramentis, gratia conferatur, prohibemus ne in ſponſalibus aut nuptiali benedictione fiant riſus, cachinnationes, aut alia ridicula verba enuntientur, quinimo moneantur affidati quatenus ieiuni, contriti, confeſsi, ac cum multa reuerentia ad hoc ſacramentum accedant. Illum quoque abuſum, qui inualuit in quibuſdam partibus, vt benedictio nuptialis, & Miſſa celebrentur ſtatim poſt mediam noctem, tollimus, & amputamus, ſtatuentes quod talia deinceps non fiant, niſi poſt ortum ſolem, & illuceſcentem diem. Siquidem exemplo pernicioſo interdum compertum eſt ſolemnitates huiuſmodi nuptiales, ſic in latebris, & occulto factas clandeſtinis matrimonijs viam aperuiſſe, & occaſionem dediſſe contemnendi tam excellens ſacramentum, & laſciuias, & ſpurcitias quaſdam committendi.* Hæc Concilium. Sed in nuptijs ineundis petulantiam atque laſciuiam acriter reprehendunt Chryſoſtom. hom. 56. in Geneſim, & 42. in acta, & Ambroſ. ſerm. 80. ad Plebem, & lib. 3. de virginibus, Auguſtinus ſermone de nuptijs in initio.

3 Igitur, & in tanti ſacramenti, & aliquorum dierum venerationem, ad quos rite celebrandos vel luctu, vel ieiunijs, & orationibus diſponi fideles æquum eſt, certis temporibus nuptiarum ſolemnitatem prohibuit. Laodicenum Concilium hæc habet cap. 52. *Quod nõ oportet in Quadrageſima nuptias, nec natalitia celebrare.* Quæ eadem poſtea inſeruit Martinus Bracarẽſis ſuæ collectioni cap. 48. Ilerdenſe inter fragmenta alijs etiam temporibus nuptias celebrari prohibuit hiſce verbis, *Quod non oportet à ſeptuageſima vſque in octauas Paſchæ, & tribus hebdomadibus ante feſtiuitatem Sancti Ioannis Baptiſtæ, & ab Aduentu Domini vſque poſt Epiphaniam nuptias celebrare. Quod ſi factum fuerit ſeparentur.* Nicolaus I. ad conſulta Bulgar. cap. 48. *Vnde nec vxorem ducere, nec conuiuia facere in Quadrageſimali tempore conuenire poſſe nullatenus arbitramur:* quæ quatuor decreta habentur apud Gratianum 33. quæſt. 4. Addidit etiam Concilium Saleguſtadienſe ſub Benedicto Octauo canon 3. *de legitimis autem coniugijs ita viſum eſt. Quod nullus Chriſtianus vxorem ducere debeat ab Aduentu Domini vſque in octauas Epiphaniæ, & à ſeptuageſima vſque in octauas Paſchæ, nec in ſupra notatis 14. diebus ante feſtiuitatem Sancti Ioannis Baptiſtæ, neque in prædictis ieiuniorum diebus, ſiue in omnium ſolemnium dierum præcedentibus noctibus.* Conſtat enim ex eodem Concilio capite 1. 14. dies ante feſtiuitatem Sancti Ioannis Baptiſtæ ieiunium fuiſſe lege ſtabilitum, ſicut & Ilerdenſe trium hebdomadarum ieiunium ante feſtum Sancti Ioannis Baptiſtæ oſtendit vſu receptum, de quo in *capit. capellanus, de ferijs*, Clementina tertia definit, quo pacto debeant intelligi *hi dies* ante natiuitatem Sancti Ioannis. Concilium Rauennatenſe ſecundũ ſub Clemente Quinto capite 19. *Et vt tempora interdicta ad celebrandum nuptias non poſsint aliquando ex ignorantia excuſare, monemus omnes Sacerdotes parochiales maxime, quatenus dicta tempora Dominica ante aduentum, & Dominica ante ſeptuageſimam, & Dominica ante octauam Aſcenſionis Domini ſtudeant publice in Miſſarum ſolemnijs nuntiare, quod nullus celebret nuptias temporibus ab Eccleſia interdictis, ſcilicet à prima Dominica de Aduentu vſque poſt Ephiphaniam, & à Dominica de ſeptuageſima vſque ad octauam Paſchæ, & à tribus diebus ante Aſcenſionem, vſque ad octauam Pentecoſtes.* Toletanum Concilium ſub Sixto Quarto in aduentu, & quadrageſima nuptias celebrari prohibet, quæ referemus infra. Concilium Colonienſe 2. ſub Paulo Tertio, cap. 33. non alio tempore, quam iura permittant. Denique Concilium Tridentinum circa rem iſtam duo edidit decreta. Primum

ſeſſione

Sessione 24. Canone 11. *Si quis dixerit prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem Tyrannicam ab Ethnicorum superstitione profectam, aut benedictionem, aut alias ceremonias, quibus Ecclesia in illis vtitur damnauerit, anathema sit.* In decreto autem de reformatione matrimonij capite 10. hæc habet. *Ab Aduentu Domini nostri Iesu Christi, vsque in diem Epiphaniæ, à feria quarta Cinerum, vsque in octauam Paschatis inclusiue antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obseruari Sancta Synodus præcipit. In alijs vero temporibus nuptias solemniter celebrari permittit, quas Episcopi vt ea, qua decet modestia, & honestate fiant, curabunt, Sancta enim res est matrimonium, & sancte tractandum.* Hi canones extiterunt hactenus in Ecclesia, in quibus varietatem agnoscis, stamus tamen nunc dispositioni Concilij Tridentini.

4 Verum circa huiusmodi decretũ multa explicanda sunt. Primum est. An dies Epiphaniæ ea prohibitione comprehendatur. Dicendum quidem comprehendi, quia Concilium in clausula sequenti addit inclusiue. Quæ particula etiam ad præcedentia referri debet, nam cum antiquis canonibus comprehenderetur, vt ex dictis constat, non est cur dicamus in eo correctum ius antiquum si expresse non fiat ea correctio. Ita sentit Emmanuel Sa verbo, *impedimenta matrimonij non dirimentia*, num. 2. Thomas Sanchez lib. 7. disput. 7. num. 1. circa finem. At quia noctu ante lucem benedictiones nuptiales celebrari olim prohibitum iam vidimus, existimo non cessare huiusmodi prohibitionem vsque ad lucem diei insequentis eum, qui postremus prohibitionis est. Vnde merito Concilium Mediolanense quintũ, sub Diuo Carolo Borromæo ita cauit: *Ne solemnes nuptias liceat celebrare, nisi post diluculum postridie illius dici, qui postremus est temporis quo Tridentina constitutione nuptiarum celebritas interdicta est.*

5 Deinde quæritur, an dies præcedens Dominicam Aduentus, & diem Cinerum saltem à vesperis comprehendatur eo decreto, ita vt in vespere eorum dierum nuptiæ celebrari non possint. Et quidem quod attinet ad diem Cinerum conueniunt Doctores non incipere prohibitionem nisi à media nocte, itaque integro die Martis solemniter nuptias celebrari posse. At quod spectat ad Aduentum Domini non pauci Doctores, & inter eos Thomas Sanchez, existimant in vesperis præcedentis diei esse nuptias prohibitas, nisi vbi consuetudo aliud approbauerit. Ego tamen existimo verius etiam prohibitionem incipere à media nocte, itaque in Sabbato integro ante Dominicam primam Aduentus nuptiarum solemnitatem non esse prohibitam. Ad id moueor, quia licet & Concilium Tridentinum, & alia antiqua decreta dicant ab Aduentu Domini non posse solemniter celebrari nuptias, at Concilium Rauennatense secundũ, supra relatum expresse primam Dominicam Aduentus nominat, quam certum est à media nocte incipere. Ex quo decreto colligo ea ratione intellecta semper fuisse antiquiora Ecclesiæ decreta, quæ ab Aduẽtu Domini nuptias prohibuerunt.

6 Præterea quæstionem habet, quid nam eo decreto prohibeatur, an solemnis benedictio, quam Hispane *Velaciones*, dicimus, an matrimonium etiam inire, domum traducere, conuiuari aliaque edere lætitiæ signa, an hæc omnia ea prohibitione comprehendantur. Et quidem quod attinet ad matrimonij contractum non idem omnes sentiunt. Non pauci licere affirmant. Ducuntur, & consuetudine ipsa, & quia nullo iure prohibetur, sic censent plures, quos refert, & sequitur Thomas Sanchez disputat. 7. citata num. 12. Alij vero existimant nequaquam licere: sic D. Thomas in 4. distinct. 32. quæst. vnica, art. 5. quæstiuncula 4. ad primam. Ricardus eadem dist. art. 5. quæst. 1. ad primum. Paludanus eadem dist. quæst. 1. art. 1. num. 18. & alij. Similiter quod ad traductionem spectat diuisi Doctores sunt. Nam quidam omnem traductionem sponsæ ad domum sponsi illicitam asseuerant: Emmanuel Sa loco citato num. secundo ex antiquis Syluester verb. *matrimonium*, 7. quæst. 2. aliique non pauci. At contra sentiunt Doctores frequenter scilicet, non quamcunque traductionem, sed tantum solemnem esse prohibitam, hoc est, traductionem, quam conuiuia, aliaque signa lætitiæ comitantur, quam sententiam cum alijs vt veriorem sequitur Thomas Sanchez disp. citat. num. 16. Denique etiam quoad consummationem matrimonij non eadem est omnium sententia. Nam quidam non licere affirmarunt, ita Paludanus in 4. dist. 32. q. 1. art. 4. Antoninus 3. part. titulo 1. cap. 17. in fine, Rosella verbo *impedimentum*, impedi-

mento 17. & alij, frequenter tamen Doctores asserunt nullum esse peccatum, si eo tempore consummetur matrimonium, siue de prima consummatione, siue de sequentibus sermo sit. Ita sentit relatis alijs Thom. Sanchez disput. cit. num. 23.

7 Cæterum ego existimo distinctione vtẽdum, si enim antiqui iuris dispositionem attendo eorum probo sententiam, qui dicunt his temporibus non solum benedictiones solemnes, sed etiam contractum matrimonij, quamcunque etiam traductionẽ, & consummationem etiam matrimonij prohiberi. Id vt sentiam, mouet me primo, quod plerique canones nuptias eo tempore celebrari vetant vt constat ex Laodicenc, Herdensi, Rauennatensi secundo, Cõcilijs supra relatis. Cuius phrasis, si illam planè, & simpliciter interpretemur, sensus est, ne nuptias ineant, aut contrahant, frequenter enim *celebrandi* verbum in ea significatione vsurpatur. Deindè me mouet quod Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum cap. 48. cit. & habetur cap. *nec vxorem* 33. quæst. 4. planè dixit *non licere vxorem ducere*, non rectè autem Glossa ibi, Abbas, & alij *ducere* idem existimat, *ac traducere*. Concilium Salegustadiense relatum similiter loquitur, *quod nullus Christianus vxorem ducere debeat*. Sed apertissime Concilium Toletanum sub Sixtõ IIII. hanc esse mentem canonum antiquorum docet cum inquit. *Cum secundum legitimas sanctiones non sit dubium eos in legem committere, qui verba legis amplexi contra eius nituntur voluntatem, & quia tempore quo sacrorum canonum decretis nuptiarum celebratio interdicitur, & carnalis copula prohibetur, nonnullos laicos nubere, & carnaliter commisceri, ac proinde conuiuia publica, strepitus, & choreas facere, parentes quoque & amicos inuitare, & cum histrionibus, & ioculatoribus solemniter nuptias celebrare, & ad Ecclesias sic ineedere plerunque contingit. Nos contendentes quod vera sacrorum canonum intentio fuit, non tam Ecclesiæ solemnitates, & nuptiales benedictiones, quam carnales commixtiones prohibere, pernicios am huiusmodi consuetudinem diuellere cupientes, sacro approbante Concilio commixtiones prædictas, strepitus, choreas, ioculationes, & alias solẽnitates, ac conuiuia temporibus, quibus solemnia Ecclesiæ interdicuntur, & cessant nuptiales benedictiones fieri de cætero prohibemus statuentes, vt qui contra huius nostræ constitutionis tenorem nupserit ipso facto sententiam excommunicationis incurrat, &c.* Quem etiam sensum non obscure indicat Concil. Coloniense 2. sub Paulo III. Canon. 33. *Mandamus, & præcipimus vniuersis parochis, & presbyteris, ne quis alibi, quam in Ecclesia publicè post Missam audi. am iungendos matrimonio copulet, nec alio tempore quam iura permittunt.*

8 Atsi id quod consuetudine populi Christiani Prælatorum approbata consensu receptum fuit, attendas, existimo tantum solemnitatem nuptiarum etiam ante Concilium Tridentinum fuisse illicitam, vt constat ex adducto canone Concilij Toletani. Nunc autem à tempore Concilij Tridentini non tantum consuetudine id receptum, sed etiam iure ipso Tridentini decreti, in quo plane indicatur antiquas prohibitiones tantum quod ad solemnitatem nuptiarum in suo robore permanere, dicit enim antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones seruandas diligenter. Tantum ergo iure Tridentini Concilij prohibetur solemnitas nuptialis. Quo nomine intelligo benedictiones nuptiales, traductionem solemnem, quam conuiuia, & lætitiæ signa comitantur. Atque in hunc sensum accipio decretum Concilij Medio lanensis quinti, sub Diuo Carolo Borromæo: *Ne quis cuiuscunque gradus conditionisve sit, statis temporibus, quibus nuptiarum solemnitates celebrari interdictum est, domũ sponsam traducat, aut nuptialia conuiuia celebret, aliaue eius generis vetita agat. Qui autem vel per se, vel alium contrafecerit, aut eius culpæ quouis modo particeps fuerit, is pœnam interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrat. Illamque pœnam illum tandiu sustinere volumus, quoad sponsi Episcopi iussu separati, meritas pœnas pro eorum conditione dederint, arbitrio eiusdem Episcopi, & interdicto liberari eiusdem iudicio mereantur.* Cui etiam intelligentiæ fauet Manuale Salmantinum excusum anno 1550. Salmant. apud Ioannem Iuntam in tractatu de sacramentorũ administratione, vbi hæc habet: *Item nota quod in prædictis tẽporibus non solum prohibetur benedictio nuptiarum, sed etiam traductio ad domum inter coniuges donec benedicãtur in tẽpore permisso, de quo vide Card. Turrecre. in cap. non oportet el 1. 33. quæst. 4. qui pulchre loquitur, & Hostiensem in summatit. de Ferijs, §. quid non vers. Item matrimoniũ. Et licet iam sint benedicti, quia ambo sunt vidui, vel alias, non debet fieri traductio ad domũ sponsi in tẽpore prohibito. Laici tamen in hoc habent consuetudinem in contrariũ. Cauent autem sacerdotes ne sint præsentes ad talem traductionem directe, vel indirectè celebrando Missam*

sam secrete, vel publicè in præsentia ipsorum. Hęc ibi. Atque hæc tria scilicet benedictionem, traductionem & conuiuia cõtineri ea prohibitione docet nouissime Naldus in Summa verbo *matrimonium*, num. 2.

9 Hinc fit post decretum Trident. Conc. nullum prorsus cõmitti peccatũ lethale nec veniale in ducenda vxore, nec in traducenda, si absq; solemnitate fiat, neq; in consummatione matrimonij, si ante tempora illa contractum esset. Id quod verum esse volumus ex vi legis prohibentis illis temporibus nuptias. An vero sit peccatum ex alio capite, scilicet, quia nondum adest nuptialis Ecclesiæ benedictio, dixi libro præcedenti §. 2. Id quod multo maiori ratione dicendum de sponsalibus, nullo enim iure prohibitum vnquam ea contrahere quovis tempore. Quod idem affirmandum de denunciationibus.

10 Deinde fit peccatum esse, si eo tempore prohibito adhibeatur solẽnis benedictio, aut traducatur solemniter sponsa ad domũ sponsi, vt censet inter alios Iacobus à Graffis 1. p. decisionum lib. 2. cap. 85. n. 28. Quale autem peccatum sit non conueniũt Doctores, nam quidam veniale iudicant, alij mortale, alij deniq; sub distinctione respondẽt, dicuntq; in adhibenda benedictione peccatum interuenire, at in solẽni traductione neq; quaquã, sed tantum veniale. Mihi quidẽ videtur in violatione eius legis cõmitti peccatum mortale. Et quidẽ quod attinet ad benedictiones Ecclesiæ, planũ est, cum sit violatio legis in materia graui. Eadem etiã ratione existimo peccatum graue esse solẽnitatem adhibere nuptialem, est enim & materia grauis, & multæ grauisq; prohibitionis causa. Deinde cõstat ex pœnis appositis transgredientibus eiusmodi leges. Nam Cõcil. Herdense iubet separari, siue autem eo verbo intelligas separationẽ coniugalis tori, siue quod ego suspicor, excõmunicationẽ quæ in antiquis canonibus non raro separãdi verbo significatur graues pœnę sunt, quasque non nisi ob lethalem culpam infligi æquũ esset. Rauennatense 2. etiam profert excõmunicationis sententiam, & vt suspendãtur à consortio, & cõmixtione carnali. Toletanum, & excõmunicat, & pœnam pecuniariam imponit. Colonience clericos extra tẽpora benedicentes ab officio suspendit. Mediolanense 5. interdicit ab ingressu Ecclesię quemcunq; eius culpę participem, sponsos separari iubet, & vlterius arbitrarie puniri Episcopi iudicio. Non est ergo cur dicamus eius legis transgressionẽ veniale tantũ peccatum esse. Nunc quidẽ arbitraria pœna puniendum multi censent, ego nõ omninõ arbitrariam existimo, sed iuxta antiquorũ canonum formam, cum Tridentinũ dicat dili genter seruandas antiquas solemniũ nuptiarum prohibitiones, quæ vt vidimus grauiter puniebãt eius legis violatores tam sponsos, quàm clericos benedicentes.

11 Denique quæritur an Episcopus dispẽsare possit, vt adhibeatur solemnitas nuptialis illis temporibus. Et quidem olim iure ordinario potuisse Episcopos dispensare in dubitatum est, cum res ista etiam ad Episcopos pertineret, qui & impedimenta constituebant, & remouebant, prout expedire iudicabant, de quo iam cap. 1. Deinde extraordinario iure planũ videtur dispensare posse scilicet, si aliquis casus vrgeat, & non sit facilis aditus ad Pontificem, sicut in multis alijs iudicandum. An autem extra hunc casum post legem latam à Cõcilio vniuersali dispensare possit Episcopus, ex eo pendet an inferior ordinarius in lege lata à superiori possit aliquando dispensare, quod nonnulli negant, quos refert & sequitur Thom. Sanchez disp. cit. num. 6. Alij è contra affirmãt posse secuti Sotum in 4. dist. 32. q. vnica ar. 3. in fine, qui nec sunt numero pauci, nec auctoritate inferiores. Quorum accedo sententiæ, dispensare itaque Episcopum posse assero, interim dum illi non admitur facultas dispensandi. Atque etiam post Tridentinum in ea fuisse sententia Synodum Neapoli celebratam docet Iacobus à Graffis 1. p. decision. lib. 2. cap. 85. num. 29. Nam cap. 40. inquit, *Ordinarius propter humana pericula talem licentiam facile, & gratis poterit concedere.*

12 Ex his quæ hactenus dicta sunt, non obscure decidemus duo, quæ ex me quæsita sunt aliquando in hoc Episcopatu Salmãticensi. Primum est, an in secundis nuptijs, in quibus nulla est nuptialis benedictio sponsi possent clerici diebus prohibentibus benedictiones nuptiales, administrare alia, quæ in Missali pro secundis nuptijs designantur, an vero teneantur pœnis in iure latis. Et in primis suppone iuxta varias locorum consuetudines in hoc aliquam diuersitatem existere. Nam in hoc Episcopatu etiam secundò nubentibus cum ad Ecclesiam deferũtur, in ipso ingressu dicitur Psalmus, Beati omnes, qui timent Dominum, postea etiam aliqua Missa pro libito, & deniq; post Missam recitatur quædam benedictio, qua

ſpecialiter benedicuntur, & fit quædam exhortatio. In alijs autem diœceſibus multa ex his omittuntur, ſolumque accedunt ad Eccleſiam ibi Miſſam audituri, vt teſtatur Ioānes Gutier. de matrim. cap. 106.

13 Nonnulli viri docti huius Academiæ exiſtimarūt nullā incurrere pœnā clericum qui tēporibus prohibitis adminiſtat ea, quæ Eccleſia deſignat pro ſecūdis nuptijs, eo fundamento cōmoti, quod illa non ſint nuptialis benedictio, neq; eo nomine cēſeantur in Manuali. Cæterū ſi rem iſtā attentius conſiderāſſent, aliter reſpondiſſent. Mihi enim ſemper viſum eſt, neq; eas ceremonias, quæ proſecūdis nuptijs deſtinatæ ſunt, poſſe tēpore prohibito miniſtrari ſine culpa, & pœnis iure latis. Et in primis ad id me mouet, quod proxime ſuperioribus annis vidi in hac Salmanticenſi vrbe. Quidā nobiliſsimi vidui cōtrahere volebant matrimoniū, & cū eſſet Quadrageſimale tēpus diſpenſationē à Sedis Apoſtolicæ nuntio poſtularūt, quam denegauit. Quod magno argumento eſt etiam eam ceremoniā, licet nō appelletur nuptialis benedictio, eſſe prohibitā illo tempore. Deinde me mouet, quod iura, & antiqua, & recentiora, vt ex adductis canonibus cōſtat vniuerſe loquūtur, & de matrimonio, & ſolemnitate nuptiali. Sicut ergo antiquis canonibus etiā viduorum coniugia erant prohibita, etiam & ſolemnitas illa nuptialis in nuptijs viduorum de more Eccleſiæ adhibita, prohibita cenſetur. Præterea. Quia canones tā antiqui, quā recētiores vniuerſe prohibent ſolēnitatē nuptialē, & non ſolū nuptialē benedictionē. Illæ autem ceremoniæ, licet non ſint nuptialis benedictio: ſunt tamen pars ſolēnitatis nuptialis, vt ſatis notū eſt. Deniq; pro hac ſententia ſunt apertiſsima verba Manualis Salmantini, ſi quidē ſtrictè prohibet ne clerici corā viduis vel alias benedictis Miſſam celebrent tēpore prohibito. Quare non dubito in hac iuturum eſſe ſententiā, quicunq; attente conſideraverit verba Canonū quę ſupra iſto ca. retulimus.

14 Ex his etiā colliges alterius caſus emergentis deciſionē, qui ſæpe in hoc Epiſcopatu occurrit. In nonnullis huius diœceſis minoribus oppidis, apud Ruſticos in more poſitum eſt, vt ſi qui ingruente Aduentus tēpore volunt cōtrahere, benedicātur in Sabbato ante Dominicā primā Aduentus, & in ipſa die Dominica fiat ſolemnis traductio, ſponſis in excelſo thalamo in medio ſoro cōſtructo collocatis, & multis ex eodē, & vicinis oppidis cōuocatis cōcurrētibus, qui poſt prandia, & comeſſationes choreas ducunt, & muneraſponſis, qui in prædicto thalamo conſident, offerunt. Quæſitū eſt an id licitè fieri poſsit. Reſpondi, ſi iuris diſpoſitio attendatur, hæc eſſe etiam prohibita eo tempore, quia pertinent ad ſolēnitatem nuptialem, & expreſſe traductio, cōuiuia, choreæ, imò hęc maxime prohibita ſunt, vt ex adductis Canonibus conſtat. Quare licet præceſſerit benedictio in die non prohibito, ea ſolemnitas nuptialis, quæ etiam prohibita eſt, illis diebus fieri nō poteſt. Quam videō eſſe ſententiam Caiet. verb. *nuptiæ*, & ſequitur Nald. loc. ſupra cit. *Qui facit* inquit, *illa duo vltima ſcilicet traductionē, & conuiuia diebus prohibitis peccat mortaliter, licet primū, hoc eſt benedictionem fecerit tempore licito.* At videtur iam conſuetudine antiqua, & inueterata receptū, vt ea traductio, & ſolēnitas fiant eo die prohibito, & legem Eccleſiaſticā in hac parte abrogaſſe, & ideò à clericis ſuſtineri poſſe, dum modo illi non interſint prædictæ ſolemnitati. Idq; non obſcure indicatur in prædicto Manuali Salmantino, ibi, *Laici tamen in hoc habent conſuetudinem in contrarium.*

De tempore interdicti, vel ceſſationis à Diuinis.

CAPVT IX.

SVMMARIVM.

Sponſalia, & denunciationes valide fieri tempore interdicti. num. 1.
Matrimonium in loco, & tempore interdicti validum eſſe. num. 2.
An ſit illicitum varie DD. opinantur. num. 3.
Verius illicitum. ibidem.
Obijcitur, & diluitur. num. 4. & 5.
Antiquo iure non licuiſſe benedictiones nuptiales. num. 6.
Nouo licere quidam putant, verius oppoſitum ſe cluſo priuilegio. n m. 7.
Ex priuilegio Bullæ, aut ſimili poſſe. n. 8.
Si alter vel vterque ſit interdictus non poſſunt benedici. num. 9.
Illis diebus, quibus ceſſat interdictū poſſe publice nuptias benedici. num. 10.
Tempore ceſſationis a diuinis non licere, etiam cum moderamine cap. Alma mater. n. 11.

1 QVOD ſpectat ad matrimonij cōtractum tempore interdicti, & in loco interdicto, extra controuerſiam in primis eſt ſponſalia & validè & licitè celebrari tempore interdi-

terdicti, & in loco interdicto. Quod idem de denunciationibus dicendum est, nullus enim canon id prohibet, & alias denunciationes non pertinent ad sacramenta, nec officia diuina. Quod si aliqui antiqui scriptores negarunt posse tempore interdicti denunciationes fieri in Ecclesia, ideò est, quod olim interdicti tempore nō dicebatur Missa, atque ideò dum Missa non peragerētur, denunciationes fieri non poterant.

2 Deinde dubitatione vacat matrimonium initum tempore interdicti, & in loco interdicto validum esse, nullo enim iure redditur irritum, & in cap. *capellanus, de ferijs*, planè dicitur Romanæ Ecclesiæ consuetudinem esse, vt quocunque tempore contrahatur matrimonium consensu interueniente legitimo de præsenti. Quod idem dicendum est, etiamsi contrahatur ab ipsis interdictis specialiter, & personaliter, vt tenet communis sententia cum Glossa in cap. *Alma mater*, verbo *Sacramenta de sent. excommunicat. lib. 6.* Couarruuias loco infra citando, & alij. Quod etiam verum est, licet per Ecclesiam aut iudicis sententiam prohiberetur contrahi matrimonium, si aliàs legitimè contraheretur, valeret.

3 Sed an estò validè contrahatur coniugium, licitè ineatur tempore interdicti, controuersum est. Non pauci sine peccato iniri affirmant. Eos refert, & sequitur Thomas Sanchez lib. 7. disputat. 8. num. 2. cuius fundamenta adducam statim. Alij vero peccatum committi in contrahendo matrimonio sentiunt tempore interdicti, sic sensit Hugolinus de censuris, vbi de interdicto, tabula quinta capit. 7. §. 3. num. 1. & capit. 10. §. 1. numer. 1. Sairus in thesauro casuum conscientiæ lib. quinto capit. 7. numero. 43. Qui etiam docent fere omnes Scriptores antiquos tantum sentire validè iniri matrimonium, non verò decernere an licitè. Sequuntur enim illi sententiam Glossæ in cap. *Alma mater*, loco citato, quæ tamen tantum dicit matrimonium, tempore interdicti contractum tenere. Adducit pro hac sententia Hugolinus nonnullas rationes futiles, mihi ea videtur esse potissima, quam etiam probat Sairo, quia generali prohibitione vetitum est sacramenta ministrari tempore interdicti exceptis Baptismo, Confirmatione, Pœnitentia, & Eucharistia per modum viatici, vt colligitur ex dicto capite *Alma mater*, vers. *nulla sacramenta de sententia excommunicatione lib. sexto, & capite quoniam eodem titulo, capite non est vobis, de sponsalibus, & capite quod in te de pœnitent. & remissio.* Cum ergo matrimonium verè, & propriè sacramētum sit, nec excipiatur alibi ab ea generali prohibitione, illa comprehendi censetur, argument. *Clementinæ 1. §. porro, de verborum significatione.*

4 Verum Auctores primæ sententiæ contendunt receptum Ecclesiæ consuetudine per ius ipsum approbata incapite *capellanus de ferijs*, vt matrimonium quouis tempore licitè celebretur, atque ita iam eo canone excipi matrimonium ab ea generali prohibitione. At nisi ego fallor, non rectè id colligunt ex prædicto canone. Mihi enim luce meridiana clarius videtur Pontificem in illis verbis tantum velle matrimonium quocumque tempore valere, & eam esse Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, & mentem. Atque hunc esse eius capitis sensum mihi persuadeo, primo ex eo quod dicit matrimonium, quocumque tempore contrahi consensu interueniente legitimo de præsenti. Quæ verba frustra, & inutiliter adderentur, nisi illis verbis de validitate tantum matrimonij sermo esset. Quare totius eius orationis sensus hic est. Quamvis matrimonium legitimo consensu de præsenti interueniente valeat quouis tempore, attamen præter ea tempora, quæ ab Ecclesia prohibita sunt, scilicet à die Cinerum vsque ad finem Pentecostes, &c. licite in alijs contrahitur.

5 Neque obstat, quod sacramenti ratio acciderit cōtractui matrimonij ex Christi institutione. Nam cum iam verè, & propriè sacramentum sit, & in ratione sacramenti etiam spirituale sit, & Ecclesia generaliter prohibeat tempore interdicti ministrari sacramenta præter Baptismū, Confirmationem, Pœnitentiam, & Eucharistiā per modum viatici, non erit cur ab ea generali prohibitione excludamus sacramentū matrimonij.

6 Sed quod spectat ad benedictiones Ecclesiæ, in primis statuendum est antiquo iure nequaquam licuisse tempore interdicti, nec in loco interdicto. Sic sentiunt Doctores omnes vno excepto Angelo, nam eo tempore prohibita erant officia Diuina præter horas Canonicas, quæ in Ecclesijs conuentualibus recitari poterant, & quædam alia officia Diuina annexa aliquibus Sacramentis, quæ tunc permittebantur, & vnam Missam in

vnaquaque Hebdomada pro renouanda Eucharistia. Vnde eo tempore, etiam si quis gauderet priuilegio, quo posset assistere illis officijs, quæ tunc licebant, non posset benedictiones eas nuptiales percipere. Neque obstat argumentum, quo commotus Angelus sensit contra communem Doctorum sententiam, quod scilicet principali concesso, concedatur etiam accessorium, & annexum, sicut concesso baptismo conceditur etiam id, quod ad eius celebrationem necessarium est. Hoc, inquam, non obstat, tum quia nos modo docuimus non licuisse, nec licere principale, scilicet, contractum matrimonij tempore interdicti, nec loco interdicto, quamvis factum teneat. Deinde quia ea propositio debet intelligi, quando accessorium necessariò annectitur principali, vt contingit in Baptismo. At benedictiones Ecclesiæ multò post contractũ coniugium fieri solent.

7 At verò iure Recentiori Bonifacij VIII. in d. cap. *Alma mater*, quid dicendum sit dubitatio est. Nonnulli enim tempore interdicti benedictiones Ecclesiæ fieri posse censent cum moderatione ibi adhibita scilicet, submissa voce, exclusis excommunicatis, & interdictis. Pro hac sententia citatur Couarruuias in d. cap. *Alma mater*, & Auila de censuris part. 5. disp. 4. sect. 1. dub. 6. Cæterum horum Auctorum alius sensus est, quem statim dicam. Quare etiam attento iure nouo Bonifacij VIII. sentiendum est non posse benedictiones fieri in Ecclesia tempore interdicti. Nam secluso priuilegio tempore interdicti laici interesse non possunt diuinis officijs. Ex hac igitur parte repugnat benedici coniugatos.

8 Ex dictis colligitur primo eos, qui habent priuilegium assistendi diuinis officijs virtute Cruciatæ, vel alterius concessionis posse recipere benedictiones Ecclesiæ, tantum enim ex eo capite repugnabat, quod interesse diuinis officijs non possent. Atque in hoc sensu loquuti sunt Couarruuias, & Auila locis supra citatis. Idque merito dicunt iure nouo in d. cap. *Alma mater*, concessum fuisse, in quo diuina officia permittuntur exclusis interdictis, & excommunicatis. Olim enim Ecclesiastica officia non licebant, præter ea quæ dixi supra.

9 Secundò colligitur, siue vterque spõsus sit interdictus generaliter, aut specialiter, siue tantum alter illorum, non posse benedici in loco interdicto. Quia benedictio nuptiarum vtrique sponso fit, debent autem excludi excommunicati, & interdicti. Similiter etiam si velint recipere benedictiones in loco non interdicto, non licet, quia nõ possunt esse participes benedictionis, & officij diuini. Idẽ dicendũ si sponsus tantũ interdictus sit siue generaliter, siue specialiter, trahit enim quocunque suum interdictum, estque de populo interdicto. At si sponsa tantum interdicta sit, si quidem specialiter interdicta est, benedici non potest propter assignatam modo rationem, si vero generaliter tantum interdicta sit, cum statim atque matrimonio iungitur, sortiatur forum viri, munera, & honores, desinit esse de populo interdicto, atque ideò benedici nuptiæ possunt. Quod intellige, vbi benedictiones coniugio superueniunt, non autem vbi consuetudo est præmittendi benedictiones. In eo enim casu cum nondum sortita sit forum viri, adhuc est de populo interdicto.

10 Tertiò colligo posse nuptias publicè ac solemniter benedici in illis diebus, in quibus tempore interdicti ex priuilegio licent officia diuina publicè, & cum solemnitate, quales sunt qui continentur in d. cap. *Alma mater*. Adde diẽ Assumptionis, & Corporis Christi, & etiam dies Sanctorum, in quibus in aliquibus Ecclesijs ex priuilegio cessat interdictum. Intellige licere quãtum est ex parte interdicti, si tamẽ aliàs tempus non sit prohibitum. Vnde die Natiuitatis Domini, Conceptionis Beatæ Virginis, nec Paschæ Resurrectionis non licet ex prohibitione Concilij Tridentini circa tempus nuptiarum, de qua supra cap. 8.

11 Denique colligitur tempore cessationis à diuinis multo maiori ratione dicendũ esse non licere matrimonium contrahere, quia etiam tempore cessationis prohibitum sacramenta ministrare nonnullis exceptis, cap. *Quod in te, de pœnit. & remissionib.* Quod caput Doctores frequenter de cessatione à diuinis intelligunt. Multò etiam minus licent benedictiones nuptiales. Nam cessationis tempore omnia officia Ecclesiastica cessant, ita vt nec cum moderatione, quæ habetur in cap. *Alma mater*, celebrari possint, vt acute colligit Couar. ex cap. *Si canonici*, §. *si autem, de officio ordinarij lib. 6.* vbi ille, qui in culpa cessationis fuit, iubetur soluere canonicis, & clericis distributiones quotidianas, quæ solum interessentibus debentur & lucrum cessans. Quod nequaquam decerneretur, si officia diuina recitare liceret, iuxta decisionem in d. c. *Alma mater*. Quare, licet

licet ea, quæ ad interdictum pertinent, immutata sint iure illo: at circa ea, quæ de cessatione disposita erant antiquo iure, nihil immutatum est in d. cap. *Alma mater*. An autem virtute alicuius priuilegij aliter dicendum sit, spectanda est forma priuilegij, vt de eo feratur iudicium.

Impediatne excommunicatio, qua ligantur contrahentes?

CAPVT X.

SVMMARIVM.

Matrimonium initum ab excommunicato valet. num. 1.

Peccare, qui excommunicatus excommunicatione maiori contrahit. num. 2.

Si non excommunicatus contrahat cum excommunicato an peccet sub distinctione explicatur. num. 3.

Quid si contrahat cum excommunicato excommunicatione minori. num. 4.

Quid si vterque sit excommunicatus, & quot peccata committant. num. 5.

Non posse excommunicatis contrahentibus impendi benedictiones. num. 6.

1 HOC breuiter expediendum est, potissimum enim spectat ad tractatum de excommunicatione, de quo ibi diximus latè. Itaque hic tantum summa capita attingam. Primò certum est, & omnium consensu receptum, matrimonium initum ab excommunicatis valere. Rationem reddit eleganter Gabriel Vazquez tomo 4. in 3. partè de excommunicat. dub. 4. quia posita sufficienti materia non potest per excommunicationem Ecclesia facere irritum Sacramentum, in matrimonio autem materia debita est naturalis contractus, qui in hoc casu non est irritus factus ab Ecclesia: vnde vere illo contractu posito matrimonium fit Sacramentum. Contractum autem matrimonij inter excommunicatos non esse irritum constat, tum ex generali doctrina in materia de excommunicatione, quæ docet regulariter contractum factum ab excommunicato valere, de quo Sairus latè lib. secundo Thesauri capite 9. tum etiam constat ex capite *Significasti sexto, de eo qui duxit.*

2 Secundò certum sit peccare eum, qui excommunicatus matrimonium contrahit, & peccare mortaliter, si est excommunicatus excommunicatione maiori. Ratio est manifesta desumpta ex communi receptaque doctrina, quæ in materia de excommunicatione docet peccare mortaliter, & qui administrat, & qui recipit sacramenta cum excommunicatione maiori. At in sacramento Matrimonij idem sunt ministri, & recipientes, scilicet, ipsi contrahentes, vt dixi supra lib. primo. Ergo peccant mortaliter, tàm ob administrationē, quàm receptionem. Similiter dico peccare mortaliter, etsi tantum sint ligati excommunicatione minori. Cuius ratio desumitur ex doctrina, quam veriorem existimo in materia de excommunicatione, quæ docet ligatum minori excommunicatione peccare mortaliter recipiendo Ecclesiastica sacramenta iuxta text. in cap. *fin. de cleric. excommunicat. mini.* Cumque contrahentes ministrent, & recipiant sacramentum Matrimonij, ob receptionem in excommunicatione committunt peccatum mortale. Esse autem duo peccata, quæ committit excommunicatus excommunicatione maiori, dum ministrat, & recipit Sacramentum, constat ex his quæ dixi supra lib. 1. capit. 8. num. 11. de eo qui in peccato contrahit, eadem enim est ratio.

3 Sed maior difficultas est, an qui non excommunicatus contrahit cum excommunicato, peccet mortaliter? Nonnulli, quos refert, & sequitur Thomas Sanchez lib. 7. disputat. 7. numer. 8. censent nullum esse peccatum, si denuntiatus non sit, ex fauore Concilij Constantiensis. Alij affirmant vniuersè peccatum mortale esse. Ego rem hanc decidendam existimo iuxta ea principia, quæ posui supra lib. quinto, dum de petendo assistentiam parochi excommunicati sermo esset. Itaque dico petere ab alio excommunicato, siue denuntiato, siue non denuntiato, vt contrahat, dum ille absolui ab excommunicatione non potest, quia non habet copiam absoluentis, vt si sit excommunicatio reseruata à iure vel homine, peccatum mortale est, quia petitur ab eo actus, quem non potest facere benè, sed necessariò malè, nulla enim regula ista certior esse potest. At si potest absolui, quia copiam habet, non peccat, qui contrahit cum excommunicato siue denuntiato, siue secus, quia petit ab illo actum, quem posset bene facere, & sine peccato, & sua culpa facit malè. Con-

stant hæc omnia ex ibi dictis, & ideô non amplius immoramur. Vnde duo peccata erunt in eo, qui contrahit cum excommunicato excommunicatione maiori, quando absolui non potest ab ea excommunicatione antequam contrahat, & quia ipse communicat in sacramentis cum illo, & quia inducit illum ad indigne ministrandum, & recipiendum. Imô tria peccata committit: est enim causa duorum peccatorum in proximo.

4 Hinc discès quid dicendum, si contrahat cum excommunicato excommunicatione minori, tunc enim nullum committit, quia nō prohibetur communicare cum excommunicato illo in sacramentis. Neque enim peccat ob scādalum actiuum. Quamvis enim peccet excommunicatus excommunicatione minori suscipiens sacramenta, attamen qui cum illo contrahit, non est causa eius peccati, cum possit absolui à parocho, qui præsens est. Quod si non haberet copiam confessoris, à quo absolueretur idem dicendum est, peccare scilicet cōtrahentem cum illo, vno tantum peccato scādali actiui, quatenus inducit illum ad recipiendum sacramentum cum peccato.

5 Atq; ex his constat quid dicēdū, quādo vterq; excōmunicatus contrahit, siue enim vterq; sit denuntiatus, siue neuter sit denūtiatus, siue vnus denūtiatus, alter non. Idem iudiciū est, si absolui possunt ab excōmunicatione, vterq; enim peccat ex eo quod cōtrahat cum excōmunicato, cum posset vterque sine peccato contrahere. Peccant tamē quatenus recipiunt, & ministrant, vt dictū est. At si non habeant vterque copiam confessoris, peccant, & quia ministrant, & recipiunt in peccato, & quia inducunt se inuicem ad actum, qui non potest ab alijs bene fieri. Quod si vnus habeat copiam confessoris, alter non: ille qui contrahit cum eo, qui non habet copiam, committet peccatum scandali, cum petat actum, quem necessariô malefaciat: ille verò, qui petit ab eo, qui habet absoluentis copiam, tantum peccabit ex eo quod excommunicatus recipiat, vel ministret, non vero ex scandalo actiuo. Hæc autem omnia ex dictis regulis, & principijs manifesta sunt, quæ ibi latè tradidimus.

6 Hinc etiam constat excommunicatis contrahentibus non posse impēdi benedictiones solemnes, quia sacramentalia sunt, sine peccato mortali, atsi sponsalia contrahant excommunicati, culpa tantum venialis est, sicut & in communicatione in alijs contractibus ciuilibus, vt in specie docet Thom. Sanchez disp. cit. num. 12.

De impedimento ex catechismo.

CAPVT XI.

Vnde oriatur hoc impedimentum. num. 1.
Quæ requirantur vt contrahatur. n. 2.
Hoc impedimentum si permanet, restrictum esse. num. 3.
Verius tamen sublatum esse per Tridentinum. ibidem.
Quid notare debeat parochus in libro. n. 4.

CATECHISMVM appellant Doctores communiter institutionem fidei, quæ fit ante ianuam Ecclesiæ superbaptizandis, contingere autem potest, vt quis non teneat puerum, dum ministratur sacramentum Baptismi, sed antea in catechismo præcedenti, vel cum iam baptismus domi celebratus est, & postea solemniter tātum adhibetur in Ecclesia. Ex eo quod munus exerceat in baptismi celebratione contrahitur spiritualis cognatio, quæ est impedimentum dirimens, de quo postea. At ex eo quod teneat in catechismo, contrahitur imperfecta quædam cognatio spiritualis, quæ tantum est impedimentum impediens, constat ex cap. *contracto, de cognatione spirituali in 6.*

2 Vt autem hoc impedimentum contrahatur, non satis est, vt quis in exorcismis præcedentibus teneat, sed requiri, vt in catechismo, imô ob id solum contrahitur. Sic citatis alijs Thomas Sanchez disp. 10. num. 5. Rebellus lib. 3. de impedim. quæst. 18. nu. 20. Requiritur etiam vt in solo catechismo teneat, sic Glossa in cap. *contracto, de cognatione spirituali in fin.* Nec satis est teneat, sed requiritur, vt qui infantis personam gerit, respondeat ad interrogata, dum Sacerdos rogat, an credat. Sic cum Vera-Cruz, Palacios docet Sanchez. Contrahi etiam huiusmodi impedimentum per catechismum, siue præcedat, siue sequatur Baptismum, docet rectè idem Thomas Sanchez cum alijs disp. cit. num. 7. & independenter à Baptismo. Itaq; siue Baptismus sequatur, siue non sequatur, idem oritur impedimētum, vt idem docet num. 8. & 9.

3 Solum ergo difficultas est, an per Cōcilium Tridentinum fuerit aliquid innouatum

tum circa hoc impedimentum Sessione 24. de reformatione matrim. cap. 2. Et in primis certum est, hoc impedimentum, si adhuc permanet, restrictum esse communiter per Concilium ad eos tantum gradus, ad quos restricta est cognatio spiritualis proueniens ex Baptismo, & Confirmatione. Valentia disp. 10. quæst. 5. puncto 4. Sed maior difficultas est, an sublatum sit hoc impedimentum iure nouo Tridentini. Quidam negant sublatum, sic multi quos refert Sanchez disp. 10. num. 10. At verius ille num. 11. cum alijs sensit sublatum esse hoc impedimentum per Tridentinum. Quod valde probabile indicat Ægidius disp. 30. dub. 3. num. 24. Potissimum fundamẽtum est, quia Tridentinum ibi inquit: *Omnibus inter alias personas huius spiritualis cognationis impedimẽtis omninò sublatis.* Et quia existimare aliquis posset Concilium solum agere de impedimento cognationis spirtualis prouenienti ex baptismo, quod vult non extẽdi ad alias personas, sicut olim extendebatur, adest declaratio Cardinalium, quæ Cõcilij sensum esse hunc quem diximus, planè demonstrat. Sic enim habet apud Farinacium in cap. 2. eiusdem Sessionis. *Qui in Ecclesia fuit præsens ei, qui domi verè fuit baptizatus: si deinde in Ecclesia fuerunt seruatæ solemnitates, nullam cognationem spiritualem contraxit. Itaque committatur ordinario, vt si legitimis probationibus compererit D. N. filium prius fuisse baptizatum declaret nullum inter N. ipsum, & dictum filium adesse impedimentum cognationis spiritualis.* Hæc ibi. Est etiam apud Rebellum ad idem caput Tridentini num. 94. Est etiam alia apud eundem num. 88. quæ est etiam apud Farinacium. Nulla cognatio spiritualis cõtrahitur, nisi inter personas quæ nominantur hoc decreto. Quare cẽsendum iam hoc impedimentum sublatum. Vnde & cessat quæstio an sit peccatum mortale contrahere cum hoc impedimento, vel veniale tantum. Quibusdam affirmantibus esse mortale, alijs verò negantibus, de quo Rebellus, lib. 3. de impediment. matrim. quæst. 18. in fine.

4 Illud rectè aduertit Thomas Sanchez disp. 10. cit. num. 13. debere parochum in libro, vbi scribit patrinos, exprimere an fuerint in baptismo, an in catechismo tantum, eo quod in catechismo nullum iam oriatur impedimentum, & ita expedit vt manifestum sit, an sint impediti vel non.

De impedimento voti simplicis castitatis, aut religionis.

CAPVT XII.

SVMMARIVM.

Votum simplex castitatis esse impedimentum impediens. num. 1.
Eius legitima probatio. ibidem.
Sine dispensatione non licere contrahere. n. 2.
Peccat etiam qui scienter contrahit absolute cum ligato voto. num. 3.
Quid si ligatus voto contrahat sine animo consummandi. num. 4.
Quid si nullis præcedentibus sponsalibus contrahat cum animo ingrediendi religionem. numero 5.
Si post votum absque promissione vlla quis defloranit virginem, tenetur implere votum. num. 6.
Post votum promissio matrimonij iniqua est. num. 7.
Si votum erat non contrahendi matrimonium teneri dispensationem, vel commutationem petere. num. 8.
Probabile post votum religionis teneri contrahere, & ad religionem transire. num. 9.
Probabilius cessare obligationem voti in eo casu: eius ratio. num. 10.
Tenetur petere dispensationem. num. 11.
Quo modo respondendum in hac materia interrogantibus. num. 12. & 13.

1 MVLTA sunt, quæ circa hoc impedimentũ examinari possunt, quæ complectemur breuiter, quia nec difficilia sunt. Primô ergo asserendum est votum simplex castitatis esse impedimentum impediens tantum, non dirimẽs. Sic Alexander 3. p. 5. cap. 5. 10. p. 6. cap. 9. p. 21. cap. 3. p. 45. cap. 4. & etiam in cap. *consuluit, & cap. rursus. Qui clerici vel vouentes, cap. vnico de voto in 6.* Alia iura adducit pro hac parte Thomas Sanchez disp. 11. num. 4. sed non sunt ad rem. Nam illa etiam loquuntur de votis castitatis in religione, & professione emissis, quæ olim non habebãt vim dirimendi matrimonium, vt dicam lib. sequenti. Rationem huiuis conclusionis desumunt ex eo, quod in voto simplici sit nuda promissio sine traditione. Sed hæc ratio non est sufficiens, tum quia votis simplicibus Societatis IESV postbiennium adest

promissio, & traditio; tùm etiam quia neque traditio habet vim dirimendi matrimonium, nisi illi adiungatur ex Ecclesiæ cõstitutione, & ostendam infra lib. 7. multis annis vota religionis castitatis nõ diremisse matrimonium, quamvis in votis professionis intercedat vera traditio, & acceptatio. Tota ergo ratio eius decisionis ex eo sumenda est, quia cum votum castitatis ex sua natiua obligatione, non habeat vim dirimendi matrimonij, nisi accedat Ecclesiæ constitutio, quæ sic vouentem reddat inhabilem voto castitatis simplici, & extra professionem emisso, non est annexa eiusmodi vis illa constitutione Ecclesiastica, vt explicabo infra. Dixi voto castitatis simplici, & extra professionem: quia in statu religioso votum simplex castitatis Societatis habet ex constitutione Gregorij XIII. dirimere matrimonium, vt ibidem explicabo. Atque idem quod dixi de voto castitatis, dicendum est de voto religionis, & sumendi statum clericalem, & ordines sacros, aut non contrahendi matrimonium, pugnant enim hæc vota cum statu matrimonij. Quare impediunt, licet non dirimant. Quod idem dicendum est, siue vota ea sint conditionalia, siue absoluta, nam posita conditione obligant eodem modo. Quamvis in ordine ad dispensationem posset esse diuersitas, de qua lib. 8.

2 Ex his colligitur primò eum, qui huiusmodi votis tenetur, sine eorum dispensatione non posse contrahere matrimonium, cum certa sit obligatio voti impediens matrimonium. Quod verum est, quãtumuis stimulis carnis vrgeatur, ea enim molestia non liberat illum obligatione voti, sed reddit causam dispensationi, atque ita in hac specie docet Thomas Sanchez disp. 11. num. 8.

3 Secundò colliges absolutè loquendo eum, qui scienter contrahit cum habente, vel ligato huiusmodi votis sine vlla conditione castitatis, aut transeundi ad alium statum, peccare mortaliter, quia petit ab illo actum, quem nõ potest benè exercere, cum ille qui tenetur voto non possit sine peccato nubere.

4 Sed quid dicendum, si qui tenetur voto, contrahat sine animo consummandi matrimonium. Et quidem si contrahant vterque cum expressa conditione voti castitatis, vel non consummandi, vel eo qui non tenetur voto copiam faciente adimpletionis voti, & separandi torum, & faciendi ea omnia, quæ pertinent ad impletionem voti, planè nullum peccatum est in contrahendo matrimonium, quia vt dixi supra lib. 1. votum castitatis eatenus impedimentum est ad contrahendum, imò ad volendum contrahere, quatenus est in ordine ad violandam castitatem, vel cum periculo violandæ castitatis. At cum in hac specie nullum sit periculum, nulla erit etiam violatio voti. Id quod etiam docuit Rebellus lib. 3. de impediment. quæst. 17. num. 2. in fine.

5 Deinde certum existimatur, si nulla præcesserunt inter eos sponsalia, & alter eorum, vel vterque voto adstringitur, non potest contrahere matrimonium animo quamvis firmo ingrediendi religionem. Multis rationibus probari solet non omninò efficacibus, quibus etiam vtitur Rebellus d. quæst. 17. num. 2. Primò videtur esse ratio. Quia si alter non est conscius & voti, & propositi, iniuriam patitur. At non assequor huius rationis vim, quia contrahentes ius habent transeundi ad religionem intra bimestre tempus, siue ergò sciat, siue nesciat, nullam patitur iniuriam, cum non possit obligare contrahentem, ne transeat ad religionem, neque pactum de eo subsisteret. Quare non video in quo afficiatur iniuria. Secundo probant, quia futura professio incerta est, vt pote in arbitrium alterius collata, atque adeò si dimittatur, vel non admittatur, compellitur cõsummare contra votum. Sed neque hæc ratio est efficax, quia si votum est ingrediẽdi religionem, satisfecit ille voto, si bona fide ingressus est, licet non profiteatur, aut ad professionem admittatur. Tertiò probant, quia contractus ipse coniugalis pugnat cum obligatione voti non modo de nõ contrahendo, sed etiam deseruanda castitate. Sed neque votum castitatis pugnat cum contractu matrimonij. Quare aliter in hac re procedendum est, nec potest vniuersè affirmari esse peccatum in eiusmodi contrahendo matrimonio. Si tenetur voto non contrahendi matrimonium, planè peccat contrahens matrimonium, facit enim contra votum, etsi animum habeat non cõsummandi, nam in ipso contractu est violatum votum. Si verò tenetur voto suscipiendi sacros ordines, & inscio coniuge contrahit cum illa, peccat, quia se exponit periculo non implendi votum, cum semel contracto matrimonio non possit ad sacros ordines conuolare sine consensu coniugis,

vt

vt definitum est *in Extrauag. antiquæ Ioannis XXII. de voto*, & nos dicemus infra. In eo enim differt â transitu ad religionē, & grauem iniuriam irrogaret coniugi, cum per ordinem non dissoluatur coniugium. Si vero tenebatur voto religionis, si absit periculum remanendi in sæculo, & consummandi, non videtur esse peccatum mortale, seciuso eo periculo, contra votum, quia iure ipso concessum est etiam bimestre tempus ad transeundum ad religionem. Quare implere votum potest, & aliàs coniugi ignaro nullam facit iniuriam, vt dictum est, solum erit otiositas quædam actus & contractus, in quo secluso periculo consummandi non video culpam lethalem. Quod si tenebatur tantum voto castitatis, & contraxit cum eo qui ignorabat votum, & sine conditione mutua seruandi castitatem, peccat contrahens matrimonium. Quia cum votum castitatis non sit religionis, exponit se periculo violandi votum, si contrahit sine animo transeundi ad religionem ante consummationem. Nam matrimonium communi modo contractum est in ordine ad copulam, quæ illi qui tenetur voto non licet. at si eum animum habeat, & aliàs non sit periculum non transeundi ad religionem iuxta dicta, non erit peccatum mortale contrahere cum eo animo, quia contractus matrimonij sic celebratus non pugnat cum voto castitatis, vt dicebam. Vnde pro sententia negante committi peccatum in eiusmodi contractu citat Rebellus, Scotum in 4. dist. 38. Calderinum in ca. *Rursus. Qui clerici*, Angelum, verbo, *matrimon.* impedim. 3. Caiet. de matrim. cap. 2. Nauar. cap. 16. num. 30.

6 Sed quid dicendum, quando post emissum votum aliquis defloruit virginem fide data de matrimonio contrahendo. Et quidem certum in primis est, si post votum absque promissione vlla defloruit virginem siue ignaram, siue consciam voti, non teneri contrahere, nec posse, sed ad implendum votum obligari. Sic expresse Gabriel Vazquez de restitutione, cap. 3. §. 2. dub. 6. §. 2. num. 21. Ducor ea ratione. Quia scienti, & volenti nulla fit iniuria, & ratione stupri non tenetur, vt enim non semel dixi in materia de peccatis, & de sacramento Confessionis, non est malitia aliqua stupri supra simplicem fornicationem, si vim secludas. Quare etsi sequatur infamia, sibi imputet, ipsa enim sibi damnum intulit.

7 Deinde dico qui post votum impediens matrimonium defloruit aliquam fide data de coniugio, planum est eam promissionem nullam esse, cum sit iniqua promissio, promisit enim quod implere non potest. Sed adhuc dicitur illi feciisse iniuriam, quatenus illam decepit, & ratione huius illatæ iniuriæ teneri ad resarciendum damnum eo modo, quo possit.

8 His ergo suppositis dico primò. Si tenebatur voto non contrahendi matrimonium, non est dicendum cessare obligationem, sed differri posse: & ratione iniuriæ illatæ cum eo dolo tenetur sub mortali petere, aut commutationem, aut dispensationem eius voti, cum quivis Sacerdos approbatus virtute Bullæ illud commutare possit. Et etiam religiosi virtute suorum priuilegiorum, vt attingam infra, & ordinarius dispensare possit. Idem dixerim de eo qui tenebatur voto suscipiendi sacros ordines, cum neque hoc votum sit ex reseruatis.

9 Dico secundò. Probabile est, si tenebatur voto religionis, teneri quidem contrahere, sed ante consummationem debere ad religionem transire. Ratio probabilitatis hæc est, quia potest commodè vtrique obligationi satisfacere. Iustitiæ, contrahendo, sic enim resarcitur damnum illatum illa deceptione, voti autem, transeundo ad religionem. Cùm ergò commodè possit vtrique satisfieri, non est cur dicamus obligationem voti religionis aut cessare, aut differri. Probabile ergo est, illum posse quidem contrahere sine animo tamen consummandi, sed vel transeundi ad religionem, vel si id non habuerit locum, petendi dispēsationem voti ante consummationem, quam in eo casu potest Episcopus concedere, vt dicam infra lib. octauo. Quod intellige, si tempus ita instet, vt non possit â Pontifice impetrari dispensatio, neque ab ordinario, qui in casu vrgentis matrimonij posset dispensare, vt dicemus infra lib. octauo. Si enim dispensationis petendæ tempus conueniens est, probabilius iudico non posse contrahere non adducta dispensatione. Quia licet possit obligatio voti ex causa emergente suspendi, vt habet communis doctrina; at non possum statum incompossibilem voto apponere. In quo videtur esse magnum discrimen inter eum casum & alios, quos in exemplum adducit Sanchez loco citato. An autem quando post sponsalia sequitur votum, liceat con-

tra-

trahere, dicam libro vltimo, cum de dissolutione sponsalium sermo fuerit. Et quomodo qui voto ligati contrahunt, possint consummare, aut petere, & reddere, dicam infra lib. 10. cum de redditione debiti sermo fuerit.

10 Denique probabilius mihi videtur si quis post votum religionis, aut castitatis virginem corrupit sub spe, & pacto coniugij, vel aliam fœminam honestæ famæ, teneri illam ducere, & consummare, nisi ea gratis remittat obligationem, aut alia via illi satisfactione præstita liberè consentiat, quod docet Thom. Sanch. lib. 1. de matrimonio disp. 45. num. 3. & Gabriel Vazquez de restitut. c. 3. §. 2. dub. 6. n. 20. qui & optimam huius assignat rationē. Quia licet obligatio voti sit antiquior, & ex natura rei secūda promissio nulla esset, quia semper promissio subintelligit eam conditionem, modo liberam inueniat materiam, neque alteri obnoxiā restitutioni vel obligationi. Quare si inueniat materiam impeditā vel promittentem ligatū voto, vel alia obligatione, seruanda non est secunda promissio, obligat enim sicut ipsa intelligitur tacitè vel expresse. At in præsenti nō concurrunt duæ promissiones, quarum antiquior sit præferenda, sed interuenit ex vna parte obligatio voti, ex altera vero obligatio iustitiæ reparandi damnum illatum. Hæc autem præferenda est cuicunque obligationi ortæ ex promissione, licet sit antiquior promissio, quam damnificatio. Optimum exemplum est. Si quis promisit Petro se daturum centum, & postea infert Ioanni damnum aliorum centum, vel quia furatus est, vel quia dissipauit, aut aliud intulit damnum, si non possit nisi centum soluere, quia alia non habet, tenetur damnum integrè reparare, nec soluere promissum, etiamsi prior fuisset promissio damno illato. Similiter si quis vouisset eleemosynam, & postea damnum intulisset proximo, nec posset vtrique satisfacere, tenetur damnum reparare omissa voti obligatione. Ratio autem istorum est. Quia qui damnum infert, vsurpator est rei alienæ. At nullus potest vsurpare alienum ad soluendam promissionem. Ergo nec potest vsurpatum retinere, vel damnum illatum non reparare, quod est etiam alienum detinere, vt soluat quod promisit, promissio enim intelligitur semper de proprijs. Qui autem post damnum illatum vult soluere promissionem, quam prius fecit, virtualiter soluit ex alienis. Modo in nostro casu ita contingit, quod ille qui emisso voto religionis, aut castitatis postea sub spe coniugij virginem corrupit, revera damnum intulit, quod reparandum est ex iustitia non aliter, quam illam ducendo, cum non resarciatur pecunia, vel alio modo, quandiu ipsa voluerit sibi promissionem impleri. Prius ergo damnum reparandum est eo modo, quem exigit obligatio iustitiæ, quam quod impleatur votum castitatis, aut religionis, etiamsi prius emissa fuerint. Quod potiori ratione dicendum est, quando quis prius sub spe coniugij defloravit virginem, & postea emisit votum castitatis, aut religionis, implenda est enim obligatio matrimonij ratione damni illati, potius quam voti. Eadem ratio est quando quis actu non defloravit, sed sub spe coniugij ita familiariter cum ea egit, vt in populo magnā suspicionem genuerit, quod illam corruperit, idem enim prorsus damnū est, ac si corrupisset, & ita eandem etiam satisfactionem postulat.

11 Ex his colliges teneri dispensationem voti petere, si quidem potest, & causa subest, vt eam quam corrupit vxorem ducat. Quod si non petita dispensatione eam vxorem duxerit, & consummauerit, tenetur ad redditionem debiti, non autem potest petere, quia votum illud castitatis revera validum est, & solum ex ea parte suspenditur obligatio ratione damni illati. Adde etiam teneri ducere, & consummare si aliter non resarciatur perfectè damnum, quod prudentis arbitrio relinquendū est, quamvis in foro externo compelletur consummare.

12 Sed his quæ diximus duo addenda sunt. Primum est interroganti, quid res habeat in hac re, an scilicet cōtrahere possit, qui impeditus voto est, nec aliud damnum intulit, posse responderi matrimonium cum peccato contrahi, validè tamen, nec in hoc scrupulus vllus est. Parum enim refert, quod alius ex eo sumat occasionem contrahendi cum peccato, & aliàs idem damnum sequitur, si ea doctrina materna lingua scribatur, in qua addiscere possint contrahentes. De quo latè Thomas Sanchez libro septimo disputat. 11. numero 12. At si votum emisit & simul violator est fœminæ sub spe coniugij, planè respondendum est illum sine peccato non solum posse ducere, sed etiam teneri contrahere, & consummare, vt explicatum est.

13 Alte-

13 Alterum est homini, qui tenetur voto castitatis parato plura committere peccata contra votum pro fragilitate sua, si alia via cito illi succurri non possit, posse consuli tanquam minus malum, vt contrahat matrimonium, cum in eo contrahendo vnum tantum peccatum committat, vitet plurima, & post contractum matrimonium facilis sit impetratio dispensationis voti in ordine ad petendum debitum. Quæ doctrina ex illa generali deducitur, qua docetur posse consuli minus malum ad euitandum maius ei, qui paratus est maius peccatum cõmittere, de quo iam dixi supra lib. 5. Sunt etiam sponsalia præcedentia impedimentũ impediens non dirimens, de eo tamen late infra lib. vltimo.

De impedimento quod oritur ex incestu.

CAPVT XIII.

SVMMARIVM.

Quid agendum. num. 1.
Quid incestus, eius criminis prohibitio. numero 2.
Impedit matrimonium. Canones eam pœnam statuentes. num. 3.
Incestu superuenienti non dissolui matrimonium num. 4.
Explicatur caput 2. de eo, qui cognouit consanguineam vxor. num. 5.
Impedimentum incestus tam viris, quam fœminis esse commune, num. 6.
Impedit siue committatur incestus cõstante matrimonio, aut non, num. 7.
Hoc impedimentum tantum oriri ex coniunctione cum affini in 1. & 2. gradu num. 8.
Non incurri, nisi crimen sit publicum, & quod in iudicio probari possit. num. 9.
Incurri ex coniunctione cum consanguineis in eisdem gradibus. num. 10.
Extenditur ad eum, qui cognoscit fœminam, cum qua est impedimentum publicæ honestatis ex matrimonio rato, non ex sponsalibus num. 11.
Non incurri ex cõiunctione cum ignorantia consanguinitatis, vel affinitatis. num. 12.

1 FREQVENTISSIMA olim pœna fuit in Ecclesia, qua interdicebatur matrimonium ob nonnulla crimina, quæ ad quinque potissimum reducuntur, de incestu dicam in isto cap. de alijs in sequenti.

2 Primum crimen est incestus. Appellamus autem incestum cum affini vel consanguinea in gradu prohibito. Qui ergo ex coniugibus rem habuit cum consanguinea sua, vel alterius coniugis, hoc est, affini, incestuosus est. Incestus vero crimen olim seueriſsimis Ecclesiæ legibus vindicatum est. In Concilio Ilerdensi anno Christi 524. Canone quarto. *De his qui se incesta pollutione commaculant placuit, vt quousque in ipso detestando, & illicito carnis contubernio perseuerant vsque ad Missam tantum catechumenorum in Ecclesia admittantur, cum quibus etiam nec cibum sumere sicut Apostolus iubet oportet.* Est apud Gratianum, cap. *de his* 33. quæst. 2. Concilium Agathense sub Symmacho cap. 61. inter catechumenos vsque ad legitimam satisfactionem manere iubet, & habetur cap. *de incestis* 36. quæst. 2. & 3. Sanctus Gregorius lib. 12. epistol. 32. prope finem. *Omnes*, inquit, *incestuosi à liminibus sanctæ Ecclesiæ sunt separandi, quousque per satisfactionem precibus Sacerdotum canonice eidem sanctæ Ecclesiæ Catholicæ reconcilientur.* Eandem pœnam statuit Moguntinum sub Carolo Magno Canone 53. Concilium Vernis sub Pipino capit. 9. Moguntinum aliud sub Rabbano Mauro capit. 28. Suessionense apud Sanctum Medardum, cap. 8. Rhemense sub Leone VIII. capit. 11. Vvormatiense Canone 73. Narbonense Canone sexto, iubet vt singulis Dominicis publice in Ecclesia excommunicentur, Concilium Colonienſe sub Stephano Sexto, Canone sexto, Ilerdense decretum approbat.

3 Inter alias autem pœnas, quibus incestuosi puniti sunt, ea fuit, quæ ad nostrum institutum attinet, vt scilicet priuarentur spe coniugij, & illis interdiceretur matrimonium. Primam de eo scripto proditam legem Ecclesiasticam reperio in Concilio Agathensi citato Canone 61. ibi: *Incestuosos nullo vnquam coniugij nomine deputandos.* Quem canonem in rem hanc intellectum constat ex Gregorio loco citato ibi. *Nec eam, quam aliquis ex propria consanguinitate habuit coniugem, vel aliqua illicita pollutione maculauit, in coniugium ducere vlli profecto liceat*

ceat Christianorum, vel licebit quia incestuosus est talis coitus, & abominabilis Deo, & cunctis bonis hominibus. Incestuosos vero nullo coniugij nomine deputandos à sanctis Patribus dudum statutum esse legimus. Hæc Gregorius. Respicit proculdubio ad Canonem Agathensum, vbi eadem verba reperiuntur. Nec te moueat, quod in fine Canonis Agathensis dicitur: *His quibus illicita coniugia negantur concedi meliora coniugia.* Intellige enim, si crimen incestus non commiserint, aut ex indulgentia concessum est, sicut & aliquando factum obseruabimus postea. Idem impedimentum habetur in capit. *concubuisti* ex decretis Zachariæ Papæ 32. *quæs. 7. & cap. quædam cum fratre viri*, 32. *quæst. 7. & cap. si quis viduam*, ex Concilio Moguntino, *& cap. qui dormierit, & capit. si quis cum nouerca*, & ex Triburiensi Concilio in multis Canonibus, qui habentur *eadem* 32. *quæs. 7. capit. si quis sponsam* 27. *quæst. 2. & capit. in lectum, capite si quis cum duabus, capite si quis cum matre, capite quidam fornicatus est* 34. *q. 1. & 2. & in capite 1. de eo qui cognouit consanguineam vxoris, & Alexander III. in capite 2. & Cælestinus III. in cap. transmissæ eodem.* Sed præterea accipe alia iura in appendice Concilij Lateranensis sub Alexandro III. part. 6 cap. 15. & part. 12. cap. 1. 3. 4. 5. & 7. & part. 50. cap. 4. & 5. & 49. Quorum verba non pauca statim referemus, & expendemus.

4 Verum circa hoc impedimentum illud in primis obseruandum est olim nonnullos existimasse per incestum etiam superuenientem matrimonio iam antea contractum dissolui. Sic iudicarunt tempore Nicolai I. duo concilia, vel potius conciliabula congregata apud Gallos, qui Lotharium Regem à vinculo matrimonij cum Theutperga contracto liberum declararunt eo quod illā post matrimonium se Lotharij fratri dicerent commiscuisse. Hæc sunt Metense, & Aquisgranense, quæ reprobata sunt in Concilio Romano 3. sub eodem Nicolao. Quando enim verum esset Theutpergam se incestus crimine maculasse post consummatum cum Lothario matrimoniū, adhuc Lothario illa dimissa aliam ducere non licebat. Idque plane statuitur in omnibus fere canonibus supracitatis.

5 Verum est in appendice Concilij Lateranensis parte 12. capit. 4. cuius fragmentum est in cap. 2. cit. *de eo qui cognouit*, in eo, inquam, capite haberi quendam contraxisse de præsenti coniugium cum fœmina filia nouercæ suæ, eamque hortatu quorundam intra mensem non cognouisse, sed à consummando matrimonio abstinuisse per mē sem, interim vxori patris sui, quæ mater erat sponsæ propriæ copulatum. Cumque iam elapso mense consummare cogeretur ille renuit, defertur res ad Episcopum, cuius consultationi Sedes Apostolica respondit, quod si occultū est illum rem habuisse cum nouerca matre sponsæ, non rescindetur matrimonium. At si publicum est, imposita, & peracta pœnitentia maiori, quam de adulterio, ille ex dispensatione contrahat matrimonium cum alia, & illa etiam alteri nubat. Quod si cum ea vxore consummatum matrimonium sit, vel ante quam nouercæ copularetur, vel postea, neq; ad eam vxorem amplius accedat, neque ea defuncta aliam ducat. In quo textu planè Pontifex ob incestum commissum ante consummationem, si publicum esset crimen, rescindi voluit matrimonium, ea nimirum vtens potestate, quam ex probabili opinione habent Pontifices dissoluendi matrimonium ratum fidelium non consummatum. Quod enim in hoc cap. dicit Glossa, & illam sequutus Henricus Canisius, agi de sponsalibus, & cum filia vxoris patris non matrimonium, sed sponsalia interuenisse, & ideò dissolui sponsalia ex superueniente affinitate, manifestè est contra textum ipsum, vt constat ex integra, quæ est in appendice loco citato, & obseruat Cuiacius ad eum textum. In principio enim habetur sic, *quod cum quandam vxorem duxisset, quidam dissuaserunt ei per mensem, quo eam duxerat, carnaliter cognoscere.* Et postea. *Transacto vero mense tam pater, quàm alij propinqui coegerunt, vt matrimonium cum sponsa sua consummaret.* Igitur matrimonium contractum quidem erat, non tamen consummatum. Deinde ibidem hæc habentur. *Tuæ igitur inquisitioni taliter respondemus, quod si occultum esset huius delictum, non posset rescindere matrimonium, quod publice contraxisset.* Ergo de matrimonio valido, & iam contracto agebat Pontifex, non de sponsalibus rescindēdis. Rursus ibidem dicitur, *Imponenda est pœnitentia maior, quàm de adulterio.* Ergo adulterium commissum est simul cum incestu, & ideò maior pœnitentia. Ergo & matrimonium contractum erat, aliàs non esset adulterium. Nec te moueāt postrema illa eius capitis verba. *Cæterum si sponsam cognouerit, antequam matrem,*

vel

vel post, nunquam poterit eam vel aliam in vxorem accipere. Hoc enim ideò dicitur, non quia matrimonium non esset, sed quia consummato iam matrimonio ob affinitatem vel præcedentem consummationem, vel superuenientem consummationi, non licebat vti coniugio, vt rectè exponit Camillus loco citato.

6 Secundò obseruandum est hoc impedimentum incestus commune esse tàm viris, quàm fœminis, ita vt non tantum vir qui consanguineam vxoris cognouit, sed etiam fœmina, quæ consanguineum viri cognoscit, teneatur hoc impedimento, & interdicatur coniugio. Constat ex capite 20. *si quis viduam*, 32. quæst. 7. ibi: *Aut siqua cum duobus fratribus, aut patre, & filio*, & constat etiam ex capite 41. 43. & 44. *Triburiensis Concilij*, vbi eadem imponitur pœna fœminæ, quæ duobus fratribus, vel patri, & filio copulata fuit. Quare doctrinam hanc contra expressam canonum decisionem frustra nonnulli in dubium reuocant.

7 Tertiò obseruandum est hoc impedimentum contrahi ex incestu commisso constante matrimonio, siue sine matrimonio. Itaque qui cum consanguinea vxoris defunctæ rem habet, siue per copulam fornicariam eam agnouerit, quam pater, aut filius, aut frater etiam agnouit fornicarie, crimen incestus committitur, & impedimentum prouenit. Primum constat ex capite *transmissæ de eo qui cognouit*. Secundum verò manifestè constat ex canone 43. & 44. Triburiensis Concilij. Nam in primo expresse sermo est de patre, & filio, aut duobus fratribus cum eadem fœmina fornicantibus. In secundo de quodam cum aliqua fœmina fornicanti, quam postea eius frater duxit in matrimonium, & primo ex dispensatione conceditur matrimonium. Ergo impeditus erat, si quidem ex dispensatione contrahit. Et in appendice Lateranensis Concilij parte 12. capite 5. citato sermo est de eo, qui contraxit cum consobrina eius, quam ante matrimonium cognouerat, & sine coniugio manere præcipitur. Idem constat ex cap. 7. eadem parte, & part. 50. cap. 4. ob incestum commissum etiam ante contractum matrimonium spes coniugij intercluditur. Idem etiam constat ex cap. *si quis cum duabus*, cap. *si quis cum matre, & filia*, capit. *quidam fornicatus est* 34. quæst. 1. & 2. in quibus etiam ob copulam incestuosam fornicariam nullo subsistente matrimonio priuantur spe coniugij. Idem etiam dicendum est, si incestus committatur ante consummatum matrimonium, vt constat ex integra cap. 2. *de eo qui cognouit*. de qua iam supra, & ex dictis in hoc numero, & docet etiam Thomas Sanchez lib. 7. disp. 15. num. 6. & 7.

8 Quartò obseruandum est hoc impedimentum incestus non oriri ex coniunctione cum qualibet consanguinea vxoris vel viri, sed tantum cum ea, quæ esset in primo, vel secundo gradu, tam lineæ transuersalis, quam rectæ. Quare si ea fœmina est in tertio gradu non oritur ex eo incestu eiusmodi impedimentum. Quod ita planè asseritur à Pontificibus, & Conciliis vt valde mirer nonnullos Doctores aliter sensisse. Et in primis satis magno argumento esse debet, quod in omnibus canonibus, in quibus de hoc impedimento sermo est, nunquam ponitur exemplum vltra secundum gradum, sed tantùm commemoratur filia tra, consobrina, nurus, pater, filius, frater soror. Sed quid egemus coniectura? Alexander III. in append. Lateranens. part. 6. cap. 15. hæc habet. *Cum quidam repudiata vxore legitima aliam consanguineam eius cognouisset, vxor virum repetit, ille matrimonium negat, & secundæ copulam confitetur, matrimonium tamen cum prima probabatur. Pontifex consulitur, qui respondet. Si prima mulier, & secunda se vel prima, vel secunda linea contingunt, tu virum facias vtraque omni contradictione, & appellatione cessante carere, & sine spe coniugij perpetuo manere. Si vero eas in tertio gradu solummodo, vel supra se contingere constiterit, tu ipsum compellas à secunda recedere, & de commisso Pœnitentiâ sibi condigna imposita eum priorem sicut vxorem suam recipere, & maritali de cætero affectione tractare constringas.* Hæc ibi, & part. 12. capit. 1. in fine ita inquit. *Sane si aliquam vxoris suæ consanguineam, quæ illi in tertio gradu vel deinceps contingat, carnali commixtione cognouerit, non est propter id diuortium inter eos celebrandum, sed delinquenti est secundum qualitatem personæ, & criminis pœnitentia imponenda.* Non ergo rectè Thomas Sanchez lib. 7. disput. 15. num. 4. dicit per Tridentinum restrictum esse hoc impedimentum ad duos gradus, & iure antiquo coniugem committentem incestum cum consanguineis alterius intra quartum gradum teneri hoc impedimento, cum contrarium excitatis canonibus constet apertissimè.

9 Quin-

9 Quintò obseruandum est, hoc impedimentum non incurri, nisi crimen incestus sit publicum, & quod in iudicio probari possit, licet de eo nulla lis vel controuersia mota sit, cuius contrarium docet immeritò Thomas Sanchez disputat. 15. citat. numero 13. contra manifestas Pontificum decisiones, quas accipe. Alexander Tertius in append. citata parte 12. capite 1. hæc habet. *Si quis parochianorum tuorum matrem forte, vel sororem, vel filiam vxoris suæ carnaliter cognouerit, & hoc publicum, & manifestum fecerit ab ea penitus est separandus, & vterque illorum scilicet tam mœchus, quàm mœcha debet sine spe coniugij perpetuo permanere. Si autem hoc secretum, & occultum fuerit, pœnitentiam de commisso debet accipere, & vxori suæ intra tempus pœnitentiæ vel extra debitum si exegerit, soluere.* Et in eadem parte capite quinto, cuius verba iam supra adduximus, & capite sexto, ibi: *Si publicum, & notorium fuerit, & eam, quam prius cognouerit vxoris suæ consobrinam esse constiterit, aut alij comparent, qui hoc velint, vel possint legitime comprobare, ipsum religionem intrare commoneas, & inducas. Si autem eum ad hoc inducere non poteris, ei de tanto debito dignam pœnitentiam imponas, & ipsum ab vtraque muliere remoueas, & sine coniugio perpetuo manere præcipias. Sed si delictum eius occultum esse recognoscis, ipsum cum vxore quam in facie Ecclesiæ duxit, morari permittas & eidem de commisso condignam pœnitentiam imponas.* Hæc ibi. Vt ergo priuetur spe coniugij ob incestum commissum requiritur, quod sit publicum, & manifestum. Id ipsum apertè constat ex eadem parte capit. 7. cum quæreretur à Pontifice de simili impedimento incestus, occulto tamen, vbi non imponitur pœna priuationis coniugij, & parte 50. cap. 4. idem Alexander III. in fine hæc habet: *Si vero id notorium esse dignoscitur, & ab vxore debet separari, & sine spe coniugij permanere.* Itaque crimen hoc publicum esse debet, licet necessarium non sit, vt iudicis sententia præcedat.

10 Sextò obseruandum est etiam hoc impedimentum incurri, si quis rem habeat cum propriis consanguineis intra eosdem gradus, priuatur enim etiam spe coniugij cum alijs ob admissi sceleris turpitudinem. Cuius oppositū multis citatis docuit Thomas Sanchez disp. 15. cit. num. 16. At ego inducor in hanc sententiam: primo ex cap. *de incestis coniunctionibus*, ex Concilio Agathensi, 35. quæst. 3. quem quidem canonem in hunc sensum accipiendum esse probat, quod adduximus supra ex Gregorio in illa epistola 32. cuius etiam verba plane indicant, eum qui consanguineam suam nouerit, nulli copulandum, inquit enim: *Neque eam, quam aliquis ex propria consanguinitate vxoris scilicet coniugem habuit, aut illicita polutione maculauit, in coniugium ducere vlli profecto liceat Christianorum.* In cuius confirmationem adducitur textus ex Concilio Agathensi. Ergo non tantum sermo est de non ducenda vxore consanguinea, sed de priuatione coniugij eius, qui consanguineam agnouerit. *Vlli*, inquit, *Christianorum*, non dicit *vlli ex consanguinitate*, sed absolutè, *vlli Christianorum*. Eadem etiam ratione facit textus in dict. cap. *si quis viduam* 32. quæst. 7. ibi, *si quis neptem aut consobrinam, & c. si duo*, 35. quæst. 6. in fine.

11 Extendendum etiam est hoc impedimentum ad eum, qui cognouit illam fœminam, cum qua est tantum impedimentū publicæ honestatis ex matrimonio rato nōdum consummato, quamvis ex eo matrimonio nulla sit orta affinitas, vt plane conuincit textus in cap. 2. *de eo qui cognouit*, iuncta integra, vt consideraui supra. In specie enim eius textus contractum erat matrimonium tantum, non consummatum. Sed num quid extendendum erit ad eum qui cognouit illam, cum qua est impedimentum publicæ honestatis ortum ex sponsalibus validis? Affirmat Thomas Sanchez disput. 15. citat. num. 5. commotus textu in dict. cap. 2. quem intelligit de sponsalibus de futuro, sed quam in ea interpretatione aberret à veritate constat ex dictis. Quare dico nequaquam extendi, neque enim id vllo iure cautum est, maxime cum impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus non sit ita antiquum impedimentum, vt dicam infra libro sequenti.

12 Denique illud addendum, quod ex citatis canonibus colligitur, istud impedimentum non incurrere eum coniugem, qui ignarus cum consanguinea vxoris, vel viri copulatur cap. 1. *de eo qui cognouit*, & alibi sæpe. Neque etiam illam, quæ violenter opprimitur cap. *discretionem, de eo qui cognouit.*

De alijs impedimentis ortis ex crimine.

CAPVT XIIII.

SVMMARIVM.

Parricidium, siue Matricidium impedit, n. 1.
Vxoricidium etiamsi deprehensa sit in adulterio impedit, num. 2.
Etiam Viricidium, ibidem.
Presbytericidium, publica pœnitentia, Patrinus filij, attentatum matrimonium cum monali, Raptus alienæ sponsæ impediunt, n. 3.
Hæc impedimenta adhuc vigere quidam opinãtur, verius cessasse, n. 4.

1 SED & aliqua homicidij genera eadẽ pœna vindicata sunt, quę breuiter perstringã. Primum est parricidiũ, quo etiã nomine intellige matricidiũ. Sic habetur in Concilio Mogũtino sub Rabbano Mauro c. 20. & dicitur idẽ Sacris Canonibus constitutũ esse, & Vvormatiense, c. 30. Extendit ad fratricidas, & ex indulgẽtia concedit licentiã nubendi, ne in grauiora crimina prolabantur. Idẽ habet Nicolaus I. in Append. Epistol. eius Epist. 18. & *c. latorem, 33. q. 2.* de matricidio loquitur, ex indulgentia etiam connubio præmisso. Ad matres quoque filiorum interfectrices eandem pœnã extendit Alexander III. in Append. Lateran. p. 50. c. 12. Quibus etiam si induci non possunt, vt in monasterio degant, ex indulgentia connubium conceditur.

2 Secundo eadem pœna punitum est vxoricidiũ, *cap. interfectores 33. q. 2.* quod est Nicolai I. & *c. admonere 33. q. 2. & c. quicumque, eadem causa & quæstione.* Quod verũ est, quamuis in adulterio deprehẽsam occidat, etiamsi per leges ciuiles impunè fiat. Secus erit, si occideret auctoritate iudicis iam cõuictã, & sententia condẽnatã. Idque indicãt verba textus in *d. c. quicumque*, ibi. *Absque lege, absque certa probatione.* At fœminæ virum interficienti non eandem pœnam impositam esse docet Thomas Sanchez lib. 7. disp. 16. n. 6. quia existimat diuersam esse rationẽ sicut in raptu. Sed magis placet quod docet Rebellus lib. 3. de matrim. q. 18. §. de vxoricidio, eandẽ pœnã impositã esse fœminæ virum interficienti vt expresse constat ex *c. 1. de diuortijs*, & habetur in *c. siqua mulier 31. q. 1.* fœmina propter insidias mortis, quas marito tendit, si ille se defendẽdo aliũ occidit, priuatur spe cõiugij. Quẽ etiã casum ad virũ extendi, docet Henricus Canisius *d. c. 1. de diuortijs* argum. tex. *in c. nihil iniquius, & c. indignantur 32. quæst. 3.*

3 Tertiò eadẽ pœna punitũ est presbytericidiũ *c. qui Presbyterum, de pœnit. aut remiss.* At debet esse in iudicio conuictus iuxta Panormit. ibidem, quem sequuntur Toletus in Summa lib. 7. cap. 19. & Sa verbo. *Impedimenta matrimonij non dirimentia, n. 9.*

Præterea, qui ob crimen aliquod in publica & solẽni pœnitentia erant, nubere prohibebãtur, nisi peracta pœnitẽtia. Sic statuit Cõcil. Arelatẽse 2. can. 21. Leo I. Epist. 92. & c. 12. Toletanũ 6. c. 7. Regiaticinũ c. 7. Gregor. 7. lib. 8. Epist. 48. & peracta pœnitẽtia matrimoniũ conceditur *c. audiuimus c. siquis, cum duobus sequentibus, 33. q. 2.*

Deinde qui sit Patrinus filij, ne possit ab vxore debitum petere, mortua vxore interdicitur matrimonio, *c. de eo 30. q. 1.*

Rursus eadem pœna punitur qui sacram Deo fœminam cõiungere sibi matrimonio præsumeret, *c. Hievro 27. q. 1.*

Denique punitur etiã eadẽ pœna raptus alienæ spõsæ, *c. statutum 27. q. 2.* Atq; cũ hac limitatione accipiẽdũ quod est in *c. si autem 36. q. 2.* Punitur autẽ ea pœna ob iniuriã matrimonio illatã, siue ea fœmina virgo, siue corrupta sit, & eadẽ pœna extẽditur ad spõsam raptam, si illa postea raptori cõsentiat, colligiturq; ex *d. c. statutum* à cõtrario sensu. Nõ autẽ extẽditur ea pœna ad rapientẽ spõsam de futuro, cũ ea cõstitutio valde odiosa sit, quãtis oppositum dicat Rebellus sine vllo fundamẽto lib. 3. q. 18. §. *de raptu.* Quæ autẽ requirantur, vt raptus sit punibilis legibus Ciuilibus & Canonicis, & quãdo dirimat matrimoniũ cũ rapta, dicã lib. sequẽti.

4 Sed an hæc impedimẽta, quæ ex crimine oriũtur, vim habeãt, an vero iã in desuetudinẽ abierint, eo quod multi viri docti in diuersis locis testantur de generali cõsuetudine nõ petẽdi dispẽsationẽ, varietas est. Nonnulli adhuc extare dicunt, & vim habere, & sub mortali teneri non cõtrahere cum illis, nisi dispẽsatione petita & obtẽta, sic Rebellus q. 18. cit. in fine. Toletus vero lib. 7. c. 19. inconstanter affirmat esse peccatũ, nec se in eo firmũ esse dicit. At Thom. Sanchez lib. 7. disp. 17. existimat iã nullũ esse peccatũ in istis criminibus sine dispẽsatione cõtrahere, quod mihi videtur verius. Quod enim maius signũ inductæ consuetudinis, quod à lõgo tẽpore nũquã dispẽsatio peratur, neq; Prælati de petẽda dispẽsatione fideles vllo vnquã tẽpore monere curẽt, cũ tamẽ satis verosimile sit esse huiusmodi crimina. Quis autem in eis dispẽsare possit in casu, quo vigerent, dicam lib. 8. & hactenus de isto.

DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBVS.

LIBER SEPTIMVS.

Hæc est præcipua huius operis pars, & magis necessaria. Solent autem impedimenta dirimentia his versibus comprehendi.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

De impedimento erroris latè disserui supra lib. 4. Quare ea quæ restãt explicanda sunt hoc ordine: Votum, Ordo, Cognatio quæ nascitur tam ex sanguine, quam copula, sponsalibus, & sacramento, Conditio, Crimen, Vis, Cultus disparitas, Ligamen, & Impotentia.

DE IMPEDIMENTO VOTI.

CVM agendum sit de impedimento voti solemnis dirimente, placet à capite rem istam exordiri, & arduam, inuolutam, & perdifficilem materiam de voti monastici solemnitate exactè, quantũ in me fuerit, discutere, in vnum colligens ea, quæ de hoc argumento varijs in locis scripsi. Pœnitet enim me, dum lego Sanctium in ista disputatione, quod Theologus & è Societate IESV tam parum feliciter de hoc argumento, quod tamen maximè ad Societatis institutum illustrandum attinet, disputauerit. Explicabo itaque in quo consistat votorum solemnitas, deinde quo iure introducta sit, & denique quo etiam iure votum monasticum sit impedimentum dirimens matrimonium. Si tamen nonnulla præmisero de religionis statu non injucunda, neque explicatu facilia & ad ea, quæ dicenda sunt, de votorum solemnitate valde necessaria, hinc sumpto principio

Antiqui-

Antiquitas status religiosi conuincitur ex eo, quod Apostolorum discipuli, & sequentibus sæculis alij verè religiosi fuerint.

CAPVT I.

SVMMARIVM.

Hæreticorum & quorundam Catholicorum sensus de initio status religiosi, n. 1.
Eius antiquitas, n. 2.
Probatur ex Basilio, & Chrysostomo, n. 3.
Ex testimonio Possidij, n. 4.
Ex sermone 1. & 2. de Communi vita clericorum, n. 5.
Probant alij ex sermonibus ad Eremitas, n. 6.
Eos sermones cognitos Vrbinati contra Louanienses, n. 7.
DD. qui illos Augustini esse fatentur, n. 8.
Diluitur obiectio, n. 9.
Probantur etiam vota monastica ex Augustino, num. 10.
Et ex Eusebij decreto, n. 11.
Ex Abdia, & Dionysio, n. 12.
Ex eo quod PP. dicunt manasse religiones ab Apostolorum exemplo, n. 13.

1 RELIGIOSVM statum, quem esse perfectionis per tria vota perpetuò adipiscendæ docuit D. Thomas, vt infrà suo prosequemur loco, irridենt Hæretici, nouitium institutum asserunt, & quarto sæculo prope Constantini tempora, cum viguere Antonius, Serapion, Euagrius, Marchus, Pachomius Macharius, & alij in Lesbia, Palæstina, & AEgypto repente mundo apparuisse testãtur; vota quoque status monastici reijciunt. At quod magis mirandum, atque dolendum, ex Catholicis nonnulli, nescio quo consilio, licet laudent religionis statum, at votorum originem non nisi Benedicti tempore agnoscũt, non alio, quam Duce Erasmo.

2 Verum contra hos omnes instituti religiosi veneranda vetustas nobis demonstrãda est, & consequenter etiam votorum monasticorum. Ista enim duo religionis status, & votorum obligatio adeo sunt interse cõnexa, atque coniuncta, vt prius illud sine hoc postremo consistere nequaquam possit, vt infrà latius ostendemus. Status igitur religionis adumbratus quidem, vt nõnullis placet, in naturæ primordijs ante diluuium cum de Henoch dicitur Genes. 5. *Iste cæpit inuocare nomen Domini*, hoc est, cæpit religiosè viuere; vt omittam etiam apud gentes aliquam eius vmbram extitisse, vt docet Clichtoueus in opusculo de laude monasticæ institutionis cap. 3. Adumbratus etiam in lege scripta in Nazaræis, qui voto ad tẽpus adstricti durioris, & seuerioris vitæ genus profitebãtur. Quam vitæ rationem ad Heliam, & Heliseum, & filios prophetarũ Carmelitanæ Religionis primordia, & immobilia fundamenta refert Hieronymus Epist. 4. & 14. Præcipuè tamẽ veræ religionis status in Christiana Republica cæpit vigere, cum Apostolis Christo Domino eum statum instituente, & ad eum adhortante.

3 Quam originem & vetustatem vt demonstrem, ascendamus â 4. sæculo vsque ad Christum. Probant autem vota monastica, atque ideo religiosum statũ antiquiora Benedicto fuisse complura Patrũ testimonia. Atque vt silentio præteream per Basilium Magnum collectos Monachos & moniales emissis votis, vt constat ex c. 11. de constit. monast. & ex sermone de institutione Monachorum ante regulas fusius disputatas, ex ipsis regulis interrogatione 14. & lib. de vera virginitate, & in Psal. 44. in illud; *Adducentur Regi virgines*, & alibi sæpe: & vt omittam etiam Chrysostomũ tomo 5. ad Theodorum Monachum, & contra vituperatores vitæ Monasticæ, & Cassianum eius discipulum lib. 4. de institutis cœnob. c. 23. & 36. & Hieronymum in Epistola ad Rusticũ Monachum, & in Epistola ad Eustochium de custodia virginitatis, & in epist. ad Demetriadem virginem de virginitate seruanda, quorum Patrum verba sigillatim refert Alphonsus Salmeron tomo 8. in nouum testamentum tract. 52. prope finem, qui omnes antiquiores Benedicto fuere.

4 Igitur, vt hos Patres omittam, in nostra certè Augustiniana Religione ab Augũstini temporibus ad illa triaste voto adstrinxerunt Eremitæ, & Regulares Canonici. Proferam vnum aut alterum testimonium. Possidius in Augustini vita: *Factus ergo presbyter monasterium intra Ecclesiã mox instituit, vbi cæpit viuere, secundum regulam sub Sanctis Apostolis constitutam, quod ipse prius fecerat, cum de transmarinis ad sua remearet.* Vbi in primis nostræ Sacræ Eremitanæ religionis institutio prior asseritur institutione, vel reformatione Canonicorum Regularium per Augustinum facta. Tum quia monasterium illud nequaquam Canonicorum fuit; eorũ

enim monasteriũ Augustinus iam ad Episcopatũ euectus constrinxit, vt & ipsi Regulares Canonici olim contra Benedictinos allegarũt referente Basilio Sireno Canonico Regulari. Quare illud *intra Ecclesiã*, idem est, atq; intra diœcesim illã. Tum etiã, quia quãuis monasteriũ illud Canonicorũ Regulariũ fuisse daremus gratis, adhuc prius seruasse dicitur Augustinus cũ Eremitis eandẽ vitã, cũ de Marinis remearet ad Africã, & in Africa ante illud intra Ecclesiã constructũ monasteriũ in alio cõsito in horto, quẽ Valerius Episcopus Augustino cõcesserat, vt liquet ex sermone 49. de diuersis, cuius quanta sit antiquitas & auctoritas dicã postea. Deinde illud Possidij verbis plane edocemur, nisi cæcutiamus nimis, institutũ nostrũ Eremitanũ constitisse emissione votorũ. Nam *viuere*, inquit, *cæpit secundũ regulam sub sanctis Apostolis constitutã*. At qualis regula custodita sub Apostolis? Præceptorum neta itũ? Absit, etiã consiliorũ, & perfectionis Euãgelicæ præstituta forma, ad quã se voto adstrinxerunt & Apostoli, & eorũ discipuli, vt cõstabit ex dicẽdis in hoc capite & sequẽti. Quod si ad illorũ normã instituit Augustinus Eremitas proculdubio, & emittebant vota, cum Augustinus Apostolos vota emisisse planè docuerit, vt dicam cap. sequenti. Quod argumentũ validè intorquet Aluarus Pelagius lib. 2. de planctu Ecclesiæ c. 56. prope finẽ, vbi ex votis Augustiniano rũ fratrũ probat cõtra Aduersarios ab Apostolis emissum paupertatis votum.

5 Nostros etiã Eremitas votis religiosorũ adstrictos efficaciter confirmant ea, quæ Augustinus habet sermone 1. & 2. de cõmuni clericorũ vita, vbi apertissimè nostræ religionis initia à Canonicorũ Regulariũ initijs diuersa proponũtur, & referũtur ab Augustino. Eos autẽ sermones in dubiũ reuocare, vel ipse Erasmus ausus non est. Agnoscit vt Augustini Gratianus, qui quatuor ex illis Canones accepit. Primũ in c. *nolo* 12. q. 1. Secundũ in *Canone certe* 12. q. 1. Tertium in *Canone siquis* 13. q. 2. Quartum in c. *quicumque* 17. q. 4. Agnouit etiã Concilium Aquisgranense ante hos octingentos annos celebratũ. Agnouit etiam Venerabilis Beda 2. Corinth. 8. Quare & Louanienses in sua editione vt legitimũ Augustini fœtũ suis operibus inseruerunt. Addẽ etiã eundẽ Augustinum in Psalmum 75. vbi egregium est pro votis monasticis testimonium.

6 Deniq; nostrorũ Eremitarũ vota probat Alphonsus Salmerõ tract. cit. ex sermone 5. ad Eremitas, qui est de obedientia, & Thomas Vvaldensis de sacramentalibus titulo 9. c. 87. probat ex sermone 57. aliàs 60. ad Fratres in Eremo, qui est de persecutione Christiana. Verũ sermones ad Eremitas reuocãtur in dubiũ à nonnullis Catholicis non alio quã duce Erasmo. Videant quẽ illi sequantur Antesignanũ. Pudet me; dum Catholicos ita Erasmi amore affectos video. Nos enim illius argutas ineptias admirãtes, reddidimus illustrẽ dignum qui lateret, & cimmerijs obliuionis tenebris cũ omni sua prole sepeliretur. At sermonẽ illum, quem Vvaldensis citat, agnoscit vt Augustini Bartolomæus Vrbinas in suo milleloquio, vt ex indice cõstat, & v. *Monachus*, in fine, cui vtpote doctissimo viro, & in operibus Augustini strenuè versato, & qui ante hos 300. annos scripsit, credendũ magis, quã Erasmo hæretico, atque mẽdaci. Parũ ergo considerate Louanienses in censura ad sermones ad Eremitas posuerunt illos non agnosci, neque citari ab Vrbinate. Atq; vt videat Lector, quã parui momenti sit censura decimi tomi operũ Augustini, sciat illã positã à Canonico Regulari Maburno, cui Louanienses decimum tomũ censendum cõmiserũt, qui quidquid Eremitanæ religionis antiquitatẽ confirmat erasum vellet. Sermonem etiam 241. de tẽpore, qui est de augurijs reijcit, est que in Appendice Sermo 68. cum tamen Sanctus Bonifacius Germanorũ Antistes ad Zachariã Papã scribens nominatim Augustini esse dicat, habeturque ea Epistola in hac recenti Conciliorũ editione per Seuerinum Binniũ tom. 3. p. 1. Assumptus autẽ fuit Zacharias ad Sedẽ Anno Domini 741. 5. Decẽbris ducẽtis annis elapsis ab Augustini morte. Quod si vnius Bedæ testimonio plures sermones Augustini esse fatentur, cur Sancti Bonifacij Episcopi & Martyris testimonio, quiq; Bedã præcessit, non agnoscemus eum esse ab Augustino cõscriptũ? Ethorũ sermonum ad Eremitas, quos incognitos Vrbinati censent, meminit ille sermonis 49. de vita, & sermonis 54. de obedientia verbo *Monachus*, & sermonis 60. de persecutione Christiana, & sermone 62. de timore. Quod si ideo Louanienses non agnoscit ab Vrbinate scribũt, quia non meminit illorũ omniũ, necesse est, fateantur multos etiã indubitatos Augustini sermones ab eo non agnosci, siquidẽ nõ eorũ omniũ sermonẽ fecit, quod absurdissimũ est. Nec verò quod in quibusdã sermonibus eorũ, duobus scilicet, aut tribus aliqua reperiantur, quæ absurda iudicantur,

cantur, & licet demus ita rem se habere, inde efficitur omnes alios spurios & adulterinos esse. Quis æquus iudex non iniquum cē sebit eiusmodi iudicium?

7 Quare sermones ad Eremitas vt Augustinianū fætū agnoscūt nō pauci, insigneq; Scriptores. Hi sunt, vt ab antiquioribus inciamus, Prosper Aquitanicus, Augustini discipulus, qui in libro sentētiarū, quas fatetur se ex operibus Augustini desumpsisse, aliquas inseruit, quas certè nisi in his sermonibus ego hactenus reperire nō potui. Huiusmodi est sentētia 71. quæ reperitur in sermone 30. & 71. ad fratres in Eremo; & sentētia 388. eisdē fere verbis reperitur in sermone 48. neq; alibi reperire potui, licet diligēter quæsierim. Auctor cōmentariorū in proverbia, qui sunt inter opera Hieronymi, quiq; Venerabili Bedæ attribuūtur, tanquā ex opere Augustini profert illa vulgaria Carmina,

Quisquis amat dictis absentū rodere famā, &c. Quæ extāt in sermone 26. Quare ex eo sermone citasse Bedā affirmāt Marianus Victorius Episcopus Amerinus in cēsura tomi 8. operū Hieronymi, quæ in eius tomi initio reperietur, & Sixtus Senēs. lib. 4. Bibliothecæ v. *Hieronymus* in §. de cōmentarijs in proverbia Iuo Carnotēsis ante hos quingentos annos 3. p. sui decreti c. 177. S. Anton. Paduanus ante hos quadringētos in 2. quadragesima, in serm. feriæ 6. in capite ieiunij de diligēdis inimicis testimoniū habet ex serm. 10. S. Bonauent. in meditat. Vitæ Christi c. 73. profert tāquā Augustin. sententiā ex serm. 27. B. Iordanus in lib. quē Vitas Fratrū inscripsit lib. 2. c. 7. citat sermonē 20. & 27. c. 11. citat serm. 17. & cap. 13. serm. 60. & alibi sæpe alios. Lādulphus Carthusianus ante hos fere 300. annos 1. p. c. 14. Vitæ Christi & alibi sæpe testimonia ex eius sermonibus profert. Fernādus Hispanus Episcopus Tarraconēsis in sermone in festo D. Augustin. qui extat inter sermones B. Iordani, Frāciscus Petrarcha ante hos 250. annos lib. 2. de Vita Solitaria tract. 3. c. 5. Vvaldensis ante 200. annos loco iā supra cit. Antonin. 3. p. tract. 24. c. 14. ante §. 2. Dionys. Carthus. serm. 3. de S. Augustin. qui ante annos 150. scripsit. Ex scriptoribus autē nostri sæculi illis vt Augustin. sermonibus vtūtur Alphōsus Salmerō §. 8. in nouū testamentū tract. 52. Nauarrus cōment. 1. de Regularib. n. 26. Frāciscus de Pisa lib. 2. de Historia Toletana cap. 24. fol. 163. col. 2. Loaisa in notis ad 4. Concil. Tolet. c. 22. Illustris. Antonius de Caceres Episcopus Asturicensis 2. p. sermone de tēpore feria 6. post 4. dominicā quadragesimæ Ferdinādus Velosillo Episcopus Lucēsis in notis ad Eccles. Doctores quæsito 31. & 32. ad tom. 10. August. Episcopus Monopolitanus in Epit. Sanctorū lib. 1. c. 1. n. 21. & lib. 3. c. 24. n. 11. & lib. 5. c. 12. n. 34. Paulus Morigia lib. 1. de orig. relig. c. 12. Renatus Choppinus lib. 1. Monasticorū tit. 3. nu. 7. Petrus Maturus in notis ad Antoninū loco cit. §. 2. Gabriel V. 1. 2. disp. 189. c. 12. n. 94. & disput. 190. c. 9. n. 82. & disp. 203. c. 4. n. 34. Michael Medina lib. 1. de contin. Sacrorū hominū c. 53. Ludouicus de Mirāda in manual. prælat. q. 5. art. 1. Anton. Molina Carthusianus in lib. de instit. sacerdot. tract. 1. c. 5. §. 2. & tract. 2. c. 12. & c. 15. §. 3. Seraphinus Capponi in c. 28. Deuteron. Demochares de ministris sacrificij altaris c. 23. fol. 77. col. 3. Ioannes Trullus Canonicus Regularis lib. 1. c. 7. n. 3. & c. 18. n. 10. Denique insignis Eremitani nostri instituti aduersarius Ioannes Maburnus Canonicus Regularis, cuius est censura sermonū tomi 10. August. in lib. quem scripsit; Venatoriū Canonicorū Regulariū, & extat M. S. in Bibliotheca S. Victoris Parisiensis lib. 1. cap. 22. fatetur hosce sermones Carolo Magno antiquiores esse. Eius verba hæc sunt. *Passim in fronte librorum sermonum istorū inuenimus, quod isti sermones in Abbatia Sācti Dionysij fuerunt comperti, in quodam libro à presbytero Ioanne Capeliano Ecclesiæ Sanctorū Gervasij & Prothasij tempore Regis Pipini cōscripto.* Omitto cōplures ex nostra religione viros grauissimos, & sanctissimos, qui ex his sermonibus tanquā ex Augustini fætu testimonia depromunt, ne vti videar testibus domesticis, quibus etiā adiūgere possem ex alijs institutis minores alios.

8 At nullā Augustinus facit mentionē votorū in regula, quam Pater amantissimus suis filijs testamento reliquit. Quid opus est nominatim meminisse votorū? Certè ad illa tria adstringit Eremitas: ad paupertatis votū in illis. *Non dicatis aliquid propriū.* Ad castitatē in illis. *Inuicē vestrā pudicitiā custodite,* & multis sequentibus. Ad obedientiā in illis. *Præposito tanquā Patri obedietur.* Nō aliter quidē, nisi secundū Ecclesiæ receptā cōsuetudinē, & religiosam normā ab Apostolis deriuatā, quæ, vti diximus, votorū vinculo & obligatione constabat. Vnde merito Aluarus Pelagius loco cit. ex illis verbis Actuū Apostolorū, quæ Augustinus suæ regulæ inseruit, implicitè vota fratrū Augustinianorū cōtineri disertis verbis docet, quo

noſtra etiã roboratur ſententia. Adde etiã in ſermonibus 1. & 2. de cõmuni clericorũ vita expreſſam votorum mentionem eſſe.

9 Votorũ etiã Monaſticorũ vniuerſẽ meminit Auguſt. epiſt. 16. vbi reprehendit Iouinianũ æquale præmiũ reddentẽ virginib. & cõiugatis, & epiſt. 34. ad Paulinũ gratulatur, quod multi hãc perfectã vitã eligebãt, quã diues inuitatus à Domino recuſabat; & epiſt. 38. ad Leſum hortatur ne reſpiciat retro, ne redeat ad ſæculũ, & parẽtes, & epiſt. 72. ad Bonifaciũ Comitẽ hortatur ad implẽdũ votum monachatus, quod emiſerat; & in Pſal. 132. laudat monachorum vota, ſicut & lib. 1. de Moribus Eccleſiæ cap. 31. & lib. de vnit. Eccleſ. cap. 14.

10 Sed his omnibus antiquior Euſebius 1. qui creatus eſt Pontifex Anno Domini 309. ante Cõſtantini tẽpora, religioſi ſtatus & votorũ Monaſticorũ antiquitatẽ oſtẽdit. Nam *Can. deſponſatã 26. q. 2.* dicit trãſeũte ad religionẽ fœmina coniugata ante copulam matrimoniũ diſſolui. Nec verò tanquã legẽ nouã ſtatuit, ſed eã à maioribus deriuatam. Igitur illis ſæculis is erat religionis ſtatus, qui dirimeret ratum matrimonium. Votum enim ſimplex extra religionem nunquam eam vim habuit, vt manifeſtiſsimum eſt, & infrà ſuo loco dicemus.

11 Sed quid auctoribus Apoſtolorũ ſæculo poſterioribus indigemus, cum habeamus Abdiã Babylonicũ ab ipſis Apoſtolis ordinatũ, qui in vita Matthæi meminit Iphigeniæ Deo Sacratæ Virginis, & à nuptijs vocatæ. Habemus etiã Dionyſiũ Areopagitã Apoſtolorũ Coætaneũ lib. de Eccleſ. Hierar. c. 6. id manifeſtè docentem ab illis verbis; *Interrogatur ingrediens; ſi renuntiare proponat rebus ſæculi cum concupiſcentijs ſuis, quo cõfitente per ſingula tunc profitetur clara & alta voce dicens. Ego facio profeſsionẽ meã Deo, &c.* Quẽ librũ, quãuis Dionyſij Areopagitæ nõ eſſe falſò mentiantur hæretici, tamẽ eũ alteri Dionyſio illius Synchrono attribuunt, quod etſi daremus illis, adhuc relinquitur eo tẽſtimonio antiquitatẽ inſtituti monaſtici cõprobari, vtpote, qui inter ipſos Apoſtolorũ diſcipulos viguerit. Vindicat tamẽ Dionyſij librum ab Hæreticorum calumnijs Egregie Martinus del Rio in vindicijs Dionyſij cap. 3.

12 His præterea accedit, quod ab Apoſtolorũ exẽplo religiones Manaſſe teſtãtur grauiſsimi Eccleſiæ Patres. Euſeb. lib. 1. Hiſtor. c. 16. Hieronymus in lib. de Viris Illuſtribus in Philone, Chryſoſtomus homil. 17. ad populũ, & homil. 11. in acta. Auguſt. ſermone 1. & 2. de com. vit. cleric. & epiſt. 89. c. 4. Poſsidius in vita Auguſtini, Iſidorus lib. 2. de officijs c. 15. Caſsianus collat. 15. c. 5. *Cœnobitica*, inquit, *diſciplina à temporibus Apoſtolicæ prædicationis ſumpſit exordium*, & collat. 16. c. 1. & lib. 2. de inſtitutis Cœnobitarũ c. 5. Bernardus in Apologia ad Guillelmũ nõ longè à fine, Petrus Bleſſenſis in aduentu ſerm. 4. & ſerm. 31. & ſerm. 50. Pius IIII. in Bulla edita 18. Ianuarij Anno 1564. de præcedentia Canonicorum Regularium.

Aliquos ex Apoſtolorum diſcipulis verè religioſos fuiſſe.

§. VNICVS.

SVMMARIVM.

Apoſtolorum aliquos diſcipulos verè religioſos fuiſſe, probatur auctoritate DD. n. 13.
Ex cenſura Academiæ Pariſienſis, n. 14.
Ex ſacris literis, n. 15.
Obiectio hæreticorum, n. 16.
Et ex actis Apoſtolorum idem oſtenditur, n. 17.

13 EX quibus omnibus planè efficitur, non ſolùm prope Benedicti, aut Cõſtantini tẽpora religioſum ſtatũ, & vota monaſtica mundo apparuiſſe, ſed etiam aliquos ex Apoſtolorũ diſcipulis verè religioſos fuiſſe, ac emiſiſſe vota, idq; probat conſenſus fere Doctorum omnium. Nam aliquos ex Apoſtolorũ diſcipulis verè religioſos fuiſſe, & votis ſe obligaſſe, atque adeo votorũ & ſtatus religioſi initium à primis Eccleſiæ temporibus extitiſſe, expreſſè affirmant Albertus Pighius controu. 14. de votis Monaſt. Turrecremata lib. 1. ſum. de poteſt. Eccleſ. c. 76. Baronius tomo 1. Anno Chriſti 64. à n. 3. Gregor. de Valencia in conuerſ. fid. lib. de ſtatu Religioſ. & c. vltimo eius libri. Turrianus lib. 5. per epiſtol. Pontif. c. 2. Orantius contra Caluinũ lib. 5. c. 12. Ruardus Tapper art. 20. cõtra Lutherum. Driedo de dogmat. lib. 4. c. 5. p. 5. Franciſcus Somnius in demonſt. de conſt. Euang. c. vlt. Creſpetius in ſumma Catholicæ diſciplinæ v. Monachus §. 1. Garcias Loaiſa in notis ad Concilium Toletanum 3. Can. 4. Claudius Spencæus lib. 4. de continentia c. 10. Alanus Dialogo 2. c. 3. & ſeq. Thomas Staplitonius in Antidoto in acta Apoſtolorum in illud. *Erant illis omnia communia*, Felicianus Ninguarda in aſſertionibus fidei Catholicæ art. 25. Oſius Cardina-

lis,

lis, Albertus Pius, Latomus, & alij, quos referam etiam cap. sequenti. His adde Ricardum Cœnomanum in Antidoto contra censuram Erasmi circa regulam Augustini.

14 His etiam Doctoribus adiungamus censuram Academiæ Parisiensis, quæ est ad finem primi tomi operum Augustini in editione Parisiensi Anni 1541. in hæc verba. *Anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo nono, die Sabbati vltima Ianuarij fuit congregata Sacra Theologiæ facultas apud Sanctũ Mathurinum, per iuramentum post Missam de Spiritu Sancto super difficultate orta circa censuram Erasmi super tertiam regulam religiosorum Sancti Augustini. Dubitabatur autem à plerisque, an religiosi vouebant tempore Augustini, & ad supplicationem Fratrum Sancti Victoris, qui petebant solutionem illius difficultatis, Facultas disputauit de materia illa, non solum per deputatos, sed per totam facultatem disputatum est diligenter, & tandem matura præcedente deliberatione concluſum fuit, quod religiosi Sancti Augustini, & Monachi illius temporis vouebant, & quod illa censura Erasmi non est probanda, sed est scandalosa: & Apologia Magistri nostri Cœnomani contraria illi censuræ est recipienda, & digna quæ imprimatur.*

15 Sed videamus an etiam ex sacris literis confirmari possit aliquos ex Apostolorum discipulis verè religiosos fuisse. Id certe quod memoratur in actis c. 4. *Erat cor vnum, & anima vna, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, nec quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, venientes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum, & diuidebant cuique, prout cuique, opus erat*, quid aliud quàm veræ religionis statum nobis describit, atque ante oculos proponit. In præfatione Conciliorum de quadruplici Apostolorum Synodo prope finem post hæc verba subiungitur: *Nota ex hoc decreto Apostolicam fundatam esse vitam, & conuersationem omnium religiosorum, vitam Beatorum in patria, vbi omnia sunt communia imitantium.*

16 Quod si hæretici dicant nulla hic inueniſſe vota; in eo quod memoratur in Actis, insaniunt vt solent. Et in primis id fine speciali voto non fuisse docuit Hieronymus Epist. 8. August. serm. 1. & 2. de com. vit. Clericorum, vbi dicit id ipsum se cum suis facere voluisse, quod primos Christianos fecisse testantur Apostolorum Acta, sæpiusque repetit nulli in ea vita licuisse aliquid habere proprium, idque ex voto & promissione Deo facta.

17 Præterea nonnulla scribuntur in eodem Actorum libro, ex quibus voto adstrictos priores illos Apostolorum Discipulos non obscurè colligitur. Quid enim subita illa morte Ananiæ & Saphyræ propter retentam pretij partem, nisi proprietatis commissum ab illis crimen euincitur? Si enim nullo ad manifestandum & reddendum pretium voto tenebantur, sed tantum erat gratuita, liberalisque donatio, cur tam seuerè puniti sunt, cum nec peccarint quidem? Quid obsecro egerunt illa tam seuera obiurgatione dignum secluſa violatione voti? *Cur tentauit Satanas cor tuum fraudare de pretio agri, aut mentiri te Spiritui Sancto? Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate?* In quo fraudauerunt de agri pretio, aut mentiti sunt Spiritui Sancto, si nullo tenebantur voto? Itaque votum ab illis violatum affirmarunt Patres ipsa textus narratione conuicti, Athanasius de Passione Domini prope finem ab illis verbis, *merito igitur reiecta sunt.* Basil. serm. de instit. Monachorum ab illis. *Danda omnino nobis sedulo opera est.* Caryſostomus homil. 12. in Acta ab illis. *Quare hoc feciſti?* Nazianzenus in carmine illo pulcherrimo, quo præcepta tradit virginibus, & virginitatem summis laudibus celebrat ab illis, *Quis porrò pœnam.* Ex Latinis autem Cyprianus lib. de exhortatione Martyrij ab illis, *Quod quis Deo vouerit.* Hieronym. in Epistola ad Demetriadem de virginitate seruanda ab illis, *Ananias, & Saphyra dispensatores timidi*, & in Epistola ad Rusticum Gallum. Augustinus sermone 27. de verbis Apostoli & serm. 10. alias 12. de diuersis in editione Louaniensi. Fulgentius in Epistola de debito coniugali cap. 8. ab illis, *Quam sit malum.* Gregor. lib. 1. Epistola 33. ad Venantium Italiæ Cancellarium. Arator lib. 1. in Acta Apostolorum ab illis. *Sed quod mutata voluntas.* OEcumenius & Beda in eundem locum. Referunt horum omnium Patrum verba, Alphõsus Salmeron tomo 12. in nouum testamentum tract. 21. Bellarminus lib. 2. de Monachis cap. 20. Et Patrum etiam fuisse communem sententiam scribit Baronius tomo 1. Anno Christi 34. num. 264. Qui & patribus etiam subscripsere, vt hinc liqueat quam temere Caietanus in Acta ausus fuerit affirmare, nullam fuisse voti necessitatem. Dicamus ergo cum Sacris Doctoribus, qui nobis dati duces in sacrarum lite-

rarum intelligentia, illos primos Apostolorum discipulos votis paupertatis adstrictos. Nam eorum expositiones æstimandas iam dudum cautum est in Concilio Romano 1. sub Zacharia Pontifice contra Clementem Schismaticum, quod multis postea Conciliorum decretis confirmatum, vt alibi probamus.

Idem ostenditur ex eo, quod Apostoli fuerint veri religiosi.

CAPVT II.

SVMMARIVM.

Apostolos ipsos religiosos fuisse DD. auctoritate probatur, n. 1.
Et ex Patribus, n. 2.
Et ex Pontificibus, n. 3.
Et ex Euangelio, n. 4.
Verba Euangelij expenduntur magis, num. 5. 6. 7. 8.
Quidam dissentiunt, n. 9. & 10.
Eorum fundamenta, n. 11. 12.
Diluuntur, n. 13. 14. 15. 16.
Obijcitur ratio, & diluitur, n. 17.

1 NON solùm aliqui ex Apostolorum discipulis, sed & ipsi Apostoli primi omnium emiserunt vera religiosorum vota, quasi veri religiosi. Et quidem Apostolos verè religiosos fuisse tribus illis votis adstrictos docent Doctores communi sensu. Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 88. artic. 4. ad 3. & quæst. 188. artic. 7. vouisse inquit religionis statum, quãdo Christum relictis omnibus secuti sunt. Paludanus in 4. distinct. 38. quæst. 1. definit. 5. conclus. 3. Vvaldensis de sacramentalibus tit. 9. cap. 83. num. 4. & 5. Augustinus Triumphus Anconitanus noster Eremita in summa de potestate Ecclesiæ quæst. 84. art. 1. & alijs sequentibus. Nonnulla eius verba referam infra. Aluarus Pelagius lib. 2. de planctu Ecclesiæ cap. 56. Clichtoueus in opusc. de laude monast. religionis cap. 3. Albertus Pighius de votis monast. cont. 14. vbi & Christum institutorẽ vocat. Ioannes Driedo de Dogmat. lib. 4. cap. 5. p. 5. Albertus Pius Carporum comes lib. 5. qui est de monachis litera E. Hosius Cardinalis in confes. Polonica cap. 88. Ambrosius Catherinus lib. 2. contra Caiet. Franciscus Turrianus lib. 5. pro Epist. Pontif. cap. 2. Alanus Dialogo 2. cap. 3. 4. 5, 6. 7. Alphonsus de Castro aduersus hæreses v. votum. Dominicus Soto lib. 7. de iustitia, quæst. 5. art. 1. post 6. conclusionem & quæst. 2. art. 2. ad 3. & quæst. 6. art. 1. ad 1. Alphonsus Salmeron tomo 8. in nouum testamentum tract. 52. in solutione 8. obiectionis. Orantius lib. 5. contra Caluinum cap. 14. prope finem Bellarminus tom. 2. lib. 2. de Monachis cap. 5. Hieronymus Plati lib. 2. de bono status religiosi c. 20. Gregorius de Valencia 2. 2. disp. 10. gener. q. 4. pũcto 1. c. 1. & in controuers. lib. de statu & votis religiosorum c. 2. Ioannes Azor tom. 1. instit. moraliũ lib. 11. c. 23. q. 8. Nauarr. in Apologia de redditibus contra Sarmientum q. 1. monito 9. & sequenti, & in 4. comment. de Regularib. c. 29. & 30. Gabriel Vazquez tomo 2. in 12. disp. 165. c. 5. à n. 44. Hi sunt quos ego hactenus videre potui, & præter paucos, qui refragantur, quos statim referam, qui dissentiret, aut rem hanc in dubium reuocaret, legi neminem, vt hinc pateat, quam meritò sæpe dixerim sine graui nota oppositum à Doctoribus Catholicis affirmari nõ posse.

2 Deinde id probo auctoritate Patrũ, qui idem docuerunt. Epiphanius aduersus hæreses, hæresi 18. explicans illud Matth. 17. *sunt Eunuchi*, de Apostolis hæc scribit, *Qui nam igitur ij fuerint, quam generosi Apostoli, & monasticam vitam degentes.* Chrysostomus Homil. 17. in Matth. exhortans Monachos ad Religiosam vitam hæc habet. *Vis ô Monache, esse discipulus meus, imo vis discipulorum meorum esse discipulus, fac hoc quod fecit Petrus, quod fecit Iacobus & Ioannes.* Basilius in Constitution. Monast. c. 19. *Hi scilicet, religiosi liberatoris nostri eiusque vitæ, dum inter nos versaretur institutorũ veri perfectique imitatores existunt. Quemadmodum enim ille coacto discipulorum choro communia iuncta, seque Episcopum communem Apostolis præbuit. Item hi quoque Antistites obtemperãtes, qui modo vitæ suæ præscripta recte conseruant, genus viuendi Apostolorum ac Domini imitantur.* Augustinus lib. 17. de Ciuitate Dei c. 4. *Dixerant enim Potentes illi, ecce nos relinquimus omnia & secuti sumus te, hoc votum potentissimi vouerant, sed vnde hoc illis nisi ab illo, de quo hic continuo dictum est, dans votum vouenti.* Eadẽ habet Augustinus in Psal. 131. Gregorius Magnus, & habetur in cap. ex auctoritate 24. 16. q. 1. ibi, *Sacerdotibus Monachis Apostolorum figuram tenentibus.*

Præterea

3 Præterea induco ad idem probandum duorum Pontificum testimonia. Nam Alexander III. in Append. ad Concilium Lateranens. sub ipso habitum p. 50. cap. 30. ex eo quod Ioannes Euangelista à nuptijs ad religiosam vitam euocatus sit, colligit votum religionis dirimere matrimonium. Quæ inanis collectio esset, si Ioannes verè religiosus non fuisset, neque enim ab eo posset legitimum argumẽtum desumi. Verba eius hæc sunt: *Beatum enim Ioannem & complures alios ab ipsis etiam sponsalitijs ad vitam contemplatiuam legimus euocatos, & idem eidem mulieri considenter permittere poteris vt transeat ad religionem castitatis votum seruatura.* Quibus etiam consentit Innocentius III. in *cap. ex parte secundo, de conuers. coniugat.*

4 Sed quid mirum si Patres atque Doctores in eam sententiam conspirauerint, ac Apostolos verè religiosos fuisse constanter asseruerint, quando quidem ea veritas ex Euangelio non obscurè colligitur. Illa enim Diui Petri ad Christum oratio non obscurè confirmat. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Quibus tria indicantur vota. Nam in illo *omnia*, tam terrena bona, quam vxores intelliguntur. *Quorsum enim*, vt inquit Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, *Christus postea de præmio ob vxores relictas sermonem tulisset, nisi in illo omnia, vxores etiam intellexisset?* In illo ergo *omnia*, vide Discipulorum & paupertatem & castitatem, in illo vero, *& secuti sumus te*, perfectam discipulorum obedientiam agnosce.

5 Atque hunc esse istorum verborum sensum legitimum facile conuincemus, si ea quæ præcesserant, & cuius occasione locutus est Petrus attendamus. In præcedentibus iuuenem, qui se iam mandata impleuisse à sua iuuentute iactabat, siue ex philautia seipsum decipiens, siue re ipsa mentiens, vt existimarunt nonnulli ex Patribus, ad perfectionis studium capessendum adhortatus est Christus hisce verbis. *Si vis perfectus esse vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum non deficientem in cœlo, & veni & sequere me.* Quæ verba Consilium continere, non præceptum, constans videtur esse Sanctorum Patrum sententia. Sic sensit Nazianzenus Epistola ad Hellenium, Augustinus apertissimè ad Hilarium Epistola 89. quæst. 4. & sermone 61. de tempore, Chrysostomus Homilia super illud ad Romanos. *Salutate Priscam & Aquilam*, Basilius Epistol. 29. ad Eustathium Monachum, Hieronymus in hunc Matth. locum, & in epist. ad Hedibiam, q. 1. & in epist. 6. ad Heliodorum Monachum, & in epistola ad Demetriadẽ, idemque sentiunt Doctores alij contra huius tẽporis hæreticos. Præcipuè videri possunt Alphonsus Salmeron tomo 8. tract. 52. qui omnium horum Patrum verba distinctè refert, & Bellarminus tomo 2. lib. 2. de Monachis cap. 9. & 20. Ioannes Maldonado in eum locum Matthæi, qui & non parùm efficacibus argumentis ostendit.

6 His autẽ verbis non tantũ hortatus est Christus, siue consuluit, vt solùm in affectu & præparatione animi relinqueret, vt mentitur Erasmus cũ alijs hæreticis, votis Monachorũ infensus. Atq; id inter catholicos certũ est, & quinq; optimis rationibus probat loco cit. Salmeronius. Suadet præterea optima ratio. Quia quoties sacrarũ literarũ testimonio manifesto deficimur, dubitationes in huiusmodi quæstionibus ex Romani Pontificis, ex Cõciliorũ, ex Ecclesia vsu & Magisterio hærentibus animis eximi rectè solent. Est etiam & alia ratio ad prædictas dubitationes eluendas, nẽpe vt Dei certam voluntatẽ in huiusmodi rebus ambiguis ex probatis Sanctissimorum Hominũ exẽplis, quos vitæ sanctitate ac miraculorũ præstantia Deus honestauit, colligamus, vt rectè & prudẽter scripserit Augustinus lib. de Mendacio ad Cõsentiũ c. 15. Quod pleraque in verbis scripturarũ intelligere non valẽtes, in factis sanctorum colligimus, quomodo oporteat accipi; quod facile in aliã partem duceretur nisi exẽplo reuocaretur. Cũ ergò Domini & Sanctorũ exẽpla sint optima Sacræ Scripturæ cõmentaria, consiliũ istud de relinquendis omnibus, quomodo executi sunt Sancti? An in affectu tantum? minimè. Sed cum hæc Euangelij verba recitari audierunt, re ipsa se omnibus abdicarunt, & nudũ Christum rebus temporalibus exuentes secuti sunt. Id de Beato Francisco, & Beato Antonio Paduano referunt fidi Historiographi. Idem de Sancto Antonio antiquiori scribit Athanasius in eius vita, quam nollent Hæretici scriptam ab Athanasio tanto Christiani orbis lumine, vt sic eum nobis eriperent. At Gregorius Nazianzenus atque Hieronymus, Athanasium eam vitam scripsisse testantur. Ruffinus quoque Ecclesiasticæ Historiæ, lib. 1. cap. eadem de vita Antonij per Athanasium scripta, & eundem etiam librum in Latinum

sermonem conuersum, qui hodie extat, cõmemorat. Augustinus denique lib. 8. confes. cap. 6. Antonij vitam Latine proditam narrat. Sed quid opus horum Sanctorum exemplis? Statim subiunxerunt Apostoli: *Ecce nos relinquimus omnia, & secuti sumus te*, non tantum affectu, sed re ipsa scilicet. Quæ verba adeo aperta sunt, vt quamcumque aliam euasionem, & interpretationem excludant.

7 Denique illa adhortatione & Consilio Christi implicite contineri vota, non minus certum debet esse, si rationem attendamus & Christi scopum. Exigit enim Dominus renuntiationem omnium, non puerilem & temerariam, sed perfectam, & per quam quis ad statum perfectionis ascendat. Quæ autem ea renuntiatio esset, si paulo post redire iterum liceret ad lucra & opes comparandas? Perfectio enim renuntiationis istius non in eo sita est, vt priuetur ad tempus bonorum possessione, sed vt in perpetuum careat, tam his quæ possidebat, quam his quæ sperare in posterum posset. Nec rursus vera ac perfecta renuntiatio est, nisi pacto aliquo aut promissione firmetur; nullius quippe momenti renuntiatio esset, quæ tam facile reuocari posset. Nemo namque, vt est apud I. C. potest sibi legem vllam indicere, à qua recedere non liceat. Vt ergò in manu alterius huiusmodi renuntiatio fieret, necesse erat, vt non puerilis, sed firma esset, atque perfecta, qualem Dominus exigebat à iuuene perfectionis, vt ipse dicebat, studioso. Sicut ergo Eunuchi nomine & castrationis nuptiarum ius & potestatem in perpetuum adimit Christus, & promissionem continentiæ innuit; ita nomine distributionis inter pauperes votum continetur paupertatis. Sic sentiunt Augustinus Epist. 89. quæst. 4. & in Psal. 103. Concione 3. Bernardus in Declamat. super eum locum Euangelij, quos sequuntur Recentiores Interpretes Salmeron & Bellarminus locis citatis.

8 Quod si ista adhortatione Christi abdicatio bonorum omnium, & obedientia non quæcumque, sed perfecta, non ad tempus, sed perpetua, non quæ reuocari ad nutum posset, sed voto & promissione firmata continetur, planum est, cum subiunxit huius occasione Petrus, *Ecce nos relinquimus omnia, & secuti sumus te*, de non minus perfecta, perpetua, votoque stabilita locutum renuntiatione; De eadem certe, quam illi iuueni Dominus consulebat, ad perfectionẽ vt videbatur. adspiranti. Fuerũt igitur Apostoli veri religiosi.

9 Sed aduersus veritatem hanc, quam indicat Euangelium, testãtur Patres, & vno ore Doctores affirmant, & quæ in magnam cedit laudem, & cõmendationem instituti Monastici, sentiunt nõnulli Catholici, nec vno modo. Nam quidã nulla vota emisisse Apostolos affirmant. Sic Franciscus Sarmiẽto in 1. p. Apologiæ, & in defensionibus cõtra Nauarrũ 1. p. c. 9. & Gabriel Vazquez nõ omnino secum consentiẽs opusc. de reddit. Eccles. c. 1. §. 1. dub. 2. incertum esse dicit, an Apostoli paupertatem vouerint; sed contra hos egimus cõment. de reddit. Eccles. domi nio & dispens. c. 1. §. 2. hoc est lib. de ordine, & annexis lib. 9. vbi ostendimus Apostolos seruasse paupertatem ex voto, & militãt quæ supra adduximus.

10 Probabilius loquũtur alij, qui cũ tot testimonijs Patrũ Apostolos vota emisisse cõfirmari videãt, addũt emisisse illos tria vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ, simplicia tamẽ, atq; ideo nõ his verè cõstitutũ religionis statũ. Id muniunt & auctoritate & ratione. Adducunt Bernardũ, qui in Apologia, ad Guillelmũ expressè docet, ordinẽ qui primus fuit in Ecclesia, esse institutũ ab Apostolis parũ ante finẽ in hæc verba. *Heu me miserũ qualẽcũque Monachum, cur adhuc viuo videre ad id deueniſſe ordinẽ nostrum, ordinẽ scilicet, qui primus fuit in Ecclesia, imo à quo cœpit Ecclesia cuius Apostoli institutores, cuius hi, quos Paulus tam sæpe sanctos appellat, inchoatores extiterunt?* Ex quibus verbis non tantum sequi putãt Apostolos fuisse institutores status religiosi, & nõ Christũ, sed etiã Apostolos nõ fuisse verè religiosos, quia addit Bernardus, *eos quos Paulus Sanctos appellat, fuisse inchoatores.* At iam tunc cum vocati sunt Sãcti, Apostoli erant Episcopi, atque adeo nõ erant religiosi in eo statu constituti.

11 Adducunt præterea eundẽ Bernardũ in Epistola ad Fratres de Monte Dei ferè in principio, vbi agens de religione ait. *Abipso Domino familiarissime celebrata, ipso præsente concupita, scilicet in transfiguratione*, & addit. *Post Passionẽ vero Domini, calente adhuc in cordibus fidelium effusi eius sanguinis memoria recenti, solitariam hanc vitam eligentes, paupertatem, &c.* Ex quibus etiam effici videtur Apostolos religiosam vitam minimè sectatos, sed eorum discipulos prædicantibus Apostolis.

12 Sed adhuc ego pro istorum sententia adduco, quæ sequuntur. In primis testi-

monium

monium Chrysostomi Homil.25.in epist. ad Heb. vbi dicit illa verba Pauli; *Siquis frater nominatur inter vos,ad omnes tũc fideles pertinuisse,nec tunc fuisse vestigium Monachi, sed omnia nunc D.Paulũ ad sæculares fuisse locutũ.* Deinde profero D.Thom.qui 2.2.q.187.artic.3. dicit. Religiones non fuisse institutas tempore Apostolorum. Ad hæc profero ex presiora verba ex Concil.Meldensi cap.9. *Sacrum quoque monasticum ordinẽ à Deo inspiratum,& ab ipsis Apostolis fundatum, seu à nominatissimis & Sanctissimis Patribus excultũ.* Denique adiungo alia ex Concilio Colonien si celebrato Anno 1536.p.10.cap.1.vbi hæc habentur. *Vita Monastica non multo post Apostolorum tempora cæpit: quanquam multis persuasum aliam tunc fuisse,quam nunc est, Monachismi rationem.* Hæc ibi.

13 Sed hæc omnia non cogunt nos, vt à proposita discedamus sententia, nec verò quemquam mouere debent, vt à communi Patrum, & Doctorum consensu discedant. Si enim Apostoli primi emiserunt religiosorũ vota, verèque religiosi fuerunt, rectè illi vitam monasticam inchoasse dicuntur, vt affirmat Bernardus; rectè quoque institutores illi,non quasi non instituerit Christus,sed primi institutores exemplo suo & opere & professione,quos alij in posterum imitarentur. Nec vero,quia Pauli tempore Apostoli erant Episcopi, quos appellat Sanctos,ideo necessariò efficitur, eo tempore inchoasse.Potuerũt sancti illi ante Christi mortem inchoasse, vt certè inchoarunt, quamuis ardentius post Christi mortem suũ institutum, & factam semel professionem excoluerint ipsi, vt cõstabit ex his quæ dicemus infrà de religiosis ad Episcopatũ assumptis.Quare ex Bernardo nihil contra nos.

14 Neque obstat etiam Chrysostomus, tum quia verum est non fuisse tunc Monachos aliquos, qui illis disciplinæ legibus adstringerentur, qualibus adstringebantur postea tempore Chrysostomi, segregati plane ab hominibus sæcularibus. Tum etiam quia fieri,potuit, vt in Ecclesia Corinthiorum, de qua Chrysostomus loquebatur,nulli fuerint, qui studium perfectionis ex voto,quod religiosi propriũ est, profiterẽtur. Fuisse autem Apostolos vere religiosos hoc capite & aliquos ex Apostolorum discipulis cap.præcedenti demõstrauimus ex Chrysostomo. Has duas solutiones proponit Gregorius de Valentia in controu.lib.de statu & votis religios.c.2. posteriorẽ Bellarmin⁹ lib.2. cit.de monachis c.9.

15 Id autem quod affirmat D. Thomas intelligendum est, vt eo loco docet Caietanus,quoad ritum & ceremonias,quibus postea religiones ornari & stabiliri cæperunt. Qua ratione sanè non viguit religiosæ vitæ institutum tempore Apostolorum,licet viguerit quoad religionem voti, & maioris perfectionis studium.

16 Cõciliũ autẽ Meldẽse interpretor eo dẽ modo,atq; Bernardũ.Fundatũ itaq; dico monasticum ordinẽ ab Apostolis, quia suo exẽplo eandẽ vitã alios profiteri docuerũt, profitẽtes & ipsi: fundatũ quoque, quia ab Apostolis innumeri monachorum greges Christo in cœlũ redeũte deriuati sunt, eiusdẽ Apostolicæ professionis imitatores sedu li. De quo etiã monasticæ professionis incremẽto insigni accipiẽda sunt verba Concilij Colonien̄sis.Aliàs, si de prima institutione monachismi sentiret, iã post Apostolos incepisse in Ecclesia cõmuni Patrũ sensui ab Apostolis statũ religionis deriuantiũ,repugnarent Patres Cõcilij Colonien̄sis. Quæ cũ ita benignè interpretari possimus, non est cur illis absurdã sententiã impingamus. Quãquã & facile alia ratione cõponi omnia possent,siquis diceret religiosam vitam & sub ipso Christo per Apostolos excultã,clericorũ scilicet Regulariũ:at monasticam & solitariã ab Apostolorũ discipulis inchoatã.Quid enim frequentius apud Doctores, quã Canonicorũ Regulariũ vitã ab Apostolis sumpsisse exordium, reformatam postea ab Augustino ad Episcopatum euecto?

17 Sed certãt etiã huiusmodi ratione. Si Apostoli fuerũt verè religiosi,sequitur hũc statũ institutũ à Christo. Absurdũ esse quod sequitur pro manifesto relinquunt,nec probãt.Sequi vero ita ostendũt.Quia si Apostoli religiosi fuerũt,ante Christi mortẽ fuisse religiosos necesse est,& antequã instituerẽtur Episcopi,vt loco cit. docet D. Tho.Habuerũt ergo tũc superiorẽ aliquẽ, quod ad statũ religionis necessariũ est. Hic autẽ nõ poterat esse nisi sol⁹ Christ⁹.Ergo si religiosi fuerunt,Christus erit superior & institutor.Esse enim aliũ superiorẽ à Christo eo inter viuos degente, dici nequit. Cæterũ demus argumento Apostolos, dum Episcopi instituti sunt,non fuisse religiosos, cuius tamen oppositum est fortasse verius, vt infrà suo constabit loco. Demus viuente Christo nullũ aliũ ex discipulis superioris exercuisse munus, expressè enim Christus iueni dixit, *& veni & sequere me.* Math. 19. Sed Christũ fuisse caput quid inconueniet se

quelam

quelã admittere, institutũ scilicet à Christo religionis statũ? quid absurdi est si concedatur, imo cur non concedi debeat, ego nõ video, de quo iam dicam cap. sequenti.

Religiosum statum institutum à Christo, & erectum, ac proinde esse ex diuino iure.

CAPVT III.

SVMMARIVM.

Quidam à Christo institutum dicunt statum religiosum, sed non erectum, n. 1.
Oppositum verius probatur, ex patribus, n. 2. 3.
Probatur ratione esse ex diuino iure, n. 4. 5. 6.
Alia ratione probatur, n. 7. 8.
Solutio refellitur, n. 9.

1 GAbriel Vazquez tom. 2. in 12. disput. 265. c. 5. n. 48. existimat, quod ad institutionem status religiosi pertinet, distinguẽdũ esse. Si enim, inquit, instituere idẽ est quod inuenire, & excogitare statũ hunc, alijsq; sequendũ proponere, dicendũ est à Christo Domino fuisse institutũ & prædicatũ. Si verò instituere statũ religionis idẽ sit, quod reuera illum erigere sub alicuius capitis potestate & iurisdictione, sic dicendũ est institutionẽ huius status nõ esse factã à Christo, atq; à Deo, neq; iuris diuini, sed tantũ Ecclesiastici esse. Huius fundamentũ est, quia ad statũ religiosum requiritur iurisdictio, ratione cuius prælatus acceptans vota sub sua potestate contineat subditũ. Ea autẽ iurisdictio cõferri nõ potest ex vi votorũ, neq; ex natura rei, sed tãtũ ex volũtate Põtificis ad id habentis potestatẽ.

2 Cæterùm ex his quæ c. præcedenti dicta sunt facile colligitur aliter philosophãdũ esse. Itaque asserimus Christũ Dominũ non solũ instituisse religionis statũ, hoc est, prædicasse, & proposuisse sequendum, sed verè etiã erexisse. Et quidẽ Christũ Dominum religiosum statum instituisse docent Patres. Athanasius in epistola 9. ad Ammon Monachũ. Basilius in sermone ascetico, de abdicatione rerũ, & perfectione spirituali non semel hoc institutũ à Christo fluxisse dicit. Eusebius Cæsariensis in Epistola ad Marinũ, quos refert & sequitur Simon Logothetes antiquus Auctor in Chronico his verbis. *Ecce quomodo hi Patres in duo genera vitæ aiunt distribuisse Christum homines, in sæcularem & in cœlestem, in Euãgelicam, & Apostolicam*, Chrysost. homil. 17. ad populum vocat philosophiam à Christo introductã. Bernardus in epist. ad fratres de Mõte Dei dicit religiosam vitam esse ab ipso Christo familiarissimè celebratã, & alij Patres, quos supra retulimus cap. præcedenti. Adde Cõcilium Senonẽse in decretis fidei c. 9. tom. 4. Conciliorũ, vbi Christũ illis verbis Matthæi 19. *Si vis perfectus esse* ad vota obedientiæ & paupertatis adhortatũ scribit, & alio loco ad votum castitatis.

3 Ex quibus Patrum testimonijs nõ solùm colligitur Christũ instituisse statum religionis, hoc est, excogitasse & proposuisse, ac prædicasse sed erexisse. Quod ita ostendo. Hi Patres, qui dicunt Christũ instituisse, dicunt etiam Apostolos verè religiosos fuisse, vt visum est c. præcedenti. Ergo non solum instituit, sed etiã erexit; si enim erãt veri religiosi: igitur cum obedientiæ voto; neque enim sine eo religio constat. At eam obedientiã Christo promissam fuisse ex illis conuincimus; *& secuti sumus te.* Et quidem testimonia Patrum, quæ capite præcedenti adduximus, planè conuincunt Apostolos eã vitãnon tantũ à Christo ore tenus didicisse, sed opere compleuisse, & executioni mãdasse viuente Christo, vt apertè liquet ex verbis Epiphanij, Chrysost. Basilij, & Augustini. Quare nõ tantũ eius status prædicatio, sed etiam erectio à Christo est. Nã Apostolos vere religiosos fuisse, & sine capite, cuius iurisdictioni parerent repugnans est. Aduersari igitur Patribus in re tãta, & quod grauius est, sine magno fundamento, reprehensione non caret.

4 Atq; his cõsequẽs est statũ religiosum ex diuino iure, quãdoquidẽ à Christo est & institutio & erectio. Non ergò ex ecclesiastico. Sed præterea probo manifesta ratione statũ religionis iure diuino cõstare; nõ ecclesiastico, & præmitto in præsenti, quamuis à Romani Põtificis auctoritate pẽdeat approbatio regulæ, iuxta quã & secundũ quã vota religiosum cõstituẽtia emitti debeãt: attamẽ inde nõ effici institutum religiosi status esse ex iure ecclesiastico, maximè cum olim non indigerẽt religiones positiua aliqua approbatione, nec Episcopi, neq; Pontificis, sed tantũ negatiua. Sicuti quãuis legitimatio personæ aut illegitimatio ad matrimonium pendeat ex iure positiuo ecclesiastico, non inde fit matrimonij contractum inter eas personas, quæ quoad legitimationem subditæ sunt Ecclesiastico iuri, esse ex Ecclesiastica lege. Id quod etiam in ordinibus sacris, ad quos personæ reddũtur habiles aut inhabiles iure positiuo, & alijs

alijs multis exemplis explicari potest.

5 Hoc ergo posito sic argumentor discurrendo per singula, quæ in religionis statu reperiuntur. Nã status hic nõ est de iure Ecclesiastico considerata institutione. Institutio enim est à Christo, qui formã & modũ status religiosi descripsit, eunque executioni mãdauit, vt ex Patribus probatũ est, & ex Euangelica historia. Et quamuis diceremus Christũ inspirasse tantũ, non verò executioni mandasse, adhuc planũ est esse de iure diuino. Quia vt modo dicebã, quod Pontifex probet regulã, secundũ quam ea tria vota à Christo præscripta, cũ ea traditione, & sub vno capite emitti debeãt, quæ fuit forma status religiosi inspirata à Christo, non sequitur statũ religionis iure Ecclesiastico consistere. Sicut cũ Christus ordinẽ Subdiaconi inspirauerit, quãuis illũ executioni non mãdasset, quãuis Pontifex personã legitimam vel illegitimã ad subdiaconatũ probet, vel definiat, nõ sequitur subdiaconatũ esse ex iure Ecclesiastico. Similiter cũ forma & materia contractus matrimonij, & quod is celebretur mutua traditione & acceptatione, sit iuris naturalis, quãuis ius Ecclesiasticũ decernat, quæ sint legitimæ personæ, inter quas possit esse mutua traditio & acceptatio, nõ sequitur esse contractum illũ ex iure positiuo Ecclesiastico. Quãuis ergo Pontifex probet regulã, secundũ quam cum illis votis viuere oporteat, si tamen ea forma triũ votorũ cum traditione & sub vno capite præscripta à Christo est, status ille iure diuino consistet, non Ecclesiastico. Nec dici potest esse ex iure Ecclesiastico, si considerat status iste ex parte vouentis. Nam licet votorũ emissio pendeat ex mea voluntate, quod semel illis emissis maneã obligatus, & simul etiã donatus ex alio ibi interueniẽte cõtractu, iuris diuini & naturalis est. Vnde rectè dixit Paludanus in 4. dist. 38. q. 4. religiosi status obligationem esse ex iure naturæ, quo se voluit obligare.

6 Idẽ dico, si cõsideretur status religiosus ex parte præsulis acceptantis. Nam licet ex eius volũtate pendeat eã promissionẽ, donationẽque acceptare, attamen semel accepta, quod præsul illi prospicere teneatur in tẽporalibus, & spiritualibus, & quod potestas dominatiua quæratur acceptãti in vouẽtẽ, planè est ex obligatione naturali, nõ minus stricta, quã ea qua tenetur dominus erga seruũ, etiãsi seruitus sit de iure gentiũ, vel per emptionis cõtractũ introducta; & maritus erga vxorẽ, pater erga filiũ. Sicut neque ex eo quod consensus acceptantis requiratur ad matrimonium, efficit illum esse ex iure ecclesiastico.

7 Secũdo eandẽ veritatẽ probo alia cõsideratione breuius & clarius proposita. Religiosi status essentia & ratio constat & votis emissis, & traditione siue donatione, qua se vouens donat religioni, & ex qua donatione, supposita acceptatione ex parte eius cui se donat, quæritur donatario iurisdictio in donantẽ, qua possit illũ cõpellere & punire, quæ omnia demõstrabo c. 5. & 6. At religiosus status secundũ suã naturã & essentiã institutus est à Christo, vt Gabriel Vazquez fatetur. Igitur ex Christi institutione reperiuntur omnia, quę ad statũ religiosum necessaria sunt. Nã cũ ea donatione sui, & votorũ emissione, & potestate dominatiua prælato quæsita cõpleatur status religiosus, & ille secũdũ suã essentiã à Christo institutus sit, planũ est illũ omnino cõstare iure diuino & naturali, non ecclesiastico. Et explico magis. Quia si ex alio capite diceudũ esset statũ religiosum esse ex iure ecclesiastico, id esset, quia cũ iurisdictio ad eũ statũ necessaria sit, ea iurisdictio cõferatur prælato à Pontifice, à quo omnis ecclesiastica deriuatur. At falsum est iurisdictionẽ prælati in subditũ necessariã ad statũ religiosum prouenire à Pontifice, sed solũ ex donatione interueniente, vt locis citatis ostendemus, cõtra eũdẽ Gabrielẽ Vazquez, solũ enim iurisdictione prouenięte ex donatione illa quæritur sufficiẽs & propria religiosi status iurisdictio. Igitur ex nullo capite religiosus status potuit esse ex iure ecclesiastico.

8 Denique addo etiã, quãuis demus id, quod vult Gabriel Vazquez, scilicet, cõpleri iurisdictione collata à Pontifice, & inde effici statũ religiosum esse ex iure ecclesiastico, liçet, id, inquã daremus, adhuc dici non deberet religionis statũ esse ex iure ecclesiastico. Quia in eo casu potius dici deberet potestatẽ illã à Christo Domino immediatẽ deriuari in prælatũ semel posita regulæ approbatione, vt de potestate iurisdictionis & clauiũ in sacerdotes deriuata & Episcopos philosophantur multi, quorum sententias probamus in tract. de Sacramẽto Pœnitẽtiæ. Nullus enim in eo casu dicet potestatem Episcopi esse ex iure Ecclesiastico, quamuis quoad approbationem personæ, & designationẽ parochiæ pendeat ex Ecclesiastica lege. Et quidem sic potius philosophandum esse ex eo constare potest, quia cum omnis religiosus subditus sit Summo

Ponti-

Pontifici, velut omnium religiosorum generalissimo, & sublatis omnibus delegatis consistere possit religio, solum in manu Pontificis emissis votis & ab illo acceptatis, (quid enim vetat religionem aliquam instituti, quæ solum illum haberet Prælatum?) ea iurisdictio quam haberet Pontifex in religiosum, etiamsi demus esse potestatem clauium, non esset ex iure Ecclesiastico, sed diuino. Ea enim potestas quæ in Pontifice esset comparatione illius subditi ex iure diuino esset, ex admissa hypothesi, quam Gabrielis Vazquez doctrina contendit. Nihil certè in eo religioso assignari potest, quod ad ius positiuũ Ecclesiasticum pertineat, quo constituatur in statu religiosi.

9 Nec vero eluditur argumentum, etiã siquis dicat cum Gabriele Vazquez in ea disput. nu. 43. adhuc tunc esse ex iure Ecclesiastico complementum illius potestatis, quia pro sua voluntate voluit curam eorũ gerere, secundum regulam à se probatam. Quia licet à voluntate Pontificis pendeat acceptatio, semel tamen acceptatis eorum votis, iurisdictio in illos naturalis, & diuini iuris est. Neque enim ipse sibi ipsi in alium concedere potestatem posset. Igitur in illa iurisdictione Pontificis circa illos subditos nihil est iuris Ecclesiastici. Quod autem ipse probauerit regulam, secundum quam, & vota emittenda, & iurisdictio illa exercenda sit, non efficit statum illum esse ex iure Ecclesiastico, vt antea probatum & exemplis illustratum est. Vnde planè non video quo fundamento niti potuerit Doctissimus vir Gabriel Vazquez, vt assereret religiosum statum iure tantum Ecclesiastico consistere; nam quod assumit iurisdictionem necessariam ad constituendum statum religiosum deriuari à Pontifice falsum esse hactenus diximus, & inferius probabimus, & ni fallor demonstrabimus.

Religionem esse statum immobilem.

CAPVT IIII.

SVMMARIVM.

Religionis definitio, n. 1.
Status definitio explicatur, n. 2.
Quo sensu dicatur immobilis, n. 3.
In status ratione donationem includi, n. 4.
Peccare contra iustitiã qui constitutũ vere in statu separas, n. 5.
In quo religio conueniat & differat cum alijs statibus, n. 6.

1 EXplicuimus religiosi status initia, & exordia, eiusq; institutionẽ, accedamus ad explicandã essentiã religionis, & ea ex quibus cõstat. Cuius gratia obseruandũ est in primis religionẽ iuxta doctrinã D. Tho. 2. 2. q. 186. art. 1. ad 4. & art. 3. & 4. ac sæpè alibi, quatenus statum religiosum significat, sic definiri: *Religio est status perfectionis per tria vota perpetuo adipiscendæ.* In qua definitione, vt more Dialecticis nostris familiari loquar, est genus & specifica differẽtia. *Status* genus est, in quo cũ alijs hominũ statibus cõuenit: *perfectionis per tria vota perpetuò adipiscendæ* ab alijs hominum statibus religio secernitur.

2 Præterea obseruãdũ est, Statũ, quod in hac definitione genus esse diximus, iuxta doctrinã eiusdem D. Thom. 2. 2. q. 188. art. 4. & opus. 16. de vita spirituali, c. 15. sic definiri. *Status est cõditio personæ secundũ seruitutem & libertatẽ cũ obligatione immobilis cum quadam solẽnitate.* Quã definitionẽ probãt Doctores Scholastici, licet repugnet Henricus Gãdauẽsis quodlib. 12. q. 29. videatur Gregor. de Valentia 2. 2. disp. 10. gener. q. 1. puncto 1. Hæc autẽ definitio inductione ipsa confirmatur, in omni hominũ statu, qui verè status sit; sic enim cõstat cõstitutos in statu seruitutis matrimonij tã spiritualis Episcopi cũ Ecclesia, quã carnalis viri cũ vxore habere cõditionẽ immobilẽ secundũ seruitutẽ & libertatẽ cũ obligatione & solẽnitate, qua notũ sit illos esse in eo statu; qua conditione transeunt immobiliter in ius alterius, seruus in potestatẽ domini, vir & vxor in potestatẽ mutuã, & Episcopus & Ecclesia.

3 Cũ autẽ dicitur *Status cõditio immobilis*, debet intelligi de immobilitate perse, & ex natura status & vinculi, licet ex accidẽti & ex potestate aliena dissolui possit. Vnde status est cõditio seruitutis, vt cõstat ex titulo de *Statu hominũ l. 2. & 3.* licet voluntate domini possit seruus manumitti, & libertatẽ adipisci, ac fieri proprij iuris. Similiter matrimoniũ corporale status est, licet matrimoniũ ratũ nõdũ consummatum dirimatur per subsequẽtẽ professionẽ, vel iure Ecclesiastico, vt nõnulli sentiunt, vel diuino positiuo, quod existimo verius, vt dico infra lib. 9. & dixi aliquid supra lib. 1. Et matrimoniũ consummatum infideliũ dissoluitur altero trãseũte ad fidẽ, & nolẽte cũ cõiuge cohabitare sine Creatoris iniuria. Et deniq; matrimoniũ fideliũ ratũ & consummatũ dissolui à Deo nulla repugnantia est, forsan enim id factum in veteri lege, cum repudijs locus fuit,

fuit, vt eo loco ostendo. Et tandem matrimonium Episcopi cum Ecclesia status est, & coniugium natura sua indissolubile & immobile, licet auctoritate Pontificis dissolui possit, vt dico in commentario de canonibus Apostolicis, hoc est lib. 5. de ordine. Viduarum autem, virginum, & clericorum, qui non sunt mancipati alicui Ecclesiæ non propriè dicuntur in statu constituti iuxta sensum, in quo loquimur de status natura atque ratione. Sunt enim sui iuris, neque se in alienam potestatem transtulerunt.

4 Ex quo fit in ipso statu ex natura & ratione status includi donationem, qua is qui in statu constituitur, transeat in ius & potestatem alterius, vt constat inductione facta. Vt enim iure receptum est non potest quis sua voluntate sibi legem imponere, à qua recedere non liceat, *l. penult. D. de arbitris & l. ille à quo* 13. *§. tempestiuum D. ad S. C. Trebell.* ibi. *Sed etsi ipse Prætor hæres institutus suspectam dicat, ipse se cogere non poterit, quia triplici officio fungi non potest, & suspectam dicentis & coacti & cogentis. Sed in his omnibus casibus, neque similibus principale auxilium implorandum est. l. 9. D. de pactis difficile est vt vnus homo rerum vicem sustineat & l. si quis* 22. *in principio D. de leg.* 3. ibi. *Nemo enim eam sibi potest legē dicere, vt à priore ei recedere non liceat, & l. 7. §. 8. D. de donat. inter vir. Quia venditor siue donator non sibi vult legem imponi, nec potest, & l. Lucius Titius* 40. *in fine D. de fideicommiss. libert.* ibi. *Quia non sibi legem dixisset, & l. nec si volens C. de liberali causa.* ibi. *Nec si volens scripsisses seruum te esse non liberum, præiudicium iuri tuo aliquod comparasses.* Intelligenda tamen hæc iura sunt, sine mutatione status; sed retenta propria libertate. At si statum mutet, vt vendēdo se ad pretium participandum, vel dedicando se rectè se priuare potest libero arbitrio, vt inquit Ancharranus *Clem. 1. de decimis in fine & in cap. si Religiosus de electione lib. 6.* num. 1. & 2. Requirit ergo status ratio immobilis donationem, sine qua non posset vlla consistere immobilitas.

5 Ex quo rursus fit post eam donationē peccatum iam esse contra iustitiam, si quis eum, qui in statu est constitutus, separet ab statu vel potestate alterius, vel vsu. Itaque si seruum, virum, vel Episcopum auoces ab operis, quas debent Dominis, coniugibus, vel Ecclesijs, contra iustitiam facias necesse est.

6 Ex his duabus obseruationibus colligitur religionem in ratione status conuenire cum seruorum, coniugij, & Episcoporū statu. Est enim status quidam, in quo mutatur conditio libertatis, transitque in seruitutem quandam, & fit alieni iuris. At in reliquis differt. Quare à virginibus, viduis, clericisque solum differt in ratione status, sunt enim omnes isti sui iuris, atque adeo verè, & in rigore non sunt constituti in statu, cuius ratio mutat conditionem, & transfert in alterius potestatem. Eadem etiam ratione distinguitur ab alijs Christianis, quorum vita non est perfectionis. A seruis autem, atque coniugatis, quia longe alias operas postulat religionis status, qui perfectionē exigit. Incumbunt enim religiosi vitæ spiritualis studio, in ordine ad quod diriguntur à Prælatis. Ab Episcoporum autem statu differt, quia Episcopalis status est perfectionis adeptæ vt docet D. Thomas 2. 2. quæst. 185. art. 3. Religionis autem status est adipiscendæ perfectionis, vt in definitione diximus. Vnde autem in religionis statum ea immobilitas deriuetur, & quibus aut qualibus constet votis, in sequentibus latè explicabimus.

In Religionis statu vna cum votis interuenire donationis contractum.

CAPVT V.

SVMMARIVM.

Ad statum religiosum non requiri donationem aliquam, quidam opinantur, n. 1.
Oppositum verius, & explicatur, n. 2.
Proponitur quid probandum sit, n. 3.
Prima probatio ex communi DD. sensu, numero 4. 5. 6. 7.
Secunda probatio ex quadam Epistola D. Bernardi, n. 8.
Solutio refellitur, n. 9.
Tertia probatio ex pueris oblatis à parentibus religioni, n. 10.
Solutio refellitur, n. 11. 12. 13.
Obiectiones soluuntur, n. 14. 15.
Quarta probatio ex eo quòd religiosus sit alieni iuris, num. 16.
Quinta probatio ex potestate irritandi vota religiosi, n. 17.
Solutiones reiciuntur, n. 18. 19.
Obiectiones diluuntur, n. 20. 21.
Iurisdictionem Prælati in religiosum non oriri ex potestate clauium, n. 22.

1 GABRIEL Vazquez 2. tom. in 12. disput. 165. cap. 4. negat in religionis professione interuenire donationem aliquam, neque traditionem; & ex consequenti ad religiosum statum non requiri donationem aliquam, ex qua nascatur potestas dominatiua, & iurisdictio Prælati in religiosum. Sed totam eã iurisdictionem, quam Prælatus exercet in subditum, quæque ad religionis statum necessaria est, non esse ex iure naturali, neque à voluntate religiosi ortam, sed tantum à iure positiuo humano deriuatam. Nam semel facta rerum diuisione non est in alicuius potestate concedere alteri iurisdictionem in seipsum. Cumque omnis potestas Ecclesiastica concessa sit Summo Pontifici à Deo, fit consequens, vt ab eo ad Præpositum religionis deriuetur, & eam spiritualem esse, & prouenire à potestate clauium. Hæc Gabriel Vazquez.

2 At mea atque communis, vt statim demonstrabo, longe alia sententia est, quam sic propono. Cum religiosus & sit in statu constitutus, & in eo per tria vota perfectioni comparandæ incumbat, siue studeat, necessariò efficitur in religiosorum votorum emissione duos quasi contractus reperiri. Primus est donatio quædam, qua se religiosus religioni donat. Alter est promissionis, quæ est in voto, qua suas operas promittit in abstinentia à venereis, in vsu bonorum externorum, & propriæ voluntatis, quoties se se obtulerit occasio. Prior illa donatio à religione acceptatur, neque enim mentalis donatio esse potest, & in qualibet donatione donatarius interueniat necesse est, aliàs nulla consurgeret obligatio ex iustitia, vt ostendo infra lib. 12. & dixi lib. 2. Atque huius donationis ratione transit religiosus plenè in ius alterius, cui se donat, non secus ac ille, qui se olim vendebat in seruum, transibat in potestatem domini titulo venditionis, vt cum quis maior viginti quinque annis ad pretium participandum se venunda ri patiebatur, *l. 5. D. de statu hominum & §. penult. inst. de iure personarum*, certis etiam seruatis conditionibus, quas Accurs. in *d. §. proſequitur*; nascitur que ex ea donatione in religione ius quasi paternũ, & dominatiuũ in religiosum ex eo præcise, quod se religiosus ipsi tradidit, atque donauit. Hinc etiam oritur propria & peculiaris iurisdictio, quæ Prælato religionis in religiosum conuenit. Itaque primus ille contractus donationis respicit religionem, cui se donat: secundus verò quasi contractus promissionis respicit Deum, cui fit promissio. Vota enim non fiunt homini, sed Deo, cum votũ sit actus religionis virtutis.

3 Ex his, quæ in nostra sententia diximus, quod ad iurisdictionem attinet ortam ex ea donatione ostendam cap. ab hoc altero. Nunc opus est, vt quod de donatione diximus, confirmemus contra Gabrielẽ Vazquez, & pugnemus contra illum in hac re manifestissimis argumentis. Hanc enim donationem in statu religioso interuenire, maximum ad ea quæ in sequentibus dicturi sumus, fundamentum est, & qua posita & constituta, facillime & apertissimè plures difficultates enodabimus, quæ aliàs difficile superari possunt. Quo magis mirandum sententiam nostram, vel potius communem omnium de donatione in religionis statu interueniente à nonnullis, quorum maximè intererat, parum probari, ne à Gabrielis Vazquez sententia discedant, quã semel imbiberunt, & in cuius placita & verba iurarunt. Dico igitur sententiam huius auctoris quo ad hanc partem esse omnino falsam, & vt existimo, singularem. Quare impugnabo hoc capite, quod docet non interuenire donationem in professione per emissionẽ votorum. Quod autem inde infert, non quæri Prælato potestatem dominatiuam in subditum, & iurisdictionem prælati esse ex potestate clauium, impugnabo infra altero capite.

4 Primo ergò nostra sententia probatur, & opposita refellitur ex Doctorum fere omnium Scholasticorum auctoritate, quibus opponitur Gabrielis Vazquez sententia, & quod magis mirum, sine magno fundamento, aut necessitate aliqua. Id ostendo, quia scholastici omnes consentiunt, cũ quis ea vota in religione emittit, interuenire ibi præter rationem voti, traditionem & donationem, qua se religioni donant. Cum enim assignant discrimen inter votum simplex atque solemne, siue potius inter votũ in religione emissum, (quod quia solemne eo tempore videbant, semper votum in religione solemne iudicarunt,) & inter votũ emissum extra religionem, siue ad religionem non pertinens, in eo differre dicunt, quod votum extra religionem promissio tãtum est; at vero votum in religione vnà cũ promissione actus futuri habet secum adiunctam traditionem, & donationem, ac translationem sui in ius alterius. An autem ex hoc rectè, vel secus inferant in ea tradi-

tione

tione solemnitatem consistere, modo non disputo, dicam infra suo loco.

5 Fuit hæc expressa sententia D. Thom. 2.2.q.88.art.7. illamque sequitur Dionysius Carthusianus in 4.d.38.q.2. Durandus eadē d.q.1.n.8.& 9.& q.2. n.8. Ricardus art.7.q. 1.in corpore & ad argumenta & q. 2. & 3. Deça Hispalensis q.1.art.3. notabili 2.& 3. & sequentib. Capreolus ibidem. Thomas de Argentina q.1.art.3. in solutione 1. post 3.conclusionem. Franciscus Maironius eadem dist.§.Quarta particula. Altisiodorensis lib.3.serm.tract.28.c.2.q.3.& lib.4.tract. 7.c.7.q.4. in fine. Pelbartus verbo *matrimonium* 5.§.46. Dominicus Soto in 4. dist. 38. q.2.art.1.& 2. & lib.7.de iustitia q.2.art.5. Petrus Soto de institut. Sacerdotum lect.5. de Matrimonio. Hi quidem auctores expressē dicunt votum in religione emissum differre à voto extra religionem facto in ea traditione & donatione, in qua etiam solēnitatem voti constituunt. Et quamuis in eo non rectè, quod solemnitatem in traditione ponant, cum votis simplicibus Societatis Iesu Gregorius XIII. definiat verè constitui religiosum, quia per illa se religioni tradit, seque diuino seruitio in ea dicat, quibus docet etiam in voto simplici ad religionis statum pertinente inesse traditionem & donationem: Attamen recte docuerunt votum in religione emissum differre ab eo, quod extra religionem sit, quia illud secum affert donationem & traditionem personæ; quamuis & prædicti Doctores explicari optimè possent iuxta eā solemnitatem intrinsecam & essentialem, quam proponā infra.

6 Sed præterea alij sunt Scholastici, qui siue solemnitatem constituant in ea traditione, siue non constituant, sed ex constitutione Ecclesiæ oriri dicant, expressē tamen agnoscunt in votis in religione emissis traditionem & donationem personæ. Hi sunt D. Thomas in 4. dist. 38. q. vnica art. 3. & quodlib. 3. art. 8. Alexander Alensis 2. p. q. 151. m. 3. Bonauentura in 4. distin. 38. q. 3. art. 2. ad 2. Scotus eadem dist. q. vnica, & ibi Petrus Tataretus Scoti interpres, Ioannes Bassolis eadem dist. q. vnica art. 2. in fine. Cardinalis Aureolus eadē dist. q. vnica art. 1. à medio. Guillelmus Rubion q. 1. art. 1. Paludanus q. 4. Caietan. tom. 1. opusc. tract. 7. Et ex huius tēporis scriptoribus Hēriquez lib. 2. de matrim. c. 3. & 4. Gregorius de Valentia 2. 2. disp. 5. generali q. 6. puncto 5. Petrus Ledesma de matrim. quæst. 56. art. 2. ad 6. Ioannes Azor tom. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 6. quæst. 6. Ioannes de Salas de legib. disput. 8. sect. 17. & 18. Indicauitque olim eandem sententiam Petrus Ancharranus *Clem. 1. de decimis in fine, & in c. si religiosus de electione lib. 6. n. 2. & 2.*

7 Præterea hanc etiam donationem indicant, præter obligationem ex voto prouenientem, illi Doctores Scholastici, qui docent eum, qui extrahit professum à religione vi, vel dolo, obligari religioni ad restitutionem ex iustitia, qui nec sunt numero pauci, neque auctoritate ignobiles. Hi sunt Paludanus in 4. distinct. 15. quæst. 2. art. 2. concluf. 1. & distinct. 38. quæst. 4. art. 1. concluf. 4. Ricardus eadem dist. 15. art. 5. q. 2. & quæst. 4. ad 8. Scotus q. 3. ad 2. Gabriel q. 17. art. 3. dub. 1. Ioannes Maior q. 17. in fine & dist. 28. q. etiam 17. in fine. Maironius dist. 16. q. 2. art. 1. Guillelmus Rubion eadem distinct. quæst. 2. art. 2. Antoninus 2. p. sum. tit. 2. cap. 2. §. 1. Syluester v. *restitutio* 3. q. 1. §. *Quantum autem*, qui refert pro hac sententia Sanctum Thomam, Summā Rosellā, & Archidiaconū. Petrus Tataretus in 4. dist. 15. q. 3. in fine. Adrianus in 4. de restitutione de bonis Animæ in solut. 2. confirmationis 2. argumenti. Leonardus Lessius lib. 2. de virtutibus Cardinal. c. 41. dub. 8. n. 67. Hi certe omnes obligationem non solùm ex religione, sed etiā ex iustitia prouenientē agnoscunt, non minorē, quam siquis seruum alienum auferat. Signum ergo euidens est agnouisse Doctores istos obligationem iustitiæ præter obligationem religionis; aliàs si in prælatis erga subditos, esset tantū ius ex religione proueniens, nec læderetur iustitia, nec esset obligatio restituendi, sicut ex oppositō fundamento colligit M. Bañez de iustitia q. 62. art. 2. dub. 3. concluf. 2.

8 Secundò ostendo donationem interuenire, meo iudicio, manifestè ex epistola prima Diui Bernardi, cuius scribendæ occasio hæc fuit. Robertus proximus genere Bernardo à parentibus oblatus fuerat cum fundo, monasterio Cluniacensi. Recedit ibi postea & Cistertiensem ordinem ingreditur, per annum probatur, & professionem facit. Illectus postea à Cluniacensibus ad illos regreditur. Ecce litem. Defertur quæstio ad Romanum Pontificem Innocentium II. qui adiudicat Robertum Cluniacensibus, quod non satis perspecta causa, neque auditis Cistertiensibus queritur in ea Epistola Bernardus factum fuisse. Totius autem controuersiæ cardo in eo versebatur, an Robertus Cluniacensibus

donatus esset, an tantum promissus. Si enim fuerat donatus cum fundo, existente priori donatione, non poterat secunda Cistertiensibus facta subsistere, vt ex iuris principijs notum est. Cluniacenses Robertũ sibi non promissum, sed donatum asserebant. Contra verò contendebant Cistertienses promissum tantum, non donatũ, atque ideo donationem & professionẽ Roberti apud Cistertienses validã fore. Inquit enim Bernardus: *Videant & iudicent, quod potius dare debuerit an votum patris de filio, an filij de se ipso, præsertim cũ filius aliquid maius donauerit. Videat & famulus tuus Legislator noster Benedictus, quid regularius fuerit, vtrumque quod factum est de infantulo nesciente ipso, an quod ipse per se postmodum prudens & sciens fuit, cum iam ætatem haberet vt de se loqueretur, quamquam dubium non sit promissum illum fuisse, nõ donatum.* Hæc Bernardus. Interuenit ergo in statu religioso vera donatio.

9 Vidit hoc argumentum Gabriel Vazquez, conaturque dissoluere disput. cit. c. illo 4. Sed quicunque legerit, planè cognoscet illum nequaquam huius controuersiæ cardinẽ assecutum. Tota ea lis erat de Cluniacensibus, donatus puer esset, an promissus. Cluniacenses donatum probarunt, & ideo repetiuere ipsum Innocentio proferẽte sententiam. Bernardus promissum tantũ esse dicebat: promissione autẽ esse potiorẽ professionem apud Cistertienses factã. Itaque Bernardus promissioni opponit donationem, & hanc præualere debere, licet posteriorẽ. At vero Cluniacenses donationẽ opponẽtes donationi, priorẽ robur habiturã, nõ posteriorẽ cõtendebant. Vnde Bernardus, qui promissum tantum asserebat, rectè suadebat Roberto, vt ad Cistertienses rediret; quãuis â Cluniacensiũ perfecto viro Sãctissimo, ne charitas scinderetur, ad Cistertiẽses remissus sit. Sicut & mihi professo facere copiã Prælatus posset, ad aliã religionẽ trãseũdi, cũ alterius prælati cõsensu, ex natura ipsa rei, quod illis sæculis frequentissimũ fuisse cõstat cuiuis in libris Ecclesiasticis vel mediocriter versato. Quare ex eo quod Bernardus contenderit Cluniacensibus tantum promissum Robertũ, non donatum, nostra manifestè roboratur, & opposita impugnatur sententia.

10 Tertiò eandẽ donationẽ probant Cõciliorũ decreta de oblatis pueris â parentibus monasterio, qua oblatione quærebatur religioni ius in paruulos oblatos, & vere monachi efficiebantur ea donatione parentum. Concilium Toletanum 4. can. 49. hæc habet. *Monachũ aut paterna deuotio, aut propria professio facit. Quidquid horum fuerit alligatũ tenebit, proinde ad mundum reuerti interdicimus, & omnem ad sæculum interdicimus regressum*, habetur apud Gratianum *Can. Monachum* 27. q. 2. *Et Can.* 55. *Non aliter & hi qui detenti à parentibus fuerint, aut sponte sua amissis parentibus, seipsos religioni deuouerunt, & postea habitum sæcularem sumpserunt, & ijdem à sacerdote comprehensi ad cultum religionis acta prius pœnitentia reuocentur.* Idem repetitum postea in Concilio Toletano 10. can. 6. vbi inter alia: *Ideoque si in qualibet minori ætate vel religionis tonsuram, vel religioni debitam vestem, in vtroque sexu filijs aut vnus aut ambo parentes dederint, certe aut nolentibus, aut nescientibus se, susceptam non mox visam in filijs abdicauerint. Sed vel coram se vel coram Ecclesia, palamque in conuentu eosdem filios talia habere permiserint ad sæcularem reuerti habitum ipsis filijs quandoque penitus non licebit: sed conuicti, & quod tonsuram, aut religiosam vestem aliquando habuerint, mox ad religionis cultum habitumque reuocentur, &c.* Idem reperio cõfirmatũ postea repetitis eisdem verbis ex Cõcilijs Toletanis in Vvormasiensi anno Domini 868. sub Adriano 2. can. 22. & 23. Quãuis sublata ista nouissimè per Tridentinum sessione 25. de Regularibus cap. 17. & 18. quò liberius Deo præstaretur obsequium. Ideo ergo paterna deuotio monachum efficiebat, quia, vt ex Bernardo etiam colligebamus, donabatur puer â Parentibus monasterio, sicut in mancipium donari alius secluso iure humano posset: ea autem valida existente donatione & à Prælatis acceptata regredi nequaquam poterat.

11 Vidit etiam nonnulla ex illis Gabriel Vazquez: sed videamus quid ad illa responderit. Dicit sibi incredibile videri sola parentum oblatione monachum fieri, nisi postea accederet oblatorum consensus, cum ad pubertatis annos peruenirent. Sed in hoc tantus Doctor labitur, licet excusationem habeat, vt constabit inferius. Adeo tamen notum est solam oblationem parentum satis fuisse illis temporibus ad Monachismum, etiamsi à paruulis non probaretur oblatio, etiamsi reluctarentur postea, vt negari non posse videatur. Primo namque Concilium Toletanum quartũ expressè dicit monachum fieri, vel paterna deuotione, vel propria professione. Quod si paterna deuotio propria professione confirmanda esset aliter

ter effectum non habitura, vt Gabriel Vazquez affirmat, nullatenus dici posset paterna deuotione monachum effici, sed tantum propria professione. Nec verè adderet Cõcilium; *Quidquid horum fuerit, alligatum tenebit*, quando quidem non quidquid illorum, sed vnum tantum alligaret, scilicet, propria professio. Adde etiã ex Toletano 10. quod supra adduximus, adeò apertum testimoniũ esse, vt vel negari debeat, vel concedi oblationem solam à parentibus factam, etiam sine proprio oblati consensu, satis esse vt monachus efficeretur, & vt oblatus manere cõpelleretur & si discederet, puniretur, vt apostata & instituti desertor.

12 Sed adhuc profero duo alia irrefragabilia testimonia. Vnũ est Gregorij II. epist. 14. quæ est ad Bonifacium Germaniæ Apostolũ. Cũ enim Bonifacius quæsiuisset à Romano Pontifice, an pueris oblatis monasterio à parentibus, cum ad annos pubertatis peruenissent, facultas esset cõcedenda exeũdi, si vellent, inquit enim Pontifex. *Addidisti adhuc, quod si pater vel mater filium, vel filiam intra septa monasterij in infantiæ annis sub regulari tradiderint disciplina, vtrùm liceat eis postquam pubertatis annos impleuerint, egredi, & matrimonio copulari.* Ecce quæstionem & litem, quæ nobis cum Gabriele Vazquez intercedit. Videamus quid in ea statuat Gregorius XI. *Hoc omnino deuitamus, quia nefas est, vt oblatis Deo à parentibus filijs voluptatis frena laxentur.* Quid apertius pro nostra sententia dici potuit? Habemus ergo expressam decisionem Pontificis semel donatos à parentibus cogendos esse ad perstendũ in eo instituto. Non igitur pendebat ab oblatorum voluntate approbatio, aut ratihabitio donationis factæ à parentibus.

13 Alterum testimonium est Alexandri III. in Appendice Concilij Lateranensis sub ipso celebrati (obijt autem anno Domini 1185. vt inde constet, quod de oblatis dicimus adhuc vsque ad ea perseueraſſe tẽpora.) Is ergo eo loco p. 50. cap. 10. hæc habet. *Significatum est nobis & pro certo monstratum, quod Griboldus nondum incipiens esse quatuordecim annorum, timore magistri, qui cum literis erudiebat, habitum religionis suscepit in Ecclesia de Ruffinis; & inde sicut puer infra annum exierit, & per sæculi vanitates etiam sex annis, & eo amplius vagabundus discurrit.* Respondet autem Pontifex. *Vnde quoniam huius rei veritas nobis non constat, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus rem ipsam diligenter inquiras, & si inueneris, quod non fuerit à parentibus oblatus, nec inceperit esse quatuordecim annorum, quãdo ad religionem accessit, & eum intra decimum quartum annum voti pœnituerit, & ab Ecclesia recesserit, si in sæculo voluerit remanere, eum ab ipso voto, quod fecit, auctoritate Pontificiali absoluas, & eum absolutum tàm in Ecclesia de Ruffinis, quàm populo tuæ ciuitatis studeas publicare. Si autem à parentibus suis forte oblatus, seu decimum quartũ annum compleuerat, cum religionem intrauit, siue post decimum quartum annum professionem à se factam ratam habuit, eum ad eandem, vel ad aliã religionem transire Ecclesiastica districtione cõpellas.* Hactenus Pontifex. Nota disiunctiuè loquutum esse Pontificem. Itaque si oblatus ille à parentibus fuerat, redire ad religionẽ cogendus erat. Imo id quod ex isto Pontificis responso colligi potest, donationi à parentibus factæ tantum deferebatur, vt eam oblationem in minori ætate factam illæsam manere velint Pontifices; votum autẽ eius, qui sua sponte ante decimum quartum annũ expletũ se religioni dicauit, nequaquã vim habere, nisi post decimũ quartũ annum expletum roboraretur, & ratũ haberetur.

14 Sed obijcere posset nobis aliquis, (nihil enim lectorẽ celare volo, quãuis ab alijs non cognitũ, non lectũ, non visum, quo verã esse solutionẽ Gabriel Vazquez cõprobet,) quod in Cõuentu Aquisgranẽsi Abbatũ Sancti Benedicti, sub Paschali primo, hoc est. Anno Domini 817. can. 36. de oblatis hæc habentur. *Vt puerũ pater, aut mater tẽpore oblationis offerant altari, & sponsionẽ pro eo coram laicis testibus faciãt, quã tẽpore intelligibili ipse puer confirmet.* Sed respondetur facile, in primis ex eo vt plurimũ haberi apud aliquos ita vsu receptũ, vt intelligibili tẽpore puer oblatus oblationẽ à parentibus factam cõfirmaret; nõ vero id vniuersè in Ecclesia seruari, vt cõstat ex responsis Pontificũ adductis. Deinde dico neq; adhuc ex isto Canone id effici. Nã verbũ illud *confirmet*, nõ permittit eo loco, sed necessitatẽ imponit, idẽque est ac si dicat, *confirmare teneatur*. Idque ita esse intelligendũ cõstat ex Pontificũ responsis. Cõpellebatur itaq; paruulus oblatus, etiãsi nollet, ratã habere oblationẽ factã à parentibus. Nec vero insuetus est eius tẽporis in ea significatione vsus vt constat cuiuis vel mediocriter quidem docto.

15 Neq; obstat etiã, quod in Concil. Tolet. 11. cap. 1. datur optio oblatis à parẽte, cũ peruenerint ad annũ 15. eligẽdi vel professionẽ castitatis vel nuptias. Agitur enim de oblatis nõ monasterio, sed clericatui; ex vno

autē ad aliud argumentū desumi nō potest, nec enim status clericalis traditione cōstat. Multa etia secus constituta in vno statu quā in alio. Adde leuius incōueniēs iudicatū, vt quis renitēte volūtate ex traditione olim fācta à parētibus religiosus efficeretur, cū posset à religione dimitti, si prauus euaderet; quā quod ex traditione facta Ecclesiæ à parentibus ordinaretur inuitus, tū propter sacramēti ordinis reuerentiā, ad cuius effectū scilicet gratiā excipiendā cōsensus suscipiēntis requiritur: tū etiā, quia semel collati ordines indelebiles erāt. Cōcedo tamē Marcelli Papæ decreto in *c. illud 20. q. 1.* explorata oblati voluntatē. Sed illud nō fuisse vniuersaliter receptū ab Ecclesia satis demonstrāt superiora iura, & insuper iudiciū Innocentij in illa causa inter Cluniacenses & Cistercienses de Roberti donatione, de qua Bernardus epistola 1. citata.

16 Quartò militat cōtra eandē partē, & hāc, quā cōtēdimus donationē probat, quod Sācti Patres dicāt religiosum fieri alieni iuris professione ipsa, seque in alterius dominiū trāsferre; & cōsequēter affirmāt, si quid accipiat inscio Prælato nō tantū sacrilegū, sed furē esse. Ita affirmat Basilius in cōstitutionibus Monasticis c. 35. Loquens enim de eo qui occultē aliquid habet, inquit. *Proinde perspicuū est, qui talis sit, eum de præcidenda, ac morte afficiēda anima sua meditari, qui exiguis obolis salutē suā addicere, ac prodere paratus sit, & (liceat mihi quæso per vos aliquantulū loqui audacter, quod sentio) alter Iudas efficiatur, nēpe qui à furto exordiatur; furtum est enim priuata possessio, & in proditionē desinat; quando vt ille Dominū, sic iste etiā veritatis verbū prodit.* Et idē Basilius in Asceticis sermone de Abdicatione rerū col. 5. inquit. *Si igitur Dei munere talē quēpiā virū inueneris, magistrū bonorū operū, hoc apud te cōstāter teneto, vt nihil omnino quidquā præter illius sententiā facias. Quidquid enim eo inscīēte facis, id furtū ac sacrilegiū est, tibiq; exitiū, non autē vtilitatē vllā opportat.* Plura adduxi q. 9. Scholastica c. 2. quæ eo loco legi possunt. Adde etiā illud Augustini in regula. *Qui vero occultē ab aliquo literas, vel quodlibet munus acceperit furti iudicio cōdēnetur.* Vnde Sāctus Gregorius eius nominis primus lib. 4. epist. 44. in qua cōtinetur Cōciliū Romanū in fine inquit de seruis Monachis nū ingrediēntibus, illos teneri strictiori seruitute, quā ea qua ligati erāt in sęculo. At vinculū religionis tantū strictius nō est vinculo iustitiæ, vt notū est. Igitur si alieni iuris fit religiosus professione ipsa, & strictiori tenetur seruitute, planē efficitur in ipsa professione verā donationē interuenire, qua se verē donat religioni; ac proinde non tantum ibi interuenire obligationem religionis, sed etiam iustitiæ.

17 Quintò impugnatur etiā ratione, quā insinuaui ea q. 3. c. 5. quia cōstās est omnium Doctorū sentētia Prælatū verē irritare vota religiosi, neq; opus est auctores referre. At similiter certū est scholasticorū placito potestatē irritādi vota esse dominatiuā, vt constat in patre, marito, & domino, qui vxoris, serui, & filiorū vota irritare possunt. Vnde & asserūt Scholastici Prælatū ideo irritare vota subditi, quia ille nō est sui iuris, sed totū se trāstulit in ius alterius. Vnde plerūq; materia, quā vouet nō est sua, nec volūtas: sed sicut dominus, quia cū seruus vellet aliquid operari ex voto, ius habet eius operas exigēdi & in alijs illū exercēdi, ideo potest eius irritare vota. Idē etiā de Prælato religiosi affirmāt, quia ius habet ad eius volūtatē & operas, cū se totū trāstulerit in potestatē Prælati, vt in quo velit exerceat, inde est quod possit impedire ne impleat vōtū, & ex cōsequēti irritare. Cōueniūt in hoc Scholastici omnes. Et quāuis in eo sit inter eos diuersitas, an monachus validē emittere votū possit, quibusdā affirmātibus, licet cū subiectione ad Prælati voluntatē, alijs verō negātibus: attamē in eo, vt dixi, cōueniūt irritari à Prælato posse ex potestate dominatiua, quā habet in subditū, & quia sui iuris subditus nō est. Ita sentit Altisiodorensis lib. 3. Sūmæ tit. 28. c. 3. q. 1. Ricardus in 4. dist. 38. art. 4. q. 1. affirmatq; magis subiectū Prælato monachū, quā vxorē marito. Ioannes Maior ea dē dist. q. 4. §. *Dubitatur qui possint vouere,* adducitq; testimoniū D. Basilij, quod habetur *c. monacho 20. q. 4.* Palud. eadē dist. q. 4. ar. 2. concluſ. 6. Maronius q. vnica, §. *hic sunt duo.* Concluſ. 3. Supplemētū Gabrielis q. 1. art. 5. §. *Tertio religiosus,* refertq; Hostiēsem pro eadē sentētia, Durand. q. 1. n. 7. eandem rationē esse vult de seruo monacho vxore, filio familias. Angelus V. *votū* 2. nu. 3. & n. 11. Sylu. V. *votū* 4. q. 2. dicto 5. Rosella V. *votū* 2. n. 14. Soto lib. 7. de iustitia q. 3. art. 1. & 2. Nauar. in Manuali c. 12. n. 61. & 65. Ioannes Azor tom. 1. lib. 11. c. 17. q. 3. & 16. & sequentibus. Et quidem vbi hæc potestas dominatiua deest, non posse vota irritari constat, quia Episcopus non potest irritare vota suorum subditorum, quorum spiritualem curam habet, vt docuit Ioannes Azor, q. 3. cit. imo neque Romanus Pontifex fidelium vo-

ta irritare potest, vt docet idem Azor eadē q. ex S. Thom. 2.2.q.88. art. 12. ad secundum Caiet. ibidē. Soto loco cit. Nauarro in Manuali c. 12. n. 76. non alia certè ratione, nisi quia eorum potestatem dominatiuam non habent.

18 Sed inspiciamus quid ad hunc communem Doctorum sensum respondet Gabriel Vazquez. Inquit itaque in ea disputatione c. 4. n. 29. Prælatum irritare posse vota subditi, non ex potestate dominatiua, sed quia illos compellere potest ad obseruationem regulæ, idque habet ex iurisdictione quadā sibi peculiariter à iure concessa. Vnde alio modo irritat quam dominus vota serui. Ideo enim dominus irritat, quia materia quam vouit non est sua, sed domini iure ipso seruitutis. Verùm contra istam solutionem est in primis nullum esse discrimen assignatum, quia non semper ex eo quod materia, quā seruus vouet non est sua, potest dominus vota irritare: fieri enim potest votum de operibus & actibus internis, irritare autem dominus etiam valet ea vota ex eo quod voluntas serui domini est iure seruitutis. Similiter etiam Prælatus aliquādo irritat vota, quia materia quam accidit vouerī à monacho non est sua; quandoque etiam, quia non est sui iuris, vt cum vota de orando, vel recitando aliquid interius emittuntur. Non ergo ex alia potestate dominus serui vota irritat, & ex alia Prælatus. Deinde quia ea iurisdictio, ex qua irritat Prælatus vota, quā ipsi à iure cōcessam dicit Vazquez, cum non sit dominatiua, vt ipse fatetur, nullatenus à iure conferri potest, neque enim illam concedere potest Pontifex, cum non habeat, quandoquidē vt dixi, non valet fidelium irritare vota, quia non habet in illos potestatem dominatiuā. Quomodo ergo posset communicare Prælatis? Adde quod supra probatum est, eam iurisdictionē datam à Pontifice, quam hic auctor constituit, nihil conferre ad statum religiosi.

19 Respondet Gabriel Vazquez, & licet inuitus in nostram sententiā labitur. Inquit enim Papam ideō non habere iurisdictionē vel potestatem irritandi aliorum vota, quia non vouerunt ipsi specialem obedientiam sicut religiosi. Quod si vouissent, etiam posset ea vota irritare. Sed contra hanc solutionem est manifestum argumentū. Quia vel Vazquez secū ipse pugnet, vel fateatur nostram sententiam necesse est. Ipse enim cōcedit ex vi voti obedientiæ factæ confessori non sequi iurisdictionē vllam. Vnde si quā mulier voueret obedientiā cōfessori, nō ideò ille posset eius vota irritare. Ergo præcise ex ratione voti obedientiæ nō sequitur iurisdictio, vt possint irritari vouentis vota. Ergo nec etiā Pōtifici quæritur ea iurisdictio ex vi voti. Itaquē vel Pontifex antequam aliquis eam specialem obedientiam vouear, habet potestatem irritandi vota, vēl non. Primum dici non potest, vt iam ostendimus, & fatetur Gabriel Vazquez. Si dicatur secundū, ergo cum post specialem obedientiam potest, cum id non proueniat ex vi voti, sequitur prouenire ex donatione, quæ in ea votorū emissione interuenit, ratione cuius quæritur Pontifici potestas dominatiua in religiosum vouentē. Adde si quis voueret obedientiam Pontifici extra statum religionis, & regulam approbatam, nō posset vota irritare, sicut neque alius cōfessarius. Ergo etiam ex speciali obedientia in eo statu, qui cum ea donatione coniungitur, quæritur Pontifici iurisdictio, & potestas dominatiua. Præterea etiam impugnatur, quia ea iurisdictio ad irritanda vota à iure concessa, quam statuit Vazquez, ortum habet, vt ipse fatetur, à potestate clauium. At id falsum est, non enim habet Abbatissa potestatem clauium, & tamen potest suarum monialium vota irritare, vt in specie docuit Ioan. Azor d. cap. 17. q. 3. in fine, & in patre, domino, & coniuge est potestas irritandi vota sine vlla potestate clauium, sed tantum œconomica. Non ergo ea potestas irritādi vota deriuatur ex potestate clauium, cuius fœmina est incapax, sed ex quasi contractu donationis, qui interuenit in emissione votorum, ratione cuius monachus definit esse sui iuris, & quæritur Prælato acceptanti potestas dominatiua in illum.

20 Sed obijcit primo Gabr. Vazq. Si iurisdictio, quæ est in Prælato ex vi status religiosi solū oriretur ex donatione priuatæ personæ se subijcientis, & alterius acceptantis, sequeretur posse istū statum mutua vtri iusque voluntate dissolui. Sed religionis status pēdet à Summi Pontificis voluntate, nec potest cōstitui aut dissolui solo priuatorū cōsensu. Ergo iurisdictio propria status religiosi nō nascitur ex eo quasi contractu donationis. Miror tamē viros doctos ista obiectiuncula cōmotos, facillime enim dici potest in statu religioso cōsiderari posse, & ipsam erectionem status, aut quod iste in singulari vel ille persistat, vel permaneat in eo statu. Primum quidem non pendet ex voluntate priuatorum, neque ex voluntate Pontificis, in

stitutio enim religionis est diuini iuris, quā vis quod sub hac regula, vel illa approbetur, pertineat modo ad Pontificem, cum antea etiam ad Episcopos pertineret. Quod autē hic in particulari permaneat in eo statu, si religionis status naturam attendas, dissolui posset ex voluntate Præsulis acceptātis, sicut & nunc dissoluitur religionis vinculum in Societate IESV quoad eos, qui tantum emiserunt vota simplicia post biennium, & olim fiebat in omnibus religionibus, vt ostendam infra. Quæ vti infra dicam est immobilitas per accidens, & extrinseca: at ex parte vouentis, & se donantis dissolui nunquam posset, nam ex parte eius perpetua donatio est, & per se immobilis, vt infra explicabimus exemplo serui, & matrimonij tam spiritualis, quām corporalis. Potuit autem auferri potestas illa dimittendi ab inferioribus Prælatis, & reseruari penes Pontificem, sicut & factum est. Hoc autem non est dissolui statum religionis, sed hunc, qui religionis vinculo tenebatur, liberari eius obligatione.

21 Secundò obijcit, quia sicut facta regnorum diuisione non potest aliquis priuatus eligere sibi iudicem cum iurisdictione, hæc enim deriuari debet à Principe, vt constat ex *l. Priuatorum, C. de iurisdictione omnium iudicum. Priuatorum consensus, non facit iudicem & cap. diligenti de foro competenti*, dicitur Ecclesiasticum non posse se subijcere sæculari tribuendo illi iurisdictionem. Ita similiter cum spiritualis iurisdictio à Christo cōcessa sit, & constituta penes Romanum Pontificem, ab eo debet deriuari, & non potest ex mutuo consensu conferri ea spiritualis iurisdictio. Hoc est præcipuum fundamētum Gabrielis Vazquez, sed nisi ego fallor, non magni momenti. Nos enim non dicimus eam potestatem spiritualem, quam Christus Summo Pontifici reliquit, posse ex consensu partium alicui attribui, quamvis potestatem spiritualem ex consensu partium tribui potuisse in lege naturæ docuerit Victoria relect. 1. de potestate Papæ, & relect. 2. Id quod sequutus est Ioan. de Salas tract. de legib. disp. 8. sect. 17. Quin potius asserimus eam potestatem, & iurisdictionem, quę propria est status religiosi, & quam explicamus à signo per potestatem irritandi vota, non esse penes Romanum Pontificem, neq; alicui quæri posse, nisi ex donatione sui facta à vouente. Vnde cum Christus Dominus instituerit statum religionis, & executioni mandauerit, effectum est simul ea donatione, quæ in eo statu vna cum votorū emissione fit, ex eius institutione talē quæri iurisdictionem Prælato. Itaq; talis iurisdictio quæritur ex Christi Domini institutione, & iure diuino sic instituente religionis statum, vt ijs duobus quasi contractibus constaret. Nam præcise ex trium votorum sola emissione non efficitur aliquis religiosus, vt dixi supra, & dicā etiam infra. Nec vero dico à Christo Domino dari huiusmodi iurisdictionem Prælato, sed quia ex Christi institutione religiosus status constat donatione vouentis annexa tribus illis votis, ideò ex ipsamet donatione nasci eam iurisdictionē Prælato. Quam si spiritualem appellare velis, non renuam, cum potestatem spiritualē dari ex partium consensu non repugnet, vti ex Victoria retulimus, & Christo Domino constituente omnis tollatur dubitatio.

22 Atque ex his quæ dicta sunt facile impugnatur etiam id quod dicebat Gabr. Vazquez inter ea, quæ impugnanda suscepimus in prima parte eius sententiæ, scilicet iurisdictionem hāc, quæ residet in Prælato, propriam status religiosi oriri ex potestate clauium, qua per pœnam spiritualem potest compellere ad obseruationem regulæ: tum quia est potestas dominatiua ex donatione proueniens: tum etiam quia mere laicus potest esse Prælatus religionis, & olim ita erat & aliunde vocabant presbyterum, qui sacra faceret, vt multis testimonijs cōfirmari possit, satis tamē sit allegasse Gregoriū Magnū lib. 3. epist. 18. de quo iterum nonnulla statim. Cū ergo religionis status constare possit Prælato existente mere laico, cui pleno iure subiecti Monachi sint, non est cur dicamus eam iurisdictionem deriuari ex potestate clauium. Vnde & in lege naturæ, quod multi cōcedunt, statum religionis esse posse nihil est, quod impediat. Adde etiam ex potestate clauium nequaquam posse irritari subditorum vota, vt dicebamus. Quare etiam si quis diceret, cum olim Prælati erāt mere laici, saltem in Episcopis residisse potestatem clauium, nihil dicit, quo argumentum soluat, cum illi præcise ex ea potestate irritare non possent subditorum vota, vt dictum est: potestasque nō est puniendi, cum hæc merè sæcularis sit, nec excōmunicandi vel ligandi, aut soluēdi, quia hæc extrinseca est statui religioso, nec nascitur ex religionis statu, sed à Pōtifice cōcessa est, vel immediatè à Deo. Idque constat manifestē tum in monialibus, quæ verè religiosæ sunt, & tamē earum Abbatissa potestatem excōmunicandi

candi non habet: tum etiam quia primis sæculis monachismus non constabat clericis, vt manifestissimũ est, & D. Benedictum clericum non fuisse, sicuti nec B. Franciscum asseruit expresse D. Bonauentura in expositione Regulæ cap. 7. nec est aliquod fundamentum in regula D. Benedicti, vnde oppositũ colligatur. Quod enim aliquando propter delicta repellat â communione reliquorum Monachos, non ea excõmunicatio est, quæ censura Ecclesiastica censetur, sed separatio quædam à cõmunione, & conuictu, & mensa per aliquot dies, veluti si pater vt filium puniat, ingressu cubiculi sui interdicat, cuiusmodi multa reperies apud Basiliũ in animaduersionibus ad canonicos, & canonicas. Nec vero obest Benedictum prædicatoris exercuisse munus, id enim diuina reuelatione factum est ob eximiam viri sanctitatem, vt asserit Augustinus Anconitanus summa de potestate Eccles. q. 99. art. 1. in corpore. Adde etiam potius consiliarij optimi, quam Ecclesiastici prædicatoris obijsse munus. Quare alia debet constitui iurisdictio ab ea diuersa, quam explicuimus.

Immobilitatem status religiosi non prouenire ex voto, sed ex donatione.

CAPVT VI.

SVMMARIVM.

Immobilitatem status religiosi prouenire ex donatione, non ex votis. num. 1. Varie probatur. ibidem.
Quorundam solutio reijcitur. num. 2.
Alia solutio excluditur. num. 3.
Tertia solutio impugnatur. num. 4.
Ad statum religiosi parum refert immobilitas ex parte præsulis acceptantis. num. 5.

1 EX dictis duobus his capitibus præcedentibus consequenti ratiocinatione colligitur immobilitatẽ status religiosi totam prouenire ex donatione, quam includit ratio, & natura status, quod etiam diximus 1. part. variarum disp. quæst. 3. Scholastica cap. 5. Ratio est facilis, & aperta. Quia hac sola donatione quouis alio præciso transit donans in ius alterius, id quod requiritur ad statum, vt iam dictum est, & docet D. Thomas 2. 2. quæst. 88. art. 7. & quæst. 183. art. 1. Cumque status asserat ex sua ratione conditionem immobilem, planẽ sequitur ex hac donatione constitui religiosum statum, etiamsi alia remoueas. Doctrinam hanc, quæ ratione manifesta fulcitur, & consensu fere omnium Doctorum probata est, nonnulli in dubium reuocare volunt, contenduntq; immobilitatem hanc in statu religioso prouenire ex vinculo triũ votorum. At ex vi votorum præcise nullo modo immobilitatem status religiosi prouenire posse ostendam, vt credo, manifestẽ. In primis quia sola donatio, vt visum est, sufficit ad constituendum statum immobilem. Ergo frustra fingitur alia immobilitatis causa. Deinde quia vota non possunt donare aliquem, neq; transferre in ius alterius aut efficere alieni iuris contra Scotum in 4. dist. 38. & Michaelem de Medina lib. 4. de continentiâ controuers. 7. cap. 25. & sequetib. Neque secum afferunt religiosam traditionem contra Sotum lib. 4. de iust. q. 6. art. 3. ad 2. in fine 2. conclusionis. Tum quia religiosus mutat conditionem â libertate in seruitutem, & fit alieni iuris, & simul obligat se in futurum ad diuersas operationes. Sed hæc duo non possunt esse ab vna, & eadem causa. Ergô cum votis obligetur in futurum non potest ex vi votorum donari. Minorem, & consequentiam probo, quia non potest vna, & eadem causa obligari in præsens, & futurum, cum sint diuersæ temporis differentiæ. At in statu statim constituitur, ita vt ab eo instanti, in quo se donat, furti reus sit, si se surripiat â religione, opera autem ad quæ obligatur, non possunt statim poni, sed cum postea se se obtulerit occasio. Tum etiam, quia donatio fit religioni, non Deo, vota fiunt Deo, non religioni. Vnde sicut Deus non est capax aduentitij dominij, ita neque homo voti. Ergô ex vi votorum non donatur. Neque enim donatio Deo fieri potest, nec se in Dei dominium, & ius transferre, cum semper sit sub dominio Dei, & ita neque ex vi votorum se donat, neque transfert in ius alterius. Tum præterea quia status religionis contrahit genericam rationem status, & addit differentiam aliquam supra illam. Ergô supponit iam constitutam rationem status, & ex consequenti immobilitatem, cui additur differentia votorum, & ex consequenti non votis, sed donatione fit immobilis. Tum etiam, quia impossibile est eandẽ esse traditionem, & promissionẽ simul, imo vnũ excludit aliud, semel enim tradita rẽ nõ est vltra promissio, cum traditio respiciat tẽpus præsens, promissio vero futurũ.

At votum essentialiter est promissio,& tãtum ligat totum hominem in futurum, idq; habet quoduis votum, totus enim homo castitatem seruare tenetur.Ergo non potest votum esse donatio atque traditio. Tum præterea, quia omne votum essentialiter conuenit in ratione promissionis, nec votum religionis solemne, & votum simplex differunt in essentia,sed tantum in accidentibus,vt dicam postea. Et tamen vota simplicia extra religionem non tradunt, vt notum est,in religione autem tam vota simplicia, quàm solemnia tradunt, & donant, vt definit Gregorius XIII.in *Extrau. ascendente Domino*. Ergo ea traditio aliunde proueniat necesse est,quam ex vi votorũ.Tum denique, quia quantunuis quis emitteret ea tria vota,non posset votorum vinculo retineri, ne alio abiret, vt planum est in eo, qui emitteret ea vota in manu Episcopi, posset enim pro libito sedem mutare, & noua pascua quærere,

2 Sed respondent Ioannes Azor tomo 1.lib.12.cap.6. quæst. 1. Leonardus Lessius lib.2.de iustitia cap.8.dub.3.num. 28.& ca. 41.dub.7.num.61. in emissione votorum non solum esse promissionem Deo factam obediendi, sed etiam humanam, & ita illa promissione retineri. Sed contra est. Tum quia ea humana promissio, & acceptatio non est necessaria ad statum religiosi. Vota enim simplicia in Societate IESV,non acceptantur à Prælato, & ideò in nullius manibus fiunt. Tum etiam ea humana promissio non mutat statum conditionis â libertate in seruitutem, neque transfert in ius alterius,vt constat de eo, qui promitteret obedientiam Episcopo, vel Confessori: neque dat potestatem irritandi vota,neque retinẽdi,ne possit vouens discedere ab Episcopi, vel Confessoris præsentia, & alio abire.Ergo vinculum, quo retinetur quis mancipatus religioni,non potest esse ex votorũ obligatione.

3 Sed respõdent ijdem Auctores sequuti Nauar.lib.3.consilior.de regular.consil.26. n.1.& antiquiores alios, in emissione votorum intercedere quendã contractum inter vouentẽ,& prælatũ,vt pro operis suis,quas religiosus locat,& obligat,teneatur Prælatus illum regere, & spiritualia ministrare, & ex vi huius cõtractus retineri.Sed in primis iam isti Doctores aliud vinculũ requirunt, præter id quod nascitur ex natura votorum. Deinde longe discedunt à veritate. Tum quia eiusmodi cõtractus esset planè simoniacus, cũ sæpe Prælatus spiritualia ministret. Tum etiã quia hæc locatio operarũ non constitueret illũ in statu, nec transferret in potestatem alterius, vt notum est, & aliàs etiam Prælatum transferret in potestatem subditi,sicut in matrimonio contingit, quod est absurdum, cum sit in eo contractu mutua, & ex cõsequenti æqualis obligatio. Ea igitur, quæ est in Prælato comparatione subditi,non nascitur ex eiusmodi contractu neq; ex votis,sed ex donatione, & traditione,qua se donauit,subditus, & Prælatus acceptauit.

4 Denique Gabr.Vazq.disp.sup. cit.respondet retineri non quidem vinculo prouenire ex donatione, sed ex iurisdictione quadam annexa votis,scilicet,voluntate legislatoris subijcientis sibi,suorumq; ministrorum iurisdictioni vouentẽ tria vota in religione approbata,qua efficitur, vt illos semel vouentes detinere possint.Sed præterquam,quod cap.præced. pluribus argumẽtis ostendimus,iurisdictionẽ hanc à Põtifice deriuatã non esse necessariã ad statum religiosi,adhuc ea admissa non posset, qui tria vota emitteret, retineri à Prælato, quo minus libere posset discedere,quod hac ratione demonstro.Nemo potest,nisi in sibi subiectũ iurisdictionẽ exercere, vt notissimum est. Ergo vt Prælatus exerceat iurisdictionẽ in vouentẽ,debet esse illi subiectus.Tũc inquiro,quo subijcitur.Vel enim sponte subditus subijcitur nõ aliter quã Episcopo subijciuntur oues,& Prætori ciues,qui possunt domicilũ mutare,& noua quærere pascua, eo quod nullo vinculo Prætori ciues, oues Episcopo tenentur adstricti,quo possint detineri, & ea ipsa ratione religiosus, licet Deo per tria vota deuinctus sit,homini autẽ nullo modo obligatus, dum vult in religione manere, possit subijci iurisdictioni Prælati, sicut & pœnitens subijcitur cõfessori, & dum vult discedere, discedat sicut nouitius,quod nullũ sit vinculũ,quo possit retineri. Profecto hac ratione subiectio spõtanea intellecta omnẽ religionis rationẽ tollit,cum nihil sit quo status roboretur.Quod si à Põtificis voluntate subijciatur,& in statu retineatur subiectus Prælati iurisdictioni rogabo ego an sola Põtificis voluntas id efficiat,vel simpliciter volentis,quod dici nõ potest propter rationẽ dictam: vel etiã præcipientis.At hoc nemo concedit. Spõtaneũ enim seruum quærit,qui dixit, *Qui vult venire post me*, & sponte sua se obligantẽ, non externo præcepto deuinctũ. Accedit quod

Epis-

Episcopus sola sua voluntate præcipiente nō potest ouem retinere, ne muret domicilio, nisi ouis ipsa ex se aliquo vinculo Episcopo sit adstricta, & olim religiosi Episcopis tantū subiecti erant, à quibus vel tacitè, vel expresse religiosū probabatur institutū. Et explicatur vlterius. Quia religiosus sit seruus religionis, & alieni iuris, & totus trāsfertur in potestatē alterius, nō minus quam seruus. Rogo quo transferatur in potestatē alterius, si à se ipso, habeō intentum, scilicet donatione cōstitui in statū immobilis cōditionis seruilis. Si à Pontificis voluntate hoc dici non potest, seclude enim pœnam delicti, & non erit in Pontificis potestate aliquē seruum efficere, sed vnusquisque, nisi lege prohiberetur, posset se seruum alterius cōstituere, prohibuit autē lex. Posset quidem ea lex auferri, & ea ablata, cuiuis naturali potestate posset se submittere in seruum, sicut & olim iure ciuili poterat in aliquo casu, vt ex iure constat. At auctoritate aliena non potest effici seruus, neq; in ius alterius transferri. Debet ergo in religiosis præter tria vota aliud vinculum inueniri, quo religioni se se adstrinxerint, ne possint recedere, & ratiōne cuius possint à Prælato detineri, vt in illos suam exerceat potestatem, atque adeō ex vi votorum nō nascitur immobilitas religiosi status, sed ex donatione quam diximus.

5 E quibus deniq; conficitur, ad immobilitatē status religiosi, eam requiri & sufficere, quæ est ex parte religiosi se donantis, ex eo enim tantum capite est status iste ac donatio immobilis, & perpetua per se. Quod vero ex parte religiosi Præsulis sit immobilis non requiritur ad statū istū, neque necessariū est, ea enim est immobilitas perpetua per accidens, & extrinseca. Id constat exemplo seruituris, & matrimonij spiritualis, & corporalis, vt magis explicabimus infra. Imō omnibus votis etiam solēnibus ea sub intelligitur conditio, vt possint dissolui auctoritate Pontificis. Id ergo nō tollit immobilitatem per se, quæ tantū attendi debet ex parte religiosi se donātis, & cōstituentis in statu. Relinquitur ergo omnem religiosum statū, siue ille constet votis simplicibus, qualis est religio Societatis IESV quoad eam partē, quæ votis cōstat simplicibus emissis post biennium, siue constet solēnibus, includere donationē, qua se religiosus religioni donat, & transfert in potestatē alterius, & fit alieni iuris, quamq; secum affert ipsa status ratio, & includere etiam promissionem Deo factam trium votorum vinculo firmatam. Illa donatione cōstituitur status, & redditur conditio seruitutis immobilis, his votis tolluntur impedimenta, quæ obstare poterant adquirendæ perfectioni.

Distinguitur votorum solemnitas, & ostenditur quo iure inducta sit.

CAPVT VII.

SVMMARIVM.

Solemnitatis diuisio. num. 1.
Solemnitatē voti religiosi esse ex iure Ecclesiastico. num. 3. Probatur ex Gregorio XIII.
Prima solutio reijcitur. num. 3.
Alia solutio impugnatur. num. 4.
Tertia etiam solutio. num. 5.
Quarta item solutio. num. 6.
Quinta solutio excluditur. num. 7.
Sexta etiam solutio. num. 8.
Septima solutio proponitur. num. 9.
Impugnatur. num. 10.
Octaua impugnatur. num. 11.
Postrema solutio. num. 12.
Fundamentum vnicum definitionis pariter etiā definiri. num. 13.
Expenditur præceptum Gregor. XIII. n. 14.
Proponitur quæstio. num. 15.
Posse concedi solemnitatem essentialem in votis, & iure diuino. num. 16.
Id non pugnare cū Extrauag. Gregor. n. 17.
Tres solemnitates distinguuntur in votis religiosis. num. 18.

1 CÆTERVM cum inter vota, quibus adquirit religiosus perfectionem, ea inualuerit diuisio, vt quędam dicantur esse simplicia, quædā solēnia, explicandū deinceps est, in quo cōsistat hæc votorum solēnitas. Cuius rei gratia obseruādum præterea est solēnitatem nihil aliud esse, quam externam actus formam ritibus, & ceremonijs constantem à personis, locis tēporibusq; desumptā. Potest autem diuidi in essentialem, & accidentalē. Essentialem solēnitatem voco formā, quæ actum aliquē constituat, & ab alijs distinguat. Accidentalem autem, quæ vt iuxta regulas Dialecticorum definiamus, adesse & abesse potest absq; subiecti corruptione. Hæc autem duplex est, quædam ea quæ appelletur à nobis legitima, sine qua aliās actus validus esse posset, at ex voluntate legislatoris necessario ad-

iungenda est. Alia autem omninò extrinseca, sine qua actus validus esse potest etiã secundùm legislatoris voluntatẽ. Explicemus hæc omnia exẽplo cõtractus matrimonij. Eiusmodi contractus sola traditione, & acceptatione corporum, cumverbis aut signis animum significantibus constituitur ex natura suâ, & ità celebratus valuit à principio. Hanc formam contractus matrimonij, qua multis sæculis constitit validus, voco solẽnitatem essentialẽ. At postea Ecclesiæ constitutione cautũ est, vt celebretur coram parocho & testibus, ità vt aliter celebratus nõ valeat. Hanc voco solẽnitatem accidẽtalem, legitimã tamen, quia licet aliàs validus esse posset contractus, attamen ex voluntate legislatoris adiungente eiusmodi formã non valet, si secus fiat. Præcipitur etiam, vt præcedãt denunciationes publicæ, & requiratur consensus patris, & alia huiusmodi. Hanc voco solemnitatem accidẽtalem extrinsecam, quia etiam secundum legislatoris voluntatem omissa hac solemnitate valet matrimonium. Inquirimus ergò, quo iure votorum solẽnitas inducta sit in Ecclesiã & in quo consistat. Hoc postremum explicabo cap. sequẽti. Primum vero in isto cap.

2 Quamvis Theologi non pauci non agnoscentes aliam solemnitatem præter eam, qua in iure vota religionis appellantur solemnia, cum D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 7. & etiã in illis Turrecremata in cap. *Sicut bonum à* n. 5. 27. q. 1. nulla distinctione facta asseuerint solemnitatem voti esse de diuino iure, attamen interpretes iuris Canonici, etiam Theologi frequenter docent de eadem solẽnitate loquẽtes eam solemnitatem voti ex iure Ecclesiastico tantum ortam esse. Quod adeò certum esse debet, vt quamvis prioribus sæculis inter veteres Doctores nonnulla de hoc extiterit cõtrouersia, attamen hac nostra ætate sine manifesta Pontificiæ sedis iniuria oppositum affirmari non possit. Habet pro se hæc sententia ex antiquioribus plures, nec inferioris notæ. Sequuntur enim illam omnes Pontificij iuris Interpretes cum Glossa in cap. *Rursus. Qui clerici vel vouentes.* Innocent. Hostiensis, Archidiaconus Ioannes Andræas, Ancharranus, Felinus, Cardinalis, Abbas, & inter Theologos, Soto in 4. dist. 38. quæst. 1. Heruæus quodlib. 11. q. 29. Henriq. quodlib. 6. q. 39. Paludan. in 4. dist. 38. q. 4. art. 4. conclusione 11. Caietanus 2. 2. q. 88. art. 7. Michael Medina de continentia Sacrorum hominum lib. 4. controuersia 7. à cap. 28. Palacius in 4. dist. 88. disp. 2. Astẽsis lib. 8. tit. 16. Angelus *matrimonium* 3. impedimento 5. Rosella impedim. 4. n. 2. Omitto quod in cap. *Rursus, qui Clerici vel vouentes*, dicitur votum simplex non minus obligare, quàm solemne, quo datur intelligi votum simplex, & solemne non differre essentia, sed tantum accidentali solemnitate, atque adeò solemnitatem non esse quid essentiale voto. Taceo etiam quod in cap. *votum, de voto & voti redempt. in 6.* habetur voti solemnitatem sola Ecclesiæ constitutione inuentam esse. Deuenio ad Gregoriũ XIII. Pontificem Maximum in *Extrauag. Ascendente Domino, & Saluatore nostro in naviculam*, qua laudabile institutum Societatis IESV, de nouo confirmauit, atque muniuit ex motu proprio, certa scientia, & de plenitudine potestatis aduersus nonnullorum calumnias. Cum enim cuiusdam priuati Doctoris falsas, & temerarias propositiones referret, ex eo ortas fundamento, quod solemnitatem votorum esse de iure diuino existimaret, inquit Pontifex: *Non considerantes solemnitatem voti sola Ecclesiæ constitutione inuentam esse*, & ex opposito prorsus fundamẽto oppositas propositiones definit, scilicet religiosos Societatis IESV post emissa vota simplicia, elapso probationis biennio, esse verè & propriè, & substantialiter religiosos, nõ secus ac eiusdem ordinis professos: illa tria vota, etsi simplicia, esse substãtialia religionis vota: Desertores eius instituti, nisi accedat Præpositi generalis licentia, esse verè apostatas, & apostatarum pœnis subiacere: post illa emissa vota omninò eximi à sæcularium iurisdictione. Denique contractus matrimonij post illa vota celebratos in posterum irritos, & nullos esse. Quare sic ego existimo, definitum esse à Põtifice solemnitatem votorum, de qua erat sermo, esse de iure tantum Ecclesiastico. Quamvis enim definita aliqua veritate non statim definiatur principium, cui innititur: attamen quando vnicum tantum est eius diffinitionis fundamentum, ita vt cum opposito fundamenti stare non possit veritas definita, vna cum cõclusione definitur principium. Ita contingit in præsenti. Nec enim conclusio definita à Pontifice stare potest, si vel leuiter dubitetur solemnitatem, de qua erat sermo, esse iure tantum Ecclesiastico introductam.

3 Sed videamus quid ad hanc Extrauagantem Gregorij respondeant Aduersarij. Quidam dicunt Gregorium XIII. loqui non de essentiali solemnitate, sed de accidentali sump-

sumpta, scilicet pro hoc aut illo modo, aut ceremonia emittendi professionem, aut vota, & de hac verè affirmasse Pontificem sola Ecclesiæ constitutione introductam. Hæc tamen solutio apertè refragatur Pontificis menti, atque sententiæ. Dicit enim Pontifex aliquos existimasse vota simplicia Societatis post biennium emissa non constituere aliquem in statu religiosi, non considerantes solemnitatem voti sola Ecclesiæ constitutione inuentam esse. Ex his autē verbis apertè sequitur loquutum esse Pontificē de ea solemnitate, quæ constituit votum solemne, de ea de qua loquebantur Aduersarij: quæq; nō in est votis simplicibus Societatis. Nam de accidentali illa, hoc est pro hoc aut illo modo professionis faciendæ, nullus hactenus dubitauit sola Ecclesiæ cōstitutione introductam, & aliqualem eius generis solemnitatem in votis simplicibus prædictæ Societatis reperiri. De solemnitate verò, quæ constituit votum solemne iuxta Scholasticorum controuersiam, nonnulli dubitarunt, præsertim tempore Gregorij XIII. & quia putarunt eam solemnitatem iure diuino ad statum religionis requiri, intulerunt errantes simplicia vota Societatis post bienniū emissa non constituere simpliciter, & substantialiter religiosos. Contra quos definit Pontifex illa tria vota Societatis, etsi simplicia, substātialia religionis esse fuisseque semper. Ex hac autem definitione apertè sequitur nullam prorsus solemnitatem voti, de qua dubitabatur, esse requisitā ad essentiam & substantiam religionis. Si enim illa requisita essent, prædicta vota simplicia non constituerent substantiā religionis, quod citra iniuriam prædictę definitionis dici non potest. Deinde non benè Pontifex colligeret vota simplicia Societatis efficere simpliciter, & substantialiter religiosum, ex eo quod assereret solemnitatem rātum accidentalem, hoc est, hunc aut illum modum professionis faciendæ esse de iure Ecclesiastico, si tamen Pontifex admitteret solemnitatem prædictam esse de essentia religionis, hæc enim non est in prædictis votis simplicibus.

4 Ex his etiam facile excluditur solutio quorundam affirmantium Pontificem dicē tem, solemnitatem voti esse sola Ecclesiæ constitutione inuentam, deceptum esse, neque hoc ad definitionem pertinere. Hæc in quam solutio liberior est, quàm par est, & graui nota atque censura digna, & facillimè refutatur. Tum quia non potest esse vera definitio Pontificis asserens vota simplicia Societatis constituere verè, & substantialiter religiosum, & esse substantialia religionis vota, si illa solemnitas, de qua est sermo, est de essentia religionis, cum tamen illa prædictis votis simplicibus non insit. Tum etiam, quia Pontifex intendit damnare temeritatem eorum, qui post alia eius decreta, quibus laudabile institutum Societatis IESV confirmauerat, & emittentes vota simplicia verè religiosos esse declarauerat, adhuc affirmarunt illa vota non efficere verè & propriè religiosum: & assignans causam erroris eorum affirmat eam fuisse, quod non considerarunt solemnitatem voti sola Ecclesiæ constitutione inuentam esse. Quod si demus ista verba prolata esse à Pontifice priuato sensu, & tanquam à priuato Doctore, atque adeò falsa esse: nec rectè Pontifex causam erroris eorum assignasset, nec aptam, sed ineptam potius suæ definitioni adstruxisset viam. Tum denique, quis credat Pontificem in priuato sensu, & vt priuatum Doctorem locutum contra eos, qui vt decretis præcedentibus ab eo prolatis fidem auferrent, dicebant illum vt priuatum Doctorem locutum? Nullatenus ergo affirmari potest, aut debet, Pontificem erraſſe in hac parte. Agnouique ego aliquem apud Complutenses, dum ibi commorarer, qui duas istas solutiones coactus est in publicis disputationibus tacitè, & artificiosè, quò eius honori consuleretur, retractare.

5 Cæterum nonnulli alij, ne ab ea, quam semel imbiberunt, opinione discedant, varijs modis sensum prædictæ definitionis infirmare conantur. Quidam dicunt ex ea definitione tantum haberi religiosos Societatis IESV post illa vota simplicia esse religiosos tantum ex priuilegio; at verò professos esse religiosos essentiali iure. Vnde & cum hoc stare solemnitatem voti esse de iure diuino, & vota simplicia Societatis constituere verè religiosos, ex priuilegio scilicet. Huic tamen solutioni apertè aduersatur definitio Pontificis, qua decernit religiosos Societatis post ista emissa vota simplicia esse verè, & propriè, & substantialiter religiosos, non secus ac eiusdem ordinis, & aliorum professos. Quod si tantum essent religiosi ex priuilegio, essent quidem religiosi instar professorum, non verò dicerentur esse religiosi

gioſi non ſecus ac profeſsi. Deinde definit Pontifex hæc vota ſimplicia eſſe ſubſtantialia religionis vota. Atſi tantum ex priuilegio efficerent religioſum, non eſſent ſubſtantialia vota religionis. Nunquid tu affirmabis verè nobilem ex priuilegio Regis habere ea, que ad ſubſtantiam nobilitatis requiruntur, aut ita eſſe verè propriè, & ſubſtantialiter nobilem, non ſecus atque illum, qui auita nobilitate clarus eſt? Nequaquã. Nõ ergo quiſquã Catholicus, & qui de literis Pontificijs benè ſentiat, affirmabit religioſos Societatis eſſe ex priuilegio religioſos, cum ex definitione Pontificis, non ſecus religioſi ſint, ac eiuſdem ordinis profeſsi. Expendo etiam dixiſſe Pontificem illa tria vota, etſi ſimplicia, eſſe fuiſſeque ſemper ſubſtantialia religionis vota. Si ergò non tantum ſunt, ſed fuere etiam ſemper, nequaquam id habent ex priuilegio, aliâs non fuiſſent ſemper ſubſtantialia, ſed à priuilegij tempore.

6 Rurſus dicunt alij religioſos dici, quia ſunt in congregatione, in qua ſunt profeſsi, qui ſunt verè religioſi. Sed iſti non animaduertunt ſe apertè, & omni tergiuerſatione remota repugnare Pontifici. Quamvis enim hæc ratio ſufficiens eſſet, vt mentem Pontificis in vero ſenſu explicaret, ſi tantum definiret Societatem IESV eſſe verè, & propriè religionem. Sunt enim in ea aliqui ſolemniter profeſsi: tamen, cum non tantum id decernat. Pontifex, ſed ſingulos Societatis poſt emiſſa vota ratione illorum conſtitui verè, propriè, & ſubſtantialiter religioſos, admitti non poteſt prædicta ſolutio. Tum quia ea admiſſa, qui illa ſimplicia vota emiſerunt, tantum religioſi eſſent per analogiam ad profeſſos, atque adeò denominatione tantum extrinſeca. Vnde non eſſent ita ſubſtantialiter religioſi, atque profeſsi. Tum etiam, quia inquit, illa etſi ſimplicia, eſſe ſubſtantialia vota religionis. Igitur illa ſola tantum ſecluſis ſolemnibus ſubſtantiam religionis valent cõſtituere. Non ergô requirunt profeſſorum Societatem.

7 Præterea alij ideò verè, & propriè religioſos vocari dicunt, quia ſunt in via ad profeſsionem faciendam, cum quo ſtare poteſt, & eos eſſe religioſos, & votorum ſolemnitatem iure diuino ad ſtatum religionis requiri. Sed iſti haud dubiè falluntur. Primo quia ſubſtantialia hæc eſſe religionis vota clamat Pontifex. Ergo ſine vllo ordine ad ſolemnem profeſsionem conſtituunt verè religioſum. Deinde quia coadiutores temporales eiuſdem Societatis non ſunt in via ad profeſsionem faciendam, cum perpetuo ſit illis per ſuas leges interdicta profeſsio: & tamen ex expreſſa definitione Pontificis ſunt religioſi poſt illa emiſſa vota non ſecus ac profeſsi. Tandem quia ſi ideò verè, & ſubſtantialiter religioſi dicerentur, quia ſunt in via in illa religione ad profeſsionem faciendam, etiam nouitij eo pacto dici poſſent verè & propriè religioſi. At religioſos Societatis poſt emiſſa vota ſimplicia non magis religioſos eſſe, quam eiuſdem vel aliorum ordinum nouitios expreſſe damnatum eſt à Põtifice. Relinquitur ergo vndequaque firmum, cum religioſos Societatis per vota ſimplicia eſſe verè & propriè, & ſubſtantialiter religioſos definiat Pontifex, prædictam ſolemnitatem voti iure tantum Eccleſiaſtico introductam eſſe in Eccleſiam.

8 Sed præter ea, quæ dicta ſunt in præcedentibus, refellemus adhuc nouas quaſdam ſolutiones ad illam Gregorij Extrauagantem excogitatas ab Aduerſarijs, dum auctoritati Pontificiæ nolunt acquieſcere. Nonnulli ergo, quod mirum eſt, reſpondent Gregorium loquutum eſſe de voto ſolemni Clericorum. Ea tamen ſolutio facillime refutari poteſt. Nam Gregorius XIII. expreſſe refutat errorem illorum Theologorum, qui contendebant ſine voto ſolemni, non poſſe aliquem conſtitui verè religioſum, & de his loquens inquit, illos non conſideraſſe ſolemnitatem voti, ſola Eccleſiæ conſtitutione inuentam eſſe. Iſti autem planè loquebantur de ſolemnitate, quam putabant eſſe neceſſariam ad eius ſtatum, & eſſentiam. Adde etiam diſcipulos Diui Thomæ, è quorum numero erant illi, contra quos definiebat Pontifex, ſemper cum ſuo Magiſtro verè ſenſiſſe, ſolemnitatem voti caſtitatis in clericis eſſe de iure poſitiuo. Dicit autem Pontifex in eum errorem prolapſos eos, contra quos agebat, quia non conſiderarunt ſolemnitatem voti inuentam eſſe ſola Eccleſiæ conſtitutione. Non ergo agebat de ſolemnitate voti clericorum, quam ex iure Eccleſiaſtico prouenire illi conſtanter exiſtimarunt.

9 Præterea reſpondent alij Gregorium Deci-

Decimumtertium solum voluisse votum solemne non habere vim efficiendi traditionem personæ vouentis, nisi fiat iuxta formam præscriptam ab Ecclesia: cum hoc tamen dicunt votum solemne natura sua habere efficaciratem ad efficiendam prædictam traditionem, sicut possunt homines pro sua libertate efficere matrimoniũ, & mutuam corporum traditionem; & tamen non possunt illud efficere, nisi iuxta formam præscriptam ab Ecclesia, vt essentialiter necessariam. Quod constat de matrimonio clandestino post Tridentinum; nullius enim momenti est ex defectu solemnitatis requisitæ à Concilio. Volunt ergo prædicti Theologi votum solemne non habere vim, nisi seruata forma præscripta ab Ecclesia.

10 Hanc solutionem assignare videtur Petrus Soto de institutione Sacerdotum lectione quinta de matrimonio; quæ tamen nullius momenti est. Quia Pontifex contendebat definire per vota simplicia absq; ea solemnitate, de qua erat sermo, posse aliquem constitui verè religiosum, & refutare Recentiores illos Theologos, qui in voto solemni agnoscebant solemnitatem quãdam essentialem, & decepti putabãt illam, de qua agebant, esse necessariam ad statum religionis. Pontifex autem dicit solemnitatem esse solius iuris Ecclesiastici, non diuini, vt inde concludat votis simplicibus posse aliquem constitui verè religiosum. Itaque totum Pontificis institutum illud est, ostendere tria illa vota simplicia paupertatis, castitatis, & obedientiæ vere & substantialiter constituere religiosum, ac proinde solemnitatem votorum, de qua agebatur nullatenus esse necessariam ad statum religiosum. Hoc autem ex ea ratione deducit, quia solemnitas votorum, quæ in religionibus emitti consueuerunt, & quam Doctores illi necessariò requirebant vt substantialem ad statum religionis, inducta est iure positiuo Ecclesiastico tantum.

11 Deinde alij respondent Pontificem solum docuisse solemnitatem Ecclesiæ constitutione inuentam, hoc est, repertam & cognitam, non tamen dixisse consistere in aliqua forma, & ritu ab Ecclesia præscripto. Verùm hæc istius verbi consideratio nullius est momenti. Contendebat enim Pontifex votum solemne constitui in ratione solemnis solo iure Ecclesiastico, vt inde colligeret per vota simplicia posse aliquem verè constitui religiosum; quod non rectè deduxisset Pontifex, si solemnitas de qua erat sermo, esset iuris naturalis, & per se requisita ad religionis substantiam.

12 Denique audacter alij respondent definitionem Pontificis veram esse, nempe per vota simplicia Societatis constitui vouentem verè religiosum; addunt tamen rationem definiendi, qua vsus est Pontifex falsam continere doctrinam, deceptumque fuisse Pontificem existimantem, solemnitatem voti esse de iure Ecclesiastico. Non esse autem necessarium, vt omnia argumenta, quæ assumuntur ad aliquid definiendũ, concludant, aut veram doctrinam contineant. Verùm ante omnia illud nobis fauet, quod ingenue fatentur Pontificem nostram opinionem vt veram tradidisse; erat autem Gregorius XIII. iuris prudentia insignis. Quid? Ante Gregorium eandem sententiam asseruit Bonifacius VIII. *cap. vnico de voto in 6. Nos attendentes quod voti solemnitas ex sola Ecclesiæ constitutione est inuenta*, & ijs prior indicauit Celestinus III. *in cap. Rursus, qui clerici vel vouentes, cum dixit, apud Deum votum simplex non minus obligare, quam solemne*. Asseruerunt ergo nostram sententiam tres Summi Pontifices, quos omnes, si errare illi dixerint, non tam ratione conuincendi, quam pœna.

13 Deinde vt dicebam ea quæstione Scholastica, & rectè notauit Gabriel Vazquez 1. 2. disput. 165. cap. 2. Quando aliqua ratio assumitur, vt medium vnicum definitionis, non potest definitio consistere, nisi medium assumptum verum sit. Quod autem solemnitas, quæ in votis religionis reperitur, de qua erat sermo, sit de iure Ecclesiastico, assumitur à Pontifice vt medium vnicum ad inferendam suam definitionem. Ex hoc enim præcisè quod solemnitas, de qua erat sermo, quamque aduersarij necessariam ad substantiam religionis constituerunt, non sit iuris naturalis, euidenter intulit posse talem regulã approbare Ecclesiam, secundum quam per vota simplicia verè voueatur status religionis æque substantialiter ac per vota solemnia. Quod ramen verum non esset, si ad essentiam religionis necessaria esset solemnitas, de qua erat sermo, & illa esset iuris naturalis, ea enim non est de essentia voti simplicis. Quare cum vnica definiendi ratio pertineat ad articulum definitiuum saltem tanqua quid concernens, plane contra præceptum Pontificis agit, qui refutat prædictam rationem, cum in fine illius extrauagantis excommu-

communicet eum, qui prædictum articulum, vel aliquid concernens impugnauerit, aut aliter interpretatus fuerit, quam verba sonant. Maneat ergo firmum, ac sine tergiuersatione vlla fateantur eam solemnitatem votorum, ratione cuius vota religionum ante Societatis institutum appellabant illi Doctores solemnia; quamque, cũ non ante oculos obuersaretur religio aliqua constans votis simplicibus, & illi Doctores ignorantia antiquitatis laborarent, dicebant esse necessariam ad substantiam religionis, in quocumque illa consistat, tantum ortum habere ex iure Ecclesiastico, atque adeo ad religionis substantiam nequaquam esse necessariam; & tria vota simplicia ea, de qua agebatur, solemnitate carentia, verè esse etiam substantialia religionis vota. De eo enim erat excitata quæstio ab illis Theologis, contra quos definiebat ibi Gregorius XIII.

14 Sed addamus Gregorium XIII. in prædicta extrauaganti ad finem huiusmodi præceptum imponere. *Præcipimus in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub pœnis excommunicationis latæ sententiæ, necnon inhabilitatis ad quæuis officia, &c. Eo ipso absque alia declaratione incurrendis, quarum absolutionem nobis, aut successoribus nostris reseruamus, nequis cuiusquam status, gradus, & præeminentiæ, dictæ Societatis institutum, vel etiam præsentes literas, vel quemuis earum vel supradictorum omnium articulum, vel aliud quid supradicta concernens, quouis quæsito colore directe vel indirecte impugnare, vel eis contradicere audeant, districtius inhibentes, nequis siue extra, siue intra dictam Societatem, nisi de illius generalis aut inferioris præpositi licentia, notationes, declarationes, glossas, vel scholia vlla super præmissis facere valeant, nisi quantum verba ipsa sonant interpretari, aut de eis disceptare, aut scrupulum cuiquam injicere, aut in dubium reuocare audeat quoquomodo.* Hactenus Gregorius. Sed & præter definitionem Pontificis, superest nobis optima ratio, qua probemus solemnitatem voti iure tantum Ecclesiastico introductam esse, quam attingemus in sequentibus, cum ostenderimus quid habeant ista tria vota ex natura sua, & quid non habeant, nisi ex adiuncta definitione Ecclesiastica.

15 An verò possit concedi alia solemnitas iuris Diuini intrinseca & communis omnibus votis efficientibus substantialiter religiosum, ita vt ea vota quæ religiosum substantialiter constituunt, dicantur esse solemnia comparatione facta ad vota, quæ non constituunt religiosum, & simplicia comparatione facta ad eam solemnitatem, quam habebant, & habent vota professorum, quamque quia deesse videbant Doctores illi votis Societatis, dicebant non efficere vere religiosum, quæstionem habet cognitione dignam.

16 Ego quidem in ea quæst. 3. Scholastica cap. 9. dixi appellari posse ea vota Societatis post biennium solemnia solemnitate quadam, quæ iuris Diuini esset, licet comparatione facta cum solemnitate Ecclesiastica alijs votis adiuncta dicantur simplicia. Eam autem solemnitatem intrinsecam votis quibuscumque constituentibus statum religiosi in eo consistere dicebam, quod in emissione votorum interuenirent duo illi quasi contractus donationis, & promissionis, de quibus suprà, quibus & fit promissio Deo, & donatio religioni, & quod religio probata sit à iurisdictionem habente, siue sit Episcopus, siue Romanus Pontifex. Quamuis enim quod religio approbetur tantum à Romano Pontifice sit iuris Ecclesiastici; attamen quod approbetur à Prælato tacitè, vel expressè iuris diuini est. Hæc autem omnia essentialia sunt statui religioso, siue constet votis solemnibus solemnitate Ecclesiastica, siue his, quæ ad differentiam illorum appellantur simplicia: cumque ista requirantur ex institutione Christi sic instituentis statum religioni, eaque institutio iuris diuini sit, censebam prædictam solemnitatem esse etiam ex iure diuino. Itaque vno verbo hanc solemnitatem intrinsecam & iuris diuini dico esse eam formam, quam status religiosi habet ex iure diuino, quam non habent vota extra illum emissa.

17 Nec verò id vlla ex parte pugnat cum extrauaganti Gregorij XIII. quia, vt dicebam suprà, intelligendus illic de ea solemnitate, de qua erat sermo, videlicet, qua & ex parte Præsulis acceptantis vota essent perpetua, & personæ redderentur inhabiles ad matrimonia & dominia. Nam ex defectu horum dicebant Doctores illi vota Societatis post biennium non efficere religiosum. Contenditque Pontifex etiam si ea vota careant illa solemnitate, & alijs effectibus, constituere verè & substantialiter religiosum. Quare qui diceret omnibus religiosis votis substantialibus intrinsecam esse solemnitatem iuris diuini, quæ consisteret in illis duobus quasi contractibus & approbatione necessaria. Professorum autẽ

vota

vota esse etiam solemnia solemnitatē Eccle siastica, quæ consisteret in illā irreuocabili acceptatione, & illegitimatione ad dominia & connubia, vt explicui quæstione cit. c.5. & dicā infrà, in nullo aduersaretur, neque Pontificis definitioni, neque eius definitionis fundamento, scilicet, solemnitatē voti, de qua erat sermo, inductā iure Ecclesiastico. Imo & ego ita interpretarer D. Thomam. Nam non semel ait solemnitatē consistere in traditione, & esse ex diuino iure. Hanc ego dicerem esse solemnitatem cōmunem quibuscumque votis statum religionis constituentibus, & ex diuino iure ortū habere, eamque in votis Societatis reperiri, nullatenus verò in votis extra religionem, imo neque in illis tribus, quando ab ea donatione & approbatione legitima, cuiuscumque illa sit, separantur, cum non constituant verè religiosum, vt dixi in illā q.3. c.5. Alibi autem dicit D. Thomas solemnitatem consistere in benedictione, & consecratione quadam, quæ est ex institutione Ecclesiæ. Hanc autem consecrationem peculiarem ego interpretor strictam illam deputationem religioni personæ vouentis, quatenus nec repudiari ea donatio ab acceptante potest, & persona fit illegitima ad matrimonia & coniugia vt explicui quæst. citata c.5. & dicam in sequentibus.

18 Ex his colligitur sicut in matrimonij contractu eas tres solemnitates distinximus, ita in votis religionum distingui posse, & deberi. Prima est essentialis, forma scilicet status religionis diuino iure introducta quam iam explicuimus, constatque donatione & promissione trium votorum vinculo firmata, quæque communis est omni statui religionis, quæ vere religio sit. Secunda quam appellamus legitimam, quamque Ecclesiæ constitutione inuentam esse probauimus, & in quo consistat explicabimus capitibus sequentibus. Tertia omnino accidentalis, vt quod ea vota emittantur die festo, sacerdote Eucharistiam in manibus tenente, plurimis adstantibus, quæ purè extrinseca est, ita vt sine illa etiam actus sit legitimus. Posteriores istæ Ecclesiastico iure introductæ sunt. Prima autem diuino iure.

Quare cum iam constet, in quo consistat essentialis solemnitas votorum religionis, explicare oportet, in quo consistat votorum legitima solemnitas.

Referuntur variæ sententiæ de votorum solemnitate legitima.

CAPVT. VIII.

SVMMARIVM.

Prima opinio de solemnitate voti, n.1.
Reijcitur, n.2.
Secunda opinio refertur, n.3.
Impugnatur, n.4. 5. 6.
Quædam solutio excluditur, n.7.
Aliter impugnatur ea sententia, n.8.
Obiectio præcluditur, n.9.
Alia sententia refutatur, n.10.

1 IN primis Ferdinandus Rebellus 2.p. de obligatione iustitiæ lib.3. q.4. sect. 1. n.7. & sect.3. n.28. cum disputat quo pacto votum solemne religionis dirimat nuptias sequentes, inquit, voti solemnitatem consistere in irreuocabili acceptatione Ecclesiastica, qua votum castitatis acceptatur ab Ecclesia, non tantum quoad ipsam expressam in voto promissionem à professo factam, sed etiam quoad renuntiationem naturalis habilitatis ad dominium tam vtile quam directum, quod in corpus coniugis habere potest. Inde etiam infert iste auctor votum solemne castitatis, & professionem solemnem non tantum iure diuino, & priuilegio dirimere matrimonia sequentia, sed etiam lege Ecclesiastica.

2 Sed certè hic modus explicandi solēnitatem votorum non placet, istaque facili & breui ratiocinatione reijcitur. Quia commune est omni voto inducere inhabilitatē ad actus oppositos voto; eo enim ipso, quo quis vouet, libertatem amittit, vt licitè in actum oppositum exire possit, vt docuit etiam Supplementum Gabrielis in 4. distinctione 38. q.1. ex Scoto ibidem q. vnica. Ergo si in eo consistit solemnitas, nullum vtique votum erit non solemne: & consequenter nō potest solemnitas consistere in trāslatione iuris, vel libertatis ad actus oppositos, neque in renuntiatione prædictæ libertatis. Quod si intelligeretur hæc sententia de libertate ad actus oppositos voto in hoc sensu, quod, quamuis commune sit omni

voto

voto non posse licitè post ipsum exerceri actum oppositum voto, attamen posse exerceri validè, & hanc habilitatem vt exerceat valide, quamuis illicitè renuntiare, & eam renuntiationem esse materiam voti. Sed contra est, quia vt dixi ea quæstione 3. cap. 9. nullus potest vouere inhabilitatem sui ad aliquid efficiendum, sed ea inhabilitas ab aliena potestate oriri debet. Quantumuis enim quis voueat inhabilitatem suam ad contractum, contrahet validè si voluerit. Quare in voto nulla est promissio renũtiationis habilitatis ad matrimonium exempli gratia, imo neque esse potest, cum fieri non possit, vt ego me ipsum inhabilem reddam mea voluntate. Igitur in eo non potest constitui solemnitas.

3 At Gabriel Vazquez 1.2. disputatione 165. aliam insistit viam, quam etiam amplexi nonnulli Recentiores. Vt autem hic auctor suam sententiam explicet circa solemnitatem voti statuit cap. 2. solemnitatem voti non constituere aliquem religiosum iure naturali, hoc est, solemnitatem voti non esse requisitam naturali iure, aut ex natura religionis, quod probat etiam cap. 3. eius disputationis ac verè ab eo statutum est, nosque docuimus illa quæst. 3. cap. 4. Deinde cap. 4. statuit iurisdictionem, quam Prælatus exercet in subditum, quæque necessaria est ad statum religiosi (nam sine iurisdictione aliqua statum religionis non posse constare certum est) eam inquam iurisdictionem non esse iuris naturalis, nec ex voluntate religiosi oriam, sed à iure positiuo tantum deriuatam. Nam semel facta rerum diuisione, non est in alicuius potestate concedere alicui iurisdictionem in se. Cumque omnis potestas Ecclesiastica concessa sit Summo Pontifici à Deo, fit consequens, vt ab eo ad Præpositum religionis deriuetur, & eam spiritualem esse, & promanare à potestate clauium. Vnde etiam docet in statu religionis non interuenire traditionem & donationem, è qua resultet potestas quædam dominatiua Prælati erga subditos. Hinc etiam consequenter docet cap. 5. institutionem religionum esse iuris Ecclesiastici, si instituere sit illam erigere sub alicuius capitis regimine & gubernatione, ac iurisdictione. Docet præterea cap. 6. & 7. ex vi voti nullum reddi inhabilem ad dominia rerum, vel ad contrahenda coniugia. Ex his infert cap. 8. solemnitatem voti præcisè consistere in eo, quod perpetua sint vota ex vtraque parte vouentis, & admittentis in certa regula præscripta cum approbatione Ecclesiæ.

4 Cæterùm hæc sententia probari non debet. Quia neque difficultatem euacuat, nec satis secum ipsa cohæret. Discurramus per singula huius grauissimi Auctoris placita, & ostendamus quæ diximus. Et quidem, quod hic auctor dixit, solemnitatem voti non esse necessariam ad statum religiosi, iam docuimus supra. Similiter quod dicit ex vi voti non reddi aliquem inhabilem ad dominia adquirenda, & coniugia ineunda, verum etiam est, idque nos latè ostendemus infra capitibus sequentibus, licet extra rem ab isto auctore probentur hæc duo; nihil enim ad solemnitatem votorum, quam statuit, explicandam vel stabiliendam illa conducunt. Tria ergo eius dicta supersunt reijcienda. Primum id quod asserit de iurisdictione status religiosi. Secundum, quod asserit institutum religionis consistere iure Ecclesiastico. Tertium solemnitatem votorum in perpetuitate consistere. Duo illa priora impugnata iam sunt cap. 3. & 5.

5 Restat igitur impugnemus tertium, scilicet id in quo voti solemnitatem constituit, quam dicit sitam esse in perpetuitate. Et quidem vt vir eximiè doctus assereret solemnitatem in voto esse ex iure Ecclesiastico, cum eam solemnitatem in voti perpetuitate constituat, frustra & extra rem omnino constituit, nec esse donationem in emissione votorum, nec potestatem dominatiuam in Prælato, & iurisdictionem illam deriuari à Pontifice, & statum religionis iure Ecclesiastico consistere. Quamuis enim in omnibus ijs diuersa sentiret, adhuc potuit asserere solemnitatem, quam in ea perpetuitate sitam esse dicit, esse ex iure Ecclesiastico, & ita nullum ex vi voti solemnis constitui religiosum. Si enim ille solemnitatem collocaret in ea iurisdictione aut approbatione regulæ, rectè quidem ille, & ad rem omnia. At cum tantum in perpetuitate constituat, omninò frustra in illis laborauit. Ex quo magis constat id, quod supra dicebam, tantum Doctorem sine magno fundamento, ac necessitate asseruisse donationem ad statum religionis non requiri, & illum statum iure tantum Ecclesiastico consistere.

6 Deinde si ita diceret Gabriel Vazquez perpetuitatẽ esse solẽnitatẽ voti, quia subla ta prælato facultas est dimittendi liberũ, &

Summo

Summo Pontifici reseruata, ita vt perpetuitas sola Ecclesiæ constitutione illi sit annexa, ne id faceret, nobiscumque sentiret. At dicit ita in perpetuitate consistere, vt votũ illud, quod solẽne vocat, ex se sit perpetuũ ex intentione vouentis soli Pontifici reseruatum, at vero simplex ex se sit conditionatum, & perpetuum non nisi sub cõditione. Quæ doctrina falsissima est. Itaque illam impugno primo. Quia vel ista perpetuitas in voto solemni nascitur ex lege Ecclesiastica, quæ voluit hæc vota esse perpetua, & sedi Apostolicæ tantum reseruata, ita vt perpetuitas hæc sit quid extraneum voto, quasi alias etiam á Prælato dimitti posset; sicque non recedit à nostra sententia, qui hanc irrenocabilem acceptationem ex parte præsulis inferioris acceptantis partem solemnitatis asserimus. Vel hæc perpetuitas est quid intrinsecum voto solemni, ita vt ex vi voti, & intentione vouentis habeat eam perpetuitatem. Hoc si dicatur, sequitur solemnitatem non esse ex iure Ecclesiastico introductam. Quia quod votum illud ita perpetuũ sit in statu religiosi illis votis cõstante, esse ex inspiratione Christi docet etiam Gabriel Vazquez. Quod autẽ eo voto emisso obligetur in perpetuum, nascitur ex ipso voto, obligatioque ex voto resultans naturalis, & diuini iuris est. Quod autem ea vota perpetua emittantur secundum regulam à Pontifice approbatam non efficit perpetuitatem voti, aut institutionem illam esse de iure Ecclesiastico, vt iam probatum, & exemplis illustratum est. Aliàs etiam efficeret obligationem voti simplicis in religione esse iuris Ecclesiastici, quia approbatio regulæ, secundum quam fit, pendet ab Ecclesiastica lege cum tamen communis sensus sit omnis voti obligationem iuris naturalis esse. Similiter si ex iure positiuo penderet legitimatio alicuius personæ ad vouendũ, sequeretur obligationẽ voti facti esse ex iure Ecclesiastico, quod absurdum est. Ergo si votum solemne eam perpetuitatem habet ex se, & ex intentione vouentis, non potest esse ex Ecclesiastico iure solemnitas in ea perpetuitate constituta.

7 Nec verò dici potest, quia votum illud emittitur in regula approbata esse solemne, nam tunc solemnitas non proueniret ex perpetuitate, sed ex approbatione regulæ. Adde etiam quod voti simplicis in religione emissio fit secundum regulam approbatam. Ergo ex eo quod fiat iuxta regulam approbatam, non potest dici solemne. Quod si dicas solemnitatem esse ex iure Ecclesiastico, quia secundũ regulam illam statuitur, vt emittatur perpetuum, redeũt quæ obijciebam supra. Nam quod emittantur vota perpetua, alia non perpetua, inspirauit Christus, vt & ipsi fatentur. Ergo ea forma ex iure diuino est. Quod autem posito eo voto, si id votum ex se perpetuum est, perpetuò obliget, naturalis iuris est. quod verò Pontifex probet regulam, secundum quam emittitur, non efficit institutionem iuris Ecclesiastici, nec obligationem. Ergo nec solemnitatem, quæ in ea perpetuitate consistit.

8 Secundò impugno quia in ea perpetuitate intrinseca voto non distinguitur votum simplex in religione emissum à solemni. Ergo in ea perpetuitate intrinseca voto non potest consistere solemnitas, de qua est sermo. Consequentia nota est, antecedens probatur inprimis, quia si distinguerentur, aut esset, quia simplex est conditionale, solemne vero absolutum, vt concedit Vazquez. At simplex in religione emissum non est conditionale, nam conditionale votum, vt est concors Doctorum sententia, non obligat, nisi subsistente conditione: votum autem simplex in religione emissum statim obligat. Ergo non est conditionale, sed absolutum: quam doctrinam tradit idem auctor (vt illum proprio gladio iugulem) 3. part. disput. 124. cap. 4. num. 69. vbi inquit, voti absoluti obligationem statim incipere, conditionalis vero suspendi. Vel esset, quia simplex est quasi temporale, votum autem solemne perpetuum ex se. Sed neque hoc dici potest, tum quia, si votum simplex societatis per se temporale est, per accidens perpetuum, non potest esse substantiale religioni, nec efficere statum religiosi. Quia votum ex se temporale non potest cõstituere statum, sed ad id debet esse votum ex se perpetuum, per accidens autem temporale, vt expresse non semel docet Diuus Thomas 2. 2. in materia de statibus, & vt docuit Paludanus in 4. distinctione 38. quæst. 4. in vltimis verbis. Ergo si vota simplicia societatis habent ex se, quidquid ad substantiam religiosi status necessariũ est, debẽt esse perpetua ex se, licet per accidens temporalia. Tum etiam quia status religionis constitutus per ea vota simplicia in ratione status specie differret ab alio constituto per ea vota solemnia: quia cum status ex sua ratione requirat firmitatem,

ille habet firmitatem per accidens, mutabilitatem per se: hic firmitatem per se, mutabilitatem per accidens. Tum præterea, quia aliàs magis obligaret, & strictius votum solemne, quam simplex: obligatio enim ex se perpetua maior obligatio est, quam ea quæ est temporalis ex se. At Pontifex *cap. Rursus. Qui clerici vel vouentes, &c.* Planè docet votum simplex non minus obligare quàm solemne. Absolutè ergo fatendum est vota simplicia societatis esse ex parte, & intentione vouentis perpetua, quanuis per accidēs temporalia. Tum etiam quia ex parte vouētis perpetuū est vtrumq; votum, non minus vnū quā alterū, cum ille resilire ab acceptata donatione, & promissione nō possit, imo in vniuersum omne votū Deo absolutè factū perpetuum est, quanuis relaxari â Pōtifice eius obligatio possit, sicut & perpetuus status est seruitutis ex se, quanuis à domino possit manumitti. Nec enim magis seruus vel aliter perpetuus seruus, qui alicui traderetur in seruitutē sub ea expressa clausula, quo ad domino placuerit, quam qui sine eius mentione illi traderetur in seruitutem perpetuam: nam vterque seruus est, quantū est ex parte; sua similiter cōiugium spirituale Episcopi cum Ecclesia perpetuum est ex se, est enim status, quanuis tamdiu nubat, quamdiu Ecclesiæ Rectori placuerit. Igitur ex parte vouentis vtrumque perpetuū est. Quod enim vouens simpliciter expressè meminerit illius, *quamdiu Præposito generali placuerit*, at vouens solemniter non meminerit illius, *quamdiu Pontifici Generalissimo placuerit*, parum refert. Tum quia quæ ex iure certa, & nota sunt, semper subintellecta cēsentur, veluti de illa clausula, *Salua semper in omnibus Ecclesiæ Romanæ auctoritate*, complures Pontifices decreuerunt. Ergo etiam ea particula in voto solemni subintelligitur. Tum etiam ego inquiro ab istis, siquis solēniter vouens diceret expressè, *vsque ad mortem, nisi aliter Pontifici placuerit*, simpliciter vouens dicat, *vsque ad mortem, nisi aliter Præposito Generali placuerit*, quid erit discriminis? An non erit vtrūque perpetuū ex parte vouentis? erit certe, vel vtrumque temporale. Tum denique, si à Prelato Societatis auferret Pontifex potestatem liberum dimittendi, & sibi reseruaret, in quo differret â voto solemni in ea perpetuitate? Nam etiam solemne auctoritate Pontificis dissolui potest. Non ergò differunt in perpetuitate intrinseca voto ex parte vouentis. Ex parte autem acceptantis vtrumque temporale est, quod rectè dixit Paludanus in 4. distinct. 38. quæst. 4. concluſ. 11. esse temporale per accidens. Extrinsecum enim voto est, quod alter possit obligationem remittere, solum ergò possunt differre in perpetuitate extrinseca, quod simplex â Prælato societatis relaxari possit, solemne vero tantum à Pontifice.

9 Quod si aliquando dicitur in constitutionibus Societatis, & in extrauaganti Gregorij XIII. *Ascendente Domino*, vota illa post biennium, & coadiutorum temporalium ex constitutionum præscripto, & ex vouentis, & admittentis intentione, simplicia esse, non est sensus, pendere ex intentione vouentis, quod ea vota simplicia sint, aut solemnia: sed sensus est sciri, & à vouente, & ab acceptante ea esse simplicia, quia scilicet carent solemnitate, qua alia vota affecta sunt. Itaque illud *intentione*, idem est, atque ex cognitione. Et similiter etiā, quia prælatus nō vult illum admittere ad vota solemnia, & ad professionem, nec ipse etiam vouens intendit professionem facere, ne à prælato, si secus admitteretur, alienaretur facultas liberum dimittendi, cum placuerit.

10 Ex his etiam facile colliges alienam esse â veritate sententiam, quæ docet voti solemnitatem in eo consistere, quod fiat in religione approbata. Tum quia, vt constabit ex infrà dicendis, approbatio expressa religionum necessaria non est ex natura religiosi status. Tum etiam, quia multis sæculis in religionibus etiam approbatis emissa fuerunt vota castitatis simplicia, quæ nullam prorsus inhabilitatem inducerent, vt latè in sequentibus capitibus demonstrabo. Tum denique, quia in religione societatis IESV multo tempore votum castitatis emissum non habuit vim dirimendi matrimonium vsque ad Gregorium XIII. vt postea etiam ostendam. Quod si solum, quòd emitteretur in religione approbata votum castitatis, efficeret solemne, planè, cum societatis religio approbata ab initio fuerit, sem per castitatis votum eam vim habuisset: quod tamen falsum est. Sed hæc adhuc magis ex sequenti capit. manifesta erunt. (?)

In quo voti solemnitas legitima consistat?

CAPVT IX.

SVMMARIVM.

Vera sententia de solemnitate voti, auctoritate Doctorum probatur, nu. 1.
Obiectionibus fit satis, num. 2. 3.
Quomodo vota simplicia à solemnibus, & votis extra religionem differant, num. 4.
Solemnitas essentialis in quo differat à solemnitate legitima, num. 5.

1 RELINQVITVR igitur legitimam solemnitatem votorum solum consistere, & in perpetuitate extrinseca ex parte acceptantis, scilicet, quod prælato sublata facultas sit liberum dimittendi, & in illegitimatione quæ ex lege Ecclesiastica accessit alijs votis, qua redditur vouens inhabilis, & ad matrimonia ineunda, & ad dominia rerum acquirenda. Quam sententiam non nos primi excogitamus, sed ex antiquis nonnulli tradidere, qui in illegitimatione facta vel adiuncta votis ex institutione Ecclesiæ solemnitatem constituerunt. Ex Theologis sic videtur indicare Alexander Alensis 2. part. quæst. 151. membro 8. in principio, Scotus in 4. dist. 38. quæst. vnica in fine. Atque in hunc sensum intellexit Scotum eius interpretes Petrus Tataretus eadem dict. quæst. vnica in fine, cum inquit. *Et finaliter reiectis omnibus istis rationibus, rationem dat Doctor, quod votum solemne continentiæ impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum, & vnde hoc veniat tota ratio est illegitimatio Ecclesiæ, quia Ecclesia illegitimauit tales habentes votum continentiæ solemnizatum ad hoc quod sint inhabiles ad contrahendum matrimonium.* Idque sensisse Scotum ex eo magis constat, quod reiecerit ille opinionem eorum, qui in traditione, publicitate, & scandalo, translatione dominij solemnitatem voti constituebant. Idem indicare videtur Bassolis eadem dist. quæst. vnica artic. 2. prope finem, cum solemnitatem vocat illegitimationem Ecclesiæ, & Cardinalis Aureolus eadem dist. quæst. vnica articul. §. *hæc ratio*, & §. *videtur mihi*, Caietanus 2. 2. quæst. 88. artic. 7. Ioannes Azor eandem tenet sententiam, si attentè inspiciatur tomo 1. instit. moralium lib. 12. cap. 6. quæst. 1. & sequentibus: sentit enim ille quæst. 1. vota solemnia absque vlla mutatione tantum ex consensu Pontificis posse fieri simplicia, Leonardus Lessius lib. 2. de virtutibus Cardinalibus cap. 40. dubio 19. num. 34. ex interpretibus autem iuris canonici idem indicare videtur Archidiaconus 27. *quæst. 1. cap. sicut bonum*, num. 6.

2 Neque obstat primo quod inhabilitates istæ videantur non solemnitas ipsa, sed solemnitatis effectus. Nam inhabilitates istæ effectus quidam sunt legis præcipientis, nõ vero solemnitatis, sed potius forma, sub qua huiusmodi vota emittuntur.

3 Neque etiam obstat, quod secundo loco obijcit Gabriel Vazquez cap. 8. eius disputationis, quod in *cap. Quod votum, de voto, & voti redemptione in 6.* cum explicaret Pontifex quod esset votum solemne, respondit. Quod solemnizatum fuerit per professionem, aut sacri ordinis susceptionem. Si enim solemnitas esset ea inhabilitas, respondere deberet solemne esse, quod inhabiles reddit ad matrimonium. Respondetur enim Pontifici eam propositam fuisse quæstionem: quodnam votum esset solemne, & ad dirimendum matrimoniũ efficax. Respondit q; illud esse solemne ad post contractum matrimonium dirimendũ, quod emittitur in professione, & sacri ordinis susceptione. Itaque assignauit responsum ex subiecto. Si enim quæsitum est, quod ita solemne, vt inhabilem vouentem redderet ad matrimonium, non respondere deberet, quod inhabilem reddit, sed quod emittitur in professione, vel susceptione ordinis: imo cum rationem assignat Pontifex, quia solẽnitas voti ex sola Ecclesiæ constitutione ortum habet planè indicauit nõ alia ratione esse solemne, nisi quia voto in ordine, & professione eam inhabilitatem adiunxit Ecclesia, & non alijs votis, cum tamen posset.

4 Ex dictis infero primô, vota, quæ simplicia in religione vulgo vocant, à votis vere simplicibus, ideſt ab his, quæ extra religionem fiunt, differre quidem valde, non in ratione promissionis, sed in eo quod ex institutione Christi habent secum adiunctam donationem vouentis religioni factam, qua in statu immobili seruitutis constituitur, & qua diximus constare eam essentialem solemnitatem. At verò ea vota, quæ vulgo simplicia in religione vocantur, vt autem ego loquor

vota solemnia solemnitate tantum essentiali, à votis, quæ vulgo vocantur solemnia, ego autem voco solemnia solemnitate legitima, extrinsecis tantum accidentibus differre, & quo ad obligationem ex voto prouenientem non magis strictam esse obligationem vnius, quam alterius, cum ex parte vouentis sit vtrumque perpetuum vt dixi cap. præcedenti, & cum donatione vouentis coniunctum vt probaui supra cap. 5. solumque addat votum legitimè solemne, quædam extrinseca accidentia adiuncta ex legislatoris voluntate.

5 Secundò colligo solemnitatem essentialem valde differre à solemnitate legitima: tum in effectibus lege inductis vt cōstat: tum etiā quia solemnitas essentialis immutabilis est, nec dependens ab auctoritate Pōtificis, nec enim posset efficere vt alio modo consisteret status religionis. At solemnitas legitima variari potest auctoritate Pontificis, à qua est inducta. Ex quo rursus fit, solemnitatem essentialem non posse suscipere magis, & minus. At solemnitatem accidentalem, & legitimam posse. Vnde ex hac parte magnam posset Romanus Pontifex religionum diuersitatem constituere, dum aliquibus votis solemnitatem adimeret, alijs tribueret; vt si auferret à prælato potestatē dimittendi, & esset acceptatio perpetua ex parte præsulis, non tamen vouentes manerent inhabiles ad dominia, & coniugia, id institutū haberet aliquid solemnitatis: vel si redderet inhabiles ad coniugia, non ad dominia, & è contra, & sic diuersimode combinatione facta. Imo & extat hodie in religionibus Ecclesiæ quoad hanc solemnitatem legitimam non minima diuersitas. In quibusdam enim vota sunt omni ex parte solemnia, quia vouentes inhabiles sunt ad coniugia, & dominia, & eorum vota acceptantur à præsule perpetuò, & in regula etiam approbata expressè à Pontifice. In alijs vero, vt in religionibus militaribus, etiam ex ea parte, quæ clericos respicit, licet vota obedientiæ, & castitatis solemnia sint, at votum paupertatis non est omni ex parte solemne legitime, cum testari possint, quando extra conuentum beneficia obtinent, certa quadam moderatione adhibita. In eisdem etiam religionibus militaribus, quod ad equites attinet, votum castitatis, & paupertatis non est solemne legitimè, nubunt enim, & dominia retinent, & adquirunt. At votum obedientiæ perpetuum est ex parte præsulis, nec enim potest magister ordinis illos dimittere liberos votorum nexu ex presse iam professos, licet olim posset, vt ostendam infra cap. 12. Vnde & istud votum obedientiæ non est quoad equites omni ex parte solemne legitimè, cum tacitè professi dimitti possint à Magistro liberi votis, & nulla existente causa. Imo & fortasse in nonnullis monasterijs fœminarum militarium ordinum, licet votum paupertatis, & obedientiæ solemnia sint legitime, quia & perpetua sunt, & inestabiles reddunt: at votum castitatis non est solemne legitimè, sed validè nuberent. Et in religione societatis IESV, quoad eam partem, quæ constat votis solemnibus solemnitate tantum essentiali, vulgò simplicibus, votum paupertatis, & obedientiæ non est solemne legitimè, at votum castitatis solemnitatem legitimam habet, dirimit enim matrimonium contrahendum. Et omni religioni inest ea pars solemnitatis legitimæ, quod approbata sit expressè auctoritate Pontificia, quæ expressa sedis Apostolicæ approbatio inducta est Ecclesiastico iure, cum aliàs solum negatiua sufficeret etiam Episcoporum, vt dico infra cap. 11.

Quid possit Pontifex circa relaxationē, vel dispensationem horum votorū?

CAPVT X.

SVMMARIVM.

Vota solemnia solemnitate essentiali non tolli à Pontifice sine mutatione status, secus solemnia legitimè, num. 1.

In vtrisque dispensare Pontificem posse num. 2.

Explicatur D. Thomas, num. 3.

Potest Pontifex non solum dispensare sed etiam obligationem extinguere, num. 4.

Obijcitur ex cap. cum ad monasterium. num. 5.

Prima solutio num. 6. reijcitur, num. 7.

Vera solutio, num. 8. Magis explicatur, num. 9.

Secunda, & tertia obiectio diluuntur, numero 10. 11.

1 EX his, quæ hactenus cōstituta sunt, facile colligētur nonnulla, quibus explicetur Pontificia potestas circa relaxationem, vel dispensationem eorū votorū, quib⁹ status religiosus cōstat. Primò ergò colligitur, vota solemnia solemnitate essentia-

essentiali, quæ vulgo simplicia in religione dicuntur, tolli non posse à Pontifice sine mutatione status. Nam eo ipso, quod in illis dispensaret, vel illa irritaret, tolleret statum religiosum, & monachum extraheret ab statu, & restitueret in pristinam libertatem, cum status religiosus sine illis constare non possit. At vota solemnia solemnitate legitima, potest tollere Pontifex, quod attinet ad solemnitatem legitimam, sine vlla mutatione status, nec restitutione libertatis. Cui consequens est sola voluntate Pontificis vota solemnia legitimè posse relinqui solemnia essentialiter tantum: & similiter vota solemnia solemnitate essentiali posse reddi solemnia legitimè independenter à voluntate vouentis. Cum tamen voues absque propria voluntate non possit manere ligatus votis solemnibus solemnitate essentiali, Nã etiam paruuli oblati à parentibus religioni, cum ad pubertatis annos perueniebant, tenebantur ratam habere parentum oblationem, vt dixi supra capit. 5.

2 Secundò colligitur. Pontificem dispensare posse in votis solemnibus obedientiæ, castitatis, & paupertatis, tam solemnitate essentiali, quam legitima. Si enim potest in simplicibus votis dispensare, poterit etiam in solemnibus, cum solemnitas legitima supra vota simplicia, tantum addat constitutionem ex Ecclesiastica auctoritate prouenientem. Atque ita docuit Sanctus Thomas in 4. dist. 38. artic. 4. quæstiuncula 1. ad 3. & ex familia Diui Thomæ Paludanus ibidem quæst. 4. Heruæus quodlib. 11. quæst. 25. Antoninus 2. part. titul. 11. capit. 2. Caietan. 2. 2. quæst. 88. artic. 7. Petrus Soto lectione 5. de matrimonio, Petrus Ledesma de matrimonio quæst. 61. articul. 2. ad 4. Martinus Ledesma 2. part. 4. quæst. 69. artic. 7. Catherinus lib. 6. contra Caietanum in quæst. de hac re, & satis probabilem sententiam iudicauit olim Victoria in relectione de potestate Papæ. Nam quod attinet ad Doctores è societate IESV, quid opus est recensere, cum eiusdem instituti ratio hanc sententiam planè supponat.

3 Sed numquid ita sensit Diuus Thomas, qui 2. 2. quæst. 88. artic. 7. planè videtur asseruisse indispensabile esse votum solemne? Respondet Caietanus Diuum Thomã non omnino certè, sed opinatiuè solum id docuisse, quia existimauit ita colligi ex *capite cum ad monasterium, de statu monachorum*, de quo statim, & ita ait Caietanus si Sãctus Thomas vidisset explicationem aliorum Pontificum, qui dispensarunt, existimantes oppositum non colligi ex dicto ca. planè contrariam sententiam docuisset. At Ioannes Azor tomo 1. lib. 12. cap. 7 quæst. 1. & alij viri docti huius ætatis contendunt explicare D. Thomam, vt in eo articulo solũ voluerit non posse Pontificem dispensare cũ monacho in voto castitatis, vt simul possit matrimonium contrahere, sine vlla obligatione voti castitatis, & esse monachus. Possumus autẽ eam explicationẽ deducere ex eodẽ D. Thoma in eo articulo, eo quod in corpore ait nõ posse Pontificẽ dispensare in hoc voto, sicut potest dispensare, in voto castitatis clericorum. Clericus enim manet in statu clerici etiam ablato voto castitatis: & tamen omnino ablato voto castitatis non maneret monachus in statu religiosi, cum status iste tria vota essentialiter requirat. Deinde cum Sanctus Thomas impugnat opinionem contrariam, dicit esse quorundam iuris peritorum, & ignoranter sic sentire. Et tamen, si de absoluta dispensatione voti loqueretur, sine causa hanc opinionem solum tribueret aliquibus iuris peritis, quam multi Theologi tempore Diui Thomæ defendebant, & ipse Diuus Thomas, vt constat ex 4. distinct. 38. citat. Non est ergò verosimile Sanctum Thomam voluisse refutare eam opinionem, sed opinionem aliquorum asserentium posse aliquem simul esse religiosum, & non obligari voto castitatis. Vlterius potest hic sensus confirmari, quia aliàs non concluderet Diuus Thomas, quod volebat ex eo quod de essentia status religiosi sit custodia paupertatis, sicut custodia castitatis; ex hocenim principio solum sequitur nõ posse aliquem retinere essentiam eius status absque aliqua custodia castitatis: non tamen sequitur non posse dispensationem fieri in statu, ita vt persona illa, cui conceditur dispensatio, extrahatur ab statu religionis. Atque iuxta hunc sensum explicari possunt alia verba ejusdem articuli ab eo qui voluerit defendere Diuum Thomam in hac, quam sequimur, fuisse sententia.

4 Tertiò sequitur Pontificem non tantum dispensare posse in votis religiosorum, sed etiam penitus eorum obligationem extinguere, & irritare, & libertum quem velit dimittere, omnino cessante obligatione triũ votorũ tam simpliciũ quã solemnium, & facere de monacho non monachum etiam solemniter professum, non

secus ac hodie præpositus Generalis societatis reddit eos, qui simplicia vota emiserunt, cum dimittit. Quod miror cur absurdum iudicet Gabriel Vazquez ca. 8. eius disputationis num. 91. cum tamen absurditatis causam reticuerit. Id enim expressè olim docuit Paludanus in 4. dist. 38. q. 4. art. 4. concluſ. 11. & 12. Ricardus eadem dist. art. 9. q. 1. in solutione ad 6. Durandus ibidem q. 2. in solutione ad primum argumentum n. 9. Ioannes Gerson tomo 3. tract. de consensu euangelistarū §. *ex prædictis infero*, Ioannes Azor tomo 1. instit. moralium lib. 12. cap. 7. quæst. 1. sæpe. Ex interpretibus iuris canonici, quidam Vincentius, & Ioannes allegati à glossa in *cap. cum ad monasterium de statu monachorum*, quorum etiam meminit Capreolus eadem distinctione quæstione vnica, in solutione ad argumenta contra secundam conclusionem. Et quidem ego non video rationem, propter quam non possit irritare vota religiosi substantialia, vt magis constat ex ijs, quæ diximus ea quæst. 3. scholastica, cap. vltimo.

5 At qui sentiunt voti solemnis nullam esse dispensationem posse, duo potissimum obijciunt cōtra id, quod inferebamus modo. Primò, ac præcipuè ex *cap. cum ad monasterium, de statu monachorum*, vbi Innocentius III. *Abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeo est annexa regulæ monachali, vt contra ea nec Summus Pontifex possit licētiam indulgere.*

6 Canonis huius difficultatem variè dissoluunt Doctores. In primis Ferdinandus de Mēdoça lib. 2. de confirmando Concilio Iliberitano cap. 30. in eo canone Summi Pontificis nomine censet intelligi. Episcopum, itaque illi non licere in votis solēnibus religiosorum dispensare. Hanc interpretationem nouam quidem refellunt recentiores quidam, quod nomine Summi Pōtificis in libris Ecclesiasticis nunquam intelligatur Episcopus. Hi tamen ignorantia vetustatis lapsi sunt, nihil enim ea appellatione frequentius. Itaque olim Episcopi Summi Pontifices, summi Sacerdotes, & summi Antistites dicebantur, & quanuis ad id innumera testimonia produci possunt, tantum indicabo nonnulla. Anacletus Epistola 2. & habetur in *cap. Accusatio 2. quæst. 7.* Cornelius Papa in epist. ad Ruffum Episcopum Orientalem, refertur in *cap. sacramentum 2. quæst. 5.* Eusebius epistola 3. decretali ad Episcopos Thusciæ, habetur in *cap. manus quoque de cōsecra. dist. 5.* Zosimus Papa epistola 5. & 6. Leo primus epistola 88. in fine, & epistola 99. & epistola 105. & 108. Gelasius epistola 9. columna 3. in principio. Hormisdas epistola 1. Ioannes Secundus epistola 4. & 5. Conciliū Rhegiense sub Sixto III. canone 6. Taurinatense cap. 1. Agathense 11. canone 35. Isidorus lib. 3. etymologiarum cap. 12. Alcuinus de diuinis officijs C. de singular. vestib. Nec verò prioribus tantum sæculis ea appellatio Episcopis omnibus tribuebatur, sed etiam temporibus Innocentij III. cuius est *caput, cū ad monasterium.* Quanuis postea Summo Pontifici reseruata sit. Id que constat in primis, quia Gratianus in *ca. de presbyterorum §. sed & hoc intelligendum 56. d.* summos Sacerdotes Episcopos appellat, & Robertus de Mōte in supplemento ad chronicon Sigeberti, quod scripsit tēporibus Innocentij III. Peruenit enim ad annum millesimum, ducentisimum decimum, is quidem duos Archiepiscopos, & Episcopum Sūmos Pontifices appellat anno 1157. *§. in festiuitate Sancti Clementis.* Helmoldus lib. 2. chronicorum, cap. 28. apud Baronium tomo 12. anno Christi 1179. num. 7. ibi. *Ita vt in Concilio Prælatorum cathedram inter Summos Pontifices collocaret.* Et Arnaldus Abbas Lubecensis chronicon lib. 3. apud Baronium tomo 12. anno 1189. num. 4. ibi. *Inter hæc autem Volomcsus Ecclesiæ Treuerensis contra voluntatem Imperatoris per manus domini Papæ ad summum Sacerdotium meruit promoueri.* Ob id ergo solutio illa reijci non debuit,

7 Sed quanuis ex ea parte reprehendi non debeat, adhuc tamen reijcienda ea interpretatio est, quia falsum est temporibus Innocentij Tertij non potuisse Episcopos dispensare in religiosorum votis. Nam eo tempore, & multis post Innocentium annis pleraque monasteria subiecta erant adhuc Episcopis immediatè, neque enim adhuc omnia sub vno degebant capite: At religiosorum prælati liberam habuerunt potestatem dimittendi monachos liberos ab obligatione votorum, vsque ad tempora Gregorij Septimi. Qui Honorium Tertium successorem Innoccentij Tertij sub secutus est, *capite in religiosi, de regularibus.* Id quod nos demonstrauimus illa quæstione tertia scholastica capitulo vltimo. Quod si religionum Prælatis ea potestas erat, à fortiori Episcopis erat facultas dimittendi quem vellent liberum, nunc secus ac non residet penes Summum Pontificem. Non dum ergo temporibus

bus Innocentij III. ſublata erat Epiſcopis poteſtas diſpenſandi, aut irritandi, vel diſſoluendi religioſorum vota. Vnde Ferdinãdi de Mendoça noua intelligentia canonis Innocentij non ſubſiſtit.

8 Quare legitima eius capitis interpretatio eſt, quæ & communis, ſcilicet nõ poſſe pontificem iſta duo cõponere, ſcilicet, propriũ retinere, caſtitatem non ſeruare, cum ſtatu religioſi, id eſt, indulgere licentiam, vt cum proprio, & ſine caſtitate viuens monachus ſit. Quod quidem veriſsimum eſt, quia illa tria vota paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ ſunt de ſubſtantia ſtatus religioſi, cum eius inſtitutio iuris diuini ſit, planum eſt non eſſe poteſtatem in Pontifice ad efficiendum vt ſine paupertate, & caſtitate ſtatus religionis permaneat. Communis hæc interpretatio eſt Scholaſticorum omnium, qui ſentiunt poſſe diſpenſare Pontificem in votis religioſorum ſolemnibus, ita Paludanus in 4. diſtinct. 38. quæſt. 4. artic. 3. concluſ. 11. Ioannes Maior quæſt. 4. in argumento cõtra ſecundam concluſionem. Ricardus eadem diſt. art. 9. quæſt. 1. in ſolutione ad 4. Durandus eadem diſt. quæſt. 3. num. 10. in ſolutione 2. Leonardus Leſsius lib. 2. capit. 40. dub. 19. Ex interpretibus autem iuris canonici. Innocentius IIII. in idem caput, quem ſequitur Panormitanus ibidem, num. 23. Couar. de teſtament. cap. 2. num. 18. & denique idem etiam ex Theologis docuit Michael de Medina de continentia ſacrorum hominum cap. 32. & 53.

9. Addendum tamen, quod nos illa quæſtione 3. ſcholaſtica latè demonſtrauimus, abdicatione proprietatis non intelligi abdicationem dominij, cum etiam retento dominio poſsit eſſe vera religio, ſed abdicationem vſus ſine licentia Prælati. Id enim appellat Pontifex viuere ſine proprio aut proprietate. Sicut etiam nomine cuſtodiæ caſtitatis non intelligitur tantum caſtitas abſoluta, ſed ſiue abſoluta, ſiue etiam coniugalis, cum dependentia tamen aliqua in vſu coniugij à voluntate Magiſtri, qui poſſet illum auocare à coniugali toro ad militiam. Is enim vſus hac ratione cõſideratus poteſt eſſe materia conſilij, & ex conſequenti materia voti. Et quidem ita intepretantur proprietatis nomen in iſto canone interpretes iuris canonici non pauci. Atque ita eſſe intelligendam eam vocem demonſtraui latiſsime 1. part. variar. diſput. quæſt. 3. ſcholaſt. cap. penult. ex ipſo reſponſi Pontificis contextu, & iterum dicam infra.

10 Secundõ obijciunt, hac ratione facile fieri poſſe, vt quis viuente prima vxore, cuius matrimonium ratum tantum diſſolutum fuerat per profeſsionem, ſecundo nubat alteri, Pontifice in votis religionis cum illo diſpenſante. Hoc argumẽto vſi ſunt veteres ſcholaſtici, qui ſentiebant Pontificem non poſſe diſpenſare in voto ſolemni continentiæ. At non ſolum ij, qui aſſerebant Pontificem diſpenſare poſſe in voto ſolemni continentiæ, hoc argumentum ridiculum iudicarunt, ſed & ipſi qui obiecerunt, ingenuè fatentur nullius eſſe momenti. Id vltimum conſtat ex Capreolo in 4. diſtinct. 38. quæſt. vnica in ſolutione argumentorum Paludani contra ſecundam concluſionem, & Deça Hiſpalenſi eadem diſt. quæſt. vnica. Illud vero prius, ſcilicet, qui ſentiebant Pontificem diſpenſare poſſe nullius momenti iudicaſſe argumentum illud, conſtat ex Paludano in 4. eadem diſtinctione q. 4. art. 4. in fine, qui cum id argumentum ſibi obieciſſet, hæc reſpondit. *Sed ad hoc ipſimet reſpondent, & benè, quia ſicut non eſt inconueniẽs poſt matrimoniũ cõſummatũ alterũ mori, & ſic matrimonium ſolui, & nihilominus ſi mortuus ſuſcitaretur, poſſet contrahere cũ alia prima viuente: ſic non eſt inconueniens, quod poſt matrimonium initiatum, & per ingreſſum religionis, & per mortem ſpiritualem ſolutum, ſi religioſus per diſpenſationem ſuſcitetur ad vitam ciuilem, quod contrahat cum alia prima viuente, nec propter hoc habet plures vxores, ſed vnam tantum, quia cum prima fuit ſolutum matrimonium.* Ricardus in 4. diſtinct. 38. articulo 9. quæſtione 1. in ſolutione ad 6. Durandus ibidem quæſtione 2. in ſolutione ad. 1. numero 9. eodem modo reſpondent, & ex Recentioribus eandem ſibi difficultatem obijcit Ioannes Azor tomo 1. inſtit. moral. lib. 12. cap. 7. cum de eadem re diſputaret q. 1. obiectione 2. & eodem modo reſpondet, & Leſsius lib. 2. cap. 40. dub. 19. ad 4.

11 Tertiò obijciunt. Quia Põtifex nequit efficere, vt calix ſemel conſecratus nõ maneat in perpetuũ cõſecratus. Ergò nõ poterit efficere vt profeſſus, qui ſemel cõſecratꝰ eſt Deo per votũ ſolẽne, nõ maneat tali cõſecratione cõſecratus. Sed certè hæc ratio, quã potiſsimã exiſtimãt DD. oppoſitæ ſententiæ, nihil conuincit, vt latè probãt Caiet. & Greg. de Val. Nã vel ſermo eſt de cõſecratione, quæ fit per votũ, & hæc nõ impedit: quia etiã reperitur in voto ſimplici. Vel de cõſecratione, in qua conſiſtit ſolẽnitas, vel quæ illi adiũgitur, & hæc etiã impedire diſ-

pensationē non potest, quia illa est de iure positiuo, & per illam solam non constituitur aliquis religiosus. Et certè si hæc ratio aliquid efficeret, etiā probaret neque Deū posse dispensare, quia nō posset facere quin semel consecratus fuerit consecratus, quod dici non potest. Deus enim auctoritate propria potest remittere verbum promissionis sibi factæ, & Pontifex id poterit potestate à Deo accepta, vt dici solet de potestate accepta ad dispēsandum in voto simplici. Vnde sicut re mutata, aut mutatione facta in re consecrata potest illa in profanos vsus conuerti, vt si forma calicis dissoluatur, potest quis eius materiam in quemlibet vsum applicare, vt omittam, etiam eius vsum ex necessitatis causa: ita etiam mutatione facta, & Pontifice potestate à Deo accepta dispensante in votis, aut dissoluente religionis statum, poterit qui iam fuit consecratus, deseruire etiam negotijs sæculi, atque nubere, & suis bonis vti prolibito.

De approbatione ad religiosum statum olim necessaria.

CAPVT XI.

SVMMARIVM.

Quid probandum in isto cap. num. 1.
Potestatem approbandi religiones fuisse olim penes Episcopos, num. 2. Probatur 1. ex cap. vnico de relig. dom. ibidem.
Secunda probatio, num. 3.
Tertia probatio, num. 4.
Sufficere approbationem tacitam, & negatiuam, num. 5.
Probatur à simili, num. 6.
Et exemplo desumpto ex canonizatione sanctorum, num. 7.
Et optima ratione, num. 8.

1 SED quò magis constet solemnitatem votorum legitimam Ecclesiæ constitutione inductam esse, ostendamus à quo tempore inceperint ea, in quibus solemnitatem votorum consistere diximus. Sed cum statuerimus quatuor requiri ad votorum solemnitatem. Primum est religionem, in qua emittuntur vota, esse approbatam auctoritate Pontificis. Secundum, vt sint ex parte Præsulis acceptantis perpetua, ita vt non possit Prælatus liberos dimittere, votorumque vinculo solutos. Tertium, vt paupertatis votum secum asserat inhabilitatem ad dominia. Postremum etiam, vt voto castitatis coniuncta sit inhabilitas ad coniugia ineunda; ostendamus ab hoc capite multis sæculis religiones floruisse in Ecclesia sine his accidentibus adiunctis, & neque indiguisse approbatione Pontificis, & olim liberos dimitti solitos monachos à Prælatis, & valuisse monachorum cō iugia, & habiles fuisse ad adquirenda dominia. Primum ostendamus in hoc capite, reliqua in sequentibus.

2 Igitur, quod attinet ad religionum approbationem, non fuisse illam olim sedi Pontificiæ reseruatam, sed fuisse eam potestatem penes Episcopos, & loci ordinarios, (quæ est prima pars nostræ sententiæ) adeo certum est, vt fere probatione non egeat. Sed ne desim instituto suscepto, proferam nonnulla, quibus ostendam. Primum est, quia nulla scripto lex extat, in qua religionum approbatio Sedi Apostolicæ reseruetur, præter eam, quam anno 1212. aut paulò post occasione Vualdensium hæreticorum, qui Pauperes de Lugduno vocabantur, tulit Innocentius III. in Concilio Lateranensi, & habetur in *capite ne nimia de religios. dom.* vbi statuitur, ne quis nouæ religionis institutum fundaret sine sedis Apostolicæ approbatione. Quod decretum renouauit Gregorio X. in Concilio Lugdunensi, & habetur in *cap. vnico de relig. dom. in 6.* Ex quo quidē canone multi existimant colligi habuisse olim Episcopos potestatem approbandi religiones, sic censent Ioannes Azor lib. 11. instit. cap. 23. quæst. 5. & Cardinalis Bellarminus lib. 1. de monachis cap. 4. & Gregorius de Valentia 2. 2. disp. 10. quæst. 2. part. 2. Leonardus Lessius lib. 2. de iustitia cap. 41. dub. 1. num. 13. & inclinare videtur Caiet. cum D. Thoma. 2. 2. quæst. 188. art. 1. ad 4. At Gabriel Vazquez 1. 2. disp. 165. cap. 4. existimat non colligi ex verbis eius Innocentij constitutionis olim esse penes Episcopos potestatem religiones approbandi, cum tantum in ea præcisè contineatur, ne quis nouum institutum religiosum fundaret, hoc est, sine Sedis Apostolicæ approbatione, sed assumeret vnam ex approbatis. Quæ duo longe diuersa inter se sunt. Sed non rectè considerasse decreti sensum videtur, quod sic ostendo. Vel ante eam constitutionem, qui nouum religionis institutū fundabat, indigebat approbatione sedis, vel non indigebat. Si primū non ergo ea noua constitutio esset; esse autē nouam constitutionē planè indicant il-

la ver-

la verbà, *Firmiter prohibemus, ne quis de cætero nouam religionẽ inueniat, &c.* Si verò non indigebat: ergo earum approbatio erat penes Episcopos. Deinde sic premo eius constitutionis verba. Cum dicit Innocentius *firmiter prohibemus, nequis de cætero nouam religionem inueniat*, quos excluſit? hoc est, inquiro an eam legem indispensabilem efficiat ab omnibus vniuersim. Hoc est, â se & ab Episcopis? Primum esse non potest. Ergo secundum. Abstulit ergò ab Episcopis in eo dispẽsandi potestatem. Poterant ergo antea dispensare, & religiosum nouum institutum approbare. Alias quid ab illis abstuliſſet, si antea non poterant? Sensus ergo prædictæ cõstitutionis legitimus iste est, nequis nouam religionẽ inueniret, sed assumeret vnã ex approbatis, sine sedis Apostolicæ licẽtia, quo ab Episcopis potestatem abstuliſſe videtur.

3 Deinde hanc potestatem olim penes Episcopos extitiſſe illud etiam suadet, quod videamus antiquis canonibus religiosorum monasteria pleno iure subiecta Episcopis, constat ex Concilio Chalcedonensi cap. 4. apud Gratianũ *c. quidam 18. q. 2. Quidam monachorum habitu vtentes indifferenter per ciuitates incedunt, necnon & monasteria, & se ipsos præsumptione propria commendant. Placuit igitur neminem aut ædificare, aut cõstituere monasteria, aut oratorij domum sine conscientia ipsius ciuitatis Episcopi.* Idem constat ex can. 8. & Conc. Nicæno c. 14. Aurelianẽsi can. 1. apud Gratianum *c. Abbates 18. q. 2.* & in Concilio apud Palatium Vernis c. 3. & alibi sæpe. Expendo autem in canone 4. Chalcedonensi vniuersè prohibitum *noua construere monasteria*, sine restrictione ad monasteria religionũ iam existentium vel nouiter inuentarũ. Quare vtrumque committi videtur Episcopi iudicio, & approbationi. Expendo rursus summum silentium in dictis antiquis canonibus de approbatione Sedis Apostolicæ. Mirum autem esset, cum tam multa de religiosis ordinibus in Concilijs cõstituta fuerint, & vt nemo religiosum habitum assumeret sine Episcopi licentia in canone 14. Nicæno, & vt nullus sine Episcopi consultatione de monasterio ejiceretur in Concilio Meldensi can. 19. & ne religiosi sine literis commendatitijs Episcopi vagarentur, in Agathensi cap. 38. nunquam huius approbationis à Romano Pontifice impetrandi mentionem esse, si illa illis sæculis ad religiosum statum necessaria esset. Summum ergo ea de re silentium fuit, quia Episcoporum approbatio satis erat.

4 Tertiò hanc etiam potestatem Episcoporum vsu receptam indicat, quod videamus florentissimas D. Basilij, Augustini, & Benedicti religiones multis sæculis in Ecclesia viguisse sine aliqua: quam legamus, Sedis Apostolicæ approbatione. Prima quod ego sciam, & monachorum, & canonicorum Augustini mentio facta est in Synodo Aquisgranensi prima anno Domini 818. ca. 113. & 114. & regulæ eius mentio, in Synodo Remensi sub Eugenio II. creato anno Domini 824. hoc est, ferè quadringentis annis post obitum Augustini, & ab Innocentio II. in *can. pernicioſam 18. quæſt. 2.* hoc est, in Concilio Lateranensi sub eo Pontifice, quod nuper edidit Baronius tomo 12. annal. anno Christi 1139. & post Innocentium alij plures meminerunt. Basilij regulæ prima mentio in 7. Synodo generali sub Adriano anno 789. & ab Innocentio II. can. citato. Benedicti verò regulæ meminit Gregorius lib. 2. dialogorum cap. 9. anno 590. hoc est, annis quinquaginta post obitum Benedicti, Zacharias Pontifex anno 741. & Concilium Moguntinum anno 813. Synodus Remensis citata, Alexander II. & Innocentius II. & Alexander III. Pachomij, & Antonij, & Hieronymi regularũ, quæ priscis sæculis in Ecclesia viguerunt, nullam Põtificiam approbationem legimus. Communi autem sensui opponeretur, & risu excipe retur qui diceret toto eo tempore à fundatione vsque ad approbationem expressam sedis Pontificiæ, religiones verè non fuisse, sed nomine tenus, cum Gregorius X. in *d. c. vnico*, absolutè religiones appellet etiam illas ante Sedis Apostolicæ approbationem inuentas. & idem indicet Bonifacius VII. *cap. vnico de voto in 6.* & ibi Glossa verbo *approbatis*: & eodem modo loquatur Sanctus Bonauentura in legenda Sancti Francisci ca. 3. & Antoninus 3. p. tit. 23. cap. 1. ante §. 1. *verſ. & Dominicus.* Et quanuis Caietanus 2. 2. q. 88. art. 7. §. *& confirmatur*, non velit eas simpliciter ante approbationem Sedis Apostolicæ religiones dicere, non tamen cum addito diminuente religiones appellat, sed loquitur de illis tantum in ordine ad dirimendum matrimonium, quod habere non potest votum castitatis, nisi ex expressa Ecclesiæ constitutione. Non negauerim etiam ante tempora Lateranensis Concilij petitam aliquando approbationem religionis â Sede Apostolica. Nam Innocentium Primum nostrum ordinem confirmasse docent complures, & colligunt ex libro Ponti-

ficali, in eius vita, in quo vniuersè dicitur. *Constitutum fecit de omni Ecclesia, & de regulis monasteriorum.* Idem affirmat liber Pontificalis feciſſe Celeſtinum Primum, & Prætor Sutor lib. 1. de vita Carthuſian. tract. 3. capit. 2. affirmat Carthuſianum ordinem approbatum ab Alexandro Tertio qui præceſsit Innocentium Tertium. Tantum itaque contendo eam approbationem Pontificis non fuiſſe neceſſariam ad firmitatem ſtatus religioſi, neque ad eius rationem.

5 Sed addo deinde (quæ eſt ſecunda noſtræ ſententiæ pars) neque etiam ex eſſentia ſtatus religioſi eſſe neceſſariam aliquam approbationem, etiam Epiſcopi, expreſſam, ſed ſufficere tacitam, & negatiuam, qua non reſiſterent, ſi enim reſiſterent, deſtrueretur ſtatus, non ſecus ac Princeps poteſt irritare cõtractum aliquem vel donationẽ iuſta de cauſa in materia ipſi ſubiecta. Vnde approbationem Eccleſiæ non ad eſſentiam illius, ſed ad ornatum tantum pertinere docuit Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 188. artic. 1. ad 4. & ibi Caietanus, ſi attentè legatur Michael de Medina lib. 4. de contin. controuerſ. 7. cap. 38. §. *ſed eam Pontifices*, in fine, Thomas Sanchez lib. 7. de matrimonio diſput. 25. num. 10. Ioannes Azor tomo 1. lib. 11. cap. 23. quæſt. 1. Bellarminus tomo 2. lib. 2. de Monachis cap. 4. referri etiam ſoletá nonnullis Tritemius in lib. de laudibus ordinis Carmelitani cap. 5.

6 Deinde non pertinere ad eſſentiam, ſed ſufficere tacitam vel negatiuam probo à ſimili, quia idem videtur eſſe iudicium de ſtatu religioſo vnius certæ, & determinatæ perſonæ, & alicuius inſtituti religioſi. At ex eo quod aliqua fœmina, etiam ſine Epiſcopi licentia, etiam ſine benedictione, ſacrum ſibi velamen imponeret, & ſe pro religioſa gereret, vidente Epiſcopo aut alijs, & populo nec reſiſtentibus, inter religioſos ita enumerabatur, vt profeſsionem facere compelleretur, nec permitteretur habitum religioſum dimittere. Conſtat ex Concilio Triburienſi cap. 25. & Concilio in Palatio Vernis capit. 11. & Toletano 20. capit. 5. cum tamen, & ſine conſenſu Epiſcopi, & ſub eius iuriſdictione, & eius benedictione, & conſecratione nulla fœmina aſſumere habitum religioſum poſſet, vt oſtendam infra. Sicut ergô vt illæ fœminæ religioſæ eſſent, & religioſum habitum geſtare compellerentur, aut ſi dimitterent, ad illum redire, ſatis erat negatiua Epiſcopi licentia, ita etiam ad religioſum ſtatum, ſi eius eſſentiam, & naturam ſpectes, non alia requiritur.

7 Præterea explicari poteſt res iſta alio exemplo. Quia quando aliquis, qui ſanctitate emicuit, refertur in ſanctorum numerum, non eſt ea canonizatio, quæ illum ſanctum conſtituit: ſed cum iam ille reuera ſanctus eſſet, id efficitur approbatione Eccleſiæ, vt ſine periculo, illum omnes venerari poſsint, illique ſanctorum cultum deferre. Ita, etiam in noſtro caſu dicendum eſt, approbationem Eccleſiæ in ſtatu religioſo ad eum tantum finem deſeruire, vt conſtet nullum eſſe periculum in eius inſtituti regulis, conſtitutionibus, & medijs, quæ ad perfectionem adquirendam apponuntur: non verô, vt reuera religioſum ſtatum efficiat.

8 Denique oſtenditur optima ratione ex dictis ſupra capit. 4. & 5. deſumpta. Quia ſtatus religioſus à Chriſto Domino inſtitutus eſt. Conſtat autem donatione, qua vouens ſe transfert in ius alterius, & emiſsione votorum. Ergo quandiu Eccleſia non reddidit eam donationem irritam, illique reſtitit, illa ſola ſufficit ad conſtituendum vouentes in ſtatu religionis immobili; cum prælatus religioſi in ſubditum nullam à Pontifice iuriſdictionem accipiat, vt eo capit. 5. demonſtratum eſt. At iam poſtea in *dicto cap. ne nimia de religioſ. dom. & in dict. capit. vnico, eodem in 6.* ita approbatio Pontificia ad religionem requiritur, vt ſine illa religio non ſit. Idque optima ratione fieri potuit à Pontifice. Quia, cum religionis ſtatus conſtet donatione vouentis, ea donatione irrita facta ceſſat religionis ſtatus. Et ſicut ſæcularis Princeps poteſt humanis donationibus certas quaſdam leges præſcribere, quibus non ſeruatis inualida donatio eſt: ita etiam Pontifex iure optimo potuit iſti donationi humanæ, quæ eſt fundamentum ſtatus religioſi, præſcribere neceſsitatem approbationis, hoc eſt præcipere vt fieret in religione per Pontificem approbata, & aliàs nullius eſſet momenti. Quod totum ab Eccleſiaſtica auctoritate conſtat eſſe profectum.

(?)

Religio-

Religiosos prioris sæculi liberos dimitti solitos à prælatis, & vota relaxata.

CAPVT XII.

SVMMARIVM.

Religiosos nunquam potuisse discedere sine licentia prælati, num. 1.
Olim dimitti solitos relaxatis votis à prælato, probatur primum, num. 2.
Idem probatur testimonio Gregorij, num. 3.
Et testimonio Augustini, num. 4.
Et ex Basilio, num. 5.
Aliter ex Gregorio, num. 6.
Et ex ratione, num. 7.

1 IAM explicemus secundum, scilicet, quamuis ex parte vouentis illis temporibus esset perpetua traditio, attamen ex parte prælati non fuisse acceptationem perpetuam, sed liberos à prælato dimitti solitos, & vota relaxata, cum iudicabatur expedire, ita vt in sæculo liberi omnino manerent ab obligatione votorum. Quod, licet minus obseruatum fuerit ab Auctoribus, attamen sunt nonnulla, quæ euincunt ita factum fuisse. Inprimis autem certum sit nulli semel professo sine licentia prælati licuisse discedere cõtra Erasmum, qui licitum esse dicebat, contra quem videndus Robertus Cænomanus in antidoto ad cẽsuram Erasmi de regula Augustini, quod extat in operibus Augustini Parisijs excusis anno 1541. constat etiam non licuisse ex Basilio in constit. Monast. cap. 22. 23. 34. & 35. qui huiusmodi discessum alibi etiam sacrilegium võcat, scilicet, in regulis fusius disputatis interrog. 14. & ex concilijs passim, cum discedentes monachos velut Apostatas punire iubent.

2 Igitur ad probandum liberos à prælatis dimitti solitos votis relaxatis primò verosimile aliquod argumentum desumi potest, si consideremus, quàm magna erat priscis temporibus facilitas expellendi â religionibus, vt constat ex Augustini regula prima, & secunda. Benedictus quoque in sua regula cap. 38. vbi agit de professione statuit, vt illæ vestes sæculares, quas nouitius probationis tempore gestabat, & vna cum emittebat professionem, exuebat, diligenter asseruentur: ne, si ad sæculum reuerti voluerit, discedat in habitu religioso. Idem quoque statuit Basilius in Ascetricis sæpe, vbi insinuat olim discedere solitos, facileque dimitti pagina 336. columna 2. ad finem, & 339. columna 1. circa medium, & in regulis fusius disputatis interrog. 28. 29. & 47. & in regulis breuioribus interrog. 57. 61. 102. & 155. Quæ satis verosimiliter indicant illos discedere de licentia prælati votis relaxatis. Si enim non esset acceptatio ex parte prælati quasi temporanea, sed firma atque perpetua, cur seruandæ essent vestes, vt si vellet retrocedere, cum illis dimitteretur?

3 Secundo loco profero testimonium Gregorij lib. 2. dialogo. cap. 25. vbi agens de monacho, qui in ordine Diui Benedicti facultatem discedendi efflagitabat, ita inquit; *Cumque eum vir Dei assiduè corriperet, & frequenter admoneret, ipse vero nullo modo consentiret in congregatione persistere, atque importunis precibus, vt relaxaretur, innueret, quadam die, &c.* Expendo verbum illud, *relaxaretur.* Monachus ille facultatem discedendi flagitans, votis erat adstrictus suæ professionis; si namque nullo teneretur voto, relaxari minimè diceretur. Relaxari enim est dimitti ab obligatione liberum. Vnde Cicero de senectute: *Ex quo intelligitur qualis futuri sint, cum se plane corporis vinculis relaxauerint*, & alibi passim, & apud poëtas, & in iure *relaxari condemnatione*, *l. 12. D. quod metus causa*, & *C. quod si honest.* & vrgeo magis ea, quæ in fine capit. habentur, scilicet monachum illum post visum dacronẽ reuersum ad monasterium, & denuô professum, aut promisisse se nunquam discessurum à monasterio. Inquiro, vel monachus ille discesserat adhuc ligatus votis, vel non. Si primum, quid ergo postea denuo promisit se nunquam à monasterio discessurum, quandoquidem iam ad id votis, ex aliorum iudicio, solemnibus tenebatur: si verò liber dimissus est, habeo intentum, scilicet, de licentia prælati, quando expediebat, vota relaxata.

4 Tertio id probo irrefragabili, meo iudicio, testimonio Augustini sermone primo de communi clericorum vita. Augustinus suis Canonicis regularibus proprium habentibus comminatus fuerat degradationis pœnam. Occasione autem testamenti conditi à Ianuario, de quo iterum capite sequenti, fragilitatique naturæ in aliquo cedendum ratus, pœnam reuocauit, hortaturque eos ne proprium habeant; aut si habent, diuendant, alienent, vel pauperibus elargiantur, quod

quod si renuant, à monasterio discedant, & in sæculo cum proprio viuant. *Qui volunt* (inquit) *habere aliquod proprium, quibus non sufficit Ecclesia Dei, maneant vbi volunt, & vbi possunt, non eis aufero clericatum.* Ex quibus sic argumentor. Illi canonici, cum quibus agebat Augustinus, verè religiosi erant, & tenebantur voto. Et præterquam, quod iam supra satis ostensum est, adhuc ostenditur ex his quæ dicit in eodem sermone: *Qui societatem communis vitæ iam susceptam, quæ laudatur in Actibus Apostolorum, deserit, à voto suo cadit, à professione sancta cadit: expectet Deum iudicem, non me.* Illi ergo discedentes à monasterio aut proprium tenentes cadebant à professione, & voto. Et infra. *Si aliquem hoc facientem degradare voluero, non ei deerunt patroni, non deerunt suffragatores, & hic, & apud Episcopos, quidicant, quid hic mali fecit? non potest tecum tolerare vitam istam, extra Episcopatum vult manere, & de proprio viuere, non debet perdere Clericatum. Ego scio quantum mali sit profiteri sanctum aliquid, nec implere. Vouete* (inquit) *& reddite Domino Deo vestro, & melius est non vouere, quam vouere, & non reddere.* Quod autem canonici illi facta ab Augustino discedenti potestate, liberi manerent in sæculo ab obligatione votorum, constat, quia inquit illis ibi licere habere proprium, quamuis essent in periculo damnationis. Quod si tenerentur voto, non liceret illis in sæculo habere aliquid proprium, nec tantum essent in damnationis periculo, sed verè in statu damnationis: sicut, & nunc, qui solemniter professus ejicitur è monasterio, manente obligatione voti, nihil tanquam proprium valet adquirere: sed tantum ius habet quærendi ea, quæ ad victum, vestitum, & habitationem pertinent, reliqua vero vel cedunt monasterio, à quo electus est, vt quidam volunt: vel Episcopo, vt alijs videtur, vel vt alij censent, Pontifici, sicut & ea bona, quæ vacantia nominantur. Adde, quo efficacius maneat argumentum, canonicos illos non fuisse religiosos ad tempus, vt certum est apud scriptores omnes.

5 Quarto profero ex Basilio nonnulla, quæ sententiam nostram non obscurè confirmant. Nam in regulis fusius disputatis, interrogat. 14. cum quæsitum esset de ijs, qui cum per professionem Deo se ipsos deuouerint, professionem illam conantur rescindere, respondet: cæterum horum vnusquisque, si postea quam intra reliquorū fratrum societatem adscriptus fuerit, factam à se professionem rescinderit, is perinde debet aspici, vt qui in Deum peccauerit, quem videlicet professionis suæ testem adhibuerit, cuique solemni se voto obligauerit. Expendo in primis id, quod interrogatio supponit, aliquos eo tempore conati rescindere professionem, eratque in more, vt de consensu prælati rescinderentur, & liberi remanerent, aliàs quomodo id intentarent aliqui, si illicitum, si non in vsu? Quod autem liberi manerent votorum nexu satis indicat rescindendi verbum. Qui enim ex solēniter professis siue inconsulto, siue cōsulto antistite habitum dimitteret, non diceretur professionem rescindere, neq; qui id conaretur, verè conaretur rescindere. Quare cū is qui egrediebatur eo tēpore ex prælati cōsensu, professionem rescinderet, absque dubio votorum soluebatur nexu, quanuis si sine antistitis licentia id faceret, peccaret, sacrilegusque esset, vt ibi Basilius. Ne vero quemquam moueat illa solemnis voti mentio, sciat enim solemne à Basilio vocari, non in eo sensu, quem hactenus sequuti sumus, & quo nostri loquuntur à paucis annis scholastici: sed, vt supra dixi, quia publicum coram testibus in manu antistitis emittebatur, vt constat ex interrogatione 15. columna 3. circa finem. Itaque solemne dixit, vt distingueret à voto extra religionem emisso, non verò vt à simplici solemne distingueret, eo quo nos solemne vsurpamus modo. Videatur etiam interrogat. 36. vbi agens de ijs, qui à reliquorum fratrum societate se separant, ac secedunt, primo loco enumerat eos, qui discedere volunt, quia sibi detrimento putant contubernium, idque dicit non inconsulto, sed consulto faciendum, quo satis indicat eum liberum remanere. Deinde eum qui mentis imbecillitate, & leuitate cōmotus vult discedere. Is inquit, *suam curare imbecillitatē debet, alioqui si medicinam noluerit admittere, ipse exclusus à nemine admittatur?* Durum sanè, si vinculis adstrictus ob animi leuitatem dimitteret. Quare ideo facile, vt inconstans reijciatur, docet Basilius, quia & absoluebatur obligatione votorum; agebat autem eo loco de his, qui iam professionem emiserant, vt constat ex interrogationis initio.

6 Denique pro hac sententia confici potest non leue argumentum ex Gregorio, cū agit de Venantio Italiæ Cancellario, quæ refero infra religiosi ergo illorum temporum discedentes, & monasterio cum consensu

sensu prælati, non amplius tenebãtur votis, atque adeo non erat illa acceptatio perpetua, sicut nunc est, sed erat in prælatis potestas dimittendi, donec sublata est â Gregorio IX. *cap. Ne religiosi, de regularibus.*

7 Imo votum obedientiæ in religione emissum non eã habere vim, vt perpetuitatẽ inducat ex vtraq; parte, manifestũ esse potest ex generali ratione, qua in vniuersum probatur vota emissa in commodũ alicuius tertij cessare, si ille alius respuat promissionẽ humanã sibi factã, quæ est materia voti; vt si pauper nolit pallium accipere, liber manet vouens ab obligatione voti. Sed cũ quis promittit obedientiã in religione, in eo obedientiæ voto duæ implicãtur promissiones, vna humana homini, scilicet, prælato facta parẽdi illi, tanquã materia voti: & altera Deo, quæ est votum, cuius materia est humana promissio, vt docet D. Tho. 2. 2. q. 88. art. 5. ad 3. & hoc idem reperitur ex cõmuni certaque sententia in omni voto emisso in commodum alicuius tertij. Potest ergò religio promissionem humanã sibi factã relaxare, qua relaxata auferetur voti obedientiæ vis. Obedientia autẽ ablata, castitas, & paupertas promissa non obligant; quia non nisi sub tali obedientia promissa sunt. Religio autem non potest reddi inhabilis ad respuendam promissionem sibi factam ex propria volũtate: potest enim quilibet reuocare suã volũtatẽ per subsequentẽ. Debet ergo reddi inhabilis ad respuẽdã promissionẽ semel acceptatam, superioris Principis lege, qui eam potestatem iam abstulit â religionum prælatis, & aduocauit sibi.

Religiosos vouentes paupertatem primis sæculis retinuisse suorum bonorum dominium.

CAPVT XIII.

SVMMARIVM.

Religiosos olim validè testamenta cõdidisse, nu. 1. ex Augustino probatur, ibidem.
Euasio præcluditur, num. 2.
Secunda probatio ex iure ciuili, num. 3.
Tertia ex canonibus, num. 4.
Quando ablata ea facultas, num. 5,
Ratione idem ostenditur, num. 6.
Prima obiectio diluitur, num. 7.
Secunda ex cap. cum ad monasterium proponitur, diluitur, & explicatur, num. 8. 9. 10. 11. 12.

1 TERTIVM ex his, quæ proposuimus probanda, facilius confirmabimus, scilicet, eius temporis religiosos emittentes paupertatis votum, nõ abdicasse â se dominium rerum, sed validè testamenta condidisse, quanuis illicitè. In primis probari potest ex Augustino sermon. 1. & 2. de communi vita clericorum. Sed hos sermones Augustini non esse, insigniter mentitur Erasmus. Ego tamen audaci, inuerecundo, & effrænato Erasmo, qui cuncta de suo grammaticali cerebro metiebatur, oppono Concilium Aquisgranense fere ante octingentos annos in Dei Ecclesia celebratum, quod capit. 117. & 118. hos duos sermones vt Augustini recepit, & suis canonibus de verbo ad verbum inseruit. Oppono etiam Bedam 2. cor. 8. qui testimonium citat ex huiusmodi sermonibus, vtiã deinceps, Erasmus, cui non olet, quod bene olet, conticescat, nec dicat, *olet stylum, stylum non sapit.* In primo ergo sermone inquit Augustinus quendam canonicum Regularem è suo monasterio Ianuarium nomine iam iam morti proximum testamentum condidisse, Ecclesiamque hæredem reliquisse, nec tamen inualidum pronuntiat testamentum, quanuis factum illud graniter reprehendat. Imo sermone 2. inquit duos Ianuarij filios ante ingressum in religionem de legitimo toro susceptos, de hæreditate patris contendentes ita demum à lite abscessisse, dummodo substantia patris inter vtrosque ex æquo diuideretur. Quod quidẽ ita factum esse inquit Augustinus, renuntiante tamen prius Ecclesia, quæ hæres testamento scripta fuerat à Ianuario. Validum ergo erat illud testamentum, alias necessaria non esset Ecclesiæ renuntiatio.

2 At fortasis existimabit aliquis regulares canonicos non emisisse vota. Sed id dicetur sine dubio non rectè. Iam enim supra cõuicimus in religione Eremitarum, & clericorũ ab Augustino institutа semper in vsu fuisse substantialia religionis vota. Sed & quo magis id constet, expendo præterea Augustinum loquentem in eo 1. serm. de suorum clericorum vita, qua vitam æmulabantur Apostolicam, & eam, quam Augustinus prius cum Eremitis professus fuerat, vt ibi apertè testatur: *Ecce quomodo viuimus inter nos, nulli licet in societate nostra habere aliquid proprium. Sed fortè aliqui habent. Nulli licet, & si habent, faciunt quod non licet; bene autem sentio de fratribus meis.* Igitur apud illos proprium aliquod possidere peccatum erat.

Ergò

Ergò adstringebãtur voto, aliàs liceret, peccatumque non esset. Sed quoniam aliquis verbum illud, *licet* latiori quadam significatione accipiet, ita vt indecentiam quandam tantum notet, quæ peccati rationem minimè sortiatur, audiat Augustini verba, quibus notat Ianuarij factum. *Testamentum fecit, hæredem instituit. O dolor illius societatis! o fructus natus non de arbore, quam plantauit Dominus!* Quod si fructus ille non est de arbore plantata à Domino, ergo de mala, & iniqua arbore, & â Dæmone planta ta, atque adeo securi excidenda, & in ignem mittenda.

3 Secundo eadem veritas constare potest ex constit 5. Leonis Imperatoris. *tit. Ne quibus, postquam monasticæ vitæ institutum subierint, facultates suppetunt, in vniuersum hi de illis testari prohibeantur, sed vt si quo tempore monasterium adierunt, in id quippiam contulerint, in illorum potestate sit, vt quemad modum velint, de his quæ sibi post modum para runt, in plenum assem etiam testamentum condant. si vero nihil ab initio intulerint, tum vt de veste statuendi facultatem habeant, monasterium autem alteram partem, sine trientem accipiat.* Et quidem in hac constitutione agere Imperator em de monachis non solùm ante professionem, sed post, ex multis manifestum videtur. Inprimis enim meminit legis Iustiniani, qua cauit, vt monachis interdiceretur testari, & de rebus suis disponere, si ante professionem non disposuerint, quæ facultas nunquam adempta est monachis, antequam ligarentur voto. Sunt enim eo tempore nouitiatus omnino, liberi eamque legem in sua vi manere vult Leo Imperator. Ergo de monachis iam professis agebat. Deinde inquit, quod siquis liberos ante ingressum in religionem suscepisset, quamuis fileret pater, nihilque disponeret ante professionem, & ob id alijs merito sit adempta facultas disponendi, tamen silentium patris nequaquam filijs nocere debere: sed adhuc posse patrem testari de suis bonis, & in fauorem filiorum, & etiam monasterij. Quod manifestè indicat de professis sermonem esse, nam ante professionem, nec silentium patris nocebat filijs, nec patri vlla lege fuit sublata facultas disponendi. Præterea inquit, quod si mori contigerit intestatum, filijs legitimam portionem concedendam, monasterium verò aliquam partem bonorum retenturum. Quis de patris ad filios deuoluenda hæreditate dubitare poterat ante professionem patris? aut quo iure posset monasterium patris hæreditatem exigere? loquitur ergò de monachis iam professis. Denique statuit, vt de bonis postea quæsitis, si aliquid ab initio intulit in monasterium, liberè testari possit, inquitque. *Quod siquis dicat hoc solo nomine, quod monachus sit, monasterium omnia esse percepturum, haud scio, si istius modi, quæ monachos deceant, statuat.* At quis vnquam existimauit monasterium ius habere in quæsita à Monacho, nisi ratione votorum, quæ in religione emisit? & adhuc eo supposito iure, quo poterat monasterium se tutari ad retinenda omnia adquisita â monacho, dicernit Imperator illos liberè testari posse. Constat ergo de monachis iam professis eam Leonis constitutionem intelligi. Quare nomine susceptionis habitus monastici professio intelligenda est, vt & alibi docent iuris periti. Si ergo illorum erant valida testamenta, vtique, & dominium bonorum retinebant. De testamentis etiam valide conditis à monacho, atque moniali constat ex *Authentico de sanctis. Episcopis collatione 9. §. siqua mulier*, quam de professo intelligendam esse docent iuris periti complures, & ex summistis Angelus *verbo religiosus* quæst. 24. Paludanus, quem citat, & sequitur Syluester *verbo religio. 3.* quæst. 24. Quod idem penitus statuit Instinianus in *nouella Const. de monachis §. si mulier*, quanuis eius dispositionem extendit postea Leo Imperator const. citata. Constat etiam *ex lege generaliter C. de sacrosanctis Ecclesijs, & lege siquis C. de Episcopis, & clericis*, assignantur hæredes ab intestato tam viris, quam fœminis religiosis: quæ omnia satis indicant illos post votum paupertatis perseuerasse cum dominio bonorum, solumque vsum abdicasse, quæ sufficiens materia est voti paupertatis, vt alio loco dicendum est.

4 Nec desunt pro hac re leges Ecclesiasticæ. Nam Concilium Lugdunense 1. anno Domini 570. celebratum sub Ioanne Tertio canone secundo hæc habet de testamentis clericorum, & religiosorum secundo loco. *Quia multorum tergiuersationes infidelium Ecclesiam quærunt collatis priuare donarijs, id conuenit inuiolabiliter obseruari, vt testamenta, quæ Episcopi presbyteri, seu inferioris ordinis clerici, vel donationes, aut quæcunque instrumenta propria voluntate confecerint, quibus*

bus aliquid Ecclesiæ, aut quibuscumque conferre videantur, omni stabilitate subsistant, id specialiter statuentes, vt etiam si quorumcumque religiosorum voluntas, aut necessitate, aut simplicitate aliquid à legum sæcularium ordine visa fuerit discrepare, voluntas tamen defunctorum debeat inconcussa manere, & in omnibus Deo propicio custodiri. Concilium Matisconense 1. sub Pelagio XI. anno 582. can. 19. *Et licet priori titulo legatur definitum*; (scilicet canone 12. vbi de sacratis agit virginibus, quem infra capitibus sequentibus referemus.) *Quid de puellis, quæ se diuinis cultibus, aut parentum aut sua voluntate dicauerint, debeat obseruari, tamen quia monacha nomine Agnes, quæ de monasterij septis fuga ante aliquot annos discesserat, in eodem est monasterio reuocata, & dicitur instigante diabolo agellos, vel quascumque res ad se pertinentes aliquibus potentibus velle donare, dummodo per eorum patrocinium se possit de intra monasterij sua septa subtrahere, & voluptatibus sæculi clandestina, vel singulari habitatione vacare, ideo præsenti constitutione Sancimus, vt tam illa, quàm quæcumque alia monacha, quæ sub hac argumentatione se de religionis habitu ad illecebras sæculi, aut res suas pro tam iniqua inde liberationis causa, quibuscumque dare censuerit, tam illa, quæ hoc dare voluerit, quam illi quicumque hoc acceperint (ne quod Deus auertat ambitionis instinctu, religionis videatur regula vitiari) tamdiu sint à communionis gratia sequestrati, quamdiu res ipsas eis, à quibus acceperant digna pœnitentiæ satisfactione restituant.* In primo istorum duorum canonum manifeste decernitur, vt quorumcumque religiosorum testamenta, quanuis necessitate vel ignorantia deficiant in solemnitate sæculi legibus præscripta, rata nihilominus maneant, & in concussa. In secundo verò canone certum est sermonem esse de verè religiosis fœminis, & quæ eam professionem emiserant, aliàs recedere à monasterio possent, impune, constat etiam eas suarum rerum dominium, & proprietatem retinuisse, donationesque ab illis factas valere nisi in eo casu fiant. Argumentum etiam est illas suorum bonorum retinuisse proprietatem, quod qui in eo casu donata accepissent, non monasterio, cuius certè essent omnia, si monachæ illæ dominio, & proprietate carerent, sed ipsis sacris fœminis, quæ donauerant, restitui accepta præcipitur.

5 Sublata autem videtur huiusmodi facultas de suis rebus disponendi per Gregorium Magnum *cap. Quia ingredientibus 19. quæst. 3. & cap. perlatum est, eadem causa, & quæstione*, & alijs posterioribus legibus Ecclesiasticis. Igitur illis sæculis ante Gregorium, quibus status religionis emissione votorum constans vigebat in Ecclesia, non erat annexa religiosorum traditioni, hæc abdicatio dominij, quandoquidem validè de suis rebus disponebant, & condebant testamenta.

6 Imo neque huiusmodi inhabilitatem sequi ex natura voti paupertatis in religione emissi ostenditur breuiter optima ratione. Quia voluntas cuiuscumque priuatæ personæ reuocari potest ab eadem per aliam postea subsecutam. Reuocata autem ea priori voluntate cessabit inhabilitas, si qua erat, ad contractum. Eatenus enim aliquis se reddebat inhabilem, quatenus non adhibebat consensum, reuocata autem voluntate, iam adhibet consensum, quo præsente, & constante, & contractu alioqui ex natura rei permisso, nihil deesse videtur, quominus contractus sit firmus. Quare reddere aliquem inhabilem ad contractum, non est opus priuatæ potestatis, sed Principis lege sua irritum facientis contractum, etiam si adsit voluntas contrahendi.

7 Verùm his, quæ in hoc capite diximus, duo videntur obstare. Primum est canon 21. Concilij Aurelianensis 1. tempore Symmachi Papæ prope annum 507. multo scilicet ante Gregorium Primum per quem diximus sublatam religiosis proprietatem, dominiumque bonorum; in eo enim hæc habentur: *Quod si quis monachus per contumaciam extiterit indeuotus, aut per aliqua loca vagari, aut peculiare habere præsumpserit, omnia quæ acquisierit, ab Abbatibus auferantur, secundum regulam monasterio profutura*, &c. Augustinus quoque loco supra citato dicit suos monachos viuere sine proprio. Non ergo retinebant proprietatem monachi. Cæterum ibi *peculiaris* nomine, similiter, *& proprij*, non tam intelligitur dominium bonorum, quod ex citatis legibus, & Augustini, & Conciliorum testimonijs constat ab illis esse retentum; sed vsum ad sui ipsorum arbitrium sine consensu, & conscientia prælati, qui vsus contra votum erat. Quanuis enim non abdicassent à se dominium rei, eam tamen administrare sine prælati dispositione non poterant: omnia enim in commune

mune conferebantur, vt iuxta dispositionem prælati distribueretur vnicuique prout cuique opus esset. Atque id videtur indicasse Petrus, cum Ananiæ dixit: *Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate?*

8 Secundò obstat *caput. Cum ad monasterium, de statu monachorum.* In quo Innocentius Tertius ad finem hæc habet: *Nec æstimet Abbas, quòd super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare, quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeò est annexa regulæ monachali, vt contra eam, nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Hæc Innocentius. Ecce proprietatis abdicationem esse de essentia regulæ monachalis ita inquit, vt contra eam non possit etiam à Summo Pontifice dispensari.

9 Multa de hoc capite dixi supra capite decimo, quæ videnda sunt: illis tamen suppositis communis expositio est primam sedem non posse in abdicatione proprietatis, & in custodia castitatis dispensare hoc sensu, quia non potest proprietatem bonorum cum rerum abdicatione, continentiam cum matrimonij vsu, hoc est, perseuerante statu religionis componere. Quæ fuit solutio fere omnium veterum scholasticorum, qui Pontificem in voto dispensare posse censebant. Verùm nisi isti solutioni aliquid addatur, non omnino satisfacit. Nam si proprietatis abdicatione in hac Innocentij decretali intelligitur dominium bonorum, quod habet reuera monachus, cum assumitur ad Episcopatum solutus iam ab obligatione voti, adhuc destruit Innocentius eam, quam sequimur hactenus opinionem, scilicet veram religionem constare posse dominio bonorum retento. Si ergo mens Pontificis ea est, ex istorum Doctorum sententia, non posse efficere Pontificem, vt maneat religionis status cum non abdicatione proprietatis, hoc est, cum bonorum dominio, nullatenus ergo cum voto paupertatis in religione posset dominium rerum suarum constituere.

10 Quare ego quidem ita responderem, siue in eo decreto nomine *Summi Pontificis* intelligatur Episcopus, siue Romanus Pontifex (id enim ad rem istam parum refert) *proprietatis* voce nequaquam intelligi in eo capite bonorum dominium, sed vsum rei ex propria auctoritate, sine consensu, & scientia prælati. Dicit autem verisimè Pontifex nulla ratione posse fieri, vt alicui in religione manenti concedatur vsus rerum inconsulto suo Prælato, & ad subditi nutum, & arbitrium: id enim ex diametro pugnat cum paupertatis voto; si enim id indulgeretur, tolleretur omnino paupertatis votum, & tamen religio absque his tribus votis nequaquam potest remanere. Quare abdicationem proprietatis interpretor, abdicationem vsus ex propria auctoritate, & libito absque Prælati scientia, & dispositione. In hoc enim sensu abdicatio proprietatis, sicut, & custodia castitatis regulæ monachali intrinsecè annexa est. Constat autem in hoc sensu abdicationem proprietatis accipiendam esse primò ex eo, quod in eius capitis principio dicitur: *Nequis monachorum proprium aliquo modo possideat, sed si quis aliquid habeat proprij, totum in continenti resignet. Si vero post hoc proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere, regulari monitione præuia de monasterio expellatur, nec recipiatur vlterius, nisi pœniteat secundum monasticam disciplinam. Quod si proprietas apud quemquam inuenta fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra monasterium in sterquilinio subterretur, secundum quod Beatus Gregorius narrat in dialogo se fecisse. Vnde si quidquam fuerit alicui specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed Abbati, vel priori, vel cellario assignetur.* Hæc Innocentius. Quæ eadem, & ante Innocentium, & postea multorum Pontificum, & Conciliorum canonibus statuta sunt. Inquiro ergo, quid in his verbis *proprietatis* significetur nomine, dominium, an vsus rerum inscio Prælato? Si hoc secundum dicatur, obtinet mea solutio. Si vero dicatur primum, explicent mihi, quomodo apud aliquem eiusmodi proprietas inueniri possit, hoc est, quomodo inueniri potest illum esse dominum, si tamen à se abdicauit rerum vsum? Quomodo etiam apud defunctum eiusmodi dominij retentio reperiri potest, & cum eo in sterquilino sepeliri? Adde etiam, nec Pontificè existimare potuisse dominiũ hoc posse apud religiosum reperiri. Cum enim Ecclesiasticis legibus à tempore Gregorij Magni intestabiles essent monachi, & cum paupertatem vouerent, secundum Ecclesiasticas

fiasticas iam illius temporis leges dominio priuarentur, non erat iam in potestate religioni professi dominium iterum assumere, vel resignare, cuius per leges Pontificias in capax omnino erat. Innocētius tamen præcipit, vt si professo monacho aliquid fuerit specialiter destinatum; non accipiat, sed resignet; item vt siquis monachus habet aliquid proprium, statim in continenti resignet. Resignatio autem, quæ monacho iam professo præcipitur, non est dominij abdicatio, quod nō habebat, cuius iam per sanctiones Pontificias erat incapax, sed abdicatio vsus ex proprio libito sine præpositi voluntate.

11 Deinde ita esse dicendum constiat, quia euidentissime superiorum temporum legibus & decretis, quæ attulimus, liquet testamenta religiosorum & donationes valuisse. Quas, si dominio carerent, inualidas fore dubitari non potest. Et tamen cum veræ religionis professione & voto stabat dominium, vsu tamen manente ad Prælati arbitrium. Non ergò abdicatio dominij intrinsecè annexa est regulæ monachali etiā perseuerante regula monachali; cum etiam retento dominio possit votum paupertatis in religione subsistere. *Proprietas* igitur in decreto Innocentij idem quod *peculiare* sonat; præceptum autem fuit etiam cum monachorum testamenta valebant, vt peculiare non habeant, vt liquet ex obiectione prima, idest peculiaris rei vsum, ex propria subditorum dispositione. Id enim peculiū significat iniure, vt latè ostendit Brissonius lib. 14. de verbor. iur. signif.

12 Denique idem ostendo ex eo, quod Innocentius illa duo coniunxit, scilicet, abdicationem proprietatis, & custodiam castitatis; & cum obedientia etiam intrinsece necessaria sit ad religionis statum, eius tamē non meminit, non alia vt credo, ratione, ni si quia eandem esse rationē intelligebat Pōtifex de abdicatione proprietatis, & custodia castitatis. Quare cū veræ religionis forma stare posset cū vinculo matrimonij, interueniēte etiā vsu cōiugis ex volūtate prælati, qui quādo ipse vellet, posset ad militiā euocare, & præcipere abstinentiam ab vxore, quod opus ad consilia Euangelica etiam pertinet, seruata castitate cum fœmina non sua, vt supra ex parte ostēsum est, quodque non credimus ignorasse Innocentium, dum dicit abdicationem proprietatis, sicut & custodiam castitatis esse annexam regulæ monachali, sensit planè bonorū dominiū, dum modo abdicaretur propria rei & libera administratio indepēdenter à volūtate prælati, posse cū regula monachali consistere; sicut & vinculū matrimonij seruata iuxta eā formā, quā diximus, castitate. Saltem enim hæc paupertatis & castitatis seruandæ forma adeo annexa est statui religionis, vt nequaquā sine illis posset etiā ex Sūmi Pōtificis sanctione religio permanere. Imo addo hanc solā paupertatē, ideſt, hanc abdicationē proprietatis, liberæ scilicet administrationis, & vsus rei esse propriā & solā materiā voti paupertatis, vt votū est. Nam quod isto capite probauimus, nō potest quis se voto suo, quātūuis id voueat, reddere incapacē dominij, sed id ex aliena volūtate præcipiēte, vel ordinante oriri necessario debet. Quare vouere nō potest inhabilitatē dominij, nec in cōmuni, nec in particulari. Ad religionis autē statū cōstituendū ea pertinēt, quæ præcisè oriūtur ex ipsa natura triū votorū, vt vota sunt; nō verò quæ ex accidēti, & extrinseco votorū naturæ accedere possunt. Vnde religio Fratrū Minorum vno è duobus modis redditibus perpetuis caret, aut vtroque, scilicet, vel quia singuli, dū vō tū paupertatis emittūt, respiciūt vt materiā eius voti non solū administrationē liberam rei vsu consumptibilis, sed etiā administrationē quācūque quāuis immobiliū bonorū: vel quia ex volūtate & petitione Seraphici institutoris legibus Pōtificijs non solū singuli monachi, quod etiā alijs commune est; sed etiā ipsa religio incapax effecta est adquirēdi rerum immobilium dominiū, votis enim nec singulorū, nec totius religionis in capitulo cōgregatæ nō potuit inhabilis religio fieri ad immobiliū rerū dominiū adquirēdū. Quāuis enim, si religio in comitijs voueret, & iuraret se nō acceptura bona immobilia, neque administraturā, si forte acciperēt, peccarēt cōtra votū, dominiū nihilominus religio adquireret, nisi Pōtificia lege inhabilis effecta esset. Atq; idē iudiciū est de materia voti castitatis. Nec enim eius materia est, aut esse potest inhabilitas ad ineūda cōiugia, quāuis enim quis vouere possit expresse se non initurū matrimonium; adhuc tamen, si nuberet, valeret matrimonium; sed huiusmodi inhabilitas ab aliena dispositione ortū habet. Est ergo materia vsus fœminæ tām in matrimonio, quàm extra, cōsequēter tamē vouet nō inire matrimoniū in ordine ad maritales actus. Quod quidē planū est, tū in eo, qui post matrimoniū ratū & consummatum, de consensu alterius con-

iugis ad religionem transit, vouet enim castitatem manete matrimonij vinculo: tum etiam quia religiosus, qui modo contraheret in ordine ad castè viuendum, sine vllo prorsus ordine ad copulam, peccaret quidem & matrimonium esset nullum, non tamen video quomodo contra religionem, & votum castitatis peccaret, cum in eo ineundo coniugio nullo modo interueniret violandæ castitatis propositum tacitè, nec expressè, vt in matrimonio Iosephi cũ Beata Virgine cernimus, & fateri tenemur. Atque ex his manet Innocentiana constitutio, vt mihi videtur, exactè elucidata, eamque non minus accurate perpendimus & considerauimus.

Coniugia Religiosorum primis sæculis fuisse valida probatur argumento negatiuo.

CAPVT XIIII.

SVMMARIVM.

Valida olim coniugia religiosorum fuisse, n.1.
Illicita tamen, neque amplius probari ab Hæreticis, n.2.
A quo tempore fuerint inualida, n.3.
Prima probatio negatiua, quod nulla antiquior lex sit, quæ reddat inualida. Expenditur Constitutio Iouiani Imperatoris, n.4.
Canon Illiberritani Concilij, n.5.
Et Valentini, n.6.
Et Siricij, num.7.
Et Arelatensis, 2. num.8.
Et Toletani 1. num.9.
Et Innocentij I. num.10.
Et Leonis I. num.11.
Et Chalcedonensis, num.12.
Et Venatici sub Leone I. num.13.
Et Turonici I. num.14.
Et Gelasij, num.15.
Et Aurelianensis I. num.16.
Et Toletani 2. num.17.
Et Parisiensis, num.18.
Et Martini Bracarensis, num.19.
Et Toletani 4. num.20.
Et Gregorij II. num.21.
Et Zachariæ, num.22.
Et Bauarici, num.23.
Et Colonienſis, & Maguntini, num.24.

1 DEueniamus ad probationem vltimi, scilicet, religiosorum illius sæculi matrimonia, quamuis nõ sine peccati labe celebrarentur, valida tamẽ fuisse & non irrita. Quod quidem asserunt expressè, & validè confirmauit Michael de Medina lib.4. de contin. sacror. hom. controuers.7. à cap.29. vsq; ad 34. Gabriel Vazquez disp. à capite cit. supra c.6. Azorius tomo 1. instit. moralium lib.12. c.6.q.3. Hieronymus Plati lib.2. de bono status religiosi cap.21. & probabilem putat Bellarm. lib. de monachis cap.34. dum respondet Augustini testimonijs.

2 Sed antequã probemus, ne in hac re alicui scrupulus injiciatur, duo hæc præ oculis habeamus, quorum primum certum est, alterum, de quo inter Catholicos sine fidei periculo dubitari potest. Est ergo extra controuersiã inter Catholicos, quidquid insaniãt Hæretici, matrimonia post emissa vota celebrata, nũquam fuisse in Ecclesia licita, hoc est, vt sine peccato celebrarẽtur; sed reuera fuisse semper cõiunctionẽ sacrilegã, & multis titulis infamẽ. Nec verò verbum est apud Ecclesiæ patres atque cõcilia, quod in hoc fauere posset hæreticis, cũ oppositũ vbiq; clamẽt, vt cõstabit ex his quæ postea subijciemus. An verò hæc matrimonia peccaminosè contracta, fuerint valida, (multa enim illicitè fiunt, quæ tamẽ facta tenent) dubium est inter Catholicos; quidã negant, nos vero affirmamus. Quo vno, quod tutò concedi potest, Hæreticis concesso, omnia argumenta, quibus contra votum castitatis pugnant, facillimè diluuntur.

3 Id ego probo primum ostendendo nunquam Ecclesiam huiusmodi matrimonia irritasse, vsque ad Concilium generale Romæ celebratum Anno 1139. cap. 7. §. *vt lex*, & refertur 27. *quæst.1. Can. vt lex*, vbi hæc habentur. *Statuimus, vt monachi atque conuersi professi, qui sanctum transgredientes propositum vxores sibi copulare præsumpserint, separentur: huiusmodi namque copulationem, quam contra Ecclesiasticam regulam constat esse contractã, matrimonia non esse censemus.* Nec vero quia Concilium dixit huiusmodi copulationem contra Ecclesiasticas regulas esse contractam, ideo existimet aliquis iam ante Concilium istud præcessisse Ecclesiasticas regulas, huiusmodi matrimonia, irrita censentes, Ecclesiasticas enim regulas, quas dicit, eas intelligo, quas mox subijciam, quibus tantum huiusmodi matrimonia prohibita sunt, nõ vero irrita iudicata. Nisi forte dicamus alludere ad constitutionem Calixti II. quæ habetur in *Can. presbyteris* distinct. 27. vbi matrimonia ipsa disiungi iubẽtur, & personas ad pœniten-

tentiam radigi debere iuxta Sacrorum Canonum diffinitiones, quæ scilicet pœnitentiam, & modum pœnitentiæ præscripserũt. Sedit autem Calixtus Anno Christi 1119 hoc est, viginti Annis ante Concilium Romanum sub Innocentio II. Quod si *Canon presbyteris* tribuatur Vrbano II. sederitque Vrbanus II. Anno 1098. adhuc planum est primis vndecim Annorum centurijs non fuisse huiusmodi coniugia in Ecclesia irrita. In omnibus ergô Sanctionibus ante Concilium istud, nullum est verbum, quod inualiditatem sonet. Percurramus breuiter.

4 Iouianus Imperator prope Annum Christi 360. & habetur in *l. siquis nu. 5. C. de Episcopis & Clericis*, hæc statuit. *Siquis non dicam rapere, sed attentare tantummodo iungendi causa matrimonij sacratissimas virgines ausus fuerit, capitali pœna feriet*ur. In hac lege capitalis pœna indicitur attentãtibus rapere virgines Deo Sacratas prætextu ineundi matrimonij, non verò matrimoniũ indicatur nullum; imo insinuatur validê cum illis solere illo tempore iniri matrimonia, aliàs nunquam iungendi matrimonij causa attentarentur rapi. Adde etiam raptum non semper fuisse in Ecclesia impedimentum dirimens.

5 Illiberritanum Cõcilium Iouiano Imperatore antiquius Can. 13. hoc habet. *Virgines, quæ se Deo dicauerint, si pactum perdiderint virginitatis, atque eidem libidini seruierint, non intelligentes, quod amiserint, placuit nec in fine eis dandam esse communionem.* Quod *si semel persuasæ, aut infirmi corporis lapsu vitiatæ, omni tempore vitæ suæ huiusmodi fœminæ egerint pœnitentiam, vt abstineant sa à coitu; eo quod lapsæ potius videntur, placuit eas in fine communionem accipere debere.* Canone isto ne quaquam conuincitur nulla inita matrimonia cum monialibus, (admitto enim de virginibus sacratis agi) nec enim est vllum verbum, quod vel leuiter de matrimonio agere Canonem insinuet. Quare de lapsu tantum carnis sermo est, permanentique in eodem vitio pœna indicitur. Et quamuis daremus de coniugio Monialium sermonẽ esse, quia duo Concilia, quæ referam statim, cum de Monialium matrimonijs agunt, istius canonis meminerunt, adhuc puniri tantum, vt iniustè & perperam factum; permanentemque fœminam in eadem libidine, (sic enim vocat, quia sacrilega illa coniunctio) etiam in fine vitæ à communione rescindit. Contendebant enim Patres seueritate legis ad eiusmodi coniugia ineunda aditũ, ac ianuam præcludere.

6 Concilium Valentinum Galliæ sub Damaso 1. Anno Christi 374. Can. 2. *De puellis verò, quæ se Deo vouerant, si ad terrenas nuptias sponte transierint, id custodiendum esse decreuimus, vt pœnitentia his non statim detur; & cum data tamen fuerit, nisi plene Deo satisfecerint, in quantum ratio poposcerit, earum communio differatur.* Nullum est verbum, ex quo colligas inualidum earum matrimonium fuisse; quin potius illud, *Ad terrenas nuptias sponte transierint*, satis innuit non dissoluta matrimonia, quamuis seueriss imè vindicata. In hoc autem Canone de Moniali Deo sacra sermonem esse constat ex inscriptione, quæ sic habet; *Vt deuota si se maritauerit.* *Deuotam* autem esse religiosam virginem ostendam infra ad Canonem Concilij Toletani 1.

7 Siricius Papa post Annum 384. Epist. 1. Can. 6. decernit. *Præterea monachorum quosdam atque monacharum abiecto proposito Sanctitatis in tantam potestatis demersos esse lasciuiam, vt prius clanculo velut sub monasteriorum prætextu illicita ac sacrilega se contagione miscuerint; postea vero in abruptum conscientiæ desperatione perducti de illicitis complexibus liberè filios procrearint, quod & publicæ leges & Ecclesiastica iura condemnant. Has ergo impudicas detestabilesque personas à monasteriorum cœtu, Ecclesiarumque conuentibus eliminandas esse mandamus, quatenus retrusæ in suis ergastulis, tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio possent pœnitudinis igne decoquere, vt eis vel ad mortem saltem solius misericordiæ intuitu, per communionis gratiam possit indulgentia subuenire.* Existimabam aliquando Siricium non agere de nuptijs post vôta, sed de scortatione absque matrimonij vinculo. Cæterum Triburiensis Synodus, cuius verba adducam postea Canone 23. de sacrilego interpretatur connubio decreti Syricij mentione facta. Quare de coniugijs Sanctimonialium loqui censeamus Siricium; Non tamen ex eius testimonio probatur inualidum fuisse, quin potius, cum coniunctionem illam tantum appellet sacrilegam, nec malitiam contra temperantiam agnoscat, tacitè innuit alias validam, quamuis contra Patrum regulas celebratam. Et Epistola 2. contra Iouinianum damnat etiam nuptias monialium, quas Iouinianus pudicitiæ aduersarius, & Luxuriæ magister licere asseuerabat.

8 Concilium Arelatense 2. sub Siricio prope Annum Christi 390. can. 33. hæc statuit. *De puellis quæ se vouerunt Deo, & præclari nominis decore floruerunt, si post viginti & quinque annos ætatis ad terrenas nuptias sponte transierint, id custodiendum esse decreuimus, vt cum his, cum quibus se obligauerint, communione priuentur, ita vt eis postulantibus pœnitentia non negetur, cuius pœnitentiæ communio multo tempore differatur.* Quid? Non ne illa, *Sponte transierint*, & *cum quibus se obligauerint*. Validè contractas nuptias ostendunt? Adde etiã dici illis petentibus non negandam pœnitentiam, ob sacrilegè initum coniugium, nõ vero eos vt inualidè cõtrahentes separãdos.

9 Toletanũ 1. sub Anastasio Anno Domini 400. can. 16. ita inquit. *Deuotam peccãtem non recipiendam in Ecclesiam, nisi peccare desierit, & desinens egerit aptam pœnitentiam decem annis, accipiat communionem.* Hæc quidẽ delapsu. Quæ verò sequuntur de nuptijs: *Quæ autem maritum acceperit, non admittatur ad communionem, nisi adhuc viuente ipso viro castè viuere cæperit, aut postquã ipse decesserit.* Quid in hoc canone, quo nullum matrimonium indicetur? Nihil certè. Imponitur pœna, attamen validum matrimonium, vel illa satis indicant, quod ad pœnitentiam admitti velit, discedente è viuis marito. Si enim nullum erat matrimonium, quid opus expectare mariti mortem? Expende etiam nomẽclaturam *viri*. Nomine autem *Deuotæ* intelligi Virginem Deo Sacratam, ac vere religiosam, constat ex communi phrasi Conciliorum, quæ eo nomine virgines vere religiosas intelligunt, & publicè velatas. Et facile constat vel vno testimonio Concilij Aurelianensis III. sub Vigilio prope Annũ 550. *De raptoribus virginum cõsecratarum, seu in proposito sub deuotione viuentium, id statuimus, vt siquis consecratæ vel deuotæ, ideſt, religionem professæ vim inferre præsumpserit, à cõmunione Ecclesiastica vsque ad exitum repellatur, viatico tantum ei infirmitatis periculo reseruato.* En *Deo Deuotam, Consecratam, sub deuotione viuentem, religionem professam*, pro eodẽ accipit Aurelianense Concilium, videndus de hac re Ferdinãdus de Mendoça lib. 2. de confirmando Concilio Illiberritano, c. 20.

10 Innocentius I. Anno Christi 404. Epist. 2. ad Victricium n. 12. Item. *Quæ Christo spiritualiter nupserunt, & velari à sacerdote meruerunt, si postea vel publicè nupserint, vel se clanculo corruperint, admittẽdas etiã ad agendã pœnitentiã, nisi is, cui se iunxerant, de sæculo decesserit. Si enim omnibus hæc ratio custoditur, vt quæcũque viuente viro alteri nupserit, habeatur adultera, neq; ei agendæ pœnitẽtiæ licentia cõcedatur, nisi vnus ex eis defunctus fuerit: quanto magis de illa tenẽda est, quæ antea immortali se sponso cõiunxerat, & postea ad humanas nuptias transmigrauit?* Quæ verba, sicut ea quæ modo ex Toletano desumpsimus, explicanda sunt & vrgenda. Quãuis itaque adulteras illas vocet Innocentius, ideſt, sacrilegas, quia Christo datã fidẽ violarunt; attamen inualida matrimonia esse, nequaquã inde colligitur. Nec vero ea cõparatione, quã adhibet de ea, quæ viuẽte viro cũ altero cõiungitur; probari potest sensisse Innocentiũ huiusmodi matrimonia nulla. Postea enim n. 13. agẽs de his quæ voto continentiæ extra religionem tenebantur, & tamen post illud votum nupserunt, eadẽ cõparatione vtitur de fide Christo data, solũque docet huiusmodi violationẽ puniri debere: cũ tamẽ matrimoniũ post illud votũ celebratũ validũ sit ex omniũ Doctorũ sententia. Solum ergò differre voluit Põtifex virginẽ, quæ in religione castitatẽ vouit, & quæ extra, contrahentẽ matrimoniũ in maiori, vel minori pœnitẽtia, non verò in matrimonij nullitate.

11 Leo I. qui sedem occupauit Anno Christi 440. Epist. 92. ad Rusticum Narbonensem Episcopum hæc habet c. 14. *Puellæ quæ non coactæ parentũ imperio, sed spõtaneo iudicio virginitatis propositũ, atque habitũ susceperunt, si postea nuptias eligant, prænaricantur, etiamsi consecratio non accesserit, cuius vtique non fraudarentur munere, si in proposito permanerẽt.* Et cap. 15. *Ambigi vere non potest crimen magnũ admitti, vbi & propositũ deseritur, & consecratio violatur. Nam si humana pacta nõ possunt impune calcari, quid eos manebit, qui corruperint fœdera Diuini Sacramenti?* Inquirere velim an Leo agat in cap. 14. de virginibus nõ dũ professis, aut quæ extra religionẽ simplici voto castitatis tenebãtur; in cap. vero 15. agat de religionẽ professis? Si hoc ita est, tãtũ vides criminis grauitatẽ in istis maiorẽ, quã in illis iudicari à Pontifice. Vel in vtroque capite agit de verè religiosis fœminis, quãuis aliqua ceremonia cõsecrationis deesset, si hoc sic se habeat, apertè satis modo ipso loquendi in c. 14. validitas matrimonij insinuatur, easq; tantũ prænaricari dicit Põtifex, nõ vero inualidè cõtraxisse. Vel denique in nullo c. agit de religionẽ professis, sed tantũ de his quæ simplici voto castitatis extra religionẽ tamẽ obligatæ erãt; Id siquis dixerit, eo cõuinci debet, quod in Canonicis & Ecclesiasticis libris perpetua phrasis vela-

velatæ & consecratæ virginis nomine sanctimonialis intelligatur, vt ex supra adductis canonibus, & subijciendis constabit apertissime. Verum est eas virgines, quæ religionē profitebātur, non semper intra claustra degere solitas, sed in hoc variationem aliquam extitisse in Ecclesia, de quo forsan inferius isto cap. attingam aliqua, quæ alio loco latè propono & examino.

12 Calcedonense Cōciliū prope Annū Domini 451. sub S. Leone 1. Act. 15. can. 16. & refertur à Gratiano 27. q. 1. *canone siqua virgo*, hæc habet. *Virginē, quæ se Deo Domino cōsecrauit, similiter monachū non licere nuptialia iura cōtrahere. Quod si hoc inuenti fuerint perpetrantes, excommunicentur. Consitentibus autē decernimus, vt habeat authoritatem eiusdem loci Episcopus, humanitatem, misericordiāque largiri.* Hæc verba cōtra hæreticos probāt peccare sic cōtrahentes, nō vero inualide cōtrahere: imo adde illis verbis, *humanitatē, misericordiamque largiri*, forte significatur, vt cū illis, si expedire iudicaret, in voto dispensaret, nec enim votorū dispēsatio à principio Sūmis solū Pontificibus reseruata fuit. Nec verò moueāt illa. *Decernimus, vt habeat auctoritatem eiusdem loci Episcopus*, quasi his indicetur auctoritatē, quā non habebant, Episcopis concedi; Hæc enim verba, quisquis humanitatis & misericordiæ nomine in eo canone vel pœnitentiā, vel absolutionē ab excōmunicatione intelligit, multò magis interpretari tenetur, cū nō fuerit ab huiusmodi crimine absolutio Apostolicæ Sedi ante Concilīū istud reseruata, vt ex allatis Canonibus Chalcedonensi anterioribus constat. Non itaque conceditur noua facultas; sed probatur, confirmatur, quam de iure habebat Episcopus, nullo præfinito tempore, quo humanitatem, & misericordiam differre deberet. Adde etiā cū Episcopo iniungatur, vt ab excōmunicationis vinculo absoluat, nō tamen vel insinuetur, vt nulliter contraxisse declaret, satis insinuari valide eiusmodi matrimonia contracta.

13 Veneticum sub Leone etiam 1. Anno 453. canone 4. statuit. *Easetiam, quæ virginitatem professæ, & benedictionem fuerint per manus impositionem sub contestatione huius propositi consecutæ, si fuerint in adulterio deprehensæ, cū adulteris ipsarum arcendas à communione censemus.* Canon iste vel de lapsu carnis tantū agit, non de nuptijs; fornicationem autem etiam Mœchiæ nomine significari solitā à Concilijs, cuiuis notū est in libris Ecclesiasticis vel mediocriter versato. Aut si de matrimonio Monialis intelligatur, pœnā tātū audis, non verò inualidū connubiū, ex hoc canone conijcies. Vox enim illa *adulterij*, quæ forsan posset scrupulum injicere, quasi ea indicetur illā coniunctionē adulterium esse, non nuptias, vtpote cū violata sit fides data immarcescibili sponso, explicabitur à nobis inferius etiam ex doctrina Patrum.

14 Turonicum I. tempore Hilarij Papæ. Anno Christi 481. canone 6. præcipit. *Qui vero se Sacratis Virginibus per coniunctionem nefandam miscuerit, vel propositū professæ religionis dereliquerit, vtrique à communione habeantur alieni, quia siquis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus, donec resipiscentes à laqueo diaboli, à quo capti tenentur ad ipsius voluntatem, ad auxiliū pœnitētiæ reuertantur.* Nefandā coniunctionē appellat siue de coniugio agat canon, siue de copula extra nuptias, quia illicite & interuenientē sacrilegio contracta, vnde & meritò tēpli Diuini violatorem appellat, quem non inultū aut impunitum abire patietur Deus. Itaque hæreticos confodit telum istud, qui omnia sibi licere putant flagitia, voti obligationem, & vinculum non agnoscunt; nostra verò sententia, quæ quāuis peccaminosē, validè tamē eas iniri nuptias primis illis sæculis asseuerat, nequaquā vel leuiter impugnatur.

15 Gelasius post Annum 492. Epist. 9. quæ est ad Episcopos Lucaniæ: *Virginibus autem sacris temere se quosdam sociare cognouimus, & post dictum Deo propositum, incesta fœdera sacrilegaque miscere. Quos protinus æquum est à sacra communione detrudi, & nisi per publicam probatamque pœnitentiam omnino non recipi: Sed tamen his viaticum de cœlo transeuntibus, si tamen pœnituerint, non negetur.* Pœnā statuit Pontifex, de robore autem matrimonij silet.

16 Aurelianense I. sub Symmacho prope Annum 514. can. 23. hæc constituit. *Monachus in monasterio conuersus, si pellici posteā vel vxori fuerit sociatus, tantæ prænaricationis reus, nunquā Ecclesiastici gradus officiū sortiatur.* Ecce pœnā impositā, nō tamē vides inualiditatē matrimonij, vel insinuatā saltē.

17 Toletanum II. sub Bonifacio II. circa Annum 532. canone 1. hæc habet de Monachis & Clericis inter alia. *Cauendum tamē est his, ne quādo suæ sponsionis immemores, ad terrenas nuptias, aut abortiuos cōcubitus vltra recurrant. Quod si forte fecerint, vt sacrilegij rei ab Ecclesia habeātur extranei. Sacrilegi, dicti merito quia votū violarūt.* Attēde tamē monachis post professionem nubentibus sacrilegij tā

tum notam inuri. Quod si inualidum fuisset coniugium, & contra temperantiam, & cõtra religionem peccassent; quare non tantũ sacrilegi, sed & intemperantes essent. Addo etiam monachos in eo canone coniungi cũ clericis, idẽque statuitur de vtrisque, cum tamen clericorum Occidentalis, & Orientalis Ecclesiæ votum prioribus sæculis vim dirimendi matrimonij non habuisse, quamuis impediret certè, multo mihi certius sit, vt alibi demonstro.

18 Concilium Parisiense quod Seuerinus appellat 3. tempore Ioannis Papæ III. & Childeberti Francorum Regis post Annum Christi 550. Canone 5. istã sanxit. *Sacrarum etiam virginum, neque per raptum, neque per competitiones aliquas, quisquam coniugia sortiatur. Similiter de earum erit coniunctionibus abstinendum, (& hi qui eas rapere, aut cõpetere voluerint, à communione sunt remouendi) quæ vestium commutatione tam viduæ quam puellæ religionem, pœnitentiam, aut virginitatem publica fuerint declaratione professæ. Quod si contra interdicta quis venerit, & sacerdotem suum audire neglexerit, à communione Ecclesiæ Catholicæ habeatur extraneus, & perpetuo anathemate feriatur.* Huius Canonis duas esse partes manifestissimũ est, nec minus certũ in prima de sanctimonialibus, quas sacras virgines appellat, agi, earũque coiugia prohibentur, vtpote quæ sine religionis transgressione iniri non possint. In secũda vero parte de his agit, quæ sola vestis mutatione religionẽ ac cõtinentiã publicè declararũt. Inquiro autẽ an istæ verè religiosæ essent, an secus? veras non fuisse religiosas, vel ex eo constare poterit, quia etiã in ea parte canonis puellarũ meminit, de quibus iã actũ in prima, & cõstabit magis ex his quæ adducam infra isto cap. ex Forojulienſi & Triburienſi Cõcilijs: vel si forte de religiosis agit, quæ quidem habitus sola gestatione se esse profitebantur, prohibentur tantũ ea coniugia, non verò irrita declarantur.

19 Martinus Bracarensis in collectione Orientaliũ canonũ, quã ad Concilium Lucense destinauit prope Annũ 572. canone 3. hæc habet. *Si deuota fuerit, & maritum duxerit. Si eam pater vel mater in affectũ receperint, à cõmunione habeantur alieni. Pater verò causas in Concilio se nouerit præstiturũ: mulier verò nõ admittatur ad cõmunionem, nisi defuncto marito egerit pœnitentiã. Si autẽ viuente eo recesserit, & pœnituerit, cõmunionẽ in vltimo vitæ deficiens accipiat.* Idem de isto, atque de Toletani 1. Concilij canone iudicium est, eadem enim fere sunt verba.

20 Toletanum 4. Anno Christi 633. sub Honorio I. can. 56. *Duo sunt genera viduarum sæculares, & sanctimoniales: sæculares viduæ sunt, quæ adhuc deponentes nubere, laicalem habitum non deposuerunt; sanctimoniales sunt, quæ iam mutato habitu sæculari sub religioso cultu in conspectu Sacerdotis, vel Ecclesiæ apparuerint. Hæ si ad nuptias trãsierũt, iuxta Apostolum non sine damnatione erunt, quia se primũ Deo vouentes, postea castitatis propositũ abiecerunt.* Peccare quidẽ religiosas nubẽtes plane docet, inualidũ coniugiũ non insinuat.

21 Gregorius II. prope Annũ 720. respõdens ad Sãcti Bonifacij cõsultationes epist. 14. inquit. *Addidisti adhuc, quod si pater vel mater filiũ vel filiã intra septa monasterij in infantiæ annis sub regulari tradiderint disciplina, vtrùm liceat eis postquã pubertatis annos impleuerint egredi & matrimonio copulari. Hoc omnino deuitamus, quia nefas est, vt oblatis à parentibus Deo filijs voluptatis fræna laxentur.* Vnde idẽ Gregorius in Cõcilio Romano 1. sub ipso celebrato Anno Christi 721. canone 3. hæc statuit. *Si quis monachã, quã Dei ancillam appellamus, in coniugiũ duxerit. Anathema sit. Et responderunt omnes tertiò. Anathema sit.* Eã quidẽ coniunctionẽ prohibet, & Anathemati subijcit eos, qui eiusmodi matrimonia cõtraherent: nefas enim violare votũ; at irrita esse nequaquã indicat. Addo etiã, cum Sanctus Bonifacius à Sede Apostolica destinatus Germanorum Apostolus & Antistes sit, qui rogat, cui leges Ecclesiasticas maximè de his rebus nõ est verosimile fuisse ignotas, magno mihi etiã argumẽto est, illis tẽporibus eiusmodi matrimonia nõdũ irrita declarata; imo & Episcopos fragilitati aliquid cõdonãtes absoluisse, nescio quã prudenter ab obligatione voti, quod vt nullo modo fiat, decernit Põtifex, esset enim voluptati fræna laxare. Addo rursus coniecturã aliã, quã probabit sine dubio quisquis eã sine contentionis studio perspexerit. Cùm illis prioribus mille annis toties virgines Deo sacræ se cõnubiali coniunctione miscuerint, vt de eo tot leges à Pontificibus & Cõcilijs ferri necesse fuerit, & in eius Concilij Romani principio, cuius explicamus canonẽ, dicatur: *Quia populi Christiani aliquos per Italiã cõmorantes audio temerè contra Catholicam fidem, & patrum statuta patrare, ita vt Deo sacratas fœminas ducere præsumant, mulieres, & propinquas in coniugio sociare,* Magno satis argumento persualum est illis sæculis, non quidem licite, valide tamen iniri eiusmodi

modi coniugia. Si enim inualida esse Eccle siasticis legibus cautum esset, qui fieret vt toties, in omnibus ferè prouincijs nuberet, quamuis contra statuta Patrum? An his sæculis, in quibus de nullitate matrimonij iã constat, simile quid aut vidimus, aut audiui mus inter Catholicos? minimè quidẽ. Nec verò quemquam moueat, quod in huius Concilij Romani principio sacrilegæ istæ monialium nuptiæ, cum incestuosis coniun gantur. Neque enim par de vtriusque ratio. Nam incestuosa connubia semper, & ab initio non solum prohibita, sed & irrita esse declaratum est, vt alio loco ostendo. Quia verò de eo, ad quem gradum & affinitas, & consanguinitas extendebantur, non erat vna omnium lex, sed in alijs prouincijs ad plures, in alijs ad pauciores gradus protrahebatur; inde magna populorum perturbatio, & aliquando etiam cum consanguineis tentata connubia, quæ frequentibus legibus patres in suis prouincijs resecabant.

22 Zacharias Pontifex post Annũ 741. Epist. 7. cap. 20. in quo de virginibus velatis agit, eadem respondet ad Consultationes Pipini Regis Francorum, & eorum Episcopos, quæ olim dixerat Innocentius, eius etiam Innocentiani decreti mentione facta, & translatis verbis. Quare eodem modo de Zacharia, atque de Innocentio iudicare debemus. Hinc in Concilio Suessionẽ si sub Childerico Rege Duce Pipino, & eodem Zacharia propè finem, ea connubia prohibentur hisce tantum verbis: *Similiter constituimus, vt nullus Laicus homo Deo sacratam fœminam ad mulierem habeat.*

23 Nihil præterea innouatum circa huiusmodi coniugia in Concilio Bauarico apud Dingoluingam sub Adriano I. Anno 772. Canone enim 4. hæc habet. *De sanctimonialibus, quæ in seruitio Dei sunt, ita constituit; vt nullus ausus sit in coniugium & matrimonium ducere: aut si quis ausus fuerit contra decreta Canonum, ita componat, sicut Canones decreuerunt.* Visum iam quid anteriores Canones statuerint.

24 Concilium Colonienſe sub Stephano 6. aliàs 5. celebratum Anno Domini 887. Canone 6 inserit tantum Canonem Illiberitani Concilij, & Chalcedonensis, de quibus supra. Moguntinum quoque sub eodẽ Stephano, & Arnulpho Rege Anno Christi 888. Canone 26. Canonem probat Concilij Illiberitani nullo addito, neque immutato verbo. Legem aliam de hac re extantẽ in Ecclesia vsque illud Concilium Romanum, cuius initio capitis mentionem fecimus, vel vsque ad Calixtum II. de quo supra non reperio. Adducemus statim nõnulla alia consulto omissa, vt explicaremus simul.

Idem ostenditur testimonijs Cypriani & Innocentij Primi.

CAPVT XV.

SVMMARIVM.

Quid agendum, n. 1.
Probatur testimonio Cypriani, n. 2.
Solutio Pamelij, n. 3.
Impugnatur, & soluuntur fundamenta Pamelij, n. 4.
Expenditur testimonium Innocentij I. n. 5.
Quædam solutio reijcitur, n. 6.
Alia solutio etiam reijcitur, n. 7.

1 PRobauimus hactenus religiosorũ coniugia olim post emissa vota valida fuisse ostendendo nullam extitisse legem, quæ infirmaret, vsque ad illud Concilium Romanum, vel Calixtum II. de qua argumẽtãdi ratione satis videtur esse, quæ diximus. Iam aliter eandem veritatem probemus expendendo, scilicet nonnulla antiquorum testimonia, præter ea, quæ in superioribus, dum recenseremus, canones, insinuata sunt, quæ nobis fauere videntur. Et quamuis à nonnullis multa pro hac sententia adduci soleant, quæ tamen aut parum roboris habent, aut parum ad rẽ de qua agimus, faciunt: ea tantum ex multis attingam, quæ meo iudicio, aut manifestè, aut cum magnâ probabilitatis specie confirmare videntur id de quo agimus.

2 Igitur valuisse matrimonia post votum probo in primis ex Cypriano Epistola 62. ex qua desumptus *Canon. Nec aliqua & Canon. Quod si pœnitentia* 27. *quæst.* 1. argumentumque sumo ex illis verbis: *Quod si ex fide se Christo dicauerint, pudicæ & castæ sine vlla fabula perseuerent, ita fortes & stabiles præmium virginitatis expectent: si autem perseuerare nolunt, vel non possunt, melius est nubant, quam in ignem delictis suis cadant.* Hoc loco Cyprianus agit de Sacratis Deo fœminis, idque indicant illa verba: *Quod si ex fide se Christo dicauerint.* Deo enim dicatarum nomine Ecclesiasticis in libris sanctimoniales intelliguntur.

3 At Pamelius in prædictam Cypriani Epistolam tribus permotus argumentis existimat nequaquam Cyprianum agere de sacris fœminis. Primum est, quia Cyprianus inquit, *Quod si se Christo dicauerint*, cum tamen sanctimoniales ab Episcopis consecrari soleant, non à seipsis tantum Deo dicari. Secundum: Quod virgines de quibus loquitur, cum masculis in domibus propriis habitabant. Tertium quod balneas, ac nuptias illis adire licitum erat; quædam earum diuites fuerint, ac certo habitu nō vterentur, vsque adeo vt ornatum earū superfluum reprehendat Cyprianus. Quæ omnia in virgines relatas non competunt. Idē cum Pamelio de sensu Cypriani sensit Alanus Dialogo 2. cap. 21.

4 Sed hæc nullius planè momēti sunt, facileque refelluntur, ac in primis fallitur planè, dum existimat ea phrasi, *quæ se Christo dicauerint*, velatas fœminas non intelligi. Nam quamuis sanctimoniales velarentur, & sacrarentur ab Episcopis, inde deotæ, ac sacratæ frequenter in libris Ecclesiasticis appellari solent: at quia cum sacrarentur ab Episcopo, ipsæ sponte se Deo vouebant, ipsæ & se dicare ac sacrare, ac deuouere dicebantur. Proferam nonnulla, ex quibus ea phrasis in ea significatione, quam diximus, confirmetur. Concilium Illiberitanum cap. 13. hæc habet. *Virgines, quæ se Deo dicauerint, si pactum perdiderint virginitatis, &c.* Concilium autem de sacratis fœminis constat loqui, quia Concilium Colonien se sub Stephano 6. Anno Domini 887. can. 6. cum monialium matrimonia prohibet, eo canone Concilij Illiberitani vtitur, & etiam Chalcedonensis; & similiter Concilium Moguntinum sub eodem Stephano Anno 888. canone 26. eundēm canonem ad idem confirmandum adducit. Concilium quoque Valentinum Galliæ Anno Christi 374. can. 2. *Puellas, quæ se Deo vouerant*, sanctimoniales appellat. Carthaginēse 4. cap. vltimo. *Se deuouerint Deo*, & habetur *cap. sicut bonum* 27. *quæst.* 1. Arelatense 2. sub Siricio, cap. 33. *de puellis*, inquit, *quæ se vouerint Deo.* Chalcedonense sub Leone I. actione 15. can. 16. & refertur à Gratiano in *cap. si qua virgo*, hæc habet: *Virginem, quæ se Deo Domino consecrauit.* Matisconense 2. sub Pelagio 2. can. 12. *De puellis verò, quæ se Deo vouerint.* Ex quibus planè constat eas, quæ se Deo dicauerint ex Conciliorum phrasi sanctimoniales intelligi. Religiosas etiam fœminas olim etiam in parentum, aut propris domibus remanere solitas, ac non omnes simul in monasterijs vitam egisse, apertissimum est; satis sint ad eius probationem, quæ habentur *cap. de viduis & puellis cap. mulieres* 27. *quæst.* 2. & Concilium Aurelianense 5. cap. 19. ibi, *Illæ, quæ domibus proprijs.* Quod autem ad balneas exierint, non euincit illas velatas non fuisse, vt constat ex regula Augustini fœminis etiam data: neque enim ab initio omnibus sanctimonialibus seruata clausura: vt alio ostēdendum loco.

5 Secundò pugno auctoritate Innocentij primi Epist. 2. ad Victricium, vbi canone 10. ita inquit. *De monachis, qui diu morantur in monasterijs, si postea ad Clericatus ordinem peruenerint, non debere eos à priore proposito deuiare. Aut enim sicut in monasterio fuit, & quod diu seruauit, idin meliori gradu positus amittere non debet, aut si corruptus postea baptizatus & in monasterio sedens ad Clericatus ordinem accedere voluerit, vxorem omnino habere non poterit, quia nec benedici cum sponsa potest iam ante corruptus. Quæ forma seruatur in Clericis; maximè cum vetus regula hoc habeat, vt quisquis corruptus baptizatus Clericus esse voluisset, sponderet se vxorem non ducere.* Hæc Innocentius. Vrgeo secundam partem huius canonis, cuius species facti hæc est. Is, qui cum ante Baptismum vxorem duxisset, baptizatur, & monachismum profitetur, si postea clericus efficiatur, vel assumatur ad clerum, non potest vxorem ducere; redditque rationem Pontifex, quia ducta post baptismum & monachismum secunda vxore, bigamus esset, & ideo remotus à clericali statu, iuxta veterem regulam, hoc est, Apostolorum canonem. Censet enim Innocentius vt constat ex eadem Epistola num. 6. non minus Bigamum, & ex consequēti irregularem esse, qui ante baptismum cōiugio copulatus, post baptismum illa vxore vel dimissa, vel mortua ducit alteram, quàm si post baptismum primis & secundis nuptijs copulatus esset. Si igitur matrimoniū post emissum à monacho votum nullum erat, quid necessaria erat pollicitatio de nō accipienda vxore, ne bigamia impediret, quominus ad clerum promoueretur?

6 Quod siquis respondeat ideo monachum, qui ante baptismum vxorem duxerat, polliceri se non aliam ducturum, non quia valeret matrimonium post votum, sed quia, licet inualidè contraheret, attamen post votum solemne castitatis matrimoniū attentans, bigamus censebatur, & ideo excluſus ab altaris ministerio. Qui hæc dixerit

attendat

attendat in primis Innocentij tempore clericorum castitatis votum non esse solemne, ita vt nullum esset matrimonium postea subsecutum, vt alio loco demonstro. Deinde scit eum, qui nunc post votum castitatis solemne contrahit inualidè, non esse bigamum; arceri tamen ab ordine, non quidem ob sacramenti defectum, qui in bigamo reperitur, sed in pœnam, propter affectū intentionis opere subsecuto, vt expresse Innocentius III. *cap. nuper & cap. fin. de Bigamis*, & antea statutum in Aurelianensi Concilio 1. can. 23. quem supra retulimus. Quare bigamia similitudinaria quam induxere Doctores nullo fundamento nititur. Scio probari illam ex capit. *Quotquot* 27. *quæst.* 1. qui est canon 19. Concilij Ancyrani, quod iam isto cap. retulimus; sed qui eum canonem vocant in auxilium, eius sensum non satis percepisse videntur. Statuit quidē, vt qui virginitatem pollicentes nupserint, inter bigamos habeantur. Id autem ita statutum est, non quasi illi bigami sint, nec quia matrimonium ab illis cōtractum esset nullum; sed quia quamuis in Ecclesia Græca admissi coniugati ad sacros ordines, nec separati ab vxoribus: attamen qui non coniugati assumebantur rogati an nubere vellent, si negarent, castitatem spondebant; si autem post sponsionem illam nuberent, valebat quidem matrimonium, illi autem separabātur ab altaris ministerio, sicut bigami etiam remouebantur. Rem hanc infrà multis ostēdo, & inter se collatis canonibus apertissime demonstro, modo satis fuerit attulisse Canonem 10. eiusdem Ancyrani Concilij inter Græcos habiti, ex quo, *Canon. Quotquot* desumptus est. *Diaconi* (inquit) *quicumque, cum ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt dicentes, velle se habere vxores, nec posse se consentire, hi postea si ad nuptias venerint, à ministerio vel clero cessare debebunt, laicam tantū recipientes communionem.* Non ergo quia inualidè contraxissent post votum, ac bigami essent, excludebantur clero deputati cano. 19. Sed quia nubentes validè, & post votum remouebantur à sacris in pœnam contracti matrimonij. Bigami itaque non erant, vt clamat Innocentius III. non semel. At Innocentius I. in loco cit. vt excludat monachum antea vxoratum contrahentem post votum, non aliam rationem assignat, nisi ex vera bigamia desumptam (*quia nec benedicit cum sponsa potest iam ante corruptus*) quæ vera bigamiæ periphrasis quædam est. Igitur illud monachi ante baptismum vxorati, & post votum contrahentis validum erat.

7 Quod si rursus quis dicat bigamum dici, bigamia non similitudinaria, sed interpretatiua, ad quam satis est, si alterum matrimonium inualidum sit, alterū validum, & ita illum monachum censeri bigamum, quia ante baptismum validè, post baptismū verò inualidè contraxit; is impugnatur facile, quia neque clericus, qui inualidè contraheret nunc post votum, quamuis ante clericatum validè duxisset vxorem, bigamus est, quamuis repellatur à ministerio in delicti pœnam, sicut excluditur bigamus, iuxta decisionem Innocentij III. *cap. à nobis de bigamis*, in simili enim casu inquit, *Profecto bigamus non existit, dispensare autem cum illo tanquam cum marito vidua non licet, non propter defectum Sacramenti, sed affectum intentionis cum opere subsecuto.* Vbi illud *tanquam* non rationem similitudinis notat. At Innocentius I. veram bigamiam illi monacho post votum nubenti obstare dicit. Validum ergo secundum matrimonium, id enim exigit bigamiæ ratio.

Idem ostenditur testimonijs Augustini.

CAPVT XVI.

SVMMARIVM.

Testimonium Augustini proponitur & expenditur, n. 1.
Prima solutio Erasmi reijcitur, n. 2.
Secunda solutio Ferdinandi de Mendoça reijcitur, n. 3.
Eius argumentis respondetur, n. 4.
Tertia aliorum solutio reijcitur, n. 5.
Vltima Bellarmini reprobatur, n. 6.

1 TERTIO loco profero Augustinum, qui aperte in hac videtur esse sententia. Ita enim distincte in libro *de bono viduitatis* asserit post vota religiosorum valere coniugia, vt non parū mirer tam apertis testimonijs nonnullos tenebras offundere conatos esse. Inquit ergo capite 9. *Damnantur tales post votum scilicet nubentes, non quia talium nuptiæ damnandæ iudicantur nec quia coniugalem fidē posterius inierunt. Quod vt breuiter insinuaret Apostolus, noluit eas dicere habere damnationem, quæ post amplioris propositi sanctitatem nubunt; non quia nō damnentur, sed ne in eis nuptiæ damnentur.* Sed

apertius & distinctius cap. 10. *Proinde qui dicunt, talium nuptias non esse nuptias, sed potius adulteria, non mihi videntur satis acutè, ac diligenter considerare quid dicant. Fallit eos quippe similitudo veritatis. Quia enim Christi coniugium dicuntur eligere, quæ Christiana sanctitate non nubunt; hinc ita argumentantur. Si quæ viro suo viuo, alteri nubit, adultera est, viuo ergo Christo, cui mors vltra non dominatur, quæ coniugium etiam elegerat, si homini nubit, adultera est. Qui hoc dicunt acutè quidem mouentur, sed parum attendunt hanc argumentationem quanta rerum sequatur absurditas.* Quam in sequentibus latè prosequitur Augustinus. Et cap. 11. *Quapropter non possum quidem dicere à proposito meliore lapsas, si nupserint, fœminas, adulteria esse non coniugia: sed plane non dubitauerim dicere lapsus, & ruinas à castitate Sanctiore, quæ Deo vouetur, adulterijs esse peiores.* Hactenus Augustinus. In quibus apertissimè eorum opinionem, qui huiusmodi nuptias nullas, atque adeo dirimendas existimabant, inconsideratam esse pronuntiat, & sumptam à Christi immortalis viri coniugio similitudinem, à præcedentibus nonnullis Patribus vsurpatam, nihilominus fallacem esse, & non vno pede claudicare; & denique eiusmodi nuptias, quamuis illicitè & sacrilegè contrahantur ratione voti præcedentis, & ob huiusmodi sacrilegium peiores sint adulterijs; attamen nequaquam censendas esse adulteria, sed veras & legitimas nuptias. Merito quidem affirmauit Claudius Spencæus lib. 5. de continentia cap. 2. Augustinum in hac re facilius negari, quam solui; neque enim eius apertissima verba aliò detorqueri possunt. Sed explicationes & solutiones, quæ à nonnullis adhiberi solent, percurramus.

2 In primis nonnulli istum librum Augustini non esse liberius affirmarunt, sed Iuliani cuiusdam Pelagij hæretici sectatoris. Sic Hosius Cardinalis non minus eruditione & pietate, quam dignitate illustris, in illa sua docta Catholicæ fidei professione cap. 56. de Matrimonij impedimentis. Fuit etiam in eadem sententia Erasmus. Sed huius audacem impudentiam mirum non est tentasse omnia, & suis sedibus dimouere conatam esse. Et adhuc istius hæreticorum nutritij seminis apices nostri venerantur. Res digna, quam Christiani homines luctu prosequantur. Cæterum contra Erasmi iudicium militant veterum omniũ testimonia, quæ librum istum, vt Augustinianum fœtum agnoscunt; quæ quamuis deessent, satis esset Possidius, qui in indiculo operũ Augustini, *inter Epistolas* (inquit) *Iulianæ de sancta viduitate.*

3 Secundò nouam aliam inijt viam Ferdinandus de Mendoça lib. 2. de conf. Concilio Illiberritano cap. 20. Augustinũ non agere de matrimonijs earum fœminarum, quæ contrahunt post votum simplex, aut solẽne, sed de secundis nuptijs, quas nonnulli parum considerate damnarunt. Sed hæc solutio adeò apertè pugnat cum his, quæ ex Augustino retulimus, vt fere refutatione non egeat. Omitto Doctores omnes hæc Augustini testimonia examinantes in opposita esse sententia, & vno ore Augustinum de nuptijs post votum celebratis agere, asseuerare: in testimonio ex cap. 9. id apertè cognoscitur, cum inducat testimonium Apostoli 1. Timoth. 5. in quo de viduis post votum ad nuptias transeuntibus sermonem esse constat ex multis Conciliorum 1. p. variar. disput. quæst. 3. Scholastica cap. 8. & etiam cap. præcedenti adductis Canonibus. Inquit etiã Paulum, cum dixit eas fœminas damnationem habere, abstinuisse à nuptiarum verbo, ne illas damnasse videretur, aliàs bonas & validas, sed violationem sancti propositi, hoc est, voti damnasse. Adde etiam, si ibi de viduis non obstrictis voto sermo est, quomodo inquit eas ad nuptias transeuntes damnationem habere? Quãuis itaque in alijs eiusdem libri secundas nuptias licere affirmet, & stabiliat; attamen in eo testimonio ex cap. 9. de nuptijs post votum manifestissimè differit. In eo etiam, quod adduximus ex cap. 10. notissimũ est. Si enim non ageret de transeuntibus ad secundas nuptias post votum, facile esset August. illi similitudini respondere, fœminas eiusmodi, dum secundò nubunt, non esse violatæ fidei reas, quia scilicet nihil spopõderant. Item non aliter dici potest virum elegisse Christum, cum illo inijsse coniugium, si secludas votum. Propositum enim tantum seruandi castitatem nõ est ad aliud, neque fides; quare neque electio noui coniugis Christi, & ex consequenti neque eius propositi violatio adulteriũ censetur, cum illo proposito Christum in virum non eligeris. Quare nomine sancti propositi Augustinus in eo capite non simplex propositum intelligit, sed votum emissum, in qua acceptione verbum istud frequenter apud Patres vsurpatur, vt ostendunt loco citato allati Canones. Denique, quomodo diceret Augustinus in eo cap. 11. Lapsus à castitate Sãctiore

ctiore per nuptias, quamuis adulteria iudicare non possit, sed legitimas nuptias, tamē esse peius crimen adulterio, nisi quia sacrilegium committitur in violatione voti: sacrilegium autem grauius peccatum adulterio esse docuit non semel Gelasius opusculo de Lupercalium superstitione abolenda. Eo autem violato separari contrahentes nō vtile iudicat Augustinus, aut dirimere, sed manere; voto scilicet relaxato ab Episcopis, penes quos tunc etiam ea potestas residebat, vt suprà non semel monui.

4 Sed videamus quid pro se afferat Ferdinandus de Mendoça quo suam explicationem confirmet. Primum ad Iulianam viduam scribere Augustinum quæ nullo tenebatur voto. Sed, vt hoc ita esse demus, quid inde? An quia viduitatis propositum commendare cæpit, non potuit ad alia coniuncta gradum facere? Deinde quod libro 1. de adulterinis coniugijs cap. 24. & lib. 2. cap. 12. eiusmodi matrimonia post votum vocat adulteria, & etiam propter conuersionē alicuius infidelis, si sub conditione celebrādi matrimonij conuerteretur, non esse celebranda? Rectè quidem, nec ab his quæ diximus dissentit. Adulteria vocat, imo & adulterijs peiora, vt vidimus, nō quia vera adulteria sint, aut nuptiæ inualidæ; sed quia sacrilegio implicantur ratione emissi voti; quod peccatum, cum in huiusmodi contractione matrimonij committatur, optimè docuit Augustinus nequaquam violandū esse votum, vt aliquis infidelis conuertatur ad fidem. Aliud autem est illicitam esse violationem voti, atque sacrilegas nuptias, quod affirmat Augustinus, & Catholicis indubitatum est; aliud esse inualidas, quod nos negamus cum Augustino.

5 Tertiò dicunt alij Augustini verba intelligenda esse de voto simplici; nuptias autem post huiusmodi votum validas esse, nō verò agere Augustinum de voto solemni. Ego quidem Augustinum loqui de nuptijs post votum simplex non dubito, imo id tota illa disputatione contendo, votum castitatis in religione priscis illis temporibus fuisse votum simplex, non vero solemne. Addet quis loqui de voto castitatis extra religionem emisso, non vero de castitatis religiosorum voto. Sed ego existimo de omni voto loquutum. Quod ostendo primùm, quia vniuersè Augustinus nulla exceptione, aut distinctione facta loquutus est; mirū autem non distinxisse, si inter votum castitatis in religione, aut extra illis temporibus, quoad hoc esset vlla distinctio. Adde etiam nullibi in eius scriptis aliquid reperiri, quo sententiam hanc de firmitate nuptiarū post votum limiter, explicet, aut reuocet. Quare de nuptijs post quodvis votum sine dubio intelligitur Augustinus. Deinde nonnulli Patres, inter quos sunt Basilius, & alij, quos retuli in ea disputatione cap. 8. & cap. 14. similitudine illa petita ex coniugio carnali frequenter vtebātur, agentes de religiosarū & consecrataram coniugijs; quam tamen similitudinem longè à veritate abesse docet. Agit ergò de nuptijs etiam religiosorum, aliàs extra rem loqueretur, nec in refutando scopum attingeret Augustinus. Adde etiam eundem Augustinū lib. de sancta virginitate, cap. 34. hæc habere. *Quas à nubendo aperti dedecoris timor, non propositi præclari amor reuocat, quæ nubere volunt, sed ideo non nubunt, quia impunè non possunt, melius nubere, quam vrerentur, ideſt, quàm occulta flammæ concupiscentiæ in ipsa concupiscentia vastarentur; quas pœnitet professionis, & piget confessionis.* Quibus verbis apertissimè docet virginibus, quæ præclaram castitatem vouerunt (explicat enim testimonium Apostoli 1. Timoth. 5.) etiam post votum melius illis esse nūbere quàm vri, quamuis si non nuberent, & aliàs libidinem non vincant, aut habendas esse pro mortuis iuxta Apostolum, *In deliciis viuens mortua est.* Augustinus autem ibi consonus in libro de bono viduitatis huius etiā de sancta virginitate meminit, quasi eandem doctrinam contineret. Locum verò illum Augustini ex libro de sancta virginitate, de religiosarum fœminarum coniugijs post vota accipi debere, manifestum facit Bernardus, qui in lib. de præcepto & dispensatione versus finem, ita inquit: *Item postulatis absolui vobis, cur vel S. Augustinus coniugij legi votum quodammodo subijciat continētiæ, ita vt in libro de virginitate (alij viduitate) asserere videatur, nec cœlibis quidem vitæ propositum posse præscribere coniugali, quominus indissolubile maneat, etiam quod à continentibus fallente diabolo fracto sanctitatis voto initum fuerit matrimonium.* Ecce dubitationem Bernardo propositam de validitate matrimonij post emissum votum, quam eo libro asseuerare videtur Augustinus. Vide quid respondeat Bernardus. *Et ad hæc nihil ad præsens certius, breuiusque respondendum occurrit, nisi quod ita sancti antistites sapuerunt, recte ne ipsi viderint. Nam ego in sensibus, atribusque Illustrium Patrum cautus profectò sum omnino non aliud æstimare, quā quod B. Apostolo testi,*

quæ-

quæritur iam inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Certus sum enim, siue in suo abundauerint sensu, siue in Dei spiritu, sicut & in cæteris, ita & in his ambos extitisse fideles, illum in dispensando, quod præmanibus erat, istum in scribendo quod senserat. Hactenus Bernardus. Quod si Augustinus de voto castitatis extra religionem emisso tantummodo verba fecisset, & non de matrimonio post quodcũque in vniuersum votum, facillimum esset Bernardo dicere, illum loquutum de indissolubili matrimonij vinculo post votum simplex, non verò post votum in religione. Neque enim cogitare possumus ignorasse Bernardum matrimonium post votum simplex extra religionem emissum validum & indissolubile esse. Supponit ergo Bernardus Augustinum de matrimonio etiam post religiosorum castitatis votum agere; quorum tamen matrimoniorum nullitas iam inualuerat tempore Bernardi, cum Anno 1150. vita functus fuerit.

6 Denique Bellarminus lib. de Monachis cap. 34. affirmat dici posse Augustinum in hac esse sententia de validitate matrimonij post emissa religiosorum vota, tamen ignorasse legem Ecclesiasticam irritantẽ eiusmodi coniugia. Potius certè dicere debuisset Augustini ætate huiusmodi legem non extitisse, quam Augustinum duarum maximarum religionum in Latina Ecclesia erectorem istam legem latuisse.

Idem ostenditur testimonijs Hieronymi, Epiphanij, Gregorij, Bernardi: & etiam ratione.

CAPVT XVII.

SVMMARIVM.

Probatur ex Hieronymo, n. 1.
Et ex Epiphanio, n. 2.
Illustrantur ex Epistola Bachiarij, n. 3.
Et ex Gregorio Magno in causa Venantij, num. 4. 5. 6. 7.
Et ex Bernardo, n. 8.
Et ratione, n. 9.

1 QVARTO probo testimonijs Hieronymi in Epistola ad Demetriadem illis verbis: *Quibus apertè dicendum est, vt aut nubant, si se non possunt continere, aut contineant, si nolunt nubere.* Et in Epist. ad Eustochium ibi, *Si qua simulat fugiens seruitutem huic apertè Apostolum lege; Melius est nubere, quam vri.* Erasmus in notis ad primum locum inquit Hieronymum illis tantum virginibus nuptias permittere, quæ nondum ab Episcopo velum accepissent. Sed indubiè velatæ fuerant Demetrias & Eustochium; earumque comites non sæculares virgines, sed sacras compellat, quarum ideo propositum sanctum, cœleste, & Angelicum vocat.

2 Quintò probo ex Epiphanio, qui contra Apostolicorum hæresim ita inquit: *Melius iudicium siue reprehensionem, quam condemnationem subire. Qui enim, vt ne apud homines confundantur, occultè scortantur, & subsolitudinis, aut incõtinẽtiæ specie libidinẽ exercẽt, habẽt apud eum, si non apud homines confusionem, qui nouit occulta, & omnem carnem prout quisque peccauerit, in aduentu suo redarguit. Melius itaque vnum habere peccatum, non plura: melius à cursu lapsum palam sibi vxorem sumere iuxta legem, à virginitate diu pœnitentiam agere, & sic rursus ad Ecclesiam induci, velut malè operatũ, & non quotidie multis iaculis sauciari, &c.* Planum autem est eo loco de monachis lapsis à voto continentiæ sermonem esse.

3 Et quò magis perspiciatur Epiphaniũ, Hieronymum alioſque eius temporis patres in hac, quam dicimus, fuisse sententia, sciri debet illis temporibus etiam alios sensisse talia coniugia non valere. Et præterquam id constat ex Augustino *cap. Nuptiarum bonum 27. quæst. 1.* & ostendi latè ea quæstione 3. Scholastica cap. 7. ostendo etiam manifestè ex Epistola Bachiarij ad Ianuarium, quæ extat tomo 1. Bibliothecæ Sãctorum Patrum (vixit is temporibus Augustini.) Eius autem epistolæ argumentum hoc est. Monachus Virginem Deo Sacratã adulterauerat, ab Ecclesia ejicitur, neque ad cõmunionem admittitur à Ianuario: suadebãt autem nonnulli monacho, vt culpam connubij fœdere celaret. Id reprehendit ea Epistola Bachiarius, dicens connubium interuenire non posse cum ea fœmina, cuius vir Christus viuebat in æternum. Hæc constant ex ijs, quæ subijcio eius Epistolæ columna 5. *Iam verò illud quale est, quod à quibusdam audiuimus dici, vt illa & ille qui criminis, peccatique consortes sunt, veluti in matrimonio coniugio iungãtur. Absit hoc à Christi oris eloquio, &c.* Et columna 11. *Tu tamen frater nequaquam scelerato acquiescas, impudicoque coniugio, cuius viam sustentare non poteris. Quinimo & illa, quam tibi fecit sceleris culpa consortem, reuer-*

reuertatur ad virũ suum. Et col. 13. inter alia: *Virgo non est, quia corrupta est: vidua non est, quia eius vir viuit in æternum. Vt quid ergo ei nuptias suadetis?* At si cum ijs conferas, quæ Augustinus habet in dicto *cap. Nuptiarum bonum*, planè intelliges quorum sententiã, verba, comparatione nque, vel argumenta refellat Augustinus, & simul colliges Hieronymum, Epiphanium, Augustinum, qui eadem inculcant, planè sensisse contra Bachiarium, atque adeo in eo constantes perstitisse, vt quamuis peccaminosè contraherentur ea coniugia, valerent tamen, posseque Episcopum relaxare voti obligationẽ, quo liberè vti matrimonio possent sine vllo impedimento, vt docuit Claudius Spẽcæus lib. 5. de continentia, cap. 1. dum explicat Cypriani testimonium. Comparationem autem illam, qua vtebantur de ea, quæ viuẽte sponso Christo, cui fidem dederat, semper adultera est, cuius etiam Innocẽtius meminit, refellit Augustinus in *cap. Nuptiarum bonum* 27. quæst. 1.

4 Sextò rem istam Gregorius etiã Magnus, quem mihi Bernardi testimonium in memoriam reduxit, planè docuit, id quod ex tribus Epistolis interse collatis meo iudicio non obscurè demonstrabo. Venantius quidam monachus fuerat, & monachismũ professus vota emiserat, institutum deserit, quorundam amicorum suasu, atque Consilio. Fit Italiæ Cancellarius, vxorem duxit, filias duas suscepit, & suas res ipsis testamento reliquit. Ergo vel ille à religione decedens cum expressa, vel tacita Abbatis licentia liber erat votorũ nexu; vel religiosi matrimonium valuit, quod modo intendimus. Quatuor ergo nobis probanda sunt, Venantium Monachum fuisse votis adstrictum. Deinde egressum è monasterio non velut Apostatam & fugitiuum, sed de consensu Prælati tacito vel expresso. Præterea votis relaxatis extra monasterium longo tempore vixisse vsque ad mortem. Vel denique, si vt apostata egressus est, & ligatus votis, matrimonium eius valuisse. His enim demonstratis planè quod dicimus euincemus. Et quidem vere fuisse Monachum, & non tantum habitum suscepisse, sed etiam emisisse vota, constat manifestè ex libro 1. epist. 33. Cum enim exhortaretur illum Sanctus Gregorius, vt rediret ad monachalem vitã proposito Diuino iudicio, exemplumque attulisset mortis subitæ Ananiæ, atque Saphiræ inquit: *Considera quanto periculo in diuino iudicio dignus eris, qui non nummos, sed temet ipsum Deo Omnipotenti, cui te sub monachali habitu deuoueras, subtraxisti.* Idemque crebra Gregorij ad eum adhortatio conuincit, & quæ habet lib. 9. Epist. 31. quæ postea referemus. Si enim nulla emisisset vota, sed habitum tantum induisset, frustrà tot apud illũ ageret adhortationibus Sanctus Gregorius: frustra exemplum Ananiæ, atque Saphiræ induxisset; cum tamen illud adducat veluti arguens à minori ad maius.

5 Præterea Venantium non egressum velut apostatam & fugitiuum, cõstat in primis ex Epist. 42. lib. 5. vbi cũ simultatis cuiusdam excitatæ causæ Episcopus nollet Venantij oblationes suscipere, neq; vt in eius domo sacra fierent permittere, resque ad Gregorium delata esset, iubet Pontifex vt oblationes Venantij sicut antea susciperet, & Missas in domo illius non solum celebrari permitteret, sed si vellet Venantius, etiã ipse Episcopus perageret, sua seruata charitate exequeretur. Ex quo planè fit Venantium non velut apostatam & fugitiuum in sæculo remanere, esset enim excommunicatus, apostata enim religionis etiam eo sæculo erat excommunicatus. Quo autem pacto ab excommunicato notorio oblata suscipi, & coram eo, in eiusque domo sacra fieri publicè non solùm permitteret Pontifex, sed etiam præciperet? Deinde nõ esse fugitiuũ, & apostatam conuincit, quod nullis in eum excommunicationibus latis actum est, vt ad monasterium rediret: cum tamen desertores instituti monastici anathemate constrictos, vt redirent, planum sit, vt constat ex Concilio Chalcedonensi actione 15. cap. 7. & multo antea Arelatensi 2. cap. 25. Idem decreuerat, & post Chalcedonense Concilium, Andegauense cap. 9. sub Leone I. & cõstat passim ex ipsius Gregorij Magni Epistolis, quoties de Apostatis monachis sermo est. Ad hæc persuadet etiam illum non fuisse verè apostatam, quod tam longo tempore in coniugio permanserit, nulla in eum ob coniugium initum prolata sententia; cũ tamen vt visum est 1. p. variar. disput. c. 8. & suprà cap. 14. in monachum nubentem licet valide lata excommunicatio fuerit. Adde etiam filiabus hæreditatem ex testamento diuisam, vt cõstat expressè ex Epist. 31. lib. 9. earumque filiarum ordinationem & Imperatori, & Pontifici commendatam, curasseque vtrumque, vt & res familiaris inter eas diuideretur, & earum consuleretur commodicati. Quæ omnia quo pacto Apostata & fugitiuus ita præstaret impunè & palam?

palã? aut quo pacto filiabus ex nefarijs & sacrilegis nuptijs illæsa seruaretur hereditas? Hæc ergo omnia indicãt filias illas, vt ex legitimo matrimonio susceptas hæreditatem paternam adijsse. Venãtium nequaquã excommunicationi subiectum, matrimoniũque nullo repugnante validum, atq; adeo non fuisse apostatam à religione. Ex quibus etiam planum videtur tertium. Scilicet, illius relaxata vota, vel tacito, vel expresso Prælati cõsensu. Alias enim quomodo ille Italiæ Cancellarius in oculis omnium publicè coniugatus ageret, de suis rebus liberè omnino disponens, nulla inflicta pœna, nulla etiam in illum prolata sententia?

6 Nec verò his quæ diximus obstat, quod in eis adhortationibus Gregorius iudicij diuini seueritatem proponat lib. 1. Epist. 33. & lib. 9. Epist. 31. Diuinam etiam misericordiam; ac iam in extremis constitutum hortetur, vt saltim eo tempore ad habitum dimissum redeat, ne ei tãtæ culpæ reatus in æterno iudicio obsistat. Ipse enim adhortationis modus, vt modo dicebam, planè indicat illum excommunicationi minimè subiacere. Quare reatũ appellat dimissionem habitus, non quod fuerit culpa lethalis, & apostasia; sed quia leuitas animi indicata, & turpe & probrosum viro clarissimo recedere ab instituto, & licentiam extorquere. Ob id enim quia retro aspexerat, de statu perfectiori semel incepto lapsus fuerat, se se iterum laqueis sæculi implicuerat, in periculo eius animæ salutem versari; optimè & verissimè proponit, quoad professionem iterum reuocaret. Qualia in Epistola Hieronymi ad Heliodorum multa, qui tamen sine peccato ad sæculum regressus fuerat. Et in Epistola 1. Bernardi, cum tamen Roberti factum culpa vacaret, & rediens ad Cluniacẽses non peccasset, vt liquet ex dictis supra cap. 5. Atque in hoc sensu accipiendus etiã Ioannes Diaconus in vita Sancti Gregorij lib. 3. cap. 48. cum Venantium apostatam appellet, ideſt, desertorem instituti ex leuitate animi, & importunè extorta exeundi facultate.

7 Ex his consequenti ratiocinatione vltimum colligitur, si enim illum vt apostatã impiè egressum, ac votis adstrictum remansisse dicas, cum videas quæ de eius matrimonio ex Epistolis Gregorij relata sunt, planè efficitur eius valuisse matrimoniũ post votum. Et quidem eo modo se rem habuisse videtur colligi ex Bernardo lib. de præcepto & dispensatione vbi cap. 21. inquit. *Item postulatis absolui vobis, cur vel Beatus Gregorius nescio quem Venantium habitum monachalem, quem pie susceperat, impieque reiecerat, non solum resumere non coegit, sed etiam omnem legitur indulsisse communionem apostatæ perduranti. Respondit autem se nihil aliud habere quod respondeat nisi Gregorium, sicut & Augustinum dum subijcit votum continentiæ matrimonio, in suo abundasse sensu, & vtrumque extitisse fidelem: Gregorium in dispensando quod præmanibus erat: Augustinum in scribendo quod sentiebat.*

8 Denique adhuc temporibus Bernardi, qui obijt Anno milleſimo quinquageſimo eandem extitisse litem, pluresque sensisse etiam post vota valere huiusmodi connubium, probo ex Epistola 76. Bernardus enim ab Abbate Pultarensi hac super re cõsulitur. Quidam monachus iam professus in stitutum deseruerat, nupserat. Quæritur à Diuo Bernardo quid faciendum? Ille autẽ, quamuis illicitam fateatur habitus dimissionem, matrimonij copulam, inquit tamen: *Non vobis videtur tutum etiam illam non consentientem dimittere, nisi prius Episcopalis auctoritatis accesserit, vel Consilium vel Imperiũ.* Addit tamen in fine Epistolæ posse Episcopum rectè iudicare, vt separentur. Constat ergo tempore Bernardi adhuc sub dubio esse, an valerent huiusmodi coniugia, & Bernardum tutius existimasse, ne proprio consensu separarentur post semel initum matrimonium. Sentit ergò valere, aliàs si adulterium, aut scortatio esset, non expectaret Bernardus iudicium Ecclesiasticũ. Nec dici potest illum, de quo erat sermo, nõ fuisse religiosum votis adstrictum. Si enim votis solutus esset, quæ posset suboriri dubitatio de validitate coniugij? Nec verò dici potest teneri illum voto castitatis, extra religionem tamen emisso; tum quia planum est sermonem esse de monacho; tum quia nequaquam diceret Bernardus, rectè fieri posset, vt separaretur vinculum; cum votum continentiæ extra religionem emissum nõ dirimat matrimonium ex antiqua certaque sententia, quam non est verosimile ignorasse Bernardum.

6 Superest ostendamus ratione, voto castitatis in religione emisso ex natura sua non reddi vouentem inhabilem ad matrimonium. Quia traditio, quæ fit per matrimonium coniugi, & per votum religioni sunt diuersæ rationis, atque adeo se mutuò non impediunt. Sicut cum quis iure seruitutis vni traditur, alteri vero in matrimonio.

Et ista

Et ista duo vincula non pugnare interse potest ostendi à posteriori, quia siquis post cõsummatum matrimonium ad religionẽ trãsit, manet vinculum matrimonij cum religionis vinculo, nec vnum altero eneruatur atque dissoluitur. Ergo neque votum castitatis in religione emissum impedit ex sui natura vinculum coniugij. Quam etiam rationem reddiderunt Gabriel Vazquez disput. 165. cap. 7. & Ferdinandus Rebellus lib. 3. quæst. 4. sectione 3. Azor tomo 1. lib. 12. cap. 6. quæst. 3. & alij. Relinquitur ergo traditionem, quæ eo tempore fiebat in religione, nõ reddidisse inhabiles ad matrimonia, atque adeo votis illorum religiosorum defuisse hanc solemnitatis partem.

Obijciuntur nonnulla ex Patribus & Concilijs, in quibus Monachi nubẽtes separari iubentur.

CAPVT XVIII.

SVMMARIVM.

Obiectiones contra doctrinam capitum præcedentium, n. 1.
Ex Basilio, num. 2.
Ex Concilio Aurelianensi, num. 3.
Turonensi, num. 4.
Matisconensi, num. 5.
Gregorio Magno, num. 6.
Tiburiensi, num. 7.
Et ex alijs Canonibus, num. 8.

1 SED forte accusabit nos aliquis, quasi omiserimus Patres, Pontificum, & Conciliorum decreta etiam antiqua, quæ sic contrahentes apertissimè separari iubent, & ad monasteria reduci, & in illis recludi, quibus satis manifestè indicant inualidum matrimonium fuisse, quandoquidem, etiamsi vergat in detrimentum alterius coniugis, ita separant. Quod tamen secus faceret, si reuera validè contraxissent. Propono decreta, quæ dixi, seruato temporis ordine, quo illa edita fuere.

2 Basilius magnus in Epist. ad Amphilochium Can. 6. *Canonicorum fornicatio pro matrimonio non reputetur, sed eorum coniunctio omnino diuellatur. Hoc enim & Ecclesiæ ad seueritatem est vtile, & non dabit hæreticis aduersus nos ansam, quod propter peccandi libertatem ad nos attrahamus.* Canonicorum autem nomine monachos & moniales intelligi interpretatur ibi Theodorus Balsamon, & constat ex phrasi familiari Basilio, cum animad uersiones scribit ad Canonicos, & Canonicas. Canone 18. cum de virginibus agit hæc scribit inter alia. *Videamus ergò quid à Paulo ad Timotheum scriptum est: viduas iuniores deuita. Quandiu enim in Christo deliciatæ fuerunt, volunt nubere habentes iudicium, quod primam fidem irritam fecerunt. Si vidua itaque grauissimo iudicio subiecta est, vt quæ fidem in Christũ irritam fecerit, quid de virgine putandum est, quæ est sponsa Christi, & sacrum vas Domino dedicatum? Magnum quidem est peccatum, ancillam quoque, quæ clandestinis matrimonijs tradit stupri domum implere, & professionem per malam vitam iniuria afficere. Sed multò est grauius sponsam fieri adulteram, & vnione cum spõso ignominia & dedecore affecta, se incompetentibus voluptatibus tradere. Vidua itaque vt corrupta ancilla condemnatur; virgo verò adulteræ iudicio subijcitur, sicut eum qui cum aliena muliere cohabitat, adulterum nominamus, eum non prius ad communionem admittentes, quam à peccato cessauerit: ita videlicet & in eo qui virginem habet afficiemur, &c.* Et Can. 20. *virorum autem professiones non nouimus, præterquam si qui seipsos monachorũ ordini adiudicarint, qui tacitè videntur cœlibatum admittere. Sed in illis quoque aliud existimo præcedere oportere, vt ipsi interrogentur, & euidens ipsorum accipiatur professio, vt postquam se ad libidinosam, & voluptariam vitam conuerterint, eorum qui fornicantur, punitioni subijciantur.* Et lib. de vera virginitate pag. mihi 533. colũna 2. in principio. *Cum enim virginitatem Domino professæ sint, carnali post modum voluptate malè blanda delinitæ ac deuictæ stupri scelus honesto coniugij nomine obtegere cupiunt. Non ignorant huiusmodi, quamuis ignorantiam simulant, quæ spõsi dextram & fœdera præuaricata sit, eam nec illius vltra esse sponsam, quem nequitiæ dans manus de reliquit: nec eius vxorem per vllas leges dici posse, cui se deserto sponso libidine incitata coniunxit.* Eadem repetit Basilius eodem libro pag. mihi 534. col. 1. & 2. & pag. 535. columna 1. & in sermone de institutionibus Monach. col. 2. E quibus omnibus manifestum videtur Basilium idem sensisse de coniugijs post vota contractis, atque de ea quæ transit ad secundas nuptias viuente adhuc viro. At isthæc non cõiugia sed adulteria sunt, sine vllo robore & firmitate. Infirma igitur ex Basilij sententia monachorum & monialium suo tempore coniugia, & non solùm illicita atque sacrilega.

3 Aure-

3 Aurelianēſe 5. ſub Vigilio Anno 552. Canone 19. *Quæcumque puellæ ſeu propria voluntate monaſterium expetunt, ſeu à parentibus offeruntur annum in ipſa, qua intrauerint, veſte permaneant. In his vero monaſterijs vbi nō perpetuò tenentur incluſæ, triennium in ea, qua intrauerint veſte permaneant; & poſt modum ſecundum ſtatuta monaſterij ipſius, in loco, quo elegerint permanere, veſtimenta religionis accipiant. Quæ ſi deinceps ſana relinquentes loca propoſitū ſanctum ſæculi ambitione tranſcenderint, illæ, quæ domibus proprijs, tam puellæ, quam viduæ commutatis veſtibus conuertuntur, cum his, quibus coniugio copulantur, Eccleſiæ communione priuentur. Sane ſi culpam ſequeſtratione ſanauerint, ad communionis gratiam reuocētur.* Seque ſtrandas præcepit Aurelianenſis Synodus, ideſt, ſeparandas.

4 Turonenſe II. Anno Chriſti 570. ſub Ioanne III. Can. 16. *Si qui in monaſterio conuerſi ſunt, aut conuerti voluerint, nullatenus exinde habeant licentiam euagandi, nec (quod abſit) vnus eorum coniugem ducere, aut extranearum mulierum familiaritatem habere. Nam ſicut ſupradictum eſt, ſi vxorem duxerit, excommunicetur, & de vxoris malæ ſociatæ conſortio etiam iudicis auxilio ſeparetur, &c.* Quid clarius pro nullitate huiuſmodi matrimonij?

5 Matiſconenſe 2. ſub Pelagio II. Anno Chriſti 582. Canone 12. *De puellis vero quæ ſe Deo vouerint, & præclaræ decore ætatis ad terrenas nuptias tranſierint, id conſtituendum eſſe decreuimus, vt ſiqua puella voluntarie, aut parentibus ſuis rogantibus religionem profeſſa, aut benedictionem fuerit conſecuta, & poſtea ad coniugium & illecebras ſæculi, (quod potius ſtuprum eſt, quam coniugium iudicandum) tranſgredi præſumpſerit, vſque ad exitum cum ipſo, qui ſe huiuſmodi conſortio miſcuerit, communione priuetur. Quod ſi ſe pœnitentia ducti ſequeſtrauerint, quamdiu Epiſcopo loci illius viſum fuerit, à communionis gratia ſuſpendantur, ita tamen vt propter infirmitatem, aut ſubitaneum trāſitum vitæ communio illis (miſerationis intuitu) non negetur.* Aperta videntur Canonis verba, non coniugium ſed ſtuprum iudicat, & ſeparari iubet.

6 Gregorius Magnus eius nominis primus poſt Annū 590. lib. 1. ex Regeſto Epiſt. 40. ad Anthemiū in fine inquit. *Et quia aliquos monachorum vſque ad tantum nefas proſiliſſe cognouimus, vt vxores publicè ſortiantur, eos omni habita vigilantia requiras, & inuentos digna correctione in monaſterijs Abbatum, quorum monachi fuerint tranſmittas.* Et Conciliū Barcinonenſe Anno Chriſti 599. Sub Gregorio I. Canone 4. *Pari etiam conſideratione ſancientes, vt ſi qua virgo propria volūtate abiecta laicali veſte deuotarum more induta, caſtitatem ſeruare promiſerit; vel ſiqui hominē vtriuſque ſexus pœnitentiæ benedictionem expetendo à Sacerdote perceperint, & ad terrena connubia ſponte tranſierint, aut violenter abſtractæ fœminæ pudicitiæ violatore ſe ſequeſtrare noluerint, vtrique ab Eccleſiarum liminibus expulſi, ita ab hominum Catholicorum communione ſint ſeparati, vt nulla prorſus eis vel colloquijs conſolatio ſit relicta.* Concilium Toletanum 4. ſub Honorio I. Anno 633. Can. 52. *Nonnulli Monachorum egrediētes à monaſterio non ſolum ad ſæculum reuertuntur, ſed etiam vxores accipiūt. Hi igitur reuocati in eodem monaſterio, à quo exierant, pœnitentiæ deputentur, ibique defleant crimina ſua vnde deceſſerunt.* Romanum ſub Zacharia Anno Chriſti 743. Can. 5. *Vt preſbyteram, Diaconam, nonnam, aut monacham, vel etiam ſpiritualem commatrem, nullus ſibi præſumat nefario coniugio copulare. Nam qui huiuſmodi opus perpetrauerit, ſciat ſe anathematis vinculo obligatum eſſe, & Dei iudicio condemnatum, atque à Sacro Corpore & Sanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti alienū. Statuentes Apoſtolica cenſura, vt quicumque Sacerdotum eos communicare præſumpſerit, eorum conſortio condemnatus, Sacerdotij ſui honore priuetur; Si autem ſic qui cōiuncti ſunt admoniti declinauerint, & ab alterutrum fuerint diuiſi, pœnitentiæ ſubmittantur, vt ſacerdos loci prouiderit.*

7 Denique adduci poteſt Triburienſe Concilium Anno Chriſti 895. ſub Formoſo Papa Can. 23. vbi de his qui ſacro velamine conſecratam in coniugium ducunt, poſt quam retulit decreta Gelaſij, Siricij & Chalcedonēſis Cōcilij hæc diſponit. *Vnde verbo Domini, & canonum authoritate in hac Sancta Synodo præcipimus, vt omninò ſeparentur, & ita ſacramento conligentur, vlterius ſub vno non cohabitare tecto, nec familiari frui colloquio, excepto in Eccleſia & in publico, aut pariter vllam habere communionem, vnde ſuſpicio illecebroſi deſiderij, aut ſcandalum libidinoſi facti iuſtè poſſit ſuboriri, ſi qua etiam interſe diuidenda ſunt, diuidant, & vterque ſua prouideat.* Retuli ſigillatim hæc omnia, quò maiorem vim addamus obiectioni, & vt verbis canonum diſtinctè perceptis, magis conſtet nos illis plenè ſatisfacere. Ita autem huic difficultati reſpondebo, vt quidquid dixerim, confirmē Conciliorum decretis.

8 His etiam adiungi poſſunt non pauci antiqui Canones ante Innocentium II. qui habentur in iure *cap. Hi ergo cap. Peruenit ad nos*

annos c. siquis sacro. c. si castos religiosi habitus, cap. si homo esses, cap. siqua monacharum, cap. siquis rapuerit, cap. omnes fœminæ, cap. & quia 27. q. 1. Quibus Canonibus nubentes post vota monastica separantur, & ad monasteria reuocantur. Signum ergò est ante Innocentium II. nulla fuisse eiusmodi matrimonia post votum.

Assignantur duæ solutiones ad prædicta testimonia.

CAPVT XIX.

SVMMARIVM.

Prima solutio, num. 1,
Secunda solutio intelligendos eos Patres de separatione quoad torum & habitationem, n. 2.

1 VErùm ad hæc omnia, quæ ex Patribus & Cõcilijs obiecta sunt, duobus modis respondeti potest. Primo forsan illis temporibus Patres aliquos in suis Ecclesijs, & diœcesibus cæpisse irrita re eiusmodi cõiugia cũ penes Episcopos esset potestas constituẽdi impedimẽta vt dixi lib. 6. c. 1. Atq; in his forsan fuisse Basilium; Augustinũ autẽ & alios patres nõ adhæsisse illorum sententiæ, imo neque id ab vniuersali Ecclesia obseruatum fuisse, vsque ad ea tempora quæ diximus. Quo pacto possent etiam in speciem pugnantia aliquorũ Conciliorum verba componi. Atque hoc sensu accipio Chrysostomum ad Theodorũ Monachum lapsum, cum inquit: *Bonum quidem nuptias & ipse confitcor: honorabiles, inquit, nuptiæ, & cubile immaculatũ: fornicatores autẽ & adulteros iudicat Deus. Sed te iam seruare non cõuenit priuilegia nuptiarum. Angelorum enim societate semel iunctam illud vel inquere, & vxoris laqueis implicari adulterij crimen incurrere est. Quamuis frequenter hoc ipsum nuptias voces, ego tamen & adulterio illud tanto peius affirmo, quanto maior ac melior mortalibus Angelus. Neque vllus tibi ferte persuaserit dicens, nihil de non accipienda vxore Dominus præcepit. Nec me ignorare confiteor, quod adulterium interdixit, non nuptias vetuit. Verum in te adulterij nomen accipiet, si volueris vnquam, quod absit, nuptias cogitare. Et quid mirũ si nuptiæ tales, quibus offenditur Dominus, adulterio cõparãtur? Mainslongè audies: homicida iustorũ laude donatur, & misericors plusquã homicida punitur: quoniã hoc vetante fit Domino, illud volente. Et Phinees quidem ad iustitiam reputatũ est, quod impudicũ cũ turpi fœmina virũ vno gladio percussisset. Saulẽ autẽ, Samuel Sanctus Dei in luctibus, lachrymis, precibusque pernoctans, dẽnatione, cui illũ addixerat Deus, liberare non potuit. Quomodo hostiũ ducẽ, quẽ debuerat trucidare, inuito parcendũ credidit Deo; cum hæc ita sint stupere desiste, si nuptiæ peiores adulterio iudicantur, quoties Christus offenditur. Atque vt illud repetã, quod in principio posui Epistolæ, si militiæ vincula non tenerent, quis tibi defectionis nomẽ obijceret? Nãc autẽ nihil in te penitus tui iuris est, quippe qui tanto Imperatori militare cæpisti. Nã si mulier proprij corporis non habet potestatẽ, sed vir, multo magis hi qui Christo potius quã sibi viuunt cõditionẽ corporis sui habere non possunt, iste qui nunc, Theodore, contemnitur, ipse tunc sine dubio iudicabit.* Hactenus Chrysostomus.

2 Secũdò vno verbo respõdetur tã Basiliũ, quã Gregoriũ & Cõcilia explicari, scilicet, loqui de separatione quoad torũ, nõ verò de separatione quoad vinculũ. Vinculi nãque nullitatẽ nullus eorũ insinuat; iubebãtur itaq; separari, & ad monasteria reuocari, non tamẽ dirimebatur matrimonij vinculũ validè contractũ, quãuis interueniente sacrilegio. Iustissimè autẽ id disposuere Patres, atque Cõcilia aliqua, vt hac ratione petulãtiæ monachorũ, & lasciuiæ fœminarũ occurrerent, quæ ne manerent partim sine viro, partim ad ineundũ cùm alio inhabiles, ob matrimoniũ initũ cũ monacho, sacrilegũ quidẽ, firmũ tamen, matrimonia cũ sacratis hominibus, & fœminis recusarẽt. Afficiebãtur autẽ, si contraherẽt, iustissima pœna, quia cũ monachis scienter matrimonia celebrauerant. Itaq; manebat simul verumque vinculũ illis ad monasteria reuocatis. Sicut & nunc ex Põtificis dispositione fieri proculdubio posset, vt si religiosus post professionẽ contraheret matrimoniũ, illud ratũ maneret quoad vinculũ, fieret vero separatio tori, ita vt ipse maneret in claustro sub præpositi iurisdictione; iustè illa pœna fœminæ irrogata, quod cũ illa sciẽter cõtraxerat. Atq; hunc sensum optimè conuenire testimonijs Basilij ex eo mihi persuadeo, quia Can. 6. cit. eã separationẽ Ecclesiæ vtilẽ dicit: nõ verò appellat necessariã. Tũ etiã quia cum varias ibi rationes assignaret, ob quas vtilis esset huiusmodi separatio, mirũ est nũquã occurrisse Basilio primã, optimã & adequatã rationẽ, scilicet, inualiditatẽ matrimonij, si eo tẽpore monachorũ coniugia erãt inualida post emissa vota. Quare forsi cationẽ appellauit Basilius, quia vsus illius

matrimonij post emissum votum, peccatum erat. Adulterium autē vocat planè metaphorice, nō in rigore sermonis, & quia permanēte obligatione voti Deo facti, non plenè trāsibat fœminæ corpus in potestatem viri, quādoquidē & illicitus vsus, vtpote in quo interueniret voti violatio; ideo vtitur cōparatione desumpta ab ea, quæ viuēte viro alteri nubit, nō quidē vt eandē vtriusq; rationē esse quoad vinculū affirmaret, quod in casu matrimonij post vota firmū, post priora vero cōnubia inualidū est: sed quoad corporis vsum, qui in vtroq; casu nō est sine peccato. Vnde meritò separari iubētur, quia in eo quod maneat simul vinculū religionis, & cōiugij nullū peccatū est, nec repugnantia, vt dicemus inferius, in vsu vero culpa cōmittitur. Meritò etiā cōmunione priuantur, donec separētur inuicem, & nullatenus ante separationē admittūtur ad pœnitētiā, quia manent in actuali peccato, & eius occasione, dū votū non rescinditur. Addendū etiā est, quāuis ex mea sententia, quā trado infrà possit esse verū & validū coniugiū in ordine ad castè viuendū, sine vllo prorsus ordine ad maritales actus, qui primis illis tēporibus sic cōtraheret, peccaret quidē, nō solū si eius religiosi operæ repugnarent cū his, quas ex vi voti debet religioni, cui se per vota addixit: sed quia Concilia & Pōtifices absolutè religiosorū matrimonia dānarūt, & prohibuerūt, quāuis interdū matrimonia in ordine ad vacandū rei vxoriæ condēnent, vt planissimè constat ex iam dictis. Nō tamē peccatū illud esset sacrilegiū, neq; enim videtur interuenire voti violatio castitatis, cū nullus omnino ordo sit in eo coniugio ad concubitū, nec alios actus, qui maritis licent. Peccaret ergo cōtra eā virtutē, quæ religiosi affectū erga sæcularia moderatur, & quæ suis rebus attendere, & intētē vigilare præcipit, si tamē illa vnica tantū est. Forsan autē nō incongruè dicemus prohibitū etiā matrimoniū ad castè viuendū sacratis fœminis Can. 19. Ancyrani sub Syluestro I. vbi hæc habētur: *Quotquot virginitatē pollicitā præuaricati sunt, professione cōtēpta inter bigamos haberi debebunt. Virgines autem puellas, quæ tanquā sorores cū nōnullis viris habitare volūt, ab eorū consortio prohibemus.* Canonis eius series etiam de virginibus sacris agi indicare videtur. Illis autē (*habitare vt sorores*) matrimoniū ad castè viuendū significari docui q. 5. Scholastica & dicā infra isto libro. Similiter nunc, etiāsi matrimoniū religiosi contrahatur ad castè viuendum, sine vllo prorsus ordine ad copulam, quale fuit matrimoniū Ioseph cū Beata Virgine, peccatum sine dubio est, nullūque omnino connubium, quia ad ineunda matrimonia quouis modo religiosi inhabiles effecti sunt.

Eadem solutio comprobatur ex matrimonijs earum fœminarum, quæ sua sponte sibi velum imponebant.

CAPVT XX.

SVMMARIVM.

Eodem modo loqui Concilia cum agunt de matrimonio post votum continentiæ extra religionem, n. 1.
Olim extitisse aliquos, qui extra religionem gestarent habitum religiosum, n. 2.
Reuocatos ad certam religionem, ibidem.
Non fuisse verè religiosos probatur, n. 3.
Efficacius, num. 4.
Matrimonia istorum eodē tenore prohibita, n. 5.
Cur ad religionem reuocati, si religiosi verè non erant, n. 6. 7.

1 SED age, vt perspiciatur plenè legitimā nos, atq; genuinam Canonibus adductis assignare solutionem, sermonem inquam esse tantum de separatione quoad torum, non verò quoad vinculum, ostendamus eodem modo loqui Pontifices, & Cōcilia, cum de earum voto agūt, quæ extra religionem eo tempore continētiam vouebant. Si enim idē statuunt, atque præcipiunt de matrimonio contracto, tàm post in religione votū castitatis conceptū, quā extra, argumentum euidens est, non loqui Patres de separatione vinculi, cū nullus hactenus asseuerit contrahentē post votum simplex castitatis extra religionem, inualidè & infirmè contrahere, sed ratum manere ac firmum. Id igitur ostendemus hinc sumpto principio.

2 Præmittamus quidē prioribus sæculis, non tantū in Ecclesia extitisse religiosas fœminas, aut homines, qui certæ addicti religioni, & gestarent religiosum habitū, & publicā professionē emitterēt, cui subscriberēt benedicēte & consecrante sacerdote, & Episcopo, quā cōsecrationē nos docet Antiquissimus Ordo Romanus; sed etiā nō paucos fuisse, qui extra religionē, ideſt, nō certę alicui addicti religioni, gestarent religiosorum habitum, absque vlla tamen consecra-

secratione & benedictione Episcopi expressa & speciali. Hi postea Conciliorum decretis tam fœminæ quàm viri ad certã religionẽ reuocati, & illã profiteri coacti sunt. Cõstat ex Triburiensi, cuius Canonẽ referã statim, & ante statutum in Concilio, quod in Palatio Vernis sub Stephano Papa III. & Pipino Rege Frãcorum habitũ est Anno Christi 756. Can. 11. *De illis hominibus qui dicunt, quod se propter Deũ tõsuraſſem, & modo res eorũ vel pecunias habẽt & nec sub manu Episcopi sunt, nec in monasterio regulariter viuũt. Placuit vt in monasterio sint sub ordine regulari, aut sub manu Episcopi sub ordine Canonico. Etsi aliter fecerint, & correpti ab Episcopo suo se emendare noluerint, excõmunicentur, & de ancillis Dei eadẽ forma seruetur.* Hæc Canon. Id quod antea etiã statutũ reperio apud Hispanos in Concil. Tolet. 10. Can. 5. *Omnes fœminæ, quæ iã in præteritũ probãtur, religionis veste indutæ fuisse, nihil ad excusationẽ oppositionũ valeat quælibet obiectio, quãuis diuersis aut callidis adũbrare se velint fallaciæ argumentis, sed ad sacratissimas Sãctiones disciplina Sãctior teneat eas religatas atq; subnexas. Cõmoneantur sane sacerdotis auctoritate, vt sponte redeãt, quæ si redire noluerint, impulsu sacerdotis ad religionis habitũ reducãtur, & in monasterijs reductæ excõmunicationis sententia feriantur. Hic idem quoque ordo in illarũ cõdẽnatione manebit, quæ quamlibet à sacerdote vel ministro sanctimoniæ vestem non accepissent, ipsæ tamen aut indutæ sunt, aut illo indui habitu consenserunt, qui religionis esse cultus ab intuentibus videretur. Sicque coram Ecclesia vel sacerdote, aut etiam competentibus testibus quandoque indutæ visæ certis iudicijs, aut testimonijs approbantur. Omnes hæ tamẽ seu post transgressum resumentes iteratam conuersionem, sicut præmissum est, & pallio capita contegant, & conscriptam, roboratamque professionis faciant scripturam, per quam vlterius non sinantur relabi in prævaricationis audaciam, &c.* Idem de paruulis statuit Can. 6. sequenti.

3 Huiusmodi autem fœminæ proculdubio veræ & in rigore sicut aliæ religiosæ nõ erant, quãuis religionis habitum ipsæ gestarent, & compellerentur religiosè viuere, vt constabit ex dicendis. Quod quidem ostẽdi posset in primis. Quia sine consecratione, & benedictione sacerdotali religiosæ non erant, adeò religioni intrinseca eiusmodi benedictio & consecratio, quia, vt eã nobis tradit Ordo Romanus, erat quædã receptio ab eo, qui potestatẽ haberet recipiẽdi, scilicet, Episcopo, & in ea professio emittebatur, vel tacitè, expresso tantum castitatis voto, vt in aliquorũ religiosorũ professionibus hodie etiã fit; vel expressis etiã omnibus. Et quidẽ nullũ aliud argumentũ habemus in doctrina antiqua Ecclesiastica, quo virgines sacratas velatas Deo, deuotas, religiosas esse intelligamus, si sine Episcopi consecratione, & benedictione solemni, essent eo tempore aliquæ verè religiosæ. Quare non solũ opus erat, vt habitũ religiosum gestarent, sed vt ab Episcopo, cui tantũ hæc concessa Canone facultas, consecrarẽtur, & benedicerẽtur. Vnde merito Cõcil. Tolet. 4. Can. 56. Sanctimonialem definit, non tantũ, quæ religioso indutа sit habitu, sed etiam quæ sub eo apparuerit in cõspectu sacerdotis, quã phrasi iuxta antiquam Ecclesiæ consuetudinẽ, benedictionẽ, & cõsecrationẽ intelligo, quæ publicè fiebat ab Episcopo in Ecclesia, cũ aliqua se ad religionem àdmitti postulabat. Adde nullam omnino professionem religionis esse nisi sub iurisdictione Prælati, cui promittat religiosus obedientiam, cum obedientia sit adeò necessarium religionis votum, vt sine illa constare nullo modo possit.

4 Sed non est efficax probatio, satis enim erat tacitus consensus Episcopi, sicut de religionum approbatione dixi supra cãpit. 11. Probatur ergo: tũ quia Canone cit. Concilij Toletani 10. istæ fœminæ ad certum religionis monasterium reuocatæ iubẽtur professionem in scriptis facere, eamque sua subscriptione firmare. Deinde, qui credi potest eas verè & in rigore religiosas esse, non secus atque alias, quæ velum acceperant ab Episcopo, si reuera poterant dicere se sibi ipsis eo animo velum imposuisse, vt liceret deponere, vt constat ex Concilij Triburiensis Can. 25. quem adducam infra isto cap. Denique, quia adhuc in istis nõ reperiebatur vel tacitus consensus Episcopi. Decernitur enim, vt si gestassent habitum, vel coram sacerdote, aut Ecclesia, aut competentibus testibus aut etiam corã ipsis parentibus, cõpellerentur ad nõ admittendũ, vt in Concil. Tolet, 10. Can, 5, & 6. Itaq; satis erat cõspectas esse istas fœminas in habitu religioso, vt retinere habitũ, & professionem emittere cogerentur, si probari posset illas habitũ aliquãdo gestasse. Ergo nõ requirebatur vel tacitus cõsensus Prælati: sine consensu autem Prælati saltẽ tacito non potest quis effici religiosus. Non ergò huiusmodi fœminæ erant religiosæ propriè & in rigore, sicut aliæ. Neque votum continentiæ

nentiæ illarum erat sicut aliarum votũ, perpetuum scilicet, neque eandẽ habebat vim, quamuis merito ad religionem reuocatæ decreto Cõcilij Toletani 10. & in Palatio Vernis, & Triburiensi.

5 At non pauci reperiuntur Canones, qui eodẽ modo loquantur de matrimonio post emissum ab istis fœminis extra religionem degentibus continentiæ votum, atq; de illarum coniugio, quæ religionem verè profitebantur, & consecratæ fuerant, eodẽque verborum tenore vtrisque connubia interdicunt. Igitur quoad id verè simplex erat vtrũque votum, atque adeo nequaquã dirimẽs cõtractũ matrimonij, simplex inquã quoad hũc effectũ, quãuis (quod iã supra semel monui) religiosorũ illorũ sæculorũ vota solẽnia quodãmodo dici possent, nõ quidem in eo sensu, quo nunc Scholastici solẽnia dicũt, sed quia certis statisque ceremonijs, sacrante & benedicẽte Episcopo, inter missarũ solẽnia, & ex lege non nisi in Epiphania Domini, Albis Paschalibus, & nata litijs Apostolorum concipiebantur. Idẽ autem de vtroque voto continentiæ, & eodẽ modo vtriq; interdicta coniugia liquet in primis ex Leone I. Epist. 92. cap. 14. & 15. quorũ iã supra mentionem fecimus, in quibus de sacratis & non sacratis agit, eodemque existimo respexisse Symmachũ Epist. 5. n. 4. & ex Concilio Parisiensi 3. cuius verba iã suprà recitauimus in 2. sui Canonis parte, quam de illis fœminis extra religionem sola habitus mutatione religionem ostendentibus, agere planum est; & ex Concilio Barcinonensi iam relato in principio Canonis, vt ostendũt illa verba, *Deuotarũ more induta*. Addo etiam Concilium Foroiulien se sub Adriano I. Anno 791. Canon. 11. *Item placuit de fœminis cuiuscumque conditionis, puellis, scilicet, vel viduis, quæ virginitatis siue continentiæ propositum spontaneè pollicentes Deo mancipatæ fuerint, & ob continentiæ signum nigram vestem, quasi religiosam, sicut antiquus mos fuit in his regionibus indutæ fuerint, licet non sint à sacerdote sacratæ, in hoc tamen proposito eas iugiter perseuerare mandamus. Si verò postea se se siue clanculo corruperint, seu publicè nupserint, dignis quidem mundano iudicio corporalibus coercitæ vindictis segregentur ab inuicem, & agant cunctis diebus vitæ suæ pœnitentiam, & à communione corporis & sanguinis Christi priuentur, nisi forte Pontifex rescita illarum pœnitentia, si digna fuerit, humanius præuidens poterit communionis gratiam indulgere. In extremo tamen vitæ suæ viatico humanius indulto non defraudemus. Et in his rebus præcipue illa modis omnibus custodiatur interdictio, vt nulli liceat prædictis personis habitum ideſt vestem mutare absque sui Episcopi conscientia.* Quæ Canonis verba nobis explicant, quod prius dixerat Parisiense Concilium, & planè docent, non esse verè religiosas illas fœminas. Adiungo denique Canonem 25. Triburiensis Concilij sub Formoso Papa, qui pro nobis adhuc apertius dimicabit. Inquit itaque. *Viduas autem velare Pontificum nullus attentet, prout constitutum est in decretis Papæ Gelasij, cap. 15. Quod nec auctoritas diuina, nec Canonum forma præstituit. Quæ si propria voluntate continentiam professa, vt in eiusdẽ Gelasij, c. 21. legitur, eius intentio pro se reddas rationẽ Deo. Quia sicut secundũ Apostolũ, si se continere non poterat, nullatenus nubere vetabatur, sic secũ habita deliberatione promissam fidẽ pudicitiæ Deo debet custodire. Qua auctoritate paternæ suffulti sententiæ in hoc sacro conuentu sancimus, & liberè iudicamus, quod si sponte velamẽ, quamuis non consecratum sibi imposuerit, & in Ecclesia inter velatas oblationẽ Deo obtulerit, velit nolit, Sanctimoniæ habitũ vlterius habere debebit, licet sacramẽto cõfirmare velit, eo tenore & ratione velamen sibi imponere, vt iterũ possit deponere.* Hæc Canon. Loqui autẽ Canonẽ hunc de viduis, quæ, quamuis religionis habitum gestarent, religiosæ in rigore non erant, sed voto continentiæ aut proposito emendationis vitæ tenebantur, apertum est ex decreto Gelasij, quod citat. Gelasium enim eo cap. 21. de his quæ continentiæ voto extra religionem tenebantur, agere facile constabit intuenti. Aut siquis Gelasium de verè religiosis viduis loqui existimet, validum nobis suppeditabit argumentum ad conuincendum continentiæ votum illo tempore in religione emissum, non habere vim irritandi matrimonia. Eius enim hæc sunt verba. *Nam de viduis sub nulla benedictione velandis, superius latè, sufficienterque diximus. Quæ si propria voluntate professam pristini coniugij castitatem mutabili mente calcauerint, periculi earum interierit, quali Deum debeant satisfactione placare, quia iuxta Apostolũ primam fidem irritam fecerunt. Sicut enim si se forsitã continere non poterant, secundum Apostolum nullatenus nubere vetabantur, sic habita secum deliberatione promissam Deo pudicitiæ fidem debent custodire. Nos autem talibus nullum laqueũ debemus inijcere, sed solum adhortationes præmijs empiterni, pœnasque proponere diuini iudicij, vt & nostra sit absoluta conscientia, & illarum pro se rationem Deo reddat intentio.* Canendum

dum est quippe de earũ moribus, actibusque Beatus Paulus Apostolus testatur, quod plenius exponere præterimus, ne sexus instabilis non tam deterreri, quam admoneri videatur. Hæc Gelasius. Eligat ergo aduersarius quodcumque voluerit, si de veris religiosis viduis, & voto continentiæ in religione Gelasium loqui malit, admittat etiam necesse est huiusmodi votũ non dirimere matrimonium, sed validè post illud contrahi, cum apertissima sint Gelasij verba, quibus, cum in principio dixisset se agere de viduis sub nulla benedictione velãdis, ideſt, non velatis ab Episcopo, & viduarũ cõsciẽtiæ derelinquit, si nubãt, & se nullũ laqueũ illis velle inijcere dicit, sed adhortationibus cũ illis agendũ, ac deniq; se Pauli locũ ex 1. ad Timoth. 5. nolle plenius discutere asserit, ne fœminarum fragilitas non tã deterreri à similibus ausis, quam admoneri, & incitari videatur. Quæ omnia ita apertè indicant validũ viduarum illarum matrimonium, vt nisi qui cæcus sit, nemo possit inficiari. Paulũ autẽ de viduis professis perpetuũ castitatis votum ex Cõcilio Carthaginensi, docuit etiã Conciliũ Senonẽse sub Clemẽte VII. Si vero eligat aduersarius Gelasium loqui de voto continentiæ extra religionẽ, admittet etiam illas cũ eiusmodi voto per Tribuniẽsem Canonẽ obligari, velint, nolint ad seruandã cõtinentiã omni coniugij spe illis præcisa, idq; se liberè iudicare affirmant, atq; adeo, non secus istis extra religionẽ castitatẽ vouentibus ad matrimoniũ intercluſum aditum, ac illis, quæ in religione promiserãt; & ex consequenti votũ castitatis illis sæculis per religiosos conceptum non magis infirmasse nuptias sequentes, quam votum continentiæ extra religionem, quod certissimum est nunquam infirmasse.

6 Quod si quis à me quærat. Si istæ fœminæ verè & in rigore religiosæ non erant, vt constat ex his quæ adduximus, quo pacto ad religionẽ reuocatæ sunt, nec permissum vestẽ religiosam deponere, sed in proposito perseuerare cõpulsæ sunt. Dico quidem id iustissimè institutũ ab Ecclesia, quæ voluit, vt illæ in semel electo sancto proposito perseuerarẽt. Adducã ex iure exemplum aliud valde simile, quo hæc, quæ de istis fœminis & eorũ matrimonijs diximus cõfirmãtur. Si aliquis Deo famulari volẽs in religionẽ ingrederetur, & habitũ, etiãsi nouitij esset, susciperet, animo tamen mutandi vitæ propositũ, recedere à monasterio non poterat, etiã ante professionẽ, dũmodo de ea voluntate cõstaret: eius beneficiũ si quod ante ingressum obtinebat, vacabat etiam: si egrediebatur, cõpellebatur rursum ad eandẽ religionẽ, vel saltẽ ad laxiorẽ redire; cẽsebatur enim renuntiasse probationis tẽpus; & ideo inter religiosos numerabatur. Cõstant hæc omnia ex Innocẽtio III. *in c. Cõsulti*, & Gregorio IX. *in c. statuimus de Regular.* & ex recẽtiori iure Alex. IIII. *in c. Non solũ*, & Bonifacij VIII. *in c. Beneficium de regular. in 6.*

7 At si à Doctoribus quæras, an iste, qui eo quod euidenter constaret illiũ vitam voluisse mutare, compellitur in religione manere, & si egressus est redire, sit verè religiosus, ita vt matrimoniũ eius non valeat, non secus ac si tacitè vel expressè professus esset. Respondet Cardinalis Zabarella in *d. cap. Consulti*, q. 4. nequaquam esse verè religiosum, & matrimonium eius valere. Et licet in *d. cap. Non solum*, æquiparetur tacitè professo in eo, quod nõ possit ad sæculũ reuerti, sed cõpellatur implere votũ, quod intelligitur emisisse; attamẽ non æquiparatur in alijs. Cardinalẽ sequutus est Panormit. in d. c. n. 3. vbi etiã sentit contra Innocentiũ, Hostiensem, Ioannem Andreã, & alios valere matrimoniũ. Probatque idem Panormit. ratione meo iudicio manifesta, quæ explicat Cardinalis rationem. Quia ille qui suscipit nouitiorũ habitũ cum proposito vitam mutandi, non est tacitè, neque expressè professus. Quia professio nõ potest esse sine consensu prælati, qui potest incorporare religioni, & eius qui conuertitur. Sed non est in hoc casu vtriusq; consensus: non prælati nec monasterij. Si enim tantũ habitũ nouitiorum concesit, non videtur admittere ad professionẽ, aliàs facilius esset habitum iam professorum concedere. Cũque in hac professione sit quasi quidã cõtractus donationis, vt dictũ est supra c. 5. ex quo oritur reciproca obligatio, nõ potest consistere ex parte vnius tantũ *l. non omnibus la 2. de actionib. & obligat.* Non ergò isti veri religiosi sunt, cũ eorũ professio non sit de superioris consensu. At nihilominus ad sæculũ redire non possunt, cõpelluntur q; in religione permanere. Pari ergo ratione fœminæ illæ, quæ sua spõte velũ sibi imposuerãt, aut etiã viri, qui sua voluntate se vestibus religionis induerãt, veri quidẽ religiosi nõ erãt, neque in rigore, vt ex dictis cõstat. Attamẽ quia videbãtur habere propositum vitam mutandi, & inter velatas etiam obtulerant, & cũ religiosis cõmunicauerãt, cõpellũtur habitũ religiosum retinere & si dimitterent, cõpellũ-

tur redire; & tamen de eorum matrimonijs & aliorum qui verè religiosi erant, idem statuit Ecclesia, & eodē modo separari iubet, cū illorum matrimonia absque dubio essent valida, sicut & istorū hominū, qui habitum nouitiorū assumpserant cū proposito vitam mutandi. Panormitanū sequitur Syluester verbo *religio* 3.q.19.qui & addit ex eo constare eiusmodi homines nō esse tacitè, neq; expressè professos, quod in *cap. Non solum & cap. Beneficium de Regular. in 6.* condistinguitur is à tacite vel expressè professo. Idē etiā sensere alij non pauci. Ergo ex dictis Canonibus non efficitur inualidū fuisse matrimonium verè religiosorum illis sæculis, licet separari iubeantur, cū quoad hoc eadē sint verba Canonum de matrimonijs earū fœminarū, quæ verè religiosæ non erāt, & quæ verè erant religiosæ, vt ex dictis constat.

Eadem solutio probatur ex matrimonijs earum, quæ initiatorum uxores fuerant.

CAPVT XXI.

SVMMARIVM.

Eadem solutio aliter probatur, n. 1.
Matrimonia relictarū ab initiatis valida fuisse, ibidem.
Nihilominus prohibita, & separatos, ibidem.
Explicatur, cap. presbyteris, n. 2.

1 SED quò magis adhuc constet eadē solutio, & *separandi* verbo nisi alia addantur nō colligi ex antiquis Canonibus dissolutionem vinculi coniugalis, aut nullum fuisse initum matrimoniū, adiū gamus alia meo iudicio manifesta. Si Episcopi, presbyteri, Diaconi, vel Subdiaconi, acolythi, vel exorcistæ relicta post eorū obitum nubebat alteri, matrimonium quidem validum erat. At quia illis interdictū matrimonium, separari iubentur. Ergò ex eo quod in nostro casu præcipiant Canones aliquot, vt separentur, tantum colligitur separatio tori, non vero inualiditas matrimonij. Illis omnibus, quas retuli prohibitū matrimoniū cōstabit ex Canonibus, quos adducā. Validū verò fuisse si nuberēt, cōstat ex Concil. Tolet. I. Anno Domini 40. Can. 15. *Si qua vidua Episcopi, presbyteri, aut Diaconi maritū acceperit, nullus Clericus, nulla religiosa cū ea conuiuiū sumat; nunquā cōmunicet: morienti tamen ei sacramentū subueniat.* E quibus planè colligitur valere, quāuis ob delictū à cōmunione secernatur religiosarū, & Ecclesiasticorū, & à communione Eucharistiæ nisi in mortis articulo. At istos separari iubent Canones, Aurelianense I. sub Symmacho Papa Anno 507. Can. 15. *Si se quæcūque mulier duplici coniugio presbyteri, vel diaconi relicta coniunxerit, aut castigati separētur, aut etiamsi in criminum intentione perseuerent, pari excommunicatione plectantur.* Id autem quod in hoc Canone dicitur de duplici cōiugio, non est intelligendum simul & viuēte presbytero, vel diacono; sed quasi diceret secundo coniugio cum presbyteri vxor extitisset. Epaunense eodem tempore Can. 32. *Relictæ presbyteri, siue diaconi; si cuicumque renupserint, eatenus ab Ecclesia elongentur, donec à coniunctione illicita separentur, maritum quoque eius simili vsque ad compunctionem seueritate plectendum.* Matisconense II. sub Pelagio II, Anno 583. c. 16. *Illud quoque rectum nobis visum est disponere, vt quæ vxor diaconi, vel acolythi, vel exorcistæ fuerit, mortuo illo, secundo se non audeat sociare marito. Quod si fecerit, separetur, & in cœnobijs puellarum Deo tradatur, & ibidem vsque ad exitum vitæ suæ pœniteat.* Sed extat etiam de eo decisio Romani Pontificis, scilicet, Gregorij Magni lib. 11. Epistolarum Epist. vltima vbi cum Faustinus defensor puniret Petrū, quod diaconi relictam marito tradidisset: Petrus verò contenderet non fuisse diacono iunctam. Respondit Pontifex hisce verbis: *Si in coniugio diaconi mulierem, de qua agitur, iunctam fuisse constiterit, supra scriptus lator memorato defensori, & rectori patrimonij ad vindictā modis omnibus tradatur, & cum competenti emendatione ij, qui malè sociati sunt, disiungantur.* Inquiro igitur vt huius argumenti vis magis elucescat, aut relictæ diaconi vel presbyteri erant votis adstrictæ, vel non. Si hoc secundū dicatur, validè contrahebant, vt cōstat ex Canone Toletani Concilij; & nihilominus separari iubentur. Ergo ea phrasis nō cōuincit nullū fuisse matrimoniū. Si primū, tū rursus inquiro, vel eorū votū erat in religione; & hoc non, quia ex nullis libris Ecclesiasticis cōuinci potest Episcopi, vel presbyteri, vel diaconi vxorem, cū illi ad ordines assumebā tur, religiosam vitā profiteri, quāuis cōtinē ter viuerēt. Et quāuis de vxoribus eorū qui in maioribus ordinibus constituebantur, id dici vtcūque posset; at in vxore acolythi, & exorcistæ affirmari non potest, cum nec illi ad abstinendum ab vxoribus cogerētur, quin potius presbyteri cū sua presbytera in

lecto

lecto dormientes inter lectores ministrare permittebantur ex Turonensi 2. Can. 20. Et tamen relicta exorcistæ & acolythi, si nuberet, separari iubebatur, vt visum est. Si verò tenebantur voto continentiæ extra religionem, vinco, quod volo, scilicet, cum etiam illæ separari iubeantur, eo verbo non iudicari inualidum matrimonium, sed separationem tori. Idem autem argumentum de Diaconissis fieri potest: illarum enim votũ, quã diu earum ordinatio perseuerauit in Ecclesia, extra religionẽ erat: imo & omnino inter laicos enumerãtur Can. 19. Nicæno vulgato, vt nonnulli volũt, de quo tamen infra cap. & tamẽ, si nuberent, separabãtur, vt indicari videtur in Chalcedonẽsi, actione 15. Can. 15. & cõstat expressè ex Aurelianẽsi 2. sub Syluerio Papa can. 17. Maneat ergo ea phrasi, vel separationis verbo, quo nõnulli Canones vsi sunt, non conuinci inualiditatem matrimonij religiosorum prioris sæculi, sed tantum separationem tori.

2 Atque hinc etiam petendus intellectus ad *cap. presbyteris 27. d.* quod est Vrbani II. vel Cælestini: dissiungi enim ea matrimonia iubentur quoad torum, monachis cõtrahentibus ad monasteria reuocatis iuxta sacrorum Canonum diffinitiones, nõ quæ iubeãt nulla esse huiusmodi cõiugia, sed quæ in pœnã delicti separari iubeant cohabitationẽ, & pœnitẽtiæ detrudi, seuereq; puniri; sicut & propter multa alia delicta separabantur, vt constat ex multis canonibus, quæ habentur 27. q. 2. & 32. q. 7. Idẽ etiã cõfirmari posset ex matrimonijs pœnitentiũ, quæquidem valebant, vt constat ex Cõcilio Barcinonensi, & Toletano 4. c. 55. & ex Leone I. Epist. 92. c. 12. & tamen, si matrimonium contraherent pœnitentiæ tempore, separabantur in pœnam violati præcepti; interdicta enim illis erant coniugia.

Colligitur religiones olim tantum constitisse votis simplicibus, & quo pacto votum dirimat matrimonium.

CAPVT XXII.

SVMMARIVM.

Religiones semper constitisse votis solemnibus communis opinio, n. 1.
Verius oppositum, n. 2.
Societatis Iesu instituti formam non esse nouam in Ecclesia, n. 3.
Votum solemne iure Ecclesiastico dirimere matrimonium, n. 4.

1 COmmunis hactenus veterũ Scholasticorum sententia fuit religionem omnem ad sui substantiam, atque naturam exigere tria illa substantialia vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ, eaque solemnia, vt vocarunt non ante multos annos Scholastici, neq; enim huius vocis in isto sensu vsus est apud Scriptores antiquos. Theologorum facile Princeps D. Thomas, vt colligitur ex his quæ docet 2. 2. q. 88. art. 1. & q. 184. art. 4. & q. 189. art. 2. ad primum planè & perspicuè docet ad religionem requiri obligationem triũ votorũ solẽni professione munitã & cõsecratã. Id quoque Innocentius, Hostiensis, Archidiaconus, Ioannes Andræas, Abbas, ac cæteri omnes Canonici iuris interpretes in Rubrica *de regularibus* testantur apertè. Ad quorũ sententiã accedũt Thomistæ Angelus, Syluester, Tabiensis, Armilla verbo. *Religio sine religiosus*: Quorum opinio ad nostrã vsque ætatẽ cõmuni sensu recepta inualuit apud omnes. Aiunt enim religiosum quempiam verè, & proprie non esse, nisi solẽni triũ votorum professione deuinctum. Nam in *cap. Religioso de sentent. excommun. in 6. §. quãuis*, apertè dicitur: *Quamuis is, qui religionem ingreditur, religiosus censeri cum effectu non possit, nisi sit tacitè vel expressè professus.* Innituntur autem, vt credo, omnes non alio maiori fundamento, quam quia religionũ statũ, eo, quo scribebant tempore votis solemnibus constare videbant. Hinc ortũ est, vt in voto simplici promissionẽ quãdã in esse, voto vero solẽni traditionẽ, & benedictionẽ tanquã eius essentialem rationem inesse existimarent, ac penes hoc ista duo votorum genera interse se distinguerent. Sed & ex literis Põtificijs Gregorij XIII. quibus laudabile institutum Societatis Iesu de nouo confirmauit, & vere religionis statũ esse, etiã quoad eã partẽ, quæ constat votis simplicibus post biennũ emissis, declarauit, desumi potest pro hac cõmuni sententia nõ cõtẽnendum argumentũ. Ita enim de hoc instituto loquitur, vt nunquam antea in Ecclesia fuisse hãc formam religionis status satis indicet. Nam Gregorius in Bulla, cuius initium. *Quanto fructuosius, &c.* postquã retulit illorum sententiam, qui per tria vota simplicia in prædicta Societate non constitui verè religiosum autumabãt inquit: *Nos cõsiderãtes diuinæ proui-*

prouidentiæ thesauros, pro temporum necessitate varia, & interse dissimilia eadēque salubria ordinum instituta, & nunc maximè (vt felicissimi toto orbe successus testātur) mirificos in agro Domini fructus, hoc peculiari dictæ societatis instituto proferri, &c. Vbi peculiare vocat societatis institutum, nō ita vocaturus, si iam olim præcessisset. Sed & apertiùs idem Gregorius in extrauaganti, *Ascendente Domino*, huic quod diximus fauere videtur. Postquā enim damnauit illarum propositionū asserores, deceptionis illorum rationē reddit, scilicet, quod statutum societatis ex statuto aliorum ordinum metiebantur: *Ex aliorū regularium ordinum communibus rationibus formis, ac statutis, metientes societatis institutum, peculiares constitutiones, ac naturam votorum simplicium penitus ignorantes*: Quibus indicari videtur Religionis statum votis simplicibus constantem, ante societatis institutionē & confirmationem nō visum esse in Ecclesia. Sed vrgeo magis alia eiusdem extrauagantis verba: *Statuimus, atque decernimus tria vota eiusmodi etsi simplicia, ex huius Sedis institutione, ac nostra etiam declaratione, & confirmatione esse verè substantialia Religionis vota, ac dicta societate tanquam in Religione approbata, per sedem eandem admissa fuisse, & esse, ac per nos admitti.* Ecce simplicia ita vota, quæ verè religiosum efficiant, id habere ex Sedis Apostolicæ institutione, non alia certe, quam qua Societatis institutum admissum est ab Apostolica Sede, & confirmatum. Si enim ab Apostolorum temporibus religionis status votis constitisset simplicibus vllo iam tempore in Ecclesia, nequaquam diceretur vota simplicia ex Apostolicæ Sedis institutione in Religione Societatis admissa. Denique non desunt multi, quibus tantum votis simplicibus Religionis statum constare non posse, sed præterea requiri, vt aliqui in ea congregatione solemniter professi reperiantur, adeò certum est, quam quod certissimum.

2 Sed si ea, quæ hactenus tā multis probauimus, vere statuta & probata sunt, facile est colligere; quid ipse de proposita quæstione sentiam, & probare. Mea ergo sentētia est Apostolorum ætate, & post Apostolorum tēpora annis cōpluribus, religionis statum tantum constitisse simplicibus votis. Itaque veteres illi religiosi primi, secundi, tertij, aut quarti sæculi, & Basilij, Augustini, & Benedicti monachi, qui vere & proprie religiosi erant, tantum emittebant tria illa vota simplicia non solemnia ea solēnitate, de qua nunc est sermo, introducta ab Ecclesia, quæ in illegitimitate consistit. Exigetis à me iure vestro aliquem huius sententiæ primum assertorem. Fateor primum omnium Christophorum à Castro e Societate Iesu & religione & literis ornatissimum apud Complutenses ante hos nouē annos, hanc viam aperuisse & ostendisse: postea inueniisse me illam leuissimè insinuatam apud Hieronymum Plati lib. 2. de bono statu religiosi cap. 21. Quam sententiam, quia mihi visa est ad veritatem accedere, & ad Gregorij extrauagantem, & prædicti instituti confirmationem elucidādam, & ab iniurijs vindicandam aptissima, auidè arripui, in eius defensionem incubui, antiquorum & recentiorum libros euolui, reperique nonnullos Scholasticos, & quod pluris æstimandū est, nequaquam in quæstionem istam intuentes firmissima, omniaque huius sententiæ iecisse fundamenta. Itaque ego nihil aliud effeci, quam ex illorum principijs istam concluſionem deducere virtute in illis contentam, id quod quiuis alius, nec nimium emūcti nasi, modo animum aduertisset, facile deducere potuisset. Propono ergo huius sententiæ probationem hoc pacto. Apostolorum ætate & sæculis proximè sequentibus veræ religiones fuerunt in Ecclesia Dei cū emissione votorum, sine quibus essentia religionis non est. Sed solemnitas votorū sola Ecclesiæ constitutione inuenta non erat illis prioribus sæculis, sed multò post est in Ecclesiam inducta. Igitur illa, quæ emittebant illorum temporum veri religiosi, tantum erant vota simplicia non solemnia, vt explicatum est. Discursus planè euidēs est; huius syllogismi maior propositio satis probata est cap. 1. & 2. Minoris verò duæ sunt partes. Prima solemnitatem votorum, de qua agimus, sola Ecclesiæ constitutione inuentam, quæ cap. 4. est confirmata; secunda vero pars nondum illis temporibus esse introductam probata etiam est ex his quæ mihi offerunt, & antiquorum scripta, & recentiorum placita in quæstionem istam haud quaquam intuentium. Solemnitatem votorum diximus esse plenam traditionem ex parte tradentis, hoc est, Illegitimitatem illi traditioni adiunctam, & omnimodo indissolubilem acceptionem ex parte acceptantis iuxta Pontificia decreta, in religione per Sedem Apostolicam approbata; cum probatum sit illis temporibus nec religiones indiguisse, approbatione Pontificis, sed vel locorum ordinarijs vel tacito Ecclesiæ consensu

sensu approbari: similiter valida fuisse illorum religiosorum post emissa vota coniugia, quauis illicitè celebrata; retinuisse quoque bonorum dominium, celebrasse contractus & condidisse valida testamenta; ac denique non fuisse perpetua ex parte acceptãtis, sed de licentia Prælati liberos dimitti solitos, & vota relaxata, ita vt discedentes liberi manerent in sæculo, & sine obligatione votorum, donec procedente tempore & paulatim hæc omnia à Sede Apostolica immutata sunt; planum est illorum religiosorum vota omni prorsus prædicta solemnitate caruisse, atque adeo tantum fuisse simplicia.

3 Ex quibus colligitur laudabile institutum Societatis Iesu hisce temporibus magno Reipublicæ Christianæ commodo destinatum, non esse nouum, sed primæuum in religione seruatum vouendi genus. Quamuis nostris temporibus peculiare appellent Pontifices (nec enim amplius probant, quæ primo capite sunt allata) ac proinde hallucinatos esse valde; & ignorantia lapsos, qui eiusmodi instituto veræ religionis & nomen, & rationem adimebant. Nam si veterum scripta euoluissent diligentius, hanc viuendi normam Societatis Iesu, quoad eã partem, quæ constat votis simplicibus post biennium emissis in religione approbata, eiusdem prorsus rationis esse cum primis illis exordijs monachismi, & antiquo statu monachorum Basilij, Augustini, & Benedicti, qui multis annis apud eos inualuit, facile comperissent.

4 Ex his quæ hactenus tam multis statuta sunt, planè colligitur votum solemne religionis solo iure Ecclesiastico dirimere matrimonium, ita vt post contractum sit nullum. Itaque quamuis votum iure diuino impediat matrimonium in ordine ad copulã, neque enim sine peccato contrahi potest; non tamen efficit nullum, nisi mero iure Ecclesiastico, quo solemnitas adiuncta est votis religionis. Communis hæc est Theologorum sententia, & interpretũ iuris Canonici, qui docent solemnitatem voti iure Ecclesiastico tantum introductam. Matrimonium autem post solemne votum religionis contractum esse nullum constat ex Innocentio II. in Concilio Romano cap. 7. & habetur *cap. vt lex 27. quæst. 1.* ibi. *Matrimonium non esse censemus.* Id quod recentioribus posteà Canonibus sæpe statutum est. *Clementina vnica de consanguinit. & affinit. cap. Consuluit. De conuersione coniugatorum, & cap. vnico de voto in 6.* & nouissimè Tridentinum sess. 24. cap. 9.

De impedimento Ordinis.

Superiori impedimento hoc etiam coniunctum & affine est, de quo agit etiam Gratianus nonnulla, *Cap. siquis Episcopus c. Quot quot cap. vt lex 27. quæst. 1. & cap. Diaconus & cap. presbyteris 27. d.* Quod vt explicetur exacte, nonnulla præmittenda sunt de continẽtia Sacerdotũ, tàm apud Græcos, quã apud Latinos obseruata, huic tractationi apprimè necessaria, nec iniucunda, trademusque distinctè, veterum scriptis firmãtes omnia, quæ tamen à plerisque tractatoribus confusè satis discutiuntur, & tandem relinquũtur sine examine.

Adlectos coniugatos ad sacros Ordines & quid obseruatũ in Ecclesia Græca.

CAPVT XXIII.

SVMMARIVM.

Coniugatos assumptos ad sacros Ordines certum est. Explicatur locus Pauli, n. 1.

Iniuncta tamen est illis olim castitas tam apud Græcos quam Latinos, n. 2.

Discessisse ab ea obseruatione Græcos varie DD. opinantur, n. 3.

Vera sententia proponitur & explicatur per tres propositiones, n. 4. 5. 6. 7.

Optionem datam apud Græcos in ipsa ordinatione tam antea coniugatis, n. 8.

Quam non coniugatis, n. 9.

Probatur ex Canone Ancyrano, ibidem.

Defenditur Canon Ancyranus, n. 10.

Obijciuntur nonnulla ex PP. & diluuntur, numero 11. 12.

Electa continentia in ordinatione non licuisse neque vti matrimonijs ante contractis, neque noua inire coniugia, n. 13.

Hinc colligi olim apud Græcos fuisse in ipsa ordinatione professionem castitatis, n. 14.

Non electa continentia, si initiarentur, licuisse & vti ante contractis matrimonijs, & noua tẽtare, n. 15.

Probatur ex historia Paphnutij, n. 16.

Defenditur & historia & factum Paphnutij à calumnijs, n. 17. 18. 19. 20. 21. 22.
Explicatur cap. Aliter dist. 31. n. 23.
Post ordinationem non permissum Episcopis contrahere matrimonium inter Græcos, n. 24.
Consideratur Canon 13. sextæ Synodi, n. 25.
Cur non obstante ea consuetudine reprehendantur Græci à Nicolao I. Ratio redditur, & cõ probatur, n. 26. 27.

1 IN primis ad maiores ordines electos coniugatos dubitari non debet. Paulus enim ad Titum 1. inquit, monens Titum quales esse deberent, qui in presbyteros seu Episcopos eligerentur: *Siquis sine crimine est, vnius vxoris vir filios habens fideles, non in accusatione Luxuriæ.* Præcipit autem vnius vxoris virum eligendum potius, quã qui nullam vxorem duxerit, quia vt inquit rectè Baronius tomo 1. Anno 58. num. 14. in Creta, de cuius agebat Paulus Ecclesia, nullum cœlibem, qui nũquam duxisset vxorem, erat possibile reperiri, cogentibus nimirum antiquis Cretensium legibus, vt omnes homines à puero vxores ducerẽt, quod testatur Strabo lib. 10. qui ex Ephoro Rempublicam describit Cretensium, cum alioqui etiam si ea lex cessaret, haud facile foret inter gentiles, qui recenter Christo nomen dedissent, adultum hominem cœlibem reperiri. Quam obrem ad Timotheum Ephesiorum Episcopum scribens hoc ipsum monuit. Quod autem de filijs admonet inquit Baronius, vt qui ordinandus esset, *filios haberet fideles, non in accusatione Luxuriæ* eò respexisse videtur Paulus, quod apud Cretenses mos turpissimus, atque infamissimus inoleuisset, nimirum vt licitè in pueros insanirent, quos etiam quantumuis nobiles licebat repare, & apud se amantem ad duos mẽses detinere, & sic donatum muneribus remittere. Sed quod est deterius, hoc non probro, sed potius laudi illis adscribebatur, *adeo vt*, inquit idem Strabo, *Formosis & illustri genere ortis turpe esset nullum habere amatorem, moribusque eorum impvtari*: haberique à cunctis in honore pueros raptos ait, vt tam in consessu, quam in ambulando primarius illis locus tribueretur, splendidiorique vti veste ab amatore donata permitteretur. Hæc quantumuis obscœnissima, inquit Baronius, referre, licet non sine stomacho, non prætermisimus, vt ex his tum sensus verborum Pauli aperiretur: tum etiam, vt quantũ putorem atque putredinem sal absterserit Apostolicum, mundo adeo necessarium intelligeretur.

2 At quamuis admissi etiam coniugati ad sacros Ordines, initio tamen nascentis Ecclesiæ, omnibus tam Græcis quam Latinis iniuncta castitas, & à proprijs vxoribus antea ductis abstinentia. Sic merito sentit Soto lib. 7. de iustitia quæst. 6. art. 2. cõclus. 4. Albertus Pighius controuers. 25. §. *quod autem interdum*, Michael Medina lib. 2. de contin. cap. 36. quos refert, & sequitur Gabriel Vazquez 3. tom. in 3. p. disput. 248. c. 1. Deriuata quidem ea lex ab Apostolis, qui eam vniuersè præceperunt Can. 25. Extat etiam apertissimũ testimonium Clementis Epist. 2. col. 2. in hæc verba. *Ad Dominicam ysteria tales eligantur, qui ante ordinationẽ suam coniuges suas nouerint: Quod si post ordinationẽ ministro altaris contigerit, inuadere proprium cubile vxoris, Sacrarij non intret limina, neque sacrificij portitor fiat, neque altare contingat, neque ab offerentibus holocausti oblationem suscipiat, neque ad Dominici corporis portationẽ accedat, neque aquam Sacerdotibus porrigat ad manus, ostia forinsecus claudat, minora gerat officia; vrceum siue calicem ad altare non sufferat.* Hæc clemens. Verũm circa illa verba, *qui coniuges suas nouerint*, notandum est varie legi. Nam in hac recenti editione Conciliorum per Seuerinũ legitur, *non nouerint*. Cui lectioni consonat Turrianus lib. 1. pro Canon. Apostol. cap. 2. vbi eodem sensu legit, *reliquerint*. Sed Humbertus in ea disput. cõtra Nicetam Pectoratum, cuius alibi iã memini sæpius, legit, *nouerint*: addit tamen explicationis gratia, *si semper continere noluerint*. Quasi dicat eligi posse coniugatos ante ordinationem, si noluerint ante ordinationem esse continentes: at post ordinationem abstinere ab vxoribus debuisse, redigẽdos aliàs ad minores ordines & minora ministeria. In fine autem eius Epistolæ testatur Clemẽs se ea omnia à Beato Petro Apostolo Magistro suo didicisse, ac accepisse. Antiquissimam etiam esse legem continentiæ, & ab Apostolis acceptam docent Patres, quos referam infra. Quare non rectè Iodocus Clichtouæus in propugnaculo de cõtinentia c. 6. 7. 21. & 22. quem refert & sequitur Claudius Spencæus lib. 1. de contin. cap. 4. non parum à principio, docet in primitiua Ecclesia licuisse sacris hominibus & Episcopis matrimonio ante ordines contracto, & vxoribus vti.

3 Cæterùm licet ea continentiæ lex inítio Ecclesiæ communis fuerit, tam Græcis, quam

quàm Latinis hominibus; at procedente tẽpore non eodem modo, nec eadem lege cõiugati admissi ad sacros ordines in Ecclesia Græca & Latina. De Græca dicam modo, de Latina cap. sequenti. Et quidem quod ad Græcos attinet, non eadem Doctorum sententia est. Nam Franciscus Turrianus ad Can. 3. Concilij Nicæni & Baronius tomo 1. Anno Christi 58. à num. 20. existimarunt nec Græcis licuisse vti matrimonijs antea contractis, neque post ordinationem nouis coniugijs alligari. Horum fundamenta aduersus id quod asseremus, infirma esse demõstrabo, cum nostra probauero. At alij ab his auctoribus discedũt in primo, fatẽtur enim Græcos post ordinationem vti potuisse matrimonijs antea contractis, consentiunt in secundo, scilicet, non potuisse noua matrimonia contrahere post ordinationem. Sic docuit Alphonsus Pisanus ad finem lib. 3. Concilij Nicæni, quod edidit in lucem, & extat tomo 1. Conciliorum in hac editione Seuerini, & Azor tomo 1. instit. moral. lib. 13. cap. 12. quæst. 3. Thomas Sanchez lib. 7. de matrim. disput. 28. num. 3. & alij. Qui id pro constanti, atque extra omnem dubitationem supponunt. Denique alij mediam aliam sequuntur sententiam, fatentur enim apud Græcos Diaconis & infrà licuisse etiã post ordinationem matrimonia contrahere. Sic Caiet. tom. 1. opusc. in tract. de dispẽsatione matrimonij quæst. vnica post principium. Soto in 4. distinct. 38. quæst. 1. art. 1. vers. colligitur, & lib. 7. de iustitia quæst. 6. art. 2. conclus. 2. Gabriel Vazquez, qui licet 3. tomo in 3. p. disput. 247. cap. 4. negare videatur, at in diaconis admittit disput. 249. cap. 2. Quare tantum negat presbyteris & Episcopis etiam apud Græcos.

4 At ego existimo, licèt à principio Græcis nec licuerit vti matrimonijs antea contractis, nec noua inire coniugia post ordinationem; attamen aliam apud eos viguisse consuetudinem etiam ante tempora Cõcilij Nicæni. Eam autem consuetudinẽ tribus propositionibus comprehendo, vt antea etiam docui, cum hæc in lib. de impedimentis matrimonij primò in lucem emisi, & coram multis antea publicè apud Salmaticenses dictaui nostro Commẽtario de beneficijs Ecclesiasticis.

5 Prima propositio est. Cum aliquis siue coniugatus, siue non coniugatus ad sacros ordines apud Græcos assumebatur, in diaconatus susceptione rogabatur, an vellet seruare, ac polliceri continentiam. Itaque optio dabatur illis eligendi vitam cœlibem & continentem à die sacræ ordinationis. Quare in hoc maximè Latini à Græcis dissidebant; quod Latinis non dabatur optio, sed ad seruandam continentiam adigebantur in susceptione ordinum, vt dicam cap. sequenti; at verò Græcis electio dabatur vitæ cœlibis à die ordinationis.

6 Secunda propositio est. Si Græcus, qui ordinabatur diceret se velle seruare cõtinentiam, siue coniugatus antea esset, siue non, ordinabatur quidem. At post ordinationem non licebat impune vel matrimonio vti antea contracto, vel noua tentare coniugia, quamuis inita valerent, vt alibi ostendo. Sed excommunicatione perculsi vel separabantur, vel inter inferiores clericos ministrabant.

7 Tertia propositio. Si Græcus cum ordinabatur, siue coniugatus esset, siue non cõiugatus, diceret in ipso ordinis ingressu se non posse continẽtiam seruare, aut sine matrimonio viuere. Ordinabantur quidem, si Episcopo placebat; ijs autem sic initiatis, si coniugati erant, licebat impune vti matrimonijs antea contractis, vel noua inire cõiugia, si coniugati non erãt. Progressu quidem temporis, vt dicam infra, eò insaniæ deuenerunt, vt ordinandos etiam ad coniugia ineunda compellerent, neque quenquam cœlibem initiarent. Tria hæc suo ordine probanda.

8 Primum ergo, scilicet, optionem datam Græcis in ipsa ordinatione, & susceptione diaconatus, coniugatis quidem ante ordinationem, cõstat ex illa Paphnutij propositione approbata in Synodo Nicæna, de qua postea hoc eodem cap. & habetur in *Can. Nicæna Synodus dist.* 31. & habetur etiã lib. 3. in Actis Concilij Nicæni apud Alphõsum Pisanum *Iudicio*, inquit, *volentium relinquens continentiam à proprijs vxoribus*. Colligitur etiam ex his, quæ scribit Nicephorus lib. 12. c. 34. cũ inquit. *In Oriente omnes atque etiã Episcopi, si vellent pro arbitrio suo, non aliqua legis necessitate coacti, vxorum congressum declinarent, multi etiam ipso Episcopali munere fungentes in Episcopalibus ædibus liberos multos ex coniugibus, quas sibi ex legitimo matrimonio antea coniũxissent, susciperent.*

9 Omnibus autem etiam non coniugatis optionem datam in ipso ordinationis ingressu apertissimè constat ex Concilio Ancyrano inter Græcos celebrato sub Syluestro Primo, vel paulo antea Can. 10. *Diaconi, qui cum ordinantur si in ipsa ordinatione protestati*

testati sunt, & dixerunt velle se coniugio copulari, vel vt alij vertunt, velle se vxores ducere, quia sic manere non possunt, bi si postmodum vxores duxerint, in ministerio maneant, propterea quod Episcopus licentiam dederat. Quicumque sane tacuerint, & susceperint manus impositionẽ, professi continentiam, & postea nuptijs obligati sunt, à ministerio cessare debebunt. Extat apud Gratianum *Can. Diaconi quicumque dist. 28.* Fit autem hoc loco mentio diaconi, non presbyteri, quia, sicut apud Latinos nunc in subdiaconatus susceptione fit professio cõtinentiæ, ita apud Græcos fiebat in diaconatu.

10 Neque obstat, quod nonnulli dicũt, hunc Canonem Concilij Prouincialis esse, atque adeo exiguæ auctoritatis; tum quia modo de antiqua Græcorum Ecclesiastico-rum consuetudine inuestiganda agimus, quam distinctè nobis potuit proponere, vt reuera proposuit Concilium etsi prouincia le sit. Tum etiam quia Concilium istud approbatum, & receptum est frequentibus Græcorum Synodis, vt constat ex *capite quoniam Sanctæ & Can. Prima adnotatio 26. dist.* & probatur à Leone IIII. *in c. de libellis dist. 20.* Vbi hæc habet. *Quibus autẽ in omnibus Ecclesiasticis vtimur iudicijs sunt Canones Apostolorum, Nicænorum, Ancyranorum, Neocæsarienſium, &c.* Probatur etiam Concilium istud in Bracarensi. I. Can. 14. ibi, *Quod de his antiquitus Sancti Patres statuerunt*, respicit enim Aucyranæ Synodi Can. 7. cap. 14. vt notat Loaysa ad istud Bracarense. Synodi etiam Ancyranæ mentio in Mogũtino sub Rabano Can. 23. sed quid moror? Ancyrana Synodus approbata est à Nicæna prima Synodo generali, idque constat ex Concilio Florentino sess. 7. vbi Andræas Episcopus Colossensis, qui partes agebat Ecclesiæ Romanæ hæc habet: *Quippe qui non fuerat nescius conuentus multos ante primam Nicænã Synodum congregatos fuisse initio Antiochiæ cõtra Paulum Samosatenum. Deinde Ancyræ aduersus eos, qui reuertentes ad fidem, à qua tormẽtorum metu defecerant, recipere recusarent, postea vero Neocæsariæ: quos tamen conuentus omnes Synodus ipsa Nicæna comprobauit, nonnullis eiusdem Neocæsariensis conuentus de septem Diaconibus actis exceptis, quæ cum non essent probanda refellit.* Hæc ibi. Laborant ergò antiquitatis ignorantia prædicti Theologi, qui quod ea, quæ de continentia Orientalium docent, Canone Ancyranæ Synodi labefactari vident, eam Synodum reijciunt, nulliusque auctoritatis, atquè momenti esse volunt, vtpote quæ Prouincialis sit. Videant, quot, quantosque patronos habeat Ancyrana Synodus, ex qua constat Orientales rogatos de continentia seruanda in susceptione diaconatus, & optionem datam, quod hactenus contendimus. Videnda etiã quæ in huius Canonis defensionem habet Gabriel Vazquez disp. 249. cap. 2.

11 Sed his videntur obstare nonnulla Patrum testimonia, quibus inducti sunt Baronius, atque Turrianus. Primum est Epiphanij in compendio vbi inquit: *Sanctum Sacerdotium ex virginibus quidem vt plurimũ procedit, si vero non ex virginibus, at ex solitariam vitam degentibus. Si verò non suffecerint ad ministerium solitariam vitam degentes, de his, qui continent à proprijs vxoribus, aut ab vnis nuptijs viduitatem seruantibus.* Obstare etiam videtur Hieronymus, qui contra Vigilantium hæc scribit: *Quid facient Orientis Ecclesiæ? Quid AEgypti & Sedis, apostolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt. Aut continentes, aut si vxores habuerint mariti esse desierunt.* Tertiò etiã obesse videtur Leo I. Epistola 82. cap. 4. ad Anastasium Episcopum inter Græcos, scilicet, Thessalonicensem, cum inquit. *Cum extra clericorum ordinem cõstitutis, nuptiarum societati, & liberorum procreationi studere sit liberum; ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, ne subdiaconis quidem carnale connubium concedit, vt & qui habent sint tanquam non habentes, & qui nõ habent permaneant singulares.* Hæc Leo.

12 Sed hæc infirma sunt, vt nos à proposito discedere persuadeant. Primum enim ad omnia ea dici posset, vt in lib. de impedim. matrimonij in nostra 1. editione respondimus, hæc verè dici de his, qui professi continentiam ordinabantur, quibus amplius facultas non erat aut copulandi primis vxoribus, aut alias ducendi. Sed nunc addo consuetudinem hanc, quam hactenus statuimus, licet apud Græcos in Oriente frequentius receptam, non tamen apud omnes Græcorum aut Orientis Prouincias nualuisse, sed nonnullos castitatem eodem modo, atque Latinos seruasse. Docet me Nicephorus lib. 12. cit. cap. 34. quo diuersas Ecclesiarum consuetudines prosequitur, inquit autem de Thessalia ad cuius Episcopũ scribit S. Leo Epist. cit. *In Thessalia & hoc facilitatũ esse liquet. Licebat clerico cuiuis, priusquam in ordinem eum cooptaret, legitime vxorẽ ducere. At si postea, vt consuetudine receptum est, vxorem cognouisset, eo ordine mouebatur.* Quam Thessaliæ seruatam consuetudinem dicit

dicit ab Heliodoro Episcopo Tricensi ortũ habuisse, vel eius occasione introductam, dum maluit Episcopatum deponere, quã Æthiopicam amatoriã fabulam Theagenis & Clarichææ, quam composuerat, supprimere. Vel tertiô denique responderi potest cum Gabriele Vazquez disput. 247. cit. num. 40. cum lex de seruanda continentia post ordines susceptos, licet à tempore Apostolorum cæperit, fuerit Ecclesiastica; potuit vno tempore abrogata esse, & alio reuiuiscere. Quare ex eo quod Epiphanius vel Hieronymus suo tempore seruatũ scribunt; non potest colligi firmum argumentum ad reijciendum, quod dissertissimè docent Ancyrani Concilij verba.

13 Secundum verô, scilicet, si continentiam semel profiterentur non amplius licuisse impunè vel vti matrimonijs antea contractis, vel noua tentare coniugia, constat in primis ex eodem Can. 10. Ancyrano in 2. eius p. quæ satis aperta est. Cõstat etiã ex Concilio Neocæsarienſi Can. 1. vbi presbyter vxorem ducens deponitur ab ordine. Obiter autẽ expende in eo canone grauius puniri, qui fornicator, vel adulter fuerit, subijcitur enim pœnitentiæ inter laicos: Agit ergo ille canon de his, qui professi cõtinentiam ad ordines ascenderant, quibus non licebat sine supplicio nubere. Constat etiam ex Concilio Constantinopolitano sub Anastasio, vt refert Palladius in vita Chrysostomi, in quo Asiani Episcopi Constantinopoli conuenientes Eusebium Valẽtinianum Episcopum accusarunt, de varijs criminibus, & Sede expulerunt: Inter ea tamen sextum crimen erat, quod cum vxori propriæ abrenuntiasset, rursus illi coniunctus fuerit, filiosque ex ea procreauerit.

14 Ex his facile colligitur, apud Græcos fuisse professionem continentiæ in ordinum susceptione vsu receptam. Idque ostendunt apertè fere omnia quę modo adduximus. Constat etiam ex Epistola Basilij ad Paregorium siue Gregorium presbyterum, quem reprehendit ob subintroductã mulierem, & ab officio suspendit, ac communione priuat, donec dimittat, iuxta Canonem 3. Nicænum, quamuis septuagenarius esset. In ea enim Epistola expressa mentio est professionis cælibatus. Extat autem post Epistolas Basilij ad Amphylochium cũ commentario Balsamonis. Nihil autem est in ea Epistola, vnde colligamus presbyterũ illũ fuisse vxoratum, quidquid dicat Turrianus ad Canonem 3. Nicænæ Synodi.

15 Tertium est, si Græci nollent in susceptione ordinum profiteri continentiam, licuit non vxoratis vxores ducere impunè post ordinationem: vxoratis autem licuit suis vxoribus antea ductis copulari absque supplicio & pœna. Duæ sunt huius postremi nostri asserti partes. Prima non vsquequaque certa, neque communi sensu recepta. At mihi videtur ea manifeste colligi ex Can. 10. Ancyrano, ibi. *Si post modum vxores duxerint.* Quid clarius? Nec enim hæc verba de vsu matrimonij antea contracti explicari possunt. An etiam id in Episcopis receptum dicam infra. Sublata autem ea licẽtia nubendi post ordinationem apud Græcos Can. 6. Trullano. Quo sane indicatur vsque ad illa tempora licuisse Subdiaconis, Diaconis, & presbyteris. Secundam vero partem de antea coniugatis docent Doctores communi sensu. Nobiscum enim sentire Theologi Scholastici antiqui fere omnes Ricardus in 4. distinct. 37. art. 1. quæst. 2. in solut. 2. Scotus quæst. vnica. Paludanus ibidem quæst. 1. conclusione 4. Thomas de Argentina quæst. vnica art. 1. in solut. ad 4. contra 2. concluſ. Bassolis quæst. vnica art. 2. Soto eadem d. quæst. vnica Petrus Soto de instit. sacerdot. lect. 5. & 6. nouissimè Gabriel Vazquez disput. cit. cap. 4. quem post primam editionem libri de impedimẽtis vidi. Vnde merito Quintana Dueñas lib. 1. rerum Ecclesiast. cap. 6. num. 9. hunc dicit esse communem sensum.

16 Et quidem sic se rem istam habuisse apud Græcos probabo ita manifestis testimonijs, vt non parum mirer, de eo dubitasse tantos viros, qui voluerunt in meridiana luce cæcutire. In primis probo ex *cap. Nicæna Synodus distinct.* 31. in quo historia Paphnutij refertur, qui dissuasit Concilio, ne legem statueret, qua Episcopos, presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos compelleret ab vxoribus antea ductis abstinere: obtinuitque Paphnutij sententia, & vniuscuiusque arbitrio relicta est continentia à ductis vxoribus ante ordinationem.

17 Sed Turrianus, Baronius & Bellarminus lib. 1. cit. de Clericis cap. 20. in solutione ad 5. argumentum Caluini, & nonnulli alij hanc non historiam, sed meras nugas esse existimant, vt sic declinent argumẽtum Caluini. Sed refellũtur in primis, quia eãdem historiam refert Socrates lib. 1. cap. 18. Sozomenus lib. 1. cap. 22. Cassiodorus in hist. Tripart. lib. 2. c. 14. Nicephorus lib. 8. cap. 19. Neque obstat, quod Sozomeni historia

ſtoria non omnino recipiatur in Eccleſia, vt ſcripſit Gregorius lib. 6. Epiſtol. 195. ad Eulogium Epiſcopum, maximè cum in hiſtoria Concilij Nicæni lapſus valde fuerit, refert enim illud abſolutum fuiſſe ſub Iulio, cum inchoatum & abſolutum ſub Syluestro prædeceſſore non ſolum Iulij, ſed & Marci, qui Iulium præceſsit, vt conſtat ex Epiſtola Legatorum ad eundem Syluestrũ; hoc inquam non obſtat. Id enim, quod Gregorius ſcripſit, non ita accipiendum, vt illũ in omnibus mentitum eſſe credamus, aut nulla illi ſit fides adhibenda; ſed tantum de illis, in quibus eius mendacium manifeſtè deprehenditur. In tempore autem Concilij Nicæni lapſum eſſe quid mirum? In nullo facilius erratur ab hiſtoricis, quam in tẽporum deſignatione.

28 Neque obſtat etiam Socratem eius hiſtoriæ ſcriptorem fuiſſe Nouatianum hæreticum Romano Pontifici infenſum, mentitumque in hiſtoria Concilij Nicæni, dum dixit nullum in Concilio Nicæno de Paſchate Canonem conſtitutum, cum tamen oppoſitum ſcripſerint grauiſsimi Eccleſiæ Patres, mentitum etiam dum affirmauit Eccleſiam Romanam in quadrage ſima tres tantum hebdomadas, exceptis Sabbatho & Dominico, ieiunare. Adde etiam Socratem multa ex ſuis libris, præcipuè, quæ duobus complexus eſt, accepiſſe ab ſcriptis Ruffini presbyteri, vt ipſe affirmat lib. 1. cap. 8. Ruffinum autem, & eius opera Gelaſium ex ſententia Hieronymi inter Apocrypha reiecisſe in *Can. Sancta Romana diſtinct. 15.* Hæc inquam non obſtant, tum quia non conſtat Socratem eo tempore, quo hiſtoriam compoſuit, Nouatianum fuiſſe: tum etiam, quia non inde ſequitur in ea hiſtoria Paphnutij mentitum fuiſſe, cum longè alius ſit Nouatianorum error: tum denique, ſi non eſſet adhibenda fides hiſtoriæ Socratis, eo quod Nouatianus fuit; neque etiam eſſet credendum Euſebio, qui Arriana hæreſi infectus, & in defenſionem Origenis librum vnum ſcripſerit; & tamen eius hiſtoriam probat & recipit Gelaſius in d. *cap. Sancta Romana* Ruffini autem hiſtoria non eſt reiecta in d. Can. ſed ſcripta eius de libero arbitrio, quod de eo non rectè ſenſerit. Quare Socratis hiſtoriam non admittemus in his, in quibus arguitur falſitatis: At deceptum in hac hiſtoria Paphnutij non eſt vnde conuincamus vel leuibus ſaltem coniecturis.

19 Neque obſtat etiam, quod Euſebius, Rufinus, & Theodoretus, qui Euſebium ſæpe ſequuntur, de ea hiſtoria ſiluerint. Nam Euſebius vel ætate, vel alijs negotijs impeditus, reliqua eius fides cum Nicæna non conueniret, cum Arrianus eſſet, hiſtoriam Nicæni Concilij penitus omiſit. Sæpe autẽ contingit, quæ iſti hiſtorici omittunt, ab alijs referri, vt ipſis etiam Sacri Euangelij ſcriptoribus accidiſſe conſpicimus.

20 Adde etiam eandem hiſtoriam ſcriptam à Caſsiodoro & Nicephoro, in quos neque hæreſis Nouatiana, neque Theodori Moſupeſteni amicitia, neq; Romanæ Eccleſiæ odium, aut à Gregorio Magno concepta ſuſpicio retorqueri poteſt. Vnde Tripartita Caſsiodori hiſtoria, quam ex ſuſpectis auctoribus vir doctus & Catholicus concinnauit, ſecernens quæ improbanda videbantur, à nullo viro docto hactenus improbata fuit. Eiuſdem etiam hiſtoriæ meminit Vldericus Epiſcopus Auguſtanus in epiſt. ad Nicolaum I. & illam probat. Denique, quod caput eſt, habetur inter Acta Concilij Nicæni, quæ ex Græco tranſtulit Alphõſus Piſanus, & Claudius Spencæus lib. 1. de continent. cap. 4. non parum ante medium teſtatur ſe legiſſe hãc hiſtoriã in codice Græco Concilij Nicæni nondum typis excuſo. Is autem codex Vaticanus, ex quo Piſanus tranſtulit Concilium Nicænum, conſcriptus fuit tempore Baſilij Imperatoris, & ab eius auctore collectum ex membranis Dalmatij Epiſcopi Cizizeni, cuius Dalmatij meminit Socrates lib. 2. hiſt. cap. 28. Quare de hac hiſtoria iam amplius dubitare non licet.

21 Sed rurſus huius hiſtoriæ veritatem confirmo, quod nihil in ea ſit reprehenſione dignum. Conſilium enim illud Paphnutij nec ſine ratione fuit, nec nouum. Non quidem ratione caruit, id enim cõſuluit Paphnutius tùm propter nuptiarum honorẽ, quas paulo ante inſectatus fuerat Euſtachius etiam in presbyteris, qui laici vxorẽ duxerant, vt conſtat ex Concilio Gangrenſi in præfat. ad Epiſcopos Armeniæ & Can. 4. qui contra hunc errorem conceptus eſt: tum etiam vt conſuleret multorum clericorum fragilitati, non enim omnes poſſent lege contineri: ſicut ex eadem ratione conſuluiſſe legimus Dionyſium Corinthiorum Epiſcopum, dum Pynirum Epiſcopum admonet, ne cœlibatus onus tanquam neceſſarium fratribus imponat, vt referunt Euſebius lib. 4. hiſt. cap. 23. & Nicephorus lib. 4. cap. 8. Nec verò nouum aliquid, aut inuſitatum conſuluit Paphnutius, cum id in

multis

multis Orientis Ecclesijs receptũ esset, vt liquet ex Ancyrano Canone 10. & Gangrensi Can. 4. & testantur Socrates lib. 5. cap. 22. & Nicephorus lib. 12. cap. 34. Nec denique ex eo Paphnutij Consilio approbato etiam à Nicæna Synodo quoad Græcos, aliquid, quod ipsis faueat, possunt hæretici colligere; cum enim tantum sermo sit, de his, qui ad sacros ordines euecti matrimonia iniissent, nihil habent, quo cœlibatum apud Latinos perpetua & nunquam interrupta lege seruatum labefactent, imo neque oppugnent.

22 Sed prætereà hi auctores frustra historiam Paphnutij refellunt, cum id quod ex eo Consilio colligitur, scilicet, licuisse apud Græcos vti vxoribus, quas ante ordinationem duxerant, constet ex alijs testibus omni exceptione maioribus. Id enim haud obscurè colligitur ex Canonibus Nicænis 24. & 66. & apertissimè ex Canone 78. Vbi clericis coniugatis lapsis in adulterium duplex imponitur pœnitentia, id quod postea repetitum dicemus in Lateranensi sub Innocentio III. Idem etiam insinuare videtur rescriptum Imperatorum Honorij, & Theodosij in *l. eum qui* 44. *de Episcopis & cler. in C. Theodosiano lib. 16. tit. 2.* Vbi hæc habentur. *Illas etiam non relinqui castitatis hortatur affectio, quæ ante sacerdotium maritorum legitimum meruere coniugium. Neq; enim clericis incompetenter adiunctæ sunt, quæ dignos sacerdotio viros sui conuersatione fecerunt.* Idẽ etiam affirmat Innocentius III. *in cap. Cum olim, de clericis coniugatis*, ibi: *in superioribus ordinibus vtuntur matrimonio iam contracto.* & idem Innocentius in Concilio Lateranensi sub ipso cap. 14. grauius puniendos clericos Græcos incontinentes asseruit, vt Nicæno Can. 78. Statutum fuerat; rationemque reddidit, *quia non abdicarunt copulam coniugalem, secundum regionis suæ morem, cum legitimo matrimonio possent vti.* Idem testatur Clemens III. in *cap. Quæsitum de pœnit. & remiss.* ibi. *Sacerdotibus Græcis, quibus legitimo matrimonio licet vti.* Idem etiam asseritur in Concilio Senonensi, in Decretis fidei c. 8. vbi hæc habẽtur: *Neq; voluit Orientalis Ecclesia suos ea seueritate coerceri, vt contractis primum matrimonijs vti non liceret.*

23 Atque hinc interpretãdum est illud Stephani Papæ *in Can. Aliter, dist. 31.* vbi hæc habet. *Aliter se Orientalium traditio habet Ecclesiarum, aliter huius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Nam earum Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi matrimonio copulantur.* Illud enim *matrimonio copulantur*, duobus modis intelligi potest. Primò quod in sacris constitutis Græcis liceret nubere etiam post ordinationem, vt licuisse diximus vsque ad 6. Synodũ in Trullo, quæ Canone 6. prohibuit Græcis eiusmodi coniugia. Secundò, vt idem sit ac matrimonio vti iam antea contracto. Qua phrasi in ea significatione vtitur 6. Synodus Can. 13. in principio ibi: *Profiteantur se non amplius suis vxoribus copulari*, loquitur autẽ de more Ecclesiæ Latinæ, & Toletanum 3. cap. 5. ibi, *Carnali adhuc desiderio vxoribus copulari*; Agit autem de Episcopis, presbyteris, & Diaconis antea coniugatis; & Innocentius III. in *cap. Gaudemus, de diuortijs*, ibi, *fideles omnes matrimonialiter copulari libere possint*, ideſt, matrimonio iam contracto vti, vt constat ex contextu. Sic exponit Glossa *in d. cap. Aliter*, quam sequuti sunt Ricardus & Soto supra cit. & Quintana Dueñas prædicto loco, & Couarr. in 4. decretal. 2. p. cap. 6. §. 5. num. 1. Thomas Sanchez disput. cit. num. 7. Azor tom. 1. lib. 13. cap. 12. quæst. 3. Bellarm. lib. 1. de cler. cap. 21. & probat Sanchez ex *cap. Agathosa* 27. *quæst. 2. in fin. & cap. nosse* 30. *quæst. 1.* Quam etiam interpretationem contra Turrianum latè defendit & probat Gabriel Vazquez disp. 247. cit. cap. 6. à num. 79. Illud addendum ex eodem hũc Stephanum fuisse 3. sub quo teste Platina in eius vita celebratũ fuit Concilium quoddam Lateranense. Quare non debuit Bellarm. lib. 1. de cler. cap. 21. §. *ad quintum*, tam facile hunc Canonem reijcere, eo quod sub quo Stephano illud Concilium celebratum fuerit, non annotauerit Gratianus.

24 His omnibus illud adijciendum est, contrahere matrimonium post ordinationem solùm inter Græcos permissum Subdiaconis, Diaconis, atque presbyteris; Episcopis verò nequaquam. Idque colligo ex d. Can. 10. Ancyrano adiuncto Can. 6. Trullano. At verò vti matrimonijs antea contractis licuisse etiam Episcopis, vt constat ex historia Paphnutij, & Nicephoro d. lib. 12. cap. 34. donec per 6. Synodum id reuocatũ est Can. 12. cum præcipitur, vt nec secum in eadem domo vxores ante ordinationem ductas retineant, aut forte ante eam Synodum sublatum. Vnde Nicephorus prædicto loco inquit: *Nunc autem insomnis quidem Episcopus cum vxore sua concumbens, impudicus habetur, & suo tempore nullum apud Græcos ad Episcopatum assumi, qui vxorem habuerit, sed religiosum tantum castitatem professum, aut*

qui

qui perpetuam castitatem seruet, & vxorem iam non habeat: testatur Albertus Pighius controuers. 15. §. *sed mores* & Gabriel Vazquez disput. 248. cap. 1. in fine idem se à Græcis fide dignis accepisse, dum Romæ commoraretur, scriptum reliquit, cui consentiunt, quæ ex Balsamone referam infrà.

25 Ex his iam facilè colligere licet, quid rectè, quid perperam statuat Can. 13. Sextæ Synodi, qui tantopere & meritò Latinis Patribus stomachum mouit. Propono verba, quæ habentur etiam in *Canone, quoniam dist.* 31. *Quoniam Romanæ Ecclesiæ per Canonē traditum esse cognouimus, &c.* Vsque ad fin. Non est reprehensione dignus iste Canon, eo quod presbyteris Græcis permittat, Diaconisque; & Subdiaconis vti coniugio antea contracto nihil in eo alienum à Græcorum consuetudine. Imò neque ego inspecta antiqua Græcorum viuendi norma Canonem accusarim, quod prohibeat, ne ab initiandis exigatur professio castitatis, hoc est, quod præceperit, ne initiandi compellantur castitatem profiteri, quasi voluerit castitatis obseruantiam vniuscuiusque arbitrio relinqui, vt consuluerat Paphnutius in Concilio Nicæno. Attamen grauiter reprehendē dus in primis, quòd cum Canonem continentiæ Latinæ initio retulisset, quo illum morderet, subdit. *Nos antiquum Canonē Apostolicæ perfectionis, ordinisque seruantes,* cum tamen eam legem continentiæ ab Apostolis emanasse suprà ostenderimus, & dicemus etiam infra cap. sequenti. Deinde reprehendo, quod in fine Canonis abutatur sententia huius Canonis 5. Apostolici, cū tamē nihil ad rem de qua agimus pertineat, vt dicam infra. Præterea reprehendo quod valde torserint sententiam in Can. 28. Concilij 6. Carthaginensis, quò suæ sententiæ patrocinium aliquod inuenirēt. In quo Canone 28. non dicitur, vt initiati sacris seruent castitatem, certis statutis temporum vicibus, sed iuxta proprias definitiones siue statuta, sicut eisdem verbis id cautum fuerat in Concilio Carthaginensi 5. Can. 3. vt latè ostendit Gabriel Vazquez disp. 247. cit. cap. 5. à num. 60. Nunquam enim Africani Patres permiserunt ijs, qui initiabantur, vt vel post ordinationem nuberent, vel vterentur contractis antea coniugijs, vt planum erit ex cap. sequenti.

26 At si ea, quam diximus, Græcorum recepta consuetudo fuit, cur ob illam reprehenduntur à Nicolao I. ad consulta Bulgarorum cap. 70. & habetur, cap. *consulendum* 28. d. *Consulendum decernitis vtrùm presbyterū vxorem habentem debeatis sustentare & honorare, an à vobis projcere? In quo respondemus, quoniam licet ipsi valde reprehensibiles sint; vos tamen Dominum imitari conuenit, qui solem suū, vt Euangelium testatur, oriri facit super bonos, & malos, &c.* Cur enim vocantur reprehensibiles, ac mali, improbi, si receptam vsu cō suetudinem à magna Synodo probatam sequebantur? Id vt intelligatur, ac simul quare reprehensioni Græci subiacerant, sciendū est procedente tempore eò insaniæ Græcos peruenisse, quò se se magis Latinis opponerent, vt omnes, qui ordinabantur, ad nuptias cogerent, nec vllum nisi coniugatum ordinarent. Quod olim reprehendebat in Vigilantio Hieronymus ibi; *Si tamen Episcopi nominandi sunt, qui non ordinant Diaconos, nisi prius vxorem duxerint, nulli cœlibi credentes pudicitiam, imo ostendentes, quam sanctè ipsi viuant, qui malè de omnibus suspicantur.* In hāc autem insaniam proripuere Græci primū, quantum suspicari possum, post 6. Synodū, cum in Trullo conuenientes sine capite legitimo, odio in Latinos concitati illum. 13. Canonem ediderunt, vbi nec antea coniugatos priuant vsu coniugum; nec antea coniugatos volunt reijci ab ordinibus suscipiē dis, & in eorum susceptione continentiæ professionem prohibent.

27 Sed & apertiùs hanc Græcorum insaniam nobis ostendit Humberti disputatio aduersus Nicetam Pectoratū tempore Leonis VIII. quæ habetur apud Baronium tomo 11. in fine, inquit enim. *Ante omnia antē comprobamus te mentitum ipsi veritati, in eo quod dixisti nostros prius ordinari, deinde vxores sortiri. Quia apud nos, nec ad Subdiaconatus gradus quisquam admittitur, nisi perpetuam continentiam etiam à propria coniuge profiteatur, nec post gradum, vxorem cuiquam ducere conceditur. Sed tu Ecclesiam Dei volens efficere Synagogam Sathanæ, & prostibulum Balaam & Iezabel cum Nicolao dicis, Episcopum, & presbyterum, & diaconum dicimus qui vnā habet vxorem, ordinari, quamuis viuant eorum coniuges, quamuis defunctæ, nec licet eos post manus impositionē innuptos esse, nec insuper ad nuptias ire; aut, si nupserint, alteras amplecti, sed sufficere eis, quas habent, cum ad ordinationem venerunt. O abominabilis Cynice, quomodo non erubuisti tantam nefas euomere? Ergo non licet aliquem post manus impositionē sine vxore esse? Si ita est, ipse Ioannes Apostolus, & Paulus, & Barnabas, & omnis continens in gradu Ecclesiastico in culpa est proculdubio. Vnde necesse est, vt futurus*

Episco-

Episcopus, presbyter, diaconus prius vxorem sortiantur, quæ sibi sufficere habeat ad carnales complexus. Et idem auctor in eadem disputatione in fine hæc habet: *Illa tamē Ecclesia, ideſt, Orientalis, quam Arrius corrupit, Macedonius prostituit, quæ gemmina viperarū ideſt, Nestorium, Eutichem, Monotheliās, & Thcopaschitas, & reliquas hæreticorum pestes peperit, & aluit, adhuc à Nicolai Hæresiarchæ complexibus abstrahi non potuit, adeò vt ad sacri altaris ministerium ordinandos interroget, an habeant vxores. Qui si responderint se non habere, compelluntur primum ducere, & sic impositionis manum accipere vt noui mariti, & recenti carnis voluptate toti resoluti, & marcidi, & inter sancta sacrificia cogitantes, quomodo placeant vxoribus, immaculatum Christi corpus tractent, atq; populo distribuant.* E quibus planum est receptam, probatamque consuetudinem de professione voluntaria continentiæ in susceptione ordinum, in deterius commutatam à Græcis, vt non solùm optionem non darent initiandis continentiam profitendi, vt in Ancyrano constitutum erat; sed nec eum sacris ordinibus initiarent, nisi prius compulsus duceret vxorem, vt nullus initiatus sine vxore inter eos esset: ob eumque iam tempore Nicolai I. apud illos receptum abusum (subsequitur enim Nicolaus multis annis Synodum in Trullo) merito reprehensibiles iudicantur, erant enim graui obiurgatione digni. Aliter respondet Gabriel Vazquez disp. 247. cap. 6. à num. 85. Nunc autē iam eam prauam consuetudinem compellendi initiandos ad coniugia perseuerare docet Hieremias in cēsura Orietalis Ecclesiæ in Epilogo parum à principio. Atque de Græcis hactenus, iam de Latinis.

Professionem cōtinentiæ ab initio apud Latinos extitisse, in subdiaconatu tamen non semper, nec vniuerse.

CAPVT. XXIIII.

SVMMARIVM.

Apud Latinos initiatis siue coniugatis antea, siue non ab initio iniuncta castitas, n. 1.
De coniugatis probatur, ibid.
De non coniugatis etiam probatur, n. 2.
Ea lex constanter seruata in Leuitis presbyteris, & Episcopis, n. 3.
In subdiaconis diuersa consuetudo, n. 4. 5.
Neque illis vniuerse prohibitum coniugiū, n. 6
Non teneri Ecclesiasticos iure diuino ad seruandam castitatem, n. 7.
Antiquissimam esse legem continentiæ in Latina Ecclesia, n. 8.
Seruatam continentiam ex emisso voto, n. 9.
Quid de his, qui minoribus ordinibus initiabantur, n. 10.

1 AB initio nascentis Ecclesiæ assumpti ad ordines & coniugati, & nō coniugati, vtrisque autem apud Latinos iniuncta castitas, perpetuoque seruata, vt sigillatim ostendam. Coniugatis ergò prohibitum ad vxores accessum constat ex Clemente Romano epist. 2. col. 2. iā cit. c. præcedenti. Extat etiam de eodem Lucij Papæ decretum apud Gratianum c. *ministri* d. 81. verbis ferè idem cum testimonio Clementis. Posteà Illiberritanum can. 33. *Placuit in totum prohibere Episcopis, presbyteris, diaconibus, & subdiaconibus positis in ministerio, abstinere se à coniugibus suis, & non generare filios.* Quod *quicumque fuerit ab honore clericatus exterminetur.* Idem posteà Syluester 1. in Concilio Romano 11. c. 19. *Nemo enim presbyter à die onus presbyterij sumat coniugiū.* Quo loco per *coniugium* intellige contubernium cum fœmina. Vxorem enim ducere non tantum presbyteris, sed etiam subdiaconis interdictum in hoc eodem Concilio c. 8. vt posteà referam. Imo & ad hanc à cōiugatis promissam continentiam adduxerim canonem 13. eiusdem Concilij mendosum valde, ita vt sensum diuinare necesse sit. *Nemo*, inquit, *nisi velamen cœleste acceperit, primum coniugij per manus sacerdotis, ad clericatus honorem accedat.* Intelligo namque sensum esse, vt antequam ad clerum promoueretur coniugatus, in manus sacerdotis, ideſt Episcopi (sic enim olim vocati Episcopi sæpissime) velamen cœleste acciperet primū, ideſt continentiæ professionem emitteret, quam periphrasi appellat *cœleste velamen*, cum transeat initiandus ad spirituale coniugium ineundum cum Christo. Qua ratione antea in eodem Concilio can. 10. cum agitur de ætate, in qua Sanctimonialis benedicenda sit, appellatur *monialis virgo sacrata mœritali cōsortio* Siricius Papa epistola 1. ad Himerium Tarraconensem Episcopum numero 7. accessum sacerdotibus, atque leuitis ad proprias vxores prohibitum ostendit, denuoque pœnam renouat: & num. 9. à diaconatu vult professionem continentiæ, & habētur apud Gratianū in c. *aliquāti* d. 82.

& cap. *Quicunque distinct.* 27. Idem etiam Siricius Epist. 4. num. 9. *Præterea quod dignũ, & pudicum, & honestum est suademus, vt sacerdotes & leuitæ cum vxoribus suis non coeant, quia in ministerio diuino quotidianis necessitatibus occupantur, &c.* Quæ eadem postea repetit Innocentius I. Epistola 2. quæ est ad Victricium cap. 9. & in Epist. 3. quæ est ad Exuperium Tolosanum Episcopum numero primo, decreti Siricij mentione facta. Forte eodem respicit idem Innocentius Epistol. 5. & habetur *cap. Maximilianus distinct.* 81. Idem statuit Arelatense 2. Can. 2. ibi: *nisi fuerit promissa conuersio.* Carthaginense 2. Can. 2. Taurinatense sub eodem Siricio Can. 7. Carthaginense 5. sub Anastasio Can. 5. & habetur *cap. cum de quorundam distinct.* 84. Carthaginense 6. Can. 28. Toletanum 2. sub eodem can. 1. Telense sub Zosimo, vbi probata est Epistola Siricij de qua supra. Africanum sub Celestino & Bonifacio can. 37. Idem postea Leo I. epist. 84. numero 4. quem cap. præcedenti retulimus & epistola 92. ad Rusticum Narbonensem numero 3. & habetur in *cap. lex continentiæ distinct.* 31. Concilium Arausicanum 1. sub eodem Leone Can. 22. coniugatos ordinari prohibet, nisi in diaconatu professione castitatis emissa; & cap. 23. si aliter ordinetur reijci, & can. 24. Taurinatensis Concilij decretum probat, ne promoueantur. Idem repetitum postea in Concilio Turonensi 1. c. 1. & 2. *Quod si coniugio dederint operam ne ministrent, nec vlterius promoueantur ad superiorem ordinem.* Agatense canone 9. Siricij decretalis mentione facta, & cap. 16. præcipitur, vt antequam diaconus ordinetur, vxoris requiratur voluntas, nec aliter ordinetur. Gerundense in Hispania can. 6. *vsque ad subdiaconum, vt semper alterius fratris vtatur auxilio, cuius testimonio vita eius clarior appareat.* Aurelianense 3. can. 2. Ne misceantur etiam subdiaconi vxoribus antea ductis, alias non ministrent. Aruernense c. 12. Ne etiam subdiaconi copulentur, sed vt fratres & sorores viuant, alias nec ministrent, nec promoueantur. Aurelianense 4. can. 17. alias degradentur. Aurelianense 5. can. 4. Turonense 2. can. 20. etiam subdiaconis iniungit, ne misceantur vxoribus. Matisconense 1. can. 11. Lugdunense 2. can. 1. Toletanum 3. can. 3. vult ne viuant in eodem conclaui; imo, si fieri potest, neque in eadem domo. Gregorius lib. 1. epist. 42. subdiaconis etiam præcipit, vt ab vxoribus abstineant, & lib. 3. epist. 5. & epist. 34. Altisiodorense can. 21. etiam subdiaconis præcipit ne misceantur antea ductis vxoribus. Zacharias Pontifex epist. 1. columna 2. & epistola 7. can. 11. Vuormatiense can. 9. Moguntinum sub Arnulpho Rege can. 19. Idem statuit etiam in subdiaconis, sicut & Vuormatiense, Neocæsarienses, & Carthaginenses 2. mentione facta. Humbertus in disputatione citata. Melsitanum sub Vrbano II. can. 2. Claramontense sub Vrbano II. in fragmentis columna 3. iuxta editionem Seuerini. Hæc retuli ex primis vndecim annorum centurijs, recentiora additurus alio loco. Ex quibus plane constat perpetuo iniunctam abstinentiam â proprijs vxoribus apud Latinam Ecclesiam his, qui ordinabantur.

2 Nec paucioribus, aut minus antiquis decretis præceptum etiam in Ecclesia Latina ijs, qui non coniugati ad sacros ordines ascendebant, vt perpetuò seruarent continentiam, matrimonijs omnino prohibitis. In primis ita statuerunt Apostoli apud Clementem Romanum lib. 6. constit. cap. 17. *Episcopum, ac presbyterum, & diaconum ordinari præcipimus, qui sint Monogami, idest vnius vxoris viri, siue vxores eorum superstites sint, siue non; post ordinationem tamen, si vxores non habent, præcipimus, vt non liceat amplius ducere: aut si antea duxerant, non alias in matrimonium accipere: sed potius, quod cum haberent, ad ordinationem venerunt contentos esse.* Extat etiam canon Apostolorum 27. quem infra referemus. Omitto Græcorum Concilia Ancyranum, Neocæsarienses, de quibus cap. præcedenti, Romanum 2. sub Syluestro can. 8. vbi subdiaconis transitum ad nuptias apertissimè prohibet. Concilium Carthaginense 2. can. 2. vbi non tantum à proprijs vxoribus abstinentia, sed absolutè omnibus Episcopis, presbyteris, & Leuitis castitas indicitur; & can. 37. Concilij Africani alijs clericis permittitur, vt iuxta Prouinciæ suæ morem degant, idest, subdiaconis & inferioribus alijs ordinibus. *Cap. cum in præterito distinct.* 84. Veneticum sub Leone I. can. 11. *Presbyteri, diaconi, subdiaconi, vel deinceps, quibus ducendi vxores licentia non est, &c.* Eadem repetit Concilium Agatense can. 39. habeturque *cap. Presbyteri* 34. *distinct.* Aurelianens. 2. Can. 8. *Siquis Diaconus in captiuitatem redactus vxori fuerit copulatus, rursus ab officij ministerio omnino remouendus est, cui sufficere debet pro actus sui leuitate impleta pœnitentia pro satisfactione communio.*

Tole-

Toletanum 2. capit. 1. *professio castitatis ante subdiaconatum, vel si ante ordines nupserint, velintque initiari, profiteantur etiam abstinentiam à proprijs vxoribus.* Aurelianense 3. *cap. 2. vt nullus clericorum à subdiacono, & supra, & quos vxores in proposito suo accipere inhibetur. &c.* Gregorius ibi lib. 1. epist. 42. columna 4. subdiaconos prohibet ad sacros ordines admitti, nisi se castè victuros profiteantur, habetur in *cap. ante triennium* 31. *distinct.* & lib. 11. epist. 51. interrogatione 2. tantum extra sacros ordines constitutis dat licentiam vxores accipiēdi, si se continere noluerint. Continentia etiam præcipitur in Toletano Concilio sub Recaredo tēpore Gregorij I. can. 1. & in Oscensi sub eodem Gregorio I. can. 2. & in Egarensi, siue Tarraconensi can. vnico Toletanum 4. can. 26. iubet emitti coram Episcopo professionem castitatis, & Toletanum 8. canon. 5. 6. matrimonia interdicit, & Concilium Rhemense sub Eugenio II. ca. 2. Matrimonium etiam subdiaconis prohibet. Nicolaus primus epist. 70. col. 3. in eo reprehendi Latinos à Græcis, quod Latini presbyteros fortiri cōiuges prohiberēt. Moguntinum sub Arnulpho can. 19. decreti Neocæsarēsis mētione facta, prohibet matrimonium etiam subdiaconis: & in Moguntino sub Leone VIII. sacerdotum coniugia prohibentur. In Tolosano sub Victore II. can. 6. in Romano sub Nicolao II. can. 3. etiam de subdiaconis. Et Alexander II. *cap. siquis à modo distinct.* 81. *cap.* 26. & sequentibus. Gregorius VII. lib. 1. epistola 62. Romanum sub Gregorio VII. Mogūtinum sub Gregorio VII. Quintiliburgense sub Gregorio VII. can. 6. Melfitanum sub Vrbano II. can. 11. Placentinum sub Vrbano II. can. 5. Quintiliburgense sub Paschasio XI. Idem etiam statutum innumeris alijs, quæ alio referemus sigillatim loco.

3 Atque hæc quidem lex de seruanda continentia, non contrahendi matrimoniū post ordinationem existimo constanter seruatam esse in Ecclesia Latina, & Occidentali in Leuitis, presbyteris, & Episcopis. Et quanuis Petrus Damianus in epistola ad Chumbertum Episcopum Taurinensem scribat in Concilio Triburiensi constitutum esse, vt liceret sacris hominibus post ordinationem etiam ad matrimonia transire. At ea constitutio non extat in Concilio Triburiensi, & forsan non fuit de nouo matrimonio ineundo, sed de transeundo ad vsum matrimonij antea contracti. Quod etiam in iure dicitur matrimonio copulari, vt ostendi multis testimonijs cap. præcedenti. At legem continentiæ de abstinendo ab vxoribus antea ductis aliquando etiam interrupram in Ecclesia Latina, non solum in subdiaconis, sed & in Episcopis, presbyteris, & diaconis, existimat Gabriel Vazquez disp. 248. c. 2. eo inductus quod Concilium Illiberitanū dicat: *Placuit in totū prohiberi Episcopis, &c.* illa enim particula, *in totum*, indicat tunc latam legem de seruanda omni tempore continentia à proprijs vxoribus. Cæterum non videtur sufficiens fundamentum, vt dicamus eam legē interruptam in occidentali Ecclesia. Quare illam particulam, *in totum*, accipio, id est vniuersē, quia ad omnes extendit Cōilium legem illam, tam ad Episcopos, quam ad presbyteros, diaconos, & subdiaconos, cum tamen de subdiaconis non esset omnino recepta, vt dicam statim. Igitur lex continentiæ, & de non nubendo, & abstinendo ab vxoribus antea ductis constanter quidem in Episcopis, presbyteris, & Leuitis seruata est in occidentali Ecclesia.

4 At in subdiaconis coniugatis non semper, neque apud omnes Ecclesias occidē tis; sed apud aliquas vsu, & lege receptum, vt abstinerent ab vxoribus antea ductis, apud alias verò non. Apud Hispanos quidē antiquissimo Canone id prohibitum etiam subdiaconis, vt constat ex Illiberitano can. 33. & Gerundensi can. 6. Postea tamen sequentibus Hispaniæ Concilijs à diaconis, & supra tantum obseruatum esse constat ex Toletano 1. can. 1. vbi tantum diaconos vsos vxoribus prohibet promoueri ad presbyterium, & presbyteros etiā nulla de subdiaconis mentione facta. Idem habet Toletanum 3, canone 5. & expressissimē constat ex epistola Siricij ad Himerium Tarraconensem Episcopum, de qua supra isto capite. & habetur cap. *quicumque dist.* 78. vbi expresse subdiaconis vsus coniugij permittitur. Quanuis in Gerundensi, quod post Toletanum 1. celebratū est; expresse etiam de subdiaconis caueatur. Nec mirum non ad eo seueram continentiæ legem impositam apud Hispanos subdiaconis, cum etiam bigami permitterentur in subdiaconatu ministrare Concilio Toletano 1. can. 3. *Item constituit Sancta Synodus, vt lector fidelis, si viduam alterius vxorem acceperit, amplius nihil sit, sed semper lector habeatur, aut forte Subdiaconus.* Quamuis enim bigamus ve-

rè remoueatur à subdiaconatu, habendus inter ostiarios, lectoresque tantummodo eodem Concilio Toletano 1. c. 4.

5 Extra Hispaniam verò in Africa diuersam quoad subdiaconos consuetudinem extitisse ostendit Concilium Carthaginense 5. cap. 3. vbi in presbyteris & diaconis expressè requiri continentiam; in subdiaconis vero vt seruetur Ecclesiarum diuersa consuetudo, habetur *Cap. cum de quorundam, distinct. 84.* Idem constat ex Concilio Africano, sub Celestino & Bonifacio cap. 37. Eandem etiam varietatem extitisse in Gallia & in Italia constat. Nam Arelatense 2. cap. 2. exigit, vt ad sacerdotium promittatur conuersio; & de Leuitis, & sacerdotibus Turonense 1. cap. 1. & 2. Agathense cap. 9. & cap. 16. Lugdunense 2. cap. 1. Telense cap. 9. vbi recipitur Epistola Siricij Papæ, quæ tantum Leuitis & presbyteris vxoris vsum prohibet. Et de Siciliæ subdiaconis constat ex Gregorio I. lib. 1. Epist. 42. & habetur *cap. ante triennium d. 31.* At verò in alijs etiam subdiaconis expressè prohibetur vsus coniugis, vt in Moguntino sub Arnulpho Rege cap. 19. Taurinatensi cap. 7. Arausicano 1. cap. 24. vbi Taurinatēse probatur decretum, Aurelianensi 3. cap. 2. Aruernensi cap. 12. Aurelianensi 5. cap. 4. Turonensi 2. cap. 20. Matisconensi 1. cap. 11. ibi, *vel vniuersi honoratiores clerici*, Altisiodorensi cap. 21. Melsitano cap. 3. & alijs suprà relatis.

6 Nec solùm subdiaconi coniugati ante ordinationem non coacti vniuersali lege seruare continentiam à proprijs vxoribus, sed neque illis vniuersè prohibitum cõiugium, non enim apud omnes Ecclesias fiebat professio castitatis in subdiaconatu. Id quod non obscurè colligitur ex Epistola citata Gregorij I. & ex Toletano 8. cap. 6. Cũ enim à subdiaconis exigit castitatis sponsionem inquit: *Sicut in quibusdam Ecclesijs vetustas tradit antiqua, & sacra dignoscitur consuetudo subsistare probata.* Igitur aliquarum Ecclesiarum ea erat consuetudo, non omniũ. Neque mirum quod tanta varietas in subdiaconis reperiatur, cum subdiaconatus non ab omnibus Ecclesijs inter maiores ordines reputaretur: Vnde nec iuris diuini, sed Ecclesiasticæ institutionis esse ordinem istum nõ nulli Theologi docuerunt, licet non rectè. Videmus etiam à Chorepiscopis collatum, quibus maiores ordines conferre illicitum, & ea tantum concessa, quæ iure Ecclesiastico inducta sunt, de quo aliàs lib. 1. de ordine, & illi annexis. Vnde etiã & facile cum illis dispensatum, vt nubant, vt dicam infra cap. 26. vide etiam textum in *cap. à multis, de ætate & qualit.* Quare licet antiquam legem continentiæ in subdiaconis esse constet, non tamen illa à principio Ecclesiæ extitit, neque eodem tempore incepit apud omnes Ecclesias.

7 Ex his, quæ hactenus dicta sunt, colligitur primo. Ecclesiasticos sacris ordinibus initiatos non teneri iure diuino ad seruandam continentiam, sed iure tantum Ecclesiastico, quo sacris ordinibus annexũ est votum continentiæ, vt latè docet Gabriel Vazquez disput. 247. cit. & nos dicemus nonnulla infra cap. 27. & plura in tractatu de ordine, & constat etiam ex his, quæ tam in hoc cap. quàm præcedenti dicta sunt de continentia subdiaconorũ in Ecclesia Latina, & de continentia eorum, qui apud Græcos sacris initiabantur, quorũ matrimonia etiam post ordinationem valuisse satis supra cap. 23. demonstratum est.

8 Secundò colligitur continentiæ legem antiquissimam esse in Ecclesia Latina & Græca contra libidinosos Hæreticos, qui illam oppugnare contendunt. Vnde ab Apostolis deriuatam meritò dixit Carthaginense 2. cap. 2. habetur *Cap. Episcopos d. 31. & cap. cum in præterito d. 84.* Apostolica igitur est lex ista, quod non rectè negauit Gratianus in *cap. Sors 26. quæst. 2. & cap. cum igitur 35. quæst. 1.*

9 Tertiò colligitur continentiam hanc seruatã ab initiatis ex emisso voto, id quod constare potest ex Aurelianensi 2. cap. 2. habetur *cap. assumi d. 28.* ibi, *nisi fuerit promissa conuersio, & cap. nullam dist. 28. & cap. quamquam distinct. 23.* Sed antiquior est Canon 10. Ancyrani Concilij, & habetur *capit. Diaconi cit.* ibi, *professi fuerint continentiam*, quod asseritur non tanquam recens institutum, sed vsu & auctoritate receptum. Cui adiũge etiã Can. 18. eiusdẽ Cõcilij habetur *c. quotquot 27. q. 1. Quotquot virginitatẽ pollicitam præuaricati sunt, professione contempta inter bigamos habentur.* Quo loco ipse contextus satis indicat agi de clericis, & sacris ordinibus initiatis. Adiuuariq; id potest ex Concilio Gangrensi in fine. Adde quod initio Ecclesiæ ad statũ vidualẽ nõ admittebatur, nisi emisso voto cõtinentiæ. Idẽ ergò in viris seruatũ verosimile est. Addendũ tamen, sicut in religiosi instituti susceptione erat professio tacita per longinqui temporis gestationẽ habitus, & etiã expressa; ita mihi videri

videri probabile, quod docuit Gregorius de Valentia 2.2.disp.9. generali q.5.puncto 3.Gabriel Vazquez disp.247.c.6.n.98.& 99. fuisse tacitam & expressam professionem continentiæ in ordinibus suscipiendis, ipsamque ordinis Ecclesiastici susceptionem iuxta Ecclesiæ leges fuisse tacitam promissionem, & emissionem voti continentiæ; illaque ita obligari, & ab Ecclesia compelli, ac si expressè votum emisissent castitatis, non secus ac ij, qui longo tempore habitū religiosum gestauerant, vt constat ex ijs quæ dixi supra cap.20.

10 Quod verò attinet ad eos, qui in minoribus ordinibus constituti erant, certum est, illis matrimonium contrahere semper licuisse, vt constat ex Canone Apostolorū 25.aliàs 27. *Innuptis autem, qui ad clerum electi sunt, præcipimus, vt si voluerint, vxores accipiant, sed Lectores, Cantoresque tantummodo.* Et lib.6. constit.cap.17.ab illis verbis, *Item Ministros, Cantores, &c.* Idem postea repetitum in Concilio Carthaginensi 3.cap.19.& in Concilio Vasensi 2. aliàs 3. cap.1. & in Toletano 2.cap.1.explorabatur eorum voluntas de matrimonio ante subdiaconatū: Aurelianensi 3. Can.1. Vuormaciensi sub Adriano II. Can.68, & Moguntino sub Arnulpho cap.19.Quanquam propter Canonem Apostolicum aliquantulum dubitare cogor, an omnibus his, qui minoribus ordinibus initiati erant, permitteretur coniugium post ordinationem, cum expressè tantum concedat Lectoribus, atque Cantoribus; nisi forte quis dicat horum nomine omnibus minoribus ordinibus initiatos comprehendisse Apostolos suo Canone.

De vxoribus relictis ab ijs, qui initiabantur.

CAPVT XXV.

SVMMARIVM.

Quæ Episcopa presbytera, &c.n.1.
Presbyteræ nomen in alia significatione etiam vsurpari, n.2.
Vxores eorum qui initiabantur, voto castitatis adstrictas etiam olim, n.3.
Religionem professas nonnulli censent, n.4.
Vera sententia sub distinctione, n.5.6.7.
Matrimonia earum non valere quorundam opinio, n.8.
Vera sententia valuisse, n.9.10.

1 EX his, quæ in superioribus dicta sunt, iam non erit difficile intelligere, quid sibi velint illa nomina, quæ sæpè in libris Ecclesiasticis occurrunt, *Episcopa, presbytera, diaconissa, subdiaconissa,* & huiusmodi alia. Est enim obseruandum, Episcopas, presbyteras, diaconissas & subdiaconissas dictas fuisse eorum vxores, qui ad eiusmodi gradus Ecclesiasticos in Ecclesia assumebantur, ipsis etiam vxoribus cælibem vitam agentibus, vt explicaui supra c. 21.& etiam illo c. Vnde eiusmodi nomina non ab aliquo Ecclesiastico ministerio accepta sunt, sed potius à virorum ordinibus deducta, vulgari quodam vsu potius, quam vlla vera ratione indita. Constant hæc omnia ex Concilio Turonensi 2. sub Ioanne 3. cap. 14. *Episcopum Episcopam non habentem nulla sequatur turba mulierum.* Ex Canone autem 13. constat intelligi coniugem Episcopi, vbi decernitur qualiter se erga illam gerere debeat, vt suspicio contubernij omnino remoueatur. Et Canone 20. *Si inuentus fuerit presbyter cum sua presbytera, aut diaconus cum sua diaconissa, aut subdiaconus cum sua subdiaconissa, annum integrum excommunicatus habeatur, &c.* Sic etiam accipiendum quod Gregorius lib. 4. dialogorum cap.11. scribit de presbytera. Extat etiam Zachariæ decretum de non admittenda in contubernium presbytera, diacona, vel monacha. Basilius etiam Epistola ad Paregorium presbyterum de eisdem meminit. Et Altisiodorense Concilium Canon.21. Quo iubetur, *ne presbytera cum suo presbytero dormiat, & cap. si quis rapuerit Ascetriam diaconissam, monacham 27. quæst. 1.* ex Iustin. nouella, & anteceſſore Iuliano.

2 Non tamen negauerim *presbyteræ* nomen in alia etiam significatione vsurpatum. Significat enim seniores viduas, vt constat ex Concilio Laodiceno Can. 11. iuxta secundam translationem quæ *presbyteras* ideſt, *seniores viduas* interpretatur; & apud Athanasium ad virgines iuxta Græcæ vocis Etymologiam presbytera senior fœmina dicta est. Vnde Photius in suo Nomocanone tit.1. cap.37. notat diuersam esse presbyteram à diaconissa. De alia autem acceptione diaconissæ, & eius officio in Ecclesia dico in tract.de ordine lib.1.

3 Sed antequam ab ijs discedamus, in-

quirenda nonnulla sunt & explicanda. Primum est, an vxores eorum, qui sacris initiabantur, voto etiam castitatis adstringerentur. Loquor autem de vxoribus eorum, qui continentiæ lege tenebantur à die ordinationis iuxta dicta capitibus præcedentibus. At voto eas fœminas adstringi facile discesex *cap. Agathosa* cum sequentibus 27. q. 2. & *cap. Qui vxorem* 33. q. 5. & ex Concilio Agathensi Can. 16. & 17. & habetur *in cap. Episcopus, d.* 77. & ex Humberto Leonis VIII. legato in responsione ad Nicetam, & habetur in *cap. seriatim d.* 32. & *ex cap. cum sit, & cap. cum vxoratus de conuersione coniugatorum.* Et de hoc multa Doctores in extrau. antiquæ Ioannis 22. de voto & voti redemptione.

4 Sed inquirendum vlterius. An vxores eorum, qui initiarentur, religionis professioni addicerentur? Inquo Soto in 4. dist. 37. q. 1. art. 2. post secundam conclus. inquit non solum necessarium fuisse vxoris cõsensum, sed etiam requiri, vt ipsa religionem ingrederetur probat ex *cap. Agathosa cit. & cap. cum sis, & cap. ex parte, de conuersione coniugatorum*; consentit Glossa in *d. extrauaganti antiqua & in cap. coniugatus, de conuersione coniugatorum.*

5 Ego tamen sub hac distinctione respondeo. Primô olim, siue quis assumeretur ad sacros ordines, siue ad Episcopatum, nullo iure cautum erat, vt vxores eorum religionem profiterentur, sed tantum vt votũ castitatis emitterent. Id quod manifestê cõstat ex *d. c. Episcopus dist.* 77. ibi enim tantum dicitur vxoris voluntas requirenda est, & sequestrato habitationis cubiculo, religione promissa, postquam ambo conuersi fuerint, ordinetur. Verbum enim illud *religione promissa*, non de professione religionis, sed de emisso voto castitatis in sæculo, quod est opus religionis interpretor, cum glossa in *d. cap. Episcopus. v. religione.* Quod idem significatum verbo illo *conuersi fuerint*; Idque manifestê constat, cum vterque dicatur conuerti: at is qui ordinabatur, nequaquam religionem, sed castitatem tantum profiteretur. Idem ergo præstabat vxor initiandi sacris, & nihil amplius.

6 Deinde dico iure nouo Alexãdri III. *in cap. sane de conuersione coniugatorum*, statutum esse, nequis vxoratus in Episcopum ordinetur, nisi prius vxor continentiam professa sacrum sibi velamen imponat, & religiosam vestem; velamen autem sacrum, & religiosa vestis signa sunt non tantum continentiam in sæculo vouentis, sed & religiosæ vitæ se addiscentis.

7 Denique dixerim, neque antiquo iure, neque nouiori requisitum fuisse, vt vxores eorum, qui ad alios sacros ordines præter Episcopatum promouebantur, religionem profiterentur, sed tantum vt continentiam in sæculo vouerent, siue in senili, siue in iuuenili ætate essent constitutæ. Nam textus in *d. cap. sane* solum agit de his, qui Episcopi ordinabantur; textus etiam Alexandri III. in *d. cap. coniugatus de conuers. coniug.* in quo de alijs ordinatis agitur, solum exigit, vt continentiam profiteantur ibi, *Nisi ab vxore continentiam professa fuerit absolutus*, quo verbo glossa ibi intelligit simplex castitatis votum. Vnde in eo discriminantur vxores eorum, qui ad religionem transeunt, quod istæ profiteri religionem compelluntur, nisi senes sint *cap. cum sis de conuers. coniug.* At eorum, qui ad ordines assumuntur, minimê. Discriminantur etiam vxores eorum, qui ad Episcopatum euehuntur, & qui ad alios ordines ascendunt, quod illæ profiteri religionem, istæ continentiã tantum vouere coguntur, idque forte sic cõstitutum est ob maiorem reuerentiam statui Episcopali debitam. Quæ quidem in iure satis perplexa & implicata à nobis distinctê, & nisi fallimur, verè tradita & explicata sunt. Nunc autem ex consuetudine tantum recepta non admittitur vir ad sacros ordines, nisi vxor, quæ iuuenis est, religionem ingrediatur, & profiteatur; & quæ senex est voueat continentiam.

8 Sed hinc oritur alia implicatior quæstio, quam intactam relinquere non oportet, an earum fœminarum matrimonia post mortem Episcopi, presbyteri, vel diaconi, quas adstrictas voto continentiæ diximus, valerent? Nulla esse dixit Turrecremata in *cap. si mulier distinct.* 28. eo quod existimauit vota earum esse solemnia, atque adeo dirimere iuxta communem doctrinam in *cap. vnico de voto in 6.* At Glossa in *cap. si se quisquam eadem distinct.* nulla fuisse dicit ea matrimonia ex speciali iuris dispositione, quã sententiam sequuntur non pauci ex antiquis & Recentioribus, quos refert, & sequitur Ioannes Azor tomo 1. instit. moral. lib. cap. quæst. & Gabriel Vazquez 3. tomo citat. disputat. 247. cap. vltimo num. 140. Sicut & matrimonia eorum, qui simplicia vota emiserunt in Societate Iesu post biennũ sunt nulla ex speciali Gregorij XIII. dispositione.

9 Ego tamen semper existimaui. Primũ relictæ Episcopi, presbyteri, imo & eorũ, qui minoribus ordinibus initiabantur, prohibita fuisse coniugia. Constat ex Aurelianensi 1. c. 15. Epaunensi Can. 32. Matisconẽsi 2. Can. 16. extat etiam de eo decisio Gregorij 1. lib. 11. Epistola vltima, alia etiam de creta retuli supra cap. 21.

10 Deinde dico eorum matrimonia valuisse. Nam in Cõcilio Toletano 1. Can. 16. relictæ Episcopi si nupserit, negatur Eucharistiæ communio, nisi in fine vitæ, neque alia imponitur pœna. Id quod etiam ex eo conuinco. Quia eodem modo Canones Cõciliorũ loquũtur, & sub eadem forma verborum prohibent matrimoniũ viduis Episcopi, presbyteri, Diaconi, & viduis Acolythi & exorcistæ: etsi nupserint separari iubent, vt disces ex Matisconensi cit. At credi non potest viduam Acolythi inhabilem ad matrimonium reddi, cum his qui in minoribus ordinibus ministrabant, non esset prohibitũ cũ vxoribus suis dormire, neque tenerentur professione castitatis, vt supra ostensum est, imo presbyteri reperti cũ sua presbytera dormire, inter lectores ministrare permittebantur in Concilio Turonẽsi 2. Can. 20. Quare, si præcipiunt Canones aliquando, vt huiusmodi viduæ iterum nubentes separentur, intelligendi sunt de separatione tantum tori ad tempus in pœnam violati præcepti. Quod supplicium olim frequens in Ecclesia ob alia commissa crimina, vt latè diximus in superioribus c. 20. & 21. Nũc autem si iam vxor religionem professa est, non valet matrimonium; si vero mansit in sæculo cum voto continentiæ, matrimonium valet, quia tantum est simplex votum. Atque hæc quæ isto cap. diximus obseruanda sunt ad ea, quæ dicemus inferius lib. 9. cum de transito coniugati ad sacros ordines & religionem sermo fuerit.

Explicatur Canon Quintus Apostolorum, & quæ sint sub introducta mulieres.

CAPVT XXVI.

SVMMARIVM.

Explicatur Canon 5. Apostolorum, n. 1.
Vxores eorum qui coniugati ordinabantur, olim domi retentas, n. 2.
Obiectio diluitur, n. 3.
Id postea sublatum, n. 4.
Quid sub introductæ, & extraneæ variè sentiũt & num. 5.
Idem esse, & conuenire hoc nomen etiam si non essent concubinæ, ibidem.
Probatur ex Conciliorum decretis, n. 6. 7. 8.
Alia melior interpretatio eorum vocum, n. 9.

1 CAnon Apostolorũ quintus in hæc verba conceptus est: *Episcopus, vel presbyter, vel diaconus vxorem suam, ne eijciat religionis prætextu: sin autẽ eiecerit segregetur, etsi perseueret, deponatur.* Hoc Canone Apostolico abusi sunt Patres 6. Synodi in Trullo Can. 13. vt suam legem Ecclesiæ Græcæ moribus, vt ipsis videbatur, conuenientem statuerent, vt visum est supra c. 23. Quare explicanda est huius Canonis sententia, quæ non difficile constat ex his quæ hactenus in præcedentibus dicta sunt. Planè enim colligitur Apostolos in isto Canone non ideò præcepisse Episcopis & presbyteris, & diaconis, ne suas vxores domo eijcerent, quasi continentiæ auctores voluerint eas domi retineri ad vsum coniugalẽ, vt existimarunt Patres in Trullo congregati Can. illo 13. & existimauerit etiam Michael Medina lib. 2. de contin. c. 16. in quo pugnat cum his, quæ ipse docuerat eodem lib. c. 36. 37. & 39. & cum veritate ipsa. Siquidem vt supra c. 23. & 24. ostendimus, ea lex continentiæ à proprijs vxoribus non est recens in Ecclesia, sed ab ipsis Apostolis deriuata, & ideo lex Apostolica. Præterea id quod Apostoli præcipiunt, ne vxorem eijciat religionis prætextu, indicat professionem castitatis ex voto & lege; is enim apte dicitur religionis prætextus idest prætextus obligationis ex religione & voto prouenẽtis. Cum ergò eo tempore multi coniugati de vxorum etiam consensu promouerentur ad sacros ordines, etiam Episcopatus, ne maritorum consecratio occasio esset vxorum ruinæ, cauerunt Apostoli, & strictè præceperunt sub pœna depositionis, nequis ex cõiugatis ad sacros ordines assumptus eo quæsito colore, quod castitatem in ipsis ordinibus professus esset, earum curam abijceret, sed potius domi retineret, illiusque curam gereret.

2 Nam olim primis Ecclesiæ temporibus, qui sacris initiebantur, si coniugati erant, vxores domi retinebant separata tamen habitatione & diuisa, vt nulla inter eos communicatio esset, vt Apostoli præceperunt. Id constat ex Canonibus adductis cap. præcedenti, & ex Turonensi 2. Can. 13. *Episcopus coniugem vt sororem habeat,*

habeat, & ita sancta gubernatione gubernet domum omnem tam Ecclesiasticam, quam propriã, vt nulla de eo suspicio quaquam ratione consurgat. Et infra: *Tamen propter Zelotem Deum nostrum tam longè absint mansionis propinquitate diuisi, vt nec ij, qui ad spem recuperandam clericorum seruitute nutriuntur famularum propinqua contagione polluantur.* Idem etiam indicat initium Canonis sequentis: *Episcopum Episcopam non habentem nulla sequatur turba mulierum*, quasi supponat Episcopum Episcopam habẽtem mulieres comitari, eas, scilicet, quæ Episcopæ famulabantur. Idẽ etiã constat ex Concilio Carthaginensi sub Aurelio cap. 17. ibi. *Et quæcumque domestica necessitate antequam ordinarentur iam cum eis habitabant*; & ex Gerundensi cap. 7. ibi, *Qui sine vxoribus ordinantur.* Idem indicat Gregorius lib. 1. Epist. 50. ad Symmachum ibi, *vel etiam vxore, quæ castè regenda est.* Idem etiam constat ex Iustiniano in *Authen. de Sanctis Episc. §. presbyteris collat. 9.* cum non habentibus vxorem prohibetur, ne secum in eadẽ domo aliquam fœminam habeãt præter Canone permissas, & apertissimè antea lege constituerant Honorius & Theodosius, *l. eum qui de Episcop. & Cler. C. Theodosiano lib. 16. tit. 2.* Idem etiam colligitur ex Canone 12. 6. Synodi in Trullo, quem expendemus statim. Cum enim à cohabitatione clericorum remouerentur extraneæ, siue sub introductæ, permissum tamen Canonibus vt cum illis habitarent mater, auia, amita, vxor, soror filiæ & filiorum vxores, vt ex citandis Canonibus constat interse collatis. Nec vero eo tempore incontinentiæ periculo exponebantur, si vxores domi retinere permitterentur, illi enim ministri eligebantur, quorum casta vita etiam post matrimoniũ lõgo tẽpore probata & explorata esset.

3 Neque obstat quod *capite omnino 31. d.* Humbertus explicans hunc Apostolorum Canonem, inquit ita intelligendum, vt nõ abijcerentur vxores à cura maritorum, sed tantum à toro. Hoc enim non ita accipiendum est, quasi ejicerentur à domo, non tamen à cura eas alendi, sed tantum contendit Humbertus in eo Canone non concessisse Apostolos sacris hominibus, vt cũ vxoribus suis dormirent. Separato igitur lecto domi retinebantur.

4 Hunc autẽ morẽ vxores domi retinẽdi perseuerasse video, vt ex citatis testimonijs liquet, vsq; ad tẽpora 6. Synodi in Trullo, in quo quod ad vxores Episcoporũ attinet, hic Apostolorũ Canon reuocatus est. Siquidem in eo Trullano præceperunt, vt deinceps nullus Episcopus in Lybia & Africa cum vxore sua habitaret. Audierunt enim patres, multos in Lybia, & Africa offendi, eo quod viderent Episcopos vna cum vxoribus suis habitare in eadẽ domo. In eo autẽ Canone inter alia hæc habentur: *Hoc antẽ dicimus non ad ea abolenda, & euertẽda quæ Apostolicè antea constituta sunt, sed ad meliora progressionis curam gerentes, & ne status Ecclesiasticus illo probro afficiatur*: Rectẽ namque nouerunt Patres contra Apostolorũ Canonẽ tunc pronuntiasse, & ita contra Apostolica instituta decreuisse. At quia id non definierũt libidine contradicendi Apostolis, sed Episcopalis honoris zelo, ideo dixerunt, *non ad ea abolenda & euertenda, &c.* Supponunt etiam huius Canonis Trullani auctores Africanos Episcopos continentiam profiteri: aliàs iniustẽ priuarentur vxorum consortio, & nulla præterea esset ratio, cur populi offenderentur ex eo, quod Episcopi castitatẽ non professi secũ in eadem domo vxores retinerent. Quare non rectè Spencæus lib. 1. de continentia c. 4. aliquantulũ à principio docuit 6. Synodũ non præcepisse, vt Episcopi vxores domo expellerent, sed vt ab illis se se cõtinerẽt. Aperta enim sunt Canonis verba, quæ iubent vxores domo ejici ob eam scãdali rationẽ. Adde etiã, vt ex dictis abunde satis demonstratum est, apud Africanos non solum Episcopos, sed presbyteros, & diaconos antiquissimã fuisse legem continentiæ. Atque ex his corriges Balsamonem, qui in commentario eius Canonis inquit prædictum Canonẽ Apostolicum exoleuisse quoad presbyteros, & diaconos. *Episcopi enim*, inquit, *vt dictum est, post Episcopatũ vxores habere non possunt.* Mẽdum enim subesse videtur, & corrigendum *non exoleuisse.* Cum enim Balsamon intelligat hoc Canone Apostolico præcipi retentionem vxorum ad maritales congressus, nõ potuit verè affirmare exoleuisse prædictum Canonem quoad presbyteros, & diaconos, sed potius quoad Episcopos, quibus sublatum, vt vxores domi retinerent.

5 Sed antequam progrediamur ad alia, explicemus oportet, quid sit id, quod à tempore Concilij Illiberritani, atque Nicæni multis postea Canonibus cautum est; *ne clerici secum habeant extraneas, aut subintroductas fœminas.* In quo explicando iuris interpretes & Doctores in varias sententias diuisi sunt, imo hallucinati. Nam quidam *subintroductas fœminas* vxores esse censuerunt illorum,

rum, qui ad clerum assumebantur; extraneas verò fœminas suspectæ opinionis. Sic Turrian. lib. 2. de Characteriſt. dogmat. Alij vero existimant subintroductam & extraneam dici eam, quæ libidinis socia in eadē cum clerico domo remanebat. At verò alij existimant variis Conciliorum decretis interse collatis, eam extraneam dici, quæ licet honeste viueret, nullo tamen coniuncta sanguinis iure, aut matrimonij vinculo teneba tur, & in eadem cum clerico degebat habitatione. Itaque extraneæ & subintroductæ eædem sunt; extraneæ quidem dictæ, quod neque agnationis, aut matrimonij nexu iungerentur; subintroductæ autem, vt inquit Nicephorus lib. 6. hist. cap. 30. quod clàm, & contra Canones domum ducerent clerici, vel subintroducerent. Clericorum enim vitam cum non solum ab omni malo, sed ab omni mali suspicione alienam esse Patres voluissent, & suspicione præsertim libidinis, quæ cum sacerdotali puritate omnino pugnat, ideo ad consortium fœminarum aditum præcluserūt rati videlicet id quod res est, flammam fumo, vt ait ille, proximam esse, sicque eius quod vitare velis, periculi occasionem mature fugiendam, vt qui corrumpi nolit, à corrumpentium abstineat cō suetudine; & qui non iacere cum fœmina, ne adiaceat, & qui non cubare, ne accūbat, & qui nec dormire, ne vna vigilet, & assiduus sit, ne locus fiat ei, quod Spiritus Sanctus docuit, *qui amat periculum, peribit in illo.* Solùm ergò Patres suo præcepto eas fœminas exceperunt, quæ tanta essent vel propinquitate, vel necessitate coniunctæ, vt in eis mentiri fama vereretur, cessante ob reuerentiam & naturæ fœdus omni suspicione periculi.

6 Extraneas igitur eas dici, quæ nullo sanguinis iure vel matrimonij vinculo pertinerent, tametsi concubinæ non essent, multis demonstrari videtur. Et vt ab Hispanis sumatur exordium. Concilium Illiberritanum c. 27. Gerundense c. 7. *de his qui sine vxoribus ordinantur, & familias domus habent habito secum pro vitæ conuersatione fratre in testimonium, non per quamcūque fœminam, siue etiā personam eorum substantia gubernetur, aut puerum, sed per amicum domum suam debeant ordinare, nisi matrem, & sororem in domo habuerint, vt secundum priorum Canonum statuta per earum personas eorum debeat contutari substantia.* Ilerdense Can. 5. Toletanum 2. Can. 3. ibi, *Nullus clericorū à gradu subdiaconatus in consortio familiaritatis habeat mulierem, vel in genuam, vel libertam, vel ancillam. Sed si fuerit, & huiusmodi seruitia matri, vel sorori, vel alij propinquæ contradat.* Hispalense 1. Can. 3. Toletanum 4. c. 41. *Cum clericis extraneæ fœminæ nullatenus habitent, nisi tantum mater, soror, filia amita, in quibus personis nihil sceleris æstimari naturæ fœdus permittit.* & c. 42. & habetur in *cap. Quidam clerici dist. 81.* ex quibus videtur constare extraneas dici, quæ neque vxores, neque consanguineæ, etiamsi concubina non esset. Cuius legis seueritatem non solum non tēperauit, sed & auxit Brachar ēse 3. Can. 8. dum omnem cohabitationem non solùm cum extraneis fœminis, sed & cum sororibus interdixit, solùm excepta matre.

7 Quod si Gallicana Concilia requiramus, occurrent multa, quæ indicabo citatis tantū locis, non adductis verbis. Arelatense 2. Can. 7. Agathense Can. 10. & 11. Turonense 1. Can. 49. Turonense 2. Can. 10. & 11. Moguntinum 1. sub Carolo Can. 49. & aliud Moguntinum sub Arnulpho Can. 10. Si verò spectemus Germaniam, & Episcoporum eius Prouinciæ morem, in promptu est Aquisgranense sub Ludouico Augusto Can. 39. repetens enim Canonem 3. Nicænum inquit: *Interdixit per omnia magna Synodus non Episcopo, non presbytero, non diacono, neque alicui omnino, qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantū personas, quæ suspicionem effugiant.* Atque hæc in Occidenti à Sanctis Patribus constituta.

8 Si autē ad Orientis Concilia animū cōuertamus, non Prouincialia tantū, sed generalia in eandē sententiam conspirarunt. Id enim desumpserunt omnia ex Concilio Nicæno 1. Can. 3. in quo ita cautū est: *Omnibus modis interdixit Sancta Synodus neque Episcopo, neque presbytero, neq; diacono, neque vlli clericorum omnino liceat habere secum mulierē extraneam, nisi forte mater, aut soror, aut auia, aut amita, aut matertera sit,* &c. Quod si respiciamus meridiem, occurrent etiam Carthaginense 1. Can. 3. Carthaginense sub Aurelio, Can. 17. & habetur *cap. cum omnibus 81. dist.* Carthaginense 4. c. 46. Quibus accedat etiam rescriptum Honorij, & Theodosij in d. *l. eum qui de Episc. & cler. C. Theodosiano,* & Iustiniani etiam in *Authent. de Episc. & cler. §. presbyteris collat. 9.* His enim omnibus effici videtur subintroductas mulieres, vel extraneas non concubinas, vel libidini seruiētes intelligi, vt alij sentiebant; sed eas tantū quæ sunt in obsequio, & clericorum minis-

sterio, etiamsi honestè viuerent, quas vulgo *amas*, siue *criadas* vocamus.

9 Sed videte an aliquid acutius & verius, quam hi Doctores inuenerimus. Ego quidem existimo in primis *sub introductas fœminas* non fuisse vxores contra Turrianũ. Id quod etiam testatur Balsamon ad Canonem 3. iam citatum ex Concilio Nicæno. Deinde existimo eas mulieres, quas sub introductas appellant Concilia, non esse easdem cum extraneis, sed hac ratione differre, quod extranea vniuersalius nomen est comprehendens quamcunque fœminam, quæ neque sanguinis, neque matrimonij nexu coniuncta cum clerico degebat. Sub introductas verò â principio dictas esse, non quascunque fœminas suspectas, sed genus quoddam mulierum medium inter vxores, & concubinas, quæ pietatis prætextu vt sorores adoptiuæ, admittebantur à clericis, & intra eandem domum recipiebantur, vt notat Scholiastes Eusebij Cæsariensis lib. 7. hist. c. 26. vbi refert Eusebius Paulum Samosatenum permisisse presbyteris, & diaconis duntaxat, qui ei morem gerebant, habere sub introductas fœminas. Itaque quædam fœminæ, quæ sub honesto sororis adoptiuæ nomine, domi cum clericis conuiuebant, subintroductæ olim dictæ sunt. Rem hanc illustrat testimonium Chrysostomi in sermone, cui titulus est *aduersus eos, qui apud se fouent sorores adoptiuas*, est in 5. tomo pagina mihi 536. in recenti editione Kerbegij, inquit enim statim post initium: *Sunt enim non nulli, qui puellas nuptias inexpertas domum ducunt, & vsque in extremam senectam inclusas tenent, ac fouent non procreandorum puerorũ gratia, negant enim secum illis rem habere: neque libidinis causa; aiunt enim, quod illas integras & incorruptas seruant.* Sed post alia explicat Chrysostomus causas, quas vnusquisque prætendebat, vt huiusmodi puellas admitteret. *Defensore, ait, caret virgo, neque virum habet, neque tutorem, neque patrem sæpe, neque fratrẽ, & indiget aliquo, qui ei manum præbeat, & solitariæ mœrorem consoletur, & vbique se pro ea opponat aduersarijs, & ipsam in securitate & portu constituat.* Idem indicat Hieronymus lib. ad Rusticum Monachum *de viuendi forma*, & in libro *de vitando suspecto contubernio*. Et Ancyranum Concilium c. 16. multo antea: *Virgines autem, quæ conueniunt cum aliquibus tanquam sorores habitare prohibemus.* Hæc ibi. Quod subsecutum postea Nicænum generale 1. quod subintroductas & extraneas prohibuit eo Canone 3.

Ordinem sacrum esse impedimẽtum dirimens, & vnde id proueniat ordini, & à quo tempore.

CAPVT XXVII.

SVMMARIVM.

Ordinem ab initio fuisse impedimentum impediens. num. 1.

Non tamen ab initio fuisse impedimentum dirimens, num. 2.

A tempore Innocentij II. esse impedimentum dirimens, num. 3.

Ordinem ex iure Diuino esse impedimentũ, quidam sentiunt, num. 4.

Impugnatur ea sententia, num. 5.

Ordinem ex se etiam seclusa voto, dirimere, Ecclesiæ tamen constetutione, num. 6.

Vera sententia dirimere ex voto adiuncto, & constitutione Ecclesiastica, num. 7.

Argumentis aliorum sit satis, num. 8.

1 His præmissis, quæ nec parum solidè, & vtiliter à nobis præmissa sunt, addendum est, Ordinem sacrum, vt ex dictis colligitur, ab initio nascẽtis Ecclesiæ apud Latinos sine exceptione, apud Græcos verò, in his qui continentiam profitebantur, fuisse impedimentum, siquidem ab initio fuit annexa professio continẽtiæ sacris ordinibus. Semel autem emisso voto impeditur coniugium, ne licitè contrahatur, & impeditur vsus coniugij antea contracti. Id autem intelligẽdum est de matrimonio contracto in ordine ad copulam, aliàs non impediretur vsus neque vinculum.

2 Sed quamuis ab initio nascẽtis Ecclesiæ ordo sacer impedierit matrimonium, nõ tamen ab eodem tempore fuit impedimentum dirimens. Petrus Soto de instit. Sacerdotum lect. 5. de matrimonio existimauit ordinem sacrum irritasse matrimonium ab initio. At Fernandus Rebellus p. 2. de obligat. iustitiæ lib. 3. quæst. 12. num. 7. à tempore Concilij Aurelianensis 3. quia separari iubentur, si contraxerint. Cæterum ego cõsequenter ad ea quæ dixi supra existimo, licet illicita semper fuerint coniugia post ordinum susceptionem, non tamen fuisse irrita. Idque colligo primò ex Concilio Ancyrano cap. 10. cit. 2. p. Canonis, vbi contrahentes post emissam professionem continen-

riæ rediguntur inter laicos, vt communicent, & à ministerio deponuntur tantum; non autem illis concederetur laica communio, nisi separarentur prius, si matrimonium illud esset inualidum. Idem colligo ex Concilio Neocæsariensi cap. 1. vbi hæc habentur: *Presbyter, si vxorem duxerit, ab ordine deponatur; si vero fornicatus fuerit, vel adulterium perpetrauerit, amplius puniri debet, & ad pœnitentiam redigi.* Vbi duo expendo. Primò à ministerio tantum deponi in pœnitentiã, non irritum declarari, idque amplius disco ex 2. p. Canonis, vbi fornicationi clerici, & adulterio grauiorem pœnam assignat, *amplius*, inquit, *puniri debet.* Ergo matrimonium antea initum non erat fornicatio, nec adulterium, & leuiori pœna puniebatur. Idem colligo ex Concilio Moguntino sub Arnulpho Rege longè post Aurelianense 5. celebrato scilicet, Anno Christi 888. sub Stephano Papa Can. 19. vbi Neocæsariense decretum refertur solummodo & probatur. Quare eodem modo expendendum est. Idem colligo ex Concilio Toletano 1. cap. 4. prope Annum 400. *Subdiaconus qui defuncta vxore, si aliam duxerit, ab officio, in quo ordinatus fuerit remoueatur, & habeatur inter ostiarios, vel lectores; ita vt Euangeliũ, & Apostolum non legat, propterea ne qui Ecclesiæ seruierint, publicis officijs seruire videãtur. Qui vero tertiam, quod nec dicendum nec audiendum est, acceperit, abstentus biennio postea inter laicos reconciliatus per pœnitentiam communicet.* Ex quo planum coniugia subdiaconi non esse irrita. Idem quoad subdiaconos etiam constat ex Toletano 8. cap. 6. Non itaque erant à principio inualida matrimonia post ordinationem contracta. Nec ego primis mille annis vllam legem Ecclesiasticã vniuersaliter receptam inuenio, quæ irrita redderet huiusmodi matrimonia post ordinationem contracta; quamuis sic contrahentes punirentur, vsque ad Innocentium II. in Concilio Lateranensi, & habetur *cap. vt lex 27. quæst. 1. Matrimonium non esse censemus.* Et quamuis innumeri Canones reperiantur apud Gratianum à distinctione 27. & sequentibus, quibus initiatorum coniugia prohibeantur, in nullo censentur irrita vsque ad Innocentium II. in *d. cap. vt lex.* Et quãuis in nonnullis Canonibus separari præcipiantur; attamen ex eo verbo non satis colligi nullum esse matrimonium dixi in præcedentibus.

3 Attamen iam à tempore Innocentij II. ordo non tantum est impedimẽtum impediens, sed etiam dirimens quouis modo contractum matrimonium, vt de votis religiosorum solemnibus dixi supra. Ita statutum post Innocentium II. in Cõcilio Rhemensi sub Eugenio II. Can. 3. & 7. in quo repetitur & probatur Canon *Innocentij II. vt lex eius*, mentione facta. Idem postea statutum ab Alexandro III. habeturque in Appendice Concilij Lateranensis sub ipso p. 18. c. 2. ab illis, *sed si forte in subdiaconatum, &c.* Et c. 4, & c. 6. ibi. *Illi vero qui in subdiaconatu & supra ad matrimonium conuolauerũt, possunt & debent mulieres inuitas, & renitentes relinquere, neque huiusmodi coniunctio matrimonium, sed contubernium est potius nuncupandum*, & cap. 12. de diacono, qui vxorem duxerat, inquit: *Dimissa illa, quam in vxorem accepit, cum non posset, (sicut nosti) contrahere matrimonium.* Et nouissime Tridentinum sessione 24. cap. 9. *Siquis dixerit clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, &c. Anathema sit.*

4 Verùm inquirendum hoc loco, quo pacto ordo impediat, & reddat nullum subsequens matrimonium; aut vnde illi conueniat impedire & dirimere matrimonium. Non enim vna est Doctorum sententia. Quidam dicunt ordinem sacrum ex se, & non ratione voti annexi, iureque & constitutione diuina impedire matrimonium. Ita sentit Franciscus Turrianus pro Canonibus Apostolorum cap. 1. & ex antiquis Ioannes Maior in 4. dist. 24. q. 2. vbi affirmat Pontificem dispensare non posse, vt sacris initiati nubant. Iudicat probabilem Scotus in 4. distinct. 37. q. vnica. Basolis ibidẽ quæst. vnica art. 1.

5 Cæterùm hæc sententia sustineri non potest. Et primo desumitur argumentum ex ijs, quæ hactenus dicta sunt, quia & in Orientali Ecclesia admissi coniugati ad sacros ordines, & post illos susceptos vtebantur coniugio, & aliquando etiam nubebãt, vt aperte satis demonstratum est. Secundò quia subdiaconatus ad ordines sacros spectat, vt docet Tridentinũ sessione 18. Can. 2. & tamen in Ecclesia Latina multis sæculis illis nubere impunè licuit, vt constat ex ijs, quæ in præcedentibus dicta sunt, & ex Gregorio I. lib. 1. Epist. 42. habeturque *cap. Ante triennium d.* 31. Imo & post legem vniuersalem latam in Concilio Lateranẽsi sub Innocentio II. quæ habetur in *d. cap. vt lex*, vbi etiam subdiaconorum coniugia nulla reddun-

redduntur, permissum illis nubere facilibus ex causis, vt liquet ex Lateranensi sub Alexandro III. in Appendice p. 18. c. 4. ibi. *Si autem subdiaconi contraxerint matrimoniũ, eos dummodo ante tales fuerint, quod timendum sit, ne pro vna pluribus abutantur, dissimulare poteris cum suis mulieribus remanere, quia tolerandum est malum, vt peiora vitentur.* Dicit autem Pontifex tolerandum malum, nõ quia iam post eum consensum Pontificis illicitus esset vsus fœminæ: iam enim ab eo tempore, & matrimonium valebat, & licitus vsus, sed malum illud, quod perpetratũ est in matrimonio contrahendo, quod & legibus Ecclesiasticis prohibitum erat, & irritum. Idem prorsus statuit idem Alexander c. 13. & rursus c. 14. cuidam subdiacono, qui se ad eum ordinem recipiẽdum nimis enormiter & inordinatẽ se gesserat, postulanti vt liceret contrahere matrimonium ita indulget: *Nos itaque studiosius attendentes, quomodo prædictus ordo, cum nullam sibi dignitatem attulerit, vel honorem, matrimonium eius non impedit, discretioni vestræ, &c. Quatenus si matrimonium legitimè duxerit contrahendum, nullus vestrum eum à contracto matrimonio prædicti ordinis obtenta prohibere præsumat, nec sibi propter hoc molestiam inferat, vel grauamen.* Signum ergo euidens est ordinem sacrũ nequaquam ex institutione, ac iure diuino matrimonium impedire. Denique hæc sententia non obscurè refellitur ex Concilio Tridentino sess. 24. c. 9. vbi indicatur vel professionem, vel ordinem impedire, vel lege Ecclesiastica, vel voto. Professio enim solemnis, & ordo sacer impedit, & dirimit ratione voti, legis Ecclesiasticæ auctoritate adiuncti ordinibus & solemnitati. Quare nõ id habet ordo sacer ex diuino iure.

6 Secunda aliorum sententia est, ordinem secundum se spectatum etiam non adiuncto voto impedire & dirimere matrimonium, ex Ecclesiæ tamẽ statuto, quod sacris initiatos matrimonio interdixit primò, deinde inhabiles reddidit ad matrimonium. Quam sententiam ex Theologis non pauci secuti sunt, Scotus in 4. dist. 37. q. vnica. Paludanus q. 1. art. 1. concluf. 2. & art. 2. Thomas de Argentina ibidem q. 1. art. 1. Bassolis q. vnica art. 1. Durandus ibidem, q. 1. Fernãdus Rebellus 2. p. de obligat. iustitiæ lib. 3. q. 12. n. 2. Qui omnes auctores duobus præcipuè nituntur fundamentis. Primũ est, quia aliàs non essent duo impedimenta votum, & ordo, sed vnum tantum, si ordo ratione voti impediret, & dirimeret. Secundum est. Quia aliàs qui non haberet animum vouendi, & se obligandi voto in ordinis sacri susceptione, non teneretur ad continentiam seruandã. Vt siquis paruulus ordinaretur ante rationis vsum, ordinatus esset, & coniugia postea attentata nulla; & tamen nõ ille teneretur voti obligatione.

7 Verior tamẽ mihi videtur tertia aliorum sententia, quæ docet ordinem ex adiũcto voto castitatis habere quod impediat matrimonium: dirimere autem ex eo quod illi voto castitatis adiuncta est ea solemnitas, quæ inhabiles redderet ad matrimoniũ sacris initiatos, vt dixi supra, cũ sermo fuit de votis religiosorum. Est expressa sententia D. Thomæ in 4. dist. 37. q. 1. art. 1. sequitur Capreolus ibidem q. 2. Ricardus art. 1. q. 1. in corpore iuncta solutione secundi. Soto dist. 38. q. 1. art. 1. Petrus Soto de instit. Sacerdot. lect. 5. de matrimonio. Bellarm. lib. 1. de matrim. c. 21. Gregorius de Valentia 3. p. d. 10. q. 5. puncto 3. verbo. *Ordo*, & disp. 9. q. 5. pũcto 5. §. 2. & Gabriel Vazquez d. disputat. c. 2. & 3. Vnicum mihi pro hac sententia fundamentum est deductũ ex ijs, quæ dicebam supra. Quia ab exordio nascẽtis Ecclesiæ, qui ordinabantur, emittebant castitatis votum; & ideo illis prohibita coniugia, & accessus ad vxores antea ductas. Quare votum illis ordinibus adiunctum impediebat primò, solemnitas autem addita postea, qua votũ in ordinibus sacris emittẽtes inhabiles redditi sunt ad matrimonia incunda, vt dixit Bonifacius in *cap. vnico, de voto in 6.*

8 Neque obstant argumenta secũdæ sententiæ. Dico enim ad primum dubitari non posse hæc duo impedimẽta nihil aliud esse, quã duo vota solẽnia, quæ ratione subiectorũ distinguuntur, scilicet, quia in ordinis & habitus susceptione emittuntur: Id quod apertè docuit Bonifacius in *d. c. vnico de voto in 6.* Vnde idẽ est dicere, votũ solẽnizatũ per ordinis sacri susceptionẽ, vel professionẽ certæ regulæ dirimere matrimoniũ, ac dicere ordine, & religionis professionẽ dirimere. Ad secundũ dicimus idẽ argumentũ fieri posse de eo, qui emittit professionẽ in regula approbata, si verbis tantũ proferat, sine animo tamen se obligandi. Dicimus ergo, sicut hic ficte professus lege Ecclesiastica cogitur ad seruandã professionẽ, cũ Ecclesia de intẽtionis secreto nõ iudicet, & ab Ecclesia etiã propter eandẽ rationẽ iudicatur inhabilis ad coniugia; & præterea ille ficte professus lege diuina obligatur ad votũ efficien-

ciendū, quo se conformet externo signo; & quādiu id differt est in lethali peccato; idem prorsus dicendū esse de eo, qui sine animo seruādi castitatem ordinaretur, imo & suspensum ab ordine dicit Rebellus quæst. cit. num. 9. cum alijs Doctoribus.

De pœnis statutis in iure aduersus religiosos, aut clericos scienter cōtrahētes.

CAPVT XXVIII.

SVMMARIVM.

Religiosi aut clerici nubentes à sacris ministrandis & recipiendis interdicuntur, n. 1.
Puniuntur etiam excommunicatione, n. 2.
Excusari tamen ab ea, etiam ex culpabili ignorātia obseruatione præmissa explicatur, n. 3. 4.
Non comprehendi ea censura cōtrahentes sponsalia. n. 5.
Pœna Capitalis, si coniugium sit cum sacris virginibus, n. 6.
Item suspensionis pœna, si in minoribus constituti viduam ducant. n. 7.
Vacare beneficia, & pensiones clericales, ibidē.
Non vero eorū qui in sacris constituti sunt, ibid.

1 CAEterum addendum est nōnullas pœnas esse in iure statutas aduersus monachos & clericos scienter post vota contrahentes matrimonia. In primis à sacris ordinibus recipiendis, vel ministrandis interdicuntur *c. Quotquot*, ex Concilio Ancyrano c. 19. 27. q. 1. ibi. *Inter bigamos haberi debebunt.* Et postea in Concilio Aurelianensi 1. Can. 22. & habetur *c. monacho* 27. q. 1. ibi, *nunquam Ecclesiastici gradus officium sortiatur.* Hinc Doctores frequenter inducunt Bigamiani similitudinariam, de quo nos nonnulla libauimus 1. p. disput. variar. disput. q. 3. Scholastica c. 7. & etiam supra illo libro.

2 Deinde etiam statuta est excommunicationis pœna in monachum vel monialē, vel clericum, qui scienter nupserit, in *Clementina vnica, de consang. & affinit.* Cuius hæc sunt verba: *Eos qui diuino timore postposito, scienter in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis constitutione Canonica interdictis, vel cum monialibus contrahere non verentur, necnō religiosos, moniales, ac clericos in sacris ordinibus constitutos, matrimonium contrahentes, ipsos excommunicationis sententiæ ipso facto decernimus subiacere.* Circa quam excōmunicationē notandum in primis esse latæ sententiæ. Deinde nemini reseruari. Præterea tantum cōprehendit eos, de quibus expresse fit mentio. Vnde fœminā contrahentē cū clerico, vel monacho etiā scienter, dūmodo illa professa non sit, non attingit. Ad hæc excusantur ab eiusmodi excōmunicatione, qui cum ignorantia probabili, siue iuris, siue facti cōtraherent.

3 An autē ignorātia culpabilis facti vel iuris excuset hoc loco ab ista excōmunicatione, quæstionem habere potest. Lex enim Pontificia requirit, vt *scienter Dei timore postposito contraxerint*, vnde dolū videtur exigere. Verūm vt generalē tradamus doctrinam, pro eius explicatione notandū, dolū verū esse voluntatē scienter aliquid faciēdi; præsumptū vero esse voluntatē faciēdi aliquid, vnde peccatū sequitur ex ignorantia vel negligentia crassa. Deniq; omnis actus malus factus ex ignorātia. Notandū præterea quoties lex assignat pœnā corporis vel sanguinis, vel punit infatu aut fama, lex requirit dolū verū, vt docet Cardinalis singulariter *Clement. 1. de priuileg.* q. 39. & sequitur Nauarrus lib. 5. Consilior. Consilio 54. n. 4. & *in c. accepta de restitut. Spol.* oppositione 8. n. 32. & sequentibus, & *in c. cum contingat de rescriptis, n. 7.*

4 His præmissis Couarruuias & Cordu ba sentiunt, quod siquis det operam rei illicitæ, ignorātia crassa facti, quod inde sequitur, & lata culpa æquiparantur dolo vero, qui requiritur à lege; non tamē quando dat operā rei licitæ. Verius tamē mihi videtur, quod docet Syluester verbo *culpa* n. 3. 10. & 11. Panormitanus & Felinus & Nauarrus supra, quod si adsit ignorantia crassa facti, excusat ab excōmunicatione, quando sententia illa requirit dolū. Et ratio est, quia si ius dolū verū postulat, cur ad præsumptū extēdere debemus? Adde nullā posse assignari differentiā inter eū, qui dat operam rei illicitæ, vel licitæ, vt dicā alio loco. Ex hoc colligit Nauarrus eū, qui ante legitimā ætatē, vel extra tēpora iuris, vel sine literis dimissorijs ordinatur, & in eo ordine ministrat bona fide, existimans se licitè posse ministrare, non effici irregularē per *extrauagantem. Ex sacris*, quia illa dānat præsumentes celebrare. E quibus etiā planū videtur eum, qui lata culpa cū ignorantia contraheret matrimoniū, etiā ab ista excōmunicatione excusari, eo quod dicat eum qui *scienter Dei timore postposito*, quæ verba verum dolum significant, non præsumptum.

5 Similiter etiā prædicta excōmunicatio nō cōprehendit eos, qui tantū sponsalia con-

contrahunt, vt docent Syluester v. *excommunicatio* 9. §. 76. Caietan. in summa eodē v. c. 47. Nec etiā quando professio facta est in regula non approbata, aut in tertio ordine Sācti Francisci, vt docuit idē Syluester verbo. *Matrimonium* 8. q. 4. aut quando professio fit ante 16. annū expletū, aut anno integro non elapso, vel alia ratione est nulla. Nullum enim iuris sortitur effectū, vt constat ex Cōcil. Trident. sess. 25. c. 15. de Regularibus ibi, *Professio autē facta sit nulla, nullamque inducat obligationem, &c. ad alios quoscumque effectus.*

6 Denique eum, qui cum sacris Virginibus coniugia tentauerit, capite plectunt leges ciuiles, *l. siquis C. de Episcopis & clericis.* Id quod olim etiā in Vestalibus obseruatū esse latè docuit Rosinus de antiquitatibus lib. 3. c. 19. ex Dionysio Halicarnaseo, & Plutarcho in vita Numæ. Quæ etiam cōfirmat Concilium Turonense 2. c. 2. quæ verba referuntur infrà. Quando autem liceat à matrimonio ad religionē transire, & quo pacto dissoluatur viculum dicam infra lib. 9.

7 Sed adijciendum est clericos in minoribus constitutos, si viduam vel corruptam ducant, suspensionis pœnam incurrere, vt dico in tract. de ordine lib. 2. Quāuis nō videātur graue peccatum committere. Adde etiam, quod si habeant beneficia & ducant vxorem etiam virginem, amittunt illa *c. 1. de clericis coniug.* Quamuis ibi non dicatur ipso facto vacare beneficia, sed cogēdos esse relinquere beneficia. Pensiones quoque amittunt, vt habet cōmunis sententia, quod intelligendum de illis, quæ dātur titulo clericali, vt docet etiam Couarr. 2. p. de matrimonio c. 6. §. 3. n. 6. & sic obtinet stylus Curiæ Romanæ. Atque hoc modo intelligēdi sunt, qui dicunt pensionem non vacare per matrimonium, quod verum est de pensione, quæ nō datur titulo clericali; limita nisi dispensetur à Pontifice vt pensionē retineat, etiamsi contrahat matrimonium, cum quacunque fœmina, iure sibi non prohibita. Quorum verborum sensum extendi etiā ad viduas, & rectè ac sine periculo vacationis pensionis cum illis contrahi explicat de cisio Rotæ 293. 2. t. cons. Farinacij, quam vide. Notat autem Couarr. loco cit. nu. 4. per matrimonium contractum à clerico beneficiario cum impubere nō vacare beneficia, quia non est matrimoniū, sed spōsalia iure ipso, per quæ beneficia non vacāt. Secus autē existimat Couarr. quando clericus contrahit matrimoniū nullū ob impedimentū iuris; non propter defectū consensus. Quamuis nō desunt, qui oppositū sentiant, & ego nullū inter hæc discrimen inuenio, nam matrimoniū cū impubere nullū etiam est iure Ecclesiastico, quod eiusmodi personā inhabilē reddidit. At initiati sacris ordinibus licet grauiter puniātur, si attentent coniugiū contrahere, non tamen priuantur beneficio Ecclesiastico. Quia cum matrimoniū sit irritum, si eo priuarentur, cogerentur mendicare. Atque id expressè colligitur ex *c. siqui clericorum, de clericis coniugatis*, ex 2. p. capitis, vbi sic contrahentes puniri iubentur, non priuari beneficio, cùm tamen infrà subdiaconatum nubentes priuētur beneficijs. Sed de his latè dicendum in tract. de ordine lib. 2. vbi etiam explicandum, quando clerici, qui contrahunt matrimonium amittant priuilegium clericale. Quando autem coniugato liceat ordinari, & an ordine sacro dissoluatur coniugium, dicam infra lib. 9.

Ordo per vim & metum susceptus an impediat matrimonium, & dirimat examinatur.

CAPVT. XXIX.

SVMMARIVM.

Proponitur quæstio, n. 1.
Quorundam opinio non valere, n. 2.
Vera sententia, n. 3.
Votum ex metu graui factum validum esse iure naturali, n. 4. 5.
Obiectionibus occurritur, n. 6. 7. 8.
Neque esse inualidum iure positiuo, n. 9.
Explicantur nonnulla iura, n. 10.
Expenditur pro nostra sententia Canon Toletanus, n. 11.
Euasio præcluditur, n. 12.
Iuramentum etiam ex metu valere iure naturæ, num. 13.
Qui cum ordinatur ficte promittit castitatem, sacrilegus est, n. 14.
Quid dicendum de obligatione pueri ordinati ante vsum rationis. Verius teneri, n. 15.

1 Sed quæstionem habet cognitione dignā, an siquis per vim & metū cadentē in virū constantem ordinetur sacris ordinibus, impediatur ad contrahendum matrimoniū, & continentiam seruare cogatur. In quo non loquimur de eo, qui post matrimonium inuitus promouetur; nullius enim effectus est ordinatio contra ius alterius coniugis, vt docet communis

nis certaque sententia, de qua etiam infra lib.9.

2 Nō pauci Doctores, inter quos Azor tomo 1. lib. 13. c.vlt. q.8. & Thomas Sanctius lib.7.de matrimonio disput.29. qui & plures alios referunt Theologos, & interpretes Iuris Canonici, planè docent ad seruandam continentiam non teneri, & posse validè matrimonium contrahere. Fundamẽta, quamuis multa adducant, eò tamen tendunt omnia, quia votum ex metu graui factum nullum est ipso iure positiuo ex communi Doctorum sententia, quam probant ex *cap.perlatum cap.cum dilectus,de ijs quæ vi.* Nullo ergo ille tenetur continentiæ voto, atque adeo non est inhabilis ad matrimonia ineunda.

3 Verùm ego, qui multitudinem Doctorum parũ curo, cũ sciã multos sine vllo examine aliorũ dictis adhærere; sed tantum fundamenta, atque rationes cõsidero, lõgè probabilius iudico, si rationũ attendamus merita, votum continentiæ valere in eo, qui ordinatur ex metu graui, & inhabilem ad matrimoniũ esse; dignũ tamen vt cũ eo facile dispensetur. Quã sententiã nõ pauci sequuti sunt, quos refert idem Ioannes Azor loco citato, imo & inter Iuris Canonici interpretes fatetur esse communem. Vide de hoc alios Auctores apud Rebellum 2.p. lib.1.q. 5. post 2. conclusionem.

4 Quam vt à fundamentis deducã, obseruandũ votũ ex metu quãtumuis graui factum, si non incutiatur iniustè, validũ esse. Quod intelligendum iuxta ea, quæ in materia de voto receptissima sunt, quando non tollitur eo metu libertas idonea ad peccatũ mortale. Et constat apertè ex *cap.sicut ex literis, de regularibus*; isteque videtur communis sensus fidelium existimantiũ valida esse vota, quæ homines emittunt, siue in periculo infirmitatis, & mortis, siue alterius mali, vbi metus concipitur ex causis naturalibus, aut ex Dei voluntate immittitur ad salutẽ animæ. Licet ergo non sit omnino perfecta libertas, quando fortasis homines secluso illo periculo vota non conciperent; tamen quoniam manet absolutè voluntarium, & libertas idonea ad mortale peccatum, ea vota iudicãtur valida, quæ ex ea libertate promanant.

5 Ex quo consequenti ratiocinatione colligitur, quidquid nonnulli dixerint votu metu factũ, quãtumuis graui, dũmodo libertatẽ non auferat, obligare iure naturali, id quod docent Doctores frequenter. Quia cum ea libertate possunt cõsistere opera virtutũ, & Deo esse grata ac meritoria. Vnde, si cætera adsint, vota erunt rata, ac firma. Et quidẽ ex his quæ dicebamus modo optima ratio colligitur. Nã vota facta ex metu quã tũuis graui imminentis periculi iudicantur à fidelibus valida & firma. Igitur etiamsi cõcipiantur ex metu iniustè illato, dummodo maneat libertas sufficiens ad peccatum. Si enim spectemus naturæ ius nulla potest in vtroque casu assignari disparitatis ratio.

6 Neque obstat primò, quod votum sit promissio volũtaria Deo facta. Ex eo enim non efficitur nullũ esse votum ex metu factum iure naturali, nec colligitur necessariũ esse, vt sit omninò voluntariũ, cũ videamus vota vrgenti graui periculo concepta sine pleno ac integro volũtario esse valida.

7 Neque obstat etiã, quod ad votũ obligans sub veniali non sufficiat libertas, quæ satis est ad veniale peccatũ; ex quo videtur effici ad votũ obligans ad mortale non sufficere libertatẽ idoneã ad mortale peccatũ. Si enim hæc ratio alicuius esset momenti, planè colligeretur nulla esse vota illa ex metu periculi imminentis, quod absurdum est, & contra cõmunẽ sensum. Est etiã inter hæc latissimũ discrimen. Nam sola libertas & cognitio necessaria ad veniale peccatum non videtur sufficiés ad considerandũ onus voti; cũ tamen consideratio idonea ad peccatum mortale satis sit ad considerandam rationẽ voti etiã obligantis sub peccato mortali, vt constat de consideratione eorũ, qui in aliquo grauissimo cõstituti periculo vota emittunt, vt à Deo salutẽ consequantur.

8 Neque obstat tertiũ, quod votum sit veluti donatio quædam rei promissæ Deo facta; ad donationem autẽ requiri in materia iustitiæ perfectũ volũtariũ, sine eo enim non potest esse donatio. Quia etiam ad donationem ipsam in materia iustitiæ sufficit aliquando voluntariũ simpliciter, vt cõstat in eo, qui in graui periculo constitutus, & graui metu iustè pressus magnam largitur eleemosinam. Quod autem dicitur donationem non esse validam, nisi fiat ex pleno voluntario, sic intelligendum, vt valida non sit, quãdo extorquetur per vim à donatario; tũc enim non valet respectu donatarij, quia de eſt titulus, ratione cuius possit accipere vt dixi late supra lib.4. Secus tamen esset si donãs ex metu alicuius periculi absque iniustitia faceret illam donationem, vt modo dicebam.

9 Cum ergò votũ etiam ex metu graui factum

factũ non fit irritũ iure naturali, restat vt absolutè valeat, nisi redditũ sit nullo iure positiuo. Quare id videamus. Si enim votum in ordinibus sacris emissum ex metu graui iniusto irritũ est iure positiuo, obtineat cõtraria sententia. At si nullũ est ius, quo reddatur nullũ, valebit ordo susceptus, & votum continentiæ. Et quidẽ video Doctores frequẽter, recẽtiores præsertim tã Theologos, quã Canonistas affirmare quoduis votũ ex metu graui factũ esse nullum iure Ecclesiastico. Id confirmant ex *cap. perlatum, & cap. cum dilectus, de his quæ vi*, nec verò alia addu cunt iura. Vereor tamen ne oscitanter eos canones considerarint, qui illis inducti eam sententiã amplectuntur. Nam si res attentè perpendatur, ex *d. cap. perlatum* non videtur colligi. Species enim facti in eo capite erat huiusmodi. Mulier quædã religiosum habitum suscipit ex præcepto mariti, metu mortis compulsa, & postea simulauit se profiteri, scientibus Episcopis ad illã velandã destinatis. Ea marito defuncto contrahit cum alio matrimoniũ: re ad Pontificẽ delata iubet, vt si probaretur non timore mortis prædictã fœminam religionẽ intrasse, aut quod fecit postea ratum habuisse, cogeretur ad religionẽ suscipiendã. Ex hac verò facti specie non constat Pontificẽ docuisse validum esse votũ simplex, quãdo nõ emittitur mortis metu. Quæstio enim delata ad Pontificẽ planè erat de professione religionis, quam illa fœmina simulauit scientibus Episcopis. Multo minori cum fundamento colligitur ex *cap. cum dilectus*; ex eo enim potius efficitur non esse iustam causam relaxandi, quia metus non interfuit, quã conuincitur nullũ fuisse à principio, cum votũ, de quo ibi, obseruatum nõ vergat in periculũ salutis æternæ, vt ibi dixit Pontifex. Adde argumentũ sumi à contrario, quod in iure non semper est efficax. Votũ itaque metu factũ non esse iure Ecclesiastico irritũ, sed superioris auctoritate relaxandum, docuit Ioannes Andræas in *cap. Sicut ex literis 2. de Regularibus*, Syluester verbo *votum* 2. q. 1. & verbo *metus* q. 18. & verbo *iuramentum* 7. q. 7.

10 Inuenio quidem multis Canonibus constitutum nulla esse eius vota, qui ad religionem trahitur inuitus, vt Leonis I. epist. 90. Eugenij in *cap. sicut qui* 20. q. 1. Leonis de creti mentione facta & *cap. præsens* 20. q. 3. *& cap. insinuante, qui clerici vel vouentes*, & denique in Tridentino sess. 25. de Regularibus c. 19. Quod etiã de emittẽtibus vota Societatis simplicia per vim verũ etiã est, cum constituant statum religiosi, maximè, quia quando antiqui Canones noluerunt valere professionẽ monasticã ex metu, vota religionũ tantũ erant simplicia, vt ostendi 1. p. variar. disp. q. 3. Scholastica à c. 5. & etiam supra hoc libro. Attamen de his qui ordinãtur ex metu, vel alia vota concipiunt, non legi Canonem, qui irritã redderet ordinationẽ, aut emissum votũ. Verũ est à Simplicio Papa epist. 2. reprehendi Rauennatẽsem quẽdam Episcopum, quod inuitum presbyterum ordinauit; de eo autem nihil aliud decernitur. Et Gregorius I. lib. 1. epist. 19. *Iustum*, inquit, *est vt nemo crescere compellatur inuitus*, cum quidam nolens presbyter ordinaretur. Idem etiam lib. 2. epist. 15. & 16. punit Episcopũ, qui Archidiaconũ, vt eũ dignitate pelleret, inuitũ presbyterum ordinauit, & contra præcepta Pontificis, qui iusserat, ne eum nolentem ad presbyterij gradũ promoueret; circa ordinatũ autem nihil decernit. Cumque votũ metu factũ solũ possit esse nullũ iure Ecclesiastico (valet enim iure naturali,) non est asserendum inualidũ sine expresso iuris fundamẽto. Neque enim ex simili in eo casu valet argumentũ desumptũ. Id quod in hac materia ostẽditur manifestè. Nã si ius Ecclesiasticũ non reddidisset inualidũ matrimoniũ eorum, qui sacris ordinibus initiantur, sed tantũ monachorũ, dicere ne aliquis ab vno ad aliud argumentum desumi posse? Minimè sanè; sicut quamuis nonnulli sentiant professione religionis solemni iure Ecclesiastico dirimi matrimoniũ ratum, dicere non auderet, etiam sacris ordinibus dirimi, quãuis literæ Ioãnis XXII. non emanassent. Non ergò ex eo, quod ius Ecclesiasticum irritam reddiderit professionem, quæ perpetuò addicit vouẽtem statui religioso, idem iudicandum est de sacris ordinibus initiato, donec de eo specialiter aliquid iure caueatur. Et quamuis olim fuerit explorata voluntas, an vellent nubere, cum ad annos pubertatis peruenissent, vt dixi supra: attamen id non euincit irritam ordinationem fuisse, si ex metu ordinarentur. Nec dici potest eũ Canonẽ intercidisse, & consuetudine populi Christiani receptum, vt eiusmodi votũ sit nullum. In his enim, quæ diuini iuris sunt, qualis est obligatio voti, si illud valet iure naturali, vti diximus, nihil valet consuetudo, in quo non rectè Lessius lib. 2. c. 40. dub. 3. n. 59.

11 Habemus præterea nos pro nostra sententia apertã Concilij Toletani 8. dispositionẽ, quæ sic habet c. 7. *Septimæ assertionis*

accessu adijt cœtum nostrum tam inuerecunda progressio, quàm ignobilis ac detestanda præsumptio. Quosdam enim aut cuentu necessitatum, aut metu periculorum adeptos fuisse nouimus Ecclesiasticarum officia dignitatum, & quoniam cum illis hæc imponerentur, id sibi fieri noluisse testati sunt, idcirco hæc spernere, atque ad pristina pertentant coniugia, moresque redire, tam nequiter cœlestia iura soluentes, quam prompte sæcularibus extant illecebris inhiantes. Qua de re nosse nos conuenit, quod Episcopalis eminentiæ culmen non immerito sacris omnibus esse summa percensuit, quæ cæteris Sacerdotibus exercenda prohibuit, scilicet templorum Dei sacrationem, chrismæ benedictionē, sacrorumque ordinum institutionem: quæ tam diuinaliter sacrata persistunt, quam excellentissime conferuntur, quia, & tanto ab eis singulariter impenduntur, quanto eidem summo culmini peragenda seruantur. Quomodo ergo, quod in se recipit, à se reijcere poterit, cum hæc à nullo altero conferri, quam à solis Pontificibus nouit, à quibus nec ligata solui, nec soluta poterunt ab aliquo religari? Sic enim ad Petrum veritas ait. Quod cumque ligaueris super terram, erit ligatum, & in cœlo, & quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in Cœlo. Nequaquam ergo aliquando poterit profanari, quod diuina infusione, simulque Apostolicæ traditionis authoritate sacrum noscitur extitisse. Verùm sicut sanctum chrisma collatum, & altaris honor euelli non queunt: Itaquoque sacrorum decus honorum, quod his compar habetur, & socium, qualibet fuerit occasione perceptum, manebit omnibus modis inconuulsum. Ad extirpandum vero radicitus huius callidæ machinationis inutile argumentum, id sibi rationabiliter dari nouerint in obiectu, quod sacrosancti Baptismatis inappretiabile donum est semper, & sæpe, non solum nolentibus, verum etiam quod maius est, nescientibus impertitur: sed hoc à nullo penitus profanari permittitur. Quod si, & hic opponitur nec dum rationis capaces existere, qui hoc probantur accipere, hic omnimodo conticescant; quia si maiores impune non deserunt, quod paruuli vel nescindo vel nolendo, percipiunt: Quanto magis non conuenit violare quod pro mortis aut pœnarum euadenda pernicie, occulta Dei dispensatione dignoscitur obuenisse. Recedant ergo talium desideriorum impudorati fautores, & licet inuiti perceperint, quod non merebantur habere, libenter tamen ob Cœleste retineant præmium, quod nolendo per terrenæ consequuti sunt necessitatis euentum; vt tamen inuiti appetant bona diligere quæ sponte videntur desides impugnare. Quod siquis post hoc perennis dispositionis edictum non sinceriter sacris in hæserit cultibus, & abijciens à se gratiam quam accepit, relabi ad coniugia moresque sæculi attentauerit, vel eum redire constiterit mox omni Ecclesiastici ordinis dignitate priuatus, verè vt apostata à Sancta Ecclesiæ liminibus, & societate fidelium habeatur prorsus exclusus, monasterij claustris donec aduixerit, sub pœnitentia retrudendus. Hæc Concilium.

12 Nec est quod illud Concilij decretum reijciatur, quia prouinciale est, cum & nationale sit, & non extet aliqua iuris vniuersalis dispositio in contrarium: sed censendum est explicuisse optimè vim naturalem voti etiam ex metu concepti. Nec dici potest ibi agi de metu iusto, & ab intrinseco ratione periculi, id enim manifestè refellitur ex verbis ipsius canonis, quæ retulimus. Addo etiam Augustinum à Valerio viri fama permoto apprehē sum, & licet inuitum presbyterum ordinatum, vt expressè docet in eius vita Possidonius. Omitto rationes alias, quæ adduci solent, futiles, enim sunt, nec magni momenti, hoc tantum in illis, quæ ex iuris Ecclesiastici dispositione pendent, est potissimum fundamentum.

13 Hinc colliges primò iuramentum metu extortum de confirmando aliquo voto iure naturæ obligare, cum votum obliget iure naturæ, & similiter etiam obligare iure Ecclesiastico, cùm votum metu extortum; si solemnem professionem, vel substantialia religionis vota excipias, non sit infirmum Ecclesiastico iure. Quando autem iuramentum metu extortum sit nullum dico infra lib. 12.

14 Verum addendum est, quia fieri potest, vt quis expressè nolit promittere cum ordinatur, & sine voluntate non potest emitti votum, & ea voluntas suppleri per legem non potest: ille qui sic ordinaretur peccaret quidem peccato fictionis, vt docuit Caietanus tomo 1. opuscul. tract. 27. quia denotauit exterius ipsa ordinatione se emittere votū, cum tamē reuerā interius vouere nollet. Et cum accederet ad propriam vxorē vel alienā peccaret quidem peccato sacrilegij tantū cōtra id, quod exterius voluisse visus est, & promisisse. Quia id quod exterius promisit, deberet eodem modo adimplere, sicut is qui iuraret falsum sine intētione iurandi, & adducēdi Deū

in festem, nihilominus peccato periurij peccaret, vt etiam cum eodem Caietano docet Gabri. Vazq. 3. to. in 3. p. disp. 247. c. 7. n. 99.

15 Deniq; ex his colligi potest, quid dicendum sit in ea dubitatione, an puer ordinatus ante vsum rationis teneretur postea lege cõtinentiæ clericalis. In qua ego existimo in primis puerũ ex tacita professione castitatis obligari etiam ab Ecclesia, sicut etiã in religiosis erat olim tacita regularis vitæ professio, quæ non minus ligabat apud Ecclesiam, quam expressa vt dixi supra isto lib. cap. 5. Quidquid in cõtrariũ dixerit Thom. Sanchez lib. 7. disp. 30. nu. 3. qui ait non esse potestatem in Ecclesia compellendi puerũ vt seruet continentiam ex voto in eo casu, quod tamen falsum est, vt constat ex dictis supra c. 5. de oblatis religioni à parentibus. Quamuis enim Ecclesia non possit supplere volũtatem in voto, quo ad Deum, vt modo dicebamus, nec posset iam ordinatos cogere ad castitatem, si continentia non esset annexa ordini: at cum iã sit coniuncta, & in ea fit tacita voti emissio compellere potest quemcumque ordinatum ad eius obseruantiam, licet ignorantia, aut vis illata idoneã causam dispensationi præbeant; & quandiu non dispensauerit Ecclesia, lethaliter peccat, nisi contineat, peccato sacrilegij, vt supra dicebamus. Quare, nisi cum puer ante rationis vsum ordinatus, accedit ad rationis vsum reclamaret, & diceret se nolle vouere, iudicaretur ab Ecclesia tacitè emisisse votum, & ad eius obseruantiam compelleretur, & eodem modo matrimoniũ iudicaretur nullũ, sicut de oblatis à parentibus, & tacitè professis dicebamus supra c. 5. Quod si ad vsum rationis perueniens non reclamaret, interius tamen votum non emitteret, eodem modo de illo iudicandum est, atque de eo, qui cum vsu rationis ordinatus fictè emisit votum. Magis autem fine fundamẽto est, quod asserit idem Thomas Sanchez ibidem n. 8. ordinatum post rationis vsum, ante pubertatem tamen, non teneri continere. Nã votũ post rationis vsum obligat ex natura rei, cũ sit libertas idonea ad mortale peccatũ, vt habet cõmunis sentẽtia in materia de voto. Quare nisi aliquo iure ecclesiastico reddatur nullũ votũ emissũ ante annos pubertatis, valet quidẽ ex natura rei: nullo autem iure infirmum est. Nec valet argumentum, quo vtitur Thom. Sanc. desumptum à professione solemni ad vota in ordine emissa, vt iam dixi supra isto cap. sed de his latius differo in tract. de ordine lib. 2.

De impedimento cognationis.

Quid iure antiquo statutum fuerit circa matrimonium consanguineorum.

CAPVT XXX.

SVMMARIVM.

Prohibita coniugia inter consanguineos ab initio Ecclesiæ, num. 1.
Etiam ab initio fuisse nulla, num. 2.
Rationes eius impedimenti inducendi, num. 3.
Pœnis affecti sic contrahentes, num. 4.
Qualiter probanda consanguinitas, num. 5.
Non eodem modo computari gradus iure ciuili, canonico, num. 6.
Tres regulæ ad gradus numerandos, nu. 7. 8. 9.
Quædam difficultates circa tertiam regulam explicantur, num. 10. 11.

1 *Consanguinitas est vinculum ab eodem stipite descendentium propagatione contractum.* Ab initio autem nascentis Ecclesiæ prohibita sunt incestuosa coniugia cum consanguineis, quod etiam ante in lege veteri prohibitum erat. Ita decreuit Calixtus I. epist. 2. num. 4. Id enim primum reperio decretum scripto proditum in lege noua: Fabianus Papa *cap. de propinquis*, apud Gratianum 27. *quæst. 2. & 3.* Iulius I. *cap. nullum in vtroque quæst. 2.* Concilium Agathense sub Symmacho ca. 6. Epaunense ca. 30. Toletanum 2. ca. 6. Aurelianense 3. c. 10. Aruernense ca. 11. Aurelianense 4. ca. 27. Turonense 2. ca. 21. Parisiense 3. ca. 4. Lugdunense 2. ca. 4. Matisconense 2. ca. 18. Altisiodorense ca. 31. Gregor. I. lib. 12. epist. 31. interrogat. 6. & epist. 32. Anglicanum sub Adeodato ca. 10. & post Toletanum 17. can. 14. ex additis Gregor. II. epist. 14. Gregor. III. epistola 1. Romanum 1. sub Gregorio II. can. 6. 8. & 9. Zacharias epist. 7. can. 22. Leptinense sub Zacharia in fine, Suessionense sub eodẽ in fine. Roman. 1. sub Zacha. c. 6. Arelat. 4. c. 11. Cabilon. 2. c. 28. Mogunt. sub Rabano ca. 29. & c. 30. Leo IIII. epist. 2. ca. 5. Ticinense sub Leone IIII. §. 10. Nicolaus I. ad consulta Bulgarorũ ca. 39. Vuormatiense ca. 32. & 78. Ioan. VIII. epist. 65. Cõfluentinũ sub Ioan. X. Salegustadiense c. 11. Romanum

manum sub Nicolao II. cap. 12. Romanum 2. sub Alexandro II. Gregorio VII. lib. 1. epist. 5. lib. 2. epist. 35. & 36. & lib. 6. epistol. 20. Anglicanum sub Gregorio VII. Troianum sub Vrbano II. Lodonienſe sub Paschali II. extat apud Baronium tom. 12. Lateranense sub Calixto II. can. 5. apud eundem Baronium, Londonienſe sub Honorio II. can. 12. Lateranense sub Innocentio II. apud eundem Baronium tom. 12. ca. 17. Alexand. III. in Appendice Lateranensis part. 6. cap. 19. & capit. 32. & part. 50. ca. 29. Innocentius III. in Lateranensi cap. 50. Vienense sub Clement. V. & habetur *Clementina 1. de consanguinit. & affinit.* Palentinum sub Ioanne XXII. *tit. de consanguin. & affinit.* Colonienſe sub Paulo III. part. 7. capit. 46. denique Tridentinum sess. 24. cap. 3.

2 Sed his omnibus Pontificum conciliorumque decretis, quibus ab exordio Ecclesiæ prohibita coniugia sunt, inter consanguineos, non tantum efficitur fuisse prohibita, sed etiam nulla. Calixtus enim primo loco citatus inquit eiusmodi cōiunctionem, nec esse legitimam, nec manere posse, & ideo repellendas, dicitque se in eo decreto sequi maiorum vestigia. Quare non tantum prohibita, sed perpetuò irrita sunt iudicata ab Ecclesia. Deinde fere omnibus canonibus citatis paucis exceptis, quos indicabo statim, impedimentum hoc tam in affinitate, quàm consanguinitate, vsque ad septimum extendebatur gradum, vel quousque parentela cognosci posset. Solus Nicolaus I. can. cit. distinxit inter descendentes per lineam rectam, & transuersales, & in illis voluit in infinitum extendi impedimentū: at in his non tantam extensionē esse. Quanuis autem frequenter prohibita olim, & irrita coniugia vsque ad septimam generationem: attamen nonnullis etiam canonibus cautum est etiam antiquis, vt ad quartū tantum extenderetur, vnde & infra quartū gradum valuere matrimonia tam inter affines, quam consanguineos. Id constat ex decreto Higinij 35. quæst. 10. *cap. siqua mulier* Fabiani *d. ca. de propinquis*, & ex Gregor. I. li. 12. epist. 31. interrog. 6. vbi Anglis recens ad fidem conuersis indultū est, & Gregorio II. epist. 14. de eisdem, quamuis erga alios maneret impedimentum vsque ad septimum. Moguntiaco sub Leone III. & Carolo ca. 54. Vuormatiensi cap. 76. Decretum tamen Higinij, atque Fabiani, quanuis leges essent latæ ad vniuersalem Ecclesiam, non seruatæ sequentibus Pontificum decretis aliud statuentibus. In peculiaribus autem Prouincijs ad Episcoporum voluntatē quorum, vti supra diximus fuit, & impedimenta cōstituere, & in illis dispensare, restrictū impedimentum est ad pauciores gradus, vel extensum pro vt illis expedire visum. Donec vniuersali lege in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & habetur *cap. non debet, de consanguin. & affinit.* restrictum tantum impedimentum vsque ad quartum gradum: Quæ lex nostro etiam tempore perseuerat, sequentibus Concilijs approbata, & confirmata.

3 Quare autem id impedimentum inductum fuerit, multas reddit rationes D. Thomas 2. 2. q. 194. art. 9. quas latè prosequitur Bellarminus lib. 1. de matrimonio c. 29. Prima desumitur ex reuerencia debita maioribus, & consanguineis. Secunda ex familiaritate inter consanguineos, quæ suspecta redderetur, si iniri inter illos matrimonia possent. Tertia, vt charitas inter extraneos extendatur. Quarta, vt moderatus sit vsus coniugalis, qui nimius esset, si ad amorem ortum ex sanguine accederet amor coniugalis.

4 Sic autem contrahentes multis pœnis olim affecti, & excommunicati, vt constat ex citatis canonibus nouissimè tamen in *Clementina 1. de consanguinitate.* De qua suprà capit. 28. & lib. 5. cum de clandestino matrimonio sermo esset: infames etiam filij ex tali coniunctione habiti, quod multis etiam antea canonibus statutum, & ipsos etiam contrahentes infames esse.

5 Qualis autem fieri debeat probatio perendum ex Alexandro III. part. 6. in Append. Lateranensis cap. 32. & p. 8. cap. 17. & 18. & ex Lateranensi sub Innocentio III. ca. 53. *Per maiores populi*, inquit Gregorius VII. lib. 1. epistol. 5. Troianum sub Vrbano II. *Non quos maritus voluerit.* Londinense sub Honorio Secundo can. 12. *Quod si nota parentela, etiam si nulli impugnatores existant, Ecclesia separet.* Alexander Tertius, part. 50. cap. 27. Quibus omnibus inspectis nunquam mihi persuadere potui vnum testem sufficere ad impediendum matrimonium, si maior non adsit probatio, vt iam cœpi dicere supra lib. 5.

6 Sed cum consanguinitas attendatur per gradus, & lineas, lineaque sit personarum sanguine coniunctarum collectio: gradus vero distantia vnius personæ ab alia, videndum quomodo gradus computen-

tur. Et quidem iure ciuili aliter, quàm canonico designantur gradus *capit. Ad sedem Alexandri II. 35. quæst. 5.* Quomodo autem designentur iure ciuili dicendum in materia de testamentis. Iure autem canonico computantur in ordine ad matrimonia iuxta tres regulas, quæ communiter à Doctoribus assignantur. Quamuis non ignorem Saligustadiense Concilium ita numerare, vt duo fratres non dicantur esse in primo gradu, sed filij fratrum dicantur esse primi, scilicet, nepos, & neptis. At regulæ communiter receptæ hæ sunt.

7 Prima regula est. *In recta linea ascendentium, & descendentium tot sunt gradus, quot sunt personæ ablato stipite* verbi gratia pater, filius, nepos, pronepos, abnepos, quinque sunt personæ, & quatuor gradus. Vnde filius cum patre est in primo gradu, nepos in secundo, pronepos in tertio, abnepos in quarto. Cuius ratio est, quia tot gradus, quot sunt generationes. Generatio autem inter duos terminos versatur, generantem scilicet, & genitum: vnde vt sint quatuor generationes, quinque personæ esse debent. Constat hæc regula ex *capit. parentelæ 35. quæstione 5.*

8 Secunda regula est. *In linea transuersali æquè distantium ab stipite, quo gradu distant ab stipite, eodem distant inter se.* Vt fratres, quia sunt in primo gradu cum stipite, sunt etiam secundo gradu inter se coniuncti. Ratio est, quia illi eadem generatione distant inter se, qua distant ab stipite, tot enim ab stipite ad illos intercedere generationes, & non plures.

9 Tertia regula est. *In linea transuersali inæqualiter descendentium, quo gradu remotior distat ab stipite, eodem gradu distant inter se.* Vnde quia nepos distat ab auo in secundo gradu, patruus etiam distat solum in secundo gradu. Ad cuius regulæ intelligentiam placet aduertere cum Bellarmino lib. 1. de matrimonio capit. 26. qui sunt in vno latere non habere habitudinem seu ordinem ad eos, qui sunt in alio, nisi ratione stipitis, in quo vniuntur: & ideo accidentale est, quod inter se distent personæ quantum attinet ad habitudinem ad personas alterius lateris. Quare non est absurdum, sed planè conueniens, vt abnepos ex vna linea distet eodem gradu à filio alterius lineæ, atque à nepote, & pronepote, &c. Quia filius, nepos, pronepos vnius lineæ respiciunt abnepotem alterius solum, quatenus illi tres vniuntur in eodem stipite, à quo abnepos eius lineæ quartæ gradibus distat.

10 Sed quæret fortasse aliquis cum Bellarmino vbi suprà, vnde fiat vt si consideremus personam remotiorem ab stipite, inueniamus illam æqualiter distare ab omnibus personis alterius lateris: si vero consideremus propinquiorem, inueniemus illam distare inæqualiter à singulis alterius lateris. Respondeo rationem huius esse, quia quando consideramus personam remotius distantem, vt abnepotem, tunc attendimus distantiam ipsius ab stipite, & in stipite intelliguntur omnes, qui sunt in altero latere, & ideo tantum distat persona illa remotior ab stipite, quantum ab omnibus personis alterius lateris. At quando consideramus personam propinquiorem, vt filium, tunc non attendimus distantiam eius à stipite, sed distantiam stipitis ad personas alterius lateris, & in stipite tunc intelligimus personam illis propinquiorem: & quia stipes distat inæqualiter à personis alterius lateris, ideo etiam persona illa propinquior, scilicet, filius inæqualiter distat ab omnibus personis alterius lateris.

11 Dices rursus. Quare quando consideramus personam remotam, attendimus distantiam eius ab stipite, & non etiam id faciamus, quando consideramus personam propinquam? Respondemus, quia si considerando personam propinquam, attenderemus distantiam eius ab stipite, sequeretur personas aliquas alterius lateris esse propinquiores suo collaterali, quàm stipiti, quod est omnino impossibile, cum non coniungantur collaterales, nisi per stipitem. Hoc autem absurdum, & impossibile sequi perspicuum est. Nam si attendamus distantiam filij à patre, & in patre intelligamus omnes personas alterius lateris vsq; ad abnepotem, tunc distabit filius ab omnibus personis alterius lateris vno tantum gradu, quemadmodum vno tantum gradu distat à stipite, scilicet à patre. Ergo filius vnius lateris, & nepos, vel pronepos alterius distabunt vno gradu. Ergo pronepos vnius lateris propinquior erit filio alterius lateris, quàm stipiti, quod est impossibile, cum ratione stipitis illi ex vtroque latere cõiungãtur. Atque hoc est fundamentum illius tertiæ regulæ, tot

gradibus

gradibus in linea inæquali distare inter se collaterales, quot gradibus distat remotior ab stipite, non autem, quot gradibus distat propinquior ab eodem stipite. Hæc ex Bellarmino loco citato.

An in aliquo gradu consanguinitatis rectæ lineæ sit matrimonium nullum iure naturali?

CAPVT XXXI.

SVMMARIVM.

Quid agendum, num. 1.
Variæ sententiæ, num. 2.
Nullam esse rationem, qua determinari possit gradus dirimens in linea recta iure naturali, num. 3.
Solum dirimere in primo gradu, nu. 4.
Ex aliqua causa honestari posse, num. 5.
In alijs gradibus rectæ lineæ non esse irritum iure naturali, num. 6.

1 NON eodem modo sentiunt Doctores omnes. Sed primò agemus de matrimonio inter consanguineos in recta linea, & capite sequenti de consanguineis in linea transuersali.

2 Quod ad primum attinet, licet consentiant Doctores omnes nullum gradum in lege nòua prohibitum esse iure diuino, cum cessauerit veteris legis prohibitio, vt interim omittam hæreticorum deliramenta, de quibus Bellarminus lib. 1. de matrimonio cap. 25. attamen nonnulli censent aliquos gradus rectæ lineæ prohiberi iure naturali. Soto in 4. dist. 40. art. 3. duos solos cõprehendi censet ea prohibitione. Angelus verbo *Matrimonium*, impediment. 8. cum alijs etiam vltra quartum extendi dicit hoc impedimentum iuris naturalis, non tamen vltra vigesimum. Couarruuias 2. parte. capit. 6. §. 6. num. 12. ad decem tantum extendit, cessare tamen in vigesimo. Alij tamen communiter in infinitum extendunt. Ita Ricardus in 4. d. 40. artic. 1. quæst. 4. Durandus quæst. 1. num. 9. Bellarminus libro citato. Fauet Vlpianus l. quique 4. de in ius vocando.

3 Cæterùm in primis ego existimo nullam esse rationem propter quam in infinitum, aut ad viginti, aut ad decem gradus istud impedimentum extendatur, cum vltra septimum gradum, imo multo antea non agnoscatur parentela, vt antiqua concilia loquuntur: & ideo impedimentum cõsanguinitatis ad septimum tantum gradum extenderint. Neque etiam firmam inuenio rationem, propter quam ad duos magis extendatur, quam ad tres vt inquit Soto. Quare illa omnia videntur magis pro libito, quã pro ratione dici.

4 Deinde existimo tantũ in primo gradu lineæ rectæ, scilicet, matrimonium patris cum filia, filij cum matre prohibitum, & irritum esse iure naturali: quam sententiam sequutus est Caietanus 2. 2. quæst. 154. artic. 9. & in opusculo de Matrimonio Regis Angliæ ad Clementem Septimum. Et quidem in primo illo gradu matrimonium esse irritum iure naturali, in primis suadet omnium gentium conueniens de ea re sententia, & à natura insitus honor. Persæ enim, qui coniugia cum parentibus permittebant, reprehenduntur à Tertulliano in Apolog. cap. 9. Chrysostomo homil. de Pentecoste in fine Augustino quæst. 61. in Leu. Theodoreto in lib. de legibus. Atque inde reprehendit Aristoteles lib. 2. Polit. communitatem vxorum, quia filij parentibus iungerentur, imo & eum congressum abhorrent nonnullæ belluæ, vt ipse de camelis, & equis refert lib. 9. de histor. animal. cap. 46. & Plin. lib. 8. natural. histor. cap. 42. Vnde merito Ambrosius epist. 66. ad Paternũ, inquit, matrimonium parentis cum filia repugnare legi naturæ scriptæ in cordibus hominum, adeo omnibus horribilis, & turpis est congressus iste. Hinc Alexander Alens. 3. part. quæst. 36. num. 6. rationem reddit, quia confunderetur ordo naturæ. Nam principia generationis essent etiam generationis comites, hi parentes, illi filij. Quam etiam rationem reddit Ricardus d. 40. art. 1. quæst. 2. Nulla præterea de eo connubio extant exempla, dispensationes nullæ, ac denique matrimonij æqualitas, & mutua subiectio cum naturali potestate patris in filium cohærere non potest.

5 Nec verò ob id negandum ità intrinsecè malam eam coniunctionem, vt nullo fine honesta reddi posset. Quanuis enim adeo turpis sit, occurrere potest aliud præceptũ vrgẽtius, & efficacius, quo absque dispensatione vlla cesset obligatio non contrahendi ea coniugia: vt si deficiat genus

humanum, vt contingit in primi æui matrimonijs. Quæ existimatio, licet tempore illo non satis prudens, filiarum Lot peccatum aliquantulum excusauit, crediderunt enim perire genus humanum, atque ideo licere si bi â parente posteritatem accipere, imo & nonnulli ex patribus factum filiarū Lot non solum non accusant, sed etiam â peccato liberant. Nisi forte quis dicat matrimonium patris cum filia, matris cum filio diuina aliqua lege potius prohibitum, quàm naturali: quæ quia consonat naturæ, naturalis dicatur, & traditione deriuata sit: quod mihi aliquantulum arridet, cum non inueniam firmum aliquod argumentum, quod ostendat hanc coniunctionem iure naturali nullam, cum non opponatur ita clarè fini matrimonij, quod necessarium esset vt iure naturali irritaret. Quanuis huius diuini præcepti adhuc perseuerantis nullum inueniam vestigium.

6 At verò in alijs gradibus rectæ lineæ matrimonium non esse irritum iure naturali mihi persuadeo in primis, quia nullam ad id afferendum firmam, nec verosimilem rationem inuenio. Nam ea, quæ sumitur ex naturali reuerentia debita, quam debet nepos auo, non est efficax. Quis enim non videt iam minorem esse eam naturalem coniunctionem, & quo magis distat, minorem esse, atque ideo minorem etiam indecentiam cerni in ea coniunctione, id quod, & fatetur Bellarminus cap. 18. Quod autem sit inæqualitas maior ætatis, ad prohibitionem naturalem inuestigandam ridiculum est: pone enim à Deo per miraculum conseruari. Adde auum quinquagenarium, & sexagenarium posse habere neptem, & proneptem nubilis ætatis. Quod autem sexagenarius nubat viginti annos habenti, quid obstat? Quod eiusmodi coniugia videmus iniri quotidie sine culpa vlla? Ergo si aliud non obstat, ex inæqualitate ætatis, nec culpa venialis colligi potest, multo minus esse irritum matrimonium. Vnde neque existimo secluso iure positiuo esse culpam lethalem contrahere in gradibus consanguinitatis rectæ lineæ, saltem vltra secundum, vel tertium gradum. Nam iam deinceps non cernitur in illis grauis irreuerentia, ex quo petenda est tota ratio malitiæ. Addo etiam Pontifices atque concilia in his, quæ citauimus, decretis, vniuersè statuisse nullum esse impedimentum vltra septimum gradum, vel vltra quartum consanguinitatis. Qua locutione vniuersè statuitur vltra illos gradus, neque irritum, neque illicitum esse. Quod autem loquantur non tantum de gradibus lineæ transuersalis, sed etiam rectæ, manifestè constat, quia cum statuant cum nullo de cognatione contrahendum esse coniugium, vel quousque se parentela cognoscit, inquiro, an tunc de omni linea intelligātur? Intelliguntur certè, aliàs deueniendum esset in quoddam absurdum scilicet, si illis canonibus non est sermo de gradibus lineæ transuersalis, cum variæ extiterint opiniones de valore matrimonij in gradibus rectæ lineæ infra secundum, posse validè absque dispensatione vlla iniri matrimonium inter auum, & neptem, vel proneptem sequendo opinionem probabilem affirmantium valere. Igitur quando dicunt tantum vsque ad septimum, vel quartum gradum extendi, vniuersè de omnibus intelliguntur, siquidem non minus isti, quam illi consanguinei sunt. Denique potest sumi pro hac sententia aliquale argumentum ex eo, quod nullus gradus lineæ rectæ affinitatis prohibetur naturali iure, ita vt sit irritum matrimonium, vt statim demonstrabo, cum de affinitate sermo fuerit ex ipsis Conciliorum, Pontificumque decretis: cum tamen adeo grauis cernatur irreuerentia in matrimonio priuigni cum nouerca, & priuignæ cum vitrico, aut soceri cum aliqua nuru, quæ maior profecto apparet, quam in eo quod neptis nubat auo. Ergò signum est in illis gradibus matrimonium non esse irritū iure naturali. Atque hæc de primo.

Sit ne iure naturali matrimonium prohibitum, & irritum in aliquo gradu lineæ transuersalis.

CAPVT XXXII.

SVMMARIVM.

In alijs gradibus vltra primum lineæ transuersalis non esse irritum iure naturæ matrimonium, num. 1.

In primo esse nullum nonnulli sentiunt, nu. 2.

Vera sententia valere, Doctores, qui illam tenēt, referuntur, num. 3.

Probatur ex Augustino, & Hieronymo, nu. 4.

Ex moribus gentium, num. 5.

Ex sacris literis, num. 6. 7.

Ex nonnullis Canonibus, qui expenduntur, numero 8. 9.

Nullam

Nullam rationem esse, quæ conuincat oppositum num. 10. 11. 12. 13.

Dispensari posse à Pontifice ex iusta causa, & qualis videatur iusta, num. 14. sub Ecclesiæ censura, ibid.

1 MAIOR in hoc expediendo difficultas est. Nec examinamus modo, an culpa lethalis sit in eo connubio, quod indicabo statim, sed an sit irritum matrimonium in aliquo gradu linee transuersalis. Et quidem quod attinet ad alios gradus vltra primum, quauis non omnes consentiant scholastici, attamen dubitatione vacat non esse irritum in illis matrimonium iure naturali, sed tantum Ecclesiastico. De quo miror dubitasse nonnullos ex Theologis, cum sint apertissima Pontificũ responsa, & Conciliorum decreta. Nam in Concilio Agathensi cap. 61. post quam de matrimonio inter cõsobrinos, & patruum, & sobrinam egisset, dicitur ea coniugia ita in posterum prohiberi, vt tamen quæ iam essent contracta nullatenus dissoluerentur, quod non diceret Concilium, si irritum esset matrimonium iure naturali. Laxarentur enim habenæ libidini. Id quod in Agathensi statutum eisdem verbis confirmatum in Concilio Epaunensi c. 30. & Epaunense decretum cõfirmatur expresso nomine in Aurelianensi 4. c. 27. & Turonensi 2. cap. 21. & Arelatensi 4. cap. 11. & alijs. Et Innocentius III. in *cap. gaudemus de diuortijs*, expresse dicit matrimonia infidelium in secundo, tertio, & alijs gradibus consanguinitatis contracta non dissoluenda, cum ad fidem veniunt, ex eo quod illi nõ teneantur legibus canonicis. Ergo consanguinitas in his gradibus præter primum canonicum tantum impedimẽtum est. Ac denique Augustinus lib. 16. de ciuitate Dei cap. 12. affirmat ante legem humanam nunquam prohibitum esse iure diuino vel naturali coniugium cum consobrina, ideſt, inter filium, & filiam duorum fratrum. Vnde & secluſa lege canonica non video esse aliquod peccatum in ea coniunctione, cum dicat Innocentius III. in d. *cap. gaudemus* in secundo, tertio, & quarto gradu licitum esse coniugium inter infideles, aut licitè esse contractum, quia canonicis legibus non arctantur. Aut si illud est in coniunctione patrui cum sobrina, non mihi videtur esse lethale, taliſque naturæ, vt secluſa lege Ecclesiastica multis de causis, nec minis vrgentibus licitè iniri possit. Solum ergo dubitamus de matrimonio contracto in primo gradu lineæ transuersalis inter duos fratres, an illud sit irritum iure naturali, nec vero dubitamus esse illicitũ, id enim fatemur ingenuè.

2 Igitur non pauci sentiunt matrimonium inter fratres esse iure naturali irritum, atque adeo indispensabile à Pontifice. Ita sentit Abulensis Leuit. 18. quæst. 5. Martinus de Ledesma 2. 4. quæst. 56. artic. 3. dub. 4. Catherinus libro quinto annotationum in Caietanum, & recentiores alij. Fundamenta huius sententiæ adducam postea.

3 Ego tamen verius semper existimaui matrimonium inter fratres non esse irritum iure naturali, sed tantum positiuo, olim diuino in lege veteri, nunc vero Ecclesiastico. Sententiam istam tenent Doctores non pauci, neque infimæ notæ Diuus Thomas 2. 2. quæst. 154. art. 9. ad 3. Caietanus ibidem. Alexander Alensis 3. part. quæst. 35. memb. 6. vbi expresse dicit, tantum lege diuina in veteri populo prohibitum matrimonium sororis cum fratre, & postea in solutione ad argumẽta dicit coitui sororis cum fratre, accidisse quod sit incestus. Ricardus in 4. dist. 40. art. 1. quæst. 2. Durandus eadem dist. q. vnica num. 9. Scotus eadem d. quæst. vnica, qui planè asserunt in veteri lege diuino præcepto id matrimonium prohibitum, non verò naturali iure. Carthusianus eadem d. Abulensis 1. Regũ. cap. 8. q. 149. & sequenti. Armilla verbo, *dispẽsatio* §. 9. & 10. Vera Cruz in speculo cõiug. 2. p. art. 25. Oleaster Genes. 20. Guillelmus Hamerus in eundem locum, Gentianus Heruetus in Clem. Alexander. lib. 2. strom. cap. 12. in principio, & denique M. Luysius Legionensis sic censuit sub Philippo II. Matriti Aprilis 22. anno 1589.

4 Pro hac etiam sententia videntur stare Hieronymus, & Augustinus. Hieronymus in quæstionibus, siue traditionibus in Genesim. *Necdum quippe* (inquit) *inter patruos, & patrum filios nuptiæ fuerant lege prohibitæ, quæ in primis hominibus etiam inter fratres, & sorores initæ sunt.* Et postea in eodem libro Genesis 20. in illa. *Etenim vere soror mea est de patre, sed non ex matre. Id est*, inquit, *fratris eius est etiam filia, non sororis. Sed quia in Hebræo habetur vere soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ, & magis sonat, quod soror Abrahæ fuerat, in excusationem eius dicimus, necdum illo tempore tales nuptias*

lege prohibitas. Hæc Hieronymus. Nec verò repugnat Augustinus li. 15. de Ciuitat. Dei cap. 16. vbi cum de fratrum coniugijs sermo esset, inquit: *Qui profecto quanto est antiquius compellente necessitate, tanto postea factũ est damnabilius religione prohibente*: quibus indicat accessisse postea prohibitionem per legem scilicet diuinam, vt latius serperet genus humanum, pluribus necessitudinibus existentibus. Qua prohibitione secuta rectè dicitur postea nefas iam esse, idque contraria probatum consuetudine. Vnde circa medium capitis inquit. *Quod humano genere crescente, & multiplicato, etiã inter impios Deorum multorum, falsorumque cultores sic obseruari cernimus, vt etiam si peruersis legibus permittantur fraterna coniugia, melior tamen consuetudo ipsam velit exhorrere licentiam. Et cum soores accipere in matrimonium primis humani generis temporibus omnino licuerit, sic auersetur, quasi nunquam licere potuerit. Ad humanum enim sensum vel alliciendum, vel offendendum mos valet plurimum.* Ecce legibus concessam licentiam nubendi dicit, quamuis peruersas leges affirmet, quia sine magna necessitate: quo ipso indicat iusta existente causa fieri licite posse. Etiam consuetudine id receptum dicit, atque adeo prohibitionem non ab ipsa lege naturæ manasse. His accedit Clemens Alexand. lib. 2. strom. cap. 12. in principio.

5 Præterea, si mores hominum consulamus, cum quod ab omnibus recipitur, satis indicet ab ipso iure naturæ manare, & quod modo ab his, modo ab illis, saris etiam ostendit non deduci ex naturæ principijs, reperiemus profectò matrimonium inter fratres nõ ab aliquo libidinoso, & communi sensu reiecto, sed apud multas gentes, easque prudentiæ laude florentes vsu, & consuetudine receptum, atque probatum. Si ad tenebris obuoluta sæcula te conuertas, & quæ fabulosa propter antiquitatem iudicantur, Saturnus duxisse dicitur sororem Opem, Iupiter Iunonem, & quam plurima alia Deorum matrimonia, quæ poëtæ ac philophi finxerunt, è fratribus extiterunt. Si vero ea respiciamus sæcula, quæ literis cõmendata sunt, & in historia viuunt, apud Ægyptios in vsu fratrum matrimonia referunt Diodorus, & Pausanias in Atticis; Ptolomæum nupsisse Arsinoe sorori tradunt historici. Apud Athenienses id in more receptum affirmat inter pres Aristophanis, fateturque Ludouicus Viues ad prædictum locum, & caput Augustini, & Palæotus lib. de nothis filijs capit. 3. numero 2. & tertio.

6 Ad hæc, ex sacris literis pro hac sententia non leuia colliguntur fundamenta. Primum ex Genes. 20. vbi cum expostularet Abimelech, quod deceptus esset ab Abraham dicente Saram sororem esse, respondit: *Cogitaui mecum dicens, forsitan non est timor Dei in loco isto, & interficient me propter vxorem meam.* Ac ne metus causa mentitus crederetur, addit: *Alias autem & verè soror mea est filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in vxorem.* Quæ verba, quamuis si illis vis inferatur, aut variè torqueantur, in alium sensum deflecti possint, attamen planè, & simpliciter, ac sine tropo accepta nostram sententiam planè continent, & Clemẽs Alexandrinus suprà citatus, de coniugio cum sorore accipit. Neque obstat, quod Genes. 11. appellatur nurus Thare vxor Abraham filij sui, si enim filia esset, non ita appellari deberet, dico enim tunc potius nomine nurus explicandam, & significandam, quam filiæ. Quare non probo quod alij dicunt Sarai Iescham appellatam etiam fuisse in eo capite, vt constet filiam esse Haran, id enim nullo cum fundamento asseritur. Neque obstat etiam, quod Abrahamus, vt matrimonium celaret, & postea etiã Isaac, sororis appellationem suis vxoribus indiderint, quæ inutilis simulatio esset, si coniugia cum sororibus essent eo tempore in vsu. Ea enim excusatione optimo consilio vsi Abraham, & Isaac: quia, licet ea coniugia inter aliquos celebrarentur, at non ita frequenter, vt statim de quibusuis fraterno sanguine iunctis suspicari etiam id facile posset.

7 Sed addo etiam ex 2. Regum 13. argumẽtum aliud desumptum ab exemplo Thamar sororis Amon, quæ ad illum inquit. *Noli frater mi, noli opprimere me vel facere stultitiam hanc, quin potius loquere ad Regem, qui non negabit me tibi.* Quo inaniter se puella defendere conaretur, si illicitum, in auditum, non vsu receptum, aut quod iusta subsistente causa fieri non posset coniugium. Nec verò dici potest Thamar non fuisse filiam Dauid, sed priuignam, vt constat ex eodem capite, & lib. 1. Par. cap. 3. vbi enumeratur inter filios Dauid. Nec etiam dici potest illam non fuisse seriò, & ex animo locutam, sed tantum vt iuuenem insanientem eluderet, cum postea dixerit. *Maius est hoc malum, quod nunc agis aduersum me expellens me*, volebat iam, scilicet patre consentiente, more coniugis cum Ammone fratre per

manere

manere, idque satagebat. Quicumque certè hæc duo attentè expenderit, licet non concedat certam esse opinionem, quam defendimus, dabit tamen cum magna probabilitatis specie asseri posse illam sacris literis confirmari.

8 Deinde sententiam istam deducere conabor ex nonnullis Pontificum responsis, conciliorumque decretis. Agathense cõcilium cap. 61. cum aliquas incestas coniunctiones enumerasset, subdidisset que vniuersè, vt omnia quæ dixerat, & dicenda supererant, vno verbo comprehenderet, tam inter consanguineos, quam affines, concludit: *Aut qui ex propria consanguinitate aliquam, aut quam consanguineus habuit, concubitu polluat, aut duxerit vxorem.* Cum ergo hæc omnia matrimonia prohibuisset, inquit. *Quod ita præsenti tempore prohibemus, vt quæ sunt ante nos instituta non dissoluamus.* Quo decreto conuinci videtur ea matrimonia valere potuisse. Pone enim fratres aliquos matrimonio coniunctos tempore eius decreti, inquiro an essent dissoluenda coniugia illa, vel secus? si hoc secundum, vinco quod volo, valuisse scilicet; si vero dissoluerentur, id manifestè est contra tenorem decreti. Quod eisdem verbis receptum in Epaunensi cap. 30. & alijs concilijs, quæ supra retuli.

9 Sed expendo alia verba eiusdem decreti, quæ nisi fallor, aperte, & sine ambage continent nostræ sententiæ decisionem. Inquit enim, *siquis relictã fratris, quæ pene prius soror extiterat, carnali coniunctione polluerit: Si quis frater germanam vxorem acceperit.* Inquiro enim quis sit horum postremorum sensus verborum? Ego quidem eum, quem præ se ferunt, esse intelligo, scilicet, nequis frater, germanam suam vxorem accipiat, alius enim esse non potest. *Germanus enim,* inquit Seruius Æneid. 5. *est secundum Varronem in libris de gradibus de eadem genitrice manans, non vt multi dicunt, de eodem germine, secundum quem bene nunc Ericem Butæ, & Veneris filium Æneæ dicit esse germanum.* Si enim quis existimauerit sensum esse, ne frater eius, qui vxorem duxit, ducat in vxorem germanam vxoris primi mariti, ridiculus erit: duo enim fratres duabus sororibus nubere nullo vnquam affinitatis genere primo, secundo, & tertio prohibiti fuerunt. Si autem quis dicat ibi præcipi, ne frater ducat germanam vxoris suæ, quam prius habuerat, non minus alienus sensus est, tum quia in omnibus codicibus, quos ego hactenus reperire potui, inuenitur germanam vxorem non vxoris, & in *cap. inceſtis 35. quæſt. 2. & 3.* eodem modo legitur. Quare corruptum esse textum dici non potest, cum aliquo fundamento. Tum etiam, quia quorsum diceret, siquis frater, sed absolute, siquis ducat germanam vxoris? Nõ ergò est aliud quod referat illa vox, *Germanam,* nisi vocem illam, *frater,* & econtra. Nec dici potest hac secunda clausula idem significasse, quod prima, vt ex ipso cõtextu satis liquet. At statim dicit Agathense concilium se non dissoluere antea secus institutа coniugia. Ergo sentit de omnibus matrimonijs in illis saltim gradibus expressim prohibitis valere posse coniugia, alias illos relinqueret in manifesto peccato. Epaunense etiam cap. 30. *Siquis inquit, relictam fratris, quæ pene prius soror extiterat, carnali coniunctione violauerit, siquis germanam vxorem acceperit.* Additque etiam se non dissoluere antea inita coniugia. Aurelianense 4. ca. 27. *Secundum statuta,* inquit, *Epaunensium canonũ ea seueritas teneatur.* Turonense 2. capit. 22. Epaunensis meminit licet legat, *siquis germanam vxoris duxerit,* cum tamen in ipso Epaunensi, & Agathensi tantum legatur *germanam vxorem.* Et quidem ita esse legendum præter ea quæ diximus, constat ex eo, quia matrimonium cum duabus sororibus iam prohibitum erat priori clausula, eo ipso, quo prohibetur matrimonium vnius vxoris cum duobus fratribus. Quare his verbis, quæ induximus, tantum prohibetur matrimonium fratris cum germana.

10 Denique nulla ratio est, quæ oppositum non solum efficaciter, sed nec magna cum probabilitate conuincat. Quod enim nunquam hactenus dispensatum sit à Pontifice Romano, parum refert, licet demus falsa esse, quæ memoriæ prodita sunt, de quadam dispensatione: tum quia iusta causa, & quæ necessaria ad dispensandum in eo gradu esset, non se se occurrit: tum etiam quia quantum ex allatis decretis colligi potest, verosimile est nonnulla matrimonia inita inter fratres valuisse, aut saltim ex illis decretis colligitur non obscurè dispensatio, cum concedant vt secus inita coniugia perseuerent, quod olim, vti diximus, ad Episcopos pertinebat. Tum denique inquiro ab istis, quando audiuimus, vel legimus dispensasse Pontificẽ, vt quis nubat duabus sororibus, & tamẽ nostra ætate dispẽsatũ in eo est à Clemente VIII. & superioribus annis concessum, vt relictã fratris alter acciperet: & tamen ignoro an prioris dispẽsationis prioribus sæculis vllum extet exemplum.

11 Neque etiam efficax magis ratio est, quæ ex turpitudine desumitur, ac videtur inesse in eo, quod frater suam vxorem agnoscat. Nam ex eo efficitur tantum illicitum illud quidem coniugium iure naturali, sine magna causa: attamen non video v n de colligatur esse irritum. Addo etiam non minorem, imo, quantum ego iudico, maiorem, aut saltem æque grauem turpitudinē cerni in eo, quod idem duas sorores ducat vxores, aut duo fratres eidem vxori copulentur, vtroque consummato matrimonio. Quis id neget? Et tamen dispensari in eo posse, & iure naturali valere matrimonium nullus Catholicus ambigit. Æquè grauis, imo grauior turpitudo cernitur in eo, quod quis nouercam, aut priuignam ducat vxorem, vel relictam auunculi: & tamen solo Ecclesiastico impedimento ea coniugia dirimuntur, vt ex citatis canonibus deducam postea. Item non minor turpitudo relucet, quod matrimonium infidelium consummatum dissolui possit, & vterque cum altera consummare coniuge superstite; & tamen actoritate Pontificis fieri posse non pauci docuerunt. Non ergo ratio ex turpitudine desumpta vires habet. Adde multo minorem eam turpitudinem esse, si matrimoniū esset inter fratres non vterinos, sed tantum ex eodem patre, non matre, quales erant Sara, & Abraham, Amnon, & Thamar.

12 Id autem, quo nonnulli mouentur, quod suspecta redderetur cohabitatio fratrum, si inter illos matrimonia licerent, friuolum est. Neque enim ego licere dico, sed nō licere, valere tamen iure naturali. Quod autē id periculum sequeretur, non ostendit inualidum, sed vt plurimum illicitum. Idē que argumentum fieri posset ad reddendā suspectam habitationem cum relicta fratris, aut cum duabus sororibus, & cum sobrina, quæ tamen absque suspicione cum patruis habitant, soceris, & fratribus maritorum, & absque controuersia certissimū est iure naturali valere, & tantum canonice impediri. Adde etiam filios legales simul cum naturali, & tamen inter legales nullum impedimentum est, & inter legales, & naturales tantum Ecclesiasticum. Quare ex eo quod natura velit communem esse habitationem fratrum, tantum colligitur iure optimo Deum olim in veteri lege, & in noua nunc Ecclesiam impedimentum constituisse, vt scientes se inualidè contrahere, etiam si attentarent, abstineant â concubitu.

13 Nec denique vllam vim habet, quod desumitur argumentum ex responso Innocentij Tertij in *cap. gaudemus de diuortijs*, dum tantum dixit matrimonia inter infideles contracta, in secundo, tertio, & quarto gradu consanguinitatis non debere dissolui. Nam in primis Innocentius respondit ad id, quod quæsitum erat, tantum autem de illis gradibus fuerat quæstio proposita, quare quod attinet ad primum gradum nec negat, nec definit. Et quanuis daremus negare Innocentium matrimonia esse valida in primo gradu, deberet intelligi de recta linea consanguinitatis: id quod etiam respondeant necesse est, qui sentiunt matrimonium in omni gradu lineæ rectæ esse inualidum iure naturæ. Nam de omni gradu lineæ rectæ quā transuersalis non agere Pontificem ex eo constat quia cum ea decisio Pontificis tam habeat locum in consanguinitate, quam affinitate, constat tamen in primo gradu affinitatis lineæ rectæ dispensatum. At tandem concludamus nihil in ea coniunctione cerni, quod tollat fines matrimonij, aut eius substantiā, quod necessarium esse, vt dicere mus iure naturali impedire, & dirimere, vt facile constabit discurrenti per fines matrimonij.

14 Maneat ergo iure naturæ validum esse matrimonium inter fratres: vnde, & iusta subsistente causa dispensari in eo posset à Romano Pontifice. Iusta tamen mihi causa videretur, vt quod exempli causa dictum sit, si Hispaniarum Princeps, cum ex vna parte digna tanta regia maiestate vxor non esset, nec sine graui inconuenienti iuxta prudentem æstimationem etiam adhuc illam ducere non posset, & ex alia parte illæ, quæ pari coniugio copulari possent, essent aut hæresi infectæ, aut suspectæ, vnde probabile periculum immineret, vel peruertendi regis, vel inficiendi regni, quod non est difficile euenire: posset certe iustè dispensari, vt cum sorore nuberet, maxime si vterina non esset. Ita mihi videtur sub sedis Apostolicæ iudicio, quæ an adhuc in eo casu expediret, prouide, vt reliqua omnia, & maturè consideraret. Sic dixi in prima editione libri de impedimentis.

(?)

De

De impedimento affinitatis.

Prohibitum connubium cum affini, & de affinitate orta ex illicita copula nonnulla explicantur.

CAPVT XXXIII.

SVMMARIVM.

Affinitatis impedimentũ probatur ex canonibus, num. 1.
Quæ requirantur vt consurgat affinitas, nu. 2.
Computatio graduum affinitatis, num. 3.
Affinitatem ex fornicatione limitatam ad duos gradus, nu. m. 4.
Maritum cognoscentem consanguineam vxoris in tertio, vel quarto gradu impediri à petitione debiti quidam dicunt, nu. 5.
Verius oppositum ex declaratione Cardinalium, num. 6.

1 AFFINITAS *est propinquitas aliqua orta ex copula siue coniugali, siue illicita*, estque fere semper impedimentum dirimens, vt ex multis canonibus constat, quos modo citabimus. Hi sunt seruato temporis ordine Higi. *cap. si qua mulier 35. quæst. 10.* Fabianus *in ca. de propinquis.* Illiberritanum can. 61. & can. 66. Neocæsarienſe can. 2. Iulius I. *cap. nullum in vtroque 35. quæst. 2.* Agathenſe can. 61. Epaunenſe can. 30. Toletanum 2. cap. 5. Aurelianenſe 1. can. 20. Aurelianenſe 2. can. 10. Vigilius epiſt. 3. Aurelianenſe 3. can. 10. Aruernenſe can. 11. Turonenſe 2. can. 21. confirmato Epaunenſi decreto, Pariſienſe 3. can. 4. Lugdunenſe 2. can. 4. Matiſconenſe 2. can. 18. Altiſiodorenſe can. 27. 28. 29. 30. 32. Gregor. I. lib. 12. epiſtolarum epiſt. 31. interrog. 6. & interrog. 7. epiſt. 32. col. 1. & col. 3. Gregorius II. epiſt. 14. Romanum 1. ſub Gregorio II. can. 5. 7. 9. Zacharias epiſt. 1. col. 2. in fine. Romanum 1. ſub Zacharia can. 6. Romanum 2. ſub Zacharia. Damnant eum qui duxerat vxorem defuncti patris. Arelatenſe 4. can. 11. eadem habet: quæ in Epaunenſi. Cabilonenſe 2. can. 29. Moguntinum ſub Leone III. & Carolo can. 56. & can. 54. Moguntinum ſub Rabano can. 29. & can. 30. Vuormatienſe can. 32. & 78. Gregorius VII. lib. 7. epiſt. 9. lib. 8. epiſt. 3. Anglicanum ſub Gregorio VII. Alexander III. in appendice Concilij Lateranenſis part. 6. cap. 32. Londinenſe ſub Innocentio III. can. 10. Nouiſſimè Tridentinum ſeſſ. 24. can. 3.

2 Oritur autem affinitas etiam ſi copula ſit cum fœmina inuita, & coacta, *cap. ad diſcretionem, de eo qui cognouit*, & ſiue ſit cum fœmina dormienti, aut vigilanti. Vt autem contrahatur affinitas neceſſaria eſt inprimis carnalis copula. Vnde ſi ſemen alicuius viri ope Dæmonis deferatur in vterum fœmineum, probabile iudico non contrahi affinitatem, quidquid Thomas Sanchez li. 2. diſput. 21. num. 2. vt dico infra lib. 9. cap. 9. Quia illi non ſunt facti vna caro, nec ſibi adhæſerunt, & aliàs innumeros ſcrupulos inijceret ea opinio dubitantibus hominibus, an ab illis dormientibus deciſum ſemẽ raptum à Dæmone, aliòque delatum eſſet. Vnde neque ſi caſu ad ſe traheret vterus fœmineus ſemen viri cum ea ludentis, contraheretur affinitas. Requiritur præterea vt in ea copula ſit effuſio veri ſeminis, qua ratione ex copula eunuchorum vtroque teſte carentium non oritur affinitas vlla, neque ex copula non conſummata aliquorum, ſi ante deciſionem ſeminis ſeparentur. Parum autem refert ad affinitatem contrahendam, quod fœmina ſeminet, vel non, cum eius ſemen ad generationem neceſſarium non eſſe ſit conſtans opinio. Debet autem ea effuſio ſeminis fieri intra vas naturale copula interueniente; Quare ſiquis extraordinariè polluat fœminam aliquam, vel in vaſe præpoſtero, vel emittens ſemen poſt extractum è vaſe naturali membrum, quamuis poſt modum caſu illabatur ſemen in naturale vas, nulla reſultat affinitas, *cap. extraordinaria 35. quæſt. 2. & 3.* ſed de his infra lib. 9. cap. 9.

3 Computantur autem gradus affinitatis hac ratione. Qui copulantur non cenſentur eſſe affines, ſed quaſi ſtipes, & truncus, vnde ſumitur initium affinitatis. Eius non alij ſunt gradus quàm conſanguinitatis. Vnde eam regulam tradiderunt nobis Conciliorum decreta, quam poſtea amplexi ſunt ſcholaſtici cum Diuo Thoma, & DD. omnes iuxta parentelam viri numerandam etiam vxoris, & ita quo gradu quis diſtat in conſanguinitate à viro, eodem gradu affinitatis diſtat ab eius vxore. Ita Concilium Moguntinum ſub Rabano can. 30. & Vuormatienſe can. 78.

4 Deinde obſeruandum affinitatem ortam ex copula fornicaria olim non minus

exten-

extendi, quam ex licita. Canones antiqui, quos modo citauimus, eodem modo de coniugali, & illicito ac incestuoso cõcubitu loquuntur. Nunc autem iure nouo Concilij Tridentini tantum extenditur ad secundum gradum inclusiuè. Hoc autem impedimentum affinitatis ortum ex copula illicita nullo modo dirimet matrimonium iure naturali; imo vix impediet, aut saltem culpa tantum venialis erit, si quis cum affine ex copula fornicaria contraheret, quare tantum impedit, & dirimit iure Ecclesiastico; In alijs autem gradibus exceptis duobus, nec impedire iam dudum, declarauit Pius V.

5 Sed quæstionem habet hoc loco, an si quis maritus cognoscat mulierem tertio, vel quarto gradu cum sua vxore coniunctam, sibique eodem gradu affinem, impediatur à petitione debiti coniugalis. Paulus Comitol. lib. 1. respons. moral quæst. 138. num. 2. existimauit esse incestum, & impedire ius exigendi debiti. Probat primò. Quia incestus grauius crimen est, quam adulterium *cap. adulterij 32. quæst. 7.* qui canon est Augustini in lib. de adulterinis coniugijs. Incestum enim in luxuriæ naturalis speciebus esse omnium pessimum docet D. Tho. 2. 2. quæst. 154. art. 12. Quod etiam liquet ex *cap. Quemadmodum §. sunt enim, eadem causa, & quæstione.* Cũ ergo adulteriũ priuet iure petendi debitum multò magis incestus. Deniquè quia communis Doctorum omnium sententia est absque distinctione vlla incestum afferre impedimentum debito exigendo.

6 Verùm mihi videtur probabilius eiusmodi maritum non impediri ab exigendo debito. Docet Nauarrus lib. 4. con. de conf. consi. 3. num. 2. 3. & 4. qui & addit de ea re in sacro pœnitentiariæ prætorio disputatũ esse, & integram relictam esse quæstionem. Toletus quoque insinuare videtur lib. 7. summæ cap. 11. Huius sententiæ non aliud mihi maius fundamentum est, nisi quia hæc impedimenta constant iure Ecclesiastico. Nullum autem ius statuit huiusmodi incestum impedire â debiti exactione. Nam iure Concilij Tridentini coitus illicitus gignit affinitatem tantum, vsque ad secundum gradum. Cum ergo non pertingat ad vxorem eius mariti, nullum est in iure fundamentum, vt impediri dicamus debiti petitionem. Argumentum autem quod ex adulterio sumitur nullius momenti est: neq; enim adulter peccat, si petat debitum, vt ex supra dictis constare potest. Est etiam pro hac sententia declaratio Cardinalium apud Farinacium sessione 24. de reformatione cap. 4. in hæc verba. *S. D. N. Gregorius XIII. ex sententia congregationis dixit per hoc decretum sublatum censeri impedimentum quoque superuenientis affinitatis post cõtractum matrimonium, quia si impedimentum dirimens sublatum est, quod maius est, ergo & istud quod solum impedit, ne is per quem contracta est affinitas sine peccato possit exigere debitum, quod minus est: præterea Concilium sustulit tertium, & quartum, ergo in omnibus.* Hæc ibi.

De affinitate orta ex copula coniugali.

CAPVT XXXIIII.

SVMMARIVM.

Tria affinitatis genera, duo iam sublata, num. 1.
Restricta ad quartum gradum, num. 2.
In primo gradu lineæ trasuersalis non esse irritum matrimonium iure naturali, num. 3.
In primo lineæ rectæ esse irritum, nõnulli opinantur, num. 4.
Verius neque in illo esse nullum iure naturali, num. 5. 6.
Soluuntur fundamenta contraria, nu. 7. 8. 9.
Ab infideli non contrahi hoc impedimentum, numero 10.

1 QVOD attinet ad affinitatem ex copula coniugali, nonnulla iure antiquo sancita sunt, quæ iã abolita. In primis tria erãt affinitatis genera, & in nullo eorum generum matrimonium validum, constat ex *capit. de propinquis cap. contradiximus, cap. porro. 35. quæst. 2. & quæst. 10. per totam*, glossa decretalis Innocẽtij III. *in cap. non debet, de consanguinitate.* Hac ratione his verbis genera affinitatis designat. *Si vis habere primum genus affinitatis, adde per carnis copulam alicui de tua consanguinitate aliquam personam, & illa est affinis omnibus consanguineis viri sui in primo genere affinitatis, & hoc genus tantum prohibitionem habet. Vnde mortuo viro illius mulieris puta fratre tuo, illa non potest habere aliquẽ de consanguinitate viri sui. Ergo patet quod omnes consanguinei, & consanguineæ vxoris meæ sunt mihi affines in primo genere affinitatis. Si vis habere secundum genus affinitatis, adde personam per carnis copulam primo generi hoc modo. Vxor fratris mei est mihi in primo genere affinitatis,*

tatis: mortuo fratre meo adde illi alium virum, & ille erit mihi affinis in secundo genere affinitatis: & ille secundum antiqua iura non poterat illa mortua accipere aliquem ex consanguinitate prioris mariti vsque ad quartum gradum. Si vis habere tertium genus, adde personam personæ per carnis copulam secundo generi, & sic habes tertium genus. Apertius illa explicat Soto in 4. dist. 41. quæstione vnica secutus D. Thomam, Bonauenturam, Ricardum, quos citat. Si Maria fratri meo esset matrimonio coniuncta, erit mihi affinis in primo genere. Si autem fratre meo defuncto eadem Maria defuncta, ducat Petrum ille fiebat mihi affinis, in secundo genere: & si Maria defuncta ducat Petrus Annam, illa efficiebatur affinis in tertio genere. Qua ratione fieri posset, vt quis gener vxorem soceri sui habeat, & è contra, si illi secundò nubat. Verum iure nouiori Concilij Lateranensis sub Innocentio III. *cap. non debet de consanguinit.* Secundum, & tertium genus affinitatis omnino sublata sunt, ita vt iam, neque impediant, neque dirimant.

2 Præterea iure antiquo affinitas ad septimum gradum extendebatur, vel ad eundem, ad quem consanguinitas, idque fere omnibus canonibus, in quibus de hoc impedimento agitur, statutum est, quamuis etiã nonnulli ex eis ad tertium, & quartum gradum limitauerint. Hi sunt decretum Higinij Papæ, & habetur *cap. siqua mulier* 35. q. 10. *& cap. & hoc quoque* 35. *quæst.* 2. Fabianus *cap. de propinquis*, *eadem*, Gregorius I. lib. 12. 31. interrog. 6. ex dispensatione Gregorius XI. epist. 14. Moguntinum sub Leone III. cap. 54. Moguntinum sub Rabano capit. 29. Quod vniuersali lege sancitum in Lateranensi sub Innocentio III. *cap. non debet de consanguin.* & recenter confirmatum in Tridentino loco citato.

3 Solum superest explicandum, an in aliquibus gradibus affinitatis matrimonium sit nullum iure naturali? & vt in re non nimis difficili parum immoremur, præmittamus in primo gradu lineæ transuersalis non esse irritum coniugium iure naturæ, cum in eo gradu sæpe iam dispensarit Ecclesia, matura etiam præcedente consultatione, & summo consensu Catholici docuerint in lite mota de Matrimonio Regis Angliæ Henrici Octaui. Quod si Ioannes Baptista Herodem reprehendit, quod vxorem fratris haberet, diuersa longe species facti est, tum quia abstulerat illam Herodes viuente fratre, vt insignes Doctores tradunt, quod nunquam locuit in veteri lege, nisi repudium præcederet: tum etiam, quia licet defunctus esset frater Herodis, non licebat lege veteri vxorẽ fratris relictam accipere, nisi sine liberis decessisset. Herodis autem frater reliquerat filiã Herodiadem. Quare tantum excæcata libido ad eius regni supplicium, iustorum probationem, & Ecclesiæ examen, illi negotio vires addere potuit, vt ob id matrimonium dispensatione Pontificia contractum in litem adduceretur. Quod autem illud matrimonium prohiberetur Leuit. 18. & 20. nihil probat, cũ cessante lege veteri tantũ id habere vim debeat, quod lege naturali alias irritum esset. In multis enim gradibus prohibetur matrimonium in Leuitico, in quibus non est irritum naturæ iure. Quare in hoc iam nequaquam audiendi nonnulli ex antiquis Theologis, qui iure naturali irritum affirmarunt.

4 An autem in primo gradu lineæ rectæ affinitatis sit matrimonium nullum, nõ idem omnes sentiunt. Nam Canarienſis de matrimonio Regis Angliæ, Soto in 4. dist. 41. quæst. vnica art. 3. Couarr. 2. part. de matrimonio cap. 6. §. 10. num. 6. post Victoriam relect. de matrimonio 2. part. num. 5. Bellarmin. lib. 2. de matrimon. capit. 28. censent iure naturali impedire, & dirimere, ita vt contractum matrimonium inter vitricum, & priuignam & priuignum, & nouercam sit ipso iure naturæ nullum. Fundamenta referam simul, ac diluam.

5 At mihi semper probabilius visum est non esse inualidum matrimonium in eo gradu iure naturali, sed tantum Ecclesiastico, quamuis ob reuerentiam debitam turpitudine non carere videatur, vnde nisi iusta subsistente causa illicitè fieret. Hanc sententiam tenet Abulensis 1. Regum cap. 4. quæst. 152. Caiet. 2. 2. quæst. 154. artic. 9. probabilem putat Soto in 4. loco citato Fernandus Rebellus 2. part. de obligat. iustit. lib. 3. quæst. 15. num. 10. Et quidem ea quæ dixi capit. 32. de fratrum matrimonio hanc etiam sententiam persuadent. Nam in eo canone 61. Concilij Agathensis, & canone 30. Epaunensis expressè prohibetur matrimonium cum priuigna, cum nouerca relicta fratris, relictaque auunculi: & tamen præcipitur ne ante eam prohibitionem matrimonia contracta distracta dissoluantur. Quod euidenti argumento est, illa coniugia valere, & dispensabilia ea impedimenta in primo gradu. Quæ de-

creta

creta posterioribus Concilijs confirmata diximus.

6 Præterea idem manifestè demonstro ex Concilio Aurelianensi 3. can. 10. vbi hæc habentur. *De incestis coniunctionibus ita quæ sunt, seruentur, vt hi qui aut modo ad Baptismum veniunt, aut quibus patrum statuta sacerdotali prædicatione antea in notitiam non venerunt, ita pro nouitate conuersionis, ac fidei quæ credidimus consulendum, vt contracta hucusque huiusmodi coniugia non soluantur, sed in futurum, quod de incestis coniunctionibus in anteriorib canonibus interdictum est, obseruetur, id est, vt nequis sibi sub coniugij nomine sociare præsumat relictam patris, filiam vxoris, relictam fratris sororem vxoris, sobrinam, consobrinam vel relictam auunculi, vel patrui.* Quid apertius? ecce vult manere huiusmodi coniugia in infidelitate contracta, & non dissolui. Ergo gradus affinitatis inter vitricum, & priuignam, inter priuignum, & nouercam, relictam fratris, aut sororem vxoris non dirimit naturali iure. Imo & eos, qui ignorantia legum Ecclesiasticarum ea matrimonia contraxerunt, idem Concilium statim decernit non separandos. Non viderunt ista nostri Theologi, sicut neque ea, quæ adduxi pro matrimonio fratrum: vnde non mirum si ex antiquæ doctrinæ ignoratione in varia placita distrahantur.

7 Denique nulla sunt fundamenta, quibus opposita sententia nititur. Nam quod Paulus inquit 1. Corinth. 5. *Auditur inter vos fornicatio, qualis neque inter gentes, ita vt vxorem patris sui quis habeat,* diuersum longè habet sensum, potiebantur enim illa viuente patre, quod & innuit Paulus 2. Corinth. 7. *scripsi*, inquit, *non propter eum qui fecit iniuriam, neque propter eum qui passus est.* Adde matrimonia cum nouerca non esse inaudita inter gentes, vt constat ex dictis, & testantur speculum, Soto, Nauarrus & alij.

8 Quod item adduci potest ex naturali reuerentia, quam priuigna debet vitrico, atque nouercæ, non tantum roboris habet, ex eo enim vt plurimum fit cum peccato contrahi, nisi iusta excuset causa. Adde etiam non minorem reuerentiam deberi à filijs spiritualibus, & legalibus suis parentibus: & tamen ex omnium sententia constat esse impedimentum tantum Ecclesiasticum, & non iuris naturalis. Huius etiam argumenti vim eleuant ea, quæ supra insimili argumento diximus pro matrimonio fratrum.

9 Nec denique obstat, quod Concilium Aruernense sub Vigilio Papa c. 11. cum prohibuisset matrimonium cum priuigna inquit, *cum qui secus, ausu sacrilego auctoritatem diuinæ legis, & iura naturæ perrumpere.* Cuius canonis sententia probatur in Concilio Turonensi 2. can. 22. Hæc enim verba ab omnibus explicanda sunt, cum prohibuerit etiam matrimonium cum sorore vxoris, aut relicta fratris. Quare ea tantum dixit Concilium, quia iure naturæ matrimonium id videtur turpitudinem aliquam continere, atque adeo illicitum, nisi iusta excusetur causa, propter quam etiam Ecclesia dispensare posset iustè in sua prohibitione.

10 Ex dictis colligitur siquis in infidelitate affinitatem contraxisset, non impediri ne contrahat, si eius legibus, quibus tenetur, ea matrimonia sunt valida. Id quod solum verum existimo, si matrimonium contrahatur in infidelitate, nam si baptizetur ante contractum matrimonium, cum iam legibus Ecclesiæ teneatur, & illis ille re vera sit affinis non potest valide inire coniugiũ, vt tenet speculum 1. part. arti. 5. & artit. 47. Pro qua sententia sunt Ioannes Andreas, Cardinalis, Butrio, quos citat, licet non sequatur, Sãctius disput. 65. num. 8.

De impedimento publicæ honestatis.

Publicam honestatem oriri ex duobus capitibus, scilicet, ex matrimonio rato non dum consummato, & ex sponsalibus de futuro certissimum est, vt ex dicendis constabit, quare de vtroque distinctè agẽdum est.

Ex matrimonio non dum consummato oriri publicam honestatem.

CAPVT XXXV.

SVMMARIVM.

Ex matrimonio rato non consummato oriri publicam honestatem, non affinitatem, num. 1.

Antiquissimum esse hoc impedimentum probatur decretis conciliorum, num. 2.

Hoc impedimentum ad quatuor gradus extendi non comprehendi à Tridentino in decreto de publica honestate, num. 3.

Limita-

Limitatum esse hoc impedimentum ex consuetudine populi Christiani potius, quam ex aliquo iure, num. 4.

Quid requiritur, vt ex matrimonio rato oriatur publica honestas, num. 5.

1 NON oritur affinitas ex matrimonio rato nondum consummato, sed tantum publica honestas, quia affinitas sine copula carnali consurgere non potest. *Propinquitas enim sanguinis verbis dicitur, non verbis efficitur*, inquit Benedictus in *cap. lex 27. quæst. 2.* & nouissimè declarauit Pius V. in quodam Breui, quod incipit *ad Romanum*, & Cardinalium congregatio, quorum declarationes extant apud Rebellum num. 109. & apud Farinacium sess. 24. de Reformat. Matrimon. ca. 3. in hæc verba. *An ex matrimonio contracto per verba de præsenti non consummato oriatur affinitas vel impedimentum publicæ honestatis? Respondet Congregatio non esse impedimentum affinitatis, sed impedimentum iustitiæ publicæ honestatis, & fortius ac maius vinculum, quam impedimentum iustitiæ publicæ honestatis ex sponsalibus de futuro, & hoc Concilij decretum non loquitur de hoc impedimento, sed de illo tantum ex sponsalibus de futuro, ex quibus gradus istius impedimenti colligitur, non intelligi ad secundum gradum reductos, sed tantum illos qui contrahuntur ex sponsalibus de futuro, vt per bullam felicis recordationis Pij V. sub dat. Romæ.* Hæc ibi.

2 Est autem hoc impedimentum publicæ honestatis ortum ex matrimonio nondum consummato antiquissimum in Ecclesia, quanuis non multæ de eo leges extiterint. Ego primam de eo scripto traditam legem reperio Iulij I. Pontificis, & habetur *cap. siquis desponsauerit 3. 27. quæst. 2. Siquis desponsauerit vxorem, vel subarrhauerit, & siue præueniente die mortis, siue irruentibus alijs causis minimè eam cognouerit, neque eius superstes frater, neque vllus de consanguinitate eius eandem sibi tollat in vxorem, vllo vnquam tempore.* Idem statuit Gregorius Primus *cap. Qui desponsatam, & cap. siquis 27. quæst. 2.* & Triburiense Concilium, *cap. Quædam desponsauit eadem causa, & quæstione*, & Alexander Tertius in Append. Concilij Lateranensis parte 6. capit. 4. vbi præcipit ne sponsam alterius, si nubili ætati proxima erat, vllus consanguineorum ducat, & capit. 7. & cap. 10. & capit. 23. & part. 12. cap. 2. & idem Alexander Tertius *cap. ad audientiam de sponsalibus*, & Clemens Tertius *cap. duo, de desponsat. impub.* Non ergo recte Thomas Sanchez dixit non esse textum, vnde hoc impedimentum colligatur, sed tantum colligi argumento deducto à fortiori, quod etiam asseruit cum Toleto Maure. 3. part. examinis cap. 16. §. 2. sect. 10. num. 1. Id quod magis constabit ex cap. sequenti, & Magister Sentent. in 4. dist. 27. cap. 5. nonnulla ex his, quæ adduximus, explicat nobiscum de matrimonio rato.

3 Extendebatur autem hoc impedimentum antiquo iure ad eosdē gradus, ad quos consanguinitas vel affinitas, scilicet, vsque ad septimum, vel quousque parentela cognosceretur: cum leges Ecclesiæ dicant à nullo de consanguinitate posse in vxorem duci. Quod tamen iam immutatum est, tantumque ea honestas impedit vsque ad quartum gradum, sicut & consanguinitas, & affinitas. Nam limitatio per Concilium Tridentinum facta de impedimento publicæ honestatis tantum intelligitur de honestate orta ex sponsalibus, vt declarauit Pius V. in d. Breui hisce verbis. *Nos itaque, vt omnis difficultas, dubitatioque tollatur, attendentes, quod sponsaliorum appellatione, qua dictum Concilium vtitur, non nisi improprie matrimonium verbis de præsenti contractum continetur. Quodque agitur de correctione iuris veteris, quo casu secundum proprietatem verborum duntaxat procedendum est, præsertim cum longe maiorem rationem prohibitionis in matrimonio per verba de præsenti contracto, quam in sponsalibus de futuro vigere à nemine dubitetur: id circo motu proprio, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, declaramus, & definimus decretum Concilij huiusmodi eximio intelligendum esse, & procedere in sponsalibus de futuro duntaxat, non autem in matrimonio sic vt præfertur contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus, & gradibus, quibus de iure veteri ante prædictum decretum Concilij introductum erat, & ita ab omnibus iudicari debere mandamus atque statuimus.* Et declaratio Cardinalium apud Rebellum num. 101. & Farinacium dict. cap. 3. in hæc verba. *Cum ait Concilium sponsalia valida non excedere primum gradum, loquitur de sponsalibus de futuro, quæ proprie ac verè sponsalia vocantur: non de sponsalibus de præsenti in matrimonio rato: quod in suo priori vigore relinquitur, & impedit in omnibus illis casibus, & gradibus, quibus à iure veteri ante Concilium Tridentinum introductum erat. Bulla Pij Quinti publicata 21. Iunij anno 1568.*

4 Sed cum ex matrimonio nondum consum-

consummato affinitatem non oriri declarauerit congregatio Cardinalium, sed publicam honestatem, difficile est assignare, quo iure limitatum sit istud impedimentum, vt tantum extendatur ad quartum gradum. Nam Innocentius III. *in cap. non debet de consanguinitate*, plane & aperte agit de affinitate, & consanguinitate, eamque ad quartum gradum restringit. Cumque ex matrimonio non consummato non oriatur affinitas, & agatur in eo canone de correctione iuris antiqui, & ideo verba in significatione propria accipienda sint, adhuc non videntur eo decreto restricti gradus huius impedimenti. Et quidem de rigore iuris, ita dicendum videbatur, atque adeo hoc impedimentum extendi etiam vltra quartum gradum, sicut antiquo iure cautum erat. Sed nihilominus asserendum ex paritate rationis, consuetudine populi Christiani, id probante, quam diximus supra lib. 6. capit. 2. & inducere posse impedimenta, & abrogare, receptum esse, vt tantum ad quartum vsque gradum impediat, & non deinceps.

5 Vt autem ea publica honestas oriatur ex matrimonio nondum consummato, saltem requirebatur ne esset inualidum ex defectu consensus, vt si metus sufficiens interueniisset, vel error personæ, vel animus internus, in quo postremo est diuersa ratio matrimonij ab alijs contractibus. Si enim ea ratione nullum esset, nullum etiam oriebatur impedimentum, vt constat ex Alexandro III. in d. c. 4. & 10. vbi ideo requirit matrimonium celebratum proximè nubili ætati, quasi si ante illam celebratum fuerit, non contrahatur hoc impedimentum, quia in ea ætate deficit, aut deficere præsumitur consensus. Quamuis Eugenius III. in Appendice part. 12. cap. 8. & habetur, *cap. iuuenis, de sponsalibus*, aliter sentire videatur, scilicet, ex matrimonio ante septennium contracto oriri hoc impedimentum. Sed ideo ita loquitur, quia iam erant proximi septennio, & ita parum distabat, idque colligit, quia tentauit vir eam cognoscere, licet implere non potuerit, ex quo præsumit malitiam sufficientè ad consensum. Sed de istius capitis sensu multa supra lib. 2. ca. 12. à nu. 10. At si matrimonium fuerit nullum ex alio capite, scilicet, ex defectu solēnitatis, vel ratione alicuius impedimenti, etiam ex eo oriri impedimentum publicæ honestatis declarauit congregatio Cardinalium, quam habet Farinacius ad cap. 3. sessione 24. de matrimonio, & habetur apud Rebellum, num. 102. in hæc verba. *Præsuppositā declaratione per constitutionem Sancti domini nostri Pij V. super hoc decreto, censuit Congregatio oriri impedimentum iustitiæ publicæ honestatis ex sponsalibus per verba de præsenti etiam nulliter contractis, omissa forma decreti Concilij Tridentini cap. 1. huius sessionis, & constat ex cap. ad audientiam de sponsalibus, vbi existente matrimonio nullo propter impedimentum consanguinitatis, oritur publica honestas.* Ex matrimonio autem conditionali non oriri hoc impedimentum constat ex dictis lib. 3. cum non constet matrimonium consensu conditionato, etiam expleta conditione, & fauet declaratio Cardinalium, quæ idem negat sponsalibus conditionalibus apud Farinacium loco citato.

De publica honestate ex sponsalibus de futuro.

CAPVT XXXVI.

SVMMARIVM.

Ex sponsalibus oriri publicam honestatem. Non esse antiquum impedimentum, num. 1.

Ante Bonifacium Octauum non extitisse legem de hoc impedimento ostenditur consideratis canonibus, num. 2. 3.

Dispositio Tridentini de hoc impedimento, numero 4.

Ex sponsalibus inter impeditos non oriri publicam honestatem, num. 5.

Neque ex celebratis post prima sponsalia, nu. 6.

Etiam si priora fuerint conditionata, nu. 7.

Neque ex sponsalibus contractis ante septennium num. 8.

Neque ex his, quæ mutuo consensu dissoluuntur, num. 9. secus si morte.

Oriri tamen ex sponsalibus fictè contractis, n. 10.

Impedimentum hoc tantum esse iuris Ecclesiastici, num. 11.

1 ORITVR etiam publicæ honestatis impedimentū ex sponsalibus de futuro. Hoc autem impedimentum existimo nō esse antiquum in Ecclesia, nisi forte traditione quadam, & consuetudine populi Christiani receptum fuerit primis Ecclesiæ sæculis. Moueor ad hoc primo. Quia vsque ad Bonifacium VIII. qui mille, & trecentis ferè annis elapsis à Christi ortu gubernauit Ecclesiam, nullam legi

sit, sicut religiosus, cuius exercitia minus expeditum relinquunt ad obsequium domino præstandum. Inhonestus etiam, & indecens famulatus religiosi in obsequium domini: sicut & ob sacri ordinis dignitatem, qui characterem imprimit indelebilem, statutum est, vt seruus contra voluntatem domini nec manumissus ordinaretur ab Episcopo sciente, duos dare domino seruos, cogeretur Episcopus, *cap. si seruus d.* 54. ex Aurelianensi 1. Aurelianensi 5. capit. 6. Idem statuitur, si dominus honesto serui Clerici obsequio contentus non sit. Quamuis in Toletano Concilio, quod habetur in Append. Lateranensi. part. 50. cap. 56. deponi iubetur ab ordine, & sic domino restitui.

4 Ex dictis colligitur peccare mortaliter dominum, qui impedit seruorum coniugia, cum illis liceat iure naturali contrahere, & pro illis etiam stent leges Ecclesiasticæ. Peccat etiam Dominus, si impediat inter seruos coniugatos maritale cõmercium, quantum æquitas postulat, aliàs frustra contractum esset matrimonium, si negaretur vsus. Imo adeo est stricti iuris eiusmodi vinculum, vt siue serui contraxerint inuito domino, siue illo annuente, & consentiente, quoties est probabile periculum incontinentiæ, & aliàs non est notabilis iniuria domini, potius fauendum est coniugali obligationi, quàm domini obsequio. Vinculum enim matrimonij strictius est vinculo seruitutis. Vnde quando ista duo vincula concurrunt, obligatio coniugij præualere debet, vt docuit Diuus Thomas supra citat. quem postea non pauci secuti sunt. In re etiam dubia fauendum potius matrimonio videtur: At sicut dominus pati tenetur iacturam aliquam in seruorum operis, quò illis moderatum vsum coniugij libere concedat: ita etiam tenetur seruus, ad idque compelli à domino potest, ne nubat in loco distanti, si in proximo potest, ne se domini seruitio subtrahat. Vt docuit Gabriel in 4. dist. 36. artic. 3.

5 Secundò colligitur etiam peccare dominum, qui vendit seruum coniugatum in locum ita distantem, vt impediatur vsus matrimonij. Quamuis enim Dominus non prohibetur seruum vendere post coniugium, attamen ita vendere, vt impediatur vsus matrimonij, non potest. Id quod verum est siue domino annuente vel renuente, ac reluctante contraxerit, vt docet Diuus Thomas vbi suprà, & glossa in *capit.* 1. *de seruor. coniug.* verbo *seruitia*, & alij non pauci, nisi ea venditio fieret ex consensu vtriusque coniugis, aut si cum ingenua vel liberta seruus nupsit, quæ illum abeuntem sequi potest, & tenetur. Ratio autem huius est, quia si dominus peccat impediens vsum matrimonij seruorum, multò grauius peccabit, si perpetuo impediret illum in longinquas partes ablegando. Imo ex Diui Thomæ verissima sententia cogendi sunt domini ab Ecclesia, ne seruos ea ratione distrahant. Nec verò eadem ratio est de seruo antequam nuberet, & post quam nupsit, vt quia ante coniugium licebat vendere in quæcumque loca, licet etiam post matrimonium: est enim strictius & antiquius vinculum, & obligatio coniugij præponderans vinculo seruitutis.

6 Quod si seruus contraxerit coniugiũ cum seruo, ijque diuersis dominis pareant ita loco distantibus, vt interse inuicem copulari non possint, aut dominus iusta vrgentique causa, quia malè morigeratus est seruus, nec fidelis, & non potest in eodem oppido distrahere, alio in loco vendit, tunc vel dominus vnius congendus est alterum seruum emere, vel alius eius oppidi incola, vt serui illi coniugati degant in eodem oppido sine periculo incontinentiæ: vel denique alterum illorum emat Ecclesia argumento *capit. fraternitatis* 54. *dist.* ne impediatur vsus matrimonij. Quamuis autem aliquæ leges ciuiles his, quæ hactenus diximus, repugnent, Ecclesiasticis tamen legibus, ad quas pertinet matrimonij causam suscipere, abrogatæ sunt.

Seruitutem ignoratam dirimere matrimonium, non verò cognitam.

CAPVT XLIII.

SVMMARIVM.

Seruitus ignorata impedimentum dirimens, numero 1.

Quo iure, explicatur sub distinctione, num. 2.

Non ignorata non dirimit, num. 3.

Secus est de conditione libertini, num. 4.

Quod si reddat debitum, cum dubio de seruitute petentis, num. 5.

Detecta seruitute posse eum, qui liber est, separari, quod si nolit, alium esse compellendum contrahere, num. 6.

1 QVamuis ignoratio vel æqualis, vel etiam melioris conditionis nullo iure dirimat matrimonium, nisi eo modo, quo erro re dirimi diximus, cum dat causam contractui supra lib. 4. At communis certaque sen tentia est seruitutis conditionem ignoratam dirimere matrimonium, *capit. siquis libertus, cap. siquis ancillam, cap. siquis ingenuus, cap. si fœmina, cap. cuius vir. 29. quæst. 2.* Concilium Bauaricum apud Duingolingam ca. 10. *De eo quisquis seruorum nobilem fœminam habuerit in coniugium, & non præsciuit, ita constituit, vt iterum libera esset, dimittat seruum, & postea non redigatur in seruitium, sed esset libera.* Alexander III. in *cap. proposuit de coniugio seruorum.* Innocentius III. in *cap. ad nostram fin. eodem tit.* Quod quidem verum est, etiam si post matrimonium manumissus fue rit seruus, perseuerat enim idem consensus, ac prius perseuerabat. Imo, quantum ego iudico, etiam si modicum tempus desit, vt libertatem consequatur ex manumissione Domini. Idem quoque de liberta ad tem pus iudicium est.

2 Quo autem iure dirimat seruitus ignorata dissensio est. Nonnulli censent iure naturali id fieri. Alij vero cum D. Thoma in dicta quæst. 53. artic. 1. ad 3. censent iure tantum Ecclesiastico, quod valde tamen conso num sit iuri naturali, in fauorem, scilicet, li bertatis, & etiam quia status seruitutis impediat multum coniugalis debiti obligationem. Ego tamen existimo distinctione vtendum. Si enim error seruitutis sit antecedēs, & in eum feratur consensus, nubatque, quia liberum existimauit, certum est iure naturali etiam dirimi matrimonium, reducitur enim ad impedimentum erroris. At verò cum error seruitutis non dat causam contractui, neque animus expressè quidquam de ea conditione cogitat, in quo casu iure naturali valeret matrimonium iuxta dicta, lib. 4. cum sit error circa qualitatem, nullum est iure tantum Ecclesiastico, vt posteriorís sententiæ Doctores affirmant. Quod quidem constituit ius Ecclesiasticum, ne fiat iniuria homini ingenuo. Ex quo fit matrimonium contractum inter seruos infideles ignorata etiam seruitute, in eo secundo casu valere, nisi specialiter eorum legibus aliter statuatur.

3 Diximus autem seruitutem ignoratam dirimere matrimonium. Si enim adsit vel scientia seruitutis, vel saltem opinio, aut probabile dubium seruitutis, matrimonium tenet. Imo etiam si adsit affectata ignorantia, vt scilicet cum ea potitus fueris, si inueneris esse mancipium, illam abijcias. Ignoratia enim affectata in eo casu æquiparatur scientiæ. Et quidem id iure optimo se ita habet. Cum enim hoc impedimentum in fauorem liberi, & ingenui inductum sit ab Ecclesia, iniquum est, commodum reportet ingenuus ex sua iniquitate, aut affectata ignorantia. Verum est contingere aliquando posse, vt contrahens cum serua, quam existimabat liberam, inualide contraxerit spectato iure naturæ, & foro conscientiæ, & tamen in externo foro, quia non præsumitur ignorantia, cohabitare cogatur, vt si adfuerint seruitutis indicia, quæ prudenti homini statum seruitutis aut ostenderint, aut saltem probabile dubium iniecerint. Addo etiā si ita affectus esset, vt etiam si sciret mancipium esse, contraheret, adhuc nullum esse coniugium, quia ad matrimonium requiritur plenè voluntarius consensus, ille autem est negatiuè voluntarius, atque adeo insufficiens vt dixi supra lib. 4. Quamuis alij oppositum censeant, inter quos Syluester v. *matrimonium 8.* quæst. 3. Nobiscum tamen Antonin. 3. part. tit. 1. cap. 3. Soto in 4. dist. 35. articulo 1. Pateret certè multis calumnijs locus, cum facile esset, & eum animum asserere, & negare.

4 Diximus etiam seruitutem ignoratam id efficere, quia conditioni libertini non id concessit ius Ecclesiasticum. Vnde quamuis de liberta ad tempus idem iudicium, ac de seruo ferendum, dixerimus: at conditio libertini etiam ignorata non dirimit matrimonium, neque efficit connubium illegitimum. Neque enim ex iure Ecclesiastico, quo id impedimentum inductum est, seruitus anteacta, sed præsens ignorata dirimit matrimonium, secus de conditione libertini dicendum, si in ingenuitatem expresse feratur consensus iuxta dicta supra lib. 4. Tunc enim idem iudicium ferendum esset, ac de impedimento erroris diximus ibidem.

5 Sed quæret aliquis primò. An si post quā aliquis vel ignorās, vel probabiliter dubitans de seruitute alterius coniugis, reddat debitum, efficiatur validum matrimoniū. Et tūc distinguendū videtur. Nā vel reddit animo fornicario, & sic nullum efficitur matrimonium: vel reddit debitum animo maritali, & in eo casu validum efficitur *capit. siquis, cap. ad nostram*, cōsentiente etiam alio, & si adsint ea, quæ iure nouo Concilij Triden-

Tridentini necessaria sunt ad valorem matrimonij: nam post Tridentinum clandestina matrimonia nulla sunt. At si accedat animo quasi maritali, hoc est, tãtum ne defraudet ius alterius coniugis, quod facere potest, & tenetur iuxta Ecclesiæ præceptum in *cap. Dominus, de secundis nuptijs, & cap. inquisitioni, de sententia excommunicat.* De quo latè infra, reseruato tamen suo iure, vt quoties constiterit de conditione seruitutis, recedere possit, non efficitur matrimonium eo cõsensu. Nam ille animus tantum non est affectus maritalis. Ita Gabriel Vazquez 12. disp. 66. cap. 5. num. 29. & 30. & dicam infra lib. 10.

6 Secundò quæret aliquis, an detecta seruitute possit is, qui liber est, separari absque Ecclesiæ iudicio. Respondeo separari posse quoad totum, & etiam quoad habitationem, si scandalum absit: alias necessariũ est Ecclesiæ iudicium. Quod si defectus fuerit probationis, tuta conscientia poterit in partes longinquas recedere, vbi sine vllo scandalo inire cum alio coniugia possit. Si autem detecta seruitute is, qui liber est, in coniugio permanere velit, seruus si contraxit verè sciens se esse seruum compellendus est per Ecclesiam denuo consentire, non ex vi primi contractus, qui nullus est vt dixi, sed ob illatam iniuriam. Si tamen bona fide contraxit, existimans se esse liberum, æquum quidem est, non tamen tenetur denuò consentire.

In quibus casibus seruus ex matrimonio adquirat ingenuitatẽ, & quo iure?

CAPVT XLIIII.

SVMMARIVM.

Quæstio proponitur, num. 1.
Ancilla nupta patrono fit ingenua, num. 2.
Id prouenire ex iure positiuo quidam sentiunt, ibidem.
Verius ex iure naturali, num. 3. 4.
Idem fieri ex vi matrimonij, quoties ingenuus nubit seruo, nisi aliud obstaret, num. 5.
Coniux alio renuente, non potest se in seruum vendere, num. 6.
Obijciuntur nonnulla, & diluuntur, nu. 7. 8.

1 NOnnulli casus assignari solent, inquibus seruus ex matrimonio ingenuus efficitur, qui tamen, quantum ego iudico, ad vnam, & eandem radicem, atque principium reducuntur, vt ex dicendis constabit.

2 Primò igitur, si patronus ancillam in matrimonium ducat, libertatem adquirit. Quo autem iure id fiat dissensio est. Iure cõmuni ita esse sentit glossa in *cap. siquis ancillam 2. dist. 34.* verbo. *Ancillam*, Archidiaconus, Dominicus, Turrecremata ibidem, Syluester, v. *seruitus*, q. 4. in fine, & iure nostri Regni ita se habere docet Gregorius Lopez *l. 1. tit. 13. p. 4.* fatenturque communiter Doctores. Thomas Sanctius iure tantum nostri Regni dicit fieri, non iure naturali.

3 Ego tamen existimo id oriri ex iure ipso naturali, ac proinde locum habere iure cõmuni, cum de eo nulla alia dispositio sit. In quo non rectè Thom. Sanc. li. 7. disp. 20. n. 11. Itaq;, si probauero iure naturali libertatem consequi ancillam, eo ipso quod patronus ducit illã in vxorẽ, probatum manebit, idem dicendum esse iure communi, cùm nulla eius existat in oppositum dispositio.

4 Et inprimis id ostendo ex ipsa natura matrimonij. Matrimonium enim suapte natura talis virtutis est, inquit optimè Gabriel Vazquez, qui mihi huius sententiæ auctor est 3. part. disput. 81. cap. 8. num. 41. vt si aliquis ducat vxorem, quam antea seruam, & ancillam habuit, iam deinde illa ad dignitatem matrimonij euecta, absque alia lege, & pacto iure ipso coniugij solum libera, & ingenua permaneat. Ita enim arctum est vinculum coniugij, vt duo sub eodem thalamo commorentur, & eodem titulo ac nomine gaudeant honoris Regis videlicet, aut Imperatoris *Authentica de Consulibus §. si autem collat. 4. & l. mulieris C. de dignitatibus*, & in nostro Regno *l. 9. tit. 2. part. 2.* & postquam consummatum fuerit matrimonium dicuntur vna caro. Hanc autem esse naturam matrimonij optimè docuit Leo Pontifex in *cap. Non omnis* ex epistola ad Rusticum numer. 4. de quo multa infra capit. 53. in fine. *Nuptiarum fœdera inter ingenuos sunt legitima.* Hæc autem omnia pugnant cum statu seruitutis, atque ideo seruilis cõditio matrimonij æqualitate extinguitur. Id quod etiam lex nostri Regni citata aperte indicat his verbis. *Tan gran fuerça ha el matrimonio, que luego que el padre y la madre son casados se fazen porende los hijos legitimos. Esto mismo seria si alguno vuiesse fijo de su sierno, y despues desto se casasse con ella, tan gran fuerça ha el matrimonio, que luego que es fecho es la ma-*

la madre porende libre, è los fijos legitimos. In quo non legem nouam esse dicit, sed naturalis iuris, & æquitatis rationem explicuit. Vnde repugnat omnino patronum nubere ancillæ suæ in seruitute manenti. Sed eo ipso etiam si dominus nolit, ingenua efficitur.

5 Hinc colligo primò tantam esse vim matrimonij, vt quantum est ex se, quoties ingenuus nuberet seruo, extingueret statum seruitutis, nisi repugnaret illi, vel impediretur ea vis iure altero, quæsito domino, & patrono, quo inuitus priuari non potest, cum sit prior domini conditio. Ex quo consequẽti consideratione fit, vt quoties vel perseuerat istud ius impediens, vel contrahens ingenuus non cedit iuri suo, matrimonium sit iure naturali nullum, vel Ecclesiastico, vt dicebam ca. præcedenti. Inde fit seruitutem cognitam non dirimere, quia aliud est copulari matrimonio cum illo, cuius est seruus, quod pugnat cum matrimonij vi, & efficacitate. Aliud eum, qui alterius est seruus copulari cum alia ingenua. Quod, & si dedecet matrimonium, quod æqualitatem inducit, vt cum vna caro sint medietas ingenua medietas in seruitutẽ redacta sit, non tamen repugnat, cedit enim cognita seruitute contrahens iuri suo. At quoties ingenuus contrahit ignorata seruitute, & alias est consensus Domini, siue quia ille collocat, siue dotem designat, siue videt, & tacet matrimonium valere censetur, non tam iure positiuo, quam naturali, explicato tamen lege positiua. Id enim indicatur in *Authẽtica. Ad hæc C. de Latina libertate*, ibi. *qui suam ancillam credenti tradidit in matrimonium tanquam liberã, sine concesserit dotale instrumentum, siue non, aut sciens eam duci, tacuit ex studio, dominium etiam amittit, eaque ad ingenuitatem rapitur.* Idem dicitur de seruo. Vbi conuenienter vtitur hoc verbo, *Rapitur ad ingenuitatem*, quo explicat vim, & efficacitatẽ matrimonij. Id enim sublato iure patroni quod impediebat, rapit seruum ad statum ingenuitatis. Cui fauet quod habetur, *Authentica de nuptijs collatione 4. §. si vero* versic. *hoc autem decernimus*, vbi agens, quando dominus tradit ancillam libero ignorãti seruitutem inquit. *Non erit iustum tale non constare matrimonium, sed tacitam libertatem sequi, siue virum, siue ancillam, cum tale aliquid à Domino fit. Et l. 5. tit. 22. p. 4. Casando siervo alguno con muger libre sabiendolo su señor, y non lo contradiziendo, faz se el siruo libre porende.* Idem est si dominus dotem conficiat, quod solitum est in liberis personis solum procedere, inquit Imperator *l. vnica §. sed & siquis C. de Latina libertate.*

6 Secundò colligitur cum glossa in *dict. capit. perlatum*, & alijs ex ipsa vi matrimonij deduci nequaquam posse, nec virum renuente vxore, nec vxorem renuente viro se tradere in seruitutem, quidquid dicat Thomas Sanchez lib. 7. disp. 23. n. 2. de viro, scilicet, posse se subijcere seruituti renuẽte vxore. Itaque iure ipso naturali est irrita ea venditio, neque approbata vllo iure Ecclesiastico. Probatur eo potissimum fundamento, quia vir non habet potestatem sui corporis, sed vxor, & è contra. Non ergo potest cum præiudicio coniugis se alteri tradere. Res enim semel ex iure iustitiæ vni obligata, nõ potest alteri ex iustitia obligari, nisi alter illorum velit iuri suo in aliquo præiudicari. Igitur cum renuit, & dominus ius suum illæsum esse vult, nequaquam potest valere traditio, & ex consequenti nec venditio facta alterius coniugis. Et eo enim non tantum vir vxoris, sed etiam vxor viri vota irritare potest, quæ sibi præiudicant, & professio in religione renuente vxore nulla est, quamuis sint vincula diuersæ rationis, scilicet, religionis, & iustitiæ. Et quamuis iure naturali non pugnet vtrumque vinculum, at iure naturali potest illum à monasterio extrahere, & ad se reuocare, quamuis vinculum religionis maneret. Ergo iure ipso naturali impediri potest vinculum seruitutis. Et quamuis non omnino sequatur præiudicium vxori, tamen aliquod sequi negari non potest, quod illa in isto casu pati non tenetur inuita, cum sit prior in iure.

7 Neque obstat primò, quod obijcit Turrecremata in *dict. capit. perlatum*, quod quiuis potest dare quod suum est, vir autem est sui iuris. Nam cum in ordine ad debitum coniugale non sit sui iuris, non potest constante matrimonio priori, & potiori iure, sui facere traditionem alteri, qua aliqua ex parte lædatur ius vxoris, aut illi sequatur præiudicium.

8 Neque obstat secundo textus in *capit. perlatum*, vbi indicari videtur sinè consensu vxoris factam venditionem sui inseruitutẽ valere. Quæritur enim à Concilio, an vxor eius, qui se vendidit in seruum, sit redigenda inseruitutem. Respondetque, & vinculum matrimonij manere, neque illam seruam fore, cum libero nupserit. Sed in primis is canon ex Triburiensi prouinciali Conci-

Concilio desumptus est. Canones autem, quos Gratianus adducit, non maiorem auctoritatem habent, quam hi, ex quibus desumuntur. Deinde dico canonem illum nec negare, nec probare, an venditio valeat, sed quidquid de eo sit, tantum respondere non esse redigendam inseruitutem vxorem, quæ libero nupsit. Denique dico, vt constat ex initio eius canonis, diuortium præcessisse inter eos: Legitimè autem illis separatis quo ad habitationem, potuit se vir vendere in seruum sine consensu vxoris, cum ex ea venditione nullum illi sequeretur præiudicium, eo quod diuortio facto nulla esset debiti redditio.

De impedimento criminis.

CAPVT XLV.

SVMMARIVM.

Nec solum adulterium, neque sola fides, neque sola machinatio gignit impedimentum, num. 1.

Fides data vnà cum vero adulterio est impedimentum, num. 2.

Matrimonium consummatum cum alia coniugata valide est impedimentum, num. 3.

Et homicidium cum animo contrahendi ab vtroque perpetratum, num. 4.

Et homicidium ab vno tantum perpetratum vna cum adulterio, num. 5.

An hoc impedimento teneantur etiam infideles, si conuertantur, num. 6.

1 VT quod ad istud impedimentum pertinet, distinctè tradatur, obseruandum primò, per adulterium tantum, si non adsit promissio, vel fides data de matrimonio futuro, vel machinatio in mortem coniugis, nullum gignitur impedimentum, vt docuit Gratianus 31. *quæst. 1. cap. illud*, & habetur etiam in *capit. significasti, de eo qui duxit vxorem.* Vnde canon primus, & secundus huius quæstionis, qui vniuersè loqui videntur, intelligendi sunt illis subintellectis conditionibus. Similiter sola fides de contrahendo matrimonio, imo nec matrimonium re ipsa contractum non consummatum, si coniugem cui fidem adstrinxit, non cognoscat, neque impedit, nec dirimit: expressè habetur in *dicto c. significasti, & c. fin. eodem titulo.* Similiter neque machinatio in mortem coniugis, si ab vno tantum fiat, & sine adulterio, nec impedit, nec dirimit matrimoniũ, nullus enim id statuit canon.

2 Relinquitur ergò vt quatuor sint casus, in quibus ex homicidio, & adulterio impedimentum oriatur. Primus est. Si adsit verum adulterium vnà cum fide data de contrahendo matrimonio, defuncto altero coniuge, impedimentum est dirimens, *cap. Relatum quæst. 1.* quod est ex Triburiensi cap. 40. *cap. propositum, cap. super hoc cap. significasti, c. veniens, cap. fin. de eo qui duxit, &c.* Vide etiã decis. 64. to. 1. Consil. Farinacij. Requiritur autem vt ea promissio vnà cum adulterio fiat, eodem coniuge viuente: si enim promissio fiat viuente vno coniuge, & postea contingat adulterium viuente alio coniuge, aut è contra, non oritur impedimentum, vt docet Panormitanus in *cap. fin. de eo qui duxit.* Præterea satis est vt sit nuda promissio, quã uis non firmetur iuramento. Nec necessarium est vt sit mutua, sed satis videtur, si vnus promittat, alter verò taceat, vt docet Syluester, *matrimonium* 8. quæst. 9. & colligitur ex *dict. cap. relatum, & cap. significasti.* Nã illa taciturnitas, cum mutuo, & cæco amore inter adulteros, videtur esse virtualis quædam acceptatio promissionis, & vehemens insurgit occasio machinãdi mortem. Quod si alter ex eis non acceptet promissionem, non oritur impedimentum: non enim adest fides sponsaliorum, quæ sine promissione mutua esse non potest. Requiritur præterea, vt vterque scientiam habeat de adulterio. Si enim alter ex eis existimet virum primũ obijsse, quamuis alter adulter sciat nõ obijsse, nec etiam nascitur impedimentum ex communi sententia. Dixi in principio, *verum adulterium.* Nam ad illud ex sententia D. Thomæ, requiritur, & scientia coniugis, & quod primum matrimonium valeat, & quod pollutio sit intra vas. Vnde qui fide data congrederetur cum muliere extra vas, nõ impediretur contrahere, quod idẽ ad casum sequentẽ obseruandum, neq; enim sic fiũt vna caro. De quo Antonin. 3. p. ti. 1. Syluester *matrimonium* 8. quæst. 9. & alij.

3 Secundus casus est. Matrimonium cũ aliqua fœmina contractum viuente primo coniuge, & superstite, est impedimentum dirimens *ca. significasti ca. ex literarum ca. cum haberet cap. veniens, de eo qui duxit, &c.* Alexander III. p. 6. in Appendice cap. 13. *significauit nobis.* Extant etiam Nicolai I. responsa epist. 48. col. 2. epist. 51. colum. 2. & epist. 53. in causa Lotharij Regis, qui Theuperga prima vxore legitima viuente sibi

Vvaldradam coniunxit, & copulauit, & postea retinere volebat. Requiritur autem in primis, vt vterque sciat se adulterium committere, *capit. propositum*, quod est Alexandri Tertij in Append. Lateran. part. 6. cap. 1. & *cap. significasti, de eo qui duxit.* Quare si existimarent coniugem viuere, & reuera obijsset, nullum nascitur impedimentum. Item siquis viuente coniuge suo, ignarus tamen, nuberet alteri, non oritur impedimentum; vel post scientiam non se miscuit carnaliter, nec fidem dedit iuxta supradicta. Quod si cum dubio de prioris viri morte contraxit, non oriri impedimentum respondit Lucius III. *cap. Dominus, de secundis nuptijs.* At si alter eorum tantum sciat esse adulterium, ille qui ignoraret, ius haberet discedendi, quod si nollet discedere, alter cogendus est contrahere ex *dict. cap. significasti*, quæ omnia summa nituntur æquitate. Requiritur præterea, vt primum matrimonium validum fuerit, alias nullum ex secundo oritur impedimentum *cap. significauit, eodem tit.* Idem etiam iudicium, si contracto primo matrimonio per metum, ipsam carnaliter cognouit, & postea secundam ducat vxorem, sumitur ex Alexandro III. part. 6. cap. 13. Primum enim matrimonium non valuit, nisi per vim etiam consummasset, in eo enim casu, quia primum nullum fuit, nullum etiam oritur impedimentum. Requiritur denique, vt postquam secundum coniugium celebrauerit, secundam etiam agnoscat: si enim ante consummationem prior decedat, non oritur aliquod impedimentum *cap. fin. eodem tit.* Qui congressus debet esse intra naturale vas, vt iam dixi.

4 Tertius casus est. Si adsit homicidium alterius coniugis ab vtroque perpetratum animo contrahendi matrimonium, etiam sine adulterio, est impedimentum dirimens, *capit. siquis viuente 31. quæst. 1. capit. laudabilem, de conuers. infidel.* Extat etiam de eo decretum in Concilio Meldensi ca. 69. & in Metensi capit. 7. Tres autem requiruntur conditiones. Prima, vt vterque cooperetur ad necem, siue per se, siue per alium; quare non satis est, si alter sit causa mortis, vel tantum ratum habeat. Secunda conditio est intentio contrahendi: si enim in vltionem, vel aliqua alia causa faciant, non oritur impedimentum. Imo, quantum ego iudico, etiam non oritur impedimentum, si intentio non significetur exterius. Itaque si omnino in animo retineant, nec sibi significent, non oritur impedimentum, quia propter occultum omnino, & mentale delictum non subiacet Ecclesiæ iudicio, neque punitioni. Verum est patrato homicidio ab vtroque difficilis esse probationis. Tertia denique, vt occisio sequatur ex illorum opere. Et enim si culpa medici, aut ipsius percussi negligentia sequatur mors, nullum consurgit impedimentum. Auctores refert, & sequitur nouissimè Moure. part. 3. examinis, cap. 16. §. 5.

5 Quartus casus est. Si cum adulterio alter, siue vir sit causa mortis vxoris, siue vxor viri, occidatque vel suum virum vel adulteri coniugem, existit impedimentum dirimens in *dicto capite siquis viuente, & capite propositum, & capite significasti, de eo qui duxit, & capite 1. de conuersione infidelium.* Requiruntur autem tres etiam conditiones. Prima intentio occisoris de contrahendo matrimonio significata, vt docet Diuus Thomas in addition. quæst. 60. artic. 2. cum communi Doctorum, quidquid nonnulli sine fundamento dixerint. Ratio enim huius impedimenti non tantū est adulteria euitare, sed etiam remouere occasiones occidendorum coniugum his qui volunt contrahere. Quare si occidit animo contrahendi cum altero nequaquam adulterij participe, aut si occidat, vt liberius libidini vaçet, non existit impedimentum. Secunda est, vt adulterium præcedat occisionem. Nam ius homicidium vult esse impedimentum tantum, cum vtroque conueniente fit: commissum enim ab vno tantum non gignit eiusmodi impedimentum, nisi vnà cum adulterio sit. Tertia vt mors sequatur ex machinatione alterius ex adulteris, siue occidat suis manibus, siue mandato vt colligitur ex *capite 1. de conuersione infidelium.* Nec verò in isto casu requiritur, vt vterque sciat in eo casu interuenire adulterium, satis est si notum sit occisori licet oppositum sentiat Nauarrus in summa capite 22. numero 46. Debet autem esse verum adulterium, nam si matrimonium fuerit nullum existimatum validum, non oritur impedimentum.

6 Sed quæret aliquis an hoc impedimentum locum habeat inter infideles? Respondendum est sub distinctione. Nam si alter machinatorum baptizatus erat, matrimonium est nullum, expressa decisio in *capite laudauilem, de conuers. infidel.* fi-

deli

deli enim existente inhabili lege Ecclesiastica, nullum conceditur matrimonium. At si vterq; infidelis sit, probabilius existimo non oriri impedimentum, cum hoc non impediat ex natura rei, sed tantum ex lege Ecclesiastica, infideles autem non tenentur legibus Ecclesiæ. Quod si ex his duobus criminibus, quæ necessaria sunt ad eiusmodi impedimentum, alterum committatur in infidelitate, alterum verò post baptisma, nonnullis videtur matrimonium esse nullum, quia delicto cõmisso post baptisma videtur ratum haberi, quod ante baptismum perpetrauit. Sed non video huius firmum fundamentum.

De impedimento disparis cultus.

Matrimonium fidelis cum quouis infideli, siue pagano, Iudæo, aut Hæretico illicitum esse iure naturæ, diuino, & Ecclesiastico.

CAPVT XLVI.

SVMMARIVM.

Quis infidelis dicatur, illicitum matrimonium cum illo, num. 1.
Vetitum iure diuino in veteri lege, num. 2.
Et etiam in noua, num. 3.
Et iure Ecclesiastico, num. 4.
Sub pœna capitali prohibitum legibus Romanis nonnulli non recte probant, num. 5.
Cum Iudæis prohibita coniugia, num. 6.
Et cum hæreticis, num. 7.
In his locis, vbi promiscuè agunt Catholici cum hæreticis, sine peccato contrahi, num. 8.
Etiam coniunctionem fornicariam fidelis cum infideli seuerè punitam, num. 9.
Sponsalia etiam rata cum hæretico vel infideli, nulla, num. 10.

1 INFIDELIS nomine comprehendimus eum, qui nunquam ad fidei cognationem accessit, qualis Iudæus, & Paganus, aut quia iam à fide defecit, scilicet, hæreticus. Et quamuis in eo an valeat matrimonium, licet illicite contractum cũ Iudæo aut pagano, vel cu hæretico, non idem iudicium sit, attamen id commune est coniugio celebrato cum quouis infideli, vt illicitè fiat, & cum peccato. Itaque siue Catholicus nubat hæretico, vel Iudæo, vel gentili, nisi iusta causa excuset, peccatum est. Nam huiusmodi coniugium in primis illicitum videtur iure ipso naturali, idque constat tum ex periculo peruersionis, cui se exponit manifestè, qui autem amat periculum, peribit in illo. Vnde multa emanarunt decreta quæ communionem, conuiuia, & munuscula, & colloquia prohibent cum hæreticis. Tum ex mala prolis educatione. Quare Clemens Romanus epist. 4. col. 2. ante med. *Necesse est*, inquit, *vt salutis causa filius, qui sermonem receperit veritatis, à parentibus separetur incredulis, ac rursum pater separetur à filio, aut filia à matre. Quod si dicat aliquis, & quomodo iustum videtur separari filios à parentibus? Audi quomodo, quia cum ipsis, si in errore permaneant, neque illis proderunt, & ipsi cum illis pariter interibunt.* Hinc Toletanum 4. ca. 59. & 60. Toletanum 17. ca. 8. filios abstrahi præcipit à Iudæis ad recte educandum. Tum denique propter graues, quæ oriuntur, dissensiones. Vt enim inquit Philo lib. 1. de monarchia, *Solius Dei cultus est amoris, mutuæque beneuolentiæ vinculum insolubile.* Adde etiam viro existenti infideli facillime impediri exercitia, ad quæ tenetur fidelis vxor. In commoda autem, & pericula tam corporis, quam animæ magna elegantia, religione, & pietate exprimit Tertullianus lib. 2. ad vxorem, quem lectorem adire velim. Ea autem incommoda in hæresi multo magis locum habent; nulla enim pestis, quæ sic inficiat, vt cancer serpit, inquit Paulus 2. ad Timoth. ca. 2. in quem locum ita philosophatur Anselmus. *Magis ac magis occupat, & deuorat, ac maculat mentes, in quibus radicare cœperit, sicut morbus, qui dicitur cancer, latius semper occupat, & fœdat, ac deuorat illam partem corporis in qua nascitur. Vel sicut piscis qui dicitur cancer, non in ante sed retro tendit, sic sermo eorum non auditores suos ad Deum ducit, sed à Deo retrahit, & apostatare facit.* Vnde ex eo quod ea contortia bonos mores corrumpant, eiusmodi connubia prohibuit Ecclesia, vt statim dicam.

2 Iure etiam diuino positiuo prohibitum fuisse constat in lege veteri Exod. 34. etiam ratione periculi, *ne scilicet postquam fornicatæ fuerint*, id est, Idolis sacrificauerint, *fornicari vos faciant*. Eadem prohibitio extat Deuteronomij 7. *Quia seducet filium tuum, ne sequatur me, ac magis seruiat Dijs alienis*. Et 3. Regum 11. vbi idem præceptum repetitur. Addit Dominus: *Certissimè auertent corda vestra, vt sequamini Deos alienos*. Et 1. Esdræ 9. Prohibita autem fuere Iudæis connubia cum infidelibus in sua infidelitate manentibus, non tamen si ad eandem religionem transirent. Et quamuis de solis Chananæis, ad omnes tamen vniuersim infideles extendebatur ex eadem ratione atque periculo, vt ostendi 1. part. variar. disput. quæst. 4. ex positiua cap. 8. Id peccatum grauissimè in Salomone Sacra Scriptura reprehendit, quod adamauerit mulieres alienigenas, inter quas filia Pharaonis enumeratur; cum tamen coniugium cum illa reprehensione caruerit. Eo enim tempore initũ fuit, quo Salomonem in Dei præceptis ambulasse Sacra Scriptura testatur, vt tenet communis Doctorum sententia contra Theodoretum. Reprehenditur ergo, quod illam ardẽtissimo prosecutus amore fuerit, vt nonnulli volunt: vel quod illam in Idolorum cultum desciscentem non à se procul abiecerit: imo in illius etiam gratiam fanum ædificauerit. Sed de eo latè Ioannes Pineda lib. 7. de rebus Salomonis, cap. 5.

3 Extat etiam in noua lege diuinum de eo præceptum apud Paulum 11. Cor. 6. *Nolite iugum ducere cum infideli*: quem locum Hieronymus de non ineundo coniugio interpretatur. Neque obstat, quod alij de vitando infidelium commercio exponãt, imo inde vrgens argumentum de sumi potest: si vel ipsum commercium prohibetur, ne contagione sua fidelis pereat: multo magis abijcienda connubia, in quibus cum illecebris voluptatis serpunt doctrinæ pestiferæ, & sese animis tantum insinuabunt periculosius, quantò dulcius. Et 2. Cor. 7. *Si dormierit vir eius, nubat tantum in domino*, id est, cum Christiano, vt interpretatur Tertullianus lib. 2. ad vxorem. Hieronymus lib. 1. cõtra Iouinianum, Ambrosius in Paulum, Augustinus lib. de adulterinis coniugijs, conuenerique his verbis præceptum de non iungendo matrimonio cum infideli præter Tertullianum, & Hieronymum, docent Theodoretus, Theophylatus, Anselmus, Sedulius, S. Thomas, Caietanus, alijque.

4 Denique iure Ecclesiastico interdicta huiusmodi coniugia. Referam sigillatim decreta, quæ prohibent matrimonium cum infidelibus Gentilibus, quæ cum Iudæis, & quæ tandem cum hæreticis. De infidelibus paganis has accipe leges Ecclesiasticas. Cõcilium Illiberritanum cano. 15. *Propter copiam puellarum gentilibus minime in matrimonium dandæ sunt virgines Christianæ, ne ætas in flore tumens, in adulterio resoluatur animæ*. Et canone 17. *Siquis forte Sacerdotibus idolorum filias suas iunxerint, placuit neque in fine eis dandam esse communionem*. In quibus canonibus illud obseruandum huius Concilij patres in fidelium nuptias cum fidelibus canone 15. intercluisse nulla pœna proposita, canone autem 17. speciatim, ne locarentur filiæ Sacerdotibus gentium seueriſsima pœna sancitum. Ea quidem ratione, quia gentium Sacerdotes magnis honoribus, & priuilegijs huius Concilij temporibus ornabantur. Hinc fiebat, vt plerique fideles rerum vanissimarum cupidiores, quam religionis, filias suas illis in matrimonio locarent. Vnde maius inerat periculum, sacerdotibus profana Deorum sacrificia, & alia idolatriæ munera obeuntibus, ne ex illorum societate, & contubernio maculam tanti criminis altius vxores contraherent, & inde ad parentes tanti criminis auctores deriuaretur, Concilium Arelatense 1. can. 11. *De puellis fidelibus, quæ gentilibus iunguntur, placuit, vt aliquanto tempore à communione separentur*. Dubium autem mihi est, an iste canon de coniunctione coniugali agat, an verò de fornicaria, sicut Nicenum can. 68. & Alexander III. in Append. part. 50. cap. 45. incertum enim ex significatione verborum, & anceps sed in priorem sensum frequenter accipitur. Nicenum cap. 53. *vt Christiani vxorem ducant ex quacunque generatione, modo ad fidem veniant, sed non debent Christiani dare filias suas nuptum infidelibus, ne ad errorem maritorum pertrahantur, & fiant vel Iudæa vel Gentiles propter infirmitatem, & qui non parucrit, à Synodo excommunicatur*. Et canone 67. *Quæcumque mulier fidelis viro infideli nupserit, ipsa quoque à communione fidelium separetur, quæ si pœnitẽtiam maleficij egerit, & eum virum, quem habere non poterat, id est, infidelem dimiserit, non est recipienda, nisi eo modo, quo recipitur is, qui postquam fidem negauit, ad fidem reuertitur, debetque ipsa infidelem relinquere. Erit autem pœnitentia eius, qui ad fidem reuertitur, & eius quæ virum infidelem reliquit, ferre cilicium, dormire super cinerem, constituendumque est eiſdem de*

de iciunio, & de bonis operibus, prout conueniat, & postea licebit cum fidelibus conuersari, & communionem sacram accipere, & qui contradixerit à synodo excommunicatur. Et canone 69. *Si quis fidelis filiam, aut sororem non consciam, neque volentem, neque præsentem dederit nuptum infideli, prohibeatur communione fidelium, ipsa vero, quæ data est in matrimonium, non est prohibenda. Si autem qui hoc fecerit, pœnitentia ductus à non credente illam separauerit, constituenda est ei pœnitentia, quanta sacerdoti videbitur, &c.* Cumque hoc generaliter in Africa prohiberi non posset propter multitudinem infidelium, Gentilium, & Hæreticorum, ne matrimonia cessarent, prohibita ea coniugia saltem filijs Episcoporum, & presbyterorum in Concilio Carthaginensi 3. can. 12. *Item placuit, vt filij vel filiæ Episcoporum, vel quorumlibet Clericorum gentilibus, vel hæreticis, vel schismaticis matrimonio non iungantur.* Chalcedonense actione 15. canone 14. *Quoniam in quibusdam prouincijs cõcessum est lectoribus psaltis vxores ducere, statuit sancta Synodus non licere cuiquam ex his accipere sectæ alterius vxorem. Qui verò ex huiusmodi coniugio iam filios susceperit, siquidem præuenti sunt, vt ex se geniti apud hæreticos baptizarentur, offerre eos Ecclesiæ catholicæ communioni conuenit. Non baptizatos autem non posse vlterius apud hæreticos baptizari, sed neque copulari debet nuptura hæretico, aut Iudæo, vel pagano, nisi forte promittat ad orthodoxam fidem se perpersonæ orthodoxæ copulam transferre. Si quis hanc definitionem sanctæ Synodi transgressus fuerit correptioni canonicæ subiacebit.* Eadem etiam matrimonia reprehendunt Augustinus in *cap. caue. 31. quæst. 1.* Cyprianus lib. de lapsis. Ambros. epist. 70. & lib. 1. de Abraham capit. 9. col. 4. & 5. cuius verba omnino vide, & Hieronymus contra Iouinianum.

5 Sub pœna capitali hæc matrimonia ciuili etiam lege prohibita existimauit Couar. in 4. decretal. 2. part. cap. 6. §. 11. nu. 3. Paleotus lib. de nothis capit. 3. à num. 4. ab imperatoribus Valentiniano, & Valente *l. vnica de nupt. gentilium C. Theodos.* sub his verbis. *Nulli Prouincialium, cuiuscumque ordinis, aut loci fuerit, cum barbara sit vxore coniugium, neque vlli gentilium Prouincialis fœmina copuletur. Quod si quæ inter Prouinciales, atque gentiles affinitates ex huiusmodi nuptijs extiterint, quod in his susceptum vel noxium detegitur, capitaliter expietur.* Hæc autem lex, siue Imperatorium edictum non rectè à Couar. huic instituto accommodatur, cum Imperatores eò respexerint, ne Romani cũ exteris, siue exteri cum Romanis nuptias inirent. Quod ad conseruandam Romani sanguinis dignitatem antiquum esse eius Reipublicæ institutum testatur Vlpianus in fragmentis tit. 5. *Connubium habent ciues Romani cum ciuibus Romanis: cum Latinis autem, & peregrinis ita, si concessum sit.* Caius instit. tit. 4. *legitimæ nuptiæ sunt, si Romanus Romanam nuptijs interuenientibus, vel consensu ducat vxorem.* Seneca lib. 4. de benefic. capit. 35. *Promisi tibi filiam in matrimonium, postea peregrinus apparuisti, non est mihi tum extraneo connubium, eadem res me defendit, quæ vetat.* Hinc Vlpianus docet filios post deportationem susceptos quasi ab alio susceptos videri *l. ex facto §. ex facto ad Trebel.* Cum enim per deportationem aliquis ciuis Romanus esse desineret, fieretque peregrinus, nec matrimonium, nisi inter ciues coiret, sed dissolueretur per deportationem, vt scripsit Paulus in *l. siquis sic stipuletur D. soluto matrim.* ideo Vlpianus ait post deportationem natos, quasi ab alio conceptos videri, quia verè filij non erant iure Romanorum, eorum qui essent deportati, amissis per deportationem omnibus ciuitatis Romanæ priuilegijs, extinctoque simul iure matrimonij.

6 De Iudæorum autem connubijs euitandis hæ sunt leges Ecclesiasticæ. Liberritanum Concilium ca. 16. *Sed neq; Iudæis, neq; schismaticis dari placuit, eo quod nulla posset esse societas fidelis cum infideli. Si contra interdictum fecerint parentes, abstinere per quinquennium placet.* Nicænum dict. can. 53. vbi etiã cum Iudæis matrimonia interdixit. Aurelianense 2. canone. 19. *Placuit vt nullus Christianus iudæam, neque Iudæus Christianam in matrimonio ducat vxorem, quia inter huiusmodi personas illicitas nuptias esse censemus. Qui si commoniti à consortio hoc se separare distulerint, à communionis gratia sunt sine dubio submouendi.* Aurelianense 3. cano. 13. *Christianis quoque omnibus interdicimus, ne iudæorum coniugijs misceantur,* Aruernense can. 6. & habetur *capit. fin. 28. quæst. 1. siquis Iudaicæ prauitati in gali societate coniungitur, & seu Christiana Iudæo siue Iudæus Christianæ mulieri cõsortio misceatur carnali, quicumque horum tantum nefas admisisse dignoscitur à Christianorum cætu atque conuiuio, & à communione Ecclesiæ, cuius sociatur hostibus, segregetur.* Romanum sub Zacharia cano. 10. Meldense canone 73. in fine. His adde legem Imperatorum Theodosij, & Arca-

dij l. 5. C. Theodosiano ad l. Iuliam de adulteriis. Nequis Christianam mulierem in matrimonium Iudæus accipiat, neque Iudæa Christianus in coniungium societur. Nam si quis aliquid huiusmodi admiserit, adulterij vicem commissi huius crimen obtinebit, libertate in accusandum publicis quoque vocibus relaxata.

7 Quæ autem ad hæreticos spectant istæ sunt. Illiberitanũ can. 16. *Hæreticis, si se transferre noluerint ad Ecclesiam Catholicam ne ipsis Catholicas dandas puellas, &c.* Videat tamẽ lector, an legendũ sit, *Catholicis*, hoc sensu vt hæreticis admonitis, si se transferre noluerint ad Ecclesiam, in pœnam pertinaciæ, nec postea Catholicis conuersis dandas Catholicas puellas. Idem prohibet Laodicenum sub Syluestro ca. 10. & ca. 31. *Quod non oporteat cum hæreticis vniuersis nuptiarum fœdera celebrare, aut eis filios dare, vel filias: sed magis accipere, si tamen Christianos se fieri promittant.* Carthaginense 3. ca. 12. iam citat. Chalcedonense dict. ca. 14. & Synodus in Trullo can. 72. quem postea referemus, Agathense sub Symmacho repetito canone Laodiceno ca. 67. & habetur *cap. non oportet* 28. *quæst.* 1. Stephanus IIII. epist. ad Francorum Reges hisce verbis. *Itaque nostræ perlatum est notioni (quod certe cum magno cordis dolore dicimus) eo quod Desiderius Longobardorum Rex vestram persuadere dignoscitur excellentiam, suam filiam vni ex vestra fraternitate in coniugio copulare. Quod certe si ita est hæc proprie diabolica est immissio, & non tam matrimonij coniunctio, sed consortium nequissimæ adinuentionis esse videtur. Quam plures cõperimus, sicut diuinæ Scripturæ historia instruimur, per alienæ nationis iniustam copulam, à mandatis Dei deuiare, & in magna deuolutos facinora. Quæ est enim præcellentissimi filij magni Regis talis desipientia, vt penitus vel dici liceat, quod vestra præclara Francorum gens, quæ super omnes gentes enitet, & tam splendidissima ac nobilissima regalis vestræ potentiæ proles perfida, quod absit, ac fœtentissima Longobardorum gente pollnatur, quæ in numero gentium nequaquam computatur: de cuius natione, & leprosum genus oriri certum est. Nullus enim qui mentem sanam habet, hoc vel suspicari potest, vt tales nominatissimi Reges tanto detestabili atque abominabili contagio implicentur. Quæ enim societas luci ad tenebras? Aut quæ pars fideli cum infideli? Etenim mitissimi, & à Deo instituti benignissimi Reges iam Dei voluntate, & Consilio coniugio legitimo ex præceptione genitoris vestri copulati estis accipientes sicut præclari, & nobilissimi Reges de eadem vestra patria, scilicet, ex ipsa nobilissima Francorum gente pulcherrimas coniuges, & earum vos oportet amori esse anneccos, & certe vobis non licet eis dimissis alias ducere vxores, vel extrancæ nationis consanguinitate immisceri. Etenim nullus ex vestris parentibus scilicet, neque auus vester, neque proauus, sed nec genitor vester ex alio regno vel extranea natione coniugem accepit. Et quis de vestro nobilissimo genere se contaminare, aut commiscere cum horrida Longobardorum gente dignatus est: vt nunc vos suademini (Quod auertat Deus) eadem horribili gente pollui? Item quia nullus exteræ gentis assumpta coniuge innoxius perseuerauit: aduertite, quæso quanti qualesque potentes per alienigena coniugia à præceptis Dei declinantes, & suarum sequentes vxorum alienæ gentis voluntatem, validis irrepti excessibus, immensa pertulere discrimina.* Hęc Stephanus. Adde Bonifacium VIII. *cap. decreuit, de hæreticis in 6.*

8 In his autem regionibus, in quibus respublica hæreticis, & Catholicis constat, sine peccato fiunt eiusmodi connubia, ob communem conuictum, & societatem: & quia minor periculi occasio, cum parentes nihil de religione curant, tolerante præcipuè Romano Pontifice, vt docuit Ioannes Azor tomo 1. lib. 8. cap. 11. quæst. 5. Quamuis iniqua conditio sit, vt masculi patris, fœminæ matris religionem sequantur, vt docet idem Auctor ibidem quæst. 6. id quod etiam ex dictis facile deduci potest.

9 Nec Christiano homini mirum videri debet adeô seueris legibus cum infidelibus, & hæreticis connubia prohibita, quando quidem non minus seuere statuerunt patres, vt quæ mulier cum infideli, aut qui fidelis cum fœmina infideli etiam fornicarie misceretur, acriter puniretur. In hunc sensum potius quam alium intelligo Concilium Arelatense 1. caon. 11. quem supra retuli. Nicænum ca. 68. Aruernense ca. 6. & Alexandrum Tertium in append. p. 50. ca. 49. Nullum enim efficacius telum ad Israelitarum fidem euertendam excogitauit diabolica perfidia, quàm si cum alienigenis Moabitis fœminis Idolorũ cultricibus fornicarentur, de quo præclare philosophatur Philo. lib. de fortitudine ab illis verbis: Arabum gens. Antiquis etiá Hispanorũ legibus paulo post quam restaurari cæpit, quas fueros de Sepuluega vocamus, nõ semel constitutũ est, vt qui fidelis cũ Iudæa vel sarracena, vel è contra in simili delicto

licto inuenti fuerint, vir præcipitio pereat, mulier igne.

10 Ex dictis colligitur fidem datam, vel sponsalia de contrahendo matrimonio cum infideli, Iudæo, vel hæretico esse nulla, etiam si iuramento confirmentur, eo quod illicita matrimonia sunt, iuramentum autem non potest esse vinculum iniquitatis.

Coniugium cum infidelibus esse irritum et quo iure: cum hæreticis verò non esse irritum.

CAPVT XLVII.

SVMMARIVM.

Quid agendum, num. 1.
Coniugium fidelis cum non baptizato esse nullum iure Ecclesiastico, num. 2.
Non ita illicitum, vt aliqua circunstantia honestari non possit, num. 3.
Quidam consuetudine tantum irritum dicunt, num. 4.
Verius lege Ecclesiastica, num. 5. 6.
Obiectioni occurritur, num. 7.
Non esse sacramentum, num. 8.
Coniugium fidelis cum hæretico esse nullum quidam opinantur, num. 9.
Communis docet valere, num. 10.
Olim irritum, nunc validum, verior sententia, num. 11.
Soluuntur fundamenta contraria, num. 12.

1 RESTAT explicandum an eiusmodi coniugia cum infidelibus, aut hæreticis contracta sint inualida? Primo agemus de infidelibus non baptizatis, deinde de hæreticis.

2 Igitur, quod attinet ad matrimonium fidelis cum infideli non baptizato, concors sententia est esse nullum. Sic Theologi cum Magistro in 4. dist. 39. & interpretes iuris canonici 28. quæstione 1. Vt autem ea recepta sententia explicetur per partes procedendum. Quamuis matrimonia cum infidelibus toties prohibita sint, attamen non sunt irrita iure naturali. Quæ communis Doctorum sententia est. At nonnulli probant exemplo Moysis, Ioseph, Booz, Dauidis, Salomonis cum filiam Pharaonis, id est, fœminam Ægyptiam duxerit. Sed inefficaciter probant, quia, vt paulo superius dicebamus, Hebræo populo non erat prohibitum vxores ducere ex alienigenis, si tamen ad veri Dei cultum transirent, id quod exemplis allatis manifestissimè conuincitur. Sed tantum si in Idolorum cultu permanerent. Probatur tamè efficaciter exemplo Esther, quæ nupsit Assuero Regi infideli in infidelitate manenti. Item sancta Monica virum habuit Paganum teste Augustino li. 9. confess. cap. 9. & Clotildis Christiana nupsit Clodoueo Regi Francorum Ethnico teste Gregorio Turonensi lib. 2. cap. 28. vtraque autem erat pia fœmina, & viros suos ad pietatem conuerterunt. Idem ostendunt etiam alia quæ adduco infra isto cap. Nec deest ratio: nam cultus disparitas non omninò, ac directè opponitur fini matrimonij, ita vt contra substantiam eius esse dicatur. Neque enim pugnat cum individua vitæ societate, cum fieri possit, vt nec discordiæ, nec dissensiones oriantur aut raro. Neque etiam impedit matrimonij finem, hoc est filiorum procreationem, & educationem. Tum quia, vt ostendimus supra li. 1. hic non est primus, neque præcipuus matrimonij finis? Tum etiam: quia licet difficile, posset tamen rectè in pia religione proles institui. Non est ergo fundamentum aliquod, vt dicamus matrimonium cum infideli irritum esse naturali iure. Imo neque habemus vnde probemus irritum fuisse iure diuino in veteri lege, sed licet peccaminosè contracta, valuisse tamen. Quod enim Esdras 1. cap. 9. separauit quasdam Ægyptias, eo factum est, quod illæ, quæ sine peccato forsan ductæ fuerant, cum defeciissent iterum ad idola, sine peccato retineri non poterant, nolentes sine iniuria creatoris cohabitare. Quare sine fundamento nonnulli recentiores existimant cultus disparitatem dirimere iure diuino naturali, quod falsum esse magis constabit ex his quæ dicemus. Neque obstat fundamentum, quo nonnulli mouentur, quod scilicet, si fidelis ducat infidelem, & illa postea velit separari non sit potestas in Ecclesia ad illam compellendam cohabitare, quia est extra Ecclesiam. Dico enim per matrimonium esse commune forum, & fœminam sequi forum viri, & cum alias dignior sit contractus ex parte fidelis, per connexionem ab eodem iudice compellitur, cui fidelis subiacet, vel saltem à sæculari Principe, cui per domicilium iam subiacet.

3 Ex his fit coniugium fidelis cum infi-

deli

deli non esse intrinsecè malum, id est, absolutè, & inquauis circunstantia, quale est mendacium, & alia huiusmodi, sed esse ex his, quæ aliqua ablata vel posita circunstantia honesta reddi possunt, qualia sunt occidere, accedere ad fœminam, auferre ab alio bona sua. Ratio etenim naturalis dictat, non esse ineundum huiusmodi coniugium, quatenus dictat non esse faciendum, vel ob periculum subuersionis, vel ob alias causas, quibus cessantibus, vel alijs occurrentibus, quorum strictior obligatio sit, eius etiam obligatio præcepti cessabit. Itaque inspiratione diuina credendum est Esther nupsisse Assuero: & tunc dispensatione Pontificis huiusmodi connubia licite iniri possent iusta exigente causa, vt docuit Bellarminus lib. 1. de matrimonio c. 23. propositione 4.

4 Sed esto matrimonium cum infidelibus non sit irritum iure naturali, aut diuino explicandum supereſt, an sit irritum, & quo iure? De eo enim non vna sententia est. Quidam enim id non vniuersali aliqua lege, sed vniuersali consuetudine Ecclesiæ, quæ vim legis obtinet ab hinc quadringentis, & quadraginta annis introductum existimant. Ita Bellarmin. lib. 1. de matrimonio ca. 23. propositione 3. Rebellus 2. p. de obligat. iustitiæ lib. 3. quæst. 9. circa fin. Soto in 4. dist. 39. quæst. vnica articulo 2. Gregorius de Valentia 3. part. disput. 10. generali quæst. 5. part. 3. §. *Cultus disparitas*. Qui Doctores non alio nituntur fundamento, nisi quia nullam existimarunt Ecclesiæ legem Ecclesiasticam, ex qua colligatur nullum fuisse matrimonium.

5 Cæterùm ego existimo verius Ecclesiastica lege, eiusque recta intelligentia per manus deriuata, esse à multis sæculis irrita coniugia fidelis cum infideli. Nam in Concilio Nicæno, quod est generale primum extat canon 67. vbi præcipitur vt mulier, quæ infideli nupserit, illum derelinquat, & pro matrimonio contracto peragat pœnitentiam. *Quicumque duas mulieres in matrimonium acceperit, ipse cum secunda excommunicetur: & quæcumque mulier fidelis viro infideli nupserit, ipsa quoque ex Ecclesia reijciatur. Quæ si pœnitentiam egerit maleficij, & eum virum, quem habere non poterat, id est, infidelem dimiserit, non est recipienda, nisi eo modo quo recipitur qui post quam fidem negauit ad fidem reuertitur, debetque ipsa infidelem relinquere.* Et can. 69. idem indicatur, cum statuitur patrem, qui filiam dedit nuptum non credenti, & infideli, debere illam à non credente separare.

6 Nec vero quis dicat ex isto separandi verbo non colligi nullum fuisse matrimonium, cum possit intelligi de separatione tori, vt de matrimonijs per religiosos cõtractis dicebamus. Hoc inquam in præsenti nullius momenti est, tum quia ideo eo loco canones aliquos sic interpretabamur, quia ex multis alijs canonibus, testimonijsque patrum valere matrimoniũ religiosorũ demõstrauimus. At in præsenti nullus est canon, quo id conuincatur. Tum etiam, quia, vt ex se constat, in eo casu erat strictum vinculum religionis, quo Deo, & prælatis tenebantur adstricti: & ideo non mirum si in pœnam delicti separari iuberentur, non dissoluto vinculo, quod in præsenti casu minimè reperitur. Non ergo est, cur tantum de separatione quo ad torum interpretemur. Et quidem ita intellectam esse hanc legem Ecclesiasticam indicant duo vel tria. Primum est lex illa ciuilis Imperatorum, quam supra retulimus, quæ connubium cum Iudæo vt adulteriũ punirit iubet, haud dubiè non ea ratione punitura, si validum esset. Alterum est canon Trullanus, quem postea referemus, qui planè docet irrita hæreticorum coniugia, idque tanquam sæculo suo receptum, non nouiter statutum: quod à fortiori de matrimonio cum infideli, videtur esse receptum eo tempore, non ex alia lege superioris sæculi, quam Nicænis canonibus. Tertium est Concilium Toletanum 4. ca. 63. quod iubet, vt Iudæi qui Christianas mulieres in coniugio habent, admoneantur ab Episcopo ciuitatis ipsius, vt si cum eis permanere cupiant, Christiani efficiantur, quod si admoniti noluerint, separentur.

7 Neque obstat, sanctissimam Monicam matrimonio iunctam homini infideli: tum quia sicut aliquorum fidelium, cum infidelibus coniugia excusat inspiratio diuina; ita etiam alia excusat iuris naturalis probabilis ignorantia, vt licitè fiant, & iuris positiui, vt fiant valide. At Nicænos canones ignotos fuisse Africanis constat ex Concilio Carthaginensi expressissimè, vbi à Cælestino petuntur sinceri Nicæni canones, tantum enim vnus supra viginti illis noti fuerãt. Interfuit autem illi Concilio Augustinus iam Episcopus, vt constat ex eodem numer. 8. Tum etiam, quia cum eo tempore in omnibus fere, in quibus nunc dispensat sedes Apostolica, dispensarent Episcopi, facile factu est ab illis dispensatum, vt

nube

nuberent. Nam Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, & Augustin. lib. de fide, & operibus capit. 19. suo tempore dicunt fuisse frequentissima eiusmodi coniugia, & quamuis sæpe reprehenderentur, tolerata tamen sicut Concilio Carthaginensi 3. supra adducto ob infidelium, & hæreticorum multitudinem: saltem filijs clericorum eiusmodi coniugia interdixerunt.

8 Quod siquis quærat an matrimonium fidelis cum infideli secluſa Ecclesiastica lege prohibente aut interueniente Pontificis dispensatione sit Sacramentum? Dici posset ex parte suscipientis baptizati esse sacramentum, si & ille alter non baptizatus intentionem habeat faciendi quod facit Ecclesia, aut contrahendi more Christiano. Cum enim in hoc sacramento ministri sint ipsi contrahentes, necessaria est intentio ministri comparatione suscipientis, vt Florentinum, & Tridentinum definiunt. At verius existimo non esse sacramentum, quia non potest claudicare ratio sacramenti, infidelis autem non est capax sacramenti vt constat. Et de matrimonio cum infideli non baptizato hactenus.

9 De coniugio autem fidelis cum hæretico dubium est an sit irritum ipso iure? Simancas lib. de instit. Cathol. titulo 40. à num. 17. contendit matrimonium fidelis cum hæretico esse non solum illicitum sed etiam irritum iure positiuo. Esse illicitum liquet ex dictis, esse autem irritum probat ex illis canonibus Conciliorum, quibus prohibetur. At quia multa prohibentur, quæ tamen facta tenent, inquit iuris regulam esse, quæ lege fieri prohibentur, si fiant, pro infectis habenda *l. non dubium C. de legib.* & adduci posset decretum Cœlestini I. & habetur. *Capit. videtur nobis 35. quæst. 6. Nam quod contra interdictum, & ordinem Ecclesiæ factum est, ratum non haberi, tam humanæ, quam diuinæ legis proclamat auctoritas, quia ea quam inordinate superduxit prohibitione renitente vxor non est.* Adducit etiam canonem 72. sextæ Synodi in Trullo, cuius hæc sunt verba. *Non licere virum orthodoxum cum muliere hæretica, neque orthodoxam cum viro hæretico copulari. Sed siquid huiusmodi ab vllo ex omnibus factum apparuerit irritas nuptias existimari, & nefarium coniugium dissolui. Si autem adhuc infideles sunt inter se legitimo matrimonio copulati, deinde alter eorum conuertatur ad fidem, altero in infidelitate manente, si fideli placuerit cum infideli cohabitare, non à se inuicem separentur iuxta Pauli sententiam.* Ea autem confirmant, quæ ad illius canonis interpretationem, adducit Theodorus Balsamon notans canonem aduersus Iberos, qui filias suas Sarracenis olim traderent. Sic enim inquit *lex ciuilis definit matrimonium societatem & communionem diuini, & humani iuris. Hinc ergo consequenter Sancti Patres decernunt iure matrimonij non esse coniungendum virum fideli mulieri infideli, vel infidelem mulierem viro fideli, sed & siquid eiusmodi factum fuerit, dissoluendum, ac separandum esse matrimonium, vt quod consistere non possit.* Repetiuit iterum in Nomo canone Photij tit. 12. ca. 13. Alia autem quæ adducit Simancas, quibus periculum esse in eo matrimonio docet, conuincunt quidem illicitum illud esse, non tamen irritum.

10 Communis Theologorum, & interpretum iuris canonici sententia est, id matrimonium non esse vllo iure irritum. Qui non alio fundamento nituntur, nisi quia nō exist it ius Ecclesiasticum, irritans eiusmodi contractum, licet multis interdicatur canonibus.

11 Cæterùm ego aliter responderi posse iudicabam. Suspicabar prioribus sæculis irrita fuisse eiusmodi coniugia: at iam â multis sæculis contraria consuetudine abrogatum; ac licet peccent; nisi iusta subsit causa, valere tamen. Primum ita esse credebam, eo quod canones Ecclesiastici eisdem verbis sæpe prohibent infidelium, Iudæorum, & hæreticorum coniugia, vt constat ex Illiberitano, & Agathensi supra relatis, & ex Chalcedonensi in eodem canone. Ex quo fit verosimile idem de coniugio cum omnibus istis esse statutum. Cumque ostenderimus coniugia cum infidelibus non baptizatis nulla fuisse, restat vt idem illis sæculis in hæreticorum coniugijs obseruatum esse suspicemur. Deinde propter canonem Trullanum. Quamuis enim illi canones dubiæ fidei sint, attamen pro legibus susceptos à Græcis persuadet mihi Theodori Balsamonis testimonium, & ea quæ in 7. Synodo de istis canonibus dicuntur, quæ, quamuis eorum fidem non adstruant, probant tamen apud Græcos saltem, & in aliquibus Prouincijs vim obtinuisse legis. De eorum tamen canonum auctoritate, quanta sit alio loco dicemus.

12 Sed vrget illud, quod adducit Simancas ex *l. non dubium. C. de legibus*, & quod nos addimus ex Cœlestino *capit. videtur nobis.* At mihi videtur legem Ecclesiasticam interpretandam circa subiectam materiam, itaq;

in co-

in eo casu de quo loquebatur Pontifex, scilicet, eius qui secundam vxorem duxerat prima viuente, & desponsata, quam tamen consanguineam esse sciebat, rectè, & verè docuit Pontifex, nullum esse coniugium, quia contra ordinationem Ecclesiæ, non qualēcumque sed eam scilicet, quæ nullum reddidit eiusmodi connubium, contraxerunt: aut saltem explicandus Cœlestinus, sicut summa lib. 5. explicatus est cum eadem l. non dubium.

Quid iura disponant de infidelium, & hæreticorum coniugijs, & cum alter eorum ad fidem conuertitur.

CAPVT XLVIII.

SVMMARIVM.

Inter infideles vnum coniugium esse. Legitimū sed non ratum appellari à DD. Quare, num. 1. & 2.

Cur Theologi dicant in matrimonio infidelium non reperiri tria bona matrimonij, num. 3.

Per Baptismum non dissolui coniugium infidelium, num. 4.

Licere cohabitationem fidelis cum infideli, si ab sit periculum, num. 5.

Primis temporibus non tantum licitam. Sed præceptam, num. 6.

Postea optionem datam cohabitandi, num. 7.

Postea prohibitam cum Iudæis, num. 8.

Quare prohibita cum illis, num. 9.

Non extendi ad alios infideles eam prohibitionē, licet etiam consuetudine inducta, num. 10.

Obiectionibus occurritur, num. 11. 12.

Tres casus, in quibus coniugium fidelis conuersi dissoluitur, num. 13.

Ecclesiastico iure concessum quidā dicunt, n. 14.

Verius iure diuino, num. 15.

Dissolui statim atque aliquis conuertitur, n. 16.

Verius non nisi cum iam fidelis contrahit, n. 17.

Solutio glossæ reijcitur, num. 18.

Fundamentis contrarijs respondetur, num. 19.

Requirendum infidelem, num. 20. licet alij aliter sentiant, num. 21.

Quomodo requirendus, num. 22.

Gregorij XIII. literæ de hac re, num. 23.

Coniugem infidelem non morte liberū, licet alij contra sentiant, num. 24. 25.

Vnde hoc proueniat, num. 26.

Altero coniuge labente in hæresim non dirimi matrimonium, num. 27.

Illicitam cohabitationem. Limitatur, num. 28.

1 QVOD attinet ad infideles suppo nendum in primis inter infideles verum esse matrimoniū in ratione contractus; illudque ratum esse, & indissolubile ex parte sua ea indissolubilitate, quam, & iure naturæ, & Deo instituente habuit contractus ille in statu innocentiæ. Non enim ita perfectè indissolubile est ac matrimonium fidelium, cum non habeat indissolubilitatem ex parte significationis, & quia etiam est casus in quo dissoluatur vt iā diximus lib. 1. Atque hoc sensu, quia scilicet in aliquo euentu dissolui contingit infidelium matrimonium consummatum, appellatur à nonnullis Doctoribus legitimum, sed non ratum. Ita loquitur Magister Sententiarum in 4. dist. 39. capit. extremo, cui ad vnum adstipulatur Theologi omnes. D. Thomas eadem dist. q. vnica art. 5. Bonauentura art. 1. quæst. 1. nu. 28. Scotus quæst. vnica art. 1. Ricardus art. 1. q. 2. Paludanus q. 1. art. 1. Gabriel quæst. vnica art. 2. Imo verò non Theologorum modo hæc sententia est, sed certissimum Innocentij III. Romani Pontificis responsum in cap. *Quanto de diuortijs*, vbi hæc habet: *Nam & si matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum: inter fideles autem verum, & ratum existit, quia sacramentum fidei, cum semel est admissum, nunquam amittitur.* Adde D. Ambrosium 1. Corinth. cap. 7. *Non enim*, inquit, *ratum est matrimonium, quod sine Dei deuotione est.* Habetur 28. *quæst. 1.* in fine.

2 Hinc orta est illa Theologorum distinctio, quam adhibet Bonauentura. Ricardus, & Gabriel locis citatis, qua diuidunt matrimonium in ratum, & legitimum, quale est fidelium, legitimum, & non ratum: quale infidelium, ratum sed non legitimum, quale erat clandestinum fideliū. Hinc etiam Diuus Thomas illa distinct. quæstione vnica artic. 2. matrimonium infidelium comparatione matrimonij fidelium vocat imperfectum, & materiale, cuius verba subscribo. *Matrimonium principaliter institutum est, ad bonum prolis, non tantum generandæ, quia hoc sine matrimonio fieri posset, sed etiam promouendæ ad perfectum statum quia quælibet res intendit naturaliter effectum suum perducere ad perfectum statum. Est autem in prole duplex naturalis perfectio considerandā, scilicet perfectio naturæ non solum quantum ad corpus, sed etiam quantum ad animam per ea, quæ sunt de lege naturæ, & perfectio gratiæ. Prima perfectio est naturalis.*

lis, & imperfecta respectu secundæ, & ideo cum res, quæ sunt propter finem, sint proportionatæ fini, matrimonium quod tendit ad primam perfectionem est imperfectum, & materiale respectu illius, quod tendit in perfectionem secundam, & quia prima perfectio potest esse communis fidelibus, & infidelibus, secunda autem est tantum fidelium, id eo inter infideles est quidem matrimonium, sed non perfectum vltima perfectione, vt est inter fideles.

3 Hinc etiam dixerunt Theologi tria bona, quæ in Christiano insunt matrimonio, ab infidelium abesse coniugio, in eoque bonum fidei desiderari, bonum prolis, & bonum sacramenti. Bonum fidei, quia qui Deo non est fidelis, vix homini fidelis esse potest *cap. non potest 2. quæst. 7.* Bonum prolis, quia ad cultum Dei ea non instituitur: Bonum sacramenti, quia coniunctionem Christi cum Ecclesia aut Cœlestis gratiæ cum anima significare non potest. Quæ latè, & eleganter Ambrosius, lib. 1. de Abraham cap. 9. col. 4. num. 5.

4 Secundò obseruandum est per solam baptismi susceptionem non dissolui matrimonium in infidelitate contractum. Sic in Concilio Meldensi cap. 1. Habeturque *cap. siquis 28. quæst. 2. crimina enim in baptismo Solluuntur, non coniugia.* Innocentius I. epistola 23. habetur *cap. nunquid 28. quæst. 1.* Triburiense Concilium cap. 39. ex quadam Synodo Romana Innocentius III. *cap. Quanto de diuortijs, & cap. Gaudemus.* Colligiturque ex illo 1. Corinth. 7. *Siquis autem infidelem habet vxorem, & hæc consentit habitare cum eo, non dimittat*, quod non consuleret Paulus, si nullum esset coniugium per baptisma susceptum.

5 Tertiò obseruandum est, vt quid se res habeat circa cohabitationem fidelis cũ infideli explicetur: in quo variè Doctores locuti sunt, & obscure satis, varia esse distinguenda tempora. Et in primis eam cohabitationem, si non subsit animæ ac salutis spiritualis periculum: licitam fuisse dubitari non potest, conueniuntque in eo Doctores omnes, & liquet ex eodem loco Pauli 1. Corinth. 7. vbi de cohabitatione sermo est, subdit enim: *filios eorum immundos non esse, cum infidelis per fidelem sanctificetur.* Quem locum late, & eleganter explicat Gelasius Pontifex in eo opusculo, quod inscribitur. *Dicta aduersus Pelagium.* Licere etiam huiusmodi cohabitationem plane docet Innocentius III. *capit. Gaudemus de diuortijs. In fauorem*, inquit, *Christianæ religionis, & fidei, à cuius fidei perceptione per vxores se deseri timentes viri, possent facile reuocari, fideles huiusmodi licite matrimonialiter copulari, & licite remanere coniuncti, cum per sacramentum baptismi non soluantur coniugia, sed crimina dimittantur.*

6 Deinde primis illis Ecclesiæ Christianæ temporibus existimo non tantum licuisse cohabitationem fidelis cum infideli, sed etiã fuisse in præcepto, secluso periculo, vt dicemus postea. Id quod eo tempore iustissimè præceptum, quô facilius, & infidelis fidelis viri vel vxoris consortio ad veram religionem alliceretur, & ne etiam molestè ferrent se ab vxoribus vel coniugibus dilectis deseri, ac ita à capessenda Catholica disciplina reuocarentur, vel retardarentur. Vnde non pauci Patres illis verbis Pauli præceptum de cohabitatione contineri dixerunt. Ita Tertullianus lib. 1. ad vxorem, Chrysostomus, si Græca consulas, in eum locum, Theodoretus, Ambrosius, Hieronymus comment. in Isaiam capit. 15. Seuerianus ex planans illud. *Vnum quemque sicut vocauit Deus, ita ambulet*, Oecumenius, Abulensis 1. Reg. 8. quæst. 132. & quæst. 189. ex Recentioribus Turrianus lib. 5. pro epist. Pontificum capit. 3. Illud enim (*dico ego*) legis promulgatio esse videtur, nõ quidem diuinæ, sed tantum pro temporum opportunitate constitutæ ab Apostolis, id quod eo loco optimè deducit Turrianus. Accedit etiam in primis Ecclesiæ temporibus nullã extitisse legem, nullum que decretum, quo cohabitatio prohibeatur, quando nõ erat iniuria fidei. Nam quæ Iudæorum cohabitationem prohibuerunt, recentiora sunt. Id autem quod dixi de præcepto cohabitandi illis sæculis conuenienti, tam verum habet de Iudæis, quam de gentibus, ac Paganis. Planum enim doctrinam illam Pauli de vtrisque intelligi, maximè cum eo tempore ex Iudæis primi conuerterentur.

7 At postea procedente tempore apud nonnullas prouincias, cum iam Christiana religio felicius propagaretur, infideles interirent, paulatim eius obligatio præcepti de cohabitando aboleri cæpit, ac optio relinqui his, qui conuertebantur, vt quod vellent eligerent, vel cohabitarent, vel desererent, & cælibes manerent, non interueniente tamen iniuria Creatoris. Ea enim interueniente non tantum cohabitatio, sed & vinculum dissolutum, vt dicam postea. Atque id existimabit aliquis probari decreto Eutychiani Papæ,

cap.

capit. si quis gentilis 28. *quæst.* 1. inquit enim, *si quis gentilis, gentilem vxorem dimiserit ante baptismum, post baptismum in potestate eius erit eam habere vel non habere.* Et quidem textus in speciem satis probabiliter euincens per ea tempora, annum, scilicet, Christi ducentesimum quinquagesimum, præceptum relaxatum, & optionem datam. At quia Eutychianus loquitur de eo, qui ante baptismum vxorem dimiserat, placuit semper eum canonem intelligendum de vxore ante baptismum dimissa repudij legibus, iusta que causa, scilicet, ob crimen adulterij. Ne etenim existimaret licitũ sibi esse aliam ducere post baptismum, illa ante baptismum repudiata, dicit posse illam habere vel non habere: ne etiam existimaret se cogi, vt illam restitueret, ac domum reuocaret. Itaque optio data, vt mulierem iusta de causa ante baptismum dimissam secum haberet, vel non haberet: ita tamen, vt si eligeret non habere, cælibem vitam ageret, nisi iniuria Creatoris interueniret. Probabilius ergo est apud Africanos Augustini tempore eius præcepti obligationem cessasse; & ab Africanæ regionis Episcopis optionem datam, & inter eos fuisse Augustinum, vt planè constat ex *capit. non solum capit. iam nunc. cap. sic enim* 28. *quæst.* 1. Qui ex Augustino desumpti sunt. Licuit itaque sequentibus sæculis cohabitare, & non cohabitare, sed quam vellent partem eligere, siue conuerterentur ex Iudæis, siue Gentilibus.

8 Verum post ea Augustini tempora, quia nonnullæ prouinciæ ex Iudæorum consortio in sua infidelitate remanentium fideles infici, & relabi animaduerterunt, Hispani atque Galli simul decreuerunt, & lege sanxerunt, ne si ex Iudæis aliquis ad fidem conuerteretur, remaneret cum infideli, sed separarentur ob probabile periculum, quod in ea cohabitione deprehenderant. Extant de eo duo canones in Concilio Toletano 4. prope annum 650. Primus est canon 62. *Sæpe malorum consortia etiam bonos corrumpunt, quanto magis eos, qui ad vitia pronì sunt. Nulla igitur vltra communio sit Hebræis ad fidem Christianam translatis, cum his, qui adhuc in veteri ritu consistunt, ne forte earum participatione subuertantur. Quicumque igitur à modo ex ijs, qui baptizati sunt infidelium consortia non euitauerint, & hi Christianis donentur, & illi publicis cædibus deputentur.* canon 63. *De coniugijs. Iudæi, qui Christianas mulieres in coniugio habeant, admoneantur ab Episcopo ciuitatis ipsius, vt si cum eis permanere cupiunt, Christiani efficiantur. Quod si admoniti noluerint, separentur: Quia non potest infidelis in eius permanere coniugio, quæ iam in Christianam translata est fidem. Filij autem qui ex talibus nati existunt, fidem atque conditionem matris sequantur. Similiter, & hi qui procreati sunt de infidelibus mulieribus, & fidelibus viris Christianam sequantur religionem, non Iudaicam superstitionem.* Habetur *capite Iudæi qui* 28. *quæst.* 1. Et idem statutum legibus Visigothorum lib. 12. titul. 1. Dixi sanctam eam legem à Gallis, & Hispanis, quia in id Concilium, & Hispani, & Galli conuenerunt, vt ex ipso Concilio constat, vnde magna, & vniuersalis Synodus appellatur in Concilio Toletano 5. cap. 2. & postea non semel.

9 De Iudæis autem non verò de alijs idolorum cultoribus eam legem tulerunt Hispani, & Galli; non quod eo tempore in Hispania omnino abolita esset idolatria, tantumque Iudæi obstinati permansissent. Constat enim ex Toletano 12. & 16. adhuc in Hispania reliquias idolorum cultus superesse. Idemque in Gallia docent adhuc multo recentiora Concilia. Sed quia de Iudæorum præcipuè pertinacia, & improbitate iniecta fuit multis iustissimisque de causis Episcoporum animis suspicio. Nam vt in retinenda illi sua lege pertinaciores: sic & in peruertendis aliorum animis propensiores sunt. Illud enim in isto hominum genere non mirari non possumus, quod cum legis suæ, quo tempore salutaris erat, passim, leuissimisque de causis inconstantissimi desertores existerent, & ab eius obseruantia quolibet vento diuellerentur; nunc, quando noxia, constantissimè, aut potius obstinatissimè retineant. Vnde nunc etiam Romæ fertur esse consuetudo, vt quadraginta dierum spatium designetur, quo altercè deliberet. Quod si nolit Iudaismum relinquere, etiam si absque Creatoris iniuria cohabitare velit, Ecclesiæ auctoritate separantur, quoad cohabitationem scilicet.

10 An autem idem præceptum extet de infidelibus, vel extendendum sit, ita vt qui ex paganis conuertitur, quamuis coniux cohabitare velit sine Creatoris iniuria, separari debeat, sicut de Iudæis diximus, dissensio est. Fatentur tamen omnes nullum extare decretum: vel legem latam,

latam, qua qui ex Paganis conuertitur, cum altero infideli cohabitare prohibeatur, neque ego vnquam reperire potui. Fatentur etiam priscis tẽporibus licitã cohabitationem his, qui ex Paganis conuertebantur prohibitam tamen Iudæis. Addũt denique iam vsu & consuetudine populi Christiani, quæ vim legis obtinet, inductũ esse eiusmodi præceptum: itaque iam tam conuersis ex Iudaismo, quam ex alia quauis secta separari debere, nec licitè cohabitare posse, etiamsi nulla interueniat Creatoris iniuria. Quia cum non minus illi mente obstinati sint, ac Iudæi probabile periculum est iustusque metus eius periculi. Huic enim honesto titulo cedit quasi fortiori ius quæsitũ coniugi in coniugem, cuius corporis potestatem habet. Sequuntur sententiam istam nobiles Theologi. D. Thomas in 4. distinct. 39. quæst. vnica art. 3. *Partpassu*, inquit, *ambulant nũc vtrique scilicet gentiles & Iudæi, quia vtrique obstinati sunt. Et ideo, nisi vxor fidelis conuerti velit, non permittitur ei cohabitare, siue sit gentilis siue Iudæa.* Idem sentit Ricardus articulo 2. quæst. 1. §. Modernis. Durandus quæst. 2. Gabriel quæst. vnica art. 2. conclusione 3. Soto quæst. vnica art. 4. §. *Est tamen hodie considerare.* Paulus Comitolus lib. 1. respons. moral. quæst. 124. num. 4. Quibus ego lubens adhæreo, quamuis dissentiant alij. Cur enim tot auctoribus tam grauibus & peritis, qui de ea consuetudine testimonium ferunt, non credendum existimemus? Cum vt apud Plutarchum in conuiuio septem sapientum refert Bias ex Thalete Philosopho: *Amicis etiam quæ fidem excedant, credenda. Amicos autem ille bonos ac virtuti deditos interpretatur.* Maximè cum ista ex facto, non ex iure dependeant.

11 Neque obest quod Innocentius III. in *cap. Gaudemus de diuortijs*, mille ac ducentis à Christi ortu exactis annis eam cohabitationem probet. Ex eo enim textu Ferdinandus Rebellus 2. p. de obligat. iust. lib. 3. quæst. 10. sect. 1. post secundam conclusionem existimat corrigi decretum Toletanum Concilij 4. de Iudæis, & præceptum, si quod erat, auferri. Verum duo sunt in hoc asserto huius auctoris lapsus. Primus quod decretum Concilij Toletani, quod iam supra retulimus correctũ existimat per Innocentium, cum nihil minus Innocentius agat, quam de Iudæis. Loquitur tantum de conuersis ex Paganismo. Cuius euidens ea probatio est, quod quæstio erat, an qui infidelitate durante, si in gradibus consanguinitatis inter fideles prohibitis contraxerãt, conuersi ad fidem separari deberent. Respõdetque Innocentius ea non dissoluenda cõiugia, quia eorum legibus non erant ea cum consanguineis prohibita. De Iudæis autem dici verè qui potuit, cum Mosaica lege intra consanguinitatis & affinitatis gradus dissoluerentur cõiugia. Deinde labitur hic auctor, quia Innocẽtij institutũ in eo capite nõ est decernere, an liceat infideli ad fidem cõuerso cohabitatio cũ eo, qui in infidelitate remanet; sed tantũ coniugium inter consanguineos in infidelitate contractũ nõ debere dissolui; nec verò curat an alter maneat in infidelitate vel non. Denique quamuis demus ex eo Innocentij III. decreto colligi adhuc suo tempore licuisse cohabitationẽ fidelis cum infideli: non tamen inde probatur licuisse fidelis cum Iudæo, vt iam probaui, neque conuincitur postea contraria consuetudine illud decretum abrogatũ non esse. Doctores autẽ suprà relati, qui multis sæculis post Innocentium III. scripserunt pro recepta consuetudine testificantur.

12 Neque obstabit etiam, si quisquam fortasse dixerit, nunc Indos recens conuersos non separari à coniugibus infidelibus, si velint sine iniuria Creatoris remanere. Nã cum hæc legis Ecclesiasticæ aut consuetudinis, quæ vim legis Ecclesiasticæ ac robur obtinet, prohibitio sit, potuit Pontifex concessionem eã abrogare, si huic tẽpori & Indorum conuersioni expedire iudicauerit: si cuti propter iustos fines primis Ecclesiæ tẽporibus nõ tantũ cohabitatio licita erat, sed etiã in præcepto. Quare & nunc, cum similia incõmoda timerentur, præceptum de separatione cessare, & obligationem cohabitandi reuiuiscere dici debet, id quod etiam alij senserunt. Est in hac eadem sententia Cornelius 1. Cor. 7. nu. 174. 175.

13 Sunt tamen tres casus in iure expressi, in quibus matrimonium infidelium dissoluitur altero ad fidem Christianam transeunte. Primus est, si infidelis renuat habitare cum fideli, discedereque velit. Quod intellige, nisi forte infidelis id faciat vtens iure suo, quia, scilicet, is qui conuertitur, cum infidelis esset, aut postea, adulterium commiserit. Atq; hic primus casus habetur *cap. simili modo, cap. si vxor 28. quæst. 1. cap. Quanto & cap. Gaudemus de diuortijs.* Secũdus est si infidelis nolit cohabitare sine cõtumelia Creatoris, vel nõ audit nomẽ eius sine despectu, eius laudes prohibet, domesticos ad defectionẽ hortatur in d. c. *simili modo & c. quãto & c.*

gaudemus cit. & c. infidelis 18.q.2. Tertius casus est, si pertrahat ad peccatum mortale in d.c. *Quanto & c. gaudemus & c. vxor. & c. idolatria c. non solum* 28. q.1.

14 At quæri potest an id concessum diuino priuilegio, vt in his casibus dissoluatur infidelium matrimonium: an vero iure Pontificio, ad cuius etiam potestatem perti neat iusta de causa dissoluere matrimoniũ consummatũ infidelium. Et forsan existimabit non nemo potuisse id concedi Pontificis priuilegio & auctoritate, quia posset Põtifex ea coniugia irrita censere, quod existimauit Nauarrus lib. 3. consil. tit. de conuers. coniugat. consilio 1. Thomas Sãchez lib. 2. disp. 17. n. 2. & refertur pro eadem Socinus 1. volum. consil. 28. cum alijs quos ip se citat.

15 Sed quidquid sit de hoc, an Pontifex in matrimonio infidelium consummato dispẽsare possit, in qua iuxta ea quæ infra lib. 9. dicã, pars videtur negatiua verior, in præsenti affirmo matrimonio concessum, vt in his euentibus dissoluatur diuino priuilegio in fauorem fidei. Idque colligunt Doctores ex illa Pauli I. Corinth. 7. *Quod si infidelis discedit, discedat, neque enim seruituti subiectus est soror, aut frater huiusmodi.* Paria enim ista sunt, ac per hoc de his intelligendum Paulũ planè docuit Innocentius III. in *c. Quanto de diuortijs.* Estque optima ratio, quia cum infidelis maneat extra Ecclesiam, & de illo non iudicet, non esset quo compelli posset ad cohabitandum.

16 Sed explicandum supereſt quando huiusmodi matrimonium in illis casibus dissoluatur, an ipso iure ac infidelis discedit, vel pertrahit in peccatum, vel nõ vult sine iniuria Creatoris cohabitare: vel tunc cum transit ad secunda vota. Nam Panormitanus in *c. Quanto de diuortijs* n. 6. & 7. & in *c. gaudemus eodem*, n. 15. Glossa in d. *c. Quanto & in c. si infidelis* 88. *q.* 2. Hostiensis in *c. quãto de diuortijs.* Ricardus in 4. d. 39. artic. 2. q. 2. Astensis in summa p. 2. lib. 8. tit. 21. art. 2. q. 5. Angelus v. *Matrimonium* 3. n. 3. in eamque videtur inclinare Scotus eadem dist. art. 1. in solut. dubij 2. Antoninus 3. p. tit. 1. c. 6. omnes hi Doctores, cum hæc sententia ex iure aliquo constare debeat, non aliunde probant, quam ex *cap. infidelis* 28. *quæst.* 2. illis verbis. *Contumelia quippe Creatoris soluit ius matrimonij circa eum, qui relinquitur.* Quibus indicari videtur statim ac contumelia Creatoris adest, dissolui matrimonij vinculum.

17 At mihi probabilior longe videtur eorum opinio, quæ docet non ipso iure dissolui, donec transeat fidelis ad secundas nuptias. Ita D. Thomas in 4. distinct. 39. quæst. 2. art. 5. Paludanus ibidem quæst. 1. art. 2. concluſ. 3. probabiliorem censet Maior ibidem quæst. vnica, solam amplectitur Turrecremata in *cap. simili modo* 28. *q.* 1. ad 2. argum. profertque eiusdem sententiæ defensorem Bonauent. quamuis hic auctor ambigua vtatur oratione. Eandẽ tenet Syluester v. *matrimonium* 8. quæst. 10. casu 6. Armilla. *matrimoniũ*, n. 39. Soto d. 39. q. vnica artic. 4. Nauarrus c. 22. & Gregorius de Valentia disput. 10. quæst. 1. p. 7. & tandem glossa ipsa veritate conuicta de eo in vtramque partem disputans *cap. gaudemus de diuortijs.* Præcipuum & vnicum huius sententiæ fundamentũ hoc est. Quia Innocentius III. in d. *cap. gaudemus*, inquit: *Quod si conuersum ad fidem & illa conuersa sequatur, antequam per causas prædictas legitimam ille ducat vxorem, eam recipere compellatur.* Ergo propter illas tres causas non erat matrimonium dissolutum ipso iure.

18 Glossa in d. *cap. gaudemus* respõdet, licet matrimonium sit solutum, tamen restitui iure postliminij in fauorem fidei. Eam tamen meritò reijcit Ricardus loco cit. Neque enim matrimonium dici potest postliminio redire, cum eius essentia ex consensu pendeat contrahentium, & quoniam cum infidelis sui coniugis conuersi pariter sequitur religionem sine nouo consensu, in priori permanet matrimonio, necessario dicendum est illud non fuisse peremptum.

19 Nec difficile fundamentum primæ sententiæ diluere. Non enim obstat illi *Canon infidelis.* Dicimus enim primo, non omnino reijciendam quorundam interpretationem, qui verba illa. *Soluit ius*, intelligunt de solutione tori, domicilijque. Animaduertunt enim in Canone non dici solui vinculum matrimonij, sed ius, vt scilicet vtatur matrimonio. Sed præterea addimus illam legitimam esse interpretationem, *soluit ius.* Ideſt iustam causam dissolutioni præbet, ita vt causalis sit enũtiatio. Itaq; illa vna cum matrimonio quod cõsequitur, & nec illa sine matrimonio, neque matrimonium secundũ sine illa primũ dissoluat. Adeo autẽ necessariũ est secundũ matrimonium illarum aliqua subsistente causa ad præcedens vinculum dirimendũ, vt aliter rescindi nequeat vllo pacto. Si enim sacris initietur, aut religionem profitea-

fiteatur, siue simplicibus votis constantem, siue solemnibus, nō dirimitur matrimoniū in infidelitate contractū, etiā subsistente cō tumelia Creatoris, quidquid nonnulli Auctores sine iuris fundamento non satis considerate dixerint. Quia matrimonium ratum aut cōsummatū non dissoluitur sacris ordinibus, vt notū est: professione autē status religiosi tantū dirimitur matrimonium ratū fideliū, vel ex Christi priuilegio, quod probabo infra lib. 9. vel ex iure Ecclesiastico iuxta aliorū sententiā. Hic autē nihil eorū ostē di potest. Non ergō est fundamentum quo dicamus sacris ordinibus aut religionis professione dissolui matrimoniū ratum & consummatum infidelium, etiamsi contumelia adsit Creatoris, sed id tantum secundo matrimonio, vt fiat, necesse est.

20 Addendum tamen, vt secundū matrimonium in prædictis euentibus celebrari possit, necessarium esse, vt requiratur infidelis, moneaturque an velit cohabitare; alias non poterit fidelis ad secundas nuptias transire, vt docet communis sententia, quam tenet D. Thomas in 4. distinct. 39. q. vnica art. 5. Gratianus 28. *quæst.* 2. in fine, & alij interpretes Iuris Canonici in *d. cap. Gaudemus*, constatque ex literis Gregorij XIII. quas subiungemus statim. Cumque gratia non destruat naturam, iniquum esset sine culpa alterius coniugis, qui, si requireretur, forsan sanctificaretur, priorem contractum dissolui.

21 Scio aliter sentire nonnullos, scilicet non esse necessarium alterius consensum requirere. Ita Panormitanus *cap. Quanto de diuortijs*, cui adstipulantur Ricardus, Paludanus, Gabriel locis cit. & nouissimè Thomas Sanchez lib. 7. de matrimonio disput. 74. sed sine vllo fundamēto etiam pro statu præsenti: habent enim cōtra se literas Gregorij XIII. de quibus statim.

22 Quod si reperiri non possit, distinctione opus est. Nam vel reperiri non potest, quia est interdicta communicatio ob certum euersionis periculum. Et in hoc casu probabile est satis esse experiri voluntatem. Constat enim ob eiusmodi periculum coniugium dissolui posse. Ita docuit Victoria cum alijs quos citat, & sequitur Ferdinandus Rebellus 2. p. de obligat. iust. lib. 3. quæst. 10. sect. 2. num. 11. Alias enim subiectus esset frater seruituti, cum neque cum coniuge infideli communicare possit, neque cum alio contrahere contra Paulum I. Corinth. 7. Quod si reperiri non possit, vel ob difficultatem viæ & itineris, cum in remotissimis versetur regionibus, vt euenit in his, qui ex Aethiopia captiui, vel serui afferuntur, vel ignoratur, vbi sit alter coniux, adhuc nubere non potest, quidquid dicat Thomas Sanchez & alij, nisi dispensatio Pontificis accedat, qua suppleatur ea admonitio iure præscripta. Qualem dispensationem concessam à Pio V. credendum est, cum statuit matrimonia Indorum nouæ Hispaniæ, qui ad fidem conuersi cum fidelibus contraxerant, eo quod vbi coniuges infideles essent, ignorarent, valida esse. Dispensauit certe ac supplenit monitionem iure præscriptam. Similem etiam dispensationem concessit Gregorius XIII. suis literis, quas nunc subijcio. Et quidem si iuxta Sanctium ea monitio necessaria non est, ad quid ergo dispensarunt Pontifices? Nec vero ex ea dispensatione colligitur dissoluisse Pontificem matrimonium consummatum infidelium, sed cum Pontifex possit ius diuinum interpretari, & ex diuino priuilegio dissoluatur matrimonium in fauorem fidei, cum infidelis non vult cohabitare cum fideli, declarat Pontifex eum casum verificari, quando tanto tempore fidelis non requiritur ab infideli, & tanta terrarum spatia impediunt, atque adeo iam tunc posse vti diuina concessione, & ad secundas transire nuptias. Literæ igitur Gregorij XIII. sic se habent.

23 Gregorius, &c. *Quoniam sæpe contingit multos vtriusque sexus infideles post contracta gentili ritu matrimonia ex Angola, Aethiopia, Brasilia, & alijs Indicis Regionibus ab hostibus captos à propriis finibus & propriis coniugibus in remotissimas regiones exterminari adeo, vt ipsi captiui, & qui in patria remanent, si postea ad fidem conuertantur, coniuges infideles tam longo interuallo disiunctos, an sine cōtumelia Creatoris secū habitare velint, vt par est, scire nequeāt: vel quia interdū ad hostiles & barbaras prouincias, ne nūtijs quidē accessus pateat, vel quia ignorāt prorsus in quas regiones fuerint trāsfacti, vel quia itineris lōgitudo magnā afferat difficultatē. Ideirco nos attendētes huiusmodi connubia inter infideles contracta, vera quidem non tamen adeo rata censeri, vt necessitate suadente dissolui non possint; singulis dictorum locorum Ordinarijs, & parochis & presbyteris Societatis Iesu ad confessiones audiendas ab eiusdē Societatis superioribus approbatis, & ad dictas regiones pro tempore missis, vel in illis admissis, concedimus facultatē dispensandi cū quibuscunque vtriusque sexus Christi fidelibus inco-*

lis dictarum regionum, & serius ad fidem conuersis, qui ante baptismum matrimonia contraxerant, vt eorum quilibet etiam superstite coniuge infideli & eius consensu minime requisito responso non expectato, matrimonium cum quouis fideli alias tamen rite contrahere, & in eis postea carnali copula consummatis, quoad vixerint, remanere licite valeant, dummodo constet etiam summarie & extraiudicialiter coniugem absentem moneri legitime non posse; aut monitum intra tempus eadem monitione præfixum, suam voluntatem non significasse: Quæ quidem matrimonia etiamsi postea innotuerit coniuges priores infideles suam voluntatem iuste impeditos declarare non potuisse, & ad fidem etiam tempore transacti secundi matrimonij conuersos fuisse, nihilominus rescindi nunquam debere, sed valida & firma esse, &c. Hactenus Gregorius XIII.

24 Diximus in illis euentibus fidelem coniugem liberum & expeditum manere, vt possit cum alio fideli contrahere. Restat explicemus, an coniux infidelis, qui vel discedit, vel cohabitare sine iniuria Creatoris non vult, maneat liber vinculo matrimonij, ita vt iam reipsa contrahere cum alio infideli possit. Ricardus in 4. sententiarum distinct. 39. art. 2. quæst. 3. duas hac de re contrarias refert sententias, vnã, quæ infideli potestatem tribuit nouarum nuptiarum: alteram, quæ negat. Durandus eadem distinct. quæst. 2. mirari se ait, quomodo potuerit Ecclesia hanc seruitutem imponere infideli, cum nihil ad nos illi, qui foris sunt vt inquit Innocentius III. *d. cap. Gaudemus de diuortijs.*

25 Cæterum communis ac vera sententia est, coniugem, qui fidelem coniugem sequi noluit, non posse nouum sibi coniugem eligere ex sua gente, quæ est in eadem perfidia, donec conuertatur. Hãc esse communem sententiam fatetur Durandus loco citato eamque expresse docet D. Thomas in 4. distinct. 37. quæst. 2. art. 5. ad 3. hisce verbis. *Ad 3. dicendum, quod postquam fidelis contraxit, solutum est vinculum matrimonij ex vtraque parte, quia matrimoniũ non claudicat quantum ad vinculum, sed quandoque claudicat quantum ad effectum. Vnde in pœnam vxoris infidelis ei indicitur, quod non possit cum alio contrahere magis, quam ex virtute matrimonij præcedentis. Sed si postea conuertatur potest ei concedi dispensatiue, vt alteri nubat, si vir eius aliam duxerit vxorem.* Idem sentit Bonauentura eadem distinct. art. 2. q. 2. Turrecremata in *cap. simili modo* 28. q. 2. ad 3. argumentum. Habeturque expresse hæc sententia in *cap. si infidelis* 28. q. 2. vbi Ambrosius: *Contumelia quippe Creatoris soluit ius matrimonij, circa eum qui relinquitur: infidelis autem discedens & in Deum peccat, & in matrimonium, neque est ei fides seruanda coniugij, qui propterea discedit, ne audiret Christũ esse Deũ Christianorum coniugio.* Hæc Ambrosius.

26 Hanc autem pœnam non Ecclesia, sed Deus infligit propter iniuriam, qua infidelis ipsum Deum, veram fidem & veritatem sacramenti matrimonij afficit, cuius pœnæ Ecclesia est promulgatrix. Ex quibus facile refelles, quæ pro sua sententia adducit Thomas Sanchez lib. 7. disput. 77. num. 6. Neque enim dici potest aut debet vinculum matrimonij remanere: tum, quia matrimonij vinculũ mutuũ est ex vtraque parte: tũ quia fidelis reuera solutus est, cum in religione Christiana nunquã valeat secundum coniugium constante primo: tũ etiam quia inquiram, ex cuius parte solutum sit? Si ex parte viri, quia vir non est alligatus, neque habet fœmina infidelis potestatem in virum. Ergo ex parte fœminæ peruerauit vinculum, quo illa scilicet alligata sit. Igitur & habet fidelis potestatem in corpus fœminæ infidelis, atque adeo ad illã liceret accessus. Nisi forte quis diceret, quãuis fidelis habeat potestatem in corpus infidelis, & infidelis adhuc ligatus fideli sit, impediri tamen ad congressum cum illa potiori iure matrimonij contracti cum fideli, sicut cum ob ingressum in religionem impeditur accessus ad vxorem, cum qua fuerat consummatum matrimonium: & tamen permanet primum coniugij vinculum. Sed attendere debet, qui hoc dixerit duo vincula matrimonij esse eiusdem rationis, atque ita secum pugnare aliqua ratione etiam secundum ius naturæ: at vinculum religionis & matrimonij esse diuersæ rationis, & ita nullam interse repugnantiam habere. Et præterea eum qui religionem professus accederet ad vxorem, non cõmittere adulteriũ, quod tamen dici non potest de eo, qui conuersus ad Christi fidem, & contrahens cum vxore fideli, accederet ad vxorem infidelem & in infidelitate manenti.

27 Et de infidelibus quidem ita se res habet. At quid de hæreticis? In primis si alter ex coniugatis labatur in hæresim, tenet matrimonium & in nullo casu dirimitur iam consummatum. Id quod expresse docuit Innocentius Tertius in *cap. Quanto de diuortijs.* Cũ enim matrimoniũ cũ infideli

infideli contractum, aliqua earum causarũ interueniente in fauorem fidei dissoluatur, non esset fauor fidei, si statim ac fidelis labitur inhæresim matrimonium dirimeretur. Non esse autem fauorem fidei indicat duabus rationibus Innocentius III. in *d. capit. Quanto*, his verbis: *Si vero alter fidelium coniugum vel labatur inhæresim, vel transeat ad gentilitatis errorem, non credimus, quod in hoc casu is qui relinquitur viuente altero possit ad secundas nuptias conuolare, licet in hoc casu maior appareat contumelia Creatoris. Nam etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum; inter fideles autem verum & ratum existit, quia sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit coniugij sacramentum, vt ipsum in coniugibus illo durante perduret. Ecce primam rationem propter quam non esset fauor fidei dissoluere matrimonium fidelis, cum labitur alter inhæresim.* Audi aliam. *Neque obstat quod à quibusdam forsan obijcitur, quod fidelis relictus non debeat iure suo sine culpa priuari, cũ in multis casibus hoc contingat, vt si alter coniugum incidatur. Per hanc responsionem quorundam malitiæ obuiatur, qui in odium coniugum, vel quãdo sibi inuicem displicerent, si eas possent in tali casu dimittere, simularent hæresim, vt ab hisce (nubentibus coniugibus) resilirent.*

28 Quamuis autem matrimonium teneat, attamen cohabitatio illicita, vnde separatur torus & domicilium. Nam cum matrimonia cum hæreticis sacramenta sint, & valida, vt supra docuimus, idem est hæretico nubere, vel cohabitare cum illo in hæresim labente: eadem enim vtriusque ratio est: Quod non ita se habet in alijs infideliũ matrimonijs. Quare prohibita fideli coniugato cohabitatio cum hæretico coniuge tam illis Canonibus, in quibus prohibentur nuptiæ, cum illæ sint validæ: quam etiã alijs, vt dicam infra, cum de diuortio sermo fuerit. Consuetudine tamen, quando periculum abest, eiusmodi prohibitio abrogatur. Quo fit vt apud Gallos, Germanosque sine vllo peccato Catholici matrimonia cum hæreticis contrahant, & cum eisdem cohabitent.

Ac de his hactenus.

De impedimento ligaminis.

1 DE hoc impedimẽto Gratian. agit in 27. q. 2. 32. q. 4. & 7. 34. q. 1. & 2. Schol. cum Magistro d. 28. ligamen autem est prioris siue consummati, siue rati tantum coniugij vinculum, quo sequens matrimonium etiam consummatum dirimitur. Vt autẽ plenè ea quæ ad huiusmodi impedimentũ pertinent, tradantur, obseruanda nonnulla sunt, quæ ad pluralitatem vxorum ad firmitatem spectant coniugij; ita tamen tradẽda, vt quæ ab alijs latè, à nobis præstringenda: quæ vero alij breuius, quam par erat à nobis plenius, & planius differenda sint.

Pluralitatem vxorum simul illicitam, nisi ex Dei reuelatione.

CAPVT. XLIX.

SVMMARIVM.

Polygamia illicita, num. 1.
Ratione probatur, n. 2
Repugnare legi diuinæ, n. 3.
Dispensari ab Ecclesia non posse. Dispensatum à Deo esse tam cum Hebræis, quã cũ alijs, n. 4.
Quodnam peccatum fuerit Salomonis de pluralitate vxorum, n. 5.
Iam eam dispensationem à Christo sublatã, n. 6.
Non solum pro Christianis, sed & pro omnibus, ibidem.

1 QVamuis Valentinianus, alioquin Catholicus Imperator amore captus Iustinæ, quo eam viuente adhuc Seuera cõiuge ducere in vxorem posset, legem ediderit, vt liceret vnicuique duas simul coniuges habere, cui adhæsit ex parte Lutherus, sequacibus etiam Anabaptistis. attamen Catholica veritas polygamiam multarum vxorum simul excludit planè, & illicitam esse docet. Id quod late ex sacris literis desumptis testimonijs probat Bellarminus lib. 1. de matrimonio c. 10. videndus etiã Valentia disput. generali quæst. 1. p. 3. Vnde Cõcilium Tridentinum sessione 24. cap. 2. *Siquis dixerit licere Christianis plures simul habere vxores, & hoc nulla diuina lege esse prohibitum. Ana-*

themasit. De Polygamia vide Pet. Gregor. lib. 9. syntagm. cap. 2. à num. 11.

2 Sed & ratione probatur, quia his, qui in matrimonio proposiți sunt fines aduersari videtur. Licet enim non repugnet vnũ virum in multis vxoribus filios procreare; attamen aliquantulum etiam iste finis impeditur. Nam luxurioși & pluribus fœminis vacantes minus fœcundi esse solent, vt in Salomone, cui tot erant Reginæ, & concubinæ planum est. Mirũ enim quod ex tot vxorũ & concubinarum gregibus non nisi masculam vnam prolem Salomõ susceperit Roboamum, & duas præterea filias Traphet, & Basemat 4. Regum 11. Sic Suidas de illo: *Ex mille vxoribus solus illi mas natus est Roboam filius, & ipse ex alienigena Naama Ammonitide indignus imperio.* Multitudo enim coniugiorum orbitatem facit. Et quidem cum libidine & intemperantia sterilitatem esse coniunctam Iob 24. versu 21. docet Ioannes Pineda ibi. *Pauit sterilem.* Rem attigit Plutarchus in vita Licurgi, & libello *de garrulitate*, & lib. 5. *de placitis Philosophorum.* Multo minus coniugiorum multitudo cohæret cum alio fine matrimonij, scilicet sociali cohabitatione. Cum enim vxor non sit ancilla sed socia, & ideo ex latere viri desumpta, eiusdem est honoris cum viro particeps. Principatus autem singularitatem requirit, vt Augustinus docet libro de bono coniugali cap. 17. Cumque etiam matrimonium remedium sit concupiscentiæ. *Cap. nuptiarum* 27. *q.* 1. Impeditur hic etiam finis multitudine coniugiorum, cum vnus vir pluribus vxoribus minus valeat debitũ reddere. Adde iras rixasque inter vxores, etiam sanctas fœminas, cum zelotypia laboret fragilis fœminarum sexus, & fieri nequeat, vt viri affectus nõ magis erga vnã feratur, quam erga aliam, vt liquet Genes. 16. & 30. Denique fini matrimonij, quod est sacramentum, absque dubio repugnat: Nulla etenim in polygamia vnitatis sacramenti sponsi Christi cum sponsa Ecclesia repræsentatio. His accedit ab initio non institutum, neque in mundum â Deo inductũ matrimonium cum multis vxoribus, cum tamen eo maxime tempore ad generis humani multiplicationem esset necessarium.

3 Ex quibus constat polygamiam in primis legi diuinæ repugnare. Idque constat: tum quia Nicænum Concilium Canone 24. *Nemo*, inquit, *debet duas vxores ducere*, & statim, *sicut Deus ordinauit.* Tum etiam quia idem apertissimè docet, & probat Nicolaus Primus ad consulta Bulgarorum cap. 5. vbi fere omnia attingit eius veritatis fundamenta. *Duas*, inquit, *tempore vno habere vxores nec ipsa origo humanæ conditionis admittit, nec lex Christianorum vlla permittit. Nam Deus, qui fecit hominem abinitio, masculum vnum fecit, & vnam fœminam tantum, cui potuit vtique si vellet, duas vxores tribuere, sed noluit. Scriptum quippe est. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ: non dixit vxoribus. Et iterum: erunt duo in carne vna, masculus scilicet & fœmina in carne vna, & non tres aut plures. Itaque apud quem vno tempore duæ vxores inueniuntur, interim priori retenta posteriorem cogatur amittere, insuper & pœnitentiam, quam loci sacerdos prouiderit, compellatur suscipere. Denique hoc tam immane scelus est, vt homicidij quidem peccatum, quod Cain in Abel fratrem suum commisit, septima generatione Catacliſmo vindicatum fuerit: adulterij autem flagitium, quod Lamech primus omnium in duabus vxoribus perpetrauit, non nisi sanguine Christi abolitum extiterit, qui septima & septuagesima generatione secundum Euangelium luxerit in mundum.* Hactenus Nicolaus. Tũ præterea, quia Innocentius III. *Cap. Gaudemus, de diuortijs* hæc habet. *Verum absonum hoc videtur, & inimicum fidei Christianæ, cum abinitio vna costa in vnam fœminam sit conuersa, & Scriptura diuina testetur, quod propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna, non dixit tres vel plures, sed duo, nec dixit adhærebit vxoribus, sed vxori*, & infra. *Nec vlli vnquam licuit in simul plures vxores habere, nisi cui fuit diuina reuelatione concessum, qui mos quandoque, interdum etiam fascentur: per quam sicut Iacob à mendacio, Israelita à furto, & Sanson ab homicidio; sic & Patriarchæ & alij viri iusti, qui plures leguntur simul habuisse vxores ab adulterio excusantur. Sanè veridica hæc sententia probatur etiam de testimonio veritatis testantis in Euangelio: Qui eumque dimiserit vxorem suam ob fornicationem & aliam duxerit, mœchatur. Si ergo vxore dimissa duci alia de iure non potest, fortius & ipsa retenta. Per quod euidenter apparet pluralitatem in vtroque sexu, cum non adimpleri a iudicentur circa matrimonium reprobandam.* Tum denique, quia Concilium Tridentinum sessione 24. in principio, cum proposuisset illa verba Genesis, *erunt duo in carne vna*, subdit. *Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari, & cõiungi Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa*

verba

verba tanquam à Deo prolata referens dixit: Itaque iam non sunt duo sed vna caro. Et infra Canone 2. *Siquis dixerit licere Christianis plures simul habere vxores, & hoc nulla diuina lege esse prohibitum, Anathema sit.* Sed de hoc Bellarminus lib. 1. de matrimonio c. 11. in secundæ sententiæ impugnatione. Quibus etiam testimonijs conuincitur contra Durandum in 4. dist. 33. q. 1. Abulensem, c. 19. Matthæi quæst. 30. repugnare quoque legi naturæ. Id quod intelligendū, vt explicat Ruardus art. 19. pag. 299. & Gregorius de Valentia 3. p. d. 10. q. 1. p. 3. vt nō omnino iuri naturali repugnet, sed quasi secundario, vt ex proposita ratione colligitur, quod etiam docuit Bellarminus lib. 1. de matrimonio c. 11. in 3. sententia, propositi. 2. Præcipua tamen in hac re est diuina prohibitio, nam cum valore matrimonij stat pluralitas vxorum, quod optimum signum est non ita aduersari matrimonio, vt directè opponatur finibus illius.

4 Præterea colligitur, in eo, vt quis simul plures vxores habeat, nullatenus ab Ecclesia dispensari posse, in quo rectè loquutus Caietanus Matthæi 19. & Marci 10. quamuis illum excusare conatur Bellarminus lib. 1. de matrim. cap. 10. Nunquam enim pluralitas vxorum licuit absque diuina dispensatione, vt retulimus modo ex Innocentio III. *in d. cap. Gaudemus.* Id quod etiam indicauit Hieronymus in epistola ad Oceanum cum dixit *lege concessum*, & exemplo Patriarcharum & Moysis familiare populo plures vxores habere, & Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana cap. 12. vocat *inculpabilem consuetudinem*, & lib. 22. contra Faustum cap. 47. dixit plures simul habere vxores Patriarchas non esse contra naturā, quatenus non lasciuiēdi causa, sed procreādi fiebat, nec contra consuetudinem, cum mos esset illius temporis; nec contra legem; nulla enim lege tūc prohibitū. Vnde inquit *quando mos erat, crimen non erat*, & habetur in *ca. obijciuntur* 32. q. 4. Ex reuelatione ergo diuina tantū ea pluralitas illo inducta tēpore. Si enim vxorū vnitas, vt patres, & Concilia docēt, est ex lege diuina, & naturali, sequitur sine eius dispēsatione licuisse nulli. Quæ reuelatio primis Patriarchis expressè facta primū, ad alios eorū verbo peruenit, & exēplo. Abrahā enim tēpore rē fuisse omnibus notā planū est, cū Sara sanctissima fœmina Abrahamū induxerit ad secundā vxorē ducendā. Imò eam dispensationem factā nō solum cum Hebræis, sed etiam cum alijs gētibus, Deo vsum corporis fœminarū ad tempus pro illorū libito cōcedente, cum Dominus omniū supremus sit: neq; ob id ablatara tione matrimonij, sicut nō obstat nūc quod Deus possit sua potestate fœminā matrimonio iunctā separare à viro extincto vinculo, probabilissimū iudicat Bellarm. lib. 1. de matrimonio c. 11. propositi. 5. Gregor. de Valentia 3. p. disput. 10. generali. q. 1. p. 3. Ioannes Pineda lib. 7. de rebus Salomonis c. 5. n. 5. videturque colligi ex August. li. 22. cōtra Faustū c. 47. & habetur in dict. *ca. obijciuntur*, vbi vniuersē protulit, *quando mos erat, crimen non erat.* Et ideo in terra, vbi Iacob quatuor duxit vxores, inculpabilem cōsuetudinē esse, plures vxores ducēdi. Terra autē, vbi Iacob toties nupsit, nō Iudæorū, sed & gentilium erat. Adde Esau Genes. 26. & 28. plures etiā vxores simul duxit, neque ob id reprehenditur, neque vllus ex gentilibus eius temporis. Quo fit verosimile esse generalem eā dispensationem fuisse, atque ideo loco citato dixit Augustinus, eo tempore legem prohibentem nullam extitisse, quia naturalis lex in ea dispensante Deo non obligabat.

5 Verùm si hæc ita se habent, quod nā fuit peccatum illud Salomonis, quod in Sacra Scriptura 3. Reguū. 11. reprehenditur de multis vxoribus adamatis? Nonnulli existimarunt reprehendi, quod plurimas duxerit. Scriptum est enim Deuteron. 17. *Rex non habebit vxores plurimas.* Nam licet in lege Moysi liceret polygamia, attamen certum præscriptum ac definitum vxorum numerum. Sic tradunt Hebræi apud Abulensem 3. Reg. 12. q. 5. & 3. Reg. 11. q. 3. qui affirmant Regibus Hebræorum tantum licuisse decem, & octo vxores habere, Dauidis exēplo, cuius decem, & octo vxores fuisse affirmant Dionysius, atque Lyranus 2. Reg. 5. & 15. Sed non præscriptum Hebræis vxorū numerum verius est, confirmatque illud ex 2. Paralip. 11. de Roboam. *Vxores decem, & octo duxerat, concubinas autem sexaginta.* In eoque minimè peccasse docet Abulensis eo loco q. 24. & 25. Quod autem exrat Deuteron. 17. de non habendis à Rege plurimis vxoribus, de alienigenis intelligi vult Ioan. Pineda li. 7. de rebus Salomonis c. 4. n. 6. Peccatū ergo Salomonis nō in eo cōsistit, quod plurimas mulieres adamauerit, sed quod alienæ religionis fœminis iūctus fuerit; prohibita enim cū illis cōiugia apud Hebræos lege diuina notum est. Videat lector quæ dixi 1. p. variar. disput. q. 4. expositiua cap. 8.

6 Addendum tamen eam dispensatio-

nem cessasse ante Christum, eo quod causa dispensationis vniuersè cessauerit, esse probabile, vt Bellarminus affirmat lib. 1. cit. c. 11. proposit. 5. Certissimum tamen sublatã esse per Christum, quia Matth. 19. reuocat ad primam exiure diuino institutionem matrimonium. Prima autem institutio polygamiam excludit, vt citata verba à Christo demonstrant, sic interpretantibus Cõcilijs Nicæno, & Sũmis Pontificibus Nicolao I. & Innocentio III. supra relatis. Sed audi Athanasium q. 97. ad Antiochum in hæc verba. *Cum multi iusti in veteri testamento duas aut tres habuerint vxores, quomodo nobis non liceat duas habere vxores, sed ne cum pellicibus quidẽ consuescere? Responsio. Non modo duas vxores habere Deus vetuit, sed & ab illa vna abstinere præcepit, dicens. Amen dico vobis, nisi quis oderit patrem, & matrem, & vxorem, & me secutus fuerit non est me dignus. Si non lubet, audi maius quid dictum est veteribus, ait. Non mœchaberis. Ego autẽ dico vobis, quisquis aspexerit vxorem ad concupiscendam eam, iam adulterauit eã in corde suo. Si ergo Christus oculi concupiscentiam adulterium fidelibus esse existimat, qualem inde philosophiam aut politiam fideles petemus supra eos, qui in veteri Testamento? Quid? si enim licet homini duas habere vxores, sequitur quod etiam mulieri duos maritos. Audi igitur Deum de viro & fœmina dicentem: erunt duo in carnẽ vnam, & non dixit, erunt tres, verum etiam vnica mulier data viro, & ipsi & mundo infidelis data est. Quid futurum cum mundo, si abinitio vni homini fecisset Deus duas vxores? Quod si quæris, quam obrem antiqui duas aut tres habuerũt vxores: disce diligenter, quod magna tunc esset diaboli Tyrannis, quam Christus ad nos profectus aboleuit, multis dæmonibus ex medio climinatis, his quidem in abyssum, illis in deserta inculta, & inaccessa loca.* Hæc ibi.

Libellum repudij dissoluto vinculo non tantum permissum in lege veteri, sed licitum; per Christum tamen abolitum.

CAPVT. L.

SVMMARIVM.

Libellum repudij non solum permissum Iudæis, sed licitum, n. 1.

Ad gentes etiam deriuatam eam permissionem esse. Licet apud Romanos sero inductum repudium, num. 2.

Sublata repudia à Christo, num. 3.

Obijcitur ex Concilio Illiberritano, & explicatur, n. 4.

1 QVamuis institutio Diuina ipsi naturæ valde consentanea indissolubile fecerit matrimoniũ, iuxta ea quæ dixi supra lib. 1. attamen dispensante Deo olim repudia in vsu. Sed an permissa tantum ad maius euitandum malum; an etiam licita, dissensio inter Doctores est, quibusdam affirmantibus, quibusdã verò negantibus, de quo late Bellarminus lib. 1. de matrimonio c. 16. in solutione obiectionis 16. & Ioannes Arboreus lib. 16. Theosophiæ cap. 2. Mihi probabilius est licita fuisse & immunia à peccato. Tum quia nũquam in eo obiurgati Iudæi à Deo, aut à prophetis, neque inter alia eius populi scelera vnquam enumeratum. Tum quia Deuteron. 24. nuptiæ repudiatarum cum alijs non punitæ. Non autem est credibile permissa communi lege publica adulteria. Tum etiam quia Abraham perpetuò repudiauit Agar ancillam. Quam non est verosimile mãsisse ad cœlibem vitam adstrictam, sed vinculum dissolutum. Fuit etiam hæc sententia D. Thomæ Scoti, Durandi, Paludani in 4. distinct. 33. Tenuit etiam Michael de Medina loco cit. Abulensis Matthæi 19. quæst. 49. & 50. Echius Homilia 74. de sacramentis. Bellarminus loco citato, & probabilem putat Ferdinandus Rebellus p. 2. de obligat. iustit. lib. 2. quæst. 15. sect. 1. in fine, & probat etiam Ioannes Azor tom. 1. lib. 6. cap. 1. quæst. 3. circa finem & Ioannes Maldonado Matthæi 19. num. 8. quæstione 2.

2 Eam autem concessionem ad gentes etiam eo tempore extendi verosimile est, ab illisque repudia citra culpam recepta vsu, & consuetudine. Apud Romanos lex quidem Romuli fœminis dimittendi viros negauit, viris autem dimittendi vxores tribus de causis licentiam concessit, si in liberorum veneficio, aut in adulterio foret deprehẽsa, aut claues subiecisset, vt auctor est Plutarchus in vita Romuli. Quod si aliter quis repudiasset, eius opum vxori portionem dari, reliquum autem Cereri esse iussit sacrum, & qui diuerteret sacra Dijs interis obire. Lege postea duodecim tabularum diuortia fuisse permissa indicat Tullius Philippica 2. contra Antonium scribens: *Nolite quærere, frugi factus est Antonius; mimam illam*

illam suam suas res sibi habere iussit ex duodecim tabulis, claues ademit, exegit. Sed siue duodecim tabulis diuortia permissa fuerint, siue non fuerint, illud est perspicuum priscis temporibus tantam matrimoniorum fuisse concordiam, vt diuortium Romæ intra sexcentos fere annos nulla domus sensisse dicatur, testibus Halicarnaseo lib. 2. Aulo Gellio lib. 4. cap. 3. Tertulliano in Apologetico cap. 6. lib. de Monogamia cap. 9. Primus apud illos Spurius Corbilius sterilitatis causa repudiauit vxorem. Hunc sequutus Sulpicius Gallus vxori nuntium misit, quod eã capite aperto foris versatam agnouisset, vt scribit Valerius Maximus lib. 6. cap. 2. Idem fecit Publius Sempronius, quod vxor ludos funebres spectasset. Sed nec impunè diuertere licebat, sed inquirebatur quæ esset iusta causa diuertendi: vnde si non subesset, qui occasionè sua culpa præbuit, mulctabatur amissione dotis, & donationis propter nuptias, vt constat ex Chrysostomo in sermone *de libello repudij*, & alijs. Quomodo autẽ, cum hæc lex quæ prohibet separationem vinculi, naturalis sit, in ea dispensauerit Deus, ex parte explicuimus 1. p. variar. disput. relect. 2. fere in principio, & latius dicendum est lib. sequenti. Non nihil insinuat Ioannes Azor loco cit.

3 Cæterùm ea repudia, quibus vinculum dissolueretur matrimonij, sublata iam per Christum Matth. 19. vbi tantum separatio tori conceditur ob fornicationem: de cuius loci intelligentia dicetur lib. 9. Quare post Christum non tantum apud Christianos, sed etiam apud gentes illicita repudia. Videtur colligi ex Augustino lib. de fide & operibus cap. 1. cum dicat in Africa non admissos ad baptismum Gentiles, qui dimissis primis vxoribus cum secundis nuptias contraxissent. *Ad hanc autem*, inquit, *videntur disputationem impulsi quod eos nouerint non admitti ad Baptismum, qui dimissis vxoribus alias duxerint, vel fœminas quæ dimissis viris alijs nupserint, quia hæc non coniugia sed adulteria esse Dominus Christus sine vlla dubitatione testatur*, &c. Et apertissimè idem docuit Innocentius III. in *cap. Gaudemus de diuortijs*, cum de repudiata ab infideli sermo esset. *Qui autem*, inquit, *secundum ritum suum legitimam repudiauit vxorem, cum tale repudium veritas in Euangelio reprobauerit, nunquã ea viuente potest aliam etiam ad Christi fidem conuersus habere*, &c.

4 Sed obijci potest Canon 10. Illiberritani Concilij, vbi dicitur. *Si ea quam Catechumenus reliquit, duxerit maritum, potest ad fontem lauacri admitti. Hoc & circa fœminas Catechumenas erit obseruandum.* Si enim peccatum est vxorem dimittere etiam ad fidẽ conuersum, dimissaque vxor vinculis primi matrimonij adstricta contrahere non potest cum secundo; quare ad baptismum illa recipiendum admittitur: aut dicendum erit valere modo infidelium repudia. Sed dicendum videtur, vel quod Hispani Patres agãt in isto Canone de Catechumena ægrotante, vt & egerant in Canone præcedenti de fideli, huic enim interius pœnitenti, etiam si actu primum maritum non reliquerit, nec verbis poscat, aut poscere possit baptismũ morbo grauata, nec ad interrogata respondere, baptismum tamen dandum ipse Augustinus consuluit lib. 1. de adulterinis coniugijs cap. vlt. vt adulterij peccatum cum cæteris lauacro regenerationis abluueretur. Vel dicendum est Ecclesiam Hispanicam fuisse ex his, quas idem Augustinus refert consilium illud de non admittendis ad Baptismum his, qui dimissis vxoribus alijs nupserint, non obseruasse. Inquit enim lib. de fide & operibus cap. 19. *Sed quoniam malorum Christianorum mores, qui fuerunt etiam antea pessimi, habuisse non videntur hoc malũ, vt alienas vxores ducerent viri, aut alienis viris fœminæ nuberent, inde fortasse apud quasdam Ecclesias negligentia ista subrepsit, vt in Catechismis competentium nec quærerentur, nec repercuterentur hæc vitia, atque inde factum est, vt inciperet & defendi, quæ tamen in baptizatis rara sunt adhuc, si ea nos negligendo nec defensa faciamus. Talem quippe in quibusdam negligentiam, in alijs imperitiam, in alijs ignorantiam probabiliter dominus somni nomine significasse intelligitur vbi ait. Cum autem dormirent homines venit inimicus & superseminauit zizania.* Sed siue erroris, siue ignorantiæ, siue negligentiæ arguat Augustinus has Ecclesias, constat sane placuisse Hispanis Episcopis diuersum consilium, ne multi à suscipienda fide retraherentur. Quamuis dici etiam potest, & meo iudicio, rectè, Canonem loqui de infideli relicta, eo quod ad fidem cum altero coniuge conuerti noluisset, neque habitare sine creatoris iniuria: Cum enim eo casu existimari posset, dissolutum matrimonium, non mirum si ob eam causam relicta & alteri nubens, si postea illa mutato Consilio, maritoque, qui illam repudiauerat, ad alia vota transeunte, suscipere velit baptismum, admittatur tanquam quæ legitimè nupta in eo casu videatur.

Secundum connubium constante primo nullum esse.

CAPVT LI.

SVMMARIVM.

Constante primo matrimonio secundum esse nullum, n. 1.
Leges Ecclesiasticæ, quæ prohibent, ibidem.

1 IGitur cum ab initio ex institutione matrimonij eius vinculum insolubile, & nec polygamia licita, nec repudia, Christo Domino connubia ad pristinū statum reuocante, iure optimo Ecclesia statuit semper legibus latis nullum esse secundum matrimonium prima vxore superstite, atque adeo ligamen esse impedimentum dirimens. Multæ sunt in Ecclesia de hoc statutæ leges, referam tamen nōnullas ex illis citatis alijs. Apostoli Canone 48. *Siquis laicus sua vxore reiecta aliam acceperit, vel ab alio solutam, segregetur.* Euaristus Papa epist. 2. *Et sicut vxori non licet dimittere virum suum, vel alteri se, viuente eo, societ, aut eum adulteret, licet fornicatus sit vir eius, sed iuxta Apostolum, aut viro suo reconciliari debet, aut manere innupta, ita Ecclesia etiam.* Concilium Illiberitanum cap. 8. *Item fœminæ, quæ nulla præcedente causa reliquerint viros suos & alteris se copulauerint, nec in fine accipiant communionem & Can. 9. Idem fidelis fœmina, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem & alterum ducit, prohibeatur ne ducat. Si autem duxerit, nō prius accipiat communionem, quam is, quem reliquerit de sæculo exierit, nisi necessitas infirmitatis dare compulerit.* E quibus constat quam immerito huic Concilio tribuerint nōnulli admisisse, permisisseue secundum coniugiū durante primo. Nicænum generale primū Canone 24. *Nemo debet duas vxores ducere, & qui hoc fecerit, si fuerit sacerdos, prohibeatur ministerio sacrificandi, & communione fidelium, quousque eijciat domo secundam, & debet retinere primam.* Et Can. 76. *Quicumque sacerdos aut diaconus vxorem suam propter fornicationem dimiserit, aut ob aliam causam ex his, quæ supra dictæ sunt, aut domo eiecerit propter bona externa aut vt illam alia meliore, aut pulchriore, aut ditiore mutet, vel propter causam concupiscentiæ, quod Deo displicet, & illa ob has causas dimissa cum altera matrimonium contraxerit, aut non dimissa alteram duxerit, siue liberam, siue seruam, & ambas pariter habeat, deponatur: si verò laicus, prohibeatur Ecclesia, &c.* Innocentius I. epist. 3. cap. 6. Siricius epist. 1. num. 4. & habetur *cap. de coniugali violatione 27. quæstione 2.* Cœlestinus I. *cap. videtur nobis 35. quæst. 6.* Toletanum 1. Can. 17. & *cap. duobus modis quæst. 2.* Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum in d. cap. 51. & *cap. cum per bellicam, cum quatuor sequentibus 34. quæst. 1. & 2.* Alexander III. in Appendice p. 6. cap. 15. & cap. 25. Innocentius III. in *cap. Gaudemus, de diuortijs,* Concilium Florentinum in decreto Armenis dato, & Colonien se sub Paulo III. p. 1. cap. 41. & Moguntinum sub eodem in decretis fidei cap. 36. & nouissimè Tridentinum sessio. 24. & cap. 2. & 7.

Obijciuntur nonnulla & diluuntur.

CAPVT LII.

SVMMARIVM.

Obijcitur primò ex cap. vxor à viro, n. 1.
Quorundam interpretatio, n. 2.
Vera interpretatio, n. 3.
Iuxta illam explicantur Lactantius Basilius, & Augustinus, n. 4. 5. 6.
Secunda obiectio ex diuersis Canonibus, numero 7.
Quorundam solutio, n. 8.
Vera explicatio, n. 9.
Ex ea illustratur Canon Pœnitentialis, numero 10.
Pœnitentibus interdicta coniugia, n. 11.
Tertia obiectio & colatio, num. 12.
Quarta obiectio ex Gregorio II. & quorundā interpretatio, n. 13.
Explicationes duæ, veritas, n. 14.
Obijcitur ex alijs Concilijs, n. 15.
Defenduntur ab hæreticis, n. 16.
Explicati Chrysostomus & Hieronymus rigidè loquentes de secundis nuptijs, n. 17.
Variæ eorum Canonum interpretationes, numero 18.
Vera explicatio, n. 19.

1 SED his, quæ modo diximus nonnulla videntur obstare, quibus efficitur secundum matrimonium validum constante primo. Et in primis obijcitur difficile testimonium Ambrosij in *cap. vxor à viro 33. quæst. 2.* Quod est ex cōment. illius 1. Corinth. 7. vbi illi qui ob adulterium dimittit vxorem, nuptias permittit:

Inquit

Inquit enim. *Non permittitur mulieri, vt nubat si virum suum causa fornicationis dimiserit, aut Apostasiæ, aut si compellente lasciuiæ vsum quærat vxoris inuertere, quia inferior, non omnino hac lege vtitur, quia potior. Si tamen apostatet vir, aut vsum quærat vxoris inuertere, nec alij potest nubere mulier, nec reuerti ad illū, & virum vxorem non dimittere; subauditur autē excepta fornicationis causa, & ideo non subiecit dicens, sicut de muliere, quod si decesserit maneat sic, quia viro licet ducere vxorem, si dimiserit vxorem peccantem, quia non item lege constringitur vir sicut mulier, caput enim mulieris vir est*; Quo testimonio contra veritatem catholicam Pontificum & Conciliorum decreta vtuntur hæretici, nec hæretici solum, sed catholici, Catherinus, Ioannes Arboreus lib. 1. Theosoph. cap. 35. Couarr. in 4. Decretalium 2. p. cap. 7. §. 7. num. 12. & Recentiores in Gregorianum decretum adnotationes eandem sententiam Ambrosio tribuerunt.

2 Nonnulli textus difficultate permoti commentaria illa in Paulum non esse Ambrosij scripta, sed Ambrosio potius adscripta asseruerunt; & Ioannes Maldonado Matth. 19. num. 9. Remigij esse dicit. At Cassiodorus de Diuinis lection. cap. 8. Ambrosiū in Paulum commentarios edidisse testatur. Alij maculatos ab hæreticis, & illā insertā aut intrusam potius esse sententiam. At in Ambrosij defensionem rectè & vt ego iudico, feliciter insudauit Ferdinandus de Mēdoça lib. 2. de confirman. Concil. Illiberit. cap. 30. nec enim illum sua laude fraudare volo, redigam in compendium quæ ille multis.

3 Placet quidem Ambrosium, cum docet vxorem non posse adulterum maritum dimittere, & alij nubere, posse tamen maritum, legis Iuliæ, & Imperatorum, ac forensis iudicij suo tempore receptissimi rationem habuisse, non Christi atque Cœlestis, cum enim de diuina egit, semper docuit æquam viri & vxoris esse rationem, vt constat ex lib. de Abraham cap. 4. & 7. & in Lucam cap. 16. Itaque cum hoc loco dicit. *Nō enim permittitur mulieri, vt nubat; si virū suū causa fornicationis dimiserit, quia inferior non omnino hac lege vtitur, quia potior*, de permissione ciuili & lege loquitur, quæ potiorem habet causam viri, quam vxoris, vt & Augustinus testatur lib. de adulter. coniug. cap. 8. & Chrysostomus in sermone *de libello repudij*. Cum autem ad finem de viro subdit: *Quia viro licet ducere vxorem, si dimiserit vxorem peccantem, quia non ita lege tēstringitur vir sicut mulier*, verissimum est de ciuili lege, quam optimè nouerat Ambrosius iurisprudentiæ studijs ab ineunte ætate deditus, & locis citatis illius etiam crebro meminit. Nam libro de Abraham cap. 4. *Nemo sibi blandiatur de legibus hominum*, & cap. 7. *quid putas peccato tuo auctoritatem lege quæredam?* & lib. 16. in Lucam ibi. *Quia lex humana non prohibet*. Vidit hanc interpretationē Franciscus Turrianus lib. 5. pro Epistolis Pontificum cap. 11. sibique olim placuisse dicit. Hanc etiam & præcedentem tradidit Ruardus Tapper art. 19. pag. mihi 296.

4 Atque hinc explicāda etiam tria alia testimonia Lactantij, Basilij, & Augustini, quæ docent maritum alteri nubentem dimissa vxore ob adulterium non condemnari vt adulterum; econtra verò mulierē: eius rei rationem nullam esse, diuersitatem hanc consuetudine teneri. Loquuntur sane, sicut & Ambrosius, de legibus sæculi suo tempore receptissimis, quæ aliter de fœminis, aliter de viris disponebant. Lactantius lib. 6. cap. 23. *Non enim sicut publici iuris ratio est, sola mulier adultera est, quæ habet alium, maritus autem etsi plures habeat, à crimine adulterij solutus est. Sed diuina lex ita duos in matrimonium, quod est in corpus vnum pari iure coniungit, vt adulter habeatur quisquis compagem corporis in diuersa distraxerit*. Vnde cum in eodem cap. dicit. *Sed tamen nequis diuina præcepta se posse circunscribere putet, addantur illa, vt omnis calumnia, & fraudis occasio remoueatur, adulterum esse qui à marito dimissam duxerit, & eum qui præter crimen adulterij vxorem dimiserit, vt alteram ducat*. Illud *præter crimē adulterij* non connectendū cum vltimis verbis, *vt alteram ducat*, sed cum proximè sequentibus scilicet, *vxorem dimiserit*.

5 Similia verba Basilij Epistola 1. ad Amphilochium Can. 9. *Domini*, inquit, *dictum, secundum sententiæ consequentiam ex æquo & viris & mulieribus conuenit, quod non liceat à matrimonio discedere præterquam propter fornicationem. Consuetudo enim ita habet; sed in mulieribus quidem multum accurate, & diligenter obseruari inuenimus; cum Apostolus quidem dicat, quod qui adhæret meretrici sit vnum corpus*. Et statim. *Consuetudo verò etiam adulterantes viros, & in fornicationibus versantes iubet à mulieribus retineri. Quare quæ cum viro dimisso cohabitat, nescio an possit adultera appellari, hoc est iuxta legem fori, crimen enim hic attigit mulierem, quæ dimisit, quam nam ob causam à coniugio decesserit? Si enim pulsata & verbera*

non

non ferens pati satius erat, quam à coniuge separari, sine iactura in pecunijs non ferens, nec ipsa est iusta excusatio: sine autem quod ipsa viuat in fornicatione, non habemus hãc obseruationem in Ecclesiastica constitutione: sed etiam infidelis viri iussa est mulier non separari, sed remanere propter incertitudinem euentus. Quid enim scis mulier, an virum sis seruatura? Quare quæ reliquit est adultera, si ad alium virum accesit. Qui autem reliquit est dignus venia, & quæ ei cohabitat, non ideo condemnabitur. Sed si vir qui ab vxore discessit, accessit ad aliam, est & ipse adulter, quoniam facit eam adulterari, & quæ ei cohabitat est adultera, eo quod alienum virum ad se traduxit. Eandem sententiam repetito sermone docet in eadem Epist ca. 21. Qui autẽ fornicatus est non excludetur à cohabitatione cũ vxore, quemadmodum mulier maritum suum à fornicatione reuertentem excipiet. Vir autem eam, quæ polluta est, à suis ædibus amandabit; ac eorum ratio minime est facilis, consuetudo autẽ sic inualuit. Hæc certe Basilij doctrina cum Ambrosiana collata planè ostendit nihil esse scriptum alienum ab Ecclesiæ moribus, sed de forensi tantum vsu sui temporis.

6 Non dissimili sensu loquutus Augustinus lib. 1. de nuptijs, & concupiscentia cap. 10. Cuius sacramenti, scilicet matrimonij, tanta est obseruatio in Ciuitate Dei nostri, in monte Sancto eius, hoc est, in Ecclesia Christi quibusque fidelibus coniugatis, qui sine dubio membra sunt Christi, vt cum Filiorum procreandorum causa, vel nubant fœminæ, vel ducantur vxores, nec sterilem coniugem fas sit relinquere, vt alia fœcunda ducatur. Quod si quis quam fecerit, lege huius sæculi, vbi interueniente repudio, sine crimine conceditur cum alijs alia copulare connubia, quod etiam Sanctum Moysem Dominus propter duritiam cordis illorum Israelitis permisisse testatur, sed lege Euangelij reus est adulterij, sicut etiam illa si alteri nupserit. Hinc factum est, vt cum Patres Concilij Africani in Concilio Mileuitano pœnam constituissent Canonicam aduersus illos, qui dimissis primis vxoribus cum alijs contrahunt cap. 17. addiderunt, vt ab Imperatore legẽ postularent, qua id etiam in foro ciuili non licere pœna proposita sanciretur, vt illud secundum coniugium durante primo, non tantum lege Christi adulterium esset, ac cẽseretur, sed etiam lege sæculi.

7 Secundò obijciuntur nonnulli Canones, quibus apertè cõtineri videtur, vt adultera dimissa liceat Innocenti ad alia iura migrare, præcisa interim nocẽti nubendi spe. Cap. si quis sponsam, cap. Quidam desponsauit 27. quæst. 2. & cap. si qua mulier 31. quæst. 1. & cap. Quædam cum fratre. Cap. Qui dormiunt. Ex Concilio Moguntino. Cap. concubuisti, quod est Zachariæ, cap. si quis cum Nouerca, ex Triburiensi 32. quæstione 8.

8 Isti Canones adeò explicatu difficiles visi sunt, vt Sixtus Senensis lib. 6. Bibliothecæ annotat. 81. asseruerit patres & Concilia ista ad tempus, ne grauiora damna sequerentur, permisisse eiusmodi repudia, atque secunda coniugia. Alij autẽ inter quos Couarruuias 2. p. de Matrimonio §. 6. n. 13. plane his Concilijs Illiberritano præsertim adscripsit eam sententiam, quæ docebat licere marito innocenti adultera vxore repulsa cum alia contrahere.

9 Cæterum in primis falso sententiam istam Illiberritano tribuũt vt ex dictis cap. præcedenti constat. Nec enim textus ille si qua mulier 31. quæst. 1. Ex Illiberritano desumptus est, vt & aduertunt merito decreti Gregoriani censores. Præterea sententia, quæ dictis Canonibus continetur, reprehẽsione caret: illis enim nequaquam permittitur secundum coniugium durante primo. Sed tantum decernitur, vt à tam grauibus delictis homines auocarentur, vt qui in culpa esset à secundo matrimonio prohiberetur, si forsan defuncta prima, secundò nubere vellet, concesso tamẽ innocẽti libere, vt iterũ nuberet, non quidẽ prima vxore superstite, sed illa defuncta. Itaq; in eo disparerat cõditio nocẽtis & innocẽtis, quod innocens defuncta vxore nubere alteri poterat, at nocens etiam defuncto coniuge innuptus manere debebat. Olim enim in Ecclesia frequentissimum id pœnæ genus fuit, vt quidam propter aliqua atrocia delicta ab spe coniugij interdicerentur, sed cælebs illis foret transigenda vita. Proferam ex innumeris nonnulla. Id ergo constat ex cap. raptor 27. quæst. 2. & cap. statutum est, eadem causa & quæstione, & cap. si quis filiastram, cap. de ea 30. quæst. 1. cap. Hi vero 32. quæst. 7. cap. in lectum cap. si quis cum matre cap. Quidam 34. quæst. 1. & 2. cap. si quis cum matre & cap. si homo 35. quæst. 2. & cap. qui propinquam 35. q. 3. & 4. cap. incestuosi 35. quæst. 8. & cap. si autem 36. quæst. 2. Id quod ab antiquis Patribus institutum, ne vel nocentes illi delicatius viuerent, vel ex illa stirpe filij infecti nascerentur.

10 Atque hinc explicandus Canon antiqui pœnitentialis Romani. Contigit tibi vt vxor tua te conscio, & hortante cum alio viro, illa autem nolente adulterium perpetraret: si fecisti,

cisti, quadraginta dies in pane & aqua pœniteas, & septem annos vnũ ex his in pane & aqua, & nunquam sis sine pœnitentia. Si autem vxor tua hoc probare potuerit, quod tua culpa & tuo iussu se remente, & luctante adulterata sit, si se continere non potest, nubat cui voluerit, tantum in Domino: tu autem sine vxoria spe in perpetuum maneas. Illa autem si consentiens fuerat, eadem ieiunet, quæ tibi proposita sunt, & sine spe coniugij maneat. Intelligendus certè canon, vt nubat in domino, defuncto scilicet, lenone cõiuge. Atque hunc sensum probauerim potius, quam quod alij dicunt, eo canone impunitatem concessam vxori, vt dimisso illo turpi mariti contubernio, honestas alterius nuptias iuste posset cõtrahere. Quamuis id etiam olim Gothi concesserunt libro 4. legum Vuisse gothorum titulo 3. ad finem.

11 Nec mirum, si in grauium delictorum pœnam coniugij spe priuarentur, quãdoquidem vniuersè pœnitentibus interdicta coniugia, vt constat ex Leone I. Epist. 92. cap. 12. *In adolescentia constitutus, si vrgente aut metu mortis, aut captiuitatis periculo, pœnitentiam petit; & postea timens lapsum incontinentiæ iuuenilis copulam vxoris elegit, ne crimen fornicationis incurreret, rem videtur fecisse venialem, si præter coniugem nullam omnino cognouerit. In quo tamen non regulam constituimus sed quid sit tolerabilius æstimamus. Nam secundum veram cognitionem nihil magis ei congruit, qui pœnitentiam gessit, quam castitas perseuerans & mentis & corporis.* Extat etiam canon 8. Concilij Toletani 6. qui decreti Leonis mentionem intulit. Quod si pœnitentes olim coniugia contraherent, velut Apostatas punitos docuit Toletanum 4. c. 55. vbi & pœnitentium & religiosorum, si coniugia ineant, eandem statuit esse rationem. Et ex antiquo pœnitentiali titulo 1. c. 11. hæc inter alia refert Antonius Augustinus. *Vinũ & medonem* (potionis genus, *quod aquã mulsam appellamus, Græci Hydromel*) *& mellitam ceruisiam nunquam bibas, vxorem ne ducas, concubinam non habeas, absque coniugio in perpetuo maneas.* De hoc etiam multi canones extant 33. *quæst.* 2. *à* c. 12. & sequentibus.

12 Tertio obijci potest Canon 10. Arelatensis 1. sub Syluestro. *De his, qui coniuges suas in adulterio deprehendunt, & ijdem sunt adolescentes fideles, & prohibentur nubere; placuit vt in quantum potest, consilium eis detur, ne viuentibus suis licet adulteris, alias accipiant.* Ecce consilium dari volunt, ne nubant; non ergo videtur esse prohibitum. Verum duobus modis iste canon explicari potest. Primum consiliũ vocasse Patres, non quod præceptũ esse nollent, sed quod in vitijs corrigendis ea tũc moderatione vterẽtur, vt suadere potius honesta velut parentes, quã cogere vt iudices videri vellent. Deinde illa postrema verba, *ne alias accipiant*, non est quod cogat de matrimoniali copula intelligi, sed de accessu ad alias quasi dicant consilio & exhortationibus cum illo agẽdum, ne vago concubitu cũ alijs congrediatur.

13 Quartò sumitur argumẽtum ex Gregorio I I. Epist. 14. & habetur in *cap. quod proposuisti* 32. *q.* 7. Vbi cum quæreretur à Põtifice quid faciendum viro esset, cuius vxor infirmitate correpta nõ poterat reddere debitum, concedit Pontifex vt aliam ducat, prioris tamen curam non abijciat. Gratianus eo loco istud caput Gregorij non solũ Sacris canonibus, sed etiam Apostolicis, & Euangelicis doctrinis aduersari dicit. Posset etiã aliquis suspicari eam Gregorij Epistolam, è qua desumitur iste canon, esse fictitiã, eo motus argumẽto, quod Zacharias Põtifex eius successor, cum ageret in Cõcilio Romano de matrimonij inter consanguineos, & in Germania sciret esse cõtracta infra quartũ gradũ ex quadã cõcessione Gregorij prædeçessoris, eã diligenter quæsitã in archiuo Romano dicit inuentam non esse. In ea autem, quæ extat epistola, è qua iste canon desumptus est, illa concessio extat, quæ non reperiebatur.

14 Sed quidquid de eo sit vno è duobus modis interpretor Gregoriũ, diuinans potius; si enim nacti essemus epistolas, aut consultationes Bonifacij, quibus respondet, facilius legitimam eius textus interpretationem assignare possemus. Dico ergo vel intelligendum cum Archidiacono Turrecremata, & Bellarmino lib. 4. de Romano Pontifice c. 13. & alijs de fœmina arctationis infirmitate correpta, ideſt, quæ ita arcta erat, vt à viro cognosci nõ posset. Meritoque dicit Pontifex bonũ viro si sic permanserit, solebant enim quas vt vxores habere non poterant, retinere vt sorores, ideſt, sine copula maritali & actibus, vt dico infrà de impedimento impotentiæ. Dico etiam explicari posse de fœmina nondum cognita, & de matrimonio rato non consummato, qua in graue aliquẽ morbũ incidẽte, eũque perpetuũ coniux volebat ad secunda vota trãsire, idq; indultũ à Gregorio; nam vt postea dicã, aliquando Põtifices in matrimonio nondũ cõsummato dispẽsarũt: id autẽ non est validũ esse secundũ matrimoniũ primo constante,

sed

sed potius primo dissoluto auctoritate Pōtificis iusta de causa secūdum initum, & ex consequenti vnum tantum constitisse. Forsanque cum olim fere omnes dispensationes, quæ nunc Pontifici reseruatæ sunt, penes Episcopos essent, nonnullique indissoluendis matrimonijs nō consummatis ex infirmitate accedente potestate abuterentur, vel nōnulli sæculares ea dissoluere propria auctoritate licere sibi existimarēt, id vetuit Aurelianense Concilium 2. c. 11. *Matrimonia contracta, infirmitate accedente nulla voluntatis contrarietate soluantur.* Ex quo suspicari possumus iudicasse nonnullos, sicut sponsalia ob morbum superuenientem dissoluuntur, dissolui etiam matrimonium; cuius oppositum declarat Concilium: non tamen inde colligi potest duo simul constitisse matrimonia, sed vno dissoluto, aut quod dissolutum iudicabant, alterum contractum.

15 Quintò obstare videtur quod in nōnullis Concilijs antiquis secundis nuptijs primis perseuerantibus indulgentia conceditur, vel licet pœna dignæ censeantur, non tamen iudicantur irritæ. Neocæsariense Cōcilium c. 3. *De his qui in plurimas nuptias incidunt, tempus quidem præfinitum, manifestū est, sed conuersatio & fides eorum tempus abbreuiat.* Et habetur *cap. de his qui* 31. q. 1. Cui adiunge eiusdem Concilij canonem 7. vbi præcipitur ne secundis nuptijs presbyteri interfint: *Cum præcipiatur*, inquit, *presbyter secundis nuptijs tribuere pœnitentiam.* Et Laodicenum c. 1. his qui secundo nubunt, cum ieiunijs & orationibus vacauerint; statuit, vt secundum indulgentiam reddatur cōmunio. At isti canones intelligi nō possunt de his, qui successiue pluribus nuptijs copulabantur, cum illis imponatur pœnitentia, secundæ autem nuptiæ semper licitæ. Neocæsariense autem Concilium probatum est à Leone IIII. *cap. de libellis dist.* 20. & receptū est in Concilio Nicæno 1. vt habetur in Concilio Florentino sessione 7.

16 Nostræ religionis hostes, quibus is animus est, vt varijs erroribus patrū libros deturpent, existimarunt his canonibus conuinci secundas nuptias illicitas esse; aduocantque in auxilium Chrysostomū in *cap. Hac ratione*, & Hieronymum in *cap. Quomodo* 31. q. 1. vbi ille secundas nuptias iuxta veritatis rationē verè scortationem esse affirmat, & hic permissas esse secundas nuptias ob incōtinētiæ periculū à Paulo. Cæterum à Catholicis mentibus alienū debet esse hāc sententiā asseruisse Patres, quibus persuasum semper secundas nuptias defuncta prima vxore licere, aduersus antiquū Mōtani errorē, quē postea hæretici eius sectatores Mōtanistæ, seu Cataphryges, & Pepusiani cum Nouato, & Tertulianus nimia amoris erga coniugē intēperātia lapsus, omnibus ingenij & doctrinæ neruis defenderunt. Extat enim Apostoli doctrina 1. Corinth. 7. *Quod si dormierit vir eius, liberata est à lege viri, cui vult nubat tantū in Domino.* Quæ nō permissio tantū, sed approbatio est. Et ad Romanos 7. *Quæ sub viro est mulier, viuente viro alligata est legi, si autē mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri. Igitur viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cū alio viro: si autem mortuus fuerit vir eius liberata est à lege viri, vt non sit adultera, si fuerit cum alio viro:* Constat etiam eadē veritas ex Illiberritano c. 72. & n. cæno c. 8. Carthaginensi 4. c. 1. Toletano 3. c. 10. & Florentino sub Eugenio IIII. vbi nuptias tertias, quartas, & vlteriores, nisi canonicū obster impedimentū probat. Extāt etiā apud Gratianū 31. q. 1. *& tit. de secundis nuptijs*, non pauci canones, quibus probantur.

17 Nec vero his obstāt Hieronymus atque Chrysostomus relati in *cap. Hac ratione & cap. Quomodo.* Obseruandum enim est, id quod ad multorū Ecclesiæ Doctorū, & Cōciliorū, & Pontificiū scripta interpretanda vtilissimū est; obseruandū inquā ex 7. Synodo Generali cōtra Iconomachos, persequutores imaginū congregata, actione 6. Cū eo loco quibusdam testimonijs ex Doctoribus Ecclesiæ desumptis, quæ obijciebat Gregorius, respōderet Epiphanius, in quibus Imaginū & Sanctorū virorū picturas reprobare videbantur, inquit. *Consueuerunt Patres nostri sancti, qui voluntatē Dei salutiferam nobis exponunt per exaggerationē mandatorū obseruationem nos docere, & ad quod mandatū illis scopus vergitur, eo præparare auditores hocque ex tollere & magnificare.* Quod duobus eo loco Epiphanius confirmat exēplis. Primum est, quod Amphilochius Iconiensis Episcopus cū contenderet fidei adiungendā mandatorū obseruantiā, quo id magis exaggerare dixit. *Curæ nobis est virtutes bonorū virorū eligere ipsis autē tēpla fabricare, aut imaginē illorum in tabulis circunferre, continentes interim illorū virtutes haud quaquā laudabile est.* Quod docuit curandū nobis potius sanctos imitari, quā vultus delineare. Secūdū est ex Asterio Amasiæ Episcopo, qui quo eroganda esse pauperibus eleemosynam vrgere magis dixit. *Ne pinges Christū in vestibus, sed magis sumptu illo, & expensis pauperibus subueni.* Quibus

bus nō reprehēdit picturā Christi, sed exaggerando demōstrat, quā Deo acceptū opus fuerit pauperū sustentatio. Eodē ergo pacto interpretemur Chrysostomū & Hieronymū, dicamusq; eos adeo continentiā cōmēdatam voluisse, vt secundas nuptias, quibus ineſt aliquod incontinentiæ signum, exaggerando minus probasse videantur. Itaque illa per amplificationē, & exaggerationem quādā cōtinētiæ dicta accipienda sunt. Scio aliter interpretari Chrysostomum à Bellarmino lib. 1. de matrimonio cap. 9. Repellit enim ea testimonia tanquā hæretici, aut ab hæreticis corrupta, non Chrysostomi.

18 Difficiliorē ergo explicationē habēt, quæ in argumento obiecimus; vnde Doctores varias interpretationes adhibent. Glossa ind. *cap de his qui*, existimat canonem istum intelligendū de his, qui simul non successiue plures accipiunt vxores. Quæ interpretatio ipso textu refellitur: indicaretur enim illo probari duo matrimonia simul, cum tā leuis imponatur pœnitētia, nec separari iubeantur. Cur itē præciperetur presbyteris, ne eorū nuptijs interessent, & non fidelibus omnibus, cū secundæ nuptiæ primis constā tibus nullæ sint & dānatæ. Bellarminus lib. 2. de Concilijs c. 8. argum. 4. & 8. & lib. 1. de matrimonio c. 9. Respondet eo canone non prohiberi secundū matrimoniū, sed solemnitatem secundi, cui solēnitati proprie cōperit nuptiarū nomē: celebritas enim nuptiarū tantū semel in Ecclesia Dei fieri consueuit, teste Isidoro lib. 1. de officijs c. 19. & *cap. Capellanū de secundis nupt.* Canon igitur iste prohibet ne presbyter celebritati secūdi matrimonij interſit, quin potius pœnitētiā iniungat his, qui contra morem Ecclesiæ secundo matrimonio solemnitatē adhibuerint. Eodem modo explicat Laodiceni Concilij Canonē argumento 8. Cōmoda quidē interpretatio, si alia non suppeteret. Cōmodior tamen videtur interpretatio Baronij tomo 3. anno 314. n. 91. qui inquit, quod sicut Laodicenum Concilium c. cit. propter emissum incontinentiæ signum, certi temporis pœnitentiam iniungit, ita hoc canone à bigamis pœnitentiam requiri, nō quod secundum matrimonium contrahendo peccent, sed quod suā incontinentiam manifestent, & bigamiā, quæ in humanæ imbecillitatis remedium instituta est, licentius vsurpent. Non itaq; secundæ nuptiæ reprobantur, sed ob incontinentiam, quam præseferunt, aliqua pœnitentia præscripti tēporis puniuntur. Id quod etiam multo post Laodicenū, & Neocæsariense Conciliū statuit in sua Ecclesia Basilius epistola ad Amphilochiū c. 4. in quo bigamis annus pœnitentiæ, trigamis autē tres, & quatuor anni præscripti, & apud nōnullas Ecclesias cōsuetudine dicit receptū, vt trigamis quinquēnij segregatio designetur, ita tamē vt inter audiētes, hoc est Catechumenos numerentur, & postea in cōgregatione fideliū esse permittantur. Quod idē posterioribus sæculis lege cōstitutū refert Theodorus Balsamon eodē loco, & constat ex Synodo in Trullo c. 3. & in Hispania Conciliū Toletanum 1. c. 4. Subdiaconos secundo nubentes biennio abstinere iubet.

19 At alia mihi se se offert interpretatio, quā propono. Leodicenū Cōciliū celebratū est, post Neocæsariense, & ante Nicænā Synodū, & eo canone secūdo allegat Neocæsariēsem canonē. Verosimile ergo est Patres Laodicenos Neocæsariēsis canonis mētē optimē calluisse, & explicasse, ac cōprehendisse suo canone. Laodicenū igitur iuxta versionē ex Græco, quā præstitit Gentianus Herbetus, ita habet: *Oportere ex Ecclesiastico canone, qui libere & legitimè secundo matrimonio coniuncti sunt, & clā vxores duxerūt, cū exiguum tempus præterierit, & orationibus, & ieiunijs vacauerint, eis ex venia dari cōmunionem.* Ex quo cōstat eo canone non ob secundas nuptias pœnitētiā imponi, sed quod clā contraxerant. Itaque non secundis, sed occultis & clandestinis nuptijs imponitur pœnitentia. Cūque is canon Laodicenus citet Neocæsariensem 3. planum est Neocæsariensem in *c. de his qui*, eodē pacto esse intelligendū, latūque contra eos, qui occultè nuptias posteriores celebrarent.

Quæ fama requiratur de prioris coniugis obitu, vt ad secundum matrimonium transeat alter?

CAPVT. LIII.

SVMMARIVM.

Variæ sententiæ de fama requisita de prioris coniugis obitu, n. 1.

Certum nuntium requiri probatur ex iure, n. 2.

Aliter etiam ostenditur ex doctrina Bartoli de fama, n. 3.

Obiectioni occurritur, n. 4.

Nullum esse matrimonium contrahentis sine certo nuntio de morte prioris coniugis, ac si iam obijsset, n. 5.

Idem

Idem si cum dubio contrahat, n.6.
Quid si certo nuntio credens contraxerit, & postea maritus apparuerit, n.7.

1 SED quæret aliquis hoc loco, quæ fama requiratur de prioris coniugis obitu, vt quis ad secũda vota possit transire? Quãuis certa sit in hac re decisio Clemẽtis III. *c. in præsentia de sponsalib.* quã referemus postea, non desunt variæ Doctorum sententiæ. Nã Butrius ea vtitur distinctione, scilicet, famã vel de longinquis, vel ex vicino afferri. Si de longinquis afferatur, satis illam esse ad secundũ connubiũ ineundũ: non autẽ si de vicino sit. Quã Butrij distinctionem probant non pauci. At Nauarrus in 2. volumine suorũ consiliorũ p.4. cõsilio penult. ait relinqui arbitrio iudicis, an fama mortis coniugis absentis satis probet eam sola, an cum alijs coniecturis, etiamsi nulli sint testes deponentes de visu, vel sciẽtia mortis. Alij verò aliter distinguunt; dicunt enim non eandem certitudinem requiri in eo, qui contrahere vult matrimoniũ; atque in Ecclesia, cuius est facultatem præbere, ac proinde in Ecclesia certitudinẽ de morte coniugis requiri, in contrahente satis esse famam.

2 Cæterùm nulla istarum distinctionũ mihi probatur, certa enim & aperta satis est in hac re decisio Clementis 3. *cap. in præsentia de sponsalibus. Consultationi tuæ taliter respondemus, quod quantocunque annorum numero ita remaneant viuentibus viris suis, non possunt ad aliorum consortium canonice conuolare, nec auctoritate Ecclesiæ permittas contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum.* Requiritur ergo certus nuntius, & vt possint contrahere, & vt Ecclesiæ facultatem præbere valeat; atque ideo non satis est fama. Quam sententiam sequitur in eo loco Panormitanus, inquit enim, *Põdera verbum certũ, cum fama procedat ex auctore incerto, ac plerunque fallaci, vt notatum in cap. vestra de cohabitatione clericor. & mulier.* Ac etiam in persona nuntij debent considerari qualitas personæ, & vtrum deponat per verba verosimilia. Nam agitur non de modico præiudicio absentis. Atque huius sententiæ auctorem laudat Bartolũ in *l. 2. D. Quemadmodũ aperiantur testamenta §. si dubitetur*, & in eã sententiam inclinat Fernandus Rebellus 2.p. de obligat. iustitiæ lib.3. q.3.

3 Et quidẽ planè perspicietur ad secundũ ineundũ coniugiũ non satis esse famam, si inspiciamus ea, quæ de natura famæ, & eius effectibus tradit Bartolus in *l. de minore D. de quæstionibus. Fama*, inquit, *est cõmunis opinio voce manifestata ex suspicione proueniens.* At suspicio certã cognitionẽ gignere nõ potest, atq; adeo nec mortẽ probare, vt secũdarũ nuptiarũ fœdera iniri possint. Ac n. 11. afferens definitionẽ famæ inquit, *communis eorum opinio, qui scire debent, & ad quos spectat hoc scire, hoc facit fama.* Vnde idẽ scribit, vbi de morte alicuius magni viri agitur, & de negotio magno, famã requiri totius ciuitatis: vbi de negotio parua, famã viciniæ. Dubitari autẽ non potest secũdũ matrimoniũ rem esse magni ponderis. Ergo ad eã rẽ fama esset opus totius oppidi. Idẽ etiã Bartolus in probatione famæ eiusmodi testes exigit, qui dicere possint se huius, illiusque, & multorũ voces de re aliqua audiuisse. Ideo inquit Bartolus, testis, qui probat famã debet dicere. *Dico maiorem partẽ populi hoc sentire, quia audiui maiorẽ partẽ populi hoc dicere, aliàs non esset probata fama; si testis dicit quod est publica vox & fama, certè non probat, quia non reddit causam per aliquid quod percipiatur sensu, non enim dicit se audiuisse à maiore parte populi sed dicit quod hoc dicitur. Debet ergo dicere audiui publicè dici à maiori parte hominum ciuitatis*, n.1. & 22. & huius debet inquit n.23. testis nominare aliquã saltẽ personã honestam, & postea dicere se audiuisse ab alijs. Id quod confirmat Bartolus Speculatoris & Innocentij testimonio. Quod si neminẽ nominat, ac dicit se non recordari, eius testimoniũ non valet. Non ergò sufficit sola fama de morte viri ad hunc effectũ cõtrahendi matrimoniũ, & quãuis sint plures modi probãdi mortẽ alicuius, vel per publicã vocẽ & famã, vel cũ quis visus fuit ingredi bellũ, & non egredi, vel per productionẽ testamẽti cũ mandato iudicis vel per librũ Rectoris, in quo describi solent mortui eius parochiæ. At quo ad hunc effectũ contrahẽdi matrimonium reiectis supradictis modis mors non probatur, nisi per vnũ testẽ de visu, qui deponat se vidisse illũ mori & insuper necesse est, quod examinentur duo alij testes, qui deponant de publica voce & fama, deluctu mulieris, & acclamatione de morte viri sic Riccius in Praxi. Decis. 265. n.2. in fine. Vide etiã Piasiciũ in praxi. p.2. c.4. n.27. qui arbitrio iudicis relinquit probationẽ, sed non rectè.

4 Rectè scio nonnullos Ecclesiasticos iudices affirmasse Auditores Rotæ non sequi doctrinã Bartoli de fama, idq; in manifesto esse ex quadã Rotæ decisione, sed in primis non

non sequitur omnem eius doctrinam de fama improbatam esse à Rota, eo quod aliquã forte improbauerit. Deinde quia summi Iure consulti doctrinam aliquam condemnare solius videtur esse Romani Pontificis, prætereà, quia decisiones Rotæ iudicium habent singularis facti, non vniuersalis doctrinæ. Denique quia ab ipsis etiam auditoribus Rotæ non ea fides adhibetur ijs decisionibus Typis excusis, quæ aliorum teruntur manibus, & qualis debetur his, quæ ab illorum iudicum auctoritate, & voce proficiscuntur. Maneat ergo certum requiri certũ nuntium, siue de vicinis, siue de longinquis afferatur, tam vt Ecclesia facultatem præbeat, quàm vt coniux superstes ad secunda transeat vota, nec satis esse famam.

5 Ex dictis colligo primô, quamuis reuera obijsset coniux, si fœmina sola fama permota contraheret matrimonium, nullum reuera fore, propterea quod sine certa notitia de morte prioris coniugis sancitum fuisset, siquidem per Decretalem Clementis III. inhabilis est ad secunda fœdera nuptiarum, donec certus nuntius afferatur de morte viri, ita vt contrahentibus prioris coniugis mortui ignorantia probabilis opituletur. Vnde eodem modo si falsò existimans maritum viuere, illa contraheret matrimonium etiam esset nullum, quantumuis posita conditione si non esset superstes consentiret, propter eandem rationem: inhabilis enim est donec certus afferatur nuntius.

6 Secundô colligo neque posse contrahi validè cum dubio de morte prioris viri. Nam donec certus sit nuntius inhabilis est. Vnde etiam existimo decisionem Lucij 3. in *capite Dominus de secundis nuptijs*, Correctam per Clementem III. quatenus ex eo capite colligitur valere matrimonium initum cum dubio de morte viri.

7 Tertio colligo, si fortasse certò credens allato nuntio secundum inierit matrimonium, ac postea maritum viuere rescierit, planum est nec posse petere, nec reddere debitum secundo, sed separari debere ad prioremque reuerti. Quod si prior ab esse velit, secundi torum deserat, & vitam cælibem agat. *Capit. si virgo ex Augustino* 34. *quæst.* 1. *&* 2. At si probabiliter dubitet, ac pendeat animo, an vir eius viuat, exigere quidem non potest, nam in exigendo animum à dubitatione probabili non auertit, & dubitatio, quæ viro non debet obesse, ipsi nocet. Reddere autem potest, quia in reddendo potest dubitationem excludere ex eo dictamine, ne noceat aut lædat ius secundi viri, sed de hoc latius infra lib. 10.

Post Christum etiam legitimam aliquando cum concubina coniunctionem fuisse.

CAPVT LIIII.

SVMMARIVM.

Quæstio proponitur, num. 1.
Opinio Ferdinandi Mendoçæ, eius fundamẽta ex iure, de Ecclesiasticis legibus, num. 2. 3.
Obseruatio pro explicatione veræ sentẽtiæ, n. 4. 5.
Concubinam post Christum aliquando fuisse vxorem minus solemniter ductam, num. 6.
Probatur 1. *ex can. Apostolorum ex quo illustrãtur alij canones, num.* 7. 8. 9. 10.
Solutio Ferdinandi reijcitur, & aliorum, num. 11. 12.
Secunda probatio ex Toletano 1. *num.* 13.
Solutio reijcitur, num. 14. 15. 16. 17. 18.
Tertia probatio ex Isidoro, num. 19.
Quarta ex Concilio Aurelianensi, num. 20.
Vltima probatio, num. 21.
Obijcitur decretum Leonis I. num. 22.
Bellarmini interpretatio, num. 23.
Vera explicatio adducitur, & probatur, nu. 24. 25. 26. 27.
Alia etiam vera interpretatio, num. 28.

1 CVM supra cap. 50. probaremus secundum connubium durante primo esse, fuisseque inualidum post Christi reformationem adduximus Toletani 1. canonem 17. in quo præcipitur, vt vnam tantum fidelis, vel vxorem habeat, vel concubinam. Cuius occasione, & vt multi canones antiqui, in quibus de concubinis sermo est, intelligantur, & quæ superius de concubinis, quas vnà cum vxoribus habuerunt Patriarchæ, & Israelitæ, dĩ lucidiora fiant, examinare libet, quid post Christum inter Christianos concubinæ nomen significauerit, an honestũ concubitum cum coniuge, minus tamen solẽne, an vero semper turpe fuerit, & infame nomen.

2 Igitur Ferdinandus de Mendoça lib. 2. de confirm. Concilio Illiberritano, ca. 8. asserit concubinæ nomen, si rempublicam

Hebræorum excipias, semper in turpem partem acceptum, & infame habitum, nec vxorum vnquam nomine comprehendi. Concubinæ autem nomen semper infame fuisse probare contendit ex iure ciuili, Pontificibus, atque Concilijs. In primis ergo certum videtur ex iure ciuili concubinas in matrimonij iustitia nihil habuisse commune cum vxoribus, atque adeo coniunctionem cum concubina nunquam esse honestam ex multis differentijs, quæ in iure statuuntur inter concubinam, & vxorem, quibus ostenditur nihil in iustitia coniugij illis fuisse commune. Prima differentia est, quia vxor, si ad alium accederet, vt adultera accusari poterat, concubina non item, Vlpianus *lege si vxor, de adulterijs*, quod adeò verum putauit idem Vlpianus, vt quamuis postea cum concubina matrimonium contrahat, pro præterito concubitu illam accusare non posse dixerit. Secunda. Mulier adulterij damnata, vxor à nullo duci poterat, & qui duxerat, pœna legis Iuliæ tenebatur, de adulterijs, quod lenocinio consentire videretur, vt Seuerus, & Antoninus, & Alexander Imperatores rescripserunt *lege crimen. lege castitati C. de adulterijs.* Qui autem illam in concubinatu habuisset, impunè facere poterat, Vlpiano auctore *lege 1. §. Qui autem, de concubinis.* Tertia. Vxores honestatum matrum familiàs nomen habebant, earum autem quæ se in concubinatu dedissent, imminuta erat honestas, sicque nisi libertæ patroni, concubinæ matrum familias honestatem non habebant, vt Marcellus ait *lege stuprum 4. de ritu nuptiarum.* Quarta. Vxor liberta vel libertina duci poterant, concubina autem haberi non poterat: & si aliquando cum testatione, & turpi quæstu vixisset, eam haberi concessum fuisse, doceat Martianus *lib. 3. de concubinis*: postea tamen ab Aureliano Imperatore decretum est fœminam ingenuam concubinam esse non posse, vt in Aureliani vita ad finem testatur Flauius Vopiscus. Quinta Concubina cuius cumque ætatis esse poterat, dummodo duodecimum annum excederet, Vlpianus *lege prima §. cuiusdam de concubinis*: vxor autem *lege Iulia vel Papia*, si quinquagesimum, duci non poterat, quia eius sobolis nulla spes erat, Iustinianus *lege Sancimus C. de nuptijs.* Sexta. Vxor mariti, & bonorum, & temporalium, & sacrorum particeps erat, vt tradit Halicarnasæus lib. 2. Romanar. antiquit. Paulus *lege prima de ritu nuptiarum.* Gordianus Imperator *lege tertia C. de crimine expilatæ hæreditatis* Concubina autem nec temporalium, nec sacrorum communionem habebat. Ex quo septima differentia nascitur, nam donationes collatas in vxores irritas fuisse, & nullas Vlpianus ait *lege prima de donationibus inter virum*: eas vero, quæ in concubinas collatæ essent, valere, etiam si concubina vxor postea ducta fuisset Papinianus respondit *lege donationes 32. de donationibus*, & Scæuola *lege si prædia 59. de donationibus inter virum, & vxorem.* Octaua. Aduersus vxorem res mariti amouentem actio furti non dabatur, quia quasi domina eorum erat, vt ex Nerua, & Cassio Paulus retulit, titulo rerum amotarum: aduersus concubinam autem actio competebat, vt in extraneam personam Vlpianus *lege si concubina 17. eodem.* Nona. Vxor forum, domiciliumque mariti sequebatur, Vlpianus *lege exigere 65. de iudicijs*, concubina vero proprium tantum, Callistratus *lege de iure 37. ad municipalem.* Decima. Vxor, quæ in manum mariti conuenerat, illi morienti intestato sine liberis hæres erat, Vlpianus *lege prima vnde vir, & vxor*: concubina verò tanquam extranea persona, nisi hæres instituta, nihil ab intestato capiebat. Vndecima. Vxorem ducere magistratus ex sua prouincia non poterat, Paulus *lege siquis officium 38. de ritu nuptiarum.* At concubinam posse idem Paulus ait *lege finali de concubinis.* Duodecima. Filij ex vxore iusti erant, & ad parentum bona iure vocati, adeò vt paternorum bonorum quasi Domini in eorum vita censerentur, Paulus *lege in suis, de liberis, & posthumis*, filij autem concubinæ non solum iusti non erant, nec legitimi, sed nec filiorum nomẽ habebant: Vlpianus *l. 6. de his qui sunt sui*, & ideo in parentum bona succedere nõ poterant. Quod adeo antiquis placuit Romanis, vt si ex concubina primũ quis liberos susciperet, posteaque eandẽ duceret vxorem, & ex eadẽ filios haberet; susceptos ex concubina nõ legitimari ad paterna bona per subsequẽs matrimoniũ, nec admittẽdos cum secundis decreuerint. Et si postea emẽdatũ à Iustiniano *l. cum quis l. nuper. C. de natural. liber.* Decima tertia. Vxor vt

dimitti

dimitti posset diuortio opus erat, eoq; solēniter facto, adhibitis septem testibus ciuibus Romanis Paulus *l. nullum de diuortijs.* In concubina autem, quia nullum præcessit matrimonium, nullo opus erat diuortio. Vlpianus *l. si concubina, rerum amotarum.* Actus autē omnes sine matrimonio turpes docuit Aristoteles lib. 7. politicorum cap. 6. Non ergo in vno, sed in multis vxor â concubina differebat. Cuius commercium tamquam rem turpissimam, & suo imperio indignam sustulit Leo Imperator nouella constitut. 9. Præclaram illam rationem ex prouerbijs Salomonis subiungens, indignum esse, cum è fonte ipso puram aquam haurire possis, lutulentam quærere. Quod si concubinatus aliquid habuisset commune cum vxore, nec prohibita postea concubina, nec pœnis affecta; aut si aliquod concubinatus discrimen esset, non ita generaliter, & indistinctè Iuris consulti, & Imperatores de concubinis loquerentur.

3 Idem etiam constare videtus ex legibus Ecclesiasticis. Nam quid concubinarum nomine significauerint, inprimis intelligi potest ex canone Apostolorum 17. & habetur *capite siquis dist.* 33. vbi decernitur. *Siquis post acceptum baptisma secundis nuptijs fuerit copulatus, aut concubinam habuerit, non potest fieri Episcopus, &c.* Quod Apostoli non constituissent, si concubina vxor esset, cum Clerici minorum saltem ordinum, de quibus etiam agit canon, vxores habere possent. Idem etiam probatur ex Innocentio Primo epistol. 4. ad Episcopum Nucerinum capit. 4. & habetur *capite laici, eadem distinct. Laici, qui vxores habentes baptizati sunt, ac sic se instituerent, vt opinio eorum in nullo vacillet, & aut Clericis coniuncti sint, aut monasterijs, ex quo baptizati sunt, adhæserint, si non concubinam aut pellicem nouerint, si in omnibus operibus bonis vigilauerint, non prohibentur huiusmodi ad Clericorum sortem assumi.* Quo loco pro eodem accipit habere *concubinam*, aut *pellicem.* At cum pellice turpis coniunctio est, fuitque semper. Ergo & cum concubina. Accedit Ambrosius sermone 65. de Sancto Ioanne Baptista, vbi inter alia. *Sunt enim nonnulli, qui cum legibus vxores duxerint, contra diuinitatis leges sibi sociant concubinas, non intelligentes quod contrahendo matrimonium proprijs se vinculis constrinxerant.* Ad hæc Augustinus homilia 49. in lib. 50. Homiliarum, & habetur *capite audite dist.* 34. *Concubinas vobis habere non licet. Audiant competentes, quod dico fidelibus Non habetis vxores? Quanto vobis damnatio maior erit, si habere volueritis concubinas, & vxores dimittatis.* Et sermone 243. de castitate coniugali. *Et illud quale est, quod multi virorum ante nuptias concubinas sibi assumere non erubescunt, quas post aliquot annos dimittant, & sic postea legitimas vxores accipiant.* Et paulo infra. *Vnde coram Deo & Angelis contestor, atque denuntio, & ista mala semper prohibuisse, & nunquam ei placita fuisse, quia præcipuè temporibus Christianis concubinas habere nunquam licuit, nunquam licebit. Sed quod prius est, faciunt hoc multi viri iure fori, non iure Cœli, non iustitia iubente, sed libidine dominante.* Chrysostomus sermone contra concubinarios duas tantum vias agnoscit, propter quas viri cum mulieribus cohabitent. Vna quidem vetus est ac iusta, rationique consentanea, matrimonium, quod Deo legislatore institutum. Altera posterior, & ex confesso iniusta, & legi aduersa, nempe concubinatus, siue stuprum, quod â malignis dæmonibus introductum est. Denique confirmat hæc omnia satis apertè Leo I. epist. 92. ad Episcopum Narbonensem num. 4. & 5. *capite non omnis* 32. *quæst.* 2. Cuius hæc sunt verba. *Non omnis mulier iuncta viro vxor est viri, quia nec omnis filius hæres est patris. Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos sunt legitima, & inter æquales multo prius hoc ipsum Domino instituente, quam initium Romani iuris existeret. Itaque aliud est vxor, aliud concubina, sicut aliud ancilla, aliud libera. Propter quod etiam Apostolus ad manifestandam harum personarum discretionem, testimonium ponit ex Genesi, vbi dicit Abrahæ, eijce ancillam, & filium eius, non enim hæres erit, filius ancillæ cum filio liberæ. Vnde cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, vt præter sexuum coniunctionem, haberet in se Christi, & Ecclesiæ sacramentum, dubium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua non docetur fuisse nuptiale mysterium. Igitur cuiuslibet loci Clericus, si filiam suam viro habenti concubinam in matrimonium dederit, non ita accipiendum est, quasi coniugato eam dederit, nisi forte illa mulier, & ingenua facta, & dotata legitime, & publicis nuptijs honestata videatur. Paterno arbitrio viris iunctæ carent culpa, si mulieres, quæ à viris habebantur in matrimonio non fuerunt, quia aliud est nupta, aliud concubina, & mox.*

Ancillam à toro abijcere, & vxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicatio coniugij, sed profectus est honestatis. Hactenus Leo. Atque hæc sunt, quæ pro se præcipuè affert Ferdinandus de Mendoça.

4 Cæterum, vt huius controuersiæ veram decisionem tradamus, simulque pluribus alijs canonibus puram, ac plenam inferamus lucem, obseruandum est primum, olim ante Christi aduentum in Iudæorum, Romanorum, aliorumque infidelium Republica, licuisse plures primæ classis vxores, & præter eas, secundas alias habere inferioris ordinis, omnibus illis ex dispensatione diuina, quæ de Iudæis certò asseritur ab Innocentio Tertio, *capite Gaudemus de diuortijs*, de alijs autem cum probabilitate affirmatur, vt dicebam supra. Ducebantur illæ apud Iudæos cum minori solemnitate, neque eorum filijs debebatur hæreditas; legata tantum relinquebantur, vt ex Genesi constat, & modo vxores modò cõcubinæ dicebantur. Genes. 17. & 21. & Iudicum 19. Simili etiam ratione apud Romanos, non tantum matrimonia per coemptionem, aut farreationem contrahebantur, sed per vsum vnius anni spatio non interruptum, si enim per trinoctium abijsset, interrupta vsucapio erat. Ea autem, quæ vnius anni vsu ducebatur, appellabatur concubina. Quas concubinas facile dimittebant, Iudæi quidem licitè Deo in ea lege dispensante: vnde dimissa, alij nubere impune poterat. De Romanis autem probabiliter asseri potest licuisse, aut si illicitè dimittebant, quia ea Dei dispensatione caruerunt, excusati ob ignorantiam eius iuris naturalis. Hinc est quod per solubile vinculum differre à matrimonio dixerit Vlpianus *l. secunda de Concubinis*, & illegitimum matrimonium appellauerit Callistratus *l. penultima, §. fin. ad municipales.* Non quidem quia vagus, & omni lege solutus esset concubitus iste, sed eo quod facili negotio solueretur. Vnde & Vlpianus *l. si vxor, §. plane ad l. Iuliam de adulterijs*, ex hac coniunctione adulterium quoque esse existimarit, si quidem & illa loco vxoris erat honesta concubina iure illo Pandectarum, appellauitque eo loco vxorem non iustam, id est, non solemnitate, sed vsu tantum, & habitatione copulatam, quidquid aliter interpretetur Accursius, & sequaces alij. Adducit enim in testimoniũ carmen illud Homeri. *Non soli diligunt vxores inter mortales Atridæ.* Quod accipiendum de Briseide ab Achille adamata, quam non in vxorem solemni ritu coniunctam, sed in concubinam acceperat. Quare apud Romanos in ea coniunctione varia obseruata, quæ supra afferebat Ferdinandus de Mendoça, quæ tantum ad solemnitatem maiorem, vel minorem pertinere videntur, non quæ probent contra leges eam coniunctionem fuisse. Adde leges illas Ethnicorum esse, à quibus ad id de quo agimus, Ecclesiasticis moribus receptum, parum firmum argumentum sumi potest. Hæc ante Christum. Licebant itaque concubinæ, hoc est, inferioris classis vxores primis, & ingenuis alijs viuentibus.

5 At post Christum cum ab eo Matthæi 19. & pluralitas vxorum, ac licentia repudij esset penitus sublata, nullo modo nec Christianis, nec infidelibus licuit præter vxorem habere simul concubinas. Hinc plures Ecclesiasticæ, & ciuiles leges emanarunt, in Ecclesia celerius, nam à primis temporibus prohibitæ simul concubinæ cum vxoribus. Concilium Illiberitanum can. 8. & 9. Toletanum primo can. 17. Postea Concilium Parisiense lib. 3. can. 10. Romanum sub Nicolao Primũ can. 13. Hinc etiam Sanctorum Patrum obiurgationes contra eos, qui cum vxore concubinam habebant, qualia sunt ea fere omnia, quæ ex Ambrosio, Chrysostomo, Augustino retulimus, & ex alijs etiam affert Ferdinandus de Mendoça. Reprehenduntur itaque concubinariæ coniunctiones, simul cum vxore, aut extra coniugium, quod vnum tantum esse poterat, quia in Republica Christiana à Christi tempore nunquam cum vxore concubinam habere licuit. Ciuiles autem leges Imperatoribus vsque ad Constantinum in sua infidelitate permanentibus, serius multo hoc malum falce resecarunt. Prohibuit tamen Constantinus *l. 1. C. de concubinis*, quod postea firmauit Iustinianus *l. fin. §. fin. C. communia de manum.* & postea Leo Imperator *nouella 9. & 89.* Atque hinc factum est, vt concubinæ nomen post Christum aliquando pro ancilla sumatur, olim enim ex ancillis desumebantur concubinæ, aliquando pro pellice superinducta coniugi: aliquando pro vxore, minori tamen, ac sine præscripta Ecclesiæ solemnitate ducta, quod necesse est attendas, vt varia iura canonica, & ciuilia componas, ac iuxta subiectam materiam legitime interpreteris.

6 Dico igitur Concubinæ nomine sæpe

pe post Christum non tantum significari eã cum qua vagus, & omni lege solutus est concubitus, sed etiam vxorem matrimonio copulatam, minor tamen illa solemnitate, aut sine solemnitate, cum qua tamen vera matrimonialis coniunctio erat, non quidẽ vigente prioris coniugis copula, aut prima vxore alia superstite, sed tantũ quæ minus solemniter ducta esset. Et quidem, si Doctores consulas, communis ista sententia est, & communi sensu recepta. Eam tenet Gratia. *cap. omnibus, dist.* 34. ibi, *concubina autem ea intelligitur.* Archidiaconus in *cap. is qui, & ca. Christiano dist.* 34. Turrecremata in dictis capitibus, Petr. Gregorius in syntagmate iuris lib. 10. cap. 1. num. 16. Bellarminus lib. 2. de concilijs c. 8. versu 11. Thomas Bocius de signis Ecclesiæ Dei. Turrianus pro canonibus Apostolicis lib. 1. cap. 13. Gabriel Paleot. lib de nothis, spurijsq; filijsc. 12. n. 13.

7 Hanc sententiam probo primum ex Apostolorum cap. 17. habeturque *cap. siquis post acceptũ baptisma, dist.* 33. Cuius hæc sunt verba: *Si quis post acceptum baptisma, secundis nuptijs fuerit copulatus, vel concubinam habuerit, non potest fieri Episcopus, non presbyter, non diaconus, nec prorsus de eorum numero, qui altari deseruiunt.* Cuius canonis illa verba, *concubinam habuerit*, non sunt intelligenda de ea, cum qua vagus, ac solutus esset concubitus, sed de vxore matrimonio copulata, minori tamen illa solẽnitate: decernt enim Apostoli vt qui duobus solẽnibus matrimonijs copulatus fuisset, vel alterum minus solemne, alterum cum concubina contraxisset, hoc est, non solemni coniuge, bigamus censere tur, eo quod duo matrimonia consummauerat. Quanuis enim certum esset apud Ecclesiæ Patres non licere habere, concubinã retenta vxore; attamẽ quia sciebant duplex esse & receptũ eo tempore vxorũ genus, ne quis existimaret tantùm bigamum censeri, qui duas solemni ritu duxerat vxores, non verò qui vnam solemniter, aliam sine solẽmnitate, declarant verè esse bigamum, & â sacris ordinibus arcendum tã eum, qui duo solemnia matrimonia consummauerat, quã etiam minus solemnia, & cum concubinis contracta, hoc est, cum inferioris ordinis cõiugibus. Cumque canones isti Apostolici in Antiocheno, vel Hierosolymitano Apostolorũ concilio editi fuerint, de quo alio loco differimus, scilicet de Ordine, & annexis lib. 5. omnibus quidem, præcipue tamen Iudæis, quis dubitet locutos fuisse Apostolos iuxta communem, atque vsu receptam concubinæ nominis acceptionẽ in ea Republica? Apud Hebræos autem concubinæ nomen inferioris notæ vxores designabat.

8 Atque iuxta eandem interpretationẽ accipio textum *in cap. maritum, eadem distin. Maritum duarum post baptismum matronarum clericum non ordinandum, neque eum, qui vnam quidem, sed concubinam, non matronam habeat.* Id quidem eodem sensu intelligendum. Neque enim qui post coniugium primum cum matrona, secundum autem cum concubina contraxerit, idoneus sacris ordinibus, sed vere bigamus. Circa quod illud aduerterim, à Gennadio, cuius est iste Canon, vt notant decreti Gregoriani correctores, *Matronæ* nomen non in eo sensu vsurpatum, quo Gellius vsurpat lib. 16. noctium Atticarum, cap. 6. in fine, vbi matris familias nomẽ à matrona distinguit, matronam appellans, quæ in matrimonium cum viro conuenit; & matrem familias, quæ esset in mariti manu, mancipioque, aut in cuius manu, mancipioque maritus esset. Sed matronæ nomen intellexit spectatæ probitatis, & ingenuitatis fœminam: in quo sensu non semel accipitur in iure ciuili, vt Brisonius docet, libro de verb. sig. v. *Matrona.*

9 Consonat etiam cum canonis Apostolici sententia textus in *cap. laici, dist.* 33. qui est Innocentij 1. epist. 4. ad Nucerinum n. 4. *Laici, qui habentes vxores baptizati sunt, ac sic se instituerunt, vt opinio eorum in nullo vacillet, & aut clericis coniuncti sunt, aut monasterijs, ex quo baptizati sunt, adhæserint, si non concubinam, non pellicem nouerint, &c.* nõ prohibentur eiusmodi ad clericatus sortem assumi. Idem sane est sensus: prohibet enim Innocentius, ne qui habẽtes vxores, ac illis defunctis postea concubinam habuerũt, admittantur ad clerum: sunt enim illi bigami ob secundum coniugium cum cõcubina cõtractum. Nec verè quemquã mouear, quod concubinam, aut pellicem coniunxerit, tum quia dici potest illa disiunctiuè accipi, ac potius indicare aliud esse pellicem: aliud concubinam, ac proinde concubinæ nomine etiam coniugalem copulam intelligendam. Tum etiam, quia pellices olim, inquit Festus, non omnino probrosum nomẽ: Antiqui, inquit, propriè pellicem nominabant, quæ vxorem habenti nubebat. Quare olim idem quod concubinã, ideſt, ordinis inferioris vxor, quæ etiã vxoris loco, sine nuptijs tamen legitimis, & solemnibus habebatur, vt inquit Paulus *l. Mansurius, de verb. signific.*

10 Eodem etiam pertinere videtur Cõcilij Gerundensis sub Hormisda canon 8. habeturque *capit. siquis de laicis dist.* 34. *siquis verò de laicis post vxorem aliam cuiuscumque conditionis cognouerit mulierem, in clero nullatenus admittatur.* Verbo autẽ illo *cognouerit*, copula significatur cõiugalis, vt epigraphe indicare videtur, *de eo qui viduam, vel dimissam acceperit.* Expẽdo autẽ verba illa, *cuiuscumque conditionis*, vt & viduam, & concubinam, quæ inferioris conditionis vxor erat, comprehenderet: quia quamcumque earum duceret post primam vxorem defunctam à clero propter bigamiam excludebatur.

11 Sed audiamus Ferdinandum de Mendoça, qui in isto canone Apostolico concubinam turpe nomen esse affirmat, colligitquè ex eo, quia si concubina vxor esset, nequaquam Apostoli id constituissent, cũ clerici minorum saltem ordinum, de quibus etiam agit canon, vxores habere non prohiberẽtur. Sed aberrat à verò sensu Canonis. Nam canon Apostolicus non prohibet, ne coniugatus ordinetur, vt falsò deducit, sed ne bis coniugatus assumatur ad clerum, siue vtrumque coniugium solemne fuerit, siue vnum solemne, alterum sine solemnitate, cum concubina inferioris classis vxore, ob bigamiam contractam. Bigami autem ab omni prorsus ordine excludebantur. Quamuis enim aliquando toleratum, vt bigamus etiã ad subdiaconatum ascenderet, vt liquere potest ex Arelatensi 2. c. 26. & Toletano 1. c. 3. & Siricio papa his Concilijs antiquiori, & alijs; attamen à minoribus ordinibus bigamos olim etiam exclusos planissimum est, alioque ostendendum loco, scilicet, lib. 2. de ordine & Annexis.

Ex quo reijcitur interpretatio, quam adhibet Couar. in *in Clementina si furiosus* 1. p. §. 2. num. 3. qui cum isto canone Apostolico meretricium concubitum intellexisset, affirmauit olim eo effici aliquem irregularem, iam tamen sublatum vsu. Id enim absque fundamento asseritur. Reijcienda etiam interpretatio Francisci Suarez tomo 5. in 3. part. disp. 45. sectione 2. Qui cum idem ac Couar. concubinæ nomine intellexisset, addit, reijci ab altari, qui concubinam habuerit, propter infamiam: infamis enim ad sacros ordines non est admittendus, *cap. infamis 6. quæst.* 1. & alijs, sed neque is sensus quadrat Apostolico canoni, in quo de bigamiæ irregularitate agi planum est: in sequẽti autem de turpi vita.

13 Secundò probo concubinam etiam post Christum dictam eam vxorem, quæ minus solemniter ducebatur ex Concilio Toletano 1. ca. 17. & habetur in *capit. is. qui d.* 34. cuius hæc sunt verba. *Siquis habens vxorem fidelem, si concubinam habuerit, non communicet. Cæterum qui non habet vxorem, & pro vxore concubinam habet à communione non repellatur, sic vt vnius mulieris aut vxoris, aut cõcubinæ, vt ei placuerit, sit communione contentus. Aliàs faciens abijciatur, donec deserat, & per pœnitentiam reuertatur.* Isto textu pro nostra sententia nihil clarius, cum eum, qui concubinam habuerit pro vxore non repellat à communione.

14 At Ferdinandus de Mendoça, qui canonem istum de vago concubitu contra communem Doctorum omnium sensum interpretatur, inquit eo permitti, vt concubinarius à communione sacri corporis non repellatur, etiam si communicare auderet: idque permissum ob temporum iniquitatem, & peccantium multitudinem. Peccantium etenim multitudo iusta causa est, vt pœna peccati, vel minuatur, vel remittatur. Qua ratione Alexander III. in Appendice part. 50. cap. 51. clericis concubinarijs depositionis pœnam mitigauit, & quod magis ad rem Augustinus sermone 2. dominica 22. post Pentecosten, qui est de castitate coniugali idem Afros Episcopos permisisse, & ob eandem causam disertissimè docet. Inquit, enim. *Sed fortè illi, qui isto peccato non sunt maculati dicent. Quare qui hoc agunt, à communione non suspenduntur? Ideo autem tantum scelus à sacerdotibus non vindicatur, quia à multis admittitur. Si enim vnus aut duo aut quatuor, aut quinque mala ista facere præsumerent, & poterant, & debebant non solum à communione suspendi, sed etiam à conuiuio, & colloquio Christiani populi separari secundum illud Apostoli: cum huiusmodi nec cibum quidem sumere. Multitudo tamen peccantium, sicut iam supra dictum est, prohibet sacerdotes Domini in illis distingue re.* Quod ergo Afris permissum, eodẽ tempore permissum apud Hispanos. vtrorumque enim effrænatã libidinem scripsit Saluianus Masiliensis Episcopus lib. 7. de prouidentia Dei, adeo vt Afrum non esse impudicum, tam inusitatum esse, quam nouũ, & inauditum Afrũ nõ esse Afrum: & Hispanos à Vãdalis bellicæ disciplinæ expertibus esse deuictos, quod Hispani pudicitiam execrarẽtur, illi diligerẽt: cuius impuritatis pœnas luit iterũ Hispania per impurissimã Mauro rum Africanorum eluuiẽ Diuino vlciscẽte numine

gumine sub Roderico Gothorum Rege.

15 Sed quanuis hæc interpretatio ad istũ canonẽ, & acutè, & eruditè excogitata videatur, nõ tamẽ solida est. Et in primis ea ratione refellitur, quia quãuis, vt Augustinus inquit, peccantium multitudo cogeret, vt in sacra distribuenda communione Episcopi tolerarent etiam concubinarios ad illam accedentes; attamen vniuersali, ac publica lege ab Hispanis patribus statutum, ne à Christi corpore percipiendo repellerentur etiam publici, & noti populo concubinarij, indignum est tãtorum Patrum egregia sanctitate. Laxarentur enim ea lege habenæ lasciuiæ, & quod publica lege non solum tolerari, sed etiam præcipi vidissent, vires libido sumeret: quare non minueretur peccatum, sed augeretur. Idem certè Augustinus lib. de Rectitudine Catholi. Conuersat. Inquit adeo graue malum esse concubinam habere, vt qui habet, peius peccet, quàm si adulterium committat, & ob hoc dignum esse, vt à Christianorum separetur consortio. Nec vero quemquam turbet, quod Augustinus scripserit, concubinatus crimen peius esse adulterio, explicat enim ille se hoc sermone secundo in Dominica 22. post Pentecosten, cum inquit. *Pro quare iterum atque iterum voce liberè clamo, quia qui ante legitimas nuptias concubinam sibi habere præsumit, peius peccatum facit, quàm qui adulterium committit. Quia qui adulterat, adhuc tam graue malum secretè vult agere, in publico autem aut metuit, aut erubescit committere: ille verò qui publicè concubinam habere voluerit, fronte impudentissima rem execrabilem, toto populo vidente, licenter se putat admittere. Tanto enim sunt graviora peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam*, Inquit Gregorius IX. *c. finali de consuetudine.* Quo modo ergo credi potest Toletani Concilij Patres publicis concubinarijs publica edita lege ita laxasse pœnam, vt id vnum, quo maximè poterant ad meliorem frugem reuocari, scilicet, si eos à corpore Christi, aut à fidelium communione repellerent, lege publicâ abstulissent.

16 Præterea, quis credat hunc fuisse Concilij Toletani sensum, cum scortatio aut fornicaria coniunctio tot Hispani Concilij legibus fuisset paulo antea seueriss imè punita in Illiberritano capit. 3. *Flamines, si post baptismum mœchentur, perpetuò arcentur à communione, ne lapsisse de Dominica communione credantur.* Et capit. 7. *Quicumque fideles, si post lapsum mœchiæ accepta pœnitentia denuò fuerint fornicati, perpetua communione priuantur. Idem de fœminis quæ maritos relinquunt, & alijs nubunt,* statutum capit. 8. & sæcularibus virginibus, si fornicatæ fuerint, quinquennij pœnitentia præscribitur capit. 14. & cap. 31. Adolescentibus si post lauacrum fornicati fuerit, legitima pœnitentia præscribitur, & tunc reconciliari permittuntur; cum vxores duxerint. Item capit. 47. de marito habente vxorem, & mœchante, & capit. 64. fœminis quæ cum coniugatis copulantur, decennij pœnitentia præscribitur, si tamen illum reliquerit, alias perpetuo communione priuentur. Et in hoc eodem Toletano Concilio statutum, deuotam peccantem non recipiendam in Ecclesiam, nisi desistat: & cum desiterit decennij pœnitentia imponatur, & fœmina, quæ illam admiserit ad conuiuium, habetur abstenta, *capit. deuota 27. quæst. 1.* Idem de presbyteri vel diaconi filia deuota seueriss ime statutum capit. 19. & in Concilio Herdensi post Toletanum illud celebrato capite 4. incesta pollutione se commaculantes repelluntur à Christianorum consortio, & conuiuio, tantumque ad catechumenorum missam admittuntur. Et capit. 5. altari seruientes, etiam si subitò carnis fragilitate corruerint, puniuntur: quod si perseuerent, & ab ordinibus, & communione remouentur. Nequaquam ergò credendum est Toletanos Patres fornicationis crimen tot Hispanorum Concilium legibus prohibitum, & seueriss imis pœnis vindicatum soluisse pœnæ metu, vt grassarentur impunè.

17 Ad hæc sensum istum alienum esse à Concilij mente, vel ex eo etiam constare potest, quia in illo recepta est Nicæna Synodus cum omnibus suis canonibus. Nam in principio dicitur. *Mihi autem placet constituta primitus Concilij Nicæni perpetuò esse seruanda. Neque ab ijs esse recedendum. Episcopi dixerunt: Hoc omnibus placet, ita vt siqui cognitis gestis Concilij Nicæni aliud, quam statutum est, facere præsumpserit, & non in eo perseuerandum putauerit, tunc excommunicatus habeatur, nisi per correptionem fratrum emendauerit errorem.* At in Concilio Nicæno capit. 65. & 68. tàm clericorum, quàm laicorum fornicatio interdicitur.

18 Denique, si verba ipsa canonis consulamus, planè conuincunt falsitatis interpretationem illam. Nam cum eum, qui

concubinam habuerit, simul cum vxore à communione repellat, quo pacto publicè concubinarium, licet solutus ille lege sit, ad communionem admittet? Adde eandem iubere esse rationem, & æque ad communionem admittendum vxoratum, & qui concubinam habuerit, tantùm, aut vnius mulieris, siue vxoris, siue concubinæ sit coniunctione contentus, vt ei placuerit. At si eadem ratio est aut vxorem, aut concubinam habentis, cõiunctio cũ cõcubina matrimonialis erat. Expendo etiam verbum illud, *vt ei placuerit*. Si enim cõcubina permitteretur tantum in eo canone, vt minus malum, & non approbaretur, aliquod sanè verbum esset, quod illud vt minus malum indicaret permitti tantum. At verbo illo, *vt ei placuerit*, optio datur eligendi, vel vxorem, vel concubinam. Ergo licita coniunctio vtraque erat, alias quo pacto inter licitam, & illicitam copulam illi optio daretur eligendi; nullo interim verbo addito, quo turpis ea coniunctio cum concubina declararetur, sicuti eo loco, quem ex Augustino citat Ferdinandus de Mendoça, sunt quam plurima?

19 Tertiò probatur prædictus concubinarum vsus ex Isidoro Hispalensi in libro de differentia veteris, & noui testamenti, & habetur *cap. Christiano* 34. *d. Christiano non diram plurimas, sed nec duas simul habere licitum est, nisi vnam tantum, aut certè vxoris loco concubinam, si coniux deest*. Quid Clarius? verũ respondet idem Ferdinandus de Mendoça in eo loco Isidorum assignasse discrimen inter vetus, & Nouum testamentum, quod in veteri plurimas simul, & vxores, & concubinas habere licebat, in nouo vnam tantum, siue vxorem, siue concubinam. Ita tamen id discrimen intelligendum, vt tantum iure fori liceret, quia in veteri nequaquam puniebantur, nec permittebatur polygamia solùm, sed licebat: In nouo autem, quamuis iure poli non liceat, attamen iure fori non punitur, qui vnam tantum habeat concubinã, si desit coniux. Sed certè violenta interpretatio est, expendo enim illud *Christiano*, id est, secundum Christi leges viuenti. Deinde quia Noui testamenti nomine non intelligitur vt cumque status Christianæ reipublic. sed quà Nouum testamentum est iuxta Christi legem, sic enim à veteri segregatur Testamento, vt Theologis indubitatum est. Denique dici vere non potest illum permissum esse externo foro, Ecclesiastico saltem, cum tot legibus prohibitum peccatum illud, quas supra referebamus. Imo neque ciuili permissum post Constantinum I. & alios, qui pòstea secuti sunt.

20 Denique probatur prædictus concubinatum vsus in Concilio Aurelianensi 3. sub Vigilio Papa cap. 9. *De his qui ex concubinis filias habent, & vxores legitimas post habuerint, aut defunctis vxoribus publicè sibi concubinas crediderint sociandas, id obseruandum esse cẽsuimus, vt sicut eos qui iam sunt per ignorantiam ordinati, non remouemus, ita statuimus ne vlterius ordinentur*. Hactenus Concilium. Quem textum sic induco. Si ibi concubinæ nomine intelliguntur fornicariæ fœminæ, reijcerentur ab altaribus, qui concubinas habuissent, tanquam criminosi. At criminosi, & turpis vitæ, si in meliorem frugem redierint, non excluduntur ab ordine suscipiendo. Ergo ille, qui licet concubinam habuisset fornicariam, postea tamen matrimonio contracto turpem illam vitam eluisset, non reijceretur ab ordine. Hoc autem canone præcipitur, vt etiam si ante matrimonij coniunctionem habuissent concubinas, non amplius promoueantur. Ergo non vagus concubitus, sed lege matrimonij adstrictus intelligitur nomine concubinæ, aliàs absurdissimam canoni tribueremus sententiam. Et præterea qui turpiter viuit, non solum non ordinatur, sed deordinatus ab altari repellitur. At in isto canone, qui defunctis vxoribus, concubinis sociati sunt, si ordinati sint, per ignorantiam, ministrare permittuntur. Ergo nomine concubinæ vxor minus solemnis hoc loco intelligi debet, & ideo ob bigamiam ab ordinibus exclusi. Relinquitur ergo etiam post Christum extitisse ac perseuerasse istud inferiorum vxorum genus, etiam Ecclesiasticis legibus approbatũ: non quod concubinam habere liceret alia vxore viuẽte, sed quia cum ea matrimonium intercedebat, minus tamen solemne, ac ideo aliquando vocatum non legitimum, & contubernium.

21 Vltimò tandem nostræ sententiæ fauet, dum prædictum concubinarum vsum interdicit Constantinus Porphyrogeneta, vt refert Harmenopolus in epitome iuris libro 4. capit. 7. cum inquit. *Quoniam apud maiores nostros permissam fuisse concubinarum communionem reperimus, quicumque cum ea familiariter ac domestìcè agere vellet, non absre nos facturos putauimus, si huius quoque mentionem faceremus, ne nobis commissa respublica defœdaretur nuptijs inhonestis ac non decentibus. Qua causa moti iubemus, ne cui exinde in suis ædibus concubinam habere liceat, quando per exiguum,*

ant

aut nullum omnino discrimen inter concubinatum, & fornicationem statuimus. Sed si cum ea communionem aliquam habere gestiat, contractum matrimonialem cum ea inito, obseruata legis solemnitate. Si verò eam legitimæ vxoris appellatione indignam existimat, nullam per concubitum communionem cum ea exerceto, sed eam repellito, & vxorem accipiat, quam indicarit sibi è re fore. Vides ibi nuptias appellari cum concubina coniunctionem. At quia sine solemnitate iuris ac publicis nuptijs ducta erat, parum differre dicit à fornicatione, quod scilicet ea contrahendi ratio sine legis solemnitate ansam fornicationi passim aperiret. Quæ fuit ratio legitimas nuptias, & publicas introducendi.

22 Verùm his quæ hactenus statuimus, scilicet, post Christum etiam concubinam dictam fœminam quæ minus solemniter duceretur, obstare videtur difficile decretum Leonis primi epist. 92. & habetur *cap. non omnis 32. quæst. 2. & capit. Ancillam, eadem causa, & quæst.* Cuius decreti verba supra retulimus, cum primam confirmabamus sententiam, vbi planè docet coniunctionem cum concubina matrimonium non esse. Vnde ille, qui filiam suam locat habenti concubinam, non tradit eam viro coniugato, sed soluto.

23 Bellarminus lib. 2. de conci. capit. 8. argumento 11. respondet Leonem aliter accepisse nomen concubina, quàm Patres Cõcilij Toletani 1. Leo enim cõcubinam vocat eam, quæ assumitur ad consortium tori sine mutuo consensu perpetuo viuendi: Concilium autem vocat concubinam eam, quæ ducitur cum eo consensu, sed priuatim expresso, non per publica instrumenta: iam enim antea monuimus concubinæ nomen variæ significationis esse, & pro loco, & tempore commodè interpretandum. Sufficiens quidem hæc interpretatio, si alia non suppeteret: sed suppetit alia quam ad istum textum adhibuit ante me, quem ego viderim, nemo: estque vt ego credo, germana ac solida interpretatio.

24 Cuius rei gratia supponendum est in isto decreto Leonem pro eodem vsurpasse ancillam in statu seruitutis manentem, & concubinam, vt statim ostendam. Inter alia autem media, quibus ancilla statum ingenuitatis adquirit, illud est, quãdo patronus, illam ducit vxorem. Ea etenim est natura coniugij, vt tollat statum seruitutis, fit enim vxor particeps bonorum, de quo supra, cum de impedimento seruitutis fuit sermo; cum qua communione in bonis, honore, & toro fieri non potest, vt status permaneat seruitutis. Id quod omnium optime demonstrauit excellentis vir ingenij Gabriel Vazquez in disput. de seruitute Christi. Quare patronus, qui carnaliter cum ancilla miscetur, nolens eam ingenuam fieri, sed in seruitute manere, eo ipso non vult cum illa matrimonium contrahere: si enim vellet copula maritali cum illa coniungi patronus, eueheret illam ad ingenuitatis statum. Ideo inquit Leo, *nuptiarum fœdera inter ingenuos sunt legitima, & inter æquales.* Dicit itaque Sanctissimus Pontifex Leo, concubinam, id est, ancillam, quando ingenua non facta copulatur patrono, vxorem non esse, sed seruam, atque ideo eum, qui tradit nuptui filiam concubinam habenti, id est, habenti ancillam, cum qua permanente in seruitute miscetur, non tradere illam coniugato: quia coniũgi maritali affectu, & illam in seruitutis statu permanere fieri nequit ex ipsa natura matrimonij.

25 Hinc Iulius Papa Leone prior, *Cap. siquis ancillam 29. quæst. 2.* vetustam ambigui tatem decidens decernit, *quod siquis ancillam libertate donauerit, ac in matrimonium sibi sociauerit, legitimas appellandas nuptias. Si enim ex affectu fiunt omnes nuptiæ, & nihil impium, & legibus contrarium in tali copulatione fieri potest, quare prædictas nuptias cohibendas existimemus?* Atque hinc etiam exorta illa dubitatio, quam decidit Triburiensis canon in *ea. perlatum 29. quæst. 2. Perlatum est ad sanctam Synodum. quod quidam ingenuus ingenuam accepit vxorem, & post filiorum procreationem occasione diuortij, cuiusdam seruum se fecit, vtrum necessario mulierem tenere debeat, & si tenuerit, vtrum illa quoque secundum sæcularem legem seruituti subijci debeat, quæsitum est. Iudicatum est vxorem minimè debere dimitti.* Vnde oriri potuit ea quæstio, an matrimonium soluere tur ingenuo viro se in seruitutem tradente, nisi quia cum seruo in seruitute manente, neque cum serua matrimonium esse non posse existimabant: sed necessarium esse, vt ad statum ingenuitatis eueheretur, vt nuptiæ legitimæ, & inter æquales essent.

26 Hæc nostra interpretatio confirmata manebit, si ostendamus sanctum Leonem suo decreto pro eodem vsurpasse concubinam, & ancillam, cum qua rem habet patronus. Id autem in primis constat ex illis verbis decreti, *Aliud est vxor, aliud concubina, sicut aliud ancilla, & aliud libera.* Et ad id probandum adducit, quod dictum est in Genesi

ad Abraham: *Eijce ancillam, & filium eius, non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* Idem etiam illa verba ostendunt. *Nisi fortè illa mulier ingenua facta, & dotata legitimè, & publicis nuptijs honestata videatur.* Idem etiã ostendit, quod in fine decreti additur, & habetur *cap. ancillam 32. quæst. 2. Ancillam à toro eijcere, & vxorem certæ ingenuitatis adquirere, non est duplicatio coniugij, sed profectus potius honestatis.* Ergo id quod supra concubinam dixerat, ancillam intellexit.

27 Et denique hunc esse decreti Leonis sensum ostendo manifestè, quia Concilium Triburiense capit. 83. eiusdem decreti mentionem faciens, ita interpretatur, vt sanctus Leo pro eodem acceperit ancillam, & concubinam. Inquit enim, postquam retulit Leonis verba. *Vnde paternam sequentes auctoritatem sub præsenti huius catalogo Concilij statuimus, & libere iudicamus, vt quisquis liber libertam, hoc est, ancillam per manumissionem, & regalem largitionem liberam factam, legitime in matrimonium duxerit, vlterius habere debebit, tamquam vnam ex nobili genere progenitam excepta fornicationis causa, & quandiu illa viuat, nullam aliam accipiat. Est igitur vt ex decretis Papæ Leonis prædiximus, ingenua facta, & dotata legitime, & publicis honestata nuptijs, & propterea iam non est concubina, sed vxor legibus adquisita.* Hæc Concilium, quod idem multò antea docuit Ambrosius serm. 65. Nam post illa, quæ pro contraria sententia adduximus, inquit, *Sed dicet aliquis. Vxorem non habeo, ideo mihi ancillam sociani. Audi quid dicat Scriptura ad Abraham: Eijce ancillam, & filiũ eius, non enim erit hæres ancillæ cum filio liberæ. Si ergo ancillæ filius hæres non est, neque filius est.* Et statim. *Mulier igitur tua, si talibus moribus prædita est, vt mereretur consortium, mereatur & nomen vxoris: præsta concubinæ tuæ libertatem, & nomen vxoris, ne tu adulter sis potius, quam maritus.*

28 Sed addo etiam, quò maiorem lucem inferam huic Leonis decreto, (neque enim quidquam eorum, quæ mihi se se ad canonum intelligentiam occurrunt, dissimulare volo) suspicor, cum connubia cum concubinis, & ancillis non essent publica, neque cum publicis denuntiationibus, sed clandestina sine scriptura, & dote, vt ex citatis testimonijs liquet, suspicor inquã, illa irrita declarata posterioribus decretis. Et ita Leonẽ I. eiusmodi cũ ancillis irritasse cõnubia clandestina, nisi ingenua fieret, dos scriberetur, publicè nuberet: vt expressit etiam Triburiense Concilium eo, quem referebamus, loco. Nec mihi hic valde alienus sensus à Leonis mente videtur, cum recolo Euaristum multo antea legitimi matrimonij formam statuisse, vel promulgasse, ita vt secus inita nulla essent de quo dixi supra lib. 5. cum de matrimonio Clandestino sermo fuit. Atque ex his, quæ hactenus dicta sunt, soluta manent omnia, quæ pro prima adducebamus sententia. Omnia enim discrimina, quæ in iure ciuili constituuntur inter vxorem, & concubinam, maiorem solemnitatem in vxore ducenda indicant, quæ desiderabatur in coniunctione cum concubina. Adde varia oportere distingui tempora, vt ea, quæ de concubinis in iure ciuili continentur componas. Quædam enim illud tempus respiciunt, cum licitus concubinarum vsus vnà cum vxoribus ante Christum, qualia multa sunt in antiquis Iureconsultis. Alia, quando iam Christianis imperatoribus dominantibus prohibitæ omnino concubinæ. Ac de his hactenus.

De impedimento impotentiæ.

Validum esse coniugium impotentium etiam ad castè viuendum negarunt nonnulli.

CAPVT LV.

SVMMARIVM.

Sensus quæstionis, nu. 1.
Opinio negans valide contrahi matrimonium inter impotentes ad castè viuendum, num. 2.
Eius quinque fundamenta ibidem, & num. 3. 4. 5. 6.

1 DVobus modis contingere potest vt matrimonium contrahatur inter impotentes, quos dicemus. Primum cum pacto implicito vel virtuali de futura copula: deinde cum voluntate, & conditione castè viuendi. Si priori modo celebretur matrimonium, non dubito nullum esse iure naturæ, id quod à Sixto V. videtur definitum in ea constitutione, quam adducemus infra. Ratio videtur esse manifesta, quia in eiusmodi contractu apertè adhibetur conditio contra substantiam matrimonij: quia seminatio impotentis, de quo est sermo,

sermo, vel omnino est nulla, vel non est intra vas: ex quo fit necessario seminationem impotentis illicitam esse, & contra finē matrimonij, est enim effusio vacua, & inanis, & quæ minime ad generationem ordinari potest. Obligatio igitur eiusmodi effusionis seminis in contractu apposita omnino reddet nullum iure naturæ, iuxta certissimam doctrinam, propter quam, vt dicemus infra, auctoritate Sixti dissoluta omnia, quæ præcesserant, Eunuchorum matrimonia. Dubitamus ergo de secundò modo contrahendi coniugium, an scilicet, valeat matrimonium impotentis cognita etiam impotētia, dum modo ad caste viuendum celebretur, & sine ordine ad copulam.

2 Bonauentura in 4. d. 34. artic. 2. quæst. 1. Ricardus, & alij eadem dist. quos sequitur Soto ibidem quæst. 1. art. 2. & recentiores nonnulli existimarunt perpetuam impotentiam iure naturæ dirimere matrimonium, quouis celebretur modò. Imo & aliqui censent hanc sententiam esse definitam à Sixto V. de quo tamen postea videro. Probari potest hæc sententia primò, quia non potest esse traditio dominij inter huiusmodi personas: traditio namque dominij, quæ in matrimonio intercedit, includit consensum implicitum in copulam, quod constat ex Sancto Thoma 3. part. quæst. 20. art. 2. & videtur doctrina Pontificis *capit. sufficiat 27. q. 2.* inter hos autem contrahentes non potest esse consensus implicitus in copulam, neque translatio dominij cum obligatione ad copulam. Quod ex eo declaratur, quod modo dicebamus, scilicet, eiusmodi conditionem appositam in contractu destruere substantiam contractus. Ergo hæc obligatio non potest esse de essentia matrimonij, & ita nō poterit esse consensus implicitus in copulam, quia consensus implicitus in copulam dicitur, qui includitur in expresso alio aptè ad copulam, sed in hoc contractu, vt probatum est, materia non potest transferri cum ordine ad copulam. Ergo non potest esse cō sensus ad huc implicitus in copulam.

3 Secundò, quia si sola diuersitas sexus cum ordine ad naturalem societatem, sine radicali etiam dominio in ordine ad copulam sufficit ad rationem matrimonij, vix poterit assignari ratio ad probandum secundum naturalem rationem non posse esse matrimonium inter sororem, & fratrem ad caste viuendum, quia & societas naturalis, & reuerentia, & communicatio honoris potest esse inter eos sine vlla indecētia aut turpitudine. Ergo si necessaria non est translatio corporis cum dominio radicali in ordine ad copulam, videtur cessare omnis ratio inhabilitatis naturalis ad sic contrahendum. Ita arguit Gratianus 27. *quæst. 2. vers. cum ergo.*

4 Tertio. Quia si potest esse matrimonium, quando à principio contractus materia ita est impotens, vt omnino ex natura rei fieri non possit commixtio seminis prolifici, ergo potest esse matrimonium inter aliquos, quibus ex natura rei repugnat, vt fiant vna caro, veluti inter duos homines, aut duas fœminas: cum tamen ex natura materiæ huius contractus ordinetur ad hoc vt coniuges fiant vna caro: propter hoc enim relinquetur pater, & mater, & coniuges sibi adhærebunt in carne vna, per matrimonium scilicet. Quod signum suadet matrimonium requirere translationem materiæ aptæ ad commixtionem seminum natura sua prolificam, & in generationem relatam.

5 Quarto. Si potentis cum impotenti potest esse validum coniugium, eo modo quem diximus, vel coniuges mutuò habent ius, ne alter cōmittat adulterium, vel non habent. Si dicatur primum: contra hoc videtur esse, quia adulterium esse non potest, nisi fœmina faciat contra ius mariti; sed in hoc casu non violat mariti ius, ergo neq; adulterium committit. Maior notior est, quam vt probatione indigeat, minor vero probari videtur efficaciter, quia non potest fœmina in abusu corporis sui ius mariti violare in hoc casu. Quod ita explico. Quia hic impotens vir non habet ius, quod est veluti passio matrimonij. Deinde ex his quæ concedit opposita sententia, non habet ius radicale corporis alterius coniugis ad hunc vsum ordinatum. Ergo abusus corporis contra ius viri, nequaquam censendum est. Si verò dicatur secundum, contra hoc militat illud Pauli 1. Corinth. *mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir, similiter vir potestatem non habet, sed mulier.* Deinde videtur sequi posse esse matrimonium validum ex natura rei cum conditione de sumenda potione sterilitatis, ita vt huiusmodi conditio non repugnet substantiæ contractus, quod absurdum est. Quod sequatur probo, quia in specie huius matrimonij, licèt illicitum esset, eā potionē sumere, quæ sterilitatem induceret, tamen non fieret contra ius matrimonij, quia vt dixi, etiam radicale dominium non diceret ordinem ad copulam.

6 Vlti-

6 Vltimo denique alio modo declaratur inualidum esse matrimonium potentis cum impotente, quia vel impotentia est incognita alteri, & tunc matrimoniũ videtur nullum, quia ex communi ratione contrahẽdi, vbi non interuenit pactum de seruanda castitate traditur corpus generationi aptũ pro apto, ita vt in isto modo contrahendi includatur cõditio de tradendo corpus aptũ pro alio etiam habili & idoneo, & ex cõsequenti deficiente conditione nullum reddi tur matrimonium. Si verò impotẽtia sit nota vtrique, etiam non valet matrimonium, quia qui potens est, non potest tradere suũ pro alterius corpore, quia non potest tradere nisi pro corpore apto ad matrimonium. Hæc enim est ratio propter quã fieri nequit vt is qui habilis est contrahat cum inhabili, quia tradere non valet corpus in ordine ad matrimoniũ, nisi habili & idoneo. Sed impotens vt probatũ est, inhabilis est ad cõtrahendum cũ ordine ad copulam. Ergo qui impotens non est, non potest contrahere cum impotenti in ordine ad copulã. Ex quo absolutè inferebamus non posse cõtrahere. Quod si quis dicat posse esse matrimoniũ sine dominio radicali ad copulã ex libera voluntate cõtrahentium, militant cõtra hanc, quæ hactenus adduximus: & addi potest, quia si id licet ex libera voluntate cõtrahentiũ, ergo quando vterque esset potens, ex libera eorum voluntate posset validè matrimoniũ celebrari iuxta rei naturã sine traditione radicalis dominij inter ipsos coniuges, quod nullus concesserit: & tamen apertè videtur sequi ex dictis, si cõtractus matrimonij potest subsistere sine dominio radicali in ordine ad copulam.

Vera sententia, quæ asserit validum esse huiusmodi matrimoniũ, statuitur, & probatur Scholasticorũ auctoritate.

CAPVT LVI.

SVMMARIVM.

Valere huiusmodi matrimonium probatur auctoritate Scholasticorũ, Magistri, & Diui Thomæ, num. 1.

Aliud testimonium Diui Thomæ expenditur, num. 2.

Quorundã explicationes refelluntur, nu. 3. & 4.

1 FATEOR tamen mihi semper visum esse probabilius matrimoniũ potentis cum impotente ad castè viuendum, etiam cognita impotentia, validè celebrari. Sententiam hanc tenent ex antiquis, & recentioribus non pauci, Paludanus in 4. dist. 34. q. 2. Antoninus 3. p. tit. 1. cap. 22. §. 3. Veracruz in suo speculo cõiug. 1. p. art. 38. Petrus Soto lect. 5. de matrimon. cap. 8. & fusè Medina lib. 5. de contin. à cap. 74. & alij viri docti huius ætatis. Sed (quod fugiebat memoriam) in hac etiam sentẽtia videtur fuisse Magister in 4. dist. 34. in principio, agens enim de personis illegitimis ad matrimonium, inquit frigiditatem, hoc est impotentiã, & cõditionẽ reddere, nec omnino legitimos, nec omnino illegitimos. Potest ergo ex Magistri sententia cum frigido stare validum matrimonium, videlicet si alter sciat, & ad castè viuendum contrahatur: nam si esset in ordine ad copulam plane nullum esset, sed ad eo modo contrahendũ essent omnino illegitimi, vt dixi supra c. præcedenti. Atque ita interpretatus est Magistrum Sanctus Thomas eadem distin. q. 1. art. 2. ad 4. Adde etiam ita expressè sensisse D. Thomam loco & solutione citata. Cum ergo argumentum esset in hunc modum: *Si sciat mulier virum esse frigidum, quando cũ ea contrahit, verum est matrimonium. Ergo frigiditas, quãtũ est de se matrimoniũ nõimpedit.* Respondet isto pacto. *Ad quartum dicendũ, non in quolibet contractu hoc vniuersaliter tenetur, quod ille, qui est impotens ad soluendum aliquid non reputatur idoneus ad contractum illum, quo se obligat ad eius solutionẽ. Tamen impotens potest esse tripliciter, vno modo quia potest soluere de iure, & sic talis impotentia omnibus modis facit contractum esse nullum, siue sciat ille, cum quo facit talem contractum, siue non. Alio modo quia non fit soluendo de facto, & tamen si sciat ille, cum quo contrahit, hanc impotentiam & nihilominus contrahit, ostenditur quod alium finem ex contractu quærit: & ideo contractus stat: si autem nescit, tunc contractus nullus est, & ideo frigiditas, quæ causat talem impotentiam, vt homo non possit de facto soluere debitum, & conditio seruitutis, per quam homo non potest de facto libere tradere impediunt matrimonium, quando alter coniugum ignorat hoc, quod alius non potest reddere debitum. Impedimentum autem, per quod aliquis nõ potest de iure reddere debitum, vt consanguinitas annullat contractum matrimonium sine sciat alter, siue nõ. Et propter hoc Magister ponit, quod hæc duo faciunt personas non omnino illegitimas.* Hactenus

tenus Diuus Thomas. Quo quid clarius, & apertius? Imo & optimam assignauit nostræ sententiæ rationem, quã expendemus postea in illis verbis, *ostenditur, quod alium finem ex contractu quærit.* In quibus apertissimè docet valere huiusmodi matrimonium sine ordine ad copulam, quandoquidem illa interuenire non potest. Eadem habentur in additionibus quæst. 58. art. 1. ad 4. Quanuis testimonium hoc cùm Diui Thomæ non sit ad id, quod modo contendimus, parum habet roboris.

2 Sed profero præterea testimimoniũ aliud ex Diuo Thoma 3. par. quæst. 29. art. 2. Quod nonnulli adducunt pro opposita sententia, mihi tamen videtur esse pro ista non obscurè. *Forma*, inquit, *matrimonij consistit in quadam indiuisibili coniunctione animorum, per quã vnus coniugũ indiuisibiliter alteri fidẽ seruare tenetur: finis autem matrimonij est proles generanda, & educanda.* Et paulo post. *Sic igitur dicendum, quod quantum ad primam perfectionem omnino verum fuit matrimonium virginis Dei matris, & Ioseph, quia vterque consensit in copulam coniugalem, non autem expressè in copulam carnalem, nisi sub conditione, si Deo placuerit.* Ecce manifestè distinguit D. Thomas consensum in copulam cõiugalem, quo nomine tantum intellexit, vt constat ex primis verbis, coniunctionem animorum indiuisibilem, & cõsensum in copulã carnalẽ, & solo illo consensu in cõiugalẽ copulã docet esse validũ matrimoniũ, Ergo ex D. Thomæ sententia verũ matrimoniũ esse potest secluso quouis ordine, & cõsensu ad carnalẽ copulam, dummodo sit consensus in copulam coniugalem, qua scilicet coniunguntur in eandem vitæ, munerumque societatem, atque adeo validè contrahi potest coniugium potentis cum impotenti ad castè vitam transigendam. Et Quidem hanc esse mentem Diui Thomæ affirmauit Petrus Soto. & nonnulli alij.

3 Sed non vno modo conãtur explicare nõnulli D. Thom. Quidam dicunt solum velle impotentiam ignoratam reddere contractum inualidum in ordine ad cohabitationem, eandẽ vero cognitã inducere obligationẽ simul cohabitandi, non tamen obligationem matrimonij. At hæc explicatio diuinat, nullum vel leue fundamentum habet in Diuo Thoma. Quod enim in illo verbum est de cohabitatione? Adde Diuum Thomam sicut asserit impotentiam ignoratam nullum reddere matrimonium, ita asserit impotentiam cognitam non infirmare. Loquitur ergo in vtroque casu de impotentia in ordine ad contractum matrimonij. Fauet etiam quod coniunctim loquitur de seruitute, & frigiditate, & de vtraque ignorata ac cognita vult eandem esse rationem. Signum ergo est tantum loqui relate ad valetudinem, vel infirmitatem contractus matrimonij.

4 Hinc quoque aliorum expositio refellitur, qui D. Thomam interpretãtur de impotentia temporali, ita vt hanc dixerit non impedire matrimonium. non verò loquutum esse de impotentia perpetua. Sed neq; hæc est ad mentem, sed potius contra mẽtem D. Thomæ. Tum quia S. Thomas loquitur de impotentia, quæ impedit: temporaria verò neque ex eius, neque alicuius sententia est impedimentum matrimonij. Tũ eandem rationem vult esse de seruitute, & impotentia; dirimit autem sola seruitus perpetua ignorata. Tum denique satis refellunt illa verba, quibus dicit D. Thomas eum, qui nõ est potẽs ad reddendũ debitum, si cõtractũ cum alio scienti celebret, signũ esse alium finem, quam copulam carnalem in contractu quærere. Non ergo loquitur de impotentia temporali: nam cum illa bene posset esse consensus, & in copulam coniugalem & carnalem, tantumque de perpetua impotentia dicere potuit cum ea solum stare posse consensum in coniugalem copulam, & alium diuersum finem intendi.

Adde etiam matrimoniũ impotentium. quanuis sit ad maritales actus, donec cognita impotẽtia, & probata dicant se nolle cohabitare, valere, posteaque dissolui si cohabitare nolint, tenuit Rota apud Farinaciũ cum volumine 2. consil. decisione 111. & apud Seraphinum decisione 203. num. 2. 3. 4.

Affertur ratio pro eadem sententia.

CAPVT LVII.

SVMMARIVM.

Affertur ratio a priori nostræ sententiæ, num. 1.
Et à posteriori, num. 2.
Quorundam solutio reijcitur, num. 3.
Alia solutio impugnatur, num. 4. 5.

1 TESTIMONIA, quibus hæc sententia probari potest, adduxi supra lib. 1. Quare restat probemus illã ratione, nec enim deest optima pro illa sententia ratio, quæ vnica tantum est, & aliquan-

aliquando latius proponēda, & explicāda, vt eius vis magis innoteſcat in hūc modum. Id quod ad eſſentiam contractus matrimonij requiritur, tantum eſt, quod ſit mutua coniunctio animorum in naturalem vitæ ſocietatem cum diuerſitate ſexus. Sed totum hoc in matrimonio huiuſmodi impotentiū celebrato ad caſtè viuendū reperitur. Igitur illud eſt verū legitimū perfectumque matrimonium. Tota difficultas eſt in maiori propoſitione probāda, quam, & probare, & explicare conabor diuerſimode. In primis ex generali ratione contractus, in quo eſt traditio dominij, non repugnat matrimoniū eſſe ſine vllo prorſus ordine ad copulam ex illo generali principio, paſsimque recepto, vbi dominium diſtinguitur ab vſu, poteſt eſſe cōtractus circa materiam dominij ſine ordine vllo ad vſum, & etiam ſi alias deficiat vſus: tam enim vſus quam dominium poteſt eſſe vnumquodq; ſeparatim integra materia cōtractus, quā ratione latè propoſui ſupra lib. 1. & ibi videri poteſt. Ex quo fit corpus generationi aptum non eſſe neceſſariam materiā huius contractus. Si enim aptum corpus neceſſaria materia proculdubio propter liberorū procreationem eſſet. Quorſum enim iſto fine ſecluſo requireretur? Hic autem nō eſt neceſſarius finis, vt oſtendimus. Eo ergo ſublato, & matrimonio propter alium finē celebrato, quid indigemus apto ad generandum corpore? Itaque concomitabitur tantum contractum aptitudo hæc ſi forte fuerit in contrahente, non vero erit neceſſaria.

2 Oſtendamus nunc â poſteriori, & à ſigno. Primum. Commune eſt omni ſacramento non conſiſtere, ſi deſit materia ad illud neceſſaria, nec baptiſmum ſine aqua, Euchariſtiam ſine pane, & vino, pœnitentiā ſine peccatis, & dolore, vnctionē ſine oleo, & ſic in reliquis validè celebratis. Nec ergo matrimonij ſacramentum conſiſtit ſine vera, & neceſſaria materia, atque adeo ſine corpore apto ad generationem, ſi illud eſt materia, quā neceſſario poſtulat. Sed omnium ſentētia certum eſt ſuperueniente impotētia perpetua non diſſolui matrimoniū. Ergo nō eſt neceſſaria materia ad matrimoniū corpus aptum generationi. Neq; enim alia ratione, ſi contingat mutatio ſexus, qua naturaliter fœmina mutatur in virum. (Quod fieri poſſe non dubito, cum id euenerit apud Complutenſes eo tempore, quo ibi cōmorabar, nuncq; mihi perſuaſi verum eſſe, quod apud Plinium, & alios antiquiores legi de fœminis in virum naturaliter conuerſis) ſi ergo huiuſmodi mutatio contingat, matrimoniū diſſoluitur, non alia ratione, niſi quia diuerſitas ſexus eſt neceſſaria huius cōtractus materia. Si corpus aptum eſt ita requiſitum, vt niſi ſit, nulla poſsit valida interuenire traditio, tolle corpus aptum ceſſabit, & diſſoluetur contractus: ſicut ſi ſexum mutes, extingues vinculum coniugij.

3 Viderunt hanc difficultatem nonnulli ex recentioribus, & diſparitatem rationis aſsignare conati ſunt, ſed fruſtra. Quidā dicunt per impotentiam ſuperuenientem non dirimi matrimonium, quia natura ſua indiſſolubilis eſt. Sed non ſatis attendunt, quid reſpondeant. Non enim ideo diſſolubile erit matrimonium, ſi diſſoluatur materia neceſſaria deficiēte: ſicut neque ex eo quod mutato ſexu diſſoluatur, inde fit diſſolubile coniugium eſſe. Si immutata materia, aut accidentaliter tātum variata ſeparari poſſent, variabile eſſet matrimonij vinculum: attamen quod vera ſubſtātiali, & neceſſaria materia extincta ceſſet contractus, qui illam exigit, non conuincit matrimonium ſolubilis eſſe naturæ. Eodem pacto refelluntur hi, qui in eo diſparem rationem conſtituunt, quod quando ſuperuenit impotentia coniugio, iam alter coniux poſſeſsionem habet. Quid refert poſsidere ſi materia neceſſaria extinguitur? Planè nihil.

4 Sed audiamus acutiores alios. Dicunt diſparem eſſe rationem, quia ad transferendum dominium corporis à principio contractus, neceſſe eſt materiam huius contractus aptam eſſe, corpus autem generationi ineptum, hoc eſt, copulæ coniugali, per quā coniuges poſsint fieri vna caro, non eſt apta materia contractus. Quod verò ſemel trāſlato dominio materiæ aptæ ſuperueniat aliqua conditio, quæ ſi antecederet, redderet materiam inhabilem contractui, non reddit materiam ſimpliciter ineptam vinculo orto ex priori contractu. Id quod in alijs impedimentis facile conſtat. Et D. Thomas in addition q. 59. art. 3. ad 4. docuit multa impedire matrimonium contrahendum, ſi præcedant, quæ tamen diſſoluere non poſſunt, ſi ſequantur. Et notum eſt exemplum in affinitate primi gradus, quæ ante matrimonium dirimit matrimonium ſubſequens, & ſi poſt matrimonium contractum aduenias, nō diſſoluit. Sed certè iſti difficultatem, vel non ſatis attenderunt, vel diſsimularunt, vel ſibi ipſis repugnant. Nam ſi corpus aptum coniugali copulæ in ordine ad generationē eſt neceſſaria materia, & naturalis, & ſubſtantia-

lis

lis matrimonij, ea sublata tollatur cõtractus necesse est, sicut de sexu dicebamus. Quod enim mutetur corpus de apto in nõ aptũ nõ est accidẽtalis aliqua variatio in materia cõ tractus, sed substãtialis variatio ex ipsorum sentẽtia, quæ exigit corpus aptũ tãquam ve rã naturalẽ, & necessariam materiã. Ex quo iã colligitur non esse ad rẽ, quod de impedi mentis adducitur. Nã impedimenta affinita tis etiã primi gradus non efficiunt materiã substantialiter, sed accidẽtariè ineptã cõtra ctui, & ex mera iuris positiui dispositione. Imo id existimo fortasse verũ de impedimẽ to inter fratres, vt supra ostensum est. Cum ergo iure tantũ positiuo cõstet affinitatis im pedimentũ, nõ est mirũ, si præcedens affini tas impediat ex dispositione iuris, subse quẽs vero nõ dissoluat. Neq; enim potestas est in Ecclesia dissoluẽdi verũ, & legitimũ, consummatum & abinitio validũ matrimo niũ, sed tantũ declarãdi nullũ fuisse, si re vera à principio in firmũ fuit. Est tamẽ potestas apponendi impedimẽta, quæ ita impediãt, vt cõtractus nõ sortiatur effectũ. At ve rõ si corpus aptũ generationi est materia ne cessaria substãtialiter ad contractũ matrimo nij, vt opposita docet sentẽtia, sicut muta to sexu dissoluitur, dissolueretur etiã superue niẽte impotẽtia perpetua ex defectu quidẽ necessariæ materiæ.

5 Deinde non esse necessariam materiã corpus aptum copulæ cõiugali in ordine ad generationẽ, ex eo cõstare potest, quia eius modi potentia tantũ requiri potest, quando celebratur matrimoniũ cum ordine ad copu lã, quod necessariũ non esse ad validitatem matrimonij cõiectari potest ex Virginis Bea tissimæ cõiugio. Si namq; illa voverat absolutẽ virginitatem, & ante matrimoniũ: erat ergo corpus eius ineptum ad coniugalẽ copulã: atq; adeo neq; expressẽ neq; implicitè potuit esse cõsensus in illã absque peccato, aliquidq; diminuisset de virginitatis propo sito, si etiã sub conditione consensisset in car nalem copulam. Itaq; corpus eius, qui virgi nitatem absolutè vouit ante coniugium, im peditum est, vt nulla ratione possit in copu lam consentire, nec in prolem, tanquam in finem ferri, cum in vsu, quod est obiectum eius consensus, sit peccatum, & sacrilegiũ. Quod autem corpus impeditum sit impotẽ tia physica vel morali, ad id de quo agimus, parum refert. Tantum enim contendimus cum inhabilitate manifesta ad copulam, & prolem, & sine vllo consensu etiam implici to in illam, posse contrahi matrimonium. Quod æque verũ est in vno casu, & in alio. Et explico adhuc magis. Inquiro ab istis, supposita inhabilitate per votum virginitatis antecẽdens matrimonium, quomodo cum proposito absoluto virginitatem seruandi potest esse vel implicitus consensus in copulam? Quid refert tradere corpus de se aptum ad illam, cum voluntas renuat: Cõ sensus enim ille ideo dicitur implicitus in copulam, quia explitè transfero dominium corporis habilis ad prolem. Et si non aliud explico, tacitè videtur ferri animus in prolem, & in medium ad illam: attamen si cum transfero dominium in coniugem expressẽ habeo votum seruandæ virginitatis, quomo do est tacitus consensus copulæ? Corpus enim aptum tradere ideo consensus tacitus reputatur, non quia est illud de se habile ad copulam, sed quia dum ego non renuo, taci tè videtur ordinari mea præsumpta volunta te in copulam. Si ergo matrimonium virgi nis, quæ absolutè, & antecedenter virginita tem vouerat, & in eodem perstabat propositio, sine vlla prorsus translatione dominij corporis in ordine ad copulam, quæ esse nõ poterat in hoc casu, quamuis translato suo corpore in potestatem viri ad naturalem vi tæ societatem, quæ si non adesset votum ra dix est iuris ad copulam, valide, & verè con tractum est ad castè viuendum: & iam matri monium potentis cum impotente cognita impotentia ad castè quoque vitam transigẽ dam, firmum omnino censeri debet inspe cta naturali ratione, & æquitate. Ampliusque patebit ex literis Sixti V. quas expende mus postea. Quid autem secundum ius Ec clesiasticum dicendum sit, ostendam capite sequenti.

Matrimonium eorum impotentium, de quo est sermo, validum esse iure quoque Ecclesiastico.

CAPVT LVIII.

SVMMARIVM.

Probatur eadem sententia ex cap. consultationi, de frigidis, num. 1.

Et ex cap. requisiuisti, eodem, num. 2.

Quædam interpretatio refellitur, num. 3.

Et ex Gregorio I. in cap. requisiuisti, 33. quæst. 1. num. 4.

Explicatur phrasis illa, quas vt vxores habere nõ possunt, habeant vt sorores ex Hieronymo, Augustino, Clemẽte Alexãdrino, & Cõcilijs, n. 5.

1 Non

1 NON solùm in specto tantum naturali iure valide cõtrahitur matrimonium inter huiusmodi impotentes ad castè viuendum, sed etiam secũdum ius Ecclesiasticum: & eiusmodi matrimonium firmum, & ratum semper iudicauit Ecclesia. Id constat ex nonnullis capitibus. Primum est. *cap. consultationis de frigidis, & malefic.* Vbi Lucius Papa sic inquit. *Consultationi tuæ, qua nos consuluisti, vtrum fœminæ clausæ impotentes commiscerí maribus, matrimonium possint contrahere, & si contraxerint, an debeant rescindi, taliter respondemus. Quod licet incredibile videatur, quod aliquis cum talibus contrahat matrimonium, Romana tamen Ecclesia consueuit in consimilibus iudicare, vt quas tamquam vxores habere non possunt, habeant vt sorores.* Hactenus Lucius. In quo testimonio primum expendendum est agi de contractu valido matrimonij, non de cohabitatione aliqua sine contractu, quod planum est ex specie facti, quæ proposita fuit Pontifici, indicantque etiam illa verba, *& si contraxerint, debeant rescindi*, quæ verba contractum sonant. Deinde considerandum est agi de eo, qui contrahit cum fœmina ita clausa, vt adiri non possit, cognita ea impotentia, & non de matrimonio potentis cum impotente, ignorata impotentia, vt quidam obijcienti mihi respondebat. Quod tamẽ falsum esse, vel ex eo constat, quod initio suæ responsionis inquit Pontifex. *Licet incredibile videatur, quod quis cum talibus contrahat matrimonium.* At quî incredibile esset multos contrahentes reperiri, si sermo esset de impotentia ignorata? Id certè euenire facile posset. Quod autem impotentia cognita quis contrahat, mirum est, cum omnes fere contrahentes, patris vel matris dulcissimam appellationẽ ardẽter appetant. Loquitur itaque de impotentia cognita in contractu, de quo dubitare non licet, nisi cæco. Quid ergo fieri debet, cum quis contrahit cum alio cognita impotentia? Poterunt ne inire coniugia ad vacandum rei vxoriæ? Minimè sanè. *Sed quas vt vxores habere non possunt* (inquit Pontifex) *habeant vt sorores*, hoc est, castè viuant, atque ita se habeant, quod ad oscula, tactus amplexusque pertinet, ac si cum sorore viuerent. Decernit ergo Pontifex eorum coniugia valide celebrata, dummodo castè viuere velint.

2 Præterea nostram videtur confirmare sententiam responsum Cælestini III. *capite Requisisti, eodem titulo*, vbi hæc habet. *Requisisti quantum tempus indulgendum sit naturaliter frigidis ad experientiam copulæ nuptialis. Et infra. Nos vero in præsenti consultatione sentimus, vt à tempore celebrati coniugij, si frigiditas prius probari non possit, cohabitent per triennium: quo elapso si nec tum habitare voluerint, & iuxta decretum Gregorij mulier per iustum iudicium de viro probare potuerit, quod cum ea coire non possit, accipiat aliam. Si autem ille aliam acceperit, separentur. Quod si ambo consentiant simul esse, vir eam, & si non vt vxorem, saltem vt sororem habeat.* Hæc Cælestinus. In quibus decernit valere matrimonium, si sit ad castè viuendum, vt eam, qua vxore maritali licentia vti non potest, habeat vt sororem.

3 Sed existimabit quidam ex his, qui se peritos existimant, his & similibus capitulis tantum decerni, vt quantum ad cohabitationem, & cõmunicationem officiorum domus possint se in totã vitã cõfœderare, & obligare, vt fœmina seruiat viro, & vir alat fœminã, quæ quidem confœderatio non matrimonium, sed societas quædam ciuilis est. Sed profectò isti non tam ratione conuincẽdi sunt, quam Latinè docẽdi, nam si vel verborũ cõstructionẽ tenerẽt, satis hæc sua suppresisissent. Quæritur â Lucio Põtifice, quid fieri debeat de matrimonio impotentiũ cognita impotentia celebrato, & an, si iã contractũ est, rescindi debeat. Dicant isti nomine cõtractus matrimonij, vel rescisionis cõtractus quid intelligũt? An separationẽ tantum habitationis, & huius, quam vocant confœderationem, vel rescisionem vinculi cõiugij. Si primũ dicant errãt plenè. Si secundũ, non ergo de hac ciuili societate agit Pontifex, sed de vero matrimonij vinculo. Quid multa in re tam aperta expugnanda? Respondet Pontifex. *Et si incredibile videtur, quod quis cum talibus contrahat matrimonium, tamen in similibus*, &c. De contractu ergo matrimonij loquitur, non de cohabitatione, & congregatione ciuili, & iudicium Ecclesiæ illud esse dicit, vt qui sic contraxerunt castè viuant. Sed fefellit istos quiddam, quod eo dabo, & enucleabo statim. Præterea, vt cingam eos vndique telis, quid voluit Cælestinus cum dixit, *In præsenti consultatione sentimus, vt à tempore celebrati coniugij, si frigiditas probari non possit, cohabitent per triẽnium.* Quid illud est, *cohabitare per triẽnium?* certè manere cum vinculo matrimonij. Cum ergò statim addit; *quo elapso, si nec tunc cohabitare voluerint*, cohabitandi verbum significat etiam perseuerare adstrictos coniugij

gij nexu. Quod si cohabitare voluerint, id est, sic adstricti manere, caste viuant iuxta decretum Gregorij I. quem, quia citat Pontifex, testem adhibeamus etiam, vt & isti obruantur multo magis, & nostra sententia corroboretur amplius.

4 Gregorius ergo cap. *requisisti* 33. q. 1. quod ex epistola eius ad Episcopum Rauennatensem scripta desumptum est, ita respondet. *Requisisti de his, qui ob causam frigidæ naturæ dicunt se non posse inuicem operam carni dantes commiscere: iste vero, si non potest ea vti pro vxore, habeat vt sororem. Quod si retinaculum coniugale voluerit rescindere, maneant vtrique innupti, &c.* Quid clarius? Si impotens non vult eam, cui vxorius esse non potest, quasi sororem habere, retinaculum coniugale rescindatur. Si ergo haberet quasi sororem, permaneret retinaculum coniugale. Non enim manet tantum ciuilis societas, sed verum matrimonij vinculum sine vllo ordine ad copulam, ad caste tantum viuendum. Denique grauis iniuria Pontifici irrogaretur, si eius decretum esset, vt cohabitarent simul sublato vinculo matrimonij. Tam magno periculo Sanctissimi Patres permitterent habitare simul virum, & fœminam, qui tam anxie etiam sorores ipsas, vt Augustinus, quo magis alieni essent à suspicione, pellebant domo? At inquies. Idem sequitur inconueniens, si cohabitent simul nupti, prohibiti vacare rei vxoriæ, sed non vides teneri iam illos vinculo indissolubili coniugij. Iudicarunt enim Patres matrimonium ad caste viuendum esse validum, atque ita illis volentibus caste viuere non dissolui Ecclesiæ auctoritate. His adde Alexandrum III. in Append. Lateran. Concilij part. 3. cap. 24.

5 Sed fefellit multos phrasis illa Pontificum: *Quas vt vxores habere non possunt, habeant vt sorores.* Qua existimarunt significari matrimonia rescindi, tantumque relinqui coniunctionem aliquam, & cohabitationem ciuilem. Cæterum ignorantia antiquitatis lapsi sunt, hac enim formula tantum significatur coniuges illos non daturos operam ijs actibus, quos licitos efficit maritale consortium inter eos, qui obeundo muneri potentes sunt, sed caste victuros, ac si cum sorore versarentur, manente tamen vinculo coniugij. Id in primis satis liquido constat ex verbis Gregorij cum dicat, *Si nolit eam habere quasi sororem, retinaculum coniugij rescindendum esse.* Ergo vt sororem habere, non est sublato matrimonij vinculo in eadem domo simul habitare, sed caste viuere, alias non esset rescindendum vllum retinaculum coniugij. Sed & huius phrasis sensum esse, quem diximus, confirmo amplius ex Hieronymi epistola ad Rusticum, quæ dicit: *Narrauit mihi vxor quondam tua, nunc soror, atque conserua, quod iuxta præceptum Apostoli abstineritis vos ex consensu ab opere nuptiarum, vt vacaretis orationi, &c.* Ecce Rustici coniugem vxoris appellatione significat, quando vxorijs actibus concupiscentiæ medebantur: quando vero ex consensu abstinere ab huiusmodi actibus decreuerunt, illi sororis nuncupationem indidit. Et initio epistolæ cum coniugem appellasset, subdit. *Imo sororis ex coniuge atque conserua.* Confirmo etiam ex Augustino lib. vnico de vera relig. cap. 41. colum. 2. *Hoc & fœminis præcipi potest non maritali, sed fraterno iure.* Et paulo post. *Quod in multis viduis, & virginibus Dei, in multis etiam maritatis. Sed iam fraterne coniugalia iura seruantibus Christiani populi dispensatione manifestum est.* Hæc Aug. Antiquior his Clemens Alexand. optimum nobis offert testimonium ad huius locutionis sensum rectè percipiendum lib. 6. Stromatum cap. 5. pag. mihi 659. *Vxor autem ei soror post liberorum susceptionem indicatur, tanquam quæ sit eodem patre nata, tunc solum viri recordas, quando filios adspexerit, vt quæ sit vera futura soror post carnis depositionem quæ diuidit, & distinguit cognitionem spiritualium proprietate sexuum.* Confirmemus etiam phrasim istam in ea significatione vsurpatam Conciliorum decretis Aruernense sub Vigilio Papa anno Christi 541. c. 12 *Cum Presbyteri, atque Diaconi sublimi dignitatis apice prærogentur, actibusque omnino sæculi renuntient, & ad sacram ministerium electi repudient, & quisquis & Presbyter atque Diaconus diuino munere benedictione præcipua vxoris suæ prius frater, illico efficiatur ex coniuge, &c.* Loquitur de presbyteris ante ordinationem coniugatis, vt constat, quem ordinatione percepta fratrem effici ex coniuge docet, quia scilicet postpositum in ordinatione emissum, iterum ad vxorios actus redire non permissum. Turonense 2. sub Ioanne III. anno Christi 570. can. 13. *Episcopus coniugem vt sororem habeat, & ita sancta gubernatione gubernet, domum omnem tam Ecclesiasticam, quam propriam, vt nulla de eo suspicio quaqua ratione consurgat, &c.* Adiungendus canon 20. ex eodem Concilio, vbi forma perscribitur, quomodo se Presbyteri Diaconi, & Subdiaconi gerere debeant cum vxoribus, quas antea duxissent. Et Matisconense 1. sub Pe-

lagio 2. anno Christi 582. can. 11. *Episcopi, presbyteri, vel vniuersi honoratiores clerici, cum sublimi dignitatis apice sublimentur, actibus omnino renuntient sæculi, & sacro electi ministerio repudient carnale consortiũ, ac permixtionis priſtinæ contuberniũ permutent germanitatis affectu, & quisquis est diuino munere benedictione percepta, vxoris prius fuæ frater illico efficiatur ex coniuge, &c.* Adde etiã *c. presbyter quidam* 32. *d.* ex Gregorio Magno, vt sex testibus omni exceptione maioribus res ista maneat probata satis. Hinc etiam emanauit illud *ex carnali fieri spirituale commercium cap. lex continentiæ & cap. omnino*, vbi etiam eadem sororis phrasis vsurpatur, & iuxta illam explicatur illud Pauli; *Nunquid non habemus potestatem mulierem circunducendi* 31. *d. & cap. seriatim* 32. *d.* Constat ergò eiusmodi impotentes iure naturæ validè ad casté viuendũ contrahere, & iure etiam Ecclesiastico eiusmodi matrimonia valuisse hactenus, valere que deinceps. Nã Sixtus V. qui nobis opponi posset, de eunuchis vtroque teste carentibus expressè loquitur, vt dicam in sequentibus.

Soluuntur argumenta pro prima opinione adducta.

CAPVT. LIX.

SVMMARIVM.

Ad primum argumentum Bonauenturæ respondetur, n. 1.

Soluitur secundum. Coniugium inter fratrem & sororem non esse irritum iure naturali, numero 2.

Soluitur tertiũ, & ratio redditur, cur inter duos homines contrahi non possit matrimonium, num. 3.

Etiam in eo matrimonio committi adulterium, num. 4.

Posse voluntate contrahentiũ separari ordinem ad copulam à contractu matrimonij, numero 5.

1 SVpereſt dissoluamus argumenta, quæ pro prima opinione confecimus. Impugnantque tam id, quod de primo impotẽtium genere definiuimus, quam id quod de Eunuchis postea dicemus. Nec verò ex dictis onerosum erit valde nodos illos nõ scindere sed dissoluere. Ad primum satis constat ex his quæ dicta sunt, sci licet non esse necessariam in contractu matrimonij translationem dominij in ordine ad copulam, sed tantum in ordine ad naturalem vitæ coniunctionem, mutuaque obsequia, quæ ob vitam domi foriſque transigẽdam necessaria sunt, licet illa prima translatio sit ex sua natura radix secundæ: id quod satis nobis probatũ est supra ratione, & nisi fallor demonstratum. Vnde eo argumento rectè probatur non posse inter impotentes matrimonium celebrari cum ordine ad copulam.

2 Ad secundum respondemus, qui matrimonium inter fratres dicunt iure naturæ prohiberi, eius rationem reddent, quam vide apud Rebellum 2. p. lib. 2. q. 13. sect. 5. Mihi namque longe verosimilius semper visum est non esse impedimentum iure naturæ, sed tantum positiuo diuino vel Ecclesiastico, atque ita secundum naturæ leges valide posse celebrari cõiugia inter fratres; sed de hoc iam supra disputatum est. Hoc ergo posito nullam vim habet obiectio, fatemur enim spectato naturæ iure tam ad caste viuendum, quam in ordine ad copulam inter fratres valere matrimonia.

3 Ad tertium solutio est facillima, mirorque alios valde sibi in illo argumento placuisse. Non potest contrahi coniugium inter duos homines, aut duas fœminas ad caste viuendum: quia sexus requiritur diuersitas. Quod si vlterius huius rationem quæras; addo petendam ex ipsa natura communis Societatis & vitæ; non enim vir cum viro naturalem integram efficit Societatem, sed vir cum fœmina, sic enim imbecillior sexus fortiori firmatur, & communia vitæ officia iuxta naturæ exigẽtiam diuiduntur inter vtrumque coniugem. Nec enim fœminis forensia competunt, & (vt optimo I. C. l. 1. D. de postulando) prohibitæ sunt postulare fœminæ, ne scilicet contra pudicitiam sexui congruentem se alienis negotijs immisceant, aut virilibus fungantur officijs. Nec vero viros in domesticis tractandis detineri æquum est. Ideo ergo sexus diuersitas ad naturalem vitæ societatem, quam intendit matrimoniũ, etiã ad caste viuendũ cõtractũ requisita est. Adde requiri ad matrimonium eam translationẽ dominij, quæ ex se sit radix iuris ad copulam, licet impedimentum adsit. Si enim duobus ita contrahẽtibus auferretur impotẽtia, & miscerentur non essent adulteri, nec fornicatores, sed contra votum agerent, vel cõtra propositũ prius. Illud autem argumentum. Erunt duo

in

in carne vna, quod de primis coniugibut affirmauit Deus, quoque videtur probari id respicere matrimoniũ, vt fiant scilicet vna caro, inane est ac futile, cum verba illa complures longeque diuersas patiantur explicationes, quas refert Ioannes Medina loco citato, ideo ab illis adducẽdis supersedeo. Deinde vnde tenet de matrimonio contracto ad procreãdos liberos, dixit Deus. Erũt duo in carne vna. Ergo hæc est ratio omnis matrimonij, aut non potest nisi ad procreãdos liberos procreari.

4 Ad quartum dicendum est etiam quãuis existimaret aliquis nihil absurde dicere eum, qui sentiret in eo casu non committi adulterium, nisi expresse accederet pactum de seruanda tori fide, & id pactũ, vt vel tacite, vel expresse interueniat, necesse esse, vt colligi posset non omnino male ex Augustino lib. de bono coniug. c. 5. attamen verius mihi videtur etiam in eo casu adulterium cõmittere fœminam, quæ sui corporis alteri copiam fecerit, parũque refert, quod vir non contraxerit in ordine ad copulam. Huiusmodi nãque fides debetur ex ipsa natura coniugij, quod dominiũ habet vir corporis fœminæ & è contra, quo dominio impeditur fœmina, ne in alienos vsus conueniat, est enim vt diximus id dominiũ radix iuris ad copulam ex se. Itaque in coniugij contractu meditanda sunt quasi duo iura viri in corpus fœminæ, vnum ad vtẽdum illo in actibus maritalibus: alterum ne alius eo vtatur, vtrumque ius obtinet vir, qui consueto modo contrahit. Impotens vero qui ad caste viuendum matrimonium celebrat, nõ habet primum ius licet habeat eius radicem: habet tamen secundum, eo ipso quod vir est, & habet eius corporis potestatem, ne alijs seruiat, qua etiam potestate illius vota irritare potest, & alia, quæ iurisdictionẽ olent, & illa tenetur obsequi. Adde etiam ipso matrimonij vinculo propriũ fieri honorem cuiusque coniugis: tenetur ergo fœmina honori viri consulere, contraquẽ facit, dum sui corporis vsum alijs præbet, quamuis contraxerint ad caste viuendum; vnde verbis supra relatis optime dixit Augustinus: si ergo seruatur fides honoris, & obsequiorum inuicem debitorum ab alterutro sexu, etiamsi langueſcentibus, & cadauerinis vtriusque membris, &c. Quibus insinuauit etiam in hoc impotentium castissimo matrimonio fidem honoris seruandam, & locum sibi vendicare.

5 Ad vltimum iam constat in matrimonio, de quo loquimur, non tradi corpus habile ad copulam, quin potius inhabile altero coniuge sciente, & contrahi sine ordine ad copulam. Id autem quod infertur posse contrahentes propria voluntate separare dominium hoc in ordine ad copulam, etiã si potẽtes sint, nihil habet absurdi, sed ideſt, quod asseruimus hactenus, & clamat Augustinus lib. de bono coniugali citato. Itaque concedendum est, licet non possint non transferre dominium, quod est radix eius iuris ad copulam; in eo enim consistit natura matrimonij, vt dictum est. Et de quæstione ista, quam pauci disputarunt, & nescio an vllus exacte, hæc dicta sufficiant.

Quo casu impotentia dirimat, & obseruantur pro explicatione nonnulla.

CAPVT LX.

SVMMARIVM.

Impotentiam dirimere matrimonium contractũ in ordine ad copulam, n. 1.
Duplex genus impotentium distinguitur, n. 2.
Impotentia rursus diuiditur, n. 3.
Alia etiam temporalis & perpetua, respectiua & absoluta, n. 4.
Conclusio initio proposita explicatur, n. 5.

1 AT si matrimonium secundo modo consideretur, certum est impotentiam dirimere matrimonium iure naturali, quia cum impossibilis sit vsus non potest stare contractus, qui non nisi ad illum vsum celebratur. Quare etiam inter infideles eiusmodi coniugium est irritum. Nullum etiam est iure positiuo c. 1. *& sequẽtibus q. 1. & cap. 1. cum alijs de frigidis & maleficiatis.* Id quod verum est, siue ea impotentia proueniat ex frigiditate, aut nimia debilitate, vt in senio confectis, aut ex nimia caliditate, qua effusio copulam ante veniat, si huic morbo medicinæ ope subueniri non potest: vel ex inepta corporis constitutione, aut nimis stricto vase fœmineo, siue ex maleficio perpetuo: & idem est si impotentia sit tantum respectiua, si eadem impotentia perpetua esse potest, vt dicam in sequentibus. Non tamẽ inter eã im-

potentiam enumeratur difficultas pariendi dummodo coire possint: illa enim difficultas ad id, de quo agimus, accidētaria est. Hæc autem conclusio, quæ ex iure notissima est, illustranda quidem ânobis, & vlterius explicanda, vt intelligatur de quo impotentiæ genere sermo sit in ea iuris decisione.

2 Supponēdū ergo in primis est duplex esse impotentiæ genus. Quidam sunt, qui cū nullo teste careāt, vel saltem vno gaudeāt, attamen vel nimia debilitate, vel ex impro portione, aut praua compositione inhabiles sunt ad cōgressum cum fœmina. Alij verò sunt vtroque teste carentes, quos Eunuchos vocamus, mutili, execti, neque viri neque fœminæ. Isti ad matrimonium ineundum ad castè viuendum non sunt inhabiles iure naturali, neque fuerunt etiam iure positiuo vsque ad Sixtum V. qui suis literis illos reddidit inhabiles ad quouis modo contrahendum, quas refero & expendo late 1. p. variar. disput. 9. citata & de illis dicā postea. Est tamen Eunuchismus siue cognitus, siue ignotus impedimentum dirimens, quo uis modo celebratum matrimonium à tempore Sixti V.

3 Præmittamus deinde duplex accidere posse impotentiæ genus; quædam enim est impotentia coeundi, alia vero generandi. Hæc dicitur, quæ sufficiens cū sit ad eā carnalem coniunctionem, qua viri & fœmina efficiantur vna caro, inutilis tamen est, vt sequi possit generatio defectu seminis natura sua prolifici, aut fœcundi, vnde labor ille nō alius quā arenam irrigare. Prior vero impotentia est, quæ quamuis sufficiat ad effusionem seminis ex languido membro, nunquam tamen ita erigitur, vt congredi cū fœmina valeat, ita vt sint duo in carne vna. Quem languorē miserè deplorāt multæ Petronianæ Circes, nec pudor fœmineus obstat, quominus sæpe dicāt illud Quintiliani. *Non satis est maritū solo tantū osculo putari*, illud itē cū fœmina apud Appuleiū expostulant: *Ego verò maritū rarissimè Venerē meā recolentem sustineo.* Nihil illis iniucundius, nihil quod exasperet magis, quam coacta hæc Veneris abstinentia grata & expectata voluptate carere, si quo legitimo ardore pruriens fœmina, à viro, cuius effœtæ vires deficiunt, illæsa & intacta dimittatur; statim triste supercilium, rixæ, implacabiles iræ ignes, qui sine illa aqua extingui vix poterunt. Vnde Ouidius. *Sed lateri nec parce tuo, pax omnis in illo est.* Et idem eodem libro: *Blanda truces animos fertur molliisse voluptas.* Ostendunt sane se primo loco habere voluptatem, deinde prolis spem. Sed hactenus adhuc explicata non est, quam vocemus impotentiam coeundi. Quamuis enim erigatur membrum, claustra aperire possit, non ideo est potentia coeundi, nisi emittere etiam possit verum semen. Quod propter Eunuchos dixerim, quorum aliquos fortius cum fœminis congressos, multa & superioris ætatis & nostræ testantur exempla, & clandestinæ fœminarum cum illis amicitiæ, quas eo ardentius appetunt, quo sua voluptate securius perfruūtur, eorum infœcunditate illis adimente conceptionis metum. Impotentiam ergo cōeundi voco impotentiam verè seminandi intra fœmineum vas, siue sit semen sua natura sterile, siue fœcundum; ratione cuius seminationis fiant vna caro, quod Eunuchis conuenire non potest, cum verè non seminent ex certo medicorum iudicio, & philosophica ratione, sed vt plurimū humorem emittant aqueum à seminis ratione omnino diuersum. Nec etiam illis, qui intra vas nihil seminare possunt, qui defectus suppleri non potest, etiamsi fœmina cedat iuri suo, si tamen aliàs contraxit ad vacādū rei vxoriæ. Quare senes, in quibus iam medicinali arte non potest esse copula coniugalis, impotentes cēnsendi ad coeundum. Nostra igitur quæstio nequaquam de impotentia generandi suscipitur, constat enim valida esse matrimonia contracta inter steriles, sed de impotentibus ad coeundum ea ratione, quam diximus.

4 Addamus præterea huiusmodi impotentiam coeundi duplicem esse posse, aut temporalem, aut perpetuam. Temporalis est, quæ medio aliquo facili & secundum ius, & æquitatem licito auferri potest, & quod infra latius explicatur. Et de hoc impotentiæ genere non dubitamus, constat enim matrimonia contracta quomodocumque, siue ad castè viuendum, siue ad vacandum rei vxoriæ inter huiusmodi impotentes esse valida, imo & sine peccato fieri posse, quidquid nonnulli dicant, nam præceptum reddendi debitum est affirmatiuum ac obligat pro tempore, quo habilis est. Quod etiam verum est, quamuis sit ignota ea temporalis impotentia alteri coniugi, nō enim est error circa substātiā, vt dixi supra lib. 4. Nec si quādoque cōtingat seminare extra vas, multū id curādū est, dūmodo tā vir quā fœmina id certè conētur, vt recta incedat via, donec pateat aditus. Verosimile

rosimile enim est Ecclesiam, dum triennij tẽpus ad experiendũ potentiam aut impotentiam coniugatis concesserit, multa huiusmodi euentura præuidisse, tandẽque voluit cõiuges in isto conatu esse toto triennio, ita vt si effusio seminis extra vas, vel quid simile acciderit, nõ ex animo, sed præter intentionẽ, & conatũ eorũ eueniret. Quod maximè aduertendũ est ad quarũdam fœminarũ scrupulos euitandos, de quibus sæpe consultus ita respõdi. Impotentia verò perpetua erit â cõtrario, quæ nullo remedio licito secundum ius & æquitatẽ tolli potest, quod statim amplius explicabo. Hæc quoque impotentia perpetua rursum duplex, quædam absoluta, qua scilicet impotens est coniux ad quẽcũque congressum; quædam vero respectiua, qua coniux impotens est ad cõgrediẽdum cum ista, virgine scilicet, aut quæ nimis sit arcta, non vero vt congrediatur cũ fœmina iam virum experta, vel quam non ita natura clauserit.

5 Concluſio ergò proposita non intelligitur de impotentia generandi, aliàs inter steriles non posset constare matrimonium: neque de impotentia tẽporali, siue ea oriatur ex debilitate ratione frigidæ complexionis, & iuuenilis ætatis, vel ratione malesicij; vnde ea impotentia non dirimit matrimonium. Sed intelligenda est de impotentia perpetua. An verò de impotentia perpetua, absoluta tantum, vel etiam respectiua dicam cap. sequenti, cum ostendamus posse esse impotentiam respectiuam, simul & perpetuam.

Impotentiam respectiuam posse esse perpetuam, atque adeò ea dirimi matrimonium.

CAPVT LXI.

SVMMARIVM.

Impotentiam respectiuam non esse perpetuã quidam dicunt, n. 1.
Verius oppositum, n. 2.
Eius probatio ex ratione, n. 3. 4.
Ex iure Partitarum, n. 5.
Ex iure Ecclesiastico, n. 6. 7.
Et ex his, quæ DD. oppositæ sententiæ fatentur, num. 8.
Obijcitur ex cap. laudabilem, de frigidis, n. 9.
Vera interpretatio, n. 10. 11.

1 SED hoc loco existit dubitatio, an cõuenire simul possint impotentia respectiua & perpetua? Nonnulli sunt ex Scholasticis, qui constantissimè negant id euenire vnquam posse, sed cum coniugem, qui habilis est ad congressum cũ aliquo, habilẽ etiã remedio aliquo facile fieri posse, vt congrediatur cum alijs. Ex quo colligunt hanc respectiuam impotentiam neutiquam dirimere matrimonium. Id sensit D. Thomas in 4. dist. 34. q. 1. art. 2. ad 5.

2 Oppositã nihilominus sententiam absolutè veriorẽ & tutam in praxi semper iudicaui: quam probabo ratione, iure, & consensu Doctorum, qui priori opinioni adhærẽt, si prius auctores pro nostra retulero. Ita docet Palud. in 4. dist. 34. q. 2. Durandus eadem dist. q. 2. Syluest. verbo. Diuortium §. 12. Antonimus 3. p. tit. 1. c. 12. Bassolis in 4. distinctione 34. q. vnica Supplem. Gabrielis eadẽ dist. q. 1. art. 2. Veracruz in speculo art. 38. Turrecremata 33. *q. 1. c. Quod autem.* Hostiensis in summa Glossa in *c. Fraternitatis de frigidis & malefic.* in verbo, *simili, &c* alij Recentiores.

3 Sed probemus ratione, quæ vt procedat, suppono inhabilitatẽ hanc coniugũ ad conueniendũ, de qua loquimur, consistere in aliquo naturali defectu, qui alicui eorum vel vtriq; inest, obestque ne inuicem congrediantur, qui defectus, vt cæpi dicere, tũc perpetuus iudicari debet, quãdo medio aliquo facili, & licito secundum iura, talique vt prudentia & æquitas admittendũ iubeat, tolli non potest. Quod enim fieri nõ potest, nisi aliquo præternaturali medio, illicito, aut cũ vitæ periculo, aut cũ graui aliquo incõuenienti, id nec ius nec prudentia, nec ratio fieri posse dictat, sed respuit, nec executioni mandandũ censet. Vnde, sicut lethale aliquod vulnus medico incurabile est, quãuis chirurgo forte nõ sit, & è cõtra grauis aliquis morbus extra remedium erit chirurgo, quãuis nõ ita cẽseatur à medico: ita merito Adinatõ est iuri & æquitati, quod secundũ leges illius fieri non potest, id enim possumus, quod iure possumus. Addo etiã, vt rationẽ colligã, euenire interdũ posse fœminã aliquã tam arcti esse sigilli, vt ab hoc referari non possint clausura virginitatis, quãuis ab alio valeant. Similiter etiã fieri potest, vt vir aliquis cõgredi cũ aliqua fœmina nequeat, valẽs tamen aliã corrumpere, vt satis docet experientia, nec repugnat ratio. Nam defectus hic vel oritur ex viri debilitate, vel nimis arcto fœminæ sigillo, aut ex im-

proportione, quæ inter vtrosq; reperitur. Debilitas aut sigilli cõstrictio nõ est eiusdẽ rationis in omnibus, sed quidã magis aut minus debiles, quædam magis & minus adstrictæ. Vnde facile est euenire aliquẽ potentẽ esse ad tentandũ aditum nõ ita præclusum, qui tamen clausturũ aliud perrumpere non valeat: Quod idẽ de fœmina censendum est, ac de impotentia, quæ ex mẽbrorum vtriusque coniugis improportione, aut praua & distorta compositione prouenit.

4 Ex his facili & aperta ratiocinatione colligitur nostra sententia, posse scilicet inter aliquos intercedere respectiuam tantum impotẽtiam, eamque perpetuam. Vir enim aliquantulum debilis cum fœmina adeo arcta iungi matrimonio continget, qui perpetuo ad congressum erunt inhabiles, & tamen ille aliam, quæ zonam soluerit, oblectare poterit, & fœmina alium valentiorem non respuet. Potest ergo esse impotẽtia respectiua simul & perpetua.

5 Deinde, quantum ego iudico, casus iste in iure videtur expresse contineri, primo in *l.3.tit.8.part.4.* cuius hæc sunt verba. *Cerrada seyendo la muger, segun se dize en la ley ante desta, demanera que la vuiessen de partir de su marido, si acaeciesse que despues casasse con otro, que la conociesse carnalmente, deuela partir del segundo marido, è tornarla al primero, porque semeja, que si cõ el vuiesse fincado toda via, tambien la pudiera conocer, como el otro: pero antes que los departan, deuen catar, si son semejantes o iguales en aquellos miembros, que son menester para engendrar. E si entendieren que el primer marido auia tan grande miẽbro, o en tal manera parado, que por ninguna manera no la pudiera conocer sin gran peligro della, maguer en el vuiesse fincado, por tal razon no la deuen partir del segundo marido, porque parece manifiestamẽte, que el embargo que era entre ellos è el primer marido duraua por siempre.* Quid clarius?

6 Ad hæc etiam in *cap. fraternitatis, de frigidis & maleficiatis*, in postremo casu illius capitis hæc nostra sententia intimari videtur cum de fœmina quadam sermo fuit, ita arcta, vt â primo viro cui nupserat, cognosci nullo modo posit, ab illo separata nupsit alteri, à quo tãdem violata fuit. Quãuis enim in illo textu, nec decreuit, nec apertè dixit Põtifex validũ esse hoc secũdũ matrimoniũ, tacitè tamen id sensisse indicauit. Quod ex eo colligo, tũ quia eo loco explicuit glossa: Tum etiã quia postquã Pontifex in superioribus locutus est de fœmina, quæ sine magna vi & periculo vitæ rẽ habere cũ viro nõ poterat, in vuo casu expresse decreuerat esse matrimoniũ inualidũ, subijcit casum alterũ â nobis supra relatũ his verbis. *Similiter illa, quæ viro, cui nupserat, adeo arcta est, &c.* Quod verbũ supradicta refert, & id quod sequitur simile illi esse, & eiusdẽ rationis adstruit, atq; ideo indicat se idẽ in isto casu statuere, quod decreuerat in primo. Et Præterea, quia secũdus iste casus supponit primum & aliquid insuper addit in hũc modũ. Prius cõstituit Innocẽtius fœminã ita arctã, vt nullo medio nisi violento, & cũ manifesto vitæ periculo referari posit, & hãc expresse definit matrimonio ineptã. Deinde in secundo casu id agit ex hypothesi, quod hæc ita arcta mulier cuidã nuberet, à quo iudicio Ecclesiæ separaretur, illaque alteri iungeretur postea, cui nõ ita arcta esset, vt cognosci non posit, sed paulatim simul vitam agentes cõmuni, & iuxta naturã medio huic secundo fieret habilis, quod tamen nec ars nec medicina sine vitæ manifesto periculo efficere potuisset cõparatione primi, discutit an secundũ matrimonium sit validũ, an verò primum. Et quamuis in his non facile iudicandũ docet, cũ multa pendeant ex euentu futuro, & multæ fraudes interuenire possint, tamen ex Innocentij doctrina in eo capite colligitur sensisse hoc postremũ matrimoniũ valere, quia priori viro reddi apta non poterat, nisi cum alio, cuius comparatione minus arcta esset, congredetur, quod medium illicitum cum sit â iure reijcitur.

7 Sed ostẽdo præterea hãc esse mẽtẽ Põtificis in eo capite ex eius textus specie, quæ talis est. Quædã fœmina iũcta matrimonio ita se arctã dicebat, vt â viro, cui nupserat, per multos annos cognosci nõ posset. Adhibitæ ad inspiciẽdũ fœminæ iudicarũt illam omnino inhabilẽ cuicũque viro ex defectu naturalis instrumẽti: ideo diuortiũ celebratũ est, & matrimoniũ declaratũ nullum: illa postea cõmiscetur alteri, à quo referata sunt claustra illa. Ecce litẽ. Inquiritur à Pontifice quodnam ex his duobus matrimonijs valeat: Respondet in primis edocendum fuisse Põtificem, quo medio referatæ fuerint illæ seræ, an artificio medici, vel viri concubitu, vel alio quolibet modo. Sed quoniã de hoc nil Perlatũ est ad Põtificẽ, addidit deinde secundũ matrimoniũ nullũ, primũ verò firmũ, nec sine ratione sententiam profert, quia scilicet impedimentũ illud etiã cõparationem primi nõ erat perpetuũ, quod ex duplici capite colligitur. Primũ quod præter

diuinum

diuinum miraculum per opus humanũ absque corporali periculo potuit remoueri; & deinde, quia vt experiẽtia cõstitit, potuit alteri homini, qui similis priori erat, copulari. In quo respõso Põtificis expẽdo duo aut tria, quæ valde ad rẽ nostrã faciũt. Primum illud esse perpetuũ impedimentũ, quod nisi per miraculũ, aut illicitũ mediũ remoueri nõpotest, & vbi id interuenerit matrimoniũ fore nullũ. Igitur si aliqua ita arcta sit cõparata Titio, v.g. vt ab illo non nisi per miraculũ, aut illicito medio cognosci queat, perpetuũ inter istos impedimentũ censendum est, atq; adeo de coniugij nullitate dubitari non debet. Et quidẽ satis ostendit Pontifex valde attendendũ esse ad proferendã sententiã, quo medio remoueri possit impedimẽtum, cũ cognitionẽ requirebat medij, quo præfata mulier reddita fuit habilis secũdo. Deinde expendo definijsse Pontificẽ inter præfatos coniuges non perpetuum impedimentum interueniisse, non quidem ex eo tãtũ, quod ab alio viro cognita fuerit illa fœmina, si enim ità decreuisset, manifeste nostræ aduersaretur sententiæ; sed inquit, *quod ipsa cognoscibilis erat illi, cuius simili commisceretur.* Perpende illud, *simili*, eiusdem scilicet compositionis & structuræ, quare non potuit esse primo viro inhabilis, quæ habilis erat viro eodem modo à natura composito, & efformato. Sumo argumentum à contrario. Si ergo à dissimili viro in rerum compositione, quantitate, & figura cognoscere tur, reuera iudicaretur perpetuum esse huic fœminæ cum priori viro impedimentum. Sed expendo denique obstetrices, quæ ad inspiciendam illam fœminam sunt adhibitæ, declarasse carere illam naturali instrumẽto, atque ideo omni viro ineptam: cuius tamẽ oppositum ostendit experientia, atque merito præsumpsit Põtifex primum matrimonium fraudibus dissolutum esse: atque ideo ad illud reuocandũ. Quod tamen diuersum est à nostro casu, de quo agimus, vt videant omnes, quam parum firmum fundamentum contra nos desumant nonnulli prioris sententiæ assertores ex huius capitis prima parte, quam hactenus considerauimus.

8 Denique confirmo sentẽtiam nostrã ex his quæ oppositæ sententiæ Doctores fatentur. Dicunt enim, si mulier aliqua, quæ iudicatur inhabilis viro, cui nupserat ab illo separetur, & postea copulata alteri, cognoscatur ab eo, ad priorẽ virũ redire debet: Quod si nec tũc prior vir cũ illa rẽ vxoriam habere possit, ad secundũ reuertatur, declaretur q; illi fœminæ cũ priori viro perpetuũ esse impedimentũ. Quod nihil aliud est, quã tandẽ nostram fateri sententiã, agnoscereq; perpetuã impotentiã cõparatione alicuius cũ habilitate ad alterũ, quod à principio negabant. Nã si inquiras ab illis rursus, quid si ille nubat alteri, illãque cognoscat, rursus ne tertio reuocandus erit ad priorem vxorẽ, quã iã secundo reuocatã agnoscere nõ potuit? Sed pone adhuc tertio ad primũ virũ reductã non posse cognosci ab eo, qui aliã fœminã potuit agnoscere? declarabitur certè perpetuũ cũ priori impedimentũ interuenire, qui tamen secundæ copulari potuit. Est ergo impedimentum impotentiæ respectiuæ simul & perpetuæ.

9 Sed his quæ diximus obstare videtur, quod in *cap. Laudabilem, de frigidis* ait Cœlestinus III. scilicet, eum qui ob frigidam naturam ab alio separatur, si alteri nubat, postea separandum à secundo coniuge & reddendum primo ibi: *Si autem ille aliam acceperit separentur.* Et in fine illius textus: *verum ille aliam duxerit, tunc hi qui iurauerant: reì periury teneantur, & peracta pœnitentia cogantur ad priora connubia redire.* Eadem antea Gregorius I. quem citat Cœlestinus respondérat in *cap. quod autem cap. requisisti 33. quæst. 1.*

10 Verùm isti Canones intelligẽdi sunt de eo qui frigidæ naturæ absolutè se esse dixerat, itaq; impotentiã absolute opposuerat. Vnde merito, si aliam ducit, ad primam redire cogitur, quia si impotens esset impotentia absoluta, omni fœminæ inhabilis esset. Quare, qui postquam ob impotentiam perpetuam separatus alteri nubit, merito cogitur ad priorem coniugem redire; nisi forte ille ad religionem transierit, & professionem emiserit, aut etiam vota simplicia, quæ verè religiosum constituant. Cum enim non sit cõsummatum matrimonium, ex Christi priuilegio dissoluitur, & in eo casu tenet matrimonium impotentis cum secunda, si illi inhabilis non est. At si is qui separatur fuerit sacris ordinibus initiatus, reuocatur ad priorem vxorem, quæ probans se perpetuò impotentem alteri verò nupsit; reddereque tenetur is, qui sacris initiatus: petere autẽ debiti solutionem nõ potest; itaque hi canones non loquuntur in specie nostri casus.

11 Et quidem hanc esse legitimã interpretationem ex eo euinco, quia Gregorius in suo responso, cuius meminit Cœlestinus III. citat Brocardicũ, quod habetur *cap. 1. de*

frigidis. At in eo textu de absoluta impotentia sermo est, dicitur enim in principio ibi, *& nunc primum dixisti te frigidæ esse naturæ, ita vt non possis cognoscere, neque cum illa neque cum aliqua alia*. Ergo de absoluta impotentia sermo erat. Adde ex eo etiam cõuinci id quod diximus verum esse, quia alias absurda esset Ecclesiæ decisio. Fac enim, postquam à secũdo viro separatur, & reuocatur ad primum adhuc esse ineptam primo? Quid faciendũ in eo casu? Restituenda sine dubio secundo, cum primo enim manere non potest ad maritales actus, quæ vult mater fieri. Ergo non de impotentia respectiua, sed absoluta in illis canonibus sermo erat. Nisi velimus dicere eos canones intelligendos de impotentia respectiua, & ideo, eam quæ nupsit secundo, separari ab illo, & ad primum redire præcipi, quia similis cõditionis & structuræ erat iuxta textum in *cap. fraternitatis, de frigidis*, vt iam ostendimus. Quouis ergo modo illos canones interpreteris, nobis ne quaquam aduersantur.

Quando fœmina cognosci à viro non potest, nisi incidatur, impedimentũ iudicandum esse perpetuum.

CAPVT. LXII.

SVMMARIVM.

Incisionem debere pati fœminã, vt sit habilis copulæ quidam docent, n. 1.
Verior opposita sententia variè probatur, n. 2.
Quid in hac re Thomas Sanchez. Eius fundamenta, n. 3. 4.
Notatio quædam ad solutionem argumentorum, num. 5.
Eorum solutio, n. 6.

1 SED nondum satis explicatum est, quomodo impotentia possit esse respectiua simul & perpetua, nisi explicemus amplius, quod nam sit impedimẽtum perpetuum. Diximus enim vniuersè eã impotentiam perpetuam iudicari debere, quæ medio secundum iura licito remoueri non potest. Quod in speciali magis explicandum est. Equidem, si nisi per miraculũ, aut violentum remedium, quod secum afferat vitæ periculum tolli non potest impotentia, perpetuam illam esse manifestũ est. At vero an medium aliquod, quo virginitatis claustra referentur, ita vt viro vel improportionato, vel aliquantulum debili pateat facilior aditus, cui tantum claustra virginitatis obsunt, adhiberi debeat, non omnes conueniunt. Existimarũt nõnulli Theologi licitum esse & adhibendum, teneriquefœminam illud pati, vt cum viro, cui nupsit, valeat conuenire. Sic censet D. Thomas in 4. distinct. 44. quæst. 1. art. 2. ad 5. quem secuti sunt alij frequenter.

2 Cæterum ego, quidquid dicant Doctores nostri, quantumuis graues & omni æstimatione digni, medium istud omnino respuendum assero. Itaque, si quominus aliqua fœmina viro suo congrediatur, tantum obstat virginitas, quam trium annorum cõgressu, atque conatu nõ violauit, sed adhuc permanet integra, etiãsi illa integritas medio aliquo facili, hoc est, quod in vitæ periculum non adducat, puta medicamẽto, vel cauterio, vel aperiendo sigillum, tolli possit, & reddi mulier habilis, vt commisceatur viro, tale impedimentum censendum est perpetuum, & matrimonium declarandum nullum, nec fœmina tenetur huiusmodi remedium pati, sed per me à cõiugij onere libera esto, & alteri nubat, qui claustra naturali, non ascititia claue reserare possit. Sẽtit nobiscum Durandus in 4. distinct. 34. q. 2. Paludan. eadem distinct. & quæst. Supplem. Gabrielis eadem distinct. quæst. 1. artic. 2. & M. meus Luysius Legionensis hac de re consultus ita respondit Salmanticæ Aprilis 3. anno 1570. in causa matrimoniali Illustrissimorũ D. Francisci de Fonseca, & D. Ioannæ de Azeuedo. Ratio quæ me mouet hæc est. Illud est impedimẽtum perpetuum, quod tolli non potest, nisi medio aliquo miraculoso, vel cum vitæ periculo, vel quod ius & æquitas iniquum iudicant. Sed medium hoc defloranti fœminam artificio aliquo, secluso viri congressu, eiusmodi est, quod neq; ratio, nec natura, nec iura permittant. Igitur adhiberi non debet, sed perpetuum censendum impedimentum, si quis non naturaliter, sed artificiose fœminã valeat violare. Si minorem probauero, ad exitum perducta res est. Eam ergo multis medijs ostendo. Primum, quia fœminam ali quam esse virginem, integram, intemeratam, illibatam, non est vitium neque defectus aliquis naturalis, quinimo magni respretij apud honestas fœminas, atque adeo non tale est, quod aliquo medicamento indigeat, velut ægritudo aliqua vel morbus, neque cui secundum ius & æquitatem aliquam

quam debeat adhiberi medicina. Si ergo, quod fœmina virgo sit, tantum obest, quo minus à viro, cui nupsit, agnoscatur, & mater fiat, nõ debet vt amittatur virgineus ille flos, remedium aliquod adhiberi. Non est opus valentibus medicis, sed malè habentibus: morbi medelam exigunt, non sanitas; quod confractum est, ligamine & consolidatione eget, non quod integrum; quod deficit à debito & naturali statu in pristinum restituas, oportet; at quod sanum integrum, vegetum, & in suo statu secundum naturam est, quid reparatione medicamentis, obstetricante manu opus habet? Non ergo quæratur ignis, ferrum, aut aurum isti, quã ægritudinem dicant alij. Deinde fœminam virginem artificio corrumpi, vt possit viro cõcumbere, horret natura, honestasque non patitur, ac proinde fieri nequaquam debet. Natura namque virgineum hunc florẽ fœmineo inseruit corpori, vt erga maritos argumentum esset benè & honestè actæ vitæ, pignus seruandæ in posterum fidei, ac veluti pretiosissimum munus, quod viris prima nocte congressus offerrent, ac virgineo illo sanguine, velut Elephantos purpura in sui amorem raperent, etsi quando extingueretur, accẽderent, consopitum excitarent, & memoria peracti sacrificij illos etiam sibi placarent iratos. Flos enim ille virginitatis, nec satis digne æstimari, nec commodè restitui potest. *Sola virginitas*, inquit Appuleius Apol. 2. *cum semel erepta est, reddi nequit, sola apud maritum ex rebus dotalibus remanet. Nulla reparabilis arte læsa pudicitia est*, ait ille. Quæ, vt Quintilianus ait declam. 276. in fine, *virginitatem perdidit florem ætatis amisit, & cui prima illa gratia apud maritũ futura prærepta est*; Flos certè ille virginitatis illibatus mirabiles sui amores concitare solet. Tertulianus lib. de virgin. velan. *vt nõ ad virgines potius exarserint, quarum flos etiam humanam libidinem excusat*. Hæc gemma fœminas pretiosas reddit, & æstimabiles, illaque deperdita margarita ipsæ seipsas viles æstimant & oderunt. *Ego enim ferre non potero opprobrium meum*, Dixit ad Amon soror eius Thamar 2. Reg. 13. Quasi violata cuiuis probro esset obnoxia, flocci habenda: idque satis indicauit, quod post commissum incestum, cum à fratre ejiceretur, subiecit: *Maius est hoc malum, quod nunc agis aduersum me, quam quod ante feciſti, expellẽs me*. Nullius enim pretij erat iam deflorata puella, & à violatore dimissa, tantum enim illatæ iniuriæ solamen erat, si illam sibi desponsaret. Vnde & subditur: *Mansit itaque Thamar contabescens in domo Absalon fratris sui*, Hebraicè *desolata sin casarse mas, magis volens*, inquit Lyranus, *innupta manere, quam à viro sibi dato violata inueniri*. Et ex hoc patet continentia & puritas illius temporis in virginibus desponsandis. Optime in hanc rem quadrant Catulli versus in Epithalamio.

Vt flos in septis secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori nullo contusus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat sol, educat imber,
Multi illum pueri, multæ optauere puellæ:
Idem cum tenui carptus defloruit vngue,
Nulli illum pueri, nullæ optauere puellæ.
Sic virgo, dũ intacta manet, dũ chara suis, sed
Cum castum amisit polluto corpore florem,
Nec pueris iucunda manet, nec chara puellis.

Res ergo videtur non ferenda, & ab omni ratione aliena, & contra id quod exigit rectè instituta natura, fœminam honestam cogere, vt à se abalienet, antequam viro suo copuletur, id quo gratior ipsa viro esse posset, virgineum florem præcipuam in matrimonio dotem, honestatis argumentum, indubiæ fidei certissimũ pignus, pacis & mutui amoris assiduum nutrimentum. Præterea commune est cuicũque cõtractui obligationem inducere iuxta solemnitatem, formam, & conditiones, quibus celebratur: ac proinde cum matrimonium contractus quidam sit, in quo vir & vxor se mutuò tradũt in vsum matrimonij, ea conditio subintelligitur, quamuis non exprimatur, si ad eum vsum apti fuerint. Manifestum autem est non subintelligi, vt apti sint ad vsum tertij, sed inuicem alter alterius comparatione habilis, vxor quæ se tradit viro, vt ab illo cognoscatur, non vero à medico, igne vel auro, vel obstetricis manu. Quî enim se illa traderet, vt virginitatem artificio amitteret, & id quod insigne eius ornamentũ est, in detrimentum verteretur? Non ergo iuxta naturam huius contractus cogi potest fœmina, vt patiatur aliquo artificio sibi virginitatem eripi, quæ sola obest viri debilitati, cum valentiorẽ alium facile sit tori participem efficere. Denique, quod maximam apud me vim habet, si artificio aliquo referari virginitatis claustra aptum, ac sine incõuenienti, & æquitati consonum medium esset, cur nunquam Ecclesia præcepit, definiuit, consuluit, aut permisit fieri ad componendas multas lites, quibus plena sunt iudicum Ecclesiasticorum tribunalia? Tãtum

trium annorũ cohabitatio decreta est, quia fieri potest, vt quæ primo congressui resistit ianua, assiduè conanti atque pulsanti pateat. Et cum euenire facile possit, vt quæ post triennium intacta surgit è toro, apta esset illius viri congressui, modo artificio aliquo latior aliquantulum fieret illa rimula, nunquam id iudicauit, consuluit, vel sustinuit. Signum ergo est medium hoc vt illi citum & iniquum, contra fas & honestatẽ neglectum non admissum ab Ecclesia. Demus semel id sustinuisse fœminam, & adhuc membra viri iacere semimortua, languida, aut ob prauam structuram inepta, quid dein de faciat fœmina ferro, vel artificio violata? Quo confugiet? Quo nam, si diuortium postulauerit, suam causam muniet? Iustitiã ostendet, si iam inueniatur flos ille veluti succisus aratro? Quamuis enim ferro exacta sit, attamen causam illius non admittet Ecclesia, sed præsumet à viro, si ille artificiũ interueniisse neget, vsu & cohabitatione corruptam. Ne ergo viri doctissimi fœminæ grauissimum onus imponant, illamve cogant, patiatur se non natura, sed arte violari. Hæc mea in hac re sententia est.

3 Sed quod ad istam quæstionem attinet; Thomas Sanchez lib. 7. de matrimonio disput. 93. sentit eam incisionem licere, ac fœminam eam pati debere. Sequitur in eo D. Thomã (non abnuo) complureſque Scholasticos alios, qui speculando magis locuti sunt, quàm peculiarem aliquem casum pertractando; qui si ad eorum manus deuenisset, & hic & nunc quæ res circunstant, considerassent attentius, in aliam sententiam declinassent.

4 Sed videamus quæ pro se affert ista sunt. Quia cum verum sit matrimonium ius sui corporis transtulit in virum. Ergo vbi commodè potest, sine magno incommodo aptam se reddere viro tenetur. Confirmatur: si enim vir non posset moueri ad fœminam cognoscendam, nisi certo situ aut pulchra, ornatave pretiosis vestibus sit, quis dubitabit teneri fœminam eo situ vti, ac pretiosi indui vestibus, fuciſque faciem decorare ad viri imbecillitatem adiuuãdam? Deinde quia incisioni illi, & medicaminibus susceptis præponderat ius ad vsum matrimonij, periculum incontinentiæ maximum, ac pollutionum vtriusque coniugis, cum perpetuo cohabitare debeant tanquam veri cõiuges. Tandem quia hæc obligatio nascitur ex eo, quod quicumque tenetur ad aliquod obsequium, tenetur subinde ad requisita illius ad exhibitionem. Quare hæc obligatio non nascitur ex impedimento præstito per mulierem, sed ex iure matrimonij, cui aliter satisfieri nequit. Hæc ad verbum ex illo.

5 Sed quamuis ex quadam ratione, quã pro nostra sententia confecimus hoc capite, ista facillime diluantur, & me silente cõcidant, attamen propter tardiores aliquos respondemus in contractu matrimonij celebrari in ordine ad copulam esse traditionẽ corporis apti in vsum, & iam pro corpore apto. Tradit itaque fœmina corpus aptum, vt vtatur eo etiam vir ex se aptus, non verò se tradit inepto, vt tertia aut quarta ratione dicebamus, cũ sit contractus rei pro re æqualis æstimationis. Hinc oritur ius, quod confert matrimonium, non esse aliud, quam vt vir aptus vtatur apto corpore. Si ergo ineptus fuerit ad corporis vsum, quod de se aptum illi in vsum traditur, nullum habet ius in matrimonio vir in corpus fœminæ. Qui ergo impotens est ad virginem agnoscendam, cum reuera illi sit ineptus nisi incidatur, & alias ea incisio turpis sit & illicita, vt probauimus, nullũ ius habet ad eius vsum. Quia cum hoc ius solum conferri debeat ex vi contractus, non censetur contractus validus, nisi subsistente hac subintellecta conditione mutuæ aptitudinis. Atque hac notatione omnia soluta manent.

6 Quare ad primum dicimus fœminam per contractum matrimonij ius suum tradere viro apto, non inepto, atque in non aptũ nullum transferri ius. Adde etiam in eo medio magna incommoda reperiri, quæ iam dixi. Confirmatio friuola est. Quid enim mutationi situs, ac vestium cum virginis incisione; & viri impotentia comparatione virginis? Ad secundum si vir est ineptus simpliciter ad virginem, nullũ cõsurgeret ius matrimonij, quod præponderet incisioni. Nam virgo non se tradit ex natura contractus illo modo celebrati, nisi habili, & corpore de se apto, quasi emit corpus etiam aptũ ad illam in eo statu, quo se illi tradit. Concupiscentiæ vero nullum est periculum, dissoluitur enim matrimonium, vt in ea causa, quam dixi præiudicatum est. Tertium & postremum eodem pede claudicat, supponit enim teneri corpus virginis de se aptum ad obsequium viri ad virginem prorsus ineptum, quod nos negamus, iste verò auctor nulla ratione sufficienti confirmat. Poterit quidem fœmina, si voluerit, incisionem pati, obligari autem ad illam non potest. Si autẽ

iam

iam inciſa adhuc à viro cognoſci nō poſsit non tenebitur vir illā alere, ſuſtinuit enim ſua ſponte, ac ſe obiecit illi periculo, atque ideo nullam iniuriam intulit. Sicut qui ſine vlla vi agnoſcit virginem, etiam ſi matrimoniū amittat, nec æquè benè nubere poſſit, ad nullam reſtitutionem tenetur, qui vio lauit. At ſi contra eius voluntatem incideretur, & poſtea adhuc inepta eſſet illi viro, non liberarem virum ab onere dotis ſufficientis conſtituendæ, vt æquè benè nubere alteri poſſet.

Remedium inſpectionis ad experimentum virginitatis minus aecens oſtēditur.

CAPVT. LXIII.

SVMMARIVM.

Inſpectio fœminarum non reiecta à foro Eccleſiaſtico, n. 1.
Abſurda, quæ in illa inſpectione ſunt, varie proponuntur, n. 2. 3.
Fallacem eſſe, n. 4.
Teſtimonijs PP. reijcitur Cypriani, Auguſtini, Ambroſij, n. 5.
Quando adhibenda, n. 6.

1 IN *cap. ne cuiquam & cap. Quod ſi pœnitentia* 27. quæſt. 1. à Cypriano probatur fœminarum inſpectio ad explorandam virginitatem, ibi. *Inſpiciantur iterum virgines ab obſtetricibus diligenter.* Quod non reiectum à Iudicibus Eccleſiaſticis, *in cap. fraternitatis, & cap. literæ de frigidis & maleficiatis*, planum eſt.

2 At multa ſunt, quæ inſpectionē hanc fœmini corporis reprehenſione potius, quā probatione dignam oſtendunt. In primis quia nuditas, vel viris ipſis indecēs eſt. Herodotus lib. 1. apud Lydos, ac pleraſque gentes etiam barbaras indecorum viris fuiſſe tradit, ſi ſe nudos oſtenderent. Nam vt ait Cicero, *hoc ſolum animal natum eſt pudoris, ac verecundiæ particeps.* Apud Nicephorū lib. 8. ca. 4. cum Ammon ille AEgyptius & Theodorus eius diſcipulus inſignes Monachi, amnem quendam traijcere vellent, Ammō nudare ſe coram Theodoro noluit, & recedere iuſsit: mox cum ſuam ipſe nuditatem erubeſceret, Diuino numine in ſublime leuatus, in vlteriorem ripam peruenit. Pubertas olim inſpecto corpore iudicabatur; exinde tamen lex ciuilis, quo honeſtati conſuleret, certo annorum & ætatis termino hoc definiri voluit, *l. 3. de minorib. & l. 2. C. ſi minor. & l. fin. C. quando tutor* inhoneſta enim nudi corporis inſpectio viris ipſis indecens eſt. Quare monebat Clemens Alexandrinus lib. 2. Pœdag. cap. 6. *Omnino ergo abſtinendum eſt à turpibus auditionibus, & verbis, & ſpectaculis, ſed multò magis à factis turpibus mundos eſſe oportet, tam in oſtendendis & nudandis aliquibus partibus corporis, quas non decet, quam in contemplandis ſecretioribus partibus.* Neque enim turpem iuſti denudationem in animū induxit aſpicere modeſtus filius: ſed texit modeſtia, quod nudarat ebrietas, ſpectandum lapſum inſerentia. Quod ſi viris indecens nuditas eſt; fœminis quidem impudica, atque probroſa videtur. Audiamus eundem Clementem Alexandrinum lib. 3. Pædag. cap. 5. dum balnea vel in balneis laciuiam & intemperantiam fœmineam reprehendit hiſce verbis. *Atque ipſæ quidem ſuis ſe maritis non exuerint, ſimulatum pudorem probabiliter præferentes. Licet autem alijs volentibus eas, quæ domi ſunt incluſæ, nudas videre in balneis: hic enim ſe exuere ſpectatoribus, tanquā corporum cauponibus non erubeſcunt. Sed Heſiodus quidem corpus fœmineo non exhilarare lauacro ſuadet. Viris autem & fœminis communia aperta ſunt balnea, & inde exuuntur ad intemperantiam, (à viſu enim hominibus amor proficiſcitur) perinde ac ſi ſit eis pudor in lauacro obrutus. Quæ autem non vſque adeo omnē exuerunt pudorem, externos quidem excludunt, vnà autem cum ſuis miniſtris collauantur, & ſeruis nudæ exuuntur, & ab eis fricantur, pertimeſcenti libidini concedentes, vt ſecure contrectet. Qui enim nudis dominabus ad lauacra introducuntur, ſtudent ſe exuere ad cupiditatis audaciam malo more metum circunſcribentes. Atque veteres quidem Athletæ virum nudum oſtendere erubeſcentes dum certamen peragebant, accinctis ſubligaculis ſeruabant verecundiam: Iſtæ autem dum ſimul cum tunica pudorem exuerint, volunt quidem videri pulchræ, ſimiliter autem malæ, vel innitæ conuincuntur. Etenim per ipſum corpus apparet laſciuia concupiſcentia, quemadmodum hydropicis per cutis ſuperficiem humor, qui continetur: Quod autem in vtroque ægrotat ex viſu cognoſcitur. Oportet ergo viros ſe pulchrum veritatis exemplum præbentes fœminis, erubeſcere vna cum eis exui, lubricumque ac periculoſum aſpectum effugere. Qui enim curioſus, inquit, reſpexit, iam peccauit. Oportet ergo domi quidem parentum & famulorum pudore affici: in vijs*

autem

autem eorum, qui sunt obuiam, in lauacris vero mulierum, in solitudine autem sui ipsius: vbique autem Verbi, quod est vbique, & sine ipso factũ est nihil. Hac enim solum ratione fit, vt quis nũquam labatur, si Deum sibi ipsi semper adesse existimet. Hactenus Clemens. Vnde Herodotus dum Gygis historiam describit lib. 1. mulierem deposita tunica deponere verecundiam simul, quæ verba imitari videtur Cyprianus lib. de habitu virg. *Simul*, inquit, *cũ amictu vestis honor corporis, & pudor ponitur denotanda ac contrectanda virginitas reuelatur.* Venus Dea impudicitiæ nudo & intecto corpore depingitur; Cupido nudus; atque etiã obscæna Priapi imago nuda repræsentatur. Vnde fœminis honestis nihil magis curæ, quam ne nudæ conspiciãtur. Infcius Actæõ vidit sine veste Dianam, & â canibus ideo discerptum finxit Ouidius lib. 3. Metamorph. Tyresias vates cæcitate plectitur, quod Mineruam nudam conspexisset, vt ait Propertius lib. 4. Milesias virgines sola nuditatis infamia à mortis voluntariæ voto retraxit, statutum enim, vt quæ sibi mortem vltro consciuissent, nudæ cum laqueo efferrẽtur. Pudore solo tam inhonesti funeris deterritas Gellius commemorat lib. 15. ca. 10. Hinc ad virgines exhortatio Basilij lib. de vera virginitate pag. mihi 532. *Ideo*, inquit, *natura ipsa crinibus iam tunc à principio mulieris caput operuit, eo ipso admonens nõ decere mulierem non modo vllum membrorum cæterorum, verum nec caput quidem temere, indifferenterq; nudare. Et quoniam solæ absentibus viris id attẽtare consueuerunt, ideo dignitatem aliam præstãtiorem viris adiecit dicens. Propter Angelos, qui & vbique præsentes sunt, & omnia quæ geruntur inspiciunt. Reuereatur ergo omnis mulier, sed virgo in primis Angelos etiam cum domi sola nullis viris arbitris residet. Et cum corpus necessario curandum erit, & capitis vittas, & singulatim cætera constringens, id opus celeriter exigat; & quantum fieri potest, operiat membra non solum suos Angelorumque oculos verens, verum se, vt in suæ exercitationis domicilio ad verecundiam studiose semper exercens. Quod si neque cum sola est nudari sine ratione permittitur, quanto minus fratribus in Christo præsentibus? & pudore igitur & tunica seipsam pudice ac verecunda componet, nec solum nihil membrorum, quæ operta sunt, violari vlla ratione permittet, verum summa secura & obseruatione circumeget, vt non solum ipsa illæsa, atque illibata permaneat, sed & qui eam intuentur nullam ex eius adspectu læsionis materiam capiant. Videntes inquit filij Dei, filias hominum, quod pulchræ essent, deuoluti sunt ad eas, sufficit quippe vel modice nudata pulchritudo. Dei quoque filios ad voluptatem emollire, & quasi homines eius causa morientes mortales ostendere.* Hactenus Basilius.

3 Quod si vel ipsa fœminei corporis nuditas infamiæ habetur loco, quid dicendum cum in his Ecclesiastici fori visitationibus illud sit indignissimum, cæteras corporis partes, quas honestate permittente reuelare licet opertas manere, illis detectis, quæ natura velut obscænas celari & abscondi voluit. Ambrosius lib. 3. de virgin. *An quidquã est tam pronum ad libidines, quam incõditis moribus, quæ vel natura abscondit, vel disciplina velauit, membrorum operta nudare?* Maximum iniuriæ genus & Diuini numinis contemptum reputari legimus, quoties aliquis in Ecclesiæ sanctuario pudenda nudauerat teste Nicephoro lib. 11. cap. 28. Iulius Cæsar moriens sinistra manu sinum ad ima deduxit, quò honestius caderet, etiam inferiori corporis parte velata. Olimpias Alexandri mater, cum Cassandri iussu interficeretur, moriens, ne quid posset in eius corpore indecorum videri, capillis & veste crura contexisse fertur apud Iustinum lib. 14. Ouidius lib. 3. Metamorph.

Tunc quoque cura fuit partes velare pudendas,
Cum caderet, castique decus seruare pudoris.

Diuus Ambrosius idcirco inquit, indumentis operiuntur hominum genitalia, ne deformi visu obtutum, aciemque præstringant oculorum intuentium. Barbari persecutores in Christianarum mulierum martyrijs, quo grauior esset infamia, partes eas detegi & nudari iubebant, quas naturalis pudor abscondi voluit, apud Nicephorum lib. 7. cap. 8. Accedit etiam turpis & inhonesta membrorum contrectatio, qualis olim in mancipijs licebat, quæ venalia prostabant, vt inquit Seneca lib. 1. controuers. 2. *Nuda in litore stetit ad fastidium emptoris, omnes partes corporis & inspectæ & contrectatæ sunt.* Vnde Augusto Cæsari inter cæteras libidines obijci solebat, quod matres familias, & adultas ætate virgines denudari atque perspici iuberet, tanquam Thoranio Mangone vendente apud Suetonium in Augusto cap. 69. Tyranni etiam olim, cum in Christianos sæuirent, nudari sacras virgines, contrectari, & cunctorum ludibrio expositas refert Nicephorus lib. 10. cap. 9. in principio. Hæc ergo nudatio corporis inspectio contrectatioque, quam persecutores Christiani nominis Martyrij instar & infamiæ loco statue-

tuebant, à foro, iudicijs explodenda potius, quam probanda.

4 Adhæc, eiusmodi fœminarũ inspectio ad explorãdã corporis integritatẽ, vtcũque admitti & tolerari posset, si aliqua veritatis probatio inde eliceretur. At verò peritissimum nihil inueniri fallacius visitationibus istis. Panormitanus enim & alij in *cap. fraternitatis & cap. finali de frigidis*, referunt mulieres quasdam repertas esse, quæ secretiores partes suas adeo arctas medicamentis effecerant, vt nẽ quidem cum illis coiri posset. Arnaldus à Villa-Noua insignis medicus lib. 3. breuiarij cap. 6. refert matres, quæ filias impudicas habebant, aut certè iam ante corruptas, consueuisse adhibitis medicamentis adstringentibus in secretiores puellæ partes indere vesicam quandam piscis; quæ cum tenuis esset, & sanguine aspersa facile contingebat, vt in primo coitionis impetu rupta vesica facile sanguis erumperet, qui falsa & fallaci virginitatis nota nuptæ induſium macularet. Nec mirũ incertas aut dubias, aut fallaces esse huiusmodi virginitatis indagationes. Nam licet quidam dissectores hymen esse existimarẽt pelliculam quandam, siue membranam in ore vteri annuli forma, cuius ruptione virginitatis defloratio fieret, & ideo ea opinione ducti veteres, vt virginitatis integritas noscceretur, inquirendum cẽsuerint, an pellicula illa rupta & effracta esset, an vero integra: attamen id fabulosissimum esse recentes Anatomici demonstrant; nullamque esse partem in ore vteri, quæ virginitatis custodia sit, & in corruptione pereat; sed virginitatem consistere in quadam naturali, & separabili partium adstrictione, & Symphisi, & coalescentia, ob eamque in coitu rumpẽda virgine sanguinem effluere, vt docuit inter alios Franciscus Vallesius lib. de sacra philosophia cap. 25. Hinc merito iuxta naturæ frequentem cursum, dispositionemq; statuit Deus Deuteron. 22. vt indumentum sanguine nouæ nuptæ maculatum seruaretur à parentibus ad faciendum virginitatis fidem. Non quod fraudes ementiri corporis integritatem non possint, aut quia etiã ex integra fœmina semper sanguis effluat; audiui enim non semel puellæ cuiusdam congressum primum, de cuius honestate & integritate dubitari non poterat, fuisse sine sanguine: sed quia frequens ordo ac natura lis dispositio id secum afferat, vel frequenter eruptio sanguinis eueniat.

5 Accedunt testimonia Patrum, quæ hanc inspectionem minus probant, imo reprobant. Nã in primis Cyprianus, qui probare illam videtur, non nimis tamen inspectioni defert, cum dixerit. *Neque aliqua putet se posse hac excusatione defendi, quod inspici & probari possit an virgo sit, cum & manus obstetricum, & oculi sæpe fallantur.* D. Augustinus lib. 1. de Ciuitate Dei cap. 18. *Obstetrix*, inquit, *virginis cuiusdam integritatem manu velut explorans, siue malenolentia, siue insciția dum inspicit, perdidit.* Sed concludamus elegantibus Ambrosij verbis, quæ transcribo, licet longius euadat testimonium ex lib. 6. epist. 1. in editione Romana ad Syagrium Veronensem Episcopum, qui Indicià puellam Deo sacram per mulierum inspectionẽ male iudicauit. *Ita ne ergo liberum erit accusare omnibus, & cum probatione defluxerint, patebit, vt genitalium secretorum petant inspectionem, & addicentur sacræ virgines ad huiusmodi ludibria, quæ & visu & auditu horrori, & pudori sunt? Denique non minima etiam in tuis literis tentatæ expressionis verecundia est. Quæ ergo sine damno pudoris in alienis auribus resonari non queunt, ea possunt in virgine sine erubescentia verecundiæ? Inuenisti tibi vile mancipium, procacem vernam eam, cur non abuteris pudibundo ministerio, & exponas eius modestiam, cum præsertim nihil sanctius in virgine sit, quam verecũdia? non enim sacra virgo vt corpore tantummodo integra sit, quæritur, & non vt in omnibus eius incessus maneat pudor: virgo domini suis est nexa fulcris ad sui probationem, nec alienis debet egere, vt se virginem probet, nec abditorum occultorumque inspectio, sed obuia omnibus modestia adstipulatur integritati. Non placet Deo, quam non suorum grauitas morum probat; non probatur domino, quæ vnius obstetricis indiget testimonio, quod plerumque quæritur pretio. Ea ergo tibi locuples videtur ad fidem quæ & redimi & falli potest, vt excuset eam, & crimen tegat, aut nesciat, & non possis flagitium reprehendere? Neque vero illud iustum arbitror, quod tuis comprehendisti literis, quia nisi inspecta fuerit integritas periclitetur, & in certo sui fluctuet. Ergo omnes quæ inspectæ non sunt, periculum subierũt pudoris, ergo & quæ nupturæ sunt, prius inspiciantur, vt nubant probatiores? Ergo & quæ velandæ sunt, prius subijciendæ sunt huiusmodi attrectationi? Non enim visitantur, sed attrectantur & rectius secundum tuam sententiam inspicitur non probata, quam consecrata. Quid quod etiam ipsi Archiatri dicunt non satis liquido comprehendi inspectionis fidem; & ipsis medicinæ vetustis Doctoribus id sententiæ fuisse, nos quoque vsu hoc cognouimus sæpe inter*

obstc-

obstetrices obortam varietatem & quæstionem excitatam, vt plus dubitatum sit de ea quæ inspiciendam se præbuerit, quam de ea quæ non fuerit inspecta. Siquidem & proximo id comperimus exemplo. Nam quædam conditionis servilis Altini inspecta & refutata, postea Mediolani nō meo quidem iussu, sed Niceni ex Tribuni & notarij domini vel patroni sui voluntate, visitata est à peritissima & locupleti fœmina huiusmodi artis; & cum simul ista supperetcrent, vt neque paupertas obstetricis suspectam faceret fidem, neque indocilitas imperitiam; tamen adhuc manet quæstio. Quid profuit igitur eam inspici cum damnatio maneat? Nam vt quisque voluerit, aut imperitam medicam, aut redemptam asseret: Ita sine effectu vllo iniuria inspectionis est. Quid deinde fiet? Quotiescumque emerserit, qui non credat, totiès virgo attrectabitur? Nam si vnquam se visitandam abnuerit: secundum assertionem tuam de crimine confitebitur. Et facilius est vt refutet, quod nunquam fecerit, quam quod fecerit. Variabuntur igitur obstetrices, ne suspectæ aliqua repetatur gratiæ. Erit itaque inter plures (quamquam paucorum etiam in magnis vrbibus hic vsus medendi sit) erit inquam vel maleuola vel imperita, quam pudoris claustra præterreant; & per imperitiam integro notam affigat pudori. Vides in quod periculum inducas virginalem professionem, dum obstetricem adhibendā putas? Vt iam non solum verecundiæ suæ dispendio, sed etiam obstetricis incerto periclitetur. Et pancis interiectis. Quid igitur suspecta & dubia captamus, cum maiora sint alia examinandæ veritatis documenta, & testimonia, in quibus expressiora insignia vel temerati pudoris sint. Quid enim est quod magis publicum sit, quam offensa pudoris, & defloratio virginitatis? Nihil profecto, quod magis se probet, quam castitatis dispendium. Tumescit aluus, & incedentem fœtus sui onera grauant: vt prætermittamus alia quibus se vel tacita prodit conscientia. At forte sterilitatis obtentu abscondi in aliquibus possit flagitium. Hic vero cum editus partus, & expositus, vel ne catus, (dum inuidiæ magis, quam probationi consulitur) dissipatus sit per aures vniuersorum, strangulata est libertas calumniarum si peperit: nempe Veronæ fuit, visebatur, frequenter à virginibus, & mulieribus, in honore enim semper erat. Visebatur & à sacerdotibus propter pudicitiæ reuerentiam, & grauitatis speculum. Quomodo ergo potuit occulere crimen? quod se vel specie sui proderet? quomodo texit vterum? quomodo non refugit aspectum mulierum? oculos salutantium? Quomodo parturiēs vocem repressit? sed hoc non patitur dolor. Denique scriptura hos maximos dicit dolores, qui sunt parturiētis. Sic enim inquit dies, Domini subito venit, & improuisus adest, vt dolor partus, qui intercludit omnia effugia delitescendi. Hæc est verior documentorum fides, quam erubescunt & mulieres. Denique Elisabeth occultabat se mensibus quinque, eo quod sterilis conceperat in senectute. His signis & ipsa Mariæ Virginitas apud ignaros mysterij, probri suspectabatur; vnde & Ioseph cui desponsata erat virgo suspectum habebat vitium, dum adhuc nesciret Dominicæ Incarnationis Sacramentum. Quid ergo? Negamus inspiciendas virgines? Interim, quod nusquam legerim, non adstruo, nec verum arbitror. Sed quia pleraque ad speciem facimus, non ad veritatem, & erroris gratia quam plura frequenter prætendimus (sunt enim qui nesciant recte facere, nisi metu pœnæ) relinquamus hoc illis, quas non verecundia reuocat à lapsu, sed solus iniuriæ deterret metus, apud quas nulla cura pudoris, & castitatis gratia, sed pœnæ timor est. Relinquamus vernaculis, quibus formido est deprehendi, magis quam peccasse. Absit à Virgine Sacra, vt obstetricem nouerit, partus putatur, & remedium doloris ducitur, non examen pudoris. Relinquamus etiam illis, si quæ grauibus appetitæ calumnijs, oppressæ, testimonijs, strangulatæ argumentis ad id confugiant, vt se offerant inspectioni, quo vel corporis probetur custodia, si tamen deprehendi potest; in quibus nutat pudoris gratia, & disciplina integritatis. Male tamen se habet causa vbi potior est carnis quam mentis prærogatiua. Malo morum signaculo, quam corporis claustro virginitatem exprimi. Hactenus Ambrosius. At hæreamus communi opinioni, quæ inspectionem probat cum Rota apud Farinaciū in 2. vol. cons. decis. 226. licet fallacem etiā fateatur, vide etiam decis. Rotæ Romanæ Farinacij, decis. 264. num. 11. 12. & 1. volu. cons. eiusdem decis. 26. & eius Additio. lit. A. & litera E. Vno enim coniuge negante, alio affirmante impotentiam, ad eam inspectionem deueniendum. Quamuis viro dicēti se carnaliter cognouisse, credendum sit, etiam si mulier neget, *c. continebat de despon. impub. c. siquis acceperit. 33. quæst. 1.* Innocētius in *c. ex parte num. 4.* Ioan. Andr. num. 9. Butrio num. 35. vers. *quandocunque probant, de restit. spol.* Abbas in *c. 1. num. 3. de clandest. desponsa.* Rota apud Farinacium tom. 2. cons. decis. 111. & decis. 192. num. 6. & in lib. decis. Rotæ Rom. eiusdem decis. 281. & 284. num. 3. Adde etiam rex. in *c. duo pueri de desponsat. impub.*

Nonnulla

Nonnulla Corollaria præcedentis doctrinæ.

CAPVT. LXIIII.

SVMMARIVM.

Separatum ob frigiditatem non posse contrahere in conscientia, nisi ad caste viuendum, numero 1.

Quid fieri debeat si secundò nubat, n. 2.

Quid cum fœmina separatur, quia nimis arcta est, num. 3.

Quid quando separatur ob impotentiam in genere, n. 4.

Quid obseruandum, si in aliquo euentu restituatur separatus priori coniugi, n. 5.

1 EX dictis hactenus in capitibus præcedentibus nonnulla oportet colligere & doctrinæ, & maioris distinctionis gratia. Primum est iuxta dicta capite 60. Si aliquis ob frigiditatem separatur ab vxore, si reuera frigidus existat, non posse in conscientia aliud inire matrimonium ad maritales actus, sed tantum ad caste viuendum, vt dixi capite 54.

2 At si transierit ad secundas nuptias in ordine ad copulam, secundum matrimonium est nullum, dissoluendumque sine alia probatione. Nam si reuera est frigidus, non potest constare secundum matrimonium; si autem finxit se frigidum, non est dissolutum re ipsa, primum coniugium, quo valido secundum est nullum. Imo & quamuis prima vxor obijsset, vel transijsset ad religionem, In qua professionem emisisset, adhuc dissoluendum secundum, donec probet deceptã esse Ecclesiam, ac se potentem esse. At si prima vxor adhuc viuat, vel illa alteri nupsit, vel adhuc cælibem vitam agit, nõ debet ad primum cum illa matrimonium vir ob frigiditatem separatus reuocari, ex eo solum quod frigidus secundum inierit matrimonium, nisi constet consummasse aut fornicatum esse, id quod iudex discutiat necesse est, antequam deceptam esse Ecclesiam pronuntiet, & primum matrimonium instauret. Nec primam vxorem alteri nuptã obid solum, donec consummatio aut fornicatio constiterit, separare debet, vel scrupulum injcere: ea enim tuto & reddit & exigit, cũ Ecclesia sententia muniatur, quam non euertuat factum prioris coniugij ad secundas nuptias transeuntis; nisi consummet. At que hinc fit, si prima vxor separata, viro ad secundas nuptias transeũte, vellet ad aliud etiam matrimonium transire, prohibendum id auctoritate iudicis, donec lis finiatur, etsi re ipsa nupserit separanda vsque ad discussionẽ litis; nec vero illa immunis erit à peccato nam ante examen secundi matrimonij habet illa dubium probabile de validitate primi matrimonij cum ipsa contracti, & cũ eo dubio non potest aliud inire, neque adiuuari possessione vlla, est enim possessio malæ fidei. An autem posset reddere in eo casu debitum, constabit ex generali doctrina, quam trademus infra. Quo vero pacto intelligi debeant Canones, qui aduersari videntur explicui cap. 62.

3 Secundò colligitur iuxta dicta in superioribus. Si mulier aliqua separatur à viro, quia illa nimis arcta est, & illa secundum ineat matrimonium, cum distinctione procedendum. Si enim dissolutum est matrimonium primum, quia illa iudicatur cuicumq; viro ob arctitudinem inepta, de illa idem iudicandum, atque de frigidi separatione modo dicebamus. Si autem illa tantum respectiuè arcta erat, & non absolute, si transijt ad secundas nuptias, cum iuxta dicta legitimè nupserit, non est statim à viro secundo separanda, & primo restituenda, sed considerandum, an à secundo similis proportionis cum primo fuerit cognita, in quo casu dixi procedere decisionem Põtificis in *cap. fraternitatis.* Si enim à simili viro cognita est, ad primum reuocari debet, & secundum coniugium declarãdum est non subsistere. Vnde sine sufficienti summaria probatione non est turbandum posterius matrimoniũ, cuius iusta ac legitima possessio est. At si vir dissimilis sit à quo cognita est, secundũ omni lite remota iudicãdum valuisse. Quid autem dicendum sit, quando dissoluto matrimonio ob maleficium, is qui maleficio impeditus erat transit ad secundas nuptias, dicam capite sequenti.

4 Tertiò colligitur pari ratione philosophandum esse quando matrimonium separatum est ob impotentiam in genere, nõ explicato impotentiæ genere. Tunc enim inspiciendus diligenter processus de eo cõfectus in prima causa depositiones testium, rationesque, quibus iudicarunt impotentẽ esse. Ad iudicis enim munus pertinet in sententia causam explicare impotentiæ in speciali. Vnde fœmina, quæ ab eo, cui impotentiam in genere obiecit, separata est Ecclesiæ iudicio, licitè nubit secundo, à quo separari

non

non debet, si vir transeat ad secundas nuptias, donec inspectum diligenter ob quam impotentiam separentur. Aliter iudicandũ, si qui ob impotentiam in genere separatus secundò nubat, separandus enim statim ille à secunda coniuge, donec examinetur ob quam impotentiam separetur; stat enim cõtra illum præsumptio impotentiæ.

5 Denique colligitur, si in aliquo ex dictis euentibus contigerit coniugem restitui priori coniugi, semel tantum eam restitutionem faciendam, concedendũque trienij spatium iuxta ea, quæ infra à nobis dicẽda sunt. Quod si nec tunc agnosci possit, separandos, iudicandumque inter illos aut frigiditatis perpetuum interuenire impedimentum. Eo autem triennio durante ad experientiam concesso, is, cui secundo nupserat, ad aliud matrimonium transire non potest, sed expectet, donec experientiæ tẽpus ostendat primum illud coniugium vel validum fuisse, vel nullum. Quod si reipsa nupserit, separentur ad idem vsque tempus, vt ratio ipsa conuincit.

De impotentia ex defectu ætatis, maleficij, morbi, aut mixti sexus.

CAPVT LXV.

SVMMARIVM.

ÆTas requisita Iure naturali & Canonico ad matrimonium, n. 1.

Completum tempus requiri, cum malitia non supplet, ibidem.

Secluso iure positiuo validum esse matrimoniũ inter impuberes, n. 2.

Peccant qui ante legitimam ætatem contrahunt, num. 3.

Qua ratione potentia ad copulam debeat probari, n. 4.

Quando quis dicatur proximus pubertati, numero 5.

Maleficium, quando censetur perpetuum impedimentum, n. 6.

Qui morti proximus contrahit non censeri impeditum, n. 7.

Quid seruandum in matrimonio Hermaphroditi, n. 8.

1 QVOD ad ætatem attinet, in primis certum est pueros ante rationis vsum inhabiles esse iure naturali ad matrimonium, cum non possit esse in ea ætate sufficiens consensus, sine quo non valet matrimoniũ. Certum etiam est iure ciuili requiri annum 14. in viro expletum, in fœmina 12. ad validè contrahendum, iuxta quod iudicium ferendum erit de non subditis Ecclesiæ. Iure quoque Canonico eadem ætas requiritur ad validè contrahendum. *Cap. continebatur cap. attestationes, cap. ex literis, cap. puberes de desponsat. impub.* In quibus Canonibus expenditur nondum puellam expleſſe 12. annum, nec puerum 14. quod non esset opus considerare, si vltimus annus inchoatus sufficeret. Malitia autem supplere potest ætatem, & in foro cõscientiæ & externo, si illa constiterit, vel ex habitu corporis, aut alijs de quibus *cap. nullus, cap. fin. eodem tit.* Quod nisi iure Canonico statutum esset, locũ non haberet in foro conscientiæ propter generalem doctrinam circa leges præsumptionẽ innitentes traditam supra lib. 5. vt decis. 246. Farin. in vlt. solut. tit. 1. conf. decis. 72. quando malitia supplet, vt addit. Vt vero malitia ætatem supplere dicatur, non satis est potentia coeundi, nisi adsit etiam discretio, qua de matrimonij valore, ac onere possit iudicare, & *cap. fin. de desponsat. impuber.* appellatur prudentia. Quare qui se habilem esse dixerit ante ætatem, probandi onus incumbit, sicut completa ætate is qui negat, probare debet. In dubio autẽ an præfinitum tempus completum sit, inhabiles iudicabit Ecclesia, etiam si exigua temporis distantia sit. Neque enim hic locum habet illa regula, *quod parum distat*, sicut neque in alijs, in quibus ius præfinitum tempus exigit, vt in anno probationis religiosi, & in ætate ad ordines; si enim vel vnus dies, aut hora desideretur, vitiat factum; cum enim ius præfiniat tempus, exigatque illud esse completum, nisi malitia suppleat, non est locus paucorum dierũ supplemento. Quod si illa suppleat, parùm refert an duo vel tres dies, aut etiam plures desint. Imo existimo nec satis esse, vt completa ætas censeatur, vltimum diem inceptum esse, quando malitia nõ supplet ætatem, vt de anno probationis dicendum est. Neque obstat quod iure ciuili alia sit dispositio in testamẽtis. Quod enim à iure ciuili ad canonicum in hac re argumentum desumi potest? aut à testamentis ad matrimonia, vbi est expressa decisio Pontificum?

2 Ex his colligitur primò sublato iure positiuo ex natura rei validè matrimonium iniri posse inter impuberes, modo adsit suffi-

sufficiens rationis vsus. Impotentia enim illa si cõsummare nõ posset tẽporalis esset, atque adeo non dirimeret; sicut neque si quis contrahat in prædicta pubertatis ætate, & tamen prout diuersæ hominum complexiones & temperamenta sunt, non possit vxorem agnoscere, non ideo separãdus, quæ communis inter I. C. interpretes sententia est in *Cap. impuberes, de desponsat. impuber.* Sæpe enim eam impotentiam perpetuam non esse experientia docuit. Idem dic de fœmina, quæ etiam 12. annum agens obtenerat ætatem adhuc â viro cognosci nõ poterit. Quod si vir iam annum agens 14. ad huc coire non possit, expectandus vsque ad 18. qui est perfectæ pubertatis, & fœmina vsque ad 14. An verò. Si adhuc copulari non possint incipiat ab eo tempore triennalis experientia dicam infra. Valet ergo matrimonium impuberum inter infideles si adsit consensus, & non sit impotentia perpetua, nisi suis ipsorũ legibus impediantur.

3 Secundò colligitur grauiter peccare eos, qui ante legitimam ætatem contrahũt, nisi adsit vrgentissima causa aut ignorantia excusentur, quamuis coniugio sint apti, cum id seuerè prohibeatur in *cap. non est, de desponsat. impub.*

4 Sed quæret aliquis primò, qua ratione potẽtia copulæ in impubere probari debeat? Licet nonnulli sentiant nullam eius probationem esse, nisi copulam cum ea, quã ducit; dicendum tamen probari etiam posse per copulam cum alia; frequenter enim, nisi aliud constet, præsumitur habilis ad alias. Item ex conatu ad copulam præsumitur potentia *cap. attestationes de desponsat. impub.* Item ex signis etiam corporis probari potest *cap. de illis* 2. vbi iudicatur propinquitas pubertati, & coeundi potentia. Signa ergo eius sunt. Ea tamen arbitrio iudicis cum medicorum consilio relinquenda, qui loquentur inspecta ætate, qualitate, corporis educatione, soli ac cœli natura, seminis etiã effusione, si aliquando id cõtinget, & alijs. Idem proportione quadam de fœminis iudicandum, vt ex apertione sigilli; mẽstruis, & alijs. Non autem satis videtur iuramentum impuberis in re tanta, quo iuret se copulatum vel vxori, vel alteri, nisi reperiatur corrupta, probeturque traditam esse virginem: in eo enim casu, quamuis fraus etiã esse possit, credetur tamen iuramento. Addendum autem discretionem, quæ necessaria etiam est ad malitiam vt dixi, non posse præsumi ex copula, neque ex conatu ad illã quæ si desit non satis est potentia coeundi ad valorem coniugij: sed alijs signis inuestiganda est.

5 Quæri secundo potest, quando puer dicatur proximus pubertati, vt valeat nubere. Diuersi diuersa sentiunt, sine idoneo tamen fundamento. Quare probabilius est id relinquendum iudicis prudentiæ, cum de eo iura nihil decernant: qui non tam annorum considerabit numerum, quam qualitatem, regionis temperiem, proprietatesque & alia, quæ modo dicebamus: paucioraque vel plura signa exiget ad declarandum illum esse pubertati proximum, quo magis vel minus distet ab ætate legitima iure præscripta.

6 Quod verò ad maleficium attinet, si perpetuum illud sit, planum est dirimere matrimonium iuxta dicta de impotentia naturali perpetua cap. 54. & iuxta tex. *in cap. finali* 33. *quæst.* 1. *& cap. finali de frigidis.* Dicitur autem maleficium perpetuum, quod non nisi per aliud maleficium naturaliter tolli potest, aut non nisi per miraculũ, quo nomine non intelligimus exorcismos, & orationes Ecclesiæ, quod enim ijs tollitur tẽporale est cap. fin. 33. q. 1. Nec etiam perpetuum est, quod ab ipso tantum maleficio dissolui potest, citra peccatum tamen, cum iam naturali virtute tolli possit. At si maleficium temporale sit, planum est dirimere. Vnde si Ecclesiæ iudicio separatur, & post sententiam Ecclesiæ habilem se inueniat ad illam cognoscendam manifestum est instaurandũ primum matrimoniũ, sicut de his qui falso frigidi iudicati fuerunt dicebamus supra cap. Quod si post triennij experientiam legitimã, fusas ad Deũ preces, exorcismos, & alia Ecclesiæ medicamẽta adhibita, adhuc se experitur maleficio impeditũ, & separatur, si alteri nupserit, cũ illaq; cõsummauerit cõiugiũ, si separatus est tãquã maleficio impeditus perpetuò & absolute quoad omnes, reddendus erit primæ; cui si adhuc fuerit inhabilis; censendũ est maleficium esse respectiuum, perpetuum tamen comparatione illius. Si tamen separatus est tanquam maleficio tantum respectiuo ligatus, etiam si postea se habilem experiatur ad primam, illi restitui non debet, sed manere cum secũda etiãsi reuera sciat cessasse, aut dissolutũ maleficiũ quoad primã iuxta tex. in cap. fin. 33. quæst. 1. adeo enim aperta est eius decisio, vt non parum mirer alios oppositũ docuisse, nisi eludamus auctoritatem. Hinc mari Archiepiscopi Rhemẽsis, cuius est canon

ille, ac dicamus illum, sic quidem, at falso existimasse. Sed reuera prudenter iudicauit. Nam ex quo per triennium experti se inuicem sunt, tam ab eo tempore Ecclesia cẽset nullum fuisse coniugium, quia perpetuum iudicat impedimentum. Exemplum appositissimum, idque irrefragabile est, quãdo aliquo cohabitante per triennium cum virgine, & nõ potẽte copulari separatur ab illa, cum enim vix vigesimum annum attingeret, & diuersa est hominum complexio, ac temperamentum non valuit virginem agnoscere: at postea crescente vel aucto calore natiuo iam magis robusto, vegetoque corpore aliam virginem eiusdem etiam cõpositionis agnoscit, quam ducit. Valere secundum hoc coniugium sæpe iudicauit Hispania, nec instaurauit primum. Sicut ergo in hoc euentu auctoritate Ecclesiæ separatis coniugibus tenet secundum, ita etiam cum post legitimam experientiam separati sunt ob maleficium. Cuius quidem facillimam rationem reddent, qui dicunt Deum Ecclesiæ reliquisse potestatem dissoluendi matrimonium ratum nondum consummatum, quam communicari potuisse dubium non est; communicatam autem fuisse non est certum. An autem liceat maleficium dissoluere maleficio, aut maleficos de eo consulere dicendum est infra.

7 Denique duo breuiter addenda sunt. Primum non censeri impotentem ad ineundum coniugium eum qui morti proximus, desperata salute ducit vxorem, quo vel absoluatur à peccato cum concubina, vel prolem antea susceptam reddat legitimam. Est enim corpus de se aptum, licet extrinseco morbi impedimẽto eius obruatur potẽtia.

8 Secundum est in matrimonio Hermaphroditi cum distinctione procedẽdũ esse. Si enim æqualis est sexus, valet eius coniugium in quouis sexu, prius tamen eliget sexum iuramenti cautione præstita, non alterius sexus aliquem futurum vsum: nec antea illum copulabit parochus, quã id Ecclesiasticus iudex decreuerit. Quod si viduus factus vtatur alio sexu, & nubat vt fœmina, qui prius nupsit vt vir, peccat quidem; at cõiugium valet, cum sit corpus aptum, & nullum sit ius Ecclesiasticum, quo reddatur inhabilis. Si verò in eo præualeat alter sexus, potest nubere iuxta illũ, qui fortior est. At si iuxta eũ, qui imbecillior est, nubat, si quidem ita imbecillus, vt eius sexus vsus naturalis esse non possit, planum est iure naturali esse irritum matrimonium, perinde enim est, ac si duo eiusdem sexus coniugerentur. Quod si secus sit, possitque cum alio sexu licet valentiori esse naturalis vsus imbecillioris sexus, non video cur non teneret matrimonium, quandoquidem iure naturali potens est, & nullo iure canonico redditur nullum.

De triennij experimento & nonnullis alijs, quæ ad iudicia pertinent.

CAPVT. LXVI.

SVMMARIVM.

Triennium experientiæ, quando non necessariũ, & quando prorogandum, n. 1.
Si nota impotentia est, non esse necessarium triennium, n. 2.
Quando adhibendum, ibidem.
Non requiri triennij experientiam, quando vterque coniux fatetur impotentiam dicunt nonnulli, n. 3.
Oppositum verius, n. 4.
Post triennium non requiri inspectionem, requiri tamen iuramentum, & quale, n. 5.
Quid quando alter negat, & alter fatetur, tribus dictis explicatur, n. 6. 7. 8.
Obijcitur ex cap. 1. de frigidis, n. 9.
Quorundam explicatio, n. 10.
Verior interpretatio, n. 11.
An computandũ triennium à die intentatæ copulæ? debere esse moraliter continuum, n. 12.

1 AD dissoluendum coniugium ratione impotentiæ, in quo nulla iudicis diligentia superflua iudicari debet, cum grauissima sit causa, in qua de dissolutione agitur matrimonij, vt possit esse idoneum experimenti tempus, assignatur in iure regulariter triennij tempus. *Cap. laudabilem de frigidis.* Quomodo autẽ huic decisioni non obstat *cap. 1. de frigidis* explicabo postea. Ita tamen assignatur, vt si antea impotentia deprehendi possit, nõ sit necessarium trienniũ expectare, nec liceat, cũ tantum bona fides potentiæ excusare possit maritales actus, expressẽ enim ibi, *si frigiditas prius probari nõ possit.* & *cap. 1. de frigidis*, de matrimonio senis, in quo virtus extincta non erit opus triennium expectare, cum iã in ea

in ea ætate quotidie decrescat. Quod etiam sæpe tenuit Rota decisionibus infra citandis. Neque item mihi satis videtur triēniū, quando ætates impares, & corpora improportionata, vt si quindecim annorum puella nubat quadragenario, robustoque viro; poterit enim contingere, vt vsque ad vigesimum annum non sint habiles, vt sæpe exitus comprobauit. *Cap. fin. de frigidis.*

2 Sed vt ea quæ de hoc triennij experimento statuunt in dicto *cap. laudabilem.* melius explicentur, obserua. Impedimenta naturalia posse considerari in triplici differentia. Quædam enim necessario & euidenter concludunt impotentiam, quædam verosimiliter, quædam vero dubiē & præsumptiuē. Quam distinctionem sequuntur Butri in d. *cap. laudabilem.* Præpositus, & Alexander de Næuo & alij ibidem. Si impedimenta euidenter & necessariò concludant, non est locus experimento. Neque dispositioni iuris in d. *cap. laudabilem.* Propter rationem dictam num. 1. & tenuit sæpè Rota. Apud Seraphinum decis. 687. & 2. vol. conf. Farinacij decis. 24. & in decis. Rotæ Romanæ per eundem Farinacium decis. 266. 284. numero 1. & 2. & 1. p. decis. Farinacij, decis. 695. Est autem euidens signum virilium amputatio, testiculorum defectus aut si arida virilia sint, ita & vi motiua careant, tunc enim euidens est non posse penetrare vas fœmineum. Item si ita arcta fœmina sit, vt euidens sit à nullo viro cognosci posse sine periculo vitæ, quod qua ratione limitauerim constabit ex dicendis. Aut quando ab alijs matrimonijs fuit ratione frigiditatis separatus: secus si ratione magnitudinis. Quod si quis quærat an impotentia quæ prouenit ex improportione, vt quia fœmina arcta sit, & in viro magnitudo virgæ censenda sit euidens & necessario concludens, ita vt in eo casu non sit locus experimento. Quidam dicunt esse signum euidens & necessario concludens, ita vt neq; sit necessarium iuramentū. Neque cohabitatio triennalis. Sic Innocētius, Ioannes Andreas, Præpositus, Butrio in d. *cap. laudabilem.* At contrarium est verius non esse signum necessario concludens, quæ tutior sententia est, eamque tenet Rota cum alijs 1. p. apud Farinaciū, decis. 695. n. 4. Ratio est quia oculus matronarū sæpe fallitur, & medicorum etiam iudicium & experimentū sæpe decipitur. Et cū agatur de re grauissima, ista posterior sententia magis amplectenda est. Non est autem euidens impotentia maleficium, potest enim alijs rationibus & alijs medijs si triennij tempus expectet. An autē triennium prærogandum sit dicam postea. Quod si impedimenta sunt tantum verosimiliter concludentia impotentiam, tunc requiretur iuramentū coniugum, cum septima manu propinquorum, vt dicam infra, neque tunc requiritur cohabitatio triennalis. At si dubia sint, adhibenda est forma iuris in d. *c. laudabilem* quæ est solemnitas probatoria, & ideo omnino seruanda, vt sæpe tenuit Rota in decis. cit.

3 Sed hic nonnulla quærenda & explicāda sunt. Primum an triennalis hæc probatio requiratur, quando vterque coniux fatetur impotentiā non existentibus manifestis signis, aut verosimiliter euidentibus. Affirmat non pauci non requiri, sed tempus arbitrarium cum coniugum iuramento, & septimæ manus propinquorum. Ducuntur, quia *cap. 1. de frigidis* conceditur reclamatio intra breuius tempus; & quia *cap. laudabilem* triēnij tempus requiritur, cū alter fatetur, alter negat impotentiā: at in casu quo vterque fatetur oppositum videtur statui, cum exordium eius §. sit particula aduersatiua. Tum denique quia quæ maior probatio peti potest, quam vtriusque coniugis confessio in re adeo grauī?

4 Cæterùm mihi verosimilius videtur etiam in eo casu requiri triennij probationem, quæ communior, & inter Theologos, & iuris interpretes sententia est. Et quidem quod vterque coniux fateatur impotentiā, non solum non aufert triennalis experimēti necessitatem, quin potius inducit; nam facile timeri potest, ne inter ipsos coniuges sit collusio, vellentque à matrimonio recedere, vnde maiori cura insistere debet iudex probationibus, illasque diligentius conquirere, quanto illi magis appetunt dissolutionem matrimonij. Cum enim alter eorum renuit, adhibebit etiam ille curam, vt pro se probationes idoneas afferat, & aduersarij infringat. At si concordes extiterint cōiuges, ac separari velint, cautius procedat iudex, ne ab illis decipiatur. Et præterea id etiā constat, quia in d. *c. laudabilē* primū vniuersē decidit̄ in probationibus dubijs triēnij tēpus expectādū: ar postea distinguūtur duo casus, vt decernat Pōtifex an vltra triēnij probationem requiratur alia, & in casu, quo vterq; fatetur impotētiā, requirit iuramētū cōiugū & propinquorū, quod intelligēdū vltra triēnalē experiētiā, vt cōstabit le gēti. Quod enim vterq; cōiux fateatur impo-

tentiam, non est sufficiens ad rectum iudicium probatio; tum ob rationem dictam, tū etiam quia ipsi coniuges, qui impotentiā fatētur, ignorare possunt, an sit naturalis, vel perpetua, an ex maleficio, vel ex alia causa proueniat. Cum ergò nullum aliud fundamentum sit ad excludendam triennij experientiam, quam sufficiens probatio impotētiæ, & non sit huiusmodi confessio vtriusq; coniugis deficientibus signis verosimiliter euidentibus, quæ manifestam faciāt impotētiam, nulla prorsus ratio est propterquā dicamus in d. *c. laudabilem*, decisionem de triēnij experimento locum non habere in secūdo casu illius capitis. Atque his diluimus prioris sententiæ fundamēta. De intelligētia autē capitis primi de frigidis dicā postea.

5 Sed addendum in primis post triennij probationem non requiri, neque esse necessariā inspectionem, nullum enim viduis superesset remedium. Deinde esse necessariū & iuramentum coniugū, & septimæ manus propinquorū: timeri enim collusio potest etiam elapso triēnio: Idque iuramentum habet locum etiamsi inspiciatur an virgo sit: fallax enim ea inspectio, & præterea adhuc est collusionis periculum. Quare adhibendum omnino est illud iuramentum ob decisionem Pontificis in *d. c. laudabilem*, & eo omisso nulla esset dissolutio matrimonij facta ex *c. fin. de frigidis*: nisi forte ex aliquorum sententia fama communitatis adiuuās assertionem coniugum illud suppleret; quæ limitatio non omnino probatur, cum ius in *d. cap. fin.* exigat eiusmodi iuramentum pro dissolutionis forma. Debent esse testes quatuordecim septem propinqui vxoris, septem viri, cum vterque asserit impotentiam: aut si non tot extiterint propinqui, saltem vicini: Quod si nec tot testes reperiri potuerint, arbitrio iudicis relinqui docent multi. Quod si nec vicini, nec propinqui extiterint, assumi debent ad iuramentū testes bonæ famæ, & omni exceptione maiores, quod potius ex mente *c. fin. de frigidis*, quā ex eius expressa decisione colligendum est. Quamuis autem in forma dicti iuramenti dicatur, vt cōcipiatur tactis Sacrosanctis Euāgelijs, attamen vsus obtinuit & consuetudo, vt tactu etiam crucis concipiatur. Nec vero eodem modo iuramentum facient cōiuges, & propinqui; illi enim certò iurant se nunquam copulatos, nec posse copulari, ineptos esse, nec carnis aculeos sentire, quā uis vxor blanditijs allexerit, nec copulam recusarit: at isti se credere illos vera dicere. Atque hinc fit, si postea vir inueniatur non esse frigidæ naturæ, nequaquam esse periurij reos testes illos, qui solùm de credulitate depositerunt: esse tamen reos periurij ipsos coniuges, & de illis tantum accipiendum, quod habetur in d. *cap. laudabilem & cap. 33. quæst. 1.* ipsa enim ratio cogit eos Canones interpretari. Nec verò coniuges solū in foro externo habentur quasi periuri, vt nonnulli volunt; sed reuera rei periurij sunt, ideoque iure optimo vt periuri puniendi; quia iuramentum eorum non quomodocūque concipitur, aut generaliter, sed etiam in particulari, vti diximus modo. Ea enim, in quibus versatur iuramentū, quod ab illis exigitur, certò nosse possunt, atque ideo nō possunt non esse periurij rei. Ex quo etiam fit iudicem Ecclesiasticum non debere iudicium ferre, eo quod coniuges tantum allegent generalem impotentiam; sed in specie probationem exigat, & iuramenta, vt veritas clariùs perspiciatur.

6 Secundò quæret aliquis, an ista triennij probatio requiratur, quādo alter negat, alter fatetur impotentiam, nec existentibus signis euidentibus: vel an alia maior probatio requiratur. In quo, vt distinctè ac sine ambagibus nostram proferamus sententiam, statuo primùm, si signa adsint euidentia frigiditatis, vel verosimiliter euidentia iuxta supradicta, quocunque tempore fœminam audiendam, siue ante triennium, siue elapso triennio post multos annos, etiamsi vir asserat à se cognitam. Constat ex *c. laudabilē, & cap. fin. de frigidis*, nec enim illud matrimonium valere vnquā potuit; parumq; obest viri assertio, cum adsunt euidentia impotentiæ signa.

7 Deinde, si signa sint tantum verosimilia, & taciturnitas fuerit à principio, quod qua ratione dicam, constabit statim, etiam expectandum triennium, siue mulier dicat se incognitam, & vir affirmet, siue fœmina affirmet, vir autem neget: & ante triennij lapsum nullius iuramento deferendum. Id quidem mihi videtur certum, si res ista consideretur attentè. Nam cum signa non sunt certa, nulla probatio maior esse potest, quā experientia triennij. Vnde vsus & cohabitatio tirēnalis ob nullius ex coniugibus testimonium deferenda vel omittenda est. Planum enim non ita facile de viri impotentia an absoluta an respectiua, sit posse ferri iudicium.

8 Præterea tertio statuo elapso triennio experientiæ, si mulier asserat se incognitam,

nitã, vir autẽ affirmet, & aliàs non sunt aliæ probationes conuincentes; credẽdũ viri iuramento potiùs, qui caput est vxoris. *Cap. si quis acceperit 33. quæst. 1. & c. 1. de frigidis*, & dixi suprà isto lib. c. 63. Neque verò obstabit, quamuis mulier se exhibeat inspiciendam, & incorrupta appareat, cum ea inspectio, fallax omnino sit, vt ostendi supra, ac possit fœmina in odiũ viri facile se virginẽ ementiri. Nec etiã patitur honestas, vt corã testibus coeant, possent enim facile impediri verecundia. Quare, si vnus ex eis neget, alter affirmet, & aliàs non suppetant testes, qui aliquando ab illis audierint se nõ posse copulari, aut alia signa sint, quibus fœminæ assertio roboretur, standũ viri iuramento, meo iudicio, quãtumuis fœmina se virginẽ ostentet. At si eo elapso triennio fœmina se cognitam asserat, & vir neget, fœminæ potius in ea causa adhibetur fides, nisi vir oppositum probet, illi enim incũbit probatio. Est enim præsumptio in fauorem fœminæ, tum quia frequenter stimulis carnis excitãtur, tum quia nõ facile creditur illam velle cum impotenti cohabitare: Itaque docet cõmunis sentẽtia. Dixi breuiter, quæ mihi videtur cũ æquitate congruere, in hoc enim Doctores tot distinctiones, & limitationes adhibent, vt rem potius obscurent, quàm explicent.

9 Sed his quæ diximus videtur obstare textus in *c. 1. de frigidis*, à versiculo, *illa autẽ*, vbi dicitur, si illa proclamet post annũ, aut dimidium dicens virum secum coire non posse, viro negante, non audiendam: quia si proclamare voluit, cur tandiu tacuit? cito enim, & in paruo tẽpore scire potuit, si secum coire potuisset. Deinde statuitur, si statim post mensem vel duos proclamet, & asserat virum frigidæ esse naturæ, si hoc probari potest per rectum iudicium, separandos, & illi liberas concedendas nuptias.

10 Huius capitis decisio valde torquet interpretes. Nonnulli sentiunt non habere vim textus, quia nec ex Põtificibus, nec Cõciliis, nec Patribus Ecclesiæ desumptũ est. Alij correctum esse dicunt per decisionem in *cap. laudabilem & cap. fin. de frigidis*. Sic Turrecremata in *cap. siuxis acceperit 33. q. 1.* Alij vero qui textum istum, & vim textus habere volunt, & non esse correctum asseuerant, mirè torquentur. Dicũt quidam, si mulier initio non proclamauit, non esse audiẽdam, donec sit elapsum integrum trienniũ: limitant autem, nisi aliàs signa euidentia, vel verosimiliter euidentia impotẽtiæ sint: in eo enim casu etiamsi non proclamauerit initio, audiri fœmina debet. Sic docet citatis alijs Thomas Sanchez lib. 7. disput. 109. num. 5. Alij dicunt textum procedere de fœmina corrupta, non de virgine: corrupta enim, quæ initio non proclamauit, non potest postea probare facile frigiditatem viri, si ille asserat à se etiam cognitam.

11 Verùm ego existimo in primis textum istum non loqui de causis euidenter probantibus impotentiam. Id quod manifestè deducitur. Nam cum adsunt ea signa, siue ab initio proclamet, siue non, auditur, neque enim tũc licet vllo pacto cohabitatio, vt diximus. Loquitur ergo textus in eo casu, quando signa sunt verosimilia tantum, vultque, vt si proclamauerit mulier, siue virgo, siue corrupta, intra duos mẽses à die intentatæ copulæ computandos, etiãsi vir renuat, & aliàs sint sufficientes probationes ad rectum iudicium, separentur non expectato triennio. Nam etiam in *d. cap. laudabilem* decernitur, vt si antea probari, aut deprehendi impotentia possit, non expectetur triennium, quod in defectum aliarum probationum decernitur à iure. Quare ex hac parte non pugnant hi duo canones. At si fœmina non proclamet, nisi post annum, aut dimidium: & vir affirmet se esse potentem, & illam cognouisse, siue ea corrupta siue virgo, ad eius potestatem deuenerit: siue etiam, se virginem ostentare velit, *non audiendam*. Quid ergo tunc fieri debet? Id sanè non explicatur in *d. cap. 1.* At explicatum est in *d. cap. laudabilem*, vt decernatur, scilicet, experientiæ triennium muliere negante, & viro asserente, vt inde sufficiens desumatur probatio. Præsumit enim ius in *d. cap. 1. de frigidis* malitiam vxoris, quæ eo tempore tacuit: atque ideo merito ab eo tempore decernendum à iudice experimento triẽnij tempus. Nisi fortasse postea eam vtroque consentiens, & sufficientibus alijs adhibitis probationibus iuxta dicta, separationem postulent; tunc enim non erit necessarium triẽnium expectare, sed standum decisioni in *cap. laudabilem*, qua de eo casu agit. In pœnam itaque taciturnitatis potior habetur ratio iuramenti viri, & ab eo tempore decernitur triennium, sicut constitutum postea per *cap. laudabilem*. Vide quàm interse omnia cohæreant.

12 Tertiò quæret aliquis, qua ratione assignandum, vel computandum illud triennium? Multis videtur in primis magis cum

æquitate congruere, si numeretur à die intē tatæ copulæ, quæ quia solet intentari, quam primum à die celebrati coniugij, idque præ sumplit Pontifex ideo dixit computandum à die celebrati coniugij in *d. cap. laudabilem.* Quod idem in maleficio dicendum est, vt cōligi videtur ex *cap. fin. de frigidis* ex eo enim constat triennium cohabitationis cōputari sine decreto iudicis. Quare, etiam si non designetur à iudice, sed ante litem motam transactum sit, non est aliud triennium denuo computādum. Verūm tutior & communior sententia est, vt triennium computetur â decreto iudicis. Ab eo enim die præmittitur peccatorum confessio, & Eucharistiæ perceptio, & maior diligentia incipit adhiberi, & in re tanti momenti nulla est superflua. Vnde hanc opinionem sæpe tenuit Rota, vol. 2. cons. Farinacij, decis. 192. multis cit. & 226. & 1. vol. cōs. decis. 27. & in decis. Rotæ Romanæ per Farin. decis. 277. Idē etiam tenet Riccius in praxi decis. 239. n. 1. cum alijs. At nisi viderē Rotam frequenter iuisse in eam sententiam, amplecterer distinctionem quam Additio Farinacij habet, d. decis. t. 1. cons. v. *pœnitentiam*, vt â decreto iudicis & iniuncta pœnitentia computetur triennium, quando impotentia creditur esse ex maleficio, non verò quando est ex frigiditate, tunc enim à die coniugij si cohabitauerint computatur, est enim apertus textus in d. *c. laudabilem.* Illud etiam obserua cum Rota d. decis. 226. c. 1. & 2. si ante iudicis decretum præcesserit triennalis cohabitatio esse in arbitrio iudicis iustis causis cōcurrētibus illud ad breuius tēpus reducere, proponuntur autem in ea decisione iustæ causæ. Quod etiam sæpe commissum iudicis arbitrio docet Riccius decis. cit. n. 3. Præterea debet esse continuū morali quadam ratione ex *cap. fin. de frigidis*, hoc est, sicut solent cōiuges cohabitare, & sibi inuicem copulari. Quod si magno temporis spatio ea cohabitatio interrūperetur, suppleri deberet. Denique addendum istud triēnij tēpus instaurandum, & denuo assignandū quoties Ecclesia comperiens se deceptam cohabitare & redire ad primum coniugem iubet. De probatione autem copulæ, quæ difficilis est, vide decis. Rotæ 32. 1. t. cōs. Farinacij, & eius Additionem lit. A. De alijs autem quæ magis inspeciali ad iudicia pertinent videatur Thomas Sanchez lib. 7. disput. 112. & alij, mihi insinuasse sufficiat.

Quid sentiendum de Eunuchorum coniugio iure naturali.

CAPVT. LXVII.

SVMMARIVM.

Eunuchorum species distinguuntur, num. 1.
Eunuchorum ingenium ex Basilio describitur, num. 2.
Eunuchorum coire potentium valida esse matrimonia multi censuerunt, n. 3.
Eorum matrimonium in ordine ad copulam nullum esse iure naturali, n. 4.
Probatur etiam ex literis Sixti V. n. 5.
Eorum coniugia ad caste viuendum valida esse iure naturæ, n. 6.
Probatur ex literis Sixti, n. 6. & 7.

1 EVnuchorum tres esse species docuit Paulus lib. 6. in hæc verba. *Erant vero faciendi multi modi. Quidam enim fiebant excisione testium, quidam veretri etiam cum testibus, qui mingebant fistula ænea, vt nunc quoque, quibus ob morbum ea pars est secta: quidam fiebant testiculorum attritione, ea vero erat puello in balneum demisso paulatim testiculos atterere, vsque dum velut dissipati cuanescerent, atque contorquere, vt vena, quæ alimē tum illis defert, velut nodo intercaperetur, atque ita illi tabescerent. Itaque erant eunuchi testibus excisis solis, aut etiam cum veretro, & contritis, qui propterea vocabant Thlibæ.* Has tres eunuchorum species videtur multo ante comprehendisse Moyses Deuteron. 23. dū inquit. *Non intrabit eunuchus attritis vel amputatis testiculis & abscisso veretro in Ecclesiā Domini.* Inter hos autem eunuchos ij, quibus penitus virilia excisa sunt non posse cō cūbere notissimū est: eos autē, quibus testes tantū abscisi, vel attriti, coire posse dubitari nō debet. Illi charissimi principibus, vel quia perpetuo flore iuuentæ illorum abutebantur, & habebant in delicijs; vnde & vænibant magno pretio, vt apparet ex 27. §. & *si puerum D. Ad l. Aquiliam & l. 1. C. de commu. rerum matrimonio.* Quintilianus in declamat. *Mango iratus pretium excisa virilitate producit.* Idē lib. 5. inst. ora. c. 12. *Non alio medius fidius vitio dicentiū, quā quo mancipiorum*

rum negotiatores formæ puerorum excisſa virilitate lenocinantur. Et paulo poſt: *libidinem iuuet ipſum effœminati ſexus mendacium, nunquam tamen hic continget malis moribus regnũ, vt ſi quæ fecerit pretioſiora fecerit & meliora.* Vel etiam qui eos, quibus virilia penitus abſciſſa adhibeant in vxorũ cuſtodiam, vel fœminarũ nobilium. Hinc iocus apud Ouidium lib. 2. amorum elegia 3.

Hei mihi quod dominam, neque vir neque fœmina ſeruas,
Mutua nec veneris gaudia noſſe potes:

& infra.

Iſta mares tractent; tu ſpes depone viriles,
Sunt tibi cum domina ſigna ferenda tua.

2 Hi vero, quibus tantũ eunuſſi teſtes vel attriti, chariſsimi fœminis, optari valde, cũ eos nactæ ſint ad libidinẽ procliuiores, & ſatiandæ veneri ideo aptiores, quia cũ ſemen non emittant, ſemel armati non ita cito deponunt arma, & diſsimulandæ illarũ turpitudini conuenientiores, cũ cõcipere ſe non poſſe certo ſciãt. Hinc multa apud Martialẽ & Lucianũ in eunuchos dicteria & ſales. Sed mihi ſatisfuerit teſtimoniũ elegantiſsimum Baſilij lib. de vera virginitate, ex quo iſta, quæ diximus confirmantur, & explicatur eunuchorũ ingeniũ. Cum ergo de his, qui vna cũ teſtibus abſciderunt quoque genitalia locutus eſſet, ſubiungit. *Nam qui ad virilitatis annos cum genitalibus iam per ætatẽ ad coitũ idoneis peruecti ſolos poſtea teſtes abſcindunt, eos aiũt acrius atque ardentius inflãmari libidine, & ad concubitũ impatientiſsime ferri. Neque id ſolũ verũ tuto iã vt ſibi videtur, violare quaſcũque potuerint. Aiunt enim abſciſſis inferius teſtibus qui à lũbis ac renibus reliquo genitali mẽbro ſemẽ adminiſtrãt oppilari ſtatim ſuperiores poros, feruente vero in renibus obſcæna libidine atque ita ſemel expumante inflãmari quidẽ ad id emittendũ virũ. cumque feruens in intimis id effundere nequeat, eo quod ſibi ad concũbendũ reſeruauit, armari, atque ad actũ proſilire nefarium. Ita abſciſsionẽ teſtiũ illecebram ad fallendũ mulierem aſtute machinatus, impudicitius illi iã flagitioſiuſque miſcetur. Nam is quidem qui naturalia integra habet inſtrumenta cõcubitus, excipientibus ſupernæ partis teſtibus ſemen illudque fundentibus, emiſſo iã ſemine alleniatus concupiſcentiæ flagrantis remittit ardorẽ. Is autẽ qui non habet vnde, quod intrinſecus prurit, euacuet, vix extinguit libidinis æſtum, quoad vt ferunt huiuſce rabiẽ fatigatio ſoluat. Atteſtantur his, quæ dicimus non ſolũ naturæ ratio, verũ & plurima ætatis noſtræ documenta, ſicuti quod à ſummæ reuerentiæ viro, canitieque, ac viro meritis ornato referẽte didicimus. Aiebãt enim confeſſam ſibi eſſe mulierẽ eunuchũ, cui illa à Domino, ſiue à viro ſuo credita fuerat, quaſi virum impudice ſibi cõmiſceri ſolitũ, præſumebatque, vt ait, actũ turpitudinis ipſa ſua infœcunditate, ac ſeminis priuatione ſecurius. Neque hic ſolus, ſed alius quoq; nobis vnanimis haud quaquã facile mentiri ſolitus, retulit virginẽ quandam Eccleſiæ canonicam ſibi cum eiulatu nuntiaſſe, quod in cubiculo ipſius eunuchus fuerit, qui illã vitioſo complecteretur affectu, totuſque toti affuſus, cũ non haberet quo poſſet concupiſcentiæ ſuæ ſatisfacere, dentibus vtebatur, ardenter in carne concubitus rabiẽ morſu indicans. Atque ob eam, quã diximus abſciſsionis illecebram, quod ignara & imprudens rei eſſet, tẽtatione implicitam virginem.* Et inferius ſimilitudine bouis elegantiſsima in mediũ producta ſubiungit. *Quo circa & ipſe ſe ad actum fœditatis ſimiliter formans amorem ſpirat, incredibilẽque væſaniam, imo & ad coitum feruens, etſi ea parte non violet, fœminæ turbulentus incumbens, ipſi tamen ac ſi corruperit, ſatisfeceritque cupidini, ita ſceleris imagine affectus eſt.* Hactenus Baſilius, videndus idẽ Magnus Baſilius lib. de inſtit. monachorũ cap. 4. & epiſt. 87. vbi graphicẽ depingit eunuchorum mores.

3 De his ergo eunuchis, qui coeundi facultate non carẽt, valde olim dubiũ fuit, an poſſent valida inire coniugia nõ ſolũ vt caſtẽ viuerent, ſed etiã vt fœminis copularentur. Affirmarunt quidã ex Theologis, inter quos videtur eſſe Medina loco citato iuxta quã opinionẽ, quæ vulgo probabilis habebatur, in noſtra Hiſpania quã plura celebrata ſunt eunuchorũ matrimonia vtroq; tenẽte carentiũ, donec ſuperioribus annis Sixti V. auctoritate ſeparati ſunt, & in poſterũ nubere quomodocũq; prohibiti. Alij ex Scholaſticis negarũt, ſed vtriq; indiſtincte. Neq; enim ſecernunt matrimoniũ iſtorũ ad caſtẽ viuẽdũ tantũ celebratum à cõiugio cum cõſenſu in copulã: nec diſtinguunt ſatis quod iure naturæ ſpectato, quid Eccleſiaſtico dicendũ ſit. Itaque nos breuiter, certiuſque & enucleatius quàm alij, his duobus capitibus explicemus: quod attinet ad iſtorũ cõiugia iuxta naturæ ius in iſto abſoluemus: quod verò ad ciuile & Eccleſiaſticum attinet, aſſeremus in ſequenti.

4 In primis igitur iſtorũ eunuchorũ coniugia vtroque teſte carentium cum implicito vel explicito conſenſu copulæ inualida eſſe, ſemperq; fuiſſe iuxta naturæ leges, mihi tàm certum eſt, quam quod certiſſi-

mum: nec licet de hoc quantum ego iudico vlli dubitare catholico, nisi Pōtificis auctoritati refragari velit. Ostēdo breuiter. Quia consensus in copulam ideo in matrimonio licet, quia ordinatur ad prolem, vnde & effusio illa debet esse verisimilis, quamuis aliquo accidenti sit forsan infœcūdum. In huiusmodi autem Eunuchorum connubio cōgressus vacuus & inanis est, nec solum ob accidens aliquod in prolem ordinari nō potest; sed quia verum semen non emittunt, neque iaculantur, sed forsan elabitur humor aliquis quem specie diuersum â semine indubium est. Non ergo licet illis iure naturæ matrimonium in ordine ad copulā ad prolis bonum minimè ordinabilem. *Carnalis certè, vel iuuenilis incontinentia*, inquit Augustinus libro de bono coniugatorū c. 3. *Etiamsi vitiosa est, ad propagandæ prolis redigitur honestatem, vt ex malo libidinis aliquid boni faciat copulatio coniugalis. Deinde quia reprimitur & quodammodo verecundius æstuat cō cupiscentia carnis, quam temperat parentalis affectus. Intercedit enim quædam grauitas feruidæ voluptatis, cum in eo ipso quod sibi vir & mulier adhærescunt pater & mater esse meditantur.*

5 Hinc optima ratione desumpta Sixtus V. Eunuchorum coniugia iam contracta irrita fuisse, & nulla declarari iussit. Itaque non dissoluit matrimonium antea validum: sed declarauit nullum fuisse à principio eiusmodi coniugium. Vnde iudices, quibus Breuis eius executio commissa est, fœminis nubendi liberam facultatem fecerūt, quia illos non ad caste viuendum contraxisse constabat. Quod efficaci argumento est ad infirmitatem matrimonij istorum secundum ius naturæ comprobandam.

6 Deinde horum Eunuchorum coniugia, si ad castè viuendum celebrentur, valida esse spectato tantum iure naturali, verū existimamus, sicut de primo impotentium genere dicebamus supra: eadem enim ratio vtrumque planè demōstrat. Atque id quod dicimus non obscurè demōstrant verba Sixti V. quæ profero. Cum illi propositum esset ab Hispaniarum Nuntio dubium de his Eunuchorum coniugijs, & litibus, quæ ea de re quotidiè suboriebantur; respondet. *Nos igitur attendentes, quod secundum canonicas Sanctiones, & naturæ rationem, qui frigidi sunt impotentes ijdem minimè apti ad contrahenda matrimonia reputantur: Quodque prædicti Eunuchi aut spadones, quas tanquam vxores habere non possunt, easdem habere vt sorores nolūt; quia experientia docet tam ipsos dum se potentes ad coeundum iactitant, quam mulieres quæ eis nubunt non vt caste viuant, sed vt carnaliter inuicem coniungantur, praua & libidinosa intentione sub prætextu matrimonij turpes huiusmodi coniunctiones affectare: quæ cum publici scandali occasionem præbeant, & in animarum damnationem tendant, sunt ab Ecclesia Dei prorsus exterminandæ. Et insuper considerantes, quod ex spadonum coniugijs nulla vtilitas prouenit, &c.* In quibus verbis manifestè dicit Pontifex, se ideo moueri ad prohibenda in posterum huiusmodi cōiugia, quia Eunuchi eas, quas vt vxores habere non possunt, vt sorores habere nolunt, cum non contraxerint ad castè viuendum, sed fœminis turpè commisceantur. Sequitur ergo ex natura rei matrimonium istorum esse validum. Ampliusque expendendum est, cum dixisset Pontifex eorum, qui frigidi sunt matrimonia secundū canonicas Sanctiones & naturæ rationem nulla reputari, rationem huius reddit in sequētibus illis verbis, *Quod neque eas habeant vt sorores*, cū constet nō ad caste viuendum copulatos, eratq; necessaria hæc causæ redditio, quia manifestum est iuxta Sacros Canones impotentium prioris generis coniugia ad castè viuendum celebrata, & vt eas, quas vxores habere non possunt, habeant vt sorores, esse valida atque firma. Itaque ea quæ ad castè viuendum non sunt, & secundum naturæ rationem, & Sacros Canones irrita omnino sunt. Igitur ea ratione, quæ diximus, valida sunt spectato naturæ iure.

7 Præterea, cum Sixtus decerneret de matrimonijs iam contractis quid faciendū esset, hæc præcipit. *Eos etiam, qui sic iam de facto contraxerunt, si apparet eos non vt castè simul viuant contraxisse, sed actibus carnalibus operā dare, simul vt in vno & eodem lecto dormire cōuincantur, similiter separari cures.* Separandi autem verbo non tantū significat, vt quoad habitationem separentur, aliquo remanente vinculo, sed vt contracta matrimonia declarentur irrita & à principio nulla, vt constat ex his, quæ paulo ante præcesserant, & reuera ita declaratum est, ab huius causæ iudicibus, qui & Nuntium Apostolicū & Sixtum consuluerunt, vt à multis eorum certò cognoui. Si ergo probarentur ad castè viuēdum contraxisse, nec actibus carnalibus dare operam, nec separarentur, nec eorum cōtractus declararetur nullus. Adde etiam, cū paulo superius Pontifex locutus esset de matrimonijs in posterum contrahendis, dixisset que eos ad quomodocunque contrahendum

dũ inhabiles fore, & ſimiliter vniuerſè protuliſſet etiam eorum, qui contraxerant, matrimonia declaranda nulla, quaſi reſtringens eam vniuerſalem propoſitionem, & explicans de quibus matrimonijs iam contractis loqueretur, diſtinguit de his, qui ad caſtè viuendum contraxerant: ac de his non vult ſuam conſtitutionem intelligi, nec morem in hoc antiquum Eccleſiæ reprehẽdit. Quibus rectè perpenſis manifeſtè colligitur hæc eunuchorum coniugia ad caſte viuendum ſpectato ſolo naturæ iure valere. Nec video quid contra ſententiam iſtam opponi poſsit, præter ea quæ adduximus ſupra pro opinione Bonauenturæ de primo impotentium genere.

Quid diſponant iura de Eunuchorum coniugijs?

CAPVT LXVIII.

SVMMARIVM.

Eunuchiſmum eſſe impedimentum ad quouismodo contrahendum à tempore Sixti V. nu. 1.

Quid de eorum matrimonijs dicendum ſit Iure Ciuili, n. 2.

Noua & contingens difficultas proponitur & explicatur de quodam ſpadonum genere, n. 3.

1 QVamuis eunuchorum matrimonia ad caſtè viuendum celebrata iure naturæ non ſint irrita, & iuxta antiquos Canones valida eſſent atque firma, vt ſupra de prioris generis impotentium coniugio probatum eſt; attamen à tempore Sixti V. eunuchi omnes inhabiles pronuntiati ſunt ad quomodocumque contrahendum, hoc eſt, ſiue in ordine ad copulam, vel vt caſtè viuant. Idque duplici ratione, quam expreſsit Pontifex, verbis adductis cap. præcedenti, & quia huiuſmodi matrimonia nullius ſunt vtilitatis in Eccleſia; & quia, vt experientia compertum eſt, non eo ſunt ingenio eunuchorum grex, vt ad caſtè viuendum contrahant matrimonia. Id quod ſatis confirmant verba Baſilij, vt interim omittam plures alios, qui idem cenſuerunt. Eunuchiſmus ergo deinceps eſt impedimẽtũ iure poſitiuo introductum, impediens & dirimẽs matrimonia, etiamſi ad caſtè viuendum contrahantur. Verba Sixti ſunt poſt illa, quæ cap. præcedenti retulimus; *Committimus fraternitati tuæ & mandamus, vt coniugia per dictos, aut alios quoſcumque eunuchos, & ſpadones vtroque teſte carentes cum quibuſlibet mulieribus prædictum defectum ſiue ignorantibus, ſiue etiam ſcientibus contrahi prohibeas, eoſque ad matrimonia quomodocumque contrahenda inhabiles auctoritate noſtra declares. Nota auctoritate Pontificia dici redditos inhabiles ad quomodocumque contrahendum, non naturæ iure, & tam locorum ordinarijs, ne huiuſmodi coniunctiones de cætero fieri quoquomodo permittant interdicas, quam eos etiam qui ſic de facto contraxerint, ſeparari cures, & matrimonia ipſa ſic de facto cõtracta nulla irrita & inualida eſſe decernas. Eos etiam qui ſic iam de facto contraxerunt, &c.*

2 Vt quid Iure Ciuili de iſtis coniugijs ſtatutũ ſit, breuiter perſtringamus, aut delibemus, deſtinguendæ ſunt voces. Eunuchorum appellationem latius aliquando porrigi, vt ad omnes ſpadonũ ſpecies pertineat, probat Briſſonius lib. de verb. ſigni v. *Eunuchus*. In promptuque eſt illud Matth. 19. *Sunt eunuchi, qui de matris vtero ſic nati ſunt, & ſunt eunuchi qui facti ſunt eunuchi ab hominibus, & ſunt eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum Cœlorum*. Prior eunuchi appellatio natura frigidos, & impotentes comprehendit. Spadonum etiam ſæpe generalis appellatio eſt, eaque tam hi, qui natura ſpadones ſunt, item thlibiæ, thlaſiæ, caſtrati, ſed etſi quod aliud genus ſpadonum eſt, continetur *l. 128. de verb. ſignif. l. 4. §. contendimus D. ad l. Cornel. de ſicarijs*. Mamertinus in panegyrico, *nec fœminas tantum, ſed ſpadones quoque, quos quaſi conſortio generis humani extorres ab vtroque ſexu, aut naturæ origo, aut corporis clades ſeparat*. Et Sixtus in ſuis literis, cum agat de vtroq; teſte carẽtibus, eunuchos & ſpadones appellat, quod mouerim, ne aliquibus minus Lynceis tenebræ offundãtur. Quamuis autem hæc interdũ ita ſe habeãt, tamen ſpadones nonnunquam à caſtratis ſeparantur, *§. Sed & illud inſtit. de adoption. l. 6. in fine & l. 7. D. de ædilitio edicto*, & apud Lucianum in eunucho, eunuchorum cõditio, quam ſpadonum vilior habetur quod ſpadones aliquando virile aliquid experti ſuerint. Vnde proprie aut ſpecialiter ſpadones ſunt, qui valetudine aliqua præpediti, aut vitio corporali liberis operam dare nõ poſſunt, *l. 2. & l. 4. §. vltimo D. de adoptione*. Itaque, vt rectè ex iure colligit Briſſonius, ſpado ſpecialiter appellatur, cui ſterilitas morbus, vitiumve corporis impedimento eſt, quominus generare poſsit; non item is, cui neceſſaria ad generandum pars corporis de-

est, sicut & furculi, qui nihil attulerunt, spadones ab agricolis appellari docet Columella lib. 3. cap. 10. Eunuchi verò propriè appellãtur castrati, seu quibus virilitas execta est, quos eo ambitu verborum designauit Lucanus lib. 10.

Necnon infelix ferro mollita iuuentus,
Atque execta virum.

l. 1. & 2. C. de eunuchis & l. 5. C. qui testamenta facere possunt. Inter hos ergo spadones & eunuchos specialiter dictos, siue castratos hoc est discriminis in iure, quod spadonibus secundum iura ciuilia nubere licebat; castratis verò, siue his, quibus genitalia abscissa erant, non item, *l. si serua §. fin. D. de iure dot.* Spado quoque poterat matrimonij causa manumittere, non verò castratus *l. 14. §. fin. D. de manum. vin.* spadoni licebat posthumum hæredem scribere, quoniam nec ætas, nec sterilitas ei rei impedimento erat: castratus vero secus *l. 6. §. spadonem D. de liberis & posthumis.* Ij etiam qui generare non possunt, quales sunt spadones, adoptare possunt, §. *Sed & illud, instit. de adoptionib.* Itaque castrati, siue eunuchi etiam ciuilibus legibus â matrimonio repelluntur, spadonũ verò hoc est, impotentium primi generis, de quibus locuti sumus, matrimonia licebant in iure ciuili: cum tamen ea tantũ, quæ ad castè viuendum contrahuntur; valida cẽsenda sint ex iure naturæ & Ecclesiastico.

3 Sed cũ per Sepuluedã hoc anno trãsirem, quidam amicus medicinæ professor & eximiè doctus eam mihi quæstionem decidendã proponit, quæ eo anno in tribunali Ecclesiastico Segouiensi controuersa fuerat. Quidam vtroque teste læsus fuit, vocatur chirurgus, qui vnum testem auulsit, cumque alium etiam vellet auellere, prohibuere parentes. Ille intra corpus recondit, nequa intestinorum descensui pateret via. Nascuntur pili barbaque. Postea procedente tempore voluit contrahere matrimoniũ. Disceptatur in tribunali Ecclesiastico an sit habilis ad coniugium, vel excludendus propter literas Sixti V. de quibus hactenus dictum est. Huic autem quæstioni propositæ statim respondi extra dubium mihi videri illum habilem esse contrahendo matrimonio. Cũque ratio ex me quæreretur. Eam statim reddidi, quia Sixtus eos tantum eunuchos inhabiles esse ait qui vtroque teste carerent. Hic vero non caret vtroque teste. Neque qui remansit attritus fuit, sed intra viscera reconditus. Nõ ergo inter eos computandus est, quos Sixtus inhabiles reddidit. Rem etiam mature considerans inueni ratione quoque medica fulciri posse. Qua testis ille intra corpus reconditus non ideo factus est inhabilis aut elaborationi seminis, aut emissioni. Ergò perinde ille habilis est, ac si vnus testiculus pendens remansisset, & integer in suo statu naturali. Antecedens probo. Et in primis non esse inhabilẽ testem elaborando semini, quia ex eo quod intra corpus recondatur, non habet qualitates cõseruationi cõtrarias sed similes; cũ testis qualitates sint caliditas & humiditas: conseruatio autem fit à similibus. Id ipsum etiam conuincit quod fœminei testes sint etiam intra corpus recluſi. Imò eadem cum viro genitalia habere fœminam positione tantum ac magnitudine differentia iam pridem docuit Galenus lib. 2. de semine, his verbis: *Est enim proportio maxima inter genitalia masculi & fœminæ. Omnia siquidem genitalia membratum masculus, tum fœmina habere eadem videntur, positione tantum & magnitudine differentia. Quin & vasa testes nutrientia vtriq; sexui ex eisdẽ venis & arterijs procedunt, &c.* Quod ergo intra corpus testes collocentur, nihil obest naturali eorum cõseruationi & temperamento, & ex consequenti neque veri seminis elaborationi. Sed neque situs ille obstat effusioni seminis geniti ab eo testiculo, quod quidem sanè constabit legenti Galenum lib. 1. de semine, vbi non recta via sed per ambages & flexuosos meatus semẽ & elaborari, & descendere in pudendum facile comperiet. Audiui autem pro hac sententia iudicatum esse in Tribunali Segouiẽsi. Eadem facti species sæpe occurret in hoc Episcopatu Salmantino, multis enim vtroque teste læsis eadem curatio frequenter adhibetur, ideó huius quæstionis mentionẽ facere decreui, vt tam Ecclesiastici iudices, quam medici rem istam mature considerẽt. Quod si nullus ex his, quibus ea curatio adhibetur, filios suscepit, parum interest, si verũ semen emittitur, barba, pilisque nõ flaccidis sed virentibus ornati sunt: neq; enim generandi potentia requiritur ad matrimonij valorem, sed coeundi, & vere seminandi, vt supra me dixisse memini. Et de his hactenus.

De im-

De impedimento raptus.

CAPVT LXIX.

SVMMARIVM.

Quid sit raptus explicatur, n. 1.
Proponitur quid explicandum, n. 2.
Tria distinguuntur tempora, & quid ab Apostolorum temporibus, n. 3.
Varietatem etiam eo tempore extitisse, nu. 4.
Quid iure Tridentini, n. 5.
Limitationes duæ eius decreti, n. 6.
Pœnæ in raptores latæ, n. 7. 8.

1 RAptus communi, certaque definitione dicitur, *violenta extractio è domo parentum.* Ex quo fit eum, qui vim non infert: sed vel precibus illam extrahit è domo parentum, vel quia illa iam consensit in matrimonium, raptorem non dici, neque raptorum pœnis subiacere. Id quod constat ex Concilio Romano sub Zacharia cap. 4. vbi excommunicatur raptor, *nisi*, inquit, *eam desponsatam habuerit*, & aperte Lucius III. ad Burgensem Episcopum, *Respondemus, quod cum ibi raptus dicatur admitti, vbi nihil antea de nuptijs agitur, iste raptor dici non debet, cum habuerit mulieris assensum, & prius eam desponsauerit, quam cognouerit, licet parentes reclamarent, à quibus eam dicitur rapuisse.* Raptus enim sine violentia nō est, §. *item lex inst. de public.*

2 Verùm, vt ea, quæ de hoc impedimento ius canonicum statuit, distinctè percipiātur, more nostro diuisis temporibus & sæculis quid de hoc Ecclesia decreuerit proponamus, illud interim repetentes, quod sæpe supra notauimus, in his magnas partes Episcoporum fuisse, & in his impedimētis multa ordinasse, & reuocasse, prout expedire iudicabant.

3 Igitur circa hoc impedimentum tria tempora obseruo. Primum ab initio nascentis Ecclesiæ, & Apostolorum sæculo vsque ad Tridentinum. Secundum inter medium quoddam ante tempora Innocentij III. vltimum à Tridentino. Dico igitur à primis Ecclesiæ temporibus vsque ad Tridentinū, vt plurimum obseruata lege, raptum non alia ratione fuisse impedimentum Ecclesiasticum, nisi quatenus, vel quandiu consensus raptæ deerat. Cumque cōsensus iure naturali ad matrimonium requiratur, ex inde efficitur, non alia ratione diremisse matrimoniū, nisi quia vis illata ac consensus coactus dirimit matrimonium, de quo iam supra lib. 4. Atque adeo iure naturali diremptа matrimonia per raptum; si enim puella etiam in potestate raptoris consistens, & quandocumque consentiret, tenebat matrimonium. Id constat ex Apostolorū can. 66. quo non aliam permittitur ducere, nisi raptam, etiamsi pauper sit; & colligitur ex Aurelianensi 1. can. 4. vbi indicatur matrimonium cum raptore valere, si puella raptori consenserit, quamuis restitui patri iubeatur, & raptor ille addici in seruitutem, aut pretio se redimere. Idem colligo ex Concilio Meldensi cap. 64. quibus insinuatur valere matrimonium etiam in potestate raptorum & cap. 65. vbi præcipitur, vt siqui raptores nondum nupsissent raptis tempore illius constitutionis, separentur, & patri filiæ restituerentur primùm, & postea nuberent de consensu partium. Idem indicat Nicolaus I. epist. 30. Innocentius III. idē apertissimè statuit *cap. fin. de raptoribus.* Id quod vsque ad Tridentinum pro lege vniuersali fuit.

4 Dixi quidem id ab Apostolorum temporibus, vt plurimum obseruatum. quia inter hæc annorum spatia apud quasdā Ecclesias nonnullis Episcopis in Concilijs decernentibus, raptus impedimentū fuit ad quouis modo ineundum coniugium, tam cum rapta, etiamsi redderetur potestati parentū, quàm cum alijs. Vtrumque disce clarissimè ex canonibus, quos subijciam. Melden. can. 66. statuit vt in posterum raptor sine spe cō iugij perpetuò maneat. At Synodus Regiaticina sub Leone IIII. can. 10. *Quæ vero vel viduæ vel adhuc sponsæ non fuerunt, & absque ipsarum & parentum voluntate rapiuntur, nihilominus vel parentibus, vel propinquis restituātur, & alijs si voluerint nubant: nam ipsorum à quibus raptæ sunt legitimæ demum vxores nullatenus esse possunt.* Et Concilium Cabilonense, & habetur, *cap. de puellis 36. quæst. 2.* ibi, *iuxta canonicam auctoritatem ad coniugia legitima raptores sibi vendicare nullatenus possint*; & *cap. fin. eadē quæst.* quod citatur ex Aquisgranensi Concilio, *eas*, inquit, *nullatenus habeant vxores, quamuis in postmodum conueniat, aut eas dotauerint, vel nuptialiter cum consensu parentum suorum acceperint.* Verùm ea, quæ his canonibus statuta sunt, priuatæ quædam leges fuerunt ab his, apud quos celebrabantur Concilia, seruatæ, cum penes ipsos ea potestas tunc esset constituendi impedimēta. Præualuit antiqua lex denuò confirmata

auctoritate Innocentij III. in *d. cap. fin. de raptoribus.*

5 Tertiò denique nouissimo iure Concilij Tridentini sessione 24. cap. 6. Raptus cæpit etiam esse impedimentum Ecclesiasti cum: antea enim vt dixi dirimebat naturali iure tandiu, quandiu voluntas raptæ & consensus deerat. In eo enim capite hæc dicuntur: *Irritum scilicet esse matrimonium, quandiu rapta in potestate raptoris fuerit; secus tamen, si ab eo separata, & in loco tuto ac libero constituta ei nubere voluerit.*

6 Circa quod decretũ duo breuiter obseruanda. Primum tantum habere locum in his locis, in quibus receptum est Concilium Tridentinum, aliàs seruãdum quod antiquo iure statutum est in *d. cap. fin. de Raptoribus.* Alterum est id decretum tantum intelligendum esse de raptoribus, nec extendendum ad raptrices fœminas vt notat speculum in Append. ad articulũ 32. 1. p. difficile enim ius præsumit viro eam inferri violentiam. Quamuis si reuera esset etiam iuueni illata vis, matrimonium esset nullum iure naturali ob consensum coactum.

7 Verùm aduersus raptores multæ editæ leges Ecclesiasticæ, quæ variis adhibitæ pœnis illos deterrere conabantur. Potissima excommunicatio fuit à primis Ecclesiæ temporibus Apostolorum c. 66. Chalcedonense act. 11. can. 27. cum consentientibus & adiuuantibus, & si clerici, deponi iubentur, Symmachus epist. 5. Aurelianense 4. c. 12. 6. Synod. c. 92, Romanum 1. sub Gregorio II. c. 10. 11. Romanum sub Zacharia c. 7. Parisiense 1. c. 6. & habetur *cap. de puellis quæst.* 2. Regiaticinum sub Leone IIII, c. 10. Nicolaus I. epist. 30. Vvormatiense, c. 77. idem reperit, quod Chalcedonensis canon statuerat. Metense c. 7. Meldense c. 68. Meldense, c. 7. & Alexander III. in Append. Lateran. p. 6. c. 4. & nouissime Tridentinum loco citato.

8 Sed & præterea raptor vendi iubetur in seruum patri puellæ, aut se redimere pretio conceditur, & hoc si ad Ecclesiam confugerit in Concilio Aurelianensi 1. c. 4. Filij ex raptu ante cõiugium suscepti inhabiles sunt ad dignitatem Ecclesiasticam, & etiãsi postea ex coniugio nascãtur, inhabiles esse volunt ad sacros ordines. Meldense c. 64. & raptores sine spe coniugij remanere. Et denique Tridentinum præter excommunicationem aliàs addit pœnas in raptorẽ, & dantes Consilium auxilium, & fauorem. Decernit enim eos perpetuò infames, & omnium dignitatũ incapaces; clericos de proprio gradu decidere: & vt raptor insuper teneatur raptam, siue duxerit, siue non duxerit, decenter dotare iudicis arbitrio. Quæ tamen pœna locum non habet ante ipsius iudicis sententiam, vt constat ex verbis & tenore decreti. Ac de his hactenus.

DE

DE DISPENSATIONIBVS.

LIBER OCTAVVS.

Valde frequens in praxi huiusmodi argumentum est, & circa quod passim plures difficultates occurunt. Sed cum in dispensatione interueniant & potestas dispensandi, & causa dispensationis, & qui dispensationem impetrat, & præterea etiam contingere possit, vt semel impetrata dispensatio expiret; ideo agemus primò de his, quibus competit dispensandi potestas; secundò de causis, quæ ad iustam & validam dispensationem requiruntur. Tertio de defectu ex parte impetrantis, siue quia veritatem reticeat, vel falsitatẽ exprimat, vel mandatum ad impetrandum non habeat. Quarto loco explicabo quibus modis extingui, vel cessare, aut expirare dispensatio possit. Ac denique nonnulla alia circa dispensationis interpretationem & formulas dicemus. Quibus complectemur omnia, quæ ad dispensationis materiam pertinent tam in genere, quàm in specie, vt semel ea, quæ de hoc argumento ad alias etiam materias pertinent, absoluamus. Eò enim doctrina gratior lectori est, quo videt plura in specie coniuncta, quæ in diuersis materijs ex illa deciduntur: & breuiter omnia non tam disputando, quam docendo, & probando, ne crescat hic liber in immensum.

Explica-

Explicatur definitio dispensationis.

CAPVT I.

SVMMARIVM.

Variæ acceptiones dispensationis, n.1.
Variæ definitiones dispensationis, n.2.
Vera definitio, n.3.
Differre ab interpretatione, n.4.
Differre à permissione, simplici licentia, & absolutione, & abrogatione, & privilegio, numero 5.
Comprehendi omnem dispensationem ea definitione, n.6.

1 DIspensationis nomine signi ficari solere distributionem certum est: idque non solum in sacris literis Lucæ 12. *Quis putas est fidelis dispensator?* & apud Paulum, *Dispensatores mysteriorum Dei*, & alibi sæpe; sed etiam in Iure Ciuili *l. 62. D. de solution. & l. 166. & l. 203. de verb. signific. & l. 1. C. si aduersus fiscum*, & in Iure Canonico *cap. dispensatio. 43. dist. & in extrauagant. vnigenitus, de pœnitent. & remission.* Indulgentiarum distributio, dispensatio vocatur. Attamen, quod ad præsens institutum attinet, ea vox applicata est ad significandum actum, quo quis ab obligatione legis eximitur; sed cum varijs modis legis obligatio tolli possit, derogatione, abrogatione, interpretatione, ab illis, si proprie & stricte sumatur, dispensatio differt, vt statim perstringemus breuiter, quia de eo alij latissimè.

2 Definiri autem dispensatio sic solet: *Est relaxatio iuris communis cum causæ cognitione, facta ab eo, qui ius vel potestatem habet*; quam definitionem tradidisse videtur Panormitanus in *ca. 12. de Schism.* num. 4. Navarrus in sum. prælud. 9. num. 15. & alij. Sed cum vera dispensatio sine causæ cognitione dari possit, vt dicam postea, probari ea definitio non debet. Itaque reijcit eam particulam tandem Panormitanus supra citatus, Bartolus consil. 28. volum. 2. Decius in *cap. At si clerici §. de adulteris, de iudicijs*, & alij, quos infra referemus, cũ sermo erit de necessitate causæ ad dispẽsationem & eius valorem.

3 Communis ergò dispensationis definitio est. *Dispensatio est iuris alicuius relaxatio.* Quam definitionem tradunt Doctores citati num. 2. quos sequuntur Suarez de legibus lib. 6. cap. 1. Salas de legibus disput. 20. sectione 1. Ioannes Azor, Gabriel Vazquez & alij locis infra citandis. Thomas Sãchez lib. 8. de matrimonio disput. 1. num. 2. addit, *ab eo, qui potestatem habet*, vt indicet causam efficientem dispensationis; sed sine causa. Nam id iam in ipsa ratione dispensationis includitur, quæ si non fit ab eo, qui potestatem habet, dispensatio non est. Igitur dispensatio eximit aliquem ab obligatione alicuius legis, quæ & manet circa alios, & ipsum obligaret in eo casu, nisi princeps obligatione liberaret. Sic videtur colligi ex *cap. ipsa pietas, §. si inquirunt 23. quæst. 4.* Vbi Augustinus appellat *vulnus cõtra integritatem securitatis*, & *cap. necessaria rerum dispositione 1. quæst. 7.* vbi Gelasius appellat *relaxationem, moderationem, temperamẽtum, canonum paternorum*, & ex *cap. dispensationes, eadem causa & quæst. & cap. tanta & c. siqui eadem quæst. & cap. de multa, de præbendis*, & alibi sæpe, vbi dispensatio conceditur.

4 Ex hac dispensationis definitione primò colliges dispensationem in quauis materia fit, non esse interpretationem legis siue in casu certo, siue dubio, contra nonnullos ex Theologis, qui declarationem esse dispensationem senserunt. Facit pro nobis in primis, quia sequeretur ex eo Pontificem in lege humana & naturali dispensare, cum illas interpretari possit. Id autem quod sequitur, falsum esse docet communis Doctorum sententia, de qua agemus cap. 2. Facit etiam, quia dispensatio est actus iurisdictionis, vt dicam postea: legum autem interpretario nequaquam, argumento textus in *§. constat autem ius nostrum, instit. de iure naturali.* vers. *responsa prudentum.* Nisi enim à Cæsare ius respondendi datum esset, eorum interpretatio nullam legis haberet vim, neq; dispensationis, cum hæc sine iurisdictione esse non posset. Facit præterea, quia cum adest certa causa vel probabilis, in qua deficiat lex, declarare tunc in eo casu legem deficere non solum pertinet ad eum, qui iurisdictionem habet, sed quod ad forum poli attinet, etiam ad quemuis hominem doctũ, qui attenta causa poterit iudicare. Denique idem exempla declarant, cum enim Pontifex v. g. dispensat cum Hispanis, vt data illa eleemosyna duorum argenteorum non

teneãn-

teneantur lege cõmuni prohibente in quadragesima lacticinia, planum est, non interpretari tunc ea data eleemosyna, vel causa adhibita, non obligari Hispanos lege cõmuni abstinentiæ, & in eo casu deficere legem communem comparatione illorum, sed reuera eos eximit ab obligatione legis communis: atque ita dispensationem non esse interpretationem docet Suarez ca. cit. num. 3. & 4. Salas loco cit. Gabriel Vazquez tomo 2. in 1. 2. disput. 178. cap. 2. Thomas Sanchez lib. 8. de matrimonio disput. 1. num. 1. & lib. 4. sum. cap. 37. quæst. 1. in numeris citatis.

5 Secundò infertur dispensationem differre â permissione, quia permissio strictè & propriè sumpta non aufert peccatum, neque culpam, atque adeo, neque legis obligationem: at dispensatio tollit, licet aliquando etiam latè sumpto permissionis vocabulo, soleat sic appellari dispensatio *cap. dispensationes 1. quæst. 7.* Differt etiam dispensatio ab absolutione, cum propriè profertur absolutionis nomen. Nam absolutione à peccatis, â censuris nulla relaxatur lex, quin potius executioni mandatur, cum lex iubeat hominem dispositum absolui à peccatis, hominem recedentem â contumacia, & obedientem Ecclesiæ absolui â censura, & restitui communioni fidelium: dispensatione autem vulneratur lex. Sic glossa in *cap. cupientes, §. cæterum, de electione in 6.* Panormitanus in *cap. tam literis, num. 3. de testibus*, & Doctores citati num. præcedenti. Differt etiam dispensatio à simplici licentia, quod hæc non tollit obligationem legis, sed apponit conditionem quãdam, quã lex ipsa postulabat. Vt cum lege statuitur, nequis frumentum extrahat sine legis licentia, cum illa conceditur à Rege, non dicitur in sua lege dispensare. Similiter cum quis de licentia Pontificis ingreditur monasterium sacrarum fœminarum, vel cum monachus de licentia Prælati aliqua insumit, vel donat, non dispensat Prælatus in voto, neque in obligatione clausuræ, sed adhibet cõditionem necessariam, quamque lex ipsa petit, ne scilicet vel donatio, vel ingressus in monasterium fieret sine licentia. Sic Doctores citati Suarez num. 11. & Salas loco citato. Differt etiam à legis abrogatione, & etiam derogatione. Abrogatur enim quod omnino tollitur; derogatur vero, quod ex parte *l. 120. de verb. signifi.* Vnde cum lex pro tota communitate omnino tollitur, & non ad tempus, abrogatio dicitur: cum verò tollitur omnino vel comparatione partis communitatis, vel comparatione materiæ legis, si latitudinem habet, derogari dicitur, & tamen in nullo eorum euentuum dispensatio est. Suarez num. 12. Denique dispensatio differt à priuilegio, non quidem in eo quod priuilegium concedi possit sine causa, & dispensatio non possit dari sine illa vt ex Rebufo, Mandosio, Emanuele Rodriguez refert Thomas Sanchez disput. cit. num. 1. cum valeat etiam dispensatio sine causa vt dicam postea; sed quia priuilegium sæpe datur non contra ius commune, sed præter ius, vt cum Princeps concedit alicui potestatem legitimandi, quam ipse habet. Cum ergò priuilegium est contra ius, ea priuata lex dispensatio dicitur iuris communis. Quando vero est præter ius, non est dispensatio, sed priuilegium proprie dictum; sic Suarez, Salas, Thomas Sanchez locis citatis.

6 Tertiò infertur hac definitione dispensationis comprehendi non solum dispensationem in iure communi, sed etiam dispensationem in statutis municipalibus, aut priuatis. Absolutè enim dictum est, alicuius iuris relaxatio. Sequitur etiam comprehendi non solum dispensationem iuris humani, sed etiam dispensationem obligationis voti, vel iuramenti, aut matrimonij rati, quorum obligatio est ex diuino iure vel naturali, vt suis locis explicatum est. Quomodo autem dispensationis verba sint interpretanda latè, an strictè dicam infra, in fine huius libri. Solent adduci variæ diuisiones dispensationis, sed res facilis, & quæ ex dicendis satis intelligetur, de illis Salas disp. cit. sect. 2. de dispensat.

Quo-

Quomodo possit cadere dispensatio in his, quæ iuris naturalis sunt?

CAPVT II.

SVMMARIVM.

In præcepta naturalia & diuina propriè dispensationem cadere, quidam affirmant, n.1.
Ea quæ pertinent ad ius naturale distinguuntur, num.2.
Et quæ sunt iuris diuini, n.3.
Non cadere dispensationem in ius naturali, & diuinum, n.4.
Probatur, num.5.
Non esse relictam in Ecclesia potestatem ad eam dispensationem ostenditur, n.6.
Limitatur prædicta doctrina, n.7.
Eam tamen non esse verè dispensationem, numero 8.
An remissio voti, vel iuramẽti sit propriè dispẽsatio, n.9.
Quo sensu dicatur per ius gentium & ciuile detrahi iuri naturali, n.10.
Quædam soluuntur, n.11.
Qua ratione fiat dispensatio in voto vel iuramẽto, n.12.
Quomodo fiat dispensatio in votis solemnibus, num.13.
Quomodo Pontifex dispenset in matrimonio rato, n.14.
Quomodo fiat dispensatio in residentia, numero 15.
In impedimentis iuris naturalis nullam dispensationem dari, n.16.
Nonnulla explicantur & remittuntur, numero 17.

1 PRopriè dispensationem cadere in aliqua præcepta naturalia & diuina docuit Thomas Sanchez citatis multis Theologis, & iuris interpretibus lib.8. de matrimonio disput.6. num.5. & sequentibus, fundamenta, quibus innititur, quæ leuissima sunt, adducam infra isto capite.

2 Sed pro huius explicatione obseruandum est primò ea quæ ad ius naturale pertinent non vnius esse generis. Primum est eorum, quæ præcipit lex naturalis independẽter ab alicuius operantis, aut exequentis cõsensu, vt non esse mentiendum, non fornicãdum. Huiusmodi enim obligatio non supponit consensum aliquẽ voluntatis operantis, ex cuius positione consurgat obligatio non mẽtiendi, aut non fornicandi. Alia etiã præcipit lex naturalis, sed quæ in sua obligatione præceptiua pendent à priori cõsensu voluntatis humanæ, quia supponũt actũ voluntatis operantis, vt ea obligatio cõsurgat. Huiusmodi est obligatio in voto, iuramento, matrimonio, & alio contractu obligatio siquidẽ horum naturalis est; nascitur tamen suppositа voluntate vouentis, iurantis, contrahentis, ita vt si ea voluntas nõ esset, non consurgeret. Rursus alia etiam sunt de iure naturali solum permissiue, aut concessiuè. Huiusmodi sunt contrahere matrimonium, licet enim contracto matrimonio obligatio inde nata sit iuris naturalis, attamen non præcipit absolutè omnibus, & in omni casu contrahere, sed concedit, vt constat ex dictis supra lib.1. Item libertates captiuitates & alia huiusmodi. Alia denique sunt, quæ fundamentum habent in iure naturali, licet non præcipiantur; dicuntur tamen accedere ad æquitatem naturalem, & illi conformari; quale est filiũ succedere patri ab intestato; æquitati enim naturali conueniens est, vt ad illum, cui esse ipsum datũ est à patre pertineant etiam bona per patrẽ quæsita. Cui enim pater magis naturale est adquirat, quam filio? Vnde Papinianus in *l. scripto 7. in fine D. vnde vi*, rectè concludit, *non sic parentibus liberorum, vt liberis parẽtum debetur hæreditas. Parentes ad bona liberorum ratio miserationis admittit, liberos naturæ simul & parentum commune votum*, & *l.1. codẽ & l. 15. D. de inofficioso testamento.* Id quod & expressit Paulus 2. *Corinth.* 12. *n.* 14. *non debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filijs.*

3 Deinde obseruandum est ius diuinũ duplex esse, positiuum & naturale. Positiuũ diuinum dicimus, quod tantum ortum est Dei ordinatione & voluntate sic præcipiẽtis, vt lex de sacramentis recipiendis, de credendis his articulis, & aliæ huiusmodi. Naturale verò diuinum est, quod positis terminis & materia, naturalis ratio dictat esse faciendum, vt posita institutione sacramentorum naturalis ratio dictat esse sanctè tractãda, & posita institutione ministrorũ Ecclesiasticorum, qui populum pascant, naturalis ratio dictat, & alendos illos, & residere debere, & posito coniugio spirituali cũ sua Ecclesia naturalis ratio exigit, vt illi seruetur fides, neque ab ea discedat.

4 His igitur obseruationibus præmissis statuo hanc certam enũtiationẽ. *Nulla*

est

est potestas in Ecclesia, neque ordinaria, neque delegata ad dispensandum in præceptis iuris naturalis, aut diuini naturalis, quorum obligatio est absoluta independens ab hominum consensu iuxta sensum explicatum supra isto capite numero 2. Communis est Doctorum sententia. Sic ex iuris interpretibus docet Glossa in *capite sunt quidam* 25. *quæst.* 2. per illum textum, & sequentem: Glossa in *capite proposuit, de concessione præbendæ* Turrecremata in summa lib. 3. capit. 54. & 57. Nauar. Consil. 4. de desponsatio. impub. num. 16. & sumitur ex eodem in *capite ita quorundam de Judæis*, Glossa penultima per totam Couar. in *regula peccatum* part. 2. §. 4. num. 6. & in 4. decretal. part. 2. capit. 6. §. 9. num. 3. Ex Theologis etiam innumeri, quos refert Thomas Sanchez, & non sequitur disputatione 6. citata numero 4. Suarez de legibus lib. 2. capite 14. numero 5. Gabriel Vazquez disput. cit. 179. cap. 2. & sequentibus.

5 Facit autem pro hac sententia primò. Quia iuris naturalis auctor est Deus: inferior autem non potest in lege superioris dispensare *capite inferior, distinct.* 21. *Clementina, nec Romani, de electione.* Sed ineficax probatio videri potest, qui enim dicunt dispensari posse, dicent id non fieri auctoritate humana, quæ circa legem superioris nihil posset: sed potestate à Deo tradita ad dispensandum in nonnullis casibus. Sed adhuc efficax argumentum est. In primis quia multa clamant talem potestatem non esse relictam Principibus humanis, cum omnium mentibus fixum insideat immutabilia esse præcepta naturalia. Sic Glossa in dict. *cap. cum tanta, & in* §. 1. *distinct.* 5. vbi Gratianus ait ius naturale esse immutabile, quod repetit in §. *vltimo distinct.* 6. *& §. Sed & naturalia. Instit de iure naturali, gentium, & ciuili, diuina quadam prouidentia constituta semper fixa, atque immutabilia permanent.* Vnde matrem Dionysij Tyranni Siciliæ dixisse ferunt, cum filius conatus esset illis stuprum inferre, tyrannos quidem leges posse mutare, sed iura naturalia prorsus, soluere nullo modo posse, sic Mylingerius dict. §. numero 4. Facit etiam textus in *Clement. Pastoralis de re iudic.* ibi. *cum illa Imperatori tollere non liceat, quæ iuris naturalis existunt.* Facit etiam textus in *capite super eo, de vsuris*, vbi super vsurarum crimine nullam posse dispensationem fieri colligit ex eo, quod illico vtriusque testamenti pagina detestetur, quo facile ostenditur esse contra naturale ius, cum in testamento veteri contineatur lex naturalis in Decalogo. Facit etiam quod iura clamant consuetudinem contra ius naturale non posse legem aut obligationem inducere *cap. cum tanta de consuetudine.*

6 Deinde non esse relictam huiusmodi potestatem ad dispensandum in his præceptis, de quibus loquimur ex eo constat, quia melior Theologorum pars asserit, neque à Deo dispensabilia esse præcepta iuris naturalis absoluta, quæque non pendent ex hominum consensu tanquam ex materia obligationis. Cum multa non sint mala quia prohibita, sed è contrà, sint prohibita à Deo, quia mala. Sic contra nonnullos ex Theologis latè, & optimè docet Gabriel Vazquez disput. 179. capit. 2. Suarez lib. 2. de legibus capit. 15. & alij. Et explicatur breuiter, & facile, quia inter præcepta naturalia etiam absoluta, quædam sunt, quorum obligatio reperitur in quauis circunstantia occurrenti. Ista omnino immutabilia sunt: quia in quauis, quæ ponatur, circunstantia, & in quouis euentu occurrente semper reperitur ea deformitas. Huiusmodi est deformitas mendacij, & deformitas odij Dei. Alia verò sunt, quæ ad sui obligationem exigunt peculiares circunstantias, quibus ablatis tollitur materia præcepti, & ex consequenti obligationis præcepti. Vnde ista præcepta mutabilia sunt, non quidem quia præceptum ipsum dispensatur, aut tollitur, si rectè inspiciatur, sed quia auferitur circunstantia, quæ constituebat materiam præcepti. Vnde manet actionis substantia sine circunstãtia illa. Mutatur autem vel ex voluntate Dei, vel alia ratione. Declaratur exemplis. Hominem interficere malum est, sed si is, quĩ alterum ad occidendum inuadat, occidatur, non est malum. Idem est siquis occidat, publica auctoritate. Deest enim iam circunstantia aliqua ad malitiam necessario requisita, scilicet, quod fiat auctoritate priuata, neque ob defensionem vitæ. Simili ratione furari malum est, sed siquis in extrema necessitate constitutus aliquid ex alterius bonis sibi capiat, vt suæ occurrat necessitati, non est malum. Deest enim circunstantia rei alienæ inuito rationabiliter Domino. In necessitatis

enim extremæ casu nihil alienum est, cum sint omnia communia. Malum quoque est alterius opes, & bona inuadere. At si faciat iussu Dei malum non est, quia tollitur circunstantia rei alienæ. Non reddere depositum malum est; sed si furioso domino negetur, non est malum. Vnde, si aliquando Deus iussit filium innocentem occidi à parente pio & optimo, vel vt Ægyptios spoliarent. Hebræi, aut vt Chananæorum fines inuaderent, & occuparent, aut Hoseæ, vt acciperet sibi mulierem fornicariam, nō dispensauit in præcepto naturali non occidendi, non furandi, non fornicandi, sed abstulit materiam præcepti, nam præceptum naturale occisionem prohibet priuata auctoritate factam; prohibet etiam contrectationem rei alienæ, vel accessum ad non suā. At Abraham Israelitis, & Hosiæ præcepit is, qui dominus est vitæ, & mortis, & omnium bonorum, quo ablata est circunstantia alienæ rei, quæ erat necessaria ad materiam præcepti, ex qua consurgebat obligatio. Qui autem ablationem huius circunstantiæ dispensationem esse dixerit, me hercle stupidus est. Aliàs cum ea circunstantia varijs, multisque modis tolli possit ab hominibus, vel occurrentibus euentibus, vt in exemplis propositis constat: illi homines, & euentus dispensare dicerentur in lege naturali, quo nihil absurdius, & à communi sensu alienum magis. Atque hac etiam ratione explicata, potest per ius gentium siue ciuile fieri aliqua mutatio ex parte materiæ iuris naturalis, ita vt ea variata cesset etiam legis naturalis obligatio. Quod quidem non est legem naturalem variare, sed mutare materiam, vt explicatum est. Quod varijs exēplis declarat Suarez lib. 2. de legib. cap. 14. cit. Si ergo ea præcepta neque à Deo dispensabilia sunt, neque in illis dispensari poterit ab humano Principe, neque ordinaria potestate, neque delegata, & nomine Dei.

7 Verùm hæc, quæ hactenus dicta sunt, accipienda quidem, vti diximus de præceptis absolutis iuris naturalis, quorum obligatio non pendet, ex hominum consensu, tanquā ex materia. Nā ea præcepta quorū obligatio pendet ex consensu voluntatis humanæ, vel eius efficacia ad aliquid agendū, mutabilia aliquo modo, & dispensabilia sunt: non quidem directè auferendo obligationē legis naturalis, sed remissione aliqua facta ex parte materiæ, vt contingit in iuramento, & alijs similibus, sicut, & inter homines remittit homo homini promissionem factā, qua remissione cessat obligatio naturalis promissionis.

8 Et quamuis Thomas Sanchez lib. 4. sum. cap. 37. num. 14. velit in vota, & iuramenta proprie dispensationem cadere, & relaxari ius diuinum vel naturale, neque verum est, neque intelligi potest, quod ita demonstro. Quia vel tollitur, & relaxatur obligatio naturalis manente in vno voluntate vouendi, & in Deo acceptandi; & hoc non, quia est impossibile velle Deum acceptare promissionem, aut ratam manere acceptationem à Deo factam, & alias relaxari obligationem, & non manere vt satis constat, nam positis illis extremis non potest non consurgere obligatio, neque vlla potentia impediri. Aut relaxatur ablata eius acceptatione à Deo facta, & remissa; & sic incidet in nostrum explicandi modum, scilicet, ideo cessare obligationem voti vel iuramenti, quia fit remissio eius promissionis ex parte eius, cui promissio facta est. Quem etiam explicandi modum sequuntur Suarez loco cit. de legibus, & tomo 2. de religione lib. 6. de voto cap. 9. num. 15. Gabriel Vazquez disput. 179. cit. cap. 2. Lessius lib. 2. de iustitia cap. 14. dub. 12. num. 94.

9 Sed an hæc remissio voti, & iuramenti obligationis, quam nos explicuimus dici dispensatio debeat, controuertunt Doctores. Nonnulli volunt esse proprie, & in rigore dispēsationē, quatenus remittitur obligatio à Deo, cui facta est promissio, aut nomine Dei. Quod quidem non reperitur, cum tantum mutatur circunstantia præcepti. Sic Gabriel Vazquez disput. 179. capit. 3. in fine. At Suarez de legib. li. 2. ca. 14. nu. 11. cū Bologneto existimat, si proprie, & in rigore loquamur, hanc nō esse dispensationē iuris; sed tantū appellari dispēsationē, quia fit per quandam remissionem, quare potius videri relaxationem, vel dispensationem facti non iuris. Atque in hunc loquendi modum inclinat animus magis, vt in rigore nō sit dispēsatio, licet cōmuniter à Doctoribus ita vocetur. Idq; ostendo, tum quia cū priuatus homo promittenti remittit fidē datam, dispēsare cum illo diceretur, quod, licet admittat Gabriel Vazquez loco cit. Tamē satis impropria locutio est, & contra cōmunē vsum: tum etiam quia talis potius esset abrogatio, quam dispensatio, cum in totum à vouente

vouente vel promittente aufertur obligatio; Tum etiam quia potius accedit ad naturam absolutionis, quam dispensationis: tum denique quia sicut mutata circunstantia diximus supra num. 6. tolli materiam præcepti, & eius obligationem, ita etiam obligatio voti aut promissionis requirit circunstanciam necessariam acceptationem eius, cui fit promissio, qua circunstantia ablata cessat etiam obligatio inde cõsurgens. Quare, nisi obstaret communis omnium sensus, ego eodem modo loquerer de omnibus præceptis, & obligationibus naturalibus, scilicet, mutationem circunstantiæ tolli obligatione præcepti, non per dispẽsationem, sed quia mutatur materia præcepti, vnde consurgit obligatio. Sed non recedamus à communi modo loquendi, qui ideo hanc dispensationem vocat, quia in his promissionibus, & contractibus obligatio illa pendet ex consensu hominum, & ex illo nascitur, & remitti fides data potest; neque enim nouũ est ab adiunctis aliquid nominare, sicuti matrimonium solet significari sponsalium vocabulo, vt dixi supra lib. 1. capite 1.

10 Ex his quæ dicta sunt, multa facilè colligemus, quibus Thomas Sanchez, & alij inducebantur, vt crederent dispensare propriè posse in lege naturali, & diuina. Hinc enim conitat primo, quo sensu nonnulla iura ciuilia dicant per ius gentium vel ciuile detractum esse iuri naturali *l. manumissiones, & l. ius ciuile D. de iustitia, & iure, & in §. ius autem, instituta de iure naturali, & §. seruitus instit. de iure personar.* ibi. *contra naturam.* Cum enim multa dicantur ad ius naturale pertinere, non quia præcipiat ius naturale; Sed tantum quia permittat, vel concedat, vel illi conformia sint, aut in eo fundamentum habeant, vt explicui supra isto ca. num. 2. ideo multa dicuntur in iure ciuili aut gentium introducta contra eiusmodi ius naturale vel permittens rãtum. Sic communitas rerum iuris naturalis esse dicitur §. *quædam enim naturali iure instituta de rerum diuisione.* & diuisio rerum ab hominibus introducta, *capit. ius naturale distinct. 1. & capit. quo iure dist. 8. & capit. dilectissimis 12. quæst. 1.* dicitur rerum diuisio per iniquitatem introducta. Similiter etiam libertas, quæ iure naturali hominibus conuenire dicitur, tamen per ius gentiũ, quo captiuitates, & seruitutes introductæ sunt, aufertur *dict. l. manumissiones, & leg. libertas D. de statu liberis, & §. ius autem, instit. de iure naturali.* Quamuis enim natura dederit hominibus libertatẽ, & ideo iuris naturæ esse dicatur, quòd à natura omnes homines liberi nascebantur, *instit. de libertatis in principio*, attamen non prohibuit libertatem alienari vel tolli, cũ ipsum hominem sui iuris constituerit. Hinc etiã quãuis iuris naturæ sit, nequis locupletetur cũ alterius iactura, & incommodo *l. nam hoc natura D. de condict. indeb. & lege iure naturæ D. de regul. iuris*, tamen contra hoc ius vsucapio est introducta damno quidem domini, bono vero Reipub. cui ea quæ sunt salutaria iusta, & legitima præ cæteris habẽtur, vt ait Caius *lege 1. D. de vsurpat. & vsucap.* Non enim naturalis lex ita quemque dominum rei suæ esse voluit, vt non posset potestate reipublicæ iusta de causa dominium mutari. Hinc etiam modus, & forma præfigitur testamẽtis, & numerus testium designatur, & solemnitas adhibetur matrimonio. Natura enim nõ statuit, vt cum tot testibus, & non pluribus testamẽtaria dispositio, aut contractus matrimonij valeat. Quare illis legibus non detrahitur, sed additur iuri naturali in his, in quibus illud tantum assistit, non præcipit.

11 Neque obstant ea quibus Fortunius Garcia in *dict. l. manumissiones. num. 8.* reiecit eam distinctionem iuris naturalis permittentis, & præcipientis. Nec enim ex hac distinctione sequitur non posse dici magis naturalem esse seruitutem, quam libertatem, aut rerum diuisionem, quam communitatem bonorum, cum hæc secundum ius naturale dicantur, quia cum ipsa natura cæperunt; cum tamen non inceperit seruitus, neque rerum diuisio, neque vsucapio. Quare non rectè intellexisse videtur Fortunius, quo sensu Theologi, & alij dicant illa esse de iure naturali, & hanc distinctionem iuris naturalis permittentis, & præcipientis in scholas inuexerint.

12 Hinc etiam constat 2. Qua ratione fiat dispensatio in voto vel iuramento. Hæc enim sunt ex his, quæ ex hominum arbitrio pendent, & consensu, & ita in illis nõ relaxatur obligatio legis naturalis directè, quod propriè dispensatione fit; Sed remittitur debitum ortum ex humano consensu nomine Dei, cui vi promissio facta est, & est pars illius obligationis. Cõcessit enim Dei Pontifici, vt ipse debita remittat rationabili ex causa, quod explicabo postea. Et sicut me cedente alterius hominis promissioni, cessat etiam promissionis obligatio; sic etiam Deus, in quantum illi debitum est, quod voto fuit promissũ. Vnde nõ dispẽsat

Pontifex nomine Dei in lege naturali, sed remittens debitum, & ius ad rem illam, tollit obligationem. Quam potestatem propter multa inconuenientia vitanda, credimus à Deo concessam esse Pontifici, vt suo nomine remittere eam promissionem possit. Quem explicandi modum sequuntur Suarez, Vazquez, Lessius, & Salas citati supra num. 8. quem reijcit Thomas Sanchez sine fundamento vllo, vt ibi dixi.

13 Hinc etiam constat, tertiò, quomodo Pontifex dicatur dispensare in votis solemnibus religionis, & facere de monacho non monachum. Nam quod attinet ad obligationem voti, remittit nomine Dei, sicut aliorum votorum obligationem, cum eadem sit in voto solemni, & simplici *cap. rursus. Qui Clerici vel vouentes*: Solemnitas autem, cum sit introducta iure positiuo *cap. vnico de voto in 6. & in extrauagant. ascendenti Domino in nauiculam*, tollitur etiam potestate Ecclesiastica. Et præterea quia cum materia voti obedientiæ sit promissio facta homini, hoc est prælato, & ipsi Pontifici, quæ promissio confirmatur voto, non acceptata aut reiecta promissione cessat obligatio voti obedientiæ; ea autem cessante, cessat etiam obligatio paupertatis, & castitatis, quæ tantum in eo statu promissa sunt. Neque obstat vulgaris textus in *capit. cum ad monasterium, de statu monachorum* in fine, dico enim breuiter sensum esse religiosum statum constare essentialiter tribus votis paupertatis, castitatis, & obedientiæ ex institutione Christi, & ita non posse Pontificem facere, vt permaneat ille status, aliquo ablato voto paupertatis, castitatis, aut obedientiæ. Sed de hoc late dictum est supra, lib. 7. capit. 10. & 13. cum de impedimento voti sermo esset.

14 Hinc etiam constat quartò. Quomodo Pontifex dicatur dispensare in matrimonio rato nondum consummato iuxta eorum sententiam, quæ docet dispẽsare in eo posse Põtificẽ, licet ea mihi speculatiuè nõ placuerit, vt dico infra lib. 9. cum tamen naturali iure sit indissolubile. Nam perpetuitas matrimonij prouenit ex contractu ipso, vt dixi supra lib. 1. c. 12. qui contractus verbis perficitur vnâ cum interno consensu, ratione cuius vnus cõiux debet alteri ita fidem seruare perpetuõ, vt neuter illorum posset alteri fidem remittere, hoc ita postulante natura contractus ad bonum communitatis, & Reipublicæ cõseruandæ. Deus autem, qui est Auctor, & Dominus omnium, & voluntatis humanæ, potest remittere vinculum ortum ex verbis, & fide contractus. Qua remissione non dicitur Deus proprie dispensare in præcepto naturali, præcipiente indissolubilitatem, non enim facit facultatem contra præceptum naturale matrimonij, permanente ipso contractu matrimonij; Sed remittit, quasi verbum, & fidem contractus auctoritate sua suprema, & ita dissoluit contractum: sicut in alijs contractibus, qui natura sua respectu voluntatis humanæ perpetui non sunt, quisque potest alteri remittere verbum. Et quia hic fit ea relaxatio fidei datæ, dicitur aliquo modo dispẽsatio sic explicat Gabriel Vazquez disput. 179. capit. 3. prope finem.

15 Hinc etiam constat quinto, quomodo Pontifex dicatur dispensare in residentia pastorum, & Episcoporum in suis Ecclesijs, supponamus enim iure naturali diuino teneri ad residendum vt videtur docere Tridentinum sessione 23. cap. 1. vbi dicitur residentiam pastorum esse de iure diuino, de quo tamen dico in tract. de ordine, & annexis lib. 7. Eo autem supposito nonnulli existimant non esse dispensationem, sed interpretationem, sic Gabriel Vazquez in opusculo de beneficijs Ecclesiasticis ca. §. dub. At cũ videamus Põtificẽ licentiam nõ residendi concedere sæpe pro causis, quæ non ita graues, neque vrgentes videntur, certè non est dicendum esse interpretationem, sed dispensationem, vnde, & in Tridentino sess. 6. ca. 11. de Reformat. dispensatio vocatur, & in ipsis indultis sic à Pontificibus appellatur. Quare in hac re eodem modo philosophandum est: atque dicebamus nu. præced. de matrimonio corporali. Nam inter Episcopum, & Ecclesiam coniugium spirituale intercedit, sic *capite inter corporalia de translatione Episcopi, & capite cum pridem de renuntiatione*, & ostendi in nostro commentario de canonibus Apostolicis, & existit Calixti decretum in *cap. sicut alterius vxor 7. quæst. 2.* Est ergõ obligatio ex contractu de fide inter Ecclesiam, & pastorem. Quare sicut in matrimonio corporali remittit Deus, & Pontifex nomine Dei obligationem ex contractu, & verbis ortam, & ideo dispensare dicitur: sic etiã in præsenti, cũ dispensat Põtifex in residentia, aut cum transfert Episcopũ ab vna Ecclesia in aliam, remittit enim nomine Dei obligationem fidei perpetuæ ortam ex verbis, & cõtractu inter pastorẽ, & Ecclesiã.

Sic

sic explicat Suarez dict. lib. 2. de legibus c. 14. num. 22.

16 Hinc etiam infertur sextò in impedimentis matrimonij quæ iure naturali diriminunt matrimonium, nullam posse dispensationem dari, illa enim ex pura ratione, & natura pendent, & non ex voluntate humana. Sic docet Suarez lib. 2. de legib. capit. 14. num. 23. & Thomas Sanchez lib. 8. de matrimonio disput. 6. Huiusmodi est impedimentum impotentiæ, cum contrahitur in ordine ad copulam, & actus maritales, vt ostendi supra lib. 7. cum de impotentiæ impedimento esset sermo, & impedimentum erroris, cum auferat consensum, sine quo matrimonium esse non potest. An autem Deus pro sua potestate possit efficere matrimonium sine consensu coniugum, dictum est supra lib. 2. Et impedimentum metus cadentis in virum constantem, quod nostra sententia iure naturali matrimonium dirimit. Simile etiam est impedimentum ligaminis, quamuis hoc impedimentum auctoritate diuina tolli posset, cum in veteri lege fuerit licita vxorum pluralitas, vt dixi lib. 7. Non tamen relicta est ea potestas Ecclesiæ, vt in aliquo casu auferre possit istud impedimentum. Simile etiam est ex aliorum sententia cultus disparitas, & consanguinitas in primo gradu etiam lineæ transuersalis. Quæ tamen ego existimo tantum dirimere iure Ecclesiastico. Vnde si aliquando concessum est, vt matrimonium inter fideles contrahatur, factum est dispensante legislatore in lege merè humana, & Ecclesiastica, ductusque est Pontifex opinione probabili, quæ id licitè fieri posse docet, vt lib. 7. ostendi.

17 Hinc etiam constat septimò inuriliter à iuris interpretibus, præcipue à Felino loco infrà citando adduci nonnulla exempla, vt probent dispensationem cadere in ius naturale, videlicet, dispensationem datam aliquando in solutione decimarum, aut cum aliquando ablata est exemptio Clericorum. Nam ego in commentario de decimis, & in commentario ad canonem, *si quis suadente*, hoc est lib. 3. & 6. de ordine, & annexis ostendi taxationem decimarum, & modum exemptionis Clericorum à sæcularium iurisdictione ortum habuisse ex iure Ecclesiastico.

(?)

De potestate ad dispensandum in iure Diuino positiuo.

CAPVT III.

SVMMARIVM.

Ad dispensandum in iure diuino nulli relictam esse potestatem, num. 1. & 2.
Opposita aliorum sententia, num. 3.
Obiectiones proponuntur, & diluuntur, num. 4. 5. 6. 7.

1 SVppono Deum, qui eam legem tulit, in ea dispensare posse, quis dubitet? Secundum legem autem ordinariam ea dispensatio non creditur illi homini concessa, neque potestas ad dispensandū in illis præceptis, nisi Ecclesiæ constet, & per illam approbetur, quæ est columna veritatis, iuxta regulam Innocentij in *cap. cum pridem de renuntiatione, verſiculo sed dices*, cum sequenti. Suppono etiam priuata auctoritate Pontificem non posse dispensare in eiusmodi præceptis, est enim inferior: & facit textus Innocentij III. *cap. inter corporalia de translat. Episcopi.*

2 Statuamus ergo cum communi, certa q; sententia nullam potestatem esse relictā à Deo in Ecclesia ad dispensandum in lege diuina positiua. Quam sententiā sæpe docuit D. Tho. 2. 2. q. 88. ar. 10. in solut. ad 3. & 1. 2. q. 97. art. 4. ad 3. & quodlibet. 4. ar. 13. & alibi. Diuum Thomam sequuntur Theologi communi sensu vno vel alio excepto, & ex iuris interpretibus Syluester verbo *Papa* quæst. 16. Couaruu. in 4. decretal. part. 2. capit. 6. §. 9. num. 4. citatis alijs. Facit autem pro hac sententia primo textus in *cap. sunt quidam, & cap. contra statuta Patrum, & cap. omne quod*, 28. q. 1. & in eadem alias, quod enim ibi dicitur contra statuta Patrum nihil agere Pontificem posse, intelligendum de statutis, quæ Apostoli à Christo acceptа tradiderunt. Facit etiam textus in *cap. fin. distinct.* 14. vbi Sanctus Leo distinguit quædam statuta immutabilia ab alijs, quæ mutantur pro varietate temporum. Atque idem postulare videtur Ecclesiæ vnitas, quæ maximam deformitatem, & diuersitatē pareretur, si semel daremus dispensari posse ea, quæ habemus ex institutione Christi pertinētia ad fidē, & sacramenta: cū tamen vel in his, quæ ex Ecclesiastica cōstitutione

pendent tantum ſtudeant vnitati, & conformitati omnium Eccleſiarū, quoad fieri poſſit, vt indicant reformationes officiorum Eccleſiaſticorum, & antiquis, & noſtris ſæculis non ſemel factæ tam per prouincialia Concilia, quam per Romanos Pontifices, de quo alias. Facit etiam efficax ratio, quia vel in omnia cadere poteſt diſpenſatio, vel tantum in aliqua. Primum negant etiam Doctores pro ſecunda ſententia. Pro ſecundo nulla poteſt aſsignari commoda regula, quia ſi aliqua diſpenſabilia credunt, quia poteſt contingere caſus, in quo maius commodum verſetur in non obſeruando fere nullum eſt præceptum diuinum poſitiuum, cum quo non poſsit in aliquo caſu adeo vrgens occurrere circunſtantia, in qua expediret non obſeruari, vt cum in extremo baptizandi periculo non ad eſtad manum aqua naturalis, ſed alia, & cum non eſt panis triticeus ad conſecrandum, ſed hordeaceus, neque vinum, ſed ſicera. vel cum alicui morienti, non adeſt ſacerdos, ſed laicus: vel cum ingens damnum ſequitur ex obſeruatione ſigilli confeſsionis. Quare ſi ea legitima ratio eſſet, omne quidem præceptum eſſet diſpenſabile.

3 Sed contra ſententiam iſtam ſenſerunt ex iuris interpretibus nonnulli, Panormitanus in *capit. propoſuit de conceſsione præbendæ & capit. cum ad monaſterium, de ſtatu monachorum* Felinus in *capit. in Eccleſiarum, de conſtitut.* num. 19. & 20. Citatque Innocentium in *capit. 1. de Baptiſmo*: & idem in *cap. 1. de conſtitutionibus*, num. 23. citat etiam Angelum in *lege 1. de ſententiam paſsis.* Decius Conſilio 112. num. 3. & in *dict. cap. quæ in Eccleſiarum* num. 44. & 45. in nouis. Neque multum ab hac ſententia diſcedit Thomas Sanchez lib. 8. diſput. 6. num. 6.

4 Adducunt primò quod Chriſtus dixerit: *Quodcumque ligaueritis ſuper terram.* Matth. 19. Quibus verbis completa poteſtas videtur data Pontifici, ſiquidem ex illis colligitur poteſtas ad diſpenſandum in voto, iuramento, & matrimonio rato non dum conſummato, & inde colligit Innocentius III. in *capit. inter corporalia, de translatione Epiſcopi* poteſtatem diſpenſandi in matrimonio ſpirituali Epiſcoporum cum Eccleſia. Sed hoc non obſtat, reſpondetur enim illa generali clauſula non comprehendi alia, quia non conſtat nobis Eccleſiæ traditione, aut praxi diſpenſandi poteſtatem in præceptis diuinis poſitiuis datam eſſe Pontifici, ſicut traditione, & praxi conſtat poſſe diſpenſare in votis, iuramentis, matrimonio ſpirituali, & corporali tantum rato nondum conſummato. Vnde non poteſt inde colligi poſſe diſpenſare in matrimonio rato, & conſummato ob eam rationem, quam diximus.

5 Adducunt ſecundo, poſſe Pontificē diſpenſare in profeſsione ſolemni religiomis. Sed hoc non obſtat. Nam vel id facit, quia remittit obligationem voti Deo facti; vel melius, quia cum Pontifex etiamſit religioſorum prælatus ordinarius, remittit promiſsionem ipſi factam, quæ fuit materia voti, qua ſublata ceſſat obligatio voti. Sicut ſi tibi promitterem pallium ſub voto, te nolente acceptare, vel promiſsionem remittente, ceſſaret voti obligatio. Sublata autem obedientia, ceſſat etiam obligatio paupertatis, & caſtitatis, quæ non niſi ſub ea obedientia promiſſa ſunt, vt late explicui lib. præced. cap. 12.

6 Adducunt tertio loco Pontificem diſpenſaſſe in miniſtro confirmationis, vt aliquando non eſſet Epiſcopus. Sed negamus eam diſpenſationem eſſe, ſed executionem inſtitutionis Chriſti, quam accepimus traditione Eccleſiæ, cum Concilia dicant tantum ordinarium miniſtrum confirmationis eſſe Epiſcopum. Sic Eugenius IIII. in decreto de ſacramentis in Concilio Florentino, & latè explicamus in tractat. de ſacramento confirmationis.

7 Quartò adducunt Pontificem diſpenſaſſe, vt in quibuſdam Regionibus ſacrificium altaris celebraretur in vna tantum ſpecie vt retulit Volaterranus, & alij fieri poſſe fatentur; Quos ſequitur Turrecremata in *cap. comperimus, de conſ. diſt. 2.* Antoninus 3. p. titulo 13. cap. 6. §. 1. Reſpondetur tamen eam hiſtoriam Volaterrani eſſe omnino cōfictam, & falſam prorſus eſſe eorum ſententiam, qui dicunt poſſe in eo diſpenſare Pontificem, cum non remaneat integra ſignificatio. neque conuiuij, neque ſacrificij, vt oſtēdimus in tractat. de Euchariſtia, & docet optime Gabriel Vazquez 3. tomo in 3. partem diſput. 228. per totam. Sed de his iterum dico in tractatu de ſacrificio Miſſæ.

(*?*)

Explicantur communia quædam de potestate dispensandi.

CAPVT IIII.

SVMMARIVM.

Quid agendum, num. 1.
In Ecclesia esse potestatem ad dispensandum in votis. Iuramentis, & legibus Ecclesiasticis, num. 2.
Eam esse potestatem Ecclesiasticam, num. 3.
Non pertinere ad potestatem ordinis, num. 4.
Impediri etiam posse eam potestatem dispensandi, num. 5.
Quomodo fiat aliquis subditus, vt cum eo dispensari possit, num. 6. 7.
Posse Episcopum dispensare cum suo subdito alibi peregrinantem, num, 8.
Posse superiorem cum se ipso dispensare, num. 9.
Vera doctrina tradita non solum in Pontifice sed etiam in Episcopis, num. 10.
Obiectio diluitur, num. 11.
Etiam vera de prælatis religionum, num. 12.
Facultatem ordinariam, & delegatam ad dispensandum esse latè interpretandam, num. 13.
Variæ limitationes eius doctrinæ, num. 14.
Quando datur facultas ad eligendam personam quæ dispenset est stricte interpretanda, n. 15.
Vera eius ratio, num. 16.
Alij refelluntur, num. 17.
Priuilegium Bullæ esse strictè interpretandum, num. 18. & alia colliguntur, ibidem.

1 OSTENDIMVS hactenus iuris diuini, & naturalis non dependentis ab hominum consensu dispensationem non esse. Vt ergò incipiamus explicare potestatem ad dispensandum in iure aliquo ex his, in quæ cadit dispensatio, nonnulla circa potestatem dispensandi in communi præmittenda sunt, valde in praxi necessaria.

2 Primò ergo certum sit in Ecclesia esse potestatem ad dispensandum in votis, iuramentis, & legibus Ecclesiasticis, sicut in Principe sæculari est potestas ad dispensandum in suis legibus, vt constat ex vsu perpetuo Ecclesiæ. Et de potestate ad dispensandum in iure Ecclesiastico aperta ratio est, cum constet esse potestatem condendi easdem leges; eius autem est relaxare, cuius est condere, capit. inferior dist. 21. De potestate autem ad dispensandum in votis, & iuramentis constat, quia datam esse Pontifici à Deo eiusmodi potestatem, valde expediebat ad regimen spirituale animarum, vt experientia constat. Sed de hac potestate ad dispensandum in Ecclesia relicta latè Doctores tum in materia de legibus, tum in materia de voto. Thomas Sanchez in summa lib. 4. cap. 37. Suarez tom. 2. de religione lib. 6. de voto cap. 9. à num. 6. latissimè, & in tract. de legibus lib. 6. à cap. 10. Salas de legibus disput. cit. sect. 3. latè etiam Decius Consilio 225. num. 12. vbi in scholio citantur complures, & iuris canonici interpretes in *cap. 1. de voto.*

3 Ex quo fit primò hanc potestatem dispensandi siue in legibus Ecclesiasticis, siue in votis, iuramentis, & similibus esse potestatem Ecclesiasticam, vt constat ex eius origine, fine, & materiæ, atque adeo in sæcularibus, neque fidelibus, neque infidelibus nequaquam reperiri, neque in Clericis coniugatis, cum isti tantum quoad quosdam effectus, & seruatis quibusdam circunstantijs Ecclesiastici vocentur, & reputentur, *cap. vnico de Clericis coniug. in 6.* & Tridentinum sess. 25. de reformatione cap. 6.

4 Secundò fit non pertinere ad potestatem ordinis, nullus enim ordo deputatus est ad huiusmodi ministerium dispensandi, sed ad potestatem iurisdictionis. Vnde Episcopo confirmato, & nondum consecrato competit: & potest communicari tantum insignitis prima tonsura, sicut & potestas ex communicandi, vt citatis Suario, Lessio, & Sairo docet Thomas Sanchez d. lib. 4. c. 37. num. 16. & 20.

5 Denique fit eam potestatem dispensandi impediri, sicut, & potestatem ad alios actus, in quibus exercetur iurisdictio, vt excommunicatione nominatim facta, vel ob manifestam Clerici percussionem, quæ nulla possit tergiuersatione celari, cum vt dixi in tractatu de excommunicatione, per id impedimentum hominis facta ad iurisdictionem pertinentia sint irrita. Fit rursus in hac dispensandi potestate locum habere, quod in alijs etiam actibus iurisdictionis locum habet, scilicet, valere, cum adest titulus, & communis error, iuxta ea quæ tradunt Doctores in *l. Barbarius Philippus, ff. de officio Prætoris,* & nos diximus supra lib. 5. cap. 19. & 20.

6 Sed cum dispensationis actus sit iurisdictionem habentis, & iurisdictio sine

ſubditis, neque conſtare, neque intelligi poſsit, *cap. cũ inferior, de maioritate, & obed.* explicare oportet, qui nam cenſeantur ſubditi ad diſpenſationis beneficium percipiendum. Et planum eſt in primis eos, qui fixum alicubi domicilium habent, ſubditos eſſe prælato Eccleſiaſtico eius diœceſis, vt cum illis diſpenſare poſsit. Deinde probabile eſt, quamuis non fixerit ibi perpetuo domicilium, ſed notabili tempore commoretur expediendi alicuius negotij cauſa, poſſe etiam diſpenſationem petere à prælato diœceſis, vt docet Thomas Sanchez, lib. 3. de matrimonio diſput. 23. num. 12. & 13. & lib. 4. ſum. capit. 37. num. 27. Suarez tomo 1. de Religione lib. 2. de diebus feſtis capit. 14. num. 6. contrarius his, quæ docet tomo 2. lib. 6. de voto capit. 11. num. 11. Denique docet idem auctor cum eo, qui per aliquem locum tranſit peregrinando, nequaquam eius loci Epiſcopum diſpenſare poſſe, ſic docet num. 24. citat. capit. 37. lib. 4. in ſum.

7 At mihi aliter in hac re philoſophandum videtur, ſi enim ſermo ſit de diſpenſatione in legibus Eccleſiaſticis, quæ eo loco vigent, exiſtimo Epiſcopum etiam cum trãſeuntibus diſpenſare poſſe, vt v. g. laboret in die feſto eius oppidi, non ieiunet. Et ratio eſt manifeſta. Quia reuera ille, vt probaui ſupra lib. 5. capit. 7. à num. 4. tenetur legibus illius oppidi. Ergo & relaxari poteſt ius illud à prælato loci; neque enim eſt alter, qui cum illo in eiuſmodi legibus poſſit diſpenſare. Ex qua ratione deduco manifeſtè etiam tranſeuntem eo in loco ſubditum eſſe Epiſcopo loci, vt poſsit cum eo etiam in votis diſpenſari, ſi cauſa ſubſit, vt ſi contrahendum ſit matrimonium ad reſtaurationem alicuius damni illati fœminæ, vel ad legitimationem filiorum parente exiſtente in mortis periculo. Verum eſt in votis non eſſe vſu receptum, vt diſpenſet, niſi Epiſcopus domicilij. At id non prouenit ex defectu poteſtatis, ſed ex defectu cauſæ; ſi enim ſubſiſtat, poterit, & prælatus habitationis quamuis breuis, diſpenſare cum eo, quoniam illo tempore eſt verè ſubditus illius. Quare hæc ſubiectio in ordine ad diſpenſationem non omnino regulanda eſt per parochiæ adquiſitionem, ſed per ſubiectionem, quam etiam ſine adquiſitione parochiæ poteſt habere. Vnde cum Scholaſticis Salmanticæ commorantibus diſpenſare Epiſcopum loci poſſe docet Henriquez li. 14. de irregularitate capit. 20. prope finem, & capit. 18. §. 2. litera R. ex declaratione Pij V. & litera Q. docet licere idem Scholaſtico Salmantino ex conſtitutione Apoſtolica, quandiu ſunt Scholaſtici. Neque his obſtat quædam declaratio Cardinalium, quæ eſt apud Farinacium ſeſſ. 24. Trident. cap. 6. de Reformatione vbi dicitur, alienũ diœceſanum in alio Epiſcopatu commorantem poſſe abſolui, non diſpenſari, ab eo, in cuius diœceſi commoratur, id enim intellige iuxta dicta, ſi nulla ſubſit neceſsitatis cauſa.

8 Non tamen ideo negandum, poſſe Epiſcopum domicilij diſpenſare cum ſuo ſubdito alibi peregrinanti in votis, ſiue prælatus, ſiue vouens ſit intra, aut extra diœceſim; cum ſit actus iuriſdictionis voluntariæ. Illud etiam addendum ad effectum diſpenſationis non requiri, vt ſubdito volenti conferatur, nam etiam inuitus relaxari poteſt obligatione legis: ſicut enim impoſitio ex eius voluntate non pendet, ita neque relaxatio, vt docet Ioannes de Salas diſput. 20. cit. ſect. 3. difficult. 2.

9 Quamuis autem ad diſpenſandum requirimus ſubditum, non tamen exigimus illum diſtinctum à diſpenſante. Quare, & ſecum diſpenſare poteſt prælatus in legibus à ſe poſitis, & in votis, & iuramẽtis proprijs, ſicut, & cum alijs ſubditis diſpenſare poteſt. Quæ communis Doctorum ſententia eſt. Et de Romano Pontifice, & alijs Epiſcopis docet Felinus capit. 2. num. 20. de ſponſal. Couarru. in *cap. alma mater* p. 1. §. 1. nu. 7. Henriquez lib. 6. de pœnit. capit. 4. nu. 3. Thomas Sanchez citatis multis lib. 8. de matrimon. diſput. 3. & lib. 4. ſumæ capit. 37. num. 40. Suarez de legib. lib. 6. cap. 12. ex num. 8. Salas de legib. diſput. cit. ſectione citata difficult. 3. & latius ſect. 12. Cuius ea ratio eſt, quia licet actus iuriſdictionis coactiuæ requirat diſtinctionem perſonarum, cum idem à ſe ipſo cogi non poſsit, id quod etiam conſtat in ſententia, & abſolutione, quæ etiam ſententia quædam eſt. At diſpenſatio eſt actus iuriſdictionis voluntariæ. Quare ex eo capite non repugnat ſecũ diſpenſare, cum adeam neceſſaria non ſit coactio. Neque etiam repugnat, vt ſecum diſpenſet ex aliquo iure prohibente talem diſpenſationem. Facit etiam pro hac ſentẽtia, quod ſæpè in actu iuriſdictionis voluntariæ, & alijs non repugnat eundem plurium perſonam ſuſtinere, vt latè Abbas in *capite ex literis de probat.* Pro quo facit textus in *lege ſi Conſul D. de adoptionib. & l. vnica D. de officio. cap. Conſulis, & in cap. quod*

ſicut

ficut §. super eo de electione, & in capit. à collatione de Appellationib. in 6. Quare si alicubi in his, quæ iurisdictionis voluntariæ sunt, prohibetur, nequis duorum personam sustineat, specialis iuris determinatio est ad euitandam ambitionem, vel alia inconuenientia, & fraudes, vt in *cap. fin. de constit. & ca. per nostras de iure Patronatus, & Clement. 2. de rebus Ecclesiæ alienandis, & lege 1. D. de auctoritate tutorum*, vbi regula iuris est, *in rem suam tutorem auctorem fieri non posse, & lege 9. D. de pactis*, cum concordantibus, quæ ibi apud Gothphredum videri possunt. Facit denique quod Cardinalium congregatio iam dudum declarauit posse Episcopum concedere facultatem alicui confessario, quem elegerit, vt ipsum absoluat, vel cum ipso dispenset, in his, de quibus mentio in Tridentino sessione 24. capit. 6. sicut & ipse alios posset absoluere, & cum alijs dispensare: Quæ declaratio extat apud Farinacium ad idem caput, eandemque refert Cardinalis Toletus in sum. lib. 1. capit. 89. num. 7. Pro qua sententia citat etiam Antoninum.

10 Atque hæc doctrina vera est, non solùm in Pontifice Romano, & alijs etiam Episcopis, qui possunt secum dispensare, in omnibus casibus, in quibus possunt cum subditis, sed etiam verum est, siue id habeant Episcopi ex iurisdictione ordinaria, siue delegata, quando non est delegata limitata ad certum quoddam genus personarum. Sic docet Thomas Sanchez lib. 8. disput. 3. num. 8. Pro quo allegat D. Thomam, Antoninum, Syluestrum, Turrecrematam, & alios.

11 Neque obstat textus in *cap. magnæ de voto*, vbi Innocentius III. loquens de Trecensi Episcopo, qui peregrinationem vouerat ex certa causa, quæ iam cessauerat, quasi Episcopum laudans ait, noluisse illum absque Sedis Apostolicæ Consilio se voti obligatione exemptum iudicare. Respondetur enim id fuisse supererogationis, & Consilij opus fuisse, non necessitatis.

12 Eadem, etiam doctrina intelligenda est de prælatis religionum, generalibus, prouincialibus, prioribus, & vice prioribus, quando in eorum absentia vices etiam eorum gerunt. Habent enim iurisdictionem quasi Episcopalem in suos subditos, idque citatis multis docet idem Thomas Sanchez disput. 3. cit. num. 9. Suarez d. cap. 12. nu. 12. Idem quoque dicendum de his, qui habent iurisdictionem quasi delegatam dispensandi sine limitatione, aut cum aliqua communitate, cuius ipsi sunt pars, non enim debent esse peioris conditionis, quam alij.

13 Sed cum dispensandi potestas sit ordinaria, & delegata, quæri solet, an potestas delegata ad dispensandum sit latè vel strictè interpretanda. Non loquor de dispensatione ipsa, de qua postea, sed de potestate ad dispensandum concessa. Hæc autem quæstio duabus enuntiationibus absoluitur. Prima est delegatio potestatis ad dispensandum alicui facta generaliter sine expressione personarum fauorabilis est, & latè interpretanda. Sic communiter iuris interpretes in *capit. at si Clerici §. de Adulterijs, de iudicijs, & in cap. vltimo de simonia, & in l. Gallus §. & quid si tantum D. de liber. & posthumis, & in l. 2. D. de verborum obligationibus*, Ioannes Gutierrez lib. 2. quæst. canon. cap. 15. num. 125. Couar. de matrim. part. 2. cap. 8. §. 8. num. 6. Suarez de legib. lib. 6. cap. 17. & innumeris allegatis Sanchez lib. 8. de matrimonio disput. 2. num. 1. Qui & nonnullas rationes adducit pro hac parte parum efficaces, quas omitto, & Emanuel Sà verbo dispensatio, num. 7. Probari autem potest ex *cap. fin. de simon. & cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi.* Quamuis autem illi textus loquantur de potestate ordinaria, ad huc ex eis potest argumentum deduci in hunc modum. Potestas ordinaria ad dispensandum fauorabilis est. Ergo & delegata. Quod enim hoc vel illo modo adquiratur potestas, non variat eius naturam. Deinde facit, quod hæc potestas non sit contra ius, sed secundum ius, & ordinata ad publicum bonum, & regimen, in quo nulla odij ratio esse potest.

14 Prædictam autem enuntiationem limitabis primò, vt intelligatur fieri extensio seruata verborum significatione, & ad casus adaptabiles casibus expressis. De quo vide Sà loco supra cit. Vnde non fieri debet transitus de casu ad casum. Limita etiam vt non extendatur ad latam verborum significationem, si consuetudine iam esset explicata ea dispensandi potestas certa, & determinata ad certam significationem. Limita etiam, nisi ea potestas concessa sit in præiudicium tertij, scilicet prælati inferioris, si tamen graue præiudicium sit, de minimis enim non habetur ratio; semper enim iudicandum est Pontificem nolle præiudicium inferre tertio, nisi exprimat. Rursus etiam limitatur, vt non extendatur ad ea, quæ iuris diuini sunt. Quam limitationem meo sensu explicat Thomas Sanchez ibidem num. 5. vt non censeatur in ea concessione potestas

stas data ad dispensandum in iure diuino, quam solet sibi Pontifex specialissime reseruare, & non sine magna causa concedere, quod in sequentibus magis explicabo.

15 Secunda enuntiatio sit. Cum facultas conceditur alicui supplicanti ad eligendam personam, quæ cum ipso dispenset, est odiosa potestas, & restringenda. Idem est siue fiat ea concessio ad petitionem partis, siue ad petitionem delegati, & siue fiat determinatæ personæ, siue electio personæ committatur ei, cum quo dispẽsandum est, vt cum in literis dicitur, *discreto viro Theologiæ Magistro aut decretorum Doctori.* Hanc etiam enuntiationem pono de mente eorũ Doctorum, quos retuli, licet secundæ parti aduersetur Thomas Sanchez disput. 2. cit. num. 6. in fine. Probari solet communiter ex textu in *capite sicut nulla, de præbendis in 6.* vbi dicitur gratiã concessam ad prouidendum de beneficio, nulla facta mentione personæ, non expirare morte concedentis re integra: at gratiam concessam super prouisione certæ personæ facienda expirare etiam re integra. Verum textus iste non est ad rẽ, vt rectè demonstrat Suarez. Aliud enim est potestatem non manere, aliud verò esse latè interpretandam, siue diu siue breui perseueret. Idque manifestò constat. Nam dispensandi potestas concessa supplicanti permanet mortuo mandante etiam re integra, vt postea dicemus, & tamen est strictè interpretanda.

16 Quare vera atque legitima ratio est. Quia eiusmodi dispensatio siue concedatur ad petitionem dispensantis vel dispensandi, quando exprimitur persona, non tam est dispensandi potestas, quam dispensatio ipsa ex parte Pontificis, cuius executio committitur alteri. Vnde meritò Felinus in *cap. fin. de simon.* num. 8. limitatione 3. generaliter docet esse dispensationem odiosam, quoties persona nominatur; & rationem reddit, quia tunc non est vna simplex facultas dispensandi, sed quasi dispensatio in esse producta, solum executionem expectans. Dispensatio autem strictè interpretanda est, vt dicam infra in fine huius libri.

17 Vnde non recte Thomas Sanchez cit. disput. 2. num. 6. in fine docet, si dispensandi facultas concedatur ad petitionem dispensaturi esse latè interpretandam, si tamen sit in fauorem dispẽsaturi. Nam vt rectè Suarez d. lib. 6. de legib. cap. 17. num. 8. ea gratia eadem est. Quare non videtur cur in fauorem illius sit latè interpretanda, & non in fauorem alterius. Deinde quia quouis modo concedatur continet virtualem dispensationem ex parte Pontificis; ergò quouis modo concedatur, strictè interpretãda est. Neq; obstat in *dict. cap. cui quod nulla.* Limitetur id quod dictum est, scilicet, expirare gratiam factam alicui determinatæ personæ re integra, cum additur, *si non ob suum id est eius facultas datur, sed eius cui prouideri mandatur gratiam vel fauorem.* Ex quo à contrario sensu videtur colligi, quando gratia fit in fauorem dispensaturi esse fauorabilem. Iam enim dixi ex eo textu tantum colligi manere vel non manere gratiam, non verò esse latè, vel strictè interpretandam, quæ tamen inter se valde diuersa sunt. Cur autem, si concedatur in fauorem dispensaturi, non expiret etiam re integra, dixi late supra lib. 5. capit. 23. & attingam rursus infra isto libro.

18 Hinc fit priuilegia bullæ esse strictè interpretanda, quia sunt concessa dispensando, vt docet Thomas Sanchez ibidem num. 7. Fit etiam contra Abbatem in *cap. fin. de cleric. pugn. in duello* num. 5. facultatem Episcopo concessam ad dispensandum circa beneficia esse latè interpretandam, cum non sit dispensatio, sed dispensandi potestas, fit etiam indubio an potestas dispensandi extendatur ad aliquem casum, extendi debere, quia potestas latè interpretanda est. Quod secus in dispensatione cõtingit. Alia plura quæ ex hac doctrina colligi poterant, attingam in sequentibus, cum de dispensandi potestate in particulari fuerit sermo.

Explicantur communia quædam de subiecto potestatis dispensandi.

CAPVT V.

SVMMARIVM.

Eum qui legem tulit dispensare posse. Variæ limitationes reijciuntur, num. 1.

Pontificem in suis legibus, & Concilij generalis, & Apostolicis dispensare posse, num. 2.

Etiam Episcopum in legibus synodi diœcesanæ, num. 3.

Etiam sine capituli consensu, num. 4.

Quorundam limitatio reijcitur, num. 5.

Quid si lex sit confirmata à Pontifice, num. 6.

Quid si iam lex transierit in contractum, nu. 7.

Archiepiscopum ante susceptionem pallij habere potestatem dispensandi, num. 8.

Quando

Quando posset cum suffraganeis dispensare, n. 9.
An cum Episcopis suffraganeis, num. 10.
An tempore visitationis, num. 11.
Proponitur quæstio an Episcopus dispensare possit cum religiosis exemptis, num. 12.
Sæpe prælati consensu non posse, nu. 13.
Idem posse quando prælatus irrationabiliter negat consensum, num. 14.
Etiam quando prælatus religiosi est impeditus, quod explicatur, num. 15.
De consensu prælati posse, num. 16.
Obiectio diluitur, num. 17.
Magis explicatur ea doctrina, num. 18.
Idem dicendum de prælato religionis, num. 19.
Idem locum habere ad impetrandam absolutionem in casibus à Concilio permissis Episcopo, num. 20.
Quid dicendum de Prioribus militarium ordinum. num. 21.

1 POST explicata ea, quæ communia sunt potestati dispensandi, oportet explicemus ea, quæ communia sunt subiecto huius potestatis dispensandi conueniunt inprimis Doctores communi sensu habere potestatem dispensandi eum, qui legem tulit, cum pendeat ab eius voluntate. Quod tamen nonnulli limitant, nisi lex lata fuerit in modum contractus, & in cõmodum alterius, vt si statuatur, vt qui cumque in aliquam ciuitatem transierint gaudeant aliquo priuilegio. Hæc tamen limitatio non est vniuersaliter vera, dicunt enim alij Doctores ex magna causa posse etiam eam constitutionem abrogari, aut dispensari; at de eorum sententia sæpe dubitaui; neque enim vniuerse de omnibus dici potest, priuilegia enim per modum contractus extraneis, & non subditis concessa, reuocari minime possunt, etiam si ad iurisdictionis materiam pertineant, de quo latè in tractatu de priuilegijs. Sed de hoc dicã rursus infra isto cap. Alij etiam limitant, vt nõ possit in lege à se facta dispensare, quando iuramento confirmata fuit. Sed neque hæc limitatio placet. Quia iuramentum semper subintelligit conditionem æquitatis, quare iusta causa superueniente potest. Adde siue loquamur de Pontifice, siue de Episcopo, posse dispensare secum in iuramento, sicut potest cum subditis, vt dicebam capitulo præcedenti. Quare non obstante iuramento poterit dispensata prius iuramenti obligatione in lege à se lata dispẽsare.

2 Iuxta hæc in speciali dicendum est Pontificem dispensare posse in legibus à se conditis, & in toto iure canonico, & in legibus Concilij generalis. Quia vel Concilio superior est, vt demonstraui in materia de fide: vel si Concilium includit Pontificem, est æqualis. Potest autem Princeps dispensare in legibus latis ab habente æqualem auctoritatem in eadem sede. Vnde fit Pontificem posse dispensare in quacumque lege etiam Apostolica humana, vt cum multis affirmat Couarruuias de matrimonio 2. part. cap. 6. §. 3. nu. 6. Quia licet Apostolorum magna sit dignitas: attamen in potestate iurisdictionis non est inferior illis, nec Petro. Iuxta hæc etiam idem affirmandum est de Episcopis, qui possunt etiam cum suis subditis dispensare. An autem, & cum religiosis possint, difficultas est: examinanda tamen infra, cum agemus in speciali de dispensatione in votis, & irregularitatibus.

3 Ex quo inferes etiam Episcopum vel Archiepiscopum dispensare posse in legibus Synodi diœcesanæ. Nam in huiusmodi Synodis sunt superiores, cum illi soli leges ferant, illi subscribant, non alij, & isti Concilio interfint parochi, & alij, qui nulla condendi leges potestate gaudent; & leges illæ tantum obligent diœcesim, quæ plenõ iure subest Episcopo. Sic docent Ioannes Azor tom. 1. lib. 5. cap. 15. quæst. 3. Thomas Sanchez disput. 17. num. 33. Suarez dict. lib. 6. de legibus cap. 15. num. 8. Nauarrus in sum. capit. 25. num. 74. in fine, & in comment. de Simon. num. 4. Ioannes de Salas disputat. 20. de legib. sectio. 4. num. 43. Quibus accedit Bellarminus lib. 1. de Conciliis capit. 4. vbi dicit Synodos diœcesanas vix posse appellari Concilia, cum in eis ordinariè nullus sit iurisdictionem habens, nisi Episcopus. Quare his legibus non arctantur quoad vim coactiuam, quidquid dicat Emanuel Rodriguez, & alij. Vnde in eis dispensare potest. Sicut in proprijs.

4 Hanc doctrinam amplia, vt Episcopus in legibus dispensandis non pendeat à capitulo, quidquid nonnulli contra senserint. Nõ enim prohebitur iure diuino, cum superiorem iurisdictionem habeant; neque humano, cum non extet ius humanum prohibens, quin potius in iure vbicumque dispensatio committitur, solius Episcopi fit mentio *cap. At si Clerici §. de adulterijs, de iudicijs*, & alijs, quæ ibi refert Glossa, & Tridentinum sess. 14. capit. 7. & sessione 24.

ne 24. cap. 6. Quare non solum de consuetudine, sed etiam de iure existimo Episcopum in huiusmodi dispensationibus non egere capitulo. Neque obstat, quod dispensationem dicant esse rem arduam; ardua autem non possit Episcopus sine suo capitulo expedire iuxta textum in *cap. penultim. 15. quæst. 7. & in cap. Quanto de his quæ fiũt à prælato.* Dico enim dispensationem non reputari rem arduam, & in *capit. Quanto, & capit. nouit eodem*, tantum dicitur vt fiat de Consilio capituli. Quare consensus solum requiritur in casibus à iure expressis, qui ordinariè spectant ad ius, siue indemnitatem capituli, siuè Ecclesiæ.

5 Sed hanc Episcoporum potestatem ad dispensandum nonnulli limitant multis modis. Primo limitant vt non possit Episcopus dispensare in legibus à se latis. Si iuramento confirmauerit. Sic cum alijs docet Ioannes Azor loco infra citando. Sed hanc limitationem reprobat, & merito Sanchez disput. 17. ex num. 31. obrationes supra factas isto cap. Vnde quamuis Episcopus sinè relaxatione iuramenti dispensans contra iuramenti obligationem agat, attamen dispensatio valebit: periurium enim non impedit rei valorem, vt docet idem Sanchez, quem in his omnibus sequitur Ioannes de Salas disput. 20. citat. sect. 4. num. 42. limitatione 3.

6 Secundò limitant alij, nisi lex Episcopi aut Synodi diœcesanæ sit iam confirmata per Pontificem, in ea enim lege dispensare non posset. Sic docet Idem Sanchez disput. citat. Ioannes Azor tom. 1. lib. 5. capit. 15. quæst. 7. Sed doctrina huius limitationis difficultate non caret, quia, vt infra videbimus, multi dicunt posse dispensare Episcopum in lege Pontificis lata pro eius tantum Episcopi diœcesi. Quare, & videtur posse dispensare in lege à Pontifice confirmata pro illa diœcesi. Sed dicendum est, vt recte docet Ioannes de Salas disput. 20. citat. sect. 3. difficul. 11. hanc limitationem vt verum sensum habeat, intelligendam esse de vera confirmatione. Nam si tantum confirmatæ sint, dicendo eas esse laudabiles, & à subditis debere obseruari, non videtur eas suas facere, vt sæpe contingit in constitutionibus religionum, quas benedicit. Quare & potest Episcopus in huiusmodi legibus à Pontifice hoc modo solum approbatis dispensare, & illas abrogare in toto, vel ex parte.

7 Tertiò limitant alij, nisi ea constitutio transierit in contractum, vt supra isto capite referebam. Nam Sanchez disput. 17. cit. num. 29. existimat, si constitutio Episcopi transierit in contractum in alterius cõmodum, vt si statuisset omnes ad vrbem confluentes gaudeant aliquo priuilegio, non posse treuocare respectu eorum, qui iam venerunt, eo quòd ex illo contractu iam sit illis quæsitum ius. Verùm magis explicanda est huiusmodi limitatio. Si enim siue ab Episcopo, siue ab alio Principe constitutio fiat animo se obligandi ex iustitia, & in materia, in qua potest se obligare ex iustitia, iam non est constitutio, sed contractus; aliás quoties Princeps init contractum cum regno sub certis conditionibus, legem ferre diceretur, quod est absurdum. Continetque is contractus promissionem, ex qua acceptata, & adueniente conditione oritur ius iustitiæ in alio, & obligatio iustitiæ in Principe: & tunc, si faceret contra promissionem, non tam diceretur dispensare, quam facere contra ius tertij, & contra contractum initum, & violaret legem naturalem iustitiæ. At quando Princeps vel nollet, vel non posset se obligare ex iustitia, aliter dicendum esset, tunc enim posset dispensare, quia non esset contractus, sic docet Salas disput. citat. sect. 4. num. 42. limitatione 1. De subiecto autem potestatis ad dispensandum in votis, & iuramentis, dicam in sequentibus.

8 Sed de Archiepiscopo quæri possunt duo. Primum est an ante susceptionem pallij habeat potestatem dispensandi. Dicendum est habere, quia Archiepiscopo ante susceptũ pallium solùm prohibentur exercerè ea, quæ sunt potestatis ordinis, *capit. quod sicut §. super eo de electione, & in capit. suffraganti, de electione* dicitur esse integrum Archiepiscopo committere alicui Episcopo consecrationem sui suffraganei non dũ accepto pallio; quo indicatur licere illi, quæ ad iurisdictionem pertinent. Quare textus in *capit. nisi specialis, de auctoritate, & vsu pallij*, de ijs quæ ad potestatem ordinis spectant, intelligendus est.

9 Secundum est, an possit dispensare cum subditis suffraganeis? In quo, licet Doctores sub obscurè loquantur: at dicendum est absolutè non posse. Quia in causis suffraganeorum solum est iudex per appellationem, *capit. 1. de officio legari capit. de eo de officio ordinat. & capit. pastoralis eodem ibi, cum in eum exceptis quibusdam articulis nullam habeat potestatem.* Idem constat ex *cap. nostro de pœnit.*

pœnit. & remiss. in quo solum conceditur, vt possit in suffraganeis Ecclesijs indulgentias concedere. Quod si posset alia etiam munia exercere, non id specialiter concederetur. Sic sentiunt Suarez tomo 2. de Religione lib. 6. de voto cap. 10. num. 8. Henriquez li. 14. de irregularit. cap. 18. num. 3. Auila de cens. p. 7. disput. 10. dub. 6. post. 1. cõclus. notabil. 2. & 2. part. cap. 7. disput. 1. dub. 10. & alij quos refert, & sequitur Sanchez lib. 4. summæ cap. 38. num. 11. Quare solum dispensare ille poterit, quando ad eum recurritur, aut per appellationem, cum inferior qui tenetur dispensare, non dispensat, aut eius officio implorato, quando non dispensat, ad est tamen iusta causa dispensandi, vt etiam dixi suprà lib. 5. cap. 10. à num. 8.

10 At hæc, quæ de Archiepiscopo dixi mus, duobus modis limitari solent. Prima limitatio est, vt saltem cum suffraganeis Episcopis dispensare possit. Quam sententiam docent Henriquez capit. citat. num. 13. Auila, & alij quos refert Sanchez capit. 38. citat. num. 16. Quorum nonnulli dicunt id esse verum tempore visitationis; alij absolutè. Hanc limitationem Sanchez ibidem probabilem putat. Ego tamen non probo, si cut neque eam admittit Suarez cap. 11. nu. 3. eodem lib. 6. de voto. Tum quia ex iure non constat hanc potestatem habere in Episcopos suffraganeos, nisi in certis casibus iuxta textum in *dict. cap. Pastoralis.* Tum etiam quia ea potestas necessaria non est; si enim sermo sit de dispensatione in legibus Pontificis aut Concilij Generalis, aut Prouincialis, neuter regulariter dispensare potest; & in eo casu, in quo potest dispensare Archiepiscopus, potest, & Episcopus cum suis; & quod erga alios potest, & in se ipsum potest. Quod idem dicendum de dispensatione in votis, iuramentis, irregularitatibus, & alijs.

11 Secunda limitatio, quæ solet adhiberi ea est, vt Archiepiscopi possint dispensare saltem tempore visitationis; quia tunc est legitimus eorum superior. Sed hanc limitationem iure optimo reijcit Suarez tomo 5. in 3. partem, disput. 41. sect. 2. num. 12. & tom. 2. de Religione lib. 6. de voto cap. 10. num. 9. Facit quod in *cap. fin. de censibus in 6.* tantum conceditur potestas absoluendi, nõ vero dispensandi. Sunt autem istæ diuersæ potestates. Tum etiam quia tempore visitationis non potest suis suffraganeis dimissorias concedere, nec legitimare, vt doctores docent.

12 Sed antequam progrediamur vlterius, explicemus oportet, an Episcopus, vel Archiepiscopus possit beneficium dispensationis impendere religiosis exemptis. Dico exemptis, quia his, qui ipsi subiecti sunt, non dubitamus posse impendi, non secus atque alijs sæcularibus; Non loquimur quando prælatus habens potestatem dispensandi in eo casu remitteret ad Episcopum: tunc enim planum est posse, sicut posset idem prælatus alijs suas vices committere dispensandi iuxta ea, quæ de potestate subdelegandi dixi supra lib. 5. cap. 26. In qua difficultate quidam affirmant, quidam negant, quidam distinguunt.

13 Mihi videtur primò. Sine prælati consensu non possunt Episcopi dispensare cum religiosis exemptis, neque eos absolue re. Quæ communi sensu Doctorum recepta conclusio est. Nam ea exemptio, cum in fauorem religionis præcipue concessa sit, non expedit eius quieti, tranquillitati, & bono regimini, vt quiuis religiosus renuente prælato possit illi exemptioni renũtiare. Quod idem de fauore concesso Clericis in exemptione à sæculari potestate definit Pontifex in *cap. si diligenter de foro competenti.*

14 Verum hanc conclusionem limitat Molina tomo 4. de iust. tract. 3. disput. 61. num. 5. vt cum prælatus religiosi talem potestatem non habet, & irrationabiliter negat religioso licentiam, vt absoluatur ab Episcopo, tunc possit ab eo, aut absolutionem, aut dispensationem petere; secus si ex rationabili causa neget, in dubio autem rationabilis causæ præsumendum pro prælato iuxta generalia principia in materia de conscientia. Cuius limitationis doctrinam probat etiam Thomas Sanchez lib. 4. sum. cap. 39. num. 36. Tunc enim censetur habere facultatem religiosus, vt se ipsum possit Episcopo subijcere per quandam epichejam. Nec enim credi debet Pontificem eam exemptionem, quam in bonum religionis, & religiosi concessit, verti in incommodum, & laqueum animarum religiosi, & in incommodum, si euagari cogantur, & ad Sedem Apostolicam adire. Atque iuxta hæc de monialium exemptarum absolutione in nonnullis casibus philosophandum erit. Mihique vehementer placet hæc doctrina.

15 Secundo limitant alij, vt possit Episcopus religiosum absoluere, vel cum illo dispensare, quando prælatus est excommunicatus, denuntiatus, vel defunctus est, vel

longe

longe abest. Quam limitationem probat Sanchez capit. citat. cum Henriquez, & Sylvestro num. 35. & mihi placet propter rationem numero præcedenti factam. Sed addit idem Auctor, num. 38. hæc esse intelligēda, nisi in prælato superiori sit potestas absoluendi vel dispensandi; in eo enim casu, quā uis inferior negaret licentiam, vt se subijceret Episcopo, vel esset excommunicatus, aut denuntiatus, vel longe abesset, recurrēdum esset ad superiorem, alias in religionibus odiosa esset reseruatio, & magna ex parte bonum regimen detrimentum pateretur. Quam quidem doctrinam ego etiam libenter admittam, nisi necessitas vrgeret, & etiā prælatus superior longe abesset, & facile adiri non posset, iuxta ea quæ de potestate Episcopi ad dispensandum in rebus Papæ reseruatis dicam, cap. sequenti.

16 Dico secundo. De consensu præfati, qui non habet eam potestatem dispensandi, aut absoluēdi in illis casibus religiosum sibi subditum, potest Episcopus dispensare cum religiosis, sicut cum alijs si bi subiectis. Quam sententiam docet Molina disput. cit. num. 4. ex Syluestro, *v. absolutio* 5. num. 2. & 3. Suarez tomo 4. in 3. part. disput. 30. sect. 2. num. 3. qui & dicit ita esse in praxi receptū, Auila de censuris 2. p. cap. 7. disp. 1. dub. 6. Henriquez lib. 14. de irregularit. cap. 20. nu. fin. & in comment. litera O. vt omittam antiquiores alios, quos refert, & sequitur Sā chez cap. 39. cit. num. 32. & sequentibus. Facit pro hac sententia primo textus in *cap. luminoso 18. quæst.* 2. vbi habetur Episcopum de consensu prælati siue Abbatis exercere posse iurisdictionem in monasterio exempto. Ex quo deducitur optima ratio, qua Molina & Sanchez probant sententiam istam, quia licet religiosis concessum sit priuilegium exemptionis, cum tamen id concessum sit vt melius, cum maiori quiete Deo famulentur, videtur ita concedi, vt de consensu prælati renuntiari illi possit, quoties prælatus, & ad spirituale regimen, & bonum religionis expedire iudicauerit.

17 Neque contra hanc doctrinam est textus *Clement. de sententia excommunicat.* Dicendum enim est cum Panormitano in *cap. significasti de foro competenti*; ideo ibi concedi Episcopis auctoritate Apostolica absoluere fratres mendicantes ab excommunicatione, de qua ibi est sermo, non quia religiosi sint ab illo exempti, sed quia Pontifex eius absolutionem sibi reseruauerat. Quare nisi suas vices Episcopo cōmitteret, absolui, ab illo etiam de consensu Abbatis non possent.

18 Et quo minus de hac secunda enuntiatione dubitari possit, adijcio, quidquid sit de iure communi, at ex priuilegijs ita dicendum esse; sunt enim non pauca religiosorum priuilegia, quibus conceditur, vt de consensu suorum prælatorum possint se Episcopis subijcere quoad absolutionem, & dispensationem: vt refert Corduba in compendio priuileg. mendicantium in suis additionibus *v. absolutio ordinaria quo ad fratres*, §. 1.

19 Ex his colliges primò idem dicendum de subiectione prælati religionis comparatione Episcopi in similibus casibus; sicut enim potest facultatem dare, vt alij se subijciant, potest etiam se ipsum subijcere ad eundem effectum, & propter eandem rationem, sicut etiam supra diximus capite præcedenti, cum qui cum alijs dispensat, posse secum dispensare.

20 Secundò colligo etiam hanc subiectionem locum habere ad impetrandam absolutionem, & dispensationem in casibus, de quibus in Tridentino sess. 24. cap. 6. de reformat. Itaque in illis poterunt religiosi petere dispensationem, & absolutionem ab Episcopis, ac prælati consensu iuxta dicta.

21 Tertiò colligo Priores militarium ordinum, quibus reuera non competit potestas absoluendi aut dispensandi in prædictis casibus in Tridentino dict. capit. 6. solum enim Episcopis ea facultas concessa est, vt declarauit congregatio Cardinalium, vt dico latè in tractat. de sacramēto Pœnitētiæ, & irregularitate, non ideo existimari debet peioris conditionis existere vel religiosos, vel sæculares illis subditos, cum facile in hoc remedium adhiberi possit, si subditos tam sæculares, quàm religiosos remittat ad Episcopum, vt in similibus casibus, vel absoluat vel dispenset. Episcopus autem erit ille, in cuius diœcesi commorantur; aut si nullius diœcesis sint, ad Metropolitanum tamquam ad ordinarium Metropolis, vel ad Nuntium, qui legatus est à latere, qui habet potestatem absoluendi etiā religiosos, vt cum alijs docet idem Sanchez capit. citat. num. 25. Imo, & addiderim posse remitti ad vicinum Episcopum, etiam si illius diœcesis non sint. Tum quia ista subiectio fit tantummodo ex voluntate prælati quoad hunc effectum. Tum etiam, quia nisi fuisset priuilegium exemptionis,

ad

ad eum iure communi illi exepmti pertinerent.

Inferiorem non posse dispensare in legibus superiorum explicatur, & limitatur.

CAPVT VI.

SVMMARIVM.

Inferiorem non posse dispensare in legibus superiorum, num. 1.
Obiectiones proponuntur, & diluuntur, num. 2. 3. 4.
Limita nisi in iure concedatur dispensandi potestas, num. 5. quæ intelligitur concessa si in iure dicatur, vt dispensari possit, ibid.
Maior explicatio, num. 6.
In nonnullis casibus posse. num. 7.
Etsi consuetudine habetur, num. 8.
Eam potestatem in prædictis casibus non esse delegatam, sed ordinariam, num. 9.
Episcopum non posse dispensare in legibus latis à Concilio, num. 10.
Neque Archiepiscopus in legibus Concilij Prouincialis, num. 11.
Obiectio diluitur, num. 12.
Quando censeatur esse constitutio Concilij, & quando Archiepiscopi, num. 13.

1 EX communi atque certa doctrina trad ta cap. præcedenti nu. 2. qua docuimus posse vnum quemque dispensare in legibus æqualem auctoritatem habentium, & etiam inferiorum, colligitur facile, eum qui inferior est, non posse dispensare in legibus superiorum vllo modo. Sic habet communis sententia, quam docet glossa vltima in *cap. in quibusdam de Pœnis, & in cap. cum singula §. fin. verbo canonici de Præbendis in 6.* Innocentius in *cap. dilectus de temp. ordinat.* Couar. cum alijs de matrim. 2. par. cap. 6. num. 15. Ioannes Gutierrez lib. 1. canon. quæst. cap. 5. num. 10. & multis citatis Suarez dict. lib. 6. de legibus cap. 14. num. 4. Gabriel Vazquez tomo 2. in 12. disput. 178. cap. 2. Salas citat. multis de legib. disput. 20. sect. 7. num. 20. Sanchez lib. 8. de matrim. disput. 5. num. 9. & lib. 2. summæ c. 40. num. 1. Facit in primis pro hac sententia in *cap. proposuit de conces. præb. cap. cum inferior de maiorit. & obed. capit. dilectus de tempor. ordin. cap. inferior 21. distinct. & cap. sunt quidam, & cap. ideo 25. quæst. 1. & Clement. Ne Romani de electione, & l. 1. C. de legibus.* Facit præterea manifesta ratio, quæ ex istis canonibus desumitur. Quia inferior non potest sua vi, & potestate impedire legem superioris absque eius voluntate. Ergo neque dispensare in eius lege, cum dispensatio auferat voluntatem superioris sua lege obligantis. Facit denique quod potestas dispensandi in legibus superiorum non est ex his, quæ conueniunt inferiori nisi prohibeantur, sed ex his quæ non conueniunt, nisi concedantur, vt probat textus in dict. *cap. dilectus* ibi. *Cum ei à iure non sit permissum*: Quod magis explicabo statim in solut. 2. & idem ostendit communis doctrina, quæ negat Episcopis dispensandi potestatem in multis irregularitatibus, & alijs, in quibus non est prohibita specialiter dispensatio; & ex eo capite solum negat, quia non inuenitur concessa potestas, vt colligunt Doctores ex *cap. At si Clerici §. de adulterijs, de iudicijs*, vbi censent non posse dispensare in criminibus adulterio maioribus, quia non reperitur cõcessum, vt dicemus cap. sequente.

2 Neque obstant huic communi doctrinæ nonnulla, quibus permoti pauci quidam Doctores existimarunt inferiorem posse dispensare in legibus superiorum. Neque enim obstat primo textus in *cap. nuper de sentent. excommunicat.* Vbi dicitur eo ipso, quod legislator non reseruet sibi absolutionem ab excommunicatione, inferiori concedere; vnde idem dicendum videtur ac de dispensatione. Respondemus enim inprimis iam eo ipso canone concedi à superiori facultatem absoluendi, idque constat, cum eo canone concedatur etiam parochis facultas absoluendi à censura non reseruata per canonem: cum tamen nullus sentiat parochum habere potestatem dispensandi in omni lege vel pœna non reseruata. Deinde dico aliud esse absolutionem aliud dispensationem, vt dixi supra capit. 1. Absolutio non est contra ius, sed secundum ius, & ita non mirum si concessa intelligatur absoluendi potestas, quandiu non prohibetur: quod secus se habet in dispensatione cum sit vulnus legis vt dixi supra capit. 1.

3 Neque obstat etiam communis illa propositio, quod Episcopus potest in suo Episcopatu, quod Papa in tota Ecclesia, nisi prohibeatur. Quam regulam sequuntur multi Canonistæ in *capit. At si Clerici §. de adulterijs de iudicijs*, vt videre est apud Felinum

num, & alios. Respondemus namque eam propositionem non esse vniuersaliter veram, sed intelligendam in his, quæ ad commune regimen, & gubernationem spectant; & antequam emanet lex Pontificia, quæ aliquid decernat; nam sua constitutione excipit eo ipso ab ordinaria iurisdictione inferioris. Et quidem sic intelligi debere eam propositionem conuincitur ex multis, quæ non potest Episcopus, verbi gratia definire, in sanctorum numerum redigere, & alia huiusmodi.

4 Neque obstat rursus textus in *lege necnon 26. post principium, ibi. ius non prohibeat D. ex quibus causis maiores*, vbi Prætor concedere restitutionem potest, nisi lex aliqua prohibeat. Respondetur enim, quod I. C. ibi non agit de restitutione, quæ saltem directè concedatur contra leges, sed magis præter illas, & propterea non requirit, quod lex concedat, sed satis est, quod non prohibeat restitutionem; quia si non prohibet, potest prætor in ea specie concedere, quod longe diuersum est â dispensatione, de qua agimus, quia cum sit contra ius commune, & legem in ea materia statutam, aut prohibentem, quæ per dispensationem relaxatur, propterea necessariò requiritur lex aliqua, quæ disponendi potestatem vel tacite vel expressè inferioribus concedat; & in hoc casu procedit regula, quæ habet prohibitum dici omne id, quod non reperitur concessum iuxta *caput 2. de translation. Episcop.* Quamuis non procedat in specie *litt. legis nec non.* Tum etiam quia dici potest in hac materia dispensationis semper dari prohibitionem, & censeri inferioribus expressè denegatam dispensandi facultatem, vbi non reperitur concessa: quia licet ius specialiter non prohibeat in hoc vel illo casu, generaliter tamen prohibet per illas leges, quæ iubent canones, vel ius commune ab inferioribus seruari, qui non possunt in contrarium disponere *capite 1. de constitutionibus capite, quod super his de maioritate, & obed. c. cum inferior eodem.* Quæ prohibitio licet specialis non sit, est tamen expressa, sicut in *dicto capite at si Clerici*, expressa concessio est.

5 Verùm hanc communem doctrinam limitabis multis modis. Primò nisi in iure concedatur dispensandi potestas siue generali clausula, siue in aliquo peculiari casu. Plures autem casus in quibus ea potestas concessa est attingam infrà. Quoties autem in lege aliqua additur, vt in ea dispensari possit, eo ipso intelligitur dispensandi potestas Episcopo concessa, vt docet communis sententia interpretum iuris, ne ea verba sint otiosa, atque superflua *capite, si Papa de privileg. lib. 6.* cum per se notum sit eam legem esse à Pontifice dispensabilem. Romani enim Pontificis auctoritas semper censetur excepta *capite significasti, de electione*, neque de eo aliquis dubitare poterat, cum non sit iuri subiectus *capite innotuit de electione capite proposuit, de concessione præb.* Tum etiam quia potestas dispensandi amplè est interpretanda, vt dixi capite præcedente. Hanc doctrinam tradit Innocentius in *dicto capite dilectus de tempore ordinatione.* & sequuntur alij Doctores in *dicto capite at si Clerici §. de adulterijs de iudicijs*, & ibi Felinus. Atque hanc sententiam probat Glossa finalis, & communis in *capit. penult. de Pœnis*, & expressè sequitur *lex octaua titul. 14. part. 1.* Glossa verbo *dispensatur in capite postulasti de Clerico excommunicat. & in capit. quisquis de electione*, vbi communis, & post Innocentium, & antiquiores ibi docet Henricus Bohic num. 26. Ant. num. 17. Cardin. num. 5. Abbas num. 5. & 6. Couar. in *capite alma mater* part. 1. §. 7. num. 8. Sanchez disput. 14. num. 8. Salas disput. 20. sect. 3. num. 21. Hugolinus de potestate Episcopi capit. 57. §. 5. Neque obstat textus in *capite cum ex eo de elect. lib. 6. & in ca. 1. de ætate, & qualitate, eodem lib.* in quibus habetur dispensari posse, & adijcitur per Episcopum, quæ adiectio superflua videretur, si vera est doctrina tradita. Respondetur enim ibi mentionem fieri de Episcopo, cui per illa iura conceditur potestas dispensandi, quæ antea negabatur.

6 Quæ etiam limitatio locum habet, quamuis solus Pontifex possit eam pœnam imponere: licet enim is qui potest imponere, possit tantum soluere, id tamen intellige quando in canone non conceditur absoluendi vel dispensandi potestas, vt fortassè latius infra. Ea etiam limitatio extenditur, quamuis lex lata sit à Concilio Generali, si enim conceditur vt dispensari possit, censetur etiam dispensatio concessa, non tantum Pontifici, vt nonnulli volunt, qui ea concessione Concilij non indiget, cum sit superior Concilio; sed etiã

Episco-

Episcopo: & id affirmant communiter Doctores in cap. *quisquis de electione*, & *in cap. in quibusdam de pœnis*, dum fatentur in casibus eorum capitum posse Episcopum dispensare. Sed de huius limitationis doctrina vide Thomam Sanchez lib. 8. de matrimonio disp. 5. à num. 1. vsque ad quintum, & Salas de legibus disp. 20. cit. sect. 3. difficult. 8. num. 22. At hæc prima limitatio non habet locum quando constitutio non ligat subditos, sed Episcopum, si enim ipsum adstringat, non potest in facto suo dispensare, vt contingit in casu textus in cap. 2. *de bigamis*, cum ibi pœna imponatur tantum ipsi Episcopo, & dicemus cap. sequenti.

7 Secundo limitabis prædictam communem doctrinam, vt non habeat locum in nonnullis casibus, in quibus Episcopo erit facultas dispensandi in superiorum legibus. Primum. Quando est materia leuis, & parui momenti, quam limitationem docet Caietanus infra citandus, Emanuel Sa verbo *dispensatio*, Salas loco citat. & alij. Deinde in casibus frequenter occurrentibus. Neque enim est verosimile legislatorem velle, vt in casibus frequenter occurrentibus, & ad bonum regimen necessarijs, ad illum recurratur, vt in votis communibus, festis ieiunijs. Sic Caietanus 2. 2. quæst. 143. art. 4. & in Summ. verbo *ieiunium*. Nauarro in summa cap. 21. num. 21. Salas sect. cit. num. 22. casu 5. Vnde in huiusmodi casibus admitti posset Episcopum dispensare posse in omnibus sibi non prohibitis. Denique in casibus extraordinarijs, quando necessitas vrget, & est periculum in mora, vel impotentia adeundi superiorem, vt citatis multis tradunt Thomas Sanchez lib. 2. de matrimon. disp. 40. & lib. 8. disput. 6. num. 20, & disput. 9. num. 22. Suarez lib. 6. de legibus cap. 14. num. 10. & iuris canonici interpretes in dict. cap. *Atsi clerici*. Huius autem rationem nonnulli petunt ex consuetudine. Sed alij melius ex præsumpta rationabili voluntate legislatoris, quam optime considerat Salas sect. cit. num. 23.

8 Tertiò quoque limitabis præfatam communem doctrinam, nisi ex consuetudine habeatur, quod inferior dispenset in lege superioris: consuetudine enim ei quæritur iurisdictio cap. *cum contingat de foro competenti*, cum multis, quæ adducit ibi Glossa, verbo *consuetudine*. Vnde consuetudine receptum est, vt parochi, & qui de iure dispensare non possunt, dispensent in nonnullis frequenter occurrentibus, vt in ieiunijs, & festorum obseruatione, quoad vacandum nonnullis operibus, non vero in alijs, vt docet Sanchez lib. octauo disputat. 9. cap. 27. Suarez cap. citato num. 11. Itaque omnia hæc, quæ his tribus limitationibus comprehendimus, sic breuius tradi possunt inferiorem non posse dispensare in legibus superiorum, nisi cum adest superioris voluntas, quæ vel est expressa, vt cum in iure conceditur, vel præsumpta, vt cum habetur consuetudine, vel præsumitur etiam ex leuitate materiæ, occurrentium frequenter casuum, aut necessitatis vrgentis causa.

9 Hanc autem potestatem quam habent inferiores ad dispensandum in legibus superiorum in prædictis casibus, non credimus esse delegatam, sed ordinariam, confertur enim ex vi muneris, quod habet in se radicatam totam illam iurisdictionem & alias est perpetuo concessa sedi Episcopali. Quare censetur ordinaria iuxta regulam, quæ docet iurisdictionem in perpetuum concessam, etiamsi sit ex priuilegio, esse ordinariam. Quam doctrinam docet Felinus in cap. *licet de officio ordin.* cum alijs. Glossa in capit. *fin. eodem*, & citatis multis docent Couarru. tertio variarū c. 20. num. 6. & 10. & Thomas Sanchez lib. 2. de matrimonio disput. 40. num. 14. Sic potestas legati ad dispensandum in votis, & in legibus est ordinaria, & sumitur ex cap. *quod translatio, de officio legati*. Ex quo fit eam potestatem delegari posse alteri, vt tradit Felinus in dicto capite finali *de officio ordinarij*, & late Thomas Sanchez libro 2. de matrimonio disput. 40. citat. à num. 14. Sic etiam potestas concessa prælatis mendicantium, vt possint cum religiosis dispensare, vel illos absoluere in certis casibus, non est delegata, sed ordinaria, quia est ex commissione perpetua, vt docet Collector priuilegiorum Fratrum Minorum, verbo *absolutio ordinaria, quo ad fratres*, in fine num. 27. dubio 2. ex doctrina Bartoli, & Baldi in *l. vnica, D. de officio consulis*. Cuius hæc sunt verba. *Nono quæritur vtrum commissio faciat aliquem ordinarium seu delegatum. Respondeo, si est commissio perpetua facit ordinarium, si temporalis delegatum. Quod multum interest scire, vt cognoscamus, quomodo possint religionum prælati suas vices delegare.*

10 Sed prædictam illationem, qua statuimus inferiorem non posse dispensare in legibus superiorum ampliabis primo,

vt etiam verum habeat in Episcopo respectu legum, quæ latæ sunt in Concilio Prouinciali. Concilium enim Prouinciale superius est Episcopo. Vnde in eius legibus dispensare non potest, nisi indictis causis, & tunc dispensat non quasi in sua lege, sed quasi in lege superioris. Esse autem Concilium Prouinciale superius Episcopo conuincitur ex distinct. 18. per totam apud Gratianum, & cap. *Saluo* 9. quæst. 3. & cap. *graue nimis de præbendis, & cap. sicut olim de accusationibus*, vbi supponitur Concilium Prouinciale, posse leges condere, quas Episcopi seruare teneantur. Id quod etiam renouat Tridentinum Sessione 24. cap. 2. Idem probat, quod Concilium Prouinciale olim habuit potestatem cognoscendi de causis Episcoporum, & illas terminandi etiam vsque ad diffinitiuam, licet pro varietate temporum varie etiam fuerit apud nonnullas metropoles ea restricta, aut etiam extensa potestas vt olim ostendi in capite primo *de iudicijs*.

11 Amplia rursus eandem illationem, vt locum etiam habeat ea doctrina in Archiepiscopo comparatione Concilij Prouincialis. Archiepiscopus enim non est superior Concilio Prouinciali, sed inferior. pro quo facit textus in capit. *multis dist.* 17. vbi indicatur à Metropolitano ad Concilium causam esse deferendam, & idem olim multis editis canonibus constitutum fuit, vt dixi loco citato. Facit etiam quod iurisdictio Concilij non est ab Archiepiscopo, cum ille solus non possit ibi causas Episcoporum iudicare, nec ferre leges pro eorum Diœcesibus, vt constat. Præterea Concilium maiori consentiente parte leges fert, quibus alij subscribere tenentur, vt constat ex Concilio Toletano octauo, canone 11. & Colonienſi sub Paulo Tertio parte 14. capit. 17. habent enim etiam alij Episcopi suffragium decisiuum, *cap. sicut olim de accusationibus*. Quare hãc doctrinam tradit Cardinalis in *Clement. 1. §. penultim. de appellationibus in sexto*. Suarez dicto lib. 6. de legibus cap. 15. num. 5. 6. & 7. Thomas Sanchez qui multa congerit lib. 8. de matrimo. disp. 17. num. 36. quem omnino vide.

12 Neque obstat textus in *cap. graue de præbendis*, ibi: *Metropolitani vero delictum superioris iudicio relinquatur ex parte concilij nuntiandum*, quo indicatur Metropolitanũ non posse per Concilium Prouinciale puniri. Respondetur namque Archiepiscopum non esse superiorem Concilio Prouinciali, sed eius caput ordine dignitatis: & ideò ob eius dignitatis reuerentiam noluisse eius peccatum puniri à Concilio, vt tradunt ibidem Abbas, Hostiensis, & alij: Archiepiscopus ergo, & Episcopus non possunt in Concilij Prouincialis legibus dispensare, sed recurrendum est ad Concilium vel ad Primatem, vel ad Pontificem, nisi in casibus, & limitationibus supra isto capite explicatis.

13 Sed quæres, quando censeatur esse constitutio Concilij, & quando Archiepiscopi. Respondetur si dicatur. Nos Archiepiscopus, & Episcopi, vel Archiepiscopus de consensu Concilij, consensus enim necessitatem importat, secus si diceretur de consilio Concilij, censetur enim esse Archiepiscopi. Sic docet Thomas Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 5. nu. 11. & disput. 17. num. 36. in fine ex Anchatrano, Hostiensi, & alijs. Neque his obstat textus in *l. aliud est vendere*, vbi dicitur eum qui facit actum cõsentiente alieno non tribui huic, sed illi. Respondetur enim id intelligendum, quando ille, qui consentit, non est præditus potestate faciendi, sicut etiam in *capit. 1. de renuntiat. in sexto*, licet dicatur lex edita de consensu Cardinalium, nihilominus est ea lex Pontificia, quia Cardinales nullam potestatem habent eius legis statuendæ.

De potestate ad dispensandum in pœnis.

CAPVT. VII.

SVMMARIVM.

Proponitur decisio in capite etsi clerici, & eius ratio. num. 1.

Rationes dubitandi. num. 2. & 3.

Duo agenda. num. 4.

Non loqui textum de degradatione. num. 5.

Neque de dispensatione pœnæ post sententiam latam. num. 6.

Post latam sententiam solum Principem posse pœnam minuere. num. 7.

Quid concedatur Episcopo in dict. cap. n. 8.

In eo casu posse Episcopum dispensare, etiam post sententiam. num. 9.

Obiectiones proponuntur, & diluuntur. num. 10. 11. & 12.

Etiam contradicente accusatore dispensare posse, num. 13.

Etiam

Etiam posse sine consensu capituli, n. 14.
Idem posse Capitulum sede vacante, n. 15.
Non id possunt Prælati Episcopo inferiores, numero 16.
Neque Episcopi possunt erga seipsos, n. 17.
Neque in criminibus adulterio maioribus, numero 18.
Alia remissiuè, n. 19.

1 HAbemus in hac re decisionẽ Alexandri III. *in c. & si clerici, §. de adulterijs, de iudicijs*, cuius hæc sunt verba. *De adulterijs verò & alijs criminibus, quæ sunt minora, potest Episcopus cum clericis post peractam pœnitentiam dispensare.* Expedit enim aliquando clericis in peccatũ prolapsis ignoscere, si vel pœnitentia, vel temporis diuturnitate, vel vitæ innocentia mutatos esse constiterit, vt constat ex multis canonibus adductis à Gratiano 1. *q.* 7. In grauioribus autem criminibus Romanum Pontificem adire oportet, quia æquum est, vt qui grauius aliquod crimen cõmisit, eum laborem patiatur Romanum Põtificem adeũdi, vt absolutionis, siue dispensationis difficultate, pœnæ magnitudine à criminibus arceatur, & alijs exemplo sit. In cæteris autẽ ad consulendum clericorum laboribus & expensis Ius Pontificium Episcopis dispensationem concessit, vt sicut deponunt, peracta pœnitentia restituant, quia eos ad vitæ emendationem maximè dirigere intendet, vt colligitur ex forma tradita in *cap. cum non ab homine de iudicijs*, & ex fine iuris canonici, de quo latè Doctores in *c. nouit de iudic. & c. fin. de præscript.*

2 Sed certè huius textus decisio difficilis apparet. Quia vel ea accipitur post sententiam, aut ante sententiam latam, si ante sententiam, non solùm Episcopus, sed quicumque inferior etiam in criminibus maioribus poterit ex causa pœnam minuere, *l. quid ergo, §. pœna grauior. D. de his qui notantur infamia*, maximè si procedatur iudicio inquisitionis, *cap. inquisitionis de accusation.* Si post sententiam, neque Episcopus poterit. Quia per sententiam qua quis ad pœnam damnatur, adquiritur reipub. ius *l. ita vulneratus D. ad l. Aquiliam cap. vt famæ de sent. excommun.* cuius remissio solũ pertinet ad Principem, *l. Diui fratres D. de pœnis*, cum similibus.

3 Secundo etiam difficilis apparet, qua tenus docet in criminibus adulterio maioribus cum clerico depositio Episcopum dispẽsare non posse. Quia dispensare posse etiam in maioribus, nempe hæresi & sacrilegio cõstat ex *cap. præsbyteris & ex cap. siquis presbyter 50. dist.* Non ergò rectè restringitur ad adulterium & minora crimina.

4 Duo in isto textu explicanda sunt, vt explicata maneant, quæ spectant ad potestatem dispẽsandi in pœnis. Primum est, quod attinet ad id quod affirmat, scilicet in adulterio, & minoribus dispensare posse cũ clerico depositio peracta pœnitentia. Secundũ est, quod spectat ad id quod negari videtur, scilicet, in maioribus adulterio criminibus dispensare non posse.

5 Et vt explicemus primum, præmitto textũ istum loqui non de depositione reali, quæ degradatio dicitur, quæ fit ad relaxãdum clericum curiæ sæculari: de qua in *cap. degradatio de pœnis in 6. & in cap. cum non ab homine de iudicijs*; Sed de depositione verbali de qua in *cap. nouimus de verb. signif. & c. qualiter & quando 2. de Appellat. & in d. cap. degradatio.*

6 Deinde præmitto textum istum loqui de dispensatione pœnæ post sententiam latam contra Baldum ibidem, num. 17. Aretinum ibidem, & Præpositum in *cap. Episcopus num. 7. 11. quæst. 3.* qui de dispensatione pœnæ ante sententiam latam accipiunt. Nã si loquamur ante sententiam latam, aperta & communis est iuris decisio & Doctorum resolutio, scilicet, sine causa Episcopum, aliumve iudicem non posse minuere pœnas lege statutas, vel consuetudine aut statuto receptas, iuxta textum, *§. oportet. Authent. de iudic.* ibi, *iudex non debet esse lege ipsa Clementior & l. 1. §. in fine D. ad S. C. Turpill. & c. de causis de officio deleg. & c. licet de pœnis.* Facti enim quæstio arbitrio iudicis commissa est, non pœna. Cum causa autem potest pœnas etiam lege, statuto, vel consuetudine receptas minuere, vel augere ex communi etiam Doctorum sententia, *l. si seuerior, C. ex quibus causis, l. hodie D. de pœnis l. quid ergo, §. pœna grauior D. de his qui not. infam.* & alibi sæpe. Cuius optima ratio est desumenda ex qualitatibus, circũstantijsq; delictorũ, ex quibus crimẽ ipsum quãdoq; fit magis excusabile, quandoque verò magis atrox. Cumque omnes circunstantiæ non potuerint lege definiri, ideo & iudicis arbitrio horũ cõsideratio cõmissa est, vt iuxta hæc augeat vel minuat pœnã lege statutã. Neque vero hoc est iudicem esse benigniorẽ lege, aut contra legem agere, aut à lege recedere, sed potius legem seruare, quæ ita disponit non solũ in citatis

constitutionibus, sed etiam per illam regulam, quam etiam ipsum naturæ lumen mentibus hominum indidit, quæ tradit pœnam esse commensurandam delicto, *l. Sancimus, C. de pœnis cap. sicut dignior. de homicid. cap. vt clericorum de vita & honest. cleric.* Sed de his latissime citatis multis Farinacius 1.p. praxis criminalis quæst. 17. per totam; cuius varias adducit & ampliationes, & limitationes.

7 Tertio præmitto post latam sententiam, neque in maioribus, neque in minoribus criminibus potest iudex pœnam imminuere, sed solum Princeps. Cum enim iudex suo iam officio functus sit, non potest pœnam minuere vel augere in dicta sententia inflictam, *l. mortis §. Iste fere D. de pœnis, l. Diui fratres cum similibus D. de remis.* & cõmunem hanc sententiam esse testatur Couarru. in practicis quæst. 35. sed in hoc aliter se habet ius ciuile, aliter canonicum. Nã iure ciuili, siue procedatur ex accusatione ad instantiam partis, vel ex inquisitione ex officio, post latam sententiam non potest minui pœna ex *d. l. Diui fratres*, & communi resolutione in *d. §. pœna grauior.* At vero iure Pontificio, licet quãdo procdeitur via accusationis, non possit pœna post latam sententiam minui: attamen, cum proceditur via inquisitionis, & ex officio potest iudex Ecclesiasticus pœnam minuere etiam post sententiam, *cap. inquisitionis in principio de accusation.* & facit etiam textus in *cap. commissi §. necnon de hæreticis in 6.* vbi in crimine hæresis reo vel ad fidem reuerso, vel vti suspecto ad carceres damnato potest iudex etiam post sententiam latam pœnam mitigare. Quam distinctionem docuit Alciatus in *dicto §. de adulterijs* numero 2. & ante Alciatum in *d. c. inquisitionis* notab. 1. Felinus ibidem notab. 3. & communiter receptam dicit Tiraquellus de pœnis temperandis causa 53. num. 2. At textus, in quo explicando versamur nec loquitur de dminutione vel augmento pœnæ ante latam sententiam, nec postea; sed de dispensatione, quæ longè diuersa est.

8 His præmissis statuendum est Episcopo iure isto concedi potestatem dispensandi in pœnis inflictis clerico propter adulterium, vel alia minora crimina peracta pœnitentia, siue fuerit iudicium accusationis, siue inquisitionis.

9 Ex qua huius textus decisione colligitur in primis Episcopum posse dispensare cum eiusmodi clerico, etiam post sententiam & rem iudicatam, vt probatur manifeste ex ipso textu. Nam in versiculo *si vero*, probauit confessum vel conuictum clericum, etiam suo iudice deponendum esse, & consequenter in hoc §. *de adulterijs*, clericũ sic depositum in adulterio & minoribus criminibus Episcopum dispensatiue posse restituere. Atque ita sentit glossa 2. in *cap. ideo 2. quæst. 6.* & communiter Doctores in illo §. Selua de benefi. 4. p. quæst. 7. num. 8. Maiolus de irregularit. lib. 3. cap. 22.

10 Sed huic illationi obstare videtur in primis textus in *cap. ideo hunc sanctæ 2. quæst. 6.* vbi depositi restitutio Pontifici reseruatur. Respondet Glossa ibidem textum intelligi de clerico actu depositio, in hac autem depositionis actualis pœna solùm Pontificem dispensare posse: hunc vero textum loqui de verbaliter depositio diximus supra. Sed adhuc solum Papam dispensare posse probat Glossa fin. in *cap. ex tuæ de cleric. non residentibus*, componit tamen hæc glossa, v. *moniti cap. clerici de clerico excommun. minist.* dicens iustè depositum restitui tantum à Papa, iniustè depositum ab Episcopo. Aliter componit Glossa *v. Synodus cap. Episcopus 11. quæst. 3.* depositum pro contumacia restitui ab Episcopo; pro crimine verò à solo Põtifice. Sed nulla istarum solutionum necessaria est. Quamuis verum sit actu depositũ à solo Pontifice restitui. At in d. cap. ideo nõ agitur de restitutione clericorum, sed Episcoporum, quæ ad Summum Pontificem spectat, sicut & iudicia Episcoporum, vt late in *cap. 1. de iudicijs.*

11 Secundo obstare videtur textus in *cap. siquis presbyter 7. quæst. 1.* vbi clericum depositum, quia à suo Episcopo secedens ad aliam Ecclesiam transierat, non potest Episcopus restituere. Respondetur tamen facile illam depositionis pœnam à Concilio constitutam esse, & similiter etiam prohibitam restitutionem omnino, ibi, *sine spe restitutionis maneat.* Quare non mirum si Episcopus non possit restituere.

12 Tertiò obstare videtur, quod clericus per sententiam de adulterio, furto & alijs criminibus damnatus efficitur infamis, *l. 1. & 2. D. de his qui notantur infamia, l. non potest 65. D. de furtis*: Episcopus autem non potest clericum famæ restituere, quia id supremo Principi reseruatur, *l. 1. D. de Postulãdo c. Cũ & 23. ibi, à sede Apostolica de rei iudicata.* Sed respõdetur eã regulã procedere, quãdo directè & principaliter agit ad restitutionẽ famæ, nõ vero quãdo indirectè, vel

per

per consequentiam dispensationis, vel alterius actus, quem inferior efficere potest, vt in proposito, quia tunc inferior restituere potest, *d.l.1.vers. pro qua*, & glossa in *cap. Eugenium v. infamia 2.q.3. & in cap. domino sancto v. atque ignominiam 50. dist.* Estque communis Doctorum, & facit regula in *l.1.D. de auctoritate tutorum, l. quoties, C. d. de iudic. & cap. penult. vers. delegatis de in integrum restitutione.*

13 Secundò infertur etiam contradicente accusatore posse Episcopum dispensare cum eiusmodi clerico in pœna depositionis. Quod quidem patet ex d. §. concedente Episcopis liberam disputandi facultatẽ; idque docent hic Abbas, num. 18. Felinus, num. 14. Decius, num. 22. Alciatus num. 3. Hoc tamen restringendum est, nisi sit ea dispensatio in præiudicium tertij, veluti si alicui impetrauit beneficium pendente accusatione in euentu priuationis; vel si beneficia depositi alteri iam collata sint argumento textus in *cap. Quamuis de Rescriptis in 6.* vbi restitutio concessa alicui intelligitur sine præiudicio iuris alteri medio tempore quæsiti, *& l. quod si minor 25. §. non semper D. de minoribus*; vbi minore hæreditatem repudiante, si substitutus adierit, & administrauerit, & pecuniam comparauerit, si minor restitutionem postulauerit, non conceditur ad pecuniam laboribus substituti adquisitam, ex quibus ita probarunt Abbas, n. 18. Decius 155. Sahagum num. 14. in hoc §. Calderinus cons. 12. de rescriptis, & alij nõ pauci.

14 Tertiò infertur facultatem hanc dispensandi in eiusmodi pœnis cõpetere Episcopo sine consensu capituli. Et quamuis nõ nulli de iure aliter dicendum existiment, attamen ego de iure & consuetudine existimo hanc illationem esse veram, & quod ad consuetudinem attinet communiter receptam, vt dixi cap. præcedenti cum glossa in *cap. cum ex eo, de elect. in 6.* per textum ibi. iuncto *cap. 3. de consuetudine lib. 6. & cap. ea nostitur, de his quæ fiunt à maiori parte capituli*, quam glossam sequuntur Anton. Immola, Cardinalis in *d. §. de adulterijs.* Vide Ojedam de benef. incompat. 2. p. c. fin. n. 20.

15 Quartò infertur hanc facultatẽ dispensandi competere etiam capitulo Sede vacanti. Cum enim ea potestas sit iurisdictionis ordinariæ, & per eam neque futuro, neque Ecclesiæ vacanti aliquod præiudicium inferatur, & iure communi competat Episcopis, vtique transire debet in capitulum Sede vacante; ex regula in *cap. cum olim* vbi glossa fin. *de Maioritate & obedientia cap. priori eodem lib. 6.* cum similibus, vt docent Abbas & Decius in isto §. cum alijs citatis ab Ojeda vbi supra num. 30. Quod idem verum est in quouis alio casu, in quibus dispensandi facultas competit iure cõmuni, vt docet pluribus relatis Nicolaus Garcia 3. p. cap. 7. Salas de legib. disput. 8. sect. 16. Sanchez lib. 4. summæ cap. 38. nu. 17. & lib. 2. cap. 11. num. 4.

16 Sed prædictam decisionẽ huius textus limitabis primò, vt non habeat locũ in Prælatis Episcopo inferioribus, hi enim dispensare nequeunt cum clericis super adulterio, vel alijs criminibus minoribus, neq; in alijs casibus similibus, in quibus contra canones & illorum prohibitionem dispensatio Episcopo conceditur, quod verbum Episcopus ex proprietate sermonis, & intẽtione iuris, & communi vsu loquẽdi, inspecto iure canonico, non conuenit alijs Prælatis, qui Episcopi non sunt, & Episcopis propter maximam eorum auctoritatem & dignitatem magis defertur, *c. 2. de officio deleg. in 6.* & lex Põtificia de illis magis, quam de alijs inferioribus confidit, & negotia grauia illis potiùs, quàm alijs committit, vt cõstat ex pluribus capitulis Concilij Tridentini. Vnde, licet in aliquibus casibus expressè vel tacitè concedatur alijs Prælatis, si Episcopi non sunt, dispensandi potestas, *c. 2. de eo, qui furtiue ordines suscepit, c. relatum de clericis nõ residentibus*, nihilominus extra illos casus nõ possunt illi dispensare, neque habent generalem facultatem, quæ per hunc textum cõceditur, vt cum Innocentio in d. c. 2. docent Abbas hic n. 13. Decius n. 16. Alexander de Neuo n. 2. An autem Prælatis exemptis cõpetat facultas dispensandi, quæ Episcopis conceditur in Tridentino sess. 24. de Reformat. c. 6. dico in tract. de irregularitate.

17 Secũdò hanc decisionem limitabis, vt quamuis conueniat Episcopis comparatione suorum subditorum, non tamen conueniat in seipsos: Non enim poterit secum dispensare, ac se restituere, vt non obstante suspensione vel depositione possit in diuinis ministrare. Quod primò deducitur exisio textu, ibi, *cũ clericis suis.* Secũdò, quia cum per sententiã legatus sit, quæ ipsum Episcopum concernit, & sententia sit actus iurisdictionis coactiuæ, non potest absolui, nisi ab eo, à quo legatus est, *cap. cum inferior 16. de maioritate & obed.* Quare licet in alijs, cum seipso dispensare possit, iuxta dicta

ſupra cap.4. attamen in ſpecie huius textus nequaquam. Nam ſi Epiſcopi, vel alij Prælati depoſiti ſunt propter crimen adulterij, vel alia minora crimina per ſententiam ſuperiorem, ab eiſdem tantum ſuperioribus ſunt reſtituendi *cap. Ideo 2.quæſt.6.* neque inferior poteſt contra legem vel ſententiam ſuperioris diſpenſare ex *d.cap. cum inferior*, niſi in caſibus â iure permiſsis, vt dixi ſuper cap. 6. Non vero permittitur Epiſcopis diſpenſare in crimine adulterij, & quæ minora ſunt, niſi cum ſuis clericis, & pœnitentia peracta, vt dictum eſt.

18 Vltimò limitabis deciſionem huius textus vt locum non habeat in criminibus etiam adulterio minoribus, quoties vel tacitè vel expreſſè prohibetur Epiſcopis diſpenſatio. Siquidem per eam ſpecialem derogatur generali conceſsioni huius textus, iuxta *regulam 34. generi per ſpeciem derogatur in 6. & cap. 1. de reſcriptis.* Et quemadmodum generalis prohibitio, & regula negatiua, quæ habet Epiſcopos diſpenſare nõ poſſe in criminibus adulterio maioribus, minimè procedit in his, in quibus ſpecialiter expreſſè, vel tacitè conceditur diſpenſandi facultas, vt dicemus infra. Sic è conuerſo generalis conceſsio & regula affirmatiua huius textus locum non habet in criminibus adulterio maioribus, in quibus expreſſè, vel tacitè ſpecialiter denegatur diſpenſandi poteſtas; quia, vt vulgo dicitur, plus tollit negatio, quam concedit affirmatio ex *l. ſi Ruſinus, C. de teſtam. mil.* Gloſſa fin. in *l. hoc genus 105. de condit. & demonſt.* Atq; ita in ſpecie huius textus explicant Felinus ibidem num.4. Decius num.8. & 9. & plures, quos refert Tiraquellus in *l. ſi vnquã v. reuocatur, C. de reuocandis donat.* Licet autem prædicti Doctores ex aliorum ſententia exiſtiment diſpenſationem in propoſito prohiberi, quoties lex vtitur verbis præciſis, vi delicet, *omnino inhabilis perpetuo repellatur aut deponatur, nullo modo, vel nullatenus admittatur*, aut ſimilibus iuxta gloſſam verbo *concedatur*, vel verbo *nullo modo, in Clement. 2. de ætate & qualitate* & Gloſſa v. *perpetuo in cap. cupientes & verbo cæterum de elect. in 6.* Nihilominus tamen, quod attinet ad iſtum textum per huiuſmodi dictiones & verba præciſè, quæ tantummodo referunt iuris communis diſpoſitionem, & explicant id, quod iuris eſt ante diſpenſationem, non videtur Epiſcopis diſpenſandi poteſtas eis iure cõmuni competens denegata, vt ſatis probat hic textus in *cap. penultimo de pœnis*, ibi, *prorſus*, iuncta Gloſſa fin. vnde niſi lex vlterius procedat, & clarioribus verbis vtatur, veluti ſi ſpem diſpenſationis, aut diſpenſationem ipſam neget, vt in *cap. ſiquis presbyter 7. quæſt. 1. cap. 1. in fine de electione in 6. cap. 1. de temp. ordin. eodem lib.* Trident. ſeſſione 24. de Reform. matrim. cap. 5. non cenſetur diſpenſandi poteſtas ſublata, quia poteſtas per iſtum textum & ſimiles conceſſa tolli non debet, niſi verba aut intentio Legiſlatoris, id neceſſariò euincant. Ex quibus ſoluta manet prima ratio dubitandi. Atque hæc de primo.

9 Reſtabat explicare ſecundum, ſcilicet, quod attinet ad poteſtatem diſpenſandi in pœnis ob grauiora crimina adulterio impoſitis. Quæ iſto textu videtur Epiſcopis denegari. Sed ea quæ hic dici poſſunt conſtant partim ex his quæ diximus ſupra cap. 6. de diſpenſatione inferioris in legibus ſuperiorum, & partim ex his quæ dico in tractatu, de irregularitate, ſiue in opere de Sacramento ordinis, lib.2. vbi videnda.

De poteſtate diſpenſandi in votis.

CAPVT VIII.

SVMMARIVM.

Eſſe poteſtatem ad diſpenſandum in votis, numero 1.

Eam poteſtatem olim etiam fuiſſe in Epiſcopis ad omnia vota, n.2.

Competere alijs quaſi Epiſcopalem iuriſdictionẽ habentibus, n.3.

Iam reſeruata nonnulla, n.4.

1 EX dictis cap.4.num.2. conſtat eſſe poteſtatem in Eccleſia ad diſpenſandum in votis relictã à Deo ob commune Animarum commodum, cum prælati Dei nomine relaxent, ſiue remittãt obligationem ortam ex promiſsione Deo facta. Certum autem eſt in primis hanc poteſtatem diſpenſandi in quouis voto eſſe in Romano Pontifice, etiam ſi extendas ad vota ſolemnia religionis vt iam dixi cap.2. & lib.7.cap.10.

2 Deinde certum eſt hanc etiam poteſtatem diſpenſandi in quouis voto olim non ſolum fuiſſe in Romano Pontifice, ſed etiam in Epiſcopis pro ſuis diœceſibus.

Hanc

Hanc autem potestatem in Episcopis Doctores probant ex *c. 1. de voto*, ibi, *sed eius qui præsidet*. Quamuis nonnulli eam negent: at sine fundamẽto iuris, vt rectè docet Suarez tom. 2. de religione lib. 6. de voto cap. 10. Probat etiam Sanchez, quia Episcopus potest in sua diœcesi, quod Romanus Pontifex in vniuersali Ecclesia, sic docet lib. 1. de matrim. disput. 61. num. 3. sed infirmum valde esse argumentũ, quod ex eo desumitur, ostẽ di supra c. 6. Extendebatur etiam olim hæc Episcoporum potestas ad dispensandũ etiã in votis solemnibus religionis, cum enim essent religiosorum ordinarij, illis remittẽtibus obligationem promissionis obedientiæ ipsis factam, reliqua euanescebant vota, quod si solemnitas consistit, vt ego iudico, in illis inhabilitatibus ad certos quosdã effectus, etiam Episcopi prout expedire iudicarunt eas inhabilitates induxerunt quando que, & etiam sustulerunt, vt constat ex his quæ late dixi lib. 7.

3 Similiter communi sensu receptũ est potestatem dispensandi in votis competere alijs quasi Episcopalem iurisdictionem habentibus, vt Capitulo Sede vacãte, Abbatibus; excipe parochos, qui id nullo iure possunt, neque consuetudine. De quo Sanchez lib. 8. de matrimonio disp. 7. & lib. 4. sum. cap. 38. Suarez lib. de Voto cap. 10. cit. num. 11. & communiter canonici iuris interpretes *in c. 1. de Voto*, Innocentius, Hostiensis & alij. Quando autem Archiepiscopus habeat eam potestatem dispensandi constat ex dictis supra cap. 5. De Regularibus autem comparatione suorum subditorum dicam speciali capite.

4 At nonnulla vota iam diu reseruata fuere Summo Pontifici, scilicet votũ castitatis, religionis, peregrinationis, in Terram Sanctam, constatque ex *c. ex multa de Voto*, & etiam consuetudine, & docet Ioannes Azor tom. 1. lib. 11. cap. 19. quæst. 3. Nunc autem reseruata sunt Pontifici vota castitatis, religionis, peregrinationis in Terram Sanctam, & ad Sanctum Iacobum in Compostella, & ad Sanctos Apostolos Petrum & Paulum in vrbe, vt constat ex constitutione Sixti IIII. quæ incipit, *Et si Dominici gregis in extrauag. de pœnit. & remis.* & ex vsu communiter recepto. Hæc autem intelliguntur reseruata tantum, si absoluta sint; quod magis constabit ex dicendis, & similiter an sint plura alia reseruata.

Prima Regula statuitur circa vota nõ reseruata.

§. PRIMVS.

SVMMARIVM.

In omni alio voto excepto reseruato potest Episcopus dispensare, n. 5.

Et in voto emisso in subsidium Terræ Sanctæ, numero 6.

Assumẽdæ crucis, peregrinationis in domũ Lauretanam, & non petendi absolutionem nisi à Romano Pontifice, ibidem.

Quid de dispensatione in votis alicuius populi, num. 7.

Quid de votis emissis in fauorem tertij, num. 8. 9. 10.

Obiectiones diluuntur, n. 11. 12. 13. 14.

Explicatur quando promissio dicatur fieri homini, vel Deo, n. 15.

Quid censendum, si quis promittat homini se ingressurum in religionem & confirmet voto vel iuramento, n. 16.

An promissio facta Deo & homini possit ab homine remitti, n. 17.

5 IVxta doctrinam hanc duæ regulæ colliguntur. Prima est. *In omnibus alijs votis exceptis, potest Episcopus & alij Prælati, quos diximus dispensare, sicut & olim poterant, cum non sit illis prohibitum.*

6 Ex qua regula fit primò Episcopum dispensare posse in voto emisso in subsidiũ Terræ Sanctæ conuertẽdi debita, quidquid nonnulli Doctores dixerint, vt recte docet Suarez lib. 6. de Voto c. 22. n. 13. neque enim iure aut consuetudine probatur eiusmodi votum commutandi debita in subsidiũ terræ Sanctæ esse reseruatum. Quam etiam sententiam probat Sãchez lib. 4. sum. c. 40. n. 8. Neque obstat textus quo illi Doctores nitũtur in *c. magnæ de voto*. Ibi enim tantum agitur de peregrinationis voto in subsidiũ terræ Sanctæ. Idem dico de voto assumendæ Crucis in qualibet expeditione, scilicet, nõ esse reseruatum, contra nonnullos propter idem fundamẽtũ, & probat Suarez c. 25. cit. num. 12. Idem dico contra Nauarrum de voto peregrinationis in domũ Lauretanam; ea enim reseruatio vel non extat, vel non fuit vsu recepta, vt docet Azor loco cit. Suarez d. cap. 21. num. 14. Sanchez d. cap. 40. num. 10. Idem dicendum de voto etiamsi perpetuum sit, & non temporale, & de voto non peccandi nunquam, si tamen

illud validum est, de quo alibi. Cum enim hæc vota possint per Patres & Prælatos religionum irritari ex potestate dominatiua, vt dicam infra lib. 10. poterunt etiam dispẽsari per Episcopum, cum nullo iure aut cõsuetudine reseruata reperiantur. Idem denique dicendum est de voto non petendi absolutionem voti, nisi à Romano Pontifice, de quo nonnulli dubitarunt, dicendum tamen posse etiam in eo Episcopum dispensare, vt docet Ioannes Azor loco cit. quæst. 15. eò quod votum istud hactenus reseruatum non est & quod vouens voluerit obligari ad non petendam dispensationem, nisi à Summo Pontifice, tamen cum non potuerit votum illud in materia reseruata constituere, & ita poterit Episcopus vtens sua facultate ex causa dispensare. Sic etiam docet Suarez d. cap. 21. num. 15. & Sanchez d. lib. 4. cap. 40. n. 13.

7 Sed quoniam diximus in hac prima regula Episcopum dispensare posse in omnibus votis, illis quinq; exceptis, duo occurrunt de quibus dubitari potest. Primum est, quid dicendum in votis populi alicuius, cũ prædecessorum votis adstricti sint, vel ad seruandum festũ, vel ad aliquid defendendum, vt nunc Salmanticensis ciuitas cũ laude summa se adstrinxit voto ad defendendã semper publicè, vel occultè, purissimã ab omni labe originali liberam B. V. Conceptionem. Et quidem si loquamur de illis qui emiserunt vota, planum est posse Episcopũ dispensare, cum non sit votum reseruatum; si verò loquamur de successoribus, illi non tenentur ratione voti, quæ est obligatio personalis, sed ratione statuti facti à populo. Vnde statutũ illud nõ potest consensu populi amplius tolli, nec enim pendet ab eius consensu; potest tamẽ tolli auctoritate Episcopi, qui vim præbuit illi statuto, vel Principis superioris. Sic docet Suarez lib. 6. de voto cap. 9. num. 11. quem sequitur Sãchez lib. 4. sum. cap. 41. num. 3. Quamuis enim iuxta textum in *c. conquestus, de ferijs*, ad statuenda festa requiratur vnà cum Episcopo consensus populi; attamen id non obstat, quominus Episcopus solus tollere possit eiusmodi statutum. Nam nõ pendebat obligatio à voluntate populi tanquam ab habẽte iurisdictionem & potestatem.

8 Secundum est, quid dicendum in eo, an Episcopus dispensare possit in votis in fauorem tertij emissis, & eadem difficultas procedit de eiusmodi iuramẽtis. Loquimur autẽ, quando promissio est acceptata à tertio, & voto aut iuramento confirmatur. Nã si non sit acceptata, planum est posse dispẽsari, tunc enim non est quæsitum ius aliquod: vnde in promissione eleemosynæ etiamsi dirigatur intentio ad determinatum pauperem, & pium locũ, & in voto de missis dicendis ante acceptationem pij loci vel pauperis, dispensare potest Episcopus, vt latè docet Sanchez lib. 4. summæ cap. 41. q. 2. num. 7. vsque ad 17.

9 Hoc supposito communis opinio est in tali voto vel iuramento non posse Episcopum, neque Pontificem dispensare. Sic Toletus lib. 4. sum. cap. 26. Aragõ 27. quæst. 88. Videturque esse manifesta ratio, quia iã cum obligatione eius voti cõiuncta est obligatio iustitiæ. Non potest autem Pontifex dispensare cum dãno aliorum circa dominia & ius iustitiæ. Eandem doctrinam, & ex eodem fundamento docet Azor lib. 11. cap. 9. quæst. 11. Sanchez loco cit. quæst. 7. n. 6. & 13. Suarez lib. 6. de voto cap. 15. num. 7. Addit autem Azor aliquando ex grauissima causa posse Pontificem dispensare in tali voto vel iuramento. Et Molina tom. 1. de iustitia tract. 2. disput. 149. fatetur id posse Pontificem propter commune bonũ. Cui doctrinæ fauent asserentes posse Pontificem dispensare in matrimonio rato nondum cõsummato cum præiudicio tertij. Prædicta autem communis opinio sic temperanda est, vt necessarium sit ad communẽ bonum promissarium pati detrimentum aliquod. Si enim potest Pontifex alia via prospicere communi bono, sine causa inferret damnũ tertio, quod non licet. Et quia communiter non occurrit talis euentus, ideo frequenter Doctores docent non posse Pontificem in prædicto voto aut iuramento dispensare. Similiter etiam ea doctrina temperanda est, quãdo promissio hominis facta valida fuit, neque promissarius intulit vim promittenti. Si enim votum vel iuramentum confirmet promissionem per vim extortam, de quo infra dicam lib. vltimo; dispensari etiã potest in tali iuramento aut voto, vt constat in iuramento de soluendis vsuris iuxta textum in *c. debitores de iure iurando*, & loco cit. dicemus.

10 Idem dicendum in promissione facta pro loco determinato, aut alicui Sancto, vt docet Sanchez d. cap. 41. num. 11. & 12. Si enim non acceptatur ab Ecclesia, manet tantum in ratione voti; & cum ea vota Deo fiant, licet etiam cedant in cultum religiosum alicuius sancti, quandiu non sequitur accepta-

acceptatio, semper manent in ratione voti. Neque illi sancto peculiare aliquod ius adquiritur, cum non sit votum in vtilitatem eius tẽporalem, vt rectè docet Suarez lib. 6. de voto cap. 15. num. 10.

11 Sed his obstare videtur primo *l. 2. D. de pollicitatibus*, §. 2. ibi. *Si decimam quis bonus vouit, decima non prius esse in bonis desinit, quam fuerit separata, etsi forte qui decimam vouit decesserit ante sepositionem, hæres ipsius hæreditario nomine decimæ obstrictus est, voti enim obligationem ad hæredem transire constat.* Respondetur sermonẽ ibi esse de votis realibus, tunc enim ea obligatione deiunctæ sunt res ipsæ, & transeunt ad hæredes sub eo onere, sicut & cum onere soluendi debita alia, id tamen intelligendum, nisi per dispensationem, aut commutationem liber sit obligatione voti; tunc enim si liber non sit datur actio vel canonica vel ciuilis, vt implorato iudicis officio compellat impleri votum. Id enim potest iudex præstare, etiãsi ille cui votum factum est, nondum acquisierit ius iustitiæ. Et iuxta hæc intelligenda est Glossa in *c. scimus 12. quæst. 2.* quæ solum dicit ex pollicitatione Deo facta posse aliquem conueniri, & idem habet Glossa in *c. iuramenti 22. q. 5.* quamuis neque ex illis canonibus probetur.

12 Secundo obstare videtur, *c. quicumque 12. quæst. 1. & cap. quia Ioannes 12. quæst. 5.* Sed reuera hæc iura non loquuntur de puro voto, sed de donatione facta Ecclesiæ auctoritate Episcopi; & in 2. c. nulla prorsus fit mentio de actione, quam habet Ecclesia, quando illi promissio fit.

13 Tertio obstare videtur textus in *c. ex parte de censibus*, vbi actio datur ad soluenda vota realia ex parte Ecclesiæ. Respondetur tamen non loqui de actione contra vouentem, sed contra hæredem, quia reuera facta fuerat Ecclesiæ donatio, id enim indicat species illius textus. Similiter etiam verum est actionem dari contra hæredem. Quæ autẽ actio detur docet Gotophredus in *d. l. 3. §. 2. de pollicit.* lit. L. Qua ratione detur actio contra hæredem iam explicatum est.

14 Quarto obstare videtur textus in *l. illud C. de Sacros. Eccles.* vbi habetur in causa pia ius adquiri etiam absenti. Sed textus iste non est ad rem, neque enim agit de votis, sed de donationibus, quæ pijs locis fiunt sine escriptura. Ex eo autem non colligitur, quod factæ in absentia eorum, qui possunt acceptare, sint firmæ ante acceptationẽ vt dico lib. vltimo de promissione spõsalitia.

15 Sed iam oportet explicare, quando promissio dicatur fieri homini. Id quod ex materia promissionis & alijs circunstantijs facile iudicari potest, v. g. Si Ioannes promittat Petro se daturum illi aliquam eleemosynam, & Petrus acceptet eam promissionem, hæc promissio facta est homini; si tamen Ioannes solum promitteret Deo se daturum illam eleemosynam Petro, & talem promissionem confirmaret iuramento vel voto, posset Pontifex subsistente causa in eo dispensare. Non enim est ibi facta promissio homini, sed votum de danda eleemosyna homini, quod longê diuersum est, & ad dispensationem vel commutationẽ voti valde considerandum. Atque idem dicendũ de voto contrahendi cũ fœmina aliqua paupere ad subleuandam illam intuitu paupertatis, potest tamẽ remitti à fœmina: de quo Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 52. n. 7. & 8.

16 Ex hac doctrina explicanda est ea difficultas, an si quis promittat Petro se ingressurum in religionem, & voto vel iuramento confirmet talem promissionem, an hæc promissio censenda sit facta homini vel Deo. Multum autem refert id cognoscere, vt iudicemus, an in eo voto vel iuramento possit Episcopus dispensare, vel Pontifex. Et quidem si ex tali promissione & ingressu aliqua vtilitas temporalis accrescat Petro, iudicandum est ibi esse aliquam promissionem humanam, & de dispensatione illius voti vel iuramenti censendum est iuxta doctrinam traditam. Solum ergo remanet dubium, quando ex illo ingressu religionis nihil omnino vtilitatis temporalis accrescit Petro. In quo euentu mihi probabilius est posse causa subsistente dispensari, quia tunc nihil fieret cum damno, & detrimento Petri, vt supponimus, cum ex impletione eius promissionis Petrus nullum emolumentũ temporale comparet. Et videtur huic sententiæ fauere D. Thom. 2. 2. quæst. 89. art. 2. dum docet non posse hominem remittere promissionem sibi factam de ingressu religionis, v. g. Loquitur autem manifestè de promissione facta principaliter Deo, vt cõstat ex illis verbis, *quia promissio non est ei facta principaliter, sed Deo.* Addit tamẽ S. Tho. quod si promissio Deo facta pendeat à voluntate alicuius hominis, tanquam à conditione, cessabit obligatio eius illo renuente. Quia vniuersim omnis promissio conditionalis cessat defectu conditionis, cũ promittens noluerit obligari, nisi conditione subsistente.

17 Sed quæres, an promissio facta Deo & homini possit ab homine remitti? v. g. promittit Petrus Ioanni se daturum illi aliquam eleemosynam, quod etiam promisit Deo, quæstio est, an hæc promissio simpliciter cesset, ex eo quod promissarius remittat promissionem sibi factam. Quidam absolutè negant. Alij absolutè affirmant. Mihi distinctione vtendum videtur. Nam vel promissarius tantum remittit obligationē iustitiæ ortam ex promissione acceptata, accepturus nihilominus, si alter suum votū implere voluerit. Et in hoc casu non cessat obligatio voti, quia adhuc remanet materia honesta voti, & nō est cur esset eius obligatio, cum fuerit absolutè factum, & non conditionale. Si autem promissarius vtramque obligationem remittat, explicans se nolle vllo modo acceptare, cessat omnino obligatio; solum enim obligauit votum ad dandā eleemosynam, si alter voluerit acceptare. Cui consonat ea doctrina de vouente ingredi certam religionem, quo voto liberatur, si religio noluit recipere.

Secunda Regula circa vota reseruata.

§. SEDVNDVS.

SVMMARIVM.

Regula circa dispensationem etiam in reseruatis, n. 18.

Posse Episcopum dispensare in voto non contrahendi matrimonium, n. 19.

Et in quouis voto castitatis, dummodo non sit castitatis simpliciter, n. 20.

Ex in voto de suscipiendis ordinibus, n. 21.

Quid de voto assumendi statum earum, quas beatas vocamus, & militarium ordinum, numero 22.

Dispensare posse in voto ingrediendi strictiorem religionem, vt in laxiorem ingrediatur, num. 23.

Et in materia, in quam commutatum est votum reseruatum, n. 24.

Aliorum obiectiones proponuntur, & diluūtur, n. 25. 26.

Quomodo possit dispensare in votis peregrinationis, n. 27.

18 SEcunda regula sit. *In his votis, quæ reseruata sunt, potest etiam Episcopus dispensare, quando non est tota materia voto promissa, aut non directè, propter quod deficiunt à vera & integra ratione, & materia voti reseruati.* Ex qua regula doctrinæ causa oportet deducamus nonnulla, vt illa integrè explicata maneat.

19 Primò ergo colligitur posse Episcopū dispensare in voto nō cōtrahendi matrimoniū. Docet Syluester. v. *votum* 4. q. 4. Angelus quæst. 7. Soto in 4. distinct. 38. q. 2. art. 1. Thomas Sanchez multis cit. lib. 8. de matrim. disput. 9. & in sum. lib. 4. cap. 40. num. 66. Azor supra quæst. 5. Suarez d. lib. 6. de voto c. 21. n. 9. Nauarr. in summa cap. 12. num. 76. Qui etiam testatur hanc opinionem in sacro Pœnitentiæ foro receptam esse. Et ratio est, quia ex prædicto voto non contrahendi matrimonium non obligatur vouens ad seruandam castitatem simpliciter, si vouentis animus ex verbis pollicitationis iudicandus est. Non enim est idem, non contrahere matrimonium, & seruare castitatem simpliciter. Potest enim quis nō contrahere matrimonium, & seruare votū circa illud, & non seruare castitatem. Poterit ergo in eo Episcopus dispensare. Huius contrarium docuit Caietanus 2. tom. opus. tract. 11. quæst. 1. Eo quod existimauit esse votum castitatis simpliciter, in quo tamen est manifestè deceptus.

20 Secundò colligitur posse Episcopū dispensare in quolibet alio voto castitatis, dummodo non sit castitatis simpliciter, vt siquis emisit votum castitatis pro certo tempore, vel cōparatione alicuius determinatæ personæ. Et eodem modo poterit Episcopus dispensare in voto, quod coniux emisit de non petendo debito, siue sit de consensu coniugis, siuè non. Hæc enim non sunt vota castitatis simpliciter. Idem dico de voto seruandi virginitatem, si tantum in animo habuit seruare integritatem corporis; secus si in animo habuit absolutè castitatem seruare. De quibus omnibus vide Sanchez lib. 8. disput. 9. ex num. 6. & d. cap. 40. à num. 41. Idem etiam de voto vouēdi castitatem, aut aliquod reseruatum. Nam votum vouendi castitatem, non est votum castitatis, vt manifestum est.

21 Tertiò colligitur posse Episcopum dispensare in voto, quod quis emisit de suscipiendis sacris ordinibus, hoc enim votum non est reseruatum, cum non sit votum castitatis. Sic Nauarr. consil. 32. quæst. 2. de

voto.

voto. Azor supra quæst. 9. Suarez d. cap. 21. num. 7. Sanchez d. cap. 40. Sed quid dicendum de eo, qui sub disiunctione emisit votũ suscipiendi ordines sacros, vel ingrediendi religionem, an in hoc casu posset Episcopus dispensare? Et adhuc in eo casu dicendum est, posse. Sic Azor quæst. 10. Sanchez lib. 8. de matrim. disput. 9. num. 14. & d. cap. 40. in summ. à num. 42. Ratio est, quia votum illud impleri potest per materiam, quæ non est reseruata, scilicet, per susceptionem sacri ordinis, quod idem latè demõstrat Suarez d. lib. 6. de voto cap. 24.

21 Quartò colligitur posse Episcopum dispensare cum fœmina, quæ votum de assumendo statum earum, quas vulgo *beatas* vocant, & religiosæ nõ sunt. Votum enim huiusmodi non est religionis, atque adeo non est reseruatum Põtifici, vt in specie docuit Thomas Sanchez disput. cit. num. 25. Henriquez lib. de indulg. cap. 3. num. 6. Petrus Aragon 2. 2. quæst. 88. art. 2. verum hæc illatio intelligenda est de illarum statu, qui religiosus non fuerit. Nam votum earũ, quæ religiosæ sunt, etiamsi in domibus proprijs commorentur, & seorsim degant, non potest dispensare. Esse enim aliquas ex illis verè religiosas satis ostendo infra lib. 9. cũ de dissolutione matrimonij ex earum votis sermo est. Poterit etiam dispensare in voto religionis non approbatæ, & in voto paupertatis & obedientiæ extra religionem approbatam, docet Sanchez lib. 4. sum. cap. 40. num. 73. & 74. Sed nunquid in voto religionis militaris equitum, excepto ordine S. Ioannis? Sanchez in sum. lib. 4. cap. 40. nu. 73. existimat posse, quia dubium est an sint religiones. Mihi extra dubium est, religiones esse, & ita dispensari non posse.

25 Quintò colligitur, quid dicendum sit de dispensatione in voto ingrediẽdi strictiorem religionem, an possit dispensare, vt laxiorem ingrediatur. Quamuis autem nonnullis videatur non posse Episcopum dispensare, quia votum est religionis absolutum. Mihi tamen placet dispẽsare posse, vt laxiorẽ ingrediatur, sic docet citatis multis Sanchez lib. 8. disput. 9. num. 17. Emanuel Sa v. *voti dispensatio*. Cuius ea aperta ratio est, quia Episcopus in eo casu non dispensat simpliciter in voto religionis, absoluendo vouentem ab eius obligatione, sed solum in circunstantia strictioris religionis, ac proinde quoad illam non est reseruatum Pontifici. Qua eadem ratione conuincitur posse Episcopum dispensare in voto perseuerandi in religione, cum illud diuersum sit à voto ingrediendi religionem: & etiam in voto exequẽdi statim votum religionis, vt scilicet possit differre eius executionem. Non enim est dispensatio in voto, sed in quadam eius circunstantia sic Thomas Sanchez ibidem disput. 9. num. 18. & 19. & lib. 4. sum. cap. 40. num. 75. & 76.

24 Sextò colligitur Episcopum etiam dispensare posse in materia, in quam à Pontifice commutata sunt prædicta vota reseruata, sic Henriquez lib. 7. de indulg. cap. 3. num. 5. Emanuel Sa v. *votum* num. vltimo. Sanchez disput. 9. cit. num. 20. & lib. 4. summæ cap. 40. num. 46. Aragon 2. 2. quæst. 88. art. 12. ante solutionem ad 1. & alij, quos refert. Cuius ea ratio est, quia post commutationem prioris voti materia non est reseruata Pontifici. Poterit ergo Episcopus dispensare. Et idem dicendum de quouis alio habente priuilegium ad dispensandum in votis, in quibus potest Episcopus dispensare.

25 Contra doctrinam huius illationis sentit Glossa in *cap. 1. de sortileg.* Archidiaconus ad tex. *in cap. latorem 33. quæst. 2.* Azor lib. cit. cap. 18. quæst. 11. dubiam sibi eam opinionem esse dicit. Probant primo, quia subrogatum sapit naturam eius, cuius loco subrogatur, *l. 1. C. de rei vxoriæ actione*; Cum ergo sit votum castitatis aut religionis, cuius loco subrogatur materia illa, in quam facta est commutatio, reseruata erit, sicut votum castitatis, aut religionis. Secundò, quia onus illud, in quod facta est commutatio, videtur impositum ex præcepto Pontificis: in præcepto autem superioris non potest inferior dispensare, *l. minor magistratus D. de Arbitris*, vt dixi etiam iam supra cap. 6.

26 Sed hæc non obstant. Non primum, tum quia subrogatum sapit naturam eius, cuius loco subrogatur in fauorabilibus, non autem in odiosis, qualis est reseruatio. Ita communiter explicant eam propositionẽ iuris interpretes, quos sequitur Thomas Sãchez loco supra cit. Qui etiam respondet cum Euerardo eam propositionem esse intelligendam, vt subrogatum sapiat primæuam naturam eius, cuius loco subrogatur, non autem accidens. Poterat autem Episcopus ante reseruationem dispensare in voto sui subditi; vnde non mirum, si sublata reseruationis materia, & in aliam commutata, possit dispensare. Neque obstat secundum, respondetur enim nõ esse ibi peculiare præceptum Pontificis; sed ex causa concessa est in gratiam vouentis facultas dispensandi

aut

aut commutandi viro alicui docto; ea tamē lege aut conditione, vt vouenti imponat pia aliqua opera: non tamen præcipit Pontifex illa pia opera ita manere sub obligatione, vt non possit Episcopus ex causa in illis dispensare.

27 Septimo infert Thomas Sāchez lib. 4. sum. d. cap. 40. num. 77. posse Episcopū dispensare in votis peregrinationis, quando expressus animus vouentis fuit negotij alicuius peragendi gratia, quod probabile est; probabilius tamen & certius, quod addit num. 78. posse Episcopum dispensare in qualitate peregrinationis, vt non eat pedester, vel mendicans, & in similibus circunstantijs, sicut de circunstantia religionis dictum est.

Nonnulli casus in quibus potest Episcopus dispensare, in votis reseruatis.

CAPVT. IX.

SVMMARIVM.

Etiam in reseruatis dispensare posse quando non est facilis aditus ad superiorem, & est periculum in mora, n. 1.
Quid de voto castitatis emisso post contractū matrimonium, & consummatum, n. 2.
Quid de emisso post contractum ante consummationem, n. 3.
Quid de emisso ante matrimonium contractum, num. 4.
Quid de voto religionis, n. 5.
Posse etiam dispensare in votis conditionalibus, communis sententia est, n. 6.
Oppositum verius de iure, n. 7.
Obiecta proponuntur & diluuntur, n. 8. & 9.
Eodem modo philosophandum in voto pœnali, numr 10.
Obiectio diluitur, n. 11.
Nisi sit votum pœnale absolutum, n. 12.
Debent etiam esse vota vere conditionalia, numero 13.
Item quoties est morale dubium de valore voti reseruati, n. 14.
Quid si emissa sint ex metu cadente in virum cōstantem, n. 15.
In dubio an sit votum reseruatum, credendum non esse, n. 16.

1 SED solent assignari nonnulli casus, in quibus etiam in votis Pontifici reseruatis potest Episcopus dispensare, quos breuiter examinare oportet. Primus est, quando non facile patet aditus ad superiorem, & alias est ingens periculū spiritualis salutis. Itaque vtraque conditio requiritur, & vna sine altera non sufficit, vt docet Suarez loco infra citando. In eo vero casu dispensatio conceditur ex præsumpta intentione Pontificis. Nauarr. in sum. cap. 12. num. 76. Aragon, art. 12. cit. Corduba lib. 1. quæstionarij quæst. 11. Thomas Sanchez disput. cit. num. 22. conclus. 2. & lib. 4. sum. cap. 40. à num. 24. Suarez lib. 6. de voto cap. 26. & Recentiores frequēter. In praxi tamen magna prudentia opus est. Periculum autem erit sufficiens non solum incontinentiæ, sed etiam grauis scandali, vel magni damni, quod tertiæ personæ immineat, vt si quis emisso voto violasset aliquam, & illam ducere vellet, ad reparationem honoris, & timor esset ne impediretur à cognatis, rectè posset Episcopus dispensare. Sit Thomas Sanchez num. cit. Diximus autē, si non potest adiri superior; nam si potest, aut is qui à Pontifice habet priuilegium dispensandi, non poterit Episcopus dispensare, vt docet idem Thomas Sanchez nu. 25. in fine. Atque hæc doctrina vera est tām in votis reseruatis affirmatiuis, quàm negatiuis, licet in his frequentius accidere possit occasio dispensandi; in illis verō potius differendi obligationem, quod cognita causa, & si non potest facile adiri Pontifex, poterit Episcopus facere non aliter. In talibus autem casibus non concedit Episcopus simpliciter & absolutè dispensationem auferē do obligationem voti. Sed tantum ex parte quoad illum finem & effectum, vt in sequētibus magis explicabitur.

2 Atq; ex hac doctrina colligitur quid sentiendum sit in ea quæstione, an possit Episcopus dispensare in voto castitatis absolutè emisso post contractum matrimoniū, & consummatum. Cuius quæstionis varias species recēset Tho. Sāchez d. lib. 8. dis. 11. Sed sine fructu. Quare ego ita vniuerse statuo, siue hoc votum sit emissum ab vno tantum coniuge de consensu, aut sine consensu alterius, siue ab vtroque coniunctim aut seorsim, vel per modum contractus, si adest periculum incontinentiæ dispensare potest Episcopus ad petendum & reddendum debitum. Ducor in hanc sententiam ista consideratione. Quia si tātum vnus emisit, & alter

& alter non vult ad religionē transire, semper habet ius petendi, & ille qui vouit obligationem reddendi, & eiusmodi votum nō fuit absolutæ castitatis, sed non petendi, neque enim potuit contra ius tertij se ad omnimodam & perpetuam castitatem obligare. Similiter si vterque quomodocumque vouerit, si voluerit in sæculo remanere, & cohabitare, cum sit moraliter certum periculum incontinentiæ, & non possit ita breuiter adiri Pōtifex, est legitima & iusta causa dispensandi. Nam ex eo, quod vterque vouerit, neuter amittit ius iustitiæ ad corpus alterius, licet sit impeditum vinculo religionis. Adde si vir potest irritare vota coniugis etiam castitatis, de quo fortasis infra lib. 10. si ille irriter votum vxoris, iam poterit petere, & ipse tenebitur reddere. In quo casu etiam Thomas Sanchez fatetur Episcopum dispensare posse.

3 Ex eadem etiam doctrina colligitur, quid dicendū in voto castitatis emisso post contractum matrimonium ante consummationem. Et quidem transacto bimestri non est mihi dubium, cum iam eo tempore alter coniux habeat ius petendi, & ipse vouens teneatur reddere; vnde & Episcopus poterit dispensare. Sed idem dico, etiamsi sint intra bimestre. Idque constat, quia ille non tenetur religionem ingredi, etiamsi habuerit animum ingrediendi cum vouit, sed potest ab eo animo desistere. In quo vides iam esse notum periculum incontinentiæ. Potest ergo Episcopus dispensare. Quod licet neget Thomas Sanchez disput. 11. num. 4. attamen meo iudicio sine fundamento, neque satis consequenter ad ea quæ habet disput. 12. num. 6. Neque enim ex eo quod quis castitatem vouit, etiam si tunc occurrat, non posse illud votum impleri, nisi ingrediendo religionem, cēsetur emisisse votum ingrediendi. Idque ex eo constat, quia si in eo euentu petat dispensationem à Pōtifice, satis erit petere dispensationem voti castitatis, nec necessarium erit dispensationem voti religionis petere.

4 Rursus ex eadem doctrina colligitur, quid dicendum, an Episcopus dispensare possit in voto castitatis emisso ante matrimonium cōtractum. In qua facti specie tria tempora considero, vel cum adhuc perseuerante voto matrimonium cōsummauit, vel cum contraxit post votum, sed non cōsummauit, vel cum nondum contraxit. Si loquamur in primo tempore, & post consummationem, ex dictis planum est, tūc posse Episcopum dispensare ad petendum debitum propter rationem allatam numeris præcedentibus; est enim periculum præsens, & nō patet momentaneus aditus ad superiorem. Sic etiam consuetudo obtinuit, pro qua cō-suetudine plures Auctores refert & sequitur Thomas Sanchez disput. 12. num. 4. Vnde eam dispensationem in eo euentu Episcopus dare poterit, etiam in præsentia alicuius delegati, qui aliàs ex priuilegio posset, cum ea consuetudine iurisdictionem ad quisierit, *cap. cum contingat de foro compet.* In secundo verò tempore, scilicet, post contractum, & ante consummationem, etiam censeo Episcopum posse dispensare. Quia, vt dicebam num. præcedenti, non tenetur ille religionem ingredi, & ex consequēti adest periculum incontinentiæ. Quare etiam in eo casu dispensare Episcopum ex consuetudine docet idem Thomas Sanchez disput. 12. num. 6. In tertio autem tempore ante contractum matrimonium iudicandum est, sicut supra initio istius capitis dicebamus, cum scilicet graue periculum immineat, nisi contrahat vel ad exonerandam conscientiam, vel legitimandos filios in mortis periculo, vel restituendum honorē puellæ violatæ; quod si differretur graue periculū immineret, aut inconuenientia sequerentur, posset Episcopus dispēsare, vt in specie docuit Suarez lib. 6. de voto cap. 26. num. 13. Est autem discrimen inter dispensationem factam in hoc posteriori tempore, & alijs duobus prioribus, quod in illis cum dispensset Episcopus ex iurisdictione adquisita per consuetudinem, potest dispensare, etiam si pateat recursus ad illum, qui delegatam auctoritatem habet; imò etiam in præsentia Pontificis, vt docet Thomas Sanchez disput. 12. cit. num 6. At in hoc tertio tempore, cum tantum dispensset Episcopus ex præsumpta intentione Pontificis propter manifestum periculum, non potest dispensare, si facilis sit aditus ad Pontificem vel delegatos, qui auctoritatem habeant iuxta dicta supra in principio huius capitis.

5 Denique ex eadem doctrina huius primi casus colligitur, quid dicendum sit de dispensatione in voto religionis. Si enim quis post contractum matrimonium & consummatum religionem vouit, si fuit sine cō sensu coniugis, implere non potest eo renuente; si verò consentiat potest & tenetur, nec dispensare potest Episcopus, cum nullum tunc fingi possit periculum. Similiter si contracto matrimonio emisit votum ante con-

consummationem, non potest Episcopus dispensare, cum nullum etiam periculum sit, & transire ad religionem possit. Idem dicendum quoties ob delictum alterius coniugis potest illud votum impleri, vt cum alter ex eis adulterauit, antequam iterum reconcilientur & copulentur. Idem à fortiori dicendum, si ante contractum matrimoniũ vouit religionem. Licet enim necessarium sit ducere vxorem ad legitimandos filios an tea fortè susceptos, nequit Episcopus dispẽsare, cum possit matrimonium iniri, & postea ante consummationem ad religionem transire. Vide Sãchez d. lib. 4. sum. cap. 40. num. 64. Quod tamen temperandum est, ni si siue ante votum, siue post votum data fuerit fides de cõtrahendo matrimonio, & sub ea fide data mulier cognita fuerit iuxta dicta supra lib. 6. cap. 12. In eo enim euentu, cum ducere teneatur, & consummare, poterit Episcopus dispensare; si tamen illud votum in eo casu aliqua indiget dispensatione. An verò dispensare possit Episcopus, quando votum factum est in fauorem prolis susceptæ, explicandum est ex his quæ dixi supra cap. præced. §. 1. de dispensatione voti emissi in fauorem tertij.

6 Secundus casus est. Quando eiusmodi vota fuere conditionalia, vt ingrediar religionem, aut castitatem seruabo, si hanc rẽ obtinuero. Censet enim communis sententia in eo voto, siue antea, siue post impletam conditionem posse Episcopum dispensare. Sic Couarr. in *cap. quamuis pactum* 1. p. §. 3. Medina in sum. cap. 14. §. 6. Aragon d. art. 22. Sá v. *voti dispensatio*, Henriquez lib. 7. de indulg. cap. 3. num. 6. Thomas Sanchez disput. 10. cit. alijs & lib. 4. sum. cap. 40. quæst. 3. per totam, & Suarez idem docet de votis pœnalibus lib. 6. de voto cap. 23. num. 1. & 6. Quorum Doctorum illud tantum fundamentum est. Quia, licet votum impleta conditione iam maneat purum; attamen in radice non fuit principalis intentio vouentis eum statum eligere: & cum materia reseruationis odiosa sit, stricte interpretanda est, vt solùm extendatur ad vota, quæ sunt omnino absoluta, & in quibus ex primaria intention promittitur castitas vel religio, non vero, quando in pœnam & nõ ex prima voluntate.

7 Hæc quidem sententia in praxi probabilis est, & tuta conscientia illam quis sequi potest in operando propter Doctorum auctoritatem. At in puncto iuris oppositam semper veriorem iudicaui. Quam etiam docent Nauarr. in sum. cap. 12. num. 43. Suarez lib. 6. de voto cap. 22. num. 11. agens de votis conditionalibus, Azor loco supra cit. quæst. 10. & alij viri docti huius ætatis. Ratio, quæ me mouet, hæc est. Quia impleta semel conditione hæc vota transeunt in pura, vt notum est, ac si nunquam præcessisset conditio, argumento textus in *l. potior D. qui potiores in pignore*. Vota autem reseruata pura & absoluta in dispensabilia sunt ab Episcopo.

8 Neque obstat primo, quod originem habuerint conditionatam. Nam in omnibus alijs contractibus idem prorsus effectus sequitur ex illis purificata conditione, ac si â principio puri fuissent, & non conditionati. Vt sponsalia conditionata impleta conditione inducunt impedimentum publicæ honestatis, *cap. vnico, §. illi de sponsal. in 6.* Et simoniaca datio beneficij sub cõditione de futuro purificata conditioneo, bnoxia est censuris & pœnis impositis. Ergo etiam in voto. Nullum enim est fundamentum ad excipienda vota.

9 Neque obstat secundò, quod vota ante pubertatem emissa, solum ratione radicis sint irritabilia à patre, etiam post pubertatem. Ergo etiam in hoc casu ratione radicis conditionatæ: dico enim esse disparem rationem. Quia per pubertatem non extrahitur materia illa à potestate patris, dum non confirmatur de nouo. At verò in presenti casu per euentum conditionis extrahitur â potestate Episcopi, quia adquirit statum absolutum. Illud autem votum dum non confirmatur, perseuerat semper votum impuberis. Illud tamen communiter admittitur ea vota conditionalia ante euentum conditionis dispensabilia esse ab Episcopo, vt docet Suarez lib. 6. de voto, ca. 22. num. 3. cum Toleto, Lesio, Victoria, Ledesma, & alijs. Est enim ea obligatio imperfecta, non absoluta. Quod tamen ego sic intelliexerim, nõ quia tollatur aliqua obligatio voti, quæ ante euẽtum conditionis nulla est, sed quia euanescat iam obligatio expectandi conditionis euentum, ita vt eueniente postea conditione nulla consurgat obligatio.

10 Atque iuxta hæc, quæ dicta sunt, eodem modo philosophamur de votis pœnalibus, quouis modo fiat votum pœnale. Rectè enim meo iudicio Thomas Sanchez dicto cap. 40. censet eandem esse rationem voti pœnalis & conditionalis, & eodem modo philosophandum esse, si attentè inspiciatur. Itaque ante delictum commissum vota pœnalia

nalia dispensabilia esse ab Episcopo conueniunt Doctores omnes, vno excepto Nauarro. Quod intelligendum est eadem ratione, qua id explicabamus modo de votis conditionalibus. At post delictum commissum ité cesseo, licet in praxi probabile sit ea vota esse dispensabilia, in puncto tamé iuris dispensari non posse, quia iam illa vota sunt pura.

11 Neque obstat, quod huiusmodi vota non fuerint emissa ex primario affectu religionis, aut castitatis, sed ex affectu vitandi peccatum, aut ex voluntate circa aliquam conditionem; Pontifici autem solum reseruentur ea vota, quæ quis emittit ex affectu primario erga religionem, aut castitatem. Hoc inquã nõ obstat: quia non est idoneum aliquod fundamentum ad asserendam hanc restrictionem huius reseruationis, cum absolutè reseruentur prædicta vota, si sint pura & absoluta. Quod autem dicitur de primaria, vel secundaria intentione ad essentiam voti, nihil omnino refert, cum obligatio voti tantum exigat sufficientem libertatem, & conuenientem materiam. Aliàs autem quando quis intuitu commoditatis temporalis, vel propter mortem vitandam, aliàs non facturus, cum metus est ab intrinseco, vouet religionem, aut castitatem, essent dispensabilia vota, cum tunc non sint primariæ intentionis.

12 Cæterum ex ea communi doctrina, quam probabilem, & in praxi securam esse dixi in hoc secundo casu, colligitur primò in voto absoluto pœnali, id est quando est absolutè emissum ad vitandam infamiam, non posse Episcopum dispensare. Iam enim ea vota nõ pendent ab euentu delicti. Idem est, si delictum iam sit de præsenti, vel præterito: sicut enim conditio præsens, aut de præterito non suspendit, iuxta textum in *l. cum ad præsens*, cum duabus sequentibus, *D. si certum petatur*: ita etiam delictum iam patratum, vt si quis dicat in pœnam peccati, quod heri cõmisi, vel nunc propono, si fuit, vel est lethale. Sic Suarez lib. 6. de voto, ca. 23. num. 9. & 11. & Thomas Sanchez lib. 4. sum. cap. 40. num. 87. & sequenti.

13 Secudò colligitur illam communem doctrinam admittendam esse, & locum habere, quando verè sunt vota conditionalia. Potest enim contingere, vt tantum sint vota apparenter conditionalia, & re ipsa absoluta, vt quando particula, *si*, non habet vim conditionis, sed solum designat tẽpus implendæ obligationis. Ex quo fit votum hoc, *ingrediendi religionem, si pater meus decesserit*, esse absoluitũ, & solũ sensum esse, quãdo pater meus decesserit. At istud votũ, ingrediar religionẽ, *si pater meus liberos habuerit* conditionale est ex cõmuni modo vouendi. Quanuis etiam possit esse absolutum, si ex intentione vouẽtis suscepti liberorum tantum definiatur tanquam tempus. Is tamen sensus præsumendus non est, nisi expressè de eo constet. Sic docent Suarez lib. 6. de voto, cap. 22. num. 8. Thomas Sanchez in sum. dict. cap. 40. num. 83. Item votum hoc, *promitto castitatem, nisi pater sine liberis decedat*, absolutum est, & non conditionale quia illa conditio non ponitur ad suspendendum effectum. Vnde interim fornicetur erit violator voti. Ponitur ergo ad præfigendum terminum obligationis, *si pater decedat sine liberis*. Quare poterit Episcopus dispensare, quia tantum est votum temporale castitatis. Sic citatis alijs Suarez ca. cit. num. 9. Sanchez n. 84. Quanuis negari non possit etiam ex intentione vouentis posse illis verbis designari tempus incipiendæ obligationis, & sic erit votum conditionale, & ante euentum conditionis, nõ obligabit.

14 Tertius casus assignari solet à Doctoribus, quoties est morale dubium de valore voti reseruati, tunc in eo dubio poterit Episcopus dispensare, quomodocumq; dubium illud oriatur, siue quia non sunt coniecturæ sufficientes, siue quia sunt probabiles rationes ad dubitandum. Sic docet Suarez d. lib. 6. de voto, cap. 26. num. 6. Sanchez lib. 4. sum. cap. 40. num. 26. Facit ratio, quia cum reseruatio sit odiosa, vt iam dixi supra capit. præcedenti, restringenda est ad casus certos; alij autem non comprehenduntur sub reseruatione, vt docet idem Thomas Sãchez lib. 1. summæ. cap. 10. num. 74. citatis Suarez, & Henriquez.

15 Ex qua doctrina colligitur primò posse Episcopum dispensare in eiusmodi votis reseruatis, quando emissa sunt ex metu cadente in virum constantem. Quanuis ego existimem illa vota valere iure naturali, & positiuo, id quod etiam docet Suarez lib. 6. de voto, cap. 26. num. 4. & 5. & alij quos retuli supra lib. 7. cap. 29. cum de ordinis impediméto sermo esset. Attamẽ probabile dubiũ est an ea vota valeãt, vel sint nulla iure Ecclesiastico; estque communis sententia docens non valere, quam citatis alijs sequitur Thomas Sanchez lib. 4. summæ, cap. 40. nu. 31. & etiam cap. 3. & ideo quia eorum voto-

rum

rum valor est sub opinione, poterit in eis Episcopus dispensare, vt docet Suarez ibidem num.5.

16 Secundo colligitur in dubio etiam, an sit aliquod votum reseruatum, nec ne, in benigniorem partem esse interpretandum, & censeri non reseruatum, & posse in eo Episcopum dispensare ex eodem fundamẽto. Vnde cum dubium sit, an vota pœnalia, & conditionalia sint reseruata, sequitur ratione eius dubij posse Episcopum in eis dispensare, etiam purificata conditione, & cõmisso delicto. Alij etiam casus assignari solent, sed nullius momenti sunt, & veritate carent. De quibus Thomas Sanchez dicto cap.40.num.27.& sequentibus. Sicut etiam veritate caret casus alter, quem assignat Thomas Sanchez dict.cap.40.num.47.quãdo quis voluit tantum se obligare ad venia le, cum iuxta recepta principia in materia de legibus, obligatio venialis vel mortalis, non sit in vouentis potestate.

De potestate delegata ad dispensandum in votis.

CAPVT X.

SVMMARIVM.

Quando censeatur concessa potestas ad dispensandum.num.1.

Concessa potestate commutandi non concedi potestatem dispensandi quidam absolute negant. num.2.

Oppositum verius explicatur, & probatur. num. 3.& 4.

Quando censeatur data potestas in reseruatis, & an in omnibus vel aliquibus.num. 5.& 6.

Concessa potestate ad dispensandũ in votis etiam data censetur ad dispensandum, licet sint in commodum tertij.num.7.

Etiam dispensari posse in votis emissis ante concessionem eius potestatis.num. 8.

Concessam esse religiosis potestatem dispensandi in votis.num.9.

Ampliationes eius priuilegij. num.10.

Non posse in reseruatis Pontifici, etiam in casu necessitatis, quando potest adiri Episcopus. num.11.

Possunt dispensare in voto castitatis emisso ante matrimonium in ordine ad petendum debitum. num.12.

1 EXPLICVIMVS hactenus potestatem ordinariam ad dispensandum in votis non reseruatis, & reseruatis explicemus nunc potestatem delegatam. Non autem agimus de potestate cõcessa virtute Bullæ vel Iubilei, nec de potestate alicui concessa ad commutandum, sed solum ad dispensandum. Quæ quidem non intelligitur concessa, ex eo quod concedatur facultas ad absoluendũ à reseruatis casibus, vel censuris, vel irregularitatibus; sed exprimi debet facultas ad dispensandũ in votis, sunt enim priuilegia diuersa, neq; plus valent, quam sonant, vt in specie docet Suarez lib.6. de voto cap.12. num.2. Et docet etiam communis doctrina potestate concessa ad commutandum non intelligi potestatem concessam ad dispensandum in votis. Quia ex concessione minoris priuilegij non censetur concessio maioris. Magis autem est dispensare, quam commutare. Sic docuit Paludanus in 4.dist.38. quæst. 4. art. 3. & communem dicit & supponit Thomas Sanchez lib. 4. summæ cap.53. q. 2.num.2. Ego tamen hanc communem sententiam distinctione explicandam existimo. Nam vel conceditur solum expressa facultas commutandi in æquale, vel etiam in minus. Et quidem, si sola prior facultas cõcedatur, non censetur concessa facultas dispensandi, & hoc sensu accipio communem sententiam: si tamen concedatur facultas commutandi etiam in minus, manifeste inuoluitur in ea concessione facultas aliqua dispensandi, eo quod quoties commutatio fit in minus, remittitur aliquid prioris obligationis, & non solum fit commutatio materiæ.

2 An autem concessa potestate dispensandi concedatur potestas commutandi vota, dissensio est. Nauarrus in summa cap. 12. num.79. videtur negare generaliter loquẽs, eo quod istæ sunt facultates diuersæ, & ita potest vna concedi sine altera. Eandem opinionem sequitur citatis alijs Thomas Sanchez lib.8.de matrimonio disp.2. num.15. & lib.4.sum.cap.53.num.4. Quamvis reuera non discedit à nostra sententia.

3 Contrariam tamen docet Paludanus loco supra citat. Syluester verbo *votum*, 4. quæst.3. Soto lib.7.de iustitia quæst.4.art.3. Emanuel Sa verbo *voti dispensatio* num.19. Suarez lib.6.de voto cap.12.à num.10. Lesius lib.2.de virtutibus cap.40.dub.11.nu. 94. & alij huius ætatis. Quam sententiam probo ista consideratione. Qua negari non potest

potest eum qui habet facultatem dispensandi, posse facere aliquam commutationem v. g. in minus bonum, quod etiam admittit Thomas Sanchez dict. cap. 53. num. 5. Tunc enim remittit partem prioris obligationis, vt modo dicebam, & simul commutat aliam partem materiæ. Qui enim simpliciter potest dispensare ex causa, manifestè potest id quod est minus in eodem ordine. Minus autem est auferre partem obligationis, quam auferre, & remittere integram obligationē. Ex hoc autem vlterius infero maiorem probabilitatem secundæ sententiæ. Nam in eodem ordine, qui habet potestatem ad maius aliquid, habet etiam potestatem ad id quod minus est in eo ordine. Sed in ordine commutationis minus est facere commutationem in æquale, quam in minus bonum; &, vt probatum est, is qui habet potestatem dispensandi, potest facere commutationem in minus. Ergo poterit etiam facere in æquale.

4 Huic rationi respondent nonnulli consequentiā nō cōcludere, eo quod maior scientia requisita est ad faciendā commutationē in æquale omnino, quā in minus. Hæc tamē responsio facile refutatur. Quia non est necessarium, vt is qui habet talem potestatē, solū proprio iudicio, & labore cognoscat bonū æquale, sed potest id facere ex iudicio viri prudentis, & docti. Sicut ad dispensationē faciendam non est necessarium, vt is qui dispensat, discursu proprio tantū agnoscat causam iustam dispensationis, sed cognita causa ex doctorum hominum iudicio potest dispēsare, & frequenter hoc modo fit. Et quidem ab hac sententia non discedit re ipsa Thomas Sanchez. Nam d. lib. 4. sum. cap. 53. n. 4. inquit se non dubitare existente iusta causa ad dispensandum, posse quoque mere commutari votum ab illo Commissario. At nunquam delegatur facultas ad dispensandum in voto quouis modo, sed tantum iusta causa subsistente, alias esset nulla dispensatio, vt dicam infra in secunda parte huius libri.

5 Cæterùm per datam potestatem dispensandi in votis absolutè non censetur concessa facultas dispensandi in votis reseruatis, nisi ea specialiter exprimātur. Quod amplia, etiam si facultas concessa sit legato à latere. Ille enim tantum potest dispensare in votis Episcopo concessis, vt docet Thomas Sanchez lib. 8. de matrimon. disput. 9. num. 25. & lib. 4. sum. capit. 40. num. 14. Amplia etiam vt non intelligatur concessa in generali votorum omnium indulto, nisi exprimantur, vt docet Suarez lib. 6. de voto capit. 25. num. 3. & ex eo Thomas Sanchez dict. capit. 40. num. 15. Amplia etiam vt eo generali indulto non solum non intelligatur concessa potestas dispensandi in votis castitatis, & religionis absolutis, sed neque in tribus votis peregrinationis, quam uis nonnulli oppositum dixerint, quos sequutus fuit Thomas Sanchez disput. 9. citat. num. 2. Sed mutauit sententiam dict. capit. 40. num. 16. cum Suarez lib. 6. de voto capit. 25. num. 4. Pro quo facit ratio, quam reddit Pontifex in *cap. si Episcopus de pœnitentijs, & remiss. in 6.* vt sub generali concessione non veniant sine expressione casus reseruati. Neque enim in generali concessione veniunt, quæ non esset quis in specie verosimiliter concessurus iuxta regulam *in generali 81. de Reg. iur. in 6.* Facit etiam textus in *extrauag. Et si dominici 2. de pœnit. & remiss.* Quem textum ad hunc tantum finem induco, vt ex illo ostendam æquè parari hæc quinque vota reseruata quoad huius specialis licentiæ necessitatem.

6 Imo quamuis concessa potestate ad dispensandum in omnibus votis reseruatis absolutè comprehendantur omnia quinque: attamen non semper concessa potestate ad dispensandum in aliquibus reseruatis intelligitur concessa ad dispensandum in omnibus, sed his regulis vtendum desumptis ex communi doctrina, stylo, & consuetudine receptis. Si conceditur potestas dispēsandi in omnibus votis, exceptis voto, castitatis, & religionis, intelligitur cōcessa potestas ad dispensandum in votis peregrinationis. Similiter, si concedatur potestas dispēsandi in omnibus votis, excepto voto peregrinationis Hierosolymitanæ, intelligitur cōcessa facultas dispensandi in votis duarum peregrinationum, vt docet Suarez d. lib. 6. c. 25. n. 7. & Thom. Sanc. d. c. 40. n. 18. Quorum communis ratio est. Quia exceptio firmat regulam in contrarium. Quæ regula desumitur ex *cap. Dominus 12. q. 7. & c. 2. de coniugio Leprosorum.* Et quamuis exceptio regulariter non ampliet regulam ad casus, qui ea non apposita non clauderentur sub illa, neque enim exceptio ampliat, sed restringit iuxta *l. 1. D. de reg. iuris.* At hoc fallit, quādo exceptio illa, si omissa foret, non clauderetur sub regula. Nam tunc illa apposita eam ampliat ad casus similes, & si ea non adiecta non clauderentur sub ea regula. Quod latè prosequitur Suarez loco citat. & aliàs illa

exceptio inutilis esset, neque esset de contentis sub regula, vt si dicas, omnis homo præter equum currit, equus enim non continetur sub homine. Ita etiam sensus istius erit concedo potestatem dispensandi in omnibus votis exceptis omnibus reseruatis, id enim iã certum erat, cum ea vota reseruata sint. At si concedatur facultas ad dispensandũ in omnibus votis exceptis peregrinationũ trium, non intelligitur concessa potestas dispensandi in votis castitatis, & religionis, quæ maiora sunt, & quæ reseruari solet, etiã quando alia conceduntur. Vnde ex concessione minorum non arguitur voluntas Pontificis cõcedendi maiora. Quod si dicatur, cõcedo potestatẽ ad omnia reseruata exceptis tribus votis peregrinationis, tunc planè cõcederetur potestas ad dispensandũ in alijs duobus, aliàs nullius momenti esset exceptio. Quod si cõcederetur sub hac forma, concedo tibi potestatẽ ad omnia vota; etiã castitatis vel religionis, cõcessa intelligũtur etiã vota non expressa peregrinationis, vt rectè cõtra Suarez docet Tho. Sanch. d. cap. 40. n. 21. Quia particula implicatiua etiã importat idem esse in minoribus casibus, vt probat Euerardus in loco à natura dictionũ implicatiuarũ, vt si Pontifex cõcederet potestatem absoluẽdi ab omni censura, etiã ob hæresim incursa. Ea tamen forma loquendi nõ censetur cõcessa potestas ad dispẽsandũ in voto æquali, scilicet religionis, vel castitatis, sed tantũ in expresso ex illis duabus. Vnde quod attinet ad votũ castitatis, vel religionis nõ expressum, quod æquale est, nõ censetur cõcessa potestas dispensandi in illo non expresso, vt docet Suarez lib. 6. de voto c. 25. cit. num. 10. Atque hæc quidem dicta sint ex communi Doctorum sensu.

7 Concessa etiam potestate ad dispensandum in votis censetur etiam concessa ad dispensandum in votis emissis in commodum tertij, quæ remanent in ratione voti iuxta dicta supra cap. 8. §. 2. Quia tunc non est quæsitum ius tertio, cum nondum sit acceptata promissio. At vero cum iam est acceptata, non censetur concessa facultas ad dispensandum in eiusmodi votis, cum ad dispensandum in illis, in casu quo fieri potest, requiratur suprema potestas, & ea non censetur concedi, nisi exprimatur. Imô in multis priuilegijs solet apponi clausula, *nisi vota sint in præiudicium tertij*, non quia necessarium sit exprimere, sed maioris claritatis gratia, vt docet Suarez dict. lib. 6. cap. 15. num. fin.

8 Illud etiam addendum potestatem concessam ad dispensandum in votis non intelligi tantum concessam ad vota emissa ante eam publicationem priuilegij, sed etiam postea. Quod amplia intelligendum, quando ea priuilegia perpetua sunt, veluti concessa religiosis. Amplia, rursus, vt locum habeat etiam quando priuilegia temporalia sunt, vt intelligatur concessa potestas ad omnia vota facta post concessionem, & ante publicationem. Amplia etiam, vt comprehendant etiam vota post publicationem temporalis priuilegij factam. Id quod multis rationibus probat Suarez lib. 6. de voto cap. 13. & Thomas Sanchez lib. 4. sum. cap. 53. quæst. 3. num. 26. sunt enim ea verba Bullæ generalia. Et similiter potestas Bullæ ad absoluendum à peccatis, omnia peccata complectitur, etiam postea commissa. Ergo idem dicendum in votis. Sic etiam docet Henriquez lib. 6. de indulg. capit. 30. num. 3.

9 Diximus adhuc de potestate delegata ad dispensandum, & quando, & ad quæ vota censeatur delegata: restat dicamus quibus re ipsa delegata sit ad dispensandum in votis. Extant autem duo priuilegia concessa religiosis, vnum ab Innocentio VIII. vt possint religiosi dispensare in votis, in quibus possunt Episcopi, excepto voto peregrinationis vltra duas diætas. Sed extat aliud amplius concessum à Martino V. fratribus Benedictinis, & per communicationẽ alijs, quo conceditur, vt possint dispensare in votis Episcopo reseruatis, quod priuilegium cum alijs refert Emanuel Rodriguez tom. 1. quæst. regular. q. 63. art. 3. & Thomas Sanchez lib. 4. Sum. cap. 43. num. 4.

10 Amplia primô prædictum priuilegiũ, vt possit religiosus in eis votis dispensare, etiam quando materia videtur reseruata, votum autem deficit à ratione reseruationis, defectu alicuius circumstantiæ vt explicui supra cap. 8. §. 2. Quia reuera illa vota non sunt reseruata. Vnde in specie poterit dispensare in voto ingrediendi religionem, vt ingrediatur laxiorem, & sic dispensati, si bona fide eam laxiorem ingrediantur, & non perseuerent, non tenentur voto strictioris religionis. Et quamuis religiones nonnullæ habeant strictius priuilegium dispensandi, vt in suam ingrediantur, dummodo perseuerent: attamen restrictio priuilegij non impedit laxioris vsum, vt in multis constare potest, de quo vide Sanctium dict. capit. 43. num. fin. Sicut Episcopus etiam

fine

sine synodo potest missarum numerum minuere, licet Tridentinum sess. 25. de reformatione ca. 4. dicat id posse Episcopum cũ synodo: quia ante Concilium solus Episcopus poterat, vt sequutus Nauarrum docet Thomas Sanchez n. fin. citat. Amplia secundò, vt etiã ex vi eius priuilegij religiosus dispensare possit in votis factis in commodũ tertij, quando non est acceptata promissio à tertio, sed tantum manet in ratione voti iuxta dicta supra, c. 8. §. 2. cum in eis possit Episcopus iure ordinario dispensare. Amplia tertiò, vt virtute eius priuilegij possint religiosi dispensare non solùm cum subditis illi Episcopo, in cuius diœcesi commorantur, sed etiam cum alijs ad se venientibus ex quauis diœcesi, vt rectè docet idem Thomas Sanchez dict. cap. 43. num. 15. contra Manuelem, & alios. Quia cum ea potestas concessa sit à Pontifice, qui habet potestatem in omnes fideles, non est cur inde limitetur. Amplia quartò virtute eius priuilegij posse dispensare religiosos etiã extra Sacramentũ confessionis. nec enim in eo priuilegio dicitur, *audita prius confessione*. Et idẽ dicendũ esset, quanuis in eo priuilegio diceretur, *in foro pœnitentiæ*. Latius enim patet vox illa, *forũ pœnitẽtiæ*, quam *Sacramentũ pœnitẽtiæ*, vt constat. Sic docet Suar. li. 6. de voto c. 16. quẽ sequitur Thom. Sanch. lib. 4. sum. c. 43. n. 17. & lib. 8. de matrim. disp. 16. n. 11. & de eo nos fortasse nõnulla infra in vltima parte huius libri. Amplia quintò, vt virtute huius priuilegij possint religiosi dispẽsare in votis factis, non solũ ante concessionem priuilegij, sed etiam ante publicationẽ, immo etiã si facta sint post publicationem priuilegij, vt docet citatis alijs Thom. Sãchez, lib. 4. sum. c. 53. q. vlt. n. 26. Suar. lib. 6. de voto, c. 13. Sa v. *votum*, in fine. Facit pro hac ampliatione primò doctrina Glossæ in *cap. quia circa, v. futuri, de priuileg.* quæ docet verba generaliter, & indefinitè posita in priuilegijs extẽdi ad futura. Facit etiam quod in Bulla v. g. potestas ad absoluendũ à peccatis etiã extenditur ad peccata cõmissa ante, & post publicationem, vt modo dicebamus. Ergo idem dicendum de dispensatione. Eodem enim verborũ tenore conceditur, neq; est vnde limitetur. Quare sine fundamento alij aliter opinati sunt, quos refert Thomas Sanchez ibidem n. 25. Huius autem ampliationis doctrina vera est, siue sint ea priuilegia perpetua, siue temporalia, vt docet Sanchez ibidem, num. 23. & sequentibus.

11 Prædictam tamen potestatem dispẽsandi religiosorũ ex eo priuilegio limitabis primò, vt non extendatur ad vota reseruata Pontifici, etiam in casu necessitatis, quando ratione casus occurrentis potest Episcopus vt explicui supra. Sic docet Emanuel Rodriguez loco supra citato, art. 6. Thomas Sanchez lib. 4. sum. cap. 43. num. 7. Suar. lib. 6. de voto, cap. 26. num. 17. & sequentibus. Ratio est; quia in generali concessione non veniũt vota reseruata. Ea autem vota reseruata sunt, & ex eo quod Episcopus ex benigna interpretatione mentis Potificis dispẽset, non desinunt esse reseruata. Quare cum ea vota non cẽseantur expressa, nisi exprimãtur, vt dictũ est, non possunt religiosi virtute eius priuilegij dispensare in votis reseruatis in casibus, in quibus potest Episcopus, hoc est, in casu necessitatis.

12 Sed sublimita eam limitationem, vt possint religiosi dispensare in voto castitatis in ordine ad petendum debitum, dũmodo votum sit emissum ante contractum matrimonium, nõ verò si sit factum post matrimonium contractum. De eo enim tantum loquitur priuilegium, vt docet Emanuel Rodriguez 1. tom. quæst. regular. quæst. 63. art. 2. Quod amplia siue sit matrimonium consummatũ, siue non (quanuis contrarium dicant nonnulli sine fundamento) siue etiam eo tempore in quo licebat diuortium: verba enim priuilegij vniuersalia sunt. Quam etiam doctrinam docet Thomas Sanchez lib. 4. sum. cap. 43. â num. 10. & lib. 8. de matrim. disput. citat. â num. 3. 4. 5. Non agimus hoc loco de iubileo, aut Bulla, quia in illis non conceditur potestas dispensandi in votis, sed tantum commutandi, quæ duo diuersa sunt, vt dictum est.

De potestate dispensandi in iuramentis.

CAPVT XI.

SVMMARIVM.

Habens potestatem dispensandi in votis, potest dispensare in iuramentis, num. 1.

An sint iuramenta reseruata, explicatur, num. 2. & 3.

Concessa potestate ad dispensandum in votis, censetur data ad iuramenta, num. 4.

Etiam verum in iuramento promissorio dummodo non sit acceptata pro motiuo, n. 5.
Obiectiones proponuntur, & diluuntur, numero 6. & 7.

1 DIximus hactenus de dispensatione votorum tàm per potestatem ordinariam, qu ãdelegatã. Dicamus iam de potestate dispensandi in iuramentis. De qua, suppositis his, quæ circa votorum dispensationẽ diximus, pauca super sunt explicanda. Constat igitur eum qui habet potestatem ordinariam ad dispensandũ in voto, posse etiam dispensare in iuramentis factis, sicut diximus supra de voto; & eodem etiam modo iudicandum est de iuramẽtis pœnalibus & conditionalibus. Duo tamen supersunt examinanda.

2 Primum est, an sint aliqua iuramẽta reseruata Pontifici, sicut & aliqua vota. Tabiena v. *iurare*, quæst. 20. existimat nullum iuramentum esse Pontifici reseruatum, sed posse ex causa ab Episcopo relaxari: ex eo autem quod Pontifici sint aliqua vota reseruata non colligitur esse etiam iuramenta. Quia maiorem existimat Tabiena obligationem voti, quam iuramenti. Ex eo autẽ quod reseruetur, quod est maius, non sequitur reseruatum quod est minus.

3 Cæterùm communis sententia est, quando iuramentum factum est in confirmationem voti Deo facti, si votum est reseruatum, etiam reseruari iuramentum. Atque hoc modo intelligo communem sententiã, quam docet Caietanus 2. 2. quæst. 89. art. 5. Soto lib. 8. de iustitia quæst. 1. art. 5. Suarez lib. 2. de iuramento cap. 40. Cuius ea ratio est. Quia dispensatio iuramenti in tali casu fit remittẽdo prius obligationem voti, qua ablata aufertur obligatio iuramenti. Ergo quando votum est Pontifici reseruatũ, erit etiam reseruatum iuramentum, cum illud non tollatur, nisi per ablationem obligationis voti. Amplia hanc communem doctrinam, vt ea etiam verum habeat, quouis modo fiat iuramentum promissorium. Nam si ab eiusmodi iuramento secludas promissionem, tantum remanet in ratione assertorij, & sensus erit se iurare habere propositũ sic faciendi, & aliud ego mente concipere nõ possum. Quare nõ probo in hac parte, quod docet Thomas Sanchez lib. 8. de matrim. disput. 13. & sequitur Suarez lib. 2. de iuramento cap. 1. posse esse iuramentum promissorium, quod tamen non includat rationem voti. Eo enim ipso, meo videri, destruitur ratio promissorij iuramenti. Et quamuis eam opinionem veram esse daremus, adhuc contra Sanctium dicendum est, neque in eo modo confirmato proposito castitatis, aut religionis, aut materiæ reseruatæ iuramenti posse Episcopum dispensare, nisi in his casibus, in quibus potest in voto, vt prudenter docet Suarez lib. 2. de iuramento c. 40. nu. 8. Solum in hoc casu posset esse locus dispensationi Episcopi, iuxta eam regulam, quam posuimus supra cap. 9. cum de valore voti reseruati dubium est, & an sit reseruatum.

4 Alterum est; an potestas delegata ad dispensandum in votis extendatur etiam ad dispensandum in iuramentis; in quo hanc certam regulam statuo. Quoties conceditur potestas ad dispensandum in votis, censetur concedi ad dispensandum in iuramentis, sic docet Suarez lib. 6. de voto c. 14. àn. 6. Sa verbo, *votum, de voti irritatione*, nu. 16. Probabilem putat Lessius lib. 2. de virtutibus c. 40. dub. 11. n. 94. alios etiam refert Suarez pro hac sententia, & tenent viri docti huius ætatis. Et quamuis in huius sententiæ probationem desumi soleant argumenta ex ea regula, *cui conceditur id quod est maius, concessum videtur quod est minus*, quod argumentum in hac materia vim habere late deducit Suarez loco cit. cum reuera & sit minus vel idem vinculum, & militet eadem ratio: at quia ea regula varias patitur limitationes, melius probatur ex ea ratione, quam adducit Suarez ibidem, n. 11. & 12. scilicet, quia secundum communem æstimationem ea iuramenta promissoria votis æquiparantur, & pro votis habentur, in quibus Deus constituitur creditor. Reputari autem pro votis probari videtur ex textu in *c. peruenit 2. de iure iurando*, in quo textu regula tradita habetur etiã in *c. scripturæ, de voto*, & propriè ad votum pertinet, & tamen etiam ponitur sub titulo de iure iurãdo. Facit etiam quod non pauci Doctores iuris canonici docent tale iuramentum promissorium includere votum. Vnde & appellant votum. Facit etiã quod per professionem religionis, sicut extinguuntur alia vota, ita etiam extinguuntur iuramenta. Facit denique quod in ordine ad finem, scilicet, consequendum effectum iubilei, eodem modo conducit voti & iuramenti dispensatio. Quæ omnia arguunt mentem concedentis esse in voto includere iuramentum.

5 Amplia tamen hanc communem doctrinam primò, vt verum habeat in quouis iuramento promissorio, dummodo promissio non

sio non sit acceptata ab homine, cum adhuc remaneat intra obligationem voti. Inquo non rectè aliter sentiendum esse voluit Suarez d. cap. 14. num. 13. Amplia secundò, vt locum habeat etiam quando iuramentum confirmat votum, in quo etiam sentit nobiscum Thomas Sanchez lib. 4. sum. cap. 53. quæst. 3. num. 18. & Suarez d. cap. 14. num. 14. & 15. & alij. Cuius optima ratio ea est. Quia ex vna parte qui fecit votum, & illud confirmauit iuramento, solum voluit perseuerare iuramentum perseuerante obligatione voti. Ex alia parte nullum est ius, quo disponatur per facultatem dispensandi in voto non intelligi votum iuramento firmatum. Cum ergo per dispensationem in voto auferatur etiam materia iuramenti cessabit etiam obligatio iuramenti. Vnde gratis à Doctoribus oppositum sentientibus assumitur in ea generali concessione, qua conceditur votorum dispensatio, tantum concedi vota pura, & non affecta iuramento. Amplia tertiò prædictam doctrinam, vt etiam intelligatur, quamuis iuramentum non cadat supra votum, sed supra rem ipsam, & concomitetur votum tantùm, si ita reuera accidere potest; nam etiam tunc potest dispensari iuramentum, vt docet Suarez d. cap. 14. num. 19. & sequentibus. Cõtra Thomam Sanchez d. cap. 53. num. 20. licet probabile putet oppositum. Nam si solum esset votum dispensabile esset, & etiã, si solum esset iuramentum: ex eo autem, quod sint simul concomitantia illa duo vincula, vnum non mutat suam naturam, ex consortio alterius; vt si quis teneatur irregularitate ex homicidio casuali, & ex voluntario, hæc coniunctio non tollit, quominus possit, in casuali Episcopus dispensare iuxta formam Tridentini.

6 Verùm contra doctrinam hanc sentire nonnulli, qui absolutè negant potestatem delegatam ad dispensandum in votis valere ad dispensandum in iuramentis. Sic Ioannes Azor tomo 1. lib. 11. cap. 10. quæst. 2. Lessius loco supra cit. & alij: Inducuntur primò. Quia cum conceditur priuilegium gratis, non est laxè interpretandum, sed strictè. Si ergo cõceditur facultas ad dispensandum in voto, non est extendenda ad vinculum iuramenti iuxta regulam textus in *c. Porro de priuileg.* Secundò, quia ista sunt vincula diuersæ rationis. Cum autè cõceditur majus, concessum intelligitur minus, si sint eiusdē rationis; vnde in dispensationibus matrimonij quoties impedimenta sunt diuersæ rationis, non censetur sublatũ vnũ impedimentũ minus ex ablatione maioris. Et in *c. cui de non sacerdotali de præb. in 6.* dicitur, potestatem ex priuilegio datam ad prouidendum de maiori præbenda, non esse extendendam ad minorem præbendã. Tertiò, quia quando conceditur priuilegiũ ad dispensandum in votis, solet in nõnullis concedi etiam ad dispensandum in iuramentis. Signum ergo est necessarium esse tale priuilegium expressum.

7 Sed hæc non obstant. Non primum. Respondetur enim si iuramentum confirmet votum, cessante obligatione voti cessare etiam obligationem iuramenti, vt dictũ est. Quod si non confirmet votũ, quod vix esse potest, attamen quoad Deum secundũ æstimationem communem pro eodem reputãtur, vt dictum est. Neque obstat secundũ. Eodem enim modo respondetur, quamuis sint diuersæ rationis pro eodem reputari, & sublata obligatione voti non posse remanere obligationem iuramenti, & Doctores oppositæ sententiæ nõ satis probant ex vi prædicti priuilegij non posse fieri dispensationem in voto iurato: Nos autem contendimus implicitè ibi concedi potestatẽ ad dispensandum in iuramento. Textus autem ex *cap. cui de non sacerdotali*, non est ad rem; hã vel ibi sermo est non de dispensatione, sed de mandato: mandati autem fines diligenter sunt obseruandi ex textu in *l. diligenter D. mandati*, vt exponit Nauarrus quæstione 3. de redditibus monito 10. vel, vt interpretatur Couarr. 1. variar. cap. 10. num. 7. intelligitur, quando præscribitur certa quantitas in redditibus beneficij, quæ est quasi taxa quædam determinans speciem beneficij, extra quam voluntas concedentis non extenditur; hæc tamen interpretatio re ipsa non discordat à prima. Neque obstat tertiũ. Sæpe enim conceditur aliquod priuilegiũ expressè propter diuersitatem opinionum, quia alij Doctores asserunt, alij negant necessarium esse; id quod multis exẽplis passim occurrentibus explicari potest, & nos attulimus aliqua in commentario de horis Canonicis, hoc est, lib. 4. de Ordine & annexis.

De potestate dispensandi in matrimonio spirituali, & residentia.

CAPVT XII.

SVMMARIVM.

Pontificem dispensare posse in matrimonio Episcopi, cum Ecclesia, n. 1.
Obseruantur nonnulla, vt explicetur dispensatio in residentia, & quid statuat Concilium, numero 2.
Cum Episcopis, quis posset dispensare, n. 3.
Cum parochis Episcopus, etiam ad absentiam per bimestre, ibidem.
Prima ampliatio cum eius limitatione, n. 4.
Ampliatio secunda, n. 5.
Ampliatio tertia, n. 6.
Ampliatio quarta, n. 7.
Obiectio diluitur, n. 8.
Quid dicendum de dispensatione circa beneficia incompatibilia, n. 9.
In quibus solus Papa possit dispensare, numero 10.

1 DE potestate dispensandi in matrimonio corporali siue rato tantum, siue etiam consummato, latè dico infra lib. sequenti. Quare in hoc c. dicendum est de dispensatione in matrimonio spirituali Episcopi cum Ecclesia, hoc est, cuius facultate transferri possit Episcopus ad aliam Ecclesiam. Et quia de hoc latè dico lib. 1. de ordine, & annexis, ideo nũc breuiter dico tantum fieri posse auctoritate Pontificis iuxta textum in *cap. inter corporalia de translatione Episcopi.*

2 Difficilius explicatu est, quod pertinet ad dispensationem in præcepto naturali de residentia beneficiarij in sua Ecclesia. Vt autem explicemus illud, obserua in primis, Residentiam Pastorum, qui curam animarum habent esse de iure diuino naturali, vt iam dixi supra isto lib. Deinde obserua non esse declarationem, sed veram dispensationem, quando alicui licentia conceditur, vt absit â sua Ecclesia, vt superius etiam dixi. Extant autem decreta Tridentini pro Pastorum residentia sessione 6. de Reformat. cap. 1. & sess. 23. de Reformat. cap. 1. & sessione 24. de Reformat. cap. 12. Et quod attinet ad Pastorum absentiam duo statuit Concilium. Primũ est vt ex iusta causa possit vnoquoque anno ad duos aut ad summũ ad tres menses abesse, siue eorum spatium cõtinuum sit, siue interruptum. At vero ob causas assignatas in d. sess. 23. c. 1. conceditur etiam vt possit longiori tempore abesse. Secundum est. Idem obseruandum esse in absentia parochorum. De residentia autem canonicorum agitur sess. 24. cap. 12.

3 Sed quod attinet ad dispensandum in ea residentia Pastorum ex causa, potestas ea dispensandi cum Episcopis ibidem sess. 23. cap. 1. dicitur spectare ad Romanum Põtificem, aut Metropolitanum, & eo absente ad suffraganeum antiquiorem, qui idem habebit potestatem ad licentiam concedendam Metropolitano, quæ licentia in scriptis obtineri debet. Solùm excipitur casus, in quo propter aliquod munus & Reipublicæ officium Episcopatibus adiunctum abesse contigerit. Cum enim istæ causæ notoriæ sint, & interdum repentinæ, ne eas quidem significari Metropolitano necesse est. At cum Parochi Episcopus est, qui dispẽsare potest, vel eius officialis, qui in scriptis licentiam concedet. Quare contra Nauarr. dicendum est cum Gabriele Vazquez de benef. cap. 4. §. 2. dub. 3. iuxta decretum Tridentini non tantum esse necessariam licentiam ad absentiam vltra bimestre, aut timestre, sed etiam ad absentiam per bimestre. Quod etiam adducens declarationes Cardinalium docet Nicolaus Garcia de benef. 3. p. cap. 2. à num. 22. & olim docuit inter Salmanticenses Doctor Frechilla in *cap. vnico de clericis non residentibus in 6.* Vtrumque ergò necessarium est, & honesta causa, & licentia Episcopi etiam ad bimestrem absentiam; nec sufficit tacita licentia, sed requiritur expressa, eo quod Concilium requirit illam in scriptis, vt docet etiam Nicolaus Garcia loco cit. n. 35.

4 Amplia primò; vt etiam ea forma decreti obseruanda sit, quamuis grauis absentiæ necessitas occurrat, vt docet idem Nicolaus Garcia ibidem num. 34. Sed limitatur hæc ampliatio, nisi talis sit necessitas, vt sit periculum in mora, nec possit propter distantiam peti licentia: tunc enim potest discedere, & quam primum ordinarium certiorem facere, vt causam probet, & licentiam præbeat, sic enim declarauit Congregatio Cardinalium, quam ibidem refert.

5 Amplia secundò, vt non sufficiat licentia tacita, sed requiratur expressa, vt dixi supra; nec sufficiat petita, sed requiratur obten-

obtenta, vt etiam declarauit Congregatio Cardinalium, quam refert Nicolaus Garcia ibidem num.37. Quare si inferior neget, existente iusta causa, recurrendum est ad superiorem per viam appellationis, interim tamen abesse non potest.

6 Amplia tertiò, vt etiam locum habeat prædictum decretum, quamuis abesse debeat ratione studij. Adhuc enim requiritur licentia superioris expressa, ne indoctes ea de causa abesse contingat, vt docet idē Nicolaus ibidem num.87. Sic etiam declarante Congregatione Cardinalium. Quamuis forsan de iure antiquo in *cap. fin. de Magistris*, non esset necessaria talis licentia Episcopi, per quem textum in d.cap. fin. correctum videtur ius aliud antiquius Alexandri III. in *cap. Relatum de cler. non resid.* sed hanc ampliationem limita, vt solum locum habeat in studentibus, non in docentibus. Hi enim abesse possunt sine licētia Episcopi, etiam hodie. Sic declarantibus Cardinalibus. Illis enim concessa facultas est antiquo iure per Sedem Apostolicam in d. cap. fin. Quam Cardinalium declarationē refert idem Nicolaus Garcia p.7. cap.2. nu. 559. prope finem. Rursus limita eandem ampliationem, nisi cōsuetudine inductum sit, vt non petatur licentia Prælati ad absentiam; posse enim consuetudine induci non dubito; tunc autem censeretur abesse de licentia Sedis Apostolicæ sustinentis & tolerantis; nam vt sine aliqua licentia absit, cōtingere non potest, cum obligatio residendi sit ex diuina lege. Et quamuis illam declarare etiam prudens homo possit: at dispensare in illa nullus potest, nisi qui iurisdictionem habeat. In hac autem lege residendi non tantum fit declaratio, sed vera dispensatio, vt dixi supra isto libro.

7 Amplia rursus prædictum decretum Tridentini, vt non satis sit licentia Capituli non vacante sede, quando consuetudo non adest. Quia hæc lex de residēdo est lex superioris, & non potest dispensare, nisi is, cui in iure conceditur dispensandi potestas; ea autem solum Episcopis conceditur & sic declarauit Cardinalium Congregatio, vt docet Nicolaus Garcia ibidem num. 404. Vnde neque valebit statutum, vt sufficiat licentia Capituli, quia eiusmodi statutum est contra ius *cap. super his, de maior. & obed.* nisi in forma specifica confirmatum sit à Sede Apostolica. Sed limita hanc ampliationem, nisi cōsuetudine inductum sit, vt eiusmodi licentiam præbeat capitulum. Nam consuetudine adquiri iurisdictionem constat ex *cap. cum contingat de foro compet. & c. duo & cap. irrefragabili de officio ordinarij.* In quo non mihi placet Nicolaus Garcia ibidem à num.417. Si enim, vt ipse Auctor concedit num.91. & 73. consuetudine fieri potest, vt discedat aliquis sine licentia Episcopi; cur etiam consuetudine non poterit induci, vt discedat de licentia Capituli. Quare, si ea fit legitime præscripta iuxta textum in *cap. fin. de consuetudine*, potest capitularis abesse, & facere fructus suos, ac si haberet licentiam Episcopi. Neque obstant declarationes Cardinalium, quas ibidem adducit Nicolaus Garcia: illæ enim intelligendæ sunt de consuetudine non præscriptā. Quis enim neget posse præscribi & præscriptionem habere locum? Vel intelligendæ sunt de consuetudine dandi licentias sine iusta causa in eo casu, quem explicabo statim.

8 Neque obstat etiam, quod Nicolaus Garcia vocat istam consuetudinem irrationabilem, cum ipsa capitula leuissimis de causis, & nonnunquam fictis concedant licentiam non residendi. Nam duplex intelligi potest consuetudo. Vna præbendi licentiam ex iusta, & æqua causa, alia sine rationabili causa. Prima induci potest vsu, & est rationabilis, sicut & licentia data ab Episcopo ex honesta causa rationabilis est. Secunda non est rationabilis, neque vnquā induci potest. Quia cum obligatio residendi non nascatur ex iure humano in parochis curam animarum habentibus, non potest in ea lege dispensari sine causa rationabili, vt dicam infra. At si loquamur de licentia concedenda his, qui non tenentur ex diuino iure residere, sed tantum ex humano, quales sunt alij beneficiarij canonici non habentes curam animarum, in his etiam cōsuetudine induci potest, vt licentia concedatur, etiam sine graui causa, cum ad dispensandum in lege humana validè non requiratur iusta causa, vt dicam infra. Et iuxta hæc philosophetur vnusquisque, vbi ea consuetudo viget, an sit tutus in conscientia. Si enim sit animarum Pastor, non potest tutò vti ea licentia, quam sine rationabili causa dederit capitulum, quia est inualida dispensatio. At si fuerit ex his, qui animarum curam non habent, si consuetudine introductum est, vt ex leui causa dispensetur per capitulum in residentia, tutus in cōscientia est cum ea licentia, & faciet fructus suos in iudicio & in conscientia.

9 Ex dictis de residentia in beneficijs cõstat quid dicendum sit de dispensatione circa beneficia incompatibilia simul habenda. Certum enim est ea sine dispensatione haberi non posse ex Tridentino sess.7. cap. 4.sess.24. cap.17. Quis autem dispẽsare possit in pluralitate beneficiorum obtinenda sic sentiendum. In pluribus simplicibus beneficijs, aut vno curato & alio simplici potest Episcopus dispensare, si sint in diuersis Ecclesijs, imo in eadem, dummodo sint simplicia & difformia. Vnde potest dispensare cum aliquo, vt habeat dignitatem & canonicatum, non tamẽ in eo quod habeat duos canonicatus. Quam licentiam cum haberet Episcopus iure antiquo, nõ abstulit Tridentinum sess.7. cap.4. de Reformat. tantũ enim induxit vacationem beneficiorum, quando contra formam Sacrorum canonũ obtinerentur plura. Potest itaque plura beneficia etiam hodie conferre Episcopus, dũmodo vtrumque personalem residentiam non requirat ex Tridentino sess. 24. cap.17. & sub eodem tecto, & dummodo vnum nõ sufficiat ad congruam vitæ sustentationem ex declaratione Cardinalium, quam refert Nicolaus Garcia p. 11. cap.5.§.4. num.377. & videtur insinuari à Concilio d.cap.17. In capellanijs autem, quæ sunt ex patrimonio laicorum, vt plures quis habeat existimo nullam esse necessariam dispensationem, quia cum nominetur à Patrono laico, potest cui voluerit conferre patronus per præsentationem, vt docet Gabriel Vazquez de beneficio, cap.4. §.2. art. 1. dub.10.

10 Verùm ad obtinẽda plura beneficia, qualia sunt personatus, dignitates, officia perpetua, curata, solus Papa potest dispensare, non Episcopus, vt docet cõmunis sententia, quam citatis multis sequitur Nicolaus Garcia p. cit. num. 337. & est textus in *c. de multa de præbendis.* Et quamuis Pontifex ibi loquatur de pluribus beneficijs in eadẽ Ecclesia; tamen communi Doctorum sensu idem censetur de dispensatione ad obtinenda plura eiusmodi in diuersis Ecclesijs. Limitanda tamen est hæc doctrina, nisi consuetudine inductum sit, vt plura quis habeat sine dispẽsatione. Nam in his beneficijs, quæ iure naturali residentiam non requirũt, potest induci consuetudine, vt non sit necessaria dispensatio, neque causa ad effectum tutò retinendi fructus. In his autem quæ requirunt residentiã iure naturali, potest quidem consuetudine induci, vt dispẽsatio necessaria non sit, ea enim dispensatio iure positiuo requiritur, vt docent D. Thomas & Corduba, quos refert & sequitur Gabriel Vazquez loco cit. dub.11. non tamen vt sine causa, vt iam dictũ est. Atque ex his philosophandum est, quando & in quibus beneficijs dispensatus, vt plura habeat sine legitima causa, sit tutus in conscientia. Limitant etiam alij eandem doctrinam, vt exigẽte casu necessitatis possit Episcopus in eo dispensare. At in præsenti materia nulla potest esse tam vrgens necessitas, quæ impediat, vt non possit adiri superior.

De potestate dispensandi in impedimentis matrimonij tam dirimentibus quam alijs.

CAPVT. XIII.

SVMMARIVM.

Solum Pontificem dispensare posse in impedimentis dirimentibus, n.1.
Variæ limitationes reijciuntur, ibidem.
Posse Episcopum dispensare post contractum matrimonium, n.2.
Etiamsi sint diuites. Nec tenetur pauperibus dare pecunias, quibus impetrent, n.3.
Modo etiam impedimentum sit occultum, & bona fide contractum matrimonium, n.4.
Aliæ etiam limitationes, n.5.
Posse etiam Episcopum dispensare ante contractũ matrimonium aliquando, n.6.
Et quando fuit defectus dispensationis, n.7.
Quid possit Commissarius Cruciatæ, n.8.
Quis dispenset in impedimento ex affinitate superueniente, ad petendum debitum, n.9.
Nuntios dispensare solum in impedimento publicæ honestatis, n.10.
Quid in his possint religiosi ex priuilegio, numero 11.
Quid de impedimentis impedientibus, numero 12.

1 IN primis quod attinet ad impedimẽta matrimonij dirimentia certi iuris est solum Pontificem dispensare posse, quia illa sunt iure communi inducta, & à superiore, in eo autem non potest Episcopus ordinariè dispensare iuxta dicta supra isto libro. Ita docet communis sententia, quam citatis multis sequitur Thomas Sanchez lib.8. de matrimonio disput.6. num.14. Hanc autem communem doctrinam nonnulli

nulli limitant ad legatum à latere, vt etiam ille dispensare possit. Sed sine fundamento dicitur, etiamsi à latere sit. Nam tantum potest in prouincia suæ legationis, quod Episcopus in sua Diœcesi, & ita tantum poterit dispensare in his casibus, in quibus potest Episcopus, quos explicabo statim. Limitant etiam alij, vt non intelligatur ea communis doctrina in impedimento cognationis spiritualis orto ex baptismo minus solemniter celebrato, vel in impedimento publicæ honestatis proueniente ex sponsalibus, si non patet facillimus aditus ad superiorem. Sed sine fundamento ponitur ea limitatio. Eadem enim est ratio de his, & de alijs impedimentis. Quare, nisi in eo euentu, quem infra attingam, non potest Episcopus dispensare: in eo autem potest etiam in omnibus alijs impedimentis. Tertio limitant alij vt possit Episcopus dispensare, quando dubiū est, an sit impedimentum vel non. Sed neque hæc limitatio placet. Nam si omnino dubium est, an interueniat impedimentum nec ne, præsumendum est pro libertate matrimonij, & censendum est non inesse, licet ob scandalum vitandum erit alicuius momenti Episcopum declarare non esse necessariam dispensationem. At si magis præpōderet præsumptio pro impedimento, tunc petenda est dispensatio à Pontifice, vt docet etiam nobiscum Salas de legib. disput. 20. sectione 3. num. 28. Similiter si oriatur dubium ex opinionibus, si vtraque probabilis est, potest existimare non esse impedimētum, & sic sine vlla dispensatione contrahere.

2 Limitanda ergo est præcedens communis doctrina primò, vt possit etiā Episcopus dispensare cum habentibus dirimēs impedimentum, post contractum tamen matrimonium bona fide, & præmissis denuntiationibus, si tamen non facile pateat aditus ad superiorem, vel quia pauperes sunt, & non possunt, vel quia est vrgens periculum incontinentiæ, & sine graui scandalo separari non possunt. Huius contrarium tenuit Nicolaus Garcia p. 11. cap. 5. à nu. 343. nostram tamen sententiam docent non pauci Doctores, quos idem refert num. 340. & Gabriel Vazquez 1. 2. disput. 178. cap. 2. nu. 16. prope finem Rebellus 2. p. de obligat. iust. lib. 3. quæst. 5. num. 20. citatis alijs, qui etiam consuetudine receptum esse testantur, & Salas de legib. disput. 20. sect. 3. nu. 25. citatis multis. Tenet etiam multis cit. Riccius in praxi decis. 261. Cuius duas ratio nes assignat Riccius. Prima, quia Romanus Pontifex id concessisset, si de eo requisitus esset ob animarum salutē. Ergo perinde est ac si concessisset, iuxta doctrinam Glossæ in *l. tale pactum §. fin, D. de pactis.* Secūda. Quia Episcopus potest contra ius commune statuere, modo id faciat ex euidenti & necessaria causa, quæ superiorem ad id concedendum moueret, argum. *l. hominem. D. Mandati,* & ita Iason in *l. omnes populi, lect. 2. D. de Iust. & Iure.*

3 Amplia tamen hanc primam limitationem, vt locum habeat, quamuis contrahētes sint diuites, in quo à Riccio dissentio, qui conditionem paupertatis cum alijs tribus requirit, quia etiam in illis potest vrgens necessitas occurrere ex distantia ab vrbe Romana, & periculo incontinentiæ, vt docet Thomas Sanchez disput. 40. num. 5. Habet etiam locum prædicta limitatio, quādo contrahentes defectu inopiæ non possunt dispensationem petere, eritque sufficiens impedimentum. Nec verō tenetur Episcopus illis concedere pecunias, vt impetrent dispensationem. Quamuis Episcopum ad id obligat Gabriel Vazquez loco cit. melius tamen nobiscum Salas disput. 20. sect. 3. num. 27. cum sint alia opera etiā magis bona, in quibus possit Episcopus suas pecunias insumere, & alias Doctores paupertatem contrahentium iudicent esse sufficientem causam, vt in impedimento dirimente possit Episcopus dispēsare. Amplia denique hāc primam limitationem, vt etiā locum habeat, quamuis occurrāt duo occulta impedimenta, siue plura. Quia licet, cum conceditur alicui facultas delegata dispensandi in aliquo impedimento, non censeatur mixtum comprehendi in simplici: attamen cum in hoc casu necessitas sit, quæ tollit reseruationem, sicut tollit comparatione simplicis, tollit etiam comparatione mixti.

4 Verùm prædictam limitationem primam sublimitabis. Vt enim ea limitatio locum habeat, debet intelligi de impedimento occulto, vt cit. multis docet Riccius loco cit. Quare si impedimentum fuerit publicum, non poterit dispensare Episcopus, quia nullum scandalum sequi potest ex eo, quod separentur. Præterea debet esse bona fide contractum matrimonium: si enim mala fide contractum est, non poterit Episcopus dispensare. Quia cum ea dispensatio detur ab Episcopo ex præsumpta licentia & consensu Pontificis, vt dictū est, nō potest

in eo casu præsumi, ne faueatur audaciæ & iniquitati. Idque constat ex Tridentino sess. 24. de Reformat. Matrim. cap. 5. cum velit carere spe dispensationis. Non enim dignus est, qui benignitatem Ecclesiæ facile experiatur, cuius salubria præcepta temere contempsit. Satis tamẽ erit bona fides alterius tantum ex contrahentibus, quamuis oppositum dicat Nicolaus Garcia p. 11. cit. num. 357. nobiscum tamen sentit Thomas Sanchez lib. 2. de Matrimonio disput. 40. nu. 4. Ratio mihi videtur esse. Quia ex Tridentini decreto non colligitur vnius tantum malam fidem sufficere, vt spe dispensationis careat; & aliàs ex iure communi iuxta textum in *cap. cum inhibitio, de clandest. despõsat. & c. ex tenore, qui filij sint legitimi.* Vnius bona fides sufficit, vt proles nascatur legitima, & vt tale matrimonium reputetur ab Ecclesia. Idem ergo in nostro casu dicendũ est. Similiter etiam vt prædicta limitatio locum habeat, requiritur, vt solẽnitates Ecclesiæ non omittantur iuxta Tridentinum loco cit. Quare si illæ omissæ fuerint ex præsumptione & temeritate, non poterit Episcopus dispensare ob rationem Tridentini iam consideratam. Quod si omittat de licentia Episcopi, non dicentur temerè, neque ex præsumptione omisisse.

5 Sublimita rursus prædictam primam limitationem, vt non possit Episcopus dispensare, si est facultas recurrendi ad Nuntium, qui habeat potestatem dispensandi. Quia sola necessitas est, quæ in eo casu præbet facultatem dispensandi. Si autem potest ad eum recurrere, qui dispensare potest, necessitas cessat, & docet Thomas Sanchez disput. 40. cit. num. 8. Limita etiam vt talis Episcopi dispensatio tantum sit pro interiori foro, vt docet Henriquez lib. 12. de Matrimonio num. 2. quamuis de hac limitatione dubito, cum considero rationes, quibus nititur ea facultas dispensandi in his casibus. Limita etiam vt ea facultas, quam in eo euentu diximus conuenire Episcopis, nõ competat his, qui ex priuilegio habent casus Episcopales. Quia iste casus non competit Episcopis iure ordinario, sed ratione vrgentis necessitatis. Vnde non dicitur esse absolutè casus Episcopalis, vt docet Henriquez lib. 10. de Pœnit. cap. 14. num. 7. Thomas Sanchez disput. 40. cit. num. 9. Deniq; limita vt neque in isto euentu possit officialis Episcopi. Neque enim hanc potestatem habet ex generali commissione, nisi ipsi committatur, vt docet Henriquez lib. 12. de matrim. cap. 3. num. 2. & Sanchez citatis multis disput. 40. cit. num. 12. Sed quamuis ex generali concessione non possit officialis Episcopi dispensare, poterit tamen, si ei specialiter committatur. Nam suas vices in his casibus, qui iure necessitatis competunt Episcopis, posse delegari vicarijs docet Thomas Sanchez disput. 40. cit. num. 14. Riccius suprà cit. & alij: Quia reuera illa iã est ordinaria iurisdictio, cum competat Sedi. Et idem dicendum de casibus Episcopo concessis per Tridentinum sess. 24. de Reform. cap. 6. quidquid alij negent. Cum autem ibi Tridentinum dicit *per vicarium specialiter deputatum*, tantum significat ex generali concessione non intelligi concessam vicario ab Episcopo potestatem ad eiusmodi casus, vt rectè docet Thomas Sanchez disput. 40. cit. n. 17.

6 Secundò limitatur communis doctrina tradita in principio capitis, vt etiã possit Episcopus dispensare in impedimentis dirimentibus, etiam ante contractum matrimonium, in casu necessitatis, si non patet aditus ad superiorem. Nam interuenire posse casum necessitatis etiam ante contractũ matrimonium non dubito. Vt siquis morti proximus ad legitimandos liberos, vel restaurandum honorem, vel pro bono pacis, deberet cito contrahere, & obstaret impedimentum dirimens. Sic docuit Thomas Sanchez disput. 40. cit. num. 7. Et licet hic auctor existimet solum ipsum esse in hac sententia, eã tamen multo antea docuerat Gabriel Vazquez disput. 178. cit. cap. 2. Qui eodem modo loquendum existimat de dispensatione in impedimento dirimente ante & post contractum matrimonium, si necessitas adsit. Idem etiã sequutus est postea Ioãnes de Salas de legib. disput. 20. sect. 3. Cuius ea manifestissima ratio est. Quia ratione vrgentis necessitatis tollitur reseruatio, sicut cum iam matrimonium contractum est: & ea necessitate vrgente potest inferior in legibus superiorum dispensare, vt dixi supra isto libro. Facit etiam pro hac sententia argumentum desumptum à simili de dispensatione in voto reseruato in casu necessitatis, cum tamen eius obligatio naturalis sit, atque adeo strictior. Facit etiam quod *cap. 2. de desponsat. impub.* hæc habentur: *Districtius inhibemus, ne aliqui ante ætatem canonibus præscriptam coniungantur, nisi forte aliqua vrgentissima necessitate interueniente, vtpote pro bono pacis talis coniunctio toleretur.* Qui textus non loquitur de tolerantia permissio-

nis,

nis, sed approbationis, cum verba dubia in meliorem partem accipienda sint *cap. 2. de Reg. iur.* Cumque quoties in iure conceditur, vt possit dispensari in lege, & non designatur persona, censetur concessa Episcopo dispensandi potestas, vt dixi supra isto lib. relinquitur posse Episcopum dispensare in impedimento ætatis ex vrgenti causa. Quod idem de alijs impedimentis dicendum est, cum sit eadem omnino ratio in simili casu. Contra hanc tamen doctrinam huius secundæ limitationis sentit Nicolaus Garcia num. cit. non alio fundamento, nisi quia Episcopus non potest dispensare in lege superioris: & quando id posset, deberet esse casus necessitatis publicæ, & communis non priuatæ. Sed errat valdè, vt constat ex his, quæ dixi supra, & etiam ex textu modo adducto de desponsat. impub. illa enim causa priuata erat.

7 Tertia limitatio communis doctrinæ assignari potest, quando aliqui contraxerunt, dispensatione impedimenti impetrata, subreptitiè tamen, & ideo nulla; tunc enim docent multi posse Episcopum dispẽsare illam dispensationem confirmans. Et iuxta hæc accipiunt textum in *cap. Quia circa de consanguinitate*, vbi consultus Innocentius III. de quibusdam, qui subreptitia impetratione matrimonium contraxerunt, sic respondet: *Dissimulare poteris, vt remaneant in copula sic contracta, cum ex separatione graue videas scandalum imminere.* Quamuis enim facto & impunitate Principis non inducatur dispensatio iuxta textum in *cap. cum iam dudum de præb.* attamen cum Princeps dicit se tolerare, videtur dispensationem inducere. Huius limitationis doctrina valde probabilis est, eamque ibi tradunt Doctores, Glossa, Hostiensis, Cardinalis, Henricus, Alexander de Næuo, & alij. Cæterum non est omnino firma, vt docet Thom. Sanchez lib. 2. de matrim. disput. 25. num. 13. cum textus iste alium sensum habere possit. Dicit enim Thomas Sanchez sic intelligendum illos bona fide contraxisse, & existimasse se validam dispensationem habuisse, & ideo Pontificem decernere, vt relinquantur in sua bona fide & putatiuo matrimonio. Verum hic intellectus ideo mihi non probatur. Quia cum facillimo negotio, scilicet, dispensatione Pontificis tollente impedimentum illud, possent illi manere in vero matrimonio, non est cur dicamus voluisse vt manerent in matrimonio putatiuo. Quod autem non admonerentur nullitatis, parum obesse videtur ad valorem matrimonij. Pone enim Pontificem dispensasse illis iam ignorantibus, diximus enim supra posse dispensationem dari inuitis & ignorantibus, iam illi deinceps copularentur animo maritali, & ex consequenti cum sufficiente consensu, qui talis præsumeretur iuxta ius antiquum. Adhuc tamen mihi ea limitatio non videtur firma. Quia ex eo textu tantum colligitur vel Episcopum iam in eo casu dispensasse, vel Pontificem concessisse Episcopo, vt dispensaret in eo casu. Ex quo non licet regulam generalem deducere, vt possit Episcopus dispensare, quoties dispensatione subreptitia contractum est matrimonium.

8 Quartò limitatur prædicta communis doctrina, vt non solum Episcopus in d. casu necessitatis, sed etiam Commissarius Cruciatæ habeat potestatem à Pontifice dispensandi in impedimento occulto post cõtractum matrimonium bona fide, ex parte saltem alterius coniugis, vt refert Thomas Sanchez lib. 2. de matrimonio disput. 40. num. 8. qui etiam aduertit hanc potestatem solum esse concessam commissario non aliter nisi detecta prius alteri coniugi nullitate matrimonij. Quare, si ea non detecta expediret celebrari matrimonium vrgente necessitate, cessat facultas commissarij, & locum habet iurisdictio Episcopi, & ad illum est recurrendum. Hæc tamen animaduersio non placet, existimo enim clausulam illam non apponi in eo priuilegio tanquam quid peculiare, sed quia ex natura rei necessariũ est coniuges admoneri de priori nullitate, alias nihil efficient, quamuis sæpe renouẽt consensum iuxta ea quæ dixi supra lib. 3. Deinde ea potestas non conuenit commissario pro omnibus impedimentis, sed tantum pro impedimentis affinitatis, ex copula fornicaria in primo vel secundo gradu, neque conuenit, nisi contracto matrimonio. Quare ad plures casus se extẽdit, quod de Episcopo dictum est. Hac autem potestate vti potest Commissarius Cruciatæ etiam in præsentia Pontificis, cum non limitetur in eo priuilegio. Habet etiam cõmissarius potestatem legitimandi prolem susceptam ex eo matrimonio ad omnes ordines & beneficia. Quod intellige quando proles suscepta sit post cognitam nullitatem ab vtroque. Nam antea suscepta legitima proles est *cap. ex tenore, qui filij sint legitimi*, neque dispensatione indiget. Non autem videtur esse alius, cui cõcessa sit potestas dispẽsandi

in

in impedimentis dirimentibus matrimonium, præter eos quos diximus. Posse autē Pontificem dispensare in radice matrimonij, & quando dispenset, & efficiat prolem legitimam explico infra lib. 11. cum de originis confirmatione sermo est.

9 Atque hæc de dispensatione in impedimentis matrimonium dirimentibus dicta sint. Sed quia solet contingere, vt contracto iam matrimonio superueniat affinitas ex copula fornicaria. Siue cum affini, siue cum consanguinea, qua snperueniente impeditur debiti petitio iuxta textum in *cap. transmissa de eo qui cognouit consanguineā vxoris*, ideo explicandum est, quis possit in illis impedimentis ad petendum debitum dispēsare. Et quamuis nonnulli existiment pertinere ad solum Pontificem, vt sequutus alios dixit Nicolaus Garcia p. 11. cap. 5. num. 359. Alij verò tantum in casu necessitatis id concedant Episcopo, & quando non patet aditus ad superiorem: attamen verius est inspecta consuetudine posse Episcopum in huiusmodi impedimentis dispensare, siue pateat aditus ad superiorem, siue non. Quia iā consuetudine adquisierunt iurisdictionem dispensandi. Et idem dicendum de impedimento cognationis spiritualis, si aliquod extat, vt si quis teneret filium suum, & leuaret de fonte baptismi, posset etiam Episcopus dispensare. Vtrumque citatis multis docet Thomas Sanchez lib. 8. de matrim. disput. 12. â num. 13.

10 Præterea Nuntij Hispaniæ habere solent facultatem dispensandi in impedimento publicæ honestatis ante, & post contractum matrimonium, & prolem legitimā di, vt refert Nicolaus Garcia de benef. p. 11. cap. 5. num. 367. Deinde etiam habet auctoritatem Commissarius Cruciatæ ad dispensandum in impedimento orto ex affinitate superueniente ad petendum debitum, vt cōstat ex Bulla Latina & aduertit cum Emanuele Rodriguez, Thomas Sanchez lib. 8. disput. 15. num. 22. At in impedimento cognationis spiritualis superuenientis, quamuis Emanuel dicat posse dispensare Episcopum, contrarium tamen est verius, eo quod verba sint expressa de impedimento affinitatis, neque licet colligere extendendam esse concessionem. Nam licet dispensandi potestas latè interpretanda sit, ad eos tamē tantum casus extendi debet, qui sub concessionis verbis comprehenduntur, vt dixi supra isto libro.

11 Denique possunt etiam religiosi mē dicantes, qui communicant cum alijs in priuilegijs dispensare in eodem impedimento superueniente ex copula fornicaria in ordine ad petendum debitum, virtute cuiusdā priuilegij, cuius tenor est: *Possunt dicti confessarij, si sint viri docti, & iuxta formam Tridētini approbati, ex commissione Prouincialis dispensare in foro conscientiæ ad petendum debitū, cum his qui consanguineum, vel consanguineam sui coniugis post matrimonium carnaliter agnouerint.* Cuius priuilegij mentionem faciunt Vera-Cruz in speculo coniugiorum art. 21. de impedimento incestus in fine. Palacios in 4. distinct. 22. disput. 2. Emanuel Rodriguez tom. 1. quæstion. regular. quæst. 63. art. 1. Thomas Sanchez lib. 8. de matrimonio disput. 16. eoque tutissimè vti posse fertur contra nonnullos. Non potest autē eiusmodi priuilegium extendi ad dispensandū in cognationis spiritualis impedimento, vt existimauit Emanuel Rodriguez, cum sint expressa verba priuilegij, vt dicebam paulò supra. Quare in his ad Episcopum recurrendum est.

12 Quis autem possit dispensare in impedimentis impedientibus tantum, non est necesse immorari. Nam si sermo sit de impedimento proueniente ex voto, satis supra dictum est; si verò sermo sit de impedimento proueniente ex sponsalibus contractis cum alia solus Pontifex potest, & non nisi in casu necessitatis. Si verò sermo sit de alijs, consuetudine obtentum est, vt non sit necessaria dispensatio ad contrahendum, cum aliquis illis affectus est. De qua consuetudine testatur Thomas Sanchez lib. 7. de matrimonio disput. 17. & nos etiā diximus supra lib. 6. in fine.

De causa dispensationis in genere & in specie.

CAPVT XIIII.

SVMMARIVM.

Deficiente causa inualidam esse dispensationem in his, quorum obligatio naturalis est, numero 1.

Peccare etiam eum, qui petit dispensationem, numero 2.

Dispensare in legibus humanis sine causa etiam esse peccatum, n. 3.

Quale peccatum sit, n. 4.

Idem de Principe, quando secum dispensat. n. 5.

Expli-

Explicatur quod de iusta causa dictum est, numero 6.

Valida est dispensatio sine causa data, numero 7.

Nisi inferior dispenset in lege superioris, numero 8.

Alia limitatio de Principe secum dispensante reijcitur, n. 9.

De causis in speciali remissiue, n. 10.

Summa capita causarum, quæ in dispensando debent attendi, explicantur, n. 11. 12.

Quando imponitur mulcta, non dicitur dari sine causa, n. 13.

1 DIximus supra cap. 1. & 2. dispensationē cadere in nonnulla, quorum obligatio naturalis est, & etiam in alia, quorum obligatio consurgit ex lege Ecclesiastica, iam explicandū; quomodo requiratur causa ad dispensandū tam in vno, quàm in alio. Et certa regula sit. *Ad dispensandum in voto, iuramento, matrimonio rato, & residentia Pastorum; & denique ad dispensandum in his, quorum obligatio naturalis est, requiritur iusta causa, qua deficiente nō solùm illicita, sed etiam inualida dispensatio est.* Sic docet communis doctrina, quam tradūt Theologi cum D. Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 2. & 12. quæst. 57. & iuris interpretes cum Glossa in *cap. non est* verbo *adimplere*, *de voto*, & alij innumeri, quos referunt & sequuntur Salas de legib. disput. 20. sect. 4. num. 30. Thomas Sanchez lib. 8. de matrimonio disput. 17. num. 3. Facit pro hac communi sententia manifesta ratio. Quia cum in his rebus dispensent Prælati Dei nomine, non est credendum datam illis potestatem ad destructionem & dissipationem, sed ad dispensationem fidelem atque prudentem.

2 Ex qua communi doctrina colligitur in primis, non solùm nullam esse eiusmodi dispensationem sine causa obtentam, sed etiam esse peccatum mortale petere dispensationem sine causa in istis rebus, cum nec licitè, nec valide possit dispensatio à superiori concedi, nec tutum esse illum, cū quo dispensatum est, nisi ignorantia probabili excusetur. Quod valde obseruandum est, ab his præsertim, qui licentiam non residendi impetrant, ne cum manifesto animarum periculo absint ab Ecclesijs, & fructus lucrisaciant beneficij, quos tamen suos facere non possunt; non secus ac si cum illis in hac parte non fuisset dispensatum.

3 At verò si loquamur de dispensatione in legibus humanis & his, quorum obligatio ex iure positiuo dependet, in primis asserendum est, esse peccatum dispensare in lege sua, vel superioris sine iusta causa. Sic docet communis sententia, quam tenet D. Thomas 1. 2. quæst. 97. art. 5. Turrecremata in *cap. consequens distinct.* 11. Hostiensis in summa, *de filijs presbyterorum* in fine v. *non omitto*, & alij multi, quos referunt & sequuntur Suarez lib. 6. de legib. cap. 18. n. 4. Salas disput. 20. sect. 5. num. 50. Facit pro hac sententia primo textus in *cap. Quod pro remedio, & in cap. necessaria 1. quæst. 7.* & facit etiam Tridentinum sess. 23. de Reformatione cap. 18. vbi inquit dispensare sine causa nihil aliud esse, quàm ad transgrediendas leges aditum aperire. Facit etiam, quod idem Tridentinum sess. 24. cap. 5. de Reformatione statuit, vt dispensationes matrimonij dētur ex causa. Facit etiam textus in *l. relegati, de pœnis*, ibi, *nisi Imperatori ex aliqua causa.* Quo nomine perperam Glossa intelligit voluntatem Imperatoris pro causa, cum certum esset neque explicatione dignum Imperatorem non dispensare, nisi ex sua voluntate. Facit etiam textus in *l. 4. in principio, D. de damno infecto*, ibi: *Prætorem posse definitum terminum ex causa dare.* Facit denique ratio. Quia cum Princeps sit fidelis & prudēs dispensator potestatis sibi traditæ, abutitur ea potestate, qui sine causa aliquem eximit legis obligatione. Vt enim Paulus II. Corinth. 10. potestas non est data in destructionē, sed in ædificationem.

4 Cuiusmodi autem peccatum sit dispensare in lege humana sine causa, disputant nonnulli. Et non pauci existimant esse peccatum mortale ex genere suo. Sic docet Couarru. de matrim. 2. p. cap. 6. §. 9. num. 7. Suarez lib. 6. de legib. cap. 18. num. 7. & alij quos referunt Thomas Sanchez, & Salas locis infra citandis. At verò alij, quod probabilius est, dicunt tantum esse peccatum veniale ex genere suo, nisi adsit aliorum scandalum, aut graue damnum aliorum, vt si eximatur aliquis à soluendis tributis. Quod enim quis eximatur à lege, & non alius, si nihil aliud adsit, præcisè non videtur grauis inæqualitas, vt citatis multis docet Salas disput. 20. cit. sec. 5. num. 54. & Thomas Sanchez lib. 8. de matrim. disput. 18. num. 7. Quando autem Tridentinum seuerè prohibet dispensationes sine causa, ideo est, quia timet damna, quæ ex eiusmodi dispensationibus sequi solent, & possunt. Atque ex his facile dilues argumenta, quibus nititur Suarez loco citato.

5 Ex

5 Ex dictis colligitur idem dicendum esse de Principe secum dispensante sine causa, peccare scilicet, si sine causa secum dispẽsaret, vt docet Suarez loco cit. num. 11. Est enim eadem ratio, & alias nunquam sua lege obligaretur, & ridicula esset ea obligatio, quam sine vlla causa pro suo libito posset auferre. Fit etiam subditum petentem à Principe dispensationem sine causa in legibus humanis, peccare eodem modo ac Princeps peccat mortaliter, vel venialiter iuxta dicta paulò supra. Quia petit rem irrationabilem, & communi bono contrariam. Potest tamen accidere, vt subditus excusetur à peccato ratione ignorantiæ, & tamen prælatus non excusetur, cum facilius sit subditum ignorantiæ inuincibili laborare, quàm prælatum. Sicut etiam ê contra, si subditus causam falsam offerat prælato, contingere poterit, vt prælatus dispenset siue peccato, subditus tamen peccet, vt docet Suarez numero 12. & 13. Fit etiam teneri prælatum reuocare dispensationem datam sine causa vel sibi vel alijs: tenetur autem sub peccato mortali vel veniali iuxta dicta. At verò subditus vtens dispensatione sine causa data, licet peccaret in petendo, attamẽ in vsu eius dispensationis non peccat, vt citatis multis docet Suarez lib. 6. cit. cap. 19. nu. 14. Quia ille in eo casu non cooperatur peccato dispensantis, sed vtitur effectu dispensationis, & peccati. In quo est valde diuersa ratio subditi & superioris. Superior enim secum dispensans, cum teneatur dispensationem sibi sine causa datam reuocare, peccat in vsu eius dispensationis, quia perseuerat sciens & prudens in non reuocando.

6 Cum autem dicimus iustam causam esse debere, vt licita dispensatio sit, non intelligimus ita iustam esse debere, vt dispensatio necessario concedi debeat, sed iustam esse posse, quamuis non sit necessaria. Vnde aliquando contingere potest, vt dispensatio ex causa non sit debita ex iustitia, neque præcepto; & tunc, si subditus petat dispensationem, & illi denegetur, non statim potest agere contra præceptum, sed recurrendum est ad superiorem. Similiter etiam potest aliquando contingere, vt sit debita dispensatio ex lege vel præcepto argumento textus in *cap. Domino Sancto distinct.* 50. vbi id notant Glossa, & Turrecremata, & argumento etiam textus in Tridẽtino sess. 14. cap. 7. de Reformatione: adhuc tamen, quãuis in eo casu denegetur, non statim subditus potest agere contra legem. Quia iniustitia prælati non tollit legis vinculum. Quare recurrendum erit ad superiorem vel per viam supplicationis, vt nonnulli magis probãt; vel per viam appellationis. Quod si sit periculum in mora, & graue detrimentum immineat, & eius legis obseruatio deficiat contrarie, Epicheia vtendum, aliàs non licet: & multò minus, si deneget supremus Princeps, quia ad alium non est recursus, vt docet Suarez d. cap. 18. num. 20. & sequentibus.

7 Verùm quamuis dispensatio in lege humana sine causa sit illicita; attamen etiam si sine causa detur, est valida. Sic tradit communis sententia, quam docent communiter Doctores in *cap. quæ in Ecclesiarum, de cõstitutionibus*, plures refert & sequitur Couarru. 2. p. de matrim. cap. 6. §. 9. num. 8. & sequentibus, Suarez lib. 6. de legib. cap. 19. num. 6. Thomas Sanchez lib. 8. de matrim. disput. 17. num. 24. Salas de legib. disput. 20. sect. 4. nu. 37. Facit pro hac sententia, quod absolutio à censura data sine causa ab auctore censuræ est valida *cap. venerabilis, §. sanè, de sententia excommun. in 6.* Facit etiã ratio, quia Princeps voluntate sua legem constituit. Ergo eadem tollere potest, nec enim aliquo iure impeditur, quominus legem posita auferre possit, licet peccet auferendo. Vnde dispensatio Episcopi vel Archiepiscopi in suis legibus, vel Synodi Diœcesanæ sine causa valet, etiamsi iuramento confirmatæ sint, cum possit secum in iuramento dispensare; & etiam si sint confirmatæ à Pontifice, nisi Pontifex confirmatione illas leges suas efficiat, vt docet Salas cum alijs sect. 4. cit. num. 42. Oppositam doctrinam, scilicet dispensationem in lege humana sine causa datam non tantum esse illicitam, sed inualidam, videtur sentire Gabriel Vazquez tomo 2. in 1. 2. disput. 178. cap. 4. cum nonnullis iuris interpretibus, sed meo iudicio sine efficaci fundamento; tantum enim probant dispensationem non esse licitam, non tamen probant esse innalidam.

8 Sed hanc communem doctrinam limitabis primò, quando inferior dispensat in lege superioris, tunc enim dispensatio sine causa data est inualida. Est communis doctrina, quam citatis multis docet Salas sect. 4. cit. num. 31. quia cum in eo casu dispensare censeatur ex voluntate superioris, & cõmissione præsumpta, non censetur data sine iusta causa: quod adeò verum est, vt quãuis prælatus inferior bona fide procedat existimans esse iustam causam, dispensatio sit nulla.

nulla. Sic docet Salas sect. 4. cita. num. 35. cõtra Thomam Sanchez. Ex qua etiam limitatione fit dispensationem Archiepiscopi vel Episcopi in legibus Concilij Prouincialis sine causa esse inualidam; quia dispensat in lege superioris, vt cum multis docet Salas loco citat. num. 45.

9 Secundo limitant alij ad dispensationẽ superioris secum, dicunt enim eam dispensationem sine causa esse nullam, sic docet Suarez lib. 6. de legib. cap. 19. num. 14. Hæc tamen limitatio mihi non placet. Quare existimo dispensationem datam à superiore sibi ipsi, etiam sine causa, validam esse quamuis illicitam; & licet teneatur superior eam dispensationem reuocare, gesta tamen quæcumque ex ea dispensatione valent, dum nõ reuocat. Facit manifesta ratio. Quia quod Princeps teneatur sua lege, dependet, vel supponit voluntatem ipsius legislatoris conseruantis legem, si igitur cesset voluntas superioris conseruantis legem erga se ipsum, cessat etiam naturalis obligatio, secundum quam tenetur conformari populo, non secus ac si ea lex nunquam lata fuisset respectu Principis.

10 Sed quæ debeant esse causæ iustæ in particulari ad dispensandum, longum esset explicare. De causis dispensandi in residentia Episcoporum agit Nicolaus Garcia de benef. part. 7. De causis dispensandi in votis latè Thomas Sanchez lib. 4. sum. & de causis dispensandi in matrimonio rato non cõsumato dicemus aliqua lib. sequenti. De causis autem dispensandi in alijs impedimentis matrimonij latè idem Thomas Sanchez lib. 8. de matrimon. disput. 17. Riccius aliqua in praxi decis. 260. num. 7. Sed præterea de causis dispensationis videndi sunt Ludouicus Lopez 1. part. instruct. cap. 4. Emanuel Rod. tom. 1. quæst. Regular. quæst. 22. art 5. Soto lib. 1. de iustitia quæst. 7. art. 8. & vltimo, Syluester v. *dispensatio*. Proponam tamen breuiter non nulla capita, ex quibus facile erit in singulis materijs iudicare.

11 Et in primis resilla, & iustitia causę multum pendet ex hominis arbitrio ad quod expendi debent aliquæ circunstantiæ, tempus, vtilitas, qualitas personæ, meriti, & scientiæ, necessitas, pietas, euentus rei, multitudo, scandalum multitudinis, quarum aliquæ considerantur *cap. fraternitatis dist.* 14. *cap. necessaria, cap. requiritis, cap. tali* 1. *quæst.* 7. Omnes autem istæ causæ, & aliæ reducuntur ad vtilitatem publicam, vel priuatam. Ex eo capite valdè inspicitur in dispensationibus dignitas personæ, cum dispensatio cum illis pertineat ad bonum commune reipublicæ, vel religionis, iuxta doctrinam Diui Thomæ 2. 2. quæst. 63. artic. 2. ad 2. & gratiam ipsis Principibus præstare vtile iudicatur: & id attendi iubet Tridentinum sess. 24. de Reformat. Matrimonij, cum decernat, vt in secundo gradu dispensetur inter magnos Principes, licet etiam inter alios possit Pontifex dispensare pro sua potestate.

12 Non semper requiritur ad iustitiam causæ, quòd proxime, & immediate tendat in commune bonum, satis erit si remotè, & indirectè, sicut bonum priuatum ordinatur in publicum, & commune. Bonum enim publicum pendet ex bonis priuatorum. Hinc *capite requiritis* 1. *quæst.* 7. aliquæ causæ continentur, quæ respiciunt priuatum bonum. Hinc etiam dispensatur frequenter ob inopiam mulieris, vel periculum incontinentiæ. Hinc etiam D. Thom. 1. 2. quæst. 97. artic. 4. maius bonum personiæ, cum qua dispensatur, aut vitationem maioris mali censet esse iustam dispensandi causam. Et in Tridentino sess. 23. capit. 1. de Reformat. & sess. 25. cap. 18. quatuor attinguntur causæ, Christiana charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, & reipublicæ vtilitas. Hinc etiam glossa in dict. *capite requiritis*, timorem futuri mali, spem futuri boni, euitationem scandali inter iustas causas dispensationis enumerat.

13 His adde, quòd quando dispensatio concedi dicitur sine causa, maior tamen pecuniaria compensatio imponitur in sumptus publicos, adhuc tunc non dicitur dari sine causa ob eam ipsam rationem. Quia maior compositio pecuniæ iniungitur illi, cum quo dispensandum est. Ea namque censetur iusta causa dispensandi, sicut & in indulgentijs concedendis, quæ iustam etiam exigunt causam. Iusta quoque iudicatur eleemosyna conferenda, ab eo qui accipit Bullam, & cõuertenda in subsidium terræ Sanctæ. Quod etiam expedit communi bono. Alia magis in speciali petantur ex auctoribus supra citatis.

De forma concedendi dispensationem.

CAPVT XV.

SVMMARIVM.

Quid agendum, num. 1.
Expresse dispensationis non esse aliquam determinatam formam, neque scripturam requiri n. 2.
Absenti, & ignoranti concedi posse dispensationem, & ideo non requiri mandatum, num. 3.
Circa tacitam dispensationem variæ sententiæ num. 4.
Esse posse tacitam dispensationem verius est, numero 5.
Taciturnitatem non esse signum tacitæ dispensationis quidam sentiunt, num. 6.
Verius esse signum, num. 7.
Quorundam solutio reijcitur, num. 8.
Prima limitatio eius doctrinæ reijcitur, nu. 9.
Secunda limitatio, & illatio, num. 10. 11.
Ea illatio reijcitur, num. 12.
Quædam corollaria, num. 13. 14.
Aliud signum tacitæ dispensationis, num. 15.
Quomodo constare debeat scientia in prælato de tali impedimento, num. 16.
Quomodo probanda, num. 17.
An ad dispensationis valorem requiratur causæ cognitio, num. 18.
Eluitur argumentum ex Tridentino, num. 19.

1 EXPLICATA potestate, & causa ad concedendam dispensationem, iam explicandum est, quæ sit concedendæ dispensationis forma. Non autem agimus in præsenti de explicandis nonnullis formulis, quæ in dispensationibus apponi solent, de illis enim dicemus aliqua in fine huius libri, sed de forma se tenente ex parte concedentis dispensationem.

2 In primis autem supponendum est dispensationis concedendæ duplicem esse modum. Primus est, cum expresse conceditur; secundus verò, cum tacitè tantum, & secundum præsumptionem, & ideo diuidi solet dispensatio in tacitam, & expressam. Et quod ad expressam attinet, certum est nullam esse præscriptam verborum formam, sed illam concedi posse verbo dispensandi, indulgendi, aut similibus. Neque item necessariũ est, vt exprimatur in particulari, & specificè id, in quo dispensatur. Potest enim etiam esse dispensatio sub hac forma: *dispenso tecum super aliquo impedimento, si teneris*, vt ex praxi constat. Expressio autem personæ necessaria erit, si ad peculiarem personam dirigatur, vel per nomen, vel æquipollentia: alias, si verbo tantum concedatur, non erit necessaria. Sed addendum etiam, neque requiri scripturam ad valorem dispensationis. Tũ quia neque ad valorem legis necessaria est, neque ad valorem priuilegij. Tum etiã, quia vniuersè scriptura necessaria non est ad valorem actus, nisi vbi ad eius valorem iure requiritur, vt credo me dixisse supra lib. 5. Casus exprimit glossa in *cap. 1. postquam* verbo, *in scriptis, de censibus in 6.* & casus extat etiã in Tridentino sess. 25. cap. 5. sic hæc omnia docet Suarez lib. 6. de legib. cap. 13. nu. 1. & de scripturæ necessitate videndus Petrus Gregorius de rescriptis lib. 1. cap. 54. Neque obstat, quod ad agendum sine mandato nemo regulariter admittatur, id enim ideo fit, quia est in præiudicium tertij.

3 Neque etiam ad valorem dispensationis, cum absenti conceditur, requiritur mandatum eius, cum quo dispensatur; sed etiam si ignoranti impendatur, valet, licet non habeat effectum, donec ab illo acceptetur dispensatio, quidquid dicant Panormitan. & Hostiensis, quos refert Suarez supra num. 5. sentiunt autem nobiscum idem Suarez ibidem num. 6. cum Rebuffo atque Nauarro, Sã verbo *gratia*, num. 13. Ioannes Azor tom. 1. lib. 5. cap. 23. quæst. 12. Salas disput. 20. citi sectione 14. Petrus Gregorius in *cap. nonnulli*, verbo *absque speciali mandato, de Rescriptis*, lib. 2. Hugolinus de irregularit. cap. 62. nu. 5. pro quo citat Felinum, Baldum, Glossam, atque Nauarrum. Idem docent etiam alij, quos refert, & sequitur Thomas Sanchez li. 8. de Matrimonio disput. 26. num. 4. Cuius ea præcipua ratio est. Quia nullo iure cauetur, vt necessarium sit speciale mandatum ad valorem dispensationis. Nam *cap. innotuit, de electione*, in illis verbis, *cum non ad postulandam dispensationem, sed ad petendam confirmationem ipsius fuerint nuntij destinati*, non loquitur Pontifex de speciali mandato eius personæ, pro qua postulabatur gratia, sed de mandato capituli illam gratiam per procuratorem impetrantis, qui cum excessisset limites mandati, ideo non admittitur. Et prete rea illa non fuit impetratio gratiæ, sed confirmatio irritæ electionis, quæ sine mandato capituli fieri non poterat. Item ex eo cap. non colligitur fore inualidam, si daretur sine mandato, sed Pontificem noluisse concedere, quod lõgè diuersum est. Et denique potius ex eo cap. colligitur petitionem fore

validam

validam sine mandato petentis, cum ibi non eius, cui fiebat gratia, sed capituli mandatum requiratur. Præterea in *capite non nulli, de Rescriptis*, agitur de rescriptis iustitiæ, de quibus diuersa ratio est, vt dicam statim. Rursus in *lege vniuersis C. de precibus Imperator. offerend.* potius habetur rescriptum per quemcumque impetratum ab Imperatore valere. Cumque, vt iam dixi supra isto libro, dispensatio concedi possit etiam inuito, non est cur non valeat etiam dispensatio concessa ad petitionem amici sine vllo speciali mandato. Et quidem hoc discrimen assignant Doctores inter rescripta gratiæ atque iustitiæ, quod hæc, quæ sunt ad lites, sine speciali mandato obtineri non possunt, & nulla sunt *capite nonnulli de rescriptis §. final.* & plures casus enumerat glossa in *capite qui ad agendum de procuratoribus in 6.* & Rebuffo *ad §. 1. de electionis derogatione, v. speciali.* At rescripta gratiæ, & ad beneficia possunt impetrari ab aliquo nomine alterius sine speciali mandato, vt in dicto *capite nonnulli* notat glossa penultima in fine, & glossa in *capite ad aures de rescriptis*, cum hic cesset ratio, scilicet, ne augeantur lites, quas semper iura præcidere volunt. Illud tamen rectè obseruat Petrus Gregorius loco citato. Quamuis impetrare gratiam possit vnus pro alio sine speciali eius mandato, vt dictum est, non tamen acceptare, vt notat decisio Rotæ 323. titulo de Rescriptis. Est enim hoc discrimen inter acceptationem, & collationem, quod concessio valet, etiam antequam acceptetur, cum solùm pendeat ex voluntate concedentis, aut dispensantis: At acceptatio personalis est, & fieri debet ab ipso, cui prouidetur de beneficio, vel conceditur gratia, argumento textus in *capite si tibi absenti de præbendis in 6.* ex his constat dispensationem concedi posse ex motu proprio, & ex certa scientia sine vllius petitione. Quia, vt dixi, dispensatio concedi inuito potest. Quod etiam docet idem Suarez dicto capite 13. numero 8. & ita non esse de rigore iuris necessariam supplicationẽ, aut petitionem aliquam.

4 Difficilius explicatu est, quod attinet ad tacitam dispensationem. In quo magna est Doctorum varietas. Nonnulli absolutè hanc tacitam dispensationem omnino negant. Alij dicunt supremos tantum Principes posse tacite dispensare, non alios. Alij neque supremis Principibus omnino concedunt, sed cum distinctione quadam, scilicet, si dispensent in legibus suis: at si dispensent in his quæ iuris diuini sunt, qualis est obligatio voti, & iuramenti, aut rati matrimonij, negant tacitè dispensari posse. Alij neque inferioribus omnino negant potestatem tacitè dispensandi, sed cum discrimine: si enim dispensent in suis legibus, concedunt illis potestatem tacitè dispensandi, non secus atque supremo Principi: at si in legibus superioris, nequaquam, cum debeat esse talis dispensatio cum causæ cognitione, quæ non potest esse sine expressa dispensatione. Quas opiniones, & earum auctores referunt Suarez dicto lib. 6. de legibus capite 13. numero 11. & 12. Thomas Sanchez lib. 8. de Matrimonio disputatione 5. Salas de legibus disputatione 20. sectione 9.

5 At verius est absolutè loquendo tam supremis Principibus, quam etiam inferioribus concedendum esse tacitæ dispensationis genus. Quæ communis Doctorum sententia est, quam tenent Paludanus Antoninus, Medina quos refert, & sequitur Suarez dicto capite 13. numero 13. & tomo de censuris disputatione 41. sectione 3. Thomas Sanchez, & Salas locis citatis, Sà verbo *dispensatio*, numero 12. Huius potissima ratio est. Quia in omnibus his, hoc est, tàm supremo, quam inferiori Principi est potestas dispensandi, & aliàs iure non est præscripta certa forma dispensandi. Ergo potest valere tacita dispensatio. Quod enim requiratur cognitio causæ, nihil probat. Tum quia non requiritur cognitio causæ iuridica, vt dicam statim: Tum etiam, quia si tacitæ dispensationis non potest esse iusta causa, neque supremo Principi concedi deberet. Tum denique, vt rectè Suarez, aliud est quibus signis declaretur dispensatio, aliud verò, quæ requirantur ad dispensationem tacitam, quæ sunt inter se valde diuersa: & licet ad valorem dispensationis requiratur iusta causa, hoc tamen impertinens est ad explicandum, quibus signis intelligatur concessa tacita dispensatio, quod nunc agimus. Quare sine dubio valida erit tacita dispensatio, si alia concurrant: Sicut, & è contra expressa dispensatio posset esse nulla, aut illicita ex defectu causæ. Quod si quis obijciat. Quod quamuis Episco-

pus sciens admittat ex communicatum ad diuina, non absoluit illum valide, nisi vtatur forma Ecclesiæ *capite cum desideres, de sententia excommunicationis*. Ergo eodem modo dicendum est in alijs actibus non esse locum tacitæ dispensationi. Respondet Thomas Sanchez aliter iudicandum esse de absolutione ab excommunicatione, quia eiusmodi absolutio requirit certam formam præscriptam ab Ecclesia. Sed melius, & verius dici potest nullam esse in iure præscriptam formam verborum, quæ requiratur, vt substantialis ad absolutionem à censura, vt cum multis docet Suarez de censuris disputatione septima sectione nona numero secundo. Ad textum autem in *capite cum desideres*, responderi potest Pontificem præsumpsisse nolluisse Episcopum ab excommunicatione absoluere, cum facile potuisset vti forma Ecclesiæ, & illa vsus non fuerit. Quare existimauit per ignorantiam, vel inaduertentiam illud ad mississe ad diuina nulla absolutione præmissa.

6 Tota autem difficultas versatur in explicandis signis tacitæ dispensationis, & ex quibus colligatur dispensasse prælatum. Primum signum est, scientia, & patientia prælati, vt cum quis vidente, & sciente prælato efficit aliquem actum, quem sine dispensatione efficere non potest. Verùm circa signum istud non vna est Doctorum sententia. Quidam existimant non esse sufficiens signum dispensationis. Pro qua sententia Thomas Sanchez disputatione 4. numero 25. citat glossam, Ancharranum, Cardinalem, Immolam, Maiolum, Sairum, & alios, & reuera hanc eandem sententiam tenet Suarez lib. 6. de legibus capit. 13. numero 22. dum inquit, licet in foro conscientiæ hæc sententia verum habeat, esse tamen prudenter intelligendam, ita vt sola taciturnitas non sufficiat, nisi addantur aliæ circunstantiæ, vt si defectus notus esset vtrique, & esset iusta causa, non petendi consensum expressum, & ex consuetudine vel familiaritate inter superiorem, & subditum præsumi posset ea voluntas superioris. Alij vero dicunt, hanc taciturnitatem, & scientiam non esse sufficiens signum in foro externo, bene tamen in foro interiori.

7 Mihi tamen probabilius videtur esse signum sufficiens ad præsumendam dispensationem. Quam sententiam docent Paludanus, Antoninus, Nauarrus, Azor, Panormitan. & Alexander quos refert, & sequitur Suarez dicto capite 13. numero 17. Thomas Sanchez disput. 4. citat. numero 26. Salas disput. 20. de legibus section. 9. numero 87. Et probo in primis argumento de ducto à simili. Quia scientia, & taciturnitas concedit iurisdictionem, & facultatem administrandum sacramentum Pœnitentiæ, quod sine iurisdictione administrari non potest, vt dixi in tractatu de confessione, & docet Suarez dicto capite 13. numero 20. Thomas Sanchez lib. 3. de matrimonio disputat. 35. numero 20. Salas loco citato Gabriel Vazquez de pœnitentia quæstione 93. articulo 2. dubio 2. Toletus lib. 4. sum. cap. 10. & cap. 13. numero 3.

8 Verum Suarez, cum negare non posset sola scientia, & taciturnitate iurisdictionem quæri assignare conatur discrimen inter hanc licentiam, & dispensationem, & licentiam posse dari ex taciturnitate, dispensationem verò minimè. Rationem differentiæ inquit esse. Quia ibi actio non est simpliciter prohibita, sed solum, vt non fiat absque superioris voluntate, quæ conditio extenditur ad voluntatem præsumptam ex communi, & prudenti iudicio: hic autem actio est simpliciter prohibita, & ob eam rationem mala, & ideo est necessaria de præsenti aliqua voluntas, quæ prohibitionem, & malitiam auferat. Sed discrimen non assequor. Vtraque actio est simpliciter prohibita, & sicut in vna requiritur facultas, in alia dispensatio: & sicut in vna ea conditio subintelligitur, *nisi prælatus concesserit*, ita etiam in alia, *nisi prælatus dispensauerit*: & sicut vna, donec accedat facultas est illicita, atque peccatum: ita etiam alia donec accedat dispensatio: & sicut peccatum vnius tollitur per licentiam, ita etiã alterius per dispensationem auferetur. Quare, sicut voluntas prælati requiritur ad vnum, requiritur etiã ad aliud. Ergo sicut ad vnum sufficit voluntas præsumpta, sufficit etiam ad aliud, aut certè nulla commoda ratione ostendi potest, cur voluntas præsumatur ad licentiam sufficiẽter ex taciturnitate & scientia, & non præsumatur ad dispensationem, cum hæc sit etiam facultas agendi contra legem. Secundo probatur ea ratione. Quia si prælato vidente, & sciente fit actus prohibitus, qui sine dispensatione esse non posset, cũ possit prælatus cohibere, & non

& non cohibeat, & alias teneatur cohibere, non potest non esse reus peccati, iuxta doctrinam generalem 1.2. quæst. 6. de voluntario. At non est præsumendum prælatum ita palam se peccato obnoxium reddidisse. Credendum ergo est illum dispensasse, vt rectè fieret actus. Illud tamen addendum est pro conscientiæ foro, vt rectè fiat actus, licentiam præsumendam, & dispensationem, non postquam factus est, sed cum quis se illi faciendo accingit. Nam si postquam factus est, præsumatur, iam factus esse ante dispensationem tacitam, & ideo cum peccato.

9 Sed hanc sententiam limitant nonnulli diuersis modis. Primò dicunt quidam tunc præsumi dispensationem ex scientia, & taciturnitate, quando nota est prælato tanquam iudici. Sed non placet hæc limitatio. Quia dispensatio fieri potest sine cognitione iudiciali causæ vt dicam statim. Sic hanc limitationem reprobat Thomas Sanchez disput. 4. cit. num. 19. Salas de legib. disp. 20. sect. 9. num. 86.

10 Secundò limitat Thomas Sanchez, vt tunc patientia, & taciturnitas habeat locum tacitæ dispensationis, cum facile Episcopus videns prohibere posset, & non prohibet. Si enim hæc circunstantia concurrat, nullam aliam iure causam taciturnitatis præsumere possumus, quam voluntatem dispensandi. Sic limitat Thomas Sanchez disput. citat. quem sequitur etiam Salas loco citato.

11 Ex qua limitatione inferunt prædicti Doctores ex taciturnitate, & scientia Pontificis, qua sciens aliquos contraxisse matrimonium irritum, desinat tamen illos permanere, non præsumi voluntatem dispensandi, tum quia non posset eos separare sine scandalo, & alijs incommodis; tum etiam, quia non prodesset dispensatio ad valorem matrimonij, cum deberent denuo contrahere, & consensum renouare cognito impedimento, & beneficio dispensationis, & alter ex coniugibus fortasse nollet contrahere, ex quo sequerentur damna proli, & alteri ex coniugibus, & alia inconuenientia cõsideratione digna, vt docet Thomas Sanchez disputatione citata numero 20. Salas sectione citata numero 87. in fine. Atque in hunc sensum accipiunt textum in *capite super eo, de cognatione spirituali*, ibi. *In Ecclesia tua dissimulare poteris, ita quod neque contradicere, neque tuum videaris præstare assensum*. Quo textu inductus Suarez vniuersè sentit taciturnitatem non esse sufficiens signum dispensationis; non tamen debuit ex eo quod in specie illius textus non præsumatur dispensatio, vniuersè colligere taciturnitatem cum scientia non esse sufficiens dispensationis signum in alijs materijs.

12 Sed hæc illatio non omnino mihi probatur, neque illam vniuersaliter veram existimo. Quamuis enim taciturnitas, & scientia in matrimonio irrito iam contracto non sit dispensationis signum, sed contrahentes in bona fide versantur, requiritur enim scientia, & dispensantis, & dispensati. Similiter quando mala fide iam est contractum matrimonium, & propter scandala, & alia incommoda dissimulatur. At non video, quare, cum initio contrahitur coram ipso, qui dispensare potest, in ea enim specie loquimur, non sit censenda dispensatio. Idque hac consideratione conuinco. Vel tunc potest prælatus facilè illud matrimonium impedire, vel non, nisi cum magno scandalo. Si primum, constat ex horum Doctorum sententia esse dispensationem tacitam, cum facile potest impedire, & non impedire. Si secundum, à fortiori præsumendum est dispensare prælatum, ne in eo casu committatur peccatum, & illi contrahentes sint in malo statu, vel alia damna sequantur. Cumque aliàs dispensatio neque exigat petitionem partis, neque consensum, non est cur negemus in eo casu dispensationem dari. Quare mea quidem sententia doctrina tradita de signo taciturnitatis nequaquam limitanda est, sed absolutè dicendum taciturnitatem cum scientia esse tacitam dispensationem, cùm coram legitimo prælato fit actus dispensatione indigens. Atque hanc sententiam existimo veram non tantum in foro interno, sed etiam in externo, dummodo probetur scientia prælati, & non sint alia signa, quæ denotent non consensisse, vt si tunc verba oppositum significantia protulisset, aut quid simile.

13 Ex qua doctrina colligitur primò, si tacente, & sciente prælato aliquis efficiat actum, qui sine dispensatione esse non potest, censeri omnino concessam, & absolute ablatum impedimentum: vt si quis pluribus irregularitatibus impeditus celebret coràm eo, qui dispensare potest,

illo videnre, & sciente, censetur in omnibus dispensatus, cum qualibet eorum impeditus non posset celebrare. Imo, & censentur etiam in posterum sublatæ. Quod si dispensatio tantum sit necessaria pro ea vice, non censetur dispensatum cum illo ad alios actus, nisi ad eum, qui sit præsente prælato.

14 Secundò colligitur hanc doctrinam eodem modo esse veram, siue supremus Princeps dispenset in legibus humanis, siue in his, quæ iuris diuini sunt, veluti votis, & iuramentis, cum eadem prorsus ratio sit de omnibus istis. Idem etiam dicendum, quamus sit inferior. Quia si præsente inferiori fiat actus, censetur dispensare in his, quæ potest, siue sit lex ab ipso lata, siue sit lex superioris, dummodo sit in illis casibus, in quibus inferiorem posse dispensare in legibus superiorum diximus supra isto libro.

15 Aliud signum tacitæ dispensationis assignatur communiter à Doctoribus, cum prælatus præcipit aliquem actum cum scientia impedimenti, qui sine dispensatione eius impedimenti fieri non potest, tunc enim censetur dispensare: quia præcipiens actum, præcipit id sine quo ad eum peruenire non potest, & facit textus in *lege quidam D. de re iudicata*. Princeps enim, qui illi dignitatem dedit, omnia gerere decreuit, & *lege Barbarius D. de officio Præsidis*. Et Princeps non censetur præcipere iniquitatem, neque efficere actum inualidum. Sic docet communis sententia, quam citatis Innocentio, Hostiensi, Panormitano, Rebuffo, Antonio Gabriele, & aliis docet Suarez, dicto libro sexto de legibus capite decimo tertio numero decimo tertio Sanchez disputatione quarta, citata a numero secundo, Ioannes Azor tomo secundo libro septimo capite 32. quæstione secunda. Quæ sententia non solùm vera est in supremo Principe, sed etiam in inferiore, siue sit in lege sua, siue superioris, dummodo sit in casibus, in quibus potest dispensare iuxta dicta. Eadem enim est de vtroque ratio. Requiritur autem, vt sit scientia in prælato talis impedimenti aliàs nihil operabitur, non enim extenditur voluntas ad tollendum illud impedimentum, quod ignorat, cum ferri non possit in incognitum.

16 At tota difficultas est. Quomodo constare debeat de ea scientia? Et quidem quoad forum interius attinet, quouis modo constet, satis videtur. At in externo foro probanda est, cum sit res facti, & non præsumatur, vt docent communiter Doctores, quos refert, & sequitur Thomas Sanchez disputatione quarta citata numero tertio Suarez libro sexto de legibus capitulo decimo tertio, numero decimo quarto. Nec enim tenetur, nec potest Princeps singula facta subditorum nosse *capite primo de constitutione in 6.* etiam si talis Princeps sit pastor ouium, quia facile absque culpa, siue cum illa ignorare potest. Necessarium ergò est scientiam dispensantis probare.

17 Quis autem debeat esse modus probationis scientiæ docent Doctores, quos refert, & sequitur Thomas Sanchez disputatione citata. Breuiter dico non esse ex iure præscriptum certum genus probationis, sed sufficere, si per testes constet, vel alio modo. Vnde non est necessarium, quod constet scientia ex tenore dispensationis, neque per scripturam, cum etiam in priuilegiorum materia communis sententia sit, posse priuilegium per testes probari. Imò, & addendum est non probari, ex particula *ex certa scientia* apposita in dispensatione. Quia ea particula solum operatur quoad expressa, non vero quoad extrinseca ignorata, cum præsumi non possit principem omnia dispensati vitia cognoscere, vt cum Felino, & Menochio docet Thomas Sanchez disputatione quarta numero sexto. Neque obstat, quod motus proprius Pontificis constare non possit, nisi ex clausula opposita, *proprio motu capit. motu proprio de præbendis in 6.* Est enim diuersa ratio. Nam motus proprius includit negationem, scilicet, nunquam supplicationem oblatam Pontifici, quæ impossibilis probationis est iuxta textum in *lege Rector C. de probationibus*, & *capite quoniam vero eodem*. Vnde recte Glossa in *dicto capite motu proprio* inquit. *Quid enim scimus si ante annum aliquis supplicauerit Pontifici?* At certa scientia non includit negationem, sed affirmationem, scilicet, actum positiuum sciendi, qui probari potest iuxta dicta.

18 Denique explicandum est circa formam dispensationis, an requiratur causæ cognitio. Mihi placet non requiri in supremo Principe, estque communis, & certa Doctorum sententia: quam docet Ioannes

Ioannes Azor tomo 1. libro quinto capite 15. quæstione nona cum Innocentio, Glossa, Panormitano, Baldo, Alexandro, Felino, Ripa, Curtio, & Couarruuias. Idem ego existimo dicendum de inferiori Principe, quando in sua lege dispensat. Si enim suam legem validè tollere potest sine causa tam superior Princeps, quàm inferior: à fortiori poterit validè dispensare sine causæ cognitione. Deinde dico dispensationem inferioris in lege superioris requirere quidem iustam causam, vt dictum est: At si sine causæ cognitione fiat in foro conscientiæ valere, donec reuocetur in externo foro. Quam sententiam docent citatis multis Salas disputatione 20. sectione nona numero 79. Thomas Sanchez libro octauo de Matrimonio disputatione 17. numero 11. & Recentiores alij. Quare qui vtitur ea dispensatione securus erit in conscientia, quidquid dicat Ioannes Azor quæstione nona citata. Hanc enim dispensationem esse validam constat, habet enim quidquid necessarium est ad valorem dispensationis, cum nullo iure habeatur, vt nulla sit dispensatio. Imò existimo cum nonnullis valere etiam in externo foro donec reuocetur per superiorem. Quod si causa valde notoria sit, neque in externo foro esse necessariam causæ cognitionem, docent Glossa in *capite manifesta secunda quæstione prima*, & alij, quos sequitur Salas in loco citato numero 79. versiculo *imo quidam*.

19 Neque his obstat Tridentinum sessione 25. de Reformat. capitulo 18. ibi. *causa cognita*, vbi indicare videtur inferiorem in legibus superiorum, non nisi causa cognita dispensare debere. Respondent enim Salas, & Thomas Sanchez decretum illud tam loqui de Pontifice, quàm de alijs Prælatis; & tamen constat posse Pontificem dispensare sine causæ cognitione. Deinde dicunt illa dicta esse secundum præsumptionem. Quia quando non præcesit causæ cognitio, censetur subreptitia. Vel dico etiam illa verba, *cognita causa*, intelligenda esse de cognitione causæ extraiudiciali, secundum quam constet causa dispensandi, non verò iudiciali.

(*)

De causis ex quibus redditur nulla dispensatio, & de vitio falsitatis ingenere.

CAPVT. XVI.

SVMMARIVM.

Quid agendum, num. 1.
Vitiari rescriptum deficiente veritate, num. 2.
Obiectio diluitur, num. 3.
Discrimen inter rescriptum gratiæ, & iustitiæ, num. 4.
Quædam Abbatis sententia expenditur, num. 5.
Aliud discrimen inter vtrumque rescriptum, numero 6.
Quædam limitatio, num. 7.
Quid de rescripto partim vero, partium doloso, num. 8. 9.
Expenditur textus in cap. si eo tempore, de Rescriptis in 6. num. 10.

1 DISPENSATIO nulla reddi potest ex tribus capitibus, vel ex defectu potestatis, vel ex defectu causæ siue iustitiæ, vel ex defectu consensus dispensantis. Quando dispensatio redditur nulla ex defectu potestatis, satis superque explicatum est supra multis capitibus. Quando vero sit nulla ex defectu causæ vel iustitiæ, explicui cap. 14. Quare nunc tantū restat explicare, quando dispensatio sit nulla ex defectu consensus vel ex defectu dispensantis. Potest autem contingere defectus voluntatis, vel ratione coactionis, vel ratione deceptionis. An, & quando sit dispensatio nulla ex defectu cōsensus ratione metus, & coactionis, constat ex dictis lib. 4. Restat ergo dicamus de nullitate dispensationis defectu consensus ratione deceptionis. Quæ contingere potest vel quando impetrans subticet exprimenda, vel exprimit falsa. In his enim casibus dicitur dispensatio subreptitia, & obreptitia, quæ verba idem significant, licet nonnulli canonistæ frustrà distinguere conentur.

2 Sed antequam accedamus ad hæc in singulari explicāda, præmittēda nōnulla sunt, quæ absque controuersia videntur esse, & alia, quæ ad titulum *de Rescriptis*, pertinent, delibanda tamen sunt ad melius percipiendā doctrinā, quę presentis instituti est. Primò ergo certū sit rescriptū omne siue gratię, siue

iustitiæ vitiosum reddi deficiente veritate, tunc enim deest consensus Pontificis, qui rescriptum illud concedere non vult, deficiente veritate. Constat hæc doctrina ex multis canonibus, quos in sequentibus adducemus: & aperte ex *capite 2. de Rescriptis*, ex quo præcipua conclusio deducta hæc est. *Rescriptum Apostolicum, etiam si non exprimat, habet hanc sub intellectam conditionem, si preces veritate nitantur.* Facit etiam textus in *capite sedes eodem*, ibi, *mendax precator penitus carere debet*, & in *capite si proponente in principio*, iuncto fine infrà eodem, & in *capite quia circa de consanguinitate*, & fauet textus in *lege quod si nolim D. de ædilitio edicto*, & facit etiam textus in *capite inter dilectos vers. vltimo, de fide instrumentorum*, vbi dicitur rescriptum debere restringi, & accipere interpretationem à supplicante. Quam regulam explicat Felinus ibi columna quarta & in *capite super literis num. 22. de rescriptis*, & alij.

3 Neque obstat textus in *lege finali C. de diuersis rescriptis*, ex qua videtur colligi esse necessarium, quod in rescripto apponatur ea clausula, *si preces veritate nitantur*, & non sufficere, quod sit tacite sub intellecta. Respondent enim nonnulli id verum esse de iure ciuili; at quod habetur in dict. capit. 2. procedere de iure Canonico, licet etiam de consuetudine seruetur decisio in dict. cap. 2. etiam in foro sæculari. Sic Abbas, & Decius in dicto capite 2. & Padilla in dict. lege fin. Sed non placet, quia ille textus non continet nouam decisionem correctoriam iuris ciuilis, sed sententiam latam in iudicio contradictorio secundum iura antiqua. Quare textus in *lege final.* in illis verbis, *sub ea conditione proferri præcipimus, si preces veritate nitantur*, sic intelligendus videtur, vt ea lege non præcipiatur, quod exprimatur ea clausula in quolibet rescripto, sed quod omne rescriptum censetur prolatum sub ea conditione, & clausula, licet non exprimatur. Et ratio est, quoniam in iure paria sunt, quod à iure subintelligatur, & quod exprimatur, quando exprimitur eodem modo quo inest *capite significasti de electione, & lege tertia D. de legatis primo*, & dixi supra libro tertio cum sermo esset de conditionibus, quæ iure insunt. Huius autem textus decisionem extende vt ea clausula intelligatur in quouis rescripto, etiam si concessum sit ex proprio motu, vt docet Decius ibi numero quinto Ripa numero 26. & alij. Limitanda tamen est eiusdem textus decisio, *si preces veritate nitantur*, vt non procedat in subreptione commissa sine dolo, quando illa fuit leuis, imo etiam si notabilis iuxta dicenda statim.

4 Secundò est obseruandum inter rescripta ad lites, & gratiæ hoc potissimum esse discrimen, quod rescriptum ad lites, etiam subreptitium, non est ipso iure nullum, interim quod non eliditur ope exceptionis *capite cæterum, de rescriptis*. At rescriptum gratiæ subreptitium est ipso iure nullum, etiam si nulla opponatur exceptio *capite finali de filijs presbyterorum in 6.* Verùm contingit aliquando etiam rescriptum ad lites esse ipso iure nullum, scilicet, quando dolosa, & fraudulenta fuit impetratio etiam in re leuissima *capite super literis, capite sedes, capite ex tenore, capite si proponente de rescriptis*. Et facit textus in *capite primo vt lite pendente in 6.* & docet Abbas in *dicto capite super literis* numero secundo Barbacius numero 25. Decius numero primo. Atque hanc limitationem adhibendam probant illa verba in *dicto capite super literis, nullatenus de causa cognoscat, & in dicto capite cæterum in versiculo verum* ibi, *non immerito is, qui tali dolo vel fraude*, nimirum, quia in casu finali illius textus tale rescriptum est ipso iure nullum, & ideo debet in expensis condemnari. Neque obstant textus qui videntur aduersari in *lege præscriptione C. si contra ius, & in capite dicenti 25. quæstione secunda*, quibus conuinci videtur rescriptum etiam cum dolo valere, neque annullari posse, varijs enim interpretationibus omissis, dico cum Fulgosio in dicta lege hunc texetm in *dicto capi. super literis.* loqui de mendacio concernente ipsam impetrationem rescripti, at dictam legem loqui de mendacio concernente iustitiam partis, & merita causæ.

5 Sed Abbas in *dicto capite sedes de Rescriptis* numero quarto existimat subreptionem rescripti in exprimenda fallitate magis vitiare rescriptum, quam in tacenda veritate, illam enim semper esse dolosam, hanc verò minimè. Sed conuincit hanc Abbatis sententiam textus in *d. c. super literis eodem*, in principio, & vers. *inter alios*, vbi Pontifex promiscue loquens de subreptione tam in tacenda veritate, quam in exprimenda fallitate, distinguit, an subreptio fuerit dolosè

dolose commissa, vel per simplicitatem. Suppônit ergô ex vtroque capite subreptionis posse committi dolum, & posse etiam fieri per simplicitatem vel ignorantiam. Imò de stylo Curiæ secundum quem Papa non dispensat, sed committit dispensationem ordinario, præmissa causæ cognitione, & informatione super veritate narratorum, magis potest ex quorũdã sententia nocere subreptio in tacendo verum, quàm si exprimat falsum. Nam subreptio in exprimenda falsitate, cum ordinarius declarauit rescriptum non esse subreptitium, & causas in eo contentas esse veras, & consequenter dispensauit, & deinde contractum est matrimonium verbi gratia, non potest amplius irritari, quoniam illa declaratio, & sententia Episcopi, qua præmissa dispensauit Episcopus etiam si fuisset iniusta fuit valida, & transijt in rẽ iudicatam *cap. cum inter, de sent. & re iud. cap. eo qui appellat. §. si vero 2. quæst. 6.* & consequenter valet dispensatio, nec potest amplius irritari. At si subreptio fuit in tacenda veritate potest matrimonium euerti, quia de eo non expresso nihil iudicauit ordinarius, cum non sit deductum in eius tribunal. Sed de hoc magis infra cap. sequenti §. vltimo.

6 Tertio obseruandum est rescriptum ad lites non vitiari ex subreptione in re notabili, dummodo per simplicitatem vel ignorantiam facta fuerit, & qua cessante Papa non negasset rescriptum, licet concessisset cum difficultate *dict. capit. super literis.* Si autẽm sit omninô gratiosum, non valet, vt probat idem textus in illis verbis *Saltem in forma communi*, & ibi, *non sequens forma, & capite constitutus, de rescriptis, & capite quia circa, de consanguinit.* Quod si subreptio notabilissima etiam per simplicitatem commissa fuerit, qua cessante Pontifex potius negasset rescriptum, quàm cum difficultate concessisset, subreptitium est vtrumque rescriptum, siue gratiæ siue iustitiæ *dict. cap. ex literis* vers. *si vero.* Cum discrimine tamen, quod ad lites non est nullum ipso iure, sed est annullandum ope exceptionis. At vero rescriptum gratiæ est ipso iure nullum vt dictum est. Huius autem numeri doctrina cap. seq. magis explicabitur.

7 Quartô obseruandum est. Si subreptio per simplicitatem vel ignorantiam fuerit in re leui, qua subreptione cessante Pontifex cum eadem ferê facilitate rescriptum concessurus erat, nihil obest rescriptum, sed vtrumque tâm ad lites, quàm gratiosum valet mero iure, neque annullari potest. Quam doctrinam nonnulli probant ex *dicto capite super literis.* Sed reuera agit de notabili subreptione, & de rescripto ad lites, melius probatur ex textu in *capite postulasti in fine de rescriptis*, ibi, *de leui non scribimus.*

8 Sed quid dicendum erit de rescripto, quod partim verum, partim falsum, & subreptitium est. Et in primis Doctores sentiunt, si subreptio fuerit dolosa, & cum dolo commissa in vno capitulo, etiam alterum vitiari, & totum rescriptum non valere, quia textus in *dicto capite super literis, & capite sedes*, vniuersê loquuntur, & sine vlla distinctione: At si per ignorantiam, vel simplicitatem factum fuerit, totum valere. Sic docent Abbas, & Decius. Atque ex hac distinctione explicandum putant textum in *capite si eo tempore, de rescriptis in 6.* Vbi subreptio commissa quoad capitulum de beneficio curato non vitiat rescriptum quoad aliud capitulum de beneficio simplici, quia scilicet, subreptio prioris capituli fuit commissa sine dolo.

9 Sed hæc Abbatis sententia non placet; neque vitiatum ex parte, siue ex dolo, siue ex ignorantia vitiare totum rescriptum in partibus separatis, estque communior sententia, & videtur probari ex *capite si eo tempore*, vbi indistincte valere dicitur, quoad capitulum secundum de beneficio simplici. Neque obstat textus in *dicto capite super literis*, ibi, *nullum ex illis commodum consequatur.* Debet enim limitari, vt intelligatur in illo duntaxat capitulo, non verô in alijs, si plura habeat capitula inter se distincta. Neque obstat textus in *capite ad audientiam, de rescriptis, & in lege si ex falsis C. de transactionibus*, vbi vitium falsitatis deprehensum in vno capitulo vitiat in alijs. Respondetur enim loqui de falsitate, quæ deprehensa in vno capitulo inficit totum rescriptum, etiam in alijs: non verô quando capitula sunt separata, & inter se distincta.

10 Sed circa textum in *dicto capite si eo tempore* aduertendum est, quod etiam in distinctè in casu illius textus valet rescriptum in secundo capitulo de beneficio simplici, siue primum capitulum ad beneficium curatum fuerit subreptitium scienter, & cum dolo, vel per simplicitatem,

tem, & ignorantiam. Cæterum diuersimo de valebit secundum capitulum de beneficio simplici, quando primum capitulum quoad beneficium curatum fuit subreptitiũ cum dolo. Nam priori casu quando primum capitulum de beneficio curato fuit subreptitium per simpliciratem, & ignorantiam, valebit secundum de beneficio simplici in distincte, hoc est siue beneficium curatum primò vacauerit, siiue secundo loco. Nam etiam si rescriptum illud alternatiuum de beneficio cum cura vel sine cura de iuris rigore debuerit verificari in primo curato vacante, vt in *cap. mandati de præbendis in 6.* tamen in isto casu, quia impetrans non potest consequi curatum defectu ætatis, & nulla interueniente illius fraude vel culpa, potest expectare secundum simplex, argumento textus in *cap. 2. de Renuntiat. in 6.* At vero in secundo casu, quãdo subreptio in primo capitulo de beneficio curato fuit dolosa, secũdum capitulum de beneficio simplici ita demum valebit, si illud simplex contingat primo vacare. Nam si forte primo vacauerit curatum, in quo de rigore iuris erat verificanda gratia, quamuis illud non posset consequi, quia hoc contingit interueniente eius dolo, prædictum curatum impediet, vt non possit expectare aliud simplex, ne melior sit conditio delinquentis iuxta textum in *cap. cum qui vers. insuper, & cap. si beneficia, de præbendis in 6.*

Explicatur in speciali quando obstet vitium subreptionis.

CAPVT. XVII.

SVMMARIVM.

Quid explicandum, num. 1.
Aliorum sententia, & vera, num. 2.
Quæ sint ea, quæ iure debent exprimi, num. 3.
Ampliatio eius doctrinæ, nu. 4.

1 SED quamuis hactenus in genere dictum sit subreptionem vitiare, & quæ subreptio reddat rescriptum ipso iure nullum, vel annullandum, & eam regulam constituerimus ex dict. *cap. super literis*: At non est explicatum in speciali, quæ suppressa, quæve falsa expressa redderent Pontificem difficilem ad concedendum vel negandum. Id autem est, in quo explicando maior difficultas versatur, & ex cuius explicatione colligendum est in singulari, ex qua suppressione, vel expressione sit rescriptum irritum. Quam partem Canonistæ non satis distincte explicuerunt.

2 Diuersæ sunt Doctorum sententiæ. Prima docet eam suppressionem veri reddere dispensationem nullam, vel rescriptum vitiare, quæ si exprimeretur, aut omnino tolleret, aut difficilem redderet rescripti concessionem. Pro qua sententia Thomas Sanchez lib. 8. de Matrim. disput. 21. num. 9. refert Panormitanum, Felinum, Dominicum, Francum, Immolam, Staphileum, & alios. Alij dicunt esse gratiam subreptitiam, quando tacetur id, quod si exprimeretur, non concederetur, vel cum aliquibus moderationibus. Cui fauet textus in *capite dudum vers. nos igitur de præbendis in 6. & cap. fin. de filijs presbyt. in 6. & l. cum tales 71. §. falsam causam D. de conditionibus, & demonstrat.* vbi dicitur tunc vitiari legatum ex defectu causæ, si probetur fore, vt cognita veritate testator non legaret. Alij denique dicũt, quod non ex quauis suppressione redditur rescriptum, sed ex suppressione eius, quod iure deberet exprimi. Pro qua sententia Thomas Sanchez disput. citat. nu. 11. refert, & sequitur Glossam, Calderinum, Bellameram, Cursium Iuniorem, Henriquez, Petrum Ledesma, Emanuel Rodrig. & Sà. Eã etiam docet Salas disput. 20. de legib. sect. 15. & alij. Eaque sententia magis ad veritatem accedit. Non enim potest esse vniuersè verum suppressionem eius, quod, si sciret Princeps, non dispensaret, reddere vitiosum rescriptum. Nemo enim negare potest rescriptum valere, quamuis impetrans beneficium sit criminosus, modo non habeat iuris impedimentum, quamuis Pontifex, si sciret, non esset beneficium concessurus. Idem est, si Episcopus concedit beneficium, quod non concederet, si sciret esse de genere Iudæorum, aut Sarracenorum. Quod etiam multis alijs exemplis planum fieri potest. Similiter etiam, neque pars affirmatiua, vniuersaliter vera est, valere scilicet rescriptum, quando vitium id, quod non expressum est, non impediret concessionem, vt constat ex *cap. si motu proprio de præbendis in 6.* vbi suppressio vitiat, qua non obstante nihilominus concessurus esset Papa, vt dicam infra.

3 Explicandum tamen sigillatim est, quæ sint ea, quæ iure debẽt exprimi, neque enim in his constant inter se Doctores. Primò ergò nonnulli volunt dispensationem reddi nullam, si primùm petatur, & negetur, & taceatur petitam, & negatam prius fuisse dispensa-

pensationem. Sic Menochius lib. 1. de arbitrar. casu 303. num. 6. censendum tamen dispensationem ex eo capite non vitiari, vt docet Thomas Sanchez lib. 8. disput. 22. num. 14. Suarez lib. 6. de legib. capit. 22. num. 1. Facit pro hac sententia, tum quia nullo iure disponitur: tum etiam quia neque est sufficiens ratio, quæ conuincat. Quia si aliqua esset, maximè, qua præsumendum est superiorem non concessurum dispensationem, si prioris denegationis memoriam haberet. At hæc præsumptio non habet locum, quando plures rationes in secunda petitione allegatur, quàm in prima: neque etiam si nulla addatur de nouo, si prima causa erat sufficiens, quia ob denegationem non redditur minus sufficiens.

4 Amplia doctrinam hanc, vt etiam habeat locum, siue idem sit superior, à quo secundò petitur dispensatio, qui negauerit, siue eius prædecessor; & siue dispensatio negata sit ab inferiori, & petatur à superiori: Imò etiam, si negata sit à superiore, & petatur secundò ab inferiori ordinariam iurisdictionem habente. Quia superior ea denegatione non reseruauit sibi dispensationem, vt notum est: neque abstulit ab inferiori iurisdictionem ordinariam concedendi, cum posset etiam sua tantum voluntate negare. Neque obstat, quod cum superior leges confirmat, censeatur tollere potestatem ab inferioribus dispensandi in illis. Nam alia ratio est de confirmatione, alia vero de negatione dispensationis. In confirmatione adest decretum, quo suam facit eam legem, & ex consequenti aufert potestatem dispensandi in illa, nisi in casibus supradictis. At vero negationi dispensationis non inest aliquod præceptum vel prohibitio. Huius contrarium docuit Thomas Sanchez lib. 8. disput. 14. num. 5. sed sine sufficienti fundamento. Extende etiam, vt valeat dispensatio data à delegato, quamuis à superiore negata sit. Potestas enim delegata generaliter commissa non est restringenda: & ratio facta probat sola de negatione non esse restrictam iurisdictionem delegatam, sicut de ordinaria diximus.

Quando redditur nullum rescriptum ex silentio prioris.

§. PRIMVS.

SVMMARIVM.

Dispensationem reddi nullam ex silentio prioris dispensationis, num. 5.

Explicatur hæc communis sententia tribus regulis, num. 6. 7. 8.

Ex illis infertur, quando non sit necessaria expressio prioris dispensationis, num. 9.

5 SECVNDO ergo redditur nulla dispensatio siue rescriptum ex taciturnitate veri, quando obtenta est prior dispensatio, & impetratur secunda, tacendo primam dispensationem esse concessam. Quæ communis doctrina est, quam in tradunt communiter Doctores in *c. p. 2. de filijs presbyt. in 6.* Couar. 1. variar cap. 20. num. 8. Molina lib. 2. de primogen. cap. 4. num. 50. Gutierrez lib. 1. canonicarum quæst. capit. 15. & citatis multis Thomas Sanchez lib. 8. disput. 22. num. 2. Quæ communis doctrina intelligitur, quando dispensationes sunt circa eãdem rem; nam si sint de diuersis omnino rebus, dicunt non esse necessarium exprimere, vt ad obtinendam dispensationem in irregularitate, non est necessarium exprimere dispensationem prius in voto factam.

6 Sed in intelligentia huius communis sententiæ multa dicit Thomas Sanchez loco citat. cuius tamen explicatio non placet, & reddam rationem in sequentibus. Quare ego communem hanc sententiam existimo esse veram, & illam tribus regulis explico. Prima est. Tunc necessarium est primam dispensationem vel rescriptum obtentum exprimere, quando casus est à iure expressus; aliàs secundum rescriptum erit nullum. Atque ita intelligitur textus in *cap. penult. de præscriptionib.* vbi dicitur esse subreptitium priuilegium secundum exemptionis amplioris obtentum sine mentione prioris priuilegij exemptionis magis restrictæ eidem, & in eadem materia, & respectu eiusdem concessi. Vnde Innocentius ibidem num. 4. intelligit textum illum tantum in materia, de qua loquitur, quoties primum priuilegium cedit in præiudicium tertij, & concessum est cum aliqua limitatione moderante præiudicium tertij, & conseruante ius, quod illi de

iure communi competit, vt explicari potest exemplo decimarum. Non enim censendū est velle Principem inferre graue præiudicium tertio, vt optime deducit Suarez lib. 6. de legib cap. 23. num. 8. & sequentib. vnde quoties militauerit eadem ratio, habebit etiam locum eadem iuris decisio in dict. ca. penultimo.

7 Secundò etiam habet locum prædicta communis sententia, quando commemoratio prioris dispensationis necessaria est, vt Princeps non ignoret totum impedimentū, quod aufert. Et sic accipio textum in *cap. 2. de filijs presbyt. in 6.* vbi dicitur. Quod si illegitimus obtinuerit dispensationem ad vnū beneficium, & non facta mentione sui defectus natalium obtineat secundam dispensationem ad plura, hanc esse subreptitiam. Quare non erat in dict. casu necessaria mentio primæ dispensationis ex ea præcisè ratione, quia præcesserat; sed tantum defectus natalium, quæ duo valde diuersa inter se sunt. Quod quidem ideo statuitur, quia defectus natalium non fuit omninò sublatus per primam dispensationem, & ideo debuit intimari, vt valeret secunda; & ita ex eo solum capite requiritur expressio primæ dispensationis, vt intelligeretur totum impedimētum, quod Princeps auferebat. Sic textum illum intelligunt Dominicus Francus, Couar. 2. part. de matrim. capit. 8. §. 8. num. 5. Suarez dict. lib. 6. de legib. cap. 23. num. 7. Quia illegitimus dispensatus ad vnum beneficium non ideo est dispensatus ad plura. Vnde si ille illegitimus declarando se esse illegitimū peteret dispensationem secundam, non facta mentione prioris, valeret secunda.

8 Tertio etiam locum habet prædicta communis doctrina; quando expressio primæ dispensationis necessaria est, vt Princeps intelligat, qualitatem vel quantitatem gratiæ, quam facit per vnam vel plures dispensationes. Cuius regulæ ea manifesta ratio est. Quia si Princeps nó intelligat, quantitatem gratiæ quam facit, non potest eam velle, & ex consequenti ex ea ignorantia, & taciturnitate vitiari rescriptum necesse est. Hinc fit, siqui obtinuit dispensationem non residendi in beneficio per quinquennium cum perceptione fructuum, si expleto quinquennio petat dispensationem per aliud quinquennium non expressa priori, nulla est dispensatio, vt docet Ioannes Andreas, quem refert, & sequitur Felinus in *capit. penult. de præscript. num. 2.* quod intellige, si continuum sit quinquennium. Item siquis petijt dispensationem in voto castitatis ad matrimonium contrahendum, & mortua ea vxore petat aliam, si taceat priorem, vitium subreptionis est, quia ignorat Pontifex, quantam relaxationem faciat in eo voto. Item siquis petat dispensationem in vxoricidio ad contrahendum, & postea commisso simili delicto, petat aliam sine mentione prioris, posterior est nulla, argumentum textus in *l. 3. C. de Episcopali audientia*, dicentis *vt remissionem crimina, nisi semel commissa, non habeant, &c.*

9 Ex his colligitur quando non interuenit aliqua circunstantia ex dictis, non esse necessariam priorem dispensationem exprimere, sed valere secundam sine mentione prioris. Ex quo fit vlterius, cum quis ad tollendum scrupulum vel dubium prioris dispensationis petit aliam de eadem re, vel impedimento, vel defectu, vel voto, & illam obtineat æqualem quoad gratiam, & explicationem quo ad circunstantias, secundam valere sine mentione prioris. Facit, quia contra nullum ius est, nec tacetur aliquid, quod reddat inuitam posteriorem dispensationem ob deceptionem vel ignorantiam. Vnde valida quidem manebit vtraque dispensatio, cum secunda petatur ad corroborationem primæ, & vtraque simul sumpta non excedat intentionem concedentis. Fit etiam valere secundam, quando postulatur ad extensionem primæ sine præiudicio tertij v. g. si cum aliquo dispensatum sit in irregularitate ad minores ordines, & postea petat dispensationem ad omnes explicata irregularitate, vel post vsum primæ dispensationis petat dispensationem ad sacros ordines expressa etiam irregularitate, valet sine mentione primæ dispensationis. Et idem est si dispensatus in irregularitate ad omnes ordines, petat postea dispensationem in interstitijs, quia iam sublatus est omnis defectus per primam dispensationem. Idem est, si post obtentam dispensationem in voto v. g. castitatis ad contrahendum matrimonium, postea petat aliam mentione facta tantum voti, valet secunda, vera enim est narratio totius impedimenti auferendi. Quod intelligē, siue vsus fuerit prima dispensatione, siue illa ob superueniens impedimentum euanuerit. *Quia non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum, de regulis iuris in 6.* Verùm si votum commutatum fuit ex prima dispensatione in aliqua ieiunia, vel pia opera, si secunda petatur mentione facta voti, est nulla, quia reuera tunc votum non subsistit, & ideo falsa est narratio, sed solū obligatio

atio diuersa à voti obligatione. Idem dicendum quando dispensatio conceditur qua si secundum diuersas partes eiusdem legis inter se non vnitas, vt cum dispensatur in aliquo ne ieiunet in hac quadragesima, & postea petat dispensationem pro alia non facta mentione prioris. Quo etiam modo Philosophandum est in dispensatione de laborando diebus festis, aut non recitandi, aut non residendi. Et idem dicendum, quando petitur dispensatio ad contrahendum matrimonium inter consanguineos, & postea petitur alia, valet secunda sine mentione primæ. Sed quid dicendum, si ille non fuerit vsus prima dispensatione? Si impedimentum superueniat, quominus ea vti posset, valida est. At si non superueniat impedimentum Thomas Sanchez lib. 8. disput. 22. num. 13. existimat adhuc validam esse. Mihi videtur probabilius in eo casu secundam esse subreptitiam, & non valere, sed necessarium esse exprimere primam, vt vel Pontifex renuntiationem acceptet, vel illam irritet, vel vtramque validam esse velit. Est enim nimia quædam indulgentia, & verosimilius est non fuisse eam concessurum Pontificem, si proponeretur. Coniunguntur enim, & fit ex vtraque vna exorbitans gratia, quæ ratio locum non habet, quando iam vsus est prima, vel superueniente impedimento non habuit effectum Iuxta hæc sentiendum est de licentia ad alienanda bona maioratus de quo dico infra §. 2. in fine.

De impetratione secundi Rescripti ad lites sine mentione primi.

§. SECVNDVS.

Rescriptum secundum ad lites sine mentione primi non valere, esse tamen annullandum, numero 10.
Obiectio diluitur, num. 11.
Colligitur explicatio Tridentini, num. 12.
Obijcitur, & diluitur, num. 13.
Obijcitur secundò, num. 14.
Quædam limitatio communis doctrinæ, nu. 15.
Quid de secunda licentia ad alienanda bona maioratus, num. 16.

10 IVXTA hæc etiam dicendum est in rescripto iustitiæ impetrato primo debere explicari in impetratione secundi, alias subreptitium erit secundum, quia sic in iure definitum est vt probat textus in *cap. 3. de Rescriptis, & cap. si autem, & cap. plerumque eodem, & in cap. vt debitus honor, de appellationib.* Licet autem subreptitium sit nō est ipso iure nullum, sed annullandum exceptione prioris, vt cum communi sententia docet Abbas, Felinus, & Decius in dict. cap. 3. Iason in *l. præscriptione num. 3. C. si contra ius, vel vtilitatem pub.* & Menochius de Arbit. lib. 2. casu 201. num. 3. licet oppositum dicat Barbacius d. c. 3. n. 9. vt enim iam supra dictum est, hæc est potissima differentia inter rescripta gratiæ atque iustitiæ.

11 Neque huic, quod diximus non esse iure nullum, sed annullandum obstat primo, quod in d. cap. 3. habetur in illis verbis, *nequt secundæ literæ*. Respondemus enim verum esse quod subreptitium rescriptum nō est firmum, quia potest per oppositionem annullari, sed interim valet. Neque obstat secundo textus in *cap. si autem, de rescriptis*, vbi dicitur secundas literas non valere. Respondetur enim illum textum intelligi, quando pars hoc dicit opposita exceptione. Neque obstat tertio textus in *cap. constitutus, de rescriptis ibi, irritum decernentis*. Dico enim in specie illius textus fuisse nullum rescriptū subreptitium ad lites cum toto processu, quoniam fuit datum accessoriè cum gratia principali subreptitia pro illius executione, & quemadmodum gratia principalis subreptitia fuit nulla, ita etiam subreptitium fuit accessorium ad lites, *regula. Accessorium in 6.* & facit elegans textus in *cap. si super gratiam de officio deleg. in 6.* Atque sic esse intelligendum textum in *dict. c. constitutus* resoluit Nauarrus in *cap. cum contingat in principio de rescriptis*. Neque obstat quarto textus in *capit. super literis* eodem ibi, *nullum ex illis literis commodum consequatur*. Respondetur enim textum illum procedere, quando subreptio fuit commissa ex dolo, quo casu rescriptum siue gratiæ siue iustitiæ est omnino nullum, vt dictum est supra, & ita docent Abbas, & Decius in *dicto capite super literis*. Neque obstat denique textus in *capite primo de Rescriptis in 6.* vbi ipso iure non valet rescriptum ad lites subreptitium, videlicet, impetratum ab excommunicato. Respondetur enim decisionem illius textus esse nouam, & specialem in odium excommunicati contra iura antiqua decretalium, videlicet in *capite prudentiam §. sexta nobis de officio, & post. ind. de leg.* indicatque verbum illud in dict. cap. 1. *non valeat*, quod est imperatiui, & significat esse nouam constitutionem, & recessisse ab antiqua decisione.

12 Ex qua doctrina, scilicet, quod rescriptum ad lites subreptitium valeat mero iure colligitur intellectus ad Tridentinum sessione 25. de Reformat. ca. 10. videlicet quod quamuis rescriptum ad lites subreptitium impetratum contra antiquam formam in *ca. statutum de rescriptis in 6.* sit nullum ipso iure, vt probatur ex *dict. cap. in §. fin.* at vero huiusmodi rescriptum impetratum contra nouam formam dicti Concilij Tridentini nō est nullum ipso iure, sed duntaxat subreptitium, & annullandum ope exceptionis. Mouent me illa verba Concilij *subreptitiæ censeantur*. Quo loco est aduertendum circa intelligentiam prædicti decreti, quod si habēs dignitatem sit nominatus in synodo, & ex iudicibus synodalibus, eo defuncto succedens indignitate non succedit in nominatione, aut delegatione, vt probat prędictum decretum in vers. *& si aliquem*. Vnde si commissio directa iudicibus synodalibus, & eorum cuilibet per errorem præsentetur ante successorem indignitate non nominatum occasione textus in *cap. Quoniam Abbas de officio deleg.* Tum præsentatio, & processus nihil valent, cum sint contra formam delegationis, vt in *cap. eum dilecta de rescriptis*. Et sic etiam intelligi debet decretum aliud Tridentini sess. 24. de Reformatione cap. 20. vbi prohibetur delegari causas in prima instantia. Sed quia ibi non opponitur decretum irritans, delegatio, & rescriptum valebit, quamuis subreptitium, & consequenter processus, si non opponatur exceptio, ex doctrina supra tradita, & principio textus in *cap. dilectus 2. de Præbendis*, & facit Glossa ordinaria in *Clement. 1. v. inhibentes de iure patron.* & in *cap. cum desideres* Glossa fin. *de sentent. excommunic.* Quæ Glossæ sunt communiter approbatę, vt docet Couarr. in *cap. Alma mater de sent. excommun. in 6. 1. part. §. 9. & §. 11. n. 7.* Ex qua etiam resolutione colligitur etiā declaratio ad text. in *cap. plerumque de Rescriptis, & in cap. vt debitus honor, de Appellationib.* scilicet, quod terminus vnius anni constitutus in *dicto cap. plerumque* ad hoc, vt post præsentationem prioris rescripti factam coram proprio iudice iuxta formam in *dicto capite vt debitus honor*, possit quis excipere de illo contra secundum rescriptum, locum habet, quando impetrans primum rescriptum cæpit conueniri per secundum, antequam præsentaret suum primum rescriptum. Sed si impetrans primum rescriptum non fuit citatus per secundum, potest vti suo primo, etiā post elapsum terminum illius anni.

13 Verùm contra id quod diximus, subreptitium esse secundum rescriptum ad lites non facta mentione primi, videtur obstare primò textus in *capite super literis de Rescriptis*, vers. *inter alios*, ibi, *Nam si talis*. Respondent nonnulli textum in dicto capite procedere, quando subreptio leuis est, & per ignorantiam, vt in *cap. dudum de præb. in 6.* vers. *considerantes, & ca. postulasti de Rescriptis*. Sic Abbas in *dicto capite super literis*, & communem dicit Nauarrus in *cap. si quando*, exceptione 3. *de rescriptis*, & Couar. lib. 1. variar. cap. 20. Vnde, & intelligunt textum in *dict. cap. super literis*, tam de rescripto ad lites quam gratioso. Sed hæc communis intelligentia non placet, neque textus in dict. vers. *Nam si talis*, procedit in rescripto ad lites, neque in subreptione leui; agit enim de subreptione notabili, qua cessante Papa prorsus nō negasset, quamuis cum difficultate concessisset: & etiam in illo vers. tantum agit de rescripto ad lites, & non gratioso, vt constat ex illis verbis Prædicti versiculi, *Saltem informa iuris communis*, & in verbis sequentibus, *non sequens formam in ipsis literis expressam*. Et idem etiam conuincitur ex verbis finalibus, quando prosequitur Pontifex vltimam subreptionem, quando talis fuit vt illa cessante nullas literas dedisset, quo casu rescriptum ad lites dicitur esse nullum. Ex quo fit in casu præcedenti loquutum fuisse Pontificem de subreptione notabili, quæ difficiliorem reddidisset, licet non negasset. Loquitur ergō solum in rescripto ad lites, & non gratioso. Quare versiculus ille hanc conclusionem infert, scilicet, rescriptum ad lites subreptitium per ignorantiam, etiam in re notabili, non posse annullari, si Pontifex licet cum difficultate concessisset, vt supra dicebamus. Quo posito magis vrget argumentum contra id quod diximus secundum rescriptum subreptitium etiam per ignorantiam annullari posse exceptione, & oppositione prioris. Respondetur ergo, quod in isto casu subreptio notabilis, etiam per ignorantiam annullat rescriptum opposita exceptione; Quia præiudicat primo impetranti: Pontifex autem nunquam intendit præiudicare tertio, vt in *capite super eo, de officio deleg. & cap. quamuis de Rescriptis*. Atque ex hac ratione desumpta ex præiudicio tertij intelligi potest difficilis decisio textus in *capite quamuis 1. de præb. in 6.* vbi mandatum de prouidendo indiœcesi in odium impetrantis non includit beneficium Ecclesiæ Cathedralis, quia nulli alteri sit præiudicium, nisi soli impetranti,

petranti, ad reprimendam eius ambitionē, vt constat ex vers. *Quamquam*. At mandatum de prouidendo in Prouincia debet verificari secundum verborum naturam, de primo beneficio vacante etiam in cathedrali Metropolitana, que non potest reseruari, ne aliàs inferatur præiudicium suffraganeis, qui comprehendebantur in mãdato de prouidendo in Prouincia. Atque hic videtur esse verior intellectus eius textus in vers. *secus vero*, quem non assequuntur Glossa, & alij.

14 Secundò obstare videtur cum Glossa textus in *capite 2. de officio deleg.* vbi primum rescriptum non præualet contra secundum non faciens mentionem prioris. Respondet communis sententia in casu illius textus vnum, & alterum rescriptum fuisse eiusdem datæ, & non constare, quod esset primum, & ita ratione incertitudinis vitiari vtrumque, iuxta regulam in *lege duo sunt Titij, de testamentis*. Sic Abbas, Felinus, & Decius ibidē. Neque obstant illa verba textus, *non facta mentione priorum literarum*, dicuntur enim priores, non in data, sed in præsentatione. Hanc tamen communem intelligentiam antiquorum reprobat vera, & germana lectio eius textus, quæ habetur 3. tom. conciliorum, ex cuius literis constat, quod vnum, & alterum rescriptum non erant eiusdem datæ, sed vnum erat impetratum prius alio. Respondetur ergò in specie illius textus primum non præualuisse contra secundum, quia vnum, & alterum erat impetratum ab eadem parte, & præsentatum vtrumque vel coram diuersis iudicibus, vel coram eisdem, quæ diuersa rescripta continebant diuersam formam, & ita pro varietate literarum non poterant cognoscere, neque ex vno, neque ex alio rescripto.

15 Sed limitari solet doctrina tradita, vt non habeat locum, quando primum rescriptum vitiosum est, & tunc non sit subreptitium secundum ex eo quod non fiat mentio primi, iuxta *regulam iuris in 6. non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum*. Sic limitat Abbas in *cap. ex parte de rescriptis*, & probat ex eodem textu, qui tamen meo iudicio non videtur eam limitationem probare, cum verius sit in casu illius textus neque habere locum primum rescriptum, neque secundum, sed procedi per nouum tertium rescriptum, & nouam commissionem factam in casu illius textus, & constat ex verbis illis. *Quam cum esset prosecutus, & ad iudices literas impetrasset, &c.* Fauet etiam huic limitationi, quod habet Molina lib. 4. de primogen. c. 3. n. 34. dum dicit non esse necessarium mentionē facere clausulæ, quæ nulla est, vel elidi exceptione potest, cum petitur facultas à Rege aliquid ex bonis maioratus alienandi, cũ facultas prohibita erat ab instituente, etiã si Rex concederet, vel iniunctũ fuerat ab instituente, vt non impetraretur ea facultas, nisi in libelo oblato Regi explicaretur id prohibitũ esse ab instituente maioratus. Cuius quidem doctrinæ ea ratio est, quia ea prohibitio instituentis maioratum nihil obest potestati Principis, quominus possit facultatem concedere alienandi bona maioratus ex rationabili causa, & ita ea clausula nullius momenti est.

16 Ex hac eadem doctrina multi docent, quod siquis cui facultas ad alienãdas res maioratus semel concessa fuit, velit iterum nouam facultatē ad bona maioratus alienanda, tenetur facere mentionē de prima, alias secunda nulla censenda erit. Placet tamen magis distinctio, quam sequitur Molina d. lib. 4. c. 3. n. 42. inspiciendum esse, an secunda facultas concedatur ex eadem causa, qua prima, aut ex alia. Si ex eadem causa concedatur, procul dubio nulla est, cum Princeps eã facultatem non concessisset, vt pote ignorans eius indulgentiæ quantitatem. Si verò ex alia causa concessa fuit, non video, quare necessarium sit prioris mentionem facere, cum ex noua causa noua etiam facultas concedi debeat.

De impetratione secundi beneficij sine mentione primi.

§. TERTIVS.

SVMMARIVM.

In impetratione secundi beneficij fieri debere mentionem primi, num. 17.
Obijcitur ex capite gratia, de Reseriptis in 6. numero 18.
Vera interpretatio, num. 19.
Quædam limitatio, num. 20.

17 IVXTA eãdē etiã rationē dicendũ est in impetratione secũdi beneficij mentionem fieri debere primi, quia in iure statutum est tum ob reprimendam ambitionem, tum ne sequatur præiudicium alijs, si omnia in vnum conferantur, & etiam Eccle

sijs,

sijs, si pauciores ministros haberent. Probat textus in *capite ad aures capite cum adeo, capite constitutus, capite postulasti, capite ad audientiam secundo, capite in nostram de Rescriptis capite gratia eodem lib. 6. capite cum sine cura de præbendis, & Clement. 2. de officio legati.* Quod procedit in impetratione â Pontifice, & eius legato, non verò in impetratione ab Episcopo, & Archiepiscopo iuxta textū in *Clementina secunda de officio ordinarij.* Quam doctrinam extende, etiam si primum beneficium sit tenue, & insufficiens ad sustentationem *capite si proprio motu de præbendis lib. 6.* Quæ fuit eius textus noua decisio, quid quid alij dicant. Nam iure antiquo decretalium non erat necessaria mentio primi, si tenue erat, & insufficiens, idque indicat mihi illud verbum in *dicto capite nolumus obtinere.* Quod significat ius nouum, vt docet glos sa penultima in *Clement. vnica de rer. permutat.* & constat etiam ex iuribus citatis, & *ca. dilectus 2. de præbend.* in quibus Pontifices semper se restringunt ad habentem primum beneficium sufficiens. Neque obstat textus difficilis, qui nonnullos mouet in *capite si proponente de Rescriptis.* Respondetur enim. Quod ibi annullat rescriptum, non ex eo quod fuit prætermissa mentio primi beneficij tenuis, sed quia fuit dolosa impetratio. Cum enim haberet beneficium, dixit se nullum habere: dolus autem vitiat omnino rescriptum etiam in re leuissima, vt dixi supra capit. 16. ex communi certaque sententia. Sed neque quando prouidetur in forma digni, necessaria est mentio primi, & in pensionibus etiam non esse necessariam, quia pensio non est beneficium Ecclesiasticum, dicendum in materia de beneficijs.

18 Sed prædictæ resolutioni obstare videtur textus in *capite gratia de Rescriptis in 6.* vbi gratia ad secundum beneficium non est subreptitia, & nulla etiam non facta mentione primi, ibi, *absenti, & ignoranti collata.* Respondent nonnulli textum istum loqui, & procedere quatuor concurrentibus. Primum, quod ignorantia sit probabilis. Secundum, quod nemini fiat præiudicium. Tertium, si Papa aliâs erat facturus, etiam facta mentione primi beneficij. Quartum, & vltimum, quod decisio illius textus non est extendenda ad alios casus. Ita intelligunt Abbas in *capite super literis de præbendis* numero 6. Decius numero 7. Beroius in 1. lectura num. 40. Probat Menochius de arbitrarijs lib. 2. casu 201. num. 53. Sed hæc intelligentia non placet. Nam certum est non concurrere in specie huius texrus tertium requisitum. Constat enim ex principio capitis loqui, etiam si beneficium sit pingue, & non possit retineri cum secundo. Quo casu certum erat Pontificem non concessarum. Atque ad id expendo illa verba textus, *Vtrumque tamen, si talia sint beneficia, quæ simul nequeunt de iure teneri, &c.*

19 Quare vera eius textus interpretatio est, quod gratia, de qua ibi est sermo, non fuit subreptitia ex eo, quod nō fuit facta mē tio de priori beneficio collato absenti, & ignoranti. Cum enim ea collatio facta esset absenti, & ignoranti, ante scientiam, & acceptationem non erat quæsitum ius, neque erat primum beneficium effectum suum per textum in *capite si tibi absenti, de præbendis in 6.* Quem textum declarat Couar. lib. 3. variarum capite 16. & proinde illius beneficij prioris non dum adquisiti non fuit necessaria mentio. Sic Beroius in *dicto capite super literis* numero 42. vel 43. & in repetitione eiusdem textus numero 49. Neque obstat huic interpretationi, quod textus in *dicto capite gratia* innitatur in ignorantia. Inquit enim, *cum tempore impetrationis nescires*, quo datur intelligi, si ad fuisset scientia, fieri debere mentionem primi. Respondetur enim ex ignorantia colligi nondum illud beneficium esse illius effectum proprium, vt dictū est. Si autem sciret, & nec repudiaret, neque admitteret, quo obtineret secundum, cum dolo ageret, & ita esset nulla impetratio iuxta dicta. Atque iuxta hanc etiam interpretationem intelligitur textus in *Clement. gratiæ, de rescriptis*, quod, scilicet, de expectatiua illa, de qua fit mentio in illo textu, non debuit fieri mentio in impetratione secundi beneficij. Licet contra sentiat Felinus in *capite in nostra de rescriptis*, per eundem textū. Sed sine ratione, nam textus in *dicto capite in nostra*, non loquitur de expectariua, & iure ad rem, sed de receptione in canonicum, licet sine præbenda.

20 Limitanda tamen decisio textus in *d. c. gratia*, nisi per procuratorem habentem ad id speciale mādatum acceptatum esset beneficium, tunc enim fieri debuit mentio prioris iuxta glossam in *capite si tibi absenti de præbendis in 6.* communiter approbatam, & resoluit Couar. lib. 3. variar. capit. 16. Nam si eiusmodi primum beneficium absenti, & ignoranti collatum, & ab eius procuratore speciali fuisset acceptatū, subreptitia esset impetratio secundi beneficij non facta mentione primi, cum iam beneficium effectum sit

sit eius proprium. Contrarium sentit glossa in *dicto capite gratia* verbo, *ignoranti*, quam plerique sequuntur, sed meo iudicio contra manifesta iuris principia, vel dogmata.

Quomodo reddatur nulla dispensatio, quādo plura cōcurrunt impedimēta.

§. QVARTVS.

SVMMARIVM.

Quando sunt plura impedimenta, & exprimitur vnum alio suppresso vitiari rescriptum, n. 21.
Quomodo intelligenda ea communis sententia, num. 22.
Limitationes communis sententiæ, num. 23.
Colliguntur nonnulla explicationis gratia, numero 24.

21 TERTIO loco communis Doctorum sententia est, reddi nullam dispensationem, quando sunt plura impedimenta, & exprimitur vnū suppresso alio. Quam sententiam multis citatis docet Thomas Sanchez lib. 8. disput. 23. numero 2. loquens de dispensatione ad matrimonium, & vniuersè eandem doctrinam docet Suarez lib. 6. de legib. capit. 24. num. 2. Adducit Thomas Sanchez nonnulla iura in huius sententiæ confirmationem, quæ parum aut nihil probant, vt rectè ibidem ostendit Suarez.

22 Sed quamuis hæc sententia communis sit, difficilis tamen, quia in multis videtur valere dispensatio vnius sine alio, vt si quis velit ducere consanguineam, & simul etiam teneatur voto, valida erit dispensatio voti etiam tacito impedimento consanguinitatis. Item si quis teneatur voto religionis, & castitatis, valebit dispensatio vnius, non expresso alio, maxime si prius quis obtineat dispensationem voti religionis, quam castitatis. At in impedimētis matrimonij receptum est, vt dispensatio non valeat in vno impedimento, si non exprimitur aliud, cum tamen in dispensatione irregularitatum multi doceant valere dispensationem in vna sine alia. Quare ego hanc communem sententiam sic intelligerem, vt necessarium sit vtrumque impedimentum exprimere, quando dispensatio postulatur ad vnum, & eundem effectum, neque alia causa afferri potest tollendi vnum impedimentum, quam aliud. Ratio autem huius sententiæ sic explicatæ ex eo desumitur. Quia illa omnia efficiūt quasi vnum impedimetum grauu, quod sæpe est in causa, vt negetur dispensatio. Quare oportet totum impedimentum integrè cognoscere.

23 Sed hæc communis sententia limitatur primò, vt non habeat locum, quando vnum ex illis impedimentis aliter tolli potest, vt cum concurrit votum, quod irritatione auferri potest. Secundò limitatur nisi concurrat impedimentum occultum cum publico, etiam si ex eius publicatione non sequeretur infamia, vt rectè docet Thomas Sanchez lib. 8. de Matrimonio disp. 23. num. 7. & 8. Quia non præsumitur Pontificem velle, vt id occultum manifestetur, & ideo constitutus est pœnitentiarius: cui tamen manifestādum est vtrumque impedimentum etiam illud, in quo Pontifex dispensauit, vt ex stylo Curiæ refert Thomas Sanchez dict. n. 7. Sic autem procedet, qui vxorem interfecit animo ducendæ concubinæ, exempli causa, & non plenè probatum est delictum, punitum tamen arbitaria pœna. Narret Pōtifici quod de eo crimine diffamatus fuerit, & punitus arbitraria pœna defectu probationis; Pœnitentiario autem narret veritatem, cum ex eo non resultet periculum manifestationis, siquidem non exprimuntur nomina.

24 Ex dictis colligitur inprimis, si quis teneatur voto, & impedimento consanguinitatis, si petat consanguinitatis dispensationem vtrumque explicandum. Si verò prius voti dispensationem petat, non erit necessarium explicare vtrumque. Quia potest esse idonea ratio dispensandi in voto castitatis, etiam si nolit contrahere cum consanguinea. Item si teneatur voto religionis, & castitatis, si prius petat dispensationem in voto religionis, potest valere dispensatio in vno sine alio, quia ex diuersis finibus, & rationibus potest esse dispensatio in illis votis. At si prius petat dispensationem voti castitatis, censet Franciscus Suarez dicto capite 24. numero octauo esse nullam eam dispensationem. Quia nullius momenti est dispensatio in castitate illi qui manet adstrictus voto religionis. Sed dubito de veritate huius sententiæ. Quia cum votum religionis non sit votum perseuerandi, potest esse vtilis dispensatio voti castitatis, si non perseueret, & ideo ex diuersa, & iusta causa peti, & ad diuersum effectum. Fit etiam, si quis teneatur pluribus irregularitatibus, & petat dispensationem ad ordines, omnes explicandas. Quia vna omnium dispensatio-

num

num causa est. Quamuis in hac re sub ea distinctione procedat Suarez cap.cit.num.10. & sequentib. vt tunc necessarium sit plures irregularitates exprimere, quando grauitas vnius sine alia explicari nō potest. Sed quod dixi mihi videtur verius ob rationem adductam. Illud tamen obiter aduertendum est, si petatur dispensatio irregularitatis contractæ ex homicidio presbyteri non expressa circunstatia sacerdotij eam valere, vt contra Nauarrum, & alios docet Salas disput. 20.sect.15.§. *Quartum dubium est.* Cuius ratio est. Quia eiusmodi circunstantia nec iure, nec stylo, nec consuetudine exprimēda est. Cum ergō non sint indicia de contraria voluntate Pontificis valida censenda est dispēsatio iuxta prædicta.

Quid dicendum de impedimentis matrimonij explicandis?

§. QVINTVS.

SVMMARIVM.

Quæ impedimenta matrimonij explicanda sunt, num.25.
Quomodo explicandi gradus, num.26.
Reijcitur Thomas Sanchez, num.27.
Quomodo explicandum impedimentum cognationis spiritualis, num.28.
Quid si sit ex publica honestate, num.29.
Quid si publica honestas concurrat cum affinitate, num.30.
Quid si petens dispensationem erret in gradu, numero 31.

25 QVOD ad matrimoniū spectat, in primis omnia impedimēta explicanda sunt, cum ad vnū, & eundem effectum ordinentur, & in eadem dispensatione propter rationem dictam. Similiter distinctē explicanda est qualitas impedimenti, vt quoto gradu se vel consanguinitatis, vel affinitatis, vel publicæ honestatis contingant. Non enim ex eadem causa conceditur in his gradibus, neque cum eadem compensatione, sicut cum petitur legitimatio filij, necessarium est explicare qualitatē illegitimationis, an sit spurius vel ex adulterio, vel sacrilegus. Similiter in affinitate explicandum est, an oriatur ex copula licita vel illicita, quia est diuersa qualitas impedimenti. Quamuis si explicetur affinitas in tertio vel quarto gradu non sit necessarium, aliquid amplius explicare, cum post Tridentinum sola affinitas orta ex matrimonio rato extendatur ad tertium vel quartum gradum. Similiter necessarium est explicare numerum consanguinitatum, vel affinitatum, vel cognationum spiritualium, vt si duplici ex parte se contingant in secundo consanguinitatis gradu, vel si quis rem habuit cum duabus consanguineis eius, quā vult ducere vxorem intra secundum gradū. Quod licet nonnulli negent, probabilius tamen censeo, quod dixi cum Sanchez lib. 8. disput.24.n.5. Efficiunt enim hæc vnum vinculum longè grauius vt dicebam supra. Et simile optimum est in dispensatione cum illegitimo ex adulterio. Si enim nō explicetur, an adulterium sit ex vtraque parte censetur irrita dispensatio, vt docet Molina tom. 1. de iustitia tract.2.disput.173.vers. *Hinc colligitur.* Vnde constat planè diuersam esse rationem, si affinitas orta sit ex pluribus actibus repetitis, cum eadem tamen consanguinea: tunc enim non est id necessarium explicare, quia nō consurgit minus impedimentū affinitatis ex vna, quam ex pluribus copulis cū eadē. Quare si ante dispensationem factam per ordinariū sæpius quis copularetur cōsanguineæ vxoris ducendæ, non esset necessaria alia dispensatio. Secus esset, si post dispēsationem per ordinarium factam iterum illam cognosceret. Tunc enim iam esset noua affinitas cum prior per dispensationem esset omnino sublata.

26 Rursus in explicatione graduum consanguinitatis si sint infra quartū gradū, non erit necessarium dispensationem petere iuxta declarationem Cardinalium. Atque hinc intelligenda est etiam mens Pauli III. in motu proprio pro Indis, quia pro illis ablatus est tertius, & quartus gradus cognationis, & ita si cōcurrāt primus vel secūdus gradus cū tertio, nō sunt impediti. Intelligitur autē ille motus proprius, de Indis Neophytis, & tā in affinitate, quā consanguinitate omnesq; etiā Indorū prouinciæ eo nomine, comprehendūtur. Quod si sit inæqualitas graduū intra quartū, iure quidē antiquo tantū sufficiebat explicare remotiorem non facta mentione propinquioris, quādo erat gradus inæqualis, tantū enim est vnicum impedimentum simplex *c.fin.de consanguinitate.* Attamen cōstitutione Pij V. decretum est, vt sola fiat mētio remotioris, habitis tamē literis declaratorijs super propinquiori. Loquitur autē Pius V. tantū in cōsanguinitate & affinitate. Quare habebit locū in affinitate ex formi-

cationē

catione, nō tamē in publica honestate ex rato matrimonio, in qua sufficiet attento iure cōmuni explicatio remotioris gradus. Similiter nō habet locū illa cōstitutio, cū gradus remotior est extra quartū. Quia tūc nō est necessaria dispēsatio, vt declarauit cōgregatio Cardinaliū apud Farinaciū. Similiter nō est locus illi cōstitutioni, quando propinquior gradus fuerit primus cōparatione stipitis, vt si cōcurrat secūdus, tertius, vel quartus cum primo, expressē enim excipitur in d. proprio motu. Quare eodē modo procedendū est in explicatione impedimēti affinitatis ortæ ex fornicatione occulta cū petitur pro foro interiori. Nō enim est necesse explicare propinquiorē, nisi propinquior sit primus gradus. Eiusmodi autē literæ declaratoriæ, quas exigit Pius V. non sunt necessariæ ad matrimonij valorē, sed pro foro externo, & ad vitandū scandalū. Quare si sine illis dispenset Ordinarius, siue credens allatas esse, siue ex malitia, matrimoniū valet, neque retractari potest, vt docet Thomas Sanchez cum alijs disput. cit. n. 28. & sequentib. Igitur si absit scandalū, probabile erit nō peccare eos, qui non adducunt literas declaratorias; & certius erit non esse necessarias, cum dispensatio petitur tantum pro foro interno.

27 Si ergō hæc vera sunt, vt & docet Thomas Sanchez, nō video, quomodo stare possit, quod docet eadē disputatione, n. 12. nō satis esse explicare inæqualitatē gradus, si fœmina sit, quæ propinquior est, sed explicari debere, an ea fœmina sit in secundo vel tertio. Quod etiā docuit Molina, tom. 1. tract. 2. disput. 161. vers. *Illud tamen*. Si enim literæ Pij V. absolutè & sine distinctione docent nō esse necessariū propinquiorem exprimere nulla facta distinctione fœminæ aut viri, nescio quo fundamēto deducatur esse necessariū explicare propinquiorē, si fœmina propinquior sit stipiti quā vir. Quare dicamus neq; in eo casu esse necessariū, & multo minus in affinitate, siue ea oriatur ex copula licita, vel illicita ob eandē Pij V. constitutionē. Ex quo eodē fundamento deduco contra Sanctium num. 14. non esse necessarium explicare an ea distantia sit in linea recta, vel transuersali. Si enim ex constitutione Pij V. non est necessaria inæqualitatis explicatio, quando gradus propinquus concurrit cum remoto; ergo neque necessariū est explicare qualis sit ea propinquitas vel distantia. Si enim in recta linea cōsanguinitatis est impedimentum naturale vsque in infinitum, dispensatio esse non potest. Si vero non extenditur in infinitum, & petitur in eo gradu, in quo dispensatio esse potest, non video cur necesse sit distantiam explicare. Quare, nisi Pontifex aut stylus Curiæ id exigat ad valorem dispensationis, id teneamus.

28 At si impedimentum sit cognationis spiritualis, explicari quidē debet, si sit cum filia spirituali; quia licet sit distantia, attamen propinquior gradus est primus cum patre eius, quā tenuit. Et quāuis Pius V. in sua constitutione non agat de impedimento cognationis spiritualis, colligitur tamen ex ea Pōtificē in primo gradu dispensare nolle. Cui adde, id quod Thomas Sanchez dicit eadem disputatione, n. 15. non legi dispensationem patris cum filia spirituali, licet legatur concessa dispensatio inter parentes spirituales & naturales. At postea cognoui quod Greg. 14. dispensauit cum patre, & filia spirituali, pater erat Nobilissimus Hispanus, & apud Mediolanenses Regius Præses filia nomine Ersilia; quorum Infaustas nuptias, infaustam que prolem vita breui (forsan veneno) extinctam Mediolanenses viderunt.

29 Quod si impedimētū sit ex publica honestate in gradu inæquali, non est necessariū exprimere ortā esse ex matrimonio rato, cū id planē cōstet ex eo, quod post Tridētinum nō potest extēdi honestas publica proueniēs ex spōsalibus vltra primū gradū; & ideo in eo impedimēto nulla sit distātia. Si verò sint in primo gradu, necessariū putat Thom. Sāchez disp. cit. n. 16. explicāre an proueniat ex matrimonio rato, vel ex spōsalibus. Quia illud impedimentum grauius. Sed non video huius rei firmum fundamentum.

30 Si autē simul cōcurrat publica honestas cū affinitate, ideſt, cū quis vult ducere cōsanguineā vxoris, quā cognouit matrimonio cōsummato, cū qua & habet impedimentū publicæ honestatis ex cōstāti matrimonio rato, & affinitatis ex cōsummato, placet in eo casu distinctio, qua vtitur Thom. Sāchez disp. cit. n. 38. Si explicetur affinitas ex copula licita, vel intra tertiū & quartū gradū non est necessariū explicare publicā honestatē, iam enim ibi intelligitur & necessario includitur. At si explicetur affinitas in genere, non valet, quia in affinitate in genere non includitur publica honestas. Maximē cum supra dixerimus necessarium esse explicare, an affinitas sit ex copula licita, vel illicita, & non sufficere, si exprimatur affinitas in genere. Pro qua sententia refert Thomas Sanchez Abbatam, Alexandrum, Præpositū, Tabiennā, Loazes, & alios ex Theologis. Sic etiam

censuerunt matrimonij inter Catharinã,& Henriquũ 8.Regẽ Angliæ defensores, vt cõstat ex Nicolao Sãdero de Schismate Anglicano lib. 1. pag. mihi 58. vbi hæc habentur: *Veniamus iam ad illud vltimum caput, in quo vimmaximam aduersarij sitam esse arbitrantur. In precibus Pontifici oblatis hæc verba continebantur duduminter DominamCatherinam, & Principem Arthurum Henrici fratrẽ matrimoniũ per verba de præsenti fuisse contractũ. Nõne his verbis satis expresse proponitur iustitiæ publicæ honestatis impedimẽtũ, quod ex solo nuptiarũ cõtractu oriebatur. In ijsdẽ vero precibus mox sequitur illud matrimoniũ carnali copula forsitan fuisse consummatũ. Non ne hinc etiam affinitatis impedimentũ elicitur, si forte carnalis copula interceſsisset? Propterea enim adiectũ est illud forsitã, vt in omnẽ euentũ matrimonio consuleretur, etiãsi carnalis copula, quæ reuera nõ interceſsit, casu quopiã interceſsisset. Cũ ergo Papa ex re narrata intellexerit, duas ad summũ res obstitisse, quo minus Catherina Henrico nuberet; vnã, quod ea fœmina prius Arthuro Henrici fratri nupta fuisset: alterã, quod ab eodẽ Arthuro forsitan fuisset cognita: ideque Pontifex tota re intellecta, non modo affinitatis in toto genere, sed huius ipsius affinitatis impedimentũ (quod inter Henricũ,& Catherinũ ex nuptijs Catharinæ cũ Arthuro prius contractis,& copula forsitan fuſecuta consummatis, interuenerat) auctoritate sua subſtulerit, nõne eo ipso, iuſtitiæ etiam publicæ honeſtatis impedimentũ, quod copulam carnalẽ præcedit, multo magis suſtulit? Nam si Henrico Regi permittitur vt fratris vxorẽ etiamſi carnali copula fuisset cognita, tamen ducat: Non ne multo magis eam ducere permittitur, si nupta solum, & non etiam cognita fuit?* Hæc Sanderus.

31 Denique, si petens dispensationem erret in gradu, Thomas Sanchez disput. cit. n.17. existimat, si error sit in gradu inferiori exprimens per errorem gradum proximiorem, vt tertiũ pro quarto, valere dispensationẽ. Quia facilior esset dispensatio. Quod quidẽ probabile est, cum quartus includatur in tertio. At si erret explicando minorẽ gradum pro maiori, nõ valere, quia errat in substantia gradus. Et idem dicendum, quamuis sit cõmunis error, excusabitur enim à culpa, non tamen valebit dispensatio. Similiter, si impedimentũ est minus, & per errorẽ exprimatur maius, diuersi tamen generis, vt si sint affines in secundo gradu, & explicetur esse consanguineos in secundo, non valet dispẽsatio. Quia in dispensatione non est argumẽtum à maiori ad minus, nisi quãdo minus includitur in maiori, vt dicebamus de errante in gradu inferiori, & exprimente superiorẽ. De quo Thomas Sanchez citatis alijs, n.19.

Quid dicendum de explicatione copulæ.

§. SEXTVS.

SVMMARIVM.

An necessariò explicanda copula, n.32.
Nauarri doctrina consideratur, n.33.
Obijcitur ex Tridentino, n.34.
Expenditur Tridentini decretum, n.35.
Examinatur quædam difficultas circa illud, nu. 36.37.38.39.
Dissimulare posse ordinarium si contrahentes bona fide, in ea perseuerent, quamuis sciat dispensationem subreptitiam fuisse, n.40.

32 DE hac re agit latè Thomas Sãchez lib. 8. de Matrimonio disput. 25. qui probabilius existimat cũ multis alijs explicationem copulæ necessariam esse ad valorẽ dispẽsationis. Mihi tamẽ semper probabilissimũ visum est, quodsi post copulã carnalẽ cũ cõsanguinea impetretur dispẽsatio ad cõtrahendũ matrimoniũ, nõ facta mẽtione de copula carnali, dispẽsatio valet, & nõ est subreptitia. Quia copula illa carnalis, si fuisset expressa, facilioré reddidisset Põtificẽ ad concedendã dispensationẽ. Quãdo autẽ tacetur veritas, quæ si fuisset expressa, facilioré reddidisset Põtificẽ ad cõcedendum rescriptũ, nõ cẽsetur subreptitiũ iuxta doctrinã glossæ in *c.super literis de rescriptis* verbo *literas*. Quæ glossa est cõmuniter approbata, vt resoluunt ibidẽ Felinus, n.8. Decius, n.9. Beroius, n.75. Atq; hoc quod de copula dixi mus sine dubio verissimũ fuit ante Concilĩ Trid. vt docet Nauar. in Manuali Latino c. 22.n.86.& in *c.si quando de rescriptis* in 4.exceptione. Quæ etiã doctrina verissima fuit etiã quãdo copula carnalis malitiosè interuenit cũ animo extorquẽdi dispensationẽ per illã copulã. Nã quãuis in isto casu expressa copula pro causa debuit etiã exprimi prædicta malitia, vt docet Nauar. in d.4. exceptione, tamẽ si dispẽsatio fuit impetrata, tacita copula, & nõ exprimẽdo illam pro causa, potuit etiã taceri prædicta malitia, & dispẽsatio in isto casu proculdubio non est subreptitia.

33 Addit tamen Nauarrus in Manuali, c.8.n.86. post Concilium Tridentinum sess. 24. de Reformat. cap.5. modum istum impetrandi dispensationẽ propter copulã esse prohibitum, licet antea fuisset approbatus, atque adeo de hodierno stylo dispensationẽ ad contrahendum matrimonium per aliam causam censeri subreptitiam, si non fiat mentio

tio de copula carnali præcedēti. Verùm hæc doctrina meo iudicio abhorrere videtur à iuris vtriusque principijs. Quia incongruū videtur, quod copula carnalis, quæ olim mouebat ad pietatem, & efficiebat faciliorem dispensationem, hodie ingerat difficultatem & reddat difficiliorem dispensationē. Quare verius videtur, vt dixi, quod etiam hodie, sicut olim copula carnalis inter prohibitos non reddit dispensationem difficiliorem, sed faciliorem, atque ideo non esse necessarium in supplicatione copulam explicare, neque teneri eos, qui dispensationem petunt, ad interrogationem ordinarij de copula respondere; sed posse sine peccato negare reticendo in mente, *vt tibi dicam.* Imo & quamuis in rescripto dicatur *si copula non fuerit*, si ea dispensatio sit obtenta pro foro externo, adhuc valet, quamuis negetur, dummodo ea copula non probetur in exteriori foro; quia ea clausula intelligenda est iuxta naturam eius dispensationis. Quæ omnia probabilia etiam iudicat Thomas Sanchez loco citato. Vnde merito reprehendendi ordinarij, qui quando ea clausula non apponitur, interrogant de copula habita. Nec me mouet, quod soleat exprimi copula de stylo Curiæ. Mihi enim propter ea quæ dixi, valde dubium est, ex eo stylo effici explicationem copulæ necessariam esse ad valorem dispensationis. Et vt lector sciat se tutò sequi posse hanc sententiam, eam tenet Nauarrus lib. 4. consil. in 1. Edit. tit. de consangui. conf. 1. & 5. & tit. de sponsal. conf. 2. Et in 2. Edit. conf. 8. 9. 10. 11. Ouando, Salzedo, Bernardus Diaz, Costa, Gutierrez quæst. Can. lib. 1. cap. 15. num. 11. Zauallos qq. pract. 737. Man. Rodrig. tit. 1. Sum. in 2. Edit. cap. 238. Vide etiam Henriquez lib. 12. de Matrim. cap. 2. num. 4. 5. 6.

34 Neque obstat textus dicti Concilij Tridentini in d. cap. 5. Nam expresse loquitur, quando inter prohibitos interuenit copula carnalis cum animo de facto consummandi matrimonium antea inter illos scienter contractum. Nam quemadmodum matrimonium ipsum scienter contractum reddit difficilem dispensationem; sic à fortiori reddere debet difficiliorē, si fuerit copula carnali consummatū. Id quod etiā ante Concilium Tridentinum dicendum erat ex bene fundata iuris Pontificij doctrina. Vnde colligitur quod Cōcilium Tridentinum nihil innouare voluit, quando copula carnalis interuenit sine matrimonio.

35 Sed circa prædictū decretum Tridentini aduertendū est, quod si prohibiti nō cōtraxerint matrimoniū de præsenti, sed sponsalia tantū de futuro simpliciter, etiā sine cōditione, *si Papa dispensauerit*, nō procedit illud decretum, neque efficiuntur indigni dispensatione, quoniam decretum illud loquitur & procedit contra ineuntes matrimoniū, & ita non habet locum contra ineuntes sponsalia de futuro, iuxta Glossam in *Clement. vnica de consanguinit. & affinit.* V. *contrahere.* Cōmuniter approbatā per Doctores, ibi, vt docet Nauarrus in Manuali cap. 22. n. 43. & Couar. 2. parte de Matrim. cap. 6. in fine principij.

36 Ex quo explicari potest magna illa difficultas, vtrū pœna illius decreti contra ineūtes matrimoniū in gradu prohibito, & præsertim contra cōsummantes per copulā carnalē, habeat etiā locū contra celebrātes sciēter sponsalia de futuro, secuta inter eos copula carnali. In qua difficultate nonnulli resoluunt post Tridentinū sess. 24. de Reform. matrim. c. 1. reuocatam videri decisionē in *c. is qui fidem, de sponsal. lib.* & ideo præcedentibus sponsalibus de futuro, & secuta copula carnali non posse resultare præsumptū matrimoniū de præsenti, siue inter habiles siue inter inhabiles cōtrahendū: & addunt etiā, quod ante Cōc. Trid. in terminis decreti in d. c. 5. & in *Clement. vnica de consang. & affinit.* præcedentibus spōsalibus de futuro scrēter inter prohibitos & inhabiles, & secuta inter eos copula carnali resultabat præsumptū de facto matrimoniū, & incurrebāt pœnā sta tutā contra ineuntes matrimonium in gradu prohibito, vt docet Glossa in d. *Clement. vnica v. cōtrahere*, cōmuniter approbata per Doctores ibi, & resoluit Nauarrus in Manuali, cap. 22. num. 43.

37 Hæc tamē Glossa atq; cōmunis sententia nō placet. Nā decisio textus in d. *c. is qui fidem*, quādo vigebat, fundabatur tū in fauore matrimonij, tū maximè in iuris præsumptione, ex qua nemo præsumitur delinquere, *c. estote misericordes de regulis iuris l. merito D. Pro socio.* Et ideo ad euitandū peccatū fornicationis præsumebatur cōsensus in matrimonium de præsenti per copulam præcedentibus sponsalibus de futuro, vt explicui supra libro 2. & istæ ambæ rationes militabant quando hæc omnia interueniebant inter habiles ad contrahendum matrimonium, & quando poterat matrimonium valere, & euitari prædictum peccatum fornicationis. Non autem hoc procedere poterat inter inhabiles ad contrahendum quia tunc nullus

poterat dari fauor matrimonij, cum esset nullum: nec poterat euitari peccatum fornicationis nullo existente matrimonio. Quinimo, sicut quando poterat valere matrimonium, præsumebatur consensus ad euitandū peccatū: ita quando nō potest valere matrimonium etiam inter inhabiles, & prohibitos, debet præsumi dissensus ad matrimonium, vt euitetur peccatum, si non copulæ, saltem contemptus, & inobedientiæ contra Ecclesiam.

38 Ex qua doctrina colligitur maior quædam declaratio prædicti decreti Tridentini, & etiam rextus in *c. fin. de condit, appositis* in fine, videlicet quod si inhabiles ad contrahendum matrimonium de facto illud contrahāt per verba de præsenti sub conditione impossibili, contractus est ridiculus, & non consentiunt in matrimonium, & non incurrunt excommunicationem in d. clement. 1. nec indigni efficiuntur dispensatione ad iterum contrahendum, nec ex dicto contractu oritur impedimentum publicæ honestatis, cum matrimonium fuerit nullum ex defectu consensus, argumento textus in *l. non solum D. de action. & oblig.* iuncto *cap. 1. in principio de sponsalibus in 6.* Neque obstat quod in dict. c. final. conditio impossibilis remouetur, & habetur pro non scripta taubre matrimonij. Nam respondeo illud verum esse fauore matrimonij, quando potest valere matrimonium inter habiles, secus verò inter inhabiles, vbi non potest valere matrimonium, nec militat fauor matrimonij.

39 Denique addendum est ad dictum decretum in verficulo *si vero*. Quod si ignoranter à principio in gradu prohibitio fuit contractum matrimonium adhibitis solemnitatibus, tunc facilius impetratur dispensatio, vt dicitur in prædicto decreto. Quod etiam procedit, quamuis postquam superuenit scientia de impedimento, perseuerauerint in matrimonio, & in copula. Quia in hoc casu, sicut non habet locum pœna dictæ Clementinæ, vt docet Glossa ibi verbo *contrahere* communiter approbata, ita etiam non habet locū pœna dict. Concilij Tridentini, & non efficiuntur indigni dispensatione.

40 Adde rursus, quod si post contractum matrimonium bona fide, & consummatum per copulam, si contrahentes perseuerent in bona fide, & habeant probabilem ignorantiam, quod dispensatio fuit subrepticia, quamuis hoc intelligat ordinarius, potest dissimulare, & tacere propter periculum, quod imminet ex separatione matrimonij. Quæ doctrina colligitur ex *cap. quia circa de consanguinitate, & affinit.* ibi. *dissimulare poteris*, & resoluit Couar. 2. part. de matrim. cap. 6. §. 10. num. 15. ibi eam probare tenetur ex Abbate in dict. cap. num. 7. Felino num. 2. Beroio num. 4. & alijs.

Quādo sit vitium per expressionē falsi.

§. VLTIMVS.

SVMMARIVM.

Vitiari dispensationem per expressionem falsi, explicatur, num. 41.

De hodierno stylo præcedentem sententiam ordinarij, etiamsi illa iniusta fuerit valere, n. 42.

Quis dispēsare potest, quando erreatur in diœcesi, num. 43.

41 QVANDO dispensatio reddatur nulla ex expressione falsi latè explicat Thomas Sanchez lib. 8. de Matrimon. disput. 21. Suarez lib. 6. de voto c. 27. nu. 8. Breuiter tamen ita se res habet. In primis, si falsitas expressa vitiat impedimentum in quo dispensandum est, vel non plenè explicat, planè dispensatio nulla est ex subreptionis vitio. Quod in votis facile, & optime explicat Suarez loco citato. Deinde si falsitas exprimatur in causa, vt si causa falsa apponatur, dispensatio est nulla, quia non solum in dispensatione voti ad eius valorem requiritur causa, sed etiam ad dispensandum in alijs, cum dispensatio petitur ex causa. Hoc autem intelligendum est de causa finali, motiua. Quod si plures causæ proponantur, si vtraque est insufficiens per se, & integrant vnam causam sufficientem, si aliqua earū est falsa, corruit dispensatio. Quia illis nititur voluntas dispensantis. Sumiturque hæc doctrina ex *capite postulasti de reseriptis*, quam latè docet Couar. lib. 1. variarum ca. 20. numero. 5. Iudicabitur autem vtramque insufficientem esse, quando ex quacumque illarum seorsim non solet concedi dispensatio. At si vna causa sit sufficiens ex cōsuetudine & stylo, & ea vera, alia autem, quæ additur, sit falsa, communior sententia est, quæ docet valere, quam sequitur Thomas Sanchez, & probat multis citatis disput. 21. nume. 32. Quod verum est, etiam si falsis testibus ea causa probetur, dummodo illa vera sit in dubio autem an sit causa finalis, quæ exprimitur in dispensatione, vel impul-

impulsiua, censendum est esse finalem, vt docet idem Auctor ibidem num. 20. In dubio verò an dispẽsatio sit valida, hac regula vtẽdum, vt in dubijs tutior pars eligatur iuxta regulam iuris, in opinionibus autem probabilis eligatur; quæ duo sunt valde interse diuersa.

42 Illud etiam addendum est, quod dicebamus supra cap. præcedenti, quando de hodierno stylo Curiæ Papa non dispensat, nec confidit de precibus supplicatis, nec de precum veritate, sed committit ordinario, vt præcedenti diligenti inquisitione super precum veritate, & causis expressis ipse ordinarius dispenset, in isto casu, postquam præcessit inquisitio, & ordinarius declarauit causas expressas esse veras, sententia illa, & declaratio, etiamsi forte fuerit iniusta, est valida, & habet auctoritatem rei iudicatæ, & retractari non potest, *cap. cum inter de sententia & reiudicata cap. siquis versic. si primo contra ius litigatoris 2. quæst. 6.* & proinde sequens ordinarij dispẽsatio, & matrimoniũ ex illa contractum valet, & deinceps retractari non potest, præterquam in duobus casibus. Primò, quando à principio rescriptum fuit subreptitium cum dolo vel fraude, iuxta ea quæ dicta sunt cap. præcedenti. Secundò quando postea testes adhibiti super precum veritate fuerunt corrupti iuxta textum in *cap. 1. de exceptionib.* Potest etiam addi tertius casus, quando dispensatio vel rescriptum ad dispensandum fuit subreptitium, licet per ignorantiam, & subreptio fuit notabilis in tacenda veritate, vt supra etiam dicebamus. Nam licet dispensatio subreptitia in exprimenda falsitate per ignorantiam, non possit impugnari post contractum matrimonium vt modo dicebamus; tamen dispensatio subreptitia in tacẽda veritate semper potest impugnari etiam post contractũ matrimonium, quia nulla præcessit cognitio & probatio iudicialis. Ac proinde si mulier vidua, præsertim susceptis filijs hoc tacito petat dispensationem ad contrahendum matrimonium cum consanguineo vel affine in gradu prohibito, videtur quod talis dispensatio etiam per ignorantiam commissa in tacenda veritate, semper est subreptitia & nulla. Quoniam lex nullam curam habet, de huiusmodi viduis maritandis. *Authent. cui relicto, C. de indicta viduitate*, sed duntaxat de virginibus, aut alijs innuptis mulieribus maritandis, *l. 1. D. soluto matrimonio. l. cum tale §. si arbitratus D. de condit. & demonst.* vbi latè declarat Costa.

43 Denique addendum est, cùm dicit Thomas Sanchez disput. cit. num. 32. quando erratur in Diœcesi eius, cum quo dispensatur, dicendo esse Salmantinum, qui erat Abulensis, ideoque committitur dispensatio Episcopo Salmantino, nullum dispensare posse. Quia vero ordinario petentis nihil est commissum; falso autem commissum est aliquid, sed per errorem. Probabilius tamen censeo oppositum, quod etiam Thomas Sanchez putat esse probabile. Constat enim de mente Papæ id esse, vt petentis ordinarius dispenset. Ille ergo solus cum eo poterit dispensare, sicut & ipse Thomas Sanchez disput. cit. num. 38. probauit, quando erratum est in nomine ordinarij, vel petentis, adhuc potest ordinarius cum petente dispensare. De alijs, ex quibus potest esse suspicio falsitatis in rescriptis videndi sunt Doctores cap. 9. & 10. de rescriptis, & Petrus Gregor. lib. 1. de rescriptis cap. 48. & Farinacius in lib. de falsitate, communia enim illa sunt omnibus rescriptis.

De modis quibus dispensatio expirat ex parte illius, cui conceditur.

CAPVT XVIII.

SVMMARIVM.

Quid agendum distinguitur & proponitur, numero 1.

1 SVpponamus prius tres status dispensationis distingui debere. Primus, quando non est executioni mandata, neque dispensatio facta, indultum tamen concessum est. Secundus quando dispensatio est iam facta, & habuit suum effectum proximum; scilicet remotione vinculi, vel impedimenti. Tertius, quando iam est executioni mandata, & habuit suum vltimum effectum, vt quando iam est contractum matrimonium ex dispensatione impedimenti, vel ordinis susceptus ex dispensatione irregularitatis. In hoc vltimo statu planum est, nullo iam modo cessare posse dispensationem; habuit enim iam consummatum effectum, & ille nõ potuit non esse licitè factus. Quare explicãdũ, quãdo cessare possit in alijs primis statibus. Est autẽ eadẽ quæstio de dispensatione, rescriptis, priuilegijs, & licẽtia ad cõfessiones, vel ad aliquid efficiendũ. De quo latè Tho. Sãchez lib. 8. de Matrim. à dis-

put.27. Suarez lib.8. de legib.à cap. 30. Salas de legibus disput.20. sectione 16. & etiã disput.17. per varias sectiones, cum agit de priuilegijs. Potest autem desinere dispensatio vel ex parte formæ, hoc est, causæ dispensationis vel priuilegij; vel ex parte concedentis, vel ob renuntiationem, aut reuocationem & similes modos, de quibus sigillatim agendum est in sequentib. Is autem, cui conceditur dispensandi facultas, vel priuilegium, potest esse in causa, vt expiret ea concessio, vel quia eius vita finitur, vel quia renuntiat, vel quia nõ vtitur. Quæ deinceps explicanda sunt, & quid res habeat in vnoquoque eorum.

Quomodo expiret dispensatio deficiente eo cui conceditur?

§. PRIMVS.

SVMMARIVM.

Diuisio facultatis in realem & personalem, numero 2.
Quomodo cognoscenda sit facultas personalis & realis, primo ex qualitate rei concessæ, numero 3.
Item si concedatur personæ aut rei, explicatur, numero 4.
Limitatur primò, num.5.
Limitatur secundò, num.6.
Quid si verba sint ambigua & non satis perspiciatur, cui faueat magis princeps, rei, an personæ, num.7.
Limitatio prima, num.8.
Limitatio secunda, num.9.
Discrimina inter concessionem realem & personalem, num.10.
Obijciuntur nonnulla, & diluuntur, num.11. 12. 13.
Dispensatio seu concessio non expirat morte eius cui conceditur, secus si personæ, n.14.

2 SED vt explicemus quando expiret ob mortem eius, cui conceditur facultas dispensandi, vel priuilegium, explicare oportet celebrem illam diuisionẽ facultatis, siue priuilegij in realem & personalem, semel enim cognito, quid sit vnumquodque istorum, facile constabit, quando finiatur morte eius, cui concessum est. Diuiditur ergo ea facultas siue licentia in personalem, & realem, vt colligitur ex *l. in omnibus 68. & in l. priuilegia 157. de reg. iuris & in l. forma §. quamque de censibus, & in l. exceptiones 7. de except.*

3 Quærunt autem Doctores, quid sit facultas siue licentia realis, quid personalis. Et quidem, si verba rescripti plana sunt & aperta, cessat quæstio. Si verò clarè non cõstat ex eo Principis aut Legislatoris intentio, coniecturis agendum est, quæ variè traduntur à Doctoribus. Mihi sequentibus obseruationibus articulus iste videtur concludi posse. Primo inspici debet qualitas rei in concessione contentæ. Nam si hæc natura sua sit personalis, personalis etiam erit concessio, vt docet Suarez lib.8. cap.3. num.13. Menochius lib.3. præsumpt. 103. num.35. Qua ratione officiorum concessio semper extinguitur cum persona. Barbosa in *l. quia tale num.79. in fine D. soluto matrimonio.*

4 Secundo, concessio, quæ personæ conceditur, personalis est; quæ verò causæ aut rei, realis est, vt probant adducta supra in diuisione concessionis. Dicitur autem personæ concedi, non solum, quod Titio verbi gratia, datur, sed etiam quod datur certo personarum generi, vt marito, verbi gratia, aut militibus, aut minoribus. Barbosa in d. *l. quia tale*, num. 14. Suarez d. cap.3. nisi personarum mentio fiat sub nomine collectiuo, & quatenus corpus vnum constituũt. Sic concessio facta capitulo, vniuersitati realis censetur, sicut & ciuitati, *l. forma, §. quamque de censibus.* Menoch. supra num.23. & 24. Quia corpora hæc nunquam pereunt, *l. proponebatur de iudic.* Idemque erit, si ciuibus concedatur, aut canonicis, quia censetur concedi ciuitati, & capitulo, *l.2. D. de rebus dubijs.* Fachineus lib.5. controuers. cap. 41. Rei autem concedi dicitur, quod fundo verbi gratia, aut patrimonio conceditur, *l. via §. quæcumque D. de seruit. Rusticor. l. si aquæ ductus D. de contrahend. empt. l.3. §. rebus de censibus*, vel adhæret causæ, vt mutuo, depositio, aut similibus, *l. priuilegia 157. de reg. iuris.* Menoch. d. præsumpt. 103. num. 26. & 27. vel adhæret dignitati, *cap. quoniam ab eo de officio deleg. l. Annua. 20. §.1. de Annuis legat.* Menoch. de Arbit. quæst. 68. num.16. Barbosa *l. quia tale*, num.78.

5 Hæc tamen limitanda sunt primò, si concessioni personali aliquid addatur, quod illam perpetuam efficiat, erit concessio realis, veluti si cõceditur aliquid Titio in perpetuũ, & illi, & eius successoribus, vel hæredibus *l.1. §.1. de iure immunit. l.10. tit.18. part.3.* & do-

& docent plures, quos sequuntur Menoch. d. præsumpt. 103. num. 38. Suarez d. cap. 3. num. 12. Garcia de Nobilit. Glossa 1. §. 1. num. 25. & Glossa 6. num. 38. versic. 8. Et si Barbosa in *d. l. quia tale*, num. 11. distinguat inter priuilegium mere reale, & remuneratorium, & alij quos referunt Doctores citati, existiment eo verbo *in perpetuum* solum denotari vitam eius, cui fit concessio, *l. 1. D. pro socio*. Quorum sententiam non probo. Quia concessio quælibet, quantumcumque personalis sit, durat ad vitam eius, cui conceditur. Ergo vt dictio *in perpetuum* aliquid operetur, debet efficere concessionem realem. Neque obstat textus in *d. l. pro socio*. Quia in societate ineunda ideo verbum perpetuum eam non extendit vltra vitam, quia nullo pacto socij efficere possunt vt societas transeat ad hæredes, *l. cum duobus 52. §. Idem respondit l. Adeo 60. pro socio*. Sic etiam immunitas in perpetuum concessa, si talis est, vt ad posteros transire non possit, durat solum ad vitam, etiam adiecto verbo *in perpetuum*, vt docet Garcia omnino videndus d. §. 1.

6 Secundò limitatur, si concessio personalis fiat principaliter rei, erit realis, quemadmodum è conuerso, licet verba dirigantur ad rem; si tamen concessio fiat intuitu personæ, censebitur personalis, *l. penult. de seruit. lega. & d. l. in omnibus*. Sic priuilegia concessa minoribus, & fœminis cum contrahunt, & fide iubent, realia sunt. Quia licet personis concedantur, tribuuntur tamen intuitu læsionis & deceptionis. Facit, *l. iuris gentium, §. pactorum D. de pactis*. Quod que in quibuscumque dispositionibus magis debeat attendi causa proxima, quàm verborum sonus. Ita cum alijs, quos referunt, Menochius d. præsumpt. 103. num. 1. & 16. Barbosa supra num. 3. & latius ex num. 14. versic. *secundo amplia*. Suarez d. cap. 3. numero 7. Hæc tamen ita accipienda sunt, vt non sufficiat personam vel rem esse motiuum concedentis eam facultatem, vel concessionem, vt statim dicatur reale vel personale. Fieri enim potest, vt contemplatione personæ quidquam detur, quod reale sit. Veluti si Princeps, vt gratificetur Titio concedat eius familiæ, vel patrimonio facultatem, vel priuilegium aliquod: erunt enim realia, *l. 1. §. permittitur D. de aqua quotid*. Sic etiam priuilegium, quod datur patri comparatione liberorum, durat eis mortuis argum. *l. fin. C. de Naufrag.* & notat Barbosa vbi supra, num. 19. & è conuerso priuilegium Titio datum intuitu dignitatis, respectu hæredum & successorum in bonis non in dignitate, est personale, *l. Sordidorum C. de excusat. mun. lib. 10*. Requiritur ergò ad hoc, vt concessio sit personalis, quod persona sit principalis causa concessionis, ideſt, quod Princeps præcipuè intendat prouidere, & fauere personæ; vtque sit reale requiritur, quod principaliter intendat prouidere rei, etsi moueatur contemplatione personæ. Atque ita accipi debet, quod habetur in *d. l. in omnibus*, vt notant supra adducti, quibus adde Emanuelem Rodriguez 1. tomo Quæstion. Regular. quæst. 6. art. 19. & pro interpretatione textus difficilis in *d. l. penult. D. de seruit. lega.* vide Barbosam d. num. 14.

7 Tertiò si verba, & mens concedentis ambigua sint, vt non constet, cui magis fauere voluerit, rei, an personæ, & quod concessione continetur tale sit, vt possit esse perpetuum, & temporale, debet præsumi personale priuilegium, aut concessio. Quia in dubio cõcessiones præsumendæ sunt personales, & restringendæ, vt dixi supra, & dicam infra cap vltimo. Id autem verum est in ea concessione, quæ derogat iuri communi. Nam si sit priuilegium quod non deroget, beneficium erit, & ideo ampliandum, *l. 3. D. de constit. Principum*, iudicandumque in dubio reale ex sententia Bartoli in *d. l. 3.* quod cum alijs probat Suarez d. cap. 3. num. 17. Menoch. supra num. 20. Quibus magis accedo, quam his qui dicunt concessionem in dubio realem iudicandam esse, quos sequitur Emanuel Rodriguez d. 1. tom. quæst. 56. art. 12. in fine. Tiraquellus de iure primig. quæst. 40. num. 72. Magis etiam dictis adhæreo, quam alijs, qui ad coniecturas recurrendum putant cum Barbosa supra num. 4. Menoch. num. 29. Nam eo casu loquimur, quo vel nulla coniectura est, vel adeo sunt hinc inde æquales, vt in neutram partem in clinet magis animus, sed omninò versetur in dubio.

8 Hæc tamen doctrina limitatur primò in concessione, vel priuilegio conuentionali, quale est quod â Principe non gratis, sed accepta pecunia, vel alterius rei compensatione tribuitur, & ideo ex pacto cum eo inito descendit, & ideo conuentionale dicitur, ad differentiam concessionis vel priuilegij puri, quod gratis & liberaliter expeditur; hoc enim præsumitur esse reale, *l. 2. de iure immunitatis*, quia sortitur ratione cõtractus, quod trãsit regulariter ad hæredes, *d. §. pacto*

rũ & l. tale 41. D. de pactis, l. si pactũ 9. de probation. & docent relati à Menochio, num. 22. & Barbosa, num. 6. ad finem. Quod ita accipiendum est, vt in ambiguitate verborum hæc concessio conuentionalis iudicetur realis. Nam si verba ad personam magis referantur, aut aliunde constet hanc fuisse mentem concedentis, erit personalis. Nam & contractus in personam cõcepti eam non egrediuntur, d. §. pactorum, & probat Suarez d. lib. 8. cap. 4. num. 9. Vnde non videtur tutum, quod docuit Iason in l. si fic 33. ex num. 12. de V. O. immunitatem concessam sub nomine proprio censeri realem, si fiat ex contractu; contrarium enim puto verius, nisi aliud constet ex mente concedentis, aut verbis, vt notat Barbosa supra num. 43.

9 Secundò limitant aliqui in concessione facta propter benemerita, quæ in dubio censetur esse realis, vt cum alijs quos refert, tradit Menochius vbi supra num. 13. Quia hæc concessio non tam censetur gratuita, quam conuentionalis, quemadmodum de donatione remuneratoria dicitur, quæ pro titulo oneroso habetur. Creditur enim qui ita donat, magis debitum soluere, quam liberaliter donare, vt cum multis docet Castillo lib. 3. quotid. cap. 4. num. 39. Sed contrarium verius puto ex l. 1. vers. plane D. de constit. Principum, & quia merita, quæ sunt causa proxima cõcessionis personalia sunt. Ergo & concessio talis censeri debet in dubio ex d. l. in omnibus. Ita plures cum Menochio supra, num. 12. Barbosa num. 6. etsi Suarez d. cap. 4. num. 2. non recte videatur hãc sententiam percepisse. Neque obstat, quod diximus de donatione remuneratoria, quia verius est eam vt gratuitam haberi debere, nisi merita talia sint, vt tribuant actionem ad agendum in iudicio, & latè probant Pinellus in l. 1. 3. p. num. 60. C. de bon. mater. Zaballos in communi quæst. 273. Escobar de Ratiocin. cap. 24. num. 24. Parlador. post Sexcentenam quæst. 15. multæ tamen donationes remuneratoriæ sustinentur, quæ nullæ sunt si gratuitæ, & vniuersaliter omnes absque tertij præiudicio, vel in modica quãtitate valent. An requiratur probatio meritorum, quæ in concessione referuntur, explicat Garcia de Nobilitate Glossa 2. num. 17. Sunt qui tertio limitent hanc doctrinam in concessione immunitatis. Sed nihil speciale in ea constituendum puto. Vide Barbosam supra num. 5, Menochium num. 41.

10 Ex his colliges valdè interse discriminari concessionem realem & personalem. Nam personalis ad hæredes non transit, l. 1. §. personis D. de iure immunit. l. maritum 13, cum sequenti D. soluto matrimonio l. 1. §. permittitur D. de aqua quotid. l. sordidorum, C. de excusat. mun. lib. 10. Neque cedi potest ex regula, l. si ex pluribus 48. D. de administrat. tutorum, qua traditur ea cedi non posse, quæ ad hæredes transmitti non possunt. Neque fideiussoribus competit, d. l. exceptiones 7. de exception. Neque vxori communicatur, l. Quod Principi 58. cum l. sequenti de leg. 1. & l. Principe de legib. Cum tamen concessio, quæ realis est, & cedi & transmitti possit, & nũquam intercidat ex dictis iuribus, & l. 3. de censibus. Ratio horum est. Quia iura realia cum rei adhæreant, semper illam sequuntur l. Imperatores de Publicanis, C. sine censu vel reliquis. Personalia vero cum persona pereũt, l. vnica §. ne autem, C. de caducis tollendis, §. finitur de vsufructu, l. cum quis 55. l. fin. de V. O. Donellus de iure eligendi lib. 15. comment. cap. 2. & in facultate conditionis implendæ, Couarru. pract. cap. 39. & in alijs casibus Antonius Gomez tom. 1. variar. cap. 11. num. 20. Garcia de Nobilitate Glossa 6. nu. 38. vers. 8. Gutierrez de Gabellis, quæst. 166. num. 3. late Barbosa in l. quia tale 14. soluto matrim. num. 77. in fine & in d. l. maritum, nu. 81. in fine.

11 Sed huic resolutioni obstat primum quia priuilegium minoribus concessum, vt restituantur, personale videtur, quia fideiussoribus non competit, d. l. exceptiones in fine & l. in causæ 14. de minoribus; & tamen ad hæredes transmittitur, l. non solum de in integrũ restitutione l. minor. 19. §. fin. D. de minorib. l. eæ quæ §. 1. C. de temporib. in integrum. Secundo obstat quod priuilegium marito & alijs concessum, vt in quantum facere possunt, conueniantur, personale est, d. l. quia tale: & tamen ad mariti filios transit, l. etiam soluto matrimonio. 3. priuilegium, quo patroni gaudent, ne à libertis in ius vocari possint sine venia, l. adoptiuum 8. vers. patroni de in ius vocando, personale videtur, quia ob personæ reuerentiam datur, & tamen communicatur vxori, l. 1. C. de in ius vocando. Item illud, ne vltra quam facere possit conueniatur, l. non tamen 10. de re vindicata. Item priuilegium fori, l. mulieris, C. de dignit. lib. 12. & l. fin. C. de incolis lib. 10. & l. eis C. de Fabricensibus lib. 11. l. ne ad diuersa C. de silentiarijs lib. 12. l. 3. C. de Episcopis & Clericis. Tiraquellus post leges connubiales Glossa 2. num. 54. & priuilegium nobilitatis, d. l. mulieres d. l. fin. & l. fœminæ

minæ D. de Senatoribus cap. is qui §. mulier de sepult. in 6. Brissonius de iure connub. num: 31. Otalora de nobilitate 4. p. principali c. 8. Garcia de Nobilitate Glossa 1. §. 1. nu. 44. Ergo priuilegia personalia competunt alijs præter eos, quibus concessa sunt.

12 Sed primæ difficultati relictis latè traditis à Barbosa in *d.l. quia tale*, num. 48. rectè satisfacit Donellus lib. 21. comment. cap. 14. pag. mihi 548. omnino videndus. Notat enim priuilegium restitutionis in integrum non esse mere personale, sed causæ cohærere & rei. Neque enim datur minoribus eo solùm, quod minores sunt, sed quia circunscripti & læsi. *l. quod si minor. §. 1. & l. non omnia D. de minorib.* & ideo ad quoscumque hæredes transit. Fideiussoribus autem speciali ratione non prodest. Nam inter eum qui cum minore contrahit, & fideiussorem minoris tacitè actũ videtur, vt huic nõ prosit restitutio, videtur enim datus & acceptus fideiussor in eum casum, quo minor se restituat, vt aduersus hoc periculum securus constituatur creditor fideiussore accepto. Proinde ei non proderit restitutio, ne decipiatur creditor. Quod qualiter conueniat Velleiano, cuius exceptio fideiussoribus prodest, *d.l. exceptiones*, & alijs iuribus contrariũ probantibus, eruditè prosequitur Donellus supra. Cùm enim nulla mulierum maneat obligatio, neque fideiussorum mulieris, quæ illi accessoria est.

13 Secundæ difficultati respondetur, quod quamuis priuilegium personale non videtur transire ad filios, transit tamen speciali ratione in casu, *d.l. etiam 19. soluto matrimonio.* Quia illud priuilegium conceditur principaliter in fauorem matrimonij, & sic communicatur filijs ex eodem matrimonio susceptis, quemadmodum communicatur etiam illis priuilegium tacitæ hypothecæ & prælationis, si dotem matris petant aduersus nouercam, & filios ex secundo matrimonio susceptos, *l. assiduis vers. exemptis C. qui potiores.* Quod non ita accipiendum est, vt idẽ priuilegium, quod patri conceditur, duret in filio; hoc enim repugnat naturæ priuilegij personalis, sed vt censeatur filio nouum priuilegium concedi argumento, *l. repeti D. quibus mod. vsusfr. amitt. l. Stipulatio*, 38. §. *sed & si quis D. de V. O.* & notat Barbosa in *d. l. quia tale*, & *in l. maritum*, n. 79. Atque iuxta hæc philosophandum est in his, quæ in tertia difficultate continentur. Priuilegium enim, vt à liberto patronus sine venia conueniri non possit, etiam ob naturalem reuerentiam vxori patroni concessum est, vt habetur in d.l. 1. & priuilegium nobilitatis cõmunicatur fœminæ fauore matrimonij. Quare huiusmodi priuilegia valde accedunt ad realium naturam; potius enim videntur ad hærere matrimonio, quam personis, vt de nobilitate, & foro dicam lib. 11.

14 Ex his, quæ hactenus dicta sunt, facile colliges dispensationem siue concessionem, quando ea conceditur personæ, expirare eius morte, non verò quando conceditur sedi, aut dignitati vel officio vt explicatum est. Quia prima est personalis, secunda vero realis. Ex quo rursus fit dispensationem, siue cõmissionem dispensandi factam vicario, eo amoto non posse transire ad Episcopum, sed ad successorẽ Vicarij. Nam Episcopatus & Vicariatus sunt diuersæ dignitates; licet vicariatus non sit dignitas sed quasi dignitas. Atque idem dicendum, quamuis ipse Vicarius in Episcopum eiusdem Diœcesis eligeretur, non enim tunc potest illi competere commissio, sed successori, siue sit vicarius Episcopi, siue capituli in sede vacante. De quo videndus Salas disput. 20. sectione 17.

Quando concessio expiret ob renuntiationem expressam eius, cui conceditur?

§. SECVNDVS.

SVMMARIVM.

Quid renuntiatio dicatur, vnumquenque posse renuntiare dispensationi, n. 15.
Requiritur voluntas renuntiantis, n. 16.
Et signa externa renuntiandi, nu. 17.
Quid in renuntiatione dispensationum, ex quibus nullum ius alteri confertur, num. 18.

15 APpellamus in præsenti renuntiationem dispensationis, aut priuilegij, non quidem non vsum, quæ improprie satis renuntiatio dicitur; sed quãdo quis ita abdicat à se ius vtendi dispensatione, vt iam amplius ea vti nõ liceat; quod enim quis, qui habet dispensationem in impedimento matrimonij, nolit contrahere, & ea vti, non potest verè renuntiatio dici. Certum autem est vnumquemque posse renuntiare dispensationi vel priuilegio, *cap. si de terra cap. accedentibus de priuil. cap. ad Apostolicam de Regular. l. siquis in conscribendo C. de pactis*, & ibi Glossæ atque D.D. communi sensu. Potest tamen ea renuntiatio fieri vel expresse,

preſſe, vel tacite: dicam in hoc §. de expreſſa, poſteâ de tacita.

16 In primis ergò ad expreſſam renuntiationem requiritur voluntas renuntiantis, & abdicantis â ſe ius, & poteſtatem vtendi priuilegio, ſi fuerit totalis renuntiatio, vel parte priuilegij, vel pro vno actu; ſi fuerit partialis. An autem ſufficiat voluntas expreſſa renuntiandi omnibus priuilegijs, vel conceſsionibus in genere, vt cenſeatur renuntiaſſe ſpeciale priuilegium, vel conceſsionem, vel requiratur ſpecifica, & ſpecialis, explicabo latius infrà, cum de reuocatione diſpenſationis fuerit ſermo. Eadem enim videtur proportione quadam colligi ratio. Quantum autem libera eſſe debeat conſtat ex dictis lib. 4.

17 Deinde ad renuntiationem in foro externo non tantum eſſe neceſſariam voluntatem, ſed etiam, imo maximè requiri ſigna externa manifeſtantia voluntatem renuntiandi. Nam in foro externo adeò neceſſaria ſunt externa ſigna, vt illa ſola in multis actibus ſufficiant etiam ſine interna voluntate, vt explicui ſupra lib. 2. Id quod præſertim locum habet, quando renuntiatio talis eſt, vt fiat in gratiam alterius, vel ius illi remittat, vel conferat. Atque hæc eſt communis Doctorum ſententia, cum doceant renuntiationem priuilegij non eſſe irreuocabilem, niſi ſit ab alio acceptata, vt habet gloſſa in *capite venißent, de eo qui mittitur in poſſeſsionem*, verbo *obtuli*, & ibi notat Baldus num. 8. & Iaſon in *lege poſt quam liti C. de pactis*, num. 1. cum alijs.

18 Sed quoniam complures conceſsiones, & priuilegia ſunt, ex quorum renuntiatione nullum alteri ius confertur, vt conceſsio de non ieiunando, de comedendis lacticinijs, eligendi confeſſorem, exigendi decimas, ideo explicare oportet, an ad renuntiationem iſtorum ſufficiat ſola voluntas abdicandi à ſe priuilegium vel conceſsionem, vel poſsit propria voluntate ea renuntiatio reuocari. De qua quæſtione late Suarez lib. 8. de legibus cap. 33. a num. 11. Sed res eſt, quæ meo iudicio facile explicari poteſt, neque longa diſcuſsione indiget. Quare ſtatuo non ſufficere interiorem voluntatem. Quia ea non egreditur fines propoſiti: per propoſitum autem quis ſibi legem non imponit, à qua recedere non liceat, vt eſt in iure. Vnde, ſi ſecludas promiſsionem internam, quæ fit Deo, nulla poteſt ex actu hominis interiori aliqua in ipſo obligatio conſurgere. Hinc fit, ſi concedantur diſpenſationes, quæ aliquem eximant à lege, ſi priuilegium vel diſpenſationem illam ſemel acceptauerit, quâuis illam à ſe abdicare proponat, poteſt eam voluntatem reuocare, & ea diſpenſatione vti, cum per eius propoſitum non ſubijciatur iterum priuilegiatus legi communi, â qua abſolutus erat. Idem dicendum de his facultatibus, quæ conceduntur ad aliquid agendum pro aliquo tempore, quod ſine ea facultate fieri non poterat. Atque idem iudicandum de his facultatibus, per quas delegatur iuriſdictio. Non enim ea iuriſdictio mihi v. g. conceſſa, & â me acceptata aufertur etiam ſi ego interius á me abdicare velim. Iã enim licet in vſu dependeat à delegato, at in permanentia à delegante Alias etiam plura incommoda ſequerentur, multi ſcrupuli, ſi is eſſet ſufficiens modus eam iuriſdictionem auferendi. Eſt ergo neceſſaria externa manifeſtatio, & acceptatio alterius, ſiue is ſit alter, cuius intereſt talis renuntiatio, vt c. *licet de Procurat. in 6.* ſiue ſit prælatus qui conceſsit, is enim debet renuntiationem acceptare, vt cum Sãctio, & Loazes docet Suarez loco cit. num. 21. à principis enim voluntate pendet mutatio, & conceſsio earum facultatum, & ita expedit bono regimini, & gubernationi. Contingit autem ea acceptatio diſpenſantis, & concedentis vel expreſsè, vel antecedenter, cum in ipſa conceſsione poſitum eſt, vt ſi Titius non acceptauerit habeatur pro non conceſſo, vel ad alium tranſeat: vel ex iure ipſo, quia ſic in aliquibus iuribus conſtitutum ſit de peculiaribus priuilegijs, vt non vſu, vel contrario vſu reuocata, & amiſſa, vel renuntiata cenſeantur vt *dicto cap. Side terra de priuileg.* Sic enim intelligenda eſt regula iuris, quod remittenti ius ſuum non amplius liceat regreſſus ad illud *cap. quam periculoſum 7. quæſt. 1. & l. quæritur D. de Ædilit. edicto.* Quis autem poſsit ſuo priuilegio renuntiare explicat Salas de leg. diſput. 17. ſect. 13. num. 69.

Quando expiret ob renuntiationem tacitam.

§. TERTIVS.

SVMMARIVM.

Quæ renuntiatio tacita, num. 19.

Non eſſe ſufficiens ſignum ad colligendam renuntiationem tacitam diſpenſationis, num. 20.

Priuilegium amitti per nõ vſum, quomodo intelligen-

ligendum, num. 21. 22.
Cuius temporis debeat esse non vsus, num. 23.
Eam doctrinam habere locum in vtroque foro, numero 24.
Quomodo intelligatur amitti per cõtrariũ vsum explicatur communis sententia, num. 25. 26. 27.
An satis sit vnus actus contrarius, n. 28.
Obijcitur, & diluitur, n. 29.
Quando cesset per egressum eius ex territorio, numero 30.

19 MAior autem difficultas est in explicando, quando & quomodo extingui possit dispensatio, siue priuilegium per tacitam renuntiationẽ. Tacita autem renuntiatio coniecturis colligitur ex nonnullis signis, quæ videntur indicare illum tacitè renuntiasse. Quæ signa vel desumuntur ex non vsu eius concessionis, vel ex contrario vsu, aut actibus qui non videntur stare cum animo vtendi dispensatione. Potest etiam esse sermo in præsenti de renuntiatione veræ & propriæ dispensationis, quæ conceditur, v. g. ad auferendum impedimentum aliquod matrimonij, vel de renuntiatione alicuius priuilegij. De hoc alibi, cum de priuilegijs fuerit sermo, latè; nũc breuiter agemus.

20 In primis igitur, si de vera dispensatione loquamur, vix potest esse locus tacitæ renuntiationi. Nam vel ea præsumi deberet ex non vsu: id autem dici non potest, quia quod quis non vtatur dispensatione, stare optime potest cum voluntate retinendi potestatem vtendi dispensatione: atque ideo non vsus non est sufficiens signum renuntiationis. Vel deberet ea renuntiatio colligi ex aliquibus actibus, qui videantur significare animum renuntiandi. At neque hoc dici potest, neque facile assignabitur actus aliquis, ex quo ea renuntiandi voluntas sufficienter præsumatur. Solet à nonnullis assignari quãdo petitur secunda dispensatio post primam circa idem, quia, scilicet, de prima dubitauit, tunc enim videtur renuntiare primæ. At insufficiens signum est colligendi renuntiationem. Quia ex eo quod quis secũdam dispensationem obtineat magis fauorabilem, aut magis apertam, non videtur esse animus amittendi priorem. Quod si aliquando obtenta secunda dispensatione cessat prima, id non est ob renuntiationem impetrantis, sed quia redditur nulla ob ea, quæ dixi supra, cũ de causis, ex quibus redditur nulla dispensatio, sermo esset. Multò certius est non renuntiari primæ, quando secunda dispensatio esset nulla, cum animus esset, primam omittere, si secunda valeret. Idem dicendum censeo, siquis post obtentam dispensationem, aliquid agat, quod cum vsu eius dispensationis stare non possit. Vt si postquam impetrauit dispensationem, vt consanguineam ducere possit, & ducat aliam, vel votum emittat castitatis aut religionis, non videtur renuntiasse dispensationi obtentæ, cum possit defuncta ea quam duxit, consanguineam ducere, & etiam emisso voto matrimonium valide contrahere, licet cum peccato. Quare, licet cum vsu dispensationis sit incompossibilis ille actus, non tamen cum ipsa dispensatione & potestate. Vnde si stare potest cum ipsa dispensatione, non est vnde colligatur ea tacita renuntiatio. Siue ergo sit iam dispẽsatio in primo vel secundo statu, non sunt ea signa tacitæ renuntiationis. Et quando denius ex superueniente voto impediri vsum primæ dispensationis, non tamen censetur renuntiatio, idque à posteriori constare potest. Si enim quis petat vott dispensationẽ, non indigebit rursus dispẽsatione super impedimento consanguinitatis, sed ea, quam prius obtinuerat, vti poterit. Idemquoque dicendum iudico, siquis rumpat instrumentum, vel indultum dispensationem continens. Istud enim signum quamuis vehemẽs videatur indicium, cum non possit esse vtilis dispensatio in foro externo sine literis authenticis; at non est sufficiens, ni eiusmodi ruptio instrumenti ad Principis notitiã perueniat, & ab illo acceptetur. Nam sine ea acceptatione nulla dispensationis reuocatio valere potest.

21 At si loquamur de priuilegio, communis DD. sententia est, per non vsum priuilegium amitti, Glossa, Innocẽtius, Abbas, Felinus, Decius in *cap. cum venissent de constitut.* Sed ea communis sententia explicanda primô, vt locum habeat & intelligatur in priuilegijs affirmatiuis, quæ sunt ad aliquid agendum: nam in negatiuis, quæ in non agẽdo consistunt, non potest habere locum renuntiatio tacita per non vsum. Similiter est intelligenda de non vsu, nõ quouis, sed quasi priuatiuo; si enim quis non vtatur priuilegio, quia neque se offert tẽpus, neque occasio vtendi, non nocet hic non vsus. Ad esse ergo debet opportunitas vtendi, & scientia, atque potestas ad vtendum, vt illo non vsu præsumamus voluntatem renuntiandi, quæ est communis sententia, quam docent Gabriel Vazquez loco infra citando, Salas de

legibus

legibus disput. 17. sect. 13. num. 63. Azor tomo 1. lib. 1. cap. 22. quæst. 8. vbi ex hac doctrina nonnulla colligit. Quare priuilegium minoribus concessum, vt possint suis vti, etiã si per simplicitatem aut iuris ignorantiam per multos annos non fuerint illis vsi, videtur datum ad tollendos scrupulos, nisi intelligatur de priuilegijs respectiuis, de quibus statim, quod non credo.

22 Deinde neque ea doctrina intelligitur in omnibus priuilegijs affirmatiuis. Est enim aduertendum priuilegia posse in duplici differentia distingui. Quædam sunt quasi respectiua, conceditur enim priuilegium, ex quo redundat in alios aliquod grauamen, vel seruitutis genus, vt sunt priuilegia decimas accipiendi, imponendi tributa, & eligendi, ex priuilegio cum grauamine aliorum, & priuilegium etiam nundinarum. Alia sunt quasi absoluta, quæ solum concedunt priuilegiato priuilegium circa actiones suas sine aliorum grauamine, vt facultas non ieiunandi, non recitandi, comedendi lacticinia, dicendi sacrum ante horam consuetam, quibus etiam annumero priuilegium eligendi confessorem, tum quia nullum grauamen redundat in parochos, sed potius iuuamen: tum etiam quia valde cedit in vtilitatem spiritualem eligentis. Prioris generis priuilegia amittuntur quidem per non vsum, sed non quemcumque, sed quia ex parte alterius, in cuius grauamen cedunt, est præscriptio contra priuilegiarium, si desinat vti, præscribit enim is, in cuius damnum redundat: sicut etiam contra seruitutes præscriptio est. At priuilegia secundi generis, non video quomodo per non vsum amittantur, nisi iure ipso sit definitum, & determinatum tempus, intra quod vti debeat priuilegio. Et in eo euentu potius expirat priuilegium ex defectu conditionis in rescripto appositæ, quam ex tacita renuntiatione, cum sæpe contingat elabi tempus sine aduertentia vlla. Indicat hunc modum dicendi Salas loco citato nu. 64. sequitur Suarez latè dict. lib. 8. cap. 34.

23 Rursus, vt communis doctrina locum habeat, dicunt requiri tempus decẽnij non vsus priuilegij Bart. in *l. 1. D. de Nundin.* & ibi Doctores Panormitanus, Decius, Felinus & alij in *capite cum accessissent, de constit.* & complures alij, qui id docent præcipuè inducti textu in *dict. leg. 1. de Nundin.* Sed non satis firmum mihi videtur fundamentum ex eo desumptum. Quia textus ille loquitur in speciali quodam casu; & cum ea lex restringens priuilegium odiosa sæpe sit, non est ad alia priuilegia extendenda, quæ quando nõ repugnant iuri communi, latè sunt interpretanda. Tum etiam quia lex illa loquitur de priuilegio nundinarum, quod reducitur ad prioris generis priuilegia, de quibus numero præcedenti. In illis autem habet locum præscriptio, & ita illud tempus ad eorum amissionem satis erit, quod sufficit ad præscriptionem alterius contra priuilegiatum. Et de huiusmodi priuilegijs intellige textũ in *lege 42. tit. 18. part. 3.* Vt constabit attentè consideranti verba legis. Quare mea quidem sententia est, in illis priuilegijs, quæ præscriptione alterius contra priuilegiarium tolluntur, decennium non vsus sufficere. At verò alia, quæ absoluta sunt, contra quæ non præscribitur ab alijs, non amitti propter purum non vsum, cuiuscumque temporis sit, nisi in alicuius priuilegij peculiari concessione tempus non vtendi definiatur. Is autem non vsus per decennium debet intelligi ab vltimo vsu priuilegij computandus, sanct *lex. 1. de Nundin.* Quãuis iuxta legẽ Partitarum intelligi posset de non vsu à tempore concessionis tantum; sed prius illud communius est, atque magis receptum.

24 Illud denique addendum est, hæc quæ hactenus diximus de cessatione priuilegij per non vsum, habere locum non solùm in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ. In his enim casibus, in quibus priuilegium cessat, quia contra illud præscribitur, non minus iusta est lex præscriptionis, quam in alijs rebus. Diximus autem supra lib. 5. leges fundatas in præsumptione vt plurimũ obligare etiam in foro conscientiæ. Similiter, quando præscribitur in indulto certum tempus, in quo si desinat esse vsus, amittitur priuilegium, non video cur non obligent etiã in conscientia, sicut vniuersè de alijs legibus dicendum est. Igitur, vt vno verbo concludam, nunquam per non vsum purum, si aliud non addatur, priuilegium neque dispẽsatio expirat, quia hactenus solum quando coniungitur cum præscriptione, vel indultum est quasi conditionale, ostensum est finiri. Id quod etiam sentire videtur Gabriel Vazquez 12. disput. 177. num. 54. & 55.

25 Eodem fere modo explicandum est, quomodo priuilegium amittatur per vsum contrarium. Quamuis enim recepta iuris interpretum sententia sit per contrariũ vsum priuilegium amitti: ego tamen iuxta propositam distinctionem existimo ea priuilegia, quæ absoluta esse diximus, nunquam amitti per vsum contrarium priuilegio v. g. priuilegium

legium non recitandi, non ieiunandi, quamuis quis ieiunet, aut recitet, nunquam amittitur. In quo non rectè cõsulit Salas disput. 17. cit. sect. 13. num. 64. §. *Nihilominus*: sicut si cui ob habitualem ægritudinem concessa licentia sit ad non ieiunandum, non quia ieiunet, cessat ea licentia. Similiter, si alicui antecessori concedatur facultas vacandi â lectionis onere, non quia ipse adhuc lectoris munus obeat, eam facultatem amittit. Quare doctrina communis, quæ docet per vsum contrarium amitti priuilegium, ad ea quæ respectiua diximus, limitanda est, eaque locum habet in priuilegijs negatiuis, quorum vsus esse contrarius potest.

26 Vt autem ea cõmunis doctrina adhuc in his priuilegijs locum habeat, requiritur, vt fiat ex obligatione & quasi se subdendo obligationi, quam priuilegium auferebat. Alias enim, si cum protestatione faciat, non est actus priuilegio contrarius, quæ est doctrina Bart. in *l. 1. C. de his quisponte*, quem in hoc sequuntur alij iuris vtriusque interpretes tum ibi, tum in *cap. cum accessissent de constit.* Rursus necessarium est, vt qui eum actum contrarium exercet, potens sit illi priuilegio renuntiare. Si enim in eius potestate non est, quamuis actum exerceat contrarium, non dicitur renuntiasse. Siquidem non magis operatur tacitum quam expressum. Sicut ergo expressa eius renuntiatio, nullius esset effectus, sic neque ea tacita renuntiatio, quæ præsumitur ex vsu contrario. Sic accipe textum in *cap. contingit de sentent. excommunic.* vbi quamuis clericus se violenti percussioni subijciat, adhuc non amittit priuilegium Canonis. Sic etiam accipe decisionem in *cap. si diligenti de foro competenti*; Quãuis enim clericus se iudicari patiatur à sæculari, iudicium est omnino nullũ, quia in eius potestate non est illi priuilegio fori renuntiare, neque in toto, neque in parte. Sic etiã priuilegia concessa alicui corpori mystico, vt tale est, non amittuntur singulorum actibus contrarijs, sicut & neque priuilegia religione in communi concessa, quãuis aliquod inter hæc priuilegia discrimẽ sit, quod attingimus postea. Oportet ergo sit vsus contrarius eius qui renuntiare priuilegio possit, alias nullius momenti est ad inducendã præsumptam renuntiationem priuilegij.

27 Requiritur rursus, vt vsus contrarius priuilegio illud euertat, quod talis vsus contrarius sit, cum præscriptione legitima coniunctus. Vnde ea, quæ præscriptioni contraria sunt, aut interrumpunt, repugnabũt etiã amissioni priuilegij, vel efficient, vt contrarius vsus non obstet. Quam doctrinam cum alijs docet Gregorius Lopez l. 42. tit. 18. part. 3. sequitur Suarez d. lib. 8. cap. 35. num. 10. & ex d. l. non obscurè colligitur, & sumitur ex *cap. si de terra de sepultur. & cap. accedentibus de priuileg.* Cuius ea ratio est, quia quando cum vsu contrario intercedit præscriptio, re uera fit contra priuilegij facultatem, & tunc potest is in cuius grauamen redundabat priuilegiũ se tueri aduersus priuilegiariũ præscriptione & consuetudine. Quamuis autem hæc vera sint, vt vsus contrarius euertat totam facultatem priuilegij tam præsenti, quã futuro tempore, at quoad præsentem actum solus contrarius vsus sine præscriptione nocet, vt ex *d. l. 42.* colligitur, & ex doctrina communiter recepta, quam cum alijs docet Suarez d. cap. 25. num. 9. verbi gratia, quis immunis à soluendis tributis, patitur absque protestatione exigi tributum, & soluit, nocuit hic contrarius vsus in solutis, non in soluendis.

28 Ex qua doctrina colligitur vnũ actũ contrarium non sufficere ad euertendũ priuilegium simpliciter, cum in vno actu non possit interuenire præscriptio. Quod verũ est, siue priuilegium concessum sit communitati, siue personæ priuatæ; per vnum quidem actum contrarium siue communitatis, siue priuatæ personæ non amittitur priuilegium simpliciter. Amittitur autem per vnũ actum contrarium secundum quid, & quoad illum solũ actum. Exemplis declaratur hæc doctrina. Habet quis vniuersale priuilegiũ, ne subeat aliqua munera publica, si sponte ad aliquod eligatur, non ideo amittit priuilegium, ne eligatur ad alia; imo neque vt nõ eligatur ad illud alia vice, *l. voluntariæ C. de excusat. tut.* ibi, *voluntariæ tutelæ munera priuilegijs nihil derogant*. Idest, quoad alia munera susciplenda præter voluntariè susceptam, vt ibi exponit Glossa. Quando enim in actu cõtrario priuilegio potest cogitari alia præsumptio, quam renuntiatio totius priuilegij, non est ea renuntiatio præsumẽda: Est enim ea præsumptio odiosa & restringenda; & modica coniectura sufficit ad excludendam præsumptionem tacitæ renuntiationis. In vno autem actu potest esse alia præsumptio, scilicet, id factum esse, vel in alterius gratiam, vel ad vitandam litem, aut similia & iuxta hæc accipe quod est in *l. finali D. de priuileg. veteranor. veteranos, si passi sunt se in ordinem legi, muneribus fungi cogendos esse*. Quod intellige de his, quibus se ea vice subiece-

fecerunt, & quo ad ea quæ inde consequuntur. Similiter si communitas aliqua habens priuilegium non soluendi decimas, aliqua vice de consensu totius conuetus soluat, nõ præsumitur renuntiasse, neque amittere priuilegium *capite accedentibus de priuileg.* Sed ad finiendam litem id feciſſe, & laudabiliter feciſſe. Amittunt autem quoad solutum, quod est amittere secundum quid. Idem dico si quis immunis à solutione vectigalium se patiatur scribi in libro eorum grauaminum, & non contradicat intra decem dies, non amittit priuilegium, sed quo ad illum actum, donec accedat legitima præscriptio. Atque hæc est doctrina Bart. in *dicta lege voluntariæ, & in lege vltima D. de constit. Princ.* & Alexandri Consil. 33. quod refert, & valde commendat Gregor. Lopez *lege* 42. citata vbi, & alia pro hac sententia videri possunt. Iuxta quam doctrinam corriges ea quæ docet Panormitanus in *dicto capite cum accessissent de constitut.* & Felinus ibidem non omnino sibi constantes, & qui Abbatem sequitur Salas disputatione 17. cit. sect. 13. numero 65.

29 Neque his obstat textus in *dicto capite cum accessissent de constitution.* In eo enim agitur de priuilegio quodam, quod non habebat tractum successiuum, sed vna tantum vice finiebatur, scilicet electione illius in canonicum. Adde consensu capituli ordinatum statutum, & à Pontifice confirmatum, & ita etiam totius capituli ablatum. Quare ex eo capite probari non potest per vnum actum contrarium priuilegium tolli, vt cum Bart. & alijs explicant Salas disput. cit. sect. 13. num. 65. & Suarez dicto lib. 8. capite 35. Quomodo autem priuilegium per abusum amittatur explicat cum alijs Suarez dicto libro 8. cap. 36. illud certum non expirare ipso facto pro futuro tempore, sed tantum quando in abusu non seruatur forma priuilegij, euanescere quoad illum actum præsentem, & dignum se constituere, qui pro futuro tempore priuetur. Meretur enim priuilegium amittere, qui concessa sibi abutitur potestate *cap. vbi dist. 74. cap. priuilegium 11. quæst. 3. cap. licet de regular. cap. vt priuilegia de priuileg. cap. contingit 2. de sent. excommunic.* & sæpe alias Meretur, inquit, non vero ipso facto priuatur. Videndus de his Salas disput. 17. cit. sect. 13. num. 67.

30 Denique aliquando cessare potest dispensatio aut priuilegium per egressum eius, cum quo dispensatum est, ex illo territorio. De quo latè Suarez dicto lib. 8. cap. 26. & Salas de legibus disput. 17. sect. 10. Azor tom. 1. instit. moral. lib. 5. cap. 23. quæst. 6. Breuiter tamen dico considerari debere, ân ea dispensatio data sit à Pontifice, an ab Episcopo; & an sit dispensatio in lege communi, vel in lege propria, & priuata eius territorij, cuius tamen contrarium seruatur in alia diœcesi. Si enim in lege communi dispensatio sit, siue ea data sit à Pontifice, siue ab Episcopo, in casibus in quibus potest, adhuc videndum an sit data ratione loci, vel ratione personæ. Si primum: non egreditur fines territorij: si secundum maximè. Quod si dispensatio sit in lege particulari illius territorij, non habet locum extra territorium, vbi contraria lex obseruatur, quia finita est ea dispensatio terminis illius. Atque hæc de modis, quibus dispensatio finitur ex parte eius, cui dispensatio conceditur.

De modis quibus dispensatio expirat ex parte concedentis.

CAPVT. XIX.

SVMMARIVM.

Distinguitur quid explicandum sit, nu. 1.

1 LIBRO 5. Latè à nobis explicatũ est, quomodo per mortem concedentis, aut reuocationem expiret iurisdictio delegata: sed nunc agendum in speciali est, quando data dispensatio expiret, vel per obitum concedentis, vel per eius reuocationem, vel etiam per secundum rescriptum de eadem re, quæ in singulari explicanda sunt.

Quando expiret dispensatio morte concedentis.

§. PRIMVS.

SVMMARIVM.

Indultum datum alicui, vt dispenset cum aliquo non determinata persona non expirat morte concedentis, num. 2.

Quid si determinentur persona, num. 3. 4. 5.

Insinuatur modus defendendi communem doctrinam, num. 6.

Facultatem vt eligat determinatum confessorem non expirare, num. 7.

Quid

Quid de facultate data alicui ad audiendam confessionem determinatæ personæ, n. 8.
Quid verba illa vsque ad beneplacitum, nu. 10.

2 IN quo in primis statuo. Indultum datum alicui, vt absolute dispenset cum alijs nulla etiam definita persona, non expirat morte concedentis. Sic docet Thomas Sanchez lib. 8. disput. 28. num. 72. cum agit de licentia audiendi confessiones absolutè, Suarez lib. 8. de legibus cap. 3. numero 5. & 7. Salas de legibus disput. 20. sect. 17. & de licentia confessiones audiendi idē docuit AEgidius disput. 8. dub. 10. num. 72. cit. alijs. Quæ conclusio dependet ex duobus principijs in iure Canonico receptis, & de quibus iam nonnulla supra lib. 5, Primum est hoc esse discrimen inter literas iustitiæ & gratiæ, quod illæ expirant morte concedentis re integra, & sumitur ex *cap. gratum, cap. relatum,* & alijs *de officio & potestate iudicis deleg.* & dixi supra lib. 5. At vero literæ gratiæ, si contineant gratiam factam, non expirant morte concedentis; secus si contineāt gratiam faciendam. An hoc secūdum de gratia facienda sit omninō certum, dicam in sequentibus, nunc sumo primam partem, quæ apud omnes admittitur. Quod principium colligitur ex *cap. si cui nulla de præbend. in 6.* vbi decidit facultatem concessam conferendi beneficia minimè expirare morte concedentis, secus si sit licentia conferendi certis & expressis personis. Vbi glossa rationē reddit. Quia in primo casu est gratia facta, nullo alio indigens comparatione eius cui facta est, scilicet, collatoris beneficij: in secūdo casu non est facta, sed facienda. De qua regula multa Thomas Sanchez disput. cit. numero 64. & Suarez cap. 31. cit. Ex qua doctrina facile nostra sententia probatur, quia eiusmodi dispensatio concessa ad dispensandū absolute in primis non est facultas ad exequendum aliquid iustitiæ. Ergo ex hoc capite non expirabit morte concedentis. Præterea continet gratiam factam ipli dispensaturo. Gratia enim facta dicitur, quando perfectè conceditur ei, in cuius fauorem datur, & independenter ab alio, cui facienda committatur, facienda autem dicitur, cum non conceditur absolute ei, in cuius fauorem datur, sed dependenter ab alio, cui facienda committitur. Ergo hæc dispensatio, siue indultum dispensandi non expirat morte concedentis. Quia ea gratia est iam plenè facta dispensaturo, qui illam ex tunc possidet plenè atque perfectè. Atque hæc doctrina in praxi recepta est, quam etiam alijs rationibus probat Sanchez d. num. 72. Atque eodem modo philosophandum est in prorogatione iurisdictionis in foro interno, & in licentia eligendi cōfessorem absolute data, cum sit gratia iam facta comparatione pœnitētis. Illud tamen addendum est circa hanc doctrinam, illam veram esse, siue indultum illud concedatur à Pontifice, siue ab inferioribus, nulla enim in hoc est ratio differentiæ. Quamuis enim iura sæpe loquantur de Pontifice, non tamen excludunt alios inferiores, sed loquūtur in casibus propositis & gratia exempli; de quo AEgidius loco cit. & Thomas Sanchez disput. cit. num. 72. prope finem. Idē etiam dicendum siue materia sit odiosa, siue fauorabilis; nam in vtraque est gratia facta, vt rectè Suarez d. lib. 8. cap. 31. num. 2. & 3. Et idem etiam dicendum, quamuis res sit omnino integra, vt idem docet, num. 5. cum cōmuni Doctorum.

3 Sed quid dicendum, si detur alicui indultum, vt dispenset cum aliqua persona determinate, an tunc expirabit morte concedentis re integra? In quo Thomas Sanchez d. lib. 8. disput. 28. num. 73. sentit expirare re integra morte concedentis. Cuius non aliud videtur esse fundamentum, nisi quod desumitur ex *d. c. si cui nulla de præbend. in 6.* vbi potestas collata alicui ad conferendum beneficium non determinatis personis censetur non expirare gratia facta. Expirare autem potestatem conferendi beneficium determinatæ personæ, quando non in fauorem conferentis concessa potestas est, sed in fauorem recipientis, vbi glossa rationem reddit, quia prima est gratia facta; secunda vero est gratia facienda.

4 Cæterùm hæc sententia, quam video esse cōmunem, difficilis valde est, & in praxi habet nonnulla, quæ valdè dura videntur. In primis facultas concessa alicui ad dispensandum cum aliqua determinata persona nō est res iustitiæ sed gratiæ, atque ideo magis regulanda est per regulas gratiæ, quàm iustitiæ. Deinde gratia facta iuxta dicta non expirat morte concedentis: in hoc autem casu hæc est gratia facta comparatione eius, cui cōceditur ea potestas. Nullus enim fingi potest casus, nulla concessio, quantumuis sit in fauorem alterius, & dispensandi, qui non sit etiam in fauorem dispensaturi, cum ea persona sit magis intenta, & assumatur vt magis idonea & prudens ad eam dispensationem faciendam. Rursus sequeretur licentiam concessam alicui, vt audiret confessiones determina-

minatæ personæ expirare morte concedentis, quod videtur durum. Tum quia etiam cõparatione confessoris est gratia facta. Tum etiam quia licentia data pœnitenti ad eligendum talem confessorem non expirat, cum etiam sæpe contingere possit, vt sit gratia etiam confessoris, & non solum Pœnitentis. Ergo etiam in prædicto casu, nulla enim commoda assignari potest diuersitatis ratio, nam in vtroque casu est etiam fauor pœnitentis, & confessoris.

5 Quare non sine sufficienti fundamento dici posset etiam facultatem concessam alicui, vt dispenset cum aliquo determinatè, non expirare morte concedentis. Sequitur Emanuel Sà verbo *dispensatio* num. 6. estque in praxi secura sententia. Nam correctio Romana, quæ abstulit ab eo auctore etiam omnia quæ in praxi non erant omnino tuta, hanc sententiam in eo auctore intactam reliquit. Fauet Salas de legib. disput. 20. sect. 17. con. 6. Probabilem putat Suarez dict. ca. 31. num. 14. & 15. Solum oportet explicare textum in *dicto cap. si cui nulla.* In cuius explicationem multa dici possunt, valde enim in hac doctrina explicanda torquentur Doctores. Ego tamen dicerem vniuersè loquendo omnem licentiam vel facultatem, vel rescriptum concessum vni in ordine ad effectum causandum ab alio, censeri gratiam statim factam ex vi priuilegij antequemcumque eius vsum, si materia gratiæ sit spiritualis: imò, & in quacumque materia, dummodo non sit iure prohibita vel excepta. Itaque habebit locum nostra doctrina in omnibus casibus, in quibus contrarium non statuatur ipso iure. Reperimus autem iure ipso aliter statutum in duplici casu. Primus est materia ambitiosa, qualis est beneficialis vt in *dicto cap. si cui nulla, & cap. si super gratia de officio deleg. in 6.* Alter est in materia fori contentiosi vt in *cap. gratum, & cap. relatum de offic. deleg.* ad quam etiam reducuntur leges, quæ statuunt mandatum expirare morte mãdantis re integra. Quare ea decisio non est ad omnes casus extendenda.

6 At siquis communem doctrinam tenere velit, attentè considerare debet, an cum datur facultas alicui in ordine ad aliam determinatam personam, sit potius in vtilitatem accipientis, aut conferentis. Si enim vtilitas versetur accipientis, expirat. Quia non est gratia facta, sed facienda, & ad illum cui conceditur potestas conferendi tantum pertinet, tanquam mandatum quod expirat morte mandantis. Quod limita nisi ea gratia quamuis facienda sit accessoria gratiæ iam factæ, quæ est decisio Pontificis in *cap. si super gratia de officio, & potest. de leg. in 6.* vbi ex presse Pontifex ideo non vult perire potestatem datam executoribus super gratia iam facta, licet ea potestas adhuc non habuisset effectum, & potius respiceret commodum alterius quam executorium, quia erat accessoria gratiæ factæ. Vnde sicut hæc non perit morte concedentis, ita neque æquum est perire eam potestatem executoribus datam, cũ sequatur naturam principalis, ne aliàs gratia facta reddatur inutilis.

7 Iuxta quam etiam communem doctrinam dicendum est facultatem concessam alicui vt eligat siue determinate siue indeterminatè confessorem, non expirare morte concedentis, quia cum non sit ob fauorem confessoris, sed pœnitentis, iam est gratia facta, & beneficium legitimè, & plenè possessum à pœnitente, cui præcipuè ea concessione fauetur. Idem dico de facultate eligendi aliquem, qui dispenset super aliquo voto vel impedimento, vt cum committitur viro docto, & discreto in Theologia, vel iure canonico, quamuis decedat Pontifex non dum electo eo, qui dispensaturus est, non expirant, quia fuit gratia illa facta comparatione eligentis, sicut, & de facultate concessa alicui ad comedendum carnes, vel recitandi, vel dicendi missam in priuato oratorio, vel etiã dimissorijs ad ordines suscipiendos. Quia hæc omnia statim atque acceptata sunt ab eo cui conceditur, iam sunt gratiæ facta illis, qui acceptarunt, & non sunt in gratiam, & fauorem eligendi ad id munus implendum, sed in gratiam, vel fauorem eius, cui conceditur ea facultas.

8 Solùm superest an iuxta hanc doctrinam dicendum etiam sit potestatem datam alicui confessori ad audiendam confessionem determinatæ personæ expirare re integra morte concedentis. Affirmat expirare Thomas Sanchez loco citato. Salas limitat communem doctrinam in hoc casu, & excipit à generali regula, nescio quo fundamento. Suarez capite 31. citato negat habere locum in hoc casu, quia istud iudicium magis est gratiæ, quam iustitiæ. At non sufficiens videtur assignari ratio, cum in alijs indultis, quæ dantur determinatæ personæ, & in ordine ad determinatam personam, etiam reperiatur ratio gratiæ potiùs, quàm iustitiæ; & nihilominus expirare censeantur morte concedentis. Quare ego dixerim, si nihil speciale in concessione exprimatur, non censetur expirare

rare morte concedentis, idque spectato ipso iure Pontificis in d. *cap. si cui nulla*, & attentè animaduerso. Consulto enim dixit Pontifex, *Si non obstante, sed eius cui prouideri mandatur gratiam & fauorem.* Vt ergo expiret ea gratia concessa alicui in ordine ad determinatam personam, debet esse ob solam gratiam tertij, his enim æquiualet illa vox, *non obstante.* Quare si simul sit in gratiam & fauorem vtriusque non expirabit. Quia cum ex ea parte sit gratia facta, & gratia facta non expiret, neque possit claudicare ex aliqua parte, necessario per consequentiam fit, vt ex omni parte maneat. Versari autem in ea concessione gratiam & fauorem vtriusque tam confessoris, quam pœnitentis communiter loquendo, planum videtur esse.

9 Sed contingere etiam potest, vt ex alio capite etiam non expiret eiusmodi indultum, vel dispensatio morte concedentis, scilicet, attenta forma concessionis, de quo latè Suarez d. lib. 8. cap. 32. Thomas Sanchez disput. 28. à numero 49. vsque ad 62. Salas loco supra citato. In primis si dicat concedo tibi pro tempore vnius anni vel duorum, valet enim eo defuncto donec finiatur annus, vt liquet etiam in priuilegijs Bullæ, de quo exemplo agit Thomas Sanchez, numero 78. Deinde si in indulto dicatur, *quandiu vixero, quandiu voluero, vsque ad meum beneplacitum*, his verbis limitatur indultum ad vitam tantum concedentis, & ideo expirare eius morte. Nec enim post mortem habere potuit voluntatem, vel beneplacitum, & sumitur ex *cap. si gratiose de rescript. in 6.* In quo conueniunt etiam ibi interpretes. At si dicatur ad *beneplacitum Sedis vel Apostolicæ vel Episcopalis*, cum sedes etiam eo mortuo duret, non expirat indultum morte concedentis, vt docent Doctores ibidem. Idem est si in concessione dicatur *donec reuocauero*, si obeat antequam reuocet, non finitur indultum eius morte, vt explicabo statim.

10 Ex qua doctrina colliges, cum in concessione dicitur, vsque *ad meum beneplacitum*, illa verba aliquid amplius operantur, quam si absolutè diceretur, *concedo tibi licentiam.* Quia absoluta concessio solum requirit, vt cum fit, interueniat consensus, de perseuerantia autem eius consensus nihil statuit, neque postulat, & ideo talis concessio nunquam finitur ob solam negationem voluntatis, sed debet finiri per contrarium actum, & retractationem prioris. Sicuti & cum dicitur quandiu non reuocauero, postulat enim reuocationem vt finiatur ea licentia, & ideo si ante mortem non reuocet licentiam non expirat, quia iam post mortem reuocare non potest. At cum dicitur. Ad meum beneplacitum, tunc vltra consensum infieri ipsius priuilegij, requiritur perseuerantia eiusdem voluntatis. Et inde fit, vt amitti possit eiusmodi concessio non solum per contrariam voluntatem, sed etiam per defectum priuatiuum voluntatis concedentis, scilicet per defectum durationis illius beneplaciti, quæ contingit per mortem concedentis.

Quomodo finiatur dispensatio per reuocationem concedentis.

§. SECVNDVS.

SVMMARIVM.

Cessare dispensationem per reuocationem concedentis, num. 11.
Non habet locum communis doctrina in priuilegio concesso non subdito, num. 12.
Neque in priuilegijs oneros is & per modum contractus, num. 13.
Qualis esse debeat intimatio reuocationis, numero 14.
Tam à supremo, quam ab inferiori Principe posse fieri eam reuocationem, num. 15.
Quibus modis fieri reuocatio debeat expressa explicatur, num. 16.
Tacita reuocatio explicatur, numero 17. 18. 19. 20. 21.
Explicatur, cap. Rodulphus de rescriptis, numero 22.
Obijcitur, & diluitur, num. 23.
Obijcitur secundo, num. 24.
Obijcitur tertio, num. 25.
Limitatio doctrinæ, num. 26.
Per sententiam non reuocari priuilegium, nisi ex primatur, num. 27.

1 CERTVM est & communi DD. omnium sensu receptum finiri etiã posse dispensationem tam in primo, quam in secundo statu, si is qui con-

ceſsit, reuocet. Et ſumitur ex generali doctrina in materia de priuilegijs, quæ docet reuocari poſſe beneficium gratuitum à concedente, ſicque finiri. Quam doctrinam de priuilegijs docent latè Suarez lib.8. c.37.n.4.citatis multis, & Thomas Sanchez lib.8.de matrimonio diſput 33.ex nu.1.Salas diſput. 17. citat. ſectione 14. & diſput. 20. ſectione 19. & alij frequenter. Quare cum eiuſmodi diſpenſatio ſit quoddam beneficium gratuitum, poterit reuocari à concedente. Et idem dicendum eſt,de quauis licentia ad aliquid faciendum, vel eligendi confeſſorem,& ſimilibus.

12 Sed circa hanc communem doctrinam aduerte primo illam in primis non intelligi de priuilegio conceſſo non ſubdito. Illud enim communis Doctorum ſententia docet irreuocabile eſſe. Quia cum iam tranſtulerit ius in alium, qui non eſt ſubditus, non poteſt amplius reuocare. Sic communiter Doctores in *cap. nouit de iudicijs*, & multis citatis Suarez d.lib.8. cap.37. numero 2. Itaque tam ab ipſo concedente, quam à ſucceſſoribus ſeruari debet, cum id exigat ratio pacti & conuentionis iuſtæ.

13 Deinde ea doctrina limitatur, vt non habeat locum in priuilegijs oneroſis, & per modum contractus etiam ſubdito conceſsis ex eadem ratione. Vnde per reuocationem cum clauſula generali non cenſeri reuocatum priuilegium conceſſum in forma contractus, quale eſt etiam priuilegium Bullæ. Cuius ratio eſt, quam aduertit Thomas Sanchez lib.8. diſputat.33. numero 10. Quia per eam clauſulam generalem non reuocantur priuilegia conceſſa per modum contractus, vt docent communi ſenſu Doctores, quos refert, & ſequitur Thomas Sanchez diſputatione 7. numero 8. Suarez d. lib.8. cap.38. numero 3. Priuilegium autem Bullæ conceſſum eſt per modum contractus remuneratiui, cum dicatur ibi, *Porque diſtes de limoſna,&c.* Quam etiam doctrinam præter citatos docet Salas diſputatione 17. citata, ſectione 18. Qui refert etiam pro eadem Henriquez, & Emanuelem Rodriguez. Eandem vniuerſè de omni priuilegio dato ſubdito per modum contractus docet Suarez d. cap. 37. numero 5. ex ea ratione. Quia poſtulat naturalis ratio, vt ſeruentur pacta iuſta à Principe inita cum ſubditis. Quare ſimilia priuilegia reuocari validè non poſſunt, niſi duo concurrant. Primum eſt, vt in illa reuocatione ponatur clauſula; *Non obſtantibus indultis & priuilegijs conceſsis etiam per modum cõtractus.* Secundum eſt, vt iubeatur reſtitui id ſub cuius onere indultum conceſſum eſt, vt docet idem Thomas Sanchez diſputatione 33.cit. numero 20. Quæ validè obſeruanda ſunt ad ea, quæ nonnulli dicunt de reuocatione Bullæ comparatione religioſorum. His accedunt quæ docet Suarez d. lib. 8. cap. 37. numero 6. vbi probat priuilegium remuneratiuum eſſe irreuocabile etiam datum ſubdito, quia hoc valde accedit ad priuilegium ex contractu. Ob hoc tamen negari non debet reuocari aliquando à Principe poſſe iuſta ex cauſa, & bono publico neceſſaria, ſine vlla tamen compenſatione debita ſaltem ex iuſtitia, vt notat Suarez ibidem. Habet ergo locum hæc communis doctrina in priuilegio tam gratis conceſſo, quo transferatur ius aliquod in ſubditum, vt priuilegium percipiendi decimas, quàm quo conceditur facultas aliquid faciendi contra legem. Sed cum diſcrimine. Nam primum non niti ex iuſta cauſa reuocari poteſt, cum æquum ſit ratas manere Principum iuſtas donationes, licet ſi reuocetur, non ſit neceſſaria aliqua compenſatio, vt tectè Suarez ibidem numero 9. At ſecundum etiam ſine cauſa reuocari poteſt validè, licet quandoque contingere poterit, vt non fiat honeſtè.

14 Secundò addendum eſt, quamuis non nulli DD. ſentiant, & cum illis Suarez d. lib.8. cap.40. num.7. vt conceſsio reuocata cenſeatur ſufficere, quod quomodolibet innoteſcat ei, cui conceſſa eſt: attamen mihi videtur probabilius neceſſarium eſſe, vt ea reuocatio intimetur per nuntium ad id deſtinatum, vel ſimili modo. Quam ſententiam deſumo ex ea doctrina, quæ aſſerit reuocationem iuriſdictionis ſiue ordinariæ, ſiue delegatæ, vt ſortiatur effectum ſuum, deberi intimari per nuntium ad id deſtinatum. Quam doctrinam probat & ſequitur Thomas Sanchez lib.3. de matrimonio, diſput. 30. numero 11. & 13. & diſput. 36. numero 9. & nos docuimus ſupra lib.5. Quã etiam docet Emanuel Sà v. gratia n.1. vnde illi, qui gaudet priuilegio Bullæ, debet intimari reuocatio, vt illo priuatus cenſeatur, aliàs valebit, quidquid virtute illius geſtum erit.

15 Tertiò addendũ & obſeruandũ eſt circa eandem communem doctrinam, indubitatum

tatũ esse eã reuocationẽ posse fieri à concedẽte, non solum, quãdo supremus Princeps est, quod certum est, sed etiam si inferior sit. Quare vnusquisque ex eis priuilegium omnino gratuitum à se concessum reuocare potest, licet nonnulli distinguant inter supremum, & inferiorem Principem, sed sine fundamento, vt rectè monet Suarez cap. citato numero 12. & sequenti. Verùm in reuocatione, quæ per inferiorem fieri potest, ad huc adhiberi debet distinctio. Si enim inferior dispensationem siue priuilegium concessum contra ius proprium, & speciale Diœcesis reuocet; valida erit ea reuocatio etiam sine causa. At si dispenset, vel concedat priuilegium contra legem superioris in illis casibus, in quibus licere diximus supra in principio huius libri, nonnulli censent posse ab illo reuocari sine causa, & reuocationem valere; quia ea concessio, quamuis sit contra superioris legem, pendere videtur à voluntate concedentis, & ibi videtur inclusa conditio, *si voluero*, vel *quandiu voluero*, idque probabile putat Suarez dict. lib. 8. cap. 37. numero 15. & in hunc sensum explicat Doctores qui sentiũt non posse reuocari sine causa, vt intelligantur non de valore dispensationis, sed de honestate, quia non fieret licite, & honestè. Limitat autem idem auctor ibidem numero 16. nisi forte in ipsa concessione fuerit limitatum tempus. In eo enim casu valde probabile iudicat non posse sine causa reuocari, argumento textus in *capite vnico de commod.* Cum non deceat beneficio nos decipi, sed iuuari. At alijs probabilius est priuilegium, siue dispensationem ab inferiori concessam in lege superioris reuocari ab inferiori non posse validè sine causa, vt sit eadem ratio, & concessionis, & reuocationis. Cum enim ea fiant ex tacita voluntate superioris, non est vnde colligamus esse voluntatem illius, vt non concedatur validè sine causa, reuocetur autem sine illa. Cui sententiæ fauent Doctores quos habet Suarez ibidem numero 14. Quare subditum ab inferiori absolutum ex causa lege superioris, non potest alligare inferior eadem lege, cum non possit eam legem ferre. Dispensationem denique vel priuilegium concessum ab inferiore potest etiam sine causa validè Pontifex reuocare. Alios verò superiores non posse sine causa valide probabile valde iudicat Suarez ibidem numero finali. Quia non est in eorum potestate inferiorem sine causa sua ordinaria iurisdictione priuare.

16 Sed explicare oportet quomodo fieri debeat reuocatio vel dispensationis vel priuilegij. Et in primis quando sit apertis verbis, & expressis, & in specie, nulla dubitatio est. Similiter reuocari potest directè quidem non tamen in specie, sed in genere, vt *non obstantibus priuilegijs quibuscumque.* Quæ reuocatio sufficiens est, nisi in tribus casibus. Primus, quando priuilegium est per modum contractus, in qua specie, vt dicebam supra nio capite, necessarium est exprimere in reuocatione priuilegia, etiam si per modum contractus fuerint concessa, vt docet Thomas Sanchez disputatione 33. & Suarez cum alijs dicto libro octauo capite 38. numero tertio. Secundus est, quando priuilegia habent clausulam, vt derogari non possint sine speciali specifica eorum mentione, vt docent Doctores in *capite nonnulli de rescriptis in 6.* & quia non est cogendus Pontifex, vt ea de verbo ad verbum referat, satis erit si dicat *non obstantibus priuilegijs sub quacumque forma concessis*, sed vt in *Clement. 1. de sepult. in fine.* vel *non obstante tali vel tali clausula*, aut alio simili modo iuxta *Clement. 2. de sepult.* Tertius est, quando priuilegium quod derogatur est insertum in corpore iuris: tunc enim, quia iuris communis rationem habet, non satis est derogare priuilegia, nisi derogetur etiam ius commune, vt notat glossa in *Authent. Quia C. vbi de crimin.* verbo *omni priuilegio.* communiter approbata per Doctores iuris interpretes, & Theologos.

17 Solet etiam rursus reuocari priuilegium tacitè, id est, cum Princeps facit aliquem actum, qui cum priuilegio stare non potest. Tunc autem censetur esse tacita reuocatio priuilegij cum præsumitur adesse voluntas Principis ad reuocandum. Adesse autem eam voluntatem iure præsumimus, quando adest etiam scientia priuilegij. Nam si ignoret, reuocatio non præsumitur. Atque hanc conditionem requiri colliges ex *capit. 1. de constitut. in 6.* & ex *lege idem Vlpianus §. sunt, & alij. de excusationibus tutorum.* Vbi facultas alicui tutori data ad mutandum domicilium, tunc censetur esse facultas dimittendi munus, & sollicitudinẽ tutoris, cum data est ex rescripto Imperatoris, scientis illum tutorem esse. Est q; cõmunis doctrina ab omnibus recepta in

capite Nonnulli de reſcriptis. Sed in hac tacita reuocatione aduertendum diligenter, quanta repugnantia ſit inter actum Principis, & priuilegium. Si enim tantum opponatur parti priuilegij, non reuocabitur totum, ſed ſecundum partem, aut pro illa vice, vt ſi iubeat ſemel exigi tributum ab eo, qui priuilegium habet non ſoluendi, non cenſetur reuocaſſe priuilegium in totum, ſed ea tantum vice. Quia cum reuocatio ſit odioſa, non eſt extendenda vltra præciſam neceſsitatem; & ſi repugnantia non eſt maior, non poteſt etiam virtualis, & præſumpta voluntas eſſe maior.

18 Potiſsima autem difficultas eſt in explicando, quando ea tacita voluntas, & ſciẽtia Principis præſumenda ſit, cum verba nõ habent clauſulam reuocatoriam, ſed ſolum eſt noua diſpoſitio repugnans priuilegio. Cuius rei explicandæ gratia ſuppono derogari poſſe priuilegium, vel per legem aliquam vniuerſalem repugnantem priuilegio, vel per priuilegium aliud alijs conceſſum, vel per ſententiam datam contra priuilegium.

19 Dico ergo primo. Per legem vniuerſalem, ſi in ea non eſt clauſula derogatoria, non reuocantur tacite priuilegia, quæ in corpore iuris non continentur *cap. 1. de conſtitut.* Quia Princeps non præſumitur ſcire omnia particularia iura. priuilegium autem nõ contẽtum in corpore iuris peculiare ius eſt. Cum autem continetur in corpore iuris iam ius commune eſt. Ad derogandum autem iuri communi non eſt neceſſaria ſpecialis, neque generica illius mentio, ſed tantum pronuntiatio legis repugnantis, vt dici ſolet in materia de legibus, & explicat Suarez lib. 6. cap. 27. Sed nonnulli doctrinam hanc de reuocatione iuris communis limitant, vt non habeat locum contra Concilium generale. Tunc enim dicunt eſſe neceſſariam ſpecialem clauſulam derogatoriam illius. Probant ex textu in *c. nonnulli de reſcrip.* ibi, *expreſſam mentionẽ, & in c. ex parte de capel. Monach.* ibi, *De quo nulla mentio eſt.* Quæ limitatio communiter approbatur à Doctoribus, illã probat Padilla in *lege vniuerſi C. de diu. reſcriptis.* & Thomas Sanchez lib. citato. Cæterum ego de hac limitatione ſemper dubitaui, & oppoſitam iudicaui in puncto iuris eſſe veriſimam, neque requiri ſpecialem derogationem Concilij generalis, vt illi derogatum cenſeatur. Sicque declarauit Pius Quintus in quadam extrauaganti, & praxis Eccleſiæ idem teſtatur ad derogationem Concilij generalis ſufficere etiam generalem derogationem, & ſequitur etiam gloſſa in *dict. cap. ex parte* ibi approbata per Innocentium Abbatem, & alios, & ipſe Abbas in *capite. 1. de Reſtit.* num. 14. & in *dicto cap. nonnulli* n. 10.

20 Neq; obſtat tex. in *d. c. nonnulli.* Reſpondetur enim textũ illũ procedere in particulari deciſione illius. Regula ergo iuris eſt iu contrariũ, quod ſcilicet ſufficiat derogatio generalis. Neq; obſtat etiã tex. in *d. ca. ex parte* ibi. *de quo nulla mentio eſt.* Debet enim intelligi quod nulla mentio aut derogatoria erat, neque ſpecialis, neque generalis, cum proculdubio ſuffeciſſet generalis.

21 Deinde dico: per aliud priuilegiũ poſterius, ſiue vtrumque ſit generale, ſiue vtrũque ſpeciale, ſiue primum ſpeciale, & ſecundum generale non derogatur priori per poſterius, niſi ſit in eo clauſula derogatoria iuxta formam requiſitam in alio priuilegio. Quam doctrinam cum alijs docent Suarez dict. lib. 8. cap. 39. num. 6. & Salas de legib. diſput. 17. ſect. 14. Ratio eſt. Quia Pontifex cenſetur ſecundum conceſsiſſe ex ignorantia primi *capite primo de conſtit. in 6. atque* adeo non poteſt præſumi ex ea conceſsione voluntas reuocandi. Fauet textus in *capite cum ordinem de Reſcriptis*, vbi ſpeciale priuilegium Ciſtertienſibus datum non derogatur per ſecundum generale ſine mentione illius. At ſi prius priuilegium generale ſit, & poſterius ſpeciale, derogatur priori, etiã nulla facta mentione priuilegij generalis *cap. 1. de Reſcriptis cap. Paſtoralis §. quoniam eodem, & cap. ſtuduiſti de officio legati, capite dudum verſ. nos igitur de præbendis in 6. & in regula generi lib. 6. & in lege doli clauſula D. de verborum obligationibus*, vbi etiam alia iura allegat ad probandum, quod etiam quãdo ſpecies præcedit, derogat generi ſubſecuto, quod ita in genere non poſſet includi ſpecies, quæ ante præceſsit. Et facit etiam doctrina Bartoli in *lege 1. D. de Rebus dub.* Quam etiam doctrinam eleganter proſequitur Suarez dicto lib. 8. cap. 39. num. 7. Salas diſput. 17. ſect. 14. Ratio eſt, quia Princeps concedendo generalem fauorem non cenſetur abſtuliſſe ſibi poteſtatem faciendi ſpecialem gratiam illa generali non obſtante, & in prædictis iuribus ita explicant conceſsiones ſuas, vt velint ſibi poteſtatem ad eam gratiam faciendam reſeruare ſine dependentia ab expreſsione, ſeu commemoratione prioris priuilegij. Quæ omnia conſiderat Bonifacius Octauus in *cap. Dudum de præb. in 6.*

22 Ex

22 Ex quo principio colligi potest declaratio ad textum in *capite Rodulphus, de Rescriptis*, cuius ea decisio est, quod clausula rescripti contra quosdam de Diœcesi Salmantina non comprehendit ciues Salmantinos. Contra quam decisionem pugnare videtur textus in *capite 1. de officio ordinarij, & in capite cum Episcopus, eodem libro 6.* vbi habetur appellatione Diœcesis comprehendi ciuitatem. Nec vero satisfacit communis solutio, quæ ait, quod rescriptum ad lites cum sit exorbitans, & consequenter mandatum de prouidendo, quia est ambitiosum, & odiosum contra verborum proprietatem ex defectu intentionis facta mentione hominum Diœcesis, vel beneficiorum Diœcesis, non comprehendit homines aut beneficia ciuitatis, vt docet glossa penultima *in cap. cæpimus, de ætate, & qualitate* communiter approbata per Doctores ibi. Ea namque communis solutio conuinci videtur ex textu in *capite quamuis in principio, de præbendis in 6.* Vbi facta mentione beneficiorum Diœcesis in mandato de prouidendo ambitioso, & odioso, solum excipiuntur, & non includuntur beneficia Ecclesiæ Cathedralis. Ergo excepta Cathedrali benè includuntur beneficia ciuitatis. Respondetur ergo, quod *in dicto capite Rodulphus* ex peculiari iuris ratione non potuerunt comprehendi homines ciuitatis per illam clausulam contra quosdam Diœcesis Salmantinæ, quia præcesserat in eodem rescripto mentio ciuitatis eiusdem, videlicet ita impetrando contra Episcopum Saginensem, & contra quosdam alios eiusdem Diœcesis Saginensis. Vnde quia præcessit mentio specialis ciuitatis in clausula generali subsecuta facta mentione Diœcesis, non potuerunt iterum comprehendi homines ciuitatis.

23 Sed huic doctrinæ videtur obstare primo textus difficilis *in capite ex parte, de officio delegati.* Vbi secundum rescriptum speciale ad Archidiaconatum Aunonculi non derogat priori generali ad quem cumque Archidiaconatum in eadem Ecclesia primo vacaturum. Sed respondeo ad eum textum cū glossa *in capite 1. de rescriptis* in casu illius textus etiam primum rescriptum fuisse speciale in effectu, quia verificandum erat in primo Archidiaconatu vacante, vt *in capite 2. de renuntiat. lib. 6. & capite mandato, & capite si clericus de præbend. lib. 6.* & ideo secundum rescriptum non potuit verificari in præiudicium primi. Atque hæc est communis huius textus intelligentia, quam etiam amplectitur Beroius in dicto cap. 1. de Rescriptis. Sed aduerto vlterius, quod etiam si in casu illius textus secundum rescriptum non concurreret cum primo ad eundem Archidiaconatum auunculi videlicet, quia primò vacauerat alius Archidiaconatus, quem primus impetrans debuit omnino occupare, vt probant iura supra allegata; nihilominus secundus impetrans non potuit obtinere Archidiaconatum auunculi post vacantem, ne irrogetur præiudicium Ecclesiæ, quam Papa non intēdit grauare duobus mādatis de prouidendo *capite literis, de reseriptis lib. 6.* & faciunt verba eiusdem textus *in capite ex parte, in versicul. quoniam igitur*, ibi, *Nullatenus scripsissemus.*

24 Secundò obstare videtur textus in *capite ex tua de filijs presbyt.* vbi secundum rescriptum speciale non derogat priori generali. Respondet glossa in *dicto cap. 1. de rescriptis* communiter approbata, & per Abbatem ibi dem numero 14. quod in specie illius textus tempore, quo filius impetrauit secundum rescriptum speciale, iam fuerat dispensatum virtute prioris generalis cum illo filio clerici. Faciūtque verba eiusdem textus ibi, *Dispensationem tuam posteriorum literarum intuitu nolumus irritari.* Sed hæc solutio defendi non potest. Primò quoniam secundum rescriptum, de quo ibi, non fuit impetratum contra illum, cum quo Episcopus dispensauit, sed in genere contra quemcunque immediate obtinentem Ecclesiam, quam pater obtinuerat, vt constat ex ipso textu. Vnde colligitur quod per huiusmodi rescriptum non fuit dispensandi potestas reuocata cum quocumque. Maximè quia prima gratia generalis censetur facta ipsi Episcopo, qui debebat dispensare potius, quàm illis, cum quibus erat dispensandum, iuxta textum in *capite si cui nulla de præbend. in 6.* Vnde fit textum in *dicto capite ex tua* etiam intelligi de dispensatione facta post secundum rescriptum, & virtute posteriorum literarum. Dico ergò vtrumque rescriptum, de quo in dicto capite mentio fit, fuisse generale. Addo etiam non fuisse circa eandem omnino rem, cum in secundo id impetratum fuerit, vt Ecclesiæ assignarentur filijs clericorum, etiam si non possent ostendere se per Episcopos institutos. Quod tamen quoad hanc partem infringit Pontifex in *dicto capite ex tua*, non vero dispensationem vtriusque rescripti virtute factam.

25 Tertiò obstare videtur, quia Princeps præsumitur ignorare prius priuilegium generale, cum non sit de corpore iuris. Ergo posterius non continet virtualem voluntatem derogandi priori priuilegio. Respondetur tamen illam ignorantiam esse concomitantem, quia non minus concederetur specialis gratia, etiam si generalis venisset in memoriam *dicto capite dudum de præbendis in 6.* & præterea Princeps noluit illam scientiam, siue memoriam sibi esse necessariam, vt specialem facere posset, vt ibidem dicit Pontifex.

26 Limitanda tamen hæc doctrina est, vt non habeat locum quando per prius priuilegium est alteri quæsitum ius ad rem argumento textus in *capite fin. de conces. præbendæ lib.6.* neque enim verosimile est Principem velle inferre præiudicium tertio in re iam sua sine maiori cognitione causæ, vt docet Panomitan. in *capite veniens de rescriptis numero 12.* Quod valde consonat æquitati.

27 Denique addendum est per sententiam non reuocari priuilegium, nisi quando quis in pœnam delicti eo priuatur, quæ expressa reuocatio est, sed reprobatur. Quia eo non obstante sententia fertur contra priuilegiatum; vel quia nullum est priuilegium, vel abolitum vel obalium defectum. Atque hic est sensus textus in *capite suborta de re iudic.* ibi, *intelligitur reprobasse.* Sed de hoc vide Suarez dicto lib.8.cap.39. num.4. Salas disput.17.sect.15.

An expiret dispensatio ex cessatione causæ, vel eius vsu?

CAPVT. XX.

SVMMARIVM.

Quo tempore requiratur veritas causæ, num.1.
Etiam quando ordinario committitur dispensatio, num.2.3.
Quid si cesset causa, post quam iam ordinarius dispensauit, num.4.
Obijcitur, & diluitur, num.5.
Obijcitur secundò, num.6.
Obijcitur tertio, num.7.
Obijcitur quarto, num.8.

1 REPETENDVM est in memoriam id quod suprà diximus de diuersis dispensationis statibus, vel etiam priuilegij. Primus est, quando nondũ literæ expeditæ sunt. Et suppono vt certum necessarium esse, si dispensatio vel priuilegium dantur ex causa, vt in eo statu causæ veræ sint, aliàs priuilegium non subsistit, etiam si postea veritatem habeant, cum executioni mandandum est. Itaque eo maxime tempore quo impetratur dispensatio exigitur veritas causæ cum dicat Pontifex, si preces veritate nitantur. Quod autem ante concessionis tempus, cum offerebatur libellus, causa non subsisteret parum obest, si tamen in ipsa concessione subsistit. De quo vide Riccium in praxi, decisione 261. numero 2.

2 Secundus status est, quando Pontifex dispensationem concedit, & ordinario committit, vt dispenset. In quo etiam statu ita necessarium est causæ veritatem perseuerare, vt ea deficiente nulla sit dispensatio, quauis tempore oblationis libelli, & precum causa subsisteret. Sumitur ex *capite quia circa, de consanguinitate, & affinitate*, ibi: *Cum tamen ante dispensationem oblatam viam fuisset vniuersæ carnis ingressa vnica filia, quam habebat.* Requiritur ergo perseuerantia causæ tempore concessionis. Petebatur autem dispensatio in eo capite ex causa prolis, *& capite si eo tempore, de rescriptis in sexto.* Ætas legitima requiritur, cum rescriptum datur, neque satis est si adsit tempore collationis. Hinc diligenter hi, quibus dispensatio committitur, attendant in verificatione causarum, an causa infamiæ, quæ sæpe allegari solet, post concessionem Pontificis orta fuerit ex familiari conuersatione, non antea, ex eo enim poterit censeri dispensatio subreptitia.

3 Tertius tamen status est, quando commissa à Pontifice dispensatio est Ordinario, nondum tamen dispensauit. Et etiam in hoc statu causa perseuerare debet, aliàs ruit dispensatio. Vnde siqua fœmina dispensationem impetret, vt cum consanguineo nubat ex defectu dotis, licet ea causa vera extiterit tempore concessionis, si tamen cessauit antequam Ordinarius dispensaret, existimo tunc dispensationem illam cessasse, cum non possint coram Ordinario verificari causæ, ex

sæ, ex quibus ei dispensatio commissa est.

4 Quartus denique status est, postquam iam ordinarius dispensauit, nondum tamen ea dispensatio mandata est executioni. In quo statu difficilius est explicare, an tunc cessante causa cesset dispensatio, & priuilegium. Non autem loquimur de cessatione causæ impulsiuæ, sed finalis, & eius quæ præbuit sufficientem causam dispensationi. Et quidem in eo casu, & statu cessante causa cessare etiam dispensationem docuit citatis alijs Thomas Sanchez libro octauo disputatione 30. numero 14. cuius fundamenta, quibus in eam sententiam inductus est, referam paulò post. Mihi tamen videtur verius non cessare dispensationem quacumque causa cessante, neque vinculum semel iam ablatum redire. Quam sententiam docuit glossa in *regula. Argumentum de regul. iuris in 6.* & alij plures quos refert Sanchez disput. citata numero 13. & refert etiam, & sequitur Suarez lib. 6. de legib. cap. 20. numero 14. 15. & sequenti, & lib. 8. cap. 30. per totum, & videtur docere Riccius loco citato. Quæ sententia in primis probatur ex absurdis, quæ ex opposita sequi necesse est. Si enim ea vera esset, necessario dicendum, si cum aliquo ex causa ordines suscipiendi dispensetur in irregularitate, & iam dispensatione obtenta nolit ad ordines promoueri, irregularem effici. Item si ob coniugium sit dispensatum cum aliquo in voto castitatis, & postea nolit nubere, iterum teneri voto. Et si alicui monasterio indultum est priuilegium non soluendi decimas ob monasterij paupertatem, si postea ad pinguiorem fortunam deueniat, non posse eo priuilegio gaudere. Item si cum aliquo Neophyto dispensatum esset ad dignitatem vel officium ob morum honestatem tanquam ex causa motiua, sequeretur si mores mutaret, rursus inhabilem effici; & his similia multa congeri possunt. Ratio autem pro nostra sententia est manifesta. Quia gratia dispensationis iam consummata est in relaxatione legis, siue impedimenti. Ergò si iam est sublatum impedimentum, illa non potest reddi inualida, cum semel iam fuerit licita, & iusta, & habuerit effectum. Quæ etiam ratio proportione quadam accommodari priuilegio potest. Quare cum communis Doctorum sententia docet priuilegium cessare ex cessatione causæ, vt vera sit, intelligi debet, non de cessatione causæ negatiuè, sed contrarie, ita vt cessatio causæ reddat illicitum vsum priuilegij, siue contra ius diuinum, & naturale, siue contra ius positiuum Ecclesiasticum, vel humanum, vt rectè, & latè probat Suarez dict. cap. 30. ex num. 7. & sic accipe iura, quæ indicant cessante causa cessare priuilegium *capite generaliter 16. quæst. 1. & capite tua, de clericis non residentibus*, & alia.

5 Sed huic sententiæ videtur obstare primo textus in *lege ex facto in principio D. de vulgari*, vbi decciditur priuilegium patri concessum substituendi filio furioso, cessare filio sanæ mentis effecto, & euanescere substitutionem antea factam. Sed hic textus potius fauet nostræ sententiæ, quia filio redditio sænæ menti iam erat iniquum priuilegium, & contra bonos mores, & in præiudicium tertij. Vnde ibidem dictum est: *Quia iniquum incipit esse priuilegium Principis, si adhuc id valere dicamus.* Aufert enim testamenti factionem homini sanæ mentis. Redderetur ergo iniquus vsus eius priuilegij ex cessatione causæ.

6 Secundò obstare videtur. Quia lex in communi desinit obligare cessante legis causa negatiue, & in vniuersali, & fit inutilis. Ergo idem dicendum est de priuilegio; facilius enim tollitur ius extraordinarium, & speciale, quale est dispensatio, & priuilegium; quam commune *lege eius militis §. primo C. ad S. C. Velleianum.* Respondetur tamen non esse eandem rationem legis, & priuilegij. Nam lex obligationem inducit, priuilegium autem fauorem eius cui, conceditur. Vnde lex cessante causa in vniuersali cessat, quia desijt esse lex, & amittit proprietatem, quæ requiritur ad rationem legis, cum fiat inutilis communitati. Priuilegium autem vel dispensatio iam facta ex eo, quod cesset causa, non redditur inutilis illi, cui concessa est. Vnde non licet argumentum sumere à lege ad dispensationem.

7 Tertiò obstare videtur. Quia concessio priuilegij aut dispensationis sine causa esset illicita, vt supra dictum est, cum non liceat sine iusta causa violare ius commune. Ergo, & conseruatio eius priuilegij, cum semper videatur Princeps concedere argumento textus in *l. Vranius 72. D. de fideiussorib.* ibi, *vt quemadmodum incipere alias non possunt, ita neque remaneant.* Non est autem præsumendum Principem velle conseruare priuilegium in eo statu, in quo

non concederet, & iudicaret illicitam esse eius concessionem. Vnde habetur in iure *l. 1. D. de condict. sine causa, & in l. nihil interest D. de Nautico fœn.* paria esse à principio non habuisse causam, & illam esse desijsse. Sed respondetur in primis priuilegij, aut dispensationis conseruationem non esse actionem aliquam positiuam concedentis, & ita non esse malam, & illicitam; tantum enim priuilegium ad sui conseruationem exigit, quod non reuocetur à superiori iuxta dicta supra isto libro. Deinde dico, quamuis ea actio cõseruatiua priuilegij aut dispensationis mala esset; non ideo effectus, hoc est, priuilegium vel dispensatio redderetur malus. Vt enim suprà dixim⁹ licet vti dispẽsatione data etiã à principio sine causa, cum tantum sit vsus effectus peccati, non vero ipsius peccati. Rursus dico non probari in Principe, quando priuilegium, aut dispensationem concedit esse debere eam intentionem, vt tandiu duret, quandiu durauerit causa. Licet enim in his, in quibus ea est intentio Principis, per cessationem causæ cesset concessio, vt accidit in iuribus allegatis, & in *capite Abbate, de V. S.* ibi. *Tandiu monasterium ipsum debeat hac honoris prærogatiua gaudere, donec ibidem viguerit obseruantia regularis*; tamen non probatur esse necessariam eam intentionem in Principe concedente priuilegium, vt manifestè constat ex adductis exemplis. Sicut enim multa illicitè fiunt, quæ tamen facta conseruantur licitè: sic etiam multa licitè cõseruantur, quæ tamen illicitè concederentur. Licet ergo præsenti rerum statu non cõcederet Princeps dispensationem, aut priuilegium; attamen rectè potuit ab initio concedere intentione absoluta. Tum quia beneficium Principis decet esse mansurum: tum etiam quia multis scrupulis, & dubitationibus aperiretur ianua: tum etiam quia sæpe causa temporalis sufficiens est, vt moueat Principem ad concedendum priuilegium, vt videre est in multis religionibus, quibus à principio ob austeritatem vitæ, & reformationem concessa priuilegia sunt, quæ nullus dixit cessare, eo quod mores ab illa pristina seueritate deflexerint. Similiter sæpè donat quis alicui licite ob indigentiam, non donaturus licitè, nisi ea supposita: & tamen nullus dicet malè facere, si non reuocet indigentia cessante.

8 Denique obstare videtur exemplum de sumptum ex priuilegio concesso ad non ieiunandum, vel ad comedendum carnes diebus prohibitis propter ægritudinem: In quo casu quandocumque cesset causa, cessat etiam priuilegium. Sed hæc obiectio nullius momenti est. Quia dispensatio illa licet videatur vna, est virtute multiplex, sicut, & obligatio quadragesimæ. Vnde cum peruenitur ad quem cumque diem, debet esse causa, vt dispensatio sit valida pro eo die, quia est quasi alia dispensatio ex causa, & diuersa à dispensatione præcedenti. Atque his soluta sunt ea, quæ pro sua sententia adducit Thomas dict. num. 14.

Quãdo cesset dispensatio per eius vsum?

§. VNICVS.

SVMMARIVM.

Quando dispẽsatio cesset per eius vsum variè explicatur, num. 9.

Dispensationem ad vnum actum restrictam eo finiri, num. 10.

Si non restringatur, & materia sit iterabilis, non finitur, num. 11.

Colliguntur nonnulla explicationis gratia, numero 12. 13.

Si cum aliquo dispensetur vt ducat vxorem prolis causa, & eam susceperit, possitne iterum contrahere, num. 14.

9 SED denique explicãdum superest, an cesset dispensatio per primum vsum eius dispensationis, de quo Sanchez lib. 8. disput. 31. Salas de legib. disput. 17. sect. 13. & disput. 20. sect. 19. Azor tomo 1. instit. moralium lib. 5. capit. 23. quæst. 5. & antea Nauarrus in *capite placuit de Pœnit. dist. 6.* & Felinus *in cap. 2. de Tregua, & pace*, & alij. Rem hanc variis distinctionibus explicare DD. conati sunt. Nam quidam dicunt in odiosis vno actu finiri dispensationem, & priuilegium: At in fauorabilibus nõ finiri vnico actu. Quam distinctionem probat Felinus, & Azor loco citato, innumeraq; proferunt exempla tam odiosa, quam fauorabilia. At si ea philosophãdi ratio legitima esset, omnis dispensatio, & priuilegium, quod contra ius commune est, vno actu finiretur, quia odiosum est, vt dixi supra, & dicam etiam capite sequenti. Quod tamen vniuersè dici de omni dispensatione non potest.

10 Quare rem hanc aliqua vniuersali regula non posse definiri crediderim, sed diuersis, & iuxta diuersas materias. Dico ergo primò.

mo. Quando dispensatio ad vnum actum restringitur, planum est illam vno actu finiri, vti si dispensetur quis ad vnum tantum matrimonium, semel inito matrimonio, valido tamen, & quod ante mortem valida ex causa non dissoluatur, expirat, vt recte Sanctius disput. 31. num. 2. vsque ad 5. Verùm obseruat optime ex illa dispensationis forma votum commutes ad hoc tantum vt matrimonium tunc contrahere possis, non effici restrictum ad primum matrimonium, sed tantum vt in eo voto commutatio fiat in ordine ad nubendum, manente obligatione voti quo ad alia, & ad seruandam castitatem extra coniugium.

11 Deinde dico. Si dispensatio detur sine restrictione vlla, & in materia iterabili, non censetur finiri vnico actu, & idem dico de priuilegijs. Quam regulam tradit Sanctius disput. cit. quæst. 1. conclus. 1. Ad iudicandum autem, quando ea concessio sit absoluta, & pro pluribus actibus, multum refert cõsiderare perseuerantiam causæ, quamuis ea non semper necessaria sit, & circunstantiam personæ, loci, & temporis occurrentis, vt in de colligatur intentio. Proderit etiam considerare materiam ipsam, circa quam versatur priuilegium, an sit ita odiosa, vt raro, & non nisi expresse soleat in ea iteratio aut multiplicatio concedi.

12 Hinc inferes dotis promissionem primo actu finiri in *lege dotis promissio D. de iure dotium.* Ipsa enim materia, & circunstantiæ conuincunt de eo tantum matrimonio agi. Licentia alicui data, vt plura simul obtineat beneficia, ad duo prima tantum extenditur *capite non potest de præb. in 6.* Est enim ambitiosa materia, & iura valde detestantur hanc beneficiorum in vna, & eadem persona coniunctionem. Ex eadem consideratione licentia alicui data ad ingrediendum in monasterium Sanctimonialium, si aliud non explicetur: primo ingressu finitur. Idem dic quando dispensatur cum aliquo, in gratiam tamen determinatæ personæ, scilicet, vt illam ducat, quia defloruit, vel quia pauper est, non censetur dispensatus ad aliam: quia illa circunstantia personæ ostendit limitari ad vnũ tantum actum. Item facultas data patrono laico, vt post quam vnum Clericum nominauit, & instituendum obtulit possit alium nominare, & offerre, ad vnam tantum nominationem extenditur *capite quod autem, de iure patronatus.* Item si quis emit fructus, qui ex prædio aliquo percipiuntur, primos tantum intelligitur emisse, & sic in alijs. Atque iuxta hunc sensum accipio quod est in *lege bones §. hoc sermone D. de V. S.* vbi dicitur sermonem simpliciter prolatum vnico actu finiri.

13 Ex contraria autem consideratione colliges licentiam alicui datam vt nubat non expirare primo coniugio, etiam si data sit ex causa periclitantis continentiæ. Diximus enim non cessare dispensationem semel datam etiam cessante causa finali. Item dispensatus absolute in irregularitate, ad omne beneficium, & ordines minores, & maiores dispensatus intelligitur. Similiter, is cui conceditur absolutè licentia legendi libros prohibitos, potest semel, & iterum legere, & sic in alijs. Item facultas alicui data confessarium eligendi non finitur primo actu, vt notauit Paludan. in 4. dist. 17. q. 3. nisi forte cum petitur pro reseruatis *in illis* religionibus, vbi consuetudo est, vt limitate concedatur. Idem dicendum de facultate comedendi cibos prohibitos diebus ieiuniorum, de potestate offerendi sacrificium in domo priuata; de facultate concessa alicui, vt possit interesse diuinis officijs tempore interdicti; de facultate testandi, cum ea sit ambulatoria, & morte tantum confirmetur testamentum. Item si quis legauerit alimenta vxori nõ intelligitur de primis tantum alimentis, sic enim postulat intelligi alimentorũ materia. Item si quis legauerit alimenta vxori Titij non tantum de prima intelligitur, nisi dicat suæ; tunc enim tantum intelligetur de illa, quam de præsenti habet. Vide alia plura exempla apud Felinum, & Azorium loco citato.

14 Sed nunquid, si cum aliquo magnate solemniter professo dispensatum est, vt ducat vxorem suscipiendæ prolis causa; & ille eam in primo matrimonio susceperit, poterit ne ea defuncta iterum contrahere? Negat Thomas Sanchez disput. 31. citat. numero 12. Quia cessauit iam dispensationis causa. Ego quidem non ex ea ratione dicerem dispensationem cessare, sed quia attenta persona, & circunstantijs, & materia, prudenter iudicari potest non extendi intentionem dispensantis vltra primum matrimonium, ex quo suscepta proles sit. Atque

hæc de modis, quibus dispensatio
expirare solet semel
concessa.

(·?·)

De interpretatione dispensationum.

CAPVT. XXI.

SVMMARIVM.

Proponitur quid agendum sit, num. 1.
Dispensationem strictè interpretandam esse, nu. 2.
Obijcitur, & diluitur, num. 3.
Limitatio prima communis doctrinæ, num. 4.
Non vltra propriam verborum significationem extendendam, num. 5.
Extendendam ad necessariò connexa, num. 6.
Quando minus includitur in maiori, vel necessario coniunctum est cum illo locum habet argumentum à maiori in dispensatione, num. 7.
Alias non valere verius videtur, num. 8.
Opposita sententia, & eius fundamenta diluuntur, num. 9. 10.
Limitationes communis sententiæ, num. 11.

1 REM hanc latè examinat Thomas Sanchez lib. 8. disput. 34. & 35. & quia non multū in ea est difficultatis, ideo breuiter percurram nonnulla, quæ in hac materia cognoscere æquum est ad dispensationum intelligentiam in praxi. Tria ergo explicanda sunt breuiter in hoc capite. Primum an dispensatio sit latè vel strictè interpretanda. Secundum quomodo explicentur clausulæ dispensationum, quæ afferri solent pro foro interno. Tertium de intelligentia eorum, quæ sunt in dispensationibus pro foro externo.

2 Quod ad primum attinet certi iuris est dispensationem, quamuis aliter dictum sit de potestate dispēsandi supra isto libro, esse strictè interpretandam, cum sit odiosa, quia iuris relaxatio est. Quæ doctrina communi sensu Doctorum recepta est, ita vt necesse non sit illos enumerare. Constat ex *capite 7. de filijs presbyt. in 6.* Facit etiam ratio. Quia si lex, quæ corrigit ius commune, est strictè interpretāda *cap. quæ à iure, de Regul. iuris in 6.* â fortiori dispensatio, quæ est vulnus legis. Atque idem propter eandem rationem sentiendum est de priuilegijs, in quibus aliquid conceditur contra ius commune.

3 Neque obstat, quod beneficium Principis latissimè sit interpretandum *cap. olim de V.S. & lege beneficium D. de constitut. Principum.* Omissa enim aliorum solutione respondetur id esse intelligēdum de beneficio Principis, quod non est contra ius, quale est dispensatio, sed præter ius. Sic Thomas Sanchez lib. 8. disputatione. 1. pro quo citat glossam Innocentium, Butrium, & alios. Tū etiam beneficium Principis latissimè est interpretandum, quando est præter ius, in concedentis tamen præiudicium: at in aliorum præiudicium strictè. Sic Sanchez ibidem cū Alexandro de Næuo, & Præpositio, & Iasone, & alijs quem sequitur Salas de legib. disput. 20. sect. 10. num. 88.

4 Hæc tamen communis doctrina limitatur primò nisi Princeps ex proprio motu dispenset: tunc enim est ex mera gratia, & liberalitate Principis, & latè interpretanda, vt colligitur ex *capite si motu proprio de præbend. in 6.* vbi etiam dicit Pontifex se non facere motu proprio, nisi exprimat, & cum exprimit facere, etiam si rogatus faciat. Sic Thomas Sanchez ibidem num. 5. cum multis alijs, quos refert, & sequitur Salas disput. 20. cit. sect. 10. num. 89. Secundò limitatur, quando dispensatio est iuri communi inserta, tunc enim communem fauorem cōtinet, cum sit omnibus æqualis. Atque eadē videtur esse ratio de dispensatione, quæ per modum priuilegij toti communitati conceditur, vel religioni. Hæc docet Enriquez lib. 9. cap. 22. num. 3. Sanchez num. 13. Salas citatis multis sect. cit. num. 90. limit. 2. & 3. & 6. Tertiò limitatur, quando dispensatio fit in aliquo statuto, vel consuetudine exorbitante à iure communi. Quia tunc, cū reducatur res illa ad ius commune, latè est interpretanda. Syluester *v. priuilegium* quæst. 3. dicto 3. Enriquez libro 7. cap. 30. num. 3. Sanchez num. 12. Salas sect. cit. limit. 5. Quarto limitatur, vt non ita restringenda sit, quod reddatur dispensatio captiosa, & inutilis argumento textus in *capite si ciuitas de sententia excommun. in 6.* debet enim intelligi priuilegium iuxta materiam, quam tradit, vt cum Sarmiento, & alijs docet Salas limit. 8. & 3. vnde ex hoc capite licentia testandi Episcopis, & Monachis non finitur in primo testamento: Quia testamentum vsque ad mortem reuocabile est. Rursus alij limitant, nisi Princeps teneatur dispensare: vnde dicunt dispensationes, quæ fiunt ex necessitate vel vtilitate Ecclesiæ exigente ampliandas esse, vt ex debito iuris prouenientes. Alijs modis limitari communis doctrina solet, qui tamen â veritate alieni sunt.

5 At quamuis dispensatio sit strictè interpretanda, in eo tamen sensu, vt non vltra propriam verborum significationem extendatur, secus tamen, si propria verborum significa-

significatio seruetur. Quod multi docent, quos refert Sanchez numero 11. Sic tamen intelligendum, vt neque extendatur ad omnia, quæ intra propriam verborum significationem continentur, quoties vel vsu vel stylo, vel iure restricta sint verba dispensationis, ita vt non extendatur ad illa omnia, quæ illis verbis proprie significantur. Hinc enim fit, vt dispensatus ad ordines non intelligatur dispensatus ad maiores, sed ad minores: & illegitimus, cum quo dispensat Pontifex vt ordines suscipiat, tantum possit minores ordines suscipere, vt cum Hostiensi, Gothfredo, & Innocentio sentit Azor tom. 2. instit. moral. lib. 6. cap. 3. quæst. 6. nisi iam minores ordines habeat, & Pontifex sciat, ne sit eius priuilegium sine effectu *cap. si Papa, de priuileg. in 6.* Similiter spurius dispensatus, vt sacros ordines suscipiat, non intelligitur eo ipso habilis ad beneficia etiam simplicia, vt cum Dominico, Franco, Antonio, Abbate, & alijs dicit idem Azor ibidem quæst. 5. Et spurius dispensatus ad beneficia non ideo dispensatus est ad dignitates, vt cum Panormitano, & Ioanne Andræa, & Rebuffo in praxi affirmat idem Azor ibidem quæst. 7. Et spurius, cui à Romano Pontifice concessum est, vt ad dignitates ascendat, non intelligitur concessum, vt ad dignitates etiam maiores promoueri possit, quod cum Archidiacono, Ioanne Andræa, Franco, Dominico, Antonio, & Rebuffo docet Azor ibidem q. 8. Item spurius dispensatus ad beneficia, & dignitates non censetur dispensatus ad dignitates, quibus cura animarum inest. Et spurius dispensatus ad beneficia cui cura animarum, non ideo potest ad dignitates eligi. Quæ docet cum alijs Azor quæst. 9. & 10. At Episcopo, cui concessa est potestas conferendi beneficia simplicia, poterit etiam canonicatum conferre. Quæ communior sententia est, quam iuri etiam magis conformem iudicat Azor ibidem quæst. 11. Salas disput. 20. cit. sect. 10. num. 91. Sà *v. dispensatio* num. 13. Sanchez disput. 1. cit. num. 26. & sequentib. In quibus etiam omnibus concordat Sayro lib. de thes. cap. 11. à num. 19. & Aula 7. p. disput. 3. dub. 6. notabili 4. licet in nonnullis dissentiat, nisi stylus Curiæ aliam amplectendam suadeat. Nam ea potestas conferendi beneficia simplicia spurijs ordinaria est: & quando esset delegata, late est interpretanda, quod secus est in dispensatione. Horum autem omnium ea ratio est. Quia vel iure, vel stylo, & consuetudine ea verba in his dispensationibus restricta sunt; & ita in illis non præsumitur intentio concedentis, quæ valde inspicienda est *cap. 1. §. ex parte verò, de concessione præbendæ in 6.* Ea enim intentio facit, vt sæpe etiam recedamus à tenore verborum, & priuilegij, vt in simili dixi late supra lib. 2.

6 Similiter non ita strictè dispensatio interpretanda est, vt non extendatur etiam ad ea, quæ sunt necessariò connexa. Vnde dispensatus ad duo beneficia incompatibilia dispensatus est ad non residendum in vtroque. Et dispensatus quis in minori ætate, vt obtineat beneficium parochiale, dispensatus est vt non promoueatur intra annum, aliàs essent dispensationes inutiles. Quæ etiam cum Sanctio num 19. docet etiam Salas sect. 10. cit. num. 91.

7 Sed quæret aliquis an in dispensationis intelligentia locum habeat argumentū à paritate rationis, vel á maiori ad minus. Et in primis certum est habere locum, quando minus includitur in maiori, vel ei necessario coniunctum est, vt dispensatus expresse ad sacerdotium, dispensatus est ad inferiores ordines, sine quibus ad sacerdotium peruenire non potest, vt dicebam etiam paulo supra. Vel dispensatus vt possit facere testamentum, poterit etiam codicillum facere, hæc enim duo includuntur in genere vltimæ volūtatis. Vnde in *l. Marcellus, ff. de donationibus causa mortis*, dicitur: *Nam, & mortis causa donare poterit, cui testari concessum est.* Vel etiam dispensatus vt comedat oua, potest etiam comedere lacticinia, quia vna, & eadem videtur esse prohibitio ouorum, & lacticiniorum, quod primæuam originem à carnibus trahant *cap. denique dist. 4.* Quare quoties vnum in alio includitur, dispensatus ad vnum est dispensatus etiam ad aliud. Difficultas ergo est, an valeat in dispensatione argumentum à pari, vel à maiori.

8 Et mihi quidem verius videtur non valere, sed standum esse tenori dispensationis, neque extendendam esse ad parem vel similem casum, aut etiam ad minorem. Quæ cōmunis sententia est, & eam innumeris cit. sequitur Thomas Sanchez disput. 1. cit. numero 32. Salas disput. 20. cit. sect. 10. numero 93. Azor tomo 2. lib. 6. cap. 3. quæst. 10. Sairo lib. 7. Thes. cap. 14. num 17. Non nulli probant ex *cap. fin. de translatione Episcopi*, vbi dicitur dispensatum ad Archiepiscopatum non extendi ad Episcopatum. Sed non videtur efficax. Nam in eodem textu dicitur maiorem quandoque esse solere rationem dispensandi ad Archiepiscopatum,

quam

quam ad Episcopatum, propter maiorem Ecclesiæ vtilitatem, vel necessitatem. Probatur ergo ex *capite cui non sacerdotali, de præbendis in 6.* vbi ille, cui integra præbenda conferri mandatur, non potest dimidiam accipere, etiam si in ea Ecclesia sint quædam integræ, & quædam dimidiæ. Facit etiam regula *quæ à iure, de Regul. iuris in 6.*

9 Contrarium sentit Decius in regula. *Non debet D. de reg. iuris, & in cap. quia tantum num.* 15. quem secuti sunt alij, & probabilem eorum opinionem iudicat Sanchez disput. citat. num. 32. Probat primo. Quia ius concedit hanc extensionem in alijs, etiã si odiosa sit *leg. nec in ea 22. D. ad l. Iul. de Adulter.* ibi: *Sed qui occidere potest adulterum, multo magis potest eum iniuria afficere, & in l. insuis 11. D. de lib. & posthum.* Ille qui habet vitæ, & necis potestatẽ, habet etiam in eius bonis, vnde colligunt DD. licere adulterum spoliare, quia licet interficere, *& cap. ex parte tua de decimis* priuilegium de decimis non soluendis extendi ad noualia, & subiungitur ratio: *Quia vbi conceditur maius, minus quoque concessum esse videtur.* Sed ad hæc omnia iura non est difficilis responsio. Cum enim hæc sint priuilegia, siue facultates in corpore iuris insertæ, latam interpretationem recipiunt, iuxta dicta supra initio huius capitis. Nos autem agimus de dispensatione vel priuilegio extra iuris communis corpus.

10 Secundò probat Decius ex *capit. per venerabilem, qui filij sint legitimi*, ibi. *quod in maiori conceditur, licitum quoque esse videtur in minori.* Et fit eo loco argumentum â spiritualibus ad temporalia, imo, & â simili, & in materia odiosa, qualis est legitimatio. Sed respondent Panormitanus atque Felinus ea cõtineri in allegatione partis; atque ideo illis nihil probari. Deinde responderi potest eã esse limitationem quandam communis doctrinæ.

11 Hæc enim communis sententia multis modis limitari solet. Primò limitant non nulli, inter quos Sanchez disput. citat. num. 34. Quando ratio expressa in dispensatione procedit etiam in casu non expresso, quia tunc non est extensio dispensationis, sed declaratio. At multum de hac limitatione dubito. Tum quia multa exempla sunt, in quibus ea limitatio verificari non potest. Dispensatur cum aliquo, vt domi habeat oratorium propter vxorem sæpius grauidam, non potest ad alium ea extendi dispensatio, & comparatione diuersarum personarum multa his similia exempla adduci possunt. Tum etiam vrget argumentum Felini. Quia non est cur quando militat maior ratio, vocetur extensio dispensationis, & non liceat: & tamen quando est eadem ratio dicatur declaratio. Quod enim ratio sit expressa, vel non sit expressa, parùm refert, si tamen eadem ratio dispensationis in vtroque militat, aut maior; expressi enim, & taciti, eadem ratio est, vt dixi supra lib. 3. Secundò alij limitant, vt non procedat in dispensationibus fauorabilibus, in quibus agitur de publico religionis fauore, vt in dispensatione illegitimi ad ordines *dicto capite per venerabilem.* Præiudicium enim, quod ex ea legitimatione ad ordines alijs sequitur, non curant iura, cum talis spurius sit in iure odiosus *lege post emancipationem D. de leg.* 1. Et cum multis docet Thomas Sanchez supra citata disput. numero 33. Aliæ etiam limitationes parui momenti huic doctrinæ communi adhiberi solent, quas omitto.

Explicantur clausulæ communes in dispensatione pro foro conscientiæ.

§. PRIMVS.

SVMMARIVM.

Quid agendum, num. 12.
De clausula personæ, cui committitur dispensatio num. 13.
Requiritur in eo qualitas confessoris approbati, num. 14.
De clausula cantinente causam dispensationis, numero 16.
De clausula continente modum verificandi causam, num. 16.
De clausula continente modum absolutionis, numero 17.
De operibus iniungendis, num. 18.
De laniatione literarum, num. 19.

12 DIVERSÆ clausulæ sunt earum dispensationum, quæ pro foro conscientiæ concedi solent, tâm pro impedimentis matrimonij, quâm pro votorum aut aliarum inhabilitatum dispensatione, quas breuiter percurremus.

13 Prima clausula est, in qua executio dispensationis committitur, *discreto viro confessori Theologiæ Magistro, vel decretorũ Doctori.* In hac continetur qualitas eligendi ad eã dispensationem exequendam, scilicet, Doctoratus, vel Magisterij in Theologia, aut in iure

iure Canonico. Non ergo sufficit Doctor in iure ciuili, non licentiatus in decretis, aut Theologia, non publicus earum facultatum professor in Academia approbata, quantumuis idoneus. Quia diriguntur hæ literæ ad homines in ea dignitate constitutos iuxta textum in *cap. ite statutum de rescript. in 6.* Vnde neque sufficit, qui communi errore Doctor existimatur, si reuera non est: neque illi, qui ex instituto aliquarum religionum Magistri vocantur, requiritur enim vt eo gradu sit insignitus in aliqua Vniuersitate approbata, non aliter. At si approbatus sit, quamuis indoctus, eas literas exequi poterit. Solum addendum est religiosos, qui in priuilegijs communicant, dummodo per generalem aut de eius licentia per alios superiores deputati sint, posse eiusmodi literas exequi ex cõcesso priuilegio Societati IESV per Gregorium XIII. cuius meminit Sanchez disput. 34. num. 11. Salas de legib. disput. 20. sect. 10. num. 97. Emanuel Rodriguez tomo 1. q. regular. quæst. 63. art. 8.

14 Requiritur præterea in eodem executore qualitas confessoris approbati ab Ordinario, quæ etiam clausula apponitur in Bulla Cruciatæ. Qualis autem approbatio requiratur, & cuius ordinarij latè explicui in tractatu de Sacramento Pœnitentiæ, & inde petenda sunt. Illud tamen admonuerim censeri approbatum, si communis error adsit de eius approbatione, quamuis reuera non sit approbatus, iuxta dicta latè supra lib. 5. Deinde, etiam si tantum sit approbatus cum limitatione ad certum genus personarum, posse eas literas exequi, quia iam in illo reperitur conditio approbationis, quam sine restrictione vlla requirit Pœnitentiarius. Sic Thomas Sanchez disput. cit. 34. num. 16. At non placet. Tum quia licet ea doctrina posset in religiosis confessarijs sustineri, iuxta ea quæ dixi loco citato. At in alijs confessoribus ne quaquam. Quia sicut in priuilegio Bullæ cõcesso is intelligitur confessor approbatus, qui comparatione eius, qui eligit, sit approbatus, vt dixi ibidem cum veriori, & communiori sententia, ita etiam in præsenti. Quod si vnus confessor nolit exequi dispensationem, quia iudicat illam esse subrepticiam, potest adiri alius qui exequatur, vel idem poterit retractare sententiam, vt contra Nauarrum rectè docet Sanchez lib. 8. disput. 27. num. 40. Quare fori conscientiæ, & exterioris, quo ad hoc est diuersa ratio.

15 Secunda clausula continet dispensationis causam scilicet, *periculum incontinentiæ, quia continenter viuere non sperat.* Ad cuius verificationem non satis est, quod quomodocumque stimulis carnis agitetur, sed quod ita vexetur, vt probabile periculum sit frequentis lapsus, & incontinentis vitæ, & id indicant alia verba, quæ apponi solent, vt maximè dubitet continere posse, & probabile sit periculum incontinentiæ.

16 Tertia clausula continet modum verificandæ causæ, *si ita inueneris post diligentem oratoris examinationem, & consilia præstita.* Diligens examen præmitti debet super causarum veritate, non tamen recipiendo testes, sed examinato ipso oratore, & recepto ab eo iuramento, cui in eo fides adhibenda est. Cumque examen hoc assignetur pro forma executionis, adeò necessarium videtur, vt eo non præmisso, quamuis causæ veritas subsisteret, nulla esset dispensatio, vt cum Ioanne Gutierrez docent Sanctius disput. citata numero 26. & Salas sect. 10. §. 3. At monita siue consilia non sunt alia, quam quæ ordinantur ad veritatis manifestationem, eaque non existimo esse de substantia, cum Sanctio ibidem num. 27. Sed nunquid ad eius veritatis manifestationem oportebit ab oratore exigere iuramentum? Negat Sanchez num. 21. Quia hæc dispensatio iuxta fori pœnitentiæ leges exequenda est. At cum in alijs non omnino seruentur leges fori pœnitentialis, non video cur non possit ab eo exigi iuramentum. Adde, si causa sit manifesta, atque notoria, vel ipsi confessario rectè cognita, non esse necessarium examen quod ad cognoscendam causæ veritatem ordinatur. Sed quid si confessarius sciat causam esse falsam, tenebitur credere, & exequi dispensationem? Negant Thomas Sanchez, & Salas, in quo valde iudicium hoc recedit à iudicio confessionis. Nullum denique oratori etiã exigenti testimonium de dispensatione reddendum est, cum ea tantum data sit pro foro interno, ad quod nulla testimonij necessitas est.

17 Quarta clausula est. *Eundem à mutatione propositi absoluas hac vice in forma Ecclesiæ consueta, & iniuncta ei pœnitentia salutari.* Intellige de mutatione propositi, quam culpabilem esse constiterit, est enim retrocessio à meliori proposito, quæ regulariter cum culpa est. Sed hic potissima difficultas versatur, an ea dispensatio fieri debeat audita confessione, & in sacramento confessionis. Thomas Sanchez in hac disput. num. 29. negat, sequitur Salas disput. 20. sect. 10. num. 98. Cuius fundamenta hæc sunt. Quia si pœnitentiarius

tiarius vellet hanc executionem fieri in foro pœnitentiæ, & confessionis id exprimeret. Deinde quia in his literis non vtitur verbo, *fori pœnitentiæ*, sed *fori conscientiæ*. Forum autem conscientiæ aliud est à foro pœnitentiæ: illud confessionem postulat, hoc non: vt probat Sanchez ex Præposito in *capite præterea, el 2. num 5. de sponsal.* Emanuel Rodriguez tomo 1. quæstion. regular. quæst. 60. artic. 10. Ego quidem eam opinionem existimo esse probabilem: probabiliorem tamē eam, quæ requirit, vt fiat in sacramento confessionis. Et in primis ea distinctio fori pœnitentiæ, & fori conscientiæ non est satis firma, & facile cōuellitur ex Tridentino sess. 24. cap. 6. de Reformat. vbi forum conscientiæ ex ipsius Sanctij sententia significat forum pœnitentiæ, quando quidem censet posse eam dispensationem dari extra sacramentum confessionis. Quare ex eo quod in his literis vtatur pœnitentiarius ea voce in foro pœnitentiæ, non potest vlla firma ratione colligi fieri debere extra sacramentum. Deinde omnia quæ in his literis continentur indicant sacramentalem confessionem. Primum, quia vtitur *absoluendi* verbo, cuius non est vsus in dispensationibus. Deinde quod ait *in forma Ecclesiæ consueta*; quæ particula ostendit idem sacramentum. Rursus, quia requirit in executore eius dispensationis qualitatem confessoris approbati ab ordinario. Nulla autem alia commoda assignari ratio potest, quare ea conditio requiratur, nisi hæc. Si enim propter idoneitatem, sufficiebat qualitas magisterij, aut Doctoratus in Academia approbata, quæ sine dubio maius est argumentum idoneitatis, quam qualitas confessoris. Atque ex his soluta manent fundamenta Sanctij. An autem idem dicendum sit de commutatione votorum per Bullam Cruciatæ ex eius clausula petendum.

18 Quinta clausula cōtinet ea opera, in quæ commutari ea vota debent, vel iniungenda sunt oratori in dispensatione. Circa quæ obserua non esse in arbitrio confessoris illum liberare his operibus, & omittere; videntur enim ex serie literarum necessario iniungenda. Erit autem in eius arbitrio ea moderari, quantitas enim non est designata. Debent tamen esse supererogationis. Vnde confessio, quæ inter ea opera numeratur, imponi quidem non potest frequentior quam mēstrua, vt saltem aliquo die mensis confiteatur, potest tamen præscribi bimestris, aut trimestris, sed cui non satisfaciat per aliam, ad quam ex voto vel pœnitētia, aut ex alia causa necessaria teneatur, in quo immerito Salas discedit à Sancto. Ea enim semper mens est iniungentis pœnitentias, vt aliquid supererogationis imponat, nisi explicet, vt dixi in materia de pœnitentia.

19 Sexta clausula petit, vt *hæ literæ dilabantur facta dispensatione, nec tradantur oratori, & si traditæ fuerint, nihil ei prosint*, quod intellige in foro externo, quia ea videtur esse mens Pontificis, & pœnitentiarij. Septima clausula apponi solita petit, vt *impedimentum occultum sit*, occultum autem hoc loco vocatur sicut, & apud Tridentinum sess. 24. cap. 6. non quod probari in iudicio non possit, sed quod, licet multis cognitum, deductum tamen non est ad forum contentiosum iuxta ea, quæ dico in opere de sacramento ordinationis lib. 2. Octaua clausula apponi solita in his dispensationibus pro matrimonio contrahendo, continet legitimationem prolis pro foro conscientiæ, quæ quomodo intelligenda sit petendum est ex lib. 11. Additur etiam vt vterque coniux fiat certus de nullitate matrimonij. De cuius necessitate satis dixi supra lib. 4. circa finem. Denique additur, *gratis vbique*. An autem per eā clausulam excludatur consuetudo, quæ in multis partibus est legitimè præscripta accipiendi stipendium laboris, petendum est ex materia de simonia, & nos explicamus in eo opere lib. 8. vide Sanctium disput. 35. a num. 9. Salas sect. 10. cit. prope finem, qui licere dicunt.

Explicantur clausulæ dispensationum pro foro externo.

§. SECVNDVS.

SVMMARIVM.

De clausula officialis in dispensatione pro foro externo, num. 20.

De clausula continente causas, variæ referuntur, num. 21. 22. 23. 24.

Examen faciendum super veritate causarum, numero 25.

20 PRIMA clausula est, in qua ponitur officialis, cui dispensatio committitur, quo nomine quis intelligatur constat ex dictis suprà lib. 5. Vnde dirigi possunt ad priorē nullius Diœcesis, quasi Episcopalem iurisdictionem habentem, vt expresse decreuit S. D. N. consultus de hac re, vt

re vt testatur Riccius in praxi decis. 252. Sufficit autē si literæ præsentētur coram vnius ex contrahentibus ordinario, quādo sunt diuersæ Diœcesis. Praxis enim obtinuit, vt in his dispensationibus obtinendis non explicetur Diœcesis.

21 Secunda clausula continet dispensationis causas, quando ex causa conceditur. Variæ autem assignari solent. Prima est extinctio magnæ litis, ad quam etiam pax consanguineorum pertinet, quod cedit in bonum publicum ex doctrina D. Thomæ q. 63. artic. 2. ad 2. Et euitatio scandalorum *capite 2. de noui operis nuntiatione* Vnde sæpe allegari solet pro causa euitatio inimicitiarum, quæ orirentur ex eo, quod ea fœmina vel infamata sit per viri copulam, vel per frequentem ingressum in eius domum. Sed inspiciendum attente an ea infamia orta sit post concessam Romæ dispensationem, an antea: sæpe enim in hoc defectus dispensationis esse solet. Huc etiam reduci debet, quando dispensatio in matrimonio videtur necessaria ad obuiandum alicui magno delicto, vt sumitur ex doctrina D. Thomæ 2.2. quæst. 67. articulo 4. in corpore.

22 Secunda causa assignari solet, quando ob loci angustiam, & nimis propagatam fœminæ prosapiam non reperitur matrimonium æquale, nisi inter consanguineos. Expedit enim matrimonia inter æquales contrahi. Satis autem est ad eius causæ verificationem, quod in eo oppido non inueniatur, quamuis in loco vicino inueniri posset, vt declaratum est à Cardinalibus, quam declarationem ad verbum refert Sanchez lib. 8. disput. 19. num 13. Similiter ad huius causæ veritatem sufficit, quod morali hominum estimatione in eo oppido non iudicentur pares illis, nisi consanguinei. Eius autem paritatis iudicium multum pendet ex arbitrio, ex multis enim circunstantijs perpendenda est, generis qualitate, diuitijs, ætate, filiorum numero, asperitate ingenij.

23 Tertia causa assignari solet defectus dotis, ratione cuius vel periculum incontinentiæ est, vel nubere æquali non potest. Non tamen dicitur dote carere fœmina, quæ habet dotem, vt virum competentem inueniat; licet ea dos non sufficiat ad nubendum potentiori consanguineo, qui illam ducere vult, vt prudenter docet Sanchez disputatione 19. numero 17. Nec etiam dicitur dote carere, quæ nihil habet, at eius parentes diuites sunt, etiam si parcissimè se erga illam gerant, cum habeat ius succedendi, & compellendi. Quod si eo iure careat, vt in aliquibus regnis de consuetudine est, inops censeri debet, sicut, & illa quæ non habet dotem competentem expectata sua portione legitima, nisi melioretur, & etiam illa quam frater dotare vult, nullo tamen pacto ea voluntas firmata est, quo certa sit ea dos, & etiam illa, cuius parentes ita indigent bonis quæ habent, vt nulla se parte spoliare possint ad illam dotandam; verè enim inops est, cum nihil habeat, quo onera matrimonij sustinere possit. Ad hunc etiam dotis defectum annumeratur, quando hæreditas aliqua duobus relicta est sub ea conditione, si nubant, aliàs diuidenda: expedit enim bono communi familiarum conseruatio. Item si fœmina dotem habeat competentem, at tot litibus implicatam, vt viro indigeat, qui ea negotia tracter, & maximè conueniens sit ad ea peritus aliquis consanguineus. Vidimus enim etiam dispensatum ex hac causa. Quod si ea fœmina dotem habens illi renuntiauit eo animo, vt paupertatis titulo dispensationem obtineret, Sanchez existimat dispensationem obtentam non valere, & mihi placet eius ratio desumpta ex defectu intentionis Pontificis. At si alio animo renuntiasset, & absque pacto retro donandi, quamuis cum spe accipiendi à donatario, sine pacto tamen, valere dispensationem probabilius est. Sed an renuntiare possit hæreditati vel legato obuenienti, post quam Romam misit ad dispensationem impetrandam, vel postquam dispensatio concessa est, ne frustretur effectu dispensationis, dummodo non fiat ea renuntiatio fraudulenter, quæstionem habet, & quæ pendet ex principijs, de quibus agimus in commentario de rebus Ecclesiæ alienandis, hoc est, in tractatu de Ordine, & annexis lib. 10. Vbi explicamus an repudiatio legati habeat alienationis rationem, & inde petenda. Agit de eo Sanchez disput. 19. num. 27. quem interim vide.

24 Solent etiam pro causis exponi conseruatio diuitiarum in eadem familia. Item conseruatio illustris familiæ; ex qua causa multis viris principibus concessa dispensatio est. Item excellentia meritorum petentis. Adde, & sanguinis qualitas, vt si magni principes sint, quo nomine, si nulla alia particula determinans addatur, intelligo

ligo non tantum filius Regum, & Principum ſupremorum, ſed etiam eos, quos dominos titulares vocamus, & præcipuè Magnates. Hiſpanè Grandes. Denique etiam proles ſuſcepta ex conſanguinea *capite quia circa, de conſanguinitate.* Vt dixi ſuprà iſto libro.

25 Tertia clauſula continet examen faciendum ſuper veritate cauſarum. Quod quamuis per teſtes conſtare debet, & in fõro externo: non tamen cenſetur eſſe neceſſaria de iure cognitio iudicialis, ſed extra-iudicialis ſufficit. Vnde ſi notoria cauſa ſit, putant nonnulli non eſſe neceſſariam aliam cauſæ cognitionem. Sed vt multis incommodis obuietur, oppoſitum video ſeruari in praxi. Circa alias clauſulas nihil eſt ſpeciali obſeruatione dignum. Videtur Thomas Sanchez diſputatione 35. Cuius autem expenſis diſpenſatio obtinenda ſit apud illum vide diſputatione 36. & hactenus de iſto libro.

(·?·)

DE

DE DISSOLVTIONE MATRIMONII QVOAD VINCVLVM AVT TORVM.

LIBER NONVS.

A libro quarto explicatum est, quid pugnet cum matrimonio contrahẽdo: nunc explicanda sunt quæ pugnent contracti matrimonij vel vinculo vel habitationi. Potest enim contingere, vt contractum semel validè & legitimè matrimonium dissoluatur omnino, aut cohabitatio separetur, & diuortium fiat. Sed vinculum dissolui contingit aut potestate Principis Ecclesiastici, aut conuersione ad fidem, aut statu religioso: torus autem aut cohabitatio separatur vel per conuersionem ad religionem, vel ex causa alia ad diuertendum sufficienti, perpetua vel temporali. Hæc igitur omnia hoc libro complectimur, & explicare conamur.

De dissolutione Matrimonij in specie Iure Ciuili.

CAPVT PRIMVM.

SVMMARIVM.

Iure Ciuili solui matrimonia, aut bona gratia, aut repudio, num. 1.
Mutuo consensu, num. 2.
Monachismo, num. 3.
Impotentia, & debilitate, num. 4.
Item per deportationem, num. 5.
Captiuitate. Varia tempora distinguenda, numero 6. 7.
Et quando in expeditione milites degunt, nu. 8.
Et ob seruitutem, n. 9.
Item per repudium, num. 10.

1 PRIVS quam explicemus quid habeat circa dissolutionem matrimonij Ius Canonicum aut Diuinũ, explicare placet, atque breui narratione com-

completi, quid habeat Ius Ciuile. Nam quãuis matrimonium indiuiduam vitæ consuetudinem retineat, *l. 1. D. de ritu nuptiar.* tamen aliquot sunt modi, quibus dissoluitur Iure Ciuili; vsque adeo verum est, quod Imperator ait, *Nouel. 22. cap. 3. Eorum quæ in hominibus subsequuntur, quidquid ligatur, solubile est.* Inter viuos igitur dissoluuntur matrimonia Iure Ciuili duobus potissimum modis, vel bona gratia, vel interueniente repudio. Bona gratia dissolui dicuntur, id est, dulciter, sine querela, sine libello repudij, amica separatione, vt inquit Tertullianus in lib. de Monogamia. Comprehendit autem hic modus plures dissoluendi matrimonij rationes.

2 In primis olim mutuo consensu dissoluebatur, sicut & mutuo consensu contrahitur, nulla interueniente causa ex constitutione Anastasij Imperatoris in *l. 9. Si constante C. de repud.* sicut & ab emptione licet recedere mutuo partium consensu. Qui modus dissoluendi coniugij sublatus est à Iustiniano *Nouel. 117. cap. 10.* vnde sumptum est *Auth. quod hodie C. de repud.* Sed iterum Iustinus filius eandem antiquam legem reduxit, & patris constitutionem abrogauit, & est inter Nouellas Iustiniani 140. Exponitque rationes, ob quas ea constitutio seruari non potuerit, quamuis laudatissima fuerit, & optimo studio Legislatoris ergâ matrimonium excogitata & promulgata. Ex cuius proemio nonulla accipe elegãter scripta ab illis. *Verum permulti nos adierunt, &c.*

3 Deinde alius etiam modus bona gratia soluendi matrimonij eodem iure fuit Monachismus. Si enim vel vnus ex coniugibus, vel vterque in monasterium fuerint ingressi studio castitatis, & perfectioris vitæ, dissolui coniugium statuit Iustinianus *Nouel. 22. cap. 5. Nouel. 117. c. 10. l. 53. Sancimus, §. 3. Adhæc, & l. 56. de nobis, vers. nam & maritis, C. de Episcopis & Clericis, & Auth. quod hodie C. de Repud.* Cuius constitutionis duplex ratio est. Prima fauor perfectionis & castitatis. Secunda, quòd monachismus morti comparetur. Vnde *d. l. 53.* scriptum est: *Sed secundum quod in casum mortis factum est pactum, quod videatur is qui diuertit à communi alterius connictu, mortuus esse in alterius contubernio.* At quãdo ea ratione matrimonium dissoluebatur, ea bonorum diuisio erat. Si vir eligeret monasticam vitam vxore in sæculo relicta, dos reddenda est vxori; quæ etiam ex donatione propter nuptias adquirit lucrum, quod sibi pacta est in tempus mortis mariti. Quod si mulier monasticam vitam eligat relicto viro in sæculo, donatio propter nuptias, & ex dote lucrum ad virum pertinebat; quod pactus est in casum mortis vxoris. Quod si vterque eligant monachismum, dos sine diminutione ad mulierem, donatio propter nuptias ad virum pertinet, *d. l. 53. & l. 56. de Episcopis & Clericis.* Videndus etiam Cuiacius Nouella 22. Quæ bona monasterio quæruntur, in quod ingressi fuerint. Hæc autem eatenus vera sunt, si nulli extent ex eo matrimonio liberi; si enim extent, illis reseruatur dos, & donatio propter nuptias *Nouella 117. cap. 10. Auth. quod hodie C. de repud.* vbi etiam pœnæ statuuntur contra eos, qui improbabili pœnitentia ducti luxuriosè vixerint.

4 Tertius quoque modus dissoluẽdi matrimonij bona gratia est impotentia, siue debilitas, quam frigiditatem appellat Ius Canonicum. In quo id ius est. Ante Nouellas Iustiniani legitimam præbebat dissolutioni causam, si maritus integro biennio ab initio matrimonij nunquam rem habere cum vxore potuisset, *l. 10, in causis C. de Repud.* Sed biennium mutatum est à Iustiniano in triennium fauore matrimonij *Nouel. 22. cap. 6. & Auth. quod hodie C. de repud.* Quod authenticum legale respexit Pontifex in *cap. 3. de frigidis*, vt notauit Cuiacius in recitation. ad decretales ibidem. Cum enim matrimonium suscipiendorum liberorum gratia ineatur, & in tabulis nuptialibus id insereretur, vt multis probat Cuiacius ad Nouel. 22. & Brisson. de formulis P. R. nulla spes liberorum esse potest, si vir adeo impotens est, vt integro triennio maritali officio fungi non potuerit. Ius autem Canonicum in eo casu aut soluit antea validum matrimonium, aut declarat nullum à principio extitisse, iuxta dicta supra lib. 7. Quod tamen bona fide initũ coniugum laborem in actu maritali experiẽdo excusauit. Ex ea autem causa soluto matrimonio, & dos restituitur vxori absq; vlla diminutione, & donatio propter nuptias penes maritum remanet, *l. 10. in fine C. de repud.* Quia cum nulla hic interueniat culpa, sed potius calamitas, nulla etiam pœna esse debet, *l. Sancimus 22. C. de pœnis.* Neque solum ob impotentiam, sed etiam ob sterilitatem licuit ab vxore diuertere, & matrimonium dissoluere, *l. 60. vitricus, §. 1. & l. 62. D. de donat. inter vir.* Exemplum nobis offert Aulus Gellius lib. 4. cap. 3. & Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. & 4. Primus enim Corfilius vxorem sterilitatis causa dimisit, vbi & addit. Corfi-

Consilium, quamuis tolerabili ratione fuerit vsus, hominum tamen reprehensione nō caruisse.

5 Quartus etiam modus soluendi matrimonij bona gratia est per deportationem, vt expressè affirmat textus in *l. siquis sic stipuletur D. soluto matrimonio*, & non obscurè deducitur ex *l. 1. C. de repudijs*, ibi, *Si casus in quem maritus incidit, non mutet mulieris affectionem.* Quod acutè expēdit Cuiacius tom. 3. ad *tit. C. de repudijs.* Quod si alibi in iure deportatione non dicitur solui matrimonium, *l. res 24. C. de donation. inter l. 5. D. de bonis damnatorum*, & alibi, hos nodos dissoluit Cuiacius, quem sequitur Gothofredus in *d. l. res de donation. inter* adhibita distinctione, vt scilicet, Iure Ciuili dissoluatur matrimonium, non vero iure gentium. Quia iustæ nuptiæ non sunt cum Peregrino, idest, non ciue. Iustæ enim nuptiæ tantum sunt inter ciues Romanos *inst. de Nuptijs.* Deportatio autem peregrinum facit. Vnde cum in *d. l. 1.* mulierem mutare affectionem posse, satis indicatur deportationem esse iustam causam diuertendi & quærendi noui mariti post annum deportationis. Est enim deportatio perpetua. Vnde & diuersam huius & captiuitatis rationem docet rectè eo loco Iacobus Cuiacius. Quamuis & dici etiam posset antiquiori Imperatorum iure fuisse diuortij causam, sublatam tamen nouiori. Ea enim iura quæ deportatione dissolui matrimonium negant, nouiora esse videntur, si temporum seriem attendas.

6 Præterea soluitur etiam matrimoniū captiuitate, in quo distinguenda etiam diuersa tempora sunt. Olim enim vetustiori iure captiuitate dirimebatur matrimonium. Sicut & seruitute, *l. 1. D. de diuortijs & repud. l. siquis sic stipuletur 56. D. soluto matrimonio & l. in bello 12. §. sed captiui 4. D. de captiu. & post. lim. reuers.* Quæ dispositio adeo dissoluebat matrimonium, vt coniuge captiuo, etiamsi alter vellet in domo mariti remanens, perseuerare coniugium, non posset *d. l. 12. §. 4.* & neque iure post liminij recuperaretur vxor à captiuitate reuerso marito, *l. 8. non vt à patre, & l. cum duæ species 14. §. 1. D. de capt. & post lim. reuers.* In quo valde differūt Patria potestas in filium familias, & ius mariti in vxorē, siue matrimonium; illa enim recuperatur, hoc non dictis legibus, quia iure post liminij ea quæ iuris sunt recuperantur, non quæ facti; matrimonij autem ius ex facto consurgit. Excipe nisi soluta captiuitate mulier nondum alij nupta velit redintegrare matrimonium, *d. l. 8. & l. 14. D. eodem.* Quæ quidem vxor, si nondum esset nupta, & nulla probabilis esset causa non redintegrandi matrimonium, cogebatur renouare, aut tenebatur pœna diffidij, diuortijque iniusti, *d. l. 8. in fine.* Ab hac vniuersali lege & regula excipiebatur liberta nupta patrono, eius enim coniugiū perseuerabat, etiā patrono in captiuitatem abducto, ob maiorem reuerentiam, quam liberta debebat patrono; & ita eo tempore libertæ nubere non licebat, *l. in eo iure 45. §. vltimo D. de Ritu nuptia.* Atq; hæc vetustiori iure cōstituta sunt.

7 At iure Nouellarum Iustiniani matrimonium non dissoluitur. Nam vel constat maritum viuere in captiuitate, vel incertum est viuat, necne. Priori casu non licet ad nouas nuptias transire, & si transierit, pro adultera punitur. Quod si incertum: expectare iubetur coniux per integrum quinquennium à die captiuitatis. Quod si neque tunc certum sit, licet ad secundas nuptias transire, quasi priore matrimonio bona gratia dissoluto, & sine libello repudij. *Nouel. 22. col. 7.* Verùm postea Leo Imperator Nouel. 33. negauit vllo vnquam tempore licere alteri cōiugi ad nuptias transire, nisi secundum formam eorum, qui in expeditione versantur constitutam à Iustiniano in *Nouella 117. §. cæterum*, & id. Quid in hoc seruet Ius Canonicum, dixi supra lib. 7. cum de impedimento ligaminis termo esset.

8 His coniunctus est modus soluēdi matrimonij, quando in expeditione milites degunt, in quo varia etiam tempora distinguēda sunt. Nam primò fuit tempus, in quo matrimonium militum in expeditione degentium dissolueretur bona gratia, *l. 61. vel jenectutem D. de donat. inter.* Deinde ex constitutione Constantini in *l. vxor 7. C. de Repudijs*, vbi vxori, cuius maritus in militia est, conceditur nubere, si per integrum quadriennium expectauerit, nullo accepto interim nuntio de mariti salute, & si publicè deposuerit cōtestationem missam ad ducem militiæ, sub cuius signis maritus militabat. Rursus Iustinianus, *Nouel. 22. col. 14.* mutauit quadriennium in decennium, alijs ex constitutione Constantini in suo robore permanentibus. Denique, si inspiciamus ea, quæ Iustinianus statuit, *Nouella 117. col. 11.* iam ea causa videtur sublata, cum absque certo nuntio de morte mariti causa militiæ absentis, noluerit licere vxori ad matrimonium aliud transire, vbi etiam pœnas constituit Iustinianus, si aduersus hanc eius constitutionem

fiat, quæ eo loco videri possunt.

9 Tandem bona etiam gratia soluitur matrimonium Iure Ciuili ob seruitutem, vt si alter coniugum ex libero fiat seruus, *Nouel.22.col.9.* Superueniens enim seruitus nō multum à morte differt; & quia iure Romano cum seruis non est connubium, neque libero homini cum serua, neque dos, neque donatio propter nuptias, *l.3.C.de incest.& inutil. nupt.l.ancillæ 58. D. de condit. & demonst.* Vnde soluto per seruitutem matrimonio locus est conuentionibus, pactionibus ve in casum mortis, hoc est, ea quæ quisque coniugum pactus est de lucranda dote, vel donatione propter nuptias, non secus adquiruntur alteri, ac si mortuus esset, qui in seruitutem redactus est. Quod si abinitio contraxisset quis matrimonium cum serua, quam liberam existimabat, non soluitur matrimonium, sed declaratur nullum per sententiā, *Nouel.22.col.* 10. Quia errantis nullus est cō sensus, *l.si per errorem 15.D.de iurisdict.& l.2. D. de iudicijs.*

10 Sed præter eos modos soluendi bona gratia matrimoniū, quos hactenus annumerauimus, iure Romano soluebatur per repudium: repudium autem coniugi à coniuge mittebatur per nuntium aut libellum datum, vel missum ad domum eius: *l.6. C.de Repud.* & notat Cuiacius, & per Clarum etiā ademptionem, de quibus Brisson. latè lib.de formul. Roman. Est etiam repudiū duplex, rationabile vnum, quod iustis causis fiebat; & irrationabile aliud, quod sine rationabili causa. Et quamuis olim non essent certo numero definitæ repudiorum causæ, sed arbitrariæ, & positæ in officio, & disquisitione iudicum; at postea lege definitæ sunt tàm ex parte viri, quàm ex parte vxoris. Plures fuere olim ex constitutione Theodosij, *l.8. C.de Repud.* quæ à Iustiniano postea ad minorem numerum redactæ sunt, de quibus in *Nouella 22.col.16. & Nouel.* 177. Oportebat tamen causas repudij iudici allegari, atque probari, *d.l.8. §. 2. & 3. & d. Nouella 22.* Ex eisdem etiam Nouellis petendum, quibus pœnis afficeretur, qui causam repudio præbuit. At quando irrationabile repudiū erat, si mulier esset, dotem & lucra amittebat illorum vsufructu apud maritum remanente, si liberi communes essent: sin verò nulli, pleno iure ea maritus capit, & intra quinquennium nubere prohibebatur d. *l.*8. Quod ius aliquantulum immutatum est per *Nouel.22. &* 177. Nam mulier per omnem vitam nubere prohibebatur, & in monasterium detrudebatur. Quæ pœna posteriori Nouellarū iure cōmunis est viro & vxori *Nouel.*127. & 134. vt notat etiam Cuiacius, ad Nouel.22. Olim etiam mulier sine iusta causa diuortium faciens deportationis pœna afficiebatur, & vsque ad aciculam capitis, vt ait Imperator, in domo mariti deponere cogebatur, *l.1.C.Theodos.de Repud.* Atque hæc inspecto Iure Ciuili: Iam deinceps de Canonico, & his quæ moribus nostris recepta sunt.

An matrimonium infidelium consummatum dissolui possit auctoritate Pō tificis.

CAPVT. II.

SVMMARIVM.

Prima sententia affirmans, num.1.
Eius argumenta, ibi, & num.2.3.4.
Occurritur tribus obiectionibus, n.5. 6. 7.
Verior oppositasententia, n.8.
Distinguuntur tres quæstionis status, n.9. 10. 11.
Diuersimode probatur, n.12. 13. 14. 15. 16.
Satisfit argumentis primæ sententiæ, n.17.

1 NOnnulli existimarunt matrimonium consummatū infidelium dissolui posse Pontificis auctoritate, Sic sensit Nauar. lib.3. Consil. *de conuersione coniugatorum*, Consil.3. nu. 12. §. *ad secundum dubium*, Thom. Sanchez lib.2. dispu.17. n.2. & refertur pro eadem sententia Socinus 1. volum. consil. 28. Quorum sententia his, mihi vt videtur, niti poterit fundamentis. Primô, quia ex probabili sententia, de qua c. sequenti, cum possit Pontifex dispensare in matrimonio fidelium rato nondum consummato, nulla videtur esse ratio, cur etiam iusta de causa non possit matrimoniū infidelium consummatum dissoluere. Si enim rectê consideres; matrimonium infidelium etiam consummatum, & legitimum, ratum non est, vt supra Pontificum & Doctorum auctoritate probauimus: at matrimonium fidelium etiam non consummatum ratum est. Nec vero infidelium matrimonium ideo ratum nō est, quia in aliquibus casibus, diuino priuilegio dirimatur: ea enim ratio, si alicuius momenti est, conuincet etiam matrimonium fidelium non consummatū multò potiori iure non appellādum esse ratum, cum dissoluatur auctoritate Pontificia in religionis professione, & in multis aliis casibus

bus nec satis difficile. Si ergo, quod in aliquo euentu dissoluatur consummatum infidelium sufficiens causa est vt ratum non dicatur satis etiam erit dissolui sæpe auctoritate Pontificis non consummatum fidelium, vt inde non appelletur ratum. Si verò significationem attendas, excellit matrimonium fidelium non consummatum. Nam, vt inquit Innocentius III. in *cap. debitum de Bigamis*, significat coniunctionem Christi sponsi cum Ecclesia, qua significatione omnino caret infidelium matrimonium etiam consummatum. Ergo, si illud Pontificis auctoritate dirimitur multis de causis, dissolutumque sæpe est, nulla conueniens ratio videtur reddi posse, ob quam matrimonium infidelium etiam consummatum rescindi nequeat. Atque ad hæc reducuntur duo priora argumenta Nauarri loco citato.

2 Præterea probat, quod licet nec Papa, neque alius Princeps possit regulariter dissoluere contractus suorum subditorum inter se, neque cũ ipso met factos, iuxta regulam *id quod nostrum D. de reg. iuris, & cap. conuenior 23. quæst. 8.* potest tamen iusta de causa id facere, vt docet communis sententia. Sed cõ tractus matrimonij nondum consummatus, licet sit iure naturæ validus, tamen ante consummationem destruitur legis super naturalis vinculo, & spiritualis significatione. Ergo poterit Papa illum dissoluere iusta de causa.

3 Deinde, quia licet Papa, & alius Princeps non recognoscens superiorem non debeat velle præiudicare tertio sine ipsius consensu iuxta prædictam regulã *id quod nostrũ est*; potest tamen id facere consentiente parte, iuxta eandem regulam, quæ habet, *id quod nostrum est sine facto nostro ad alium transferri non potest*, ibi per *factum* intelligitur consensus expressus, vel tacitus, vel aliquid aliud æquiualens. Ergo vtroque consentiente poterit Pontifex dispensare.

4 Præterea inniti possunt Doctores illi in literis Gregorij XIII. quas paulò infra referemus, in quibus decernit, vt si infidelis cõiugis consensus, an velit cohabitare, requiri non possit, confecta super eo probatione legitima, liberè, & licitè is qui conuersus est, alteri nubat, valeatque matrimonium istud, etiam si postea infidelis coniux accesserit, probetque vel se nõ fuisse requisitũ, aut quominus respõderet impeditũ fuisse legitimè; vellequese aut ad fidem conuerti, aut saltè sine Creatoris iniuria vitam agere, cum charissimo coniuge. Quas literas illi sententiæ inniti, aut illam supponere, qui negauerit, nescio qua ratione iustam esse defendet eam decisionẽ Pontificis, aut iuri consentaneã.

5 Neque huic opinioni obstabit, quod Matth. 19. dixit Christus. *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Dicent enim Doctores illi dixisse ea verba Christũ Iudæis, & de quæstione apud eos controuersa circa repudia disputantẽ. Itaque dictũ non de infideliũ, sed de fideliũ matrimonio, vt notauit Innocentius I. relatus in *c. nunquid 28. q. 1.* Quo etiam pacto dicent illa intelligenda apud Matthæum ibidem: *ab initio autem non fuit sic* scilicet dicta de matrimonio fidelium, quod Verbi cũ humana natura indissolubilẽ vnionem repræsentat; alias si ita absolutè, & vniuersẽ ea verba intelligerentur, conuincerẽt etiam matrimoniũ ratum fidelium non consummatum rescindi non posse pontificis auctoritate: Illa enim dicta sunt de matrimonio in statu innocentiæ Dei institutione contracto, in quo statu nondum consummatum erat.

6 Neque obstat etiã Innocent. I. in *cap. nunquid 28. q. 1.* & alij canones, de quibus supra, qui docent baptismo non dissolui coniugia, sed ablui crimina. Nec enim isti Doctores id ita esse negabunt. Sed quãuis constantissimè affirment baptismo non dirimi coniugia, dicent tamen ex eo non effici, quin iusta de causa possint à Pontifice dissolui.

7 Neque denique obstat, quod matrimoniũ ratum fideliũ consummatum dissolui nõ possit, dicent enim esse lõge diuersam rationẽ ob specialẽ significationem, quã habet ex doctrina Pontificis in *cap. quanto de diuortijs, & c. debitum de bigamis.* Nec denique maioris esse momenti dicent censurã Academiæ Parisiensis, si qua fortè de hac re extet, quæ ad meam nondũ cognitionem peruenit, fortasse enim illi de matrimonio consummato fideliũ locuti sunt, sicuti, & eã opinionẽ speculũ coniugiorũ intolerabilẽ errorẽ censet.

8 Verùm ego semper existimaui omnino certũ matrimoniũ infidelium consummatum non posse dissolui auctoritate Pontificis. Et quidem hanc fuisse hactenus communẽ Doctorum sententiam, licet de matrimonio fideliũ rato aliter iudicauerint, dubitari non potest, & expressè Gabriel Vazquez disput. 2. Matrimonio c. 6. n. 58. falsissimam docet esse quorumdam doctrinã qui ex eo quod indissolubilitatẽ matrimonij ex significatione vnionis hypostaticæ oriri existimauerint, deducere non dubitarunt matrimoniũ consummatũ infideliũ, cũ ad fidẽ conuertũtur,

dissolui posse actoritate Pontificis, eo quod non sit signum coniunctionis Christi cum Ecclesia. Id quod anno Domini 1588. cum ipse Gabriel Vazquez Romæ esset, à Summo Pontifice Sixto V. obtinere pro viribus contenderunt, & repulsam passi sunt, in quorũ sententiã ipsum nunquam subscribere voluisse affirmat.

9 Sed explicationis gratia distinguendi sunt tres quæstionis status. Primus est, cum vterque infidelis est, & in hoc casu planum est non posse dissolui à Pontifice, quia non habet in illos potestatẽ; neque est vnde credamus â Deo relictam esse hanc potestatem Pontifici, quamuis relinqui posset: vniuersè enim scriptum est à Paulo, *Quid ad nos de his, qui foris sunt iudicare?*

10 Alter status quæstionis est, cum vterque est conuersus ad fidem, & matrimoniũ consummatum erat ante baptismum, nõ postea. Et in hoc casu etiam iudico non posse Pontificẽ dispensare, neque dissoluere. Quia iam suscepto baptismo est illud matrimonium ratum, & consummatum. Parum autẽ refert, quod ante baptismum consummatũ fuerit. Id quod â posteriori colliges, tũ quia reuera effecti sunt vna caro. Tum etiam, quia ex matrimonio consummato ante baptismũ nascitur post baptismum affinitas, vel irregularitas. Ergo reputatur pro consummatione, ac si post baptismum facta fuisset, aliàs ea impedimenta non orirentur ex copula habita ante baptismum.

11 Tertius status quæstionis est, quãdo vnus ex eis tantũ est cõuersus ad fidẽ altero in infidelitate remanẽte. Et etiã in hoc casu existimo nequaquã posse Põtificẽ dissoluere & in primis hæc sentẽtia probatur ex dictis lib. 1. cap. 12. & 13. de indissolubilitate matrimonij proueniente ex iure naturali tantum, cui nihil firmitatis addit significatio. Igitur si consummatum infidelium dissolui posset actoritate Pontificis, planè etiam consummatum fidelium, maximè cum multorum opinio sit eam significationem coniunctionis hypostaticæ à principio cuicumque matrimonio conuenire, vt retuli supra lib. 1. Certè potestas dissoluendi matrimonium, consummatum reduceretur ad quoddam incertissimum fundamentum, quod in re tanti momenti sustineri non potest.

12 Præterea, quia quamuis demus matrimonium ratum fidelium auctoritate Pontificis dissolui posse, de quo cap. sequenti, attamen Doctores, qui id asserunt, probabilem assignant rationem, ob quam credamus à Deo relictam eam potestatem in Ecclesia, sicut potestatem dispensandi in votis, quorũ obligatio est de diuino naturali iure; attamẽ vt credamus dispensante Christo in eo quod dixit Matthæi 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet*, relictam esse potestatem in Ecclesia ad dissoluenda matrimonia infidelium consummata, nulla subest idonea ratio. Nam si alter infidelis conuertitur ad fidem, vel alter vult cohabitare sine Creatoris iniuria, vel non: si hoc secundum, iam diuino iure dispositum est, vt separetur vinculum, *Cap. si infidelis 28. quæst. 1. & 1. Corinth. 7. si infidelis discedit, discedat.* Si vero vult cohabitare, separari non potest, ex decreto Pontificis, *cap. Quanto de diuortijs*, quod expendam infra. Quod autem aliqui gentiles ad fidem facilius conuerterentur, si liceret illis dimissa prima, aliam, quam magis diligunt, retinere, nulla idonea causa est, nisi laxare libidini habenas, & velle vt Euangelium libidini, & voluptati deseruiat. An quia Germaniæ clerici ad Ecclesiæ gremium redirent, si illis licentia ineundi coniugia concederetur, id indulgendum esset? Minimè sanè. Quo enim pacto credemus illum erga religionem esse affectum, qui erga legis naturalis obligationem male affectus est? aut quo animo religionem Christianam amplectetur, quam videt suæ voluptati & delicijs obsequentem? Adde, quando ex parte vnius facilis redderetur ingressus, ex parte tamen alterius, qui se de seri molestè ferret, esset difficilior, vt expendit optime Innocentius in *c. Gaudemus de diuortijs.*

13 Deinde colligamus etiam non relictam huiusmodi potestatẽ Pontifici à Deo, ex his, quæ certa sunt, hac consideratione. Nam matrimonium istud consummatum in fidelium, vel dissoluitur illis existẽtibus Catechumenis ante fidem susceptam, quod dici non potest, quia ad Ecclesiam non pertinet ea quæ foris sunt iudicare, neque in eos, qui nondum re ipsa fidem publicè protestati sunt susceptione baptismi, suam exercere potest iurisdictionem. Si verò, cum iam alter eorum ad fidem conuersus est, altero in infidelitate remanente, cum in nondum conuersum nullam habeat Ecclesia iurisdictionem, separare non potest volentem cohabitare sine creatoris iniuria, & perseuerare in cõtractu à se inito firmo iure naturali. Si vero iam vterque ad fidem conuersus est, eorum matrimonium susceptione baptismi sine nouo consensu fit ratum iam consummatum, vt ex Pontificum decretis & Doctorũ com-

communi sententia probaui lib. 1.

14 His accedere possunt varia decreta, quæ non posse dissolui vehemẽter insinuãt. In primis clamat Paulus 1. Corinth. 7. *Si consentit habitare cum eo, non discedat.* Dicunt Põtifices Baptismo non solui coniugia, sed dimitti peccata Innocentius I. *in cap. nunquid 28. quæst. 1. Meldense cap. siquis 28. quæst. 2. Triburiense, cap. 39. inquit. Synodus Romana ait quod non sit dimittenda vxor post baptismum, quæ habita est ante baptismum; in baptismo enim soluuntur crimina, non coniugia,* idem habetur in *cap. Gaudemus de diuortijs.* Quibus verbis indicari videtur, non tantum de facto non solui coniugia, sed nec posse dissolui. Atque hunc esse sensum in primis conuinco ex d. cap. 39. Concilij Triburiẽsis, vbi sermo erat de coniugijs fidelium, diuersarum tamen gẽtium, & ibi præcipitur, vt inter eos matrimonium contractum valeat, ita vt non liceat amplius dicere se non secundum suæ gentis morem contraxisse; & statim argumentatur tanquam à minori ad maius affirmatiuè dicens: *Synodus Romana ait, quod non sit dimittenda vxor post baptismum, quæ habita est ante baptismum; in baptismo soluuntur crimina, non tamen legitima coniugia. Cum enim in baptismo transmigrat de vita in vitam, & non mutat vxorem legitimam, quomodo mutat eam, quæ non mutat vitam sed transit de gente in gentem.* Itaque ex eo probat nequaquam licere eis disiungere nuptialem copulam, aut vnã carnem in plures diuidere, siquidem adhuc mutata vita per baptismum non potest separari fidelis ab vxore prius ducta. Quod si matrimonium infidelium consummatum dissolui posset, non rectè argumentum ducerent Patres Triburiensis Concilij.

15 Præterea etiam idem ostenditur ex loco Pauli 1. Corinth. 7. Tantum enim Paulus in eo casu vult separari, quãdo dici posset subijci fidelis seruituti, & in præiudiciũ fidelis foret, si non dissolueretur, vt si nollet cohabitare, vel non sine peccato, vel sine cõtumelia. Ergo quando non habet locum ea ratio, quod maneret fidelis subiectus seruituti, non habet locum dimissio. Quæ omnia confirmãtur testimonio Innocentij III. in *Cap. Quanto de diuortijs,* ibi. *Si enim alter infidelium coniugum ad fidem Catholicam conuertatur altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia diuini nominis vel vt eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare voluerit, qui relinquitur ad secunda, si voluerit, vota transibit. Et in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus, si infidelis discedit, discedat, frater enim vel soror non est seruituti subiectus in huiusmodi, & Canonem etiam in quo dicitur, Contumelia creatoris soluit ius matrimonij circa eum qui relinquitur.* In quibus Innocentius in illis tantum casibus censet habere locum verba Pauli, quæ docent matrimonium infidelium posse dissolui; alias non diceret, *& in hoc casu etiam intelligimus,* quando quidem etiam extra illũ casum posset discedere dissoluto matrimonio, atque solum de his casibus intelligendum Paulũ, quasi dicat nos non habere alia argumenta ad dissoluenda huiusmodi coniugia, præter testimonium Pauli, qui legem diuinam scripto tradidit. Paulum autem solum in his casibus intelligit Innocentius. Ergo sentit non esse alium casum, in quo dissolui possint, aut id sine fundamento asseritur.

16 Denique quia, vt diximus supra lib. 7. cum de impedimento disparis cultus sermo fuit, temporibus Augustini videtur aliquantulum remissum præceptum fideli impositum de non dimittenda vxore, & tũc dabatur optio, vt si velint, dimitterent, innupti tamen manerent. Et cum penes Episcopos esset facultas dispensandi, qualis hodie residet in Pontifice, nunquam tamen censuere dispensandum. Inquit enim Augustinus in *cap. sic enim 28. quæstione 1. non solum quia perniciosissimè scandalizantur offensi, verùm etiam, quia cum in alia coniugia ceciderint viuentibus illis, à quibus dimittuntur, adulterinis nexibus colligati difficillimè resoluuntur.* At si matrimonium consummatum infidelium dissolui eorum auctoritate posset, facillimè resolueretur, dissoluto scilicet matrimonio inter fidelem dimittentem, & infidelẽ dimissum.

17 Nec verò argumenta adducta pro prima sententia sunt alicuius momenti. Ad primum enim dicimus, licet demus posse Pontificis auctoritate dissolui matrimonium ratum fidelium non consummatum, de quo c. sequenti, non ideo dicendum est, posse dissolui matrimonium consummatum infidelium. Est enim ratio, ob quam possit cum aliquo fundamento asseri facultatem illam concessam, vel relictam Ecclesiæ in eo casu, quæ sine fundamento asseritur in isto, vt ostensum est. Nam quod diuina auctoritate dissolui posset, non dubitamus, cum in lege veteri non solum permissa, sed licita repudia fuerint, vt diximus suprà suo loco. Itaque non est petenda ratio ex eo, quod matrimonio consummato infidelium non conueniat ea significatio, quæ cõuenit cõsummato fidelium ex nostra sententia supra lib. 1. c. 10. Sed ex eo, quod nõ est vnde talis facultas cõcessa colli-

gatur, quin potiùs multa sunt, quæ oppositũ comminiscuntur, vt suprà ostendimus. Secundum argumentum inane est, licet enim alios contractus posset potestas humana dissoluere iusta de causa, quia ipsi natura sua nõ sunt perpetui; hic tamen natura sua perpetuus est, & inde omnem firmitatem habet, vt dixi lib. 1. c. 12. & 13. Et eodem modo respondetur ad tertium non pendere in hoc contractu dissolutionem ex consensu partium, & ita solũ à Deo supremo Domino posse dissolui. Cũque non constet datam esse à Deo Pontifici facultatem dissoluendi, sed potius oppositũ, non potest etiam cum partium consensu is contractus dissolui. Ad vltimum dico illas literas Gregorij XIII. neque niti illi opinioni; neque illam supponere, sed merito præsumit Pontifex coniugem, qui tanto tempore non apparet, & ita latet, vt inueniri non possit, licet requiratur, reuera noluisse cohabitare. Illi autem postea accedenti non credit non habuisse voluntatem non habitandi, siquidem tandiu latuit etiam requisitus, nec quæsiuit maritum, sed præsumit merito priorem voluntatem non cohabitandi reuocasse, quantumuis ille probet se fuisse legitimè impeditum, & iudicat eas probationes non niti veritate; eam autem reuocationem iam alio matrimonio per fidelem inito locũ non habere. Vel dic in eo casu non dispensare Pontificem, sed declarare diuinũ ius, & quomodo intelligendus sit casus ille, quando nõ vult infidelis cohabitare scilicet, vt non solùm quando requisitus non vult, sed etiam quando longo tempore elapso non venit, ne fidelis, vt inquit Paulus, sit seruituti subiectus in huiusmodi. Atque ex his quæ in hoc capite dicta sunt, collegimus suprà suo loco, cum infidelis conuertitur ad fidem, infideli nolente cohabitare, matrimonium iure diuino dissolui.

An matrimonium fidelium ratũ possit dissolui auctoritate Pontificis?

CAPVT. III.

SVMMARIVM.

In praxi securam esse opinionem quæ affirmat, num. 1.
Prima sententia affirmans, cum suis fundamentis, num. 2.
Secunda sententia negans, & eius auctores, n. 3.
Probatur primò ex Alexandro III. n. 4.
Ex Innocentio III. num. 5.
Ex Nicolao I. num. 6.
Ostenditur non esse à Christo relictam eam potestatem Ecclesiæ, n. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14.
Occurritur obiectionibus, n. 15. 16. 17. 18.
Colligitur sola auctoritate diuina dissolui posse, num. 19.

1 GRauis hæc disputatio est, in qua quidquid affirmes, innumeros patronos habet. Illud tamen statuamus primùm, quod ad praxim attinet, securam esse partem quæ affirmat, & ideo tuta conscientia Pontifices dispensare potuisse, vt sæpe dispensasse referunt Antoninus 3. parte tit. 1. cap. 21. §. 3. in fine, Nauarrus in Manuali cap. 22. num. 25. Vt enim tuta conscientia faciant, sufficit probabilis Doctorum opinio, quam hactenus non damnauit Ecclesia, quæ asserit dissolui posse. Esset autẽ valde temerarium asserere illos Summos Põtifices in eo euidenter errasse, vt docet Gregorius de Valentia 4. tom. disput. 10. quæst. 1. puncto 7. Solum ergo dubitatio est speculatiuè loquendo, quid nam in hac re fuerit probabilius.

2 Prima sententia affirmat licere Pontifici dissoluere matrimonium ratum fidelium nondum consummatum. Sic communiter Canonistæ, & aliqui ex Theologis, quos refert & sequitur Thomas Sanchez lib. 2. disput. 14. numero 2. Gabriel Vazquez 1. 2. disput. 165. cap. 7. Tenuit etiam Rota nõ semel, aliquas decisiones retuli suprà lib. 7. cum de impedimento impotentium sermo esset, dicunt enim matrimonium inter impotentes non declarari inualidum, sed dissolui. Idem etiam sequitur Rota apud Farinacium, vol. 2. cons. decis. 86. num. 1. Huius sententiæ fundamentum vnicum tantum esse potest scilicet, quo ostendatur hanc facultatem à Deo relictam esse Pontifici. Nam quod nulla humana potestate dissolui possit, certum videtur. Quare reliquum est, vt diuina potestate Ecclesiæ capiti collata dissoluatur. Persuadent autem sibi eam potestatem à Deo relictam Ecclesiæ capiti, quia ea potestas extendi debet, præsertim in casibus, qui Ecclesiæ vtiles sunt. Credibile enim est Deum suo Vicario eam potestatem contulisse, quæ vero Ecclesiæ regimini necessaria erat, cum non deficiat in necessarijs. Potestas autem dispẽsandi in matrimonio rato erat valde necessaria; nam ea ratione multa scandala cessant, quæ oriri necesse est, vbi clandestina vigẽt, & cum alia publicè secundò contrahunt.

Nam

Nam cum Ecclesia de occultis iudicare non possit, compellit ad matrimonia secundo loco contracta. Igitur, ne manerét fideles absq; remedio, credendum est eam potestatem relictam. Idemque confirmari videtur ex potestate dispensandi in voto, cum tamen illa strictissima obligatio sit, maximè cum solemne est. Secundo argumentatur Thomas Sanchez. Quia matrimonium ratum non habet omnimodam insolubilitatem ex ea parte, quæ est in officium naturæ, neque ex ratione sacramenti & significationis, cum non significet vnionem hypostaticam. Ergo non est cur Pontifex in Ecclesiæ bonum non possit illud dissoluere.

3 Alijs probabilius visum est nequaquã posse dissolui matrimonium ratum fidelium auctoritate Pontificis, neque eam potestatem relictam à Deo Pontifici. Hanc sententiam docent Theologi ferè omnes, Bonauentura in 4. distinct. 27. art. 3. quæst. 2. Scotus distinct. 31. quæst. 1. versic. *Tertio modo dici potest*, Ioannes Maior distinct. 27. quæst. 2. Paludanus ibidem quæst. 1. art. 2. & quæst. 3. art. 3. Almainus de potestate Eccles. cap. 15. Victoria in Summa de matrimonio, nu. 281. & 304. & relectione de potestate Papæ & Concil. Soto lib. 7. de iustitia quæst. 2. art. 5. versiculo, *& licet peregre*. & in 4. distinct. 27. quæst. 1. art. 4. vbi dicit contrariam sententiam nec probabilitatis vmbram habere, Petrus Soto lectione 12. de matrimonio, §. *post hoc* Martinus de Ledesma 2. p. 4. quæst. 69. art. 7. ad finem. Vera-Cruz 2. p. Speculi art. 28. ante 4. conclusionem, Corduba lib. 1. quæstion. quæstion. 25. Aragon. 2. 2. quæst. 88. art. 11. ante 5. *propter hæc argumenta*. Ruardus art. 18. pag. mihi 287. Gregorius de Valentia disput. 10. quæst. 1. puncto 7. Ludouicus Lopez 2. p. Instructorij de matrim. cap. 54. Petrus Ledesma de matrim. quæst. 67. art. 2. dub. 1. & alij recentiores, & ex iuris interpretibus Alexander de Neuo, *cap. duas n. 14. desponsa duorum*, & sui immemor Panormitanus in *cap. ex parte de conuersione coniugator.* in vers. *nos autem*, vt statim referam Turrecremata in *cap. sunt qui dicunt 27. quæst. 2. art. 3. num. 5.* Tabienna verbo *dispensatiu*, quæst. 3. num. 4. Couarr. 2. p. de matrim. cap. 7. §. 4. num. 13. Gutierrez lib. 1. quæst. Canon. cap. 17. à num. 12. in fine & alij cõplures, quos refert Thomas Sanchez loco citato.

4 Et in primis contra factum recentiorum Pontificum opponitur iudicium antiquiorum. Nam Alexander III. in Append. Concilij Lateran. p. 6. c. 8. inquit: *Super hoc inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod si legitimus consensus ea solemnitate, qua fieri solet, præsente scilicet sacerdote, aut etiam eius notario, sicut etiam in quibusdam locis adhuc obseruatur, corã idoneis testibus interueniat de præsente, ita quod vnus alium in suam mutuo consensu verbis expressis recipiat vtrinque dicendo: Ego te recipio in meam, & ego in meum, siue sit iuramẽtum, siue non, non licet mulieri alij nubere, & si nupserit, & fuerit carnalis copula subsecuta ab eo separari debet, & vt ad primum redeat ecclesiastica districtione compelli, quamuis alij aliter sentiant & aliter etiam à quibusdam prædecessoribus nostris sit aliquando iudicatum.* Eadem habet ca. 17. *Porro si qui vir, & mulier.* Et c. 18. *Sollicitudini tuæ*, & c. 22. *super eo*: & Innocent. III. in eadem parte c. 31. *super eo*. Atq; vt horum canonum vis intelligatur suppono certissimum in Ecclesia fuisse secundum matrimonium, constante primo, nullum omnino esse, neq; vnquam ostendi poterit Põtificem aliquem in ea opinione fuisse, vt existimauerit primum matrimoniũ ratum secundo matrimonio cõsummato, dissolui, vt falso existimauit Thomas Sanchez disput. cit. num. 4. vt ostẽdimus supra lib. 7. cum de impedimento ligaminis sermo fuit, vbi diximus per omnes annorum centurias semper Ecclesiam iudicasse nullum matrimonium secundum, constante primo. Quare induci non possum, vt tam absurdam sententiam attribuam alicui Pontifici, quam explodit diuina lex, & ipsa naturalis ratio, & concors Patrum, & Ecclesiæ sensus. Res ergo ita se habuit. Nonnulli Pontifices, qui Alexandrum III. præcesserunt, iudicarunt se posse dissoluere primum matrimonium tantum ratum, idque re ipsa fecerunt, secundo iam contracto, & cõsummato ad multas euitandas dissensiones, vt iam deinceps dissoluto primo, possent tuta conscientia in secundo, quod cohabitatione confirmabãt, remanere, maximè cũ, vt ex ipsius Alexãdri verbis constat, sæpe ea rata matrimonia, de quibus in nonnullis capitibus fermo fuit lib. 1. clandestina fuerint. Itaque non censuere Pontifices posse valide secundum matrimonium contrahi constante primo non consummato, sed primum non consummatum dissoluerunt iudicio suo, vt in secundo iam consummato permanerent, sic fidelium quieti se consulere existimantes. Reprobant autem eorum prædecessorum iudicium Alexander Tertius in dict. Appendice Concilij Lateranens. & Innocentius supra citatus.

5 Sed præterea etiam ostendo, quia Pontifices non iudicarunt causam sufficientem vllam ad dissoluendum matrimonium ratum nondum consummatum, cum tamen animaduerterint nonnullas ex his, propter quas Recentiores Pontifices dispensarunt. Senserunt ergo illi nullam esse causam, ob quam matrimonium ratũ dissolui posset. Id quod dixi conuincit manifestè testimonium Innocentij III. *qui in ca. ex parte de conuers. coniug.* Archiepiscopo Lugdunensi scribit in hæc verba. *Ex parte tua est intimatum: quod cum quædam mulier velum viduitatis coram duobus Abbatibus assumpsisset benedictione solemni cũ celebratione Missæ, ac Lætania, sicut debuit accedente, quidam nobilis proponebat se prius mulierem ipsam mediantibus internuntijs per verba de præsenti, arrha etiam interposita desponsasse,* & infra. *At illa se in illum consensisse confessa dixit, quod audierat, eum esse lepra percussum, & ob hoc eius fuerit abominata complexus,* & infra. *Nos autem inquisitioni tuæ taliter respondemus. Quod, & si posset non inconsultè videri, quod ex quo matrimonium inter legitimas personas per verba de præsenti contrahitur, illis viuentibus in nullo casu possit dissolui, vt viuente reliquo alter ad secunda vota transmigret, etiam si vnus fidelium, inter quos est ratum coniugium, fieret hæreticus, & nollet permanere cum altero sine contumelia Creatoris, nisi forte secus fieret ex reuelatione diuina, quæ superat omnem legem, sicut à quibusdam sanctis legitur esse factum. Nos tamen nolentes à prædecessorum nostrorum vestigijs declinare, qui respondere consulti, ante quam matrimonium sit per carnalem copulam consummatum licere alteri coniugum reliquo inconsulto ad religionem transire, ita quod reliquus ex tunc legitime poterit, alteri copulari, hoc ipsum tibi consulimus obseruandum in articulo prænotato, quamuis falsa sit causa per quam ad susceptionem veli prædicta mulier est inducta, cum sine qualibet tali causa id ipsum religionis obtentu facere potuisset.* Hactenus Innocentius. In quo canone expendo primum lepram superuenientem matrimonio rato non iudicatam esse ab Innocentio III. sufficientẽ causam dissoluendi matrimonium, quam tamen sufficientem iudicat Thomas Sanchez lib. 2. disput. 16. nu. 5. Deinde expendo illa verba *in nullo casu posse dissolui etiam altero in hæresim incidente, nisi tantum ex diuina reuelatione*, atque adeo ob solum ingressum religionis, qui casus habetur iam ex diuina reuelatione. Sensit ergo Innocentius nullam idoneam causam dissoluendi matrimonium ratum, nisi quæ constiterit ex diuina reuelatione. Vnde Panormitanus ipsa veritate compulsus, quamuis alibi in *capite ex publico de conuersione coniugatorum*, oppositum senserat, in hoc capite in vers. *nos autem*: hæc scribit: *Hic notat optimum argumentum, quod matrimonium contractum per verba de præsenti, etiam carnali copula nondum consummatum, non potest solui nisi in casibus à iure expressis. Vnde pondera textum in versiculo, nullo casu, iuncto versiculo, nolentes, & sit bene facit ille textus in argumento Papam non posse dissoluere tale matrimonium, nisi ex causa in iure expressa vel omnino simili.*

6 Idem etiam constat. Quia siquis matrimonium contraxerit cum aliqua, & ante copulam in amentiam inciderit, vel si membra genitalia amiserit, eiusmodi matrimonium dissolui non posse iam pridem respondit Nicolaus Pontifex in *capite. Hi qui matrimonium* 32. *quæstione* 7. cum inquit. *Hi qui matrimonium sani contraxerunt, & vni ex duobus dementia aut furor, aut aliqua infirmitas accesserit, ob hanc infirmitatem, & causam, coniugia talium solui non possunt. Similiter sciendum est de his, qui ab aduersarijs excæcantur, aut membris truncantur aut à barbaris exectifuerint.* Hæc Nicolaus. Ex quibus manifestum est superuenientem impotentiam non videri Nicolao sufficientem causam dissoluendi matrimonium: & tamen Thomas Sanchez disputatione citata 16. numero cum alijs quos refert, existimat, sterilitatem, vel etiam odium, & minora alia præbere sufficientem causam dissoluendo matrimonio. Vnde Panormitanus refert, quod cum quidam peteret ab Innocentio Octauo dispensationem de matrimonio non consummato, & Innocentius responderet se non posse; dispensationem petens hanc opinionem à glossa recitatam allegauit. Cui Innocentius; Maledictus, qui te docuit.

7 Hactenus contra factum Recentiorũ. Pontificum obiecimus prædecessorum iudicium; super est ostendamus hanc potestatem dispensandi in matrimonio rato, nequaquã relictam Pontifici à Deo, tum ab absurdis, quæ videtur sequi, tum ratione, quasi à priori desumpta. Nam in primis, si auctoritate Pontificia dissoluitur, sequeretur inde matrimonium ratum per ingressum religionis dissolui eadem auctoritate, & non diuino iure. At nos infra hoc libro demonstrabimus dissolui diuino iure. Ergo non est dissolubile auctoritate Pontificia. Si enim vt in eo casu, in quo agebatur de eligenda meliori vita dissol-

ta dissolueretur matrimoniũ, necessaria fuit diuini iuris dispensatio,& ea nobis innotuit per Ecclesiã, satis magno argumẽto est nõ relictam esse eam facultatem pro alijs casibus, vt in simili argumentabamur cap. præceden ti non posse dissolui matrimonium consummatum infidelium auctoritate Pontificis,si quidem vt dissolueretur in fauorem baptismi necessaria fuit diuina dispensatio à Paulo tradita. Et quidem per professionem nõ dissolui auctoritate Pontificia illud planè ostẽdit: quia si id auctoritate Pontificis inductũ esset, posset Pontifex statuere, vt nunquam per sequentem professionem dirimeretur, quod cuius videtur absurdum.

8 Præterea, quia difficile videtur contra ius iustitiæ quæsitum tertio Pontificẽ legem ferre, aut matrimonium dirimere. Id, quod in minoribus alijs contractibus perspicuè videmus. Nam de seruo sine domini cõsensu nequaquam ad religionem admittendo extat decretum Gelasij Papæ epist. 9. §. *Generalis etiam querelæ*. Et Gregorij I. lib.2. epist. in dict. 11. epist. 39. & lib.4. epist.37. Vnde, quamuis status clericalis perfectior sit statu matrimonij,& etiam status Episcopalis monachatu,adhuc per eum statum nũquam dirimitur matrimonium ratum, neque ad illum licet ascendere contra prioris coniugis etiam nondum cognitæ voluntatem. Et cum maximè videretur expedire,nũ quam hactenus Ecclesia decreuit per transitum ad clericatum, aut Episcopatum dissolui Argumentum ergo est contra ius iustitiæ per matrimonium ratum acquisitum coniugi, non esse relictam potestatem Pontifici irritandi matrimonium;cum statu adeo perfecto nunquam eam vim cõmunicarit Ecclesia. Quam enim rationem afferre possumus, propter quam dicamus non statuisse Ecclesiam,vt in honorem clericalis & Episcopalis status,qui in supremo gradu est in Ecclesia matrimoniũ ratum dissolueretur, si illud dissoluendi potestatem à Deo accepit? Nullam certè quæ videatur idonea.

9 Deinde sequeretur habere etiam Pontificem potestatem ad dissoluendum matrimonium fidelium,etiam consummatũ,quod nullus concedet. Sequellam probo. Nam cõsummatum matrimonium, quod attinet ad rationem,essentiam, integritatemque matrimonij,nihil amplius habet,quam matrimonium ratum;copulam enim,qua consummatum efficitur,non pertinere ad essentiam,integritatẽque matrimonij ostendimus lib. 1. Itaque ea copula non traditur corpus,præcesserat enim mutua traditio in contractu; & quia ea præcesserat,ideo licita fuit copula,sed tantum est vsus quidam rei traditæ,sicut vsus vasis auri vel argenti post emptionem factam;neque similiter per copulã quæritur coniugi maius aut fortius aliquod ius, cùm per contractum matrimonij etiam non consummati non tantum quæsitum sit ius ad rem, sed etiam in re. Adde possessionẽ etiã ipsa traditione celebrari in contractu. Itaq; in se neque substantiæ,neque integritatis,neque iuris aliquid amplius habet consummatum,quam non consummatum, sed tantum addit vsum aliquem rei traditæ atque possessæ,qui saltem in sterilibus non obstaret dispensationi,cum ex ea dispensatione non sequeretur indebita prolis educatio. Ergo, si traditio illa perpetua subiacet potestati Põtificis, etiã subiacebit, quamuis aliquis eius vsus interuenerit. Neque obstat aliquid peculiaris significatio, quæ conuenire dicitur coniugio consummato; & non conuenit nõ consummato,tum quia multi ex his, cũ quibus disputamus, sentiunt hanc significationem non esse peculiarem fidelium matrimonijs,sed conuenire etiam matrimonijs infidelium,& coniugijs antiquæ legis,in qua tamẽ dissoluebatur etiam licitè matrimonium cõsummatum. Tum etiam, quia supra lib. 1. c. 12. & 13. ostendimus ex significatione non reddi matrimonij vinculum magis insolubile. Adde etiam, quod statim ostendemus, eandem prorsus rationem: ex qua Doctores isti colligunt à Deo relictam Pontifici huiusmodi potestatem, conuincerè datam etiã esse potestatem dispensandi in matrimonio consummato fidelium.

10 Denique ostendo sententiam istam quasi à priori,quia nulla prorsus ratio est,vnde efficaciter colligamus eam potestatẽ collatam esse Põtifici. Ea enim, quæ adducitur, qua expedire videbatur ad multa scandala vitanda,& fidelium quieti consulendum,cũ sæpe post clandestina matrimonia non pauci contraherent cum alia in facie Ecclesiæ,& ideo cum illa cohabitare relicta prima compelleretur ab Ecclesia, quæ non iudicat de occultis,multis modis infringitur,& enerua tur. In primis,nam licet scandala actiua euitanda sint,& in scãdalo passiuo quod ex proximi fragilitate prouenit,aliquid sit cõdonãdũ eius infirmitati;attamen scandalo, quod prouenit ex deprauatorum hominũ malitia, nulla ratio postulat,vt occurratur indulgendo,sed coercẽdo & reprimẽdo. Cũ ergo,qui clandestinè cum aliqua contraxerat, post-

con-

contrahit cum alia, cum qua scit nullum esse coniugium, satis indicet prauum animi affectum, parum curandum de seditione, quæ ex eo oriri potest, sed legibus comprimendus, vt stet Ecclesiæ iudicio. Et alias ea potestate concessa, homines sic contrahentes impune fœminas illuderent, cum scirent dispensandum à Pontifice ob scãdala & dissensiones, si publicè etiam cum alia contraherent.

11 Deinde eam rationem locum habere dici vt cumque posset, si aliàs Ecclesia potestatem non haberet, quæ huiusmodi malis posset occurrere. Habet autem, quando qui dem potuit omnia clandestina matrimonia irrita reddere, quod & fecit: & licet non in omnibus regnis ea lex obseruetur, potest tamen Ecclesia suo iure vbique promulgare, & ad eius legis obseruationem omnes vniuersim compellere. Si ergo tam facile illis damnis occurri potest, cur dicemus potestatem dissoluendi matrimonium natura sua insolubile relictam Pontifici ad peculiares casus?

12 Præterea: quia ea ratio, si probat aliquid, conuincit etiam esse in Ecclesia potestatem dirimendi matrimonium fidelium consummatum. Quoties enim matrimonia clandestina contrahentes consummabunt etiam clandestinè antequam cum secunda publicè contrahant? Si ergo pro data sibi potestate Ecclesia compellit ad cohabitandum secundæ, cum qua publicè contraxit, & ideo dissolutum esse vult primum, planè vt illorum animorum quieti consultum effet, non tantum expediret collatam facultatem ad dirimendum ratum, sed etiam consummatum; aliàs ea scandala, quæ isti graue malum putant, non cessarent, neque haberet Ecclesia quidquid ad bonum regimen necessarium est.

13 Deniq; , si vt hac via occurreretur grauibus inimicitijs atque discordijs, quæ dissoluto aliquo matrimonio rato sedari possunt, ideo concessam huiusmodi facultatem putant, eadem etiam ratione conuincitur data etiam, vt dispensset in matrimonio consummato fidelium. Nulla enim hactenus Nauarrus aut alij eius sententiæ, validi propugnatores adeo grauia incommoda emersisse in Ecclesia, aut adeo perniciosas seditiones excitatas legerunt, vel audiuerunt sedatas dissoluto matrimonio rato, quæ comparari vlla ex parte possint cum his seditionibus, quæ toti Ecclesiæ lugubres extitere, & dissoluto matrimonio consummato facile sedari potuissent. Nam, vt ea omittam, quæ olim vidit Gallia, atque Germania, dum nonnulli Reges repudiatis primis vxoribus cum alijs de facto, non de iure contraxerunt, quorum coniugiorum causa Christianus orbis sæpe afflictatus est, quid comparari potest cũ Anglici Regni iactura, quam multis sæculis lugebit Ecclesia, cui facile occurri potuisset dissoluto matrimonio rato consummato Hẽrici VIII. Cum Catherina. Quod si tot adeo grauia incõmoda, quæ hactenus vidit Ecclesia, & præ quibus omnia alia leuissima sunt, non conuincunt collatam esse à Deo Pontifici potestatem dispensandi in matrimonio consummato, qua potestate concessa ingentia scandala, vt isti loquuntur, cessassent, graues discordiæ, & toti orbi Christiano pernicioſæ sedatæ essent, cur leuia alia incommoda, & scandala actiua ex hominum malitia profecta, quæ dicunt isti sedari dissoluto matrimonio rato, conuincent datam esse eiusmodi potestatem Ecclesiæ, maximè cum faciliori medio illis malis Ecclesiam potestate sibi tradita occurrere posse ostenderimus?

14 Et quô magis cõstet magnũ esse huius rationis pondus, placet percurrere causas, quas isti Doctores asserũt iustas dissoluendi matrimonium ratum. Prima est conditionis disparitas, nã matrimonia vt suauia sint, inter æquales esse oportet. Secunda, grauis timor scandali futuri, ex quo rixæ & neces oriri posse credantur: Tertia fornicationis timor, eo quod vxor non placeat. Quarta, si vir omni conatu quærat vxorem repellere absque sanioris mentis spe, cui adde odium, quod inter coniuges emersit. Quinta lepra superueniens, & adde etiam contagiosum morbum. Sexta impotentia superueniens, imo & addunt alij sterilitatem. Septima, quãdo alter coniugum dicit se non habuisse animũ contrahendi, & vt præstet verũ consensum nullo modo induci potest. Octaua, vt vir efficiatur Episcopus. Postremam addunt alij mutuũ coniugum consensum: Hæc certè omnia simul in vnũ coniuncta leuissima sunt, si cõparentur cum his, quæ supra retulimus, & dissoluto matrimonio cessassent. Et vt verũ fatear, quoties has causas ab Auctoribus assignatas considero, videntur mihi fere omnibus dissoluendis matrimonijs viam aperuisse. Nullum enim fere contrahitur, in quo istarum causarum aliqua reperiri non possit, aut harum exemplo aliæ similes; cum tamen, licet daremus posse Pontificem dispensare, non nisi cum magno Principe, & vbi alicuius Regni iactura immineret, faci-

cien-

endum esset. Idque sic ostendo. Obligatio status monastici, apud Deum non maior est, neque strictior, quam cuius libet alterius voti simplicis, vt diximus supra libro septimo cum de impedimento voti sermo fuit, & tamen, cum Pontifex quotidie dispenset in votis simplicibus, statu monastico nullum liberat, nisi ne alicuius Regni deficiat hæres, quia matrimonium quoddam spirituale cum religione, cui se etiam tradidit, contractum est. Et tamen sæpe ex non dissoluto statu monastico graues rixæ, inimicitiæ, infelices exitus, fornicationis, pericula, animus auersus ab institutis regularibus sine probabili correctionis spe, defectus consensus, quem vt præsent inducí non possunt, morbi contagiosi super venientes, quibus redduntur inhabiles ad obsequia præstanda religioni, cui se traditionis contractu obligarunt, mutuus etiam religionis, & religiosi consensus. Quod si nulla istarum causarum idonea censetur ad dispensandum in obligatione status monastici: in matrimonij vinculo iure naturali insolubili, & ex cuius dissolutione maiora possunt incommoda sequi, quam ex dissolutione status monastici, adeo leues causas dicemus sufficere? Nequaquam sanè. Itaque non esse concessam Pontifici facultatem dispensandi in matrimonio rato nondum consummato sensi olim prima parte variarum disputat. quæstione tertia Scholastica, & libro de impedimentis capit. 19. §. secundo, & nunc idem sentio, sentiamque dum viuam.

15 Neque obstat huic nostræ sententiæ, quod habetur in Appendicè Concilij Lateranensis sub Alexandro Tertio parte 6. capite 26. ibi enim apertè de sponsalibus iuratis sermo est, non de matrimonio contracto per verba de præsenti. Neque obstat etiam quod habetur eadem parte capite 28. tum quia illud caput est Benedicti, qui præcessit Alexandrum Tertium, fatetur tamen ipse prædecessores suos aliquando aliter iudicasse. Tum etiam ibi solum sponsalia præcesserant, & id allegabat fœmina ibi *sola fide de contrahendo matrimonium*, & constat etiam, quia Pontifex in eius capitis fine statuit secunda eius fœminæ vota valere, & non dissoluenda, si nihil obstiterit, quàm quod contraxerit contra prohibitionem, & interdictum iudicis Ecclesiastici, qui illi fœminæ alias nuptias interdixit ante finitam litem. Vnde inquit, *licet enim contra interdictum Ecclesiæ ad secunda vota transire nequaquam debuerit, conueniens non videtur, vt ob id solum sacramentum coniugij dissoluatur.* Neque obstat etiam, quod habetur in *cap. duobus modis* 27. *quæst.* 2. ibi enim fides sponsaliorum appellatur pactionis, matrimonium verò fides consensus.

16 Nec denique obstant, quæ pro sua sententia adducunt Thomas Sanchez, & alij. Et quidem, quod primò adducebatur loco ex dictis solutum est. Potestatem autem dispensandi in votis concessam Ecclesiæ, vt credamus, multo maiora vrgent argumenta. Facilè enim promittunt homines, facile eos pœnitet promisisse, itaque magna in eo fragilitas est. Adde promissionem sibi factam facilius Deum remittere, quã ius proximo quæsitum euertere, adeò nostræ salutis studiosus est. Id quod etiam videmus in nõnullis alijs, in quibus occurrẽte præcepto religionis, & misericordiæ, quod simul adimpleri non potest, prævalere vult præceptum misericordiæ, iuxta illud, *misericordiã volo, & nõ sacrificium*, vt suo loco dicendum est. Quod verò attinet ad dispensationem voti solemnis, redditur facilè diuersitatis ratio. Quia in professione fit etiam traditio religioni, quam acceptat prælatus, & eo non acceptante nõ obligant illa vota, quorum fundamentum est traditio. cumque Pontifex sit ordinarius, cui etiam tanquam religionis superiori fit traditio, eam traditionem potest reijcere, eaque reiecta cessat obligatio status religionis in illo, vt supra latè dixi lib. 7. Quod secundo adducitur loco nullius momenti est, vt constat ex dictis lib. 1. cap. 12. & 13.

17 Sed vrget fortiter pro prima sententia idẽ Alex. III. in Appendice Lateranensis Concilij p. 12. c. 4. & extat in *cap. 2. de eo qui cognouit*, vbi planè coniugium ratum non cõsummatum cum filia eius, quam postea cognouit, iubetur rescindi, si crimen est publicum, non verò si sit occultũ. Suppono in eo textu agi de matrimonio iam contracto, nõ de spõsalibus, vt ostendi supra lib. 6. cum de impedimẽto incestus sermo esset. Respondeo ergo ibi non agi de dissolutione iam cõtracti matrimonij, sed de vsu, & cohabitatione, & tria respõdet Põtifex. Primũ. Quod si occultũ est crimen, non separentur, cum publicè contractũ sit non solum quoad vinculum, sed neque quoad torum. Alterum est, quod si crimen est publicũ, quia scilicet cognouit matrem spõsæ, si tamen non cognouit ipsam sponsam, concedatur dispensatio, & possit aliam ducere, & illa alium, quod intelligo illa defuncta, non aliter, sicut lib. 7. expli-

explicui multa. Non enim vult spe coniugij carere, si non cognouit filiam eius, quam polluerat contracto matrimonio. Tertium est, si cognouit sponsam, vt careat omnino spe coniugij, etiam illa defuncta, quæ olim frequens pœna fuit.

18 Denique adhuc obijci potest textus in *extrauag. Antiquæ de voto*, vbi dicit Pontifex votum solemne per sacri ordinis susceptionem non dirimere matrimonium ratum, redditque rationem, *quia neque iure diuino, neque per Sacros Canones reperimus hoc statutum*. Sed respondetur primò Pontificem voluisse reddere rationem in omnium sententia, sciebat enim varias de hoc esse sententias. Itaque idem est, ac si diceret: Votũ solemne religionis, quidam dicunt iure diuino, alij Ecclesiæ habere vim dissoluendi ratum matrimonium: at de ordine sacro nullum quo ad hoc extat ius diuinum, neque Ecclesiasticum. Vel secundò dici potest nomine Sacrorum Canonum intellexisse non leges Ecclesiasticas id statuentes, sed referentes priuilegium diuinum, sicut extant Canones referentes priuilegium diuinum concessum religioso statui & professioni.

19 Ex his quæ in his capitibus dicta sunt, planè constat matrimonium solum auctoritate diuina dissolui posse. Nam cum Deus sit Dominus omnium, potest corpus mihi traditum â me auferre etiam sine meo consensu; vnde sequitur etiam solum in his casibus posse dissolui, in quibus Deus explicuit velle dissolui, qui tantum sunt duo, & in fauorem religionis, cum consummatum non est, & in fauorem Baptismi etiam consummatum. In his autem casibus voluisse Deum matrimonium dissolui habemus auctoritate Patrum, & Ecclesiæ traditione; ex qua etiam habemus non esse datam facultatem dissoluendi consummatum fidelium, licet fieri etiam à Deo potuisset, cum Patres & Ecclesia doceant non licere coniugi vouere continentiam altero inuito post vsum matrimonij, quæ omnia in sequentibus explicanda sunt.

Quid iura disponant de infidelium & hæreticorum coniugijs & cum alter eorum ad fidem conuertitur.

CAPVT. IIII.

Caput hoc supra lib. 7. positum fuit, alieno quidem loco, per incuriam; inde auellendum, & hic debite collocandum.

SVMMARIVM.

Inter infideles verum coniugium esse legitimum sed non ratum. Quare, num. 1. & 2.
Cur Theologi dicant in matrimonio infidelium non reperiri tria bona matrimonij, num. 3.
Per baptismum non solui coniugium infidelium, num. 4.
Licere cohabitationem fidelis cum infideli, si absit periculum, n. 5.
Primis temporibus non tantum licitam sed præceptam, n. 6.
Postea optionem datam cohabitandi, n. 7.
Postea prohibitam cum Iudæis, num. 8.
Quare prohibita cum illis, n. 9.
Non extendi ad alios infideles eam prohibitionẽ, licet consuetudine inducta, n. 10.
Obiectionibus occurritur, n. 11. 12.
Tres casus, in quibus coniugium fidelis conuersi dissoluitur, n. 13.
Ecclesiastico iure concessum quidam dicunt, numero 14.
Verius Iure Diuino, n. 15.
Dissolui statim atque conuertitur aliqui affirmant, n. 16.
Verius cum iam fidelis contrahit, n. 17.
Solutio Glossæ reijcitur, n. 18.
Fundamentis contrarijs respondetur, n. 19.
Requirendum infidelem, n. 20. 21. & quomodo, num. 22.
Gregorij XIII. literæ de hac re, n. 23.
Coniugem infidelem non manere liberum, num. 24. 25.
Vnde hoc proueniat, n. 26.
Coniuge labente in hæresim non dirimi matrimonium, n. 27.
Illicitam cohabitationem, limitatur, numero 28.

1 QVod ad infideles attinet, supponendum in primis inter infideles verum esse matrimonium in ratione contractus, illudque ratum esse & indissolubile ex parte sua, ea indissolubilitate, quam & iure naturæ & Deo instituente habuit contractus ille in statu innocentiæ. Non enim ita perfectè indissolubile est, ac matrimonium fidelium, cum non habeat indissolubilitatem ex parte significationis, & quia etiam est casus, in quo dissolua-

soluatur, vt postea dicemus. Atque hoc sensu, quia scilicet in aliquo euentu dissolui cõtingit infidelium matrimonium consummatum, appellatur à nonnullis Doctoribus legitimum, sed non ratum. Ita loquitur Magister Sententiarum in 4. distinct. 39. cap. extremo, cui ad vnum adstipulantur Theologi omnes. Diuus Thomas eadem distinct. quæst. vnica art. 5. Bonauentura art. 1. q. 1. num. 28. Scotus quæstione vnica art. 1. Ricardus art. 1. quæst. 2. Imo vero non Theologorum modo hæc sententia est, sed certissimum Innocentij III. Romani Pontificis responsum in *cap. Quanto de diuortijs*, vbi hæc habet. *Nam etsi matrimonium verum inter infideles existat non tamen est ratum: inter fideles autem verum & ratum existit, quia Sacramentum fidei cum semel est admissum, nunquam amittitur.* Adde D. Ambrosium 1. Corinth. cap. 7. *Non enim*, inquit, *ratum est matrimonium, quod sine Dei deuotione est*, habetur 28. *quæstion* 1. *in fine.*

2 Hinc orta est illa Theologorum distinctio, quam adhibet Bonauentura, Ricardus, & Gabriel locis citatis, qua diuidunt matrimonium in ratum & legitimum, quale est fidelium; legitimum & non ratum, quale infidelium; ratum, sed nõ legitimum, quale erat clandestinum fidelium. Hinc etiam D. Thomas illa distinct. quæst. vnic. art. 2. matrimonium infidelium comparatione matrimonij fidelium vocat imperfectum & materiale. Cuius verba subscribo: *Matrimoniũ principaliter institutum est ad bonum prolis, non tantum generandæ, quia hoc sine matrimonio fieri posset, sed etiam promouendæ ad perfectum statum, quia quælibet res intendit naturaliter effectum suum perducere ad perfectum statum. Est autem in prole duplex naturalis perfectio considerandæ, scilicet perfectio naturæ, non solum quãtum ad corpus, sed etiam quantum ad animam, per ea quæ sunt de lege naturæ; & perfectio gratiæ. Prima perfectio est naturalis & imperfecta respectu secundæ; & ideo cum res quæ sunt propter finem, sint proportionatæ fini, matrimonium quod tendit ad primam perfectionem, est imperfectum & materiale respectu illius, quod tendit in perfectionem secundam. Et quia prima perfectio potest esse communis fidelibus, & infidelibus, secunda autem est tantum fidelium; ideo inter infideles est quidem matrimonium, sed non perfectum vltima perfectione vt est inter fideles.*

3 Hinc etiam dixerunt Theologi tria bona, quæ in Christiano insunt matrimonio, ab infidelium abesse coniugio, in eoque bonum fidei desiderari, bonum prolis, & bonum Sacramenti. Bonum fidei, quia qui Deo non est fidelis, vix homini fidelis esse potest, *cap. non potest 2. quæst. 7.* Bonum prolis, quia ad cultum Dei ea non instituitur: bonum sacramenti, quia coniunctionem Christi cum Ecclesia, aut cœlestis gratiæ cum anima significare non potest.

4 Secundo obseruandum est per solam baptismi susceptionem non dissolui matrimonium in infidelitate contractum. Sic in Concilio Meldensi, cap. 1. habetur que *cap. siquis 28. quæst. 2. crimina enim in baptismo soluuntur, non coniugia.* Innocentius Primus Epistola 23. habetur, *cap. nunquid 28. quæstione 1.* Concilium Triburiense cap. 39. ex quadam Synodo Romana, Innocentius Tertius, *cap. quanto de diuortijs & cap. gaudemus.* Colligiturque ex illo 1. Corinth. 7. *Si quis autem infidelem habet vxorem, & hæc consentit habitare cum eo, non dimittat*; quod non consuleret Paulus, si nullum esset coniugiũ per baptisma susceptum.

5 Tertio obseruandum est, vt quid se res habeat circa cohabitationem fidelis cum infideli explicetur, in quo varie Doctores locuti sunt, & obscure satis, varia esse distinguenda tempora. Et in primis eam cohabitationem, si non subsit animæ, ac salutis spiritualis periculum, licitam fuisse dubitari non potest, conueniuntque in eo Doctores omnes, & liquet ex eodem loco Pauli 1. Corinth. 7. vbi de cohabitatione sermo est, subdit enim filios eorum immundos non esse, cum infidelis per fidelem sanctificetur. Quem locum latè & eleganter explicat Gelasius Pontifex in eo opusculo, quod inscribitur. *Dicta aduersus Pelagium.* Licere etiam huiusmodi cohabitatione planè docet Innocentius Tertius, *cap. Gaudemus de diuortijs. In fauorem*, inquit, *Christianæ religionis & fidei, à cuius fidei perceptione per vxores, sedeseri timentes viri possent facile reuocari, fideles huiusmodi licitè matrimonialiter copulari, & licitè remanere coniuncti, cum per Sacramentum Baptismi non soluantur coniugia, sed crimina dimittantur.*

6 Deinde primis illis Ecclesiæ Christianæ temporibus existimo non tãtum licuisse cohabitationem fidelis cum infideli, sed etiã fuisse in præcepto, secluso periculo, vt dicemus postea. Id quod eo tẽpore iustissime præceptum, quo facilius & infidelis fidelis viri, vel vxoris consortio ad veram religionem alliceretur, & ne etiam molestè ferrent se ab vxoribus vel coniugibus dilectis deseri, ac ita à capessenda Catholica disciplina re-

na reuocarentur, vel retardarentur. Vnde nō pauci patres illis verbis Pauli præceptum de cohabitatione contineri dixerunt. Ita Tertullianus lib. 1. ad vxorem, Chrysostomus, si Græca consulas, in eum locum, Theodoretus, Ambrosius, Hieronym. Comment. in Isaiam capit. 15. Seuerianus ex planans illud, *vnū quemque sicut vocauit Deus, ita ambulet*, Oecumenius, Abulensis 1. Reg. 8. quæst. 132. & quæst. 189. ex recentioribus Turrianus lib. 5. pro epist. Pontificum cap. 3. Illud enim, *dico ego*, legis promulgatio esse videtur, non quidem diuinæ, sed tantum pro temporum opportunitate constitutæ ab Apostolis. Id quod eo loco optimè deducit Turrianus. Accedit etiam primis Ecclesiæ temporibus nullam extitisse legem, nullumque decretum, quo ea cohabitatio prohiberetur, quando non erat iniuria fidei. Nam quæ Iudæorum cohabitationem prohibuerunt, recentiora sunt. Id autem, quod dixi de precepto cohabitandi illis sæculis conuenienti, tām verum habet de Iudæis, quàm de gentibus ac Paganis. Planum enim doctrinam illam Pauli de vtrisque intelligi, maximè cum eo tempore ex Iudæis primi conuerterentur.

7 At postea procedente tempore, apud nonnullas Prouincias, cum iam Christiana religio felicius propagaretur, infideles interirent, paulatim eius obligatio præcepti de cohabitando aboleri cæpit, ac optio relinqui his, qui conuertebantur, vt quod vellent eligerent, vel cohabitarent, vel desererent, & cælibes manerent, non interueniente tamen iniuria Creatoris, ea enim interuenien te non tantum cohabitatio, sed & vinculum dissolutum, vt dicam postea. Atque id existimabit aliquis probari decreto Eutychiani Papæ *cap. siquis gentilis 28. quæst. 1.* inquit enim: *siquis gentilis gentilem vxorem dimiserit ante baptismum, post baptismum in potestate eius erit eam habere, vel non habere.* Et quidem textus in speciem satis probabiliter euincens per ea tempora, annum scilicet Christi ducente simum, quinquagesimum, præceptum relaxatum, & optionem datam. At quia Eutychianus loquitur de eo, qui ante baptismum vxorem dimiserat, placuit semper eum canonem intelligendum de vxore ante baptismum dimissa repudij legibus, iussaque de causa, scilicet, ob crimen adulterij. Ne etenim existimaret licitum sibi esse aliam ducere post baptismum, illa ante baptismum repudiata, dicit posse illam habere vel non habere; ne etiam existimaret se cogi, vt illam reuocaret, ac domum reuocaret. Itaque optio data, vt mulierem iusta de causa ante baptismum dimissam secum haberet, vel non haberet: ita tamen, vt si eligeret non habere, cælibem vitam ageret, nisi iniuria Creatoris interueniret. Probabilius ergò est apud Africanos Augustini tempore eius præcepti obligationem cessasse, & ab Africanæ regionis Episcopis optionem datam; & inter eos fuisse Augustinum, vt planè constat ex *cap. non solum cap. iam nunc cap. sic enim 28. q. 1.* quæ ex Augustino desumpta sunt. Licuit ita quæ sequentibus sæculis cohabitare, & non cohabitare, sed quam vellent partem eligere, siue conuerterentur ex Iudæis, siue gentilibus.

8 Verùm post ea Augustini tempora, quia nonnullæ Prouinciæ ex Iudæorum consortio in sua infidelitate remanentium fideles infici, & relabi animaduerterunt, Hispani, atque Galli simul decreuerunt, & lege sanxerunt, ne si ex Iudæis aliquis ad fidem conuerteretur, remaneret cum infideli, sed separarentur ob probabile periculum, quod in ea cohabitatione deprehenderant. Extant de eo duo Canones in Concilio Toletano 4. prope annum 650. Primus est Canon 62. *Sæpe malorum consortia etiam bonos corrumpunt, quantò magis eos, qui ad vitia proni sunt. Nulla igitur vltra communio sit Hebræis ad fidem Christianam translatis, cum his, qui adhuc in veteri ritu consistunt, ne forte earum participatione subuertantur. Quicumque igitur amodo ex his, qui baptizati sunt, infidelium consortia non euitauerint, & hi Christianis donentur, & illi publicis cædibus deputentur.* Canon 63. de coniugijs. *Iudæi, qui Christianas mulieres in cō iugio habeāt, admoneātur ab Episcopo ciuitatis ipsius, vt si cū eis permanere cupiūt, Christiani efficiantur. Quod si admoniti noluerint, separentur. Quia non potest infidelis in eius permanere coniugio, quæ iam in Christianam translata est fidem. Filij autem, qui ex talibus nati existunt, fidem atque conditionem matris sequantur. Similiter, & hi qui procreati sunt de infidelibus mulieribus, & fidelibus viris Christianam sequantur religionem, non Iudaicam superstitionem.* Habetur, *cap. Iudæi qui 28. quæst. 1.* Et idem statutum legibus Vuisegothorum lib. 12. tit. 1. Dixi sancitam eam legem à Gallis, & Hispanis, quia in id Cōcilium, & Hispani, & Galli conuenerunt, vt ex ipso Concilio constat; vnde magna, & vniuersalis Synodus appellatur in Concilio Toletano 5. cap. 2. & postea non semel.

9 De Iudæis autem, non vero de alijs idolorum cultoribus eam legem tulerunt Hispani, &

ni, & Galli, non quod eo tempore in Hispania omnino abolita esset idolatria, tantumque Iudæi obstinati remansissent. Constat enim ex Toletano 12. & 16. adhuc in Hispania reliquias idolorum cultus superesse; idēque in Gallia docent adhuc multo recentiora Concilia: sed quia de Iudæorum præcipuè pertinacia, & improbitate iniecta fuit multis iustissimisque de causis Episcoporum animis suspicio. Nam, vt in retinenda illi sua lege pertinaciores, sic & in peruertendis aliorum animis proniores sunt. Illud enim in isto hominum genere non mirari non possumus, quod cum legis suæ, quo tempore salutaris erat, passim leuissimisque de causis inconstantissimi deserto res exilerent, & ab eius obseruantia quolibet vento diuellerentur, nūc quando noxia, constantissimè, aut potius obstinatissimè retineant. Vnde nunc etiam Romæ fertur esse cōsuetudo, vt quadraginta dierum spatium designetur, quo alter deliberet. Quod si nolit Iudaissimum relinquere, etiam si absque Creatoris iniuria cohabitare velit, Ecclesiæ auctoritate separantur, quoad cohabitationem scilicet.

10 An autem idem præceptum existet de infidelibus, vel extendendum sit, ita vt qui ex Paganis conuertitur, quamuis coniux cohabitare velit sine Creatoris iniuria, separari debeat, sicut de Iudæis diximus, dissensio est. Fatentur tamen omnes nullum extare decretum, vel legem latam, qua qui ex Paganis conuertitur, cum altero infideli cohabitatione prohibeatur; neque ego vnquam reperire potui. Fatentur etiam priscis temporibus licitam cohabitationem his, qui ex Paganis conuertebantur, prohibitam tamen Iudæis. Addunt denique iam vsu, & consuetudine populi Christiani, quæ vim legis obtinet, inductum esse huiusmodi præceptum: itaque iam, tam conuersos ex Iudaismo, quàm ex alia quauis secta separari debere, nec licite cohabitare posse, etiam si nulla interueniat Creatoris iniuria. Quia cum non minus illi mente obstinati sint ac Iudæi, probabile periculum est, iustusq; metus eius periculi. Huic enim honesto titulo cedit, quasi fortiori ius quæsitum coniugi in coniugem, cuius corporis potestatem habet. Sequuntur sententiam istam nobiles Theologi Diuus Thomas in 4.dist.39.quæst.vnica art. 3. *Pari passu, inquit, ambulant nunc vtrique, scilicet Gentiles, & Iudæi, quia vtrique obstinati sunt: & ideo nisi vxor fidelis conuerti velit, non permittitur ei cō habitare, siue sit Gentilis, siue Iudæa. Idem sentit Ricard. art. 2. q. 1. §. Modernis*, Durandus q. 2. Gabriel q. vnica art. 2. conclus. 3. Soto q. vnica ar. 4. *§. Est tamē hodie considerare*, Paulus Comitolus lib. 1. respons. moral. q. 124. n. 4. Quibus ego lubens ad hæreo, quamuis dissentiant alij. Cur enim tot auctoribus, tam grauibus, & peritis, qui de ea consuetudine testimonium ferunt, non credendum existimemus? cum, vt apud Plutarchum in conuiuio septem sapientum refert Bias ex Thalete Philosopho, *Amicis etiam, quæ fidem excedant credenda.* Amicos autem ille bonos, ac virtuti deditos interpretatur. Maximè cum ista ex facto, non ex iure dependeant.

11 Neque obest, quod Innocentius III. in c. *gaudemus, de diuortijs*, mille ac ducentis à Christi ortu exactis annis, eam cohabitationem probet. Ex eo enim textu Ferdinan. Rebellus 2. p. de obligat. iustit. lib. 3. q. 10. sect. 1. post secundam conclusionē, existimat corrigi decretum Toletanum Concilij 4. de Iudæis, & præceptum si quod erat, auferri, verum duo sunt in hoc asserto huius auctoris lapsus. Primus, quod decretum Concilij Toletani, quod iam supra retulimus, correctum existimat per Innocēt. cum nihil minus Innocen. agat, quam de Iudæis: loquitur tantū de conuersis ex Paganismo. Cuius euidens ea probatio est, quod quæstio erat, an qui in fidelitate durante, si in gradibus consanguinitatis inter fideles prohibitis cōtraxerant, conuersi ad fidem separari deberent. Respōderetq; Innocentius ea non dissoluenda coniugia, quia eorū legibus non erant ea cum consanguineis prohibita. De Iudeis autē dici verē, quī potuit, cū Mosaica lege intra consanguinitatis, & affinitatis gradus dissoluerētur cōiugia. Deinde labitur hic Auctor, quia Innocentij institutum in eo capite non est decernere, an liceat infideli ad fidem conuerso cohabitatio cum eo, qui in infidelitate remanet, sed tantum coniugium inter consanguineos in infidelitate contractum non debere dissolui. Nec verò curat an alter maneat in infidelitate vel nō. Deniq; quāuis demus ex eo Innocentij III decreto colligi adhuc suo tēpore licuisse cohabitationē fidelis cū infideli: non tamen inde probatur licuisse fidelis cum Iudæo, vt iam probaui. Neque conuincitur postea contraria consuetudine illud decretum abrogatum non esse: Doctores autem supra relati, qui multis sæculis post Innocentium Tertium scripserunt, pro recepta consuetudine testificantur.

12 Neque obstabit etiam, si quisquam fortasse dixerit, nunc Indos recens conuersos non separari à coniugibus infidelibus, si velint sine iniuria Creatoris remanere. Nã cum hæc legis Ecclesiasticæ, aut consuetudinis, quæ vim legis Ecclesiasticæ ac robur obtinet, prohibitio sit, potuit Pontifex concessionem eam abrogare, si huic tempori, & Indorum conuersioni expedire iudicauerit; sicut propter iustos fines primis Ecclesiæ temporibus non tantum cohabitatio licita erat, sed etiam in præcepto. Quare, & nunc, cum similia incommoda timerentur, præceptum de separatione cessare, & obligationem cohabitandi reuiuiscere dici debet, id quod etiam alij senserunt.

13 Sunt tamen tres casus in iure expressi, in quibus matrimonium infidelium dissoluitur, altero ad fidem Christianam transeunte. Primus est, si infidelis renuat habitare cum fideli, discedereque velit. Quod intellige, nisi fortè in fidelis id faciat vtens iure suo, quia, scilicet, is qui conuertitur cum infidelis esset, aut postea, adulterium commiterit. Atque hic primus casus habetur, *capite simili modo capite. si vxor 28. quæstion 1. capite quanto, & capite gaudemus. de diuortijs*, Secundus est, si infidelis nolit cohabitare sine contumelia Creatoris, vel non audit nomen eius sine despectu, eius laudes prohibet, domesticos ad defectionem hortatur in *dicto capite simili modo, & capite. Quanto, & cap. gaudemus cit, & capite infidelis 28. quæst. 2.* Tertius casus est, si pertrahat ad peccatum mortale in *dicto capite quanto, & capite gaudemus, & capite vxor, & capite idolatria, & capite non solum 28. quæst. 1.*

14 At quæri potest an id concessum diuino priuilegio, vt in his casibus dissoluatur infidelium matrimonium: an verò iure Pontificio, ad cuius etiam potestatem pertineat iusta de causa dissoluere matrimonium consummatum infidelium?

15 Cæterùm quidquid sit de eo, an Pontifex in matrimonio infidelium consummato dispensare possit, in qua iuxta ea, quæ supra dicta sunt, pars videtur negatiua verior, in præsenti affirmo matrimonio concessum, vt in his euentibus dissoluatur, diuino priuilegio in fauorem fidei. Idque colligunt Doctores ex illo Pauli 1. Corinth. 7. *Quod si infidelis discedit, discedat, neque enim seruituti subiectus est frater, aut soror huiusmodi.* Paria enim ista sunt, ac per hoc de his intelligendum Paulum plane docuit Innocentius Tertius in *capite. Quanto de diuortijs.* Estque optima ratio. Quia cum infidelis maneat extra Ecclesiam, & de illo non iudicet, non esset, quo compelli posset ad cohabitandum.

16 Sed explicandum superest, quando eiusmodi matrimonium in illis casibus dissoluatur, an ipso iure, ac infidelis discedit, vel pertrahit in peccatum, vel non vult sine iniuria Creatoris cohabitare, vel tunc, cum transit ad secunda vota. Nam Panormitanus in *capite. Quanto, de diuortijs* numero 6. & 7. & in *capite gaudemus* eodem numero 15. glossa in *dicto capite Quanto*, & in *capite si infidelis* 88. *quæstione* 2. Hostiensis in *capite. Quanto de diuortijs*. Ricardus in 4. distinctione 39. articulo 2. quæst. 2. Astensis in summa part. 2. lib. 8. titulo 21. articulo 2. quæstione 5. Angelus verbo *matrimonium* 3. numero 3. existimant ipso iure dissolui: in eamque videtur inclinare Scotus eadem distinction. articulo 1. in solutione dubij 2. Antoninus 3. parte titulo 1. capite 6. Omnes hi Doctores, cum hæc sententia ex iure aliquo constare debeat, non aliunde probant, quam ex *capite infidelis 28. quæstion 2.* illis verbis, *contumelia quippe Creatoris soluit ius matrimonij circa eum, qui relinquitur.* Quibus indicari videtur statim ac contumelia Creatoris adest, dissolui matrimonij vinculum.

17 At mihi probabilior longè videtur eorum opinio, quæ docet non ipso iure dissolui, donec transeat fidelis ad secundas nuptias. Ita Diuus Thomas in 4. distinct. 39. q. 2. artic. 5. Paludanus ibidem quæstione 1. art. 2. concluf. 3. probabiliorem censet Maior ibidem quæst. vnica, illã amplectitur Turrecremata in *capite simili modo 28. quæstione* 1. ad secundum argumẽtum profertque eiusdem sententiæ defensorem Bonauẽturam, quam uis hic auctor ambigua vtatur oratione. Eandem tenet Syluester *verbo matrimonium* 8. *quæst.* 10. casu 6. Armilla *matrimonium* numero 63. Soto distinct. 39. quæstione vnica articulo 4. Nauarrus capite 22. & Gregorius de Valentia disputatione 10 quæstione 1. puncto 7. & tandem glossa ipsa veritate conuicta, de eo in vtramque partem disputans *capite Gaudemus de diuortijs.* Præcipuũ, & vnicum huius sententiæ fundamentum hoc est. Quia Innocentius Tertius in *dicto capite gaudemus* inquit: *Quod si conuersum ad fidem, & illa cõuersa sequatur, antequam per causas prædictas legitimam ille ducat vxorem, eam recipere compellatur.* Ergo propter illas tres causas non erat matrimonium dissolutum ipso iure.

18 Glos-

18 Glossa in *dicto capite gaudemus* respondet, licet matrimonium sit solutum, tamen restitui iure postliminij in fauorem fidei. Eam tamen merito reijcit Ricardus loco citato. Neque enim matrimonium dici potest postliminio redire, cum eius essentia ex consensu pendeat contrahentium. Et quoniam, cum infidelis sui coniugis conuersi pariter sequitur religionem, sine nouo consensu, in priori permaneat matrimonio, necessariò dicendum est illud non fuisse peremptum.

19 Nec difficile est fundamentum primæ sententiæ diluere. Non enim obstat ille *Canon infidelis*, dicimus enim primo non omnino reijciendam quorundam interpretationem, qui verba illa *Soluit ius*, intelligunt de solutione tori, domicilijque. Animaduertunt enim in canone non dici solui vinculum matrimonij, sed ius, vt scilicet vtatur matrimonio. Sed præterea addimus illam legitimam esse interpretationem, *Soluit ius*, id est, iustam causam dissolutioni præbet, ita vt causalis sit enuntiatio. Itaque illa vna cum matrimonio quod consequitur, & nec illa sine matrimonio, neque matrimonium secundum sine illa primum dissoluat. Adeò autem necessarium est secundum matrimonium aliqua subsistente causa ad præcedens vinculum dirimendum, vt aliter rescindi nequeat vllo pacto. Si enim sacris initietur, aut religionem profiteatur, siue simplicibus votis constantem, siue solemnibus, non dirimitur matrimonium in infidelitate contractum, etiam subsistente contumelia Creatoris, quidquid nonnulli Auctores sine iuris fundamento non satis consideratè dixerint. Quia matrimonium ratum aut consummatum non dissoluitur sacris ordinibus, vt notum est: professione autem status religiosi tantum dirimitur matrimonium ratum fidelium, vel ex Christi priuilegio, quod probabo infra, vel ex iure Ecclesiastico iuxta aliorum sententiam. Hic autem nihil eorum ostendi potest. Non ergò est fundamentum, quo dicamus sacris ordinibus, aut religionis professione dissolui matrimonium ratum, & consummatum infidelium, etiam si contumelia adsit Creatoris; sed id tantum secundo matrimonio vt fiat necessarium est.

20 Addendum tamen, vt secundum matrimonium in prædictis euentibus celebrari possit, necessarium esse, vt requiratur infidelis, moneaturque an velit cohabitare: aliàs non poterit fidelis ad secundas nuptias transire, vt docet communis sententia, quam tenet Diuus Thomas in 4. distinctione 39. quæstion vnica articulo 5. Gratianus 28. quæstione 2. in fine, & alij interpretes iuris canonici in *dicto capite Gaudemus*, constatque ex literis Gregorij Decimi tertij quas subiungemus statim. Cumque gratia non destruat naturam, iniquum esset, sine culpa alterius coniugis, qui si requireretur, forsan sanctificaretur, priorem contractum dissolui.

21 Scio aliter sentire nonnullos, scilicet, non esse necessarium alterius consensum requirere. Ita Panormitanus in *capite Quanto de diuortijs*, cui adstipulatur Ricardus, Paludanus, Gabriel locis citatis, & nouissimè Thomas Sanchez lib. 7. de matrimon. disp. 74. Sed sine vllo fundamento, etiam pro statu præsenti, habent enim contra se literas Gregorij XIII. de quibus statim.

22 Quod si reperiri non possit, distinctione opus est. Nam vel reperiri non potest, quia est interdicta communicatio ob certum euersionis periculum. Et in hoc casu probabile est satis esse experiri voluntatem. Constat enim ob eiusmodi periculum coniugium dissolui posse. Ita docuit Victoria cū alijs quos citat, & sequitur Ferdinandus Rebellus 2. p. de obligat. iust. lib. 3. q. 10. sect. 2. n. 11. Aliàs enim subiectus esset frater seruituti, cum neque cum coniuge infideli communicare possit, neque cum alio contrahere cō tra Paulum 1. Corinth. 7. Quod si reperiri nō possit, vel ob difficultatē viæ, & itineris, cum in remotissimis versetur regionibus, vt euenit in his, qui ex Æthiopia captiui, vel serui afferuntur; vel ignoratur vbi sit alter coniux, adhuc nubere non potest, quidquid dicat Thomas Sanchez, & alij, nisi dispensatio Pontificis accedat, qua suppleatur ea admonitio iure præscripta. Qualem dispensationem concessam â Pio V. credendum est, cum statuit matrimonia Indorum nouæ Hispaniæ, qui ad fidem conuersi cum fidelibus contraxerant, eo quod vbi coniuges infideles essent, ignorarent, valida esse. Dispensauit certè, ac suppleuit monitionem iure præscriptam. Similem etiam dispensationem concessit Gregorius XIII. suis literis, quas nunc subijcio. Et quidem, si iuxta Sanctium ea monitio necessaria non est, ad quid ergò dispensarūt Pontifices? Nec verò ex ea dispensatione colligitur dissoluisse Pontifi cē matrimonium consummatū infideliū; sed

cum Pontifex posſit ius diuinum interpretari, & ex diuino priuilegio diſſoluatur matrimonium in fauorem fidei, cum infidelis non vult cohabitare cum fideli, declarat Pontifex eum caſum verificari, quando tanto tempore fidelis non requiritur ab infideli, & tanta terrarum ſpatia impediunt, atque adeo iam tunc poſſe vti diuina conceſsione, & ad ſecundas tranſire nuptias, literæ igitur Gregorij Decimi tertij ſic ſe habent.

23 *Gregorius &c. Quoniam ſæpè contingit multos vtriuſque ſexus infideles poſt contracta gentili ritu matrimonia ex Angola, Æthiopia, Braſilia, & alijs Indicis regionibus ab hoſtibus captos, à proprijs finibus, & proprijs coniugibus in remotiſsimas regiones exterminari adeo, vt ipſi captiui, & qui in patria remanent, ſi poſtea ad fidem conuertantur, coniuges infideles tam longo interuallo diſiunctos, an ſine contumelia Creatoris ſecum habitare velint, vt par eſt, monere nequeant, vel quia interdum ad hoſtiles, & barbaras prouincias, ne nuntijs quidem acceſſus pateat, vel quia ignorant prorſus in quas regiones fuerint tranſacti, vel quia itineris longitudo magnam afferat difficultatem. Idcireo nos attendentes huiuſmodi connubia inter infideles contracta, vera quidem, non tamen adeo rata cenſeri, vt neceſsitate ſuadente diſſolui non poſsint, ſingulis dictorum locorum ordinarijs, & parrochis, & preſbyteris Societatis Ieſu ad confeſsiones audiendas ab eiuſdem Societatis ſuperioribus approbatis, & ad dictas regiones pro tempore miſsis, vel in illis admiſsis, concedimus facultatem diſpenſandi cum quibus cumque vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus incolis dictarum regionum, & ſerius ad fidem conuerſis, qui ante baptiſmum matrimonia contraxerat, vt eorum quilibet etiam ſuperſtite coniuge infideli, & eius conſenſu minimè requiſito, reſponſo non expectato, matrimonium, cum quouis fideli, aliàs tamen rite contrahere, & in eis poſtea carnali copula conſummatis, quoad vixerint, remanere licitè valeant, dūmodo conſtet etiam ſummariè, & extraiudicialiter coniugem abſentem moneri legitime non poſſe, aut monitum intra tempus eadem monitione præfixum, ſuam voluntatem non ſignificaſſe. Quæ quidem matrimonia, etiam ſi poſtea innotuerit coniuges priores infideles ſuam voluntate iuſtè impeditos declarare non potuiſſe, & ad fidem etiam tempore tranſacti ſecundi matrimonij conuerſos fuiſſe, nihilominus reſcindi nunquam debere, ſed valida, & firma eſſe, &c.* Hactenus Gregorius Decimus tertius.

24 Diximus in illis euentibus fidelem coniugem liberum, & expeditum manere, vt poſsit cum alio fideli contrahere. Reſtat explicemus, an coniux infidelis, qui vel diſcedit, vel cohabitare ſine iniuria Creatoris non vult, maneat liber vinculo matrimonij, ita vt iam re ipſa contrahere cum alio infideli poſsit. Ricardus in 4. ſent. diſt. 39. art. 2. quæſt. 3. duas hac de re contrarias refert ſententias, vnam quæ infideli poteſtatem tribuit nouarum nuptiarum: alteram, quæ negat; Durandus eadem diſtinct. quæſt. 2. mirari ſe ait, quomodo potuerit Eccleſia hanc ſeruitutem imponere infideli, cum nihil ad nos illi qui foris ſunt, vt inquit Innocentius III. *dict. cap. Gaudemus de diuortijs.*

25 Cæterùm communis ac vera ſententia eſt, coniugem, qui fidelem coniugem ſequi noluit, non poſſe nouum ſibi coniugem eligere ex ſua gente, quæ eſt in eadem perfidia, donec conuertatur. Hanc eſſe communem ſententiam fatetur Durandus loco citato, eamque expreſſè docet Diuus Thomas in 4. diſt. 37. quæſt. 2. artic. 5. ad 3. hiſce verbis. *Ad 3. dicendum, quod poſtquam fidelis contraxit, ſolutum eſt vinculum matrimonij ex vtraque parte, quia matrimonium non claudicat quantum ad vinculum: ſed quandoque claudicat quantum ad effectum. Vnde in pœnam vxoris infidelis ei indicitur, quod non poſsit ium alio contrahere magis, quam ex virtute matrimonij præcedentis. Sed ſi poſtea conuertatur, poteſt ei concedi diſpenſatiue, vt alteri nubat, ſi vir eius aliam duxerit vxorem.* Idem ſenſit Bonauentura eadem diſtinct. articulo 2. quæſtione 2. Turrecremata in *capite ſimili modo 28. quæſt. 2.* ad 3. argumentum. Habeturque expreſſe hæc ſententia in *capite ſi infidelis 28. quæſtione 2.* vbi Ambroſius. *Contumelia quippe Creatoris ſoluit ius matrimonij circa eum qui relinquitur: infidelis autem diſcedens, & in Deum peccat, & in matrimonium, neque eſt ei fides ſeruanda coniugij, quia propterea diſcedit, ne audiret Chriſti eſſe Deum Chriſtianorum coniugiorum.* Hæc Ambroſius.

26 Hanc autem pœnam non Eccleſia, ſed Deus infligit propter iniuriam, qua infidelis ipſum Deum, veram fidem, & veritatem ſacramenti matrimonij afficit, cuius pœnæ Eccleſia eſt promulgatrix. Ex quibus facile refelles, quæ pro ſua ſententia adducit Thomas Sanchez libro ſeptimo diſputatione 77. numero 6. Neque enim dici poteſt aut debet vinculū matrimonij remanere: tum quia matrimonij vinculum mutuum eſt ex vtraque parte: tum quia fidelis reuera ſolutus eſt: cum in religione Chriſtiana nunquam valeat ſecun-

secundum coniugium constante primo: tum etiam quia inquiram ex cuius parte solutum sit: si ex parte viri, quia vir non est alligatus, neque habet fœmina infidelis potestatem in virum, ergo ex parte fœminæ, perse uerauit vinculum, quo illa scilicet adhuc alligata sit. Igitur, & habet fidelis potestatem in corpus fœminæ infidelis, atque adeo ad illam liceret accessus. Nisi forte quis diceret, quamuis fidelis habeat potestatem in corpus infidelis, & infidelis adhuc ligatus fideli sit, impediri tamen ad congressum cũ illa potiori iure matrimonij contracti cum fideli; sicut cum ob ingressum in religionem impeditur accessus ad vxorem, cum qua fuerat consummatum matrimonium, & tamen permanet primũ coniugij vinculũ. Sed attẽdere debet qui hoc dixerit, duo vincula matrimonij esse eiusdem rationis, atque ita secum pugnare aliqua ratione etiam secundũ ius naturæ. at vinculum religionis, & matrimonij esse diuersæ rationis, & ita nullam interse repugnantiam habere: & præterea eũ, qui religionem professus accederet ad vxorem, non committere adulterium: quod tamen dici non potest de eo, qui conuersus ad Christi fidem, & contrahens cum vxore fideli accederet ad vxorem infidelem, & infidelitate manenti.

27 Et de infidelibus quidẽ ita se res habet. At quid de hæreticis? In primis si alter ex coniugatis labatur in hæresim, tenet matrimonium, & in nullo casu dirimitur iam cõsummatum. Id quod expresse docuit Innocentius III. in *cap. Quanto de diuortijs.* Cum enim matrimonium cum infideli contractũ aliquarum causarum interueniente in fauorem fidei dissoluatur: nõ esset fauor fidei, si statim ac fidelis labitur in hæresim matrimonium dirimeretur. Non esse autem fauorem fidei indicat duabus rationibus Innocentius III. in d. cap. quanto his verbis: *Si vero alter fidelium coniugum, vel labatur in hæresim, vel transeat ad gentilitatis errorem, non credimus, quod in hoc casu is qui relinquitur viuente altero possit ad secundas nuptias conuolare, licet in hoc casu maior appareat contumelia Creatoris. Nam, etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum, inter fideles autem verum, & ratum existit, quia sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit coniugij sacramentum, vt ipsum in coniugibus illo durante perduret.* Ecce primam rationem, propter quam non esset fauor fidei dissoluere matrimonium fidelis cum labitur alter in hæresim. Audi aliam. *Neque obstat, quod à quibusdam forsan obijcitur, quod fidelis relictus non debeat iure suo sine culpa priuari, cum in multis casibus hoc contingat, vt si alter coniugum incidatur. Per hanc responsionem quorumdam malitiæ obuiatur, qui in odiũ coniugum, vel quando sibi inuicem displicerent, si eas possent in tali casu dimittere, simularent hæresim, vt abhisce, (nubentibus cõiugibus) resilirent.*

28 Quamuis autẽ matrimonium teneat, attamẽ cohabitatio est illicita, vnde separatur torus, & domicilium. Nam cum matrimonia cum hæreticis sacramenta sint, & valida, vt iã docuimus, idẽ est hæretico nubere, vel cohabitare cum illo in hæresim labente: eadem enim vtriusque ratio est: quod non ita se habet in alijs infideliũ matrimonijs. Quare prohibita fideli coniugato cohabitatio cũ hæretico coniuge tam illis canonibus, in quibus prohibentur nuptiæ, cum illæ sint validæ, quam etiam alijs, vt dicam infra hoc libro, cum de diuortio sermo fuerit. Cõsuetudine tamen, quando periculum abest eiusmodi prohibitio abrogatur. Quo fit, vt apud Gallos Germanosque sine vllo peccato Catholici matrimonia cum hæreticis contrahant, & cum eisdem cohabitent.

An per professionem solemnem dissoluatur ratum coniugium, & quo iure?

CAPVT. V.

SVMMARIVM.

Dissolui matrimonium per transitum ad religionem num.1.
Inquiritur quo iure, num.2.
Quidam dicunt ex iure Pontificio, num.3.
Verius iure diuino dissolui, num.4.
Diuersimodè probatum, n.5.6.7.8.9.10.

1 DISSOLVI matrimonium ratũ, si quis coniux ante consummationem trãseat ad religionem, haud dubium est, licet dubitauerint sine fundamento nonnulli. Probat decretum Eusebij tomo 1. Conciliorum post eius epistolas, & est apud Gratianum in *capit. desponsatam 27. quæst. 2.* & ex Gregorio 1. lib. 6. epistolarũ epist. 20. & Alexandro III. in appendice Cõcilij Lateranẽsis p. 5. c. 4. & 8. & p. 50. c. 30. & 41. & Ioanne XXII. in *extrauagante. Antiquæ de voto*, & Trident. sess. 24. can. 6. Est autẽ discrimen quoad hoc nõ tandum inter profes-

sionem solemnem, & sacros ordines, quod qui matrimonio iunctus ante consummationem initiatur sacris ordinibus, non manet liber à vinculo matrimonij. Nec enim sacer ordo dirimit matrimonium ratum non dum consummatum. At verò, qui statum religionis suscipit, & vota emittit, liberatur à vinculo coniugij. Vnde alter coniugum potest ad secunda vota transire. Id quod de ordinibus sacris diximus definitum est à Ioanne 22. in *d. extrauag.* Idemque dicendum de ordine Episcopatus non dirimere matrimonium præcedens, vt constat ex perpetuo Ecclesiæ vsu, & quia non extat aliquis textus, ex quo colligatur illud priuilegium concessum esse Episcopatui, sicut religioni. Vnde autē ortū fuerit, vt sacer ordo non dirimat matrimonium antea contractum, dirimat autem status religionis, id vno verbo dicendū ex eo prouenire, quia ius illud quo dirimitur matrimonium ratum per vota religiosorū non eū effectum tribuit sacris ordinibus.

2 Quod autem fuerit ius istud, diuinum ne, an Ecclesiasticum iam explicare aggredior. Inquiro itaque, an religionis status iure diuino, an potius Ecclesiastico, & Pontificio habeat vim dissoluendi matrimonium ratum nondum consummatum.

3 Existimarunt nonnulli, nec pauci, nec ignobiles hanc vim deriuatam esse ex iure Pontificio. Ita glossa in *c. vnico de voto in 6.* quam secuti sunt alij Canonistæ: & ex Theologis Michael Medina lib. 5. de continent. Sacror. homin. a cap. 87. Gabriel Vazquez 1. 2. disput 165. cap. 7. ex quo infert auctor iste, eam vim tantum esse communicatam votis solemnibus religionum, non autem votis simplicibus suæ Societatis, quia nulla extat lex Ecclesiastica, quæ eum effectum tribuat votis simplicibus Societatis. Hi omnes Doctores illo principio nituntur, quod existiment in Pontifice residere potestatem ad dissoluendum matrimonium ratum non dum consummatum.

4 Sed mihi longè verius videtur, & maiestati religionum conuenientius, subsequentem professionem eiusmodi vim habere ex Christi priuilegio, quem institutorem status religiosi fuisse dixi supra lib. 7. Sententiam istam tradidit Scotus in 4. dist. 31. quæst. 1. Abulensis 1. Reg. cap. 8. quæst. 98. & 103. & 113. Victoria de potestate Papæ part. 1. numero 1. ad primum. Soto in 4. dist. 27. quæst. 1. artic. 4. concluf. 1. Petrus Soto lection. 1. de Matrimon. §. *post hoc.* Corduba lib. 1. quæstionarij quæst. 23. §. *Ad rationes.* & Ferdinandus Rebellus part. 2. lib. 3. q. 4. sect. 2. à num. 12. & alij Recentiores.

5 Et in primis fundamentum illud, quo Medina, & Vazquez complures alios secuti nituntur, scilicet, posse dissolui coniugiū ratum non consummatum iusta de causa Pontificia auctoritate, mihi valde incertum est, vt dixi supra cap. 3. Primum igitur mihi atque præcipuum fundamentum est: quia non reperitur aliquod decretum Ecclesiasti cum, quo vis dissoluendi matrimonium ratum tribuatur professioni solemni, sed potius ex nonnullis decretis colligitur ab Apostolorum tempore traditione deriuata pro constanti habitum in Ecclesia, quod magno argumento est traditionem esse diuinam, & institutionem Christi. Profero sigillatim, quos ego canones hactenus reperire potui à recentioribus incipiendo, qui sunt in corpore iuris.

6 Ioannes XXII. in *extrauag. Antiquæ, de voto* inquit votum solemnizatum per sacri susceptionem ordinis non esse sufficiens ad dissoluendum matrimonium antea contractum, etiam si per carnis copulam non fuerit consummatum, cum nec iure diuino, nec per sacros canones reperiamus hoc statutum. Addítque, nisi aliquam de religionibus approbatis, quarum professio ad castitatis custodiam, & abdicationem temporaliū, & sui superioris obedientiā suos professores adstringat, ipsum canonice cōtigerit, ingredi & eius regulā expressè vel tacite profiteri. In quo testimonio primùm expendo illud *iure diuino*, quasi cum postea dicat Pontifex dissolui per professionem religionis, iuri diuino eam vim videatur adscribere: maximè cum nullus de eo ante Ioannem XXII. extitisset canon, vt videbimus. Expendo præterea id solum exigere Pontificem, vt status religionis dirimere valeat matrimonium ratum, quod in ea fiat trium vtorum emissio. Igitur vniuersè ea vota, quæ verè religiosum efficiunt, id habent priuilegium dirimendi ratum matrimonium.

7 Innocent. III. in *c. ex parte 2. de cōuers. coning.* in simili causa fœminæ, post contractum per verba de præsenti matrimoniū ante commixtionem carnalem transeuntis ad religionem ita respondet. *Nos autem inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod, & si possit non inconsulte videri, quod ex quo matrimonium inter legitimas personas per verba de præsenti contrahitur illis viuentibus in nullo casu possit dissolui, vt viuente reliquo alter adse-*

ad secunda vota transmigret, etiãsi vnus fidelium inter quos est ratum coniugium, fieret hæreticus, & nollet permanere cum altero sine iniuria Creatoris, nisi forte fieret ex reuelatione diuina, quæ superat omnem legem, sicut à quibusdam Sanctis legitur esse factum. Nos tamen nolentes à prædecessorum nostrorum vestigijs declinare, qui respondere consulti, antequam matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, licere alteri coniugum reliquo in consulto ad religionem transire, ita quod reliquus ex tunc legitime poterit alteri copulari, [hoc ipsum] tibi consulimus obseruandum in articulo prænotato, &c. Ecce reuelatione diuina, quæ superat omnem legem ait Innocentius ratum matrimonium dissolui,& non aliter; cumque per transitum ad religionem dissolui dicat, planum est sentire illum tanquam ex diuina reuelatione deriuatum, id semper respondisse Pontifices. Sancti enim, â quibus id factum dicit, post matrimonium ratum non consummatum, ad religionem conuolarunt, atque id eos fecisse dicit ex reuelatione diuina. Concessum igitur statui religioso â Christo priuilegium istud, & ex consequenti non solum professioni solemni, eo modo, quo nunc vocamus solemnem, sed etiam professioni verè, & substantialiter constituenti, statum religiosi.

8 Antiquior Innocentio Alexander Tertius in varijs de eo editis canonibus nihil habet, quod aduersetur nostræ sententiæ, imò fauet non semel. In appendice igitur ad Concilium Lateranense sub ipso celebratum parte 50. capite 41. hæc habet. *Tua nos fraternitas duxit consulendos, quid de his agere debeas, qui desponsant aliquas mulieres, & processu temporis antequam eas ducant, vel cognoscant, alias in vxores accipiunt. Super hoc vtique consultationi tuæ taliter respondemus, quod si vir, & mulier se se inuicem receperint, expresso consensu mutuo de præsenti, neuter eorum altero superstite poterit ad alia vota se transferre, & si possit ad monasterium transmigrare.* Non tanquam re â sê nouiter statuta id respondit Pontifex. Idem eadẽ part. cap. 3. *Sane super eo, quod quædam mulier viro suo fidem dedit, & ipse illi, quod matrimonium inter se contraherent, & viro volente sacramentum seruare, mulier castam disposuit ducere vitam, discretioni tuæ taliter respondebimus, quod si iuncti non fuerint, mulier permittatur ad religionem transire, & Domino relicto sæculo militare. Quod si facere noluerit, & in sæculo caste viuere disposuerit, quia hoc suspectum esse posset, & ad vtrumlibet, ad bonum scilicet, & ad malum haberi posset, ipsum matrimonium consummari constringas. Beatum enim Ioannem, & complures alios ab ipsis etiam sponsalitijs ad vitam contemplatiuam legimus euocatos, & ideo eidem mulieri confidenter permittere poteris, vt transeat ad religionem castitatis votum seruatura.* Ecce ad Ioannis Euangelistæ, & aliorum sanctorum exempla recurrit, qui à coniungio ad religionem euocati sunt, vt inde respondeat confidenter permittendum esse mulieri iam nuptæ ad religionem transire. Ex quo fit in primis Ioannem Euangelistam verè religiosum fuisse, quando quidem eius exemplo vtitur Pontifex, vt ostendat statum religionis dissoluere matrimonium ratum: quod idem de alijs sanctis, quos in exemplum adducit, affirmandum est: aliàs Pontifex non rectè colligeret. Fit etiam non posse dici Ioannem Euangelistam vinculo congij irretitum permansisse, cum eo exemplo non tantum Pontifex Alexander decernat licere à nuptijs ad religionem migrare: sed etiam reliquum coniugem â matrimonij nexu liberum remanere. Id quod etiam eisdem inductum exemplis Innocentium Tertium respondisse supra retulimus: Nec verò potest aliquis existimare Ioannem, & alios Sanctos, quorum Poniifices meminere, ab sponsalibus, non vero à matrimonio transijsse ad religionem, quia Pontifices istis exemplis non probant â sponsalibus posse ad religionem transire, sed etiam â matrimonio celebrato, per verba de præsenti mutuo consensu. Verè ergô illi sancti coniugati fuerunt.

9 Idem Alexander in appedice cit. p. 5. cap. 8. & habetur in *cap. ex publico de conuersione coniugatorum* inquit inter alia. *Cæterum quia præfata mulier, licet à præfato viro desponsata fuerit, adhuc tamen sicut ipsa asserit, ab ipso est incognita fraternitati tuæ A. S. mandamus, quatenus si supra dictus vir mulierem ipsam carnaliter non cognouit, & eadem mulier sicut ex parte sua nobis proponitur, ad religionem transire voluerit, recepta ab ea sufficienti cautione, quod vel ad religionem transire, vel ad virum suum redire infra duorum mensium spatium debeat, ipsam contradictione, & appellatione cessante, à sententia, qua tenetur absoluas. Et statim sane quod Dominus in Euangelio dicit, non licet viro vxorem suam nisi causa fornicationis dimittere, intelligendum est secundum interpretationem sacri eloquij de his, quorum matrimoniũ est carnali copula consummatum, & cætera.* Non

ad aliud caput reuocat Pontifex dissolutionem matrimonij per subsequentem statum religionis, nisi ad sacri eloquij interpretationem, quando videlicet Ioannem, & alios à nuptijs ad religionẽ euocauit. Concessum igitur id diuino priuilegio statui religioso absolutè. Denique idem Alexander eadem p. 5. c. 1. & habetur, *c. verum, eodem titulo*, sem per sibi consonus inquit. *Verum post consensum illum legitimum de præsenti licitum est alteri, altero etiam repudiante monasterium eligere sicut quidam sancti de nuptijs vocati fuerunt, dũmodo inter eos carnis mixtio non interuenerit, & alteri remanenti, si commonitus seruare noluerit continentiam, licitum esse videtur, vt ad secunda vota transire possit.* Quæ eodem modo expendenda, ac considerandа sunt, sicut aliud ex eodem Alexãdro testimonium paulo supra considerauimus.

10 Sed forte reuocabit nos aliquis ad Eusebium Pontificem, qui anno 309. rexit Ecclesiam. Gratianus enim 26. q. 2. c. *desponsatã*, ex eo retulit decretum istud. *Desponsatã puellam non licet parentibus alij viro tradere, licet tamen illi monasterium, si voluerit, eligere.* Hæc Eusebius. In quibus, vt planum est, isto tenore verborum, non nouam à se statutam legẽ indicat, sed quæ iam vsu recepta esset in Ecclesia. Verbo enim eo, *non licet*, noua lex non inducitur, sed iam statuta exprimitur, vt ex multis canonibus liquet passim. Adde etiam posteriores Pontifices, vt visum est, non Põtificum prædecessorum decretis, aut Conciliorum Canonibus eam sententiam confirmare, sed tantum exemplo Ioannis, aliorum que Sanctorum ex inspiratione diuina ad religionem à nuptijs transmigrantium: atque adeo vt rem traditione acceptam à Christo, & per Apostolos deriuatam accepisse. Non ergo eius legis Eusebius primus institutor. Atque hoc mihi præcipuum huius sententiæ fundamentum videtur: quamuis sint etiam duæ rationes non contemnendæ, quas insinuo. Prima, quia si ecclesiastica lege vis dirimendi matrimonia deriuata esset in vota religionis, posset etiam Ecclesiæ auctoritate auferri: nullus autem, vt credo, concedet posse Pontificem vniuersali lege impedire transitum à nuptijs ad religionẽ. Secunda est, quia contra ius iustitiæ quæsitum tertio non posset Põtifex legem aliquam statuere, id quod in minoribus alijs contractibus cernitur, & de seruo sine domini consensu nequaquam ad religionem admittendo, extat Gelasij Papæ decretum epist. 9. §. *generalis etiam querela*. Vnde quamuis status clericalis perfectior sit statu matrimonij, imo status episcopalis perfectior sit statu monachali, adhuc per eũ statum non dirimitur matrimonium ratum, nec ad illum licet ascendere contra propriæ vxoris etiam incognitæ voluntatem. Argumentum ergo est contra ius iustitiæ per matrimonium ratum adquisitum coniugi non esse potestatem in Ecclesia irritandi matrimonium, cum statui adeo perfecto nondum eam vim cõmunicarit Ecclesia: sed id Christi priuilegio, quod omnem legem superat, statui religionis concessum tantum.

Tribus votis simplicibus Societatis dirimi matrimonium ratum.

CAPVT. VI.

SVMMARIVM.

Vota Societatis post biennium dirimere matrimonium ratum, num. 1.

Occurritur tribus obiectionibus, quibus alij permoti sentiunt oppositum, n. 2. 3. 4.

1 EX DICTIS colligitur primò cõsequenti ratiocinatione idem dicẽdum esse de votis simplicibus post biennium emissis in Societate, scilicet eandem vim habere dirimendi matrimonium ratum ex priuilegio quoque diuino, quamuis id negẽt Gabriel Vazquez 1. 2. disp. 165. & Thomas Sanchez lib. 2. disput. 18. num. 6. & Henriquez lib. 11. cap. 8. num. 7. Si enim concessum est religioso statui ex Christi priuilegio, & ab initio eum effectum habuit status religiosus, vt modo ostendimus: & antiquus ille religionis status tantum constabat votis simplicibus, vt demonstraui 1. p. varia rum disput. quæst. 3, scholastica, cap. 8. & supra lib. 7. Liquidò colligitur vota Societatis post biennium emissa eandem habere vim, quãdoquidẽ verè religiosum efficiunt. Cõcessum enim illud priuilegiũ à Christo statui verè, & substantialiter religioso, & ex consequenti non solum professioni solemni, eo modo, quo nunc vocamus solemnem, sed etiam professioni verè, & substãtialiter constituenti statum religiosi, qualis fuit per tria vota in Societate post biennium. Quod etiã ex eo validè cõfirmatur, quia Sancti illi quorum exemplo persuadent sibi Pontifices factũ ex reuelatione diuina, scilicet Ioánes Euangelista, Alexius Theon quidam, atque Macarius Romanus illis sæculis claruerun

runt in quibus nondum erat votorum religiosum introducta solemnitas. Quod idem affirmandum est de decreto Eusebij Papæ. Quamuis enim daremus Eusebium eius legis primum conditorem extitisse, quod tamen falsissimum est, adhuc concedendum eam vim inesse vot s Societatis. Nam Eusebij tempore nondum Ecclesiastica votorum solemnitas introducta erat, sed illorum temporum sub Eusebij religiosi, qui Basilij, Augustini, & Benedicti monachos præcesserũt, tantum constabant votis simplicibus, quæ tamen verè religiosos efficerent.

2 Nec verò his obstat primò vota post biẽnium emissa in societate esse simplicia: vota autem simplicia non dirimere matrimoniũ ratum. Hæc enim vota, quamuis appellentur simplicia, vt distinguantur à votis affectis solemnitate Ecclesiastica: attamẽ intrinsecã solẽnitatẽ habent, vt dixi sup. lib. 7. Quare vim habent dirimendi matrimonium. Priuilegium enim illud concessũ statui religioso, quibuscumque ille constet votis, dummodo sufficiant ad verè constituendum religiosum.

3 Nec etiam obstat secundò, quod sanctissimus Pater Ignatius coadiutori temporali, qui de nuptijs ad religionem transibat professionẽ concesserit solemnem: id enim factum est, non quia meo iudicio fuerit necessarium; sed quo omnis tolleretur dubitatio, & nulla litibus occasio relinqueretur. Quamuis si de hoc aliqua lis modo oriretur, non dubito quin ista pars obtineret.

4 Nec denique obstat, quod si aliquis cõiunctus matrimonio ante cõsummationẽ ad Societatem transiret, & post biennium vota emitteret, & ratum coniugium dirimeretur, fieri posset vt secundo validè nuberet, videlicet si post eorum votorum emissionem à Prælato dimitteretur, liber votorum nexu. Hoc argumento commotus relinquit opinionem istam Gabriel Vazquez 1. 2. disput. 165. concedimus tamen sequelam, & in hoc nullũ inconueniens esse existimamus. Quia idem omnino sequitur ex natura rei in eo, qui solemniter profitetur, & etiam Doctores, qui contra senserint, idem fateri tenẽtur multis sæculis in Ecclesia id locum habuisse. Quia si hæc vis dirimendi matrimonium ratum concessa est votis religionis iure diuino, vt ego existimo, vel tantum Ecclesiastico vt illi dicunt, cum ipsi etiam fateantur vota religionũ multis sæculis nõ habuisse vim dirimendi matrimonium post contractum vsque ad Innocentium II. vt mihi videtur, vt autem ipsi sentiunt, vsque ad tempora Gregorij I. planè sequitur illo tempore dissoluto priori vinculo per vota monastica, statim illis emissis potuisse validè contrahi aliud matrimonium, illicitè quidem auctoritate propria, licitè verò relaxante vota Pontifice, vel Episcopo, vel religionis Prælato. Quare quod Gabriel Vazquez maximum in conueniens iudicat in suis votis, necessariò concedere debet iuxta suam sententiam in votis etiam solemnibus toto illo tempore, quo ipse etiam censet in Ecclesia ea vota solemnia non habuisse vim irritandi matrimonia post contracta. Quare leuissimo ductus argumento, &, quod in eo Doctore magis miror, non satis sibi consonus votis suæ Societatis denegauit, quod in eorum maximã auctoritatem cedit.

Quid dicendum de Votis Militarium Ordinum?

CAPVT VII.

SVMMARIVM.

Proponitur quæstio, num. 1.
Sententia negans, num. 2.
Votis Melitensium dirimi, num. 3.
Votis Calatrauæ, & Alcantaræ non dirimi, n. 4.
olim diremptum eorum ordinum votis, n. 5.
Votis S. Iacobi iuxta Bullam Alexandri III. emissis non dirimi, num. 6.
Ea esse vota simplicia, non solemnia, num. 7.
Idem de voto castitatis, num. 8.
Diluitur obiectio, num. 9. 10. 11. 12. 13.
Deciditur casus quidam in ea materia, n. 14. 15
Quid de votis obedientiæ, num. 16.
Infertur his votis non dirimi coniugium, n. 17.
Aliter dicendum de votis clericorum eius ordinis, num. 18.
Proponitur quæstio habita super professione sororum eius ordinis. Libellus oblatus Regi, informatio, & iudicium Doctorum Coimbricẽsiũ, Cæsaraugustanorũ, Toletanorũ, Cõplutensiũ Matritẽsiũ, Salmanticensiũ, Valentinorũ, & Regis Catholici decretum, n. 19. remissiuè.

1 SED QVAERET aliquis primò (nullam enim, quæ sese mihi offerat, difficultatem intactam placet relinquere) an idem iudicium ferendum sit de ordinibus militaribus, scilicet, ex diuino priuilegio irritari matrimonium ratum non consummatum.

2 Omnibus ordinibus militaribus etiam Sancti Ioannis negauit Sarmiẽto lib.de redditib. Eccleſiaſt.p.4. cap.1. num. 13. refertque pro eadem ſententia Sotum in 4. diſt. 27. quæſt. 1. art.4. Loquitur autem Soto de his Ordinum militarium religioſis, qui militant, non qui in clauſtro degunt, ſiue viri, ſiue fœminæ; horum enim votis cenſet etiã dirimi matrimonium ratum nondum conſummatum.

3 Ego tamen cum diſtinctione procedam, vt res iſta omnino plenè & exactè deci datur. Et in primis quod attinet ad Melitenſes non dubito eorum votis dirimi matrimonium ratum nondum conſummatum, ſiue de equitibus, ſiue de his qui clero deputantur, etiam ante ſacri ordinis ſuſceptionem ſermo ſit. Eſt eorum votum caſtitatis ſolemne, vt iam declarauit Congregatio Cardinaliũ, quamuis cum aliquibus diſpenſauerit Pontifex, vt nubant. Nec mirum cum in voto ſolemni diſpenſare poſſe Pontificem iam ſtatuerimus ſupra lib.7. cap.10. Sic de Melitẽſibus cenſuit Nauarrus conſil. 1. *de conuerſ. coning.* Azor tom.1.lib.13.cap.6.quæſt.4.

4 Præterea ſine dubio aſſerendum eſt, votis religioſorum militum Calatrauæ, & Alcantaræ, quibus tantum promittitur caſtitas coniugalis, non dirimi: nam antea contractũ matrimonium ſtare poteſt cum ea religionis profeſsione. Quare quicumque eos duos ordines profitentur ſiue viri, ſiue fœminæ ſint, ſi tantum votum caſtitatis coniugalis emittant, non poſſunt ſua profeſsione liberari à vinculo matrimonij rati non conſummati. Neque de hoc vlla poteſt eſſe diſſenſio, etiamſi verè, & propriè religioſi ſint, vt apud me certiſsimum eſt. Nam literæ Pontificiæ plenè docent antea coniugatos ad religiones eas admitti poſſe, poſtquam cum illis diſpenſatum eſt in voto caſtitatis.

5 Deinde exiſtimo votis religioſorum militum Ordinis Calatrauæ, & Alcantaræ, quando nubere non poterant ex ſui ordinis ſpeciali inſtituto, etiam tunc dirimi matrimonium ratum non conſummatum. Nam licet demus illa vota fuiſſe ſimplicia, eam verè & propriè religionis ſtatus votis ſimplicibus conſtituatur ex definitione Gregorij XIII. vt iam probaui ſupra lib.7. & ex conſequenti illi verè & ſubſtantialiter religioſi eſſent: plane relinquitur illi ſtatui religioſo cum caſtitate abſoluta etiam conceſſum priuilegio diuino, vt dirimat matrimonium ratum non conſummatum. Neque in eo aſſerendo vlla maior difficultas eſt, quam in eo quod de votis ſocietatis aſſeruimus. Quod idem maiori ratione de eorum ordinum fœminis & clericis dicendum, cum ab initio cũ caſtitate abſoluta inſtituti ſint, nec quoad illos vlla ex parte immutata ſit confirmatio Pontificum quoad votum caſtitatis.

6 Sed in eo quod attinet ad religioſos Ordinis Sancti Iacobi ſub quadam conditio ne reſpondeo (attendat qui legerit, ne iam calumnias meditetur.) Si qui eum ordinem profitentur, ſiue equites, ſiue fœminæ (nam de clericis dicam ſtatim) cum profitentur ex confirmatione Alexandri III. quæ in ſtabilimentis eiuſdem ordinis initio præmittitur, & non ex alijs literis Pontificijs quibus ea forma votorum, ſub qua eum ordinem confirmauerat Alexander III. immutata aliqua ex parte ſit: ſi inquam tantum ex ea confirmatione, & iuxta illam eum ordinem profitentur. Dico primùm illos quidem verè & propriè eſſe religioſos tam viros, quam fœminas, adeò vt qui votum de ſuſcipienda religione emiſerit, ſatis illud adimpleat, ſi eum ordinem ſiue vir ſiue fœmina ſuſcipiat, niſi forte aliud in mente habuerit, quando vouit, cum ad ſubſtantialiter ſtatum religioſem conſtituendum, nulla requiratur in votis ſolemnitas. Eoſque eſſe verè & ſubſtantialiter religioſos adeò certum exiſtimo, vt oppoſitum iudicem nimis licentioſè dictũ, ne dicam grauius, cum pleno ore literæ Pontificiæ illos appellent religioſos, & etiam cum caſtitate coniugali vera religio conſtare poſsit, eo quod ſicut in paupertate latitudo eſt, ita etiam in caſtitate, quæ eſt materia voti.

7 Aſſero vlterius eorum vota tantum ſimplicia eſſe non ſolemnia. De voto paupertatis id conſtat, quia iam conſtitutione Innocentij VIII. Pauli III. & Gregorij XIII. quod etiam à Paulo, & Gregorio Clericis etiam conceſſum equites teſtari poſſunt certis quibuſdam limitationibus, quæ præſcribuntur in ſtabilimentis ordinis titulo 5. cap.4. & 5. Dominiumque ſuorum bonorum à principio retinuerunt, cum filijs ſua patrimonia, & legitimæ portiones intactæ remanerent, vt conſtat ex equitum regula cap.13. in fine, vbi militum filijs, ſi religionem patris ſectari nolunt, quæ eorũ ſunt concedi liberè præcipitur, additurque: *Porque eſtablecido es, que ningun Freyle desherede à ſu hijo.* Quam regulam dictatam à Cardinali Alberto multi poſtea Pontifices ſuis literis inſerentes approbarunt, præcipue Iulius II. Quare ea facultas, quæ poſtea per Innocentium

tium concessa est, tantum meo iudicio indulsit, vt quòd aliàs validè facere poterant, cum non essent incapaces dominij, fiebat tamè illicitè ratione voti, facere iam sine peccato possent, vt de testamentis religiosorum in vniuersum priscis sæculis demonstraui p. 1. variar. disput. quæst. 3. scholastica cap. 8. & dixi supra lib. 7. cap. 13. Itaque paupertatis votum in eo ordine, etiam à sua prima cõfirmatione non est solemne, cum eius voto solemnitatem in inhabilitate ad dominia cõstituerimus, vt diximus supra lib. 7. cap. 9. Quod idem de fœminis dicendum esset, scilicet illas validè testari posse, quamuis illicite, cum circa illarum testamenta nulla emanauerit Pontificum dispensatio: nisi antiquissima consuetudine inteſtabiles essent. Posse enim consuetudine inhabilem fieri ad actum aliquem, sicut & lege humana, constat ex dictis supra lib. 6. cap. 3.

8 Similiter castitatis votum ex vi illius primæ confirmationis non est solemne, est enim votum castitatis coniugalis; neque ex literis Alexandri III. aliud colligi potest, siue loquamur de equitibus siue de fœminis (nam de clero deputatis etiam ante sacrorũ ordinum susceptionem alia ratio est, quam infra dicam) & ex vi tantum illius confirmationis Alexandri, imo neque ex literis Lucij III. Vrbani III. Innocentij III. Honorij III. Innocentij IIII. Iulij II. qui præditas literas Alexandri III. confirmarunt, nullo penitus immutato, vt constat ex his, quæ refert Didacus Mota eiusdem ordinis Canonicus Regularis lib. 1. de confirmatione ordinis Sancti Iacobi per totum.

9 Neque his obstant illa verba ex literis Alexandri III. ibi: *Ad suscipiendã quoque prolem, quæ in timore Domini nutriatur; & infirmitatis humanæ remedium, iuxta institutionem Domini, & indulgentiam Apostoli, qui ait, bonum est homini mulierem non tangere, propter fornicationem autem vnusquisque vxorem suam habeat, & similiter mulier virum suum, qui continere nequiuerit, coniugium sortiatur, vt seruet immaculatam fidem vxori, ne tori coniugalis continentia violetur, &c.* Ex quibus verbis ibi, *si se continere nequiuerit*, posset aliquis suspicari castitatem coniugalem, quæ in eo ordine promitti tur tantum illis concedi, qui se continere nequeunt; quasi videatur etiam Põtifex annuere, vt in ordine Sancti Iacobi castitas absoluta & perpetua voueatur ab his, qui se volunt & possunt continere, quales sunt fœminæ, & clero deputati, qui semper obseruarunt. Similia habent Innocentius III. & alij Pontifices, qui eum ordinem confirmarunt: dicunt enim in suis literis: *Habeantur in ipso ordine, qui cœlibem, si voluerint, vitam ducant: sint etiam, qui iuxta constitutionem diuinam cõiugibus vtantur.*

10 Hæc, inquã, non obstant, facile enim dicimus illis verbis, *qui se continere nequiuerit*, non regulam, aut viuendi formam institui, sed confirmari eam, quæ à primis eius militiæ Magistris ordinata & constituta erat, quam vt iustam & rectam esse ostendat, testimonio vtitur Apostoli, ibi, *qui continere nequiuerit*, ex quo colligit Deo acceptam, & gratam esse castitatem coniugalem, atque ideo esse posse materiam voti, & sub regulam â Sede Apostolica approbatam cadere. Itaque ea verba non ideo inseruntur, vt inde occasionem aliquis accipiat promittendi in eo ordine absolutam, perpetuamque castitatem, quasi id votum regula ipsa probatum sit, neque id commodè vlla ratione inferri potest. Quod nonnulli ex eo probant quia inde id absurdum sequeretur, vt in eodem monasterio & ordine illæ sorores vel viri, qui nollent, aut non possent se continere, castitatem coniugalem vouerent tantum, alijs qui continentiam amplexarentur castitatem absolutam vouentibus. Quod tamen manifestè reprobat Concilium Hispalense; & habetur *cap. in noua actione 16. quæst. 2.* ibi. *In vno enim, eodemque officio non debet dispar esse professio.* Et ibi: *Constituentes, vt hi qui in administrationibus Ecclesiæ Pontificibus sociantur discrepare non debeant neque professione, nec habitu. Et Clementina 1. de electione ex Cõcilio Vienensi sub Clemente V.* ibi: *Cum rationi non congruat, vt homines qui disparis professionis vel habitus sint in eisdem monasterijs socientur.*

11 Neque illa verba aliorum Pontificũ quidquam obstant: ijdem enim in suis literis addunt: *Sit tamen omnibus præcipua cura, & cautela, vt qui coniugium sortiti fuerint, continentiam custodiant coniugalem: & qui sine coniugio manere decreuerint, inuiolatam teneant castitatem.* Quod idem in regula, & in stabilimentis eisdem verbis omnibus equitibus iniungitur, quos tamen certum est non teneri, etiã si non nubant, ad vouendam castitatem absolutam. Quare, cũ de omnibus vniuersim militibus ea verba dicantur: nullusque illorũ, etiamsi non nubat, teneatur ad seruandam castitatem absolutam, non possunt aliter, quã diximus, intelligi.

12 Neque obstat etiam, quod in eisdem literis Alexandri III. cum prohibeatur huius ordinis religiosis, etiam laicis, transitus

ad

ad aliam religionem absque Magistri licentia dicitur: *cum sint in ordine vestro loca statuta, vbi quisque districtius valeat conuersari,* quibus existimabit aliquis indicari esse in eo ordine ex confirmatione Pontificis monasteria, in quibus absoluta castitas promittatur. His enim verbis in eo iudicio neque leuiter indicatur id. Sed cum viri huius ordinis milites degant in domibus proprijs, sint etiam clericorum monasteria, in quibus possent, & solerent, si vellent, arctiorem vitam sequi, non quidem quia strictioribus votis ibi tenerentur, sed quia in commune degerent, foràsque egredi sine licentia non possent, horis diurnis & matutinis assisterent, seque in alijs humilitatis ac pœnitētiæ operibus exercerent, quibus in proprijs domibus non est locus, vt ex regula constat. Atque in hunc sensum accipiendū est, quod in alijs literis habet idē Alexāder III. cū inquit. *Nos igitur ipsius (scilicet Petri) & aliorum fratrum precibus inclinati statuimus, vt locum aliquem arctiorem haberent, in quo fratres qui sine vxoribus vellent esse, & castè viuere sub arctiore regula possent Deo deseruire, quod & ipsi sicut audiuimus, facere curauerunt.* Cum enim istæ literæ de religiosis equitibus loquantur, non possunt intelligi de voto absoluto continentiæ, cum nullus equitum, etiamsi castè viuat, illius obligatione teneatur; sed quia in monasterijs clericorum communem vitam sequi possent, si peterent à Magistro licentiam ibi commorandi.

13 Quare, nisi aliæ emanarunt literæ Pōtificiæ, quæ me latent, quibus innouetur ea confirmatio Alexandri III. in voto castitatis, quantumuis aliqui eius ordinis, siue sua sponte, vel ordinatione eius, qui facultatem non habeat, castitatem absolutam voueant, voto tantum tenentur simplici, nec nisi ad coniugalem castitatem admittere prælatus potest, cum non alia sit forma vouendi à Pōtifice præscripta: caret enim in eo casu prælatus facultate aliter acceptandi, quæ emittuntur vota. Nisi forsan contraria consuetudine vota de simplicibus facta essent solemnia: nam posse solemnitatem induci consuetudine non dubito. Ea autem consuetudo præsumi non potest, cum animus ac verba profitentium indicant se profiteri iuxta antiquam ordinis confirmationem.

14 Ex quo inferes, quid dicendum sit ad eum casum, qui ex me quæsitus aliquando. Quidam Ordinis Sancti Iacobi miles, cum professionem emisit, castitatem absolutam vouit: nubit postea, filios suscepit, decedit, quæstio mota est à consanguineis eius rei conscijs contra filios, an essent legitimi, & exhæredandi, eo quod illegitimi viderentur propter votum castitatis absolute emissum à Patre. Respondi validum matrimonium fuisse, quia vel votum id nullius roboris fuit: sed tantum admitti potuit à prælato, vt votum castitatis coniugalis, cum non sub alia forma approbata sit ea religio à Pontifice quoad laicos: vel tātum fuit votum simplex castitatis, atque adeo impediens tantum non dirimens matrimonium. Idem etiam dicendum esset, si modo Magister ordinis de consensu Capituli mutaret votum castitatis cōiugalis suorum equitum in absolutum, si id non fieret approbante, aut confirmante Pontifice; neque enim ad eam commutationem Magister potestatem habet.

15 Eadem etiam consultatio proposita fuit Magistris & Doctoribus Salmanticensibus Anno Domini 1615. mense Aprili in hæc verba. *Pedro siendo Cauallero de la Orden de Santiago, al tiempo que professo spontaneamēte, y por su deuocion, y tambien con acuerdo y consentimiento, y decreto de su Maestre y Capitulo y Freyles que le admitieron a la profesion hizo expressamente voto de castidad absoluta, y no conjugal. De alli à algunos años acabandosele la deuocion se caso en el lugar donde viuia con vna señora de muy grande calidad, y sin licencia de su Maestre: deste matrimonio tuuo hijos. Despues de la muerte del dicho Cauallero vnos sobrinos suyos pretenden, que ellos han de suceder en el mayorazgo del dicho cauallero, que es muy grande y de mucha calidad, atento à que el dicho Cauallero, no se pudo casar, ni aquel matrimonio valio, ni los hijos del son legitimos por auer sido matrimonio hecho contra el voto solemne de castidad. Los hijos del dicho Cauallero defienden su legitimidad diziendo, que aquel matrimonio fue valido, porque aquel voto de castidad que su padre hizo en la profesion, no fue mas que vn voto simple, como le pudiera hazer en su casa. Y el dicho Maestre Capitulo, y Freyles no pudieron por su acuerdo, consentimiento, ni parecer hazerle solemne, ni admitirle como voto de castidad absoluta. Y que aun antes parece que su padre no hizo profesion ninguna, ni aquellos votos tuuieron fuerça, pues la dicha profesion, para que tuuiera fuerça auia de ser debaxo de Regla aprobada por la Sede Apostolica, y aquella profesion en la forma que se hizo no tiene aprobacion, y assi parece que quedarō aquellos votos en vazio, y sin fuerça ninguna. Preguntase si el dicho matrimonio valio: y si aquellos hijos son legitimos?* Cui consultationi ita responsum est. *Parece me valido el matrimonio,*

monio, y los hijos legitimos, porque este voto de castidad omnimoda no pudo ser solemne, y la razon es, porque el Maestre y Capitulo no tuuieron authoridad para admitir este voto como solemne, sino debaxo de la forma de castidad conjugal, y lo que excedio de esta quedo quando mucho en fuerça de voto simple. Huic responsioni subscripsere Magister Fr. Augustinus Antolinez ex Augustiniana familia Primarius Theologiæ anteceſſor. Magister Ioannes Marquez Vespertinus anteceſſor. Magister Fr. Franciscus Cornejo Cathedræ Philosophiæ Moralis. Magister Fr. Franciscus Dominguez nunc Cathedræ Scoti. Ex Dominicanis Magister Fr. Petrus de Ledesma Vespertinæ tunc Cathedræ Theologiæ. Ex Ordine D. Benedicti. Magister Fr. Antonius Perez. Magister Fr. Didacus de Salazar. Ex Ordine D. Bernardi Magister Fr. Luisius Bernaldo Sacrarum literarū interpres Primarius. Magister Fr. Angelus Manrique. Ex Ordine Sācti Franciſci. Fr. Ioseph Vazquez tunc Prælatus monasterij Salmanticensis. Ex Societate Iesu P. P. Valentinus de Erice, Benedictus de Robles, Barnabas Matute, Ludouicus de Roa, Christophorus de Castro. Ex Ordine Carmelitarum. Magister Fr. Bartholomæus Sanchez Theologicæ facultatis Decanus, & Dialecticæ Cathedræ Primarius moderator. Magister Fr. Petrus Cornejo Cathedræ Durandi. Quibus etiam accesſit Magister Andreas de Leon Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Salmantinæ. Ex Iuris autem interpretibus D. D. Dominus Franciscus Pacheco de Guzman, ex Collegio insigni Archiepiscopi Toletani Primarius tūc Iuris Pontificij. Marcus Diez Primarius Iuris Cæsarei. Dominus Alphonsus Guillen de la Carrera tunc Iuris Cæsarei Vespertinus, nunc Iuris Pontificij Primarius anteceſſor; & Petrus Ruiz Barrios Vespertinus etiā Iuris Pontificij, quorum omnium subscriptiones apud me habeo.

16 Votum denique obedientiæ non est solemne. Nam in Magistro residet facultas liberos dimittendi ab obligatione votorum, cum placuerit, sicut & nunc id efficiunt Prælati Societatis. Idque colligo ex illis verbis Alexandri III. in Bulla confirmationis: *Statuimus quoque, vt nullus fratrum, siue sororū post susceptionem ordinis vestri, & promissam obedientiam redire ad sæculum audeat sine Magistri licentia.* Et quamuis aliquis suspicari posset per Gregorium IX. qui Alexandrum III. subsecutus est, sublatam vniuersè Prælatis omnibus religionum facultatem liberos dimittendi subditos, vt dixi 1. p. variar. disput. quæst. 3. Scholastica cap. vltimo. Attamen quod attinet ad Magistrum Ordinis Sancti Iacobi eam facultatem sublatam non esse constat, quia eadem Bulla Alexandri III. nullo penitus immutato cōfirmata est à multis Pontificibus, quorum plures Gregorium IX. secuti sunt. Igitur, cum milites plerumque in suis domibus degerent, vt constat ex antiqua regula, illo verbo *redeundi ad sæculum*, nequit intelligi vita priuata, & in priuata domo, sed dimisso habitu liberum esse votorum obligatione, siue redire ad sæcularem vitam. Vnde consequenter ad eam facultatem Magistro concessam statutum est titulo 5. cap. 15. *Ordenamos que siempre, que à nuestro Capitulo pareciere algun Caualliero, que no fuere expressamente professo, no es conueniente para la Orden, le pueda quitar el Habito sin dar causa, porque se le quitan y echarle de ella, aunque aya mas de vn año que le recibio.* Nam quamuis isti religiosi milites non teneantur Decreto Tridentini de anno probationis, obligantur tamē quoad hoc antiquo iure, quo valida erat tacita professio, & verè religiosum efficiebat non secus ac expressa. Ea autem non obstante liberum dimittit Magister, etiam hodie tacite professum, cum expedire iudicat. Non ergo est huius ordinis Magistro sublata facultas liberum dimittendi ab obligatione votorum, & Pontifici reseruata, atque adeo simplex omnino est votum obedientiæ, iuxta ea, quæ dixi suprà lib. 7. cum de voti impedimento sermo fuit.

17 E quibus omnibus constat votis equitum Ordinis Sancti Iacobi non dirimi matrimonium ratum nondum consummatum, vt de alijs militibus supra dicebamus. Et idem dicendum de votis sororum, si illæ profitean tur iuxta confirmationem Alexandri III.

18 Solùm addiderim aliter iudicandum esse de clericis ordinis Sancti Iacobi. Cum enim hi clerici ante institutionem Ordinis Sancti Iacobi Canonici Regulares essent Sācti Augustini, in Monasterio de Loyo, assumpti sunt à militibus, vt ipsis sacramenta ministrarent, & spirituali doctrina erudirent, vt patet ex regula, & ex confirmatione. Quare quamuis Alexander III. etiam eos Canonicos sub Magistri regimine viuere deinceps voluerit (merè enim laicum posse esse Prælatum religionis dixi supra lib. 7.) tamen antiqua eorum vota & professionem non mutauit: Prælatus itaque mutatus est, non viuendi, neque vouendi forma. Cumque illi antea, sicut Canonici Regulares, castitatem abso-

absolutam vouerent,& generali lege Innocentij II. *cap. vt lex 27. quæst.* 1. inhabiles effecti sint Canonici Regulares expressè, vnà cum Monachis, & in Sacris ordinibus constitutis,planè videtur sequi eorum votis & nunc & abinitio, matrimonium antea contractum dirimi,& à tempore Innocentij II. contrahendum etiam,& impediri & dirimi: efficiturque præterea castitatis votũ in illis, etiam ante Sacrorum ordinum susceptionem,esse solemne à tempore Innocentij II. licet antea simplex fuerit, sicut & de omnium aliorum religiosorum voto castitatis simplex fuisse vsque ad Innocentium II. ostẽ di supra lib. 7. suo loco. Licet in paupertatis voto de solemnitate aliquid imminutum sit,cum testabiles sint de licentia Prælati,& non aliàs vt dixi supra. Nec vero ad clericos extendenda facultas Magistri liberos dimittendi ab obligatione votorum, neque id colligi potest ex confirmatione Alexandri III. Non est autem mirum in vna eademque professione quædam vota emitti solemnia,quædam minus solemnia,aut etiam simplicia. Cum enim solemnitas ex Pontificis auctoritate pendeat, magnam in eo varietatem pro suo libito potest constituere vt dixi supra.

19 Sed vt maior lux his quæ dicta sunt inferatur,placuit subiungere & libellum Regi Catholico oblatum, & etiam informationem,occasione cuiusdam noui decreti supremi Senatus Ordinum, quod erga sorores Sancti Iacobi Salmanticenses emanauit, & quid â Rege Catholico decretum sit re maturè discussa & considerata, quæquidem erunt & Lectori, & doctis hominibus non iniucunda: sed muto consilium & reseruo ea omnia in Appendicem huius operis.

Quid dicendum de votis Mantellatarum,hoc est, Beatas & conuersorum ac Donatorum.

CAPVT. VIII.

SVMMARIVM.

Prima opinio, num. 1.
Quid de Tertiarijs Ordinis, SS. Francisci & Dominici, num. 2.
De Augustinianis quorundam sententia, num. 3.
Quod initium Mantellatarum in Ordine S. Augustini, num. 4.
Distinguuntur diuersi gradus eiusdem Ordinis, num. 5.
Mantellatas eiusdem Ordinis esse substantialiter Religiosas, num. 6.
Conferuntur eiusdem Ordinis Constitutiones cum literis Pontificijs, num. 7.
Quid de mantellatis viris? distinguuntur à Donatis oblatis siue commissis, num. 8.

1 SEcundò quæret aliquis, an etiam votis mantellatorum tam virorum, quàm fœminarum, quas Hispanè *Beatas* dicimus,dirimatur matrimonium ratum nondum consummatum. Nam Soto loco citato & non pauci alij viri docti existimarunt nequaquam earum votis dirimi matrimonium ratum nondum consummatum.

2 Sed in primis quod attinet ad mantellatas,siue Tertiarias Ordinis Sancti Francisci,& Sancti Dominici, quæ Collegialiter viuunt,& emittunt tria vota substantialia,dubitari amplius non potest. Earum enim professio solemnis est,vt respondit Paulus III. consultus de eo à Fratribus Dominicanis,& constat ex literis Sixti IIII. quas refert Emanuel Rodriguez tom.3. Quæstion. Regular. quæst. 72. art. 1. & 2.

3 Quod autem attinet ad nostras mantellatas,quas *Beatas* vocamus, licet Emanuel Rodriguez,& multi alij viri Docti senserint earum votis matrimonium non consummatum non dirimi,ego tamen aliter sentio. Atque vt res ista radicitus intelligatur, nõnulla dicamus ex Bullis Põtificijs desumpta, hinc ducto principio.

4 In ordine Eremitarum Sancti Augustini mantellati & mantellatæ non erant vsq; ad Bonifacium VIII. qui 7. idus Nouembris & Pontificatus anno 11. concesit, vt quascumque mulieres,si aliàs essent idoneæ, neque aliud obstaret Canonicum impedimentum,quæ habitum regularem prædicti ordinis ad instar mantellatarum, siue pinzocherarum Ordinum Fratrum Minorum ac Prædicatorum habere voluerint, & gestare,tàm virgines & matronas, quàm viduas in mantellatas seu pinzocheras dicti Ordinis Eremitarum recipere,& admittere, ac earũ singulis habitũ regularẽ, & regulã eiusdẽ Ordinis Fratrũ Eremitarum, ad instar huiusmodi mãtellatarũ,siue pinzocherarũ Ordinũ Fratrum Minorum,ac Prædicatorum, prout secundum Deum saluti animarum earundem visum fuerit salubrius expedire, valeat

Præla-

Prælatus : illisque sic receptis idem Pontifex concedit exemptionis priuilegium, immunitates, libertates, indulgentias, & alia priuilegia Ordini Eremitarum concessa, & in posterum concedenda, eodemmodo, quo Eremitis competunt, aut cõpetere possunt. Idem confirmauit postea Sixtus IIII. insertis Bonifacij literis, vbi etiam affirmat idem institutum confirmatum fuisse à Martino, & Eugenio suis prædecessoribus, prout inter nostri ordinis priuilegia, & literas continetur. Postea vero multis annis elapsis Anno Domini 1470. Paulus II. pridie Kalendas Septembris, Pontificatus sui anno 6. id quod de mantellatis fœminis concessum tantum fuerat, indulsit etiam, vt ad viros extenderetur, & eisdem omnino potirentur, quibus mantellatæ. Atque hæc in nostro Eremitarum ordine origo mantellatorum, & mantellatarum fuit.

5 Deinde obseruandum diuersos gradus in ordine nostro reperiri, vt ex literis Põtificijs constare potest. Sunt fratres tam clerici, quam laici, moniales, mantellatæ, & corrigiati, & denique oblati, siue donati, siue cõmissi. De oblatis dicam postea. Mantellati autem â corrigiatis valde distinguuntur, in quo non rectè, nec inspectis literis Pontificijs nonnulli locuti sunt. Nam mantellati omnibus priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, indulgentijs, non secus ac Eremitarum fratres gaudent: at vero corrigiati tantum indulgentijs. Extant de eo inter nostras literas Pontificias, quædam Iulij II. Anno 1512. & Pontificatus 9. in quibus declarat fratres, moniales, & mantellatas omnibus priuilegijs & indultis in Mari Magno cõcessis; at sola zona præcinctos, quos quarti gradus appellat, tantum gratijs & indulgentijs. Isti mantellati, conuersi etiam dicti, vt ostendam statim. Atque hi sunt, de quibus facta supplicatio est apud Sixtum IIII. per Congregationem Lombardiæ, vt liceret illis, quando sacristæ munus obeunt, sacra vasa contingere. Præter hos omnes sunt etiam alij, qui dicuntur oblati, siue Donati, siue Cõmissi, qui seipsos religionis ministerio offerunt, de quibus mentio in nonnullis literis Pontificijs, quæ in eorum fauorẽ datæ à Celestino V. Anno 1294. & ab Innocentio VI. Anno 1352.

6 Præterea dico nostri ordinis mantellatos & mantellatas, si non collegialiter viuant, sed in domibus proprijs commorentur, sub arbitrio tamen & gubernatione Prælati (est enim duplex inter nos earum genus, quædam quæ in commune degunt, aliæ quæ in domibus proprijs) omnes ergò illas dico esse propriè & substantialiter religiosas, & tàm virorum, quàm fœminarum professionem non minus solemnem esse, quàm fratrũ atque monialium nostri ordinis. Hanc sententiam apertè ni fallor demonstrabo. Primò ex constitutione Bonifacij VIII. cuius supra meminimus, eas enim institui vult iuxta mantellatas Ordinis minorum, ac Prædicatorum, ideſt quæ ab illis Tertiariæ vel de pœnitentia nuncupantur. Illas autem solemnẽ professionem emittere iam supra ex literis Pontificijs ostendimus. Igitur & nostrarum professio solemnis est. Cui adde nostrum ordinem in concessis & concedendis communicare cum omnibus alijs ordinibus mendicantibus, quare quod de illis, de nostris etiã dictum esse censendum est. Adde etiam in prædictis literis Bonifacium constituere, vt illis concedatur habitus regularis, & regula nostri ordinis, quæ satis indicant illas sub nostra regula militare, eademque vota emittere. Secundò idem ostendo ex literis Iulij II. quarum supra meminimus, in quibus mantellatis communes esse vult exemptiones, immunitates, priuilegia, indulgentias: corrigiatis autem tantum indulgentias: quod signum est mantellatos tam viros, quam fœminas, non secus ac alios duos nostri ordinis gradus, fratres scilicet, & moniales religiosos esse. Præterea quia cum Leo X. in Concilio Lateranensi statuisset, quod mantellatæ & Pinzocheræ quorumlibet ordinum in proprijs domibus habitantes eligere valerent sepulturam, vbi voluissent: & quod die Paschatis tantum Eucharistiam, necnon extremam vnctionem, cæteraque Ecclesiastica Sacramenta pœnitentiæ Sacramento duntaxat excepto, à proprio Sacerdote recipere: & ad onera, quæ laicis incumbunt, perferenda teneri, & coram iudicibus sæcularibus cõueniri posse, quæ omnia indicant illas non esse religiosas: postea, quia occasione illius decreti aliquæ dubitationes ortæ fuerant, idem Leo X. prædictum statutum Motuproprio & ex certa scientia & potestatis plenitudine decreuit & declarauit minimè intelligendum de facientibus votum castitatis, ita vt mulieres virginalem vitam vel cœlibẽ solemniter vouentes, etiam in consanguineorum, vel affinium suorum, vel in domibus proprijs, aut seorsim habitantes, omnibus priuilegijs, immunitatibus, fauoribus, gratijs, indultis spiritualibus & temporalibus Ordini & Fratribus Eremitis Sancti Augustini

guſtini cõceſsis & concedendis, &c. quæ refert Emanuel Rodriguez tom.3.Queſtion. Regular. quæſt.7. art.2. Ex quibus manifeſtè conſtat, cum noſtræ mantellatæ, etiamſi in domibus proprijs commorentur, profeſsionem emittant, earum profeſsionem eſſe ſolemnem.

7 Denique noſtri Ordinis conſtitutiones exactè literis Pontificum conſonant, & de his mantellatis tam viris quam fœminis, & donatis, ſiue commiſsis, quoad profeſsionem, & habitum iſta decernunt. De habitu 2. p. conſtit. cap.5. *Conuerſi ordinis noſtri vti poſſunt tunica alba, vel nigra, & birreto albo, vel nigro intra monaſterium: quando extra conuentum ire contigerit deferant tunicam nigram cum manicis ad modum cappæ ordinis, corrigiam ex corio amplam, & mantellum nigrum ante pectus ligatum. In capite deferant galerum, ſiue pileum nigrum & honeſtum. Donati, qui alio nomine dicuntur oblati, ſiue commiſsi, qui quidem ordini perpetuo ſe donant, offerunt, ſeu committunt, non tamen ſicut fratres profeſsionem faciũt, veſtibus honeſtis in forma, materia, & colore ad libitum induantur.* Nota illa *ſicut fratres profeſsionem non faciunt*, de donatis & oblatis ad ea quæ dicemus poſtea. De profeſsione autem iſta habentur eadem 2.p. cap.4. cum modus profeſsionis faciendæ à Fratribus Clero deputatis præſcriptus eſſet, ſubiungitur: *Profeſsio laicorum & conuerſorum fiat in Capitulo ſine cantu, veſtes eorum benedicantur illa ſolum oratione. Domine Ieſu Chriſte, &c. & poſtea veſtiantur, vota emittant, ſicut clerici, dicatur Te Deum, cum verſiculo, & orationibus, & accipiantur ad oſculum pacis, atque pro profeſsis exinde habeantur: profratre laico benedicatur cappa cum corrigia: pro conuerſo corrigia, & mãtellum. Commiſsi vero profeſsionem facere nec tenentur, nec debent.* Et p.4. conſtit.cap.1. *De profeſsione mantellatarũ vtriuſque ſexus perſonarum confici publica inſtrumenta per manũ Notarij volumus. Ipſarum etiã mantellatarũ vtriuſque ſexus perſonarum ſpecialem curam, niſi Reuerendiſsimus Pater Generalis aliter diſponendum duxerit, Priori loci propinquioris committimus cum poteſtate ſufficiendi eis vnum de confeſſoribus ſuæ familiæ pro tempore deputatis cum auctoritate, quam iuxta Apoſtolica indulta, & noſtri Sacri Ordinis inſtituta habere noſcitur ſuper fratres ſuos. Corrigiatis vero noſtri Ordinis perſonis nullus frater alia Sacramenta Eccleſiæ, ſine ſacerdotis earum parrochialis licentia miniſtrare præſumat, præter ea, quæ quibuſcumque ſæcularibus à noſtris fratribus miniſtrari conſueuerũt, eo quod Sanctiſsimus Dominus Leo Papa X. indulgentijs duntaxat & non alio exemptionis priuilegio huiuſmodi corrigiatas perſonas gaudere per ſuas Apoſtolicas literas declarauit.* Hactenus noſtræ Conſtitutiones.

8 Ex quibus planè colliges primùm Mãtellatos, ſiue Conuerſos ſolemnem profeſsionẽ emittere, cum eadem ſit ratio de profeſsione illorum, atque laicorum, & vtrique vota emittant ſicut clerici, & mantellatas ſine proprio viuere, & ligatas votis etiamſi in domibus proprijs degant. Deinde colliges Oblatos Donatos, ſiue Commiſſos non eſſe religioſos, nullaque vota emittere tenere, nec poſſe. Licet hic aduertendum eſt, nos vulgari nomine Donatos vocare eos, qui reuera & iuxta conſtitutiones noſtras Donati non ſunt, ſed Mantellati, & Conuerſi, idque patet, quia hi quos vulgariter Donatos appellamus, profeſsionem emittunt iuxta formam à conſtitutione præſcriptam, & inter alias fratrum profeſsiones aſſeruãtur, & Notarij teſtimonio quandoque vt reliquæ muniuntur. Itaque nomine tenus Donati ſunt, reipſa Conuerſi, & Mantellati. Vnde & cõſequenter de eo conſultus ſæpe reſpondi, aſſeruique de eo iuxta literas Pontificias & conſtitutiones noſtras dubitari non poſſe eos, quos nunc inter nos vulgari nomine Donatos vocamus, reipſa eſſe Conuerſos, & proprie & ſubſtantialiter religioſos, eorum ſolemnem profeſsionem eſſe, & matrimoniũ antea contractum dirimi & impediri ſimul ac dirimi contrahendũ. Quod ſecus de Oblatis, atque Donatis, qui reuera tales ſunt, dicendum eſt, cum eorum nulla prorſus vota ſint.

Quid ſeruandum ſit, cum ante conſummationem tranſit alter coniux ad religionem?

CAPVT. IX.

SVMMARIVM.

Quid agendum, num.1.

Spatium duorum menſium aſsignari non ad profeſsionem, ſed ad ingreſſum, num.2.

Teneri alterum coniugem expectare profeſsionem, etiamſi iuxta religionis conſtitutiones, vel defectum ætatis differatur vltra annum, num.3.

Computandum bimeſtre à die coniugij, numero 4.

Compu-

Computandum bimestre à die coniugij, num. 4.
Computandum iuxta mensium occurrentium occasionẽ num. 5.
Et à momento in momentum, num. 6.
Bimestri vti potest coniux, etiam si non habeat animum ingrediendi religionem num. 7.
An possit per iudicem coarctari, num. 8.
An possit prorogari, num. 9.
Potest iudex determinare tempus ne coniux varias religiones ingrediens alium eludat, n. 10.

1 CAPVT istud versabitur in explicatione textus in *capite ex publico de conuers. cõiug.* vbi hæc habentur. *Mandamus quatenus, si prædictus vir eam carnaliter non cognouerit, & eadem ad religionem transire voluerit, recepta ab ea sufficienti cautione, quod vel ad religionem transire, vel ad virum suum redire intra duorum mensium spatium debeat, ipsam absolvas. Hæc ibi.*

2 Circa quod decretum obseruandum est primô istud duorum mensium spatium assignari à iure non vt intra illud profiteatur, sed vt religionem ingrediatur, vt docet communis sententia, quam cum alijs docet Thomas Sanchez lib. 2. de Matrimonio disput. 24. numero 4. Cuius ea ratio manifesta est. Quia annus probationis datus est in fauorem nouicij, & monasterij. Non videtur autem hoc ius commune correctum in dicto capite. Absque textu autem expresso non licet à iure antiquo recedere, aut correctionem admittere, & ne detur iuris correctio improprianda sunt verba. Quare annus iste neque à iudice breuiari potest, nisi tantum à Pontifice, & magna ex causa, cum inferior non possit in lege superioris præscribentis annum probationis dispensare. Idque hodie multò magis dicendum est, cum Tridentinum sess. 25. de Regular. cap. 25. definiat annum expletum probationi, ita vt aliàs professio facta sit nulla, & ea sit generalis constitutio absque restrictione, aut limitatione vlla. Quare planum est Concilium Tridentinum reuocare voluisse, quidquid antiquo iure de breuiori tempore probationis constitutum erat. Sed accedunt etiam duæ declarationes Cardinalium, quæ extant apud Farinacium ad sess. 25. capit. citat. de Regular. Quarum prima sic habet. *Professio non valida ante expletum probationis annum. Sed quia Canones permittunt, vt quis post ratum matrimonium religionem ingredi possit, quid fiat, si vnam religionem ingressus de vna transeat ad aliam, aut plures, & ita tempus professionis differatur, an talis compelli possit ad tempus hoc breuiandum: maximè cum iste transitus ex vna religione ad aliam fieri videatur in fraudem eius, qui in sæculo remansit? Congregatio anno 1588. respondit, non posse compelli.* Alia sic habet. *Mulier si 12. annis maior intra duos menses ingrediatur monasterium, & habitum susceperit, & deinde expleto 16. anno, & lapso anno probationis professionem emittat, iuxta hoc decretum, interea vir expectet donec annus probationis habeatur, & professio sit emissa.* Hæc ibi. Ex quibus colligitur tempus probationis abbreuiari non posse, sed hos duos menses dari ad ingressum: Post ingressum autem annus integer probationis præterire debet ante professionem. Vnde etiam videtur per Tridentinum correctum esse quod habetur in *cap. Ad Apostolicam de Regular.* Atque in hac etiam sententia est Thomas Sanchez lib. 2. disput. 24. numero 7.

3 Hinc fit, si fœmina, cum annos pubertatis attingit, ingrediatur monasterium, virum teneri expectare vsque ad 16. annum fœminę, donec profiteatur, cum ex decreto Tridentini antea profiteri non possit, & vidimus declaratum à Cardinalibus. Sed quid si coniux ingrediatur religionem sancti Francisci de Paula, in qua professio non fit ante annum 18. ex eius regulæ statuto, nunquid compelli poterit, vt profiteatur 16. anno completo iuxta Tridentini decretum? Dicendum est compelli non posse, attamen si profiteatur 16. anno completo professionem tenere. Sic enim habet declaratio Cardinalium apud Farinacium loco citato. *Sed quid, si ex instituto alicuius regulæ non fiat professio ante 18. annum completum vt sunt de sancto Francisco de Paula, an sit eorum professio nulla, si eam emiserint post tempus Concilij, sed ante tempus in eorum regula statutum? Et quia ex verbis regulæ non annullatur talis actus professionis, sed tantum imponitur pœna eum recipienti, & quia eget confirmatione superioris, Congregatio censuit professionem tenere argumento capitis Ad Apostolicam de Regular.* & iuxta hæc videndum quid etiam dici debeat de *professione monialium primitiuæ regulæ sanctæ Claræ, quæ non emittunt professionem ante 18. annum. Videnda sunt verba regulæ, an annullent secus factam. Si enim annullant non valebit aliter facta professio, quia concilium tantum intendit excludere professionem ante 16. annum factam.*

4 Secundô obseruandũ est circa prædictũ decretũ hoc tempus bimestre computari à die cõtracti cõiugij, nõ à die benedictionis

solemnis, maxime cum sæpe videamus per annum eas benedictiones differri, neque sit tempus necessario præfixum. Esset autem nimis durum, si toto eo tempore expectare teneretur coniux, & postea annũ probationis. Sic video supponere Doctores omnes, licet non omnes satis consequenter suis principijs. Qui enim dicunt esse peccatum consummare matrimonium ante benedictionẽ nescio quo modo possunt bimestre spatium computare a die contracti coniugij. Pone aliquem non accepisse benedictiones solemnes etiam per tres menses, toto eo tempore non habet ius exigendi, neque consummandi, cum non possint ex eorum sententia sine peccato consummare. Nos autem dicimus nullum, neq; peccatum veniale esse in consummando ante benedictionem, vt dicemus lib. sequenti: & ideo recte asserimus bimestre a die coniugij computandum, & eo transacto iam cogendum esse coniugem, vt debitum reddat.

5 Tertio obseruandum est hoc bimestre computandum, sicut computantur menses occurrentes iuxta temporis occasionem. Sic enim existimo decretum intelligẽdum, quoties alicui pœnam mensium imponit, vt scilicet illi menses intelligantur iuxta computationem occurrentem. Vnde forte fiet, vt alicui plures dies, alteri pauciores contingant, vt si in mense Ianuario imponatur pœna paucioribus diebus illã sustinebit, propter Februarium ingruentem: si autem initio Iulij pluribus, propter eos duos menses longiores. Atque hunc etiam existimo esse communem hominum sensum in votis emittendis. Quare siquis vouit per duos menses ieiunare incipientes a prima die Ianuarij, tenetur ieiunare 31. diebus Ianuarij, & 28. Februarij, & suo voto satisfaciet. Similiter si imponatur pœna suspensionis per mensem, aut duos menses, suspensus intelligitur illis diebus, quos continent duo menses tunc occurrentes à die sententiæ. Vnde si bisextilis februarius fuerit, dies ille eo anno pertinebit ad suspẽsionem, & ieiunij votum, nec poterit ille celebrare, neque alter non ieiunare vltima die Februarij. Hæc mihi videntur, iuxta cõmnem hominũ sensum dicta, qui menses accipiunt iuxta cõmunẽ eam cõputationẽ, & distributionẽ singulis mẽsibus designatã. Nisi enim aliud explicetur, sequimur semper cõmunẽ hominũ sermonẽ, vt dixi supra li. 2. Iuxta hæc ergo intelliges, quot dies attribuẽdi sunt his duob⁹ mẽsibus, quos ad deliberandũ designat Pontificis constitutio. Aliter sentit Thomas Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 24. q. 4. Sed non video fundamẽtũ efficax, quo probet discedẽdũ in eo esse à cõmuni modo, & recepto menses computandi.

6 Illud tamen optime declarat Thomas Sanchez numerãdos esse eos mẽses â momẽto in momentũ, & ita completos esse debere. Commune enim, & receptum esse dicit, quod tẽpus incipiens ab aliqua determinata die cõputandũ est à momento in momentũ, iuxta textum. in *l. 3. §. minori, ff. de minor.* Sed quæret aliquis quare nõ sufficiat dies inceptus pro completo. Huius rationem Thomas Sanchez desumit ex eo, quod de minorũ ætatis cõplemento in iure constitutũ est. Quod tamen fundamentũ omnino infirmum est. Nam etiã alibi in iure cũ de minoribus agitur, cœptus dies pro cõpleto habetur, *l. qua ætate, ff. de testam.* & simile est quod habetur in *l. in vsucapionibus, ff. de vsucap. & l. vlti. de diuers. & tempor. præsc.* in vsucapionibus tẽpus à momento in momentũ non computatur. Quare dicendum est cum Duareno in *l. nec per liberos, §. Ait Prætor, de minor.* in fauorabilibus diem inceptum reputari pro cõpleto, in odiosis vero exigi completum. Sic intelligitur responsum Vlpiani in *l. 1, ff. de manumiss.* vbi inquit minorem non esse, qui diẽ supremum agit anni 20. vt eo die possit seruum manumittere. Sic etiam accipiẽdũ est quod habetur in *dict. l. qua ætate*: vbi agitur de testamento condendo, fauorque testamẽti suadet, vt benignius interpretemur, & cõcedatur potius condendi testamenti facultas, quam vt denegetur. Ex qua etiam ratione alia componit Duarenus loco citato. Sic ergo in hoc *ca. ex publico*, fauore religionis completus dies exigitur. Qui idem fauor verfatur in anno probationis, vt profiteri quis non possit ante 16. annum completum, maxime cum lege Tridentini requiratur annus expletus, & dicatur etiam, vt per annum in probatione maneat: non est autem per annũ in probatione, nisi compleatur, facit *l. 99. de V.O. §. si intra biennium.* Atque sub ea distinctione procedit Gothophredus *l. in omnibus, ff. de action. & oblig.*

7 Quarto obseruandũ est eius temporis spatio posse vti cõiuges, etiãsi non habeant animũ ingrediẽdi religionẽ: eo enim tẽpore nõ tenetur alter alteri reddere debitũ, sed licite negãt. Communis est DD. sententia, quã illis citatis sequitur Tho. Sanch. disp. 24. cit. n. 5. Et quãuis trãsacto bimestri iã coniux teneatur reddere, & alter nullã iniuriã irroget

si

si renuentem comprimat illata violentia: at si adhuc transacto bimestri transeat ad religionem, factum tenebit. Non enim amisit priuilegium ingrediendi religionem, & assumendi statum perfectiorem, si nondum consummatum est matrimonium. Vnde nec reuocari potest ab assumpto statu: imo, si sub excommunicatione lata præceptum sit, vt transacto bimestri consummet, & ille eo elapso nō consummet, incidet quidē in excōmunicationem ob contumaciam: sed si trāseat ad religionem absoluendus erit, quæ rectē docet Thomas Sanchez disputatione 24. citat. num. 6.

8 Sed illud difficilius est, an istud bimestre iure concessum possit per iudicem coarctari? Thomas Sanchez ea vtitur distinctione. Quando tempus est lege constitutum arctari non potest à iudice: at quando relinquitur designandum ministerio iudicis, potest arctari, & ita existimat in præsenti à iudice restringi posse eo fundamento commotus, quod non sit tempus concessum a lege sed designandum ministerio iudicis. At in primis non video, quæ verba in dict. *cap. ex publico*, insinuent tempus hoc designari a iudice, sed potius iam esse per iudicem designatum. Deinde dico, etiamsi lege ipsa designatum sit, & definitum tempus, adhuc breuiari posse a iudice, licet rarò, & ex maxima causa. Sic colligo ex *l. 2. qui pro tribunali, ff. de re iudic.* Id quod rarissime locum habet, & debet fieri cum causæ cognitione: & quamuis Bartolus, & alij assignare conentur causas, ex quibus licet restringere, & moderari tempus, attamen non possunt generaliter definiri, quæ consistunt in sola æquitate, *l. si necesse, de diuersi temporis præscript.* Totum hoc committitur arbitrio iudicis, qui iudicabit consideratis omnibus circunstantijs, vt est in d. *l. 2. & l. nonnunquam, ff. de iudic.* Potest autē id tēpus moderari tā delegās, quā delegatus, licet nō possit iudex datus. Ego enim delegatum existimo longe differre ab eo, quem iudicem datum appellant iura. Atque hanc doctrinam de limitatione temporis per iudicem veram existimo, in quocumque tēpore legitimo, & lege præstituto, vt possit etiā iudex illud moderari, vt in tempore exceptionum opponendarum, *l. exceptiones, C. de probation.* Quod etiam tempus mutatur arbitrio iudicis, *capite pastoralis, de probationibus*, cum malitiosè differtur oppositio exceptionum. Item tempus lege statutum ad agendum, *l. sicut, C. de præscriptione triginta annorum.* Ex causa tamen aliquando tempus mutatur, *l. cum Titio, de accusationibus, & l. diffamari, C. de ingen. manumiss.* Item tempus datū ad appellandum non potest ita iudex coarctare, vt legem præscribat Superiori, intra quod definiat, & sententiam ferat, *cap. ex insinuatione, de appellationibus.* Statuit tamen tēpus intra quod se præsentet iudici, & appellationem prosequatur, *cap. oblata, de appellationibus.* Quare non sunt audiendi, qui dicūt id constitutum esse *in dict. l. 2.* de tempore dato ad soluendum: oppositum enim exempla allata conuincunt. Vnde ea non est lex, aut constitutio, sed prudentum interpretatio, quam limitari debemus in iure interpretando: æquitas enim illa, siue Epicheia à nulla parte iuris seiungi debet, *l. 2. ff. de iustitia, & iure, & l. placuit, C. de iudicijs.*

9 Sed nunquid poterit iste terminus bimestris temporis prorogari a iudice? Potest quidem, iuxta textum in dicto §. *siquis condemnatus*, etiamsi hic terminus in iure definitus sit, & ea prorogatio valebit, appellari tamen ab ea prorogatione potest. Sed operæpretium est explicemus textum in dicto §. *siquis condemnatus*: ex eo enim colligemus quo modo in prorogatione huius temporis philosophandum sit. Quærit Vlpianus cum in edicto sit præstitutum tempus ad soluendum, & iudex tempus designauerit, vnde computandum sit illud tempus? Sub distinctione respondet Vlpianus distinguēs duos casus. Alter est, cum iudex statuit breuius tempus, quam legitimum. Pone iudicem designasse vnum mensem, obscuritas est in hac sententia, quæ potest ita accipi, vt tres menses habeat, qui transire vult ad religionem, duos ex lege, vnum ex iudice: vel vt tantum habeat vnum mensem. Hic interpretatione opus est, quia non expressit, nec tempus legitimum excluſit, & possumus interpretari pro transeunte, vt ei tempus legitimum saluum sit: altera autem interpretatio, vt tres menses habeat, dura etiam alteri coniugi. Sic ergo interpretabimur, vt repleatur per legē. Itaque si mēsem designauit iudex sine exclusione tēporis legitimi, vnū habebit ex definitione iudicis, alterum ex supplemento legis. Alter casus est, si iudex statuat lōgius tempus legitimo, vt pura quatuor menses, ambigua est interpretatio. Nā vel possumus sic interpretari, vt habeat sex menses, duos ex lege, alia vero quatuor ex iudicis definitione, quæ sane durissima est interpretatio in re adeo obscura, quoniam est contra alterum coniugem. Quare sic interpretabimur, vt in illo tempore

legitimum etiam tempus comprehenderit iudex, & vltra illud duos tantum menses addiderit. Nec enim ad tempus legitimo breuius, aut ad tempus ipsum legitimum possunt verba iudicis referri, cum apertè posuerit maius tempus legitimo. Quod si ab ea cõcessione termini appelletur, curret tempus à confirmatione sententiæ. Si vero deserta sit appellatio, vulgo receptum est à die pronuntiatæ sententiæ, à qua est appellatum, cõputari. Quoniam si appellatio deseritur, perinde est, ac si nunquam fuisset appellatum *lege vltima §. illud de temporibus appellat.*

10 Illud denique addendum est, quod rectè monet Thomas Sanchez cum alijs disput. 24. citat. num. 9. si coniux ab vna religione ad aliam transeat, & varias mutet in fraudem alterius coniugis, posse iudicem designare tempus in quo eligat religionem, in qua vel transacto probationis anno profitea tur aut ad coniugem redeat: aliàs sic illudi facile posset alter coniux, qui in sæculo remanet expectans alterius professionem non sine ingenti incommodo.

Quando dicatur matrimonium consummatum, ita vt iam non sit locus transeundi ad religionem?

CAPVT. X.

SVMMARIVM.

Effuso semine extra vas non consummari matrimonium etiam aperto claustro puellæ, nu. 1.
Copula vi extorta consummari matrimonium, numero 2.
Iam non licere transire ad religionem coniuge oppresso, num. 3.
Non posse fœminam, quæ vim patitur, conari ad effusionem seminis iam recepti, num. 4.
Peccare coniugem, qui intra bimestre violenter copulatur, num. 5.
An credendum iurantibus se non consummasse, num. 6.

1 NONNVLLA sunt communi sensu recepta, quæ breuiter proponenda sunt, quia in illis nulla difficultas est, licet non desint, qui contra sentiant. Primò certum est effusione seminis extra naturale vas, non consummari, *capite extra ordinaria 35. quæstione 3.* Deinde dico cum communi sententia, solam penetrationem vasis sine seminatione intra vas non esse sufficientem copulam, vt consummetur matrimonium in conscientia, & coram Deo, vt docet cum alijs Thomas Sanchez lib. 3. de Matrimonio disputatione 21. numero 5. Quia reuera non sunt effecti vna caro, nec enim efficiuntur vna caro, nisi per commixtionem seminum, vt colligitur ex *capite lex 29. quæst. 2. ibi. Quod nullam facit sanguinis commixtionem.* At sine effusione seminis non est sanguinis commixtio. Dicuntur etiam vna caro ex ea copula, quæ ad generandum satis esset: ea autem sine seminis effusione non potest esse ad generandum sufficiens. Dixi coram Deo. Nam in foro externo, si probetur penetrasse claustra puellæ, præsumetur etiam seminasse, & non audietur, & merito, cum puella defiorata maneat, & sine remedio fere viuere cogatur, vt docet idem Thomas Sanchez numero octauo, & nono. Neque verò in hoc expendendum est, an fœmina seminauerit, neque id vllam probabilitatem habet, quidquid contendat Thomas Sanchez numero octauo. Vide enim quot quantisque scrupulis, & dubitationibus exponeretur consummatio matrimonij, si ea seminatio fœminæ attendenda esset; Nec refert, an sit necessarium semen mulieris ad generationem, vel non: tantum enim hic attenditur ad consummationem seminatio intra vas eius, qui præcipuas partes in generatione habet. An autem sufficiat, si semen virile penetret fœminæ vas, siue arte, siue ope dæmonis, vt consummatum matrimonium dicatur, communis est opinio sufficere, quia sunt effecti vna caro, scilicet, vnus filius in principio, & in semine. Sic cum communi sententia supponit vt certum Thomas Sanchez ibidem numero secundo. Quamuis mihi videatur res satis dubia, & multis scrupulis exposita, qui vix humano iuditio definiri possint. Vtrumque requirerem ego, & coniunctionem, & seminationem intra vas, sed nec definio. Illud certum copulam antecedentem non esse sufficientem ad hoc, vt matrimonium subsecutum dicatur consummatum. Quia consummari debet per matrimonialem copulam; ea autem matrimonialis non fuit. Neque enim hic habet locum retrotractio, quæ sufficit ad legitimandam prolem: ea namque fictio iuris non est inducta ad hunc casum, sicut ad illum, vt dicam infra lib. 11. Quare si duo se fornicarie

carnê cognouissent ante matrimonium,& postea satis consultum esset honori vnius matrimonio contracto,posset iam alter ad religionem transire,quasi nulla præcessisset copula, si aliud non obstaret, & ita consultus sæpe respondi. Loquor absolutè, si enim copula præcedens fuisset ex fide data de matrimonio contrahendo, nisi damnum illatum sufficienter reparetur matrimonio, vel fœmina consentiat, non potest ad religionem transire. Hoc autem per accidens contingit, & non ratione consummationis.

2 Sed maior difficultas est. An copula violenter extorta intra bimestre sit satis, vt dicatur matrimonium consummatum, ita vt iam non sit locus transeundi ad religionem. Dixi intra bimestre. Quia si post bimestre, quamuis per vim aut metum extorqueatur, iam consummatum est coniugium, quia habet coniux ius consummandi post bimestre. Et in primis hanc copulam siue vi, siue metu extortam sufficere ad consummandum matrimonium communior opinio est. Quã citatis multis docet Thomas Sanchez disputatione 22. numero 4.& ratio est facilis: quia iam sunt vna caro,& ea copula est ad generationem sufficiens,& ex ea oritur affinitas, quæ non nascitur nisi ex consummato matrimonio. Licet in hoc non satis consequenter loquatur Thomas Sanchez cum his, quæ posteà ex ipso referemus. Verum quamuis consummatum ea copula matrimonium sit, ad huc non desunt, qui sentiant posse fœminam, quæ vim passa est, ad religionem transire. Sic citatis alijs docet Thomas Sanchez disputatione citata num. 6. Emanuel Sa v. *matrimonium* num. 16.

3 Mihi videtur non posse iam transire ad religionem in eo casu. Quam sententiam docet magna Theologorum pars, quos refert ibidem Thomas Sanchez numero 5. Ratio quæ me mouet,hæc est. Tum quia iam matrimonium consummatum est, & iura sine distinctione loquuntur. Quare vbi ius non distinguit, nec distinguendum est, nisi turpitudo sequatur. Tum etiam quia cum in eo casu non dissolueretur vinculum, si fœmina ad religionem transiret, graue nimis esset virum innuptum deinceps manere, & sine coniuge, quod, nisi causam dedisset perpetui diuortij, ferri non debet. In isto autem casu non dedit perpetuo diuortio causam. Non ergo potest eo inuito ad religionem transire. Tum præterea, quia graue nimis esset virum obligare ad suscipiendum religionis statum, cum nolit continere, Ad de denique rationem hanc. Quia vel illa fœmina transire potest ad religionem in eo casu ex vi priuilegij, quod vel Ecclesia, vel Christus concessit religioni, vt liceat eligere meliorem vitam, qua dirimatur status matrimonij. Et ex hoc capite iam non potest ad religionem transire, quia illud priuilegium tantum est concessum comparatione matrimonij non consummati. In hoc autem casu etiam ipse Thomas Sanchez fatetur consummatum esse. Concessum etiam in eo priuilegio est, vt dirimatur matrimonium, quod tamen in hoc casu non dirimitur, cum reuera consummatum sit. Vel potest fœmina ad religionem transire ex iuris decisione, quæ concedat transitum ad religionem post consummationem. Et hoc nõ: quia in eo euentu nulla est causa ex his, quæ iure constitutæ sunt ad transeundum ad religionem inuito coniuge. Non est autem extendenda iuris dispositio ab adulterio, & hæresi ad istum casum. Quæ enim paritas rationis inueniri potest, licet Thomas Sanchez æquiparare voluerit. Quare contrariam sententiam à praxi omnino alienam existimo. Atque ex his solues argumenta, quibus permotus Thomas Sanchez loco citato oppositum docuit.

4 Sed multò minus ferendum est in eo auctore,quod asserit in eius disputationis fine posse fœminam,quæ in eo casu vim patitur,in continenti conari ad semen emittendum iam receptum, quia tunc inquit semen non habet pacificam vasis possessionem. Si dum reluctatur fœmina, eueniret vt semen effunderetur extra vas, illam ego a peccato liberam iudicarem. At semel effusum semen atque receptum, cuius nullus alius vsus est, nisi in ordine ad generationem, emittere turpissimum est. Neque verò quia fœmina posset, dum vim patitur, virile membrum extrahere, ideo potest, & semen iam receptum emittere. Nam aliud est impedimenta apponere, dum quasi in via est ad consummationem violentus aggressor; aliud verò semen ejcere, cum iam ad finem peruentum est, & consummatum matrimonium, vt satis constat. Et denique inquiro ab isto Auctore, quo fine honestari possit ea erectio feminis. Nam vt ea honesta esse posset, necessarium esset, vt duo concurrerent præcepta, vnum efficacius alio. Hic autem concurrit præceptum naturale non ejcendi semen cum consilio suscipiendi habitum religiosum. Quomodo ergo potest illa effusio honesta reddi?

5 Ex dictis inferes peccare quidem lethaliter coniugem, qui ante bimestre exigit violenter copulam, quia grauem irrogat iniuriam, cum impediat, vel importem reddat cõiugem ad transeundum ad religionem. Idem etiam fatetur Thomas Sanchez, sed nescio quam consequenter ad suam sententiam. Si enim ille sentit adhuc posse violenter cognitam ad religionem transire, nullam fœminæ iniuriam intulit, cum non præcluserit aditum ad religionem, & ex alia parte non accesserit ad non suam. Potius sibi ipsi damnum intulisset, si ea opinio vera esset, cum ea fœmina transeunte ad religionem, & ibi professione non dissolueretur vinculum matrimonij.

6 Sed nunquid credendum erit sponsis iuramento affirmantibus se non copulasse, neque consummasse matrimonium. Respondetur sub ea distinctione. Si puella virgo est, & talis apparet conspectui matronarum, quamuis valde incerto, vt dixi supra lib. 7. creditur eorum iuramento. Si vero corrupta iam erat, adhuc distinguendum est: si non est in domum viri traducta, ex eo sumitur sufficiens indicium, vt credatur iuramento. Quod si traducta est, non defertur iuramento argumento textus in *capite super eo, de eo qui cognouit.* Vbi ad dissoluendum matrimonium parum confert confessio partium aliis destituta probationibus.

Sine licentia coniugis consummato matrimonio nec licere, nec valere transitum ad religionem.

CAPVT. XI.

SVMMARIVM.

Quid agendum, num. 1.
Consummato coniugio non licet transire ad religionem sine consensu alterius, num. 2.
Aliàs votum, & professio alterius nulla sunt, numero 3.
Diluitur obiectio, num. 4.
Inualidè professum licitè transire ad aliud matrimonium, num. 5.
Nullum etiam esse votum religionis ibi inclusum, num. 6.
Si renocetur ab alio coniuge, non teneri eo defuncto ad religionem transire, num. 7.
Posse exire etiam altero non repetente, num. 8.
Opponuntur nonnulla, & diluuntur, num. 9. 10.
Coniugem sic professum posse resilire, etiam si postea alter consensum præbeat, num. 11.
Posse exire, etiam si toto tempore vitæ alterius manserit in religione, illo iam defuncto, numero 12.
Qui mansit in sæculo, non potest inuito eo, qui inualidè professus est transire ad religionem, numero 13.
Potest resilire à religione, quamuis alter, quo inuito ingressus est, adulterium commiserit, numero 14.
Idem omnino asserendum, si consensus extorqueatur metu, num. 15.
Quid si cum sola dissimulatione alterius coniugis hæc omnia facta sint, num. 16.

1 HACTENVS explicatum est, quando dissoluatur matrimoniũ quoad vinculum, iam in sequentibus explicandum, quando dissoluatur quoad torum, & habitationem. Sed quia dissolui potest, & per conuersionem ad religionem vel sacros ordines, vel per delictum, primo de illis, postea de his agendum est. Et primum, quando dissoluatur per transitum ad religionem: postea verò, quando dissoluatur per transitum ad ordines. Et quoniam quædam requiruntur, vt licitè fiat transitus, alia vero vt validè, nunc explicabo, quid requiratur vt validè fiat, postea quid requiratur vt licitè, & iure fiat.

2 Certum igitur est illi, qui iam matrimonium consummauit iuxta dicta capite præcedenti, non licere ad religionem transire inuito coniuge. Pono non esse causam perpetui diuortij, *cap. sunt qui dicant, cap. Agathosa cum sequentibus 27. quæst. 2.* Habet enim coniux potestatem in corpus alterius. Quare sine eius consensu alterius iuris fieri non potest, *cap. si dicat, cap. notificasti, cap. mulier 33. quæst. 5.* Idem constat ex Hieronymo Epist. 14. ad Celantiam, & Augustino epist. 49. ad Armentanum *cap. vna sola*, & epistola 199. ad Editiam *cap. quod Deo, cap. secundum 33. quæst. 3.* & ex Gregorio lib. 9. epist. 39. ad Theotistam, & latuet Basilius in regulis fusius explicatis interrogatione duodecima. Neque obstat factum Theonæ Abbatis, quod laudat Cassianus collatione 21. capite nono qui post quinquenij habitationem vxorem dimisit. Vel enim ibi interfuit inspiratio diuina, vel occulta violatio tori, quam vir iustus manifestare noluit, vel ignoro-

ignorantia inuincibilis, quæ excusauit factum. Vnde peccat profitendo, neque valida professio est, *cap. notificasti 33. quæst. 5. & cap. veniens de conuers. coniug. & cap. quidam eodem*, & redire cogitur ad vxorem, nec petit, licet reddat debitum, *cap. placet & d. cap. quidam de conuers. coniugat.*

3 Ex qua communi, receptaque doctrina multa facile colliguntur. Primum est votum illud castitatis, quod coniux, qui altero inuito ad religionem transijt, emisit in professione esse omnino nullum, nullamque obligationem parere, si ille intendebat tantum ea vota emittere in illa professione, & ea obseruatione, & statu regulari. Quia, cum in religionis professione sint, & promissio facta Deo, cuius fundamentum est, traditio, qua se ipsum religioni tradit, vt supra libro septimo latè a nobis explicatum est, si traditio illa nulla est, nec etiam vota Deo facta, quæ illam supponunt. Vnde videmus eo qui potestatem, habet remittente eam donationem, cessare votorum obligationem vt constat in Societate IESV: & Pontifice liberante ab eius donationis obligatione, vt ibidem explicatum est. Quã doctrinam insinuauit Thomas Sanchez lib. 7. disput. 34. num. 3.

4 Sed huic illationi obstare videntur textus in *dicto capite quidem, & dicto capite placet de conuersione coniugatorum*. In quibus planè dicitur hunc coniugem teneri ad id, quod potuit promittere, scilicet, non petendum debitum. Ergo consurgit aliqua obligatio ex huiusmodi voto castitatis, licet professio sit nulla. Respondetur tamen ibi Pontificem loqui ex præsumptione quadam, & vt tutiorem partem eligat, præsumit enim illum habuisse, dum emisit professionem, voluntatem se obligandi eo modo quo posset. Et quia se obligare potest non obstante vinculo, & vsu matrimonij ad non petendum debitum, ideo dicit saltem hanc partem illum seruare debere. At si cui de intentione constaret, non esset illo adstrictus voto coram Deo. Quod si eam, quam præsumit Pontifex intentionem habuisset, planum est non posse petere debitum, neque humiliter, neque vllo modo ab vxore, si ad illam redijt, sed tantum reddere. Atque hoc modo philosophamur etiam in explicando iure Pontificio in materia de iuramento confirmatorio, vt dicimus infra lib. 12.

5 Secundo colligitur hunc, quem inualide professum diximus, transeuntè ad aliud matrimonium non peccare, si non habuit eũ animum, quem Pontifex præsumit in *dicto cap. Quidam*, & validum contrahere matrimonium. Quod minor negasse nonnullos. Si enim non tenuit illa professio, ergo deest solemnitas aliqua, quæ impediat. Et quamuis concederemus manere id castitatis votum, quod præsumit Pontifex, impediret quidẽ, non tamen dirimeret, cum tantum remaneret in ratione voti simplicis castitatis.

6 Tertiò colligitur idem dicendum esse de voto religionis implicito, quod est in illa professione, scilicet, nullum esse, nullamque obligationem parere, quia donatio illa de se facta religioni non potuit subsistere. Quare neque tenetur ad religionem in communi, neque in particulari. Vnde sicut Cardinalium congregatio declarauit eum, qui non expleto probationis anno professionẽ emisit, non remanere obligatum ad religionem in communi, neque in particulari, neque in foro conscientiæ vllam obligationem imposita, idem in isto casu dicendum est, cum reuera sit inhabilis ad profitendum. Sed de his latè Thomas Sanchez lib. 7. disp. 34. cit. n. 4.

7 Quartô colligitur eiusmodi professum inuito coniuge si reuocatus exiuit, non teneri defuncto alio coniuge ad religionem redire *cap. quidam, & cap. placet de conuers. coniug.* In quorum primo dicitur non teneri: in secundo vero dicitur tantum adhortationibus cum illo agendum, vt redeat, non tamen cogendum. Cum enim eius modi votũ fuerit omnino irritũ, vt dictũ est, & nulla ex ea professione orta fuerit obligatio, nõ est, cur obligetur ad religionẽ redire. Id quod verũ est, etiam si coniugem reuocantem pœnituerit reuocationis. Quia cum nulla voti fuerit obligatio, parum refert quod alium coniugẽ pœniteat, vel non pœniteat.

8 Sed nũquid poterit iste inualide professus exire sua sponte, & habitum deferere, altero non repetente? Thomas Sanchez licere affirmat exire propria auctoritate, & licentia non petita. Id mihi videtur difficile. Sed existimo debere rem hanc examinari in iudicio. Nõ dico vxorẽ debere repetere; Sed siue repetente vxore, siue eo potẽte, qui nullitãr professus est, debere in iudicio causam agi. Cum enim constet illũ publicè professum esse, cõstet etiã necesse est de nullitate professionis. Ad id me mouet, quod in Tridentino habetur sess. 25. de Regular. c. 19. vt ex quacũ q; causa velit habitum dimittere, qui professus est, res examinetur coram prælato, & ordinario, aliàs tanquam Apostata puniatur. Non ergo iste potest habitũ spõte dimittere,

illud enim sponte ibi, idem est ac propria auctoritate. Inducit etiam me quædam declaratio Cardinalium, quæ extat apud Farinacium d. cap. 19. quæ sic habet. *Quidã vir Hispanus propter publicum vxoris suæ adulterium illam dimisit, & in partibus longinquis sub ordinarij obedientia ex Breui Pauli. 4. vitam Eremiticam per multos annos duxit. Qua relicta religionem Sancti Basilij ingressus, vbi per quinquenniũ demoratus est, ibique professus. Sed ante dictæ religionis ingressum semel adulterium commisit, & demum examinata fuit eius vita à Prælato prædictæ religionis, cui omnia peccata confessus est. Quibus auditis Prælatus eum habitu priuauit, vt aut ad vxorem rediret, aut aliud remedium quæreret. Quærimus mandari quid agendum ad instantiam dicti viri? Congregatio censuit. Scribendum esse Ordinario loci dictæ vxoris, qui prout iuris est in isto casu procedat. Illustrissimi Domini inclinabant, quod mulier cogeretur repetere virum, aut præstare ei consensum, vt in religione maneret, aut ipsa quoque religionem ingrederetur iuxta notata in cap. Agathosa 27. quæst. 2.* In qua declaratione satis aperte insinuari videtur rem hanc propria auctoritate fieri non licere. Sicut enim ille, qui iam non erat innocens, profiteri non potuit contra ius coniugis; ita neque iste sine licentia vxoris; & tamen res committitur ordinario iuxta iuris formam decidenda, & media, quibus decidi possit, indicantur; quamuis & facile etiam esset illius professionem nullam declarare.

9 Sed his obstare videntur nonnulla, quæ obijcit Thomas Sanchez disput. cit. numero 15. Primò, quia coniux, qui profiteretur sine alterius licentia, est reus iniustitiæ tanquam raptor rei alienæ, & abductor. Ergo tenetur eam iniustitiam lethalem reuocare. Non negamus teneri, sed præceptũ implet, & obligationi satisfacit, si seruatis his, quæ iure seruari debent, restitutionem faciat. Quare dum de restituendo se vxori agit per media iuris, immunis est à peccato, sicut & qui agit de restituendo per media, quibus ius ei datur.

10 Secundò adducit textum in *cap. accedens de conuers. coniug.* vbi Pontifex narrat virum de licentia vxoris metu extorta professum exijsse, neque illius exitum reprehendit. Deinde in *cap. 2.* quod est Alexandri II. *32. quæst. 5.* vbi idem factum non reprehenditur, sed clarè videtur approbari, ibi, *non enim violentia, sed ex pari voluntate & consensu hoc debet fieri.* Et idem videtur adstrui ex *cap. vna sola 33. quæst. 5.* quod est Augustini, ibi. *Nam & vouenda talia non sunt à coniugatis, nisi ex consensu, & voluntate communi: & si præpostere factum fuerit, magis est corrigenda temeritas, quam persoluenda promissio.* Sed hæc non obstant. Nam in *cap. accedens* narratur tantum virum illum ad sæculum rediisse: at non constat ex eo cap. quomodo redierit, an ipse habitum sponte dimiserit, an eiectus fuerit à Prælato cognita causa aut ob culpas & defectus aliquos, & ita ex eo cap. firmum argumentum sumi non potest. Neque obstat etiam textus in d. *cap. 2. 33. quæst. 5.* Et quidem ex vltimis verbis posset aliquis colligere potius ibi reprehendi eam habitus dimissionem cum festinatione, dicitur enim, *neque vir professa continentia habitum cum festinatione debet mutare.* Sed ista mẽdosa esse aduertunt Decreti Gregoriani censores: sic enim legendum: *Neque in monasterium recipiendus est, nisi vxor illius fœmineum monasterium elegerit, aut professa continentiam habitum cum festinatione mutauerit.* Dico ergo illum non egressum propria auctoritate, sed reclamante & repetente vxore, & causa cognita. Idque colligitur ex textu, cum inquit. *Tuæ vxoris reclamationibus, eiulationibus, planctibus, tuæ familiæ dispersionibus deuictus.* Quæ sane indicant mulierem repetiuisse, reclamasse, & ita tandem egressum. Augustinus autem in d. *cap. vna sola*, tantum affirmat ea vota de communi consensu facienda, quod verissimum est, & secus facta corrigenda, & non implenda. Sed non exprimit, quomodo sit corrigenda temeritas, neque est vllum verbum, vnde colligatur, Augustinum agere de corrigenda temeritate post transitum ad religionem: & quando ageret, intelligeret corrigendam cum causæ cognitione, & seruatis his quæ de iure seruari debent. Adde etiam his nihil probari contra formam nouiter inductam per Tridentinum in habitus dimissione quacumque ex causa.

11 Quintò colligitur coniugem eo modo professum, etiamsi postea vxor licentiam præbeat, adhuc posse resilire, & causam nullitatis professionis prosequi. Quia toto eo tempore præcedente consensum vxoris professio fuit nulla; ex concessione autem consensus non conualescit; sed eo posito consensu debet denuo profiteri in manibus Prælati, admonito prius Prælato, & profitente de nullitate professionis, vt iam dixi supra lib. 4. circa finem. Imo neque etiamsi se ingerat postea actibus professorum, erit valida tacita professio. Quia ea tacita professio induci non potest, nisi seruatis de iure seruandis.

uandis. Est enim necessarium, vt prælatus sciens nullitatem, & sciens iam adesse consensum admitteret ad professorum actus, & pateretur, si se illis ingereret, alias tantum cẽsetur ratam habere professionem prius factam, quod nullius momenti est ad illam reualidandam, iuxta principia, quæ ibi tradidi, & docet Thomas Sanchez disput. citata num. 16.

12 Sextò colligitur coniugem illum inualidè professum, qui toto vitæ alterius cõiugis tempore in religione mansit, eo defuncto posse egredi ẽ religione. Id quod verum est, si alter in toto vitæ tempore reclamauit, & contradixit. Planum est eam professionẽ ab initio nullam non conualuisse elapsu tẽporis: sed neque morte coniugis: opus enim erat noua ratificatione iuxta dicta num. præcedenti. Sola enim mors alterius coniugis non sufficit ad ratãhabendam professionem. Et idem est, si ille ignarus mortis coniugis in sua professione persistit, & cum conscius factus est eius mortis, exire vult, & ad sæculum regredi. Non enim conualescit professio etiam post mortem coniugis, si ignoretur; sed semper censetur in priori professione nulla persistere, & iuxta illam operari, iuxta dicta n. præcedẽti. Quod si iam cõscius mortis in religione perseueret, concurrentibus etiam his, quæ diximus num. præcedenti, fit tacite professus, & ad sæculum redire non potest. Atque in hoc casu intelligo textũ aliàs difficilẽ in *cap. consuluit, 10. de conuersione coniugat.* cui Thomas Sanchez secutus Glossam non affert idoneam interpretationem. Mihi germana videtur, quod ille conscius mortis vxoris perseuerauit in monasterio per annum, & amplius. Ex ipso enim textu videtur colligi ante id tempus iam defunctam vxorem, & ideo Pontifex iudicat illum tacitè Professum, & non licere ad sæculum redire, neque contrahere, & si contraxerit, dirimendum matrimonium.

13 Septimo colligitur eum, qui in sæculo mansit, nõ posse eo inuito, qui validè professus est, ad religionem transire: quia ea professio non tenuit, & ex ea non amisit ius, ne alius diuerteret eo inuito, cum non dederit causam perpetui diuortij, vt docet cum alijs Thomas Sanchez disputatione citata, num. 23. Quod si vterque religionem ingrediatur si vterque sit ignarus cõsensus alterius, neutrius professio valet, iuxta ea, quæ hactenus dicta sunt. At si vterque conscius sit transitus alterius, ipso facto licentiam mutuo cõsensu cõcessisse videntur, vt docet Cardinalis in dict. *cap. quidam, de conuers. coniug.* & sequitur Thomas Sanchez disp. cita. num. fin.

14 Octauò colligitur eum coniugem inualidè professum posse etiam resilire a religione, quamuis coniux, sine cuius licentia ingressus est, adulterium commiserit, post alterius professionem. Nam licẽt coniux adulter amiserit per adulterium ius repetendi coniugem professum, *cap. veniens, de conuers. coning.* attamen adulterio coniugis manentis in sæculo non conualescit professio alterius. Quare cum ea sit omnino nulla, potest a monasterio recedere, vt docet cum alijs Thomas Sanchez lib. 7. disput. 36. num. 3. Expendit ad hoc textum in dic. *cap. veniens* vbi de viro cum licentia metu extorta professo, & adultera postea vxore sic dicitur: *Mandamus quatenus si ita est prædictum Laurẽtium in monasterio, quod intrauit, perseuerare liberè permittatis.* Non cogitur, vt perseueret, sed permittitur eius libertati perseuerantia. Quare nullum monasterio ius quæsitum est, quo retinere possit illũ inualidè professum, etiam iam adulterante vxore.

15 Nonò colligitur eadem, quæ hactenus in isto capite diximus de eo, qui sine licentia vxoris profitetur, dicenda prorsus esse de eo, qui transit ad religionẽ de licentia vxoris extorta metu cadẽte in virũ constantem, vel ex iusto metu, iuxta dicta supra lib. 4. Ea enim licentia metu extorta perinde est ac si nulla esset, *cap. 2. 33. quæst. 5.* Quod est Alexandri II. & *cap. accedens, de conuersione coning.* vbi tantum est metus verborum, atque grauaminum: vnde illius professio nulla est, & consequenter illi licent quæcumque hactenus in isto cap. licere diximus illi, qui sine vlla vxoris licentia profitetur. Cõmunis est Doctorum sententia, quam multis citatis sequitur Thomas Sanchez disput. 36. num. 1. & sequentibus. Idem dicendum, si graui dolo extorta fuerit licentia: errantis enim nullus est consensus iuxta dicta supra lib. 4. Idque videtur colligi ex dict. *cap. veniens*, in quo, nisi mulier inhonestè vixisset, audiretur, eo quod dolo decepta fuerit, aut nisi postea cõmonita assensum præbuisset, & non duxisset repetendum. Quare ea, quæ hactenus diximus de eo, qui sine licentia coniugis religionem ingreditur, etiam dicenda sunt de eo, qui dolo extorquet licẽtiam, vt docet etiam Thomas Sanchez eadẽ disput. 35. num. 9.

16 Vltimò colligunt aliqui eodem modo loquendum, & eadem etiam, quæ hactenus dicta sunt, dici debere de eo, qui profes-

sus est cum sola vxoris dissimulatione, quam Thomas Sanchez dicit esse communem sententiam. Licet enim in aliquibus rebus non contradicere pro consensu reputetur, vt dixi supra lib. 2. attamen cum in isto casu requiratur licentia, dissimulatio non habetur pro licentia. Neque his obstat textus in *dicto capite consuluit de conuers. coniug.* quem iam supra isto capite explicuimus. At mihi hæc doctrina non placet. Quia cum non possit ad religionem admitti, nisi legitima informatione præmissa de moribus viri, & statu, casus hic euenire non potest, vt dicam etiam infra, c. 13.

Quæ requirantur de iure, vt alter coniux licitè transeat ad religionem cōsummato matrimonio.

CAPVT. XII.

SVMMARIV.

Cum licentia coniugis requiri, vt alter religionem ingrediatur, nisi prouectæ ætatis sit, numero 1.

Non requiri licentiam Episcopi, num. 2.

Alter coniux ingreditur religionem, vt profiteatur, sufficere si ingrediatur religionem sancti Ioannis, num. 3.

Quid si alter coniux neque nolit ingredi religionem neque profiteri, num. 4.

Data licentia an possit qui consensit, reuocare, num. 5.

1 VT post consummatum matrimonium transeat aliquis ad religionem licitè, & seruatis his, quæ iure seruari debent, non solùm requiritur licentia alterius coniugis, vt dictum est capite præcedenti. sed vlterius exigitur, quod si cōsentiat vir, vt vxor religionē ingrediatur, ipse etiam ingredi debeat, neque possit in sęculo remanere *capite Agathosa* cum sequentibus 27. *quæst.* 2. *& cap. qui vxorem* 33. *qnæst.* 5. *& cap. cum sis, & cap. cum vxoratus, de conuers. coniug.* Nisi fortasse vir sit adeò prouectæ ætatis, vt in sæculo sine periculo manere possit: vel nisi vir creetur Episcopus. Si enim ex religioso potest assumi in Episcopatum, etiā antequam ingrediatur religionem assumi poterit. Similiter si vxor consentiat, vt in religionem ingrediatur, illa etiam compelli tur intrare religionem, neque in sæculo remanere permittitur, nisi prouectæ sit ætatis, *cap. vxoratus, cap. ad Apostolicam, cap. significauit* 18. *de conuers. coniugat.* Eadem enim est vtriusque ratio, & par conditio. Atque iuxta hæc intelligendus textus in *cap.* 1. *de conuers. coniug.* ne repugnet alijs, in quibus magis distinctè locuti sunt Pontifices. Nisi dicatur tē pore Alexandri Tertij non esse præceptum, vt fœminæ ad religionem transirent, sed pro missa continentia in sæculo remansisse, vt dicam infra cap. 13.

2 Præter licentiam coniugis Episcopi licentia de necessitate non requiritur, neque ad valorem professionis, neque ex necessitate præcepti, neque vt coniux postea reuocari non possit â manente in sæculo, vt cum alijs docet Thomas Sanchez lib. 7. disput. 32. num. 3. Et quamuis in *cap. si vir, & vxor* 27. *quæst.* 2. indicari videatur licentiæ necessitas, attamen neque irritus dicitur actus, & præterea non constat in eo textu de ista specie sermonem esse, & denique iam vsu abolitum est illud præceptum, si quod extitit. Neque enim consuetudine receptum est, vt petatur Episcopi licentia. Vide Panormitanū in *cap.* 1. *de conuersione coniugat.*

3 Cum ergo vno coniuge ingrediente religionem, alter si iuuenis est, ingredi etiam religionem compellitur, non quidem ingreditur, vt ibi tantum degat tanquam in aliquo honesto loco reclusus, & seruet continentiam, sed vt verè profiteatur. Id enim planè docent iura citata supra num. 1. cum eodem modo de vtriusque conuersione loquantur. Sufficiet autem ingredi religionem sancti Ioannis, quod im merito negat Thomas Sanchez, constatque ex praxi, & ego vidi sic seruari. Fœminis etiam licebit monasterium sancti Iacobi ingredi, & in eo ordine profiteri, & satisfacient suæ obligationi. Quidquid enim de eo sit, an ea fœminarum vota sint simplicia, vel solemnia, illa verè religio est, & per quam votum religionis impletur, & dum alter coniux superstes est, inhabilis est ad contrahendum matrimonium, cum per nullius religionis ingressum vinculum dirimatur, vt dictum est. At si quia prouectæ ætatis est alter coniux, concedatur illi, vt in sæculo remaneat voto castitatis emisso, votum eiusmodi perpetuæ castitatis esse debet, *ca. 1. de conuers. coniug.* ibi. *aut perpetuæ castitatis votum emiserit.* Id tamen votum nunquam solēne fit, sed solum est simplex. Neque enim est votum solemne, nisi in professione religionis approbatæ, aut sacri ordinis suscep tione *cap. vnico de voto in 6.* Vnde defuncto coniuge professo valebit etiam matrimo-

nium

nium remanentis in sæculo,quia nullo iure irritum est,vt cum multis docet etiam Thomas Sanchez disput. 32. num.8. Quod si etiã in ea ætate senili suspectæ continentiæ sit, cogendus est religionem intrare, aut licentia alteri deneganda est, vt transeat ad religionem: iura enim, quæ de hoc loquuntur, maximè curant,vt vitetur incontinentia remanentis in sæculo, & ideo exigunt ne sit suspectæ continentiæ,vt constat ex *cap. cum sis de conuers.coniug.* ibi. *Si ita senex est,& steri lis,quod sine suspicione possit esse in sæculo.* Et etiam colligitur ex *cap.vxoratus* ibi,*quæ suspicione non careat,& cap.ad Apostolicam, & cap. significauit,eodem.* Multò minus sufficiet votum, quando manens in sæculo iuuenis est, licet probatæ continentiæ sit. Iuuẽtus enim variis incontinentiæ motibus agitatur, & lubrica est via viri in adolescentia,vt inquit sapiens prouerb. penult. At si senex in sæculo remanens post alterius professionem incontinenter viuat,& votum non seruet, nõ nulli existimant cogendum religionem ingredi,& ibi profiteri o. rationem, quam in ea decisione Pontificum considerauimus. Neque obstat,quod non emiserit votum religionis,cum iure ipso si suspecta eius continentia esset, teneretur ingredi religionem. Oppositum tamen probabile iudicat Sanchez disput.cit.num. 12. sed ad monasteriũ aliquod reuocandum, non vt profiteatur, sed vt ibi continenter viuens votum seruet. Eo autem,qui religionem ingressus est,probationis tempore exeunte, iam votum castitatis eius qui remanserat in sæculo non obligat;emissum enim est sub ea tacita conditione,si alter profiteretur. Cessat ergo defectu causæ,& conditionis.Quare tenetur exeuntem recipere,& illi debitum reddere, & alter poterit exigere,nisi absolutus, & indepẽdens fuerit animus vouentis.Tunc enim poterit reddere,sed non exigere, iuxta ea quæ dicemus infra lib.10.cap.5.Hæc autem,quæ dicta sunt de obligatione eius, qui in sæculo remanet, intellige quando de licentia eius alter transit ad religionem. At si sine licentia transeat,& professus sit,nullo iure, qui remanet in sæculo, cogitur,etiã si iuuenis sit, continentiam vouere, cum in sua potestate habeat alium repetere, & alterius professio nulla fuerit iuxta dicta capite præcedenti. Quis autem dici senex debeat latè disputat Thomas Sanchez disput.32. cit.à num.15.& sequẽtibus. At in hoc casu res arbitraria est, & ex circunstantijs personæ,valetudinis,roboris, & anteactæ vitæ considerandæ,& definienda.Et quamuis in alijs legibus,quæ communitati imponuntur, vt in priuilegio lacticinia comedendi,non ieiunandi,& diaconissarum ætate determinetur senilis ætas ad sexaginta annos, quia leges illæ fundantur in præsumptione vt plurimum : attamen in hoc casu,cum sit specialis dispositio hunc tã tum respiciens,in vno quoque iudicandum est ex proprijs circunstantijs,& ideo non potest certa regula definiri.

4 Sed quid si is,qui religionem de licentia alterius ingreditur, profiteatur, & alter non velit,neque religionem ingredi,si iuuenis est,neque votum emittere, si senex. In primis dicendum est professionem alterius valere ex eo solum,quod licentiam concessit,quamuis contra ius actum sit,vt sine voto vel ingressu alterius in religionem ille profiteretur, *cap. Agathosa 27. quæst.2.* vbi textus considerat ad iudicandum de valore professionis viri vnum ê duobus: vel quod consensum præbuerit, vel quod etiam conuersionem promiserit.Quorum vno quoque subsistente vult Gregorius ratam esse, & validam viri professionem.Melior textus in *capit.ex parte 9.de conuers.coniug.* ibi, *Quia vero licet prædictus D.vxore sua in sæculo remanente de iure ad religionem nequiuerit proficisci,&c.* Quare siue coniux in sæculo manens iuuenis votum emittat siue non emittat iuuenis,neque senex,professio valet.Vnde si reuocanti cõcedatur,de quo statim,tenetur defuncto coniuge ad religionem redire, & matrimonium postea contractum est nullum *dicto cap. ex parte*;& coniugi reuocanti potest reddere debitum,non petere.Ex eo enim quod nõ seruauit ordinem iuris in altero coniuge requisitum,suspenditur obseruatio voti quoad alterum, solumque seruat, quod ex parte sua est. Neque obstat textus in *dicto cap. vxoratus*,verbo,*nullatenus*.Reddit enim ibi Pontifex nullam professionem, quæ sine licentia coniugis est;non vero,quæ sine conuersione est,vt planè constat ex textu.

5 Deinde,si is qui manet in sæculo, votum emisit,siue sit huius iuris conscius, siue ignarus,non datur reuocationi locus. Quam sententiam cum alijs docet Thomas Sanchez disput.33. num. 9. Ego ea inducor ratione.Quia eo ipso quo licentiam concessit, renũtiauit à se quod alter peteret debitum, & in id consentit, & eo ipso quo ipse votum emisit,renuntiauit ius petendi, & se reddidit impotem ad petendum. Ergo iam non est amplius reuocationi locus. Sed is qui iuris conscius, licentiam concessit, & votum emisit,

emiſit, cogitur in monaſterium ingredi, non quidem vt ibi profiteatur (profit hoc illi iuris ignorantia probabilis) ſed tantum vt continenter viuat, & ita defuncto coniuge poterit alteri validè nubere obtenta voti illius ſimplicis diſpenſatione. Vtrumque docet Thomas Sanchez diſput. 33. cit. quæſt. vlti. At ſi votum non fecit, ſed conſenſum præbuit, & eſt incontinentiæ periculum, mihi probabilius videtur eſſe reuocationi locum, ſiue ſit iuris conſcius, ſiue non. Conſcio quidem ſubuenietur iudicis officio, cuius eſt infirmitati ſubditorum conſulere, & fragilitati ac periculo proſpicere. At ignarus ius habebit, vt ipſe reuocationem petat adiutus ignorantia probabili: & ſi ea ignorantia, quia iuris eſt, quæ raro probabilis eſſe præſumitur, in foro externo denegat actionem, ſubueniri illi iudicis officio æquum eſt. Atque hic mihi videtur eſſe planus, & apertus ſenſus Alexandri III. *in cap. 1. de conuerſ. cõiugat.* Species facti hæc eſt. Vtrũ laicus vxoratus, qui præſentibus ſacerdotibus, & monachis, ignorante Epiſcopo, de licentia, & permiſsione vxoris monaſterium ingreſſus profeſsionem fecit, vxore in ſæculari habitu remanente, nec tranſeunte ad religionẽ, aut perpetuam caſtitatem vouente, ab Epiſcopo ſuo poſsit ad torum vxoris reuocari, an illa compellenda ſit continentiam obſeruare. Ecce eandem, quam examinamus quæſtionem, quando ſcilicet conſenſit, ſed qui manſit in ſæculo, neque mutauit habitum, neque religionem promiſit, aut continentiam: videamus reſponſum Pontificis. *Dicimus quod niſi vxor ad religionem tranſierit, aut perpetuò caſtitatem ſeruare promiſerit, vir poteſt & debet de monaſterio reuocari.* Quæ verba generalia ſunt, neque reſtringenda, nõ ad vxorem ſenem. Si enim ſenex eſſet, non exigeretur ab illa ſubdiſiunctione, vt aut habitum religionis aſſumeret, aut votum ſeruaret, ſed tantum vt votum faciens in ſæculo remaneret. Si incontinens, aut incontinentia ſuſpecta, non exigeretur, vt votum tantum faceret, ſed vt ad religionem tranſiret. Neque etiam eſt reſtringenda ea deciſio Pontificis ad ignarum iuris, vel conſcium: ipſe enim textus ſatis indicat eam fœminam admonitam ſuæ obligationis, nihil eorum facere voluiſſe. Quare ſiue conſcius, ſiue ignarus ſit, qui in ſæculo remanet, ſi ad religionem trãſire nõ vult, neq; cõtinentiã vouere, reuocari officio Epiſcopi coniux profeſſus debet. Atque hoc etiam reſponſo Pontificis confirmatur, quod dicebamus modo, de eo, qui votum fecerat, & tranſire ad religionem nolebat, cum ſolum reuocandum dicat, ſi neque continentiam vouerit, neque religionẽ adierit. Ergo ſi votum emitteret non reuocaretur. Contrarium docet Thomas Sanchez in eo, qui non tenetur voto diſput. cit. n. 14. Sed noſtram ſententiam tenet Gloſſa in dic. *cap. 1. de conuerſ. coniug.* Cardinalis ibidem, Henriquus in dict. *cap. vxoratus*, num. 8. Palacios in 4. diſt. 27. diſp. 2. fol. 590. & alij.

Quæ requirantur, vt vir cõtracto matrimonio tranſire poſsit ad ſacros Ordines?

CAPVT. XIII.

SVMMARIVM.

Virũ contracto matrimonio etiã ante cõſummationem inuita vxore non poſſe ordinari, neque animo ad religionem tranſeundi, num. 1.

Pœnæ ſtatutæ in iure, num. 2.

Similiter non poſſe poſt conſummatum, ſed teneri ad vxorem redire, num. 3.

Quid requiratur, vt quis conſummato matrimonio poſsit ſecundũ ius ordinari remiſsiue, n. 4.

Limitantur ſupra dicta, niſi vxor dederit cauſam diuortio ſua culpa, num. 5.

Oppoſita quorumdam ſententia, num. 6.

Fundamentis illius ſatisfit, num. 7.

1 CErti iuris eſt virum contracto matrimonio, etiã ante conſummationem, non poſſe inuita vxore ad ordines ſacros promoueri. Excipio eos caſus, in quibus licet inuito coniuge ab illo diuertere, etiam conſummato matrimonio, tunc enim poterit etiã ordinari, *cap. coniugatus, de conuerſ. coniug.* & Ioan. XXII. *in extrauaganti Antiquæ, de voto.* Nec enim ordo ſacer dirimit matrimonium ratum nondũ conſummatum, ſicut dirimit ſtatus religionis: quia illi ordini priuilegio diuino conceſſum non eſt, vel Apoſtolica conſtitutione iuxta diuerſas ſententias, de quibus ſupra. Quod ſi hæc efficacia dirimendi matrimonium ratum deriuata eſt in ſtatum religionis conſtitutione Apoſtolica, vt opinantur multi, non eſt dubium poſſe etiam eadem auctoritate in ſacros ordines deriuari. Adeo autem verum eſt non poſſe virum inuita vxore ordinari, vt neque etiam animo ingrediendi religionem ſtatim ordinari poſsit. Eſt enim morta-

le

le peccatum, & cum facile mutetur animus hominis, si consummaret matrimonium iniuriam sacro ordini inferret: & sine distinctione vlla Ioannis XXII. seueriſsimis verbis eam ordinationem interdixit. Itaque etiã promotum cum eo animo, non excusant a peccato mortali Sanchez cum alijs lib. 7. disput. 38. num. 3. & Gabriel Vazquez 3. tomo in 3. part. disp. 247. cap. 10. num. 134. Vnde & Episcopus, qui scienter illum ordinaret, peccaret grauiter: & qui vellet eo modo ordinari non detegens huiusmodi matrimonium, procul dubio furtim ordinaretur, & pœnas iuris impositas sic ordinatus incurreret.

2 Quod siquis extra casus iure permissos ordinetur ante consummatum matrimonium sine licentia vxoris, irregularis manet, quia vt statuitur in dict. *extrauag.* etiam dissoluto matrimonio, vel per mortem vxoris, vel per ingressum vxoris in religionem, vir neque in suscepto ordine ministrare, neque ad alium ascendere, neque ad beneficium aliquod assumi potest, nisi in religione aliqua approbata profiteatur: & in eo casu poterit cum eo diœcesanus dispensare, nisi sit aliud canonicum, quod obstet. Nec vero is, qui sacris initiatus est, inuita vxore ante consummatum matrimnnium, compelli potest ad ingrediendum religionem, vt docuit etiam optime Ricardus in 4. distinct. 34. art. 3. quæst. 2. sed vt constat ex eadem extranagãti illi datur optio, vt vel religionẽ ingrediatur, vel consummet matrimonium. Dicitur enim, *ad ingressum huiusmodi sic ordinatum si matrimonium consummatum non fuerit, per Diœcesanum instanter moneri præcipimus, & induci. Quod si forsan renuerit implere, ipsum, si sponsa eius institerit, per censuram Ecclesiasticam compellendum decernimus contractum matrimonium consummare.* Ex quibus verbis planũ est primo nõ esse compellendum ad ingressum in religionem, etiam quando non est consummatum matrimonium, quia votum castitatis in ordine emissum non est votum religionis, neque implicite. Secundo esse cõpellendum consummare, si nolit ingredi religionem, ea tamen conditione requisita, si coniux insistat. Ergo ea non instante neque petente non poterit ille consummare matrimonium, neque ad eam accedere. In quo diuersam esse rationem eius, qui ordinatur inuita coniuge, & eius, qui profitetur recte agnouit Thomas Sanchez disput. 38. num. 16. Quia istius professio omnino fuit nulla: ordo autem susceptus valuit, & Ecclesia ordini castitatem annexuit, & ille promisit. Tertio vxori licitum esse reuocare, & instanti cõcedendum esse maritum, quamuis ad Episcopum euectus esset, nisi dispensaret Pontifex in matrimonio rato, iuxta communem sententiam in praxi tutam, de qua supra isto libro. Quarto, licet ille inuita vxore ordinatus non possit consummationem petere, attamen teneri reddere debitum vxori consummationẽ petenti. Quare non video quo fundamento Gabriel Vazquez loco citato (nisi forte fuerit error typographi) dicit eum, qui post matrimonium ratum non consummatũ recipit ordinem sacrum, ita emittere votum solemne continentiæ, vt non dissoluatur matrimoniũ ratũ, nihilominus eo voto ita teneri, vt neque petere, neque reddere possit vxori debitum coniugale, inquitque ratione manifesta demonstrari, quam subticet. At ego existimo ratione manifesta demonstrari posse sic ordinatum reddere debere vxore instante. Quia si non potest petere vt consummet, quia illicitum est, & peccatum, ergo non posset per præceptum superioris compelli ad consummandum, esset enim præceptum iniquum. Siquidem præciperet actum omnino illicitum ex illius sententia. Cum ergo Pontifex dicat, si vxor institerit per censuram compellendum esse consummare matrimonium, planum est illi licere, imo debere reddere petenti vxori consummationem. Vnde consultô Pontifex non dixit absolutè illum sic ordinatum compellendum esse consummare matrimonium: sed si vxor institerit: sciebat enim illum iam impeditum, vt non possit sponte ad vxorem accedere, & consummare: sed tantum petenti vxori reddere debere eum, qui contra ius vxoris ordinatus esset. Sed de hoc iterum redibit sermo infra lib. 10. cap. 5.

3 Similiter is, qui contra voluntatem vxoris, vel ea ignorante post matrimonium consummatum ordinatur, sine dubio tenetur ad vxorem redire, & ei debitum reddere, quamuis ab ea petere non possit. Sicut enim iure statutum est, vt vir, qui contra voluntatem vxoris aut ea nescia professus est, è religione reuocetur, & tradatur vxori, *cap. quidam, cap. placet*, & alijs *de conuers. coniugator.* vt dictum est supra. Ita de eo, qui sine consensu vxoris ordinatus est, sentire oportet, vt reddatur vxori, seruet autem votum castitatis ex parte sua, vt docuit Panormitanus, *cap. 1. de conuers. coniug.* num. 7. Angelus v. *matrimonium* 4. num. 11. Syluester v. *diuortium* quæst. 17. dicto 4. Tabiena *matrimonium* 1. quæst.

1. quæst. 3. & communis DD. Atque idem omnino seruandum est, si vxor vel dolo, vel metu licentiam præbeat. Neque opus est sit metus mortis, sed satis est metus iustus, qualis etiam est verborum, atque grauaminum, vt colligitur ex *capite accedens de conuers. coniug.* Similiter putant prædicti DD. posse ab vxore reuocari eum, qui ordinatus est ipsa sciente, & non contradicente. Idque colligunt ex *cap. consuluit de conuers. coniug.* Ex quo capite ego non video, quomodo colligatur; nullum enim est ibi verbum, ex quo colligi possit vxoris dissimulatione valuisse professionem, vt supra etiam diximus. Quare cum hoc iam accidere non possit, nisi publica iudicis auctoritate interueniente, & facta informatione de moribus, & vita, & statu ordinandi, approbataque per iudicem, casus hic nunquam euenire poterit, vt cum dissimulatione tantum vxoris ad ordines promoueatur iam vxoratus, vt dicebam etiã supra de eo qui religionem ingreditur cap. 11. in fine. His adde in *c. fin. de tempor. ordin. in 6.* statutum esse, vt neque tonsura clericali initietur coniugatus, nisi velit vel religionem intrare, vel ad sacros ordines promoueri constituta pœna in Episcopum qui contra fecerit.

4 Diximus non posse ad ordines promoueri, neque antea, neque post consummatum matrimonium sine licentia vxoris. Restabat explicaremus, quæ requirantur, vt quis post consummatum matrimonium secundum iura promoueri possit præter licentiam obtentam ab vxore, & quod onus incũbat vxori: sed ea latè explicuimus supra lib. 7. cap. 25.

5 Addendum autem est ea quæ diximus de necessaria coniugis licentia, vera esse, nisi vxor dederit causam diuortio sua culpa: tũc enim etiam ipsa renuente potest vir ad sacros ordines promoueri, celebrato prius diuortio iuxta ea quæ dicemus in sequentibus. Sic colligunt Doctores communiter ex *cap. Agathosa 27. quæst. 2.* Quamuis in eo capite tã tum agatur de eo, qui ex culpa vxoris transit ad religionem, & *capite constitutus de conuers. coniug.* tamen eadem omnino ratio est, de promotione ad sacros ordines, & de ingressu in religionem, quantum ad hoc, & ita hanc sententiam sequuntur expresse Soto in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 4. sub finem, & dist. 36. quæst. vnica artic. 5. sub fin. & Panormit. in *dicto cap. constitutus*, & Syluester verbo *diuortium* quæst. 7. dicto 1. Armilla eodem v. numero 11. Tabienna *matrimonium* 1. quæst. 3. citantque Syluester, & Armilla Paludanum, quatenus docet in omni casu, in quo licet consummato matrimonio religionem ingredi, licere ad ordines promoueri: quod ipse docet in 4. dist. 27. artic. 2. parum à principio. Colligunt autem hanc sententiam nonnulli ex *dicto cap. constitutus.* Sed immerito: ibi enim tantum decernit Pontifex non extrahendum à religione, neque impediendum quo minus religionis votum implere possit. Quod quidem non fuit à Pontifice definitum ratione voti ordinibus annexi, sed fauore religionis.

6 At contra sentiunt nonnulli, qui existimant, quod quamuis post diuortium liceat ad religionem transire inuita coniuge, non tamen licet ad ordines promoueri. Sic Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andræas in *capite veniens de conuers. coniug.* Antonius de Butrio, Ancharranus, & Henriquus *dicto cap. constitutus.* Astensis in sum. lib. 8. tit. 11. artic. 2. quæst. 9. Fundamenta sunt duo. Primum quia eo ipso, quod vir ordines suscipit, debet statim vxor emittere votum continentiæ, ad quod eam compellere non oportet; at eo ipso quod vir ingreditur religionem, mulier non tenetur votum emittere. Secundum. Quia in *dicto cap. constitutus*, dicitur virum illum, qui ex causa adulterij vxoris ordines susceperat, scrupulis agitatum, & religionem ingressum fuisse. Hoc autem non alia de causa fecisse videtur, nisi quia post ordines susceptos inuenit se non posse in sæculo remanere.

7 Sed hæc non obstant nostræ sententiæ. Ad primum facile respondetur nullo iure constare vxorẽ teneri votum castitatis emittere, quando diuortio facto vir ad ordines promouetur, sicut neque quando ingreditur religionem. Eam enim obligationem voti iura imponunt, quando de consensu vxoris fit iste transitus, non verò quando ex culpa. Vnde non est cur negetur licentia atque facultas ordines suscipiendi post adulterium vxoris. Neque obstat secundum, & omissis varijs interpretationibus, quas refert Panormitanus, dico virum illum Hugonem nomine, qui cum esset, Acolythus, vxorem duxerat, & postea propter adulterium reliquerat, stimulis conscientiæ vexatum, quod putaret se id non potuisse facere, & sicut refertur ab Antonio Augustino in integra, consilio monachorum Cistertiensium eorum ordinem ingressus est, quod illi putarent hoc in iure permissum esse, non autem ad superiores ordines ascendere. Verum, vt ibidem dicitur,

dicitur, tandem rem totam Abbati manifestauit, qui hoc ei consilium præbuit, vt animæ suæ saluti prouideret. Quod scilicet ipse etiam dubitaret, an Hugo potuisset religionem ingredi, & ideo ad Pontificem res delata est. Parùm autèm refert quod Hugo dubitauerit, & scrupulis agitatus fuerit, an potuerit ordinari: fuit enim ea dubitatio ex ignorantia profecta, sicut, & dubitatio monachorum, & Abbatis. Respondet igitur Pontifex non ad conscientiæ stimulos de ordinibus susceptis, quia de hoc minimè rogabatur, sed ad scrupulum de ingressu in religionem, in qua permanebat, de quo fuerat interrogatus de Abbatis consilio. Respondet autem, sicut fuerat à Gregorio I. definitum in *dicto cap. Agathosa.* Et idem de ordinibus susceptis responderet, si rogaretur: sicut autem diximus facto diuortio ob adulterium posse ad sacros ordines promoueri inuita coniuge, idem dicemus etiam si diuortium factum sit ex alia causa, dummodo secundum iura admittatur, aut ea perpetua sit. Si enim sit causa temporalis diuortij, existimo non posse ad sacros ordines inuita coniuge transire.

De criminis adulterij grauitate, & pœna.

CAPVT. XIIII.

SVMMARIVM.

Quid agendum, num. 1.
Grauitas criminis adulterij ostenditur, num. 2.
Obiectio diluitur, num. 3.
Publica pœnitentia puniti adulteri, num. 4.
Punitæ adulteræ, etiam si consentiente marito adulterauerint, num. 5.
Gentiles existimasse adulterium licere de licentia coniugis, num. 6.
Tam virum quam fœminam reum esse adulterij coram Deo: vter grauius delinquat, nu. 7.

1 IAM accedimus ad agendum de dissolutione matrimonij quoad torum, & habitationem ex culpa coniugũ, quod communi nomine vocamus diuortium: licet etiam diuortium dissolutionem vinculi sæpe significet in iure ciuili. Solent autem eius assignari diuersæ causæ. Prima est adulterium alterius coniugis, de cuius criminis grauitate pauca præfari libet isto capite.

2 Grauissimum est adulterij crimen, & inter grauissima secundum locum obtinere, iam pridem docuit Clemens Romanus epist. 1. col. 3. *Ne forte*, inquit, *fornicij labes occasione accepta tanquam venenum pessimum serpat in vobis, cauere, & antecenire necessarium est, ne quod in vobis adulterij occultum coalescat incendium, & quod in omnibus peccatis adulterio grauius? Secundum namque in pœnis obtinet locum. Quoniam quidem primum illi habent, qui aberrant à Deo, etiam si sobriè vixerint*, & habetur *cap. quid in omnibus 32. quæst. 7.* Cui consonàs Gelasius opusculo 1. col. 1. primũ sacrilegio locum tribuit. Eandem sententiam Clementis recitato nomine probat Nicolaus I. epist. 49. circa fin. & ad Consulta Vulgaror. cap. 51. homicidio comparans grauius longè sentit esse adulterium. Inquit enim. *Denique hoc tam immane scelus est, vt homicidij quidem peccatum, quod Cain in Abel fratrem suũ commisit septima generatione Catachilismo vindicatum fuerit: adulterij autem flagitium, quod Lamech omnium primus in duabus vxoribus perpetrauit, non nisi sanguine Christi abolitum existerit. qui septima, & septuagesima generatione secundum Euangelium luxerit in mundum.* Chrysosthomus in quodam sermone, cuius titulus est, *carnis concupiscentiam ne sectemur* inter adulterium, & homicidium facta collatione præfert adulterium. Imò idem Chrysosthomus Homil. 62. in Ioannem comparat cum Idolatria, & nescio quid maioris grauitatis in violatione coniugij agnoscit, ex eo quod Paulus infideli vxori cohabitare permiserit, quando id sine fidei iniuria fieri potest; adulteram vero dimittendi copiam faciat; imò, vt ipse Chrysosthomus existimat, etiam sua deat. His etiam concordant Imperatores *l. 3. C. Theodosiano de indulgentia criminum*, vbi adulterium annumeratur inter sæuiora crimina, & Vlpianus in *lib. regularum infragm. tit. de dotibus §. 5.* Congruit quoque Isidorus lib. 3. epist. 76. vbi adulterium cum alijs vitijs coniugum comparans, ideo atrocius esse dicit cæteris omnibus, quod euertat ipsam substantiam matrimonij. Accedunt Ethnici. Nam Thales Milesius, vt auctor est Diogenes in eius vita, percontanti adultero, an iurare liceret se non admisisse adulterium, respondit periurium adulterio grauitate criminis cedere, quod ita intelligendum est, quia maiora afferre solent incommoda, tum adultero, tum reipublicæ. Adde etiam illud Euphronis apud Stobæum, qui cum omni cõparans malo omni præposuit; ait enim, *non est adulterio maius vllum malum.* Et Rursus, *quid enim maius adulterio?* Denique Bart. *in rubrica de adulteris* affirmat adulterium præ-

ter

ter læsæ maiestatis crimen esse maximum. Et quamuis negare nō possumus quædam ex his per hyperbolen dicta esse, attamen vel crimen adulterij dicitur secundum tenere locū quia læditur honor, quem vita chariorem iudicant, qui recte sentiunt, vel vt dixi, ratione detrimentorum, quæ ex adulterio sequūtur.

3 Neque obstat textus in *cap. At si clerici, de iudicijs*, vbi videtur annumerari inter leuiora crimina. Respondet enim Cuiatius ibidem hunc esse Pontificis sensum, vt adulterium, quamuis per se graue sit, at in ordine ad pœnam degradationis, vel suspensionis esse minoribus annumerandum: quia sæpius ex nostra imbecillitate ortum habet. Aliud obijci potest ex Augustino, de quo dicam capite sequenti.

4 Ideo Ecclesia inter ea peccata, quæ publica pœnitentia expiabantur, contra adulteros non leuem, sed grauem pœnam statuit. Illiberritanum, cap. 8. *vt nec in fine communionem accipiat.* c. 31. si vxores duxerint, acta legitima pœnitētia ad communionem admittit. c. 47. sæpius lapsum etiam in fine communione priuat. cap. 64. si vsque ad finem vitæ in adulterio perseuerat, etiam in extremis negatur communio: quod si reliquerit, decem annorum pœnitentia præscribitur. Can. 68. Catechumenæ adulteranti vsque in finem differtur Baptismus. Can. 78. Fidelis coniugatus cum Iudæa vel Gentili deprehēsus arcetur â cōmunione; occultusque post quinquēnium communioni restituitur. Grauius enim adulterium inter fideles, quam inter fidelem & Paganum puniendum patres eius Concilij iudicarunt. Ancyranum c. 20. septem annorum pœnitentiam adultero designat, vt sic tandem per suos gradus, restituatur communioni. Totidem Martinus Bracarensis in sua Collectione, quæ est post Bracarense 2. c. 78. Zacharias epist. 7. c. 25. Decreti Ancyrani mentione facta. Vuormatiense c. 44. Nannetense c. 12. & 14. Tolosanum sub Victore 2. antiquos renouat Canones. Rauennatense 2. sub Clemente V. c. 29. excommunicari decernit, si indurato animo non ejecerint vsque ad mortem, & Ecclesiastica sepultura priuari. Palentinum sub Ioanne XXII. *tit. de Adulterijs* excommunicatione percellit. Aliud Palentinum sub Vrbano VI. excommunicationis ipso facto incurrendæ sententiam profert, & nisi duobus ante obitum mensibus domo ejecerint, careant Ecclesiastica sepultura.

5 Nec minore seueritate punitæ adulteræ, etiamsi adulterarent consentiente marito. *Si conscio*, inquit Illiberritanum c. 70. *marito, & ipso consentiente fuerit vxor mœchata, placuit nec in fine eis dandam esse communionem, si vero eam reliquerit & separata fuerint, & dignè pœnituerint, post decem annos accipiant communionem.* Olim enim nonnullæ vxores, cū audirent ipsas non habere potestatē sui corporis, sed virum, licere sibi putabant ad torum alterius viri accedere, suo annuente, vel præbente licentiam. Disce ad id historiam sub Constantini temporibus ex August. lib. 1. de serm. Domini in monte c. 16. *Sed tamen*, inquit, *vtrum quod ait Apostolus, Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir, similiter & vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier, possit in tantum valere, vt permittente vxore, quæ maritalis corporis potestatem habet, possit vir cum altera, quæ nec aliena vxor sit, neque à viro disiuncta concumbere. Sed non ita est existimandum hoc nec etiam fœmina permittente viro facere posse videatur, quod omnium sensus excludit. Quamquam nonnullæ causæ possint existere, vbi & vxor mariti consensu pro ipso marito hoc facere debere videatur, sicut Antiochiæ factum esse perhibetur. Nam Acindinus tunc præfectus, qui etiam Consul fuit, cum quendam libræ auri debitorem fisci exigeret, nescio vnde commotus, quod plerumque in istis potestatibus perniciosum est, quibus quodlibet licet, aut potius putatur licere, comminatus est iurans & vehementer affirmans, quod si certo die, quem constituerat, memoratum aurum non exolueret, occideretur. Itaque cum ille teneretur immani custodia, nec se posset debito illo expedire, dies metuendus imminere, & propinquare cœpit. Et forte habebat vxorem pulcherrimam, sed nullius personæ, quæ subuenire posset viro. Cuius mulieris pulchritudine, cum quidam dies esset accensus, & cognouisset maritum eius in illo discrimine constitutum, misit ad eam, pollicens pro vna nocte, si ei misceri vellet, se auri libram daturum. Tunc illa, quæ se sciret, non habere sui corporis potestatem, sed virum suum, pertulit ad eum dicens paratam se esse pro marito id facere, si tamen ipse coniugalis corporis Dominus, cui totalilla castitas deberetur, tanquam de re sua, pro vita sua vellet id fieri. Egit ille gratias, & vtiā fieret, imperauit, nullo modo indicans adulterinum esse concubitum, quod & libido nulla, & magna mariti charitas se iubente & volente flagitaret. Venit mulier ad villam illius diuitis, fecit quod voluit impudicus: sed illa corpus non nisi marito dedit, non concumbere vt solet, sed viuere cupienti. Accipit aurum, sed ille qui dedit, fraude subtraxit, quod dederat, & supposuit simile ligamentum cum terra: quod vbi mulier iam domi suæ posita*

posita inuenit, prosiluit in publicum eadem mariti charitate clamatura quod fecerat, quia facere coacta est. Interpellat præfectum: fatetur omnia, quam fraudem passa esset ostendit. Tum vero præfectus primò se rerum, quod suis minis ad id ventum esset, pronuntiat tanquam in alium sententiam diceret, de Acindini bonis auri libram fisco inferendam; illam vero mulierem dominam in eam terram, vnde pro auro terram accepisset, induci. Nihil hic in alteram partem disputo, liceat cuique æstimare quod velit: non enim de diuinis auctoritatibus deprompta historia est, sed tamen narrato hoc facto, non ita respuit hoc sensus humanus, quod in illa muliere viro viuente commissum est, quemadmodum antea, cum sine vllo exemplo res ipsa poneretur, horruimus. Hactenus ex Augustino.

6 Id quod etiam licere suo exemplo viri vulgo sapientes iudicati censuerunt. Grauissimum enim virum Catonem vxorem suam Martiam Hortensij domum filijs impleturam tradidisse Augustinus refert lib. de bono coniugali. ca. 18. & lib. de fide, & operibus cap. 7. Socratem, quem Apollinis oraculo sapientissimum iudicatum veneratur antiquitas, tanquam armenti matricem amico suo ad propagandam sobolem vxorem tradidisse scribit: irridetque vtriusque sapiẽtiam Tertullianus in Apologetico cap. 39. Certum enim est etiam alterius permissu neutrum coniugem libidini sine adulterij reatu inseruire posse.

7 Reus autem est adulterij non minus vir quàm vxor. Adulterium autem vtrique prohibitum lege Dei, humana tamen aliter docet Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 4. col. 2. & ca. 7. col. 1. vbi pulchra contra adulterium scribit. Licet &c. Licet aliqua ratione fœmina adultera grauius peccare censeatur. Castitas enim, pudicitiaque fœminas decet magis sine dubio, quàm viros. Vnde fœminæ tum ob hanc causam, tum ob partus periculum grauius peccant; confunduntur enim adulterio incerta stirpe familiæ, parentibus illegitima soboles adscribitur, vt cum iustis liberis eandem partem ferant. Vnde, & iure ciuili maritus de adulterio accusare vxorem potest, non è contra. At ratione scandali, cum vir caput familiæ sit, & suo exemplo mores probos docere debeat, grauius etiam peccare, quam fœminas docuit Augustinus libro secundo de adulterinis coniugijs capite octauo, & lib. de decem chordis capite tertio habeturque 32. quæst. 1. Sed de adulterij grauitate, & pœnis diximus non pauca in nostris sacris concionibus quadragesimalibus, in concione de adultera Christo oblata.

De vxoricidio ante sententiam latam.

CAPVT. XV.

SVMMARIVM.

Pœna criminalis adulterij mors, num. 1.
Proponitur quæstio, num. 2.
Quæ certa sunt, explicantur, num. 3.
Quidam licitè, & rectè posse occidere dicunt, tanquam ministrum publicum iam deputatum, num. 4.
Oppositum omnino verum, num. 5.
Probatur ex iure Canonico, num. 6. 7. 8. 9. 10.
Ostenditur iniustam fore legem, quæ id concederet, varijs rationibus, num. 11. 12. 13. 14. 15.
Ex iure Ciuili non colligi maritum in eo casu deputatum esse ministrum publicum iustitiæ, num. 16.
Neque ex legibus nostri regni, num. 17. 18.
Permissum tantũ vxoricidium, & quare, n. 19.
An ea opinio sit digna aliqua censura, num. 20.
Satis fit fundamentis primæ sententiæ, num. 21.

1 MVLTÆ sunt statutæ pœnæ aduersus adulteros de dotis, & paraphernalium amissione latè iuris periti, & inter eos Farinacius 4. to. quæst. 142. p. 1. Pœna autem criminalis est mors. In qua primò certum est non esse æquam sortem mariti, & vxoris, neque enim licet vxori maritum criminaliter oppetere *l. 3. tit. 20. lib. 3. nouæ Recopilat.* nec compensari eam accusationem similis adulterij exceptione, sed adhuc post adulteria licere marito criminaliter accusare. Tota ergo difficultas est an iure poli marito liceat vxorem in adulterio deprehensam occidere.

2 Magna, & animorum, & verborum cõtentione superioribus annis inter nonnullos DD. Salmanticẽses disputatum est liceat ne marito occidere vxorem in adulterio deprehensam, ita vt non solum impunè, sed tuta conscientia id faciat. Nam ciuilibus legibus, & regni Lusitaniæ atque Castellæ eam impunitatem cõcedi pro comperto est: ideo nos aliquid breuiter dicamus, & nostram sententiam, quam eo tempore iustis de causis expromere nolumus, explicemus.

3 In primis certum est, nec de eo dubiũ esse potest, priuata auctoritate, sibique vsurpata, nũquam licere occisionem, atque ideo maritum vt priuatam personam, nequaquam posse occidere vxorem in adulterio deprehensam. Id quod ex generalibus principijs desumendum est. Deinde certum, si leges sæculares, quæ maritis facultatem faciunt vxores occidendi, permittant tantum, quales sunt leges latæ de vsuris, & meretricibus, & alijs huiusmodi, nunquam posse dici licitum vxoricidium. Nam quod fit lege tantum permittente, nunquam licere potest in conscientia. Et quia, vt ostendemus statim, leges ciuiles non probarunt adulteræ occisionem mariti manibus, ideo illarum legum rationem habentes Doctores antiqui vno ore illicitum vxoricidium in eo casu docuerunt.

4 Sed extitere nonnulli, qui licere mari to vxorem in adulterio deprehensam occidere affirmarunt iure Castellæ, & Lusitaniæ, non quidem tanquam priuatæ personæ eam sibi potestatem vsurpanti, sed tanquam ministro iustitiæ. Publicum enim ius illarum legum illos ministros mortis efficit, illisque facultatem tribuit, vt in flagranti [possint occidere, non secus ac si post causæ cognitionem, & sententiam latam illos exequendæ mortis ministros destinaret. Deputat enim maritum tanquam ministrum publicæ auctoritatis iustæ executioni. Atque id quidem rectè fieri posse lege lata, etiam in audita adultera, quia notorius excessus examinatione non indiget *capite bona de electione*. Quando enim crimen notorium per deprehensionem, ac nullatenus excusari potest, non est necessaria nec citatio, nec sententia ad pœnam irrogandam, vt docet Bartol. per textum in *lege ictus fustium num. 1. D. de his qui notantur infamia*. Hanc sententiam tenent multi Doctores, quos refert Thomas Sanchez lib. 10. disput. 8. num. 37. & Leonardus Lesius illam probabilem iudicat, cui subscripsere apud Salmanticenses non pauci, quorum alij veram, alij probabilem, & omni censura liberam asseruerunt.

5 Cæterùm in primis hæc sententia mihi videtur omnino falsa, & improbabilis, de censura autem dicam postea. Iudico itaque nullatenus licitum esse marito vxorem in adulterio deprehensam occidere: & quamuis id impune faciat, iniuste tamen, & cum peccato, atque adeo legibus vxoricidium non probari, sed permitti. Communis hæc sententia DD. est, vt testatur Couarruuias de matrimo 2. parte cap. 7. num. 15. Iul. Cla. §. adulteria à qua communi sententia in re tanti momenti non videtur recedendum. Probabo sententiam istam vniuersè. Primò testimonijs, de inde ratione, denique ostendendo, neque ex ciuilibus legibus, neque sæcularibus Hispaniæ, & Lusitaniæ id colligi posse, non solum firma, sed nec probabili consequentia.

6 Igitur pro nostra sententia contra priorem pugnat Nicolai I. Pontificis responsum in *capite inter hæc 33. quæst. 2.* qui Albino Episcopo roganti, an mulierem in adulterio deprehensam liceat marito occidere, iuxta id quod mundanæ leges scilicet Longobardicæ, quæ tunc à Romanis obseruabantur, licebat, inquit: *Sancta Dei Ecclesia mundanis nunquam constringitur legibus: gladium non habet, nisi spiritualem: non occidit, sed viuificat.* Quibus non obscurè eam legem improbare videtur. At in hoc casu eadem est lex Longobardica, atque Castellæ, & Lusitaniæ. Ergo si illa non probatur à Pontifice, neque etiam istæ, atque adeo illæ leges permittunt tantum, non probant.

7 Idem argumentum sumitur ex *capite Quicumque* sequenti ibi. *Quicumque propriam vxorem absque lege, & sine causa, & certa probatione interfecerit, publicam agat pœnitentiam.* Ergo ante legitimam probationem noluit Pontifex licere in conscientia marito vxorem interficere, idque merito, vt ostendam, cum ratione pugnauero.

8 Præterea elegans nobis suppeditat testimonium Stephanus Papa in *capite admonere infra quæstione secunda*. Cum enim Hastulphus vxorem interfecisset, adulterium prætexens, in eiusque probationem testem vnũ tantum adduceret, grauiter reprehenditur à Stephano, & seuera ei imponitur pœnitentia. In quo primum expendo post mortem vxoris examinatam causam adulterij, & requisitas ab eo probationes: quibus, quid opus esset, si illi iustè, & in conscientia occidere vxorem fas esset? Deinde notanda illa verba. *Prius causa criminis erat subtiliter inuestiganda, & tunc, si ita fuisset inuenta secundum legis tramitem debuit accipere vltionis vindictam.* Nam *si verum, quod absit, fuisset, sicut ille adulter mentitus est, post septẽ annos pœnitẽtia peracta dimittere eã per approbatã causam poteras, si voluisses: occidere tamen eam nullatenus debuisti. Non enim Deus vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, ad pœnitentiam,*

tentiam,& viuat. Quibus quis non videt improbari vxoricidium patratum humana lege permittente? Lex enim Ecclesiastica respicit forum animæ.

9 Sed adest etiam optimum Augustini testimonium lib. 2. de adulterinis coniugiis ca. 15. & habetur *ca. siquid quæst. 2. Postremò quæro abs te an liceat marito Christiano secundum legem veterem, vel Romanas vxorem occidere?* Et post pauca respondet non licere, adeo que graue crimen esse vxoricidium, vt è duobus malis minus malum sit vxorem aliam ducere prima superstite, quàm priorem occidere. Agebat autem Augustinus de marito vxorem in adulterio deprehendente, ac iuxta leges sæculi occidente. Quare iure ciuili, & sæculi vsque ad Augustini tempora illicitã eam occisionem, dubitari non potest. Illud tamen obseruandum Augustinum ideo dicere grauius malum esse occidere coniugem in adulterio deprehensam, quam aliam vxorem ducere, & adulterari illa viuente, non quod adulterium leuius malum sit homicidio, eius enim oppositum ostendi supra cap. præcedenti, sed quia in hoc peculiari casu in homicidio est malitia contra iustitiam, sicut in adulterio: & præterea est culpa contra misericordiam, præbet enim se maritus immisericordem erga salutem spiritualem coniugis, quam ipse in extremo periculo constituit; quod peccatum grauius est alia malitia contra castitatem, quæ est in adulterio. Quam enim stricte obliget hoc præceptum misericordiæ circa spiritualem proximi salutem, attingam infrà.

10 Nec mirum si vxoris necem Ecclesia improbarit, cum Concilium Toletanum 1. capite 7. Clericis tantum concedat, vt vxores suas adulterantes præter necem custodiendi, atque ligandi potestatem habeant, macerandique ieiunijs, non tamen mortiferis *capite, placuit quæstione 2.* Et vniuersim de vxoribus laicorum hæc statuit Triburiensis Synodus sub Formoso Papa cap. 46. *Si cuius vxor constuprata fuerit, & propterea maritus capitali sententia delere illam machinauerit: ipsa verò vrgente mortis periculo ad Episcopum confugerit, & auxilium quæsierit operosiori, si potest Episcopus labore defendat, ne occidatur, si vero non potest, nullo modo liceat ei requirenti eam viro reddere ad occidendum, quæ se ei obtulit ad defendendum, sed solerti cura transmittet eam ad locum, quem ipsa delegerit, vt secura viuere possit. Si vero interdum maritus eam inuenerit, & repetierit, secundum sæcularem potestatem habeat quid agere ei velit. Sed audiat Sanctum Augustinum dicentem: Cum enim vir à virtute nomen accipit, mulier à mollitie, id est fragilitate, quare contra crudelissimam libidinis bestiam vult vnusquisque vxorem suam esse victricem, cum ipse ad primum libidinis ictum victus cadit? Nam quidquid contra fidem Catholicam mulieribus non licet, nec viris licet.* Expende illud Concilij *secundum sæculum*, id est, sæculares leges, à quibus tamen longe abest Ecclesiæ animus. Permittunt ergo tantum leges sæculi, non verò in conscientia vxoris necem licitam reddunt. His certè testimonijs satis constat Imperialibus legibus horum Patrum tempore non licuisse occisionem vxoris in adulterio deprehensæ, quando quidem illam reprehendunt, vt illicitam.

11 Sed, & ratione probemus in vniuersum licere non posse. Idque manifestè meo iudicio ostenditur ex iniustitia legis, quæ id præciperet. Si enim ostendero non posse esse legem, quæ licitè concedat marito facultatem occidendi vxorem in adulterio deprehensam, planum erit neque vllam extare legem, quæ deputet illum ministrum tali executioni, cum lex omnis iusta esse debeat, aut legis nomen non obtineat. Et non posse legem ferri, quæ concederet vt malefactores obuios quisque possit occidere iussu Principis docet Soto lib. 5. de iustitia quæst. 1. articul. 2. ad 1. Mercado lib. 6. sum. cap. 5. §. *fuelen a las vezes.* Et in hac specie idem docet Gabriel Vazquez de restit. cap. 2. §. 1. dub. 2. num. 7. Ostendo igitur eius legis iniustitiam in primis, quia ea lex innumeris fraudibus, & maritorum insidijs aperiret viam. Nã cum vir odio haberet vxorem, aliquemque sibi haberet offensum, occidere conaretur, ac diceret se illos inuenisse in flagranti delicto. Item cum nonnulli ex maritis sint, qui suarum vxorum lenones esse solent, quique, & ipsi vxorum amasios procurant, sæpe contingere posset, vt si ratione per soluẽdæ mercedis inter se dissentirent, illum occideret, vxorem vulneraret, ac crimen, cuius ipse auctor, illis obijceret. Quæ in simili dixit Imperator *lege fin. C. de Malef. & Mathemat.* dum prohibet, nequis sine delatione ad iudicem Magos occideret. Verba hæc sunt. *Qui cumque maleficiorum labe pollutum audierit, deprehenderit, occupauerit: illicò ad publicum pertrahat, & iudicum oculis communis hostem salutis ostendat. Quod si quisquam agitatoribus, id est, aurigis, seu ex quolibet alio genere hominum, contra hoc interdictum venire tentauerit, aut clandestinis supplicijs etiam manifes-*

tum reum maleficæ artis oppresserit, vltimum supplicium non euadat, geminæ suspicioni obnoxius, quod aut publicum reum, ne facinoris socios publicaret, seueritati legum, & debitæ subtraxerit quæstioni: aut proprium fortassis inimicum sub huiusmodi vindictæ nomine consilio atrociore confecerit.

12 Deinde eius legis iniustitiam apertius adhuc demonstro. Nam quoties aliquis actus, vt hic, & nunc exercetur, non potest sine manifesto periculo peccandi fieri, cum quo ex ipsa rei natura coniungitur, non potest actus ille vt licitus lege probari. Quam multa prohibita sunt solum ratione periculi annexi? Certè complura: ideo enim prohibita cum dæmone colloquia, eiusque inuocatio: & si secludas periculum ruinæ animi, non facile eius prohibitionis rationem reperies. Videamus ergo an vxoricidium, cum in ipso delicto comprehenditur vxor cum adultero, possit, & valeat sine periculo peccati fieri, an habeat necessario, & ex natura ipsa rei adiunctum peccati periculum? Habet quidem. Quis enim dubitet, dum ardet animus zelo vindictæ, dolet illatam iniuriam, quam suis oculis aspicit, vlciscendæ iniuriæ animum non adesse? Quem tamen ex natura rei non præsumit ius, cum post obiectum in iuditio crimen, causæque cognitionem, illi committit executionem vindictæ; iam enim lapsu temporis frigescente iniuriæ memoria, & aliquantulum sedato animo, aut saltem concesso respirandi tempore ab iniuriæ pondere, verosimile est, aut saltem prudenter præsumi potest, non moueri zelo vindictæ: ius certè occasionem ea deputatione non præbet. In flagranti autem executionem concedere, aut deputare ministrum, ac in eo casu non esse ex natura rei coniunctum periculum vltionis, qui dixerit, ferreus est, aut niue frigidior. Quare ex natura rei coniunctum certè peccati periculum illi subitæ executioni.

13 Sed & alia etiam ex parte periculum adest cum vxor in peccato occidatur. Quantula enim res est hominis honor præ salute æterna cuiusuis, cũ eam curare debeat quis, maxime quando teneatur etiã cũ dispendio tẽporaliũ suo. Cum ergo vxor mariti potestati commissa sit, & ad illum spectet de eius æterna salute curam gerere, tenetur illi consulere etiam cũ illo dispendio, maximè cum alia via illi honoris iacturæ licitè subuenire possit. Vnde non video quomodo licitè possit occidi vxor in flagranti delicto deprehensa, cum adulteros exponat periculo damnationis æternæ. Quis neget, quoties quis administrat sacramenta, probabilem opinionem debere sequi, peccareque si non faciat, ex ea solum ratione, quia in periculum adducit salutem æternam eius, cui ministrat? Quod si adeo stricta obligatio est, vt cesset interdum religionis præceptum, ne desit, qui sacramenta ministrat eleemosynæ, vt cum ea in peccato ministrat, quod se, volens citò subuenire extreme indigenti sacramento, præparare non potuit, quis maritum eximet ab obligatione non exponendi periculo salutem æternam vxoris, quam sane in extremum conijcit periculum, si occidat illam in adulterio deprehensam? Aut quis legem, quæ id decerneret, iustam existimaret?

14 Et quò magis constet non licere marito ex ea lege vxorem occidere, videamus quo prætextu posset lege statui, vt in adulterio deprehensam occideret. An vt iniuriam sibi illatam vlciscatur? At hoc illicitum esse quis ignorat, qui Christianus sit. Si vt supplicium sumat. Quomodo de fœmina existente in peccato, & eius curæ commissa, non concesso ei ad sacramentalem confessionem spatio, sumi licitè potest? Si enim damnato ad mortem id tempus concedunt iura, & iniusta esset lex, quæ id denegaret, cùm tamen damnati ad mortem per sententiam tempus habuerint animum præparandi, & conuertendi, quantò iniustior, quæ concederet marito potestatem occidendi subito in peccato repertam nullis ad id concessis inducijs? Quod si eam facultatem concedunt marito tanquam contra inuasorem honoris, quem iustè licet occidere, etiã si sciam esse in peccato mortali, hoc quidem locum habere non potest in præsenti, & vide quanta rerum turpitudo sequatur. Ex eo enim fieret maritum non tantum lege ciuili, Castellæ, & Lusitaniæ, sed iure naturali esse deputatum ministrum, aut posse occidere adulterum, & adulteram, nec indigere ea deputatione virtute legum. Nam inuasorem honoris occidere ideo licet, quia iure naturali vim vi repellere fas est. Rursus ex eo fieret, nõ posse adulterũ, nec adulterã se defendere, & maritũ inuadẽtẽ occidere, si alia via eripi ab eius potestate nõ potest, atque adeo irregularem esse adulterum, si occidat maritum, cum tamen vniuersè statuatur oppositum in *Clement. si furiosus, de homicidio.* Cum enim bellum non possit esse iustum per se ex vtraque parte, si maritus ius habet occidendi

dendi adulteros, non possunt adulteri ius habere occidendi maritum, si aliter nequeũt vitæ suæ consulere; & ex consequenti iniustum erit homicidium in defensionem propriæ vitæ ex parte adulterorum, non secus atque damnatus ad mortem, qui detinetur in carcere, aut extra carcerem non potest à ministris iustitiæ cum eorum offensione se defendere, vt docuit Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 69. articulo 4. ob eandem rationem, quia scilicet est bellum iustum ex parte ministrorum, & ideo ex parte damnati non potest esse bellum iustum. Adde; quo magis perspiciatur non habere locum in præsenti regulam iuris naturalis, qua vim vi repellere licet, non esse eandem rationem, cum quis occidit inuasorem, quem etiam in peccato occidit. Tum quia ille non est meæ curæ commissus, vnde præceptum de æterna salute proximi non ita strictè me obligat. Tum etiam, quia inuasorem licet occidere, quãdo aliter nõ possum effugere, quare ille inuasor voluntate sua vult perire: at vxorẽ adulterã aliter potest maritus corrigere; vnde non est eadem ratio: Tum etiam, quia ego nõ sum de mea salute securus, si me permittã occidi, & magis teneor propriæ cõsulere, quã alienæ. Tum etiam, quia nõ teneor subuenire saluti spirituali proximi cum propriæ vitæ dispendio, nisi quando ille est in extremo discrimine, ex quo non potest se nisi mea ope liberare, vt si infans esset moriturus sine baptismo; at inuasor se ipsum potest eripere, & liberare: quod secus in nostro casu euenit, vir enim est, qui inducit illam in extremum discrimen, & eius ope liberari potest: quare occidere non potest sine manifesto peccato.

15 Denique eius legis iniustitia ex eo constare potest, quia si, vt infra dicemus, ob adulterium occultum viro euidenter cognitum, quod in iudicio probare non potest, nequit vir in conscientia vxorem dimittere, cum non adeo grauis pœna diuortium sit, nec irreparabilis: & legem quæ statueret, vt id liceret, iniustam iudicaremus, eo quod multis fraudibus aperiret viam, quo pacto ob adulterium soli viro cognitum euidenter dicemus concessum esse, vt occidat, quæ grauissima pœna est, & semel illata irreparabilis. Nec verò alicuius momenti est, quod dicunt excessum illum esse manifestum, & ideo posse legem deputare maritum vt ministrũ publicum. Idque friuolum esse, hac ratione demonstro. Si vir reperiat vxorem in adulterio, & nõ statim occidat, sed velit vinculis alligare vtrumque, & spatium temporis illabatur, iam non habet ius occidendi, sed deferre debet ad iudices. Ergo non deputarunt iura illum executionis ministrum: aliàs cur etiam elapso tempore non potest illos, quos in vinculis, detinet, occidere sine delatione apud iudicem, cum manifestus ex cessus, vt illi dicunt, probatione non egeat. Signum ergo manifestũ est vxoricidium in eo casu permissum tantum ob doloris vehementiam ex iniuria concepti, non vero probatum vt licitum in foro animæ. Adde, quid quid de eo sit, an excessus notorius indigeat probatione, de quo modo non disputo, ad huc licet id esset verum, in hoc tamen casu non licet habere pro notorio, & irrefragabili delicto. Quis enim scit, vt supra dicebam, an leno maritus esset: an consensisset, vt quia ipse impotens, cum alio concumberet, vt prolem ex eo susciperet, quod factum non semel. An etiam id adulterium vi illata commissum esset, an in amentia, quæ sunt exceptiones, & depulsiones eius criminis, ac ex consequenti causæ cognitionem deposcũt. Nunquam ergo ille ita notorius excessus est, vt iudicis auctoritatem non exposcat.

16 Denique neque ex legibus sæcularibus ciuilibus, aut Castellæ, aut Lusitaniæ colligi potest ea deputatio, quã fingebat prima sententia. Non quidẽ ex iure ciuili. Nam lex 12. tabul. vt ab illa ordiamur, hæc habet. *Mœchum in adulterio deprehensum necato.* Sed permissionẽ imperãdi verbo solere significari, qui ignorat, ignorãtissimus est. Adde etiam quid lex duodecim tabularum adius poli, ac q; cõscientiæ? Neq; ex textu in *l. Gracchus C. de adulteris* permittitur marito, vt occidat adulterã, si vilis sit. Expende limitationem, si ille minister deputatur, quia in excessu manifesto nõ est necessaria probatio, quorsum ea distinctio vilis aut principis viri. Sed addit lex eũ legitime interfici, ergo licitè. At verbũ illud *legitimè*, nõ semper significat in cõscientia, quod iustũ est, sed quod secũdũ leges, quod nõ cõtra leges, ideoq; occisio illa legitima, quod lege permittẽte facta est. vnde neq; punitur per legẽ. Præterea planũ est lege ciuili nequaquã id cõcessũ: quia in *l. nec timorẽ D. de eo quod met. causa* dicitur de eo, qui adultero in adulterio deprehenso minatur mortẽ, & eo metu aliquid extorquet, dari rescissionẽ, quia iniustè fecit, additq;: *Quãquam nõ omnẽ adulterum liceat occidere nisi se telo defendat*, & ideo ait iure occidi nõ posse. *Et l. isti quidẽ eodẽ tit. dicit malo more gestũ esse. Quare quod habetur l. 24. D. Ad l. Iuliam de adulter.*

§. *fin.* habere ius occidendi, licet adulter sit magistratus, restringendum ad patrem tantum, cui omnem adulterum permissum occidere in domo, in qua habitabat pater, aut gener *lege 20. 22. & 23. eodem tit* marito etenim tantum licuit occidere adulterum, si tamen vilis esset. Vnde *lege 25. eodem* statuitur, vt si maritus deprehendat adulterum, quem nolit, aut non liceat occidere, posse eum retinere horis 20. continuis, & testes inducere in accusatione testimonio futuros deprehensum in adulterio. His adde Nouelam constitutionem 117. cap. 15. ex qua intelligitur apertius non licuisse maritis vniuersim occidere vxorem, neque adulterũ etiam in adulterio deprehensos, dicitur enim. *His quoque etiam illud adijcimus, vt siquis forsan suspicatur aliquem velle suæ vxoris illudere castitati, & contestationes ei ex scripto tres destinauerit habentes testimonia trium virorum fide dignorum, & post has tres ex scripto contestationes inuenerit eum conuenientem suæ vxori, siquidem in sua domo, aut ipsius vxoris, aut adulteri, aut in popina, aut in suburbanis esse licentiam marito propriis manibus talem perimere, nullum periculum ex hoc formidanti. Si vero in alio loco talem inuenerit cum sua vxore loquentem, non minus tribus testibus fidedignis conuocatis, per quos probare possit, quod cum sua vxore comperit, iudici tradere crimina examinanti.* Et post pauca. *Quia verò ita comperiuntur aliqui impij, vt etiam in venerandis domibus præsumant in talibus se miscere sceleribus, & ibi de peccatis tractare vbi consueuerunt Deum timentes, peccatorum veniam postulare* (. Digna Imperatore sententia) *iubemus vt siquis talis inueniatur in locis venerabilibus alienæ vxori, de qua in suspicione est post tres sicut dictum est, contestationes loqui, licentiam esse eius marito vtrasque personas defensori Ecclesiæ, aut alijs Clericis tradere, vt ad eorum periculum diuisim isti seruentur, donec iudex hoc cognoscens amittat ad Episcopum ciuitatis, quatenus ei isti tradantur, &c.* Vide ex his omnibus quam longè absint iura ciuilia à deputando maritum ministrum iustæ executioni, si in adulterio deprehendat, cum solùm concedatur, & cum limitatione adulterum occidere; nullibi autem vxorem occidere permissum: id enim tantum patri, & certis quibusdam conditionibus per legem concessum est, siue permissum potius. Cur autem patri potius, quam marito committatur occisio filiæ, ratio redditur *leg.* 14. *titul.* 17. *Part.* 7.

17 Nec vero id apertius colligitur ex legibus nostri Regni. Nam *leg.* 12. 13. *&* 14. *tit.* 17. *Part.* 7. tantum habentur eadem, quæ in iure ciuili continentur, & in Nouella 117. Solumque conceditur marito facultas occidendi adulterum, non tamen vxorem. Quare ex legibus Partitarum adstrui non potest ea deputatio, quam fingit prima sententia. Sed neque ex iure nouæ compilationis. Nam *lib.* 8. *tit.* 20. *leg.* 5. constat me iudice manifestè occisionem vxoris in adulterio deprehensæ fieri à marito propria auctoritate, & non ex deputatione legis: propria autem auctoritate non licere occidere etiam aduersarij fatentur. Id igitur ostendamus. *El marido que matare por su propria auctoridad al adultero, y a la adultera, aunque los tome in flagranti delicto, y sea justamente hecha la muerte, no gane la dote, ni los bienes del que matare, saluo si los matare, ò condenare por auctoridad de nuestra justicia, que en tal caso mandamos que se guarde la ley del fuero, que en este caso dispone, que es la ley primera deste titulo.* Inquiro enim quid significetur hoc loco illo verbo, *matare por su propria auctoridad.* Planum certè loqui Regem de occisione, quæ fit, dum in flagranti deprehenduntur adulteri. Ea enim occisio opponitur illi, quæ fit iam per iudicis sententiam. Ergo in eo casu auctoritate propria occidit maritus, & non ex deputatione legis. Aliàs, quæ ratio esset, cur ille, qui in flagranti deprehensos occidit, si iam est lege Castellæ deputatus minister, quia excessus est notorius, priuaretur bonis occisorum, non autem qui occideret interueniente sententia, quando quidem in vtroque casu exequitur vt minister legis iuxta illos? At maritus occidens in flagrãti priuatur semper occisorum bonis. Ergò semper occidit auctoritate propria, & non auctoritate legis: aliàs non opponerentur, non distinguerentur istæ duæ occisiones, quas si vna fiat auctoritate priuata, & alia auctoritate legis, vel iudicis.

18 Nec verò his obstat, quod in ea lege dicatur. *Y sea iustamente hecha la muerte*: eo enim verbo tantum impunitatem concedit à crimine. Iusta itaque mors illa est, non tamen iustè illata. Nec etiam fortius aliquod argumentum sumitur ex *lege prima eiusdem tituli* ibi. *Si muger casada fiziere adulterio, ella, y el adulterador ambos sean en poder del marido, y faga dellos lo que quisiere, y de quanto han.* Ea enim lex non loquitur de marito deprehendente in flagranti, sed per sententiam iudicis procedente, idque constat tum ex declaratione quæ est in *dicta l.* 5. *& l.* 4. *eiusdem tit.* Tum etiã quia illa verba, *si fiziere adulterio*, nimis generalia sũt, & ex

& ex illis sumere maritus occasionem posset occidendi etiam postea. Nil itaque ibi dicitur, quo indicetur legē loqui de marito, qui in ipso crimine deprehēdit: sed tantum eius est sensus tradendos à iudice marito, vt quod libuerit faciat: & in eo casu etiam bona retineat, nisi fortè liberi extiterint. Tum etiam id constat, quia in fine eius primæ legis hæc habentur. *Y si por vētura la muger no fue en culpa, y fuere forçada, no aya pena.* Quomodo autē discerni posset, an mulier culpa caruisset, si in ea lege daretur marito potestas occidendi in ipso crimine deprehensos? Tantum ergò illa prima lex intelligitur de his, qui occidunt post examen causæ. Tum denique hanc esse eius legis mentem mihi persuadeo, quia ea ex legum foro desumpta est: eo autem tēpore, quo fori leges vigebant, seruabatur apud Hispanos Partitarum ius, in quibus ea potestas marito non conceditur. Solùm ergo ea fori lex explicuit, quod in legibus Partitarum expressum non erat, scilicet, auctoritate iudicis condemnatos adultero: mariti potestati tradendos, insuperque occisorum bona non extantibus liberis. Nec maioris efficacitatis existimo Lusitaniæ leges.

19 Licet ergò tantum per leges impunè occidere ob vehementē dolorem, quem maritus animo concipit ex illato dedecore. Tantus enim est huius iracundiæ impetus, vt leges, & si manus non arment ad vindictam, tamen illas non omnino exarment, id tribuentes iusto dolori, vt vir impunè possit necem inferre adultero. Cuius permissionis rationē obtulit Cassiodorus excusans illum, qui occidit adulterum hisce verbis. *Quis ferat hominē ad leges trahere, qui matrimonij nixus est iura violare? Feris insitum est copulam suam extrema decertatione defendere, dum omnibus animantibus est inimicum, quod naturali lege damnatur. Videmus tauros fœminas suas cornuali concertatione defendere: arietes pro suis fœminis capitaliter insanire, equos adiunctas sibi fœminas colaphis, & morsibus vindicare, ita pro copulatis sibi animas ponunt, qui verecundia non mouentur. Homo autem quomodo patiatur inultum relinquere adulterium, quod ad æternum suum dedecus cognoscitur commisisse?* Vnde à sapiente scriptum est prouerb. 6. *scelus, & furor viri non parcet in die vindictæ*, siue *in die iudicij*, vt habent septuaginta, hoc est, in iudicio publico. Nam apud Hebræos nunquam licuit per legem alicui priuata potestate in adulterum sæuire: sed ad iudices crimen deferendum erat, vt ipsi de supplicio, & causa decernerent. *Neque acquiescet*, inquit Salomon, *cuius quam precibus*, videlicet, exorari, & flecti nescius ob furoris vehementiam, qui cum tantus sit leniri aut mulceri non potest. Vnde Chrysostomus in lib. de Virgin. iram coniugis ob adulterium sæuientis dæmonem internum appellauit. *Neque* denique *suscipiet pro redemptione dona plurima.* Vix enim vnquam inuentus est maritus adeo sordidus, vt dedecus, quod ex adulterio coniugis eueniat, pretio aliquo compensandum existimet. Quod efficit natura dedecoris, cum nullus sit ita imperitus æstimator, qui honorem non cunctis opibus præferendum iudicet.

20 Demonstrauimus hactenus falsissimam esse eam sententiam; restat dicamus, an aliquid periculi contineat, censuraque aliqua digna sit eo modo explicata, quo primæ sententiæ Doctores illam explicare diximus. Leonardus Lesius illam probabilem iudicat, & multi Salmanticenses probabilem, & nulla nota dignam iudicarunt, damnantibus tamen alijs. Ego meum in hac re iudicium non interpono, dicam tantum, quo alij permoti censura dignam iudicarunt. Eadem propositio expurgata videtur auctoritate ordinaria, & expuncta ex aphorismis Emanuelis Sa. Ille enim libro Aphorism. conscientiæ, verbo *homicidium* numero 14. hæc habet: *Adulteram tradetam viro à iudice, vt occidat, si velit, potest occidere, est enim tunc minister iustitiæ voluntarius.* At numero 15. ita scribit: *Occidere in adulterio deprehensam vxorem vel filiam, itemque adulterum licere aiunt quidam, alij melius negant. Medina de restitutione quæstione tertia caus. 4. Couarruias parte secunda de sponsalibus capite septimo §. septimo numero octauo Nauarrus capite 25. numero 3. Soto lib. 5. de iust. quæst. 1. art. 3. & in 4. dist. 37. quæst. vnica.* Planum est, cum Sa dicit alios negare, & alios affirmare, citatis etiam testibus, loqui de ea sententia, quam priores auctores defendunt. Hæc autem propositio, quamuis cum illa moderatione scripta sit, quia tamen probabilem, licet minus probabilem iudicabat sententiam affirmantium licere, expurgata est ea propositio in expurgatorio Romano. Nam cum Aphorismi Emanuelis Sa expurgantur, hæc sunt eo loco. Pagina 234. numero 15. *Dele, licere aiunt quidam &c. vsque ad finem, & corrige, non licet in foro conscientiæ*, iuxta quem codicem expurgatorium Aphorismi postea excusi verbo *homicidium* numero 15. ita habent: *Occidere in adulterio deprehen-*

sam vxorem vel filiam, itemque adulterum, non licet in foro conscientiæ. Quod siquis à me quærat, quantæ auctoritatis sit codex ille expurgatorius, crediderim non exiguam eius auctoritatem esse, nec nisi consultis fidei iudicibus in Curia Romana in lucem edi, sicut, & quem in Hispania excudit supremæ Inquisitionis senatus. Vnde extra Hispaniã illi codici multum deferri, vel illud indicat, quod libri omnes post eum Codicem Romanum excusi correcti iuxta illum imprimuntur. Quod quidem magno argumento est magno consilio, & publica auctoritate, ordinaria scilicet, factum esse, siue editum in lucem: At ne ex eo aliquis remaneat scrupulus, posset aliquis dicere, ideo expungi, quia absolutè probabile iudicauit licere eam occisionẽ, non expungendum, si diceret id legibus Castellæ annuentibus licere, quia deputant virum vt ministrum iustæ executioni. Eius tamen Codicis expurgatorij non tanta auctoritas est, vt notam inurat illi opinioni quam reijcit, vt latè demonstro in nostro Commentario de insidijs licitis. Itaq; ex eo quod in eo Codice Romano expuncta sit ea propositio, non sequitur vlla censura dignam esse.

21 Atque ex his constat fundamentum illud, cui nitebatur prima sententia, posse scilicet eam facultatem concedi per legem, vt in casu notorio exequatur sententiam inaudita parte, nullius esse momenti; tum quia propter ea, quę diximus, iniusta esset ea lex; tum etiam, quia adhuc non potest dici ille notorius excessus. Quare is casus, in quo inaudita parte procedi potest, (forsan enim aliquis esse potest, vt alibi dicam) longe à nostro diuersus est; vnde ab illo ad istud desumere argumentum non potest, nisi iuris, & æquitatis ignarus.

Adulterium causam esse diuortij perpetui.

CAPVT. XVI.

SVMMARIVM.

Adulterium esse causam diuortij, & colligitur ex Matth. 19. num. 1.

Defenditur iste locus ab hæreticorum interpretatione, num. 2.

Adulterium causam esse diuortij iure comprobatur, num. 3.

Oriri ex ipso naturali iure, num. 4.

Quid nomine adulterij intelligatur, & an extendatur ad sodomiam, num. 5.

1 IGITVR merito Christus Dominus, qui Matrimonij contractum ad sacramenti dignitatem euexit, & ad suam primam institutionem reuocauit. Matth. 19. causa fornicationis diuortium concessit. Ex quo testimonio causam desumpserunt hæretici, vt adstruãt licere ob adulterium dimittere, & dimittenti aliam ducere, quasi id sensus sit verborum Christi: Qui dimiserit vxorẽ suã ob aliã causam, quã ob fornicationẽ, & aliã duxerit, mœchatur; si vero ob fornicationẽ dimiserit, & aliã duxerit, nõ mœchatur; & quicumque ob aliam causam, quam ob fornicationem dimissam duxerit, non mœchatur. Cæterum, vt iam supra, hæreticorum is sensus est. Nam post Christum sublata repudia quacumque ex causa, vt ibidem ostendimus: vnde viuente prima coniuge nũquã licuisse etiam post adulterium secundum matrimonium, eo loco communem esse Patrũ, & Conciliorum sententiam ostendimus.

2 Et quidem ex isto loco perperam colligi dimissam ob adulterium liberam remanere multa conuincunt. Primùm quia ea cõcors Patrum, & Conciliorum sententia fuit, qui ita hunc locum intellexerunt. Secundô quia per Christum sublata repudia, id quod Christus Dominus ex eo confirmat, quia vnius tantum viri vna vxor esse debet. Quæ ratio supposita indissolubilitate matrimonij nulla esset, si liceret vna dimissa alteram ducere, quacumque ex causa dimittatur. Tertio, quia Christus hoc loco indissolubilitatem adstruebat matrimonij. Ab eo autẽ alienum erat dimittendi licentiam concedere causa fornicationis. Quarto quia melioris esset conditionis adultera, quam quæ ob morbum dimittitur, cum illa libera remaneret, hæc secus. Quintò, quia Marcus cap. 10. Lucas cap. 16. Paulus Roman. 7. & 1. Corinth. cap. 7. absolutè pronuntiant nulla ex causa licere dimittere, & separari vinculum: non quidẽ oppressuri silentio adulteriũ, si ea causa sufficiẽs esset, & id loc' apud Matth. indicaret, cum posterius scripserint Euangelium & epistolas. Denique, quia apud Matthæum tantum dixit Christus: *Qui dimiserit vxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*, quorum planus sensus est: Quicumque dimiserit vxorem ex alia quacumque causa, quam ex fornicatione, quibus ostendit non licere ob aliam causam dimittere. At ne quis existimaret dimissa ob eam causam vxo-

re

re solui matrimonij vinculum, subiungit: *& qui dimissa vxore*, ob fornicationem scilicet, *aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam eam ob fornicationem duxerit mœchatur*: Repetendum itaque est à communi relatiuũ *qui*, quasi arguat. Si enim ob eam causam non dissoluitur matrimonium, nulla alia dissolui. Vel vt alij interpretantur, quicumque, nisi ob fornicationẽ, vxorem dimiserit, mœchatur, quia facit eam adulterari, & qui aliam duxerit, quacumque, scilicet ex causa dimittat primã, mœchatur, dũ superstes est prima: & qui dimissam quacũque ex causa ducit, mœchatur, cum superstes sit eius vir, quo superstite non licet alteri copulari, vnius enim tãtum est vna vxor. Sed de huius loci intelligentia vide etiam Maldonado ibidem. Bellarm. lib. 1. de Matrimon. cap. 16. Valentiam disput. 10. generali quæst. 1. puncto 7. Salmeronium tom. 6. in nouum testamentum à disput. 45. & Benedictum Pererium in cap. 7. ad Rom. per 4. primas disputationes, vbi etiam de loco Ambrosij disputat, de quo nos multa supra lib. 7. in eamque sententiã propendit, quæ sentit eos Cõmentarios non esse Ambrosij. Mihi enim nõ vacat omnia latè persequi, sed multa insinuare tantũ.

3 Ex eo ergo Matthæi loco habemus diuortij perpetui sufficiẽtem causam esse adulterium: & quamuis alias etiam diuortij causas esse iudicarit Ecclesia, vt cõstat ex Alexãdro Tertio in Append. Lateran. parr. 47. capite 4. & part. 50. cap. 22. & cap. 63. & Vrbano Tertio *cap. 6. de diuortijs*: potissima tamen inter potissimas est alterius coniugis fornicatio. Inde etiam complura Ecclesiæ decreta emanarunt, quæ insinuo seruato temporis ordine. Clemens Romanus lib. 6. constit. capit. 14. Nicænum cap. 15. & 66. Anglicanum sub Adeodato, ca. 10. Toletanum cap. 8. Agathense cap. 25. Veneticum cap. 2. Anglicanum 1. cap. 10. Parisiense lib. 3. cap. 2. Triburiense cap. 38. Suessionense sub Pipino Rege, Stephanus Papa epistola 240. Romanum Tertium, sub Nicolao Primo col. 1. & 2. Nicolaus Primus epist. 22. & epist. 27. col. 3. & epist. 32. col. vltima, & epist. 51. col. 3. & ad Cõsulta Vulgaror. cap. 96. Adrianus Secundus epist. 6. Ioannes Octauus epist. 65. col. 2. epist. 188. & 198. Moguntinum sub Alexandro Secundo, Gregorius Septimus lib. 1. epist. 48. Moguntinum sub Paulo Tertio cap. 36.

4 Atque id quidem, quod & à Christo, & tam multis canonibus statutum est, oritur ex ipso naturæ iure, secundum veriorem sententiam. Quia cum coniux naturali iure teneatur fidem seruare, quando ille debitam fidem violat, ex naturæ iure conceditur, vt separari possit, & abijci, quod rectè citatis alijs docuit Thomas Sanchez lib. 10. disput. 3. num. 4. Suntque in hac re pares tam vir, quam vxor, quidquid nõnulli dixerint, vt cõstat ex *cap. fin. 32. quæst. 5.* & ex his, quæ diximus sup. lib. 7. Vterque enim sibi mutuo obligatur ex iustitia ad fidem seruandam. Ex quo fit contra hoc nullam ptæualere consuetudinem posse, vt diuortium non liceat: neque præscribi vllo tempore contra petitionem diuortij; sed quocumque elapso peti posse, vt colligitur ex *cap. admonere 32. quæst. 2.* Vbi adhuc post septennium facultas est diuertendi ab adultera vxore.

5 Adulterij autem nomine, cum dicimus præbere iustam causam diuortio perpetuo, nonnulli etiam intelligunt sodomiam siuè viri, siuè vxoris cum alia fœmina, cõsumatam tamen, ideſt effuso semine intra vas præposterum. Caro enim, inquiunt, ea ratione diuiditur in plures per concubitum, siue agant, siue patiantur. Vnde colligunt extra ordinariam pollutionem siue solius, siue cũ aliena, siue cum propria non esse perpetui diuortij causam, sed ad tempus. Quod enim peccatum grauius sit adulterio, non obstat, hic enim solum attenditur diuisio carnis in plures, quæ est causa perpetui diuortij. His etiam addunt bestialitatem, cum caro coniugis diuidatur in carnem bestiæ, cum qua copulatur. Verius tamen mihi videtur nec peccatum nefandum, nec brutalitatem causam esse perpetui diuortij cum adulterio comparandam. Quia cum diuisio carnis in plures in iure dicitur esse causa diuortij, de ea intelligendum, quæ iuxta vsum naturalem est. Id què constat, quia ea diuisione inducitur in iure bigamia, & irregularitas. Nulla autem turpis coniunctio extra naturale vas bigamiã, aut irregularitatẽ inducit ex bigamia ortam, vel vera, vel similitudinaria, aut interpretatiua, si forsan illæ sunt, vt manifestum est. Tantum ergo illa adulterij nomine intelligenda est. Sed quamuis speculatiuè loquendo mihi videatur quod dixi: attamen in praxi censeo non recedendum à priori sententia quæ communis est inter DD. quos refert, & sequitur Riccius decis. 237. in praxi, licet nullo iure probatur. Nam quæ afferuntur ex *cap. adulterij, cap. flagitia cap. non solum 32. q. 7.* solum probant grauitatem criminis, non verò esse causam diuortij. Sed an ob conquestum fœminæ dicentis se à viro tentatã,

seperari debeat quæstio est. Nonnullis videtur sufficere propter doctrinam Innocentij *in cap. 1. de adulte.* Sed oppositū verius, quia nemo est idoneus in proprio facto, *l. nullus, ff. de testibus, & l. omnibus, C. eod.* Quare vltra assertionem mulieris, debet innotescere aliquod indicium, ex quo moueatur iudex ad ita iudicandum. Sic Riccius decisione citat. Fauet communi sententiæ Hieronymus in *cap. omnes accusationes, 42. quæst. 7.* Alia autem crimina præbebunt diuortio causam nō perpetuam, sed sicut aliæ causæ, de quibus in dictis canonibus sermo est. Ex his fit à fortiori oscula, tactus, & amplexus non esse causam perpetui diuortij, nisi ob illa ex adiunctis circunstantijs præsumatur adulterium. Quo modo autem probari debeat adulteriū ad effectum dissolutionis matrimonij tradit decisio Rot. 137. apud Farinaciū 2. vol. Cons.

Quando teneatur diuertere, & quando non liceat alteri coniugi?

CAPVT. XVII.

SVMMARIVM.

Quid explicandum, num. 1.
Coniux innocens, absolute loquendo, non tenetur dimittere adulterum. num. 2.
Duæ limitationes eiusdem doctrinæ ibi, & n. 3.
Primus casus, in quo dimittere non potest, n. 4.
Secundus casus, num. 5.
Obiectio diluitur, num. 6.
Idem dicendum, si vir vxorem prostituat, n. 7.
Tertius casus, in quo non potest, num. 8.
Quartus etiam casus, num. 9.

1 SED vt ea, quæ circa diuortiū adulterij causa remanent explicāda, tradantur distinctè &, apertè, consideremus duo tempora sigillatim: primum statim post adulterium commissum ante separationem: secundum post factum diuortium, & separatos coniuges, innocentem à nocente.

2 Igitur quod attinet ad primum tempus, vt quæ in illo geri debeant intelligantur, obserua coniugi innocenti non esse impositam necessitatem dimittendi adulterū coniugem, sed illum retinere. & cum illo habitare potest, vt expresse Nannetense Concilium cap. 12. & constat ex cap. *de benedicto, cap. quod autem, cap. non erit, cap. cum venundatur, ca. apud misericordem, 32. quæst. 1.* Id autem cum duabus limitationibus accipiendum. Prima, nisi vir innocens ad ordines promoueri velit, nec enim potest ad vxorem adulteram accedere, aliàs irregularis, etiamsi ignarus: etiamsi coactus sententia iudicis, quā æquam esse non posse certum mihi est, nisi grauissimum aliquod malum timeretur, nisi copularetur nocenti, quod præponderaret iuri innocentis. Nec enim in ea copula attenditur culpa, sed bigamia intepretatiua, & defectus sacramenti vnius cum vna. Ita decernit Concilium Neocæsariense cap. 8. Quod suæ inseruit collectioni Martinus Bracarensis cap. 45. & habetur *cap. si laici. 34. dist.* de quo suo loco. Imo si clericus sit, in eodem capite, è domo reijcere compellitur, aliàs ab altaris remouetur ministerio.

3 Secunda limitatio est, nisi scandalum ex adulterio alterius coniugis sequatur. Ex hoc enim solo capite scilicet euitandi scandali est obligatio diuertendi, quæ cessat, si scandalo alijs medijs consulatur. Si enim adsit scandalum, coniugem nocentem retinere iudicatur, perinde atque eius adulterijs sanare. Sic accipiendum quod habetur in *cap. sicut, & cap. dixit Dominus, ca. in coniugio, cap. fiquis, cap. fiquis 2.* Qui canones præceptum indicare videntur. Sic etiam accipiendum, quod est apud Clementem Romanum lib. 6. constit. cap. 14. vbi & eadem ratio redditur. Sic enim dicitur: *Similiter qui retinet eam, quæ legē naturæ violauit, legis violator est S. S. E. Qui adulteram retinet stultus, & impius. Abscinde eam, inquit, à carnibus tuis: quia non est auxiliatrix, sed insidiatrix, quæ mentem ad aliū declinauit.* Intelligendum sane, quando scādalum ex retentione subest: tunc enim tenetur abijcere, ne criminis particeps videatur, id quod in aliis etiam canonibus reperitur. Sic intellexit eos canones M. sententiarum, in 4. distinct. 35. cap. 2. quem secuti sunt eo loco graues Theologi Diuus Thomas, Bonauentura, Paludanus, & alij. Relinquitur ergo non teneri dimittere coniugem adulterū, sed posse vti iure suo.

4 Sed obseruandum præterea nec semper posse dimitti ob adulteriuin. Sunt enim nonnulli casus, in quibus coniux non potest nocentem eijcere, & eiectam tenetur ad se reuocare. Primus casus est, si innocenti valde dubia sit propria continentia, aut probabiliter se timeat incontinentem fore: quem casum notat Paludanus in 4. distinct. 33. q. 2. art. 3. conclus. 4. Quia non tenetur vir plus corrigere vxorem, quam dominus famulum inquit Paludanus, sed dominus famulum ex-

com-

communicatum non tenetur expellere, sed licite potest ab eo licitum obsequium exigere. Igitur & vxorem. Adde strictius esse, & prius præceptum de salute propria, quàm de aliena. Nam aliena salus secundariæ obligationis, cum ordo charitatis à seipso incipiat. Ergo non potest correctioni & supplicio cõiugis nocentis insistere, cum dispendio suæ continentiæ. Quare diligenter tunc considerandum erit, quod grauius malum sit, adulterium innocentis, an dispẽdium famæ. Addo etiam id mihi ideo iustissimum videri, quia si coniux innocens postea fiat nocens, non potest nec vxorem abijcere, nec abiectam non recipere in conscientia. Ergo si probabiliter timet, tenetur non dimittere.

5 Alter casus est ex communi certaque sententia, cum etiam alter coniux mœchatus est, tunc enim vir non potest vxorem dimittere tuta conscientia. Non enim habet actionem ob iniuriam, cum mutuam iniuriam sibi intulerint, *Cap. penult. & vltim. de Adulterijs, cap. significasti & cap. ex literis de diuortijs, cap. 1. & sequentibus per totam 32. quæst. 6.* & in Append. Concilij Lateran. p. 6. cap. 14. In criminalibus enim delictorum persecutionibus dolus cum dolo, delictum cum delicto compensari solet, *l. vltima, §. si & stipulator D. de eo per quem factum erit, l. si duo 36. D. de dolo malo, l. si ambo 10. §. quoties D. de compensat. l. viro atque vxore 39. D. soluto matrimonio, §. Marcellus D. de doli mali, & metus excep. paria crimina*, inquit Innocentius III. conueniente iure Ciuili, *compensatione mutua delentur d. cap. fin. de adulterijs.* Vnde Vlpianus in *l. si vxor §. adl. Iuliam de Adult.* inquit. *Index adulterij ante oculos habere debet, & inquirere an maritus pudicè viuens mulieri quoque bonos mores colendi auctor fuerit. Periniquum enim videtur esse, vt pudicitiã vir ab vxore exigat, quam ipse non exhibeat. Quæ res potest & virum damnare, non rem ob cõpensationem mutui criminis inter vtrosque communicare.* Quam sententiam sumpsisse videtur Vlpianus ex rescripto Antonini Imperatoris, cuius partẽ refert D. Augustinus lib. 2. de adulterinis coniugijs, cap. 8. cuius hæc sunt verba. *Sanè meæ literæ nulla ex parte causæ præiudicabant. Neque enim si penes te culpa fuit, vt matrimonium solueretur, & secundum legẽ Iuliam vxor tua Eupasia nuberet, propter hoc rescriptum meum adulterij damnata erit, nisi constet esse commissum. Habebunt autem ante oculos hoc inquirere, an cum tu pudice viuens illi quoque bonos mores colendi auctor fuisti. Periniquum mihi videtur esse, vt pudicitiam ab vxore exigat, quam ipse non exhibet. Quæ res potest & virum damnare, non ob compensationem mutui criminis rem inter vtrumque componere, vel causam facti tollere.* Quo decreto summa iuris naturalis æquitas continetur, dum quis ea iubetur alijs facere, quæ sibi iustè fieri vellet, idéque ius maritis præscribit. Nec minus huc pertinet præceptum Lactancij Firmiani lib. 6. diuinarum instit. *Exemplo continentiæ docenda est vxor vt se caste gerat. Iniquum enim est vt id exigas, quod ipse præstare vel nolis, vel nõ possis.* Quod etiam Seneca epist. 34. scripsit. *Improbus est, qui ab vxore pudicitiam exigit, ipse alienarum corruptor vxorum.* Et Augustinus lib. 1. de serm. Domini in monte. *Nihil iniquius est, quam fornicationis causa dimittere vxorem, si & ipse conuincitur fornicari. Occurrit enim illud, in quo alterum iudicas temetipsum cõdemnas, eadem enim agis, quæ iudicas* (alludit ad verba Pauli ad Romanos 2.) *Qua propter quisquis fornicationis causa vult abijcere vxorem prior debet esse à fornicatione purgatus & immũdus.* Et serm. 48. de verbis Domini. *Si ducturi estis vxores, seruate vos vxoribus vestris, quales vultis eas inuenire, tales & ipsæ inuenient vos. Quis iuuenis est qui non castam velit ducere vxorem? & si accepturus est virginem, quis non intactam desideret? intactam quæris? intactus esto. Puram quæris? num enim illa potest, & tu non potes? Item illa. Tu exigis ab vxore videlicet, ne mœchetur, & non vis reddere hoc vxori? & vis vxorem tuam victricem esse libidinis, tu victus iaces?* Idem elegantissimè addit, *vbi melius viuit mulier, quam vir, ibi capite deorsum pendet domus.* Alludit quippe ad illud Paulinum, *vir caput est mulieris* 1. Corinthor. 11. & ad Ephes. 3. Videantur plura cap. 1. 2. & 3. & vltimo 32. quæst. 6. Quibus etiam simillem locum apud Gregorium Nazianzenum obseruauit Cuiacius ad Nouelam 22.

6 Verùm his, quæ dixi paulo ante de cõpensatione doli cum dolo, delicti cum delicto obstare videtur textus in *d. l. si vxor 13. §. Iudex D. Ad l. Iul. de adulter.* ibi. *Quæ res potest & virum damnare, non rem ob compensationem mutuam criminis inter vtrosque communicare.* Ecce hic non admittitur compensatio, sed vterque coniugum damnari dicitur. Facilis tamen solutio est. Dico enim compensatione mutua paria deleri crimina, siue dolum cum dolo compensari, quoad ius priuatorum, non autem quoad vindictam publicam, siue quoad vigorem publicæ disciplinæ. Huic enim compensatio nihil debet detrahere, sicut neque transactio priuatorum de crimine, quidquam præiudicare potest.

Cum

Cum igitur adulterium sit crimen publicũ, potest is, qui iurisdictioni præest, nulla habita ratione compensationis, nihilominus & virum & vxorem adulterij reos ad suppliciũ rapere, pœnaque afficere.

7 Idem etiam dicendum est, si vir suam vxorem prostituat, siue lenocinium exerceat: tunc enim ob adulterium, cuius ipse auctor fuit, repudiare eam non potest. *Cap. discretionem §. quod si forsitan, de eo qui cognouit.* Huc pertinet *l. cum mulier* 47. *D. soluto matrimonio.* Vbi eleganter Scæuola: *Cur improbet maritus mores, quos ipse aut ante corrupit, aut postea probauit.* Videatur & *l. 2. §. si publico, D. ad l. Iul. de adult.* Ratio autem videtur eadem esse, quæ supra allata est, videlicet mutua compensatio parium criminum lenocinij cum adulterio. Sed neque hic existimare debemus, quod vel vxori adulterium, vel viro lenocinium abeat impunitum, sed magistratui, nihilominus aduersus vtrumque sua pœna manet integra, *d. l. 2. §. si publico.* Quæ doctrina vera est etiamsi nõ prostituat inuitam; Nam in *d. cap. discretionem* illud, *præsertim inuitam*, non accipitur pro *tantum*: quin potius indicat maximè vel consentit, cum prohibere posset, quamuis quoad infligendam pœnam à iudice ob adulterium, considerari debeat, an inuita, an volens & consentiens prostituatur. Non autem consentire adulterio censendus est vir, si occasionem præbeat alimenta negando, ejiciendo è domo, vel non reddendo debitum. Nã quod habetur ex Chrysostomo in *cap. si tu abstines* 33. *quæst.* 2. ibi, *tribuit ei fornicandi licentiam*, intellige occasionem. Nec enim ea quæ diximus proximè inducunt ad adulterium. Quare si vxor ob paupertatem se alterius libidini prostituerit, separari se ab illa vir potest, *cap. ex literis 5. de diuort.* Eleganter Vlpianus. *Non est ignoscendum ei, qui obtentu paupertatis turpissimam vitam agit. l. palam* 43. *D. de Ritu nupt. & cap. significasti de diuort.* Et potius quælibet mala sustinenda sunt, quam assentiendum peccato, *cap. inane* 32. *quæst.* 5. Item si à marito vxor ob sæuitiã fugiens adulteretur, diuertere ab illa potest; nec enim dedit occasionem proximam adulterio. Idem dic, si adulteretur infidelis eo quod fidelis non admitteret eius consortiũ sine Creatoris iniuria. An autem requiratur, vt adulterium alterius sit publicum, vt diuertere possit, dicam cap. sequenti.

8 Tertius casus, in quo non potest diuertere, est, quando adulterium commissum est sine culpa coniugis adulteri: debet enim esse formaliter adulteriũ, *cap. in lectum 6.* 34. *q.* 2. De qua re videndus est elegans Commentarius Ioannis Corrasij in Arrestum Tolosanũ de quodam Pseudo Martino, cuius historiã attingit etiam Hẽriquus Stephanus in Apologia pro Herodoto. Vnde si vxor cognita sit per fraudem ab aliquo se virum simulante excusatur ab adulterij labe. Similiter si per vim cognita ab aliquo fuerit & cõpressa, quamuis multi sentiant non excusari, sed virum posse petere diuortium, meo iudicio etiam excusabitur, si illata vis reddidit omnino inuoluntariam copulam. Quod contingere posse dubitari non potest. In hoc enim casu ea ratio prohibet diuortiũ. Quia ea fœmina iniuriam non intulit, & abest dolus malus, sine quo non est adulterium; diuortium autem solum habet locum ratione illatæ iniuriæ. *Non potest fieri vt nisi quis mœchetur prius in corde, mœchetur in corpore c. de pudicitia* 32. *q.* 5. *& cap. non potest, cum duobus seqq. eadem causa & quæst.* Atque iuxta hæc accipio textum in *l.* 39. *vim passam D. Ad l. Iuliam de adult.* & faciunt etiam nõnulli Canones 32. *quæst.* 5. Huc etiam pertinet, si mulier, quæ viro suo in captiuitate, aut expeditione per plures annos commorante, contestationes de morte viri deposuerit, quas veras esse credebat. quia scilicet testes fidedigni sub iuramento deposuerãt, ipsum obijsse. *Nouella* 117. *c.* 8. *& Authent. Hodie C. de repudijs, cap. in præsentia de sponsal.* atque ita alteri nupserit; postea verò priore marito reuerso, se abstineat â consuetudine posterioris mariti cupiens ad priorem reuerti; tunc non potest adulterij insimulari, neque prior vir ab illa diuertere propter eandem rationem. Vide de his Farinaciũ 4. p. q. 241. n. 95. & sequẽtibus.

9 Quartus casus est, in quo maritus non potest diuortium petere ab vxore, cui reconciliatus est post commissum adulterium, vel si sciens ipsam adulteram, in coniugio tamen retinuerit. Nam hic quoque serò accusat mores mulieris, quos semel probauit. Atque vt iniuriarum actio tollitur dissimulatione, & reconciliatione tacita vel expressa, sic etiam crimen adulterij inter coniuges aboletur tum dissimulatione, tum reconciliatione. Satis autem ad reconciliationem erunt vel externa verba, quibus ea labes condonetur; vel etiam copula, vel etiam tactus & oscula: Imo & inspecto viri ingenio satis erit conuictus, conuersatioque post cognitionem adulterij, vt habet decisio Rotæ 193. apud Farinacium lib. 2.

Consi-

Consiliorum, & notant DD. in *d.l. si vxor.* Dixi *post adulterij cognitionem.* Quia si vir cõscius adulterij non est, quamuis perseuerauerit cum vxore, & actus maritales cũ ea exercuerit, non censetur reconciliatus. Et scientia nõ præsumitur, nisi probetur, *l. verius D. de probation.* Idem est, si vterque fuerit nocens, & sibi mutuò remiserint iniuriam. At si postea alter labatur in adulterium, potest iam peti diuortium ab alio, etiamsi alius semel, alius verò pluries adulter extitisset. An verò, si nocens coniux iam correctus alterũ admoneat, ea correctio vim habeat reconciliationis, nonnulli dubitant, & affirmant habere recõciliationis vim. Sed non rectè quãtum ego iudico. Nam ex ea correctione non colligitur reconciliatum esse vtrumque, sed tantum eum condonasse, qui admonet. Quare, qui pertinax est, non censetur condonasse. Vnde iniuria persistẽte, etiamsi alter qui admonuit condonauerit, non potest esse diuortium: Imo is, qui admonitus est, cui condonatum adulterium est, & ipse reconciliari noluit, potest diuortium petere, si post admonitionem non deliquit. Quod si deliquerit, neuter potest diuortium petere, perseuerat enim mutua iniuria.

Quid seruandum, si innocens velit diuertere?

CAPVT. XVIII.

SVMMARIVM.

Separationem fieri debere iudicio Ecclesiæ, numero 1.

Quid si publicum adulterium sit, sententia negans refertur, num. 2.

Præfertur opposita, ibidem obiectio diluitur, numero 3.

Confessio coniugis de adulterio in iudicio criminali, valet etiam in ciuili, num. 4.

Quid si adulterium probari non potest. Quidam affirmant posse diuertere secreto, num. 5.

Oppositum verius, num. 6.

Satisfit aliorum argumentis, n. 6. 7. 8. 9. 10.

1 EXplicuimus hactenus, quando teneatur diuertere coniux ab adultero, & quando non possit: superest explicemus iam, si innocens velit diuertere, qua ratione id præstare debeat. Igitur si innocens, qui ius habet diuertendi, nolit retinere nocentem, sed separationem eligat, ea separatio iudicio Ecclesiæ fieri debet excommunicatione sententia, & indicat Concilium Nicenũ, can. 51. Innocentius I. epist. ad Exuperium Tolosanum cap. 4. Concilium Venetticum, cap. 2. *sine adulterij*, inquit *probatione* Toletanum 12. can. 8. & ex alijs Canonibus idem constat, quos subijcemus statim.

2 Sed duæ hoc loco dubitationes existunt, quæ enodandæ sunt. Prima est, an si adulterium sit ipso facto publicum & notorium, coniux innocens necessario expectare debeat iudicis sententiam, vt dimittat nocẽtem? Negauit posse dimitti ex Theologis Gabriel in 4. distinct. 35. quæst. vnica conclus. 5. ac pro se refert Panormit. Idque docuerunt nonnulli alij. Verius tamen mihi videtur in eo casu, quando adulterium per se notum est, non esse necessarium Ecclesiæ iudicium expectare. Hæc videtur esse expressa decisio Alexandri III. in *cap. significasti de diuortijs*, iudicantis eum, qui ob notorium adulterium vxorem dimiserat, Ecclesiæ iudicio non expectato, ad eam recipiendam non debere compelli, nisi forte constaret virum cum altera adulterium commisisse. Quam decretalem Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andræas explicantes admonent notorium adulterium dici, quando iudici & alijs notum est; vel sunt probationes in prõptu; vel, vt addit etiam Panormitanus, quando adulter crimen confessus est in iudicio; cui addo verum esse, etiamsi in alio iudicio, scilicet, ciuili confiteatur, ea enim confessio nocebit in iudicio criminali, vt constat ex decisione Rotæ cit. cap. præced. Atque hãc nostram sententiam apertissimè docuit Panormitanus in d. *cap. significasti, & cap. fin. de adulterijs* num. 6. vt mirer pro opposita allegari à Gabriele: affertque in sui fauorem textum in *cap. Agathosa 27. quæst. 2.* vbi, qui propter adulterium mulieris ingressus est monasterium, licitè fecisse dicitur, si potest de adulterio constare. Eandem etiam sententiam docent Theologi & Summistæ communiter. D. Thomas in 4. distinct. 35. quæst. 1. Ricardus art. 1. quæst. 3. Durandus quæst. 1. Carthusianus eadem distinct. quæst. 1. qui docent non esse necessarium Ecclesiæ iudicium, si adsint probationes in promptu aduersus nocentem, Ioannes Turrecremata in *cap. sicut hac quæstione v. retinet meretricem*, Paludanus in 4. distinct. 35. quæst. 1. conclusione 2. Maior eadem distinct. quæst. 1. Ab hac etiam celebri opinione stat Antoninus 3. p. tit. 9. cap. 8. §. 5. Angelus *v. adulterium*, num. 3. Syluester eodem tit. num. 8. Rosella

v. diuortium, num. 11. Tabiena *v. adulterium* num. 2. quamquam corrigendus error in citatione verborum Panormitani, quæ desunpta sunt ex commentario in *cap. plerumque, de donat. inter virũ, & vxorem*, num. 4. Armilla *ver. diuortium*, num. 7. Nauarrus in sum. c. 22. num. 23. Riccius in praxi decis. 236. in fin.

3 Neque obstat textus in *cap. porro, de diuortijs*, vbi etiamsi consanguinitatis notitia sit, iubentur non separari, nisi auctoritate, & iudicio Ecclesiæ: est enim specialis dispositio iuris in eo casu, quia non tantũ priuatur iure possessionis, sed etiam proprietatis, ita vt vnusquisq; maneat liber ad nuptias, quæ grauissima causa est, & ideo indigens Ecclesiæ discutione. In diuortio autem ob adulterium tantũ priuatur possessione, quæ si fraus fuerit, facile restitui potest, cum non dirima tur matrimonium.

4 Illud tamẽ addendũ est, quãdo adulterij causa cognoscitur in iudicio ad separationẽ cõfessionẽ vnius cõiugis in iudicio criminali, etiam valere in hoc iudicio: docet Rota cum alijs, decis. 250. num. 2. apud Farinic. 2. volum. cons. Sed quid si exorta controuersia super impotentia, maritus confiteatur adulterium, poteritne vxor ex tali confessione agere cõtra maritum ad separationem tori. Videtur pars negatiua verior. Quia licet adulterium sit legitima causa separationis tori, & bene probetur per cõfessionẽ adulterij, *c. intelleximus, de adulterijs*, tamẽ cõfessio, de qua quæritur, repellenda est; & quia est contra formã expressam in *c. ex literis, de diuort.* & quia facta est accessorie, & incidenter ad alium effectum, & de re non deducta in alio iudicio, quo casu non præiudicat ad alium effectum: & quia dicta confessio contradicit confessioni vxoris, & positioni impotẽtiæ. Sed de hoc vide Riccium in praxi, decisitione 232.

5 Secunda dubitatio est, an si adulteriũ sit occultum, vt probari ab innocente nõ possit, valeat ille non expectato Ecclesiæ iudicio tuta conscientia vxorem dimittere? Nã libere posse domo ejici propria auctoritate, hoc est, sine Ecclesiæ sentẽtia, quãuis per Ecclesiam recipere compellatur docuit Paludanus in 4. dist. 35. q. 1. art. 3. concl. 3. Soto distinct. 36. quæst. vnica art. 3. Rebellus 2. p. de obligat. iustitiæ lib. 2. Thomas Sanchez lib. 10. disput. 11. num. 12. Idem antea docuit Panormitanus, *cap. fin. de adulterijs*, & eorum scholiorum auctor, quibus Panormitani cõmentarius illustratur. Fundamenta referam paulo post.

6 At mihi magis placet, si crimen probari non potest, nullatenus, etiam secretò, & clam posse ejici ê domo fœminam, nec posse fugere in partes longinquas, sed cohabitare debere. Ita sentit D. Thomas in 4. dist. 35. q. 1. ar. 3. Bonauentura eadem distinct. 4. quæst. 3. Ricar. art. 1. quæst. 3. Turrecremata in *cap. sæculares*, 33. *quæst.* 2. ex Carthaginensi Concilio, cui Augustinus interfuit, & repetitur postea in Agathensi cap. 2. profert enim excommunicationis sentẽtiam in eos, qui vxores dimittunt, ante quam in iudicio probentur, & examinentur. Idem etiam adstrui videtur ex *cap. 3. & 4. eiusdem quæs.* & his quos supra referebamus canonibus, cuius opinionis argumenta hæc sunt. Tum quia nullus debet esse actor, & iudex: tum etiam quia diuortiũ est pœna publica, & ob publicũ crimẽ imponẽda: tum etiam quia crimen proximi occultum non est in vulgus prodendum, quod accideret, si ob occulta coniugum adulteria diffidia fierent. Tum denique ea, quæ potissima ratio est, quia lex, quæ prohibet separationem coniugum, etiam fornicationis causa ante probationem, & Ecclesiæ iudicium data est iure optimo, vt occurratur hominum malitiæ, iniquitati, & fraudi. Cumque eiusmodi leges in præsumptione fundentur, & præsumptiones vt in plurimum, non deficiunt, nec cessat earũ obligatio, etiamsi in aliquo peculiari casu deficiat præsumptio, & ratio legis, vt iam ostendimus supra lib. 5. c. 5. Quare istæ leges etiã obligant in conscientia eum, qui adulterij cognitionem habet, & probari non potest, quia est occultum, vt tuta conscientia separare habitationem non possit. Aliud autem est teneri seruare huiusmodi legem communem, aliud vero si ferretur contra illum sententia, vt etiam illi copularetur. Nam huic sententiæ parere non tenetur in conscientia, discriminis autem rationem inter legem, & sententiam ostendi late loco citato.

7 Sed videamus, quid pro se afferãt Auctores illi, Paludanus eo mouetur, quia si quis inquit, furatus est mihi centum, & probare non possum, occulta cõpensatio licet. Quando enim iudicis copia haberi non potest, aut propter defectum iudicis, aut aduersarij, aut aliter sine culpa huius, ille potest sibi ius dicere: aliàs omnia bella essent iniusta: vindicatio enim non solum est virtus subditi, sed etiam iudicis: verum hæc facilè diluuntur. Aliud enim est res certas, & liquidas recuperare; mea enim vbicũque reperero auferre possum, aliud pœnam publicam imponere, quale

quale est diuortiũ, quod auctoritate publica fieri necesse est. Bella autẽ multa iusta sunt, quia gerũtur ab eo, qui habet auctoritatẽ publicam, & in promptu habet causam iustam, atque probabilem, quod non contingit in præsenti. Vindicatio autem tunc est subditi, cum vim vi repellit.

8 Panormitanus duo affert, alterum excogitatum à se, alterum ab antiquis etiam inuentum. Primũ est quod in *cap. Agathosa, 27. quæst. 2.* Gregorius Magnus consultus de ingressu coniugis in monasterium, quod maritus Agathosæ ea inuita reliquit, respondet, fas illi fuisse ingredi, si mulier fornicata fuerat. Ex quo argumentum sumit Panormitanus. Si enim requireretur sententia ad amittendam istam seruitutem coniugalem, non valuisset ille ingressus ante sententiam. Sed non aduertit Panormitanus in eo textu clare indicari præcedere aut cognitionem causæ, aut probationes in promptu, & non agi de separatione propter occultum adulteriũ. Hoc enim iuquit Gregorius lib. 6. epist. 44. ad notarium Panormitanum, ex qua desumptus canõ ille: *Si vero nihil horum est, nec quod dam fornicationis crimen, propter quod licet viro dimittere vxorem prædictam mulierem commisisse cognoueris, ne illius conuersio relictæ in sæculo fieri possit perditionis occasio, volumus vt maritũ suum illi, etiamsi tonsuratus sit, reddere debeat, omni excusatione cessante.* In quo respõso Pontificis planum est requiri causæ cognitionem Ecclesiasticam, & conuersionem, ac professionẽ mariti Agathosæ ex Ecclesiæ pendere iudicio. Non ergo de occulto adulterij crimine sermo est in eo textu, neque ad id induci vlla ratione potest.

9 Secundum Panormitani argumentum quod iam â Theologis excogitatum, & solutum erat, illud est, quia Christo Domino dicente licere dimittere vxorem causa fornicationis, sentẽtia iudicis nõ videtur necessaria. Verum ad hoc argumentum Diuus Thomas, & alij respondent à Christo datam fuisse Ecclesiæ legem, aã quam illa sententiam, iudiciũque formare debeat, sententiam autẽ minime tulisse, sed hanc omnem eidem Ecclesiæ condonasse. Siquidem sententia, vt illi ipsi Theologi affirmãt, nihil est aliud, quã legis applicatio ad singulare factum. Applicat enim generalem legem ad peculiare factum Ecclesia, siue iudex.

10 Denique Panormitani Scholiastes validum argumentum duxisse se credit ex *cap. dicit Dominus. 32. quæst. 1.* vbi dicitur propter fornicationem, aut suspicionem fornicationis liberè dimittitur vxor. Illud enim liberè excludit sententiam, quia est canon latæ sententiæ *in cap. pro humano, ver. liberè, de homicidio in 6.* Item excludit sententiam, *cap. de illis, de sponsalib. cap. 1. de regul. iuris in 6. & c. fin. de testamentis lib. 6. & cap. fin. de pœnis in 6.* Sed hoc argumentum, quod ille plusquam Achillæum existimat, nullius momenti est, nimium enim probat. Ex eo namque efficeretur, nunquam necessariam esse legem, siue sententiam Ecclesiasticam, si ea vis est illius vocis, *liberè*. Quare vox illa, *liberè*, cùm multiplicis significationis sit, iuxta materiam canonis explicanda est. Instituo autem illa congruit expositio, vt *liberè* idem sit, quod tuta conscientia, licitè. Ac si dicat, quoties de fornicatione constat, vel de eius vehemẽtissima suspicione, quæ iudici vim possit afferre, & quæ manifesta sit, libere vxor siue Ecclesiæ auctoritate à viro hoc ei permittente, siue ab Ecclesia ipsa dimittitur. E quibus fit transire ad religionem non posse, si occultum crimen est, professionem emissam esse nullam, & ab ordinario reuocandum ad coniugem. Nulla enim iniuria infertur religioni, ad quam non licet transitus, quandiu tamen est occultum, & improbabile.

Quid iuris sit innocenti post diuortij sententiam?

CAPVT. XIX.

SVMMARIVM.

Sententiam de diuortio latam esse in fauorem innocentis. Inde fit posse innocentem reconciliare sibi nocentem, huncque teneri parere, num. 1.

Limitatur, si res sit integra, num. 2.

Coniux innocens ius habet circa mutationem status innocentis, num. 3. 4.

Innocens, facto diuortio, potest inuito nocente ad religionem transire, num. 5.

Si innocens eligat in sæculo manere, non tenetur abiectum recipere, etiam pœnitentem, num. 6.

Satisfit nonnullis obiectionibus, num. 7.

1 SEPARATO iam coniuge innocenti, vel per sententiã, vel ob notoriũ adulteriũ, videamus quidnãiuris sit nocẽtis & innocentis. In quo præ oculis habendum sententiam latam esse in fauorẽ innocentis, & nocentis odium. Ex quo principio multa decidenda. Vnde iuxta id in primis obseruandum, licet dissentiant nonnulli sibi

sibi nocentem reconciliare fas esse innocenti in innocentia persistenti, & tenetur in eo casu nocens parêre, & sequi innocentẽ, etiãsi iudex sententiam non retracter. Ratio est, quia cum ea in fauorem innocentis lata sit, & odium nocentis, non eximitur nocens ab innocentis potestate, si velit innocens iuri suo cedere adquisito per sententiam; alias esset sententia illa in damnum innocentis, & in fauorem adulteri, quod iniustum est. Ita docent innumeri quos refert, & sequitur Thomas Sanchez lib. vlt. disput. 10. n. 3.

2 Id tamen intelligendum, si res sit integra ex parte innocentis: si enim vel validè professus, vel sacris initiatus sit, habet iam statum immutabilem, seque tradidit religioni, vnde non potest ad coniugem redire, fuit enim professio personæ habilis ad profitendum; secus si nouitius tantum, vel tantum in minoribus constitutus, potest enim reconciliari, habet enim ius iustitiæ ad coniugem nocentem, illudque ius non dum impeditum est alio iustitiæ iure, quale habet religio in professum iuxta dicta supra. Idem est, si tantum impediatur voto simplici, extra religionem tamen, potest quidem redire, licet peccat, cum se exponat periculo violandi votum, tenebiturque reddere, sed non exigere, vt magis explicabimus infra.

3 Deinde iuxta idem fundamentum ob seruandum est, cum ea sententia in odium nocentis, & fauorem innocentis lata sit, ad huc innocentem ius habere circa mutationem status nocentis hoc pacto. Si nulla præcesserit sententia, sed ob adulterium notorium separati inuicem sunt, ad huc non licet adultero statum mutare inscio innocenti. Quia, cum iuxta dicta, innocens, quandiu ipse non mutat statum, habeat ius liberum, & expeditum ad reuocandum ad se nocentem, si velit, non potest nocens quidquam agere, vel disponere contra istud ius. Vnde, si mutarit statum, nihil prorsus efficiet, sed reuocari ab innocenti poterit, quo inscio mutatio status facta est. Si verò præcesserit iudicis sæcularis sententia intrudentis fœminam adulteram ad monasterium, conceditur innocenti biennium, vt deliberet an velit coniugem repetere, & intra illud biennium professio adulteri nulla est: secus elapso. *Authent. sed hodie C. ad legem Iuliam de adulterijs* quæ dispositio iure Canonico reuocata nõ est. Quod enim ius canoni cum statuit, vt altero coniuge ad religionem transeunte, alter non remaneat in sæculo intelligendum est, si res sit integra, & mulier adultera non extiterit. Sed cum de licentia vtriusque fit transitus: non vero in casu præsenti vt dixi supra isto libro. Dubito tamen, an hodie post Tridentinum, in quo probationis tempus ad annum redactum est locum haberet illa probatio biennij. Elapso namque anno integro, si legitimæ ætatis sit, fit tacitè professus.

4 Si verò præcesserit sententia iudicis Ecclesiastici de diuortio, licet variæ de eo sententiæ extiterint, nos tamen consequenter ad ea, quæ modo dicebamus, scilicet, teneri nocentem reconciliari innocenti, si velit innocens, dicimus ratione huius iuris, quod adhuc manet integrum apud innocentem, non posse nocentem inuito aut inconsulto innocenti ad religionem transire, vel sacris ordinibus initiari, nec votum simplex castitatis emittere: & etiam si professus sit, vel sacris initiatus, vel votum emiserit, posse reuocari ab innocente, & votum irritari, iuxta ea, quæ diximus supra libro septimo cum de voto sermo esset. Non enim valet professio contra ius coniugis innocentis. Valet autem mutatio status facta â nocente, si vel innocens sciens non contradicat, eo enim ipso cedit iuri suo: vel si diligenter monitus nolit reconciliari *capite gaudemus de conuersione coniugatorum*, ibi. *A te diligenter commonitus iam non vult reconciliari.* Is autem qui innocens est, non ideo constringitur etiam religionem ingredi, sed potest in sæculo remanere, cum possit ob adulterium separatim viuere: & aliâs graue iugum imponeretur innocenti.

5 Tertiò obseruandum est iuxta idem fundamentum, coniugem innocentem posse iam facto diuortio ad religionem libere transire, etiam inuito coniuge nocente: ea enim sententia lata est in fauorem innocentis: vnde innocens vtitur iure suo. Constat ex Gregorio I. lib. 8. epist. 32. & lib. 9. epist. 44. & habetur in *dicto cap. Agathosa 27. quæst. 2. ca. constituto, ca. veniens de conuers. coniugat.* Similiter potest ad ordines transire, quia ius coniugale amisit reus ob culpam adulterij commissam, manente licet vinculo. Id autem nequaquam licet ante sententiam, vel diuortium ob notorium adulterium, vt si crimen occultum sit, iuxta ea quæ diximus ca. præcedenti.

6 Quartò obseruandum ex eodem fundamento si innocẽs eligat in sæculo remanere lata sententia, & facto diuortio, nulla lege constringitur, nocentem recipere, sicut neque retinere, etiam si nocens

pœni-

pœnitentiam egerit, & ad meliorem mentem reuocatus sit. Quæ adeo communis, & vno sensu recepta sententia est, vt mirer nonnullos Theologos id oneris imponere voluisse coniugi innocenti, vt recipere nocentem emendatum teneatur. Illum enim eo onere liberat Bonauentura in 4. distinctione 35. artic. 1. quæst. 5. Durandus quæst. 2. Paludanus, quæst. 2. art. 2. Maior quæst. 1. prope finem. Gabriel quæst. 1. art. 2. conclus. 7. Ad cuius probationem multa congerit Patrum testimonia, idem Soto in 4. distinct. 39. quæst. vnica art. 3. conclus. 4. Neque alia mens est Syluestri, *v. diuortium*, quæst. 8. Probat autem Gabriel hac ratione, quia vxorem peccantem eijcere lex est, *cap. dixit Dominus* 32. *quæst.* 2. At quod legis est, pœnitentia non deletur; aliàs qui fuerit pœnitens, plectendus non esset pœna legis. Quæ ratio placuit etiam nonnullis antiquis Theologis. At si illa propositione, *legis est vxorem nocentem eijcere*, intelligant contineri præceptum, falsum assumunt, vt iam supra ostendimus: tantum enim conceditur per legem facultas, vt eijciat, si velit, extra casus iam explicatos, in quibus eijcere non potest. Optima ergo ratio est, quia ob iniuriam illam, si publica, vel in iudicio probata sit, iure naturali oritur ius diuortij. Ergo nulla lege cogitur retinere: aliàs nullum ius emanaret, si retinere, vel non abijcere coge-retur.

7 Verùm huic communi sententiæ videntur obstare nonnulla. Primum est textus in *cap. Ego dixi* 34. *quæst.* 1. & 2. ex libro Hermæ Pastoris, mandato 4. vbi dicitur, *Si vir non receperit suam vxorem iam pœnitentem magnum peccatum facere. & cap. quod autem* 32. *quæst.* 1. ibi. *Nunc autem postquam Christus ait adulteræ, Nec ego te condemnabo, quis non intelligat debere maritum ignoscere, quod videt ignouisse dominum amborum?* Et *cap. si vir de adulterijs*, ex Concilio Arelatensi ibi: *Quod si mulier dimissa egerit pœnitentiam, & voluerit ad virum suum reuerti, debet, sed non sæpe recipere peccatricem.* Quæ omnia retulit Magister Sententiarum distinct. 35. cap. 2. Attamen illis probare tantum contendit, si pœnitentiam egerit, posse reconciliari. Quare ista omnia vel interpretanda sunt tanquam optima consilia, non præcepta, & de honestatis, & æquitatis debito, non de legali: vel forsan fuere præcepta loco & tempori accommodata ob peculiares causas, vt si ex separatione, cum emendata iam fuisset vxor, maius aliquod damnum timeretur, tunc enim domum reuocat, vt statim dicam.

Quando teneatur coniux adulterâ abiectam recipere?

CAPVT. XX.

SVMMARIVM.

Tres casus, in quibus tenetur abiectum coniugem innocens recipere remissiue, num. 1.

Item si constat de iniustitia sententiæ diuortij, numero 2.

Item, si qui litem mouit factus est nocens, numero 3.

An requiratur, vt adulterium post sententiam cõmissum, sit publicum? num. 4. 5.

Quid si committatur adulterium, postquam sententia transijt in rem iudicatam, num. 6.

Quid si innocens committat adulterium, postquã ipse mutauit statum, num. 7.

1 SVNT autem nonnulli casus, in quibus tenetur abiectam recipere maritus. Nonnullos explicui supra isto libro cap. 17. qui etiam post sententiam diuortij locum habent. Vt si reconciliatus sit, & iniuriam condonet; item si timeat probabile periculum suæ incontinentiæ.

2 Alius casus est, si illi constet de sententiæ diuortij iniustitia, siue quia postea certò intellexit falsam esse adulterij suspicionem, vel se deceptum à testibus, tunc enim non obstante sententia lata tenetur in conscientia ad coniugem redire; defecit enim præsumptio, cui ea sententia nitebatur iuxta doctrinam traditam supra libro 5. capit. 5. Et contra sententiam, quam transire in rem iudicatam in his tantum, quæ sunt in odium nocentis, probabile est, potest reus agere beneficio generalis restitutionis depromptis testibus & probationibus. Quod si innocens statum mutasset, restituendus est: nulla est professio in præiudicium innocentis: & quamuis non repetatur ab altero coniuge, qui innocens condemnatus est, potest è monasterio egredi, sine scandalo. Idem dic de professione se-

cuta post remissionem iniuriæ, aut quandocumque non est liberum expeditumque ius coniugis transeuntis ad religionem; potest quidem exire é monasterio, si sine scandalo fiat, etiam si non repetatur ab altero coniuge. Neque in hoc casu locum habere videtur decisio Tridentini, sess. 25. de Regularibus cap. 19. vbi inquit. *Quicumque regularis prætendat se per vim & metum ingressum esse religionem, aut etiam dicat ante ætatem legitimam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacumque de causa.* Licet enim Concilium videatur loqui valdè vniuersè, attamen in nostro casu non loqui planum videtur, cum statim dicat, *quod si habitum sponte dimiserit.* Is autem, qui vxori obligatus dimittit habitum, non sponte dimittit; erat enim is perpetuò inhabilis ad matrimonium, sicut si seruus absque domini facultate professeretur.

3 Alius etiam casus est; videlicet, si is qui litem mouit, etiam est nocens, vel factus sit nocens. Si enim adulterium etiam commisit ante sententiam latam, tenetur redire; constat enim illi de iniustitia sententiæ: nec quidquam obest, quod mutarit statum iuxta dicta. Idem dicendum, si adulterium commissum est post latam sententiam, antequam transeat in rem iudicatam, siue quia non elapsus est appellationis terminus; vel non emanarunt tres concordes sententiæ; vel quia, licet transierit tempus, at quia reus minor est, beneficio restitutionis illi subuenitur. Nam in eo etiam casu, si is qui litem mouit, eo tempore adulterium committat, non potest in conscientia litem mouere, cum adhuc locum habeat compensatio.

4 Sed, vt ea, quæ in isto casu continentur, magis in singulari explicentur, nonnullæ difficultates explicandæ sunt. Prima difficultas est, an adulterium post sententiam eo tempore commissum debeat esse publicum, an sat est sit occultum? Forsan enim existimabit aliquis non satis esse, si adulterium sit occultum, sed publicum esse debere, vt teneatur à lite cessare, aut ad se reuocare post sententiam diuortij, cum alterius coniugis adulterium fuerit in Ecclesiæ foro probatum. Nam quamuis vterque infideles sibi mutuo extiterint, attamen legibus Ecclesiasticis potius est ius eius, cuius adulterium probari potest, cum concedant leges Ecclesiasticæ separationem illi, quam tamen negant, cum adulterium est occultum, ac constare nequit. Huiusmodi autem leges non tantum respiciunt, aut intendunt fidei mutuam obseruationem inter eos coniuges, sed etiam vt & honori inuicem consulatur, ac si forte fragilitate labatur coniux aliquando, ita tamen se gerat, vt fiat, quam occultè fieri possit, ne scandalum generetur, & alter coniux lenocinio fauere videatur. Si enim istæ leges Ecclesiasticæ tantum respicerent, ne violaretur fides debita, etiam propter occultum adulterium dimittere liceret, cum non minus in eo fides lædatur, quod tamen falsum esse supra ostendimus.

5 Cæterum verius videtur etiâsi occultum sit adulterium ex vna parte, eum qui occulte adulter est, non posse in conscientia publicum adulterium dimittere: sic D. Thomas in 4. distinctione 35. quæstione 1. articulo 6. Paludanus quæstione 1. articulo 2. casu 1. Nauarrus cap. 22. numero 23. & alij. Idque planum videtur. Nam in hoc non attenditur forum exterius, sed animæ. Quamuis enim qui publice adulter est, separabitur Ecclesiæ iudicio, non verò qui occulte adulter est: at in foro animæ, qua ratione potest, qui iniuriam intulit, & is cuius iniuria compensata iam est, petere restitutionem iniuriæ? Quod idem in exemplo debiti pecuniarum planissimum est. Quare quòd Ecclesia neminem velit separari, nisi ob adulterium probatum, vel notorium, non suadet occulto adulterio non compensari iniuriam. Illud enim statuit, vt occurreret hominum fraudibus. Cumque ex alia parte non sit obligatio dimittendi, sed tantum facultas, nisi in casibus iam expressis, non est quod cogat adulterum occultum ad petendum diuortium. Quod si aliquando magnum sequeretur scandalum ex retentione adulteri notorij, tunc expendendum iudicio prudentum, quid esset maioris momenti, iniuria illata coniugi adultero, qua contra fas priuaretur iure coniugij, an damnum ex scandalo vel iactura honoris adulteri occulti.

6 Secundò quæret aliquis, quid si petatur adulterium, postquam iam perfecta sententia est, & transijt in rem iudicatam, an eo tempore debeat reconciliare sibi coniugem dimissum? Dico in primis probabile valde esse reo competere actionem, vt petat restitui sibi coniugem, & audiri debere, vt tenet communior sententia inter iuris interpretes & Theologos. Quamuis enim sententia lata sit; attamen illa

respexit statum præsentem, iuxta quem lata est; vnde non tollit ius Reo compensationis, si innocens fiat nocens. Scio alios aliter sentire, leuissimis tamen commotos fundamentis. Quare quod attinet ad conscientiæ forum, qui commisit adulterium post diuortij sententiam nondum mutato statu, etiamsi non compellatur à iudice, tenetur reconciliare sibi coniugem dimissum. Ratio aperta est, quia semper tenetur alteri etiam dimisso seruare fidem. Vnde etiam post diuortium peccans adulter est, & contra iustitiam agit. Ergo iniuriam intulit. Ergo compensanda, nullo enim impeditur; non quidem status vinculo; supponimus enim nondum mutasse statum: nec ob sententiam latam, illa enim reconciliationis non aufert facultatem, vt supra dicebamus. Quod si adhuc post sententiam, ea non reuocata potest libere innocens nocentem reuocare ad se; multô potiori iure id debebit facere, qui iam innocens factus est, non obstante præcedente sententia, quæ in illius fauorem erat, qua innocens, & quandiu innocens existebat, non aliter.

7 Sed quæres tertio. Quid si adulterium committat is, qui innocens erat, postquam mutauit statum, vel susceperit sacros Ordines? Et quidem si non facta est separatio legitime, hoc est, vel notorium non est adulterium, vel licet notorium sit, deducto illo ad forum iudiciale, nondum expedita sententia est; vel si prolata, nondum tamen transijt in rem iudicatam, aut antequam transiret, præcessit condonatio, idem iudicium ferendum est, ac si adulterium commissum esset re integra. Quare, cum religio non habeat ius in professum perseuerante ac vigente iure alterius coniugis contra fas, iusque spoliati, professio non tenuit. Inualida autem professione perinde iudicandum, ac si immutato statu adulterium commissum esset. Vnde & à iudice restituendus, imo & ipse reconciliari tenetur, ac egredi ê monasterio potest sine scandalo, si fieri potest, vt iam dixi. Quare etiam si probet postea adulterium antiquum coniugis, cuius causa voluit secedere, non potest ad religionem redire, & peccat litem intentando, quia etiam is, qui innocens erat, adulter fuit ante sententiã, & quando professio nulla erat. In quo non rectè locutus Thomas Sanchez, nec consequenter lib. 10. disputatione 9. numero 34. A fortiori idem dicendum, si noui tius commisit adulterium in eo casu, non enim potest permanere in religione, neque profiteri, sed tenetur exire ê religione, quia commisso adulterio ante professionem iam est factus nocens, nocenti autem non licet diuertere. Quod si præcesserit diuortij sententia, donec transeat in rem iudicatam, idem dicendum iuxta dicta. Nam vsque ad illud tempus non potest validè profiteri. At si iam transierit in rem iudicatam, adhuc distinguendum. Nam si nouitius est, vel in minoribus constitutus, vel voto simplici, extra religionem tamen, deuinctus, & eo tempore in adulterium incidit, redire tenetur iuxta sententiam modo traditam, quia cum factus sit nocens nondum mutato statu, amisit ius diuertendi, quia est locus compensationi etiam post latam sententiam, & post quam transijt in rem iudicatam, si alio non impediatur fortiori iure: veluti vinculo religionis, aut Sacrorum ordinum statu; eo etiam tempore nullum habet religio ius in religiosum, cum nondum se tradiderit religioni. Si autem iam professus, vel sacris initiatus adulterium commiserit, nec tenetur, nec potest iam redire. Nam iam religio validum adquisiuit ius in religiosum, quando vouens erat habilis ad profitendum, quo impeditur ius coniugis prius dimissi, nec extinguitur sequenti fornicatione, est enim longe strictius ius religionis, aut mutationis status, quod præponderat iuri coniugis dimissi. Ex quo inferes esse ius recipiendi dotem, si post sententiam is, qui innocens fuit, adulter fiat ante professionem validam, vel mutationem status: idque deducitur ex eodem fundamento, quia compensantur delicta etiam post latam sententiam iuxta dicta in superioribus.

Ex alijs causis licere diuortium.

CAPVT. XXI.

SVMMARIVM.

De fide est alias etiam esse causas diuortij, numero 1.
Explicatur locus Matth. 19. in quo tantum est expressa fornicatio, num. 2.
Cur potissimum memminerit Christus fornicationis, num. 3.
Occurritur obiectioni, num. 4.

1 MOLESTE ferũt hęretici, quod Ecclesia diuortiũ concedat quoad torum alijs de causis, quam ob fornicationem, quam expressit Christus Matth. 5. & 19. At certum de fide est alias etiam esse causas diuortij præter adulterium carnale. Id quod definitum est â Tridentino sessione 24. de matrimon. can. 8. *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter coniuges quoad torum, seu quoad cohabitationem ad certum, incertumue tẽpus fieri posse decernit, anathema sit.*

2 Neque vero his obstat quòd Christus Matth. 19. ad dimissionem coniugis solum meminerit fornicationis siue adulterij: dicendum enim est ex Euangelio etiam constare alias causas diuortij, & separationis, vt dicemus. Quare, vt rectè intelligamus eam Christi sententiam; limitanda est primo ad matrimonia fidelium, vt detur locus Apostolo præcipienti separationem coniugij contracti inter infideles. Præterea intelligenda est Christi sententia de dimissione ratione criminis, non vero ratione maioris perfectionis: cum qui causa maioris perfectionis dimittit, non sit vxori causa mœchandi. Aut enim matrimonium dissoluitur professione, si non erat consummatum: aut alter etiã coniux conuertitur altero ad religionem transeunte. Cur autem Christus tantum meminerit fornicationis, cum possit alijs de causis fieri diuortium, Augustinus libro primo de sermone Domini in monte capite 26. & sequentibus respondet, ideo esse, quia nomine fornicationis omnia vitia intelliguntur. Sed neque ipsi Augustino ea placuit interpretatio. Loquitur enim sine dubio Christus de fornicatione carnali: & aliâs non ex quocumque peccato licet dimittere vxorem, cum tamen quodlibet peccatum mortale nomine fornicationis mystice in Sacra Scriptura significari soleat.

3 Duas ergo ob causas Christus potissimum meminit causæ fornicationis, & non aliarum causarum diuortij. Prima est: Quia Christus assignauit ibi causam perpetui diuortij. At verò nulla alia præter adulterium est perpetua. Nam si alter coniux committat adulterium, licet semel, etiam si resipiscat, non tenetur alter reducere, neque acceptare per se loquendo, nisi ex aliquo accidenti, vt dixi supra. At siue incidat in hæresim, siue crudelis sit, siue ad peccatum pertrahat, si corrigatur, & desistat à peccato, redeatque ad meliorem frugem, cessat ratio diuortij. Alia enim crimina per accidens opponuntur matrimonio: fornicatio autem per se opponitur obligationi fidei quæ ex matrimonio nascitur. Secunda causa est, quia sola fornicatio est propria causa dissolutionis matrimonij; aliæ autem causæ etiam communes sunt alijs confœderationibus, & communitatibus, quæ dissoluuntur accedentibus etiam illis verbi gratia hæresi, aut pertractione ad peccatum. Christus autem non meminit earum, quas sciebat esse communes omnibus etiam alijs confœderationibus: sed meminit eius, quæ sola est propria causa separationis matrimonij: cum hæc sola, vt dixi, opponatur per se bono fidei coniugalis. Sic explicat rem istam Bellarminius libro primo de matrimonio capite 14. Canisius *capite secundo de diuortijs* in fine. Adde etiã materiã separationis tori totam esse arbitrariã tam ratione subiectæ materiæ separationis, quam ratione iusti metus, vt cum Abbate in capite literas numero septimo de restitutione spoliatorum tenet Rota apud Seraphinum decis. 226. num. 1.

4 Neque obstat etiam, quod vxori dimissæ præberi videatur causa fornicationis. Quia quando dimissio iusta est, periculum fornicationis non imputatur dimittenti, sed ei, qui dedit causam, cur dimitteretur. Alias etiam eodem argumento probaretur non licere dimittere ob fornicationem, cum sæpe etiam sit periculum incontinentiæ coniugi dimisso. Cum enim hic sint duo pericula, vnum coniugis incontinentis, alterũ nocẽtis, potius Ecclesia vult cõsulere periculo innocentis, vt recte docet ibidem Bellarminus.

(?)

Hære-

Hæresim esse causam diuortij.

CAPVT. XXII.

SVMMARIVM.

Hæresim esse causam diuortij, num. 1.
Prouenire ex iure naturali ob periculum subuersionis. num. 2.
Quid si post separationem Ecclesiæ iudicio factã, infidelis reconcilietur, & corrigatur, numero 3.
Qui deliquit, non potest statum mutare inuito innocenti, num. 4.
An censeatur remittere fidelis, si post delictum copuletur infideli, num. 5.
An in hoc adulterio spirituali sit locus compensationi, num. 6.

1 CERTVM est hæresim vnius coniugis causam præbere diuortio sufficientem *cap. fin. de conuers. coniug. cap. 2. & cap. quanto de diuortijs, cap. non solum cap. de idolatria 28. quæst. 1.* Huius autem præcipua ratio desumenda est ex generali prohibitione, qua hæretici vitari præcipiuntur ad Titum III. *hæreticum hominem post vnam aut alteram monitionem deuita*, de quo latè agimus in commentario de canonibus Apostolicis, hoc est tract. de ordine, & annexis lib. 5.

2 Ex quo constat in primis, ex iure ipso naturali oriri hanc diuortij causam, cum ius naturale præcipiat vitandum esse periculum subuersionis. Vnde, & potest ab hæretico propria auctoritate recedere ob periculum, quod statim vitandum vrget. Et debet separatio fieri non tantum quoad torum, sed etiã quoad cohabitationem, & obsequia, ne cum illis vlla communicatio intercedat: & alias merito cohabitans, vel nubens hæretico scienter habet contra se eiusdem criminis præsumptionem, vt latè Farinacius in tractatu de hæresi quæstione 190. §. 3. num. 50. Et similiter mulier receptans maritum hæreticum tanquam fautrix hæreticorum punitur, nisi probetur non causa hæresis, sed affectionis maritalis recepisse, vt docet idem Farinacius de hæresi quæst. 182. numero 150. & sequenti. Secundò constat non sicut in matrimonio carnali vel semel adulterasse, satis est ad diuortium, etiam si omnino corrigatur, sic in hoc casu dicendum esse; sed cum restrictione, nisi emendetur. Si enim resipiscat coniux hæreticus, non potest alter diuertere. Loquor ante quam Ecclesiæ iudicio separetur. Itaque ante iudicium Ecclesiæ tenetur resipiscentem admittere. Quia non est causa perpetui diuortij, sed temporalis, in quo valde differt ab adulterio carnali. Vnde ante Ecclesiæ iudicium nequit coniux Catholicus ad religionem transire, vt dicam statim, iuxta textum in *cap. fin. de conuers. coniug. & cap. duo, & cap. de illa, de diuortijs.* Quare, si coniux Catholicus ante Ecclesiæ iudicium religionem intrasset, & professus fuisset, professio nulla esset, & reuocari posset, ac repeti, sicut supra dicebamus de eo, qui sine licẽtia coniugis ad religionem transit: & si ordinaretur, reuocaretur instante coniuge sicut suprà etiam dicebamus de eo, qui sine licentia coniugis ordinatur.

3 Sed quid dicendum, si iam fuerit Ecclesiæ iudicio separatus, & coniux infidelis reconcilietur, & corrigatur, nunquid tenetur coniux fidelis redeuntem recipere? Diuersæ sunt Doctorum sententiæ. At mihi videtur hæc res apertè in iure decisa. Dico ergò, si Ecclesiæ iudicio separatus est, iam non tenetur ad coniugem emendatum redire, neque cõpelli potest, sed ipsi liberũ erit in sæculo remanere, aut religionem assumere. Liberum esse ad religionem transire, quando Ecclesiæ iudicio separatio facta est, plane decluditur in *capite finali de conuersione coniugatorum* ibi. *Mulier quæ in fide remansit potest nolente viro, qui ab infidelitate reuertitur, propter quam ab eo fuerat iudicio Ecclesiæ separata, ad religionem libere conuolare.* In quo textu infidelitatis nomine apostasiam à fide intelligi planè indicat, quod fuerat Ecclesiæ iudicio facta separatio. Si enim esset infidelis, qui nunquam fidem suscepisset, non pertinuisset ad Ecclesiæ iudicium, nec separatio facta fuisset Ecclesiæ iudicio, sed diuino iure, vt supra dictum est. Expendo autem in eo capite non imponi necessitatem conuolandi ad religionem, quasi vel debeat illum recipere ab infidelitate redeuntem, vel conuolare ad statum religiosum, sed libera conceditur facultas. Quare, & eo textu subindicatur posse, si velit, remanere in sæculo, neque ad virum reuerti, etiam correctum, & emendatum. Quare nihil video in hac decisione quod immutatum dici possit, aut correctum per alia iura. Facit etiam pro hac sententia textus in *capite de illa 6. de diuortijs*, ibi

De illa, quæ à viro suo labente in hæresim ipsius consortium sine iudicio Ecclesiæ declinauit, videtur nobis, quod mulier ei, cum reuersus fuerit, est reddenda, quæ, & si reuerti noluerit, compellatur. Si vero iudicio Ecclesiæ ab eo recessit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam. Quid apertius? Atque iuxta hunc sensum accipienda sunt verba textus in *cap. Quanto de diuortijs*, ibi. *Per hanc ipsam responsionem illa soluitur quæstio. Vtrum ad eum, qui ab hæresi vel in fidelitate reuertitur is qui permansit in fide redire cogatur.* Hoc est, quando ante iudicium Ecclesiæ secessit, ne existimarent hæresi dissolutum matrimonium. Atque huius sententiæ optima ratio est. Quia separatio à coniuge Catholico pœna est propter hæresim inflicta. Non ergo vult Ecclesia, vt præueniens coniux Catholicus iudicium Ecclesiæ separetur propria auctoritate, cum possit ille negare se esse hæreticum, neque omnino constet. Atque hanc sententiam expressè tenet Iacobus de Graffis parte secunda decisionum lib. 1. cap. 12. num. 22. & Simancas de Catholicis institutionibus tit. 40. numero 16. licet aliquantulum ab hac recedere videntur, sequitur etiam cum alijs Thomas Sanchez lib. 10. disput. 15. numero 19. Poterit ergo Innocens coniux ad sacros ordines promoueri, si voluerit, altero inuito, & potest etiam ad religionem transire post Ecclesiæ iudicium, nec enim in hoc est differentia vlla inter sacros ordines, & religionem, vt dicebam supra capite 13. Dicitur autem Ecclesiæ iudicio separari, non quia necesse sit specialis sententia de diuortio: sed quando iam est de hæresi per Ecclesiam condemnatus, cum hæc separatio sit pœna, quæ consequitur hæresis delictum, vt aduertit Thomas Sanchez cum alijs ibidem, numero 20.

4 At quamuis coniux Catholicus non possit compelli post Ecclesiæ iudicium, vt redeat ad coniugem resipiscentem; attamen ille qui deliquit, non potest statum mutare, neque ad sacros ordines, neque ad religionem transire, sine Catholici consensu, atque licentia, vt de coniuge adultero supra etiam dictum est: & si sine licentia id faciat, professio erit nulla, & reuocabitur, & seruabuntur omnia, quæ de eo, qui sine licentia coniugis post consummatum matrimonium ad religionem transit, dicta sunt in superioribus. Hæc autem vera sunt, nisi Catholicus, vel professus esset, vel sacros ordines suscepisset: tunc enim reconciliatus ille potest statum religionis, vel clericalem amplecti. Quod si ante consummatum matrimonium sententia lata sit, vterque liberè potest ad religionem conuolare, & dissoluetur matrimonium professione iuxta dicta supra cap. 11. & 12.

5 Sed quid si post hæresim vnius coniugis alter Catholicus illi copuletur, censebitur ne remittere? De hoc latè disputat Thomas Sanchez disput. citata numero finali. Mihi duo videntur. Primum est, in quo cum eo auctore conuenio, copulam ante sententiam habitam non esse condonationem, neque in foro externo præsumi condonationem, cum nondum habuerit ius diuertendi perpetuum, sed tantum ad tempus ratione periculi. Secundum est, in quo ab eo dissentio. Si copula habeatur post sententiam, iam censetur condonatio, & in foro externo ita præsumetur. Cum enim ea separatio non tantum inducta sit in pœnam hæresis, sed etiam in fauorem Catholici, & ideo sit voluntaria Catholico, si ille velit diuertere, si re vera iam copulatus est vxori post sententiam, cessisse videbitur iuri suo: & ita iudicandum est, quamuis ipse Catholicus oppositum affirmet, iuxta ea quæ supra dicta sunt de innocenti, quando post adulterium copulatur adultero. Nam inter has duas species nullum quoad hoc potest assignari discrimen, quamuis assignare conetur Thomas Sanchez disputatione citata in fine. Cum enim ea separatio relinquatur libera, & in potestate, & voluntate aut arbitrio Catholici, planum est eam in eius fauorem etiam esse magna ex parte inductam. Iam enim non est periculum peruersionis emendato coniuge infideli: sed quia infame, & molestum esset Catholico cum illo cohabitare, datur facultas, siue permissio diuertendi, si velit.

6 Sed quæres tandem, an in hoc adulterio spirituali sit compensationi locus, sicut diximus esse in adulterio carnali. Et in primis, si vnus ex eis commiserit adulterium, alius vero lapsus fuerit in hæresim, adulter ante sententiam non potest ab hæretico diuertere, cùm ante sententiam nullum sit ius diuertendi, quod compensari possit. At hæreticus potest diuertere ab adultero, cum ex eius peccato quæsitum sit ius innocenti in eo crimine, saltem quando notorium est adulterium iuxta supra dicta: si verò loquamur, postquam iam hæreticus condemnatus est, existimo neque adulterum teneri recipere hæreticum recon-

reconciliatum,neque hunc teneri admittere adulterum,cum sint hæc crimina diuersæ rationis. Et quamuis crimen hæresis longè sit adulterio grauius: attamen in ordine ad matrimonium magis pugnat coniugium cũ adulterio, quam hæresis, maiorque iniuria matrimonij est. Ex quo etiam infertur, si vterque lapsus fuerit in hæresim, non esse compensationi locum. Quia iura tantum cõcedunt coniugi Catholico, vt possit alium emendatum repetere, non autem concedũt coniugi nocenti. Cum ergo vterque nocens fuerit,neuter habet ius repetendi alterum,sicut habet,quando vterque commisit adulterium. Cuius diuersitas nascitur ex eo quod dicebamus,quia iniuria in adulterio fit directè matrimonio: at crimen hæresis non infert iniuriam coniugio, & ita non sequitur ex crimine vtriusque nasci ius in alterum, aut compensatam iniuriam ad repetendum alium ad vsum matrimonij.

De alijs causis, ex quibus licet diuortium.

CAPVT. XXIII.

SVMMARIVM.

Si coniux pertrahat alium ad peccatum,esse causam diuortij,num.1.
Inferuntur nonnulla,num.2.
Alia peccata coniugis non esse causam,num.3.
Proponitur quæstio de sæuitia,num.4.
Qualis requiratur sæuitia explicatur,num.5.
Eius probatio,num.6.
Requiri in ea causa iudicis sententiam,num.7.
Virum ob vxoris sæuitiam etiam rectè diuertere, num.8.
Licere postea coniugi ad religionem transire, numero 9.
Causam diuortij coram Ecclesiastico iudice examinandam,num.10.
Vbi sequestranda vxor pendente lite,num.11.
Dotem non amittere vxorem,quamuis fiat diuortium ob eius sæuitiam,num.12.
Minori ob elapsum temporis ad probationem in causa matrimoniali restitutionem competere, num.13.

1 SOLENT etiam aliæ causæ diuortij enumerari, quæ breuiter explicandæ sunt. Vna est,cum cõiux pertrahit alterum coniugem ad peccatum,& ad illud solicitat. Probat textus in *capite 2. de diuortijs, & capite idolatria 28. quæst. 2.* Et quamuis in his canonibus tantum agatur de eo,qui ad infidelitatem pertrahit: attamen eadem ratio est,de inducente ad alia peccata,cum sit periculum peruersionis, quod cui tandum esse lex naturalis dictat iuxta illud Christi Matth.18.*Si oculus tuus scandalizat te,erue eum,& proijce abs te.* Vbi inquit Hieronymus sententiam Christi esse, vt si hi, qui nobis coniuncti sunt, & etiam instar oculorum,vt parentes, filius, vxor causa sint ruinæ ab illis recedamus. Quod etiam eleganter prosequitur Chrysostomus Homil. 17. in Matth. Integra namque cum Deo amicitia geri non potest,nisi aliæ rescindantur. Et præterea,quia quem sui delicti non vere pœnitet, ille numquam à Deo veniam sperare potest. Vera autem pœnitentia consistere nequit,nisi omnis peccandi propinqua amputetur occasio,*cap.satisfactio de Pœnitentia dist. 3.* ex Augustino de Ecclesiasticis dogmatibus cap.54. Neque id mirum, cum & locus ipse,vbi lapsus est quis in peccatum, relinquendus sit, vt eleganter admonet Isidorus lib.2.de summo bono cap.10. relatus à Gratiano *cap.valet,distinct.81. congruum est, inquit,inde etiam corporaliter auelli, vbi quisque illecebris deseruiuit. Nam locus vbi quisq; prauè vixit,hoc in aspectu mentis apponit, quod sæpe ibi vel cogitauit, vel gessit.* Atque ita hanc sententiam docent Paludanus in 4. dist. 35. q. 1.artic.4.conclus.4. & dist. 39. quæst. vnica art.3. Antoninus 3.p.titulo 1.cap.21. Syluester verbo *diuortium*, quæst.6. Nauarrus in summa capite 22. Bellarmin. dicto lib. 1. cap.14. Canisius *capite secundo de diuortijs*, & in summa iuris canonici libro secundo c. 21. & Thomas Sanchez libro decimo disput. 17.num.5.

2 Ex quo colliges eum virum,qui lenocinium cum vxore exercet,vel qui in domũ suam introducit,qui vxorem solicitent, eosque solos cum vxore relinquit, præbere iustam diuortio causam. Sic Angelus in summa tit. *Matrimonium quomodo separetur*,& Syluester verbo *diuortium* numero secundo. Item si velit coniugem suorum furtorum participem facere, & vt illis cooperetur furta tegendo, & simulando: vel si velit, vt vxor pellicem foueat, & alat, & similia, quæ vergunt in animæ periculum. Vnde in his casibus potest, & debet propria actoritate ad tempus secedere, ad euitandum periculum,

donec accedente sententia separetur auctoritate iudicis. Constat autem huiusmodi diuortium tantum esse temporale. Quare cessante ea inductione ad peccandum, tenetur coniugem recipere, etiam post Ecclesiæ iudicium.

3 His autē criminibus exceptis, quāuis cōiux varijs alijs sceleribus irretitus sit, si nō est causa peruersionis coniugi, non potest diuertere, vt docet communis sententia in *cap. 2. de diuortijs.* Quamuis nonnulli consulant posse coniugem aliquādo ad tempus se subtrahere conuictui alterius, si id expedire iudicauerit, vt alter resipiscat. Verum in hoc exequendo maturo iudicio, & magna prudentia opus est: possunt enim facile multō maiora sequi damna tam animæ, quam corporis, & irreparabiles rixæ, vt experiētia ipsa compertum est.

4 Restat vt dicamus de sæuitia, quæ assignari soles causa sufficiens separationis tori, immo & cohabitationis, *cap. literas, de restitutione spoliator. ca. transmissa, eodem, & c. 1. vt lite non contestata*, ibi. *Verum quia dicebat mulier se virum habere suspectum.*

5 Sed circa hanc causam breuiter explicanda nonnulla sunt. Primum qualis sæuitia præbeat iustam separationis causam? Illā dico sæuitiam sufficientem, quia incutitur iustus metus cadens in virum constantē, qui constare debet ex sæuis factis coniugis. Veluti si vir gladium appoſuerit ad collum & gulam vxoris, *l. metum D. Quod metus causa*, & Glossa in *c. dilectus de his quæ vi*, animo tamen occidendi vel feriendi. Si enim aliqua arte fiat ad eruendum secretum, & arcanum aliquod non est sufficiens sæuitiæ signum, vt habet decisio Rotæ apud Farinatium tom. 2. decis. 371. n. 10 Similiter, si insidias vitæ parauerit alter alteri per venenum, vel maleficia, vel alio modo, in quo est æqua conditio viri & vxoris. Similiter minæ de occidendo, si tamē præ terribili ingenio soleret exequi iuxta dicta supra lib. 4. & docet decisio Rotæ 371. cit, n. 3. Maximè si his minis accedāt iniuriæ, & aliæ malæ tractationes, quæ excedant terminos leuis correctionis marito in vxorem permissæ, vt docet Rota eodem tomo apud Farinacium decis. 193. n. 5. Similiter etiam percussiones graues & atroces, vt si ex illis secutus esset fœminæ aborsus, vt indicat Farinacius lib. 2. consil. 157. n. 6. Satisq; esse puto semel aborsum secutum esse; aut si illæ percussiones essent sanguinolentæ Farinacius eodem consilio, n. 10. vel in facie capite, vel oculo illatæ fuerunt, vel cum hasta, seu baculo fracto in percussione, vel in pectore, vnde per aliquot dies sanguinem expueret; vel in manibus, ita vt per aliquod tēpus illis vti non posset; vel quæ facerent, vt illa in lecto aliquot diebus iaceret. Adde etiā verbera, si illa sunt immoderata, & quæ excedant leuem correctionem viro permissam. Nam viro licere leuiter vxorem verberare correctionis gratia suppono, Rota decisione 371. cit. n. 4. & 5. verūm negari non debet iudicium de sæuitiæ qualitate esse arbitrarium, & multū in hoc posse iudicis arbitriū, qui immoderatam sæuitiam & molestam tractationem iudicabit, attenta qualitate personarum & fœminæ quæ vexatur. Rota decisione 156. n. 3. apud Farinacium loco cit. & deci. 38. n. 2. si enim illa nobilis, pudica honesta, & morigerata fuerit, minores molestiæ censeri debent sæuitiæ nomine. Adde his etiā, quando ex signis factis, discordijs assiduis colligitur odium capitale. Rota decis. 156. cit. n. 1. Atq; hæc quæ diximus verū habent, quamuis vxor sua culpa viri sæuitiam, vel odium in se concitauerit. Thomas Sanchez lib. 10. dispu. 18. n. 5. Canisius, *c. 2. de diuortijs.* Quæ fuit etiam sententia Panormitani in *d. c. literas de restit. spoliat.* per textum in *c. de benedicto cum Glossa 32. q. 1.* de quibus etiam vide Riccium in praxi, decis. 235. à. n. 3.

6 Sæuitiæ probatio, cum ardua hæc materia separationis sit, concludens esse debet, Rota cum Parisiensi, Baldo & alijs decisione 371, cit. nu. 1. licet in ea materia probent testes singulares, quando omnes probant sæuitiam in genere; Rota decisione 156. cit. nu. 2. Vnde non creditur coniugi de sæuitia mariti, nisi probet, Palacios Rubios in *c. per vestras*, n. 3. notabili 27. *de donat. inter.* Rota decis. 39. nu. 3. apud Farinacium lib. cit. Vnde neque erit sufficiens probatio, quod cū alia vxore sæuus fuerit. Potuit enim ex alijs causis cum illa intercedere capitale odiū, quod ad quæstionem cum alia non multum faciet, Rota decisione 371. cit. num. 7. nisi probetur priorem vxorem inculpatè vixisse, & benè morigeratam fuisse, & nullam sæuitiæ, neq; odio dedisse causam, quod difficillimæ probationis est. Probata autem plenè sæuitia nō debet esse locus cautioni alterius coniugis de non offendēdo. Nulla enim ratio permittit trepidantem vxorem committere fragilitati cautionis, quod semper fieri solet vbi dānum & læsio timetur, Rota decis. 156. cit. n. 3. Canisius cum alijs *c. 2. de diuortijs*, Riccius decis. cit. n. fin. Sed cum ea non plenè probatur, & resultant indicia terribilitatis viri,

tunc

tunc restituenda est vxor cum idonea cautione præstita â viro de non offendendo, vt docet Abbas in d. *cap. ex transmissa, num. 1. & 2. de restitut. spoliator. & in cap. 1. num. 7. vt lite non contestat*, & Rota decis. 371. cit. n. fin. sufficiens autem cautio dicitur, quæ fit pignoribus, vel fideiussore, *l. si mandato Titij 39. §. fin. D. Mandati.* Quamuis & iuratoria cautio sufficiens dici posset, si eam magis maritus timeat. Glossa & Innocentius in d. *c. ex transmissa*, quod iudicis æstimat oni relinquitur. Couarru. 2. p. cap. 7. §. 5. nu. 1. vsque ad 6. & quamuis iuris regula sit viro nõ habenti pignora aut fideiussores, quia pauper, aut aduena & sufficere cautionem iuratoriam de non offendendo; at id non habet locum, quando persona est suspecta, vel extat timor offensionis, sic Riccius in praxi decis. 254. ex n. 2.

7 Verùm ratione sæuitiæ non licet fœmine sine iudicis auctoritate discedere, *cap. porro & c. significasti de diuortijs*. Et quamuis ob viri sæuitiam permittatur vxori ab ipso discedere, *d. c. literas* in fine, id tamen solũ procedit, quando maritus esset nimis sæuus, & esset periculum in mora, aut non pateret facile aditus ad iudicem, *d. cap. literas*. Neque in hoc casu locum habet restitutio spoliati propter imminens periculum, sed recepta per iudicem in continenti probatione oblata per fœminam illam in loco honesto deponi iubeat. Ex iusta autem causa vxori discedenti ad litigandum deberi sumptus & alimẽta docet Rota decis. 250. apud Farinaciũ 2. volum. consil. & Ricciũ in praxi cit. alijs decis. 235. num. 6.

8 Sed quæritur nem habeat an liceat etiam viro diuertere propter sæuitiam vxoris. Sicut vxori propter sæuitiam viri? Et mihi quidem non est dubium parem vtriusque in hac re causam esse, si vxoris sæuitiã in virum probetur, militat enim eadem ratio. Et sic in supremo Regis Catholici Senatu pronuntiatum est in lite super diuortio inter D. Annã Palomeque, & Ioannem Stroreã eius virũ, & suadent ea quæ adducit Thomas Sanchez lib. 10. disp. 18. num. 8.

9 Atiam pronuntiata sententia diuortij perpetui ratione sæuitiæ, licebit vxori, vel diuertenti inuito altero coniuge ad religionem transire, neque poterit reuocari, sicut diximus de eo, qui diuertit ob adulterium, vel hæresim; nec enim in hoc est aliqua maior difficultas. Ille autem qui ob sæuitiam condemnatus est, non poterit statum mutare inuito altero, vt dictum est; ea enim sententia in fauorem illius qui vexatur, lata est. Quod si postea copulentur, censebitur reconciliatus alter alteri, neque habebit querela locum, nisi nouæ se se offerant causæ. Farinacius lib. 2. consil. 156. num. fin. Atque ea quæ diximus de sæuitia, dicenda etiã sunt cum communi DD. de furore superueniente esse scilicet causam separationis. Couarru. d. §. 5. num. 6. maximè quando vitæ periculum alteri imminet.

10 Illud rursus addendum est causam diuortij coram Ecclesiastico iudice tractari debere, etiamsi agatur de separatione propter adulterium. Couarru. cum communi 2. p. cap. 7. §. 6. num. 14. Cum enim hæc res ad matrimonũ pertineat, solus iudex Ecclesiasticus de ea cognoscit, *cap. 2. de iudic.* & facit Tridentin. sessione 24. de Matrim. Canone vltimo. Quamuis de adulterio cognoscat etiam iudex sæcularis, quatenus agitur ad pœnam illius publicè infligendam ex Constantini constitutione in *l. Quamuis 30. C. ad l. Iuliam de adult. si vir adulter sit gladij si vero vxor vt ea in monasterium detrudatur Authent. Sed hodie C. eodem.* Quoad diuortiũ autem, etiam propter adulterium, tantum agitur coràm iudice Ecclesiastico, cum in hac specie agatur de iure ipso inter maritũ & vxorem, quod magis priuati iudicij est, & publicam vindictam non respicit, *cap. tuæ 5. de Procuratorib.* Vnde & Christus Matth. 5. & 19. causam repudij non remisit ad iudicẽ sæcularem, sed ipse iudicauit, & Paulus 1. Corinth. 7. causam coniugij inter fidelem & infidelem ipse decidit.

11 Præterea addendum est pendente lite inter maritum & vxorem super separatione cohabitationis sequestrari posse vxorem de iure non tãtum apud honestas matronas, sed etiam apud monasterium, nisi probetur aliqua vxoris infirmitas, quæ id impediat. Nam & religiosæ honestæ matronæ sunt, & locus tutior, & alias iudices nõ possunt semper notitiam in particulari habere honestarum matronarum. Neque obstat quod textus in *cap. ex transmissa de restit. spoliat.* dicat vxorem lite pendente, si vir odio illam prosequatur, alicui probæ & honestæ matronæ esse committendam vsque ad causæ decisionem, vt illam studiosè custodiat, non tamen constituit ne possit in aliquo etiam monasterio sequestrari. Cum enim finis legislatoris fuerit, prouidere de loco tuto, ne interim mulier aliquã violentiam patiatur, aut damnum, ideo DD. in d. cap. sequestrationem in aliquo religioso loco fieri posse censuerũt, sic Butrio ibi, num. 9. & Abbas num.

4. & alij. Adde etiam & collocari posse in domo patris, vel matris, vel patris, vel sororis vxoris; imo & ea domus videtur esse præferenda monasterio, de quo vide Ricciũ cit. alijs in praxi decis. 242.

12 Vlterius etiam addendum est, quamuis diuortium fiat ob sæuitiam vxoris, non ideo dotem amittere. Licet enim in cap. plerũque de donat. inter. statuatur mulierem dotem amittere, quando eius culpa sequitur diuortium. Dicendum tamen est eam conclusionem procedere, quando culpa vxoris quæ dedit diuortio causam est ex illis, propter quas iura exprimunt, dotem amitti qualis est adulterium, & mors, vt de adulterio constat ex d. cap. inter quas non numeratur sæuitia, neque aliæ de quo latè Menochius lib. 2. de Arbitrar. cent. 3. cap. 387. num. 12. 15. 22. 23. De morte autem constat ex *l. si ab hostibus* 11. *in §. si vir vxorem. D. sol. matrim.* & cũ pluribus docet Farinacius de homicid. quæst. 120. nu. 60. Nec quidquam nocet quod mulier percutiat, sed requiritur vt aut occidat maritum, vt expresse tenet Aretinus in d. §. num. 20. col. 3. Baldus in *l. hæreditas in fine, D. de his quibus vt indignis,* & Iason ibi. num. 4. Peregrinus de Iure Fisci lib. 2. tit. 3. num. 14. Farinacius d. q. 4. & num. 55. Antonius Gomez de delictis, cap. 3. Rub. de homicid. num. 51. vbi plures alios refert.

13 Denique addendum est Minori in lite matrimoniali ob elapsum tẽporis ad probationem competere restitutionem in integrum, de quo late Sfortia in tract. de restitutione in integrum, vbi vtramque opinionem refert. Ego autem eam, quæ affirmat competere beneficium restitutionis veriorem iudico. Quia licet ad valorem contractus matrimonij sufficiat ætas per iura designata duodecim & quatuordecim annorum, ea tamen exceptio quædam à regula generali de restitutione minorum existimanda est, & ideo firmat regulam in contrarium. Vnde ad reliquos omnes casus excepto matrimonij contractu minor remanet, & gaudet restitutionis beneficio. Maximè cũ in hac parte graue illi præiudicium & damnum sequeretur, si maneret indefensus ob lapsum termini, & omissam probationem.

DE PRIMO EFFECTV CONIVGII, HOC EST, DE POTESTATE DOMINATIVA CONIVGVM IN CORPVS ET VOLVNTATEM.

LIBER DECIMVS.

Explicatis his, quæ cum matrimonio pugnant, agendum iam de effectibus Coniugij. Sunt autem præcipui eius effectus potestas dominatiua mutua, ex qua nascitur & vsus corporis in actu coniugali, & potestas irritandi vota, similiter legitimatio filiorum, & denique communio bonorum honoris, & fori. De primo effectu agemus in hoc libro, de alijs verò in sequenti.

Actum coniugalem esse licitum.

CAPVT PRIMVM.

SVMMARIVM.

Vsum matrimonij esse actum bonum ex genere suo, num. 1.
Obijcitur primo ex Siricio, num. 2.
Obijcitur secundò ex Origene, num. 3.
Obijcitur tertiò ex Hieronymo, num. 4.
Posse esse meritorium gratiæ ex opere operantis, nunquam tamen ex opere operato, num. 5.

1 CERTVM in primis est ex doctrina Catholica vsum matrimonij nō esse actum ex se malum, sed potius ex se licitum & honestum. Sic contra nonnullos hæreticos, qui ex eo capite reprehendunt matrimonium, docet Catholica veritas, & communis Patrum sensus; quem adduximus supra lib. 1. cum probaremus licitum esse contractum matrimonij, hoc enim ex eo sequitur manifestè. Nam cum ex matrimonio oriatur obligatio ad actum coniugalem, si actus coniugalis malus esset, matrimoniū etiam iniquum esset, eo quod obligaret ad malum & peccatum. Adde etiam in eo actu coniugali seruari iustitiam, cum reddatur id quod debetur, debent enim se inuicem sibi coniuges iuxta Paulum.

2 Sed aduersus hanc doctrinam Catholicam

licam potest obijci primò ex Siricio Papa ad Himerium Tarraconensem Episcopum, vbi verba illa Apostoli: *Qui in carne sunt Deo placere non possunt* ad coniugium accommodare videtur, quasi qui nuptijs copulantur, Deo placere non possint. Idē cùm prohibet sacerdotibus matrimoniū, illis verbis vtitur; *Sancti estote, quoniā ego sanctus sū, & mūdamini qui fertis vasa Domini.* Est ergo immunditia in coniugio. Et in eiusd. epist. c. 5. *matrimoniū pollutionē* vocat. Sed respondetur in primis, vt ab hoc vltimo incipiamus, & dico non matrimonium appellari *pollutionem* à Siricio, sed coniunctiones illicitas aliquorum, qui peracta pœnitentia ad eas redierunt, propter quas egerunt pœnitētiam. De his enim agit, qui acta pœnitentia inhibitos denuo appetiuere cōcubitus. Sic respondet Bellarminius tomo 1. lib. 4. de Romano Pontifice c. 10. Verum etiam responderi potest Siricium loqui de matrimonijs etiam pœnitentium, quibus erāt prohibita coniugia, vt alibi dico, & multis testimonijs ostendo. Quam coniunctionem *pollutionem* vocat, quia contra legē inita matrimonia erāt, licut matrimonium eius, qui post votum contrahit, sacrilegium appellari potest, ob peccatum in eo contrahendo commissum, licet valeat. Deinde dico c. 6. & 7. eiusdem epistolæ, Siricium reprehendere coniugia clericorum, qui iam in sacris constituti erant, quibus perpetuo in Ecclesia latina prohibita fuere coniugia, vt supra lib. 7. licet non omni tempore fuerint inualida, vt etiam ibidem explicatum est. Quare dicit Siricius clericos viuentes in carne, hoc est, turpiter viuentes Deo placere non posse in illicitis matrimonijs. Nam licèt eo tēpore non essent irrita, attamen eorum vsus, cum voto castitatis tenerentur, non poterat sine peccato esse. Et ideo etiam rectè addidit Siricius, *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.* Peccabant enim in eiusmodi actu coniugij ratione voti; sicut & qui coniugati assumpti fuerant ad sacros ordines, peccabant accedētes denuo ad vxores post emissum votum, non quidem contra temperantiam, sed contra religionem, quod satis erat, vt actus ille diceretur immundus, & iniquus ob violationem voti, cuius habenda ratio. Addo etiam aliqua ratione posse dici ea verba Pauli, quæ adducit Siricius de legitimè contracto matrimonio, quam statim explicabo.

3 Secundo obijcitur textus in *cap. communia* 32. *quæst.* 2. Quod est Origenis homil. 6. in Numeros, vbi dicitur in coitu, & actu cōiugali non adesse præsentiam Spiritus Sancti. Respondet Bellarminius tomo 3. de matrim. lib. 3. ca. 5. in primis Origenem non esse tantæ auctoritatis in Ecclesia, vt eius testimonio moueri debeamus. Deinde Origenē eo loco nihil certi pronuntiasse, inquit enim *Ego autem, licet non vsquequaque pronuntiem, puto tamen, &c.* Denique Origenem, cum dicit in illo actu non adesse Spiritum Sanctum non dicit nullo modo adesse, sed non adesse ad eum actum efficiendum speciali aliquo auxilio. Id enim Origenes docet non omnia Sanctorum opera esse ex Dei auxilio. Quia quædam, etiāi à sanctis fiant, mala sunt: alia vero sunt bona, sed naturalia; & ideo nō exigunt auxilium Spiritus Sancti peculiare, & inter hæc constituit opus coniugale. Cæterùm ego clariorē esse puto Origenis sensum eo loco. Negat præsentiam Spiritus Sancti in eo actu, nō in ordine ad gratiā actua lē, vel habitualem, sed in ordine ad gratiā gratis data tam, scilicet, prophetiæ. Inquit enim: *Connubia legitima carent quidem peccato: non tamen tempore illo, quo coniugales actus geruntur, præsentia Spiritus Sancti dabitur, etiamsi propheta esse videatur, qui officio generationis obsequitur.* Negat ergo assistentiam Spiritus Sancti in ordine ad prophetiā. Quare nihil ex eo contra nos colligi potest.

4 Tertio obijci potest Hieronymus, qui lib. 1. contra Iouinianum actum matrimonij *turpitudinem, & immunditiam* vocat ex illo 1. Regum 21. *si mundi sunt pueri, manducent,* & Apocalypsis 21. *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt.* Deinde Gregorius responso 10. ad interrogationem Augustini, *cap. vir cum propria,* 33. *quæst.* 4. inquit, *Vir cum propria vxore dormiēs nisi Lotus aqua intrare Ecclesiam non debet, sed neque lotus statim debet.* Sed ad Hieronymum. & duo sacræ scripturæ testimonia respōdetur, actum coniugalem, quamuis sine peccato fieri possit, habere tamen quandam turpitudinis notam, non quidem moralem in ordine ad Deum, sed naturalem propter deformitatem, & rebellionem concupiscentiæ, & membrorum. Inde enim oritur, vt homines huiusmodi actibus vacaturi se se abscondant, & Leuit. 18. & 20. eius actus instrumenta *turpitudo* vocātur. Ob hanc ergo causam dicitur Apocalyp. 21. *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati* & 1. Reg. *Si mundi sunt pueri, manducent,* & eadem ratione Paulus 1. Corinthi. 7. inquit: *Virgo cogitat quæ Domini sunt, quo modo placeat Deo, vt sit sancta corpore, & spirinu.* Speciali ergo modo placet virgo, quo non placet coniugata, & speciali modo

vir-

virgo sancta est corpore, & spiritu, quo non est sancta coniugata, scilicet, corpore, ob eā quā diximus turpitudinis naturalis notam ex concupiscentia, & rebellione proueniente, quæ afficit pudore, & verecundia. Ob eandem etiam rationem Gregorius exigit, vt laventur, nec statim Ecclesiam ingrediantur, ob decentiam quandam, sicut & de actu pollutionis in somnis, quamuis sine vllo peccato sit dixit Hieronymus contra Vigilantiū: *Quod si me nocturnum phantasma deluserit, basilicas Martyrum intrare non audeo, ita totus & animo, & corpore contremisco.* Quibus loci sacri reuerentiam maximam ostendit. Vel ideo ea dicit Gregorius, quia vix actus ille sine veniali culpa exerceri potest, quamuis & sine culpa possit, vt dixi supra lib. 1. prope finem. Alias obiectiones omitto, quæ videri possunt apud Rainerium de Pisis verb. *matrimonium*, cap. 12. col. pen.

5 Ex his cōstat actum coniugij posse esse meritorium gratiæ ex opere operantis, si in gratia fiat, & cum debitis circunstantijs, & fine, & ex auxilio gratiæ, sicut loco citato retuli de sanctis Ioachim, & Anna cōuenientibus, ex reuelatione sanctæ Brigitæ facta. Sed quærit Thomas Sanchez lib. 9. disput. 1. num. 3. An in eo actu detur gratia ex opere operato. Respondet duo. Primum est tunc non conferri, quia actus coniugalis non est sacramentū, neq; pars sacramēti, quod recte ab illo dictū est. Addit autem secundò non recte antiquitus, cùm matrimonia clandestina erāt valida, dum sponsalia de futuro trāsibant per copulam in matrimonium, dari gratiam ex opere operato in ea priori copula. Hoc tamen longe distat à veritate. Quia non erat copula, quæ efficiebat sponsalia transire in matrimonium, sed consensus præcedens copulam sufficientibus signis ante copulam explicitus, quem præsumit Ecclesia adfuisse ante copulam, vt explicui supra lib. 2. Quare in eo consensu significato dabatur Sacramenti gratia ex opere operato, non in copula. Irrident enim hæretici nonnullos Catholicos, & merito in hac parte, quod illis venerit in mentem in copula dari gratiam ex opere operato, & copulam esse signum sensibile, quo Sacramentum matrimonij conficeretur.

De obligatione, quæ nascitur ex coniugio in ordine ad actum coniugalem.

CAPVT II.

SVMMARIVM.

Ex matrimonio oriri duplicem obligationem positiuam, & negatiuam, num. 1.
Debitum hoc reddendum petenti, num. 2.
Tacitè etiam peti, & cuius virtutis actus sit, numero 3.
Ex genere suo esse peccatum mortale non reddere, num. 4.
Aliquando esse veniale ex leuitate materiæ, numero 5.
Esse obligationem conseruandi vires, ne fiat coniux impotens, num. 6.
Inferuntur nonnulla, ibidem, num. 7. 8.

1 EX CONTRACTO legitime matrimonio duplex obligatio oritur in ordine ad vsum corporum, vna negatiua, & alia positiua. Negatiua est non tradendi corpus suum alteri viro, vel fœminæ, æqua enim est vtriusque cōditio. Quare etiāsi matrimonium contractum sit ad castè viuendum, vel inter impotētes cognita impotētia, hæc obligatio semper perseuerat, & ratione huius obligationis, qui accedit ad alterū vel aliam, adulter est, & obligat semper, & pro semper, sicut de quauis negatiua obligatione dicendum est. At positiua obligatio est reddendi debitum coniugi petenti, vel tacitè, vel expresse. In qua obligatione iuxta dicta supra lib. 1. ius quidem exigendi, hoc est, potestas in corpus coniugis, secundum quā iam corpus illud in ordine ad vsum transijt in potestatem coniugum, est passio necessaria consequens matrimonium, & ab illo inseparabilis. At ius istud impedire posse diximus, vel impotentia, vel voto. Ex quo efficitur, vt licet accessus in eo casu non esset cōtra iustitiam, esset tamen contra religionem, vel aliam virtutem. Loquor autem quando communi modo, & absolute contrahitur, & tunc dico nasci mutuam obligationem reddendi debitum. Quæ obligatio, cum sit affirmatiua, obligat semper, sed non pro semper, sed cum alter cōiux recte, & legitime petierit. Dixi recte, & legitime, quia multa sunt, quæ impedire possunt debiti redditionem, excusareque à reddendo, quæ in sequētibus explicanda sunt.

2 Dixi esse obligationem reddendi debitum

bitum petenti, quia reuera ex matrimonio non oritur obligatio petendi; in nullo enim casu tenetur petere, cum, etiam si in eo sit periculum incontinentiæ, possit orationibus, & ieiunijs mederi illi periculo. Tum etiam, quia non est obligatio reddendi, nisi petatur; talis enim est huius debiti natura, vt non debeatur nisi cum exigitur. Dixi etiam tacitè, vel expressè. Nihil enim refert, an petatur verbis, vel factis. Sæpe enim fœminæ naturali pudore impeditæ non petunt expressè, sed tacitè, & aliquibus signis. Quare, si prudenter iudicet vir ex signis peti debitum à fœmina, & appeti copulam, tenetur tacitè petenti, vt est communis Doctorum sententia. Atque id quidem præ naturali fœminę verecundia frequenter in illis accidet, in viris rarius. Quod si aliquis vir, vel ob naturalem pudorem, vel ob reuerentiam erga fœminam, quia magnæ auctoritatis est, vel ob eius morum asperitatem, non auderet verbis petere, sed signis postulare, eadem prorsus ratio esset: tenetur enim fœmina reddere viro tacite petenti, vt cum communi sententia docet Thomas Sanchez disput. 2. num. 4. & 5.

3 Addo etiam esse tacitum petendi genus necessitatem ipsam, & periculum incontinentiæ in coniuge. Quare si vir attenta suæ vxoris natura, ingenio, & moribus, præuideat periculum incontinentiæ in aliquo casu, tenetur illi subuenire exigendo ab ea debitum: quæ exactio in eo casu potius redditio quædam est, qua necessitati clamanti, & exigenti subuenitur. Matrimonium namque etiam in remedium concupiscentiæ institutum est: & ad bonum fidei spectat vitare etiam incontinentiæ periculum. Cuius autem virtutis actus sit redditio debiti in eo casu, disputat Thomas Sanchez disput. cit. num. 7. affirmatque potius esse actū charitatis, quàm iustitiæ. Dicendum tamen est, si sequamur opinionem eorum, qui dicunt actum moralem non posse esse indupli ci genere virtutis, sicut potest esse indupli ci malitia, asserendum est actum illum, si fiat ex fine subueniendi ruinæ proximi, esse quidem charitatis formaliter: materialiter verò iustitiæ. Quia redditur debitum necessitati ex contractu, ex quo etiam est obligatio vitandi fornicationem in coniuge. At si ex suo, & proprio fine, scilicet, reddendi debitum exerceatur, erit iustitiæ. Quod si actus ex aliorum sententia potest duas bonitatis species participare; erit quidem in duplici specie, iustitiæ, ratione finis proprij actus; & charitatis ex fine adiuncto operantis.

4 Est autem peccatum mortale ex genere suo non reddere debitum coniugi petenti legitimè, & rationabiliter. Quia cum actus sit in materia iustitiæ, in ea materia regulariter est obligatio mortalis, nisi excuset materiæ leuitas ex communi Doctorum sententia. Quare si omnino neget sine causa, mortale peccatum est: & si raro, & magna cum difficultate reddat: quia notabiliter defraudaret coniugem debito. Item si ex negatione debiti scandala, discordiæ, & inimicitiæ orirentur, periculumque incontinentiæ timetur, siue pollutionis secum, siue cum alio, mortale peccatum est negare. Itē, si cōiuge se excusante ex causa non omnino sufficienti, alter coniux instanter peteret, negari non posset sine mortali peccato. Quæ omnia cū alijs docet Sanchez disput. 2. cit. n. 14. 15. & 16. Rebellus lib. 2. de matrim. quæst. 16. Emanuel Sa v. *debitum coniugale* nu. 11. Hæc autem omnia intelligenda sunt regulariter, & nisi subsit iusta negandi causa, de qua dicemus postea.

5 At quamuis hæc redditio debiti sit in materia iustitiæ, patitur aliquando leuē materiam, ita vt ratione leuitatis materiæ non sit culpa mortalis negare debitum coniugi petenti, vt quādo non sæpe negaret, sed vel vna, vel altera vice; vel si petenti mane, reddat nocte, aut paulo post quàm petit; vel si nimis immoderatè alter peteret, & ille iuxta rationis metas redderet: aut etiam, quando non ita instanter petit sibi reddi, sed remissè. Quod ex natura, ingenio, & moribus petētis prudentis arbitrio iudicandum est, Emanuel Sa loco cit. n. 18. Sanchez disput. cit. nu. 11. 12. & 13. Limitant autem prædicti DD. hæc esse vera, nisi in petente subsit periculum incontinentiæ, tunc enim regulariter illi subueniendum est sub mortali. Dico *regulariter*, quia contingere potest, vt ex parte eius, à quo exigitur, sit iusta causa præponderans negandi, de quo infra.

6 Ex doctrina hactenus tradita colliges hanc vniuersalem regulam, obligationē esse in coniugibus conseruandi vires, quibus indigent ad moderatè, & iuxta rationem vtendum coniugio. Nā lex iustitiæ, quæ obligat ad reddendum, obligat etiā ad media necessaria, vt reddi debitum possit. Ex qua regula fit primò peccare mortaliter eum, qui medijs illicitis se reddit impotentem ad vacandum actibus coniugalibus. Vnde si vel pollutionibus voluntarijs, vel ad alias accedendo, se reddit notabiliter impotem, vt non possit

reddere

reddere debitum vxori iuxta leges prudentiæ exigenti peccat, si ad id aduertat, duplici peccato, & contra castitatem, & contra iustitiam.

7 Deinde fit ex eadem regula, siquis ieiunijs, vel abstinentijs se reddat etiam notabiliter impotẽ, peccare mortaliter, & teneri non seruare. Quod verum est, siue ieiunia sint voluntaria, siue ex Ecclesiæ præcepto, quia fortius est istud iustitiæ vinculum. Hoc autem decernendum erit attenta valetudine viri, & vxoris conditione, & ingenio. Quædam enim segnius, quædam ardentius incitantur venereis stimulis. Vnde vota ieiuniorum, abstinentiæ, peregrinationum, & aliarum asperitatũ iuxta hæc erunt licita aut illicita, si obstent, vel non obstent redditioni debiti. An autem hæc vota coniugum sint ipso iure irrita, dicam infra isto libro.

8 Rursus etiã ex eadem regula infertur vxorẽ, si abstinẽtijs, ac ieiunijs pallida, & deformis reddatur, timerique possit ea causa odiosam futurã marito, & auertendum cõiugis animũ ab ipsa ad quærẽdas alias, quod attento viri ingenio, & moribus iudicãdum erit, teneri desistere ab huiusmodi abstinentijs, etiamsi sint ex Ecclesiæ præcepto ob eãdem rationẽ strictioris obligationis. Sic Armilla, Nauarrus, Angles, Bartholomæus Ledesma allegati, & probati à Sanctio disp. 3. cit. n. 11. Emannel Sa v. *ieiunium*, n. 9. Idẽ dicendũ dicit Sanchez de fœmina nuptura, si illis reddatur deformis, quod aliquantulũ durum videtur. Imo & addit idem auctor, n. 13. esse obligationẽ fœminæ desistendi à ieiunio Ecclesiæ ad præceptum mariti, si notabiles discordiæ, & rixæ inde oriri probabiliter timeãtur: pro quasententia refert Medinam, Bartholomæũ Ledesmã, Nauarrum, & alios. Et idem docet Ioannes Azor tomo 1. institutionum moralium, libro 7. capite 29. quæstione 7.

Statuitur generalis doctrina ad cognoscendum in genere, quando sit licita redditio debiti.

CAPVT III.

SVMMARIVM

Quorundam explicatio, num. 1.
Aliorum regulæ quatuor, num. 2.
Vera regula duobus partibus constans proponitur & explicatur, num. 3.
Reijcitur quædam euasio, num. 4.
Secunda pars regulæ, num. 5.
Aliorum fundamentis satisfit, num. 6.
Obseruatio pro maiori explicatione, num. 7.

1 ANTEQVAM in speciali explicemus casus, in quibus non licet coniugi petere, aut reddere debitum, statuamus in genere, quando liceat, aut non liceat. In quo explicando Doctores diuisi sunt, cum tamen sit res meo iudicio certissima, & apertissima. Nonnulli ergo hac regula vtuntur. Quando petere non est secundum se malum, sed solum ex Ecclesiæ prohibitione, reddens minime peccat, imo peccatũ esset non reddere. At si ex se sit malum petere non licet reddere. Hanc regulam tradit Abulensis cap. 5. Matthæi, quæst. 224. Hæc tamen regula falsa est, & nullo fundamento nititur, vt ex dicendis constabit.

2 Deinde Thomas Sanchez libro 9. disputatione 6. qui rem hanc præ cæteris distinctius, & exactius explicare conatus est, 4. regulis vtitur, ex quibus etiam varias casuũ decisiones infert. Prima regula, quam tradit n. 4. est negatiua. Non quoties peccat coniux petens debitum, peccat alter reddendo, neque eximitur ab obligatione reddendi. In eius probationem duo adducit exẽpla. Primum est, si vir affectu fornicario velit vxorem cognoscere, & ita exigat, petens lethaliter peccabit, at vxor tenetur reddere. Secundum est: si coniux existimans esse nullũ matrimonium ob impedimentum dirimens petat debitum, coniux certo sciens non esse irritum, non potest debitum negare, quãuis alter eo errore ductus peccet exigendo. Probat etiam ratione. Quia reddens debitum inique petenti non cooperatur peccato exigentis, formaliter loquendo, quia tantum cooperatur actui ex sua natura licito coniugatis, & quem ipse debet alteri reddere, quã tumuis ex parte alterius sit peccatum. Reddens enim non cooperatur petitioni, sed copulæ, quæ aliàs licita est, & à se debita. Et confirmat. Quia neque cooperatur directe, cum non inuitet ad peccatum, neque indirecte, cum non teneatur euitare peccatum exigentis. Addit tamen idem auctor num. 5. Quoties absque timore odij, & indignationis, aut incontinentiæ alterius coniugis peccantis in exactione, negare potest, teneri præcepto correctionis fraternæ ad auertendum alterum. Secunda regula est, quam habet num. 6.

num. 16. quoties exigens solius culpæ venialis reus est exigẽdo. reddẽs vacat culpa, tenetur reddere, quia ex iusta causa poterit excusari ab ea culpa veniali. Tertia regula, quam habet num. 7. Quando exigere debitũ est culpa lethalis, non ob aliquam circunstãtiam tenentem se ex parte actus, sed ob circunstantiam personalem, vt si malo fine petat, vel alligatus voto, vel impedimento affinitatis, tantũ abest, vt reddẽs peccet, vt potius reddere teneatur. Probat, quia cũ actus ille non sit ex sua natura illicitus, sed tãtum ex circunstantia se tenente ex parte exigentis, idemmet actus, vt se tenet ex parte reddentis, qui nullo defectu laborat, poterit esse non solum licitus, sed debitus ex iustitia. Secundo: Quia voto castitatis adstrictus non amisit dominium corporis alterius cõiugis per matrimonium adquisitum, sed tantum peccat exigens in ordine ad Deum, cui fidẽ voti violat. Ergo coniux â quo exigitur, tenetur reddere rem suã, sicut, si nummos apud alium depositos peteret aliquis ad fornicãdum. Et confirmat â simili. Quia siquis certam quantitatem pecuniæ apud alium deposuisset, & postea neque donans, neque promittens, soli Deo voueret se illos minime petiturum, tenetur ille, apud quem deposuit, petenti reddere, vt pote nullum habẽs ius retinendi, neque diceretur cooperari sacrilegæ violationi voti. Ergo idẽ in isto casu dicendum est. Quarta regula quam habet num. 16. Quando petens delinquit mortaliter ob aliquam circunstantiam illius actus, & non solum ob circunstantiam personalẽ, tunc etiam reddere est mortale, vt si petat in loco sacro, aut publico, aut cum periculo aborsus, aut modo prohibito, quia tunc non solum petitio, sed & redditio afficitur malitia, & ita vtraque est illicita. In his duabus regulis etiam consentit Ægidius disput. 34. dub. 4. concluſ. 1. & 2. Cæterum istæ regulæ, neque solidæ sunt, neque veræ, neque satis inter se cohærentes, vt ex dicendis cõstabit.

3 Quare ego vnicã tãtum constituo vniuersalem regulam, qua rem istam definio. Quotiescumque petens debitum peccat in petitione, siue ratione circunstantiæ se tenente ex parte actus, siue ex parte personæ petentis, si non est in potestate petentis se ab ea circunstantia, quæ reddit illicitam petitionem pro vt tunc exercitam, liberare, est peccatum in reddendo. At cum petitio mala est ex circunstantia, â qua ipse petens se potest ipsa petitione perseuerante liberare, non est peccatum reddere. Hanc regulam tradidi in lib. 7. de impedimentis matrimonij; & quamuis non ita distincte explicent, concedunt tamen, qui docent peccatum esse reddere debitum coniugi petenti, cum est impeditus voto. Hi sunt Ricardus in 4. distinct. 32. art. 2. quæst. 1. Guillielmus Rubion quæst. 2. art. 2. conclusione 2. Astensis in summa 2. parte lib. 8. cap. 10. art. 2. quæstione 2. Syluester *matrimon.* 7. quæst. 5. dicto 6. Hugolinus de matrimonio cap. 10. num. 2. Paulus Comitolus lib. 1. resonsor. moralium quæstion. 136. nu. 9. versic. *Magis est generalis, & tuta.* Fauẽt etiã huic regulæ, qui docent, quãdo vterque coniux est dubius de validitate matrimonij, peccare vtrumque si petat, & reddat, quos referam infra suo loco. Totam hanc regulam quoad vtramque partem colligo ex doctrina, quam elegãter tradidit Gabriel Vazquez 1. 2. disputat. 65. cap. 5. & 6. & in opusc. de scandalo art. 1. dubio 3. & præcipue art. 8. dubio 4. num. 31. & dubijs sequentibus. Ratio vero huius regulæ, quoad primam partẽ hæc est vnica, & manifesta. Quia reddens debitum illi, quem scit cum peccato petere ob impedimentũ, quod ab eo actu hic & nunc exercito separabile non est, cooperatur peccato alterius, quod committit in actu exteriori praue vtendi corpore alterius coniugis. Ergo non licet. Antecedens probo. Quia vt sic reddens dicatur cooperari peccato, non est necessarium intendat ruinã proximi, sed satis est cooperetur ad actũ, qui hic, & nunc non potest fieri benẽ, vel malẽ: sed necessario male. At vsus illius corporis hic, & nunc, pro vt est ab eo homine impedito voto, vel impedimento, non potest bene fieri: neque enim in eius potestate est tunc tollere impedimẽtum. Ergo cooperatur illi. Et explicatur amplius. Quia, si ille potest reddere licite petenti alio eo modo quo diximus, nõ solũ poterit, sed tenebitur, & ex consequẽti non reddens peccaret. Ergo contra virtutem aliquam. Contra nullam autem peccat. Non contra iustitiam, quia petens inique nullum habet ius inique petendi: id enim possumus, quod iure possumus. Quare licet ille, qui impedimentum habet voti, vel loci, vel aliud, habeat dominium eius corporis, cuius vsum exigit, id tamẽ dominiũ quoad vsum impeditũ est voto v. g. & non habet ius, nisi ad vsum licitum. Ille autem sub ea circunstantia est illicitus. Ergo non facit contra ius illius, qui negat in eo casu.

4 Neque quidquam obstat ea differentia de

de circunstantia se tenente ex parte personæ, aut ex parte actus. Quia circūstantia illa, quæ se tenet ex parte personæ, vitiat actum prout hic & nunc fit iuxta vera principia Theologiæ, sicut & actus ipse confessionem administrandi vitiatur ex excommunicatione, qua tenetur sacerdos, quamuis secundum se actus ille sit bonus, & non afferat secum eam circunstantiam, & aliâs licitum esset petere sacramentum ab excommunicato, qui absolui non potest. Quod tamen falsum esse docet Gabriel Vazquez art. 8. cit. dub. 4. & nos ostendimus supra lib. 5. ex manifesta ratione, quia tunc petit sacramentū ab eo, qui acquiescens eius petitioni non potest benè, vel male administrare sacramentum, sed necessario administrat malè, cum nō habeat copiam absolutionis; & tunc petitio habet rationem scandali actiui, quia petit id, quod necessario faciendum est male, si fiat. Sic ergo, qui cooperatur vsui corporis cum petente impedito, v. g. voto, peccat; quia licet ille vsus ex se sit licitus, & non afferat secum eam circunstantiam voti, at prout hic & nunc exercetur, non est licitus. Circunstātia enim illa vitiat non solum petitionem, sed etiam vsum petētis, cui vsui alter cooperatur reddens. Et explicari potest exemplis. Is enim, qui ministrat carnes in die Veneris, aut cœnam ieiunāti parat, peccat; quia actus ille, licet secundum se non sit illicitus, attamen ex circunstantia temporis illicitus est. Item si quis ministraret cœnam scienti habere votum ieiunandi illo die, peccaret; vel qui ministraret carnes Carthusiano, quem sciret non posse carnes comedere, cum tamē hæc omnia non sint secundum se mala, sed ex circunstantia personæ.

5 At quando is, qui petit male ideo male petit ex aliqua causa, quam ipse tollere & remouere ab eadem petitione potest, licitè reddo, vt cum petit ex prauo fine, licitè reddo, & peto. Quia cooperor actui, quem ille hic & nunc potest bene exercere, & sua culpa facit male, & ideo mihi non imputatur eius peccatum. Hac ratione non peccat, qui petit sacramentum confessionis ab eo sacerdote, quem scit esse in peccato mortali, quia potest habere actum contritionis, quo dignè ministret, & sua culpa non habet. Hac etiam ratione non peccat, qui petit mutuum ab vsurario, quē scit exacturum vsuras, quia ille petit tantum mutuationē pecuniæ, quā posset bene exercere. Nec etiam peccat ex eadem ratione, qui dat pecuniam exactā ab vsurario, quia actus ille dandi etiam hic & nunc non est malus, & actum accipiēdi posset vsurarius bene exercere reddendo, quod datur vltra sortem, & sua culpa facit male. Itaque vno verbo rem istam comprehendens dico, Quoties peto actum ab aliquo, vel adiuuo ad actum, qui hic & nunc non potest ab illo fieri, bene vel male, pecco, & cooperor peccato illius. At cum potē fieri benè; & culpa facientis sit male, non pecco, neque cooperor. Quam doctrinam latè docui supra lib. 5. & ex ea satis multa deduxi in praxi valde necessaria.

6 Ex his iam facile est respōdere ad fundamenta Sanctij. Et ad ea, quibus primam regulam negatiuam probat, facillima est ex dictis solutio. Ad primum exemplum dico posse reddi debitum coniugi petenti ex prauo fine, quia ille actus numero potest ab illo benè vel malè fieri, & eius culpa ille vsus est malus, quod secus contingit, quando, qui petit, aliquo voto vel impedimento tenetur. Ad secundum exemplum dico, si coniux reddens sciat dubium alterius, non posse reddere petenti, licet possit petere. Quod manifestè conuincitur ex eo, quod cum vterque dubius est, non potest reddere, nec petere. Si enim non esset peccatum in reddendo petenti cum dubio, impediti quidem illi essent ratione dubij ad petendum, non autem ad reddendum. Ad rationem etiam constat. Ostendimus enim, quomodo in ea redditione cooperetur peccato alterius in eo prauo vsu. Ministrat enim materiam sui corporis, qua non potest alter benè vel male vti, sed necessariò malè; sicut famulus etiam ex præcepto, & subiectione, domino ieiunanti ministrans cœnam aut carnes, peccat & cooperatur ob ministrationem materiæ. Similiter etiam ad fundamenta tertiæ regulæ facile respondetur. Ad primum dico, actum illum & vsum corporis tunc non tantum esse malum ex parte petentis, sed etiam ex parte reddentis, quia ministrat materiam illicito vsui hic & nunc. Ad secundum dico, quamuis adhuc actus voto castitatis adhuc habeat dominium corporis coniugis, tamen dominium illud impeditum est quoad vsum propter rationem dictam. Quare exemplum, quod adducitur de reddente nummos deponenti, quem scio repetere illos ad fornicandum, nō est ad rem, nā finis adiūgitur ex malitia operationis, & posset hic & nunc bene vti salua redditione, sicut dicebamus, cū petit vsum corporis ex prauo fine. Ad confirmationem dico, si ille, apud quem deposita pecu-

nia est, ignarus est voti, ignorantia excusatur, & non peccat reddendo. At si conscius voti est, iam ille poterit in suos vsus consumere, si cum vouit non petere, votum fecit de non extrahendo ex potestate illius, neq; perse, neque per alium; fuit enim illa quædã donatio. At si tantum votum fuit de non extrahendo perse, non potest reddere illi petẽti, bene tamen alteri petenti eius nomine.

7 Addendum tamen, quo ea regula perfectè tradatur, cum leges aliqua decernunt, quæ pugnant cum debiti solutione, attendẽdum esse, quod vinculum sit fortius, vt notauit Scotus in 4. distinct. 32. tunc enim vinculum fortius prævalere debet. Hinc colliges, cum ex copula periclitatur vita, vel salus alterius coniugis, non reddendum debitũ, quia fortius est vinculum vitandi homicidium, & tuendi propriam vitam, quam vitandi incontinentiam alterius coniugis, qui se, si voluerit, continere potest. Similiter, si prolis abiciendæ est probabile periculum, aut quod monstruosè effingatur, aut si iam peperit, & vxor puerum educatura re vera sit præ sua inopia, & si prægnans fiat ex lacte iam grauidæ, imminet probabile periculum vitæ pueri, aut si nouam prolem suscipiat, pudicitia & vxoris & filiarum, quas ante susceperat, periclitatur, cum illis alendis atque educandis non sufficiat, non potest reddere propter eandem rationem. Item vrgenti obligatione voti, ob quod inique petit, qui exigit, vel iniuria constante ob adulteriũ, vel intra duos menses â matrimonij contractu, præponderat enim, & potius est ius negantis, vt infra latius & sigillatim explicabo. At cum præcepta occurrunt Ecclesiastica de continentia seruanda temporibus festiuis, aut ieiuniorũ, aut ob percipienda sacramẽta, non adeo stricte obligant, vt præponderent periculo incontinentiæ, vt explicuit Nicolaus I. ad cõsulta Bulgar, cap. 50. & 63. quem latius infra referemus.

Quando ratione temporis sit illicita consummatio matrimonij.

CAPVT. IIII.

SVMMARIVM.

Quid agendum, num. 1.
Peccatum esse consummare ante denuntiationes, num. 2.
Non esse peccatum consummare ante benedictiones, num. 3.
Obijciuntur nonnulla & diluuntur, num. 4. 5. 6. 7. 8.
Alia probatio nostræ sententiæ, n. 9.
Ratione scandali, aut excommunicationis posse contingere peccatum, num. 10.
De consummatione intra bimestre, remissiue, numero 11.

1 DIximus licere actum coniugij absolutè loquendo, & obligationẽ nasci ex matrimonio ad vsum corporum. Restat faciamus gradum ad examinandum, quando sit peccatum in prima consummatione matrimonij, & deinde dicemus de peccato in sequentibus actibus coniugalibus. Potest autem illicita reddi consummatio, aut quia extra tempus debitum exigitur, vt consummetur, aut ratione alterius impedimenti. Primum expediemus in hoc cap. Secundum vero in sequenti.

2 Primum ergo tempus, de quo dubitari potest, illud est, an quando denuntiationes ex causa omittuntur, ne matrimonium malitiosè impediatur, peccatum sit consummare, ante aliquam vel aliquas denuntiationes factas iuxta Episcopi vel Ordinarij decretũ. Extat enim decretum Tridentini sess. 24. de matrim. cap. 1. cum agit de denuntiationibus ex causa omittendis in hæc verba. *Coram parocho, & duobus aut tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur, deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant, vt, si aliqua subsint impedimenta, facilius detegantur, nisi ordinarius ipse expedire iudicauerit, vt prædictæ denuntiationes remittantur.* Circa quod decretum nonnulli existimant nõ esse peccatum consummare ante denuntiationes, quando parochus & ipsi contrahentes sciunt nullum subesse impedimentum. Nam si de eo dubij sint, aut non certi, absque controuersia est peccare mortaliter. Sic Bartholomæus Ledesma de Matrimonio q. 22. in fine. Petrus Ledesma de Matrimonio quæst. 45. art. 3. fol. 186. & alij. Mihi tamen probabilius videtur esse peccatum mortale ante denuntiationes consummare etiam in eo casu, docet cum alijs Thomas Sanchez lib. 3. de Matrimonio disput. 11. num. 3. Probat, quia matrimonium intrinsecè ordinatur ad copulam, & prohibetur ante denuntiationes, ne forte fiat copula fornicaria. Sed hæc ratio inefficax est, si iam facta est sufficiens diligentia à Parocho & contrahentibus, & sciunt nullum subesse impedimentum. Quare ea mihi videtur esse ratio legitima. Quia

lex

lex Tridentini de præmittendis denuntiationibus, nisi remittantur ordinarij iudicio, vel omnino vel ex parte, obligat sub mortali, & fundatur in præsumptione vt plurimum. Ergo, quamuis in eo casu cesset inconueniens, adhuc obligat lex, quia non cessat præsumptio vt in plurimum. Quam doctrinam supra satis explicui lib. 5. Ex qua conclusione facile colligitur, non solùm peccatum esse in prima consummatione, sed etiam in alijs, donec denuntiationes fiant, aut omnino remittantur, ex eodem fundamento. Semper enim manet eius legis obligatio, vt rectè etiam docuit Sanchez disput. 11. cit. num. 5.

3 Secundum tempus est, quod intercedit à contracto matrimonio vsque ad benedictiones Ecclesiæ. Quare dubitari potest, an sit peccatum mortale consummare ante acceptam benedictionem. Nonnulli peccatum mortale esse dicunt. Antoninus 3. p. tit. 1. cap. 16. Alij mortale tantum agnoscunt in prima consummatione, non vero in alijs actibus coniugalibus, qui sequuntur. Alij esse peccatum in petendo, non autem in reddendo. Alij denique non esse mortale, sed veniale, quod plerique docent. Et quidem, si ex causa differantur benedictiones, communis Doctorum sententia est licere ante illas actum coniugalem; Azor tomo 3. institut. Moral. lib. 3. cap. 31. quæst. 9. Deinde dico mihi probabilius videri, neque esse peccatum aliquod veniale absolutè loquendo, & secluso scandalo, aut excommunicatione. Sic Nauarrus. Vera-Cruz, Palacios, & alij, quos refert, & sequitur Sanchez lib. 3. disput. 12. num. 6. & 7. & Ioannes Azor quæst. cit. Cuius sententiæ ea vnica ratio est. Quia vel hæc obligatio prouenit ex naturali iure, vel Ecclesiastico. Non primū. Quæ enim naturalis connexio est matrimonij, cū Ecclesiæ benedictionibus; cum matrimonium sit contractus de iure naturali, benedictiones vero inductæ sint auctoritate Ecclesiæ. Neque etiam secundum. Quia Tridentinū sess. 24. cap. 1. tantum dixit, *Hortatur sancta Synodus*, quo verbo consilium, non præceptum indicatur: sicut & cum idem Concilium loquebatur de præmittenda confessione, ante contrahendum matrimonium, vsum est eodem verbo. Nullus autem dicet esse præceptum præmittendi confessionem ante aliquod sacramentum excepta Eucharistia, quā uis sit conscius culpæ mortalis, sed sufficere contritionem veram, vel existimatam, ne indignè accedat.

4 Sed solent adduci nōnulla ex iure Ecclesiastico, quæ videntur continere præceptum. Primò adducitur decretum Euaristi Papæ in *c. aliter 30. q. 5. Aliter non fit coniugium, nisi suo tempore sacerdos aliter vt mos est, cū precibus & oblationibus à sacerdote benedicantur.* Sed iam supra lib. 2. c. 1. de hoc textu latè locuti sumus, & ostēdimus tēpore Euaristi Papæ nō fuisse validū matrimoniū absq; ea solēnitate, & irritū quodcumque clādestinum.

5 Secundò adducitur ex Siricio Papa in epist. ad Himerium Tarraconensem Episcopum c. 4. vbi ait. *Illa benedictio, quam nupturæ fœminæ sacerdos imponit, sacrilegium est si violetur.* Verum eo loco Siricius nomine *benedictionis* tanquam à signo, & à posteriori explicuit matrimonij vinculum; quia nō dabatur nisi contracto matrimonio, & non loquitur de violatione benedictionis, sed de violatione cōiugij. Verba apertissima sunt, sic enim habent: *De coniugali autem violatione requisisti, si desponsatam alij puellam alter in matrimonium posset, accipere. Hoc nefas omnibus modis inhibemus. Quia illa benedictio, quam nupturæ sacerdos imponit apud fideles, cuiusdam sacrilegij instar est, si illa transgressione violetur.* Quare non probo duas interpretationes, quas adducit Sanchez disput. 11. cit. n. fin. Prima est loqui Siriciū, quando prorsus, & omninò omittitur benedictio. Secunda est, loqui de secundis nuptijs, in quibus nō benedicitur vidua. Ex verbis enim relatis satis cōstat vtramque interpretationem alienam esse à Pontificis mente.

6 Tertiò adducitur ex Concilio Lugdunensi, & habetur in *cap. nulli 30. quæst. 5. ib. Nulli ex propinquitate sui sanguinis vxores ducant, nec sine benedictione sacerdotis.* Sed hoc textu in primis forte idem præcipitur, quod ab Euaristo præceptum fuerat, & ita vtriusque idem erit iudicium. Vel dico in eo canone tantum haberi, ne prætermittantur benedictiones, non verò ne consummetur matrimonium ante benedictiones, quod nos intendimus.

7 Quartò adducitur ex *c. consanguineorū 33. q. 4.* vbi sine benedictione copulati non admittuntur ad testimonium. Sed dico puniri illos, quia clandestinè contraxerant, & ideo arceri à testimonio ferendo. Quare existimo etiam tempore Concilij Carthaginensis inualuisse legem Euaristi, sicut libro secundo, capite primo, ostēdimus etiā adhuc seruatam multo postea tempore Basilij, Ambrosij & Hormisdæ, & eo tempore non contrahi matrimonium sine illis: bene-

dictionibus, quia vtrũque fiebat simul; quod etiam nunc inter aliquos fideles consuetudine receptũ est, vt simul in Ecclesia & matrimonium contrahatur, & spõsi benedicãtur.

8 Quintô adducitur ex Cõcilio Carthaginensi 4. *Sponsus & sponsa, cum benedicendi sunt eadem nocte pro reuerentia benedictionis in virginitate permaneant.* Explicat Thomas Sanchez de consilio, non de præcepto. Ego tamen dico coqui Concilium iuxta legẽ Euangelij, & nomine benedictionis intellexisse matrimonium ipsum, quia, sine ea solemnitate non fiebat. Denique dico, quamuis his canonibus præceptum esset, vt non consummaretur matrimonium ante benedictionem; tamẽ consuetudine contraria abrogatum, & ita explicatum in Tridentino, cum dixit tantum se hortari, vt non consummarent ante benedictiones.

9 Sed & præterea alij nostram sententiã hac ratione confirmant. Quia iure Ecclesiastico cautum est, vt intra bimestre tempus â matrimonio possit coniux deliberare de religione susc ipienda, & non possit cogi ad reddendum debitum. Quod si non possent licite cõsummare ante benedictionem, sequeretur non tantum bimestri, sed multo tempore non posse cogi ad consummandum, cũ sæpe differatur per annum, quia non posset sine peccato consummare. Diceret quis posse benedici statim post bimestre, & ita consummare; cogereturque benedictionem accipere altero coniuge petente bimestri elapso consummationem. Sed hæc sine vllo iuris fundamento dicuntur.

10 Hæc autem nostra sententia intelligenda est absolutè loquendo. Nam ratione scandali prouenientis, ex eo quod cõsummetur ante benedictionem, vel ob excommunicationem latam contra eos, qui ante benedictionem consummant, posset esse peccatum mortale. At quando ratione istorum contigerit esse peccatum, tantum erit in prima cõsummatione; non postea, cum ea prohibitio si esset solum respiceret debitum ordinem, sic Sanchez disput. 11. cit. num. 11. Sed nõ video, cur, qui omitteret denuntiationes, peccaret semper, quoties vteretur coniuge illis non præmissis: at qui benedictiones omittit, non peccet, quoties consummat ante benedictionem? Sed adhuc responderi posset diuersam esse rationẽ vtriusque legis. Prima enim fundatur in præsumptione fraudis vel impedimenti, quæ præsumptio semper perseuerat, donec denuntiationes præmittantur. At vero secunda lex non fundatur, nisi in quadã decentia prædictum ordinem seruandi, & ita non seruato eo ordine in prima consummatione, nullum deinceps peccatum est.

11 Tertium tempus est bimestre, quod ad deliberandum datur à contracto matrimonio. Sed si consentiat vterque, nullum peccatum est. Si aliquis ex eis renuat, alter non habet ius petendi; & si per vim extorqueat, peccabit mortaliter, quia violat ius alterius in re graui; cum reddat ea copula alterum inhabilem ad ingressum religionis, vt dixi supra lib. 9. cap. 9.

De impedimento consummandi, vel petendi, aut exigendi ex emisso voto.

CAPVT. V.

SVMMARIVM.

Quid agendum, num. 1.
Qui emisit votum religionis, obligari ad ingrediendum ante consummationem, num. 2.
Peccare cum qui tenetur eo voto, in consummatione non contra castitatem, n. 3.
Tantum peccare in prima consummatione, numero 4.
Qui tenetur voto castitatis emisso ante matrimonium non potest consummationem petere, n. 5.
Illum post consummationem obligari ad reddendum debitum, n. 6,
Defuncto altero coniuge obligari ad absolutam castitatem, n. 7.
An peccet prima vice reddendo ex alia quæstione pendere, n. 8.
An contrahere cum voto castitatis teneatur ante consummationem ad religionem transire. Prima opinio negans, n. 9.
Secunda opinio affirmans, n. 10.
Eluitur argumentum, n. 11.
Prima sententia præfertur, n. 12.
Quid de eo qui vouit virginitatem, n. 13.
Quid de voto suscipiendi sacros ordines, variæ sententiæ, n. 14.
Prima opinio præfertur, n. 15.
Quid de voto non contrahendi matrimonium, numero 16.
Obiectio diluitur, n. 17.
Quid dicendum de his votis emissis post contractum ante consummationem, n. 18.
Quid quando emittuntur post matrimonium consummatum sine licentia coniugis, n. 19.
Quid quando de licentia coniugis, n. 20.
Quid quando mutuo consensu emittunt ea vota, num. 21.

Potest

1 POtest reddi illicita consummatio matrimonij ratione alicuius voti antea emissi: quod isto cap. explicare aggredimur. Et primo loco agemus de voto castitatis, simplici inquam, nam cum solemni non contrahitur validè matrimonium iuxta dicta supra lib. 7.

2 Primò si loquamur de voto religionis, certum est illum, qui emisit religionis votum, obligari ante consummationem matrimonij ad ingrediendum religionem. Ratio est manifesta. Quia ante consummationem matrimonij potest votum illud implere. Ergo tenebitur.

3 Secundò etiam certum est eum, qui tenetur eo voto, peccare in consummatione matrimonij, non quidem contra castitatem. Pono enim non emisisse votum castitatis, sed religionis. Peccat ergo contra votum religionis, quia liberè apponit impedimentum impletioni voti, cum post consummationem matrimonij non possit ille ad religionem trahire, vt dixi libro præcedenti.

4 Tertiò etiam constitutum est apud Doctores eum, qui habet votum religionis, in prima tantum consummatione peccare; post consummationem autem perinde posse petere & reddere, ac si nullo voto teneretur. Quia, vt diximus, iste non fecit votum castitatis, & ita etiam si petat non peccat, contra castitatis votum, quod nullum est, neq; contra votum religionis. Quia per consummationem matrimonij iam factus est impotes ad implendum votum perseverante matrimonio. Vnde etiam si postea petat, aut reddat debitum, non apponit amplius impedimentum impletioni voti. Impossibilium enim nulla est obligatio. Quod si alter coniux adulter sit, iam, qui votum emiserat, liber est impedimento matrimonij, & trahire ad religionem potest & debet. Similiter etiam dissoluto per mortem eo matrimonio iam teneretur voto religionis, cessauit enim impedimentum; & si denuo contraheret, eodem modo philosophandum erit. Videndus de hoc Sanchez lib. 9. disp. 33. q. 2. Ioannes Azor, tom. 1. lib. 11. c. 21. q. 8. De peccato autem eius coniugis, qui redderet debitum alteri petenti consummationem cum eo voto, iudicandum est iuxta regulam traditam supra cap. 3.

5 Dicamus iam secundo loco de voto castitatis ante matrimonium emisso. Et primò certum est hominem cum eo voto contrahentem non posse petere consummationem. Ita communiter DD. Et ratio est manifesta, quia quatenus ad hoc ille potest seruare votum castitatis. Ergo tenetur implere.

6 Deinde certum est post consummationem matrimonij huiusmodi hominem obligari ad reddendum debitum, & colligitur ex c. *quidam, & c. placet de conuers. coniug.* Et ratio est. Quia post consummationem matrimonij coniux habet ius petendi debitum, habet enim potestatem corporis alterius; & ideo alter ille coniux tenetur petenti coniugi debitum reddere. Petere autem ille etiam post consummationem non potest propter rationem dictam. Quia quantum ad hoc implere potest votum emissum.

7 Tertio etiam certum est illum hominem defuncto altero coniuge obligari ad seruandam castitatem simpliciter; fuit enim votum perpetuæ castitatis, & mortuo altero coniuge iam est in potestate illius simpliciter implere votum. Ad hoc igitur obligabitur ex vi voti prius emissi. Atque id certum est, & sine controuersia apud Doctores.

8 Sed tota difficultas est, an qui emisso voto castitatis contraxit matrimonium, peccet etiam reddendo prima vice, & consummando ad petitionem alterius. Quod ex ea quæstione pendet, an ille qui votum castitatis emisit, & eo emisso contraxit matrimonium, teneatur religionem ingredi, vt seruet votum castitatis. Quia iam illud est vnicum medium, quando alter non vult, seruare castitatem, & hoc medium est in potestate coniugis. Si enim tenetur, peccabit quidem consummando, quouis modo fiat, siue petendo, siue reddendo. Quod si non tenetur, peccabit, si consummet petendo, non verò si consummet reddendo.

9 Quorundam opinio est hunc hominem non obligari ad ingressum religionis, etiam si peccauerit contrahendo matrimonium, esset enim nimis durum hunc hominem obligare ad medium ita difficile, præsertim cum ipse non promiserit religionem, sed solum castitatem. Docet Soto in 4. dist. 38. Corduba in Summa q. 136. Thom. Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 46. & lib. 9. disp. 34. Lessius lib. 2. de virtutib. cap. 41. dub. 6. Aegidius de Sacramentis disp. 34. dub. 5. concluf. 2. n. 35. & plures alij ex Recentioribus.

10 Aliorum vero opinio est, hunc hominem obligari ad ingressum religionis. Loquuntur autem hi DD. quando alter coniux non vult communi consensu seruare castitatem. Sic docuit expresse D. Tho. in 4. dist. 38. q. 1. art. 3. quæst. 2. ad 3. & 4. Sylue. v. *Matrimonium* 7. q. 5. Ricardus in 4. distinct. cit. Ioannes Azor tom. 1. lib. 11. cap. 21. quæst. 2. & multi huius ætatis. Et in primis certum videtur coniugem obligari ad ingressum religionis, si post contractum matrimonium, & ante consummationem illius, emisit votum castitatis. Secluſa enim ignorantia sic vouens castitatem, agnouit etiam vnicum medium seruandi illud votum esse statum religionis renuente al-

tero coniuge seruare castitatem. Tenebitur ergo illud medium, eligere. Deinde etiã quando emisit votum castitatis ante matrimoniũ, obligari videtur ad ingrediendum religionem post contractum coniugium ante consummationem illius. Quia iste potest votũ implere per medium moraliter possibile ex Dei gratia. Ergo obligatur ad illud implendum. Ille autem sua culpa & voluntate se in eum coniecit statum, vt ad seruandam castitatem debeat eligere illud medium. Qua propter, si velit consummare matrimoniũ, peccabit contra votum, ipse enim vouit castitatem simpliciter secundum totam suam latitudinem. Ergô non solum peccabit si petat, sed etiam si reddat petenti consummationem matrimonij. Tempore enim designato à iure neuter coniux tenetur alteri petenti reddere. Ergo qui emisit votum castitatis, tenebitur ingredi religionem ante consummationem matrimonij. Quia non obligatur ad consummandum matrimonium ex vna parte, & ex alia est in potestate ipsius cum Dei gratia eligere medium illud.

11 Quod si contra hanc sentẽtiam obijcias, si vouens non emisit votum religionis, sed tantum castitatis. Sine causa ergo obligatur ad ingressum religionis. Respondetur ex presse solum vouisse castitatem, consequenter tamen obligari voluisse ad aliquod medium requisitum, & moraliter necessarium ad implerionem voti. Si ergo sua voluntate in eum statum deuenerit, vt nullũ aliud medium sit in potestate illius ad seruandum votum, nisi ingressus in religionem, tenebitur illud eligere ex vi voti. Nam ex vi illius tenetur ad medium necessarium ad implendũ suum promissum. Nec verò hoc medium iudicandum est impossibile, sed possibile moraliter ex Dei gratia; neque iste dicetur coactẽ suscipere statum religionis, vt nonnulli existimant, ipse enim sibi vim intulit, qui se in eas redegit angustias.

12 Negare non possum hanc sententiam secundam esse valde probabilẽ; attamen pro prima valde vrget decisio Ioannis 22. in *extrauag. antiquæ de voto*, in qua decernit initiatum sacris, in quibus votum solemne castitatis emittitur, etiam si initietur post matrimoniũ contractũ ante consummationẽ, nõ teneri religionẽ ingredi, sed aut ingredi, vel consummare; imo neq; ingressus in religionem illi iniungitur, sed tantũ admonetur, & consilijs inducitur, nõ cõpellitur. Quare ego nõ video, quomodo ea stãte decisione Põtificis secũda sententia defendi queat. Sed de hoc iterũ statim. Iuxta hæc etiã philosophandum est, si vterq; castitatẽ vouerit, hoc excepto, quod in consummatione vterque peccabit, & etiam postea quoties petat aut reddat. Vide Azor cap. 21. cit. quæst. 5.

13 Quod si inquiras quid dicendũ sit de eo qui vouit virginitatẽ. Cuius difficultatis decisio ex eo pendet, an votũ castitatis absolutæ & perpetuæ includatur in voto virginitatis, an vero eius voti sensus tantum sit non amittere statũ virginitatis. Si enim hic secũdus fuerit animus vouentis, peccabit quidẽ in prima cõsummatione, siue petendo, siue reddendo, non postea, cum sit facta impossibilis obseruatio voti. Si verò primus fuit vouentis sensus, qui etiam regulariter esse solet in vouentibus virginitatem, eodem modo philosophandum erit, atque de voto castitatis.

14 Dicamus tertio loco de voto suscipiẽdi sacros ordines, an is qui fecit votũ suscipiendi sacros ordines, & contraxit matrimoniũ, teneatur ne ante cõsummationẽ matrimonij religionẽ ingredi, vt in ea possit ordines sacros suscipere. Et ratio dubij est, quia post contractũ matrimoniũ hoc vnicũ restat mediũ ad implẽdũ illud votũ. In qua re sunt cõtrariæ opiniones, sicut in præcedẽti casu. Negat obligari Soto loco cit. & Thom. Sanchez lib. 9. disp. 34. n. 6. Affirmat tamẽ Azor c. 21. cit. q. 9. Quia ratio facta de voto castitatis hic habet eandẽ vim in hominẽ agnoscẽte naturã voti, & qui sua voluntate deuenit in eũ statum, in quo iam non restat aliud medium ad suum votum implendum, nisi ingressus religionis.

15 Hæc opinio probabilis est. Prima tamen mihi videtur probabilior iuxta eã, quæ dixi supra lib. præcedẽti c. 13. de eo, qui post matrimoniũ ante eius cõsummationẽ inscia vxore sacris ordinatur. Extat pro hac sententia decisio Põtificis in d. *extrauag. Antiquæ de voto*. Vbi hæc pars aperte decidi tur. Quod si quis respondeat Põtificẽ in eo loco nihil de hac quæstione definire, sed solũ illi quæstioni finẽ imponere, an ordo sacer dirimat matrimoniũ ratũ nõ consummatũ, sicut professio. Circa eã autem, an sic ordinatus teneatur ingredi religionẽ, vt hac ratione vxor libera maneat, nihil definit, sed in casu, quo nolit ingredi, dicit cõpellẽdũ cõsummare, si vxor institerit. Hæc tamẽ euasio est potius, quàm solutio. Quamuis enim in d. extrauag. præcipuè intẽdat Põtifex eã quæstionem definire de inefficacia sacri ordinis ad dirimendum matrimonium ratum, attamen etiam ex professo

fesso explicat Pontifex, quid fieri debeat in eo casu, quando initiatur sacris ante consummatum matrimonium, & nullam necessitatem imponit initiato transeundi ad religionem. Neque etiam dici potest illam esse specialem decisionem Pontificis in eo casu, quo vir post contractum matrimonium ante consummationem initiatur sacris. Sed certe Pontifex attente meditatus naturam illius voti, & communem vouendi modum, & quam difficiles exitus habeat status religionis contra voluntatem assumptus iudicauit illum sic vouentem noluisse se obligare, neque implicitè ad religionem. Præterea, quia nulla potest assignari ratio propter quam, qui initiatus sacris, & obligatus voto solemni castitatis, non compellitur religionem intrare, sed tantum admonetur, & qui tantum habuit votum suscipiendi sacros ordines, compellatur intrare, cum multo maior indecentia sit in primo, quam in secundo. Non tamen negauerim, si cum quis emittens votum suscipiendi sacros ordines, aduertit non esse aliud medium seruandi votum, nisi ingrediendo in religionem, & adhuc voluit illud votum emittere, teneri ad ingressum religionis; quod idem dixerim de vouente castitatem post contractum matrimonium ante cõsummationem. At hic regulariter non est communis vouendi modus. Pontifex autem communem vouendi modum attente contemplatus est, & ideo non agnoscit in illo obligationem transeundi ad religionem.

16 Dicamus vltimo loco de voto nõ cõtrahendi matrimonium. Et in primis certum est, si voueritnon contrahere matrimoniũ, peccare contrahendo. Sed an peccet etiam consummando dissensio est. Diuersæ sunt opiniones. Quidam affirmant non peccare in consummando. Sanchez disput. 34. cit. num. 7. Alij verò existimant peccare consummando. Mihi placet ea distinctio, qua vtitur Ioannes Azor d. cap. 21. quæst. 7. consulendam esse mentem vouentis. Si enim in animo habuit tantum vouere, non contrahere, non vero in animo habuit se obligare ad non consummandum, peccabit in contrahendo tantum, non in consummando: at vero si vtrũque voto suo cõprehendit, peccat etiam in consummãdo. Quod si dubius animus sit, an se obligauerit voto ad non contrahendũ, vel etiam nõ consummandũ, dico in eo dubio potius ex natura rei interpretandũ vouisse, nec cõtrahere nec cõsummare, cum videatur voluisse abstinentiam â nuptijs, quæ vtrũque includũt, cùm nuptiæ ordinẽtur ad cõsummationem. Sicut quãdo quis dubitat, an votum emiserit, necne, potiùs standũ est emisisse votũ, vt suo loco dicemus. Quare in eo casu ex ipsa natura voti impeditur consummatio.

17 Neque obstat, quod iurãs contrahere matrimoniũ, impleat iuramẽtum contrahendo, nõ vero teneatur consummare. Ergo & qui vouit non cõtrahere, nõ cẽsetur vouisse non consummare. Respondetur enim iuramentum induere naturam & conditiones actus, cui adiungitur; cũque in contractu matrimonij semper salua maneat conditio, *nisi voluerit ad religionem transire*, inde est, quod etiam in iuramento eadem conditio intelligatur, neq; ad plus obligat iuramentum. At quando quis vouit non contrahere, votum non induit naturam actus cui adiũgitur; sed id quod vel ex natura rei comprehẽdit obiẽtum voti, vel animus promittentis. Quare, cum in eo casu non constet de promittentis animo, illum interpretamur iuxta naturam rei, iuxta quam nuptiæ ad consummationẽ ordinantur. Quæ solutio mihi magis placet, quam illa, quam ex Paludano adducit Ioannes Azor loco citato.

18 Ex traditis hactenus, meo iudicio facile colligitur solutio multarum difficultatum, quas mouet Thomas Sanchez disp. 36. & latè disputat, nec verò lõga indigẽt disputatione, cum ex dictis facilem habeant solutionem. Primo ergo colligitur, quid dicendum sit de prædictis votis, si emittantur post contractũ matrimonium ante consummationem. Si enim sermo sit de voto religionis, tenetur implere & trãsire ad religionẽ, cum detur iure ipso bimestre tẽpus ad eligendũ statum religiosum. In quo cõueniunt Doctores omnes. Si vero sermo sit de voto castitatis, nõnulli iuxta sua principia dicũt illũ teneri ante cõsummationẽ ingredi religionem ad illud votũ implendũ, cum supersit illud medium moraliter possibile, & ita peccare quouis modo consummet. At nos iuxta nostra principia dicimus illum in consummando peccare, si exigat, non vero si reddat. Si rursus loquamur de voto assumendi sacros ordines, si expressè factum sit excludendo statum religiosum, votum est nullum. Similiter si votum sit suscipiendi sacros ordines sine licentia vxoris ante transitum ad religionem, etiamsi cum animo ingrediendi postea, votum est nullum, quia est de re illicita. Peccatum enim est velle promoueri ad sacros ordines sine ingressu in religionem

sine licentia vxoris. At si votum fuit suscipiendi sacros ordines in religione, neque tempus definiuit, scilicet, dissoluto eo matrimonio, tenetur ad religionis ingressum ante ordinationem, id enim inclusum est in voto, & alias peccabit consummando contra votum religionis & assumendi ordines sacros: non vero peccabit post primam consummationem. Denique, si loquamur de voto non ineundi matrimonium, si votum factum est post illud coniugium initum, non potest intelligi nisi de non ineundo aliud eo dissoluto. Si verò votum sit non consummandi, & agnoscit naturam voti, tenetur ad religionem transire, & peecabit consummando prima tantum vice, nam deinceps iã est impossibilis adimpletio.

19 Secundò colligitur quomodo philosophandum sit, quando ea vota emittuntur post matrimonium consummatum, sine licentia tamen coniugis. Nam primo de voto religionis dicendum est, si emittatur statim implendum sine coniugis licentia, nullum esse votum, cum sit de re illicita, siquidem consummato matrimonio transire ad religionem non potest sine licentia coniugis. At verò, si absolutè fiat non determinato tempore, tenetur implere; vel si coniux licentiam præbeat; vel si fiat nocens ob adulterium, cum tunc possit ab ea recedere; vel dissoluto matrimonio per mortem, quia votum illud emittitur pro tempore conuenienti. Si verò sermo sit de voto castitatis, illudque sit de non petendo, valet quidem votum, teneturque non petere; est enim ea materia licita & in eius potestate constituta. Quare potest eam continentiam & abstinentiam ab actu coniugali ex parte vouere, & sauet Augustinus in *cap. si dicat*, 33. *quæst.* 5. Quod si sit votum castitatis absolutum, quãuis nonnulli censeant non obligare, neque validum esse, verius est valere, vt constat ex *cap. placet & cap. quidam de conuers. coniug.* quæ iura recte considerat Thomas Sanchez lib. 9. disput. 35. num. 25. & AEgidius de Sacramentis disput. 34. dub. 6. concluf. 2. & nos dicemus infra isto libro. Sed quid si alter coniux adulter sit, poterit ne licite in eo casu, qui votum castitatis absolutum emisit, reddere? Affirmat Sanchez disput. 35. cit. numero 28. eo quod numero 26. docuerat votum istud quoad partem non reddendi fuisse omnino irritum: At mihi hoc videtur difficile. Existimo enim quoad partem non reddendi, quando ex iure iustitiæ exigitur, omnino fuisse nullum: At quoad partem nõ reddendi, quando alter non haberius exigendi, vt contingit in isto casu, esse validũ. Ratio, quæ me mouet, hæc est. Quia tota castitatis materia cecidit sub eo voto. Ergo quoad eam partem est impedita ob impossibilitatem status. Vnde in hac parte refellit Sanctium AEgidius dub. 6. cit. numero 41. & sequentibus. Et quidem prædicto modo emitti votum illud ex eo constat, quia si solum materia eius voti esset de non petendo, posset eo dissoluto matrimonio aliud inire; cum etiam alio inito matrimonio posset idẽ votum implere non petendo, cum tamen Thomas Sanchez dicat non posse iniri. Ergo signum euidens est totam materiam castitatis esse eo voto comprehensam, quoad petitionem etiam tunc, quia in eius tantum potestate est; quoad redditionem verò, quando ius alterius impeditum fuerit. Impeditur autem & culpa commissa, aut morte, & sic tunc tenebitur implere quoad totam materiam. Vnde consequenter assero eum, qui votum castitatis emisit siue ante, siue post consummationem, peccare contra votum non solum petendo, sed etiam reddẽdo, quoties liberum est reddere; aut quoties alter petit illicite. Ex tunc duplex peccatum cõmittere; vnum, quia cooperatur illicitæ petitioni: aliud vero contra votum; quia in eo casu est sublatum impedimentum proueniens ex iure alterius, & ex consequenti est libera tota materia comprehensa voto, & possibilis. Si rursus loquamur de voto assumendi ordines sacros, consummato matrimonio, nisi reijciatur votum in tempus, quo solutus matrimonio sit, sed pro tempore præsenti, irritum est votum, vtpote de re illicita, cum transire non liceat ad sacros ordines sine licentia coniugis. Votum autem non cõsummandi matrimonium in isto casu locum non habet; quare intelligendum erit de alio matrimonio isto dissoluto per mortem.

20 Tertiò colligitur, quid dicendum sit de prædictis votis, quando emittuntur de licentia coniugis post consummatum matrimonium. Et quod attinet ad votum religionis facile explicatu est. Si enim de licentia coniugis votum religionis tunc implendum emittat, si postea petat aut reddat, non peccabit cõtra votum, sed solum quatenus sine causa votum non implet, & alter retardat ad impletionem voti. At is qui licentiam concessit, tenetur præstare ea, quæ requiruntur, vt alter transire ad religionem possit consummato matrimonio, quæ explicui supra libro 9. cap. 11. & 12. & alias non tenebitur

vouens

vouens ad religionem transire. Quod si de licentia alterius votum castitatis emiserit, si illud de non petendo fuerit, illequi licentiam concessit, ad nihil tenetur, sed exigere potest, cum is, qui vouit ex eius licentia, non se inhabilem aut impeditum reddiderit ad petendum, neque per eam licentiam visus est renuntiasse iuri suo. Sed si expressè licentiã concedat ad vouendam absolutè castitatem tam in petendo, quam in reddendo petenti, eo ipso ex pacto, & conuentione non potest, qui licentiam concessit, petere, cum ex eius beneplacito alter vouerit castitatem etiam in reddendo, quo ipso videtur etiam â se renuntiasse ius exigendi, docet Ægidius disput. 34. dub. 6. conclusion. 3. cum Lessio libro secundo de virtut. capit. 40. dub. 15. & capit. 41. dub. 6. Vnde peccabit reddens, & exigens iuxta regulam supra traditam ca. 3. & peccabit vterque contra religionem, quatenus vterque cooperatur violationi voti, nisi forte, qui licentiam dedit, irritet si potest votum alterius, de quo infra isto libro. Similiter dicendum est de voto suscipiendi sacros ordines. Si de licentia coniugis fiat votum, licitum est, & statim obligat ad eius impletionem: & vxor, quæ licentiam concessit, tenetur ea præstare, quæ requiruntur, vt alter ordinetur iuxta dicta supra lib. 9. cap. 13. & si petat aut reddat, peccat contra votum, quatenus impedimentum apponit impiendo voto.

21 Vltimò colligitur, quid sit dicendũ, quando vterque de mutuo consensu emiserunt eadem vota. Et primò, si vterque emisit votum religionis, constat teneri ad ingrediẽdum statim; & si petant, & reddant, peccare, quatenus impediunt executionem voti si vero fuit votum castitatis, peccant in petendo, & reddendo, cum actus ille non possit bene fieri, sed male, & vterque cooperetur peccato alterius iuxta dicta supra capite tertio. Similiter, si vnus ex eis emiserit votum suscipiendi sacros ordines, alter verò castitatis, eodem modo peccat vterque ob non adimpletum votum. Quæ omnia ex dictis aperta sunt, neque longa indigent discussione. Videndus Thomas Sanchez lib. 9. disput. 36. & 37.

(.2.)

De impedimento consummãdi, petendi, & reddẽdi ex cognatione prouenienti.

CAPVT VI.

SVMMARIVM

Quid antiquo iure statutum esset quorundam opinio, num. 1.

Nunquam aliquo iure statutum esse vt quouis modo quis teneret, contraheret hoc impedimentum, num. 2.

Post contractum matrimonium si lenet, non dissolui, num. 3.

Si in fraudem alterius coniugis tenuerit, non impeditur neque innocens, neque nocens à petitione debiti, num. 4.

Si ex necessitate fiat, nullum nascitur impedimentum, num. 5.

Aliquorum ampliatio, num. 6.

Si extra hos casus teneat scienter oritur impedimentum, num. 7.

Si cum ignorantia, nullum est impedimentum, numero 8.

Etiamsi sit ignorantia facti, num. 9.

Etiam si sit culpabilis ignorantia huius iuris, & facti, num. 10.

Diluitur obiectio, num. 11.

Quid si tantum sit ignorantia pœnæ huius iuris, num. 12.

Ad hanc pœnam non esse necessariam iudicis sententiam, num. 13.

1 MVLTA, quæ in hac re dici poterant de impedimento cognationis spiritualis, dixi supra lib. 7. cum agerem de impedimento cognationis. Sed perstrinximus nonnulla, quæ huc vberius explicanda remisimus. Primò ergo nonnulli existimant antiquo iure, siue quis scienter, siue ignoranter teneret, aut baptizaret proprium filium, contrahere hoc impedimentum, & priuari debiti petitione. Sanchez lib. 9. disput. 26. num. 7. Ægidius disput. 34. dubio 8. num. 65. Probant ex *cap. 1. 2. & 3. 30. quæst. 1.* vbi id indifferenter statuitur, quæ iura correcta fuisse dicunt per textum in *cap. si vir de cognatione spirituali.*

2 Ego tamen existimo in primis (procedemus enim sigillatim, vt distinctius explicemus) nunquam, quod ego sciam, constitutum fuisse aliquo vniuersali canone, vt quouis modo quis teneret confirmandum aut baptizandum, contraheret hoc impedimen-

tum. Atque, vt id ostendamus, sciri debet, atque distingui, in canonibus quandoque agi de hoc impedimento, antequam ineatur matrimonium, qui tamen post id impedimentum contraxerunt coniugium: quandoque agi de hoc impedimento contracto iam post celebratum matrimonium cum illa cuius filium leuat: quandoque etiam agi de eo in ordine ad separationem vinculi, quandoque in ordine ad separationem tori. Primò ergo siquis proprium filium tenuisset siue cum scientia, siue cum ignorantia filiationis, impedimentum nascebatur, ita vt matrimonium post contractum esset nullum, & ideo separarentur, si contraherent, quo ad torum, & vinculum. Atque iuxta hunc sensum accipio textum in *cap. 7. peruenit 30. quæst. 1.* de cuius textus interpretatione multa diximus supra lib. 7. & illũ intelleximus de fœminis, quæ contraxerant matrimonium cum illis, quorum filios extra matrimonium susceptos in concubinatu leuauerant, vt ibi demonstraui ex integra eius capitis. Sic etiam accipio textum in *cap. 2, siquis filiastrum 30. quæst. 1.* itaque iubetur ab vxore separari, quam duxerat, quia cum ea interuenerat impedimentum ob leuatum filium illius fœminæ ante contractum matrimonium in confirmatione: & insuper in pœnam priuatur spe matrimonij. Atque sic intelligendum esse textum illum, & non de impedimento illo superueniente matrimonio contracto, videor colligere ex eo, quod idem caput habetur apud Iuonem p. 9. cap. 80. & quamuis in titulo habeatur ex Concilio apud Vermerias, at in margine habetur ex Moguntino sub Carolo Magno capite 55. & in Moguntino de separandis illis agitur, qui cum eo impedimento contraxerant. Cui expositioni accedit glossa ibidem. Sic etiam accipio textum in *cap. de eo 30. quæst. 1.* in 1. part. canonis. Ex quibus clarè liquet in matrimonio sic contracto nullam esse posse debiti petitionem, neque redditionem, cum matrimonium sit nullum. Quid autem dicendum sit, quando est dubium de valore matrimonij, dicam postea. Quare non video, quo fundamento dici potuerit prædicta iura in *cap. 1. & 2. 30. quæst. 1.* esse reuocata in *cap. si vir de cognatione spirituali*; idque affirmari non posse magis adhuc constabit ex sequentibus, cum planè in prædictis canonibus non agatur de isto impedimento, quando superuenit matrimonio, sed de eo impedimento iam contracto ante matrimonium initum.

3 Deinde dico. Si contracto matrimonio contingat aliquem coniugem leuare filium alterius coniugis ex alio matrimonio, vt si post contractũ coniugium cum illo periisset fœmina prægnans relicta ex priori viro, aut fœmina leuaret filium viri ex concubina, nequaquam dissoluitur contractum matrimonium. Atque hoc tantum conuincunt plura iura, quæ in alium sensum referuntur, & nihil amplius. Sic accipio textum in *cap. 3. 30. quæst. 1.* Loquitur enim de iam coniunctis, & de vxore, quæ viri filium ex alia fœmina susceptum leuauit, decernitur-que eos iungi posse, quia, nisi de vtriusque consensu, non potest etiam causa religionis coniux dimittere coniugem, quam cognouit. Sic etiam accipio textum in *ca. 4. dictum est nobis eadem 30. quæst. 1. & cap. 5. de eo*, in secunda parte canonis. Quare illud *si innupti permanere volunt*, sic accipiendum, id est, si sibi inuicem non copulari elegerint, bonum est, vt exponit ibidem Turrecremata, cogitq; ita interpretari ipsa cohærentia textus. Agit enim de matrimonio iam contracto, & de legitimis coniugibus. Sic etiam accipio textum in *cap. 6. de his, eadem causa, & quæst.* negat separationem coniugij ex superueniente cognatione, & in eodem sensu loquitur textus in *cap. 7. ad limina ibidem.* Imò in eo tãtum sensu accipio textum in *ca. si vir vel mulier 2. de cognat. spirit.* Tantum enim contendit separandum non esse coniugij vinculũ, siue scienter, siue ignoranter tenuerint: alioqui scientibus, & diuertere cupientibus hac via ad dissolutionem matrimonij pateret aditus. Et sic in hac specie non ideo minus matrimonium in suo statu perdurat, quod in causam causa ceciderit, cum tamen, si præcederet, incidere non posset, quod & in alijs casibus sæpe fit *l. 83. §. 1. de regulis iuris.* Et denique rite cõtractum matrimonium ex post facto non vitiatur *l. 3. C. de interdicto matrimonio.* Sic Cuiacius ad textum in *dict. cap. si vir.* Ex quo magis apertè constat *dict. cap. si vir* non reuocari decreta in *cap. 1, & 2. 30. quæst. 1.* cum loquantur in casibus valde diuersis.

4 Rursus dico tertio. Si post contractum iam matrimonium vir siue mulier susceperint filios alterius coniugis in fraudem, & malitiosè, vt inde occasionem capiant negandi debitum coniugi, prætextu cognationis spiritualis, non impeditur is, qui innocens est, sed neque qui fraudulenter egit, à petitione debiti, licet punibile delictum sit. Scio nonnullos asserere eum, qui fraudulenter egit, impediri, & priuari debiti petitione.

ne. Sed non probo, sentitque mecum ipsa veritate inductus Ægidius disput. 34. dub. 8. num. 66. Et quidem antequam eum legissem, miratus sæpe mecum fueram DD. in aliam abijsse sententia m sine vllo iuris fundamento, nullus enim textus est, vbi id constituatur. Nam in *capite 3. nosse desideras 30. q. 1.* loquitur quidem de ea, quæ habens odio virum, id fecerat, vt ab illo separaretur: & tamen ibi decernitur absque distinctione aliqua non esse fraudandos inuicem, sed vt iterum reuertantur in ipsum: & *cap. 4. dictum est*, decernitur vt propter fallaciam, & fraudem, quandiu vixerit, agat pœnitentiam, nō tamen separentur in vicem: & *cap. 5. de eo.* eum qui ex industria fecerint, id est, in fraudem (sic enim accipio) nequaquam separentur, quamuis ex industria agens priuatur spe coniugij. Sic etiam accipio textum in *cap. de his*, punit enim quandiu viuunt eos, qui fraudulenter id agerent. Illud enim *si inscientia sicut asseritis*, non accipio de ignorantia, vt communis interpretum; sed de scientia, & industria, ita vt illud *inscientia* non sit vna vox, id est, ignorantia, sed duæ, vt separauit, & distinxit editio correcta Parisiensis, in qua solus textus iuris canonici excusus est, id est, si ex scientia, & industria, maximè cum statim addiderit, *licet peccatum sit*. Nam si inscienter omnino esset factum, siue ex ignorantia facti vel iuris, peccatum euitari quis dubitat? Nec vero quemquam moueat, quod in fine capitis dicitur, *vt dignam pœnitentiam agens Domino dicat, delicta, & ignorantias meas ne memineris*. Ignorātiæ enim nomine, quod uis peccatum intelligi, atque censeri non paucorum interpretatio est. Et etiam in hoc sensu accipio textum in *dicto cap. si vir*, dictum enim accipio de his, qui ex malitia tenuerunt, vt fraudarent coniugem vsu coniugij. Inquit enim: *Quod si ex ignorantia, siue malitia id fecerint, non sunt ad inuicem separandi, neque alter alteri debitum debet subtrahere*. Et infra. *Quia si ex malitia eius, sua fraus patrocinari non debet, vel dolus*, quod idem statutum fuerat in dictis capitibus, quæ de dolose agentibus interpretatur etiam Turrecremata. Ex quo adhuc magis constat decisionem in *dicto capite si vir*, non esse correctionem iuris antiqui in hac parte. Et est etiam optima ratio, quam affert Ægidius ex ipsa prudentia desumpta. Quia molestissimum esset aliquem cum eadem in lecto dormire, & non posse petere ex lege Ecclesiastica. Vide quā multis peccatis præberetur occasio manifesta. Neque eadem ratio est de voto alterius coniugis, ipse enim se in eas angustias coniecit. Accedit etiam alia ratio. Quia non potest quis esse cognatus alicui, cum è conuerso etiam ille sit illi cognatus. Ergo non posset impedimentum cognationis oriri ex parte vnius, quin oriretur ex parte alterius. Vnde cognati essent mutuo: cumque non arceatur à debito, nisi ratione cognationis, sic iura sine distinctione docent non esse separandos, non esse subtrahendum debitum, quibus verbis vtrumque comprehendunt, & debiti exactionem, & petitionem, planum est eum etiam, qui fraudulenter egit, & posse reddere, & petere debitum, neque in eo casu contrahi impedimentum spiritualis cognationis, cum illud iure positiuo tantum inductum sit. Idem etiam dicendum, si ex mutuo consensu malitiosè factum fuerit, non enim priuantur iure petendi, neque reddendi ob ea quæ dicta sunt. Vnde potest, & tenetur alter alteri reddere, quia sine peccato petit iuxta dicta supra cap. 3. & docet etiam Thomas Sanchez lib. 9. disput. 28. conclusion. 2.

5 Dico quarto. Si iam contracto matrimonio aliquis in necessitate proprium filium baptizauerit, nullum nascitur impedimentum. Vnde non impeditur reddere, aut petere debitum. Quam conclusionem planè, & aperte docet Pontifex Ioannes Octauus in *cap. ad limina. 30. q. 1.* Et quamuis iste canon tantum loquatur de parente, qui baptizat communem vtriusque coniugis filiū, idem tamen dicetur de eo qui baptizat in necessitate filium alterius coniugis tantum. Atque idem etiam dicendum de eo, qui baptizat in necessitate vxorem ad fidem conuersam. Et licet, cum ea necessitas explicatur in dicto capite, dicatur eum, qui in absentia sacerdotum baptizat, intelligi nomine sacerdotis, quemcumque alium ministrum, qui baptizare posset. Exprimitur autem potius sacerdos, quia est in præcepto Ecclesiastico, ne baptizet iure ordinario nisi sacerdos. Quod si quis parens videns filij necessitatem, etiam præsentibus alijs accederet ad baptizandum filium sine vlla aduertentia, subitò raptus animi festinatione, & dolore, nonnulli putant non contrahere cognationem. Sanchez lib. 9. disput. 26. num. 2. in fine, quod probabile est.

6 Hanc prædicti textus decisionem extendunt nonnulli ad patrinum, vt etiam si parens in necessitate filium teneat, & leuet in baptismo, non contrahat hoc impedimentum, & ita petere possit, ac reddere. Sic mul-

ti, quos refert, & sequitur Thomas Sanchez disput. cit. num. 3. Ego tamen non extenderem. Quia nulla talis patrini necessitas in baptismo est. Cui rationi non satisfacit Sanctius. Idem nobiscum sentit Henrriquez li. 11. de matrim. cap. 15. num. 11. Petrus Ledesma de matrim. quæst. 56. artic. 1. dub. 1. in principio, & me præsente idem olim Consultus respondit Compluti Gabriel Vazquez. Cum enim iura solum agant de baptizante in necessitate, & alias non sit æqua necessitas actus baptizandi, & leuandi vice patrini, non est cur ad patrinum eam decisionem extendamus. Atque id verum existimo, non si quouis modo teneat ad baptismum, sed si teneat animo patrini, in quo probo, quod docet Thomas Sachez ibidem numero 4. & Sà v. *matrimonij impedimenta*, in antiquis num. 23.

7 Dico quinto. Si contracto matrimonio alter coniux aut communem, aut alterius tantum filium teneat, scienter tamen, non verò in fraudem, aut fraudandi animo, contrahitur hoc impedimentum: & si vnus tantum fecerit sine scientia alterius, is priuatur debiti petitione. Quod si ex scientia vtriusque, neuter potest petere, neque reddere. Multæ sunt huius enuntiationis partes. Prima est incurri hoc impedimentum, licet negauerint nonnulli, hique pauci, communis tamen sententia est, quam multis citatis docet Thomas Sanchez lib. 9. disput. 26. num. 7. Tota autem difficultas est in huius partis probatione: eo enim potissimum nituntur, qui contra sentiunt, quod id nullo iure constitutum reperiatur, quod impulit etiã Franciscum Suarez vt diceret 3. part. quæst. 67. art. 8. in rigore oppositum verum esse. Ego tamen existimo communem hanc Doctorum sententiam in iure validum habere fundamentum, eo quod tam antiqua iura, quam recentiora Decretalium definiãt hoc impedimentum non nasci vel cum in fraudem, vel ob necessitatem leuatur, aut baptizatur. Ergo cum exceptio firmet regulam in contrarium, planè colligitur, si vel malitia, vel necessitas absit, incurri hoc impedimentum. Id quod diximus plane constat ex *capite* 3. 4. 5. 6. *& cap. ad limina* 30. *quæst.* 1. Neque obstat, quod Thomas Sãchez dicit ibidem hæc reuocata esse iure decretalium in *dicto. cap. si vir.* Ostensum enim est sigillatim, & distinctè nihil esse in dicto capite contrarium prædictis antiquis canonibus. Sed præterea idẽ conuincunt ex textu in *dicto cap. si vir*, cum expressè solum excludat hoc impedimentum nasci, quando ex ignorantia vel malitia aut fraude factum est. Ergo non excludit casum in quo agitur sine malitia, vel fraude, aut ignorantia. Idque sic explico, si siue fiat, sine ignorantia, & malitia, siue non fiat, non arcentur â debiti petitione ex hoc impedimento: ergo nulla necessitas erat exprimendi casum ignorantiæ, & malitiæ, siquidem in nullo casu contrahebatur. Cum ergo specialiter constituerit Pontifex in eo facto ex malitia vel ignorantia, planè indicat sine ignorantia, & malitia incurri hoc impedimentũ, & arceri â debiti petitione.

8 Dico sexto. Si contracto matrimonio leuet aliquis proprium filium, vel communem, vel alterius coniugis cum ignorantia, liber est ab eo impedimento, & potest petere, & reddere *cap. si vir de cognatione spirituali.* Quæ enuntiatio pendet ex generalibus principijs à nobis traditis in materia de peccatis. Sed explico conclusionem. In primis illam intelligo veram, si loquamur de ignorantia iuris, dari enim posse ignorantiam inuincibilem iuris humani ostendi loco citato, & insuper ignorantiam inuincibilem iuris, quæ excusat â culpa, excusare etiam â pœna. Quæ pars, quod attinet ad Deum, certissima est: Quod vero attinet ad forum exterius, difficilior est, in iure enim difficile admittitur iuris ignorantia; nisi in minoribus, fœminis, militibus, rusticis: attamen si illa probetur, excusat etiam in foro externo vt latè Castro lib. 1. de lege pœnali capite 1. ad fin. & lib. 2. cap. 14. & cum Soto, & Couarruuias docet Suarez de legibus lib. 5. ca. 12. num. 5. & 6. Salas de legib. disput. 15. sect. 9. Idque constat. Quia vniuersalis doctrina in iure est, *quod culpa caret, in damnum vocari non debere cap. 2. de constitut.* & facit regula. *Cessante causa cessat effectus cap. cum cessante de appellat.* facit etiam textus in *cap. Apostolicæ de clerico excom. minist. & cap. vt animarum de constitut. in 6. & cap. proposuisti dist. 82. Ignorantibus*, inquit, *non est venia deneganda, & lege vltima D. de decretis ab ordin. fac.* dicitur pœnam non imponi propter ignorantes, sed propter scientes. Vnde infert rectè Suarez cap. cit. num. 8. & Salas ibidem num. 110. in fine, quod siquis ignorans ius, per iudicem condemnetur, quia defecit in probatione ignorantiæ, si ipse sit in conscientia certus de sua ignorantia inculpabili, licet exterius teneatur parere, tamen in conscientia non tenetur, potestque illam condemnationem omittere cauendo scandalum. Idem est si lex pœnam imponat ipso facto, nec enim

tenetur

tenetur quis in conscientia illam implere in eo casu. Quare si quis inuincibiliter ignoret legem Ecclesiasticam, quæ leuantem proprium filium, aut alterius coniugis priuat petitione debiti, tuta conscientia potest petere, & reddere. Quamuis filium leuauerit in baptismo aut cõfirmatione, aut etiam si baptizauerit cum eadem ignorantia. Suppono enim hanc priuationem petitionis debiti in pœnam statui, vt rectè docet Thomas Sanchez lib. 9. disput. 30. num. 21. Secus esset, si id factum esset ante contractum matrimonium. Quia impedimentum illud non nascitur vt pœna delicti, sed vt inhabilitas ob indecentiã. Vnde in legibus inhabiles reddentibus parum excusat ignorantia, vt docuit optime Suarez eodem lib. 5. cap. 22. num. 4. & 7. At quando iam est contractum matrimonium, ponitur etiam vt pœna delicti commissi: & ita ignorantia probabili, & inuincibili, sicut excusatur à culpa, excusatur etiam à pœna legis.

9 Extendenda etiam est prædicta enuntiatio ad ignorantiam facti, in quo magis est certa, cum in iure admittatur frequentius ignorantia facti. Quare, si sciens legem Ecclesiasticam ignoret illum, qui leuat, tenet, aut baptizat suum filium esse, vel sui coniugis, non impeditur ab exigendo debito, vel reddendo. Probat idem textus in *dicto capite si vir*, & eadem ratio supra facta. Quia factum illud omnino caret culpa. Ergo & pœna. Sic expresse Azor tom. 3. lib. 3. cap. 31. quæst. 10. difficult. 3. Hæc autem ignorantia per iuramentum probanda erit *cap. in lectum* 34. *quæst.* 1. Cum enim delicta æstimentur ex animo, & proposito delinquentis *cap. cum voluntate* 54. *de sententia excommunicat. & lege qui iniuria* 55. *D. de furtis*, merito ignorantia excusationem meretur.

10 Sed addo idem etiam dicendum esse, quamuis ea ignorantia tam huius iuris, quã facti sit culpabilis, dummodo non sit affectata ignorantia. Itaque quamuis leuet, vel baptizet, cum ignorantia vincibili, imò, & crassa, vel iuris, quia ignorauit legem Ecclesiasticam, vel facti, quia ignorauit esse proprium filium, vel coniugis, adhuc non priuatur iure petendi, atque reddendi. Quam partem deduco ex manifesto iuris principio, quod quando lex requirit scientiam vel dolum, non sufficit dolus præsumptus, & ideo excludit dolum vel scientiam quæuis ignorantia etiam crassa. Quam doctrinam tradit Caietanus in summa *v. excommunicatio*, explicando fere singulas excommunicationes; Nauarrus in sum. capit. 27. Tiraquelus in tract. de pœnis temper. causa 13. num. 13. & sequentib. vbi; & plures refert, quos etiã sequitur Suarez dict. lib. 5. cap. 12. nu. 14. & 5. tom. in 3. part. disput. 4. sect. 3. à num. 9. Salas sect. 9. cit. num. 114. Thomas Sanchez lib. 9. disput. 32. num. 39. & 40. constatque ex *l. sed & si lege §. scire D. de petit. hæred. leg. igitur* 12. *versic. generaliter D. de liberali causa lege si quis id quod versic. doli mali. D. de iuris dict. omnium iud.* & dixi etiam supra lib. 7. cum agerem de impedimento voti. Et ratio sic suadet esse dicendum. Quia pœnæ, vt in iure dicitur, leniendæ potius sunt, quam exaggerandæ *cap. pœnæ de pœnitent. dist. 1. & l. pœnis D. de pœnis*. Quando autem lex requirit scientiam, & dicit: *Si scienter, si præsumpserit, si ausus fuerit, si temere hoc fecerit*, ipsamet lex moderatur pœnam, neque vult illam incurri, nisi quando peccatum, aut factum contra legem talem circunstantiam habet. Quare quando adest ignorantia etiam crassa, excluditur ille modus, quem lex requirit ad inflictionem pœnæ. Cum ergo lex in *dicto cap. si vir* in casu, de quo loquimur, scientiam petat, quæuis ignorantia etiam crassa excusat ab ea pœna.

11 Neque obstat textus in *lege 1. D. si mensor falsum modum dixerit*, vbi dicitur ignorantiam crassam æquiparari dolo. Nam reuera, & in conscientia sola affectata ignorantia æquiparatur scientiæ, quia sola illa inducit directè voluntarium, vt notat glossa in *cap. Nos de tempor. ordin. in 6.* In textu ibi *satis expresso*. Quare prædicta lex intelligenda est, quoad reparationem damni subsecuti. Vide Gothofredum ibi, & Salas, & Suarez locis citatis. Qui enim negligenter vel ignoranter crasse exercet ministerium suum, tenetur resarcire damna secuta, non minus, quàm si ex scientia fecisset, vt explicuit glossa in *lege in actionibus versic. si etiam D. de in litem iurando*.

12 Sed numquid extendenda est prædicta enuntiatio ad ignorantiam huius pœnæ iure statutæ? Pone aliquem rectè nosse legem prohibentem, & nosse etiam se leuare proprium filium, vel alterius coniugis, aut baptizare: ignorare tamen ea lege pœnam statutam esse, qua priuetur iure exigendi debitum, num quid excusabitur? Quod quidem ex ea quæstione pendet, an ignorantia solius pœnæ satis sit ad excusandum factum à pœna per legem imposita? In qua nonnulli affirmant excusare. Alij distinguunt inter legem humanam punientem actum iam damnatum,

natum, & legem denuo damnantem, & punientem actum. Alij distinguunt inter legem imponentem pœnam ipso facto, & iudicem punientem, de quibus late Felinus in *capite secundo de constitutionibus num.6.* Mihi tamen videtur regulariter loquendo factum non excusari ex ignorantia pœnæ, vt cum Couarruuias, & alijs docet Suarez libro quinto de legibus capite 12. numero 11. Salas dicta sectione 9. numero 113. Et ratio est aperta. Quia ignorantia pœnæ non excusat à culpa, cum etiam ignorata pœna cognoscatur integra prohibitio: & vt lex obliget, non sit necessaria adiectio pœnæ, obligat enim quamuis pœnam non adijciat. Dixi *regulariter* propter censuras, in quibus est specialis ratio ratione contumaciæ, de quo suo loco. Et etiam, quia si ignorantia pœnæ redundet in ignorantiam obligationis legis, quia scilicet non cognoscitur quanta sit legis obligatio, excusare poterit ignorantia pœnæ, vt monet idem Salas, & Suarez locis citatis. Ex hoc ergo principio iam constat, siquis sciat legem Ecclesiasticam: quæ prohibet leuare filium proprium, vel coniugis in baptismo, aut confirmatione, vel baptizare, & similiter si sciat illum esse communem vel alterius coniugis filium, quamuis ignoret pœnam appositam, qua priuatur iure exigendi debitum, non excusabitur: sed non licebit illi petere, licet possit, & teneatur reddere iuxta principia tradita.

13 Denique dico, vt incurrat quis huiusmodi priuationem iuris petendi debitum ratione cognationis spiritualis superuenientis, non est necessaria aliqua iudicis sententia. Quæ enuntiatio pendet ex his, quæ in materia de legibus disputantur, an lex imponere possit pœnam ipso facto, ita vt opus non sit sententia iudicis. Et conueniunt ferè omnes pœnam, quæ consistit in inhabilitate posse à lege imponi: talis autem est hæc pœna priuationis iuris petendi debitum ob cognationem superuenientem. Neque in hoc est aliqua specialis difficultas examinanda.

Vide Sanchez libro 9. disputatione 30. numero 2.

De impedimento consummandi vel petendi debitum ex affinitate superueniente.

CAPVT VII.

SVMMARIVM

Ex copula fornicaria cum vxoris consanguinea oriri affinitatem, & impediri debiti petitionem, num. 1.

Non extendi hoc impedimentum ad coniugem, qui rem habet cum suis consanguineis, neque cum affinibus alterius coniugis, num. 2.

Si vterque est impeditus, neuter potest petere, & reddere, num. 3.

Qui ante consummationem contraxis hoc impedimentum, non potest consummare, nec tamen tenetur ingredi religionem. Sed dispensationem petere, num. 4.

Limita hoc impedimentũ intra duos gradus, n. 5.

Per copulam metu extortam non contrahi hoc impedimentum: etiam si tantum fuerit vis absoluta, num. 6.

1 NON magna difficultas est in hac re explicãda, quare breuiter enũtiationibus quibusdam illã complectuntur. Dico ergo primo. Certum est ex copula fornicaria cum consanguinea vxoris affinitatem oriri, & hanc affinitatem impedire debiti petitionem *cap. 1. de eo qui cognouit*, non tamen impedire redditionem debiti *cap. discretionem, & cap. penult. & cap. fin. eodem.* Neque obstat textus in *cap. qui dormierit 27. quæst. 2.* ibi enim verbo *reddendi* Significatur petitio debiti, vt exponit glossa. Hoc tamen intelligendum, quando copula cum consanguinea talis fuerit, vt sufficiat ad contrahendam affinitatem iuxta dicta supra lib. 9. Extende doctrinam istam, etiam si ea affinitas sit occulta, cum incurratur ipso facto, & ante iudicis sententiam, vt in simili de cognatione explicui cap. præced. in fine. Extende etiam ad vtrumque coniugem, si vterque fuerit in culpa, vt eorum alter cognoscat consanguineã alterius; vt rectè docet Thomas Sanchez lib. 5. disput. 27. num. 3. Quod colligitur à contrario sensu ex *cap. discretionem* ibi. *Cum iniquitatis particeps non fuerit.* In eo autem casu neuter poterit petere, aut reddere, quia non licet reddere iniquè petenti iuxta dicta supra cap. 3.

2 Ex his colligitur primò hoc impedimentum non esse extendendum ad coniugem,qui rem habet cum suis consanguineis. Quia licet grauius crimen incestus sit, at ex eo nulla oritur affinitas cum alio coniuge, ratione cuius impediatur petere debitum. Neque extendendum etiam ad affines coniugis,& ita si rem habeat cum affine sui coniugis,non contrahit affinitatem cum coniuge. Quare solum ad consanguineos vxoris extendi debet. Sequitur etiam hunc incestuosum petentem debitum peccare mortaliter ex communi sententia. Adde etiam coniugem reddentem, si id impedimentum sciat, peccare etiam mortaliter, neque enim inique petenti reddere potest,iuxta dicta supra capite 3.

3 Secundò colligitur. Si vterque coniux id impedimentum contraxerit,quia vterque rem habuit cum consanguineis vxoris, & vterque conscius est impedimenti, neutrum posse petere,neque reddere, iuxta dicta supra cap. 3. Quod si malitiosè hoc fecerint,vt inuicem fraudent, vterque potest,& petere,& reddere vt constat ex *capit. si vir de cognat. spirit.* & dixi,ca. præced. de eo qui ex malitia leuat,aut baptizat, vt contrahat cognationem,& impedit.

4 Tertio colligitur eum, qui ante matrimonij consummationem contrahit affinitatem ex illicita copula,cũ consanguinea coniugis,non posse consummare petendo debitum: Est enim illicita ea petitio iuxta dicta: & primo bimestri teneri etiam non reddere, cum in eo tempore liber sit ab obligatione reddendi,vt in eo tempore deliberet quid sibi faciendum sit,an ingredi religionem expediat,vel dispensationem impedimenti petere ob periculum imminens petendi debitum â coniuge. Obligare autem illum ad ingrediendum religionem nimis durum videtur iuxta dicta supra capite 5. Neque est eadem ratio de eo,qui votum castitatis emisit. Quia is priuatus est per votum iure petendi atque reddendi; atqui contraxit affinitatem,solùm priuatur iure petendi, non obligatione reddendi;& ita elapso bimestri tenebitur reddere, si petatur debitum. Quare cum quoad hanc partem liber maneat,& facilis dispensationis sit,non est cur ad ingressum in religionem obligetur, maximè cum etiam neque adstrictus voto teneatur iuxta dicta supra cap. 5.

5 Dico secundo. Quamuis iure antiquo affinitas orta ex copula illicita extenderetur,sicut orta ex licita, & iuxta gradus consanguinitatis: attamen iure nouo Concilij Tridentini tantum extenditur vsque ad secundum gradum. Quare si quis ex coniugibus rem habeat cum consanguineo alterius in tertio vel quarto gradu,nulla affinitas cõtrahitur cum coniuge,& ex consequenti nõ impeditur á debiti petitione. Quam sententiam docuimus supra lib. 7. cum de affinitatis impedimento sermo esset.

6 Dico tertio. Per copulam metu extortam non contrahitur hoc impedimentum, neque priuatur ea, quæ inuita cognita est, iure petendi debitum. Quam enũtiationem colligo ex textu in *cap. discretionem de eo qui cognouit.* Eum autem textum nonnulli accipiunt non tantum de vi absoluta, & colligi videtur ex illis, *vnde cum adultero cohabitasse, donec elabi potuit,* quod non est argumentum præcisæ vis, quod etiam sensit Nauarrus in sum. cap. 27. num. 63. At ego cum Sanctio lib. 9. disput. 31. num. 4. tantum accipio de vi absoluta ex illis verbis, *in quantum potuit renitentem.* Quare si non fuit vis absoluta,sed conditionata,& cum peccato, contrahit impedimentum,neque potest petere. Inducor primò ratione textus ibi. *Sed neque affinitas, quæ post contractum legitime matrimonium inter virum,& vxorem iniquè contrahitur, ei debet officere, quæ huiusmodi iniquitatis particeps non exstitit, cum suo iure non debeat sine sua culpa priuari.* At hic commissa culpa est. Ducor deinde quod *cap. in sacris, de his quæ vi,* ob eiusmodi vim non censetur liber ab excommunicatione in canone constituta, quia culpa non vacat. Idem ergo in isto casu dicendum est contra Nauarrum. Illud tamen monuerim, non satis consequenter loqui Thomam Sanchez. Cum enim lib. 4. disput. 2. dicat grauem metum non esse æstimandum comparatione mali, quod eligitur, ad malum quod euitatur,sed tantum expendi debere obiectũ metus, & ita grauem metum esse, quamuis eligatur peccatum,dummodo sit graue malum ex se,quod vitatur,modo dicit non esse grauem metum,nunc,quamuis eligatur concubitus ad euitandam mortem, dicere enim debuit nunc esse grauem metum, si consequenter loqui vellet, & ita nullum esse impedimentum, quod ex ea copula sequitur per vim extorta. An autem requiratur scientia,& quomodo excuset ignorãtia,& quæ excuset,explicatum est cap. præcedenti. Quoad hoc enim eadem est ratio,cùm etiam ad hãc affinitatem contrahendam requiratur,quod scienter fornicatus sit cum consanguinea coniugis *cap. 1. de eo qui cognouit.*

Quando

Quando sit illicitus actus coniugij ratione finis?

CAPVT VIII.

SVMMARIVM.

Quid agendum, num. 1.
Licitum accessum ad coniugem propter aliquod ex tribus bonis matrimonij, & quomodo eum finem respicere debeat, num. 2.
Quando sit peccatum excludere in eo actu finem prolis, num. 3.
An sit peccatum copulari ad significandam vnionem Verbi cum natura humana, num. 4.
Accessum ob vitandam fornicationem aut in alio, aut in se nullum esse peccatum, nu. 5.
Reijciuntur qui dicunt esse culpam venialem, & illis satis fit, num. 6.
Reijcitur aliorum distinctio, num. 7.
Accessum solius delectationis gratia ex genere suo nullum esse peccatum, num. 8.
Neque etiam si fiat tuendæ salutis causa, numero 9.
Ratione mali finis adiuncti erit actus coniugalis malus mortaliter, aut venialiter, num. 10.

1 EXPLICVIMVS hactenus, quãdo ratione impedimenti voti, cognationis, aut affinitatis impediatur vsus coniugalis, vel initio, & prima consummatione, vel post consummatum matrimonium; deinceps explicandæ sunt aliæ circunstantiæ, ex quibus vitiari potest actus cõiugalis, quæ ad hæc capita reducuntur, finis, tempus, locus, modus, & damnum. Quæ omnia singulis capitibus explicabimus, & in hoc ea, quæ pertinent ad circunstantiam finis, quæ quidem magna ex parte explicata sunt ex his, quæ diximus supra lib. 1. prope finem de fine matrimonij.

2 Primò ergo accedere ad vxorem alicuius finis gratia, qui pertineat ad tria bona matrimonij, licitum est, & actus virtutis: vt si quis accedat seruandæ fidei communicationis indissolubilis, vel liberorum gratia. Certa est Doctorum sententia. Hinc Augustinus in libro de bono coniugali, & refertur à Magistro in 4. dist. 31. *concubitus coniugalis generandæ prolis gratia non habet culpam.* Quia cum isti sint fines, ad quos matrimonium ordinatur natura sua, si isti mali essent, vitiosus esset contractus matrimonij. Quomodo autem quis in eo actu coniugali debeat sibi eum finem proponere, vt actum bonum exercere dicatur, petendum est ex generalibus principijs, quæ tradi solent 1.2. de bonitate, & malitia humanorum actuũ. Vt enim sit aliquis actus virtutis requiritur, vt sit propter ipsum, id est, propter ipsam honestatem virtutis iuxta doctrinam Aristot. 2. Ethic. cap. 4. Quam recte explicat Gabriel Vazquez 1. tom. in 1.2. disput. 51. capit. 10. Debet ergo effectus expressè ferri in honestum finem, vt actus ille dicatur esse virtutis, siue ex generali intentione erga honesta tem, vel speciali: aliàs tantum erit actus ille virtutis materialiter, non formaliter. An autem sufficiat habitualis intentio, qua matrimonium vel eius actus antea relatus sit ad finem bonũ nulla retractatione secuta, vel necessaria sit actualis, & quæ dicatur esse habitualis voluntas, ex ibi traditis facile explicari possunt. Sed addit Thomas Sanchez lib. 9. disput. 8. num. 3. si actus coniugalis referatur ad bonum prolis, necessarium esse ad eius tandam venialem culpam, vt non sistatur in susceptione prolis, sed vlterius ea proles referatur in Deum, & eius obsequium. Hoc tamen non placet, si intelligatur de actuali relatione per actum voluntatis, sed satis est ea virtualis relatio, qua bonum peculiare refertur ex se ad bonum suum, & primum finem, vt explicant Theologi 1.2. quæst. 1. & Gabriel Vazquez ibi disput. 6. Quare satis est, quod finis ex se bonus sit, neque est necessaria vlla vlterior relatio, sed tantum quod non excludatur expressè; iam enim ea expressa intentione tolleretur finis bonus peculiaris virtutis.

3 Sed rursus inquirit idem Thomas Sanchez ibidem num. 20. Quale peccatum sit excludere in ipso actu coniugali finem prolis. Respondet non esse mortale, sed tantum veniale peccatum, si aliâs ipso actu, & eius modo non apponant impedimentum. At ego existimo id magis declarandum esse. Si coniuges opere ipso actus coniugalis, aut alijs medijs non adhibent impedimentum generationi, voluntas illa, qua excluderent prolem, non potest esse efficax, sed inefficax, & velleitas quædam, qua nollent esse prolem. Huiusmodi autem actus inefficaces voluntatis sumunt speciem ab obiecto, non prout â parte rei est, sed vt in mente expresse proponitur iuxta principia in 1. 2. de quo etiã dicam infra non nihil, cum de morosis delectationibus sermo fuerit. Quare inspiciendum est, ex quo fine expressõ sit istud desiderium. Si enim est ratione paupertatis, nõ est

malum

malum neque venialiter, sicut neque desiderare mortem alicuius ob bonum licitum, quod ex eius morte sequi potest, vt docet optimè Gabriel Vazquez primo tomo in 1. 2. disputatione 3. capite 111. At si finis, ex quo expressè nascitur ea velleitas, sit malus, erit desiderium malum, & peccatum veniale, aut mortale iuxta finem sibi expressè propositum ex quo mouetur ad illud desiderium, vel velleitatem.

4 Sed rursus quærit idem Auctor ibidē numero 13. & 14. an si quis vellet expressè cōsummare ad significandum vnionem Verbi cum humanitate, esset in eo actu peccatum aliquod? Respondet num. 14. esse peccatum veniale, quia peruertit ordinem in fine; rectus enim ordo postulat, vt actus sit propter finē intrinsecum primo, & deinde propter extrinsecum. At mihi videtur in eo nullam esse culpam. Quia operari propter bonum sacramenti, est operari propter ipsam perpetuam vnionem, in quo non video quid peccati sit. Deinde quia qui ex pluribus finibus licitis, & honestis, quos potest actui præfigere, constituit sibi aliquem, non ideo excludit alium finem intrinsecum, nisi expressè reijciat, & ita constitutione alterius boni finis licet extrinseci non est actus vitiosus. Nec video fundamentum, quo probet Thomas Sanchez semper esse constituendum finem intrinsecum, prius quam extrinsecum, dummodo intrinsecum non excludatur, neque tacite, neque expressè. At in isto casu nō excluditur expressè, vt suppono, neque tacitè, quia finis expressus non opponitur intrinseco fini. Ergo non est vnde dicatur in hoc fine præstituendo vllum esse peccatum, vt docent non nulli, quos refert supplem, Gabrielis in 4. dist. 31. quæst. vnica art. 2. propositi. 3.

5 Dico secundo. Actus coniugalis ad vitandam fornicationem expressè siue in alio coniuge, siue in se, est licitus, & honestus. Quod sit licitus ad vitandam fornicationem in alio docet communis Doctorum sententia. Quia est actus charitatis ex fine salutis proximi, & etiam iustitiæ reddere indigenti quod suum est. Quod autem etiam sit actus licitus, si fiat causa vitandæ fornicationis in se, constat ex his quæ dixi supra lib. 1. capitulo vltimo. Vbi ostendi hunc esse honestum finem contrahendi matrimonij. Si enim lex charitatis suadet, vt vitem fornicationem in altero coniuge, cum charitas bene ordinata incipiat à se ipsa, & præceptum de salute propria sit primariæ obligationis, & de salute proximi sit secundariæ obligationis, vitare in se ipso peccatum non potest esse malus finis, nec venialiter. Quod enim non sit præcipuus finis matrimonij, parum refert, dummodo præcipui fines non excludātur tacitè neque expressè, vt dicebam modo. Quod autem possit alijs medijs perfectioribus, & spiritualibus mederi concupiscentiæ, parum etiam refert. Quia ego non teneor vlla lege ad vitandum peccatum per medium perfectius: sed per medium ex se licitum, & honestum, neque vlla obligatio ostendi potest exequendi semper quod perfectius est; aliàs opera perfectiora non essent in consilio, sed in præcepto. Cum ergo hoc medium sit licitum, & honestum, licet minus bonum; & aliàs vitatio fornicationis sit bonus finis, non est vnde vitietur ille actus, cum habeat bonitatem ex medio, & ex fine, aut saltem ex medio non vitietur. Sic docent multi, Ricardus in quarto distinctione 31. articulo tertio quæstione secunda Durandus ibidem quæstione quarta numero septimo. Maior quæstione vnica conclusione quarta. Nauarrus in summa capite 16. numero 32. Hugolinus de matrimonio capite 10. Sa verbo *debitum coniugale*, numero quinto, Azor tomo tertio libro tertio capite 31. quæstione secunda difficultate prima, Toletus libro septimo capite 22. in principio Ægidius de sacram. disput. 34. dub. 1. concluſ. 1. num. 6.

6 Quare audiendi non sunt ex antiquis innumeri, qui dicunt esse culpam venialem Pelbartus in Rosario aureo v. *Matrimonium* 3. §. 22. Raynerius de Pisis in summa Theologiæ v. *Matrimonium* cap. 13. in principio. Quam dicit esse doctrinam D. Thomæ in 4. distinctione 31. part. 2. artic. 2. concluſ. 5. & alij multi, quos refert Thomas Sanchez libro nono disputatione nona num. 2. Adducunt nonnulla ex Patribus, quæ quomodo intelligenda sint, dixi lib. 1. cap. vltimo. Deinde probat Pelbartus, quia aut ille impellitur à concupiscentia, & tunc impulsus ille culpa venialis est: vel non impellitur, & tunc vtitur superfluo medio. Sed respondetur concupiscentiam non esse actum, à quo eligitur vel imperatur actus matrimonij, sed concupiscentiam insurgentem præbere causam, propter quam voluntas vult ad sedandam illam eligere actum coniugij. In quo distinguendi sunt iuxta principia Theologiæ duo actus. Vnus in parte sensitiua motus concupiscentiæ, qui si probetur à voluntate fine plena deliberatione, poterit in eo esse culpa venialis. At nos

non loquimur de eo actu, qui inuoluntarie consurgit ex appetitu, aut motu concupiscentiæ, sed de alio actu, quo ex plena deliberatione ad sedandum eum motum eligitur actus coniugalis. In hoc dicimus ex genere suo nullum esse peccatum: neque veniale, cum neque deriuetur ex fine, qui est vitatio peccati concupiscentiæ, neque deriuetur ex medio, quod licitum est, scilicet, vti coniuge. Tertio probat Raynerius. Quia quando finis actus coniugij non est aliquod ex bonis matrimonij, peccatum est. At assumit probandum. Solum est necessarium illa bona non excludere, neque tacitè neque expressè; apponere autem alium finem bonum expressè nullum peccatum est, neque id probare possunt Doctores oppositæ sententiæ.

7 Deinde neque audiendi sunt alij, quos refert, & sequitur Thomas Sanchez libro nono disputatione nona numero quarto qui sub alia distinctione respondent, scilicet, tunc culpa vacare accedere ad coniugem vitandæ fornicationis causa, quando nequit alijs modis stimulos carnis sedare: secus quando potest alio medio ab incontinentia abstinere, tunc enim erit peccatum veniale. Sed hæc distinctio scrupulis plena est. Quis enim poterit affirmare se alijs medijs non posse stimulos carnis sedare? Ad quam multa experimento comprobanda adstringerentur coniuges ad seruandam continentiam? Quare etiam si facili medio possit sedare concupiscentiam, si tamen nolit, nullum peccatum est. Quia non tenetur medio perfectiori, & magis bono concupiscentiam sedare, sed tantum medio ex se licito, & honesto. Sed probat Sanctius suam sententiam. Primo. Quia vbi alia media conuenientia ad finem assequendum occurrunt, venialis peruersio est debiti ordinis medium de se ordinatum ad prolis generationem, & fidem seruandam ad alium finem referre. Sed non percipio huius rationis vim. Si remedium concupiscentiæ, ad quod etiam ordinatur matrimonium vt ad finem, opponeretur fini intrinseco matrimonij in toto aut parte, forsitan argumentum esset non omnino malum. At cum non opponatur, neque excludantur alij fines, neque tacite, neque expresse, nulla in hoc ordinis peruersio est, vt iam diximus. Secundo probat, quia cum copula rationem absorbeat, priuetque tanto bono, imprudenter eligitur, vbi medium facilius adest. Sicut imprudens est sumens potionem amaram, aut venas scindi permittens, quo salutem adipiscatur, potens faciliori medio ad eam restitui. Sed neque hoc argumentum est alicuius momenti, certum enim est eam priuationem vsus rationis, quæ contingit in actu venereo, & coniugali ex ea parte præcise nullum esse peccatum, neque veniale ex genere suo, quod ex doctrina Diui Thomæ docuit Raynerius v. *matrimonium* capite 12. actus enim coniugalis non priuat ratione secundum habitum, sed secundum actum. Non est autem peccatum, quod aliquis actus melior secundum genus suum, quandoque interrumpatur pro aliquo minus bono actu, magis tamen necessario, sicut, & vita contemplatiua interrumpitur actibus actiuæ minus bonis. Exemplum autem nullius momenti est. Quia scissio venæ, & potio amara non habent alium finem, quam restitutionem sanitatis, quæ cum restitui possit facili medio, prodigalitas quædam esset sanguinis, & laboris corporalis pro salute. At matrimonij actus habet etiam alios fines bonos præter remedium concupiscentiæ, quos non excludit tacitè neque expressè, qui in remedium concupiscentiæ vtitur coniugio, cum eodem tempore possit etiam expresse vti ex alijs finibus intrinsecis. Illud tamen vt certum admittunt DD. omnes, si quis vnà cum alijs finibus expressis appetat remedium cõ cupiscentiæ, nullum fore peccatum, quia iam non est ea causa motiua, sed impulsiua; & nulla peruersio est cum fine principali intendere etiam alium minus præcipuum.

8 Dico tertio. Actus coniugalis solius delectationis gratia ex genere suo non est peccatum al quod. Constat hæc pars ex dictis supra lib. 1. ca. vltimo, vbi ostendi hunc finem ex se non esse malum, & huius conclusionis fundamenta explicui, & satisfeci his, quæ contra obijci poterant ex Sacra Scriptura, & Patribus, & ratione, & quæ adducit Thomas Sanchez lib. 9. disput. 11. num. 1. & 4. qui oppositam sententiam secutus est cũ Ioanne Azor capite citato difficult. 3. qui dicit esse veniale peccatum. At non ideo admittendi debet peccato carere coniugatos, quãdo cibis calidis, aut vnguentis, oleis, musco, & alijs mendicamentis vtuntur ad excitandam, & accendendam magis voluptatem. Hæc enim intemperantia voluptatis est, & veniale peccatum. Loquuti autem sumus de ea voluptate, quã ex genere suo affert actus coniugalis.

9 Dico quarto. Actus coniugalis tuen-

dæ,

dæ, aut restaurandæ salutis causa non est peccatum, neque veniale. Docet Almainus in quarto distinctione 31. quæstion vnica. Maior quæstion vnica conclusione tertia Saverbo *debitum coniugale*. Henriquez libro 11. de matrimonio capite 15. numero quinto Ægidius disputatione 34. dubio primo conclusione secunda, numero decimo, & alij Ratio est eadem. Quia finis non est malus, sed licitus, scilicet restitutio, aut conseruatio sanitatis: medium etiam est licitum, scilicet actus coniugalis, & etiam conueniens ad eum effectum, vt & Medici docent. Ergo non est vnde deriuetur malitia. Quod autem alio etiam modo possit vti ad conseruandam sanitatem, illamque tuendam, vel restaurandam, parum refert, neque conuincit culpam venialem. Quia satis est vti medio ex se licito, & aliàs conuenienti. Neque etiã est inordinatio aliqua, quod referatur actus coniugij ad alium finem præter intrinsecos. Esset quidem inordinatio, si excluderet tacitè vel expressè; at non excludit vt constat. Ex quibus soluta manent ea, quibus inductus Thomas Sanchez sibi oppositum persuasit cum alijs lib. 9. disput. 10. num. 3. & Azor cap. cit. difficult. 2.

10 Denique dico. Si actui matrimonij addatur finis aliquis mortaliter, aut veniali ter malus, erit peccatum mortale, aut veniale. Idem est, si quamuis rectè inceptus actus sit postea mutetur affectus voluntatis. At coniugi reddenti debitum malus alterius finis nihil obest, quominus reddere possit, & teneatur. Neque enim eo inficitur redditio, aut petitio alterius, cum exerceat, vel cooperetur ad actum, quem alter sua culpa facit malè, vt explicui ex certissimis meo iudicio principijs, quæ tradidi supra capite tertio.

Quando sit illicitus actus coniugalis ratione temporis.

CAPVT IX.

SVMMARIVM.

Distinguuntur tempora tria, de quibus est quæstio, num. 1.

Prohibetur accessus, cum sumenda est Eucharistia: at si accesserint, communicare possunt, num. 2.

Etiam tempore ieiuniorum, num. 3.

Etiam die Dominico, num. 4.

Hæc præcepta iam cessasse, num. 5.

Quid tempore excommunicationis, num. 6.

1 POTEST etiam ratione temporis reddi illicitus concubitus. Tempora autem distingui possunt, aut cu sumenda Eucharistia est, aut cum ieiunandum est, aut dies Dominici, & festiui, de quibus suo ordine referam antiquas Patrum constitutiones.

2 Igitur in primis si coniux ad sacramentum velit accedere sequeti die, suæque obligationi satisfacere, illicitus erit concubitus. Gratianus enim tempore communionis coniuges abstinere debere probatum reliquit Hieronymi, Ambrosij, Augustini, Chrysostomi, & Gregorij testimonijs, & in *capite omnis homo de consecratione distinctio. 4. omnis homo ante sacram communionem à propria vxore abstinere debet tribus aut quatuor aut octo diebus.* Quem canonem ex Concilio Illiberritano citat, cum tamen non extet, vnde autem desumptus sit affirmare non audeo. Scio tamen Diuum Augustinum non semel docuisse, vt abstinerent à coniugibus in solemnitatibus Ecclesiæ, & quoties communicandum esset. In sermone 226. de tempore Dominica 10. post Pentecosten sermone secundo hæc habet. *Ille bonus Christianus est, qui quoties solemnitates veniunt, vt securius communicet ante plures dies castitatem cum propria vxore custodit, vt secura, & sincera conscientia ad altare Domini casto corpore, & mundo corde præsumat accedere.* Quod si panes Propositionis, inquit Hieronymus, non poterant ab his, qui vxores tetigerant, comedi, quanto magis penis ille, qui de Cœlo descendit, non poterit ab his, qui coniugalibus paulo antea adhæserint amplexibus, violari atque contingi, non quò nuptias condemnemus, hoc enim non dicimus, sed quando eo tempore, quo carnes Agni manducaturi sumus, vacare operibus carnis non debeamus. At si copulati fuerint non impediuntur communicare die sequenti. Quia, vt docet Diuus Thomas 3. p. quæstion 81. art. 7. non ex quadam necessitate præceptum est, sed consilium ex decentia, & congruentia propter immunditiã corporalem, & mentis distractionẽ, quæ ex huiusmodi actibus excitari plerumque solet, vt dicit etiam Gregorius in *capite vir cum propria 33. quæst. 2.* Qua etiam ratione ab ingressu remouetur Ecclesiæ eodem capite, vt dixi supra capite 1. Idem dic de debito soluendo post communionem. Quantum autem temporis elabi debeat à debiti solutione vs-

que ad communionem, non potest certo definiri, sed id iuxta euagationem mentis, quã patitur in actu, definiendum est. De quo bene Thomas Sanchez lib. 9. disput. 13. & nos in tractatu de Eucharistia.

3 Deinde, si ieiunijs vacandum est. Iniunctum enim est coniugatis, vt quo pœnitentiam agere etiam viderentur, ne coniungerentur temporibus ieiuniorum. Extat de hoc antiquum Liberij Papæ decretum. *Abstinendum in his sacratissimis quadraginta diebus à coniugibus, & pie viuendum, vt sanctificato corde, & corpore isti dies transigantur, donec perueniatur ad diem sanctum Paschæ, &c.* Idem postea respondit Nicolaus Primus ad cõsulta Bulgar. capit. 50. *Quid de eo qui quadragesimali tempore cum vxore sua coierit, sit indicandum: Episcopi vestri, & sacerdotis, qui ab eo constituetur, arbitrio considerandum, ac definiendum committimus, qui singulorum mores agnoscere poterunt: & vnius cuiusque vestrum causas libratis personis ac temporibus discernere, seu moderari debebunt. Porro cum ea eodem tempore sine aliqua contaminatione dormire omnino liceret, si ignis, & palea sine læsione communionem aliquam habuissent, vel si diabolicæ fraudis astutiæ nescirentur. Nam vbi masculus cum fœmina pariter conuersantur, difficile est insidias hostis antiqui deesse, quæ nimirum non defuere vbi solitaria fratris & sororis Ammonis, scilicet, & Thamar extitit paruissimo spatio commoratio.* Hæc Nicolaus non minus verè, quam sanctè.

4 Die item Dominico abstinendum ab vxoribus Patres admonuerunt. Pœnitentia enim decem dierum statuitur in illum, qui die Dominico cum vxore concumberet in pœnitentiali Romano antiquo, quod retulit Antonius Augustinus titulo tertio capite 20. eorum quæ ille compilauit. Quod idem ad cõsulta Bulgarorum capite 63. respondet Nicolaus Primus hisce verbis. *Consulitis præterea si liceat die Dominico nocturno, vel diurno tempore cum vxore sua coniungi aut dormire? Quibus respondemus quoniam si Domini to die ab opere mundano cessandum est, sicut supra docuimus, quanto potius à voluptate carnali, & omnimoda corporis pollutione cauendum? Præsertim cum Dominici diei nomen, quod nihil eodem die præter quæ Domini sunt Christianus agere debeat, liquidò manifestet.* Et in fine. *Porrò vt verbis vtar Apostoli hoc ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.* Erga quem diem tanta fuit antiquorum reuerentia, vt in illo matrimonium contrahere sine pœnitentia non liceret, vt ex Triburiensi Concilio refert Burchardus libro 19. decretorum capite 157. Multo tamen mirabilius, quod memoriæ tradidit Sanctus Augustinus sermone 244. de tempore. *Qui vxorem suam in profluuijs positam agnouerit, aut in die Dominico, aut in qualibet alia solemnitate se continere noluerit, qui in eo concepti fuerint, aut leprosi, aut Epileptici, aut etiam forte Dæmoniaci nascuntur.*

5 Hæc tamen præcepta iam mihi videntur euanuisse, vt docet etiam Ioannes Azor tomo tertio, libro tertio, capite 31. quæstion septima. Quare, cum solum actus coniugalis illis diebus esset illicitus ex prohibitione Ecclesiastica, existimo cessante ea prohibitione iam etiam cessasse eam obligationem. Quare tunc solum vsus coniugij ante sumptionem Eucharistiæ erit peccatum veniale, quando ob euagationem mentis minus aptum reddat coniugem ad sumptionem illius. Quod quidem non prouenit ex præcepto Ecclesiastico, sed ex diuino dispositionem, & attentionem requirente. Adde etiam, quando ea præcepta vigebant, non habuisse locum, quoties erat incontinentiæ periculum, vt indicauit Nicolaus Primus cap. 63. citato.

6 Solet etiam ad hanc temporis circunstantiam reduci, quando alter ex coniugibus excommunicatus est, aut vterque: de quo late Thomas Sanchez libro nono disputatione decima quarta. Res hæc in materia de excommunicatione examinata iam est, ideo nunc breuiter perstringam. Dico itaque licitum esse vxori cum excommunicato viro cohabitare, & ab eo petere debitum, & reddere *capite quoniam multos 11. quæstione tertia*, & est communis Doctorũ sententia. Quam etiam docet Comitolus libro sexto responsorum moralium quæstion 34. numero secundo quamuis nonnulli dissentiant. Et idem dicendum est, quando sola vxor est excommunicata, vt multis citatis docuit Gabriel Vazquez tomo quarto in tertiam partem de excommunicatione dubio nono, Aurla de censuris parte secunda, capitulo sexto disputatione 11. dubio quinto. Noluit enim ius priuare coniugem neque alium eo iure, quod habet supra excommunicatum. Atque idem dico, siue vxor habita sit postquam incidit in excommunicationem, siue antea. Vnde neque peccat petendo ab excommunicato, neque reddendo. Et idem est, si vter-

que

que sit excommunicatus, non enim peccant inuicem petendo atque reddendo, quæ omnia eo loco latè â nobis disputata sunt.

Quomodo sit illicitus actus coniugalis ratione loci?

CAPVT X.

SVMMARIVM.

Quale peccatum sit actus coniugalis in loco publico, num. 1.
Proponitur quæstio de loco sacro, num. 2.
Quid intelligatur nomine loci sacri in hac parte, num. 3. 4. 5. 6.
Actus qui ex se peccata sunt, habere malitiam sacrilegij, & eorum fundamenta, num. 7.
Maior explicatio prædictæ sententiæ, num. 8.
Opposita sententia præfertur, & eius ratio à posteriori, num. 9.
Eius ratio à priori, num. 10.
Soluuntur fundamenta primæ, num. 11.
De actu coniugali in loco sacro variæ sententiæ, num. 12.
Neque esse illicitum actum coniugalem in loco sacro, neque eo violari Ecclesiam, num. 13.
Quid de actu coniugali, quando est alias illicitus, num. 14.
An omnis effusio seminis etiam occulta violet Ecclesiam variæ sententiæ, ibidem.
Requiri publicam verius est, num. 15.
Quæ dicatur publica, ibidem.

1 SI actus coniugalis fiat in loco publico, certum est esse peccatum ratione scandali; est enim ex se occasio ruinæ adspicientibus. Neque mirum est, si homines hominum oculos in actu coniugali euitent, siquidem, & non nulla animalia ratione carentia euitare dicuntur, vt de Elephantis, & alijs tradunt Historici.

2 Quod vero attinet ad locum sacrum, an reddat actum coniugalem illicitum, difficilius explicatu est. Eius tamen intelligendi gratia dicemus primo, quid censeatur nomine loci sacri, quod ad hoc institutum attinet. Deinde, an secluſa iuris prohibitione sit peccatum sacrilegij delictum commissum in loco sacro. Tertio an ea iuris prohibitione comprehendatur copula ex se licita, qualis est actus matrimonialis. Denique an comprehendatur omnis illicita, an tantum notoria, & publica.

3 Igitur quod ad primum attinet, sufficienter explicat Thomas Sanchez libro nono disputatione 15. quæstion tertia per totam. Suarez tertio tomo disputatione 81. sectione 4. Quare breuiter ea in compendium redigemus, quia, & difficultate carent, & ferè communi Doctorum sensu recepta sunt. Nomine loci sacri quoad hunc effectum intelligitur in primis Ecclesia benedicta, aut consecrata, ante quam consecrationem non erat locus sacer. Quo nomine intellige etiam Ecclesiæ corpus, quod ad ipsum spatium Ecclesiæ spectat, quod diuinis officijs peragendis dicatum, aut benedictum est. Vnde si supra tectum Ecclesiæ peccatum committatur, non dicitur fieri in loco sacro; neque si subtus pauimentum Ecclesiæ in spelunca vel cauerna aliqua, dummodo hæc loca non sint deputata aut diuinis officijs, aut sepelienáis corporibus, ad quæ pateat aditus per Ecclesiam, dicuntur enim spectare ad Ecclesiæ corpus; vt si sit capella aliqua in altiori loco edita, & constituta, in qua fiat sacrum, & ab existentibus in Ecclesia audiatur, & videatur, vt rectè docet Sanchez disputacione citata numero 26. & 27. Similiter si extra limen Ecclesiæ committatur crimen, non censetur fieri in loco sacro, limen enim diuidit sacrum à profano. Item neque si in cameris Ecclesiæ adhærentibus, quæ non cõstituunt vnum corpus cum Ecclesia, neque in turri adhærenti, in qua cymbala constituta sunt; neque in eo loco, quem sacristiam vocant: nec enim efficit vnum corpus cum Ecclesia, sicut capellæ conficiunt. Idem dicendum de choro, quando separatur ab Ecclesiæ corpore, vt contingit in Ecclesijs monialium: non verò quando non separatur, siue sit in loco infimo: siue in editiori, vt solet esse in monasteriorum Ecclesijs, tũc enim censetur locus sacer, quia pertinet ad corpus Ecclesiæ. Idem etiam dicendum de cellulis, in quibus mulierum confessiones audiuntur. Et quidem de ea parte, qua confessarius adstat, certum fere videtur, cum separetur pariete â corpore Ecclesiæ. Et idem dixerim etiam si separetur tantum velo ab eo loco, in quo fœminæ sunt. Nam existimo etiam eum locum, in quem mulieres ingrediuntur, vt peccata confiteantur,

non esse locum sacrum: nec enim pertinet ad Ecclesiæ corpus, quod diuinis officijs deputatum est: quamuis per portam, quæ respicit corpus Ecclesiæ, sit aditus ad eas cellulas. Ad quod expendo vltima verba in *capite vnico de consecratione Ecclesiæ in sexto* ibi, *licet de vno ad aliud per portam intermediam habeatur accessus*. Aliter sentit Thomas Sanchez ibidem numero 32. & communis, sed quod dixi mihi videtur probabilius. Idem dixerim de his cellulis, quas *tribunas* vocant, ex quibus Principes, qui domos Ecclesijs coniunctas habent, solent audire sacrum: de his enim idem iudicium ferendum est, atque de cameris Ecclesiæ adhærentibus.

4 Nomine etiam Ecclesiæ intellige illam, etiam si non sit omnino ædificata, sed incepta, præmissa tamen benedictione Episcopi, quia iam in eo loco, & sacra peragi, & mortui sepeliri possunt. Adde etiam, & gaudere priuilegio immunitatis Ecclesiasticæ, vt docet Suarez tomo primo de religione libro tertio de reuerentia debita locis sacris capit. 9. numero 2. Quamuis inefficax inde sumatur argumentum, cum multa loca gaudeant immunitate Ecclesiastica, vt sunt monasteria, quæ non censentur loca sacra quoad hunc effectum, de quo modo loquimur. Similiter si Ecclesia extendatur, vel addatur capella, censetur locus sacer propter eandem rationem; at si Ecclesia iam sit destructa non censetur eo nomine, vt recte aduertit Thomas Sanchez num. 39.

5 Nomine etiam Ecclesiæ intellige Ecclesias etiam monasteriorū, & hospitalium, dicuntur enim loca religiosa neque ad vsus profanos redire possunt *capite ad hæc de religiosis domibus*. Item ad diuina officia, & Dei cultum deputata perpetuo sunt, eaque deputatio ab Episcopo facta in hospitalibus locum benedictionis supplet; quod etiam docet Ioannes Azor tomo tertio, libro tertio, capite 31. quæstione quarta. Indubio autem præsumitur id esse factum de licentia Episcopi, si publicè ibi sacra fiant, adsint cymbala, vel cymbalum in publico loco constitutum, & cum celebrantur diuina, omnes sine discrimine admittantur. Idem dixerim de eremitorijs, quæ in oppidorum suburbijs, aut prope vrbes ædificari solent in honorem alicuius sancti, in quibus sacra fieri solent aliquibus anni diebus; si tamen benedicta sint, aliàs eadem ratio est de illis, & de priuatis oratorijs.

6 Censetur etiam locus sacer cemeterium Ecclesiæ benedictum, cum eodem modo, atque Ecclesia polluatur, *capite vnico de consecrat, Eccles. in 6.* licet nonnulli sine fundamento repugnauerint. Similiter loca sacra censentur religiosorum claustra, si benedicta sint, quæ diuinis officijs deputata sunt, & sepeliendis mortuis, Corduba in summa quæstione 12. Claustri nomine intelligo non atrium exterius cœlo apertum, sed spatium, quod est inter parietes, & columnas, nisi forte illud spatium apertum habeat rationem cemeterij, vt apud Carthusianos contingit. Alia vero religiosorum habitacula, & etiam oratoria priuata, etiam si ibi sacra fiant, non censentur loca sacra quoad hunc effectum ex communi sententia, quam sequitur Thomas Sanchez ibidem num. 39. & 42.

7 Secundum iam examinandum est, quod etiam difficilius est, an secluſa iuris prohibitione peccatum commissum in loco sacro habeat specialem rationem sacrilegij. Nonnulli existimant actus, qui ex se peccata sunt, si in Ecclesia fiant, habere malitiam sacrilegij, secluſa Ecclesiæ prohibitione, & spectato solum iure naturali, & hæc esse prohibita, vt sacrilegium, quia mala, & sacrilegia. Quam sententiam præ cæteris expressit Suarez tertio tomo in tertiā partē disputatione 83. sectione tertia sed latius tomo primo de religione libro tertio citato capite septimo. Pro qua citauerat Doctores capite tertio numero sexto. Cuius fundamenta hæc sunt. Primo. Quia nulla videtur esse ratio, quare sicut datur in hac materia sacrilegium, quia prohibitum, non detur sacrilegium prohibitum, quia de se, & secundum suam naturam tale est. Secundo probat inductione. Quia actus coniugalis, etsi licitus, si fiat in loco sacro, ex ipsa rei natura indecentissimè fit. Vnde, & multi dicunt etiam ob periculum incontinentiæ vitandum, non posse ibi haberi, non quidem alia ratione, nisi quia ex se habet inordinationem quandam intrinsecam, si in loco sacro fiat ob suam turpitudinem. Sicut etiam exonerare ventrem in loco sacro sine necessitate cogente statim rationi apparet esse indecentissimū, & turpissimū. Tertio probat ex eo, quod Paulus 1. Corinth. 11. significat esse irreuerentiā Ecclesiæ in illa manducare, & bibere cōmuni, & ordinario modo, nihil discernēdo inter illam, & profanū locū. Ergo est irreligiosum ex natura rei sine prohibitione Ecclesiæ. Cui videtur fauere Basilius in regul. breu. reg. 310.

qui

qui ex verbis Pauli colligit non esse communibus epulis locum in Ecclesia. Fauet Hieronymus in eundem locum Pauli, Ambrosius ibidem, Chrysost. ibidem Homil. 27. ibi: *Sed etiam Ecclesia afficitur contumelia: Sicut enim Dominicam Cœnam facit priuatam, etiam rursus locum vtens Ecclesia tanquam domo.* Anselmus ibidem contemni dicit, dum in Ecclesia carnales cibi sumuntur. Diuus Thomas ibidem lect. 4. dicit non esse licitum Ecclesiam his cõmunibus vsibus applicare. Quartò probat, quia vsus calicis sacri in mensa vulgari ex natura rei est sacrilegus, & contra reuerentiam debitam rei sacræ, vt colligitur Danielis 5. ex punitione Balthasaris, quod profanauit vasa Domini diuinis vsibus applicata. Vnde Hieronymus ibidem: *Quandiu vasa fuerunt in Idolio Babylonis, non est iratus Dominus. Videbantur enim rem Dei secundum prauam quidem opinionem tamen diuino cultui consecrasse. Post quam autem humanis vsibus diuina contaminant, statum pœna sequitur post sacrilegium.* Ergo potest etiam in communi vsu loci sacri dari sacrilegium ex natura rei. Quinto probat ex facto Christi eijcientis ementes, & vendentes de templo. Ergo factum illud reputauit sacrilegium eo modo, quo tunc fiebat, & videntur communiter docere Patres. Sed ea malitia non erat ratione alicuius prohibitionis positiuæ. Ergo ex natura rei, atque ideo de nostris Ecclesijs idem dicendum est. Vltimo probat. Quia canere in Ecclesia lasciua aut vana, vel pulsare in cithara, aut organo sonos profanos sacrilegium est, quia loco sacro iniuria fit, dũ in loco dicato ad Dei laudem profana hæc fiunt. Vnde ad eam speciẽ sacrilegij spectare, qua sacro loco fit iniuria, docuit Caietanus 2.2. quæstione 91. articulo primo §. *inter hæc*, circa finem. Ergo eadem ratione quæcumque actiones vel diuina impediunt, vel habent indecentiam in loco sacro, habent etiam malitiam sacrilegij ex natura rei.

8 Deinde, quo magis eam sententiam explicet, addit Suarez dicto capite septimo numero sexto, & sequent. Hanc malitiam sacrilegij non conuenire quibusque actibus malis, etiam si in loco sacro fiant, sed tantum peccatis externis, siue quæ exterius consummantur. Vnde in cogitationibus turpibus, aut blasphemijs habitis in loco sacro, vel alijs quantumuis grauibus nullam agnoscit speciem sacrilegij. Quia tunc locus sacer non est circunstantia obiecti, sed tantum personæ peccantis in loco sacro, eo quod actus iste interior non infert specialem iniuriam loco sacro, cum non sit sensibilis. Sentit tamen cum Syluestro in Rosa aurea casu 63. esse graviora peccata, sed non in noua specie malitiæ. At externa peccata, quæcumque illa sint, dicunt ex se ordinem ad sensibilem locum, & ideo aliquam irreuerentiam continent. Dicit denique dicto capite septimo numero nono hæc externa peccata in loco sacro regulariter non habere malitiam mortalem sacrilegij; sed tantum venialem, quod docet cum Lessio libro secundo de virtutibus capite 45. dubio tertio. Quamuis Corduba quæstione 190. dicat quælibet mortalia peccata facta in Ecclesia esse mortalia. Quæ autem iudicanda sint mortalia, quæ venialia, attendendum dicit ex maiori vel minori deformitate, quæ est in peccato, secundum quam magis, vel minus opponitur puritati, & sanctitati templi. Vnde potest contingere, vt aliqua peccata, licet ex suo genere minus grauia, opponantur magis templi sanctitati, & maiorem inferant irreuerentiam, qualia sunt fornicatio, & pollutio. Et addit etiam numero vndecimo tactus impudicos in partibus inhonestis, pro quo refert Syluestrum, Cordubam, Ludouicum Lopez, Emanuel Rodriguez, Petrum Ledesmam, & docet Salas cum Lucio secundo tomo 1. 2. tractatu 13. disputatione 6. sectione 22. in fine. Et quamuis non possint certa regula definiri, quod attinet ad nutus, iocos, verba, sed prudentis arbitrio relinquendum sit: erit tamen optimum signum ad iudicandum de graui irreuerentia, quando graue scandalum generatur; apprehenduntur enim illi sic operantes, non solum vt luxurioſi, sed etiam vt irreligioſi.

9 Cæterum mihi semper probabilior visa est sententia, quæ docet seclusio iure positiuo, & Ecclesiastico nullum peccatum in Ecclesia commissum habere specialem malitiam sacrilegij in confessione explicandam. Quam sententiam docuit Caietanus secunda secundæ, quæstio. 99. ad 5. dub. & tomo primo, opusculorum tractatu 31. qui est 17. responsionum, in 1.2. dubiũ secundo, & licet non ita aperte idem etiam docuerat prima secundæ, quæstione septima aperte etiam docet Soto libro secundo de iustitia quæstione 4. articulo quarto. Victoria in summa quæstione 196. Angles in floribus quæstione nona in difficultate. *An locus sacer inquolibet peccato specie mutet.* Nauarrus in manuali c. 6. n. 11.

& in c. *confideret de pœnit. dist.* 5. in principio n. 19. & sequentibus, Ioannes Gutierrez lib. 1. canonic. q. ca. 31. n. 35. Sãchez lib. 9. disp. 15. n. 5. Valentia 2. 2. disput. 6. generali q. 15. puncto 1. §. *Præterea ad eãdem speciem.* Gabriel Vazq. tom. 1. in 1. 2. disp. 98. nu. 4. 5. 6. inclinat Ioannes Azor tom. 3. lib. 3. ca. 31. quæst. 3. Quæ sententia primò probatur à posteriori ea ratione, quam assignat etiam Thomas Sanchez, quia non omnia peccata commissa in loco sacro sunt sacrilegia. Ergo quod aliqua sint, alia verò non sint, non potest prouenire, nisi ex lege Ecclesiastica. Antecedens constat. Quia furtum in Ecclesia commissum est sacrilegium, non tamen deceptio proximi per mendacium, vel falsum iuramentũ. Dare alapas alicui in Ecclesia, & calcibus, aut fuste impetere nõ est sacrilegium; vulnerare autem, ita vt effundatur sanguis, sacrilegium est. Item pollutio voluntaria in Ecclesia sacrilegium est: & tamen verba inhonesta, solicitatio fœminæ, oscula, tactus impudici, & cogitationes quãtumuis turpes, imo & cõtrectatio pudendi alicuius animalis, ex quo sequatur effusio seminis in Ecclesia, non est sacrilegium, vt docet maior: & melior DD. pars. Consequentia autem probatur. Quia si id proueniret ex natura rei, per hæc omnia inferretur iniuria loco sacro, & ita omnia ea essent sacrilegia: & pari etiãratione sacrilegia essent actus interni mali in Ecclesia. Quod enim sit locus sensibilis, parũ refert, quia consecratio spiritualis est, & illi consecrationi videtur inferri iniuria, dum is locus eligitur ad prauas cogitationes. Vnde Syluester *v. confessio.* 1. q. 10. sensit cogitationem turpem in Ecclesia esse mortale peccatum. Et sane nulla inter hæc assignari potest distinctionis ratio. Quod siquis concedat in omnibus his esse speciem sacrilegij, tenetur etiam concedere esse fere in omnibus mortale peccatum, nisi leuitate peccati cõmissi excusentur: at cum committitur peccatum quodcumque mortale, erit peccatum mortale sacrilegij. Quia graue est, quod in eo loco homines de peccatis agant, vbi conueniunt Deum timentes ad veniam de peccatis postulandam. Hoc autem nullus concedere ausus est, neque cõmunis hominum æstimatio, quæ in his rebus moralibus magni momenti est, vnquam existimauit committi peccatum sacrilegij. Quod si ex aliquibus praue factis in templo scandalum generetur, erit quidem peccatum scandali iuxta regulas, quæ de peccato scandali generalis, & specialis tradi solent, non verò speciale peccatum sacrilegij.

10 Atque ex his, quibus â posteriori probata est nostra sententia, colligitur etiam secunda ratio â priori. Quia non omnia, quæ in templo fiunt, habent specialem irreuerentiam cum loco sacro, vt sacer est, aut cum eius deputatione, & benedictione. Quare, vt optimè Caietanus 2. 2. loco citato inquit, directè agere contra sanctitatem loci, vt sit sacrilegium, in eo consistit, quod est incurrere voluntariè in illud, ad cuius contrarium inest sanctitas loco. Vt v. g. siquis extrahit aliquem violenter à loco sacro, facit contra id, ad quod inest sanctitas, scilicet, ne extrahatur aliquis per violentiam ab illo. Similiter, vt non impediantur sacra, ad quæ locus ille deputatus est, per ablationem consecrationis aut benedictionis. Quare is tantum dicetur sacrilegium in hac parte committere, qui factis suis consecrationem Ecclesiæ, & benedictionem aufert. Et explicatur magis, quia negari non potest Ecclesiam prohibitione sua, qua vetat aliquem actum fieri in Ecclesia, posse constituere illum in specie sacrilegij. Vnde cum prohibet iocos, confabulationes, placita, venditiones fieri in Ecclesia, sacrilegus erit, qui contra fecerit ex Ecclesiæ prohibitione, vt rectè docet etiã Suarez dicto libro tertio capite quarto in principio. At aliqua absolutè fieri prohibet, alia vero, non nisi in ordine ad violationem loci sacri. Vult enim si fiant Ecclesiam ita pollui, vt sacra fieri in ea non possint, nisi reconcilietur. Quare ea, quæ hoc modo prohibentur, non erunt peccata sacrilegij, nisi quatenus violant Ecclesiam, ita vt reconciliatione indigeat. Cum ergo sanctificari locum ad hunc vel illum effectum sit ex lege positiua, & ex illa dependeat, quod in hoc loco sacra fiant vel non, plane qui non agit contra eum effectum, ad quem sanctificatus est, non cõmittit sacrilegium contra Ecclesiæ benedictionem, & consecrationem. Quare licet peccata in loco sacro commissa maiorem grauitatem habeant: at vt inquit Caietanus 1. 2. quæstione 7. aggrauatur per accidens, id est, in sua malitia specifica, non tamen nouam speciem malitiæ contrahendo. Quia illis non aufertur benedictio, & consecratio, ita vt non liceat in eo sacra facere secluſa Ecclesiæ lege, & ita nec profanari dicetur. Solùm ergo in illis peccatis erit peccatum sacrilegij, in quibus Ecclesia voluerit deferri cultũ Deo per immunitatem Ecclesiæ ab illis; & ita ea agere in loco sacro erit illam immunitatem violare.

re. Quinque autem constituuntur eiusmodi peccata, inter quæ est effusio seminis, quæ autem comprehendatur hoc nomine explicabo infra isto capite. Verum hactenus locuti sumus de eo, qui peccatum cõmittit in Ecclesia, sine contemptu tamen formali. Nam si adsit contemptus, planum est esse sacrilegium. At peccatum contemptus est ex his, quæ in expresso affectu continuantur, sicut peccatum ingratitudinis, inobedientiæ, & scandali, quando specialia sunt.

11 Neque his obstant fundamenta, quibus nititur Suarez. Ad primum enim respondetur primò peccatum contemptus loci sacri esse prohibitum ex se ante omnem prohibitionem Ecclesiæ. Deinde dico frustra in omni peccatorum specie quæri aliqua prohibita, quia mala, & mala quia prohibita. Nam in abstinentia à carnibus nonnullis diebus, & in ieiunijs, & innumeris alijs, quæ ex mera humana constitutione pendent, non possunt assignari aliqua prohibita, quia mala, sed tantum mala quia prohibita. Ad secundum dico inductionem esse nullam, assumit enim probandum, scilicet actum coniugalem in Ecclesia esse illicitum ratione loci; id enim negamus cum veriori sententia, quam explicabo infra isto cap. Similiter dico exonerare ventrem in Ecclesia, si ita fieret leuandæ naturæ gratia, non esse sacrilegium; præsumi autem in foro externo sacrilegiũ, quia præsumitur factum in contemptum, quando sine vrgente necessitate fit; sicut blasphemus, qui in imaginem expueret, præsumeretur hæreticus, quamuis reuera possit esse sine hæresi, imo agnoscendo reuerentiam in imagine, cui ex odio in prototypum insultare vellet. Ad tertium dico primò à Paulo dãnari eas epulas in Ecclesia ratione contemptus, quem præ se ferebant, dixit enim *aut Ecclesiam Dei contemnitis*, & ideo etiam à Patribus damnari. Dico deinde à temporibus Apostolorum esse præceptum Ecclesiasticum non conuiuandi profane in Ecclesia, quod & posteriorum Pontificum, & Conciliorum decretis confirmatum est. Qua lege posita iam esset contra religionem id facere. Lex enim, quando præcipit, constituit actũ in materia specialis virtutis. Ad quartum facilis est solutio. Omnia enim sancta habent præceptum naturale sanctè tractandi, contra quod peccatur peccato commissionis in dignè tractando, & hoc fuit peccatum Balthasaris. Ex eo tamen nihil colligitur contra nos; nec enim negamus posse contra reuerentiam templi peccari eo peccato, cum in contemptum religionis, & consecrationis fit aliquid in templo. Asserimus tamen eo secluso non esse speciale peccatum sacrilegij ex iure naturali sine prohibitione ecclesiastica. Eodemmodo respondemus ad quintum. Ad sextum denique dicimus eiusmodi opera esse sacrilegia ex prohibitione Ecclesiæ, quam indubitatum est posse aliquid sua lege constituere in materia religionis, ita vt factum contra illam sit sacrilegium ex iure tantum ecclesiastico. Qua etiam ratione dicimus in effusione seminis, & sanguinis, & alijs, esse sacrilegia ex Ecclesiæ prohibitione, & ita ex eo non probatur esse sacrilegia ex iure naturali.

12 Constat ergo ex his, quæ dicta sunt, peccata & alia etiam, quæ peccata non sunt, si in templo fiant, non habere speciem sacrilegij, nisi ex constitutione ecclesiastica. Quare iam videamus an actus coniugalis in loco sacro habeat ex iure positiuo malitiam sacrilegij, siquidem ex natura sua non habet, vt dictum est. Inquo non est eadem Doctorum sententia. Quidam absolutè & sine vlla distinctione docent actum coniugalem in loco sacro esse peccatum ex circunstantia loci; ex quo consequens erit iuxta nostra principia supra cap. 3. non posse petere, nec reddere sine peccato. Quia ab alio actus peti nõ potest, qui nequit fieri benè vel malè, sed necessariò malè. Quam sententiam tenet Paludanus in 4. distinct. 18. quæst. 8. art. 4. & distinct. 31. quæst. 3. art. 2. Antoninus 3. p. tit. 1. cap. 20. §. 3. Caietan. in sum. v. *matrimonium* cap. vltimo. Armilla v. *debitum* num. 6. Valentia tom. 4. disput. 10. generali quæst. 6. puncto 2. §. 7. & sine vlla etiam distinctione loquitur Graffis in decisionib. cap. 48. nu. 26. & Toletus lib. 5. cap. 8. num. 14. Verùm alij sub distinctione respondent. Dicũt enim actum coniugalem necessarium vitandæ fornicationi, aut incontinentiæ, vt cum longa obsidione inclusi morantur cõiuges in Ecclesia, non habere malitiam sacrilegij, neq; polui Ecclesiam, & esse licitum. Cum hac distinctione loquitur Auila de censuris p. 5. dub. 1. §. *Secundus casus est* Victorellus ad librum & caput citatum Toleti, v. *Semimis*. Azor tom. 1. lib. 10. cap. 26. quæst. 13. & tom. 3. lib. 31. cap. 31. quæst. 3. Sairo lib. 5. de censuris cap. 16. num. 19. Suarez tom. 1. de religione lib. 3. cit. cap. 8. num. 3. AEgidius de Sacramentis quæst. 83. artic. 3. dub. 1. num. 231. & cum eadẽ distinctione loquitur Thomas Sanchez disput. 15. cit. num. 7. & 12. citatis multis.

13 Denique alij docent nullum esse peccatum, si coniuges copulentur in loco sacro, neque Ecclesiam violari, siue copulentur in casu necessitatis, siue non, sic docent Glossa in *cap. Ecclesijs v. semine de consecrat. distinct. 1.* vbi Hugo, Laurentius, & Gandulphus, Archidiaconus ibidem, & in *cap. vnico de consecrat. Ecclesiæ in 6.* Henriquus *c. fin. n. 3. de consecrat. Ecclesiæ.* Rosella *v. consecratio. 1.* nu. 9. Gerson 2. p. in compendio Theolog. tract. de Sacramento matrimonij. Alexander Alensis 2. p. quæst. 147. membro 2. qui tantum dicit esse peccatum propter contemptum sacramenti, & alij etiam, quos refert Glossa in *cap. vnico de consecrat. Ecclesiæ in 6.* Emanuel Sa verbo, *Ecclesiæ* num. 14. & hanc sententiam esse fortasse veram dicit Soto in 4. distinct. 13. quæst. 2. articulo 3. versic. *de quarto*, & potest etiam pro hac sententia referri Gabriel Vazquez disput. 98. cit. num. 6. dum dicit, neque pollutionem in loco sacro esse speciale peccatum sacrilegij, nisi sit publica; quia Ecclesiam non violat, vt statim referam. Horum accedo sententiæ hac inductus ratione. Quia actus maritales in loco sacro non habent labem sacrilegij ex naturali, aut diuino iure, sed tantum ex cõstitutione ecclesiastica, quæ statuit nonnullis actibus Ecclesiam violari, & reconciliandam esse, vt dicebam supra. Videamus ergò an ius ecclesiasticum statuat maritali effusione seminis locũ sacrum pollui. Si enim non statuit, non est cur dicamus actum maritalem in loco sacro, etiam extra casum necessitatis, esse sacrilegum, imo neque culpabilem, si scandalum absit. Adducitur ergo textus ex *cap. significasti de adulterijs.* At ibi de copula clerici cum alterius vxore. In *cap. Ecclesijs distinct. 68. & de consecratione distinct. 1.* quod desumitur ex Concilio Nicæno, tantum dicitur violari Ecclesiam, si cuiuscumque, hoc est, siue viri siue fœminæ pollutione maculetur. Eo autẽ verbo non significatur maritalis actus. Atq; idem dico de *cap. fin. de consecrat. Ecclesiæ.* Debet ergo esse illicita seminis effusio. Actus autem maritalis ex se non est illicitus, & ex iure non ostenditur illicitus. Ergo non est vnde dicamus esse illicitum & sacrilegum in loco sacro. Quod etiam à simili ostendi potest in effusione sanguinis, quæ quando iusta est, non habet speciem sacrilegij.

14 Restat ergò, vt tantum effusio seminis ex se illicita, & quæ cũ peccato mortali sit, polluatur Ecclesia, & illa sola commissa in loco sacro habeat speciem sacrilegij. Quare & violabit etiam actus coniugalis, quando aliàs cum vtriusque peccato fieret, quamuis casus iste valde dubitabilis sit. Superest ergo explicemus vltimum, an omnis illicita copula, vel seminis effusio in loco sacro habeat specialem malitiam sacrilegij. Nonnulli id affirmãt de omni seminis effusione, quæ cum peccato est, siue sit occulta, siue publica. Sic Paludanus in 4. distinct. 31. quæstion. 3. art. 2. num. 14. Antoninus 3. p. tit. 1. ca. 20. §. 2. Adrianus in 4. quæst. 14. de matrim. §. *Pro huius succincta.* Nauarrus in sum. cap. 16. num. 32. vers. 4. Thomas Sanchez disp. 15. cit. num. 11. in fine Suarez d. lib. 3. c. 7. n. 4.

15 Cæterùm communis Doctorum sententia est non pollui Ecclesiam, nisi id delictum sit publicum. Vnde si effusio occulta sit, neque polluitur, neque speciem habet sacrilegij. Sic Toletus lib. 5. sum. cap. 8. Victorellus in annotationib. eiusdem. Azor tom. 1. lib. 10. cap. 26. quæst. 13. licet aliquanto diuersè loquatur tom. 3. lib. 3. cap. 31. q. 6. cum dicit pollui Ecclesiam in habitu, nõ in actu, donec innotescat, Auila de censuris p. cit. dub. 3. concluf. 2. Sa *v. Ecclesia* num. 19. Sairo loco supra cit. num. 21. in fine. Graffis de cisionum p. 1. cap. 48. num. 26. AEgidius de Sacramentis quæst. 83. artic. 3. dub. 1. num. 230. Gabriel Vazquez disput. 98. cit. num. 6. Qui DD. simul testantur esse communem sententiam. Eam probat optima ratio, quam insinuat Gabriel Vazquez. Quia, cum ea effusio seminis ideo tantum sacrilegium sit, quia ex constitutione ecclesiastica locus sacer illa profanatur, & tollitur consecratio, aut benedictio, (nulla enim alia ratio est ob quam sit speciale peccatum,) fit vt notoria tantum effusio speciale peccatum sacrilegij sit. Alijs etiam rationibus non contemnendis vtitur AEgidius loco cit. Quia cum humana effusione seminis pollui cẽseatur Ecclesia, quia irreuerentiam infert, & reuerentia consistat etiam in communi hominum æstimatione, sicut & fama hominum, necessarium est, vt notoria sit hæc quasi Ecclesiæ diffamatio. Alias rationes apud ipsum vide. Quare, qui sentiunt non esse sacrilegium in his peccatis, nisi ex Ecclesiæ constitutione, quos retuli supra isto capite, difficile defendent per pollutionem occultam Ecclesiam pollui, aut violari, vel habere speciem sacrilegij. Publicum autem hoc loco dicimus, nõ id, quod iuridicè probari posset; sed quod vel ipsa confessione rei in iudicio, vel euidentia facti in multorum notitiam deuenit, & est quasi diffamata Ecclesia, & denigrata eius reuerentia, vt expressè docent multi ex

Docto-

Doctoribus citatis. Vnde, si duo, vel tres, aut pauci homines scirent pollutionem in loco sacro admissam, adhuc neque egeret Ecclesia reconciliatione, neque esset speciale peccatum sacrilegij. Quo etiam sensu accipiendū esse delictum publicum in decreto Tridentini sess. 24. cap. 6. de reformat. ostēdo late de sacramento Ordinis lib. 2.

Quando sit illicitus actus coniugalis ex parte modi?

CAPVT. XI.

SVMMARIVM.

Clementis Alexandrini, & Hieronymi verbis admonentur coniuges honestatis seruandæ in actu coniugali, num. 1.

Afferuntur quæ certa sunt, n. 2.

Adduntur alia in eandem rem, n. 3.

Quoties generatio impeditur, esse peccatū in reddendo, n. 4.

Copulam præternaturalem cum coniuge esse illicitam, imò & eos tactus, n. 5.

Seminationem extra vas esse peccatum, n. 6.

Copulam sodomiticam inter coniuges etiam esse adulterium, n. 7.

Posse vxorem reddere debitum marito effundenti semen extra vas, si non sit de eius consensu, numero 8.

Licere etiam viro inchoatum coitum non absoluere, si vxor nil aliud exigat, n. 9.

1 IGnoscant pudicæ aures, multa enim in hoc cap. explicanda sunt puris animis molesta satis. Sed attingemus tantum illa, non inhærebimus. Sed prius admonendi sunt coniuges præclaris verbis Clementis Alexandrini lib. 2. Pædagogi, cap. 10. Vbi hæc habet: *Cæterum quibus vxores ducere concessum est, ijs pædagogo opus fuerit, vt non interdiù naturæ mysticæ celebrētur orgia, nec ex Ecclesia, verbi gratia, aut ex foro mane rediēs galli more coeat, quando orationis, & lectionis & efficacium quæ interdum fiunt operum tempus est: vespere autem oportet post conuiuium quiescere, & post gratiarum actionem quæ fit Deo pro bonis quæ accepimus. Non semper autem concedit tempus natura, vt peragatur congressus Matrimonij, est enim coniunctio eo desiderabilior, quo diuturnior. Neque verò noctù tanquam in tenebris se immodeste, & intemperanter gerendum est: sed verecundia tanquam lux rationis, in animo est includenda. Nihil enim à Penelope telam texente differemus, si interdiu quidem examus dogmata temperantiæ, noctu autem ea retexamus, cum in cubile venerimus. Si enim honestatem oportet exercere, multo magis vxori tuæ ostendenda est honestas, inhonestas vitando coniunctiones, & quod castè verseris cum proximis fidedignum è domo adsit testimonium. Non est enim, non est aliquid honestum apud eam reputandum, apud quam non est testata, ac probata honestas in acribus illis voluptatibus. Beneuolentia autem quæ fatetur se ferri præcipitem ad congressionem, exiguo floret tempore, & cum corpore consenescit: nonnunquā autē etiā præsenescit flaccescente iā libidine, quā do matrimonialem moderationem, ac temperantiā meretriciæ voluptates iniuria affecerint. Amātium enim corda sunt volucria, amorisque irritamenta extinguūtur sæpe pœnitentia: amorque sæpe vertitur in odium, quando reprehensionem sentit satietas. Impudentium verò verborum, & turpium figurarum, meretriciorumque osculorū, & huiusmodi lasciuiorum nomina, ne sunt quidē memoria tenenda, beatum sequentibus Apostolū qui aperte dicit. Fornicatio autem, & omnis immunditia, vel plura habendi cupiditas ne nominetur quidem in vobis, sicut decet sanctos. Recte ergo videtur dixisse quispiam: Nulli quidem profuit coitus, bene autem cum eo agitur, si non etiam læserit.* Congruenter autem Clementi præclare scribit D. Hieronymus: *Nihil interest quā ex honesta causa quis insaniat. Vnde & Xystus in sententijs. Adulter est in suam vxorem amator ardentior. In aliena quippe vxore omnis amor turpis est, in sua nimius. Sapiens vir iudicio debet amare coniugem, non affectu. Reget impetus voluptatis, nec præceps feretur incoitum, nihil est fœdius quam vxorem amare quasi adulteram.* Hæc D. Hieronymus lib. 1. aduersus Iouinia.

2 Sunt in hac re nonnulla certa, alia vero de quibus dubitatio est. Primò certum est posse esse peccatum in actu coniugali ratione modi. Ad discernendum autem peccatū in modo commissum non alia certior regula assignari potest, quam hæc. *Solus ille modus concumbendi cum vxore in vase naturali peccatum est, qui aptus est impedire generationem; at si non impediatur, non est peccatum mortale.* Quæ doctrina satis ex se aperta est, & communi Doctorum sensu probata. Addūt tamen plerique DD. nullo coeundi modo in vase naturali generationem impediri. Sic Thomas Sanchez cum multis disput. 16. num. 5. At mihi difficile videtur id quod assumitur, nullo scilicet coeundi modo ex his, quos excogitauit libido, impediri generationem. Quare rem hanc medicis relinquamus; Theologis,

gis,qui cœlibem vitam agentes experimento discere non possunt,speculari turpe,scribere turpius est. Quare id â Medicis definitũ accipiamus,& illos cõfessarij cõsulant, cum eiusmodi casus in cõfessionibus occurrerint.

3 Verùm huic generali regulæ nõnulla addenda sunt. Primũ est saltẽ esse peccatum veniale in petẽte tantum propter ardentem appetitum voluptatis, quam indicant eiusmodi nutationes, nisi quando ex iusta causa fiãt,quia aliter vsus copulæ esse nõ possit,vt docet cum alijs Thomas Sanchez ibidẽ, n.7. Deinde non esse peccatum mortale, si eo eo pulæ modo aliqua pars seminis elabatur, dũ modo retineatur alia. Docent enim Medici non totam seminis quantitatem in matrice retineri. Rursus neque esse peccatum mortale,quamuis ex eo modo concumbendi,nõ ita certum sit fore prolem,nec enim coniuges tenentur vti medio certiori ad prolem suscipiendam. Sed satis est si vtantur conuenienti. Rursus,si experimento constet fœminam aliquam ratione suæ debilitatis,complexionis, & temperamenti semen non retinere,si aliquo certo copulæ modo coniũgãtur, cũ tamen retineatur alio,esse peccatũ mortale vti illo modo,quãuis ex se non esset impeditiuus generationis. Satis enim est ad malitiã peccati in hac fœmina experimento compertum generationem impediri,cuius oppositũ sine fundamẽto docet Thomas Sanchez disp. cit.n.5. Deniq; illud addendũ est, non esse necessariũ,vt vterq; simul concurrant in seminis effusione, cum semen fœminæ certius sit apud Medicos & Philosophos nõ esse actiuum principium generationis. Quare expectare vir non tenetur,licet possit etiã effuso semine adhuc copulam continuare, vt fœmina seminet. Imo & addit Thomas Sãchez disp.17.n. 10. non solum posse virum præuenire fœminam seminando, sed etiam tactibus irritare venerem,quamuis sciret id futurum,quod etiam docuit Henriquez lib. 11. de Matrim. c.15.n.3.Res certe esset scrupulis plena,si adhoc quod liceret copula, necessarium esset,vt vtriusque semen simul cõcurreret. Quare non est censendum eam obligationem esse impositam naturali iure.

4 Ex his colligitur,quando sit peccatum reddere viro vel vxori petenti debitum aliquo speciali modo. Nam quoties generatio impeditur iuxta dicta, peccatũ mortale erit in reddendo,vt etiam docet Sanchez ibidẽ, n.8. At quando tantum est peccatum veniale in eo copulæ modo iuxta dicta, Thomas Sanchez ibidẽ, existimat nullũ esse peccatũ in reddẽdo,quia cẽset excusari â veniali culpa ex alterius petitione. At iuxta principia tradita supra c.3.cẽsendũ est cũ eodẽ in hoc casu non esse peccatum veniale ex parte reddentis,nõ quidẽ,quia excusetur à culpa veniali ob petitionẽ alterius,sed ex ibi traditis. Quia peccatũ veniale in hoc casu nascitur ex ipso affectu petentis, & vehementi appetitu voluptatis,cui appetitui & affectui non cooperatur alter coniux reddẽs, sed exercet actum licitum coniugibus, & ordinatum ad generationẽ. Adhuc enim & ille modus posset exerceri sine eo appetitu & affectu.

5 Secũdò certũ est copulã viri cũ vxore præternaturalẽ esse peccatũ mortale. Quia coniuges solũ habent potestatem ad vsum corporis,qui matrimonio deseruiat,non aliter. Vnde fit primo copulam sodomiticã cũ vxore peccatũ esse mortale, & nullo modo honestari posse: idque non tantũ verũ existimo de copula sodomitica consummata, sed etiam inchoata. Quare inchoare copulam in vase præpostero vxoris, quò se magis excitet,aut turpissimæ voluptatis gratia, animo tamen consummãdi in vase naturali, etsi absit periculum effusionis seminis,mortale peccatum est. quia hæc omnia sunt ex se ordinata ad alteram luxuriam, & improportionatã copulæ naturali. Docet Sanchez disput. 17. n.5. Non ergo omnes tactus licent inter cõiuges,& ita neque licebit per fricãre pudendum in vase præpostero vxoris, & aliud asserere mera turpitudo est, & habenas laxare libidini.

6 Secũdò fit seminationẽ extra vas vtriusque vel alterius cõiugis esse peccatũ mortale nullo fine excusandũ,si cõsultò id accidat. Est enim peccatũ mollitiei, cuius intrinseca malitia est,de qua dicã postea. Idque verum est siue fiat in medio,siue in fine copulæ quouis tẽpore. Docet citatis alijs Thomas Sanchez disp. 17.n.13. Constat hæc veritas Genes.38. vbi filius Iudæ interfectus à Deo dicitur,quia rem detestabilem fecit, effundebat enim semen extra vas vxoris, quo generationẽ impediret. Dixi *si consulto fiat*. Quia potest quandoque contingere sine vlla culpa,vt in viris potentibus,dum congredi conantur, poterit euenire vt ex festinatione præter intentionẽ semen effundatur,id enim non vitio, sed naturæ festinationi & vigori tribuendum est,vt cum Soto, Bartholomæo Ledesma,Petro Ledesma,Graffis,Emanuele Rodriguez,& Vega docet Sanchez disp.17. cit.n.13.in fine. Secundò in impotẽtibus tẽpore ad experiẽdũ cõcessio. Quandiu enim

dubia

dubia impotentia est, possunt copulari, imo debent; hoc enim impedimentum non nisi experimento cognoscitur. Et quamuis sæpe contingat semen extra vas effundi, nullum peccatum est; satis est conari ad copulam, donec certo constet impotentia. Nam tũc iam erit peccatum mortale. Atque iuxta hæc philosophandum est in senibus præ ætate debilibus, de quo Thomas Sanchez disput. cit. num. 20. Licebunt tamen inter istos coniuges senes amplexus & oscula, & tactus, vbi abest periculum pollutionis, quæ nec inter impotentes iuuenes admittenda sunt, cum inter illos non possit constare matrimoniũ, nisi ad caste viuendum, vt dixi supra lib. 7.

7 Sed quæres, nunquid inter coniuges copula sodomitica aut mollities habebunt etiam aliam speciem præter fornicationis contra naturam. Mihi videtur cum Thoma Sanchez disput. 18. esse etiam malitiam adulterij: quod etiam docet Ioannes de Salas 2. tom. in 1.2. tract. 13. disput. 6. sect. 16. cum alijs, quamuis rationem non assequatur. Huius autem ea ratio est. Quia bonum fidei, vt dixi cap. 1. isto lib. obligat etiam negatiue, idest, ad nihil faciendum contra finem generationis. Quare habet potestatem coniux in vsum seminis in ordine ad generationem. Quandocumque ergo generationi subtrahitur, fit contra ius coniugis, atque adeo specialis mihi videtur esse malitia. Sicut & ius habet, vt neque cogitationem figat in alia, nec vel cogitatione delectetur vt tradit Vaz quez 1.2. disput. 112. num. 10. licet non omnino firmus. Et probat Salas tract. cit. disp. 9. sectione 22. à medio. Satis autem erit dicere se peccasse contra castitatẽ peccato cõtra naturam, & se esse coniugatum, & eam cum qua copulam sodomiticam habuit, esse propriam coniugem, alias non explicabitur sufficienter iniustitiæ malitia & species.

8 Sed circa modum reddendi duæ existunt difficultates breuiter explicandæ. Prima est, an si maritus procreandorum liberorum pertæsus, satiandæque libidinis appetens, dum suam vxorem agnoscit, tempore consummandæ copulæ extra vas semẽ effundat, se seque ab illa separet, possit vxor reddere petenti debitum licitè & sine culpa. Iudicarunt viri doctissimi, vxorem peccare, sociamque esse peccati, atque adeo non posse reddere exigenti debitum. Probabant multis argumentis, quæ nul'ius momenti sunt, tantùm enim probant, cõiunctionem illam, si fieret vtroque consentiẽte, esse illicitam. Quare ego existimo, peccare quidem grauiter virum & fœminam, si de eius consensu id faciat; at si illa non consentiat, licitè posse reddere, & petere debitum à marito, etiam si ille perperam redditurus sit. Ratio desumpta est ex generali doctrina, quam latius tradidi supra lib. 5. Quoties peto actum ab aliquo, quem ille potest bene vel male præstare, non pecco, neque præbeo causam peccati, alter enim sua malitia male facit, cum rectè possit efficere. Hac regula vtimur vt explicemus licere petere mutuũ ab vsurario, quia ille potest sine vsura mutuari: & licite etiam peti sacramentum ab excommunicato, qui sua culpa non absoluitur, non vero peti posse ab illo siue parochus sit, siue non, etiã si paratus sit, si absque sua culpa absolui non potest ab excommunicatione. In eo enim casu non potest recte actum illum exercere, atque adeo directe cooperor eius peccato. Quæ latius supra lib. 5. prosecuti sumus. Et quidem, si vera esset illa prior sententia, non solum non posset vxor marito ita praue affecto reddere petenti, sed neque ab eo petere, eadem enim militat ratio.

9 Secunda difficultas est, an viro cum vxore concumbenti liceat inchoatum coitum non absoluere. Negant Syluester verbo *debitum coniugale*, quæst. 7. & Rosella Azor, t. 3. lib. 3. cap. 24. quæst. 9. Fundamentum insinuabo statim. Mihi licere videtur, cum duabus tamen limitationibus. Prima, ne subsit probabile periculum pollutionis alterius coniugis. Secunda si vxor ea inchoata copula contenta sit, si enim consummatam exigeret, reddenda esset. Doctores, qui licere dicunt, hi sunt; Paludanus in 4. distinct. 31. quæst. 3. art. 2. Antoninus 3. p. tit. 1. cap. 20. §. 6. Angelus in sum. *verbo debitum coniugale*, num. 27. Armilla v. eodem num. 9. Sa v. eodem num. 17. Ratio quæ me mouet hæc est. Quia multis titulis id efficere potest, vel vt suæ valetudini consulat, qui vna etiam medetur infirmitati fœminæ, cuius eo modo sedatur concupiscentia: ne liberos plures habeat, quos alere non potest: ne voluptati intemperanter seruiat, vacare enim rei vxoriæ voluptatis tantum gratia veniale peccatum est: ne fœtum opprimat. Sicut enim tactus, etiã si ex natura sua ordinentur ad actũ, liciti sunt, quamuis non sit vltra progressus; cur non etiam licebit inchoatum coitum absoluere cum duabus illis limitationibus? Neque enim hoc est prolem impedire contrariè, quod sane peccatum esset, sed negatiuè, quod non est peccatum.

Vnde

Vnde sumenda sit ratio turpitudinis in simplici fornicatione, & pollutione?

CAPVT. XII.

SVMMARIVM.

Simplicem fornicationem esse prohibitam, numero 1.
Conciliorũ decretis pœna imposita fornicantibus, num. 2.
Diluitur obiectio ex Epistola Clementis, numero 3.
Vnde sumatur turpitudo fornicationis variæ sententiæ, n. 4. 5.
Vera ratio ex frustrato fine seminis, & actus generationis, n. 6.
Quomodo assignandæ species luxuriæ, n. 7.
Vnde sumatur malitia pollutionis explicatur, num. 8.

1 OCcasione eorum, quæ dicta sunt, placuit hoc loco rem istam examinare difficilem explicatu. In primis autem obseruandum est simplicem fornicationem prohibitam esse, & illicitã. Constat ex multis Sacræ scripturæ locis. Sed vt eorum testimoniorum percipiatur vis, sciri debet fornicationis nomine non tantum simplicem, quam vocãt fornicationem, hoc est, concubitum eorum, qui vinculo religionis aut matrimonij soluti sunt, sed etiã adulterium: sicut & mœchiæ nomine tam vagus, quàm adulterinus concubitus intelligi solet. Et quidem de mœchiæ nomine id asserit Augustinus lib. 2. super Exodum cap. 71. & multo antea Tertullian. lib. de pudicitia c. 4. & 5. post illos Isidorus in Exod. cap. 26. fornicationis enim nomine adulterinum interdum significari concubitum vel illud ostẽdit Matth. 5. *Qui dimiserit vxorem suam, excepta causa fornicationis.* Igitur illicitam esse fornicationem non tantum colligitur ex illis Sacræ Scripturæ locis, in quibus de fornicatione tantum sermo est; sed etiam ex illis, in quibus prohibetur mœchia. Quod etiam Augustinus censuit in lib. cit. super Exod. vbi inquit: *Sed si non omnis fornicatio etiam mœchia dici potest, vbi sit in decalogo prohibita illa fornicatio, quam faciunt viri, qui vxores non habẽt, cum fœminis, quæ maritos non habent, vtrùm inueniri possit ignoro. Sed sicut furti nomine benè intelligitur omnis illicita vsurpatio rei alienæ (non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit, sed vtique à parte totum intelligi voluit, quidquid illicitè rerum proximi aufertur) profectò & nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum nõ legitimus vsus prohibitus debet intelligi.* Fornicationem quoque reprehendit Clemens Romanus lib. 6. Constit. Apostolic. cap. 28. & 29. & lib. 7. c. 3. Tertullianus lib. cit. circa finem. Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum à principio Origenes Homilia 7. in Ezechielem circa finem, vbi illud exponit: *Transierunt crura tua per omnem transitum, & multiplicasti fornicationem tuam.* Ambrosius 1. Corinth. 6. super illa, *Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*, & in tractatu ad virginem lapsam cap. 4. & lib. de pœnit. cap. 14. Ioannes Chrysost. Homilia 1. in Psalm. 50. Hieronym. lib. 3. in Epist. ad Galat. cap. 5. in illa verba: *Manifesta sunt opera carnis.* Extat etiam elegans oratio Gregorij Nysseni in illa: *Qui fornicatur, in corpus suum peccat.* Denique omnes Patres vno ore, ac spiritu reprehendunt.

2 Extant etiam Conciliorum decreta nõ pauca, quæ fornicarijs pœnam imponunt. Adeo seuerè puniuit Concilium Illiberritanum, quò homines petulantes intra pudicitiæ limites contineret, vt nec in fine velit communionem dari cap. 2. & cap. 7. ad Clerum promoueri prohibet cap. 30. & leuari pœnitentiam, cum vxores duxerint cap. 31. & cap. 72. Suuessionense duce Pipino sub Zacharia ibi: *Diuersas fornicationes non faciãt.* Nannetense sub Formoso Papa c. 13. *siqua mulier non habens virum, aut vir non habens vxorem fuerint fornicati, tribus annis pœniteant.* Basilienſe sess. 20. cap. 1. in fine. *Ec cum omnis fornicationis crimen lege diuina prohibitum sit, & sub peccati mortalis pœna necessariò euitãdũ, monet omnes laicos tam vxoratos, quam solutos, vt similiter à concubinatu abstineant.* Concilij Lateranense sub Leone X. sessione 9. in reformatione Curiæ, & aliorum, & sessione 11. eadem verba repetit ex Basilienſi. Vnde hæresis est id pertinaciter negare ex *Clementina ad nostrum de hæreticis.* De huius peccati grauitate nonnulla optimè Destructorium vitiorum p. 3. c. 4.

3 Neque obstat, quod ex epistola 4. Clementis I. opponi posset, vbi cum philosophi cuiusdam vulgatum illud adduceretur, *Amicorum omnia esse debere communia*, inquit, *In omnibus etiam vxores comprehendi.* Nã epistolam illam confictam esse, & ab hæreticis confarcinatam latè conatur ostendere Ferdinandus de Mendoça ad Canonem 2. Illiberritani Concilij, de quo nos in Apparatu nostro

stro latè diximus; & præterea Gregoriani decreti censores deesse illa verba affirmant in Epistola Clementis, quæ extat manu scripta in Bibliotheca Vaticana, quod scripsit antea Franciscus Turrianus lib. 5. pro epistolis Pontificum cap. 2. Qua medicina vulnus epistolæ illatum sanari rectè, quis dubitet?

4 At cum ad huius peccati turpitudinem & deordinationem assignandam peruenitur non ita facile redditur, neque quæ omnino satisfaciat ratio. Destructorium vitiorum, p. 3. cap. 4. pro ratione reddit ordinationem diuinam, & legem Dei prohibentis, vt caro refrænaretur ab impijs desiderijs: sed non rectè: fornicatio enim non est mala, quia prohibita, sed e contrario, ideo est prohibita, quia mala. Neque vero quis pro ratione merito reddiderit voluptatem. Sic Sanchez lib. 7. disputat. 17. cap. 5. Voluptatis enim studiū rarò ad peccati mortalis rationē peruenit, nisi ratione materiæ, cui qua coniuncta est, maiorem inordinationem habeat. Quamuis enim solius voluptatis gratia accessus ad cōiugem peccatum veniale esset ex aliorū sententia, attamen mortale non est solius voluptatis studium, nisi quatenus vel nocumentū inde sequitur corpori, vt in voluptate cibi, & potus, vel quatenus auocatur ab alijs studijs, aut operibus, quæ ex præcepto deberēt fieri: vel quatenus est materia prohibita. Necessum ergo est, si dicamus hāc voluptatē veneream esse in materia illicita, & debito ordine carere, assignemus rationem, cur illicita ea materia sit, cur debita careat ordinatione: inde enim redditur voluptas illicita.

5 Nonnulli nec pauci, nec ignobiles ideo censent illicitam, quia eo vago concubitu fraudantur filij debita educatione, carent veris parentibus: ad filiorum autem rectā educationē vtroque parente opus est. Hanc inter alios rationem reddit Cardinalis Toletus in summa lib. 5. cap. 10. & nouissimo Leonardus Lessius de virtutibus cardinalibus, lib. 4. cap. 3. dubitat. 7. satisfacereque conatur argumentis, quæ contra illam obijci solent. Et vt illa vtcunque diluerentur, mihi tamen illud cōtra eam sese offert, quod malitia simplicis fornicationis pugnare debet cum virtute temperantiæ. At obstare rectæ filiorum educationi contra virtutem temperantiæ nō est, sed vel contra charitatem erga proximū: vel contra iustitiā, qua reipublicæ tenemur. Quo autem pacto intemperatè quis agat in eo, non video. Deinde, quia eam assignare debemus malitiam in simplici fornicatione, quæ perseueret etiam in alijs peccatorum luxuriæ speciebus. Reliqua enim luxuriæ peccata supponunt malitiam fornicationis, nouamque aliam addunt, veluti adulterium supra malitiam fornicationis addit iniustitiā, stuprum, cum vis infertur similiter, incestus contra reuerentiam debitam proprio sanguini, pollutio quod extraordinarie fiat, brutalis cum disparis naturæ complice, sodomia cum dispari sexu. At malitia, quæ in eo consisteret, quod filiorum frustretur debita educatio, non reperitur in adulterio. Quamuis enim marito iniuria fiat, & adulterinus exponatur pro legitimo, adest tamē vtriusque genitoris cura, vnde nec fraudatur proles debita educatione.

6 Ergo, vt legitimam huius peccati, ac turpitudinis inordinationem assignem, quæ in omnibus speciebus luxuriæ communis, sit supponamus semē, actū generationis, & voluptatem, quæ in ipso actu, & effusione seminis reperitur, à natura institutam ad prolem suscipiendam, huiusque legitimum esse finē: & quo facilius homines generationi vacarent, quæ ad generis multiplicationem necessaria, eam inditam voluptatem. Hinc factum est, vt, quo finem, & effectum sortiretur generatio, matrimonium ab ipso naturæ iure ortum habuerit. Non enim solum effusio seminis præter naturam, aut etiam contra naturam, & cum bestia eum effectum impedit, sed etiam vagus concubitus, & omni lege solutus. Vagum autem concubitum generationi, ac susceptioni filiorum obesse tradunt Medici, & experientia docet. Illæ enim, quæ sæpius cum diuersis hominibus copulātur, rarissimè concipiunt. Et quasi à signo illud ostēdit, quod communis, receptaque sententia docet, matrimonium vnius vxoris cū pluribus viris ipsi naturæ repugnare. Impeditur enim matrimonij finis, scilicet, prolis susceptio, quamuis & alia etiam assignari in commoda soleāt, de quo nonnulla supra lib. 7. Neque vero obest, quod in concubinatu ita se gerant vir, & fœmina, ac si seruaretur tori fides in coniugio. Id enim accidentariū est in vago concubitu: concubitus enim non adstringit ex natura sua ad tori fidē, sicut obligat ex se coniugium, sed liber manet vterque, vt congredi cum alio possit. In his autē non est spectandum, quod accidentale est, & præter naturā soluti cōcubitus, sed quod per se est. Id quod in alijs multis etiā affirmādū, vt in eo, qui audit confessiones cū periculo pollutionis, & in experimento impotentiū per triennium, cum tamen sit periculū emittendi extra vas. Quia in his rebus rātum inspicitur

picitur quod per se intenditur: & in hac eadem materia fatentur illi, qui rationem desumunt ex educatione prolis fraudata. Accedat Isidorus Pelusiota lib. 4. epistola 129. col. 1. in fine, vbi hæc habet: *Quemadmodum qui in mari frumentum, aut aliud quidpiam semen proiecit, in semen peccat dum id prohibet ad generationem peruenire, ita etiam is, qui in meretricem semen suum proiecit, in corpus suum peccat, ipsa perimente id quod natum fuerit.* Sed accipe testimonium aliud Ruperti ex lib. 2. de operibus Trinitatis, cap. 65. *Huic autem causæ non studere* (scilicet multiplicationi generis humani) *sed potius suæ libidini intendere conuincitur quicumque vir, siue mulier legitimum torum transgreditur. Etenim mulier multis subdita viris, non fœcundior, sed turpior fit.* Obstat itaque solutus concubitus ex natura sua fini seminis, & actus generationis: fraudatur enim semen suo effectu, scilicet, prole. Vnde prolis susceptionem in vago concubitu præter votum esse, si eius naturã spectes, & in eo à coniugio differre Patres docuerunt. Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædagogi, cap. 10. cum de soluto concubitu esset sermo: *Ne semines, vbi non vis tibi nasci quod est seminatum. Neque vllam omnino tangas mulierem, præter quam tuã ipsius vxorẽ, cũqua sola tibi licet percipere carnis voluptates.* Sed addo præclarum Augustini testimonium ex lib. 4. Confessionum capite 2. *In illis annis vnam habebam, non eo, quod vocatur legitimum, coniugio cognitam, sed quam indagauerat vagus ardor inops prudentiæ, sed vnam tamen, ei quoque seruans tori fidem. In qua sane experirer exemplo meo, quid distaret inter coniugalis placiti modum, quod fœderatum esset generandi gratia, & pactum libidinosi amoris, vbi proles etiam contra votum nascitur, quamuis iam nata cogat se diligi.* Idem etiam ostendunt sterilitatis adiunctæ potiones, vel vt sequatur aborsus; aut, si id minus euenit ex voto, recẽsnatorum suffocatio, quo proles pereat, indicantes sane eam coniunctionem non prolis, sed tantum libidinis causa factam, atque adeo vagum concubitum vel lege solutum ex se obstare fini seminis, generationisque. Adeò verum est quod Tertullianus, & Augustinus alicubi affirmant, libidinosos Deum sterilẽ elegisse. Consistit ergo ea fornicationis malitia in studio effrænatæ voluptatis absque eius voluptatis naturali fine, scilicet prolis procreatione. Hucque alluſit Clemẽs Alexãdrinus loco citato, cum non semel dixit non esse iniuria afficiẽdum semen, iniurius enim illi est, qui fraudat debito fine.

7 Hinc facile colligitur, quo modo luxuriæ species assignentur: semper enim in illis effrænatum hoc studium voluptatis sine debito fine naturali reperitur, vt constat in incestu, stupro, sacrilegio, qui soluti concubitus deformitatem habent, adduntque malitiam vel contra religionem, vel iustitiam, aut reuerentiam. In adulterio etiam idẽ cõspicitur. Quia licet iudicare aliquis possit eo coitu prolem non impediri, impeditur sane ex se, quia vagus est, & omni lege solutus, atque adeo non magis huius, quam illius per accidens que erit, si subsit generationis effectus. Peccata etiã contra naturam tollere eius voluptatis naturalẽ finẽ planissimũ est, cum seminetur in locis petrosis, vt in lege dicebat Moyses, id est, vbi proles omnino se qui non potest. Seminis autem vel generationis actus nullum alium finem sortiri potest: *Cum semen*, vt ait Clemens Alexandrinus loco citato, *sit dux, princepsque generationis, & substantia, quæ simul habet insitas naturæ rationes. Quæ sunt autem secundum naturam rationes absque ratione præternaturalibus mandãdo meatibus, ignominia, & probro afficere est valde nefarium, & impium.*

8 Hinc etiam facile assigatur ratio malitiæ pollutionis voluntariæ, quam existimarunt nonnulli assignari non posse legitimam. Ea certe in eo cõsistit, quod vtitur quis ea voluptate absque naturali fine, & modo præter naturali. Seminis enim, & actus generationis, eiusque voluptatis nullus alius finis esse potest, quia alium vsum non habet semen, quam quod sit genitale, & generationis dux, & princeps. In quo valde differt ab emissione sanguis: sanguinis enim cum sit alimentum, nõ mirum si iuste minuatur per incisionem venæ, quando fini, hoc est, nutritioni animalis obest; sicut ex eodem fine abstinemus à ciborum copia. At semen est superfluum alimenti, generationi tantum destinatum. Vnde nisi in ordine ad eum finem, ea emissio seminis, eaque voluptas quæri nõ potest. Neque obstat, quod sæpe noceat retentio seminis, imo & abundantia reddatur sterile, vt Medici censent: potest enim intra corpus arte minui, & medicamentis purificari, & proleficum effici, & saluti consuli eo imedio, effusionis autem remedium respuendũ omnino, cum eius actus nullus alius finis præter generationem sit.

De obligatione vxoris in retinendo semine, & prospiciendo fœtui.

CAPVT XIII.

SVMMARIVM.

Qualis obligatio fœminæ in retinendo semine, numero, 1.
Quando fœtus non est animatus licere facere aliquid, quo sequatur aborsus nonnulli dicunt, oppositum verum, num. 2.
Quando est animatus non posse procurari aborsum ad salutem, num. 3.
Licere vti medicamentis ad sanitatem matris, ex quibus præuidetur aborsus, quidam dicunt, numero 4.
Eorum fundamenta, num. 5.
Vera sententia, num. 6.
Soluuntur fundamenta primæ, num. 7.

1 DIXIMVS in modo copulæ coniugalis valde cauendum esse, ne talis sit, vt impediatur generatio: restat vt consequenter explicemus, quid vxor præstare debeat in retinendo accepto semine, & prospiciendo fœtui, dum est in vtero. Et primum facile explicatu est. Certũ enim illam nihil posse facere ad generationem impediendam, non venena sterilitatis sumere, non potionem, neque statim post copulam conari eijcere, surgere, aut alia facere, quibus expellatur. Nec vero necessarium est, vt diu immota permaneat, breui enim tempore matrix semen recipit, & ad se rapit; aut si minus disposita est, eijcit. Illud tantum prohibemus, ne ipsa ad eiectionem conetur, frustraret enim semen suo fine, essetque peccatum mortale.

2 Quod verò attinet ad secundum, cum certum sit peccatum lethale committi, si talis sit modus congressus, ex quo sequatur aborsus, dubium tamen esse potest, an liceat aliquando aliquid facere, quo sequatur aborsus, quando est medium necessarium ad salutem fœminæ restaurandam. Et inprimis quando fœtus nondum est animatus, non nulli affirmant in eo casu licere procurare aborsum, sic docent Syluester v. *Medicus* quæst. 4. Antonin. 3. part. tit. 7. cap. 2. §. 2. Nauar. in summa cap. 25. num. 22. Couar. in *Clement. Si furiosus* 2. part. §. 3. num. 1. quos & alios sequitur Sanchez lib. 9. disput. 20. num. 9. qui adeo certam hanc sententiam existimat, & communem, vt dicat se nullum dissentientẽ inuenisse. Fundamenta eius hæc sunt. Quia illud vere nõ est homicidiũ, sed quædã pars viscerum nondum animata, & ideo non est cur conseruanda sit illius vita materno discrimine imminente, maximè cum matre pereunte fœtus nequaquam informabitur anima rationali. Cæterũm mihi verius videtur nunquam licere aborsum directè procurare etiã nondum animati fœtus, quamuis liceat medicamenta applicare; quæ sanitatem directè causent, licet inde sequatur aborsus. Sic docet Gabriel Vazquez opusc. de restitut. capit. 3. §. 2. num. 25. & capite 2. §. 1. dub. 7. num. 28. Petrus Nauarra lib. 2. de restit. cap. 3. difficultat. 2. de indirectè occidente num. 132. Adducit Nauarra textum ex Augustino in cap. *aliquando* 32. *quæst.* 2. *& in capit. si aliquis de homicidio*, & Tertullianum in Apologet. capit. 3. sed nihil probatur illis testimonijs, explicari enim commode possunt de aborsu sine causa facto, & cum peccato. Primæ igitur partis ratio est efficax, qua vtitur Gabriel Vazquez. Quia actus ille, licet non sit homicidium, est tamen de se malum, & contra naturam, sicut semen extra vas effundere; imo & magis est contra naturam, generationis conceptum iam semen effundere. Ergo hoc medio non licet vti ad sanitatem fœminæ, sicut licet vti abscissione membri. Quia talis euacuatio ex se non est ordinata in salutem, sed ad actum generationis, ad quem solum ordinatur seminis effusio, & retentio illius in matrice. Sed respondet Thomas Sanchez malitiam pollutionis non sumi ex damno, quod generationi sequitur, sed quia ea voluptate delinitis hominibus magnum periculum immineret euitandi generationem; & matrimonia: verum contra est, tum quia hoc ipsum ostendit semen natura sua ad generationem tantum ordinari, & nullum alium habere vsum in corpore. Sed de ratione prohibitionis pollutionis dixi iam supra cap. 12. Præterea probat à posteriori Petrus Nauarra optima ratione. Quia si liceret ea euacuatio fœtus nondum animati ad vitandam mortem matris, & restituendam sanitatem, liceret etiam procurare aborsum nondum animatum, cum ad famam, & statum conseruandum opus erit. Casus enim se se offerrè potest adeo premens, vt nullo alio medio possit mulier eripi, nisi aborsu fœtus nondum animati.

Quod tamen ipse Thomas Sãchez non vult admittere num. 10. Sed nullo conuenienti assignato discrimine. Neque ratio qua vtitur prima sententia difficilem habet solutionem. Concedimus namque non esse homicidium, negamus tamen partem esse viscerum, cuius euacuatio liceat, sed omnino esse contra naturam & finem generationis.

3 At verò quando fœtus animatus est, cõueniunt quidam DD. non posse directè procurari aborsum, etiam si hoc sit vnicum medium conseruandæ vitæ matris. Sic docet citatis alijs Thomas Sanchez disput. 20. cit. num. 7. Sylvester loco supra cit. Corduba in quæstionario quæst. 38. dub. 2. Gabriel Vazquez cap. 2. de restitut. §. 1. dub. 7. Aragô 2. 2. quæst. 64. artic. 7. indubio ante difficultatem contra 3. concluf. concluf. 2. Et ratio est. Quia non licet intendere mortem alicuius, vel illam accelerare, vt alius saluetur, quia est medium intrinsecè illicitum, quod non potest reddi honestum ex fine.

4 Sed difficultas est, an liceat vti medicamentis, quæ conducant quidem, & habeant effectum sanitatis, ex eis tamen præuideatur secuturus aborsus, qualia sunt sanguinis missio, purgatio, vnguenta, & alia similia. In qua nonnulli affirmant licere. Corduba quæstion. 38. cit. dub. 2. Petrus Aragon loco cit. concluf. 1. Thomas Sanchez cum alijs disputat. 20. citat. num. 14. Sed quamuis in hac sententia sic accepta vniuersè conueniant multi, attamen diuersimode eam limitant. Quidam dicunt id licere fœminæ, non tamen medico, vel obstetrici. Alij excipiunt casum, quando esset spes probabilissima fore, vt matre ab his medicamentis abstinente, licet cum vitæ periculo, fœtus in lucem prodiret, vt baptizari posset: quia ordo charitatis obligat ad præferendam vitam spiritualem proximi extremè indigentis vitæ corporali propriæ; Petrus Nauarra loco cit. num. 134. Alij restringunt vt non sit licitum vti illis medicamentis, quando æque ordinantur in matris salutem, & fœtus periculum: exigunt enim vt sint magis effectiua sanitatis matris, quam aborsus. Sic ex Corduba in sum. Ludouico Lopez & alijs refert Sanchez disput. cit. numero 18. Addit autem Thomas Sanchez ibidem num. 19. quando medicamentum esset anceps, an sit allaturum auxilium vel mortem, si salus matris desperata est, licere vti eo remedio indubio.

5. Fundamenta eius, in quo conueniunt isti DD. hæc sunt. Primo. Quia actiones humanæ speciem sumunt ex eo, quod per se est in intentione operantis, non autem ex effectu per accidens subsecuto, vt docet Diuus Thomas 1. 2. quæst. 74. artic. 7. in corpore. At principalis intentio in his medicamentis fertur in sanitatem matris; fœtus autem mors, & aborsus peraccidens, & præter intentionem accidit. Ergo est licitum vti illis medicamentis. Secundo. Quia pollutio non minus est intrinsecè mala, quam extinctio fœtus animati: & tamen, quamuis illam procurare non liceat, fas est illam permittere dando operam rei licitæ; vt studio, confessionibus audiendis, aut etiam rei indifferenti, vt equitando, & iter agendo. Tertio; Quia per accidens & præter intentionem occidere innocentem nulla est culpa, vt contingit in bello iusto, & in eo qui equo currens aliter euadere non potest, quàm occidendo puerum jacentem in via, cum id præter intentionem accidat. Ergo erit licitum homicidium in isto casu secutum per accidens. Quartò. Quia inuadente fera matrem fugientem cum fœtus periculo damnaret nemo. Quinto. Quia potius mater videtur habere ius ad medicamẽtum salutiferum cum morte fœtus, quam fœtus cum morte matris, cum hic pendeat à matre, non è contra: matre enim vi morbi sublata mori etiam fœtum fere necessarium est. Sexto. Quia si proles iam nata materno lacte extreme indigeat, & matri ad seruandam vitam necessarium sit vbera exsiccare, posset vtique non obstante fœtus morte per accidens secuta, magis enim tenetur suæ saluti, quam fœtui consulere. Ergò idem dicendum erit in nostro casu.

6 Sed quamuis hæc sententia probabilibus in speciem nitatur argumentis, mihi duo videntur dicenda. Primum est. Si remedium sit missio sanguinis, quo subtracto, quia est alimentum, fœtus ejiciendus præuidetur, licet vti eo remedio ad tuendam matris vitam. Alterum est, alia remedia etiam ad tuendam vitam matris, ex quibus sequitur fœtus immatura abiectio non per subtractionem alimenti, sed per alterationem aliquam positiuè causatam ex medicamento vel potione, nequaquam licere, sed est peccatum homicidij illa ad hibere. Hanc sententiam quo ad vtramque partem docuit Gabriel Vazquez de restitut. capit. 2. §. 1. dub. 7. nu. 28. & ca. 5. §. 2. dub. 6. nu. 23. & sequentibus, & nonnullis confirmat, quæ in compendium redigam. Prima ergo pars probatur. Quia licet sanguis sit alimentum prolis,

prolis, tamen sanguis ita est alimentum prolis, vt etiam sit matris illi deseruiens ad vitæ sustentationem. Vnde licet proles ius habeat ad illud alimentum, sed etiam mater habet, & prius ius ad illum sanguinem vt fuerit illi opus: non enim tenetur intra se retinere alimentum proli, nisi prius suæ saluti consulens. Neque obstat quod non possit quis extremè indigenti auferre cibum ad propriam vitam tuendam, ex quo illi sequatur mors, vel acceleretur, & ex consequenti neque poterit sanguinem mittere prægnans vt saluetur, si inde speretur secutura mors fœtus. Dico enim esse longè diuersam rationem. Nam quando quis aufert cibum ab extremè indigenti, facit contra ius illius, quia aufert ab illo cibum, ad quem ille solus, cum illum possideret, habebat ius. At vero in hoc casu proles ita habet ius ad sanguinem, vt & mater etiam habeat ius ad illum tanquam alimentum, & ita prius suæ saluti debeat consulere, neque intra se retinere etiam ad tuendam vitam prolis, quod sibi nociuum est. Nam cum mater ex solo superfluo teneatur alere, non tamen ex sibi nociuo, ideò potest etiam cum damno prolis mittere sanguinem sibi nociuum. Neque obstat etiam, quod vita spiritualis prolis in vtero periclitetur, quia mater non tenetur vitam temporalem pro illa perdere, cum de sua salute spirituali dubia est, & aliàs ad id non teneatur ex officio, vt docet Vazquez ibidem. Secunda vero pars probatur ab eodem capit. 3. §. 2. dub. 6. Quia potione eiusmodi positiue occiditur innocens, & voluntariè, quando quidem præuidetur periculum fœtus. At positiuè occidere innocentem voluntariè homicidium est, & nunquam licet etiam ob propriam vitam. Nullus enim ius habet lædendi aliquem innocentem, vt se defendat, quod tamen secus est in subtractione alimenti vt dicebamus, quia ius naturæ concedit alimentum primò matri, eo quod ita natura ordinatum est, vt illa tueatur vitam prolis ex superfluo tantum.

7 Ad fundamenta oppositæ sententiæ facilis est solutio. Ad primum dico difficilem explicatu esse mentem Diui Thomæ de specie, quam sumit actus humanus ex re indirectè volita, de quo latè dixi 1. 2. in materia de peccatis. At modo dico certam apud me doctrinam esse etiam actum humanum, qui consummatur exterius, speciem sumere etiam ab eo, quod est indirectè tantum volitum: neque esse necessarium vt circunstantia nocumenti sit expressè volita, sed satis est sit indirectè volita, vt tribuat speciem actui: vt cum quis vult iacere sagittam in feram, prope quam videt esse hominem, siue id faciat ex ignorantia culpabili, siue præuidens, non tamen intendens, siue directè intendens, eadem est species homicidij. Quam doctrinam eleganter & solidè nobis tradidit Gabriel Vazquez tom. 1. in 1. 2. disput. 102. capite 4. numero 5. Quare vt applicatio eius medicamenti habeat malitiam homicidij, non est necessarium sit homicidium per se intentum & directè, sed satis est præuideatur periculum, & applicetur causa, ex qua sequatur probabiliter. Ad secundum respondet optimè Gabriel Vazquez dicto capite 3. §. 2. dub. 6. esse disparitatis rationem inter homicidium & pollutionem; quod pollutio non imputatur peccato, nisi sit per se intenta, etiam si sit voluntaria indirectè: quia tota illius malitia consummatur in actu intentionis, aut saltem in applicatione medij non habentis alium effectum. Quam etiam doctrinam tradidit 1. 2. disputation. capite & Ioannes Azor tomo 3. libro 3. capite 25. quæstione 3. At vero peccatum homicidij consummatur exterius, & in actu exteriori reperitur primaria illius malitia; & ita nunquam licet aliquid voluntariè facere, vnde sequatur probabiliter homicidium positiue. Quia tunc sine intentione illius nihilominus imputabitur, & non est causa sufficiens excusans homicidium tueri vitam propriam, quoties homicidium est innocentis. Quod enim ius esse potest tuendi eo modo propriam vitam? Ratio autem quare vt pollutio imputetur peccato, debeat esse intenta, à posteriori quidem est. Quia certum est ex omnium doctrina posse aliquem vacare bonis actibus, etiam si præuideatur periculum pollutionis; quod in multis casibus explicat Azor loco proximè citat. quæst. 4. 5. 6. & 7. in quibus non est peccatum ex defectu tantum intentionis. A priori autem ea videtur esse ratio, Quia effusio seminis, aut procuratur ab homine immediate, vel in causa non habente alium effectum: & sic iam est per se intenta: aut sequitur sine intentione, & sic sequitur ex naturali virtute expultrice, quæ naturaliter operatur nobis etiam nolentibus, & reluctantibus, & in rebus necessarijs occupatis, quæ ad longè alia conducunt. Atque ob id necessarium est ex natura ipsa,

vt ad huius malitiam requiratur directa intentio, quod longè aliter se habet in homicidio, cum non possit sequi ex naturali aliqua potentia in nobis naturaliter operante. Ad tertium respondetur, esse diuersam rationem de occisione innocentis in bello iusto. Innocentes enim tunc cum nocentibus occidentur ad impetrandam victoriam, quæ aliter obtineri non potest, ita exigente bono publico, quod præponderat. Quod autem in alio exemplo adducitur, falsum est. Non enim potest equo fugiens occidere innocentem iacentem in via, vt docet idem Gabriel Vazquez de restitut. capit. 2. §. 1. dub. 7. quia est positiua occisio innocentis. Ad quartum respondet idem Vazquez dub. 7. citat. disparem esse rationem. Quia fuga matris tunc ex natura sua fit in conseruationem vtriusque, & non tantum vnius, sed æquè vtriusque; & ita parum refert, quod inde sequatur mors fœtus: at medicamentum applicatur in defensionem matris, & positiuam occisionem fœtus, quod non licet. Ad 5. constat ex dictis nullum esse ius ad tuendam propriam vitam cum periculo innocentis. Ad vltimum etiam constat ex dictis non teneri matrem alere de sibi nociuo, & esse diuersam rationem de sub tractione cibi, & de aliorum medicamentorum applicatione.

Quando sit illicitus actus coniugalis ratione damni?

CAPVT XIIII.

SVMMARIO.

Coitus damna ex Clemente Alexandrino numero 1.
Cum periculo aut notabili damno coniugis non posse reddi, num. 2. 3.
Neque si sit leprosus aut morbo contagioso infectus, teneri alterum concedere nu. 4.
Quale peccatum sit accedere ad menstruam vxorem, variæ sententiæ, esse veniale nu. 5. 6.
Quid de accessu ad vxorem grauidam, num. 7.
Quid de copula statim post partum, num. 8.
Quid de copula tempore lactationis infantis, numero 9.
Quid de copula tempore amentiæ, num. 10.

1 NON pauca, neque exigua damna ex coitu oriri eleganter describit Clemens Alexandrinus lib. 2. pœdagogi cap. 10. ante medium hisce verbis: *Quod si hoc ipsum, an ducenda sit vxor, veniat in considerationem: quomodo libere permittitur, sicut nutrimento, ita etiam coitu semper vti, tanquam necessario? Ex eo ergo videri possunt nerui tanquam stamina differri, ac extendi, & in vehementi congressus intensione disrumpi. Iam verò offundit etiam caliginem sensibus: roburque interrumpit. Patet hoc in animantibus rationis expertibus, & in ijs quæ in exercitatione versantur corporibus: Ex quibus hi quidem qui abstinent, in certaminibus, superant aduersarios: illa vero acoitu abducuntur, itaque adeo vix circumaguntur, & trahuntur omnibus viribus, & omni animi impetu perfectè exinanita. Paruam epilepsiam coitū dicebat Sophista Abdexitanus existimans morbum immedicabilem. An non enim ex eo consequuntur resolutiones, quæ exinanitioni eiusquè quod abscedit abscribuntur magnitudini? homo enim ex homine enascitur, & vellitur. Vide damni magnitudinem: totus homo per exinanitionem coitus abstrahitur. Dicit enim. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea. Homo tantum exinanitur semine, quantus cernitur corpore, est enim generationis initium id quud recedit: quin etiam conturbat ebullitio materiæ, & compagem corporis labefactat, & commouet. Lapide ergo dixit ille, qui interroganti, quomodo ad huc rebus vteretur venereis: Bona verba, quæso, ego verò lubenter isti hinc, tanquam ab agresti, & insano domino profugi.* De quo etiam argumento multa Galenus lib. 2. de sanitate tuenda. Damnum autem hoc considerari potest, & ex parte reddentium debitum, & ex parte prolis, atque hæc duo complectemur breuiter in hoc capite nec enim difficilem explicationem habent, & de his latè Thomas Sanchez lib. 9. disput. 21. cum quatuor sequentibus.

2 Si ergo damnum ipsorum contrahentium consideretur, vel alterius ex illis, primò certum est, & communi Doctorū sensu receptum, cum coniugis vita in discrimen adducitur, non esse obligationem reddendi debitum, nec posse ab illo peti sine peccato mortali. Apertissima huius ratio est, qua vtitur Ricardus in 4. dist. 31. artic. 1. quæst. 1. Quia noluit Deus virum obligari mulieri in his, quæ sunt contra rectam inclinationem naturæ: recta autem inclinatio hominis per prius est ad actum nutritiuæ potentiæ, quo conseruatur proprium individuum, quam ad actum generatiuæ: siquidem

prius

prius sumit de nutrimento, quod necessariũ est indiuiduo, & superfluum reseruat ad actum generationis. Hinc fit hominem non teneri ad actum generationis in præiudicium notabile incolumitatis corporis proprij. Atque eodem spectat illa ratio. Durandi, quod iuxta ordinem charitatis, quilibet tenetur plus sibi, quàm alteri: & ideo, si redditio debiti redundet in periculum propriæ personæ, non tenetur quis alteri debitum reddere. Atque in hoc conueniunt omnes excepto Gabriele, cuius argumentum adducam. Quia mulier debet posthabere valitudinem suam spirituali vitæ mariti. Verum hoc facile diluitur, nec enim maritus est in extrema necessitate spiritualis salutis, vt illi prospicere teneatur etiam cum periculo vitæ suæ. Vir enim liberari potest voluntate sua, si libidinem vincat. Quibus etiam fauet Thomas Sanchez disputatione 24. numero 12. Ex qua ratione colligitur non solùm coniugem posse non reddere, sed etiam teneri non reddere, cum non habeat suæ vitæ dominium, & hæc sit maior, & potior obligatio, & ideo obligatio matrimonij ad vsum corporis eam exceptionem semper contineat. Similiter etiam ex eadem ratione constat esse peccatum mortale in petendo ab illo propter generalem doctrinam â nobis traditam capite 3.

3 Secundo certum est apud Doctores, & communi sensu receptum in quarto distinctione 32. cum notabili valitudinis detrimento non teneri, nec posse reddere debitum, neque ab eo exigere sine peccato propter eandem rationem. Vnde coniugi febre laboranti non potest reddi debitum, neque grauiter vulnerato, nec dolore affecto, si tamen copula grauiter noceat illi dolori aut vulneri. Similiter post prandium non tenetur coniux reddere, nec potest, si experimento cognouit graue salutis detrimentum sequi. In hoc autem consulendi sunt medici, & præterea iudicium ferendum ex temperamento, & complexione hominis, cum in aliquibus possit esse notabile damnum, in alijs leue. Similiter, si sæpe ac sæpius petat, & coniux ex ea redditione notabilem debilitatem incurrat, negare potest, & tenetur sub mortali, vel veniali pro quantitate damni illati.

4 Tertio certum est, si coniux sit leprosus, atque eodem morbo, qui integer est, inficiri facile potest, non teneri reddere debitum cum qui sanus est, nec posse. Sic docent Paludanus in quarto distinctione 32. quæstione prima, articulo primo, conclusione prima, Durandus quæstione prima numero octauo Aureolus, & Gabriel eadem distinctione quæstione prima articulo secundo conclusione prima Azor cum alijs tomo tertio libro tertio, capite 31. quæstion 20. Ratio est eadem desumpta ex notabili salutis detrimento. Nec mirum, cum sponsalia superueniente lepra dissolui iam olim responderit Vrbanus Tertius *capite 3. de leprosorum coniugio*, quod est in Appendice Concilij Lateranensis part. 50. capit. 63. Paulo aliter. Atque idem dicendum, si quolibet alio morbo contagioso verbi gratia Gallico laboret alter coniux, ex quo sanus notabile salutis detrimentum pati possit. At si de Medicorum sententia vel non sit periculum infectionis, vel non instantaneum in vno vel altero congressu, attenta compositione, & temperamento coniugis, reddere potest, & tenetur, & potest ab eo peti. Atque in hunc sensum accipiendus est textus in *cap. 2. de leprosorum coniugio*, in quo dicitur reddendum esse debitum coniugi petenti, etiam lepra infecto. Similiter dico, si magnus sit horror cõiugis sani, quem concipit de leproso, vel infirmo coniuge, ita vt pro complexione ad nauseam prouocetur, & valde horreat, censeo cum Thoma Sanchez propter horrorem excusari â reddendo debito. In quo valde attente consideranda est complexio coniugis, ne licentia detur non reddendi sine sufficienti causa. Atque iuxta hæc iudicandum est de obligatione cohabitandi cum leproso; licet non negauerim actum charitatis esse, & valde meritorium, si ex Dei amore velit cohabitare, nec deserere ita infirmantem coniugem, etiam cum periculo suæ infectionis.

5 At si attendamus damnum prolis, multa sunt, de quibus disputari solet. Primum est, an liceat accedere ad vxorem tempore menstruorum? Et in primis certum est apud omnes, quod quando menstrua sunt præter naturalia, vel perpetua, vel diuturna, licitum esset petere, & reddere. Similiter ad vitandum dissidium, & odium vxoris, cum tunc pacis bonum excuset, quæ cum alijs docet Ioannes Azor dicto libro tertio capite 31. quæstione 13. Adde etiam certum esse licitum esse petere debitum, & reddere ad vitandum periculum incontinentiæ, vel in se, vel in coniuge, vt docet idem Auctor ibidem. Quare dubium est, an sit peccatum

extra hos casus accedere ad menstruatam vxorem. In quo dubio sensi aliquando esse mortale peccatum, cum viderem de eo Patrum testimonia. Nam Clemens Romanus libro sexto constitutionum Apostolicarum capite 27. hæc habet. *Cum naturalis purgatio cernitur in vxoribus ne se cum illis commiscent mariti, vt proli consulatur. Id enim lex prohibuit, cum ait: Ad eam quæ patitur menstrua, non accedes: neque cum grauidis rem habebis. Qui enim habent non liberis, sed voluptati operam dant. Qui autem studiosus Dei est, non debet esse studiosus voluptatis.* Gregorius libro 12. epistola 31. interrogatione decima. *Nisi purgationis tempus transierit, viris suis non debent admiscere: quippe quia, & sine partus causa cum consuetis menstruis detinentur, viris suis misceri prohibeantur, ita vt morte lex sacra feriat, si quis vir ad menstruatam mulierem accedat.* Eadem habet Nicolaus Primus ad consulta Bulgarorum cap. 64. Cum menstrua etiam coitum detestatur Hieronymus in capite 18. Ezechiel, & Augustinus quæstione 64. in Leuit. Si enim, cum verosimile periculum salutis est, culpa lethalis est vxori copulari: in hoc casu, & propriæ valitudinis, & monstruosæ prolis periculum subest, vt constat ex his, quæ Leuinus Lemnius tradit libro primo de occultis naturæ miraculis capite octauo, & alij medici confirmant. Non ergo videtur licere fœminæ menstruorum tempore viro petenti lociam se, & ministram præbere ad opus iniquitatis. Atque ideo eo tempore nequaquam ad concubitum cogi poterit, quia eo tempore non debet, cum non accedat ad illam vir absque peccato: peccato autem cooperari non liceat. Atque eandem sententiam sequitur Azor quæstione citata, & ex Theologis innumeri, & ex iuris peritis non pauci, quos refert Thomas Sanchez libro nono disputat. 21. numero secundo. Alij dicunt nullam esse culpam, idque probabile putat Sanchez ibidem num. 7.

6 Denique alij dicunt esse culpam venialem, quod mihi videtur probabilius, & sequitur Thomas Sanchez loco citato, & Ægidius disputatione 34. dubio nono conclusione secunda. Itaque regulariter peccatum veniale erit, nisi excusetur ex eo, quod vrgeat incontinentiæ periculum. Ratio autem huius inordinationis non est desumenda ex præceptis, & legibus Ecclesiasticis, quas iam existimo exoleuisse, sed ex ipsa rei natura. Quia videlicet semen frustratur præcipuo fini, scilicet, prolis effectu sine causa. In quo tantum leuis culpa reperitur, cum omittatur finis præcipuus sine causa vel excusatione aliqua. Quando enim est incontinentiæ periculum iam consequitur alium finem licet minus præcipuum. Atque inde legitimam rationem prohibitionis antiquæ apud Moysem Leuit. 18. desumpsit Clemens Alexandrinus libro secundo pædagogi capite decimo hisce verbis. *Hic ipse ergo Moyses, cum suis quoque vxoribus prohibet congredi si forte eas detineant purgationes menstruæ. Non enim purgamento corporis id quod est maxime genitale seminis, & quod mox homo futurus est, polluere est consentaneum: nec sordido materiæ profluuio, & quæ expurgatur inquinamentis in audace & obruere: semen autem degenerat, ineptum que redditur si matricis succis priuetur. Nec vero vllum vnquam induxit veterum Hebræorum coeuntem cum sua vxore prægnante &c.* Quare si incontinentiæ periculum non excutiet, peccatum saltem veniale est, si menstrua vxor petat, vel ab ea petatur, & si reddat, quia cooperatur illicito vsui corporis in eo casu iuxta nostra principia tradita supra capite tertio. In quibus dissentit Thomas Sanchez disput. 21. citata numero 16. nec mirum cum dissentiamus in principijs: paruus autem error siue meus siue illius in principio, magnus sit in fine, necesse est.

7 Ex his colligitur primò, quid dicendum de copula coniugali cum vxore grauida. Si enim sit periculum aborsus, mortale peccatum est ex communi sententia. Et ratio est aperta ex dictis. At si non subsit periculum aborsus, sit tamen incontinentiæ, nullum est peccatum in reddendo, neque petendo. Quod si neque periculum incontinentiæ sit, veniale peccatum existimant multi propter eam rationem, quam assignat Clemens Alexandrinus loco supra citato cum inquit: *Neque vero vllum vnquam induxit scilicet Moyses veterum Hebræorum coeuntem cum sua vxore prægnante. Sola enim voluptas si quis ea etiam vtatur in coniugio est præter leges, & iniusta, & à ratione aliena. Rursus autem abducit Moyses à prægnantibus quousque pepererint. Reuera enim matrix sub vesica quidem collocata, super intestinum autem quod rectum apellatur posita, extendit collum inter humeros in vesica, & os colli, quod admittit semen, impletum occluditur, rursusque inane redditur fœtui qui purgatur. Fructu autem deposito semen deinde suscipit.* In quam sententiam multa subiungit. Quod mihi probabilius est, cum Azor tom. 3. quæst. cit. licet alij neque culpã venialẽ agnoscant, inter

ter quos est Thomas Sanchez disputatione 22. numero sexto Ægidius dubio nono citato conclus.4.

8 Secundo colligitur, quid dicendum de copula statim post partum ante purificationem ex sanguine. In hoc enim casu eodem modo iudicandum est,atque de ea, quæ est cum vxore menstruata: & Ioannes Azor capitulo citato quæstione 15. regulariter existimat esse veniale. Nec video quo fundamento Thomas Sanchez, cum agens de accessu ad menstruatam agnoscat culpam venialem, in hoc casu neget disputatione 22. numero 11.Nam & proli, & fœtui, si concipiatur eo tempore, damnum inferri constat ex Galeno libro primo de sanitate tuenda.

9 Tertiò colligitur tempore, quo lactatur infans,nullum esse peccatum vxori copulari per se loquendo. Quia in hoc nulla deformitas est. Dixi *per se loquendo*. Quia si valde inopes sint,& si vxor concipiat, non habebit lac, quo filium alat, aut certum esset notabile proli detrimentum sequi; quod tamen sequi indicat Galenus loco citato non excusarem à culpa congressum illum, cum eo subtrahatur alimentum extremè indigenti, quod tamen alimentum sine suo damno retinere poterat coniux. Neque verò tenetur, aut potest periculo incontinentiæ subuenire cum morte, vel notabili damno innocentis, quem alere tenetur. Neque ab his dissentit Thomas Sanchez disput. 22. num. 14.

10 Denique colligitur tempore amentiæ,si vxor amens sit, & furiosa, non licere copulam ob periculum manifestum prolis; facile enim euenire potest, vt sufficetur; eiusmodi periculum non est in viro etiam furioso. Quod si insani sint, non tamen furiosi, sed sicut simplices pueri, non est peccatum illi reddere debitum. Videndum etiam ex medicorum consilio, an amens ex coitu deterior fiat, & maius salutis detrimentum patiatur: tunc enim iudicandum erit copulam esse illicitam mortaliter, vel venialiter iuxta tradita supra isto capite. Quare qui sanus est, non poterit ab insano in eo casu petere, neque reddere sine peccato mortali, aut veniali iuxta regulas,quas trandidi supra capite tertio.

(?)

Quo pacto reddendum sit debitum cum dubio iuris aut facti?

CAPVT XV.

SVMMARIVM.

Quid de doctrina huius capitis latè, & rectè, numero 1.
In dubijs tutiorem partem esse eligendam, tam in dubio iuris quam facti,num.2.
Aliqua inde colliguntur,num.3.
Obijcitur ex materia sacramentorum, num.4.
Diluitur obiectio,num.5.
Iuxta eam regulam procedendum in dubio matrimonij, reddendū,& non petendum debitū,n.6.
Eius legitima ratio assignatur,num.7.8.
Explicatur etiam ea ratio, quando dubium est de cōsanguinitate,aut vita prioris coniugis,n.9.
Opponitur ex motu Pij V.num.10.
Opponitur ex cap.conquestus de rest.spoliat.numero 11.
Opponitur ex contractu cum ea,quam dubitat esse seruam,num.12.
Quando vterque coniux est dubius, neque potest peti,nec reddi,num.13.
Excipe in impedimento impotentiæ, quod ipsa vsu cognoscendum est,num.14.
Quid si matrimonium non sit consummatum, & dubium incidat,num.15.

1 DOCTRINA huius capitis valde necessaria est,& quæ ad plures in specie casus decidendos valde confert:illam præ cæteris,quos ego legerim tradidit verius atque solidius Gabriel Vazquez 1.2.disput.66.à cap. 2. cuius doctrinam in compendium redigentes huic inserimus loco.De eo etiam egregiè postea scripsit in signis; Magister Complutensis non minus moribus quam doctrina eruditus Ludouicus Montesino 1.2.tit.1,disp.29.q.4.

2 Sed antequam doctrinam tenendam circa istud punctum tradamus, suppono primò celebrem illam sententiam in iure canonico, *in dubijs tutiorem partem esse eligendam*. Quam regulam expressè tradunt Pontifices in *capite ad Audientiam*, & *capite significasti primo*, & *secundo de homicidio*, & *capite iuuenis de sponsalibus*, vbi in dubio homicidij præcipitur abstinendum à ministerio altaris propter suspicionem, aut dubium irregularitatis:reddit autem rationem Pontifex, *Nam in dubijs tutior pars est*

eligenda. Et quãuis nonnulli eã regulã solũ velint intelligi in dubio facti, non iuris, at in vtroque dubio obseruandam esse docuit Gabriel Vazquez 1. 2. disput. 65. cap. 3. & disput. 66. cap. 1. & Ludouicus Montesino 1. 2. disp. 29. quæst. 4. §. 1. num. 82. Et quidem locum etiam habere in dubio iuris hac aperta ratione conuincitur. Quia eadem ratio, quæ suadet habere locum in dubio facti, suadet in dubio iuris. In dubio autem facti habemus manifestam definitionem Pontificis indictis capitibus, qui non tanquam nouê statuit in dubijs tutiorem partem esse eligendam, sed potius supponens regulam illam tanquam veram ex ea colligit, in dubio homicidij habendum illum vt irregularem. Ratio autem propterquam in dubio facti eligenda est tutior pars, ea est, ne forte fiat illud, quod reuera malum, & peccatum est. Idem autem periculum est in dubio iuris; quare eadem regula seruanda. Adde nullam commodã assignari posse regulam quando in iuris dubio sit eligenda tutior pars, quando secus.

3 Ex quo fit primò, eum qui tenue beneficium habet, & dubitat vtrum recitare teneatur, peccare lethaliter si non recitat. In eo enim casu habet conscientiam dubiam: at cum ea operari non deposito dubio non licet. Idem dicendum, cum quis dubius est, an votum emiserit: tenetur enim sequi tutiorem partem, vt optime docuit Gabriel Vazquez disput. 65. capit. 3. & in alijs multis, quæ non rectê infert Sanchez lib. 2. disput. 41. â num. 1. ob diuersa fundamenta, ex quibus procedimus. Sed nunc non est locus omnia prosequendi.

4 Sed huic vniuersali doctrinæ, quam statuimus in dubio tutiorem partem esse eligendam, obstare videtur id, quod communi sensu receptum est, scilicet in administratione sacramentorum, cum necessitas adest, licere sequi opinionem probabilem, etiam si non sit probabilior, si eo tempore non potest esse vsus probabilioris sentẽtiæ, eo scilicet fine, ne pereat salus proximi. Similiter in casu, quo baptizatus fuerit aliquis adhibita forma, vel materia dubia, & de qua sunt variæ Theologorum opiniones, iterari debere baptismum sub conditione cum forma, & materia indubitata, ne salus paruuli exponatur periculo, si forte maneat sine sacramento. In his autem non videtur eligi tutior pars. Quia si quis non iteret sacramẽtum baptismi, vel non vtatur opinione illa probabili, cum probabiliori vt non potest, tantum se exponit periculo peccandi contra virtutem Eleemosynæ, vel misericordiæ: at vero si repetat sacramentum baptismi, vel operetur iuxta eam opinionem probabilem, se exponit periculo peccandi contra religionem, & irrogandi iniuriam sacramento. Ergo non eligit tutiorem partem. Tutior enim pars est, vel in qua eligitur quod alienum est â culpa, vel saltem est minus malum. Minus autem malum est peccare contra misericordiam, quâm contra religionem.

5 Dicendum tamen adhuc in eo casu eligi tutiorem partem, & ideo repetendum sacramentum sub conditione, vel in casu necessitatis operandum iuxta opinionem probabilem, si non sit locus probabiliori; sicut & eadem ratione in casu necessitatis extremæ is qui est in peccato, ministrare potest sacramentum sine peccato, si tempus ita vrgeat, vt ministro non sit locus pœnitendi. Nam, vt docet vere, & solidè Gabriel Vazquez 2. tom. in 3. part. disput. 136. cap. 4. quamuis sit maior virtus religio erga Deũ, quam misericordia erga proximum; tamen quia Deo plus placet, vt proximo, in cuius vtilitatem institutum est sacramentum, succurramus, quam vt dispositionem aliàs debitam erga sacramentum seruemus, ideo tunc licitè, & Sanctè Sacramentum in peccato mortali celebratur, & celebrari debet. Quã rationem breuiter attigit D. Thomas 2. 2. quæst. 30 art. 4. ad 1. Et hoc sensu intelligitur illud Hos. 6. *Misericordiam volo, & non sacrificium, & scientiam Dei plus quam holocaustum*. Eadem ratione licet iterato sacramento sub conditione, non tolleretur vi cõditionis iniuria sacramenti, adhuc reperendum esset in dubio. Periculum enim repetendi baptismum, quod videtur esse contra religionem, minorem obligationem inducit, quam periculum salutis proximi, vt ei iterum remedium sacramẽti concederemus. Id quod, vt notat optime idem Gabriel Vazquez loco citato, & disput. 146. cap. 3. num. 31. non solùm nascitur ex libera voluntate Dei, sed etiã ipsa institutio sacramẽti id suapte natura deposcit, & iure naturali diuino ita dicendum est. Nam sacramentũ institutũ est in remedium humanæ miseriæ; & ita ratio ipsa postulat, vt non censeatur irreuerenter tractare sacramentum, nec Deo iniuriam irrogare, qui vrgente necessitate eius, propter quem institutum est, illud ministret in peccato, vel repetat in dubio. Neque in hoc casu obligatio maioris virtutis cessare dicitur occurrente minore, sed circunstantia quædam,

dam, quæ necessaria erat, vt maior virtus obligaret, adueniente necessitate, ad quam ex minori virtute tenemur. Circunstantia autē necessaria, vt obligat religio ad illam reuerentiam erga Sacramentum, & Deum est, ne sit in detrimentum eius, propter cuius necessitatem institutum est. Hæc Gabriel Vazquez. E quibus constat etiam in illo casu locū habere regulam illā in dubijs tutiorē partem esse eligendam. Sed de sensu huius regulæ dico plura de ordine, & annexis, lib. 2.

6 Sed, cum certa iuris regula sit, *in dubijs tutiorem partem esse eligendam*, & in matrimonio dubium oriri possit, vel si credens certò priorem coniugem cum alio contraxerit, & de prioris obitu dubitare incipiat; vel de alijs impedimentis dubium incidat, explicatione indiget, quo pacto se in eo gerere debeat coniux, qui dubitat. In varias quidem sentētias DD. diuisi sunt, quas late, & efficaciter impugnat Gabriel Vazqu. cui adhæret Thomas Sanchez lib. 2. disput. 41. Refertetiā & refellit Montesino disputat. cita. q. 4. §. 4. Habemus tamen in ea re expressam decisionem Pontificis in cap. *Dominus, de secundis nuptijs, & in cap. inquisitionis, de sententia excommunicat.* In primo hæc respondet Lucius III. *Si vero aliquis, vel aliqua id hactenus non obseruauit, & de morte prioris coniugis adhuc sibi existimat dubitandum, ei quæ sibi nupsit, debitum non deneget postulanti, quod à se tamen nouerit nullatenus exigendum.* In secundo verò Innocentius III. *Verum cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabili, & discreta, quā uis non euidenti, & manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, ne in alterutro, vel contra legem, vel cōtra iudicium conscientiæ committat offensam.* Hæc respondere Pontifices.

7 Legitimā huius decisionis rationē, & ex principijs ipsius rei petitam tradit Couarruuias 2. parte, de matrimonio, cap. 7. §. 2. num. 7. quem postea secuti sunt alij. Nititur autē regula sup. dicta, *in dubijs tutior pars est eligenda.* Ex duabus autem partibus illa tutior est, vel in qua nullum peccatum est, vel si necessarium sit ex duobus malis vnum eligere, illa tutior sit, in qua minus malū reperitur. Quoties enim duo mala occurrunt, vt necesse sit alterum eligere, illud eligendum est, quod aliàs minus esset, *cap. duo mala, cap. nerui testiculorum, distinct.* 13. Id quod ratione manifesta comprobatur. Nam cum in nullo casu cōcedendum sit aliquem esse perplexum, ita vt non possit aliquam partem sine peccato eligere, & ex duobus malis, si alterum necessariò eligendum est, maior sit ratio. vt eligatur id quod minus est, sequitur illud sine peccato eligi posse; & quod aliàs absolutè ex se cōsideratum malum esset, tunc non esse Peccatum: cessat enim propter occurrentiam alterius, ac proinde eam partem esse tutiorem, si eligatur occurrente alio maiori malo.

8 Ex hoc autē principio ita colligit Couarruuias. Quia cum ex duobus malis minus sit eligendum, minus malum est reddere in dubio matrimonij, quam non reddere. Esse autem minus malum ex eo constat, quod reddens solum se exponit periculo incontinētiæ contra castitatem: at in non reddendo exponet se periculo peccandi contra ius matrimonij. Grauius autem peccatum est contra iustitiam, quam contra temperantiam, vt docet Diuus Thomas 2. 2. quæst. 58. art. 12. licet hominibus peccata cōtra iustitiam turpiora videantur. Vnde hæc maior obligatio non nascitur ex præcepto Ecclesiæ coniugibus impositō de reddēdo debito in dubijs: Ecclesia enim non aliud præcipit, quam id, quod coniux iure naturali facere debet, cum in dubio est animus. Si enim aliàs in dubio nō deberet reddere, nō posset Ecclesia id præcipere cum periculo incōtinentiæ, aliàs posset facultatem concedere aliqua ex causa accedendi etiam ad non suam.

9 Verum quia contingere potest, vt dubium sit de matrimonio ratione alicuius impedimenti consanguinitatis, vel quia existimatur viuere prior coniux; in quo dubio reddens debitum exponit se periculo committendi peccatum non solum contra castitatē sed etiam incestus, vel etiam iniustitiæ contra primum matrimonium, in negando autē, solum se exponit periculo agendi contra iustitiam: ideo addendum est, quando Pontifex in c. *Dominus, de secun. nupti.* expresse agit de reddēdo debito in dubio prioris matrimonij, adhuc in his casibus eligi tutiorem partem, & minus malum. Quia in dubio circa mortem prioris coniugis magni momenti est possessio, ratione cuius causa matrimonij posterioris multo maior, & potior est. Ex quo fit esse maius malum non reddere petenti, qui est in possessione secundi matrimonij, quam exponere se periculo incontinentiæ, & adulterij contra primum matrimonium. Itaque in eo casu non est minus malum reddere, quia peccatum non reddēdi sit contra plures, & maiores virtutes, cum tantum sit contra iustitiam. Sed quia conditio possidentis multo fortior est, tantæque efficacitatis, & virtutis, vt nulla sit iniuria cōtra prius

matrimonium reddere in dubio debitum petenti. Quare ex hac parte multo fortius manet ius matrimonij secundi, quam primi, cū in fauorem secundi sit certa possessio, & ex alia parte sit maior obligatio iustitiæ, quā castitatis. Idē dicendū si dubiū sit de impedimēto cōsanguinitatis, adhuc enim maius est periculum in non reddendo ratione possessionis. Nam possessio matrimonij bona fide cōtracti multo maioris momenti est, vt fiat iniuria coniugi petenti in non reddendo, quā dubium consanguinitatis, vt fiat iniuria sanguini in reddēdo. Cum ergo periculum iniuriæ vnius omnino tollatur per possessionem, in qua est ius quoddam quæsitum per matrimonium, restat, vt ex alia parte periculum incontinentiæ non impediat, quia censetur multo minus, quam periculū iniustitiæ. Inter alias autē duas partes, scilicet petere, & non petere, plane constat tutius esse non petere, atque ita optime constare decisionē Pontificum in prædictis capitibus. Addit etiā rectè Montesinus quod ille reddendo debitum non se exponit periculo incontinentiæ & incestus, nisi solum materialiter, quoniam habet iudicium prudēs, quo iudicat id, quod secundum Canones est definitum, scilicet, in casu dubij reddendum esse debitum coniugi petenti.

10 Sed contra doctrinam istam opponi potest primò, quod Pius V. in quodam Breui Indis ad fidem conuersis, qui cum pluribus vxoribus contraxerant, & primam inuenire non poterant, concessit vt cum secunda remanerent, etiamsi certi non essent de morte prioris coniugis. Sed in primis ex hoc argumento, si esset alicuius momenti, sequeretur etiam posse reddere, & teneri cum mala fide quia illi Indi cum mala fide cū pluribus vxoribus contraxerant. Quare respondetur Pontificem locutum esse iuxta text. in *cap. gaudemus, de diuortijs*, secundum quem licet infideli conuerso alium coniugem ducere, si infidelis vel non vult cohabitare, vel non vult sine iniuria Creatoris, vt dictum est sup. lib. 7. Ex eo autem, quod coniux diu quæsitus inueniri non poterat, merito præsumpsit Pontifex infidelem coniugem nolle cohabitare sine Creatoris iniuria, vel absolutè cohabitare nolle. Ex qua eadem ratione explicuimus supra lib. 9. alias literas Gregorij XIII. Quam etiam sequitur Gabriel Vazquez disputat. 66. cit. cap. 5.

11 Secundo opponi potest tex. ex *c. conquestus, de restit. spoliat.* vbi Innocentius III. in eo casu, in quo agitur de impedimento matrimonij, & quæstio est, an fieri debeat restitutio spoliati ante probationem, respondet, si non offerantur statim probationes, debere fieri restitutionem ad habitationem, & torū; si vero afferantur in continenti, tantum restitui debere ad habitationem, non ad torum propter periculum incestus. Ex qua decisione videtur effici, non obstante dubio de impedimento matrimonij, posse debitum peti. Sed respondetur facile decisionem illā Pontificis totā inniti præsumptioni. Ex eo enim, quod afferantur in continenti probationes, præsumit nullum subesse impedimentum, & ideo peti, & reddi posse debitum. At si coniuges quamuis non afferant in cōtinenti probationes, vel certò sciunt, vel dubitant impedimētum esse, potius tenentur pati excōmunicationem, quam copulari. Neque obstat, quod habetur in *capit. literas*, coniugem posse petere, vel reddere, quando impedimē tū tantum est ex iure positiuo: refertur enim tantum, vt opinio quorundam Antiquorum oppositum tamen decisum est in *cap. inquisitionis, de sentent. excommunic.*

12 Tertio opponitur. Quia si quis contraxerit ignoranter cum serua, & postea de eo impedimento incipiat dubitare, & de cōditione vxoris, & ex consequenti de valore matrimonij, reddere potest, & petere, si velit denuò contrahere cum illa matrimonium, non tamen obligari potest ad reddendum. Quia præiudicaret suæ libertati. Non ergo est vniuersaliter verum coniugem in dubio teneri reddere debitum, licèt non possit petere. Respondetur tamen adhuc in eo casu coniugem dubium de conditione vxoris teneri reddere debitum petenti. Quia id præstare potest sine detrimento suæ libertatis. Quamuis enim reddat animo coniugali, nō obest suæ libertati, quia non eo ipso habet ratum, vel approbat matrimonium, quod ignorās cum serua contraxit, sed accedit eo tantum animo, vt reddat id ad quod obligatur in dubio matrimonij, ne forte iniuriam irroget alteri coniugi. Quam etiam obligationem reddendi debitum eo pacto, & animo agnoscunt alij Doctores, qui oppositum sentiunt, quoties contingit dubium de seruitute leue. Sub quadam distinctione conatur discordantes in hoc sententias conciliare Montesino loco citat. nu. 145. sed quod dixi probatur magis.

13 Ex dictis colligitur primò, quando vterque coniux est dubius, aut cum mala fide nulli licere petere, & ex cōsequenti nec reddere. Pontifices enim in dictis capitibus decer-

cernũt dubiũ coniugẽ petere nõ posse. Quare qui negaret petenti in eo casu, nihil facit iniuste, cum non posset rectè, & licitè reddere. Deinde fit idem dicendum esse, quamuis mala fide alter tantum contraxerit: ea enim mala fides efficit, vt petere non possit, non tamen obstat quo minus reddat alteri coniugi bona fide contrahenti, vniuersè enim decernit Pontifex dubium coniugem posse reddere, & non petere.

14 Deinde colligitur, si dubium sit de impedimento impotentiæ, & frigiditatis licitum esse petere, & reddere. Ratio est, quia quando dubium est de impedimento matrimonij, ius habet vnusquisque inquirendi de prædicto impedimento. Impedimẽtum autem frigiditatis inuestigari non potest, nisi vsu, atque conatu, ideo licebit in tali vsu, & inuestigatione perseuerare tempore ab Ecclesia præscripto, vel dum experientia compertum sit non posse vti coniugio.

15 Demique colligitur, si matrimonium nondum consummatum, & dubium incidat de valore matrimonij, toto tempore duorum mensium non posse reddere debitum. Ratio est aperta: quia toto eo tempore liber est, & licitè, ac secundum iura negare potest. Ergo negando non se exponit periculo agendi iniustè, atque adeo tutius est eo tempore negare, quam reddere. Elapso autem eo tempore non debet retinere alterum coniugem suspensum, sed vel detegere dubium, vt impedimentum examinetur, si tamen eam reuelationem profuturam credat, non nocituram. Quod si non credat fore alicuius momenti, reddat debitum, & non petat. Nam minus videtur durum obligare dubium coniugem ad ingressum religionis, vt ea ratione liberum relinquat alium coniugem ad ineundum cum altero matrimonium: quia nisi status religionis suscipiatur sponte, difficiles solet exitus habere, & multæ aliæ causæ se se offerre possunt, ob quas ad ingressum in religionem cogi non possit.

Scio aliter sentire alios: at mihi id videtur probabilius, vt sentit etiam Gabriel Vazquez disputatione citata, cap. 6. in fine.

(.?.)

De delectationibus morosis inter coniuges.

CAPVT. XVI.

SVMMARIVM.

Quid agendum, num. 1.
Omnem delectationẽ de peccato mortali esse mortalem, num. 2.
Inferuntur nonnulla, num. 3.
Delectationem de ipsa cogitatione non semper esse mortale, & aliquando neque veniale, n. 4.
Obiectioni occurritur, num. 5.

1 DE HOC argumento dixi latè 1. 2. in materia de peccatis, quæst. 74. ad articulum 8. Ea tamen, quæ ibi dixi, redigam in compendium, generalem etiam doctrinam comprehendens, quæ ad iudicãdum in quauis delectatione morosa sufficiens sit, de quo etiam agit latè Ioannes de Salas 1. 2. tractatu 13. disputat. 6. per multas sectiones. Duo igitur in hoc capite examinanda sunt. Primum an delectatio morosa de re formaliter mala sit peccatum mortale. Secundum, an delectatio de opere materialiter malo sit etiam mala mortaliter, & quibus regulis vtendum sit.

2 Igitur quòd ad primum attinet, dicẽdum est primò delectationẽ omnem de peccato mortali esse mortalem. Quod videtur esse secundum fidem certum Prouerbior. 2. *lætantur cum malefecerint*; & docent Augustinus tomo 2. epistola 119. cap. 10. & tom. 8. in Psalmũ 9. ibi, *Exultabo super salutare tuum*, & Psalm. 50. in principio, & Psalm. 57. in illud, *sicut aspidis surdæ*, & tomo 10. sermon. 17. de verbis Apostoli, cap. 2. Gregorius 1. moralium. cap. 3. Isidorus lib. 2. de summo bono, cap. 39. Bernardus, lib. de dispensat. cap. 42. & docet Diuus Thomas 1. 2. quæstion. 34. & cum eo Scholastici omnes. Imo & Aristoteles 10 Ethicor. cap. 3. nouit esse malam delectationem, & fideles omnes se accusant, dũ lætantur, vel se iactant de malè factis. Et ratio est: quia illa delectatio est affectus vitalis liber, & de obiecto malo formaliter. Ergo est mala: sicut enim consensus efficax effectiuus accipit malitiam ab effectu malo, ita etiã consensus affectiuus erit malus, si versetur circa obiectum malum, licèt non sit effectiuus. Vnde fit gaudium de peccato commisso non solum esse malum, quia nititur á voluntate efficaci mali operis, sed etiam formaliter ratione sui, quamuis ab eo amore efficaci

ci non oriretur. Sicut etiam ille, qui gaudet de peccato proximi, peccat, licet illud gaudium non fuerit ortum â voluntate efficaci adiuuandi proximum ad peccatum. Nam effectus ille terminatur ad obiectũ hic, & nunc intrinsecê malum spectatis omnibus circũstantijs. Vnde nullo honesto motiuo honestari poterit gaudium de peccato proprio, vel alieno, quia obiectum illud habet intrinsecã turpitudinem. Neque obstat quod possit aliquis gaudere de peccato, vt est causa alicuius boni, quod ex eo ortum est. Nam gaudium de peccato, vt est causa boni effectiuè, est gaudere de effectu ipso, non verô de peccato, vt infra magis explicabo.

3 Hinc colligitur primò delectationem morosam esse mortalem, siue sit delectatio voluntatis, & appetitus simul, vt frequenter accidit, siue sit solius voluntatis, quod fortê est possibile, siue sit solius appetitus voluntate permittente, cum facile posset, & deberet reprimere prædictã delectationem, aut voluntate, quamuis non delectante formaliter, imperante tamen appetitui delectationem. Deinde fit esse peccatum mortale delectari de mortali, siue sit in materia venerea, siue alia, siue prohibita iure naturali, siue positiuo. Nam siquis gaudeat, quod libere comederit carnes die prohibito, peccat mortaliter: est enim gaudere de transgressione legis. Quam illationem probat consensus fidelium, qui indifferenter damnat delectationem morosam, de quouis malo opere, & rationes etiam eodê modo de omnibus procedunt. Rursus fit esse mortale delectari de quouis opere mortali, quod quis credit se fecisse, licet nõ fecerit: quod æque est certum, quia in ordine ad effectum perinde est, quod accidisse putetur, ac si acciderit. Deniq; fit esse mortale delectari de quouis opere mortali, quod neq; accidit, neq; accidisse creditur, neq; periculũ est, ne accidat, sed in mente fingitur accidisse. Nã siquis mente fingat se violasse legem ieiunij, aut fœminam corrupisse, & de ea violatione delectatur, ac si accidisset, sine dubio peccat mortaliter. Et huic instituto fauent quædam testimonia Patrum, quæ ad aliud afferri solent: & Augustinus 12. de Trinitate, ca. 12. Gregorius, & habetur cap. *huic etenim, distinct.* 49. versic. *ponderosus.* Et ratio est, quia bonitas, vel malitia affectus sumitur ex obiecto verê, vel apparenter repræsentato. Ergo cum delectatio tunc tendat in obiectum apparenter malum, erit mala; idq; non minus certum est, quam ea, quæ hactenus diximus.

4 Secundò dicẽdũ est. Siquis opus mortale cogitet, & delectetur, non de ipso mortali cogitato, sed de ipsa cogitatione, non est mortale, & aliquando neque veniale, & sæpe laudabile est. Docet Diuus Thomas 1. 2. quæst. 74. art. 8. & communis sententia, quæ ex dictis manifeste probatur. Nam affectus est malus ex obiecto malo: sed cogitare mortalia non est malum, aliàs non ageremus de peccatis sine peccato. Ergo delectatio de cogitatione peccatorum non est mala, neque peccatum.

5 Sed obijcies, tempore Diui Thomæ, vt constat ex dict. art. 8. erat probabilis opinio nullam delectationẽ morosam de re illicita esse mortale peccatum, & hoc etiam tempore idem existimarunt nonnulli viri Docti, & de opere prohibito iure positiuo, communis sententia docet, nullam delectationem esse malam, & de opere prohibito iure naturali non omnem delectationẽ esse mortalem sentiunt non pauci. Quo modo ergo tam apertus error in fide est asserere delectationem morosam de opere malo non esse malam? Respondetur tamen Catholicorum sententiam, quæ liberat omnem delectationem morosam, aut aliquã à culpa mortali, non loqui de delectatione morosa de peccato formaliter, siue re ipsa, siue secundum opinionem, aut fictiorem: hoc enim apertè pugneret cũ fide; sed loquitur tantum de delectatione morosa circa opus malum materialiter. Vt siquis videns ægrotum die Veneris comedere carnes, delectetur in se, ac si comederet, nõ cogitãs de prohibitione in illa die, sed mente, & affectu abstrahens ab omnibus circunstantijs, quæ actum illum reddunt mortalem, & de illo sic præcise sumpto delectatur, quod quidem obiectum secundum se non est malum. Quæstio ergo, quæ inter Catholicos disputatur, & de qua diuersa sentiunt, non est, vtrum delectatio de mortali formaliter sit peccatum, sed vtrũ delectatio de opere mortali materialiter, quod, scilicet hic, & nunc, si mandaretur executioni, esset mortale, sit semper mortalis, quantumuis desit voluntas illud faciendi, & periculum talis voluntatis, & quantumuis cogitatione, & affectu obiectum denudetur ijs circunstantijs, quibus si executioni mandaretur esset mortale. In primo sensu locuti sumus in 1. conclusione & eius corollarijs: in secũdo vero loquemur in sequentibus.

(.?.)

Quando delectatio de opere materialiter malo sit mortalis?

§. I.

SVMMARIVM.

Referuntur variæ sententiæ, num. 6.
Vera sententia statuitur, & explicatur, num. 7.

6 NON vna est Doctorum sententia. Primò enim quidam affirmãt nullam delectationem morosam esse mortalem. Huius sententiæ meminit D. Thom. artic. 8. cit. & probabilem dicit Corduba lib. 1. quæstion. q. 23. & communiter tribuitur Martino de Magistris, quem tamen Vazquez 1. 2. disput. 109. cap. 1. docet, nunquam de omni delectatione fuisse locutum. Eius autem sententiæ sensus est nullum obiectum esse adeò intrinsecè malum, quod non possit præscindi à circunstantijs vitiantibus obiectum, & de quo sic præscisso voluntas simplici delectatione gaudere non possit. Secundò alij docent in alio extremo omnem delectationem esse mortalem, quantumuis ab extrinseco, & ex solo iure positiuo prohibeatur: docet Ioannes Medina C. de restit. quæst. 21. §. *Mihi tamen.* Tertio alij dicunt nullam delectationem de opere prohibito solo iure positiuo esse malam, & omnẽ delectationem de obiecto prohibito iure naturali esse malam intrinsecè. Sic Ledesma 1. p. 4. quæst. 1. art. 7. Corduba lib. 2. quæst. 30. d. . Gabriel in 4. dist. 15. quæst. 13. art. 3. dub. 3. qui & alios refert pro hac sententia. Imo recentiores, vt docet Gabriel Vazquez disput. 111. cap. 1. contendunt secundam partem huius sententiæ esse communẽ, apertè deduci ex omnibus fere Theologis, cum D. Thom. quæst. 74. cit. art. 8. in corpore adiuncta solutione ad 5. Quartò alij docẽt neque omnem delectationem de opere materialiter malo lege positiua prohibito, neque omnem de opere prohibito iure naturali esse bonam, neque omnem esse malam mortaliter, sed alias esse malas mortaliter, alias venialiter: alias indifferentes, alias bonas, siue sint de obiecto prohibito iure naturali, siue tantum iure positiuo. Sic Gabriel Vazquez à disput. 110. vsque ad 116.

7 Nostra tamen sententia duas habet partes. Prima est. Non omnis delectatio morosa libera est à mortali peccato. Loquimur autem, quando delectatio est de opere, non vt malum est formaliter. Atque hanc partem amplectitur communis Doctorum sententia apud Vazquez disput. 109. cap. 2. & recentiores alij artic. 8. cit. Estque adeo certa, vt oppositum temeritate non careat. Secunda pars est. Non omnis delectatio morosa est mortale peccatum. Ita Doctores 1. 3. & 4. sententiæ contra secundam, quam intolerabilem, ridiculam, & periculosam appellat Vazquez disput. 110. cap. 2. vt pote quæ multis indoctis potest esse occasio grauis ruinæ sine vllo fundamento. Ratio autem vtriusque partis colligenda est ex differentia voluntatis efficacis, & delectationis. In quo primum certum est sæpe licere delectari de aliquo, quod non liceret facere, delector enim de suspenso latrone, quem iustè non possem suspendere. Differentia verò inter voluntatem efficacem & delectationem est, quod voluntas efficax ponit obiectum cum omnibus circunstantijs: & quia obiectum cum omnibus circunstantijs est malum, & prohibitum, etiam voluntas illius efficax, quamuis non feratur directè, & expressè in omnes circunstantias, moralis est, & easdem species malitiæ habet, atque obiecta ipsa. Delectatio autem, quia est affectus non effectiuus rei, sed rem ipsam supponens, potest præscindere vnam formalitatem ab alia, & amare bonam aut indifferentem relicta mala: & tunc malitia non erit volita directè, vt constat, neque indirecte. Quia tunc amatur aliquid indirecte, quando ponens vnum, ponit consequenter aliud: quod non habet locum in affectu, qui non ponit, sed supponit rem, non secus ac si inuincibilis ignorantia esset illius circunstantiæ, à qua præscindit. Quia autem accidit aliquando obiectum non ab extrinseco, sed ab intrinseco habere malitiam, fit vt delectatio circa illud opus & obiectum habens malitiam ab extrinseco ex varijs circunstantijs loci, temporis, certæque personæ, denudari possit à malitia, alia vero non possit. Atque hæc ratio est, quare non omnis delectatio sit mortalis, neque omnis sit libera à mortali. Quæ autem delectatio sit mala vel non sit, subiectis regulis explicandum est.

(*?*)

Prima regula de delectatione in materia venerea.

§. II.

SVMMARIVM.

De delectationibus in materia venerea iudicandum, sicut de voluntate efficaci, num. 8.
Non licere delectari venereè sub conditione si mulier esset sua, num 9.
Non licere viduo delectari de copula præterita, num. 10,
Non licere sponsis de futuro delectationem de copula futura, num. 11.
Non licere coniugatis alligatis voto delectationem de actu coniugali, num. 12.
Non licere delectationem de pollutione habita in culpabili modo, num. 13

8 PRIMA ergo regula sit. *Omnis delectatio morosa in materia venerea est mala, & de illa eodem modo iudicandum est quoad malitiam & speciem illius, atque de volitione efficaci venerea.* Ratio huius regulæ est. Quia huiusmodi delectatio hoc habet singulare, vt ex voluntate redundet in appetitum, & residens in appetitu habeat vim accendendi sanguinem, & fouendi corporis ardorem, & subministrandi libidinis materiam ex diuersis partibus vocatam. Vnde principium præbet operi externo non minus quam oscula, tactus, & amplexus libidinosi, vt recte Nauarrus iuxta doctrinam D. Thom. & sum. Tabiena, quos refert Gabriel Vazquez disput. 112. cap. 1. quidquid ipse contradicat cap. 2. Atque hoc fundamentum, quod caput est nostræ sententiæ contra Vazquez, præter quam ostendit ratio facta, & experientia, confirmãt etiam nonnulla egregia Patrum testimonia. Primum est Ambrosij lib. 1. de pœnit. cap. 13. hisce verbis: *Est enim flamma, quæ interna vrit, vnde hunc ignem non alligemus in sinu mentis, & excessu pectoris, ne interioris nostri hominis vramus exuuias, & forense hoc nostræ animæ vestimentum, velamenque casmale edax libidinis flamma consumat, sed transeamus per ignem, & si quod incidit amoris incendium transiliat mens, & non alliget adulterinam cupiditatem vinculis cogitationum, nullosque sibi modos assiduæ nexu meditationis adstringat &c.* Secundum est eiusdē Ambrosij in Apologia Dauid posteriori. *Liganit* (inquit) *aliquis ignem in sinu suo? Caue igitur tu, ne intra sinum tuæ mentis ignem libidinis & amoris accendas; ne corporeum vestimentum illo animi consumatur incendio, ac perpetuitatem resurrectionis amittas. Si per libidinum faces tibi putaueris esse gradiendum: nam qui vritur coxae, cõburitur corpore.* Alludit Ambrosius ad illud Salomonis Ptouerb. 6. *Nũquid potest homo abscõdere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant?* Ignem enim ex Ambrosij sententia in sinu alligat, absconditque ille, qui impudicam & turpem delectationem per cogitationem menti, aut cordi adstringit. Hæc vero corpus, quod instar est vestis, qua anima vtitur, incendio suo corripit, atque ad opus turpitudinis perficiendum, quasi furialibus facibus perducit. Confirmat etiam Augustinus serm. 250. de tempore. *Quomodo enim* (inquit) *si aliquis carbones ignis apprehenderit, si cito proiecerit, nihil nocebant ei: si vero eos diutius tenere voluerit sine vulnere eos iactare non poterit: ita ille qui ad concupiscendum oculos defixerit, & libidinis malum in corde suscipiens moras in suis cogitationibus habere permiserit, excusere eas à se sine animi occisione aut plaga non poterit.* Similia habet Chrysostomus epist. 4. ad Olympiadem.

9 Hinc infertur primò non licere homini soluto delectari veneree sub conditione, si mulier esset sua. Nam quidquid sit de ea quæstione, an sit possibilis delectatio conditionalis, & de ea quæstione, an liceat in alijs materijs, certe in materia venerea non licet. Quia licet obiectum non sit de præsenti, & posita ea conditione fieret licitum; attamen ipsa delectatio præsens est, & de præsenti principium ex se operis illiciti. Sic docent, quamuis ex diuerso fundamento, Caietan. Armilla, Nauarrus, Corduba, Medina, Valentia, & alij plures, quos refert & sequitur Thomas Sanchez lib. 9. de Matrim. disput. 42. in corollarijs 1. concluſ.

10 Secundò infertur non licere delectationem venèream coniugis vidui ortam ex cogitatione copulæ habitæ tempore matrimonij. Non quia obiectum eius directum sit illicitum, nõ enim est magis illicitum, quàm delectationis iudicis de occisione latronis facta eo tempore, quo iudicium exercebat: sed quia delectatio est principium operis illiciti externi, quod non accidit in alijs delectationibus, vt dicam postea. Sic Petrus de Soto ex alio fundamento, & cum Nauarro plures refert, & sequitur Tomas Sanchez loco citat. & Gabriel Vazquez disput. 114. capit. 2. contra Palud. Angel. Valentiam, Victoriam, Medinam, Sa, & alios, quorum fundamentum ex dictis euersum est; & alias eodem modo probarent

barent licere soluto, qui nunquam contraxit matrimonium; delectari de copula habenda tempore matrimonij, quod absurdum est.

11 Tertiò infertur non licere sponsis de futuro delectationem veneream de futura copula ex eodem fundamento. Quia eiusmodi delectatio de præsenti est principium operis illiciti. Ita docent, licet ex alio fundamento, Gabriel Vazque, & Thomas Sanchez locis cit. cum Recentioribus, & ferè omnes, qui contrarium sentiunt in corollario præcedenti. Pro quibus contra nos potest esse hoc argumentum. Nam ex nostra sententia fit esse mortale peccatum coniugatos absentes delectari de copula, siquidem illa ob absentiam haberi de præsenti non potest. Sequelam cõcedunt Nauar. Corduba, Sà, & alij, quos refert Sanchez disput. 44. num. 2. Alijs autem videtur hoc nimis scrupulosum, maximè cũ non videatur eadem ratio procedere, quæ in casibus superioribus, quia delectatio illa ordinatur ad copulam cum coniuge, quæ tunc est licita; licet per accidens sit impossibilis. Sic docet communis Doctorum quos sequitur Sanchez ibidem num. 3. Mihi primum videtur dici magis consequenter, & verius.

12 Quartô infertur non licere delectationem veneream de copula coniugatorum, qui se voto castitatis obligauerunt, aut quibus vsus matrimonij præcepto Ecclesiastico interdictus est, vt quando coniux contraxit affinitatem aut cognationem cum altero coniuge, ratione cuius remouetur à petitione debiti. Nam illis est illicita copula. Ergo etiam delectatio illa non minus, quam volitio efficax, vt dixi. Hæc illatio est contra Sanchez supra num. 19. Nec tamen sequitur ex ea esse mortale coniuges delectari in loco sacro, de copula habita vel habenda extra illum: tum quia voluntas efficax copulandi extra locum sacrum peccatum non est: tum etiam, quia coniugalis copula etiam in loco sacro non habet malitiam, vt dixi supra. Multo ergò minùs delectatio.

12 Quintô infertur ex eodem fundamento non licere delectationem veneream de seminis effusione in somnis habita, vel alio modo inculpabili. Quidquid enim sit de ea quæstione, an liceat delectari de opere facto inculpabiliter, attamen in materia venerea non licet propter rationem dictam. Sic docent, quamuis ex alio fundamento Soto, Medina, Ledesma, Corduba, & alij, quos refert, & sequitur Zumel 1. 2. quæst. 74. art. 8. disput. 4. dub. 2. & 4. Sunt tamen alij non pauci, qui docent licitum esse delectari de dicta seminis effusione ob sanitatem, vel alium honestum finem, veluti mitigationem tentationis leuata iam natura. Sic Vazquez disput. 105. cap. 2. cum Alexandro, Adriano, Syluestro: & alijs quos refert Zumel loc. cit. sed meo iudicio in re nõ differunt. Nam gaudere de seminis effusione ob sanitatem nõ est gaudere de pollutione, sed de bono sanitatis secuto.

Proponuntur aliæ regulæ ad alias delectationum materias.

§. III.

SVMMARIVM.

In alijs materijs à venerea delectatione de opere proprio, quod ipse sine peccato potest efficere, non esse peccatum nisi vitietur ex motiuo expresse adiuncto, num. 14.

Idem est si sit alicui honestum opus, de quo est delectatio, num. 15.

Quando simplex delectatio de opere malo sit mala, num. 16.

Non esse eandem rationem simplicis delectationis & voluntatis efficacis, num. 17.

In quibus affectibus possit præscindi opus à circunstantia vitiante, num. 18. 19.

Explicatur in alijs materijs à venerea an liceat delectari de obiectis malis, sub conditione si non essent mala, num. 20.

14 SECVNDA regula sit. *Nulla delectatio morosa de opere proprio, de quo potest ipse habere honestam volitionem efficacem, est mortalis, nisi delectatio illa vitietur ex motiuo extrinseco expresse adiuncto.* Quæ doctrina communis est, & meo iudicio euidẽs. Quia quod licet facere, licet appetere, & licet, etiam gaudere de licitè appetibili. Non enim mala delectatio est, nisi quia est de obiecto malo; malum autem obiectum non est quod licitè appetitur. Nec video cur delectatio de eleemosyna exhibita sit bona, & de diuitijs comparatis sit indifferens, & de vindicta sumpta sit mala, nisi quia obiectum est bonum, malum, vel indifferens. Ex quo fit licere iudici delectari de suspenso latrone, quia licet velle occidere latronem: & coniugibus delectari de copula habita vel habenda, quia licet illam efficaciter velle. Et quamuis Gabriel Vazquez disput. 111. capit. 3. num. 9. hanc regulam reprobet, ea tantum ratione quia solutus licitè potest statuere vxorem du-

cere

cere, & tempore matrimonij ad illam accedere: & tamen ante tempus celebrati matrimonij delectatio illa mortalis est, ea ratio non mutat regulam propositam. Quia, vt dixi in 1. regula §. præced. alia est ratio de delectatione venerea, quæ eiusdem rationis est cum efficaci voluntate. Quare ab illa ad alias delectationes argumentum desumi non potest.

15 Tertia regula. *Quoties volitio efficax operis est vni moraliter honesta, cuicumque alteri licet delectatio de tali opere alieno, nisi ex motiuo extrinseco vitietur.* Sermo est alijs delectationibus à venereis. Et à posteriori probatur. Nam quia iudex licitè suspendit latrones, & ægrotus comedit carnes in quadragesima, & Deus peccatores punit, licite delectamur de omnibus istis, dummodo non delectemur ex motiuo inhonesto. Nam si delectamur de dānato latrone ex motiuo vindictæ, mortalis est delectatio. Et ratio à priori est. Quia delectatio illa habet obiectum licitum. An vero licita sit delectatio de factis alienis, siue proprijs inculpabiliter vel in amentia aut somno factis, quæ ex se sunt intrinsecè mala, dicam infra.

16 Quarta regula. *Affectus simplicis complacentiæ, & delectatio de obiecto & opere quocumque, tunc est mala, quando motiuum eius directum & formale, quod, & sub quo includit circunstantias, sub quibus executio talis operis prohibetur iure naturali, vel positiuo: attamen non est mala, quando ex parte motiui deest aliqua circunstantia, qua deficiente voluntas efficax non esset mala.* Hæc regula simul illustratur exemplo atque probatur. Non licet sano in quadragesima esus carnium, nec homini priuato occisio alterius, neque iudici occisio animo vindictæ, certè si quis contempletur se sanum comedere carnes in quadragesima, aut non factum iudicem hominem occidere, aut iudicem creatum animo vindictæ aliquem occidere, & de his obiectis delectetur, delectatio mortalis est, quia est de obiecto vestito circũstantijs vitiantibus actum. Sed si die veneris statuat comedere carnes die Dominica, & de carnibus ea die comedendis delectetur, die veneris, ea delectatio non est mortalis. Huiusmodi enim affectus nõ est malus, nisi quia est de obiecto malo, & obiectum non est malum, nisi quia contrarium legi: obiectum autem prout tunc denudatur à circunstantia vitiante, & obijcitur menti & affectui simplici, non est contrarium legi. Ergo ea delectatio, quæ speciem sumit ab obiecto per intellectum proposito non erit peccatum.

17 Neque hinc licet inferre eandem esse rationem cuiusuis delectationis, & voluntatis efficacis. Valde enim differunt. Primò, quia volitio efficax mala esse potest, licet nõ tendat directè in circunstantiam vitiantem opus, non tamen delectatio, quæ non transit in efficacem volitionem qualis est venerea, cuius differentiæ ratio tradita est supra illo cap. in principio. Ex quo etiam prouenit secunda differentia, quod quis efficaci voluntate sæpe non potest honestè aliquid prosequi, quamuis directè non attendat malitiam vitiantem, & circunstantiam, vnde sumitur vitium, eo quod à parte rei non est sine tali circunstantia, & consequenter non possit non attingi indirectè circunstantia à volente eiusmodi opus. Attamen delectatio morosa, cum non sit effectiua, potest affectiue amplecti circunstantiam licitam, & omittere eam qua opus vitiatur: & ideo sæpe de opere, quē non possumus licite efficaciter velle, potest esse licita delectatio abstrahendo à tempore, vel loco, vel alia circunstantia vitiante opus.

18 Sed superest explicandum, in quibus operibus possit effectus præscindere opus à circunstantia vitiante, & consequenter versari circa ipsum opus sine malitia morali. In quo dicendum est primò id fieri posse in opere prohibito iure positiuo: nam hæc opera sunt mala ex lege extrinseca prohibẽte, quæ cessare potuit. Ex quo etiam fit, quia neque imaginatiua, neque appetitus, nisi ex imperio directo intellectus & voluntatis, tendit in transgressionem legis, ideo ferè nunquam simplicem affectum appetitus sensitiui in opere prohibito solo iure positiuo esse mortalem. Nota tamen, si quis delectetur de hoc opere hic & nunc & sub hac individuali libertate facto esse mortalem delectationem. Nam in obiecto directo huius delectationis inuenitur legis transgressio: cum ad libertatem requiratur rationis iudicium, quo opus illicitum esse cognoscitur.

19 Dicendum secundo, non posse eam separationem fieri in eo opere, quod iure naturali quauis circunstantia existente prohibetur, qualè est odium Dei vel mendacium. In huiusmodi enim operibus non potest præscindi opus à malitia, cum semper & vbique sit malum independenter à quacumque circunstantia, atque adeo delectatio de illo semper est mala. At vero in opere prohibito iure naturali spectatis aliquibus circunstantijs, præscindi potest à circunstantia, sub qua prohibetur, & consequenter à malitia, vt patet in furto, ad quod requiritur circunstantia re alienæ,

alienæ, aut in homicidio, ad quod exigitur, quod fiat priuata auctoritate. Huiusmodi ergo delectatio abstrahendo ab illis circunstantijs non est mortalis. Atque hinc etiam constare potest, quomodo possit esse sine peccato delectatio de iniusto duello. Possunt enim ibi ars, ingenium, robur, & sanguinis etiam effusio præscindi à circunstantia vitiante, ab ini quo animo. Docet Petrus de Soto lect. 9. de discrimine peccat. §. *At vero*. Caietan. *v. delectatio*, aliique complures.

20 Ex dictis colligitur, quid dicendū sit, an liceat delectari de obiectis malis sub cōditione, si nō essent mala. Supponamus autē dari posse simplicē affectū conditionalē, qui tēdat in obiectū vestitū tali conditione, qualis est hic, latrones occiderē, si essem iudex, qui affectus resoluitur in hunc, placet mihi occisio latronis à me iudice secundum meam æstimationem facta. Nam iuxta dicta, cum eadem distinctione procedendum est. Primo, si cōditio, qua obiectū induitur, tollit ab illo formalē rationē malitiæ, licitus est prædictus affectus v. g. si essem iudex latrones occiderem, si hæc res aliena non esset, illa vterer hoc vel illo modo. Denudari autem possunt per conditiones à malitia ea obiecta, quæ vel sunt prohibita iure positiuo, vel licet sint prohibita iure naturali, attamen eorum malitia dependet ab aliqua circunstantia iuxta dicta. Denique, si per illam conditionem non remoueatur malitia, vt cōtingit in his, quæ in quacumque circunstantia mala sunt, non licet huiusmodi delectatio, cum obiectum quacumque conditione posita remaneat, malū. Locuti autem sumus de delectationibus diuersis ab his, quæ sunt in materia venerea: nam de venereis dixi supra in regula prima.

De potestate mariti ad irritanda vota vxoris.

CAPVT XVII.

SVMMARIVM.

Quid agendum, num. 1.
An vir habeat plenum dominium in voluntatē vxoris, prima opinio affirmans, num. 2.
Negatiua verior, num. 3.
Soluuntur fundamenta, num. 4.
Non posse maritum irritare votum vxoris de non petendo debitum, nu. 5.
Nec votum de opere faciendo tempore soluti matrimonij, num. 6.
Neque emissum ante matrimonium, si non est materia subiecta, num. 7.
Idem dicendum de votis emissis in priori matrimonio num. 8. 9.
Vota in totū irritata à marito non reuiuiscere, secus si ex parte, vel ad tempus suspensa, nu. 10.

1 HACTENVS explicata est potestas coniugum in corpus mutua in ordine ad solutionem debiti. Restat vt explicemus in hoc libro aliū effectū matrimonij, scilicet, potestatē cōiugū mutuā in voluntatē, quæ spectatur in ordine ad irritationē votorū, ex quo deducemus postea facultatem coniugum ad vouēdum. Et quia ex eisdem principijs deducitur, agemus etiam vniuersē de facultate vouendi eorum, quæ in aliena potestate sunt, vxorum, religiosorum, seruorum, & filiorum, qui sub patria potestate sunt. Sed de ea facultate vouendi postea, nunc de potestate mariti ad irritanda vxoris vota.

2 Sed primū omniū explicādū est, an vxor subijciatur marito quātū ad dominiū volūtatis ad irritationē votorū. Affirmarūt nonnulli, & ita docuerūt posse maritū omnia vota vxoris irritare. Quā opinionē probabiliorē iudicat Thom. Sanc. li. 9. de matrim. c. 39. n. 4. Citatq; pro ea S. Thom. 2. 2. q. 88. ar. 3. ad 3. Quē infra interpretabimur, eāq; tribuit glos. in *c. manifestum* 33. q. 5. & Gratiano ibi. licet nō satis apertē loquātur. Tribuit etiā glossæ ordiriæ, & Hugoni in c. 30. Nume. Verū glossa & Hugo expresse excipiūt votū cōtinentiæ, quātū ad nō petendū debitū, & ideo manifestē sentiūt maritū nō habere dominiū absolutū volūtatis vxoris; sed ea tantū vota irritare posse, quæ illi subijciuntur ratione materiæ. Refert etiā Bonauent. in 4. dist. 32. in expositione literæ, ibi tamē Bonauētura manifestē excipit votū cōtinētiæ: citat Durand. in 4. dist. 38. sed ibi solū cōtendit Durandus posse maritū emittere votū aliquod, quod mulier nō possit irritare, de quo dicemus infra. Refert etiā Abbatē in *c. scripturæ de voto* Palud. in 4. d. 38. q. 3. art. 1. Abulens. in c. 30. Num. q. 84. Rosellā *v. votū* 2. supplem. in 4. dist. 32. q. vnica art. 2. Isti tamē omnes excipiunt votū immoderatū eleemosynæ, & ideo sentiūt voluntatē vxoris nō subijci viro simpliciter, sed ratione materiæ voti. Alios vero refert, qui necessario explicādi sunt de dominio ratione materæ, quia, vt dicā c. sequenti, generatim docēt posse subditū quēcūque sine consensu superioris emittere votū de materia nō subiecta superiori. Citat distinctē Sotū lib. 7. de iustitia q. 3. art. 1. Sed ibi apertē docet Soto posse vxorē emittere votū de non petendo debito, quāuis, vt in

fra videbimus, in eo faueat huic opinioni, quod existimat posse maritū irritare illud votū, de quo infra dicemꝰ. Probat verò hāc sententiā Thomas Sanchez n.4.cit.ex c.30.Numer. vbi hæc habentur. *Si habuerit maritum, & vouerit aliquid, & audiens vir statim contradixerit, & irritam fecerit pollicitationem eius &c.* Contenditque ex lectione 70. & quorumdā aliorum deducere sermonem esse de omnibus vniuersim votis, in quē sensum citat Augustin.tom.4.q.59. in Numer. & Ambrosiū lib. de Paradiso c. 10.& refertur *c.fin.33.q.5.* Tan dē ratione probat, quia vir est caput vxoris, vt cōstat. Ergo illi subijcitur vxor simpliciter.

3 Cōtrariam tamen sententiā sequuntur plures iuris periti in *c. scripturæ. de voto & in d.c.manifestum*, & ex dictis cōstat plures Doctores citatos pro priori opinione hanc amplecti, & sequitur Antonius 3.p.tit.2. c.22.§. 1.Mairon.in 4.dist.38.q.1.Palacios ibi disp. 7.Valentia 2.2.q.88.puncto 6.Azorto. 1. lib. 11.c.17.q.12.Nauar.in sum.c.12.n.64. & plures alij, quos refert Thomas Sanchez disput. cit.Et mihi hæc sententia videtur probabilior nempe maritū non habere dominiū volūtatis vxoris simpliciter ad irritanda quæcumque vota, sed tantū ratione materiæ, & existimo hanc esse sententiā D.Thomæ.Nā 2. 2. q. 32. art. 8. ad 2.fatetur posse vxorē sine facultate mariti facere eleemosynā aliquam de aliquibus bonis proprijs. Ergo manifestè supponit maritū non habere dominiū absolutum volū tatis vxoris, quantū ad omnia. Poterit ergo ex mente S.Thomæ vxor sine consensu mari ti votū facere de ea eleemosynā elargienda. Deinde ratione probatur, & explicatur hæc opinio. Quia ex natura contractus matrimonij non deducitur tale dominium vniuersale voluntatis vxoris. Hic enim contractus ex natura sua ordinatur ad generationem prolis: educationem eiusdem, & individuam vitæ societatem: & ideo vir est caput vxoris, quantū ad regimen familiæ, & bonorum administrationem. Vniuersale autem dominium voluntatis simpliciter, quantum ad omnia vota nullo idoneo argumento probatur.

4 Ad primum autem, quod adducitur ex c.30.Numer. respondemus à multis ita explicari, vt non intelligatur de omnibus vniuersē votis, & Carthusianus, & Augustinus loco cit. pro contraria opinione manifestè restringunt ad aliqua solū vota. Intelligendus ergo est locus iste de votis, quæ ratione materiæ aliquo modo subijciuntur potestati viri. Et eodē modo potest explicari Ambros. & D. Thomas ar.8.cit. Cæterū si cōsulamus textū, facile colligitur eam locutionem generalem esse. Quod etiā dixit Marius eo loco. Quare dicendum est illam legem specialem latam pro illo populo, & iam cessasse. Ratio verò non concludit, vt constat ex dictis.

5 Ex hac doctrina non erit difficile colligere solutionē multarum difficultatum, quæ ad præsens institutum attinent. Primo enim colligitur quid sit dicendū in eo dubio, an maritus possit irritare votū vxoris de non petēdo debitū. In quo aliquorū opinio est posse virū hoc votū irritare. Ita sentit Sotus in 4. dist.32.q.1.art.3.& lib.7.de iustitia q.3.art.1. Aragon 2.2.q.88.art.8.& multi alij, quos refert & sequitur Thomas Sanchez disp. cit.n. 11.qui refert pro hac opinione D. Thom. in 4.distinct.32.in fine expositionis literæ: ibi tamen D.Thomas expressè loquitur de voto castitatis simpliciter. Hāc verò opinionem merito deduxit Thomas Sanchez ex priori illā opinione de absoluto dominio mariti circa voluntatem vxoris. Contrariam tamen sententiā existimo veriorem, quā sequūtur glossa & alij in d.*c.manifestum*, Hugo Numer. 30. Bonauent.in 4.dist.32.in explicit. literæ, Paludanus dist.38.q.2.art.2.Syluester v. *votum* 4. q.2.Valentia de voto puncto 6.§.*existimo autem*. Probanda verò est hæc doctrina ex principio tradito. Quia maritus ex vi contractus matrimonij solum adquirit ius in vxorem, vt obligata sit ad reddendum debitum, libera tamen manet ad petendum, & propterea materia prædicti voti non subijcitur potestati mariti. Probatū autem est maritū non habere dominiū volūtatis vxoris simpliciter quo ad omnia; & ideo solū poterit ea vota irritare, quæ versantur circa materiam sibi subiectam.

6 Secundò ex eadem doctrina colligitur, an possit maritus irritare votum, quod facit vxor de opere faciendo tempore soluti matrimonij, si maritus moriatur, affirmat Thomas Sanchez disp.cit.n.14.15. & 16. vbi tres refert opiniones. Constat tamen dicendum esse maritum non posse tale votum irritare, eo quod materia non est illi subiecta. Et ex eodem principio deducendum est, an possit maritus irritare votum vxoris de ingrediēda religione post mortem mariti. Affirmat cum alijs Thomas Sanchez supra, n.19. Contrariū tamen est verius propter doctrinam traditā de materia subiecta, aut non subiecta marito.

7 Tertiò colligitur, an possit maritus irritare vota vxoris emissa ante matrimonium. Affirmat Thomas Sanchez supra nu. 23. & probat ex Augustino q. 56. in Numeros, & est in *c.noluit* 33.q.5. Et quia vir

habet

habet dominium supra voluntatem vxoris. Aliter tamen nobis philosophandum est cū Doctoribus supra relatis, scilicet, virum posse solum irritare ea vota vxoris, quorum materia sibi subiecta est. Et hoc est considerandum in votis, quæ emisit vxor ante matrimonium, an in matrimonio materia illorum votorum subijciatur viro, vel non, & an ex intētione vouentis relata fuerint ad tempus soluti matrimonij per mortē viri. Legatur Azor lib. 11. c. 18. q. 14. & hac ratione explicandus est Augustinus. Concedit vero Thomas Sanchez supra nu. 27. non posse maritum irritare votum castitatis vxoris emissum ante matrimonium, loquitur autem de irritatione in totum, & secundum nostram doctrinam, ratio constat ex dictis. Concedit vlterius idē, Thomas Sanchez non posse maritum irritare votum vxoris emissum ante matrimonium, de ingredienda religione; quod secundum nostram doctrinam verū est, tenetur enim vxor, si moriatur maritus ingredi religionem ex vi voti emissi ante matrimonium, cuius materia relata ad illud tempus nequaquam est marito subiecta.

8 Quartò colligitur, an maritus secundi matrimonij possit irritare vota, quæ fecit vxor tempore primi matrimonij? Quod potest intelligi de votis emissis ex facultate primi mariti, & de votis factis sine consensu illius. Quidam docent posse maritum secundi matrimonij irritare omnia vota facta tempore primi sine facultate primi mariti. Docet Thomas Sanchez loco cit. n. 3. & probari potest. Quia secundus maritus eandem habet potestatem, ac primus. Sed primus poterat irritare quæcumque vota emissa sine consensu ipsius. Ergo idem poterit secundus maritus. Et explicatur à simili. Nam vnus superior religionis habens æqualem potestatem cū prædecessore potest ea vota irritare, quæ prædecessor poterat. Alij vero recentiores Theologi contrarium docuerunt, vt refert Thomas Sanchez supra num. 2.

9 Nobis autē iuxta doctrinam traditam philosophandū est. Diximus enim maritū solum posse ea vota irritare, quorū materia illi, subijcitur. Iuxta quā regulā considerandum est, an vota emissa ab vxore tēpore primi matrimonij versentur circa materiā subiectā secundo marito. Si enim talia sint, siue emissa fuerint ex consensu prioris mariti, siue non, poterit secundus maritus ea irritare ratione materiæ subiectæ. Si autē nō versentur circa materiā subiectā, non poterit secundus maritus illa vota irritare. Ex quibus facile est refellere nonnulla, quæ docent Auctores primæ sententiæ, qui in specie disputāt de votis emissis ab vxore tēpore primi matrimonij ex facultate mariti. In quibus cōparatione secūdi mariti obseruāda est doctrina à nobis tradita de materia voti subiecta vel nō subiecta secū do marito. Item disputāt aliqui an possit maritus irritare vota vxoris, quę fecit ante matrimonium existens sub potestate patris vel tutoris. Et in specie affirmat de omnibus vniuersim votis Thomas Sanchez disp. cit. Arbitratur enim, vt vidimus, maritū habere dominium voluntatis vxoris, & ideo in præsenti dubio docet maritū non habere minorē potestatē, quam habuit pater siue tutor. Verum in hoc etiam obseruanda est doctrina tradita, & considerandum est an materia voti subijciatur, vel non subijciatur potestati mariti.

10 Quinto colligitur, an vota vxoris irrita ta à marito reuiuiscant soluto matrimonio per mortē? Nonnulli sentiunt vota semel cassata à marito reuiuiscere soluto matrimonio per mortē. Qui tamē vt bene notauit Thom. Sanchez lib. 9. disp. vlt. n. 32. vel reprobandi sunt, vel explicādi, vt loquātur nō de irritatione in totū, sed vel de irritatione secundū partē, vel de suspensione pro tēpore matrimonij. Si enim votū aliquod verē esset omnino irritatum, nullo modo reuiuisceret ex vi prioris volūtatis, quāuis vouēs posset denuo vouere. Scire autē oportet diuerso modo loquendum esse in hoc dubio secundū diuersas opiniones relatas in principio capitis de potestate mariti supra voluntatem vxoris. Qui enim sentiunt maritū habere dominiū voluntatis vxoris simpliciter, cōsequenter dicunt quodcūque votū vxoris posse à marito ita in totū extingui, vt nunquā reuiuiscat. Sed secū dū nostrā doctrinā considerandum est, an voti materia talis sit, vt possit simpliciter obligatio extingui à marito, vel tantum suspendi pro tēpore matrimonij. Si enim simpliciter extinctū fuit, nō reuiuiscit soluto matrimonio. Si tamē solū potuit suspendi pro tēpore matrimonij, soluto eo implendū erit. Ex quo sequitur tēpore matrimonij nō fuisse extinctū votū castitatis, seu religionis emissum ab vxore animo implendi post mortē mariti. Et idē erit de quolibet alio voto secundū partē, aut in totum relatum ad tempus soluti matrimonij. Et idem obseruandum est circa irritationē votorū vxoris, quę emisit ante matrimonium. Diputat verò Thomas Sanchez sup. n. 41. de votis emissis ab vxore tempore diuortij, in quibus obseruanda est regula tradita de materia subiecta, aut non subiecta viro.

De votis emissis ab vxore de consensu mariti.

§. I.

SVMMARIVM.

Variæ sententiæ de irritatione voti castitatis vxoris de consensu viri, num. 11.
Vera sententia cum distinctione, num. 12.
Quid quando vterque ex communi consensu emisit votum castitatis, prima sententia, numero 13.
Vera sententia, num. 14.
Posse ex mutuo consensu reuocare validè, licet cum peccato reuocent, nisi ex causa ibidem.
Quid de alijs votis, variæ sententiæ, n. 15,
Vera sententia, num. 16.
Explicantur Ambrosius, & Augustinus, numero 17.

11 DE his votis est specialis difficultas, agemus primo de voto castitatis vxoris emisso de consensu mariti, & postea de alijs votis. In primo ergo nonnulli dicunt non posse maritum tale votum irritare, quia per consensum plane videtur cessisse iuri suo. Non ergo habet ius petendi debitum post concessam facultatem vxori. Et videtur esse sententia Ambrosij lib. de Parad. *cap. fin. 33. quæst. 5. ibi. vota vero continentiæ alterius permissu ita ab alio velim offerri, vt post promissionem non valeant in irritum deduci.* Quam opinionem secutus est Diuus Thomas in 4. dist. 30. Ricardus & Paludanus ibi & alij quos refert Thomas Sanchez disput. 40. num. 16. Contrarium docet Soto lib. 7. de iustitia quæst. 4. art. 2. & in 4. dist. 32. quæst. 1. art. 3. Palacios ibidem, Thomas Sanchez supra num. 17. Probant, quia actus ille emittendi votum semper manet sub dominio mariti.

12 Verior tamen videtur prior opinio, si rectè explicetur de marito renuntiante iuri suo. Duobus enim modis potest maritus concedere facultatem vxori, vt faciat votum aliquod. Primò vt non absolutè concedatur facultas, & fiat promissio non reuocandi illam; sed expressè, aut implicite solũ concedatur prout marito visum fuerit in futurum. Et hoc modo poterit maritus reuocare facultatem, & votum irritare. Secũdò, si absolutè concedatur facultas, & explicite, aut implicitè fiat renũtiatio iuris & humana promissio non reuocãdi illã, & in hoc casu non poterit postea irritare votũ. Quia ius circa materiam illius transtulit in vxorem, ipse autem non potest irritare votum, nisi ratione materiæ subiectæ. Quando vero vno aut altero modo concedatur facultas, ex circunstantijs iudicandum est. Fundamentum secundæ sententiæ solutum est ex dictis.

13 Ex hac vero doctrina soluendum est aliud dubium, nempe, an quando vterque coniux ex mutuo consensu emisit votum castitatis, possit maritus irritare votum vxoris. Affirmat Paludanus in 4. disput. 32. quæst. 2. & quidam alij recentiores. Probant primò. Quia etiam post votum manet vxor subiectà viro. Ratione ergo subiectionis poterit votum illud irritari. Secundo quia potuit concedi facultas non absolutè, neque cum animo se obligandi ad non reuocandam facultatem in futurum. Tertiò, quia si mutuo sibi promiserunt coniuges & concesserunt facultatem absolute cum animo se obligandi ad non reuocandam facultatem concessam, poterit contractus ille promissorius mutuo consensu dissolui, quo dissoluto poterit maritus irritare votum vxoris. Alij vero dicunt non posse maritum tale votum irritare. Soto lib. 7. de iustitia quæst. 3. art. 1. & cum alijs Thomas Sanchez disput. cit. num. 20.

14 In hoc tamen obseruanda est doctrina prius tradita de modo, quo conceditur facultas emittendi votum. Si enim solum concedatur, prout visum fuerit coniugi, qui noluit obligari ex iustitia ad nõ reuocandũ, poterit votum irritare: secus tamẽ, si absolutò concessa est, & cum obligatione iustitiæ de nõ reuocanda facultate. Ex qua doctrina facile intelligitur, quid probent argumenta primæ opinionis. Solum circa vltimum est inter recentiores aliqua controuersia. Aliqui enim indicant non posse coniuges rescindere priorem contractum. Alij vero affirmant, quia est contractus humanus, qui ex natura sua non postulat perpetuitatem, neque iure positiuo prohibita est dissolutio talis contractus. Poterit ergo priuata voluntate contrahentium dissolui. Atque hoc mihi videtur probabilius propter dictam rationem. Quamuis timẽdum sit non fieri sine peccato contra votum, nisi aliã subsistat causa aliqua. Sic autem dissoluto contractu mutuæ promissionis poterit vir irritare votum illud, iuxta principia tamen supra tradita.

15 Quod vero attinet ad alia vota vxoris emissa ex consensu mariti, & distincta à

voto castitatis, negat posse maritum irritare Philiarcus de otio Sacerdotis tom. 1. p. 2. li. 3. cap. 4. Quod enim possit superior irritare votum subditi emissum ex consensu ipsius, solum putat esse verum in superiore religionis, non autem in marito comparatione vxoris. Probat ratione supra facta. Quia maritus concedens facultatem plane videtur cedere iuri suo, & obligari ad non reuocandam facultatem. Alij tamen oppositum docent Bonaventura in 4. distinct. 32. in expositione literæ, & alij.

16 Pro explicatione tamen obseruandum est, quod prius dicebamus posse votum emitti ab vxore ex facultate mariti, ita tamen, vt non obligetur ad non reuocandam facultatem. Et hoc casu poterit irritare votum, iuxta secundam opinionem, quæ potest probari ex Augustino d. cap. manifestum 33. q. 5. vbi loquens Augustinus de potestate mariti ad irritanda vota vxoris ait. *Nam cum ad peccatum eiusdem viri voluerit pertinere si prius permiserit, & postea prohibuerit, & tamen non dixit, quod mulier quod vouerat faciat.* Deinde colligitur ex Ambrosio lib. de parad. capit. 10. & refertur *capit. fin. 33. quæst. 5.* Ratione etiam probatur ex supradictis. Quia maritus noluit ex iustitia obligari ad non reuocandum facultatem. Alio modo potuit ita concedi facultas, vt maritus vel omnino transferret dominium materiæ voti, vel saltem ex iustitia vellet obligari ad non reuocandam facultatem: & tunc non poterit irritare votum, licet faciens contra iustitiam possit impedire executionem voti pro tempore matrimonij: quod ex supra dictis explicandum est.

17 Sed quæri potest, quo sensu Augustinus, & Ambrosius concesserint posse maritum irritare vota, & simul peccare. Nam iuxta doctrinam traditam à nobis, sine peccato potest votum irritare, quando non cessit iuri suo, sed facultatem concessit facturus in futurum, quod sibi visum esset. Respondeo citatos Patres duobus modis explicari posse. Primò, quando vir, etiam si noluerit obligari ex iustitia, obligatus tamen manserit ex fidelitate. Tunc enim validè potuit irritare votum, quia neque transtulit dominium materiæ, neque ius iustitiæ, peccat tamen contra fidelitatem. Secundò, si nomine irritationis intelligant Patres impedire executionem voti pro tempore matrimonij, etiam quando alias tenebatur coniux non impedire: eo quod ex iustitia obligatus erat ad non reuocandam facultatem, & ad non impediendam executionem voti: licet, vt dixi, re ipsa faciens contra iustitiam possit impedire, quod obseruandum est pro speciebus dubijs. Ex trita de irritatione infertur nonnulli posse superiorem religionis irritare humanam promissionem, quam eius subditus fecit alicui priuatæ personæ ex consensu ipsius superioris. Sed merito refutat Thomas Sanchez supra num. 14. Quia ex tali promissione acceptata comparat promissarius ius, contra quod non potest superior aliquid facere. Nec enim habet ius ad inferendum damnum tertiæ personæ, & ideo non est eadem ratio de irritatione promissionis humanæ, & de irritatione voti.

De potestate vxoris ad irritanda vota viri.

§. II.

SVMMARIVM.

Posse vxorem irritare vota mariti in materia ipsi subiecta, num. 18.

Quid dicendum de voto mariti de non petendo debitum, num. 19.

Ex his soluuntur alia dubiola de votis viri, numero 20.

Quando censeantur vir, & vxor votum irritare, num. 21.

Non esse necessarium ad irritationem, vt superior cognoscat votum emissum in specie, num. 22.

An requiratur causa ex parte irritantis vel petentis. Verius ex nulla parte requiri, licet secus in dispensatione & commutatione, num. 23. 24.

18 ALIQVI Doctores ita loquuntur, vt negare videantur posse vxorem irritare aliquod votum mariti Azor lib. 11. cap. 17. quæst. 13. Petrus Ledesma quæst. 64. de Matrimon. artic. 4. Et forte mouentur ex eo quod mulier non habeat potestatem in virum. Contraria tamen sententia communis est, quam sequitur Toletus in sum. lib. 4. c. 18. Valentia de voto puncto 6. in fine, & communiter interpretes D. Thomæ 2. 2. ad eandem quæst. artic. 8. Quia licet vxor sit subiecta viro, potest tamen habere dominium & ius supra materiam aliquam: ac proinde, si votum mariti versetur circa illam materiam, poterit vxor votum illud cassum reddere ratione subiectæ materiæ, ita vt pro tempore

constantis matrimonij non possit maritus illud implere. Quod si mariti votum vel non erat de materia subiecta vxori tépore matrimonij, vel simpliciter referebatur ad tempus dissoluti matrimonij per mortem vxoris, nõ poterit vxor illud irritare iuxtâ dicta in præcedentibus. Hoc autem non possunt negare Auctores prioris opinionis, licet in modo loquendi ab alijs differre videantur.

19 Ex hoc ferendum est iudicium de voto, quod potest maritus facere de non petendo debitum, an possit irritari ab vxore. Affirmant aliqui & sequitur Henriquez lib. 11. de matrim. cap. 15. n. 8. & plures alij quos refert Thomas Sanchez loco cit. nu. 7. Et ratio est, quia tale votum videtur esse contra ius vxoris. Si enim maritus non petat debitum, obligabitur vxor ad petendum contra pudicitiã insitam fœminis. Secundo alij asserunt non posse vxorẽ tale votũ irritare eo quod votũ illud non est de materia subiecta vxori. Nam ex contractu matrimonij solum manet maritus obligatus ad reddendum debitũ vxori petenti, non tamen ad petendũ. Quã opinionẽ propter istud fundamentum docuit Palacios in 4. dist. 38. disp. 2. & nonnulli alij, & Thomas Sanchez loco cit. qui addit obligari nihilominus virum ad petendum aliquando, vt hac ratione ex tali voto nullũ onus imponatur vxori, & sententiam sic explicatã secutus est Nauar. in sum. c. 12. n. 64. Valentia puncto 6. cit. Neque est magnum discrimen inter Doctores vtriusque opinionis. Et mihi placet non posse virum emittere tale votum cum damno vxoris, non quia ipse teneatur petere, sed quia tenetur reddere, & necessarium est vt nihil faciat maritus, propter quod vxor pudica retrahatur â petendo debito. Et ideo merito D. Thomas in 4. distin. 38. quæst. 1. artic. 3. quæstiunc. 2. ad 4. docuit, posse virum obligari ad petendum aliquoties, quia hoc potius esset reddere vxori petẽti, si non expressẽ, saltem implicitè, & hac ratione nihil fieret contra materiam & ius quod habet coniux. De alijs autem võtis emissis ab illo philosophandum est iuxta traditam doctrinam.

20 In hac etiam parte possunt esse aliquot dubia sicut in simili de votis, quæ fecit vxor ante matrimonium. Ex eodem tamen principio soluenda sunt, & considerandum est, an tempore constantis matrimonij versentur circa materiam subiectam vxori. Si enim talia sint, poterunt ab vxore irritari, vel in totum, vel secundum partem pro quantitate subiectæ materiæ. Neque quantum ad hoc, aliquid interest quod vota illa emissa fuerint ante matrimonium, aut tempore matrimonij. Si autem vota illa non sint contra ius vxoris, neque exerceantur circa materiam illi subiectam, nihil poterit vxor circa illa facere. Addendum tamen vota mariti emissa tempore matrimonij, ex voluntate tamen implendi illa post matrimonium, si vxor moriatur, non posse ab vxore irritari, quia referuntur ad tempus, in quo materia non est subiecta vxori. Vnde si maritus votum faciat de castitate seruanda, aut de ingressu religionis dissoluto matrimonio per mortem vxoris, votum erit ratum, & firmum, sicut cum alijs Doctoribus dicebamus de similibus votis vxoris; & de his votis emissis à marito idem in specie docuit Thomas Sanchez disput. 40. nu. 11. Disputant deinde aliqui, quid dicendum sit circa vota mariti emissa ex facultate vxoris. In quo tamen philosophandum est iuxta nostra principia, sicut in simili de votis vxoris emissis ex facultate mariti supra dictum est. Et idem iudicium ferendum est in alio dubio, an reuiuiscant vota mariti, quæ vxor irritauit. Considerandaenim est materia votorum, & an vxor potuerit simpliciter irritare, vel solum secundum partem pro tẽpore matrimonij.

21 Sed superest explicandum pro huius doctrinæ complemento, quando censeatur vxor aut vir irritare votum alterius. In quo docent communiter Recentiores non esse iudicandum superiorem aliquem simpliciter irritare votum, & similiter virum vel vxorem, ex eo solum, quod semel aut iterum neget facultatem ad faciendum opus promissum. Docet Valentia 6. puncto citat. Thomas Sanchez disput. 43. Aragon 2. 2. quæst. 88. artic. 8. Eo quod in eo, qui ignorat votum subditi, negare prædictam facultatem non est sufficiens signum irritationis. Requiritur ergô, vt superior agnoscat aliquo modo votum subditi, & post talem cognitionem non erit difficile ex verbis & circunstãtijs iudicare, an velit superior irritare, vel simpliciter, vel secundum partem. In quo rectè philosophatur Thomas Sanchez loco supra cit.

22 Illud tamen explicare oportet, an sit necessarium ad irritationem, vt superior cognoscat votum emissum in specie. Nonnulli Recentiores affirmare videntur argumento desumpto à simili de cognitione necessaria ad dispensationem, vel commutationem voti, necessarium enim est, vt is qui dispensat, vel commutat, habeat

beat cognitionem voto in specie. Hoc tamen argumentum parum habet efficacitatis. Quia ad dispensationem necessaria est cognitio voti, ad ferendum iudicium de causa dispensationis, an sit satis idonea comparatione voti, vt in illo fiat dispensatio. Certum enim est apud Doctores omnes dispensationem in voto sine causa esse inualidam, vt dixi supra libro 8. Ad commutationem autem faciendam à superiore etiam est necessaria cognitio voti in specie. Nam vel commutatio fit in minus, & tunc admiscetur dispensatio, ad quam necessaria est cognitio causæ, vt dicebamus, & cognitio voti: vel commutatio fit in aliquid æquale, & ad hanc commutationem etiam est necessaria cognitio voti: aliàs non poterit is, qui commutat, iudicare, an commutatio fiat in æquale, vel non. Hæc autem non habent locum in irritatione. Quia ex parte irritantis non requiritur causa aliqua ad irritationem: & ideo sufficit, si superior dicat se irritare quodcumque votum emissum à subdito de materia sibi subiecta. Quod obseruandum est in quolibet superiore comparatione eius, cuius potest vota irritare. An vero subditus teneatur aliquando manifestare superiori se fecisse votum, vel in genere vel in specie, de materia subiecta superiori dicam cap. sequenti.

23 Demum explicandum est, an ad irritandum requiratur causa ex parte subditi petentis. Aliqui Theologi dicunt ad irritationem esse necessariam causam; non tamen satis apertè loquuntur, an sit necessaria causa ex parte irritantis; & nos iam diximus cum communi DD. ex parte irritantis non esse necessariam causam ad irritationem. De causa vero requisita ex parte subditi Recentiores aliqui sentiunt esse necessariam causam ex parte illius, vt iustè petat irritationem voti, sicut necessaria est causa ex parte petentis dispensationem. Et ratio vtriusque videtur. Quia contra rationem est, si vouens velit liberari ab obligatione voti absque aliqua causa, siquidem ipse voluntarie omnino votum emisit. Putant autem prædicti DD. idoneam causam petendi irritationem esse difficultatem implendi votum, si onus sit alicuius momenti.

24 Alij vero absolutè docent non esse necessariam causam ex parte petentis irritationem voti. Quæ opinio mihi videtur probabilior. Quia qui votum emisit, non obligatur ex vi voti ad non petendam ablationem illius per legitimam potestatem, sed solum ad implendum votum perseuerante obligatione illius. Sicut ergo subsistente causa posset petere dispensationem voti, ita etiam sine causa poterit petere irritationem. Ad dispensationem enim voti ideo est necessaria causa ex parte petentis, quia simpliciter est necessaria etiam ex parte concedentis dispensationem. At vero ex parte irritantis non est necessaria causa, ac proinde is, qui emisit votum, potest sine causa irritationem petere ab eo, qui habet legitimam potestatem irritandi. Cum enim ille possit votum irritare sine causa, is qui petit, planè postulat rem, quam ille potest iustè facere, etiam nulla causa subsistente. Ergo iustè posset talem irritationem petere. Ex hac verò doctrina soluta manet ratio opinionis contrariæ. Assignatum enim est discrimen interpetentem dispensationem, & petentem irritationem ex natura dispensationis, & irritationis.

An vxor possit votum emittere sine consensu mariti.

CAPVT XVIII.

SVMMARIVM.

Aliqua vota possunt emitti à coniuge sine consensu alterius, alia non num. 1.

Non omne votum esse manifestandum marito, numero 2.

Quid quando votum emissum versatur in materia subdita superiori, num. 3.

An votum obliget ad impletionem post-mortem mariti explicatur. Prima opinio affirmans, numero 4.

Secunda negans, num. 5.

Secundæ fundamenta infirma, num 6.

Explicatur an vir possit emittere votum sine consensu vxoris, num. 7.

1 EX his, quæ capite præcedenti dicta sunt, facile colligitur quæstionis propositæ resolutio, & quæ vota possunt emitti à coniugibus sine consensu alterius. In hoc enim considerãda est materia voti, si enim talis materia matrimonij legibus, & officijs sit contraria, nõ potest vxor votum emittere sine consensu mariti, neque è contra, iuxta doctrinã Augustini *in c. noluit & c. manifestum* 33. q. 5. & ratio ex dictis petẽda est, quia scilicet de materia alteri subiecta

non potest vouens sine consensu illius disponere. Si vero materia voti non sit subiecta marito, neque debita illi, poterit vxor votum emittere, quia vt supponimus, materia illa non est subiecta dispositioni mariti. Ità docuerunt interpretes iuris canonici in cit. ca. & Theologi in 4. dist. 38. & Recentiores cũ D. Thoma 2. 2. quæst. 88. art. 8.

2 Sed solet esse difficultas, an teneatur vxor votum suũ manifestare marito. In quo philosophandum est, sicut in simili philosophãtur DD. de voto emisso à religioso. Affirmant enim nonnulli de omni voto id esse necessarium, qui putan ad omne votum esse necessarium consensum superioris, tũc enim non poterunt impleri sine illius consensu. Verũm si votum sit tale, quod non requirat superioris consensum iuxta doctrinam traditam, non erit necessarium illud manifestare, vt cum Caetan. & alijs docuit Azor loco supra cit. quæst. 6. Quia materia talis voti non est subiecta superiori. Si autem votum sit de materia subiecta superiori, non poterit votum impleri sine superioris consensu, cui subiacet materia illius, & de qua subditus non posset pro sola sua libertate disponere.

3 Sed ad huc quæstionem habet, an quando votum emissum versatur circa materiam subditam superiori vel coniugi, teneatur voũeds ex vi voti non solùm petere facultatem ad faciendum opus promissum, sed teneatur etiam manifestare superiori se emisisse votum. Negat Caietanus quæst. & artic. cit. Navarro in sum. cap. 12. num. 69. Quia votum illud solum videtur emissum sub ea conditione, si superior consenserit. Si ergo petat facultatem, & superior nolit eam concedere, iam videtur omnino absolutus à voto. Affirmant tamen Soto lib. 7. de iust. quæst. 3. artic. 1. Valentia loco cit. Sed in primis certum est potuisse vouentem, quando emisit votum, vtroque modo emittere expressè, vel vt tantum obligaretur ad petendam facultatem vel vt expressè etiam obligaretur ad manifestandum votum. In quo euentu obseruanda esset forma voti emissi. Dubium ergo tunc tantum est, quando absolutè emisit votum, neque aliquid cogitauit de manifestatione illius. In qua specie, si manifestatio iudicetur medium idoneum, vt superior concedat facultatem, mihi probatur sententia Soti. Quia ex vi voti obligatur vouens ad media necessaria ad obseruandum votum, præsertim cum adeo facilia sint. Quod si manifestatio voti non iudicaretur aliquid habitura efficacitatis ad obtinendam facultatem, non esset obligatus ad manifestationem voti emissi, sem per tamen teneretur petere facultatem ad faciendum opus. Cum enim vouens agnoscat materiam voti subiectam esse suo superiori, hoc ipso quod emittit votum secluſa ignorãtia, vult obligari ad petendam facultatem à superiore, vel coniuge.

4 Peculiaris autem difficultas est, an votum vxoris possit illam obligare ad impletiõnem post mortem mariti. Certum verò est posse vxorem expressè emittere votum aliquod, quòd obliget ad sui obseruationem marito defuncto v. g. si promittat post mortem mariti se seruaturam castitatem. Secundo potest vxor expressè aliquid vouere implẽdum tempore matrimonij, & in hoc considerãda est materia voti iuxta doctrinam traditã. Quæstio ergo manet de voto absolutè emisso, quod impleri potest, & tempore constantis matrimonij, & marito defuncto, an teneatur vxor implere votum. Et intelligitur dubium à Doctoribus, quando maritus voluit irritare illud votum, vtrum in eo euentu mã serit omnino extincta obligatio, vel impeditã solum pro tempore matrimonij. In quo prima sententia est asserentium huius voti obligationem, quantumuis maritus velit votum irritare, non extingui omnino, sed impediri tantum. Ita sensit Rosella *v. votum* 2. nu. 7. & 13. Valentia puncto 6. citat. Aragon artic. cit. *§. siquis autem*, & plures alij, quos refert Thomas Sanchez lib. 9. de Matrimonio disput. 39. num. 14. & 15. & in simili Hostiensis, Ioannes Andreas, Innocentius, Antonius de Butrio *in cap. scripturæ de voto*. Et probari potest. Quia materia huius voti relata ad tempus mariti defuncti non est subiecta marito; & alias votum absolutè emissum est, & potest impleri pro illo tempore. Ergo implendum est. Loquimur enim in euentu, in quo vouens absolutè emisit votum, nihilque omnino cogitauit, de tempore impletionis. Cum ergo impediatur impletio tempore constantis matrimonij renuente marito, differenda erit ad tempus, in quo possit vxor votum implere. Et confirmatur. Quia si votum est absolutè emissum, & nullum est signum virtualis alicuius intentionis vouentis, necessarium est vouentem esse in puro dubio circa tempus impletionis. In puro autem dubio tutior pars est eligenda, vt dicebamus supra isto libro. Tutior autem pars est implere votum dissoluto matrimonio per mortem mariti. Hæc sententia multum habet probabilitatis, præsertim cum ea, quæ adducuntur pro contraria opinione parum efficacitatis habeant.

5 Secun-

5 Secunda opinio est tale votum vxoris renuente marito & irritante omnino extingui. Ita sensit Soto lib.7. de iustitia quæst.3. art.1.Ioannes Azor supra, & Thomas Sanchez loco cit.cum alijs, quos ipse refert pro hac opinione. Probari autem solet primo. Quia obligatio semel extincta non reuiuiscit *l.cum ex causa C.de remiss.pignor.*Quod per se certum est de obligatione absolutè extincta,& constat in remissione v.g. debiti pecuniarij.Ergo renuente marito omnino extinguitur obligatio voti emissi tempore matrimonij,cum materia sit illi subiecta tempore emissionis voti. Secundo probari solet hæc opinio ex *cap.quidam,& ex cap.placet, de conuers.coniugat.* ex quibus id videtur colligi.

6 Verùm quæ pro hac opinione adducuntur,non probant efficaciter primam sententiam esse falsam.Et quidem ratio adducta nullius est momenti.Quia,vt bene vidit Rosella, & etiam concessit Ioannes Azor, DD. primæ sententiæ non concedunt obligationem illius voti extingui renuente marito, sed impediri tantum pro tempore matrimonij, pro quo voti illius materia subiecta est marito. Duo autem iura cit.explicat Valentia ex instituto,& alij. Scire autem oportet in d.*cap.quidam* proponi Pontifici dubium de quodam,qui intrauit monasterium renuente vxore,& illa repetente coactus est ad matrimonium redire.Duo autem quæruntur.Alterum,an mortua vxore sit ille cogendus ad ingrediendum monasterium:alterum, an mortua vxore possit aliam ducere.Respondet autem Alexander III.ad primum. Quod votũ non tenuit,& ideo ratione voti non esse cogendũ redire ad monasterium.Ad secundum respondet non posse mortua vxore alteram ducere.Ratio autem prioris est.Quia non potuit maritus renuente vxore emittere votum validum castitatis simpliciter seruandæ, & ideo dixit Pontifex votum illud non tenuisse,quantum ad hunc effectum. Ratio autem posterioris ea est.Quia potuit maritus obligari ad non petendum debitum, hoc enim erat in eius potestate.Ex hoc autem sequitur ipsum non posse mortua vxore contrahere matrimonium. Quod intelligendum est de matrimonio licite contracto, & propter periculum faciendi contra votum,si iterum contraheret.Quod si dicat quis potuisse illum obligari ex voto obedientiæ ad redeundum in monasterium,respondẽt Doctores votum illud non fuisse validum ad effectum constituẽdi illum subiectum prælato religionis, & ad nihil obligari ex vi illius. Ex his autem constat ex illo c.nihil colligi contra primam opinionem.Nam ideo ille non mansit obligatus ad ingrediendum monasterium mortua vxore,quia non fecerat votũ ingrediendi religionem,neque de hoc est sermo;sed fecit professionẽ,& hæc fuit nulla,quia ingressus est monasteriũ & professionẽ emisit renuente vxore.*In c.Placuit* similis casus est,de vxore,quæ existimans mortuum esse virum, ingressa est religionem, & repetente marito coacta est egredi iuxta responsum Celestini III. qui apertè fatetur illam non habere obligationẽ redeũdi ad religionem mortuo viro,licet dicat esse optimũ consiliũ.Ex quo c.nihil colligitur cõtrà primã sententiã, præsertim cũ in eo nõ fit sermo de voto aliquo emisso à fœmina existimante constare matrimoniũ,quin potius falsò iudicãte maritum esse mortuum. Propter quæ, vt dixi,prima sententia multũ habet probabilitatis,quamuis in praxi possit quis amplecti secundam.

7 Posset autẽ esse dubium, quid esset iudicãdũ de prædicto voto vxoris, quãdo illa nõ manifestauit votũ marito ante mortẽ ipsius mariti. Sed quid dicendũ sit in hoc casu iuxta nostrã doctrinã iã cõstat ex dictis. Disputant de inde DD.an possit vir emittere votũ aliquod sine consensu vxoris.Negant Innocentius,Antonius de Butrio,Ioan.Andræas.in *c. scripturæ de voto*,& forte mouẽtur ex eo,quod maritus & vxor sunt pares in causa coniugij. Verius tamen est quod docuit Hostiensis & Abbas in d.*c.scripturæ*, & glossa communiter recepta in *c.manifestum* 33.*q.*5. & alij frequenter,nempe posse maritum sine consensu vxoris plura vota emittere,quæ ratione materiæ non sunt vxori subiecta. Cũ autem vir sit caput vxoris 1.Corinth.11.plura habet,quæ nõ sunt vxori subiecta,quã habet vxor,quæ non sint subiecta marito.Non potest autem maritus emittere votum de non reddendo debito coniugali vxori petenti, cum quantum ad hoc sint pares in causa coniugij maritus & vxor. Et sic est intelligenda prædicta propositio adducta pro priori opinione. Nam sicut vir habet dominium corporis vxoris, ita & vxor habet dominium corporis mariti.Et iuxta hæc quæ hactenus dicta sunt philosophandum etiam est de votis religiosorum, & seruorum,& filiorum ante annos pubertatis, & de eorum irritatione. Solum addendum est hanc potestatem irritandi esse ex naturali iure,vt ostendi supra lib.7. quamuis limitatio temporis, intra quod possint vota irritari, proueniat in aliquibus ex iure tantum positiuo.Et de his hactenus.

DE ORIGINIS CONFIRMATIONE.

LIBER VNDECIMVS.

In hoc libro explicandi sunt duo alij effectus matrimonij. Primus est originis confirmatio, quam legitimationem vocant, de qua etiam Iustinianus Nouella 74. & 89. fit etiã eius mentio in alijs quibus dã nouellis 12. 78. 18 117 eodemque pertinet titulus in Cod. de naturalibus liberis, & matribus eorum, & quibus causis iusti efficiantur, item §. vltimis Inst. de nupt. Eam autem disputationem de originis confirmatione, in duas partes cõmode diuidimus: prima est de modis quibus origo confirmatur, secunda est de effectu huius confirmationis, & vtilitate tam ad spiritualia, quã temporalia bona siue libera sint, siue primogenia & fœudalia. Nam de communione bonorum, de qua hic dicere cogitabam, dissero alibi latè.

De originis confirmatione per iustas nuptias.

CAPVT PRIMVM.

SVMMARIVM.

Vnde necessitas confirmationis originis, & quid agendum, num. 1.
Primus modus legitimandi proponitur, nu. 2.
A quo sumpserit initium legitimatio per nuptias, num. 3.
Quid statuerit Iustinianus, num. 4. 5.
Quid additum legibus Pontificijs, num. 6.
Legitimationem per matrimonium non esse iuris naturalis, sed positiui, num. 7.
Obiectio diluitur, num. 8.

1 NATVRA quidem ab initio, dum de filiorum procreatione sanciret, scriptis nondum positis legibus, omnes similiter quidem liberos, similiter autem produxit ingenuos. Primis namque parentibus primi filij similiter quidem liberi, similiter autem legitimi à natura fiebant: bella vero & lites, libidines, atque concupiscentiæ causam dedere ut ad aliud schema seruitutem namque inuenit bellum, naturales autem castitatis casus. Lex autem rursus huiusmodi delicta curans libertatem seruis mulcta est. Imperatoriæ vero constitutiones aperuerunt his, quæ non recte facta sunt, ad ius legitimum vias. Hactenus præclarè Iustinianus Nouella 89. *Authent. Quibus mod. naturales efficiantur sui ca. 1.* quæ fere eadem non minus eleganter scripsit. *Authent. Quibus mod. efficiantur legitimi ca. 1. Nouella 74.* Explicemus igitur modos, quibus

bus huic malo mederi conati sunt tam canonicæ, quàm Cæsareæ cõstitutiones: & primò agemus de originis confirmatione per matrimonium, & postea de alijs modis, quibus origo confirmatur.

2 Primus modus inter eos, quibus illegitimè nati fiunt legitimi, est per consequens matrimonium *cap. tanta. Qui filij sint legitimi & cap. conquestus 1. cap. transmissæ 3. & cap. cum sam 4. eodē.* Confirmat etiam textus in *l. Diui Constantini & in l. iubemus & in l. cum quis C. de natural. liber. & §. fin. instit. de nupt. & Nouella 74. & 89. & in re nostri regni l. 1. titul. 13. Part. 4.*

3 Sed circa beneficium istud obseruandum est primò ante Constantinum in iure Digest. & apud Antiquos I. C. & Principes magnum de hac originis confirmatione per sequēs matrimonium silentiū esse. Filij enim illegitimi pro nullis habiti, vt pote qui sine patre & ciuitate essent, vt elegãter docet Antõius Faber in iuris prud. tit. 9. principio 2. l lat 1. à principio vbi obstendit ante Constantinum nullam in iure Ciuili naturalium liberorū mentionem esse, & dissoluit, quæ obstare videbantur. Quare à Constantino Imperatore, qui vt ait Zeno in d. *l. Diui* fide Christiana Romanum muniuit imperium, ortum habuisse videtur. Sed stricta valde eius constitutio fuit, tantum enim subuenit filijs susceptis ex ingenuis concubinis, & non ex alijs fœminis; & non nisi deficientibus legitimis, iustisque filijs. Eius autem vestigijs insistens Imperator Zeno in d. *l. Diui* statuit, vt qui ante eius constitutionis tempus filios ex ingenua concubina susceperissent, non existentibus iustis filijs efficerentur legitimi, & sui hæredes. At vero, si tempore eius editæ constitutionis nullos ex concubina filios haberent, & postea ante dotalia instrumenta confecta, & nuptias initas susciperent ex ea concubina liberos, noluit illos fieri legitimos, etiam subsequentibus nuptijs: *Cum liceat*, inquit, *easdem mulieres sibi prius iure matrimonij copulare.* Latius patuit Anastasij Imperatoris dispositio in *l. iubemus C. de natur. liber.* voluit enim per subsequens matrimonium legitimos fieri liberos ex quacumque muliere concubina susceptos, siue suscipiendos. Et quidem Anastasij Constitutionem voluisse valere etiam in posterum hanc rationem naturalis prolis legitimæ faciendæ, constat ex illis *progenitos seu procreandos*, & etiam ex illis, *in posterum nihilominus*, quæ separata oratione legenda sunt, vt notauit Accursius, & probat Cuiacius ad Nouellam 12. §. *secunda pars huius Nouellæ*, qui nonnullis notulis adiectis eam legem alias subobscuram facilem reddit. Quod autem ea etiam Anastasij constitutio se se extenderet ad filios susceptos, etiam si non esset ingenua concubina, colligi videtur ex illis verbis vniuersalibus, *aliquæ mulieres vxoris loco habentur.* Loquitur enim Imperator sine restrictione vlla.

4 Subsecutus Iustinian. Imperat. *l. cum quis eodem*, vbi idem constituit. At idem Iustinianus in *l. nuper. eod.* quandam dubitationem sustulit, quam nimia quorumdam subtilitas excogitauerat, scilicet, anteriores liberos, id est, ante initum matrimonium susceptos, nisi in vtroque tempore viuentes, & superstites inueniantur. Constituit itaque beneficium istud locum habere, etiam si post dotalia instrumenta confecta nullos legitimos susceperint, vel decesserint. Addiditq; multo magis filium, qui conceptus non constante matrimonio fuerat, natus verò subsecuto, legitimam prolem nasci, quia sibi ipsi auxiliator est. *Satis enim*, inquit Iustinianus, *absurdum est, si filij post dotem progeniti anterioribus liberis adiutorium afferant, & ipsum puerum vel puellam sibi opitulari non posse.* In eo etiam à Zenonis constitutione recessit. Quod Zeno tantum ex concubina ingenua susceptos liberos legitimos effici voluit; at verò constitutio Iustiniani de libera loquitur, cum qua fit connubium. Liberæ autem nomine etiam intelligitur libertina.

5 At postea idem Iustinianus nouiori Authentic. iure latiorem esse voluit eam dispositionem. Cum enim adhuc eatenus eo beneficio gauderent, si filij legitimi susceptiō essent ex alia coniuge, vt constat ex Zenonis & Anastasij constitutionibus, sublatum tamē ab eodem Iustiniano *Authent. de incestis nupt.* siue Nouella 12. vbi explicat sensum in d. *l. cum quis*, seque eam eo sensu statuisse, vt etiā si alij legitimi supereressent, locum haberet. Sed rursus Nouella 18. cap. vltim. *Authent. Sed nona C. de natural. liber.* idem extendit ad filios ex ancilla concubina susceptos: si tamē alij legitimi non supereressent, quod perperam omissum ab Holoandro notat Cuiacius ad Nouel. 12. prope finem. Voluit enim contractis cum ancilla nuptijs legitimos effici. Denique adhuc quoad filios ex ancilla susceptos eam limitationem etiam sustulisse videtur Nouel. 178. cap. 3. collat. 6. tit. 6. Cum his concordat nostri Regis Alphonsi dispositio *l. 1. tit. 3. Partit 4.* ibi. *Otrosi son los legitimos los fijos, que home ha en muger que tiene por barragana si despues de esso se casa con ella.* Et postea

stea eadem lege. *Esso mismo seria, si alguno ouiesse fijo de su sierua, & despues se casasse cõella.* Nomine autem *Barragana* intelligi in iure nostro fœminam, quæ vel ingenua, sit, vel saltem libertina constat ex *l. 1. tit. sequentis eadem Part.* ibi. *Esta tal*, scilicet ingenua *puede ser recibida por barragana segun las leyes*: & infra: *Otro si puede ser recibida por tal muger la que fuesse forra como la sierua.* Omnes itaque constitutiones Imperatorum, quantumuis huiusmodi beneficium extenderint, nondum tamen peruenire voluerunt ad filios susceptos ex alia fœmina, quam ex concubina ingenua ex constitutione Constantini atque Zenonis; aut etiam libera ex lege Anastasij & Iustiniani; vel denique ancilla; vt & idem Iustinianus & Alphonsus statuerunt. In concubinatu enim potest esse & aliena liberta, & ingenua, vt Martianus I.C. respondit *l. 3. D. de concubinis.*

6 Latior denique excepit dispositionem ciuilem Pontificia constitutio. Ius enim ciuile, vt modo dicebam, & aduertit Panormit. in d. *c. tanta* num. 14. solum voluit hoc beneficium tribui ex concubina susceptis filijs, non autem illis, qui ex ea susceptis essent, quæ concubina non esset, vt constat ex principio *instit. de hæred. quæ ab intest. deferuntur*, & ex §. *fin instit. de nupt.* & Nouella 89. cap. 8. vt apertius vertit imperialis constitutio de Nupt. tit. 2. in hæc verba. *Siquis autem dotalia conscripserit instrumenta ad mulierem ab initio liberam, vel libertinam, cum qua tamen licet omnino cohabitare, concubinæ loco cum eo habentem consuetudinem, cum vel iam esset pater filiorum legitimorum, vel eiusmodi filiorum nondum factus esset pater, legitimum esse matrimonium, & filios tam qui prius susceptifuerunt, quam qui adhuc erant in vtero, ei esse germanos, ac legitimos sancimus: & licet ei non nati sint postea filij, aut etiam nati decesserint nihilo secius germana est ac legitima prior proles. Eius enim in filios sic natos affectio, quæ etiam ad dotale instrumentum incitauit, eã dedit etiam secundis filijs occasionem, vt postea essent legitimi.* At ius canonicum ad omnes ex quauis fœmina susceptos liberos extendit in d. *cap. tanta*, in quo hæc sunt verba: *Tanta est vis matrimonij, vt qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur. Si autem vir viuente vxore sua aliam cognouerit, & ex ea prolem susceperit, licet post mortem vxoris eandem duxerit, nihilominus spurius erit filius, & ab hæreditate repellendus, præsertim si in mortem vxoris prioris alteruter eorum aliquid fuerit machinatus.* Hæc Alexander III. in dict. cap.

7 Ex hac obseruatione infero primò, Beneficium hoc confirmationis originis per subsequens matrimonium non esse naturalis iuris constitutionem, sed humani. Itaque, quidquid ex Theologis nonnulli dixerint, non habet matrimonium ex naturali iure, & efficacitate, vt legitimam fœdat prolem antea susceptam, sed id concessum matrimonio est ex humana constitutione ciuili, & Ecclesiastica. Idque plane conuincunt Imperatorum hactenus prolatæ constitutiones Constantini, Zenonis, Anastasij, & Iustiniani, ex quibus de huius beneficij primo Authore cõstat, & quid ab vno quoque fuerit innouatum. Præterea idem conuincitur ex eo, quod habet Zeno in d. *l. Diui* in fine dum ait, eo beneficio non gaudere, qui concubinas hactenus habuissent, si filios nõdum suscepissent. Id enim plenè indicat beneficium hoc ex lege pendere, non ex natura coniugij. Ad hæc Iustinianus Nouella 89. cap. 8. hunc modum legitimationis à se inuentum affirmat, quatenus Constantini & Zenonis, & Anastasij limitationes remouit. Præclarè enim Iustinianus *l. cum quis C. de natural. lib. cum enim affectio prioris sobolis & ad dotalia instrumenta conficienda, & ad posteriorem filiorum edendam progeniem præstiterit occasionem: quomodo non est iniquissimum ipsam stirpem secundæ posteritatis priorem quasi iniustam excludere, cum gratias agere fratribus suis posteriores debeant, quorum beneficio ipsi sunt iusti filij, & nomen & ordinem consecuti.* Denique inter alia multa illud maximè ostendit verum esse quòd dicimus, quod Iustinianus eadem Nouella 89. cap. 11. beneficium confirmatæ originis per subsequens matrimonium pendêre voluit ex voluntate filij, ita vt, qui consentirent legitimi, qui verò renuerent naturales haberentur. Ergo id non prouenit ex natura coniugij, aliàs id beneficium ad omnes exæquo filios etiam reluctantes peruenire. Atque hanc sententiam expressè docet Couar. 2. part. de matrimon. ca. 8. §. 2. num. 21. vnde infert posse beneficium illud contraria lege tolli, contra Iasonem cõsil. 234. volum. 2. qui dixit non posse tolli, quia id iure diuino sancitum est.

8 sed huic illationi videtur obstare textus in d. *ca. tanta*, vbi hæc habet Pontifex: *Tanta est vis matrimonij, vt qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur.* Quibus verbis videtur istud beneficium reduci ad efficacitatem matrimonij. Id ipsum indicare videntur verba Regis nostri Alphõsi in d. l. 1. *Ca maguer que estos fijos à tales no seã legitimos, quando nacen, tan grande fuerça ha el matrimonio, que luego que el padre, y la madre son casados,*

casados, se fazen por ende los fijos legitimos. Attamen ego dixerim illa verba non indicare natiuam efficacitatem matrimonij ad confirmãdam originem, sed eam quidem illi conuenire; vnde autem habeat non explicari. Habet autem ex iuris humani dispositione, vt planè ostensum est.

Matrimonio inito in articulo mortis confirmari originem.

§. I.

SVMMARIVM.

Etiam mortis articulo filium legitimari posse, numero 9.
Nonnulli qui contra sentiunt, refelluntur, numero 10.
Obijciuntur nonnulla & diluuntur, nu. 11. 12.

6 SECVNDO colliges huiusmodi beneficium habere locum', etiam si in mortis articulo constitutus sit pater; potest enim in eo etiam articulo contracto matrimonio filius legitimari. Id quod hodie consuetudine receptum est, & secundum ius Canonicum res aperta. Secundum ius autem ciuile idem dicendum est, quia oppositum non disponitur: & ideo valet, nisi iure prohibeatur. Sic Antonius Gabriel commun. conclus. lib. 6. *tit. de legitimatione*, conclus. 1. ampliat. 8. *Antonius Gail* lib. 2. obseruat. 141. Borcholten §. *fin. instit. de nupt.* num. 8. Conradus Riters. ad Iustiniani Nouellas part. 4. ca. 12. num. 8. Ioannes Scheneiduu. *Instit. de patria potest.* num. 23. cit. alijs & Gregorius Lopez in l. 1. tit. 13. Part. 4. litera C. in principio, & in fine 1. columnæ. Couar. 2. part. de matrim. cap. 8. §. 2. num. 10. & sequentib. Molina cit. alijs tom. 1. de iust. tract. 2. disput. 172. num. 3. Ioannes Azor tomo 2. lib. 2. ca. 13. quæst. 11. Sairo lib 6. de Censuris ca. 10. num. 22. & nouissime Thomas Sanchez lib. 7. de matrim. disput. 2 à num. 4. & denique communis sententia est interpretum iuris in d. *cap. tanta. & in d. l. nuper & in d. §. fin. instit. de nupt.* Quorum ratio esse potest fauor legitimationis, & honor matrimonij, cui fine limitatione concessum est, vt confirmet originé. Quare id etiam habebit in mortis articulo, cum ad extremum vsque spiritum contrahi matrimonium possit.

10 Verum contra illationem hanc sensêre alij, quos refert Cardinalis in d. *cap. tanta*, inducti in primis; Quia in mortis articulo cõstitutus ineptus est ad actum coniugalem, & ex consequenti inhabilis ad coniugium *cap. 2. de frigidis & malefic.* Deinde ex textu in d. *l. nuper*, ibi. *spem sobolis tollendæ*, quam spem morti proximus animo concipere non potest. Denique, quia videtur in fraudem hæredum fieri. Sed falso id affirmarunt, & ex ipsis Iustiniani verbis facile conuincuntur, cum velit legitimam prolem fieri per matrimonium, siue antea, siue postea nulli suscipiantur liberi. Fortuitus autem casus prius beneficium tollere non potest. Neque obstat primum argumentum, valet enim matrimoniũ sine concubitu, imò & cum voto nõ concumbendi, *cap. sufficiat & ca. Beata Maria 27. quæst. 2. & l. nuptias 30. de regul. iuris*, & nos late demonstrauimus supra lib. 1. Neque obstat etiã secundum ex d. *l. nuper*, quam Cynus, & Baldus ibidem, Scheneid. loco cit. num. 22. Cardinalis in d. *cap. tanta* sic explicant, satis esse spem sobolis tollendæ, cum eo matrimonio proles efficiatur legima, & ita noua filij qualitas procreatur. Solidior tamen solutio est spem sobolis nequaquam ad matrimonium requiri, vt obstendi lib. 1. contra huius temporis & antiquos hæreticos. Denique neque obstat tertium. Quia nulli iniuriam irrogat, qui iure suo vtitur, vt etiam diximus supra lib. §.

11 Sed adhuc isti illationi opponi potest. Quia matrimonium morte soluitur. Ergo non potest actus incipere, vbi finiri debet: Facit textus in *l. Titio cum moritur*, *D. de vsufructu* vbi Modestinus: *Titio, cum moritur vt vsusfructus inutiliter legari intelligitur, in id tempus videlicet collatus, quo à persona discedere incipit.* Et facit etiam textus in *l. vsum fructũ, cum moriar D. de vsufructu legato*, & *l. hæres meus §. Quamuis D. de condit. & demonst. & l. si pater mulieris D. de iure dot. & l. cũ pater D. de pactis dotalibus, & l. Iulianus & l. libertas D. de manumiss. testam.* Respondetur tamen cum Sarmiento lib. 1. select. interpret. cap. 7. num. 6. magnum esse discrimen inter actus celebratos in articulo mortis, aut quando actus aliquis confertur in diem mortis. In primo casu valet, etiam si tunc contingat tempus mortis: in secundo vero inutilis est. Explicemus ex iure ipso. Libertas seruo collata in tempus mortis inutilis est in d. *l. libertas D. de manumiss. testam. Stichus cum morietur liber esto*, nullius momenti existimanda est: & tamen morienti seruo non inutiliter libertas datur *l. vnica C. de lat. lib. tol.* vbi electus seruus morituras liber efficitur. Similiter: si vendam tibi vsum-

bi vsũfructũ, qui morte mea finitur, & statim moriar, venditio valet *l. necessario §. fin. D. de periculo & commodo rei vend.* & tamen subillis verbis, *cum moriar*, nulla venditio est ex d. *l. vsumfructum cum moriar*. Ex quo constat, quid dicendum sit in matrimonio. Attamen ego aliter dicendum existimo, scilicet, in his, quæ conferuntur in tempus, in quo fieri non possunt, inutilem eã stipulationem esse: sic vsusfructus & libertas. At vero ea; quæ tempore mortis locum habere possunt, vtilem habere stipulationem. Facit textus in *l. 45. §. 1. de V. O. & l. vnica C. vt actiones ab hæred. & l. 11. C. de contrah. & commit. stipulat.* Vel rursus dici potest apertius aliud esse instans, siue momentum mortis, quo homo desinit esse, & finitur; aliud tempus morti proximum, quòd articulus mortis dicitur; in primo casu vitiatur dispositio iuxta dicta in præcedenti solutione; in secundo vero valida est. Matrimonium autem non reijcitur in tempus, in quo homo desinit esse, sed in tempus morti proximum, in quo validè & licitè celebrari potest. Vel denique ad ea explicanda iura, quæ adducta sunt vide Donel. *in l. 45. de V. O. §. 1. num. 1.* & sequentibus, vbi eleganter explicat quid in ea stipulatione *cum moriar* habeat ius Digestorum & Iustiniani.

12 Sed denique prædictæ illationi videntur obstare nonnulla ex pari, aut simili deducta. Quia in mortis articulo constitutus non videtur posse testari, quia mens morituri mortis cogitatione perturbatur *l. hac consultissima §. atque humana D. Qui testamenta facere possint vel non.* Quod seminecis & morituri balbutiens lingua sit. *l. quoniam indignum C. de testamentis.* Præterea quia in articulo mortis constitutus testis esse non potest, quia vacillat intellectus memoria, & morti propinquus pro mortuo habetur, mortisque dolore atque cruciatus metu alienus ab intellectu est. vt DD. notant in d. *l. hac consultissima l. qui diem de numissis testament. & cap. literas 2. de præsumpt.* Præterea tertio. Quia si vulneratus in mortis articulo ex vulnere cõstitutus asserat se vulneratum, & percussum ab aliquo, ea inculpatio nullius roboris vel momenti est, neque ad capiendum nec torquendum reum, qui percussor esse denuntiatur, & videtur probari ex *l. si quis in graui §. si quis moriens D. de S. Consulto Syllan. & Claud. si quis moriens dixisset à seruo vim mortis sibi illatam esse, dicendum est non esse credendum domino, si moriens hoc dixit, nisi potuerit etiam comprobari.* Quartò, si testis in articulo mortis constitutus ad suæ conscientiæ exonerationem dicit se falsum deposuisse in aliqua causa, nullius momenti est ea declaratio, vt docent communiter DD. in d. *l. si quis in graui*, & probat textus in d. *cap. literas*, & Felinus & alij ibi. Idem de notario asserente in eodem articulo ad suæ conscientiæ exonerationem falsum instrumentum fabricasse; nec enim ideo eneruatur instrumenti vis, vt est cõmunis DD. in d. l. Idẽ etiam de iudice, qui in articulo mortis fatetur se iniquè protulisse sententiam in fauorem alterius, cui nõ creditur in suæ sententiæ præiudicium. Id quod etiam docet communis DD. ibidem. Sed de his singulis disputare longum esset atque molestum. Breuiter dico testamenti factionem morientibus non denegari, si sanæ mentis sint, indubium esse *l. senium C. qui testam. fac.* Quod verò ad testis morientis depositionem attinet, & alia, quæ subiunximus, latè & quantum satis est, Farinatius cit. alijs 1. part. praxis crimin. quæst. 46. per totam & 2. part. quæst. 80. oppos. 40. à num. 105. Solum addo ex illis ad id, de quo agimus, nullum argumentum desumi, quia matrimonij contractus iure naturali licitus in mortis articulo prohibitus non est.

Etiam matrimonio præsumpto, mediato, rato, & etiam existentibus alijs filijs legitimis originem confirmari.

§. II.

SVMMARIVM.

Etiam matrimonio præsumpto legitimari filium, num. 13.

Obijciuntur nonnulla & diluuntur, num. 14.

Etiam matrimonio mediato legitimari filium, numero 15.

Etiam matrimonio rato non consummato, numero 16.

Quamuis existant filij ex alio matrimonio, numero 17.

13 TERTIO colliges etiam hoc beneficium cõfirmationis originis prouenire ex matrimonio non tantum vero, sed etiam existimato & præsumpto. Nõ loquor in hac illatione, quando filij sunt existimatiue naturales, sed quando sunt verè naturales, matrimonium autem est præsumptum. De primo enim casu dicam cap. sequenti. Itaque, si quando filij susceptj sunt, coniugium esse poterat inter parentes, ita vt filij vere

verè naturales extiterint, & postea superueniente aliquo impedimento occulto, siue cũ bona fide vtriusque, siue alterius tantum contrahatur coniugium, legitima proles erit ex eo matrimonio præsumpto. Voluit enim Ecclesia legitimos reddi eo matrimonio, quod ab Ecclesia & iure probaretur. Illud autẽ probatur, si occulto existente impedimento, & bona fide initum sit. Idque ea potissimum cõsideratione conuincitur. Quia si matrimonium bona fide saltem vnius coniugis contractum est, proles tunc suscepta nascitur legitima *cap. cum inter cap. perlatum cap. quod nobis, iuncta glossa cap. ex tenore, qui filij sint legit.* Si ergo prolem tunc susceptam efficit legitimam matrimonium bona fide contractum, nulla est ratio, cur non reddat etiam legitimam antea susceptam, cum fictione iuris retrotrahatur ad tempus ante susceptam prolem. Atque hanc fuisse in his legislatorum voluntatem colligi etiam potest ex fine legis, & huius dispositionis. Finis enim fuit, tũ vt decoraretur respublica correctis natalium defectibus, tũ vt inhonesta consuetudo tolleretur allectis parentibus legitimationis spe. Parentes autem bona fide cõtrahentes, quod in se est fecerunt, nec per ipsos stetit, quin matrimonium valeret, ac proinde æquum est, vt etiam huiusmodi matrimonium vim habeat confirmandi originem. Nam, vt habet regula iuris in 6. cum non stat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset. Adde etiam titulum putatiuum in iure operari effectum veri tituli, vt constat in materia iurisdictionis *l. Barbarius Philippus D. de officio Prætoris, & l. 2. C. de sentent. & inter loc. & cap. infamis 3. quæst. 7. v. verum tamen*, & dixi supra lib. 5. Quare, cum hic sit titulus putatiuus matrimonij, & vterque in possessione coniugum, reddet filios naturales legitimos. Hanc sententiam sequuntur, qui docent matrimonio præsumpto fieri legitimos filios præsumptè naturales; id enim à fortiori concedere tenentur in nostro casu, quos refert cap. sequenti, & in hac facti specie expressè nobiscum sentit Molina de primogen. lib. 3. cap. 1. num. 11. ad fin. eius numeri. Canisius cum alijs in d. *cap. Tanta*, pag. mihi. 348. & Nicolaus Garcia p. 7. de benef. cap. 2. nu. 30. cum alijs, quos refert.

14 Sed contra hanc illationem sensit Panormitanus in d. *cap Tanta* num. 9. Couar. p. 2. de matrim. cap. 8. §. 2. num. 20. Franciscus Sarmiento d. lib. 1. cap. 6. num. 2. versiculo, *in secunda igitur specie*, & Molina tom. 1. de iust. tract. 2. disput. 172. num. 12. ob hæc argumenta. Primo. Quia textus in d. *cap. Tanta* inquit, *tanta est vis matrimonij*, quæ de vero matrimonio debent intelligi, quia regulariter verba simpliciter, & non secundum quid intelligi debent *l. 1. qui in perpetuum D. si ager vectigalis*. Appellatione igitur matrimonij non potest venire matrimonium præsumptum. Secundò. Quia effectus hic legitimationis in *cap. Tanta* tribuitur matrimonio. At si putatiuum sufficiens esset ad legitimam reddendam prolem, planè non tribueretur hic effectus matrimonio, sed bonæ fidei, siquidem nullum fuit matrimonium. Sed hæc non obstant. Ad primum enim respondetur verba propriè, & non secundum quid accipienda, nisi aliud suadeat, & finis, & ratio legis, & mens loquentis, & instituentis, vt in iure notum est. Quare ex fine & iure optime colligimus in d. *cap. Tanta* eam vim esse matrimonij veri, atque præsumpti *cap. 2. & penult. Qui filij sint legit.* Ex quo etiam constat ad secundum. Tribuitur namque ille effectus non tantum bonæ fidei coniugum, sed etiam matrimonio, quod Ecclesia verè existimat, & iudicat matrimonium, ac probat propter occultum impedimentum. Idque ex eo manifestũ est. Quia parentum ignorantia, nisi accederet etiam iudicium & approbatio Ecclesiæ, non redderet sobolem legitimam, vt constat ex *cap. cum inhibitio, de clandestina desponsatione, & ex cap. quod nobis. Qui filij sint legitimi*, ibi. *Postmodum ab Ecclesia comprobato.* Neque sufficeret etiam Ecclesiæ approbatio sine bona fide, vel vtriusque vel alterius tantum.

15 Quartò colliges subsequenti matrimonio legitimam prolem reddi, quamuis nõ subsequatur immediatè. Itaque, si quis suscepit filios ex concubina, & postea ducat aliam coniugem, qua demum mortua contrahat matrimonium cum prædicta concubina; filij antea ex ea nati legitimantur, non obstante matrimonio interiecto. Sic docet Abbas in d. *ca. Tanta*, Angelus in d. §. *fin. instit. de Nupt.* Scheneid. de patria potestate num. 22. Couar. in d. §. 2. num. 28. citatis alijs, Azor tomo 1. lib. 2. cap. 13. quæst. 5. Sairo lib. 6. de irregularitate cap. 10. num. 19. cit. alijs. Quibus etiam adde Petrum Gregorium in syntagm. iur. p. 2. lib. 10. cap. 4. num. 5. qui adducit textum in d. *l. diui l. cum quis l. nuper C. de natural liber.* Canisium in d. *cap. Tanta* pag. 351. Cuius ratio est. Quia sufficit parentes tempore susceptæ filij potuisse cõtrahere, vt constat ex d. c. *Tanta*. Est etiam pro hac sententia elegans textus in *l. 8. §. 1. D. commun. prædiorum.*

16 Quin-

16 Quinto colliges filios susceptos fieri legitimos matrimonio subsecuto, licet tantum sit ratum, & non cõsummatum. Ea enim efficacia concessa est in iure matrimonio. Matrimonium autem ratum etsi non cõsummatum verè matrimonium est. Id quod in specie docuit Sairo d. lib. 6. cap. 10. num. 28. Quod idem affirmare debent, quicumque sentiunt per copulã præcedentẽ matrimoniũ postea se quutum non consummari, sed esse debere copulam matrimonialem, non fornicariam, vt dixi supra lib. 9. Adde, quamuis matrimoniũ ratum eam vim habeat, non tamen eam concessam sponsalibus de futuro. Excipe ius antiquum, & etiãm nunc, vbi Tridentini decretum receptum non est. Legitimantur enim filij antea suscepti per sponsalia, quoties illa ex dispositione iuris transeunt in matrimonium. Quia tunc operantur, non quatenus sponsalia sunt, sed quatenus vim matrimonij obtinent ex iuris dispositione.

17 Sextò colliges huiusmodi beneficium habere locum, siue existant alij filij iusti susceptiex alio matrimonio, siue secus, quamuis enim de hoc dubium fuerit, atque restrictior dispositio Constantini, Zenonis, & Anastasij, attamẽ latior Iustiniani in *d. l. cũ quis*, & Nouell. 74. & 89. vbi siue existant alij legitimi & iusti filij, siue non existant, voluit Iustinianus per subsequens matrimonium legitimam prolem effici, vt ex his, quæ supradiximus constat. Ex quibus etiam patet hoc beneficium pertinere non tantum ad filios ex concubina, siue libera, siue ancilla susceptos, sed etiam ex quauis alia soluta fœmina. Quãuis enim de hoc, vt visum est, strictior fuerit Iuris Cæsarei dispositio, Pontificij tamen cõstitutio, cui in hoc standum est, sic statuit, vt docet etiam Abbas in d. *cap. Tanta* num. 14. Azor d. lib. 2. cap. 13. quæst. 7. Couarr. p. 2. c. 8. §. 2. num. 4. & Gregorius Lopez d. *l. 1. tit.* 13. *part. 4. v. Que tiene por Barragana.* Licet non explicet, an id existimet dicendum Iure Pontificio tantum, vel etiam ciuili. Quare non probo, quod Antonius Gabriel de legit. conclus. 1. num. 51. existimat id esse verum non solum Iure Pontificio, sed etiam Ciuili.

Matrimonio sine dotalibus instrumẽtis, & sine parentũ, aut filiorum cõsensu legitimari, & etiam nepotes.

§. III.

SVMMARIVM.

Legitimũ matrimonium etiam sine tabulis dotalibus, num. 18.

Non habere locum inspecto Iure Ciuili quidã sentiunt, num. 19.

Verius oppositum, num. 20.

Etiam si matrimonium fiat absque consensu parentum, num. 21.

Nec requiri filiorum consensum ad legitimationẽ per matrimonium, num. 22.

Etiam legitimos reddi nepotes, n. 23.

Obijciuntur nonnulla & diluuntur, n. 24. 25.

18 Septimo colliges nihil aliud requiri, quam subsequens matrimonium, atque adeo huiusmodi beneficium locum habere, siue dotalia instrumenta confecta fuerint, siue secus. Et quidem de hac illatione secundum Ius Canonicum dubitari non potest, iuxta cuius dispositionem filij ex quacumque fœmina susceptiy dummodo inter illos coniugium esse possit, legitimos fieri sequuto matrimonio. Constat autem coniugium secundum Ius Canonicum etiam sine dotalibus instrumentis. Id etiam constat ex toto titulo, *qui filij sint legitimi*. Atque huic iuri standum est tanquam in hac materia potentiori.

19 An vero idem dicendum sit secundũ ius Cæsareum multi dubitarũt. Quãuis enim verum sit ex Iure Ciuili posse nuptias iustas constare solo consensu etiam sine scriptura dotis, *l. nuptias* 30. *D. de regulis iuris, nuptias nõ concubitus facit, sed consensus.* Vnde ad matrimonij substantiam non esse necessarias tabulas nuptiales, non dotem, non donationem propter nuptias, non celebritatem nuptiarũ, non pompam siue solemnitatẽ constat, *l.* 31. *in principio D. de donatio. & l. vltima in principio C. de donation. ante nuptias. l. 9. si vicinis, l.* 13. *Neque sine l.* 21. *à Caligato & l. sequenti C. de nupt. & l.* 4. *de pignoribus l.* 4. *de fidei instrumentor.* & diximus etiam nõnulla supra lib. 1. & 2. Itaque quamuis hæc vera sint; attamen in huiusmodi nuptijs, quæ interueniunt cum ea, ad quam prius consuetudinem habuerat, dotalia exigi instrumenta, vt legitima fiat proles, docent non pauci. Borcholten *instit. de nupt. §. fin.* n. 9. Riterf. ad Nouell. p. 4. cap. 12. nu. 8. Couarr. d. §. 2. num. 8. Azor d. lib. 2. cap. 13. quæst. 4. inclinat Scheneid. *instit. de patria potestate*, num. 22. Angelus, Baldus, Lucas de Pena & Præpositus, quos refert Fachineus lib. 3. controuers. cap. 51. quos etiã ipse sequitur in fine eius cap. spectato Iure Ciuili, licet aliter dicendum sentiat Iure Canonico, cui in hoc standum est, quod etiam sequitur Canis. in d. *cap. Tanta* loco supra cit. Non alio fundamento mouentur, nisi quia beneficium hoc iure humano inductum est, &

ideo

ideo non aliter locum habet, nisi iuxta iuris ciuilis dispositionem. At iure ciuili beneficium hoc non est concessum, nisi dotalibus confectis instrumentis Nouella 12. cap. 2. Nouella 18. Nouel. 117. cap. 2. & §. *fin. instit. de nuptijs* & §. 1. *de hæred. quæ ab intest. defer.* & vbicunque Iustianus de hac confirmãdæ originis ratione agit, dotalium instrumẽtorum meminit. At Antonius Gabriel de legit. conclus. 1. num. 12. sub distinctione loquitur. Si enim supersint filij legitimi, addit esse necessaria instrumenta: quod si non extent, censet non esse necessaria. Verum hic nullo iuris fundamento nititur, vbique enim de hac re eodem modo loquitur Iustinianus, & exprimit instrumenta dotalia: quare aut semper, aut nunquam requiruntur.

20 Verius ergo mihi videtur ad beneficium illud ex subsequenti matrimonio conferendum etiam attento iure ciuili, non requiri instrumenta dotalia. Sic Donellus lib. 2. commentar. capit. 21. vers. *Nuptijs cum eadem muliere.* Sed satis esse validum matrimonium. Idque mihi persuadeo ista consideratione. Quia id, quo potissimum permoti Constantinus, Zeno, Anastasius, & Iustinianus eas constitutiones ediderunt, id fuit, vt spe legitimandi prolem, prauam ac turpem consuetudinem relinquerent, & affectum. Quare ea legitimationis efficacia concessa videtur honestæ coniugali coniunctioni, vt ex ipsis constitutionibus constat, non vero dotis promissioni, aut confectioni instrumenti. Cum ergo sine dotalibus instrumentis nuptiæ valere & consistere possint, habebunt sane eundem effectum *l. in omnibus causis, ff. observetur D. de regulis iuris.* Quod si Iustinianus exigere videtur instrumenta dotalia in locis allegatis, dicendum cum Donello ibidem exigi quidem, non ad beneficium confirmandi originem, sed ad nuptiarum probationem certam, ne quid hic à coniugibus simularetur ad statum confirmandum, cum eo tempore non aliter constare soleret nuptias esse contractas, quam dotalibus instrumentis confectis. Quam rationem assignare videtur Imperator §. *illud autem Authent. Quibus mod. naturales efficiant. legitimi.* Vel dicendum, idque satis aperte videtur colligi ex Nouel. 89. §. *reliqui igitur, dotalia instrumenta* per periphrasim appellari *nuptias* à signo, & ab adiunctis, quemadmodum à solemnitate appellantur tædæ nuptiales, filius conceptus ante dotalia, natus post dotalia. Quare non efficitur dotis, aut dotalis tabulæ confectionem exigi, vt matrimonio subsequenti legitima proles fiat. Addo etiam considerationem aliam, qua nostra magis confirmetur sententia. Quia cum possit ea origo confirmari ex matrimonio contracto per eum, qui in articulo mortis fuerit constitutus, quando non est facile dotale instrumentum confici, planè sequitur huiusmodi instrumenta dotalia non requiri vt aliquid substantiale ad confirmandam originem. Quam rationem si attendissent, qui in 3. illatione nobiscum sentiunt, in hac sentirent etiam nobiscum.

21 Octauò colliges eam vim conuenire matrimonio etiam absque consensu parentum. Itaque ipsis reluctantibus & inuitis parentibus proles fit legitima, si semel contrahant coniugium. Hic enim fauor matrimonio concessus est, cui parentes renuntiare non possunt. Sic communis sententia, quam expresse Sairo dict. lib. 6. cap. 10. nu. 23. Molina tom. 1. de iustitia tract. 2. disput. 172. num. 5. Ioannes Azor tomo 2. lib. 7. cap. 13. quæst. 12. Couarruuias p. 2. cap. 8. §. 2. Neque obstat textus in dict. *Authent. Quibus mod. natural. effic. sui.* Nouel. 89. ca. 10. *si vero is*, vbi consensus parentum requiritur. Vt enim constat ex constitutione, sermo est de his, qui legitimi fiunt rescripto, aut priuilegio Principis, non dispositione iuris, vt loco citato num. 13. citatis alijs interpretatur Couarruuias.

22 Nonô colliges, neque etiam vltra matrimonium requiri filiorum consensum, sed ipsos etiam inuitos legitimos fieri. Pro quâ sententia facit Barthol. in *l. vltima D. de his qui sunt sui iuris*, dum affirmat infantem posse fieri legitimum, sequitur Barbacius consil. 33. volumine 2. Ioannes Azor dict. lib. 2. cap. 13. quæst. 12. Molina loco citato num. præcedenti, Couarruuias dict. §. 2. num. 16. & Sarmiento lib. 1. Selectar. interpretat. cap. 8. post principium. Hæc tamen illatio intelligenda est iure Pontificio spectato, vt apertè Couarruuias fatetur d. num. 16. vbi se purgat à calumnia Sarmiento, qui etiam in eadem sententia est. Nam si attendamus ius ciuile, planum mihi videtur vltra matrimonium requisitum fuisse filiorum consensum. Facit textus in *Authentic. Quibus mod. naturales efficiantur sui*, Nouel. 89. capit. 11. *Generaliter autem in omnibus qui per prædictum modum deducuntur ad*

legitimum ius, tunc id valumus obtinere, cum & filij ratum habuerint. Nam si soluere ius patriæ potestatis inuitis filijs non permissum est patribus: multò magis sub potestatem redigere inuitum filium, & nolentem, siue per oblationem ad curiam, siue per instrumentorum celebrationem, siue per aliam quamlibet machinationem, tanquam sortem metuentem paternam, iustum non est, neque imperij, & legislatoris ponimus proprium. Atque ita inspecto iure ciuili citatis alijs sensit Fachineus lib. 3. controuers. cap. 54. in eo tamen corrigendus, quod existimauerit idem seruandum esse iure Pontificio. Quia cum iure ciuili ita apertè constitutum sit, neque contrarium iure canonico sit sancitum, tacitè vel expresse, illi inhærendum censet; sicut enim leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita, & sacrorum statuta Canonum Principum constitutionibus adiuuantur *cap.* 1. *de noui operis nuntiat.* Corrigendus itaque in eo. Nam omnia iura Pontificia apertè clamant soli matrimonio id concessum, etiam sine tabulis, sine consensu *Tanta* enim, inquit Pontifex, *est vis matrimonij.* Atque huic iuri standum est, quod prævalet in hac parte etiam in terris imperij, vt dicam infra. Verum quidem est potuisse id etiam constitui, vt non nisi consentientibus filijs legitimi fierent ex matrimonio parentum, cum enim ea legitimatio inducta sit humano iure, potuit his vel illis conditionibus induci. Corrigendus etiam Sarmiento in ratione, qua conclusionem probat scilicet, quia nemo potest efficere, vt effectus legis non sequatur, si facit actum legitimum *l. nemo potest. D. de legibus* 1. sicut partes non possent pacto efficere, vt filij non legitimentur. Hæc enim ratio verum habet, quando reuera ita lege constitutum est: at quando lege constituitur, vt ea legitimatio pendeat ex filiorum consensu, non potest actus legitimus eum effectum parere, vt iure ciuili notum est.

23 Decimò colliges, subsequenti matrimonio non solum effici legitimos filios antea susceptos, sed etiam nepotes, quamuis tempore contractus matrimonij filij decesserint. Hanc sententiam citatis alijs tenet Couarruias §. illo 2. num. 22. & sequentibus, Fachin. lib. 3. controuer. cap. 56. Ionnes Azor. dict. lib. 2. cap. 13. quæstion. 13. Molina disputation. 172. num. 10. alter Molina lib. 3. de primogenitis capit. 1. num. 9. Antonius Gomez ad l. 9. Tauri num. 61. & 62. cum alijs quos citant. Facit pro hac sententia textus in *l. si filium D. de gradibus: si filio meo mortuo Titium adoptauero, videri eum defuncti fratrem fuisse.* Hæc ibi. Ex quo sic ducitur argumentum. Quamuis mortuus filius, eius tamen frater censetur adoptatus, nec ideo ad huiusmodi gradum deficit habilitas extremi à quo. Ergo & pari ratione nepotes ex filio legitimi erunt, quamuis mortuus filius. Facit etiam efficaciter alia Fachinei ratio, cuius supra numer. 9. *versic. Secunda pars*, meminimus. Quia ideo filius subsequenti matrimonio legitimus efficitur, quia fictione iuris matrimonium retrotrahitur ad tempus, in quo nondum susceptus filius. Sed si matrimonium contractum antea esset, filius defunctus legitimus esset, & nati ex eo. Ergo idem est, etiam si postea contractum matrimonium sit, maximè cum hæc pendeant ex legislatoris voluntate.

24 Verùm contra illationem hanc sentire non pauci, Decius consilio 343. Anton. Gabriel de legitimat. conclus. 1. num. 52. Gregor. Lopez dict. l. 1. titul. 13. Partita 4. columna 2. in fine, Canisius in dict *cap. Tanta* p. 357. & alij, quos referunt Fachineus, & Couarruuias locis cit. Probant primò ex textu in *l. qui libertinus* 37. *D. de operis libert. Posthumus liberti hæredes patris sui non liberat, quod proficisci liberatio à liberto debet. Nec quisquam post mortem liberari intelligi potest &c.* Si ergo filius posthumus non liberat libertum ab operis, à quibus liberasset nondum quinquennis, pariter etiam filius mortuus non liberabit filios à defectu natalium. Secundò probant. Quia in nepotes deriuatur legitimatio per filios. Si ergo filius illegitimus est, quia iam defunctus, quando contrahitur matrimonium, non potest nepotibus legitimatio quæri. Debet enim esse extremum habile, per quod nobis adquiritur *l.* 1. §. 3. & §. *Caterum de adquirend. possessione.* Tertio probant ex textu in *l. Si is qui* 44. *D. de adoptionib.* vbi dicitur non posse quemquam adoptari ex filio iam mortuo, quia deficit habilitas extremi, & in eo casu fictio non procedit iuxta textum in *l. si is qui pro emptore* 15. *D. de vsu cap.*

25 Hæc tamen non obstant nostræ sententiæ. Ad primum enim respondetur aut ex *l. qui libertinus*, argumentum petiab exemplo: aut ex illa ratione legis: *nec quisquam post*

post mortem liberari intelligi potest. Si argumentum ducitur ab exemplo, est omnino diuersum. Vt enim libertus operas non debeat, requirit ius, vt duos, pluresue filios, filiasue habeat, præter eum qui suas operas bestijs locauerit, aut his amissis filium quinquennem. Quare ea præsens conditio esse debet, vt operas patrono libertus non debeat. At non colligitur ex iure filij vitam necessariam esse, vt deriuetur legimatio ad nepotes. Si vero argumentum sumitur ex ratione illà perpetua non est, scilicet, neminem intelligi posse post mortem liberari. Fuit quidem ea opinio Antiquorum iure Consultorum, improbata tamen à Iustiniano §. *post mortem instit. de inutil. stipul. & l. vnica C. vt actiones ab hared. & l. 11. C. de contrah. & committ. stipul.* vt in dict. *l. qui libertinus, & in dict.* §. notauit Gothofredus, & Donellus in l. 45. §. 1. de V. O. Neque obstat secundum. Dicimus enim extremum esse habile pro eo tempore, quo fingitur retrotrahi matrimonium. Fingitur enim ab initio esse contractum, vt iam dictum est. Neque obstat tertium. Vt enim docet Conarruuias & ex textu ipso colligitur, non potest aliquis, vt nepos ex filio adoptari, nisi nominatim dicatur, ex quo filio.

De qualitate in filijs requisita, vt legitimi reddantur sequentibus nuptijs.

CAPVT II.

SVMMARIVM.

Requiri in filio legitimando per matrimonium quod fit ex soluto & soluta, num. 1.
Explicantur nonnulla ex iure Ciuili, num. 2.
Opponitur, & diluitur, num. 3.
Non legitimari filium susceptum ab ijs, qui tenentur impedimento dirimenti, num. 4.
Secus si suscipiatur filius ab initiato minoribus ordinibus, num. 5.
Aut si teneãtur parentes voto simplici castitatis, num. 6.
Aut si alter ex parentibus contraxerit tantum sponsalia, num. 7.

1 VIDIMVS hactenus, quò beneficium legitimationis adquiratur, scilicet, matrimonio, siue vero, siue præsumpto, siue rato tantum, siue etiam consummato, & siue contrahatur in vita, siue in mortis articulo, & solo matrimonio reddi prolem legitimam sine dotalibus instrumentis, & sine filiorum, aut parentum consensu, & legitimos reddi non tantum filios, sed etiam nepotes defuncto filio. Examinandum nunc quæ qualitas requiratur, aut quales filij esse debent, vt legitimationis beneficium subsequentibus nuptijs possint adipisci. Habemus autem in hoc expressam iuris dispositionem, vt scilicet filij suscepti sint ex soluto, atque soluta, id est, ex his parentibus, inter quos matrimonium constare posset. Sic iure Pontificio cautum in dict. *cap. Tanta* & alijs supra relatis cap. præcedenti in principio & etiam iure Ciuili §. *fin. instit. de nupt.* ibi, *Qui à muliere libera procreatus:* & constat etiam ex alijs legibus ibidem relatis, Exigitur enim, vt vxor esse possit. Quare secundum hanc vtriusque iuris dispositionem canonici, & ciuilis eam vniuersalem regulam statuimus. Quotiescumque ex aliquo impedimento dirimente inter parentes matrimonium esse non potest iure Pontificio: etiam si dispensabile sit, aut quoties inter aliquos iure ciuili matrimonium esse non poterat, etiam si impedimentum illud temporale esset, proles ex eo matrimonio suscepta non potest reddi legitima per subsequentes nuptias. Quam regulam vt explicemus magis, colligamus in speciali nonnulla.

2 Primo ex dicta regula colliges intellectum ad multa in iure Ciuili. Hinc intelliges dispositionem iuris in §. *sed & aliud Authent. Quibus mod.* si habuit filium ex indigna non legitimari per subsequens coniugium. Quia scilicet, attento iure ciuili non potuit esse cõiugium inter eos, atque ideo neque eo iure fiebant legitimi filij. Atque in hoc sensu, scilicet, secundum ius ciuile locuti sunt Auctores, quos refert Fachin. lib. 3. controuers. capit. 53. in principio, & probat textus in *l. 1. C. de naturalibus liberis*, ibi, *Senatores vel præfectos, &c.* Quo loco non *præfectos*, sed *perfectissimos* legendum esse monet Cuiacius ad Nouellã 89. & Brisson. de V. S. *v. perfectissimi.* Quod nomen dignitatis fuisse, probat ex Augustino epist. 98. & ex *l. 11. C. de Quæstionib. & ex C. Theodos.* vbi sæpe. Idem etiam constat ex textu in *l. humilẽ C. de incestis nupt. lib. 5.* Iure enim ciuili prohibentur nuptiæ Senatoris cum indignis; & similiter Senatoris filij & etiam Clarissimi *l. 44. de ritu nupt. & l. semper* §. 1. *eodem. & l. 3. C. de nupt. Vlpia. in fragm. tit. 13. & l. palam quæstum facere D. de ritu nuptiar.* Videlicet, ne ordo Senatorius huiusmodi cõ-

taminaretur nuptijs de quo latè Brissonius in libro de iure Connub. à principio. At postea Iustiniani Nouellis Senatores, viri clarissimi,& viri perfectissimi cum eis, si resipiscant, connubium habent exceptis ancillis. Quare antiquata videtur *lex 1. C. de naturalibus liberis*, & antiquata etiam Martiani lex, cuius pars est tex in dict. *l. humilem.* Reuocantur autem in Nouella 117. capit. 6. Hinc etiam intelliges textum in *l. & si contra C. de nuptijs.* Illi enim, qui in Prouincia erat, matrimonium prohibitum erat cum oriunda, vel ibi domicilium habente & *l. si quis officium* 38. *D. de ritu nupt.* Potentatus enim nuptias prohibet. Quo constituto iure optimo cautum est, vt eo tempore suscepti filij nunquam iusti fiant. Et postea suscepti filij depositio officio nuptijs perseuerantibus iusti, legitimique nascantur : non secus ac si duo consanguinei conscij impedimenti nuptias contraxissent, qui tamen postea dispensatione obtenta iterum confirmassent, & vtroque tempore liberos procreassent, primi illegitimi remanent, posteriores verò legitimi nascuntur. Et in eundem sensum accipe textum in *l. eos qui 65. §. 1. D. de ritu nuptiarum.* Sic etiam accipe textum in *l. si quis in Senatorio 27. eodem.* Senator enim cum libertina nubere non potest. At depositio Senatorio ordine iam illam vxorem habere potest. Huiusmodi multa alia reperies in eo titulo. Idem etiam dicendum de tutore comparatione pupillæ, quia pupillam ducere non poterat, ne pupillæ in re familiari circunscribantur ab his, qui rationes eis gestæ tutelæ reddere compelluntur *l. libertum D. de ritu nuptiarum.* Atque hoc eodem sensu accipiunt multi responsum Iuris Consulti in *l. Paulus de statu hominum*, scilicet filios susceptos ab eo, qui patre aut inuito, aut ignorante contraxit, mortuo auo legitimos non fieri nec iustos filios ; susceptos enim eo tempore, quo matrimonium iniri non poterat. Sed non recte sic accipiendum existimant, ostendimus enim supra libro secundo, capite primo valuisse iure ciuili eiusmodi coniugium semel consummatum ; attamen in pœnam excluſi filij eo tempore susceptis ab hæreditate sunt, videlicet, ne auo inuito agnasceretur hæres, de quo videndus Gothophredus in *l. filius emancipatus* 25. *D. de ritu nuptiarum.*

3 Sed his obstare videtur *regula. Non firmatur de regulis iuris in 6.* Conualescit enim in his casibus matrimonium à principio nullum. Verum non esse illam regulam vniuersalem, sed interdum tantum habere locum, videtur indicare Gothophredus in dict. *l. siquis in senatorio*, & sequitur latè Brisson. dict. lib. de iure connub. Aliam adhibet solutionem Pechius in dict. regula num. fin. quæ apud illum videri potest. Videndus etiam Dynus ibidem. Mihi placet non solo temporis tractu conualescere huiusmodi matrimonia, sed accessu noui consensus post officium depositum, vel senatoriæ dignitatis priuationem. Idque iura indicant in dict. *l. siquis officium* 38. *de ritu nuptarum* ibi, *si post depositum officium voluerit mulier nuptias contrahere, & l. eos qui 65. eodem*, ibi, *& tamen post depositum officium, si in eadem voluntate perseuerat.* Non ergò tempori, sed nouo consensui tribuitur confirmatio & valor.

4 Secundò colliges filios susceptos non solum viuente alio coniuge, sed etiam si soluti parentes sint, si tamen ex consanguinea, aut affine, aut publica interueniente honestate, aut dispari cultu aut furia, vel errore, aut denique interueniente quouis impedimento dirimente, iuxta ea, quæ de impedimentis matrimonij iura disponunt, nequaquam subsequentibus nuptijs fieri legitimos. Quæ communis Doctorum sententia est, nemine dempto, & per plures numeros eam latè prosequitur Sairo dict. cap. 7. à num. 16. Huius autem & præcedentis illationis ea ratio est, quia filii susceptι ante nuptias legitimi fiunt illis subsequentibus fictione iuris, vt sæpe dictum est. At, vt fictio, quæ veritatem imitatur, locum habeat, necesse est, vt sint extrema habilia, vt constat exemplo adoptionis, quæ naturam imitatur *inst. de adoptionibus.* Vt ergò matrimonium subsequens confirmet originem, necessarium est vt eo tempore, ad quod retrotrahitur, parentes potuerint valide copulari per iustas nuptias : atque ideo, si eo tempore impedimentum extiterit, cùm non potuerit iniri coniugium, neque postea secutum confirmabit originem.

5 Tertiò colliges, siquis in minoribus ordinibus constitutus filios ex aliquâ fœmina soluta suscipiat, nullo alio interueniente impedimento, subsequentibus nuptijs legitimos reddi. Sic docet Cardinalis in d. *cap. tanta* num. 4. Ioannes Andreas in *regula. Sine culpa, de regulis iuris in 6.* Couarruuias cit. alijs d. cap. 8. §. 2. num. 5. Fachin. lib. 3. controuers. cap. 52.

timus habitus est, ea illegitimitatis specie, quæ ab eò actu prout illicito promanare potuit: nulla autem alia deriuari potuit ex eo opere cum prædicta ignorantia, quam naturalis: nam quoad circumstantiam incestus non fuit opus illicitum, cum eius peccati ratio in eo opere defuerit. At quando fictione iuris matrimonium retrotrahitur ante tempus susceptæ prolis simili fictione & actus ille vel opus fingitur fuisse copulæ coniugalis, & licitæ, quæ quidem ea subsistente ignorantia licita fuisset. Vnde consequens est, vt legitimatio non procedat ex opere illicito, sed ex opere fictione iuris licito. Sicut ergo ex opere illo, dum matrimonium bona fide contractum constaret, non illicito, sed licito, proles sequeretur legitima: ita etiam ex opere antecedenti, quod ea fictione iuris licitum iudicatur, ob bonam matrimonij fidem proles redditur legitima. Quam rationem parum acutè mihi considerasse videntur iuris interpretes.

Quo tempore requiratur, aut sufficiat in parentibus habilitas ad contrahendũ?

CAPVT III.

SVMMARIVM.

Proponuntur tres casus, in quibus examinatur quæstio, num. 1.

Si natiuitatis filij tempore parentes sunt habiles, legitimus efficitur sequenti matrimonio, numero 2.

Opponuntur nonnulla, num. 3. 4. 5. 6. 7.

Idem dicendum, si habiles sint tempore conceptionis, non verò natiuitatis, num. 8.

Idem etiam, si intermedio tempore tantum fuerint habiles, num. 9.

1 SED sistamus hoc loco. Diximus reddi legitimos filios susceptos ex fœmina, cum qua nuptiæ iustæ esse poterant, videamus quo tempore satis sit, vt potuerit inter eos constare coniugium, an tempore conceptionis prolis, an tempore natiuitatis & partus. Pone aliquem cum consanguinea consuetudinem habere, grauidam puero reddi, inter eos tunc ratione impedimenti consanguinitatis non potest esse coniugium, dispensationem impetrant à Romano Pontifice prægnationis tempore, qua fiunt extrema ad coniugium habilia, nascitur eo tempore puer, & parentes filio nato contrahunt, censebitur ne filius iste legitimus, eo quod licet conceptionis tempore inter eos matrimonium esse non posset, potuit tamen esse partus tempore, impedimento consanguinitatis sublato ex indulgentia Pontificis? Hæc certe res negligenter discussa à Doctoribus est à nobis aliquanto exactius discutienda. Mihi tres facti species, aut tres casus hoc loco posse considerari videntur. Primam proposuimus; ecce secundam. Tempore conceptionis filij parentes coniungi matrimonio possunt. Sed eo tempore ante filij natiuitatem vnus ex parentibus cum consanguinea alterius rem habet, ex quo ortum est affinitatis impedimentum, quo constante nascitur proles, quando parentes matrimonio copulari non possunt, censebitur ne legitima soboles, quæ nascitur eo tempore, quo parentes impediti ad matrimonium erant? Ecce tertiam. Demus tempore conceptionis filij interuenisse impedimentum consanguinitatis, obtinetur dispensatio, qua fiunt habiles parentes ad coniugium eo intermedio tempore: sed ante partum ex copula aliqua fornicaria superuenit impedimentum, quominus contrahere possint, satis ne erit, vt proles reddatur legitima, eo intermedio tempore, prægnationis scilicet, potuisse contrahere, quamuis tempore conceptionis, & natiuitatis inhabiles fuerint? De prima tantum specie agunt DD. duas alias non attigerunt, nos de his tribus sigillatim.

2 In prima igitur specie semper existimaui prodesse puero natiuitatis tempus, vt legitimus efficiatur, itaque satis esse, si natiuitatis tempore potuerint parentes contrahere, licet conceptionis tempore non potuerint, vt proles susceptа restituatur natalibus. Sic docent Ioannes Andreas, Hostiensis, Antonius de Butrio, Cardinalis in dict. *cap. Tanta*, Couarruuias dict. capite 8. §. 2. numero 2. Gregorius Lopez d. l. 1. ti. 13. Partita 4. litera C. columna 2. à medio, Cuiacius ad Nouellam 22. Fachineus libro 3. controuers. cap. 50. Thomas Sanchez libro 8. de matrim. disput. 7. numer. 19. & disput. 34. num. 47. Molina tom. 1. de iustitia tract. 2. disput. 172. numero 4. Sairo lib. 6. cap. 10. num. 29. citatis

alijs Azor d. cap. 13. quæſt. 3. & alij, quos refert Nicolaus Garcia d. p. 7. cap. 2. num. 35. Quod quidem verum eſt iure Caſtellæ, & Cæſareo, Caſtellæ quidem, quia ita diſpoſitum eſt in *l.* 1. *Tauri quæ eſt* 9. *tit.* 8. *lib.* 5. *Compil.* Iure quoque Cæſarum aperte conuincitur ex textu in *l. nuper C. de naturalib. liber.* vbi hæc habentur: *Et generaliter definimus id, quod ſuper huiuſmodi caſibus variabatur, definitione certa concludimus, vt ſemper in huiuſmodi quæſtionibus, in quibus de ſtatu liberorum eſt diſputatio, non conceptionis, ſed partus tempus inſpicitur, & hoc fauore facimus liberorum, vt editionis tempus ſtatuamus eſſe inſpectandum, exceptis his tantum caſibus, in quibus conceptionem magis approbari infantium magis vtilitas expoſtulat.* Idem apertiſsimè conſtitutum eſt ab eodem Iuſtiniano Nouel. 89. cap. 8. ibi. *inſuper etiam ex rationabilibus hoc adiectum eſt cauſis.* Facit etiam pro hac ſententia textus in *l. qui in vtero* 7. *D. de ſtatu hominum* ibi. *qui in vtero eſt, perinde eſt, ac ſi in rebus humanis eſſet conſtitutus, quando de commodis eius agitur.* Si ergo de incommodis, habetur pro non nato, neque conſtituto. Illud addendum id deriuari ex ſpeciali iuris diſpoſitione, non verò ex ſupradicta fictione iuris: cum, ſi matrimonium transferatur ad tempus, quod ius fingit, eo tempore non poſſet ſtare matrimonium ante ſuſceptam prolem. Quare noua diſpoſitione opus fuit ſupra generalem illam, qua cautum fuit, vt legitimi fierent liberi ex ſolutis parentibus ſuſcepti.

3 Verùm contra huius illationis doctrinam ſentiunt Salicetus in *l. filium C. de ſuis & legit. hæred.* Sarmiento lib. 1. Select. interp. cap. 5. & nonnulli, alij quos ipſe refert, Caniſius in d. *cap. Tanta* p. 360. & Nicolaus Garcia loco citat. num. 38. ſunt autem horum Doctorum fundamenta ſatis in ſpeciem probabilia. Mouentur primo ex textu in *l. Paulus* 5. *D. de ſtatu hom.* vbi conceptionis tempus inſpicitur, etiam quando filijs non eſt vtile ibi. *cum qui viuente patre, & ignorante de conceptione filij, conceptus eſt, licet poſt mortem aui natus ſit, iuſtum filium ei, ex quo conceptus eſt, eſſe non videri.* Reſpondet Fachineus loco citat. non inſpici tempus natiuitatis in ſpecie d. *l. Paulus*, Quia nec eo tempore inſpecto legitimi filij eſſe poterant. Nam matrimonium contractum fuerat à filio familias viuente patre ſine eius conſenſu: quo caſu erat inualidum, nec patre mortuo validum efficiebatur. Addit Couar. matrimonium tempore conceptionis contractum, vt legitimum eſſet poſt filiorum natiuitatem mortuo auo, neceſſarium fuiſſe vt denuo confirmaretur nouo cõſenſu, non autem conſtare nouum acceſsiſſe conſenſum poſt filij natiuitatem, & aui mortem. Verùm neque Fachineus neque Couarr. argumento videntur ſatisfacere. Nam licet demus matrimonium contractum à filio familiàs ſine conſenſu patris, & conſummatum nullum fuiſſe, cuius oppoſitum oſtendi ſupra lib. 2. capit. 1. valebat tamen defuncto patre, quando iam factus ſui iuris, & ſolutus erat patria poteſtate, in quo caſu nulla patris, neque aui, in cuius poteſtate non erat, requirebatur voluntas. Adfuiſſe etiam conſenſum poſt aui mortem, quo confirmaretur alias inualidum, colligitur ex cohabitatione, ſiquidem natus poſtea filius eſt. Aliàs, ſi nullum etiam poſt aui mortem eſſet matrimonium, nulluſque nouus conſenſus adfuiſſet, fruſtra quæreretur, an iuſtus patri filius eſſet, & ridiculum Iure conſulti reſponſum. Valuit itaque matrimonium poſt mortem aui. Atque in eo conſiſtit argumenti vis, quod cum matrimonium illud poſt mortem aui valuerit, & quando filius natus eſt: nihilominus, quia conceptionis tempore nullum erat, vt pote cõtractum ſine parentum conſenſu, non efficitur filius legitimus. Quate ego reſpondeo eſſe peculiarem diſpoſitionem iuris in eo caſu, quãdo matrimonium fit ſine parentum conſenſu inſpecto etiam iure ciuili; ſuſcepti enim ex eo coniugio nunquam quoad ſucceſsionem efficiebantur iuſti filij, licet valuerit quidem, vt dixi latè ſupra lib. 2. cap. 1.

4 Mouentur ſecundo ex textu in *l. & ſi contra C. de nuptijs* vbi matrimonium inualidum officij tempore, depoſito officio, cenſetur validum ex conſenſu, additurque filios poſtea natos eſſe legitimos: vbi quærit gloſſa: Quid ſi antea nati? reſpondet eſſe illegitimos, vt habetur in *l. Paulus D. de ſtatu hominum* Cæterum, ſi hoc argumentum non prematur magis, nullius momenti eſt. Facile enim dici poteſt, filios ſuſceptos à Præſide, poſt depoſitum officium eſſe legitimos, antea verò non, quia dum fungebatur officio, inualidum erat matrimonium. Vnde illi filij tanquam ſuſcepti ex fœmina, cum qua matrimonium eſſe non poterat eo tempore, nunquam fiunt legitimi ſubſequenti poſtea confirmatione matrimonij. Quis hoc non videt? Neque caſus iſtius legis quidquam habet commune

cum

cum dispositione textus in *l. Paulus*, vt constat. Si textus ageret de conceptionis & partus tempore, & vtrumque cõpararet interse, rectè procederet argumentum. Attamen de hoc neque vllum verbum est.

5 Sed vrgeri adhuc fortius potest argumentum ex d. *l. & si contra*, cuius hæc sunt verba. *Etsi contra mandata Principum contractum sit in Prouincia consentiente muliere matrimonium; tamen post depositum officium, si in eadem voluntate perseuerauerit, iustæ nuptiæ efficiuntur; & ideo postea liberos susceptos natosque ex iusto matrimonio liberos esse responsum viri prudentissimi Pauli declarat, quod habetur in l. eos qui de ritu nupt.* At vbi Latini Codices legunt *susceptos, natosque* lib. 28. Basilicon Thalelæus legit *conceptos, natosque postea*. Quæ lectio, si vera est, validè nostram sententiam oppugnat, siue potius expugnat, quasi velit Imperator, vt legitimi liberi nascantur ex eo Præsidis matrimonio post officium depositum confirmato, non solum nati, sed & concepti sint filij post depositum officium. Attamen ego Latinam lectionem retinendam censeo, eamque pro nostra sententia expendo atque considero. Non enim Imperator dixit *postea conceptos*, sed *postea susceptos, natosque*, quasi satis superque existimauerit ad legitimationis beneficium obtinendum, si proles natiuitatis tempore ex legitimo coniugio nasceretur. Adde etiam in lib. Basilicon 28. tit. de nuptijs ex versione Gentiani Heruetti sic legi; *Sed si postea contenta fuerit mulier contracto cum ea matrimonio, qui postea nascuntur filij sunt legitimi.* Quod etiam nostram sententiam confirmare videtur, *nascuntur* enim dixit, non *concipiuntur*. Ad de etiam in d. *l. eos qui de ritu nupt.* Paulum, quem laudat Iustinianus eodem modo scripsisse, *ideo postea liberos natos ex iusto matrimonio legitimos esse*. Frigide autem glossa in d. *l. eos qui* existimauit aliter esse in concubina. Non enim aduertit cum concubina vxoriam coniunctionem esse potuisse, cum tamen inter Præsidem, & eius Prouinciæ fœminam consistere coniugalis copula non posset.

6 Mouentur tertio ex *l. libera C. de suis & legit. hæred.* vbi dicitur natum ex seruo & libera esse spurium, quamuis postea patri libertas superueniat, & natalium restitutio, quod non aliter dispositum est, nisi quia primum tempus inspicitur. Respondetur tamen textum istum ad rem non esse. Nam iure ciuili liberi cum serua coniugium esse non poterat, nisi patroni tantum cum ancilla, quæ eo ipso nouiori Iustiniani iure libertatem assequebatur & vxoris locum. Vnde iuxta regulam generalem traditam spurius erat filius natus ex seruo & libera, quia inter parentes matrimonium esse non poterat. Nihil itaque proficit filio iam nato restitutio natalium, & ingenuitas superueniens parenti quæsita, sicut neque filio suscepto ex consanguinea superueniens dispensatio iuxta dicta.

7 Quod si vrgeas verba illa *ex libero conceptus & serua*, vbi non dicitur *natus*, sed *conceptus*. Ergo quod conceptionis tempore non potuerit iniri coniugium, satis est ad beneficium istud excludendum; alias enim esset ex libero natus & serua; sed vox illa *conceptus* pro *nato* accipienda est, itaque intellexit Cuiacius ad tit. 54. lib. 1. C. versic. *hic locus demonstrat*.

8 In secunda autem facti specie, quando scilicet conceptionis tempore poterat iniri coniugium, non verò tempore natiuitatis ex superueniente impedimento dirimente, ego quidem existimo adhuc huic beneficio locum esse, & originem confirmari. Docet Ludouicus Molin. tract. 2. de iust. disp. 172. n. 4. Quod quidem mihi persuadeo, & ratione, & exemplo. Ratio est, qua sæpe hactenus vsi sumus. Matrimonium confirmat originem fictione iuris transferentis matrimonium in aliud tempus, in quo nondum esset proles suscepta. Finge ergo transferri ad tempus ante susceptam sobolem, eo tempore extrema existit habilia, & contractum matrimonium valeret, & superueniens impedimentum tantum impediret vsum coniugij, non eius valorem. Idque maximè dicendum, cum iure humano aliter non disponatur, quod quidem secus disponi potuisset, cum hæc originis confirmatio ex humana dispositione pendeat. Exemplo etiam id ipsum confirmari potest, desumpto ex libertatis beneficio. Quouis enim tempore contigerit matrem esse liberam, siue conceptionis siue natiuitatis, siue intermedio tempore, liber nascitur filius *instit. de ingenuis*. Quare idem dicendum videtur fauore prolis de confirmatione originis. Imo & videtur hæc sententia colligi ex d. *l. nuper C. de natur. liber.* ibi. *Et hoc fauore facimus liberorum*, & ibi. *exceptis his tantum casibus, in quibus conceptionem magis approbari infantium magis vtilitas expostulat*. Cum ergo in hoc casu vtilitas infantis expostulet inspici conceptionis tempus; planum videtur prodesse proli, quod conceptionis tempore nullum impedimentum extiterit, quamuis superuenerit postea, cum nascitur filius. Facit etiam pro hac sententia, quia cum agitur de partus cõmodo, filius pro nato habetur *l. Qui in vtero*

7.D.de statu homin. & calamitas matris filio nocere non debet *instit. de ingenuis*, sicut, & neque calamitas patris debet nocere filio *l. ex liberis 17.D.de vsufructu.* Facit etiam, quod partui concepto quæsitum videtur ius legitimationis ex fictione iuris, quod ex impedimento matris tolli non potest *l. id quod nostrum 11. de Reg. iur. & nemo alterius odio præ grauari debet cap. non debet 22. de reg. iur.* Puniretur enim partus sine culpa, quod iura prohibent *cap. sine culpa 18. de Regul. iur. in 6. cum pœnæ suos debeant tenere authores l. Sancimus 22. C. de pœnis.*

9 In tertia denique specie, quando tantum intermedio tempore potest matrimonium contrahi, licet minus certa res sit, idem tamen mihi persuadeo ex adducto exemplo libertatis. Et præterea. Quia id quod in prima & secunda specie quæstionis hactenus diximus, statutum à iure est tantum fauore liberorum. Hic autem eadem versatur ratio: & vbi ratio eadem est, ibi ius idem esse debet *l. illud D. ad l. Aquil. & instit. de legitima patron. tutela, & quæ non differunt ratione, non differunt iuris dispositione l. à Titio 108. de V. O. & quorum æqualis est sanctitas, eorum æqualis celebretur festiuitas ea. scire debet 8. dist. 76.* Atque hæc de originis confirmatione per subsequens matrimonium.

De confirmatione originis per rescriptum Principis.

CAPVT IIII.

SVMMARIVM.

Alter modus legitimandi per rescriptum, num. 1.
Quædam limitationes reijciuntur, nu. 2. 3.
Quæ dicatur legitimatio per rescriptum num. 4.
Quæ deinceps explicanda, num. 5.

1 CONFIRMATVR etiam origo rescripto & indulgentia Principis, quæ legitimatio, quamuis etiã absolutè dispensatio soleat appellari *cap. per venerabilem. Qui filij sint legitimi. v. dispensatio:* differt tamen à relaxatione, siue dispensatione, qua in aliqua ad aliquem specialem casum suppletur defectus natalium, quod illa simpliciter legitimatio dicitur, hæc autem posterior dispensatio quædam tantum, vt docet cum communi sententia Couarr. p. 2. de matrimon. cap. 8. §. 8. num. 1. Azor dict. lib. 7. cap. 14. quæstione 2. Molina tomo 1. tract. 2. de iust. disput. 173. num. 5. Antonius Gabriel cum alijs de legitimat. conclus. 8.

2 Verùm Antonius Gabriel doctrinam hanc duobus modis limitat. Primus, vt etiam legitimatio dicatur, cum quis ad aliquem specialem casum habilis fit, si Princeps nihil amplius præstare poterat. Itaque solùm proprie dispensatio erit quando fit ab eo, qui cum potestatem habeat legitimandi in ampliori forma, noluit amplius concedere: secus verò quando legitimatio restringitur, eo quod legitimans ampliorem facultatem non habebat, siue vtatur verbo *dispensandi, siue legitimãdi*, potius enim attendendum est ad id quod fit, quam ad id quod verba sonant. Mihi tamen hæc limitatio non placet. Nam etiam si habilem reddere ad specialem casum proueniat ex stricta facultate & limitata concedentis, adhuc dispensatio tantum est, non legitimatio: aliàs daremus aliquem posse esse partim legitimum, partim illegitimum. Quod non minus absurdum est, quàm asserere aliquem esse posse partim seruum, partim liberum *l. si duobus 5. D. de statu lib.*

3 Secundò limitat Antonius Gabriel, vt legitimatio dicatur, non dispensatio, quando persona est generaliter habilis; est tamen restricta successio, vel effectus, qui ex legitimatione sequitur, vt si dicatur te legitimum efficio, ita tamen vt inde nullum præiudicium filijs legitimis sequatur, aut ita vt patri succedas, in qua portione pater voluerit. Quæ quidem limitatio verè constituta videtur contra Antonium Gomez in *l. 9. Tauri* num. vltimo, qui tantum dispensationem esse vult. Sentiunt nobiscum Couarr. d. §. 8. num. 1. Emanuel Acosta *§. & quid si tantum* p. 2. num. 152. Molina lib. 3. de primogen. cap. 3. num. 38. Qui & refert iuxta hanc opinionem in supremo Castellæ Senatu iudicatum, Gama decis. 383. & alij quos referunt. Pro quo facit, quod Carolus V. & Philippus II. explicuerunt in nullo legitimationis Principis rescripto consequi quemquam in Castellæ regno parentis nobilitatem, Hispani *hidalguia.* Vnde dicendum esset nullam in Castellæ regno legitimationem esse, sed quantumuis amplam esse dispensationem, quod est valde absurdum.

4 Quare legitimatio est, quoties persona fit generaliter habilis, & legitimatio non restringitur, siue restringatur effectus, qui ex illa sequitur, sine non: dispensatio autem, quãdo ipsa substantia legitimationis restringitur. His adde legitimationem censendam si vtatur verbo legitimamus. Sed de his vide Rotam

nec mutare, nec abrogare neque in illis dispensare potest Pontifex. Quare merito Innocentius III. in dict. cap. *per venerabilem*, inquit: *Id autem in patrimonio Beati Petri libere potest Apostolica sedes efficere, in quo & Summi Pontificis auctoritatem exercet, & summi Principis exequitur potestatem.* Et infra: *Insuper cũ Rex superiorem in temporalibus minime recognoscat, sine iuris alterius læsione in eo sc nostræ iurisdictioni subijcere potuit.* Et paulò statim: *Quod non solum in Ecclesiæ patrimonio, super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem, verum etiam in alijs regionibus certis causis inspectis temporalem iurisdictionẽ casualiter exercemus, non quod alieno iuri præiudicare velimus, &c.* Ergo Pontifex Innocentius fatetur, non nisi certis causis inspectis, & casualiter se tẽporalem in alijs locis auctoritatem exercere. Cur itaque nos dicemus plenè, & libere habere in temporalibus legitimandi iurisdictionem in locis alterius ditioni subiectis? Ius igitur habebit, quando spiritualis causæ necessitas postulauerit, non aliter, vt potè si res ad ipsum deferatur, quia temporalis Princeps deest vacãte Imperio, Regno, aut Principatu. Vel quia id facere Princeps sæcularis aut non possit, aut nolit, aut non curet, cum tamen alioquin facere deberet. Vel quia ad pacem, salutem vel commune bonum fidei, vel religionis, aut Reip. Christianæ spectet ea natalium restitutio. Et in hoc sensu accipio quod habet decisio Rotæ, quam refert Nicolaus Garcia, part. 7. de benef. cap. 2. post num. 41. §. *verum aliqui ex Dominis*, & est etiam apud Farinacium p. 1. decis. 171.

7 Neque obstat primæ sententiæ fundamentum, vt enim ex dictis constat, non est concessa Pontifici iurisdictio temporalis directè, sed indirectè iuxta modum explicatũ, quatenus subseruit bono fidei, & Ecclesiæ, & eius necessitas postulat, non aliter. Quare, licet multò minora sint temporalia, quã spiritualia, attamen non est concessa iurisdictio ad temporalia. Neque obstat, quod in principio dicti *capitis per venerabilem* vtatur Pontifex eo argumento à maiori ad minus: vt enim optimè Abbas ibidem num. 6. ea ratio non continetur in decisione Pontificis, sed in allegatione partis petentis indultum.

8 Sed cum constet Pontificem directè legitimare non posse sæcularem nõ subditum in ordine ad temporalia, quæstio est non leuis, an saltem possit legitimare indirectè, dispensando, scilicet, in radice matrimonij, vt quando nati sunt filij sub figura matrimonij, quamvis inualidè contracti. Si enim ex fornicatione nati sint, dictum est iam in præcedentibus non posse Pontificem quoad tẽporalia, neque directè, neque indirectè legitimare, cum non sit aliquid quod per consequentiam trahat eam legitimationem. Et quamvis nonnulli senserint non posse Pontificem dispẽsare in radice matrimonij, absque vllo tamen firmo fundamento. Quare dicendum est primo. Quando matrimoniũ fuit nullum ex defectu requisito iure naturali non potest Pontifex legitimare prolem dispensando in radice matrimonij: vt si v.g. fuit nullum ex defectu consensus. Sic docet citatis alijs Thomas Sanchez lib. 8. de matrimon. disp. 7. num. 8 & 10. & Sairo cum alijs lib. 6. de irregular. cap. 11. num. 6. versic. *tertium est.* Licet enim Princeps supplere quãdoque possit consensum, vbi non est, *cap. is qui, de sponsal. & in l. 2. C. de rei vxor. act.* id tamen solum verum est in his, quæ ab humana auctoritate pendent, & in quibus Respublica supplere consensum potest, non tamen in Sacramentis, vbi nihil, quod ad essentiam eorum attinet, immutare humana auctoritas potest, neque in his, in quibus naturali iure verus consensus necessarius est, vt explicui late supra lib. 2. Quare cum in matrimonio Pontifex defectum consensus supplere non possit, nec poterit etiam dispensare in radice matrimonij, quod nullum fuit à principio ex defectu eius, quod iure naturali requiritur.

9 Secundo dicendum est. Quando matrimonium fuit nullum ex aliquo impedimento iure humano inducto, vt consanguinitatis, solẽnis professionis, vel ordinis, & similium, potest Pontifex legitimare aliquẽ dispensando in radice matrimonij. Communis est Doctorum sententia, quos refert, & sequitur Thomas Sanchez disp. cit. num. 4. Sairo dicto num. 6. versic. *quartum est.* Molina lib. 3. de primog. cap. 2. nu. 12. cit. alijs & cum multis Nicolaus Garcia, d. p. 7. cap. 2. num. 41. & 42. Cuius sententiæ vnica & potissima ratio est. Quia quod illi filij illegitimi nati sint, ortum est ex nullitate matrimonij proueniente ex iure Canonico. Potest autem Pontifex suam legem abrogare, non tãtum vt locum non habeat in futurum, sed etiam vt effectus, vel damna præterita aboleat, ac si ea lex nunquã edita fuisset, vt probat textus *Clement. vnica de immunitate Eccles.* & probat etiam quod supra cap. 1. diximus de legitimatione per subsequens matrimonium. Retro trahitur enim matrimonium ex dispositione iuris ciuilis, ac si eo tempore

ante prolem ſuſceptam eſſet contractum. Ea autem diſpenſatione extante ceſſant per cõſequentiam damna, quæ iure ciuili deriuantur in illegitimos, ſicut quando legitimatur quis per ſubſequens matrimonium. An autem ea legitimatio in radice matrimonij facta ſine cauſa valeat petendum eſt ex generali doctrina de diſpenſatione, quam tradidimus ſupra lib. 8.

10 Sed circa hanc poteſtatem Pontificis diſpenſandi in radice matrimonij, duo ſuperſunt explicanda. Primum eſt an poſsit Pontifex diſpenſare in radice matrimonij, etiam cum prejudicio tertij. Nonnulli enim volunt poſſe diſpenſare viuente patre, quando nondum eſt alteri quæſitum ius, ſed ſpes quærendi: attamen quando iam eſt ad hæredes deuolutum ius, non poſſe. Sic Angelus in ſumma verbo *Papa*, num. 4. Syluester eodem verb. in fine. Cæterum probabilius eſt etiam poſſe in eo caſu, vt citatis alijs docet Thomas Sanchez diſp. 7. cit. num. 6. Sairo d. num. 6. prope finẽ Molina lib. 3. de primog. cap. 2. num. 12. in fine. Ratio huius eſt. Quia Pontifex diſpenſando in radice matrimonij nihil aliud agit, quam tollere legem Eccleſiaſticam impedientem matrimonij valorẽ, & retrotrahere illam abrogationem ad præteritum tempus, quam poteſtatem non impedit quod hæreditas ad alios deuoluta ſit, vt confirmant ea, quæ paulo ſuperius diximus. Ea autem abrogata lege, & retro tracta ad tempus contracti matrimonij, per quandam conſequentiam efficitur, vt alij habiles exiſtant ad eam hæreditatem adeundam, quã alij adierunt, ea tacita conditione, niſi alterius emerſerit potius ius. Et qui iure ſuo vtitur, ſicut in ea ſpecie vtitur Pontifex, nulli præiudicium infert.

11 Alterum explicandum ſupereſt, quid requiratur vt Pontifex diſpenſare intelligatur in radice matrimonij, & eo modo legitimare aliquem. In quo hanc certam regulam obſeruandã dicit Sanchez, vt Pontifex in ſua diſpenſatione intelligatur legitimare diſpẽſando in radice matrimonij, neceſſarium eſt explicet ſe legitimum reddere matrimoniũ ex tunc. Eo enim ipſo aufert impedimentũ initi matrimonij, & perinde eſt, ac ſi ab initio legitimum extitiſſet. Vnde iuxta propoſitam regulam infert, ſi Pontifex in diſpenſatione concedat, vt valide ineatur matrimonium, *prolem ſuſceptam, ſi qua ſit, & ſuſcipiendam legitimam decernendo*, non eſſet diſpenſatio in radice matrimonij, neque proles ſuſcepta redderetur legitima quoad ſucceſsionem, vt docet etiam Molina ſup. cap. loco cit. Cum enim eiuſmodi legitimatio res ardua ſit non eſt credendum his clauſulis generalibus fieri. Quare ea verba *decernendo prolem ſuſceptam & ſuſcipiendam legitimam*, accipienda ſunt improprie circa prolem ſuſceptam, aliter vero & propriè circa ſuſcipiendam. Quod minus inconueniens ad euitandum maius admittendum eſt. Similiter ſi Põtifex tantum in diſpenſatione diceret ſe licentiam concedere perſeuerandi in eo matrimonio, non cenſeretur in eius radice diſpenſare, ſed tantum ab eo tempore cenſere legitimum. Imo neque quoad aliquid legitimaretur proles antea ſuſcepta, cum illud non exprimeretur, neq; indicaretur in reſcripto Pontificis. Idem dicendum alij volunt ſi Pontifex in reſcripto diceret, *legitimamus matrimonium*, niſi adderet *ex tunc*. Nihil enim eſt in eo reſcripto, quod ex proprietate verborum cogat aſſerere diſpenſatum eſſe in radice matrimonij, ſed tantum ab eo tempore legitimum eſſe coniugium antea inualidum. Quod etiam docet Henriquez lib. 11. de matrimonio cap. 20. num. 2. quamvis oppoſitũ dicat Molina loco cit.

12 Sed hanc opinionem Thomæ Sanctij reiecit Rota, cuius deciſiones, quia multa cõtinent, quæ in hac materia magni momenti eſſe poſſunt, ſubijcimus, quarũ prima ſic ſe habet. Pro illegitimitate Martini innioris plura deducebantur per informantes, Primò, quod Martinus natus eſt ex coitu inceſtuoſo, cum parentes eſſent tertio conſanguinitatis gradu coniuncti *cap. non debet de conſ. & affinit.* Vnde non fuit effectus legitimus per ſubſequens matrimonium, Abb. in *cap. tanta, nu. 14. qui fil. ſint legitimi*, & in his terminis Rota coram fel. rec. Clemente VIII. tunc auditore in cauſa Siracuſana legitimitatis, 19. Octobris 1573. Nec ſufficit diſpenſatio, quia non poteſt operari hunc effectum, cum non ſit in radice matrimonij, quia tempore conceptionis Martini copula non fuit affectu maritali. Ancha. conſil. 409. ſub nu. 4. verſ. *ſed eſt diſcutiendum, Abb. in cap. per venerabilẽ, num. 21. qui fil. ſint legitim* Put. deciſ. 483. quæ incipit Matth. Gabella lib. 2.

Ad hæc reſponſum fuit, quod legitimitas probatur, ex ſubſequenti matrimonio celebrato iuncta diſpenſatione Papæ.

Non obſtat oppoſitio, quod Martini, & Vrſulæ copula non fuerit affectu maritali, & ſic diſpenſatio non tangit radicem matrimonij. Nam tollitur primo, quia affectio maritalis ad fuiſſe ab initio præſumitur. Nam qui hodie nuptias contraxit, ex qua antea liberos ſuſceperat, regulariter præſumitur eundem

dem ab initio animum habuisse matrimonij contrahēdi. Cache. in decis. Pedemont. 154. num. 4. contra quam præsumptionem nihil est probatum in casu nostro, & est negatiua probanda ab hæredibus aduersarijs vt in decis. R. P. D. mei caualleri in hac causa facta.

Nec facit, quod tunc præsumitur cōsensus, & effectus maritalis, quando de facto & nulliter contractum est matrimoniū, & subsequuta copula, in quibus terminis procedit Rota in d. decis. Siracusana, & ponit exemplum Ioan. Andr. in d. *cap. per venerabilem, num. 30. vers. si vero proles.* Nam Doct. dicunt, quod legitimatio non sit in radice matrimonij, nisi in prole genita ex coitu matrimoniali, saltem ex affectu, vel consensu. Ita dicit Ancha. allegatus, d. cons. 409. sub nu. 4. post Ioan. Andr. in d. *cap. per venerabilem, num. 30.* & ibi Abbas sub num. 22. repetit eadem verba, saltem consensu, & affectione, sine quibus non est matrimonium de facto, & non potest suppleri consensus: & ita sunt intelligendi alij DD. Vnde cum satis sit coitum fuisse ex affectu, vel cōsensu maritali, in hoc præsumitur adfuisse, & adfuit. Licet non sint publice celebrati actus matrimoniales, de qua publicitate non loquuntur Doctores.

Neque ista negatiua probatur ex narratiua dispensationis, vbi habetur, quod Martinus & Vrsula scientes se tertio consanguinitatis gradu esse coniunctos, nō se cognouisse, vt crimini admisso facilior esset dispensatio, sed sola vesana libidine victi, ergo non secreto affectu maritali. Nam vis huius narratiuæ est, reddere Papam faciliorem ad cōcedendam dispensationem, quæ fuisset difficilior, si ea intentione, vt facilius dispensationem impetrarent, se cognouissent: sed est præter omnem intentionem velle excludere consensum, & affectum maritalem in copula, de quo nullum verbum, & qui esse poterat coniunctus cum illa vesana, & incestuosa libidine anteobtentā dispensationē.

Secundo non obstat oppositio, quia dispēsatio prolis per subsequens matrimoniū sine solemnitatibus iuris ciuilis est indulgentia iuris Canonici in d. cap. *tanta*, Couar. in 4. decre. 2. p. cap. 8. §. 2. num. 18. vbi subdit Papam reuocare posse, si iusta ratione placeret. Sicut igitur Papa constitutione vniuersali decreuit prolem susceptam legitimam esse per subsequens matrimonium, non intelligendo de susceptа ex coitu incestuoso, ita nihil prohibet, quo minus ex iusta causa possit etiam prolem ex isto coitu susceptam legitimam decernere, & ius Canonicum extendere, & maiorem vim tribuere matrimonio quam habeat de iure. Et Papa hoc pacto imprimit qualitatem effectui producto ante esse matrimonij, vt dicit Anto. de Butr. dict. cap. *tanta*, in principio, quod à iure non erat indultum: & hoc patet, si quidem Martinus & Vrsula exposuerunt Papæ coitum incestuosum prolem ex eo susceptam, & alia, quibus non obstantibus Papa concessit mandatum de dispensando, cum decreto legitimationis prolis susceptæ, & susciendæ, quod sufficit. Maresch. in cap. 1. num. 126. de constit. in 6. & operatur vbique effectum suum contra sententiam Præpos. in d. cap. *tanta*, colum. 68. in fine. & secundum communem, & veriorem opinionem, de qua per illustris. D. Cardinalem Manticam de coniect. lib. 11. tit. 12. num. 14. post Couar. in dict. cap. 8. §. 2. num. 8. vbi in specie in contrarium allegat, & reprobat Præpos. & Angel. & eosdem reprobat Gabr. consil. 21. num. 14. lib. 1. qui multos adducit, alias nimium esset restricta facultas dispensandi secuta copula, & prole susceptа, non celebrato palam matrimonio de facto, quæ tamen vt plurimum est necessaria ad euitanda scandala, quorum timor remaneret in prole non legitimata. Vn de falsum est dicere, quod deficiat potestas, vel intentio Papæ in his dispensationibus, quoad legitimationem prolis præterquam quoad spiritualia, vt dicunt modern. Cordubens. de matrimonio lib. 8. disp. 7. num. 14. Nam quoad potestatem in his, quæ à iure humano, & positiuo prohibentur, qualis est casus propositus, absque alicuius dubitatione Romani Pontifices amplissimam habent potestatem cap. proposui, §. licet autem, de cōcess. præben. Ferdinand. de Loazes in tractatu de matrimonio, Regis Angliæ, dubit. 2. in respons. ad Primū partis negatiuæ fundamentum num. 1. vers. *in his enim*, & in respons. ad 6. argument. post Abb. in cap. *per venerabilem*. num. 22. vers. aut non tenuit impediente lege canonica, qui fil. sint legitim. & ibi omnes, quibus accedit, quod nullus alius præter Papam potest se ingerere de matrimonio, & consecutiuis, vt dicunt DD. allegati per Gabr. de cons. 21. num. 14. & addit neminem de hoc dubitare, quinimo vt dicit idem Loazes vbi supra, dub. 10. num. 26. dispensatio ad accessoria, & consecutiua trahitur, vt voluit glos. notab, quam ibi Doctores communiter sequuntur in cap. quia in tantum, de præbend. Anton. de Butr. Abbas, & Doctores in c. cum in cunctis de electio.

Socin.

Soci.consi.136. incipit; quæstio principalis, vbi sunt verba clara, l. ille autille, D.de leg. 3. lib.2. Et de intentione dubitari nō potest, intentio enim principalis est dispensare super matrimonio, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & consecutiue prolem susceptam, & suscipiendam legitimam decernere, vt legitur in literis, siue mandato de dispensando, quia abstulit impedimentum canonicum, respiciendo principium, quando adfuisse præsumitur effectus maritalis & si illicitus tunc, vt dictum est supra.

Secundo loco opponebatur contra mandatum illius, qui matrimonium celebrauerat cum Vrsula, tanquam procurator Martini, quia nullibi reperitur, & non præsumitur ex allegatis, sed fuit responsum sufficere probationem mandati ex testibus, l. in exercendis litibus, C.de fide instrum. cap.1. de procuratorib. Boer. decis.281. in princip. vbi plures allegat. & de mandato deponit frater Thom. vt in summario num.4. & dicit illud vidisse, & legisse, & idem tertius testis in summario num.6. qui concordat cum fratre Thom. quibus adminiculantur testes ibidem deponentes de auditu, & multum facit, quia pro hæredibus Mariæ dicitur, dum impugnant mādatum, quod continebat conditionem de eo non vtendo, nisi de tempore, quo Vrsula viuere non posset: nec offenditur, quod in alio casu fit vsus procurator, & satis est, quod Vrsula tunc erat in graui periculo mortis constituta.

Tertio dicebatur, matrimonium non fuisse contractum coram parocho, iuxta formā Concilij Trident. Sessio.24. cap.1. de reformat. matri. sed placuit responsio, satis fuisse satisfactum Concilio per assistētiam Sacerdotis de licentia Illust. D. Card. Zapatæ tunc Episcop. Pamp. & ita decreuit S. Congregatio Concilij.

Licentia vero probatur ex depositione ipsiusmet D. Cardinalis, qui licet non recordetur de explicita licentia ad hoc data fratri Thomæ: tamen deponit de licentia petita ad illos coniungendū in matrimonio, non præcedentibus monitionibus propter periculū, quod erat in mora, & quod ei responderat, quod dabat licentiam, & dedisset cuicunque Presbytero, vt coram ipso celebraretur dictum matrimonium, & quod frater Thomas intelligere potuit, quod illam dabat, qui est vir doctus, & bene intelligens, & idem frater Thomas testatur se habuisse.

Quarto oppugnabant matrimonium, vt inde excluderetur legitimiras, quia constabat, quod die 26. mensis Iulij, anni 1599. hora 8. de mane fuerat concessa dispensatio in Ciuitate Pampil. vt in summario hæredū num. 6. & eadem die fuit data licentia contrahendi, & matrimonium contractum post duas horas in circa, cum tamen locus contracti matrimonij in oppido sancti Sebastiani distet à ciuitate Pampil. per 40. milliaria, & sic erat inverisimilis notitia dispensationis. Cui obiectioni responsum fuit, quod de matrimonio contracto post dispensationē constabat: probatum tamen non fuit, de iure necessariam esse notitiam, saltem verisimilem, quinimo contrarium videtur probari posse exemplis, nam eligentes qui erant excōmunicati, si eligunt post absolutionem, quam ignorabant, valet electio, Archid. in capite quanto in fin. & ibi Gemin. 2. quæst. 4. & Rota tenuit coram Illustriss. D. Cardinali Seraphino in causa Calciaten. canonicatus 6. Martij 1589. idem dicitur ante notitiam prodesse restitutionem Principis, pariquo modo libertatem concessam, l. eius qui in prouincia, §. fin. D. si cert. peta. Bart. in l. fin. num.5. C. de sentent. pas. & collatio beneficij facta à collatore vacationem ignorante valet. Rot. decis.36. de præbend. in antiq. Ioann. Monach. in cap. si tibi absenti, num. 56. & ibi Prob. num.5.6. & 7. Gemin. num. 9. de præb. in 6. ita in hoc casu valet matrimonium, etiamsi coniuges nondum scinerint sententiam executoris, quia habebant intentionem contrahendi, quatenus esset cō sequuta gratia dispensationis, vt per Monach. supra allegatum in simili.

Non obstat executorem nulliter procedere ante præsentationem literarum suæ facultatis, Casid. super reg. decis. 33. num.3. & de restit. spol. decis. 8. num. 10. quoniam ibi executor debet esse certus pro exercenda iurisdictione inter partes, cuius qualitates scire debet ex rescripto: in casu nostro in hac dispensatione gratia dependet à facto executoris, qui vigore mandati de dispēsando concessit licentiam de contrahendo dicto matrimonio, post cuius cōcessionem, statim factæ fuerunt personæ coniugum materia legitima ad contrahendum.

Reliquæ obiectiones surreptionis, & non verificationis mandati de dispensando fuerunt visæ minus relevantes, & bene euacuatæ in dicta decisione D. mei cauallerij, & in responsionibus datis pro Martino iuniori.

Vnde fuit resolutum per dominos sententiam Rotalem esse confirmandam.

Altera

Altera decisio.

R.P.D. Iusto Pampil. illegitimitatis, Mercurij 10. Iunij 1609. Iterum proposui hanc causam super prima parte decisionis iam factæ, & domini diligentissime visis omnibus & discussis, remanserunt in decisis, tam ex doctrina Ioan. Andr. in cap. per venerabilem, num. 30. qui fil. sint legitim. cum turba sequacium, quam ex priori sententia Hostien. ibidem & aliorum de quibus infra. Non enim negari potest decretum legitimitatis, de quo tractatur esse occasione matrimonij, & in eius initio & radice. Tum quia in querela Vrsulæ de Serastume, contra Martinum de Vrnieta exponitur ipsum Martinum Vrsulam defloralle sub promissione (quia erat in gradu prohibito) impetrandi dispensationem à Sede Apostolica, & cum ea matrimonium contrahendi. Quapropter petebatur Martinum condemnari, vt formaliter ad impleret promissionem, & contraheret cum ipsa, vel competenter dotaret, vt condēnatus extitit, & in literis ad supplicationē partium expeditis, siue mandato de dispēsando expositum est, & petita ab vtroq; parente legitimatio prolis susceptæ, & suscipiendæ. Et sic adest promissio, vsq; à principio postmodumexequutioni demandata. Tum etiā, quia sufficeret affectio, vel consensus in matrimonium illicitus ex præmissis, videlicet expetita dispensatione post copulam & prolē, & ex subsequuto matrimonio, quæ sunt tantæ vis, & virtutis vt dicendum sit non adfuisse impedimentum à principio, & tunc verè cōtractum fuisse matrimonium, Alcia. consil. 52. sub n. 6. vers. & loquitur præfatus lib. 9. per text. expressum, in l. cum quis, §. cum enim, C. de natur. lib. Osasc. decis. Pedemōt. 154. n. 4. & fin. Riminald. Iun. consil. matrimon. 37. n. 10. Surd. late consil. 213. num. 17. & seq. lib. 2. & consequenter non potest cōsiderari aliquod impedimentum intervenisse, vti dicitur in dispositione, cap. tanta, qui fil. sint legit. in quo filij incestuosi non dispensantur per subsequens matrimonium ex dispensatione Ecclesiæ, sunt tamen attendēda verba dispensationum, quæ impetrantur secundum Ioan. And. ibi n. 5. vers. credo verba dispensationum esse attendenda, Abb. n. 14. ibi. Nisi aliud in dispensatione dicatur, Præposit. nu. 11. vers. sed putat. Ioan. Andr. Card. in fin. n. 9. sed dispensatio potest esse talis, quod sit, Alexan. de Neuo, n. 33. Bald. in cap. 1. §. naturales, num. 12. in fin. vers. vltscias, si de feud. fuerit controuer. Marsil. sing. 121. n. 1. Alexand. consil. 70. num. 2. lib. 6. Ita inferendo ad casum nostrum, si fuisset obtenta dispensatio absque explicito decreto legitimationis prolis susceptæ, vtiq; proles non fuisset legitimata, & ita loquuntur omnes DD. in l. Paulus, D. de stat. hom. sed cum ad sit decretum nō potest dubitari, quia attendenda sunt verba dispensationum ex præmissis, quæ tollunt omne dubium illegitimitatis, quoniam & ista dicitur legitimatio per subsequens matrimonium vigore dispēsationis, quæ facit sic legitimatum omnino capacem, Cephal. consil. 307. n. 53.

Et in hoc differt iste casus ab eo, quando, narratur sequutam esse copulam in figura consensus matrimonij, cum defectu matrimonij in essentia propter impedimentum, quia tunc satis est facere mentionem prolis absque aliquo decreto super legitimitate, & Papa dispensando censetur prolem ex illo matrimonio susceptam legitimare ab initio & non nuper, quia approbat matrimonium, & eius effectum, ac si ab initio contractum fuisset, nullo existente canonico impedimēto, & disponit in radice matrimonij, Ant. de Ros. in tract. de legim. lib. 2. in principio, num. 19. Couar. de sponsal. 2. p. cap. 8. num. 13. vbi Doctores allegat in cap. per venerabilem. qui fil. sint legitim. Quinimo in casu nostro, non est legitimatio, sed decretum legitimitatis, quia Papa tollendo impedimentum iuris canonici disponit super radice matrimonij, tanquam à principio, & proles reintegratur ad idem principium, ac si non adfuisset canonicum impedimentum ex præmissis, & ex Gozad. consil. 6. num. 63. & dispensatio in radice matrimonij est ad differentiam simplicis legitimationis, quando legitimatio impetratur circa solam illegitimitatem seorsum, & separatim à matrimonio, vt colligitur ex Natar. consil. 3. num. 12. de sponsalib. & in nostris terminis, imò in fortioribus quoad hoc decretum in dispensatione Papæ materiam, & verba declarat Cephal. dicto consil. 307. numero 49. cum pluribus sequent. lib. tertio, asserens quod illa verba, prolem susceptam, & suscipiendam exinde legitimari decernendo, minus sunt necessaria in filijs susceptis in figura matrimonij, magis autem necessaria in nō susceptis in figura matrimonij, Et alia dicit, ex quibus patet quantum sit male fundatus intellectus moder. Cordub. in tract. de matrimon. lib. 8. disput. 7. num. 16. & 23. & prius

num. 14. credens verba illa, prolem suscep-tam, improprie esse intelligenda, & enerua-re conatur eius vim, non solida ratione, quia videlicet, sunt clausulæ de stylo apponi so-litæ. Quod est falsum in facto in iure. In fa-cto enim notum est peritis, quod ista non su muntur ex clausulis supplicationis, sed ex corpore petitionis ad supplicationem par-tium. In iure, quia clausulæ, quæ sunt solitæ apponi de stylo sunt attendendæ, ex Anton. Gabr. lib. 6. tit. de cõsul. concl. 4. & de clausul. concl. 7. & ista fraus, & fallacia contra lite-ras Apostolicas etiam in his, quæ consistũt in clausulis & decretis, est omnino reijcienda.

Nec obstat distinctio Ioann. And. in dict. cap. per venerabilem, num. 30. cum omni-bus qui eum sequuntur, excepto Anton. de Butr. ibid. num. 11. Mil. in repert. in verbo, dispensatio, num. 23. vers. dispensatio itaque, & quibusdam alijs, scilicet, quia loquuntur in matrimonio de facto contracto. Nam in casu nostro adest promissio explicita ducen-di ab initio copulæ, & verba Ioan. And. sunt ista. Dic opinionem glos. veram in proie-cta excoitu matrimoniali, saltem ex affectu vel consensu. Vnde includit etiam casum, in quo fuerit affectio maritalis, sine promis-sione excludendo omnino prolem suscep-tam ex coitu non matrimoniali, vt ibi per Abbatẽ sub num. 22. & transeunt omnes se-quaces cum opinione Ioan. Andr. inter quos licet aliqui moderni loquantur multum stri cte, cum exemplo matrimonij de facto con-tracti, nihilominus nullus hucusque visus fuit, qui audeat reprobare Ioan. Andr. & a-lios in illis verbis, saltem ex affectu, vel con-sensu.

Nec narratio stringit, cum dicitur, quod in matrimonio de facto, non est supplendus consensus, supplendus tamen esset in matri monio contrahendo, quia vera est propositio, sed consequentia non procedit, vbi saltem non constet de coitu omnino fornicario, absque aliqua affectione, vel consensu in matrimonium: quod probatur. Quia in d. cap. tanta Papa non supplet cõsensum, quãdo est suscepta proles, nec vllus dixit ibi præ cedere debere matrimonium de facto, vel concubitum in figura matrimonij, sed text. & DD. indistincte loquuntur, & tenent pro lem esse legitimam, ex canonica dispensatio ne etiam in terris imperij, vt late per Gabr. post allegat. consil. 21. lib. 1.

Quinimo sicut Papa ampliare posset dis-positionem dict. cap. tanta, vt coniuncti in tertio consanguinitatis gradu possint ad in-uicem matrimonialiter copulari, eo modo, vt procederet dispositio eiusdem, cap. tan-ta, etiam in quocunque loco sibi non tem-poraliter subiecto, quia hodie non est dimi-nuta potestas, sed est integra, vt tunc erat, idem dicendum est posse facere de gratia spe ciali, quia facilius est imitare legem in vno, vel pluribus casibus, quam in totum abroga-re Felin. in capit. quæ in Ecclesiarum, num. 19. de const. Nec reperitur ratio, cur id fa-cere possit Papa, edendo constitutionem, qua potest vbique hæreditatem deferre, & auferre cap. quod nobis, cap. ex tenore, qui fil. sint legitim. & constat ex notat. à Bart. in l. 1. in fine, C. de sacrosanct. Eccles. Ale-xand. in l. captatorias. D. de testament. mil-it. Gabr. dict. consil. 21. num. 19. non autem possit idem facere rescripto, vel gratia dis-pensationis, quæ procedit à canone ani mato, & quando legitimationis causa, & ra-dix est matrimonium, Papa decernendo, quem legitimum in ipsa dispensatione, dis-ponit super his, quæ spectant ad suam pote-statẽ exclusiue quoad omnes alios, vt in pri-ma decisione declaratum fuit.

Præmissa vero videntur, clare explicari ex textu in capite quia circa, de consangui. & affinitat. vbi probatur causas concedẽ-di dispensationes matrimoniales, duas esse præcipuas, scilicet prolem suscepram, & euitationem scandali, & ibi text. loquitur in matrimonio de facto contracto, quia tunc ille casus, & ante Concilium Tridentinum facilius dispensabatur cum his, qui iam con-traxerant aliquo modo, & consummauer-ant matrimonium, & ideò facile casus con-tingebat, & in illis loquebãtur DD. quã eue niat post Concil. ex Sess. 24. cap. 5. de refor. matr. & exponit Nauar. in Manual. conf. c. 22. num. 68. & tamen ibi Abb. num. 2. & Ale-xand. de Neuo etiam n. 2. dicunt procedere in matrimonio contracto, & in contrahẽdo, quod est fauore filiorum, cum ipsis non le-gitimatis semper remaneret causa scandali, & Castrens. consil. 467. n. 7. in principio, lib. 2. dicit quod si filij non essent nati in figura matrimonij, tunc si matrimonium adhuc sub esse posset, quia viuunt ambo, & matrimo-nium contrahere volunt, tunc Papa dispen-sando super matrimonio, potest filios legi-timare, quod in nostra dispensatione non est vi meri rescripti, quia Papa nõ legitimat prolem, sed cum matrimonio rite contra-cto mãdat decerni legitimam, & sic expres-se vi matrimonij. Et non procedit dictum Bald. consil. 129. num. 3. lib. 3. & Couarruu.

super

super 4. Decret. 2. par. cap. 8. §. 8. nu. 13. nam decernendo prolem legitimam, decernit retro, & non ex nunc, quia per dispensationē, & matrimonium subsequutum, tollitur impedimentum à principio, quando cum copula interuenit contractus, consensus, vel affectio in matrimonium. Quam diuersitatē verborum considerat Anchar. consil. 409. n. 4. quia si Papa procedit per remotionem obstaculi âiure canonico interpositi, nemini facit iniuriam.

Non obstant decisiones Rotæ, quæ in cōtrarium allegantur, pro quarum intellectu dicebant domini esse aduertendum, quod vna specialis dispensatio aliam non declarat. Sed attendenda sunt verba dispensationum singulariter ex doctrina Ioan. Andr. & aliorum supra allegatorum. Vnde decis. Pur. 483. lib. 2. Than. decis. 71. Chisanen. decis. 83. & in causa Siracusana coram Clemente VIII. tunc Rotæ auditore allegata in prima decisione, loquuntur quando vnus ex coniugibus, qui contraxerant de facto obierat, ante quam dispensatio fuisset sortita effectum, & in eo casu deciditur, quod ibi in prole suscepta in figura matrimonij, etiam de per se absque nouo matrimonio, potest habere locum legitimatio prolis tanquam æque principaliter concessa, vt supra dictum est, quod in matrimonio de facto sufficit narrata proles, vt intelligatur legitimam post dispensationem effectum sortitam, de quo non quæritur in præsenti casu. In alijs vero decisionibus Leodien. canonicatus primo coram R. P. D. meo Ludouisio 23. Februarij 1601. & post modum coram Illustrissim. D. Cardin. Pamphilio. tūc Rotæ Auditore 19. Aprilis 1602. fuerat Papæ expositum, quod erat contractum matrimonium de facto, & suscepta proles. Vnde Papa post dispensationem legitimat prolem exinde susceptam, vt colligitur ex decisionibus, & supplicatione dispensationis tunc data, & cum ibi non fuerit probatum matrimonium, & prolem exinde susceptam id circo concluditur prolem non fuisse legitimam quia fuit concessa sub illa forma, & idcirco ibi dicitur explicite, quod dispensatio comprehendebat solum prolem susceptam in figura matrimonij, vt ibi narrabatur, & nemo dicit legitimationem Papæ esse extendendam ad alium casum, sed cuiuslibet dispensationis verba esse attendenda. In nostra autem narratur copula, & proles suscepta, nec tempore copulæ excluditur matrimoniū, vel affectio maritalis, & Papa dispensat, & decernit absque aliqua limitatione: quo decreto dicitur etiam vti non solum in claris, sed etiā in dubijs, cap. quod nobis, & cap. ex tenore, qui fil. sint legitim. vt bene declarat Anton. de But. in d. cap. per venerabilem, num. 10. circa finem, vers. videamus ergo, dicendo quod data certitudine defectus consensus, non est in radice matrimonij, licet Papa possit fingere consensum stante dubio cap. is, qui desponsa. & dictum est supra in principio decisionis, ex text. in l. cum quis, §. cum enim, C. de natur. liber. & Alexand. Rimin. Surd. & decis. Pedemont. cum allegatis. In casu vero nostro nulla est certitudo defectus consensus, sed sumus in claris, & posset etiam procedere in casu dubio. Vnde tutum est decretum legitimitatis proles suscepta.

Nec satisfacit dicere copulā fuisse libidinis causa, quia ad hunc effectum satis est non constare, quod non fuerit ex causa matrimonij, libido enim est causa impellens, & non impedit affectionem, & consensum in matrimonium, cap. tua nos, vbi Abb. num. 4. de sponsal. quæ procedunt, vt dictum est petita, & obtenta dispensatione, & sequuto matrimonio, quia dispensatio est vis matrimonij, alias non præsumeretur animus, & affectio maritalis, quod euenit vt plurimum in fornicarijs, si enim præsupponeretur concubitus omnino fornicarius, ex hoc capite tanquam super radice matrimonij, Papa nō decerneret prolem susceptam legitimam, sed si placeret, legitimaret.

Procedunt autem omnia prædicta sic, quia in manibus Papæ est radix & fundamentum â quo surgit hæc legitimitatis, & illegitimitatis differentia. Quapropter Papa potest vbilibet, ex quo habet etiam purum laicum ad matrimonium subiectum, capite 1. & cap. causam qui fil. sint legitim. capite tuam, de ordin. cognit.

Verum aliqui ex dominis occasione præsentis disputationis, quæ ex præmissis est sufficienter determinata, cum informantes vlterius progrederentur, tenuerunt quod Papa principaliter, vel in consequentiam potest legitimare in toto mundo, respectu spiritualium, & temporalium. Nam affirmatiuam opinionem sequuti sunt. Ioann. Antiquus, Glos. in dicto cap. per venerabilem, in 3. compilatione, in verbo potestatem asserendo, quod eo ipso, quo quis est legitimatus in spiritualibus intelligitur legitimatus in temporalibus, & ibidem Præpositi. numero 77. recenset eundem Ioann.

inter Doctores tenentes affirmatiuam sententiam quam sequitur Gaufredus de Trano (qui fuit Auditor Rotæ) in summa tit. qui fil. sint legitimi: vbi concludit, quod is, quē Papa legitimat, intelligitur legitimatus ad temporalia in consequentiam quandam per text. in dict. cap. per venerabilem, vbi Præpos. num 77. Hostiens. vero ibidem indistincte tenet Papam posse legitimare in temporalibus, & in summa eodem tit. §. qualiter & â quo num. 11. vers. salua reuerentia aliorum, vbi dicit esse text. in dict. cap. per venerabilem, & alias rationes adducit Ioan. Andr. in antiquissima lectura manuscripta affirmat opinionem Host. posse habere locum quando pater in vita sua petiuisset legitimationem, sicut petiuit Rex Franciæ, in dicto cap. per venerabil. dum autem in lectura impressa num. 29. allegat Gaufred. est mendosa, quia Gaufred. loquitur vt supra. Hanc eandem opinionem affirmatiuā tenuit Ioan. Cald. & Gasp. eius filius, qui dicit, quod est etiam opinio Naso. vt refert Anton. de Butr. in dict. cap. per venerabilem, num. 10. col. 3. versic. Ioann. Cald. & filius eius, & opinionem Hostiens. approbauit Rota decis. 200. alias prima in nou. qui filij sint legitimi, â qua dicti domini censuerunt non esse recedendum. Quamvis contrariam opinionem tenuerunt Berna. de Botono Parm. Glossator Decretalium Gregorij Noni in dicto capite per venerabilem, in glossa secunda super verb. habet potestatem, non ex ratione, quia Papa non possit, sed quia non debet interturbare alienam iuridictionem, iuxta terminos, capit. nouit, de iud. & negatiuam tenere videtur ibidem Innocent. num. 1. super verb. euaderet, vbi loquitur in Episcopo, licet numero 3. versic. alij tamen dicunt. Videatur tenere, quod per quandam consequentiam intelligatur dispensatum in hæreditate, Marsil. Laudens. in tractatu de legit. numero 34. tenet cum Glos. & Guido Pap. singul. 331. incipit legitimatus à Papa, Angelus de Clauasio in summa, verbo legitimatio, §. primo incipit. Vtrum Papa, Couarruuias super 4. Decretal. p. 2. cap. 8o. §. octauo, numero 14. & numero 18. vbi generaliter inquit, nullum Principem posse natalibus restituere, vel legitimum efficere sibi non subditum, quoad bona intra alterius Imperij, aut Regni limites existentia. Sed numero 16. concluf. 5. affirmat, quod Papa ex causa potest legitimum efficere eum, qui Principi sæculari subiectus sit, etiam quoad bona, & munera temporalia, quem refert, & sequitur Ludouic. Molin. Societatis Iesuitarum, tomo primo de iustitia & iure, disputat. 173. & alter Ludouic. Molin. de Hispan. primogen. lib. 3. capite 2. numero 11. negatiuam profitetur cum Guillelm. Benedict. & Couarruuias sed numero 12. sequitur distinctionem Ioannis Andr. & modern. Cordub. alias allegatus lib. octauo disputat. septima in principio, efficacioribus verbis vtens dixit, quod hæc est verissima & receptissima sententia, & quod ita communiter tenetur, quia sicut Princeps sæcularis nequit legitimare quoad Ecclesiastica, eo quia caret iurisdictione Ecclesiastica, cuius id est, si nec Pontifex extra ea loca potest quoad temporalia. Quæ verba antiquorum scriptorum modestiam non imitantur, & fallitur, cum ista non sit vera, nec communis opinio, sed tantummodo illorum, qui negant temporalem Papæ iurisdictionem, & ipsemet inferius numero 3. & 4. defendit opinionem Ioan. Andr. & dicit esse frequentissimam & veriorem sententiam, allegando infinitos Auctores. Et ad tria aduertebant isti domini in proposito. Primum quod tempore Glossatorum, & antiquorum Doctorum, non dum emanauerant Decretales Bonifacij VIII. & Ioan. XXII. super vtroque gladio. Ideò non ipsi, sed quidam moderniores audaciter loquuti sunt scientes definitionem Ecclesiæ, secundum quod Ioan. Andr. & alij, qui sequuntur eius opinionem allegari non possunt pro prædicta parte negatiua, qui non loquuntur in simplici legitimatione seorsum à dispensatione matrimoniali, sed in dispensatione secundario ad dispensationem matrimonialem, ponendo casum, in quo constituunt opinionem Hostiens. esse sine difficultate, & sic pro secunda præmissa opinione admodū pauci simpliciter loquuntur. Tertio quod sumus in dispensatione cum decreto legitimitatis impetrato ab ipsomet patre, quo casu dixit Ioann. Andr. procedere opinionem Hostiens. & est communis opinio Doctorum par text. in dicto capit. per venerabilem, quia pater bene potest prorogare iurisdictionem, Dec. consil. 55. num. 7. cum alijs allegatis per Decian. consil. 3. num. 188. lib. 3. & sic in vtroque capite sumus extra difficultatem, quod tenet, & valet vbique hæc dispensatio cum pronunciatione, vel decreto legitimitatis, & ita decisum.

Deci-

Decisio tertia.

STantibvs resolutionibus in hac causa factis circa præsumptam iustificationē literarum Apostolicarum, fel. recor. Grego. XIII. censuerunt domini, nemine discrepante, dispensationem, de qua agitur, fuisse in radice matrimonij, informante tantum D. Anna, cum pars aduersa sæpissime citata noluerit informare. Atque in primis de potestate Summi Pontificis dubitari non potest, cum omini Martinus, & Anna essent coniuncti in 2.3.4. & 5. consanguinitatis gradu, & sic impedirentur contrahere matrimonium de iure tantum positiuo, capit. non debet de consanguin. & affinit.

Quo casu stante maritali affectu, cum copula vel matrimonio de facto contracto, vt hic, & infra dicetur, potuit sine dubio Papa remouere tale impedimentum, iuris tantum Canonici, & dispensare in radice matrimonij, illudque approbando prout ex tunc, vt DD. dicunt perinde, ac si matrimonium ab initio validum interuenisset secundū receptissimam opinionem Ioan. And. in c. per venerabilem, n. 30. qui fil. sint legit. & ibi Abb. sub n. 21. Anchar. sub num. 21. in fin. & n. 22. Alex. de Neuo num. 18. Butr. col. 5. num. 10. vers. tu dic. Præpos. in §. quod autem n. 68. ante fin. & n. 69. & 74. Anchar. consil. 409. n. 4. & 5. & post alios Couar. de spons. 2. part. cap. 8. §. 8. num. 13. Cels. Vgo consil. 31. n. 7. Anton. de Rosel. tract. de legit. lib. 2 in principio num. 19. & sequentibus, Martin. Laudens. eod. tract. num. 85. Colleg. Bononien. inter cons. Flor. de S. Petro consil. vlt. num. 44. & seq. Molin. de Hisp. primog. lib. 3. c. 2. num. 12. Pereg. quamvis alioquin iurisdictioni Ecclesiasticæ parum amicus, de fideic. art. 24. num. 77. & n. 80. Nauar. lib. 4. consil. tit. qui fil. sint legitim. consi. 2. n. 12. 14. & 15. & alios plurimos allegat, & sequitur Sanchez de matrim. lib. 8 disp. 7. nu. 4. & fuit late dictum in causa Pampilon. illegitimitatis, 5. Decemb. 1608. & 10. Iunij 1609. coram 60. me. Iusto.

Et pro hac parte ponderabatur text. iuxta glos. in clem. vnic. de immunit. Eccles. vbi Sum. Pontif. reuocat nonnullas prædecessorum constitutiones, & quidquid ex eis secutum est vbi glos. in verbo infectis subdit. & vide quāta est Papalis potestas circa ea, quæ simpliciter sunt de iure positiuo, quia reuocat illa vt ex tunc, & illam glos. sequuntur ibi Cardin. 1. appos. num. 6. Anchar. num. 5 Imol. num. 6. Abb. in cap. non debet in fin. de consang. & affin. & in cap. quæ in Ecclesiarum in 4. notab. n. 3. de consti. Felin. in c. vlt. sub num. 3. vers. primus est eodem titul. Tiraq. de iure constit. possess. 2. part. limit. 7. num. 47. Sanchez vbi supra num. 4.

Et in materia matrimonij, & legitimationis liberorum est bonus text. in capit. quod nobis, qui fil. sint legitim. quem & alios allegat Anchar. dict. consil. 409. num. 5. Peregrin. vbi sup. num. 80. quod etiam est commune omnibus alijs habentibus potestatem condendi legem, vt eorum constitutiones trahantur ad præterita si de eorum voluntate constet, iuxta text. in l. leges, & constitutiones, vbi Bald. Salic. & alij C. deleg. & per Doctores in cap. fin. de constit.

Ex qua dispensatione in radice facta auctoritate Papæ in consequentiam oritur legitimitas filiorum, quo ad vtrumque forum, & successionem in quibuscunque bonis, & locis etiam in terris imperij, Doctores communiter in dicto cap. per venerabilem, vbi Hostiens. Ioan. And. Abb. Alexand. de Neuo, num. 17. Hostiens. in summa tit. qui fil. sint leg. §. qualiter, & a quo sub n. 11. ver. salua reuerentia, vbi ponit rationem, quia si potuit facere filios illegitimos prohibēdo matrimonium in certis gradibus, multo magis potest facere legitimos, remouendo impedimentum canonis prohibit: quam etiā repetit in dict. cap. per venerabilem sub n. 8. Anchar. dict. consil. 409. num. 4. & 5. Guliel. de Bened. in capit. Raimutius, in verbo vxorem nomine, Adelasiam in principio, n. 202. de testam. Cels. Vgo dicto consil. 31. n. 7. Colleg. Patau inter consil. vlr. volum. cōsil. 3. num. 63. lib. 1. Martin. Laud. de legit. sub num. 85. Molin. vbi supra vers. si vero impedimentum Cephal. consi. 307. num. 51. & sequentib. lib. 3. Pereg. d. ar. 24. n. 77. vers. aut vtitur, & num seq. Nic. de Vbaldis Rotæ Auditor in tract. succes. ab intest 1. par. nu. 106. Gab. cōsil. 21. n. 17. vbi testatur hanc esse receptissimam opinionem lib. 1. Angel. & alij subscribentes inter consi. Bald. lib. 6. cōs. 64. num. 6. Alexan. de Neuo in cap. referente n. 4. vbi de communi, qui fil. sint legit. Valent. Froster de succes. lib. 6. cap. 34 quæst. 2. num. 17. vers. aut legitimat. Put. decis. 483. num. 4. lib. 2. & tenuit Rota in vtraque decis. Pampil. coram Iusto supra allegatas.

Quod multo magis procedit, stante decreto legitimitatis in dispensatione impetrato ab ipsis parentibus, vt per Rotam in 2.

decisione Pampilonēſ. in fin. cum enim per l.canonicam eſſet inducta illegitimitas filiorum natorum ex coniunctione eo iure prohibita, ſequitur vt ea ſublata per diſpenſationem in radice, filij remaneant in eo ſtatu in quo eſſent, ſi nulla adeſſet canonica prohibitio, facit text.in cap.liceat igitur, authē. quib.mod. natur. efficiantur legit. & in authen.quib.mod.nat.efficiantur ſui in princ. ver.natura.& in §. ſi quis ergo. Vbi quod à natura non erat hæc diſtinctio filij naturalis, & legitimi, ſed per leges introducta, & quod per legitimationem filij rediguntur ad priſtinum naturæ ſtatum, & ſentit Bart. in l.ſi is, qui pro emptore num. 29. D. de vſucap. bonus text. in l. qui liberos, §. 1. D. de ritu nupt. & late proſequitur Eugen. conſil. 52. num.49.& ſequenti, & Ioan. Franc. Maruffus inter conſil. Mandel.conſil. 750.num.29 & ſequent.lib.4.

Qui DD.loquuntur in minus fortibus terminis, quam ſint in caſu noſtro, cum ſuprema, & ampliſsima ſit poteſtas Papæ, circa matrimonia, cap. propoſuiſti, de conceſsio. præb. Bellam.conſil.40.col.5. Soci.iun.cōſilio trigeſimo primo, num.50.lib.2.Parerg. d.art.24.num.82. adeō vt in diſpoſitione loquente de filijs natis ex legitimo matrimonio, veniant filij legitimati à Papa mediante diſpenſatione in radice matrimonij. Socin. in l. Gallus, §. ſi eius ſub num. 5. verſ.& ad argumen.D.de libe. & poſthum. quem ſeq. Bero.conſil.32.num.13. & conſil. 180.num. 11.lib.2.Peregr.de fideic. art. 23. n.45.verſ. quam tamen concl.& art.24.n.80.

Ex qua etiam diſpenſatione in radice matrimonij facta, conſecutiue oritur præiudicium tertij, cui propter impedimentum cōtrahentium matrimonium ſucceſsio erat delata, vnde ſublato dicto impedimento per diſpenſationem tertij, quod conſecutiue venit, non attenderetur, vt in terminis Ruin.cōſil.189.num.16.lib.2. Anchar. d.conſil.409. ſub num.5.verſ.canonica igitur conſtitutio, Put.deciſio.483.num.2.lib. 2. Sanchez dict. diſp.7. num. 6. verſ.tu dic.Aim. conſil.704. num 4.lib.4.Valent. Forſter. de ſucceſ. lib. 6. cap. 34. quæſt. 2. num. 17. in fin. verſ.nec obſtat Felin. in cap. quæ in Eccleſiarum ſub num.21.in 2.ampliat.verſ. adde, de conſtit. & late comprobat Decian.conſil.5.num.67. & ſeq.lib.1.

Quod autem voluerit Pōtifex in caſu propoſito diſpenſare in radice matrimonij deducebant domini. Primo, quia hic habetur narratiua, quæ præſumitur iuſtificata, iuxta reſolutiones iam factas, in qua narratur non ſolum præceſsiſſe tractatū parentū de matrimonio contrahendo, cum ſpe obtinēdi diſpenſationē, ſed etiam præceſsiſſe ipſum matrimonium de facto, & clandeſtine contractum, ſiue ſponſalia de futuro cum copula, & ſubſequitur diſpenſatio, vt coniuges in ſic cōtracto matrimonio poſsint remanere, vel illud de nouo contrahere, ſeruata forma Concil.Trident. Ideō ſine dubio videtur hec diſpenſatio in radice, & initio matrimonij, tanquam ſit approbatum, & confirmatum à Papa remouendo impedimentum conſanguinitatis, quod impediebat illos contrahere, & in contracto permanere, ex late traditis per Ioan.Andr.in d.cap.per venerabilē, nu.30. & ibi Abb.num.21.qui fil. ſint legit. cum alijs ſupra adductis in princ.deciſionis, & in 2.deciſione Pampilonenſ.coram Iuſto, qui DD.etiam contentantur de ſolo conſenſu, & affectu maritali, cum copula, vt proles inde ſuſcepta cum diſpenſatione in radice dicatur vere legitimata, vt conſtat ex verbis Ioan.Andr.auctoris huius opinionis, d.cap. per venerabilem, num.30.ibi ſaltem, ex affectu, vel conſenſu, & cæteri ibi ſequūntur, quæ affectio maritalis etiam in dubio præſumitur, vt fuit dictum in prima deciſione Pāpilonenſ.coram eodem Iuſto. Vnde multo magis idem videtur dicen. in hoc caſu, in quo non ſola maritalis affectio, cum copula interuenit, ſed etiam matrimonium de facto contractum, vel ſponſalia de futuro, & eo clarior redditur voluntas Papæ diſpenſandi in radice, ex eo, quia conceſsit licentiam remanendi in ſic contracto matrimonio, quod fieri non poſſet, niſi matrimonium ipſum prout erat iam contractum, à Papa approbaretur, ſublatis impedimentis, ne alias daretur licentia manendi in peccato, & in coniunctione illicita.

Et quod huiuſmodi licentiam conceſſerit, confirmatur tum ex illa dictione veſtro, quæ ſignificat conceſsionem Papæ referri ad matrimonium de facto rati ſupra narratum, tum ponderando illam dictionem, ſic, quæ eſt repetitiua omnium qualitatum præcedentium, cap. quanto, de vſur. Bero.conſi. 65.num.45. lib.2. Menoch. conſil.232.num. 21.& ſignificat idem quod ſicut, §. ſi vero ſolum iuncta gloſ.in verb.ſic.authent.de nup. Alberic.in dictionario eod.verb. vnde perin de eſt, ac ſi fuiſſet dictum, in matrimonio, ſicut eſt contractum remanere, & iſta eadem dictione vſus eſt Pontifex in cap. quia circa ibi, vt remaneat in copula ſic contracta de

con-

consanguinitate & affinitate qui text. probat, quod data licentia permanendi in matrimonio sic contracto dicatur dispensatum in radice, & ita illum text. intelligit Abbas in dicto cap. per venerabilem, sub num. 25. in fine ibi, vel nisi inciperet à radice matrimonij, vt in cap. tanta supra eodem, & cap. quia circa supra de consanguinit. & affinit. Syluest. in summa in verb. legitimus, sub num. 9. vers. & quando vult incipere à radice matrimonij, & sentit expresse Cels. Vgo consil. 16. sub num. 13. & clarius dict. consil. 31. num. 6. & 7. vbi melius quam alij materiam declarant teste Molin. qui eum sequitur de Hispan. primog. lib. 3. cap. 2. num. 12. cui consilio plurimi viri grauissimi se subscripserunt, & nonnulli de consilio sereniss. Regis Catholici, vt ibi patet, & idem expresse firmat post Boer. & alios Peregrin. de fideicommiss. artic. 24. numero 79. Vbi dicit quod licentia perseuerandi super contracto matrimonio contractum implicite confirmat, ideò retro respicit, & in his terminis procedit decisio in causa Siracusana illegitimitatis coram felic. recordat. Clemente VIII. quæ est decis. 207. part. 1. diuers. & fuit decisum in causa Pampilonens. matrimonij 5. Aprilis 1585. coram Orano, & dicta conclusio confirmabatur, pōderando verbum illud, remanere, quod significat continuationem actus præcedentis cum perseuerantia, l. sed si manente, D. de precar. l. sed hoc ita, D. de re iudic. & melior text. est in cap. si ex bono, de pœniten. distin. 4. & in l. amissione in fin. D. de capit. diminut. ibi, nam manere Magistratum, vel Senatorem, vel Iudicem, certum est, quia scilicet, per illam capitis diminutionem, ille non perdit officium, sed in eo manet, & perseuerat, & subiungit ad illum text. Rebuf. in l. alienatum, in verbo manet, vbi plura congerit, & in verb. remanere, D. de verbor. signific. & Brison. lib. 11. de verborum significat. in verb. manere, & lib. 16. in verb. remanere, & de manente in matrimonio, est text. in l. vxorem, §. testamento quo filium, vers. manente, D. de leg. 3.

Non obstat opinio Couarruuiæ vbi supra, numero 13. quod per licentiam remanendi in matrimonio sic contracto, non inducatur dispensatio in radice, quem & alios refert Sanchez de matrimonio lib. 8. disp. 7. num. 25. dicens esse necessarium nouum cōsensum, vt ibi per eum, quia fuit responsum dict. opinionem videri minus veram, provt eam reprobauit Rota in dict. Pampilonens. matrimonij coram Orano, quia Doctores quos Couarruuias allegat in l. Paulus, D. de stat. homin. hoc non dicunt vel non loquuntur in terminis casus nostri, in quo adsunt etiam plura alia verba, & contrarium expresse sentiunt Boer. decision. 264. numero 26. Rosel. de legitimat. lib. 2. in princip. numero 19. Cels. Vgo dicto consil. 31. numero 6. & 7. Peregrin. de fidei commiss. artic. 24. numero 74. & ratio est. Quia Papa dispensando, quod coniuges possint remanere in matrimonio nulliter contracto, dicitur in necessarium antecedens illud approbare, & confirmare, & quod non sit in hoc casu necessarius nouus consensus, sed sufficiat naturalis ab initio præstitus, elicitur ex text. in capite cum locum, capite cum apud, & capite tuæ, de sponsal. Et confirmatur. Quia etiam post mortem alterius ex coniugibus, & quando non potest subsequi nouus consensus potest approbari matrimonium in radice si dispensatio fuit petita eorum vita durante Ancharran. dicto consil. 409. num. 4. & 5. Put. decis. 483. num. vltim. lib. 2. Rot. decis. 207. num. 2. & part. 1. diuer. Peregrin. vbi supra 83. & alij quos allegat Sanchez d. disp. 7. num. 6. & quod nō requiratur nouus consensus tenet glos. recepta in cap. non debet in verbo de cætero, de consanguin. & affinit. Cels. Vgo dicto consil. 31. numero 7. in fine.

Vlterius quod hæc dispensatio fuerit in radice deducebant domini ex illis verbis, ptolem susceptam, si qua sit, et suscipiēdam, ex inde legitimam decernendo, vnde sicut proles suscipienda, erit sine dubio legitimata in radice matrimonij, ita proles antea suscepta, cū nō debeāt diuerso iure censeri, l. eum qui ædes, de vsucap. & adæquatorum idem sit iudiciū l. 1. delegat. 1. vbi Doctores præsertim cum verba istius clausulæ determinentur ab eodem verbo legitimam decernendo, vnde æqualis debet esse determinatio, iuxta text. in l. iam hoc iure de vulg. Alexand. in l. in testamento. la prima, C. de testam. milit. & ibi Iason num. 5. Dec. num. 8. & quod ex dicta clausula inducatur dispensatio in radice expresse sentiunt Cels. Vgo dicto consilio 31. numero 6. & Cephal. consil. 307. numero 55. cum pluribus sequentibus lib. 3. subdit. numero 61. dictam clausulam non fuisse necessariam, propter filios natos post dispensationem in figura matrimonij, sed bene fuit necessaria propter filios antea natos, & idem fuit firmatum in dicta Pampilonens. coram Orano, &

in vtraque Pampilonen. coram Iusto, & in vltima, in specie reprobatur Sanchez contrarium sentiens in loco ibi allegato. Et cõfirmatur ponderando illam dictionẽ, exinde in hac clausula positã, ibi prolẽ susceptã vel suscipiendam exinde legitimã decernendo, nam respectu prolis susceptæ, non potest referri, nisi ad tempus, vel factum, præcedens, si referatur ad tempus, dicendum est referri ad principium istius tractatus videlicet, ad primum consensum, & copulam subsecutam inter contrahentes ante narrationem D. Annæ, ad text. in §. si ab hostibus, vers. si vero, ibi exinde, ex quo captus est pater, filius sui iuris esse videtur instit. quib. mod. ius patriæ potest. solu. l. quod si filius, D. de capt. & idem probatur in l. post litem, D. finium regund. cap. ex parte prope fin. de test. cum alijs per Brison. lib. 5. de V. S. in ver. ex inde, Mascar. Salon. in repet. l. Gallus, §. nunc de lege num. 1. D. de liber. & posthum. Vnde idem videtur significare ista dictio relata ad tempus præteritum, quod importat dictio ex tunc, cum quo termino omnes admittunt dispensationem esse in radice matrimonij, vt supra dictum est, si vero referatur ad factum præcedens, vt in cap. 1. de test. lib. 6. in l. fiscus, 6. de iure fisc. l. 4. D pro dona. & tunc significat idem quod ex eo, & refertur ad factum proximum Pontificis, ex doct. Bart. in l. non dubium, num. 23. C de leg. & ibi Bald. num. 2. Card. in clem. vnica, num. 3. de immunit. Ecclesiæ. Factum autem proximum erat, quod Pontifex dispensabat, vt in sic contracto matrimonio coniuges permanerent, vnde subiungendo immediate prolem susceptam, & suscipiendam exinde legitimam decernendo, significat ex illo facto, & ex illa licentia remanendi in matrimonio antea contracto, se legitimare prolem susceptam, & suscipiendam. Et hic sensus comprobatur ex verbis eiusdem dispensationis in narratiua, ibi, si diuortium fieret inter vos, grauia exinde scandala orientur id est, ex illo facto si diuortiũ fieret, orientur scandala, sic ex illo facto dispensationis, vt possint remanere in matrimonio contracto proles decernitur legitima, & hoc casu quãdo cum sola mentione matrimonij de facto contracti proles decernitur legitima, quod dispensatio sit in radice, sensit Rosell. dict. tract. de legit. lib. 2. in princ. sub n. 19. vers. alio, & quod legitimatio intelligitur etiam quoad temporalia tradit ex communi scribentium sentẽtia Molin. in alleg. lib 3. cap. 2. num. 12. de Hispan. primog. vers. atque quando, ex quibus domini concludebant satis apparere de voluntate Papæ dispensandi in radice matrimonij.

Neque obstat quod Ioan. Andr. Anchar. & cæteri supra relati, circa principium decisionis loquantur, quando Papa vsus verbo legitimationis videlicet, legitimando matrimonium, & prolem, quod non fecit in his literis, in quibus dedit tantum licentiam remanendi in matrimonio, & prolem legitimauit, quasi dicta legitimatio sit censenda, tanquam separata, & seorsim facta à matrimonio, secundum Couar. loco supracitato, & Sanchez d. disp. 7. num. 25. quia fuit responsum, ad hoc vt dispensatio dicatur in radice, non esse necessarium, vt Papa vtatur verbo legitimamus, cum nec ratio recti sermonis id patiatur, vt matrimonium legitimari dicatur, sicut proles, sed satis est, Papã approbare, ratificare, confirmare, vel permittere matrimonium, vt de approbatione matrimonij est text. in d. cap. quod nobis, qui fil. sint legit. & de permissione in cap. referente vbi glos. in verbo permissionem, eodem tit. & ideò Anchar. d. consil. 409. licet sub n. 4. vers. quia aut Papa, &c. vtatur verbo legitimationis, tamen supra num. 3. in fine, & num. 5. in princ. & vers. ex quib. vtitur verbo approbationis, quo etiam vtitur Rota, decis. 207. num. 1. part. 1. Put. decis. 483. num. 2. lib. 2. & omnino non videtur facienda vis in verbis, sed quod facta legitima tio prolis in ordine, vel respectu, vel habita mentione matrimonij de facto contracti, vt per Molin. loco sæpe allegato, vers. non enim Rosell. de legitim. lib. 2. in princ. num. 19. vers. alio, cum nec verbum legitimare matrimonium aliud sonet, quam id matrimonium ratum habere & approbare, vt per eundem Sanchez d. disp. 7. num. 28. quæ approbatio, & ratificatio satis superque videbatur inducta ex supra allegatis.

Non obstat, quod coniuges qui poterant vigore dictæ dispensationis in matrimonio de facto contracto remanere, seu illud de nouo contrahere, hanc secundam viam eligendo videantur sibi præiudicasse, quia fuit responsum, in præsenti tantum agi de intentione Papæ, quæ fuit in vtroque casu dispensare, non autem agitur de facto coniugũ, quod Papa diuinare non potuit, quam scilicet viã illi coniuges essent electuri, & secunda fuit electa ad euitanda scandala. Vt in simili casu aduertit Rota in vtraque decisione Pampil. coram Iusto, imo ad hoc propositum, & ex abundanti vnus ex dominis dicebat, dispensatio-

sationem censeri in radice, nō solum si matrimonium præcedat de facto, prout hic præcessit, sed etiam si solum fuisset subsequutum Abb. in d. cap. per venerabilem, num. 25. in fine, per hæc verba supra, ad aliud propositum allegata, vel nisi velit incipere à radice matrimonij, vt cap. tanta, supra eodem. Et idem tenet Butr. ibidem num. 11. & Mart. Lauden. de legitimat. sub num. 88. vers. nam legitimatio: iunctis verbis præcedētibus ibi, nam legitimatio, quæ fit ex cap. tanta, fit ex solo matrimonio, & probat legitimationem etiam in terris imperij, quia disponit in radice matrimonij. Vnde si Doctores isti dicūt legitimationem, quæ fit ex cap. tanta, esse in radice matrimonij, certum est non esse necesse quod matrimonium præcedat, cum in casu dicti cap. tanta, matrimonium sequatur & non præcedat, & propterea si Papa dispēsat super matrimonio contrahendo in gradu prohibito, videtur dispensare in radice: quia sufficit, quod matrimonium sequatur, qualis est dispensatio, de qua in dicto cap. tanta. Quod cōfirmatur, quia de iure ciuili ad matrimonium contrahendum sufficit maritalis affectio l. nuptias de reg. iuris, quę secuto matrimonio præsumitur ab initio fuisse. Vnde filij de iure ciuili isto casu sunt legitimi per præsumptionem, de iure vero canonico per fictionem, vt per Alciat. consil. 52. tom. 3. lib. 9. Surd. consil. 213. num. 17. lib. 2. & cum vtroque casu adsit illa maritalis affectio, vel vera, vel præsumpta, sequitur, vt Papa dispensando videatur vtroque casu dispensare in radice, cum in vtroque vigeat eadem ratio, quam Ioan. Andr. & alij considerant in d. cap. per venerabilem, quare legitimatio teneat in vtroque foro, si matrimonium procedat, videlicet, quod cum impedimentum sit inductum per canonem, Papa potest remouere eiusmodi impedimentum. Sed quid quid sit de hac opinione domini ex supra dictis concluserunt dispensationem concessam à elic. record Gregorio XIII. 23. Aprilis 1573. parentibus D. Annæ Ceron fuisse in radice matrimonij.

13 Atque ex his, quæ hactenus dicta sunt de dispensatione Pontificis in radice matrimonij, etiamsi sequatur per consequentiam aliorum præiudicium, colligi facile potest, quid dicendum sit in ea quæstione non semel occurrente, an scilicet, cum Pontifex cum aliquo vocato ad maioratum, & excluso, quia initiatur sacris ordinibus dispensat, vt valide ineat matrimonium, an inquam, tūc eo ipso reddatur habilis ad successionē, non obstante eo iure, quod iam quęsitum est illi, qui proxime vocabatur ad primogeniū. Dubitabilis quidem res est, sed iuxta dicta videtur dicendum, habilem reddi, perinde enim se habet illa dispensatio, & ita tollit impedimentum, ac si nunquam antea fuisset. Non secus ac si is, qui primo vocatus est & vita decederet, & per miraculum resurgeret, succederet in primogenio, non obstante iure, quod erat quæsitum secundo. Neq; obstat si quis dixerit, quod eo ipso, quo alter sacris initiatus est, ius omnino amisit, & etiā deficit conditio laici, status requisita à fundatore. Dico enim, non esse extinctum omnino ius, sed impeditum tantum, & ita sublato impedimento, quod Pontifex efficere potest, reuiuiscere, & esse potius ius eo, quod secundo quæsitum est, & constat manifeste ex adducto exemplo. Nec vero censendum est deficere in eo conditionem requisitam à fundatore, si animum instituentis maioratū inspiciamus. Ideō enim excluisse cēsendus est sacris initiatos, & religiosos, quatenus eorum status successioni, & conseruationi domus, ac propagationi generis impedimento erat, non ob aliam rationem, nisi suam mentem magis explicuisset institutor. Quare cū per dispensationem Pontificis cum initiato in sacris, vel cum solemniter professo, extrahatur omnino ab statu Ecclesiastico, & reducatur ad sæcularem, non est cur excludatur à successione. Ego quidem sic censeo.

De alijs, qui legitimare possunt.

§. II.

SVMMARIVM.

Imperatores & Principes sæculares supremos legitimare posse sibi subditos. n. 14. 15.

Posse legitimare per alios & mediate. num. 16.

An infans à Comite Palatino legitimari possit. num. 17.

An idem Comes legitimare possit aliquem extantibus filijs legitimis, num. 18.

14 EX dictis etiam cōstat Imperatorem & Principes sæculares supremos posse suis subditis legitimationis beneficium impendere cum communi Doctorum sententia. At per eam legitimationem nullum ius ad spiritualia cōferunt. Reddere quidem habiles possunt ad temporalia, successionis ex testamento, & ab intestato, honores, dignitates, & officia ciuilis Reipu-

blicæ,& ad nobilitatem parentum; attamen non possunt reddere habiles ad ordines, & ad beneficia ecclesiastica, quæ spiritualia sunt, vt docet etiam Sa *v. filius* num. 11. Quã uis & hoc concedendum est sæculares Principes, dum aliquem habilem reddunt ad temporalia bona parentum, indirectê etiam legitimatum habilem efficere ad ius patronatus, licet sit aliquid spirituale. Eo enim ipso, quod tribuit ius succedendi in bonis parentum, inter quæ est ius patronatus, habilem reddit, vt in eo succedat. Sic docet Couarruuias 2. p. de matrimon. cap. 8. §. 8. num. 18. Rochus de Curte de iure patron. *v. competens*, quæst. 2. Lãbert. lib. 1. de iure patron. p. 2. quæst. 2. art. 26. Ioannes Azor dict. lib. 2. capit. 14. quæstion. 7.

15 Præterea colligitur alios Principes inferiores Papa, & Imperatore, supremos tamen, posse etiam natalibus illegitimos restituere iuxta ea, quæ dicta sunt. Verum Emanuel Sa *v. filius* num. 13. limitatam esse eorum iurisdictionem in hoc vult, vt illis non liceat spurios legitimare, nisi tantum Papæ, & Imperatori. Sed neque id video consuetudine receptum, nec mihi videtur niti fundamento. Leges enim excludentes filios illegitimos quoscumque à temporalibus in his locis, quæ in temporalibus, neque Pontifici, neque Imperatori subsunt, pertinent ad eorum locorum Principes, quorum est illas condere vel abrogare: neque ius ciuile siue Cæsareum in illis locum habet, nisi quatenus ijdem acceptarunt, induxerunt, vel confirmarunt. Ergo eas leges tollere, relaxare, vel ab illis aliquem eximere eiusdem erit potestatis.

16 Rursus colligitur, hanc restitutionem natalium non tantum posse fieri à Principibus immediatê, & per se, seu tantum per Senatum eorum supremum, sed etiam mediatê, & per alios etiam distantes. Hinc est Romanum Pontificem legitimare posse per legatos Apostolicos. Solet enim Pontifex suis legatis potestatem concedere sub eo verborum tenore, quem refert Ioannes Azor tomo 2. lib. 5. cap. 30. quæst. 1. Idem etiam exercere solet Imperator per Comites Palatinos. Quos autem legitimare possit tam legatus Papæ, quam Comes Palatinus pendet ex concessione illis facta. Legati quidem Apostolici facultatis hic tenor est: *Concedimus, vt super natalium, etiam si ex adulterio, incestu, vel nefario, aut quocumque illicito coitu procreati fuerint, defectibus dispensare, vt quæcumque, quodcumque, qualiàcumque beneficia ecclesiastica, cum cura, & sine cura, sæcularia, & regularia inuicem compatibilia, etiam si sæcularia, canonicatus, & præbendæ, & si ex nobili genere procreati fuerint etiam maiores, & principales personatus, & officia in Cathedralibus, Metropolitanis, & collegiatis ecclesijs, & in illis, in quibus dictorum patientium defectum natalium patres beneficium obtinuerint, dum tamen illis immediatè non succedant, & quod de natalium defectibus huiusmodi nullam in quibus cumque literis, & gratijs sibi concedendis mentionem facere teneantur indulgere valeas.* Hæc refert Azor loco citat. Similiter etiam, & potestas Comitis Palatini ex rescripto Imperatoris mensuranda est, vt monet etiam Canisius in d. *ca. per venerabilem* p. 374. Vnde ad Emphyteuses ecclesiasticas Comes Palatinus etiam ex literis Apostolicis legitimare non potest, nisi id in literis exprimatur, vt habet decisio Rotæ statim citãda apud Farinacium num. 3.

17 Ex quo ea facilê diluitur quæstio, qua solet inquiri, an infans à Comite Palatino legitimari possit. Negatiuam enim partê multi tenuere, quos refert, & sequitur Antonius Gabriel tit. cit. de legitim. conclus. 5. Affirmatiuam etiam tenuere non pauci, quos refert ibidem num. 4. Dicendum tamen est id ex tenore rescripti petendum esse. Si enim Comiti Palatino concessum est, vt possit legitimare tam absentes, quàm præsentes, posse etiam infantes legitimare tradit Iason cõsil. 125. *verſic. Tertio facit.* Item si dictum sit, vt possit quoscumque spurios legitimare, vel ex quocumque illicito, vel damnato coitu pro creatos, de quo vide Decium consil. 50. num. 1. & num. 4. *verſic. Restat respondere.* Vel si Comes Palatinus haberet plenam omnimodam, & liberam legitimandi facultatem, vt Antonius Gabriel cum alijs docet ibidem n. 5. 6. 7. & 10. Addit etiam, vel nisi infans cũ ad ætatem peruenerit, ratam habuerit eam restitutionem factam à Comite Palatino. Decius consil. 55. num. 6. *verſ. Tertio respondetur*, Antonius Gabriel ibidem num. 8. Quamuis dubitabile sit, quando ea legitimatio incipiat habere effectum, de quo fortasse infra. De quo vide etiam inter nouem Centurias decisionum Rotæ per Farinacium decision. 786. num. 1.

18 Similiter etiam ex eodem fundamento aliud dubium expeditur, scilicet, an possit Comes Palatinus legitimare aliquem extantibus filijs legitimis. Poterit enim, si facultatem habeat sibi concessam à supremo Principe. Huiusmodi autem facultas data non censetur, etiam si in rescripto dicatur, *vt possit legitimare filios spurios, & illegitimos, etiam si pa-*

ter

ter eorum haberet ex se descendentes ex legitimo matrimonio, docet Socinus consil. 95. num 19. & sequenti. Neque etiam si dicatur, *quod legitimari possit sine præiudicio prolis legitimæ*, secundum Paulum de Castro Consil. 180. *vers. non propter*. Potius enim ea clausula videtur adempta eiusmodi facultas; neque etiam censetur data, quamuis dicatur, *quod extantibus masculis legitimatus non succedat*. Creditur autem data facultas, si dicatur, *quod habeat plenam & liberam legitimandi facultatem*; vel si dicatur *vt legitimare possit absque præiudicio tamen eorum, qui successissent necessario, si abintestato decessisset*. Eo enim ipso vult legitimari posse extantibus filijs legitimis. Similiter, si concedatur facultas cum clausula. *Non obstantibus legibus cauetur, vt spurij legitimari non possint, sine consensu parentum filiorum & legitimorum hæredum*. Quæ omnia citatis alijs docet Antonius Gabriel dict. tit. de legit. conclus. 6. a num. 8. vsque ad 15.

Qui possint legitimari?

CAPVT VI.

SVMMARIVM.

Legitimandus debet esse subditus legitimanti, numero 1.
Infertur legitimari non posse non subditum, etiam vt succedat in bonis, quæ sunt in territorio legitimantis, num. 2.
Opponitur, & sit satis, num. 3.
Principem suum filium legitimare posse nonnulli docent, num. 4.
Alij verius negant, num. 5.
Principem Jacularem legitimare posse filium clerici, num. 6.
Opponuntur nonnulla, num. 7. 8.
Clericum minoribus initiatum, gaudentem priuilegio fori non posse legitimari à Jaculari Principe, num. 9.
Opponuntur nonnulla & diluuntur, num. 10. 11.
Inuitum legitimari non posse, nu. 12.
Qualis filij consensus esse debeat, num. 13.
Limitatur ea doctrina, num. 14.
Infans à quibus legitimari possit, num. 15.
Quæ qualitas consideranda in parentibus legitimãdi, num. 16.

1 DIXIMVS hactenus, quis possit beneficium legitimationis conferre, nunc videndum, quibus eiusmodi beneficium dari possit, non enim omnibus promiscue. In qua cõsideratione illud primum est, vt non detur nisi subditis eius Principis, qui legitimandi ius habet. Cum enim actus iurisdictionis sit, non potest in nõ subditum iure dici *l. Præses Prouinciæ 2. C. de interdicto l. vltima de iurisdictione, & toto titulo C. si à non compet. iud.* & alibi sæpe. Quare legitimationem non posse fieri in non subditum docent multi, quos refert, & sequitur Decius consil. 150. num. 5.

2 Ex quo infertur primò Principem legitimare non posse alterius subditum, etiam ad eum effectum, vt succedat in bonis, quæ sunt in ipsius territorio, quamuis legitimati pater consentiat, & illi quorum interest. Communis sententia, quam docet Petrus Ancharan. consil. 120. Abbas in dict. *cap. per venerabilem* num. 23. Couarruuias 2. Part. cap. 8. §. 8. num. 14. Fachineus cum alijs lib. 3. controuers. ca. 58. Idque probant ea iura, quæ adduximus ex iure ciuili. Probat etiam textus in dict. *cap. per venerabilem*, vbi inquit Pontifex se filios Regis Franciæ legitimasse, cum superiorem in temporalibus non recognoscat, & ideo potest id facere sine alterius iniuria, eum autem qui dispensationem petebat alteri subditum esse in temporalibus. Quibus planè indicat Pontifex se non posse legitimare alterius subditum. Duas etiam huius nostræ sententiæ rationes non contemnendas assert Abbas dict. num. 23. Prima. Quia legitimatio est vnum ex regalibus, vt dixi supra; & ideo non potest consensu priuatorum trãsferri. Secunda est. Quia non omnino iurisdictionis voluntariæ est, sed etiam aliquid habet contentiosæ, excludit enim agnatos inuitos, qui succederent ab intestato.

3 Sed contra illationem hanc sentit Baldus proœmio Codicis col. penul. Decius consil. 50. n. 7. *vers. Tertio nõ obstat*. Mouetur primò. Quia legitimare non est actus iurisdictionis cõtentiosæ, sed voluntariæ, cũ inuitis dari nõ possit §. *generaliter Authent. Quib. mod.* & consequenter corã quocũque iudice exerceri potest, & in omni loco fieri *l. 2. D. de officio Proconsul. l. 2. C. de emancip. liberis*, præsertim cum nemini fiat præiudicium consentientibus nimirum, quorum interest. Sed hoc non obstat. Demus enim esse actum iurisdictionis omnino voluntariæ. At non potest haberi coram quocunque iudice. Iura autem allata tantum probant, quando is, qui consensit iurisdictioni, illam prorogare potest, vt quia sub eodem Principe est. Neque obest, quod nemini præiudicium fiat. Priuatorum enim consensus non facit iudicem *l. priuatorum*,

torum, C. de iurisdict. omn. iud. Nec vero Imperator, neque Pontifex extra suam ditionem in temporalibus potestatem habet, vt ex dictis constat.

4 Secundo inferunt alij posse etiam hoc beneficium confirmationis originis Principem filijs suis impertiri, non quidem tanquam patrem filijs, sed tanquam Principem subditis, vt notat Abbas in dicto cap. *per venerabilem, num.* 15. & Baldus in *l. si Consul. 4. de adopt.* vbi docet Comitem Palatinū posse legitimare filium coram se ipso, & sequitur Ioannes de Anania consil. 29. & Canisius in cap. *per venerabilem*, pag. 369. Facit pro hac sententia textus in dicto cap. *per venerabilem*, ibi, *in quo videretur aliquibus, quod per se ipsum non tanquam pater cum filijs, sed tanquam Princeps cum subditis poterit dispensare*. Idem probatur à simili de manumissione, quæ potest fieri à patre, vel filio apud se ipsum, vel à patre apud filium, vel à filio apud patrem.

5 Sed contra sentit Iason in *l. qui iurisdictioni præest* 10. *D. de iurisdict. Qui iurisdictioni præest, neque sibi ius dicere debet, neque vxori, neque liberis suis, neque libertis, vel cæteris, quos secum habet.* Dubitat Glossa in dicto cap. *per venerabilem*, verbo *tanquam Princeps*, meliusque facturum Principem dicit, si non facit. Præterea mouentur. Quia tunc præstaret auctoritatem facto suo. At cap. fin. de instit. caueturà se ipso quemquam dignitatem accipere non posse, vt sic inter dantem & recipientem distinctio. Addit tamen Glossa, *quãuis forsan, vt alij succedat, Princeps filium suum legitimare possit.* Imo & Pontifex in dict. cap. *per venerabilem*, dubitanter loquitur, neque ex propria sententia, vt constat ex verbis allatis. Et quidem si legitimatio esset actus iurisdictionis omnino voluntariæ, plana res esset filium à patre legitimari posse, sicut in manumissione pater filium apud Prætorem manumittit, *l. 1. D. de officio Prætoris*, & idem apud semet ipsum emancipari, aut in adoptionem dari potest, *l. 2. D. eodem, & l. 3. D. de adopt.* & pater apud semet ipsum emancipare filios, vel dare in adoptionem, vel seruos manumittere, *l. 4. D. eodem, & l. 2. de officio Præsidis.* Verum quia legitimatio est actus non nihil habens iurisdictionis contentiosæ planius est non posse ius filio dici. Licet enim in voluntarijs pater filio, & filius patri, & idem in sua causa iudex esse possit, *l. in priuatis 77. D. de iudicijs iuncta, l. 78.* & constat etiam in manumissione, *l. vnica, D. de officio Consulis, & l. apud filium, & l. si rogatum de manum. vindicta*: attamen hæc priuata res est, & voluntariæ omnino iurisdictionis. Cum enim natura pater & filius pene vna persona intelligãtur, *l. fin. C. de impub. & alijs substitutionib.* tantum videntur iudices esse posse in priuatis rebus, videlicet, pecuniarijs aut ciuilibus, manumissione seruorum & similibus, non vero in alijs, neque in legitimatione. Atque hæc sententia mihi magis placet. In his etiam quæ iurisdictionis voluntariæ sunt non esse necessariam semper distinctionem personarum dixi supra lib. 8.

6 Tertio infertur sæcularem Principem posse natalibus restituere filium progenitū à clerico, idest, in sacris constituto. Sic docet Couar. cap. 8. §. 8. num. 10. Cum alijs Fachin. dict. lib. 3. cap. 59. & alij, quos refert & sequitur Azor dict. lib. 2. cap. 15. quæst. vltima, & mihi quidem sic videtur. Facit pro hac sententia primo textus in §. *illud Auth. quibus mod. nat. effic. sui*, in illis verbis. *Quid enim si ad sacerdotium alter eorum ascẽdat.* Quibus verbis indicat Imperator se posse filium sacerdotis natalibus restituere. Facit etiam pro hac sententia manifesta ratio. Nec enim ille indiget legitimatione Pontificis, cum sit laicus, neque ratione bonorū, ad quæ legitimus efficitur, cum non legitimetur ad bona patris Ecclesiastica, sed temporalia, & ad ea, de quibus ex iure vel consuetudine testari potest. Non ergo est vnde colligatur necessario adeundum esse Principem Ecclesiasticum. Idem docuit Decius consil. 150. num. 5. qui & optimam rationem affert, & vt Logici loquuntur, quasi à priori. Quia legitimatio nõ est actus patris consentientis, sed Principis legitimantis. Actus enim tribuitur facienti principaliter illum, non consentienti. Quia aliud est facere, aliud facienti consentire, *l. aliud est vendere, D. de regul. iur.* Apud quem alia etiam in hanc rem eleganter scripta videri possunt.

7 Sed contra sentit Geminianus in cap. *vltimo de iudicijs in 6.* & in Senatu Parisiensi sic iudicatum esse anno 1562. refert Petrus Gregorius lib. 10. syntagm. cap 4. in fine, & Ioan. Azor loco citato. *Tutius*, inquit, *esse ab vtroque Principe dispensationem siue legitimationem postulare.* Mouentur primo, quod ad legitimationem requiratur patris consensus in *Authent. Quib. mod. nat. effic. sui* vt infra dicemus, clericus autem in laicum consentire non potest *c. si diligenti de foro compet.* Forsan quis dicere posset prorogari à clerico eam iurisdictionem posse, quia voluntaria est. Sed contra est. Tum quia eiusmodi iurisdictio est de reseruatis Principi, in quibus non habet

locum

locum prorogatio:tum etiam, quia tam est prohibitum clerico prorogare voluntariam, quam contentiosam iurisdictionem, vt dicã illatione sequenti. Sed hoc argumentum non obstat. Quia, vt recte Fachin. non prorogat clericus iurisdictionem sæculari Principi, quam ipse iam habet in filium laicum, & eius bona, sed tantum consentit pro suo iure, & præiudicio, ne scilicet inuito detur hæres.

8 Mouentur secundo. Quia ecclesiasticorum bona à laicorum potestate sunt exempta, *cap. ecclesia sanctæ Mariæ, de constitutionibus.* Non ergo Princeps aicus potest legitimare aliquem vt in illis succedat. Sed ridiculum argumentum est. Exempta sunt bona temporalia clericorum à gabellis, & tributis, de quo alibi: exempta etiam eo viuente, & possidente: At quod illis succedant alij post mortem, non pendet ex dispositione Pontificis. Vnde si maioratum vellet instituere in aliquo consanguineo ex bonis temporalibus, non egeret facultate Pontificis, sed Principis sæcularis, vt vulgo notum est.

9 Quartò infertur clericum in minoribus constitutũ, si ex eorum numero sit, qui gaudeant priuilegio fori iuxta dicta in comment. de priuilegio canonis, non posse legitimari per Principem sæcularem, sed ecclesiasticum. Sic Decius consil. 150. ex nu. 4. Ioannes Azor dict. cap. 15. quæstione vltima in fine. Facit pro hac sententia primo, quia clerici etiam in minoribus constituti subiecti sunt Principi ecclesiastico *cap. 2. de foro compet. c. cum non ab homine de iudicijs cap. nullas cum clerico 11. quæst. 1.* & in contrarium non valet consuetudo *cap. clerici de indic.* Ergo in illos non potest sæcularis iurisdictio exerceri, esset enim in non subitos: legitimatio enim actus iurisdictionis est. Et quamuis demus esse iurisdictionis mere voluntariæ, quod secus est, vt iam supra probatum est, quoad hoc eandem esse rationem iurisdictionis contentiosæ, & voluntariæ, docuit Ancharranus consil. 321. vbi dicit, regulam positam in *l. fin. D. de iurisdict.* habere locum in iurisdictione voluntaria, Alexander consil. 67. num. 7. Actus enim iurisdictionis debet fieri coram competente iudice *l. 1. §. fin. C. de emancipat. & in l. Diui C. de dotibus.* Tum etiam, quia clerico prohibitum est iurisdictionem prorogare, quod etiam videtur habere locum in iurisdictione voluntaria. Quia iura in dictis capitibus loquuntur generaliter, & ratio, quæ in illis assignatur, scilicet, quia agitur de interesse clericorum in dict. *cap. si diligenti*, & quod agitur de interesse superioris in dict. *cap. significasti*, etiam habet locum in iurisdictione voluntaria.

10 Sed contra sentiunt Couarruuias in dict. §. 8. num. 9. Præpositus, Ioannes Andreas & Lambert. ab eo relati, & decisio Rotæ 7. tit. de iudicijs, quam citat cum alijs Decius dict. consil. num. 1. Mouentur autem satis in speciem probabilibus argumentis. Primò. Quia ab emancipatione ad legitimationem valet argumentum, vt notat Bart. in *l. iubemus C. de emancipat. lib.* & alij. Sed emancipatio clerici potest coram iudice sæculari fieri. Cum enim patria potestas sit iure ciuili introducta, etiam coram sæculari iudice debet relaxari. Ergo idem de legitimatione dici potest, cum per legitimationem transeat etiam filius in patriam potestatem in §. *generaliter Auth. Quib. mod. natur. effic. sui.* Mouentur secundò. Quia illa legitimatio fit viuente patre, & in terris Principis sæcularis, & bonis in eius ditione consistentibus, quibus duobus concurrentibus videtur posse à Principe sæculari fieri. Tertiò mouentur. Quia legitimatio est donum Principis, vt notat Baldus in *l. 1. C. de iure annul. aur.* Nihil autem obstare videtur, quominus per laicum clerico donatio conferri possit; imo absurdum esset, si laicus clerico donare non possit. Vnde laici clericis priuilegia concedere possunt, vt notant Doctores in *cap. nouit de iudic.* Poterit ergo priuilegium legitimationis clericis conferri per laicos. Denique mouentur quartò. Quia iudex laicus dare curatorem potest clerico coram eo litiganti, vt concludit Rota *tit. de iudicijs*, in antiquis decisione 13. & laicus potest esse tutor pupilli clerici, quæ est doctrina Baldi consil. 243.

11 Sed hæc non obstant his, quæ in quarta illatione diximus. Non obstat primum. Dico enim non semper ab emancipatione ad legitimationem argumentã valere, sed quando eadẽ fuerit ratio: in hoc autem casu valde dissimilis inuenitur. Emancipatio enim est actus Patris agẽtis, qui filiũ emãcipat, & ius patriæ potestatis remittit. Legitimatio autẽ nõ est actus patris, sed superioris legitimãtis. Quare requiritur vt fiat in subditũ eius Principis, cũ sit actus iurisdictionis. Atque idem dico de relaxatione patriæ potestatis. Cum ergo clericus non sit subditus Principis sæcularis, non potest ab eo legitimari. Neque obstat secundum, respondetur enim id quod dicitur in argumento locum habere, quando ea legitimatio exercetur inter subditos, quod in isto casu non contingit. Neque obstat, quod bona illa sint in ditione Principis sæcularis;

cum

cum enim persona non sit subdita, quæ præcipuè in hoc casu considerator, parum refert bona esse in eius ditione. Neque obstat tertium. Quamuis enim laicus in clericum donationem, & priuilegium conferre possit, non tamen legitimare. Potest quidem priuilegium concedi, quando agitur tantum de vtilitate clerici, non verò quando agitur de aliqua iurisdictione voluntaria vel contentiosa, quæ debet in clericum exerceri. Quare cum legitimatio sit actus iurisdictionis, in qua laicus contra clericum non est competens iudex; & præterea in ea legitimatione mutetur persona clerici, cum redigatur in patriam potestatem, & alios effectus pariat, qui possunt esse in præiudicium clerici, non poterit exerceri à laico in clericum. Denique non obstat, quod clerico laicus iudex curatorem dare possit. Eo enim concesso ratio differentiæ colligitur ex dictis. Quia curator datur liti, & causæ, non personæ, & hac ratione nititur Rota loco citato. At legitimatio respicit personam, quæ alteratur, & restituitur natalibus. Vnde laicus non est competens iudex. Imo & illud Rotæ locum habet in curatore ad illam specialem litem, non vero in curatore generali, vt notat Ioannes Andræas in *titulo de curatoribus*, in principio, & alij. Demum, quod Baldus inquit, tutorem dari posse à laico, verum non est, cum *tutela sit vis & potestas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem se defendere nequit l. 1. in principio D. de tutelis, & instit. eodem.* Quod conferri non potest à laico in clericum. Quod adeo verum est, vt etiam si laicus clericum tutorem daret clerico, nulla esset tutoris datio, vt docet Ancharranus & alij. Quare tutor quidem laicus, siue clericus clerico dari potest, sicut communis Doctorum sententia tenet *cap. 2. de iudicijs* Episcopum posse causas ciuiles clericorum laico iudici delegare, atque committere. Attamen à clerico dari debet tutor, ita vt à iudice Ecclesiastico potestatem habeat. Non enim qualitas tutoris, sed dantis tutorem inspicienda est.

12 Secundo illud considerandum est in persona, quæ natalibus restituitur, ne detur ea legitimatio inuito. Nec enim inuitus legitimari potest attenta iuris dispositione, sed oportet filium consentire huic beneficio. Certi enim & explorati iuris est inuitos filios naturales, vel emancipatos non redigi in patriam potestatem *l. vltima D. de his qui sunt sui vel alieni iuris.* Neque id ius postea mutatum est, cum de originis confirmatione actum est, sed generaliter etiam in ipsis modis confirmatum à Iustiniano Nouella *quibus modis natur. effic. sui. §. generaliter*: in hæc verba. *Generaliter autem in omnibus, qui per prædictum modum reducuntur ad legitimum ius, tunc id volumus obtinere, cum & filij hoc ratum habuerint, &c.*

13 Sic autem huiusmodi consensus accipiendus est, vt non sit necesse filium apertè consentire, sed satis esse, si non contradicat, argumento textus in *l. in adoptionibus 5. D. eodem.* Vnde in filij voluntate id videtur seruandum, quod in eiusmodi referi debere præcipitur *l. 2. §. vltimo D. soluto matrimonio* ibi, *scire eum exigimus, vt videatur non contradicere.* Quare si is, qui legitimatur, talis sit, qui capere possit, quæ geruntur, certior fieri debet eius quod agitur. Si monitus negat se velle legitimum fieri, inuito legitimatio non procederet. Si autem consentiret, aut filebit, procedet. Si ignorans legitimetur, silentium eius faciet quidem, non vt pro non contradicente, sed pro repugnante habeatur. Scire enim eum exigimus, vt habeatur pro consentiente. Sic explicat Donel. lib. 2. comment. cap. 22. *vers. adoptionis species*, in fine. Sed illud etiam addendum, non esse necessarium præsentem filij consensum, cum legitimatur, sed satis esse, si legitimationem de se factam ratam habeat. Probat textus in dict. *§. generaliter*, & Decius consil. 55. num. 7.

14 Hæc autem, quæ dicta sunt de inuitis non legitimandis, procedunt, & vera sunt, si agatur de legitimatione ex delegatione, aut ordinaria ratione, & quando Princeps vult alligari legibus; non verò si Princeps de plenitudine potestatis restituat natalibus, poterit enim etiam inuito huiusmodi beneficium indulgere, vt docet Tiraquellus de nobilitate cap. 6. num. 21. Antonius Gabriel tit. de legitimat. cõclus. 5. in fine. Cuius ea apertissima ratio est, quam supra non semel insinuaui. Quia cum hæc omnis differentia inter legitimos, & illegitimos iure tantum humano inducta sit; & beneficium legitimationis, & conditiones seruandæ eodem iure constituantur, planum est eadem voluntate Principis abrogari posse, aut ex parte mutari.

15 Hinc facile colliges infantem, quamuis ab inferioribus, quibus legitimandi potestas iuxta leges datur, legitimari non posse, vt communis DD. sententia est, quam cum alijs docet Antonius Gabriel dict. conclus. 5. & Decius consil. 55. attamen à Principe restitui posse natalibus propter rationem dictam. Tum quia satis videtur, si cum ad ætatem legi-

timam

timã peruenerit, ratam habere posſit legitimationem: tum etiam quia inuitum & nõ consentientem potest Princeps legitimum reddere.

16 Postremum in persona eius, qui restituitur, considerandum est, vt ex illis parentibus procreatus sit, inter quos matrimonium esse posset, vel si parentes non contraxerint, si tamen voluerint, & parati fuerint contrahere, sed facere nõ potuerint vel morte præmatura mulieris, vel quia mulier se occultabat, vel ab alijs occultata est, vel inhoneste postea se gessit, §. *sit igitur Nouel. Quibus mod. effic. legitimi*, ipse enim Iustinianus de his coniunctionibus generaliter ita cauit se eas reijcere, vt nolit ex his natos patribus etiam naturales vocari, & pronuntiet omni beneficio & clementia, tùm patres, tùm liberos hac appellatione esse indignos in dicta Nouella, §. vltimo. *Eos enim, qui semel ex odibilibus nobis, & propterea quoque prohibitis nuptijs procedunt, neque naturales vocari, neque participanda eis vlla clementia est.* Atque hinc effectum est, vt non pauci docuerint huiusmodi filiorum non legitimationem, sed dispensationem tantum esse. Sic Baldus *l. 1. C de natur. lib.* Decius consil. 610. num. 6. & alij quos refert Fachineus dicto lib. 3. cap. 57. Addendum tamen hoc intelligendum esse, quando Princeps iuxta legem à se propositam ageret. At si de plenitudine potestatis, non dubito, quin habilitatio spurij verè legitimatio sit, & non dispensatio. Docet Couarruuias 2. p. cap. 8. §. 8. Fachin. cum alijs dict. cap. 57. cuius ea manifestissima ratio est. Quia hæc omnia ex humano iure constant. Auferri ergo possunt, & immutari à Principe. Potest enim & vult, si quidem facta mentione defectus legitimum facit. Quod autem matrimonium inter eius parentes esse non potuerit, parum refert. Nec enim ille fit legitimus ex coniugio, vel fictione coniugij, sed ex indulgentia Principis: & quamvis Imperator dicat eos indignos esse Principis clementia, non tamen ideò negat eos a Principe legitimari posse. Neque obstat etiam, quod in dicto capit. *per venerabilem*, appelletur dispensatio, vt constat ex dictis supra cap. 4.

(.?.)

De forma petendi rescriptum, & conditionibus seruandis.

CAPVT VII.

SVMMARIVM.

Legitimationem fieri debere ex causa. n. 1.
Explicandum in libello an potuerint parentes facile nuptias contrahere num. 2.
Et an sint alij legitimandi, vel extent filij legitimi. num. 3.
Quando necessarium vt citentur agnati & cognati. num. 4.
An filius legitimari possit hæreditate deuoluta ad agnatos. num. 5.
Quomodo species illegitimitatis explicanda. n. 6.
Opponitur & diluitur. num. 7.
An explicandum, quando est duplicatum adulterium. num. 8. & 9.
Limitatio prædictorum. num. 10.

RESTAT explicemus vltimum circa legitimationem à Principe factam, scilicet, quæ sit forma petendi rescriptum, & quæ conditiones seruari debeãt, vt valide impetretur Principis indulgentia. In primis causa debet interuenire, vt docet Abbas in dict. cap. *per venerabilem*, num. 4. licet valeat etiam sine causa data legitimatio iuxta generalem doctrinam, quam tradidi supra lib. 8. Deinde ea legitimatio per procuratorem peti potest, siue à patre, siue ab eo qui legitimus redditur, vt docet Decius consil. 55. num. 5. cum Bart. quem communiter DD. sequuntur in *l. Gallus, §. forsitan, D. de lib. & posth.* Rescriptum enim impetrari à quocunque potest, *l. vniuersas, C. de precibus imper. offer.* Quod etiã probat alijs rationibus, quæ apud illum videri possunt.

2 Sed deueniamus ad ea, quæ in libello explicãda sunt. Primò explicandum, an potuerit facile cum matre nuptias contrahere, & legitimare, eo enim cognito Princeps legitimare non solet, vt inuitet adempta legitimatione ad ineundum coniugium. Docet Molina lib. 3. de primog. cap. 5. num. 37. Couarru. 2. p. cap. 8. §. 9. num. 5. Azor loco citato, & alij plures, quos refert & sequitur Iosephus de Rusticis ad *l. cum anus*, lib. 2. cap. 15. pag. mihi 248. versiculo *duodecima limitatio est*, Canisius in dicto cap. *per venerabilem*, pag. mihi 371.

3 Deinde explicandum est, an sint alij legi-

legitimandi, vel extent alij filij legitimi, iure enim constitutum est, vt nisi non extantibus filijs legitimis legitimatio non detur §. *sit igitur Nouel. Quibus modis natur. effic. legi. & in §. si quis ergo, & in §. sequenti. Authen. Quibus modis effic. sui & in dicto §. generaliter eod.* Idque docent complures Doctores. Hanc autem doctrinam nonnullis modis DD. limitare solent. Primò, vt etiam extantibus filijs legitimis concedi possit legitimatio, si ipsi cõsentirent. Docet Alexand. consil. 94. & Antonius Gabriel conclus. 6. num. 17. Secundò. quando filij legitimi, & naturales extantes alias essent successuri. Paulus de Castro consil. 27. Anton. Gabr. loco cit. num. 16. Tertiò, quando ipsemet pater legitimationem petit tunc enim etiam extantibus legitimis filijs concedi potest. Et similiter, quando legitimatio petitur â filio ex ordinatione patris in testamento. Sic nonnulli, quos refert & sequitur Anton. Gabr. concl. 6. num. 5. Verum circa limitationes istas hoc meum esto iudicium. Priores duas admiserim, quia cessat in illis ratio legis, quæ noluit præiudicium inferri filijs legitimis extantibus, neque earum legitimas portiones minui. Tertiam non facile admiserim, cum iura indistincte loquantur. Et præterea ex consensu patris accedente non cesset ratio legis, infertur enim nocumentum filijs legitimis ea legitimatione. Vide Azor d. lib. 2. cap. 14. quæst. 11. Addendũ etiam ea, quæ diximus, vera esse, si Princeps legitimet aliquem iuxta legis præscriptum, si enim de plenitudine potestatis legitimet, potest etiam extantibus alijs legitimis alterius originem confirmare, & cum clausula *non obstante*. Hæc enim omnia iure humano inducta sunt. Atque hac ratione diuersas in hac re Doctorum sententias super legitimatione facta â Principe in concordiam redigit Anton. Gabriel dicto tit. concl. 6. num. 4. citatis Angelo, Aretino, Alexandro, Iasone & alijs.

4 Atque hinc infertur, quando necessarium sit, vt citentur agnati, atque cognati. Nostra enim opinio est, atque communis, quando legitimatio filij fit viuente patre, non est necessaria cognatorum citatio, poterat enim pater de suis disponere. Docet Bart. quem communiter sequuntur Doctores in dicta *l. Gallus, §. & quid si tantum.* Baldus consil. 173. & 486. Angelus consil. 87. & alij, quos refert & sequitur Decius consil. 55, num. 4. versiculo *secundo dicit*, Anton. de Butrio in dicto cap. *per venerabilem*, Couar. loco citato, num. 7. Iosephus de Rusticis, d. lib. 2. cap. 15. num. 138. & sequenti Ioannes Azor dicto lib. 2. cap. 14. quæst. 10. At vero mortuo patre, vt Princeps legitimum faciat citandi sunt agnati, & patris intestati successores. Quæ communis opinio est, vt docet Couar. loco citato num. 9. Azor ibidem. Post obitum enim patris ius succedendi delatum est cognatis, siue agnatis. Vnde cum ius ad illos peruenerit, vocandi sunt, vt iuri illorum quæsito noceat Princeps, nisi forte Princeps legitimum faciat ex voluntate patris præterita, quam expressit testamento, vt docet Couar. ex Bart. loco citato num. 8. in fine, & Iosephus de Rust. ibidem num. 139. vel nisi Princeps ex suæ potestatis plenitudine operetur: nam si constet eum voluisse inferre præiudicium, ea clausula *de plenitudine potestatis, motu proprio, vel non obstante.* Istæ clausulæ citationem tollent. Docet Iosephus de Rust. cum alijs ibid. n. 140.

5 Quod si quæras, an legitimari possit à Principe filius hæreditate deuoluta ad agnatos, antequam illam adeant, vel postquam adierint, & possessionem adepti fuerint. Et quamvis in eo Doctores diuersa senserint, dum alij posse Principem legitimare dicant, postquam etiam hæreditatem adierint, alij deuoluta tantum hæreditate: communis tamen sententia est Principem posse natalibus restituere, quando hæreditas est ad successores deuoluta. Habent enim tantum in eo casu ius ad rem, non vero postquam adierint hæreditatem. Sic Azor loco cit. quæst. 10. vers. *alij fatentur*. Quæ tamen omnia intelligenda sunt, nisi Princeps ex magna aliqua causa operetur de plenitudine potestatis.

6 Rursus, quod attinet ad speciem illegitimitatis filij explicandam hanc statuo regulam cum communi sententia, explicandam esse speciem defectus, nõ tantum in genere, sed etiam in specie, an scilicet natus sit ex incestu, adulterio, vel sacrilegio, vel si ex incestu, an sit natus ex sorore, matre, vel nuru vel fratris vxore. Quamvis enim demus omnes eos gradus incestus esse eiusdẽ speciei, vt docet Caiet. 2. 2. q. 114. a. 9. attamen negari non potest hanc qualitatem incestus posse mouere Principem ad denegandam legitimationem, & præterea necessaria est ea specialis cognitio, vt intelligat Princeps beneficij quantitatẽ iuxta dicta supra lib. 8. c. Similiter si ex sacrilegio, an ex sacerdote, vel sacris ordinibus initiato, vel religioso, & an ex sacerdote & religioso simul, vel virgine Deo sacrata. Item an ex incestu simul & adulterio, hoc est, ex consanguinea vel affini

ni vxore aliena, vel an ex incestu pariter & sacrilegio, vt ex religioso & moniali consanguinea, vel affini, docet communis sententia, quam tenet Butrio in dicto cap. *perve nerabilem*, Decius consil. 579. Couar. de matrim. 2. p. cap. 8. §. 9. num. 4. Fachineus dicto lib. 3. cap. 61. Azor dicto lib. 2. cap. 14. quæst. 8. & alij. Quæ communis sententia hoc potissimum nititur fundamento. Quia quanto magis est turpis, & damnatus coitus, tanto maius crimẽ est, §. *vltimo Auth. quibus mod. natur. effic. sui*, atque adeò videtur ea qualitas explicanda Principi, cui exponenda sunt, quæ eius concessionem retardare possunt, *cap. postulasti de rescriptis*, iuxta dicta supra lib. 8.

7 Sed huius oppositum docet Baldus in *l. si qua illustris, C. ad Orfician. & in cap. 1. §. na turalis si de fœudo fuerit controuersia.* Præpositus in dicto cap. *per venerabilem*, quæst. 4. Decius non sibi constans consil. 55. Ioan. Andr. in cap. *vltimo de filijs presbyter*. Probant ex vulgari regula, *cogitatum in genere sufficit, l. qui iure militari, D. de testam. milit.* Sed hoc non obstat communi sententiæ. Nec enim est ad rem, quod in dicta l. constituitur, ibi enim id definitur, vt siue in genere, siue in specie, de filio posthumo fuerit à milite cogitatum, eundem fore effectum, si scilicet testamentum non rumpatur.

8 Sed quando legitimatio postulatur pro filio nato ex adulterio, quæstio est, an quando vterque vir & fœmina vinculo coniugali tenetur, explicandum sit duplicatum adulterium, an vero sufficiat dicere, susceptum esse ex adulterio. Duplicatum adulterium explicandum esse docet Oldraldus consi. 247. Præpositus in dicto cap. *per venerabilem*, Decius consil. 55. num. 4. & 338. num. 7. Couar. in dicto cap. 8. §. 9. num. 3. Ioannes Azor dicto lib. 2. cap. 14. quæst. 6. Quorum istud tantum fundamentum est: quia difficilius legitimaret Princeps, si sciret geminatum adulterium, quam si ex vna parte tantum interueniisset. Principi autem explicanda sunt, ne rescriptum subreptitium videatur, quæcunque difficilem redderent Principem, *cap. postulasti de rescriptis, cap. super literis eodem, cap. dudum de electione.*

9 Contrarium tamen docuit Angelus, consi. 204. & sequitur Fachin. dicto lib. 3. c. 60. Qui ex eo fundamento in hanc sententiam inducuntur. Quia adulterium ex parte mulieris nuptæ grauius est, quam ex parte viri, grauius enim crimen, cum & coniugij iura violantur, & vxoris pudor soluitur, cap. *nemo* 32. *quæst.* 4. Princeps igitur intelligere potest ex eo, quod narretur filium ex adulterio susceptum esse à muliere nupta commissum, quod grauius est, & illum retardare posset: quod enim adulterium ex parte viri ignoretur à Principe, parum referre videtur, cum neque quod ad punitionem sæculi attinet adulterium censeatur, vt notant Doctores in *l. 1. C. de adulterijs*, & docet communis Doctorũ sententia. Quare quamvis Principi manifestanda sint ea, quæ illum vel retrahere, vel retardare possent, quo minus legitimationem concederet, attamen non est verosimile in eo casu non concessurum legitimationem, quamvis cognosceret adulterium interuenisse ex parte viri, si eam non negat sciens interuenisse ex parte fœminæ, quod maiori considerationis est. Verum iuxta ea quæ dixi supra lib. 8. cap. 4. magis placet prima sententia.

10 Hæc tamen omnia limitanda sunt, nisi ex verbis rescripti constet legitimantem voluisse in quovis defectu dispensare, aut quamvis maculam tollere, vel taciturnitas illa non reddidisset difficiliorem Principẽ ad legitimandum, vt ex eius depositione, stylo, & consuetudine constare poterit. Tunc enim taciturnitas non inducit subreptionẽ, vt docet cum alijs Rota inter dictas centurias Farinac. decis. 861. in fine.

De legitimatione ex bona fide matrimonij.

CAPVT VIII.

SVMMARIVM.

De quo agendum. num. 1.

Filios ex matrimonio bona fide inito legitimos esse. num. 2.

Quæ requirantur, vt bona fide matrimonium cõtrahi dicatur. num. 3.

Id esse dispositum iure Ecclesiastico. n. 4.

Legitimos esse filios susceptos ex matrimonio ini to post nuntium de morte viri, etiamsi postea reddatur primo. num. 5.

Et susceptos ante sententiam latam de nullitate cõ iugij vel lite pendente. num. 6.

Et quamuis lite pendente prohibiti sint cohabi tare. num. 7.

FILII extra matrimonium suscepti legitimi sunt vel subsequenti coniugio, vel Principis beneficio, de quibus hactenus dictum est, vel etiam bona fide. Ea

autē bona fides, quæ filios efficit legitimos, de duobus esse potest, vel de ipso matrimonio, quamvis revera nullum sit, vel de filijs susceptis: de primo dicam in hoc cap. de secundo vero in sequenti.

2 Igitur, quod attinet ad bonam fidem de matrimonio, constitutissimi iuris est filios susceptos ex matrimonio, nullo quidē, sed revera existimato, contractoque cum bona fide legitimos esse, cap. *cum inter, cap. per latum, cap. quod nobis iuncta glossa, cap. ex tenorē qui filij sint legitimi*. Quam etiam sententiam Doctores omnes constantissime docēt & præter communiter scribentes indictis locis adde Panormitanum in cap. *cum inhibitio de clandestina desponsatione, num.* 4. Antoninū 3.p.tit.29. cap 4. in principio. Tabiennam, verbo *filius*, num. 5. §.4. Couar.2.p.de matrimon.cap.8.§.1.num.2.& §.3. num.6.Mayolum de irregularit.lib. 1. capit. 5.num.1. Sairo lib.6.de irregularit.cap.10. Hugolinū de irregularit.cap.44.§.1.num.6. Auilam p. 7 disp.3.dub. 6. in principio, & Henriquum Canisium in dicta capita. Ex quorum omniū mente hæc conclusio colligitur, scilicet, filios susceptos ex matrimonio nullo ob aliquem defectū, cum bona tamen fide vtriusque, vel alterius tantum, esse legitimos.

3 Verum circa conclusionem illam obseruandum est primo, nonnulla requiri, vt bona fides in eo matrimonio nullo efficiat prolem legitimam. Primò, vt bona fides contractum sit matrimonium vel vtriusque, vel alterius tantum dicto cap. *ex tenore*, sine sit ea bona fides cum ignorantia iuris vel facti, vt docet Maiolus lib.1.cap.5. Hugolinus loco citato & alij. Itaque si vterque malam fidem haberent, quia sciebant impedimentum, filij illegitimi erunt, quamvis matrimonium videatur in facie Ecclesiæ contractum. Secundò requiritur, vt matrimonium celebretur in facie Ecclesiæ præmissis denunciationibus coram parocho & testibus, nam sine ea forma non contrahitur iam matrimonium in facie Ecclesiæ post Tridentinum. Vbi autem Tridentini decretum receptum non est, debet contrahi præmissis denunciationibus iuxta textum in cap. *cum inhibitio, de clandestina desponsat.* nisi vsu receptum esset, vt ea denunciatio omitteretur, vt notat Canisius, *cap. 2. qui filij sint legitimi, & in dicto cap. cum inhibitio*. Quare vtrunque adesse debet, & bona fides, & publicum matrimonium, alias non erunt legitimi, vt in dicto cap. fin. §. *si quis, & cap. referente* 10. *Qui filij sint legitimi*. Tertiò requiritur, vt ea bona fides permanserit saltem tempore conceptionis, vt colligitur ex dicto cap. *ex tenore*, & notant communiter Doctores citati. Quare licet bona fide contractum fuerit matrimonium, si tamē ante tempus conceptionis filij bona fides defuit, tunc suscepti filij non sunt legitimi. Si autem tempore conceptionis adfuerit bona fides, quamvis postea pater moriatur, vel per sententiam dissoluatur matrimonium, illi manent legitimi. Loquimur in his de iure canonico, quod in causa matrimoniali sequimur, *cap. fin. de secundis nupt.* Nam de iure ciuili matrimonium non valet, quod ab ignorantibus parentibus ita contractum est, & spurij habentur liberi, *l.3. C. soluto matrimonio*.

4 Deinde obseruandum est totam hanc esse dispositionem iuris Ecclesiastici, & inde profectam, non vero iuris naturalis, esse tamen valde conformem iuri naturali. Ius autem Ecclesiasticum id statuit in fauorem matrimonij. Cuius statuendi ea commoda potuit esse ratio. Quia bona fides reddit tutum possessorem rei alienę dum modo tempore à lege præscripto, *regula possessor, & regula pro possessore de regulis iuris in sexto, & c. vltimo de præscriptionibus*. Omnis autem dicitur bonæ vel malæ fidei possessor, qui scit rem suam vel non suam esse *l. bona fides, de verborum significatione*. Igitur non mirum, si ob bonam fidem Ecclesia iudicet legitimum possessorem vxoris alienæ, & matrimonij, & tanquam pro legitimo possessore sententiā ferat, & filios ex eo susceptos iudicet esse legitimos.

5 Ex his nonnulla licet inferre, doctrinæ causa. Primò colligitur si coniux, quæ de mariti morte nuntium accepit, & illa sententia iudicis interueniente nupsit alteri, prolemque suscepit, licet postea redeunti viro reddatur, & à secundo separetur, proles ex eo matrimonio putatiuo suscepta legitima est. Sic Maiolus lib.1.cap.5.num.8. post Zabarellam in dicto cap. *per venerabilem, §. videbatur*, oppos. 4. & quæst. vltima. Sairo dicto cap.10.num.32. Hugolinus dicto cap. 44.§. 1.num.6. Et idem dicendum est, si prius matrimonium per falsas probationes dissoluatur, & cum alio ignaro eius falsitatis denuo celebretur. Proles enim ex eo matrimonio, suscepta cum eo errore legitima est, vt docet Hugolinus loco citato.

6 Secundo colligitur esse etiam filios legitimos procreatos ex matrimonio nullo, bona tamen fide contracto ante sententiam latam de nullitate, & susceptos etiam lite pen-

pendente, Litis enim pendentia non impedit, quin proles sit legitima, antequam declaretur nullum illud matrimonium. Docet Panormitanus, *cap. cum inter, num. 4. Qui filij sint legitimi.* Maiolus dicto cap. 5. num. 7 Sairo cap. 10. cit. num. 33. Cuius ratio est. Quia sunt in quasi possessione matrimonij, lite enim pendente non suspenditur matrimonialis cohabitatio, *cap. 2. vt lite pendente.* Si ergo pendente lite matrimonij vsus minime interdictus est, non debet ex eo, quod legitime factum est, vlla pœna sequi, *l. Gracchus, C. ad l. Iul. de adulter.* Atque adeò ex eo matrimonio legitime contracto, licet nulliter, non debet oriri proles illegitima. Imo dicendum, quamvis sententia lata sit de nullitate, si tamen vel decendio appellationis suscepta proles, aut concepta fuerit, vel interposita appellatione, cum perinde sit ac si nihil omnino gestum esset, argumento textus in *cap. quod consultationem, de appellationibus, & cap. venientes de iure iurando, & cap. non solum de appellationib. in 6.* Sic Zabarella in d. *cap. cum inter*, quæst. 1. Couar. dicto cap. 8. §. 3. num. 7. Maiolus dicto cap. 5. num. 7. & n. 11. qui etiam alios refert pro hac sententia. De qua etiam vide Præpositum in dicto *cap. cum inter, num.* 3. & 4.

7 Tertiò colligitur idem dicendum esse quamvis lite pendente super nullitate matrimonij facta fuerit per sententiam separatio tori, & sub excommunicatione interdictum ne cohabitent, si contra interdictum cohabitauerint, prolemque susceperint, filij nati sunt legitimi. Nam excõmunicatio contra parentes lata, & eorum consummationẽ filijs nequaquam nocere debet, neque eos constituit in mala fide Zabarella in dict. *cap. cum inter*, quæst. 2. Abbas cap. 1. num. 14 & 6. & *cap. 2. num. 5. de matrimon. cont. contra interd. Eccles.* & Sairo citatis alijs dicto cap. 10. num. 14. Neque his obstat, quod per litis cõtestationem inducatur mala fides, *l. sed etsi lege, §. si ante litem, D. de petit. hæred.* Quia id obtinet in rei vindicatione, & petitione hæreditatis, in quibus possessor bonæ fidei tenetur vna cum re, quæ petitur tam perceptos, quam qui percipi potuerunt fructus reddere, quasi per litis contestationem constituatur in mala fide, *l. certum 22. C. de rei vind. §. 3. instit. de officio iudicis.* At non sic est in matrimonio. In eo enim liberi tanquam fructus ex re aliena percepti non petuntur, sed tantummodo, vt separetur matrimonium propter impedimentum canonicũ. Manent ergo hi liberi parentibus suis.

De legitimatione ob bonam fidem de filiorum natiuitate.

CAPVT IX.

SVMMARIVM.

Explicatur id de quo agendum. num. 1.
Filij dominati constante matrimonio legitimi habentur, etsi sint ex adulterio. num. 2.
Maior declaratio eius doctrinæ. num. 3.
Expositos habendos pro legitimis. num. 4.
Aliorum sententia proponitur, & reijcitur. n. 5.
Expositos irregulares non esse. num. 6.

1 DIXIMVS de bona fide de matrimonio, quæ sufficit filios legitimos efficere, etiamsi reipsa non sint. Dicamus nunc de bona fide comparatione filiorum, quæ duobus modis esse potest, vel quia susceptisunt vero matrimonio constante, quamvis non ex coniuge, vel quia eorum parentes ignorantur, vt contingit in filijs expositis. Quæ duo isto capite prosequemur.

2 De primo ergo dico, illi filij legitimi reputantur & sunt, quamvis re ipsa nõ sint, si ex vxore domi nati sint marito. Quamvis enim forte ex adulterio susceptisint, eo ipso præsumuntur esse mariti, atque ideò legitimi, *l. filium, D. de his qui sui vel alieni iuris, l. miles 11. §. defuncto, D. ad l. Iuliam de adult.* Abbas in dicto cap. *transmissæ*, Baldus *in l. fin. C. de communi seruo manumisso, & in cap. per literas de probat.* Et quamvis Alciatus regula 3. præsumpt. 17. existimet non recte deduci ex dicto §. *de futuro*, vt etiam is præsumatur ex marito conceptus, & id ex eo textu tantum effici, scilicet iudicium adulterij contra matrem institutum non debere nocere filio, eo quod res cum matre, non cum filio acta sit, *l. 3. §. causæ cognitio, D. de Carbon. edict. & l. 3. §. penult. D. de iure iurando*, & res inter alios acta alteri præiudicare non debeat: nihilominus adhuc Alciatus putat eam sententiã esse veram, quia partui benignior est. Et in re dubia benigniorem partem sequi non minus honestum esse, quam tutum, habet regula iuris, *l. ea quæ in partes, §. in re dubia de reg. iur.* vt etiam paulo infra latius dicemus.

3 Hanc conclusionem extẽde, vt locum habeat, etiam si vxor apud alium, cum quo commisceri solebat, puerum peperisset, si tamen in eo loco non inuito viro esset, & illi

ad vxorem aditus frequenter pateret, adhuc enim iustus mariti filius intelligitur. Extende etiam, quamuis vxor neget se eum filium ex viro peperisse, adhuc enim ex marito susceptus dicetur. Quia matris professio filio nocere non debet, *l. penult. D. de probationibus*, & vtrunque docuit Paleotus de spur. fil. cap. 24. Menoch. de arbit. casu 59. nu. 27. Alciatus in dicta præsumpt. 37. num. 4. Nihil ergo interest, an vxor alterius concubina tantum sit, an etiam meretrix, & an à viro suo discesserit, dum modo maritus ad eam accessum habuerit, ita quod ex eo filius potuerit concipi, vt docet Couar. de matrim. part. 2. dict. cap. 8. §. 3. num. 10. Negari tamē non debet hanc præsumptionem pro filijs admittere probationem in contrarium. Vt si constet maritum diutius abfuisse, quam ex eo filius concipi potuerit, *l. qui filium, D. de his qui sui vel alieni iuris*, sicut Iustinianus declarat de filio, qui 11. mense perfecto post mortem viri natus sit Nouel. 35. vel si constet maritum aliquo vitio, vel morbo laborare, quo impediatur, quo minus generare possit dict. *l. filium*. Nec enim præsumptio ad impossibile trahi potest, *cap. quia 10. de præsumpt.* & in rebus certis non est coniectu ræ locus, *l. continuus 137. de verb. oblig.* Vel si probetur, quamvis potuerit accedere ad vxorem apud concubinam retentam nunquam tamen accessisse, aut eo tempore non accessisse, in quo posset filius cōcipi & nasci, vt habet decisio Rotæ apud Farinac. volum. 1. conf. decis. 37. Quamvis ergo regulariter filius natus ex muliere vxorata præsumatur filius mariti, patitur tamen plures limitationes, de quibus vide Menoch. de arbitra. dicto casu 89. à num. 24. & â num. 53. & â num. 67. Mascard. de probat. concluf. 788. per totam & con. 798. nu. 2. & concluf. 805. per totam.

4 De secundo vero, an scilicet omnimoda parentum ignoratio & incertitudo, vt contingit in his, quos vulgo expositos vocamus, reddat legitimos, hanc enunciationem statuo. Eiusmodi expositi verè habendi sunt pro legitimis, quāvis re ipsa ex illicito coitu natos esse contigerit. Hanc cōclusionem ex antiquis docent multi, ita vt eam communem esse dicat Paleotus, qui illam constantissimè defendit lib. de spur. fil. cap. 63. sequitur Sairo lib. 6. de irregularit. cap. 10. num. 39. qui dicit eam esse veriorem in puncto iuris, & Pialecius in praxi Episcopali, part. 1. cap. 1. num. 27. Menoch. consil. 90. & alij quos refert Couar. infra citandus. Huius sententiæ nonnullæ probationes afferri solent, quas omitto, quia non omninò efficaces sunt. Pro illa ergo primo facere videtur constitutio Gregorij XIII. cuius meminerunt Henriquez, & Aula Iarim citandi, & Sairo loco citato in qua constituit, vt expositi habeantur pro legitimis & puri sanguinis. Deinde facit hæc ratio. Quia in dubio debet præsumi aliquis legitimus, & in fauorem prolis iudicari. Ergo expositi legitimi censendi sunt. Antecedens si ostendero, planum erit, quod nostra enunciatione continetur. Illud ergo probatur, tum ex cap. *ex tenore, qui filij sint legit.* vbi ex bona fide vtriusque, vel alterius coniugis in matrimonio etiam alias nullo fauetur proli: tum etiam quia cū alicuius vxor sui copiam alijs etiam fecit, filius ex ea natus mariti potius, quam adulteri iudicatur dict. *l. miles*, & docet Decius consi. 67. & diximus supra illo cap. tum etiam quia Innocentius III. in *c. accedens de purgat. can.* in eo qui sacris ordinati vult, tunc tantum dicit esse necessariam suorum natalium probationem, cum contrarius de eo rumor circumfertur. Quasi alias semper præsumatur legitimus. Tum etiam, quia illegitimitas vulgo censetur infamia facti: in dubio autem alī quem infamem præsumi abhorret à regulis iuris, *cap. dudum de præsumpt. & l. merito, D. pro socio.* Tum etiam, quia isti expositi, quamvis re ipsa de seruili conditione essent, liberi & ingenui censentur fauore prolis, *cap. 1. de infantibus expos. & l. neminī, C. de Episc. aud. & l. 3. & vltima de infantibus expositis.* Tum denique, quia isti præsumuntur ex patribus fidelibus nati, & ideò admittuntur ad honores, & officia, & videtur decisum ab Innocentio III. in *cap. cum deputari de iudicijs.* Huius autē benignioris præsumptionis optima ratio ex iure ipso desumitur. Quia cum filium ex cōcubitu procreari sit necesse, & concubitus ille vel honestus debeat esse, vel inhonestus, illud magis coniciendum est, quod honestū fuerit, quam quod in honestum, vt notat Baldus in *l. filium de his qui sui*, & constat etiam ex argumento textus in *cap. isqui fidem de spōsalibus*, vbi præsumitur animus maritalis, ne præsumantur coniuges cum peccato copulati. Et vbi in aliquo actu duæ possunt sequi cōiecturæ, quarum altera delictum significet, & altera excludat, eligenda sunt potius est, quæ vitio careat, vt notat Bart. in *l. non solum §. sed vt D. de oper. noui nuntiat.* Ex qua etiam benignitate nascitur, vt quando ex hominibus quidam sunt homicidæ, alij vero non, quos Ecclesia discernere non potest, nemi-

nem

nem repellat, ne innocentes cum nocentibus inuoluat.

5 Sed contra sententiam istam sensere alij, hique non pauci. Couar. 2.p.de matrimon.cap.8 §.3.& in Clementina si furiosus, p.1.in principio num.9. citatis alijs ex antiquis, & Alciatus lib. 3. de præsumpt. præsumpt.1. num. 12. Henriquez lib. 14.cap.8. §.10. Auila de censuris p.7. disput.3. dub.9. Maiolus de irregularitate lib. 1. cap. 11.nu. 2. & 3. Hugolinus de irregularitate cap. 44. §.7.num.2. Toletus in sum. lib.1.cap.58.nu. 4. Quorum potissima ratio hæc est. Quia licet daretur in casu dubio nullum præsumendum esse illegitimum, attamen hic non sumus in casu dubio, potius enim præsumptio est, illos esse ex copula fornicaria. Quia plerumque isti exponuntur nō legitimi, in obscuris autem id præsumitur, quod vero similius est & quod plerumque fieri solet, *l.115 de regulis iuris, & l. sicut possidetis, C. de probationibus*, & Hugolinus loco citato refert, se per multos annos, in quibus animarum curam gessit, nunquam vidisse expositos ex legitimo matrimonio procreatos, sed tantum ex illicita copula. Sed in primis dico nullam esse eiusmodi præsumptionem contra expositos, & Hugolini testimonio oppono ego aliud illustrissimi Cardinalis Paleoti, dicto cap 63.num.4, qui cum varia ex antiquis historijs exempla retulisset inquit: *Nos ipso vsu quotidie experimur multos quandoque rei familiaris inopia, cum se victui necessaria videant liberis suppeditare non posse, solere illos exponere.* Illam etiam presumptionem excludit quod habet Pontifex in cap. 1. *de infantibus expos.* parentes, qui filios exponunt, ius patriæ potestatis amittere, neque posse rursus eos vt filios vendicare. Quod quidem locum non habet, nisi in parentibus legitimis, cum hi soli filios habeant in potestate, *§. si aduersus instit. de nuptijs*. Neque obstat etiam, quod eiusmodi expositi censentur esse à parentibus infamibus, vel qui per ipsam expositionem effecti sunt infames. Hoc enim nullius momenti est. Quia parentum infamia in eo casu non redundat in filios. Neque obstat etiam, quod ea hospitalia, in quibus exposti aluntur, spuriorum vulgo vocentur. Quia vt optime Baldus in *l. nutritoribus, C. com. de succes.* popularis sermo noster ius non facit. Neque obstat denique, quod in dict. cap. 1. *de infant. expos.* illegitimi dicantur, qui nequeunt parentem ostendere, dico enim in his non deficere ius, sed probationem, & ipsos vere legitimos esse. Talesque haberi quamvis natales suos proprios iuste probare non possint.

6 Ex his facile colliges neque hos expositos esse in rigore iuris irregulares, neque dispensatione indigere. Quod probat Sairo loco citato ex eo quod in iure nō est expressum, vt isti sint irregulares, & non incurritur irregularitas, nisi sit in iure expressum, *cap. is qui de sententia excommunicat. in 6.* Sed nulla hæc ratio est. Quia in iure expressum est illegitimos esse irregulares, & quæstio versatur, an expositi comprehendantur inter illegitimos. Nos autem dicimus non comprehendi propter rationes adductas, & ideò nō esse irregulares, Neque obstat, quod nonnulli dispensationem petierint, vt testatur Piasecius loco citato. Quod enim aliqui ad scrupulos euitandos eam petierint, alijs officere non potest. Neque obstat etiam ea regula, *quod in dubijs tutior pars sit eligenda*, & tutius videatur se reputare pro illegitimo, & dispensationem petere. Dico enim in hac parte non esse dubium formale, sed potius præsumptionem in fauorem prolis, quam iura offerunt, vt constat ex his, quæ pro nostra sententia adducta sunt, & ita nō est hæc pars minus tuta, sed de hoc alibi.

De alijs modis, quibus origo confirmatur.

CAPVT X.

SVMMARIVM.

Oblatione Curiæ legitimari filium. num. 1.
Obseruatio de Curialibus. num. 2.
Quibus modis fieret oblatio Curiæ. num. 3.
Accursius refellitur. num. 4.
Legitimatio per adoptionem. num. 5.

1 NE quid, quod ad istud argumentum attinet, intactum saltem relinquamus, explicandi sunt alij modi, quibus iure ciuili confirmatur etiam origo. Legitimus itaque efficitur filius oblatione Curiæ ciuitatis, vnde originem habet, vel sub qua vicus aut possessio est, vnde cōmuniter consistit, vel quæ principatum tenet Prouinciæ eius. Qui legitimandi modus recessit ab vsu Curiæ, vt loquitur Accursius, est tamen propter cognitionem antiquitatis explicandus.

2 Cuius rei gratia obserua Curiam olim municipijs, & ciuitatibus dictam esse com-

munionem eorum, qui consilio publico præerant. Vnde decuriones quidam dictos putarunt, vt scriptum est in *l. pupillus, §. Decuriones, D. de verborum significat.* Quod cum deducerentur coloniæ, essent decima pars eorum qui deducerētur. Quæ pars consilij publici gratia conscribi solita erat. Cæterum postea in curia esse cœperunt omnes illi, per quos publica munera, & functiones exercentur, inter quos erant etiam decuriones, qua si eius Curiæ Senatores. Omnes autem dicti Curiales, *l. Curiales 39. & l. Curiales 47. C. de Decurionib. lib. 10.* ea vero Curialium conditio fuit, vt qui semel Curiæ adscripti essent ab ea recedere, vel ea se eximere nequaquā possent, adeò, vt si se ad aliud vitæ genus cōtulissent, per Præsides vel alios magistratus ad Curiam reuocarentur, & suis redderentur functionibus, & publica damna resarcire cogerentur, *l. Curiales 39. & l. 43. & l. 49. cum sequenti, C. de Curionibus, l. si quis 12. C. de Episcop. & Clericis*, & de his passim multa in legibus, & nouellis Theodosij, & aliorū Imperatorum ante Iustinianum. Ex bonis etiam eorum certa pars certis conditionibus Curiæ debebatur, & extat titulus in codice, *quando & quibus quarta pars de bonis Decurionis debetur*. Ideò illis denegata facultas alienandi, vel repudiandi hæreditates paternas, vel donationes, ne fraudaretur Curia. *l. quo mā C. de natur. lib. liberis*. Nec vero hac cōditione tenebantur solæ Curialium personæ, sed etiam liberi, qui ex illis nascebantur, d. *l. quoniam, & l. 3. in fine, C. eodem.* Ex quo facile perspicitur eam conditionem Curialium multis de causis publice vtilem fuisse. Vnde merito, in d. *l. 3. C. de natur. lib.* dicitur eo facto, scilicet, dum liberi dantur addicunturque Curiæ, publicis ciuitatum commoditatibus consuli.

3 Vt ergo ad ea Curialium onera, quæ plures refugiebant, multi inuitarentur, hunc legitimationis modum prudenter excogitauit Theodosius, vt honor & commodum legitimationis, esset quasi illecebra quædam ad subeunda æquiore animo ea munera. Sic constat *ex Nouella 89. §. primus itaque*. Hæc autem oblatio Curiæ vno è tribus fiebat modis. Nam vel pater offerebat Curiæ filiū in publico consensu, & datus intelligebatur Curiæ, siue filius ita a Curia receptus, vt statim alicui muneri adiungeretur, siue vt oblatio & receptio actis mandaretur, *§. si quis igitur, dicta nouel. 89.* Illud tamen in hoc modo obseruatum est, vt filius non traderetur Curiæ inuitus, quo libentius sua munera per ageret. Solùm autem in eo casu filius inuitus adscribebatur, si repertus esset aliquam hæreditatem possidere à patre profectam eo titulo, *si Curiæ onera subiret d. l. 3. C. de natur. lib.* Secundo si filias naturales traderet pater nuptum viris Curialibus, nec enim filiæ adscribebantur Curiæ: filij autem qui ex illis nascebantur, Curiæ addicebantur, & munera publica subibant d. l. 3. Vel denique ipsi filij naturales sese offerebant Curiæ, aut ex voluntate patris, aut etiam vltro & sponte, vt exeitatis legibus constat. Habebat autem locū ea dispositio tantum in filijs naturalibus, nō in alijs.

4 Ex his colliges non rectè Accursium, *§. vltim. instit. de nupt.* asseruisse idem iuris esse, si patres filios in Principis obsequium dederint. Nulla enim eiusmodi cōditio est, nulla subeundi muneris necessitas, neque in perpetuitate conditionis, neque in bonorū successione, qualem esse diximus in his, qui Curiæ offerebantur.

5 Denique olim alius erat legitimandi modus, scilicet, adoptio, vt constat ex *instit. eo tit. & l. iubemus, C. de natur. lib.* Sed sublatus à Iustiniano est *l. 7. eodem, & nouel. 89.* Irē si pater liberos suos naturales vocat in testamento, siue instrumento publico priuatam habentes subscriptionem trium testium, nō adijciendo tamen, quod naturales sint, nouella 89. & 117. Omitto etiam extingui illegitimitatem per ingressum in religionem, quia illa tantum est dispensatio quædam, & in ordine ad determinatos effectus, vt alibi dicendum est.

De effectu legitimationis.

CAPVT XI.

SVMMARIVM.

De quo agendum. num. 1.

Legitimatos per subsequens matrimonium verè esse legitimos. num. 2.

Per omnia æquiparantur legitimis. num. 3.

Capaces eorum, quæ in statutis conceduntur legitimis. num. 4.

Habiles esse ad ordines, & beneficia quæcunque. num. 5.

Habiles esse ad succedendum patri in hæreditate. num. 6.

Admitti etiam ad feuda, & primogenita. numero 7.

Filius susceptus ex concubina, etiamsi portio ex alia

alia suscipiantur liberi constante matrimonio si legitimus postea est præferendus, quamuis aliqui negent. num. 8. & 9.

Succedit filius legitimatus per subsequens in maioratu ad quem vocantur filij nati ex legitimo matrimonio. num. 10.

Idem dicendum, etiamsi in odium substituti contrahat matrimonium ad legitimandum aliquē. num. 11.

Eodem modo iudicandum de filijs putatiuis naturalibus. num. 12.

Quid dicendum de legitimato per rescriptum. Quæ discrimina inter vtranque legitimationem quoad effectum succedendi. num. 13.

1 PRIMVM agemus de effectu legitimationis ex subsequenti matrimonio, deinde de effectu legitimationis per rescriptum Principis.

2 Sed quod ad primum attinet, ante omnia constituendum est legitimatos per subsequens matrimonium vere esse legitimos, & non tantum pro legitimis haberi, vt docet Panormitanus in dicto cap. *tanta*. Quam esse communem sententiam testatur Couar. d. cap. 8. §. 2. nu. 20. & 21. & sequitur Azor d. lib. 2. cap. 13. quæst. 6. & Canisius in d. cap. *tanta*. Neque obstat quod in dicto cap. *tanta*, dicitur, *legitimi habeantur*, vt enim rectè docet Panormitanus, verbum istud positum ab eo, qui potestatem habet, rei veritatem continet iuxta doctrinam Bart. dicētis idem esse si statutum dixerit *habeantur procinibus, ac sint ciues ex l. si is qui pro emptore, D. de vsucap. & l. si maritus, D. ad l. Iuliam de adulter.*

3 Hoc supposito certa regula esto, filij legitimati subsequentibus nuptijs per omnia æquiparantur filijs legitimis natis ex legitimo matrimonio. Communis sententia quam cum alijs docet Couar. dicto cap. 8. §. 2. à num. 21. Molina lib. 3. de primogen. cap. 1. à num. 6. Iulius Clarus, lib. 3. sentent. §. *fœudum*, quæst. 82. vers. *item quæro*. Alter Molina tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 372. num. 6. Iosephus de Rust. lib. 2. comment. in *l. cum auus*, cap. 16. num. 7. vnde huiusmodi filij legitimi in iure appellantur, §. *si quis igitur authent. Quibus mod. nat. effic. sui & §. 1. auth. quibus mod. effic. legit. & l. nuper, & l. cum quis §. vltimo, C. de naturalib. lib.* & facit etiam textus in d. cap. *tanta*, ibi: *Post contractum matrimonium legitimi habeantur.*

4 Ex qua regula colligitur primo legitimatum per subsequens matrimonium capacem esse eorum omnium, quæ in statutis municipalibus conceduntur absolutè legitimis, vt docet Couar. §. 2. cit. num. 25. & Azor d. lib. 2. cap. 13. quæst. 14. qui dicunt esse communem, quamvis alij contra sentiant. Nam & hi nomine legitimi comprehenduntur, vt dictum est.

5 Secundò colligitur legitimatum per subsequens matrimonium habilem esse ipso facto ad omnia munera Ecclesiastica, siue ordines, siue beneficia etiam Episcopatum, & honores, & dignitates Ecclesiasticas absquē vlla alia dispensatione, non secus ac si post contractum matrimonium natus esset. Molina disp. cit. num. 6. Azor dicto cap. 13. quæst. 14. Quod adeò verum est, vt si ante cōtractum matrimonium inter parentes promoueatur ad ordines sine dispensatione, & postea parentes contrahant, eo ipso sine vlla dispensatione possit & in susceptis ministrare, & ad superiores ascendere. Nam irregularitas illegitimi aufertur per subsequens matrimonium, sicut & irregularitas ex defectu ætatis per lapsum temporis, ex promotione autem ad ordines sine dispensatione non incurrit nouam irregularitatem, sed tātum peccauit mortaliter. Sic docet Sairo li. 6. cap. 10. num. 30. Quamvis oppositum sentiat Prasecius cum Vualdo p. 1. cap. 1. num. 27. §. *sublimitari etiam debet*. Quæ vera sunt adhuc extante constitutione Sixti V. contra illegitimos, vt ipse declarauit in 2. quæ incipit, *ad Romanum spectat Pontificem*, ibi, *declaramus illegitime natos*. Admittuntur etiam ad emphiteusim Ecclesiasticam quam pater habuerat, Couar. loco cit. n. 23. Paleotus lib. de spurijs filijs cap. 31. num. 3.

6 Tertiò colligitur legitimatum per subsequens matrimonium habilem etiam esse ad succedendum patri in hæreditate, & legitimā portione, sicut alios legitimos ob eandem rationem. Quod si quæras an id etiam habeat verum stante iure ciuili, quo non legitimantur per matrimonium, nisi solum naturales liberi, hoc est, qui domi ex concubinea nati sunt, vt dixi supra cap. 1. Et quamvis nonnulli id affirmēnt, quia cum isti soli legitimentur à iure ciuili, alij vero non, videtur hos ad successionem hæreditatum admitti non debere, cum successio iure ciuili introducta sit, quod docet Fernandus Vazq. controuers. illustr. lib. 6. cap. 41. cum alijs quos refert Couar. dicto §. 2. num. 8. At verius est etiam in foro Cæsaris legitimos censendos esse, cum matrimonium iure Pontificio iudicetur non ciuili. Cui consequens est, vt successio hæreditaria ex matrimonio dependēs ad omnes legitimos per matrimonium indi-

ſtinctè pertineat. Si enim filij, & hæredes, vt loquitur Paulus ad Romanos 8. docet Couar. cum alijs dicto §. 2. numer. 8. & Caniſius in dicto cap. *tanta*, pag. mihi 349. Neque obſtat, quod ſucceſsio hæreditaria inducta ſit iure ciuili, id enim habebit locum, quando prohibente iure ciuili contrahitur matrimonium: tunc enim non erit locus patriæ poteſtati, neque ſucceſsioni hæreditariæ, neque alijs, quæ iuris ciuilis ſunt. At vero cum matrimonium apud Chriſtianos æſtimetur iure Pontificio, etiam in foro ciuili, neceſſe eſt, vt ex matrimonio eo iure contracto ſequantur illi effectus, qui ex matrimonio legitimè contracto, ſequi ſolent.

7 Quartò colligitur legitimatū per ſubſequens matrimonium etiam admitti ad fœuda, & primogenia Couar. ibidem num. 27. Azor dicta quæſt. 14. Neque obſtat quod ca. 1. §. *naturales in libris fœudorum*, habetur, naturales & non legitimos ad fœuda non admitti, id enim intelligendum de legitimis ex beneficio Principis. Diſtinctionem enim Baldi de filijs abſolutè vocatis legitimis, vel natis ex legitimo matrimonio infra reijciemus. Præterea ſicut natiuitate filij legitimi donatio à parente facta reuocatur: ita etiam reuocatur legitimatione filij perſubſequens matrimonium. Eadem ratione excludit etiã ſubſtitutum patri vel matri ſub ea conditione, *ſi ſine liberis legitimis deceſſerit*. Præponuntur etiam filijs natis ex eo matrimonio, & ex eo alio poſteriori, tanquam maiores natu ad ſucceſsionem in maioratu. Quæ omnia docent Doctores citati Couar. Azor vterque Molina locis citatis, & confirmantur hæc omnia ex *l. cum quis, C. de naturalibus liberis, §. vltimo*.

8 Sed circa hæc inquiritur primo. Quid dicendum ſit, ſi poſt filium ſuſceptum ex concubina contrahat aliquis matrimonium cum alia, ex qua etiam liberos ſuſcipiat, eaque defuncta rurſus ineat matrimonium cũ concubina, an filius ex illa ſuſceptus, qui per ſubſequens matrimonium legitimatur, præferẽdus ſit filijs natu minoribus natis ex primo legitimo matrimonio? Negant nonnulli Molina lib. 3. de primog. cap. 1. num. 7. Tiraquellus de primogen. quæſt. 34. num. 5. citatis innumeris, & Azor lib. 2. citat. cap. 13. q. 15. Quorum potiſsima ratio eſt, quia nati ex primo matrimonio ſunt prius legitimi, atq; adeò prius illis, quæſitum eſt ius ad maioratum, quod per legitimationem ſequentem tolli non debet.

9 Oppoſitam ſententiam tenet Couar. in dicto §. 2. n. 35, Caniſius in dicto *cap. tanta*, pag. mihi 353. & multum probabilitatis habere videtur, imo & forſan de rigore iuris verior eſt. Si enim ea legitimatio locum habet, quia fictione iuris retrotrahitur matrimoniũ, ad tempus ſuſcepti filij, vt ſæpe iam diximus, ſi in illud tempus reijceretur matrimonium, ita vt eo tempore exiſtimetur contractum, eſſet certe ille legitimatus primogenitus & legitimus, & ex conſequenti illi deberetur primogenium. Non ſecus ac ſi filius primogenitus defunctus iterum reſurgeret, illi certe deberetur primogenium. Neque obeſt, quod iam fuerit quæſitum ius nato ex legitimo matrimonio, id enim ius ſemper intelligitur ſub ea conditione, niſi potius oriatur. Sic exemplo filij maioris reſurgentis explicari poteſt, qui auferret etiam filio ſecundo genito ius per eius mortem quæſitum. Illius etiam præiudicij nullam habendam eſſe rationem conuincit etiam præiudicium, quod quantum ad legitimas portiones ſequitur filijs natis ex legitimo matrimonio per legitimationem eorum, qui antea nati fuerant. Sicut ergo in hoc caſu nulla ratio habetur eius præiudicij, ita neque in præſenti ſpecie habenda vlla ratio eſt. Primam tamen ſententiam video eſſe communiter receptam, quamvis ego ab hac ſecunda neque in iudicando, neque conſulendo recederem.

10 Secundo inquiritur, an ſi maioratus ita inſtitutus ſit, vt ſuccedant in eo filij legitimi, & nati ex legitimo matrimonio, cenſeãtur excludi legitimati per ſubſequens matrimonium. In primis excludi poſſe expreſſa voluntate inſtituentis certum eſt, & in eo cõueniunt omnes, cum ea diſpoſitio ex libera illius voluntate pendeat. An autem quando non conſtat de expreſſa voluntate inſtituentis, cenſeantur illis verbis excluſi grauis dubitatio eſt, & tam affirmantem, quàm negantem partem ſequuntur multi, & de ea quæſtione agit late Molina de primogeijs, lib. 3. cap. 1. num. 10. Couar. in dicto cap. 8. §. 2. num. 25. & 30. Iulius Clarus dicto §. *fœudum*, verſ. *vltimo*, & latiſsime omnium Ioſephus de Ruſt. dicto lib. 2. cap. 6. cum quibus affirmandum eſt ſuccedere, & ex conſequenti filium legitimatum excludere minorem natu qui ex legitimo matrimonio cum eadem matre natus eſt, & excludere etiam ſubſtitutum ita inſtitutum *ſi deceſſerit ſine liberis legitimis, & natis ex legitimo matrimonio*. Multa pro hac ſententia adducũt Doctores citati, mihi præcæteris illud fundamentum probatur.

Quia

Quia in iure legitimati ex subsequenti matrimonio æquiparantur filijs natis ex legitimo matrimonio, & facit textus in cap. *cum in cunctis, de electione*, iuncto textu in cap. *innotuit, eodem*. Plures pro hac sententia refert & sequitur Nicolaus Garcia dicta p. 7. cap. 2. num. 44.

11 Tertiò inquiri solet, vtrum si quis in odium substituti matrimonium contrahat, vt illum excludat, an filij ita legitimati sint præponendi in ea successione. Et quamvis nonnulli negent, verius tamen est excludi etiam si legitimet in odium tertij. Docet Menchaca 3. lib. controuers. cap. 4 num. 5. Sarmiento lib. 1. select. cap. 6. & alij plures is enim, etiam si peccet propter odium erga substitutum, attamen vtitur iure suo, matrimonium contrahendo. Qui autem iure suo vtitur nequaquam censendus est fraudem cõmittere, iniuriam inferre, vel dolo facere, vt habet iuris regula.

12 Hæc omnia, quæ dicta sunt de filijs legitimatis per subsequens matrimonium, extende etiam, quamvis filij fuerint naturales putatiue, cum illi etiam legitimi efficiantur per subsequens matrimonium iuxta d. supra cap. 1. Quare immerito eos à successione maioratus excludit Molina lib. 3. cap. 1. num. 11. Neque obstat eius ratio, quod scilicet, quando ille filius susceptus est, debatur opera rei illicitæ, & ideò non profuit parentibus ignorantia impedimenti. Sequeretur enim ex ea ratione nullum legitimari. Quia etiam in ea coniunctione datur opera rei illicitæ, illicitus enim est omnis concubitus extra coniugium. Tum etiam, quia ea doctrina, quæ docet ignorantiam non excusare etiam inuincibilem, cum datur opera rei illicitæ, neque habet firmum fundamentum, neque vera est, vt ostendi in commentario de priuilegio canonis hoc est, lib. 3. de ordine & annexis. Extende rursus ea omnia ad legitimatum per subsequens matrimonium putatiuum, vt rectè docet idem Molina ibidem num. 15. citatis multis.

13 De legitimato vero per rescriptum Principis idem affirmandum est, atque de filijs legitimatis per subsequens matrimoniũ, quantum ad hoc, vt succedant in bonis parentis, & aliorum consanguineorum, tàm ex testamento, quàm ab intestato, seruatis tamen in rescripto conditionibus, quas seruãdas esse diximus supra cap. 7. Sunt tamen adhuc nonnulla discrimina inter legitimatum per rescriptum Principis, & per subsequens matrimonium. In primis quia legitimatus per rescriptum *de potestate ordinaria*, non potest succedere in maioratu, cuius bona vinculo subiecta sunt, siue ille maioratus institutus sit secundum ius commune, siue ex speciali priuilegio Principis, & siue in eo maioratu apposita sit clausula, *si sine liberis legitimis decesserit, aut sine filijs natis ex legitimo matrimonio* Quæ omnia latè, & rectè Molina Theologus tomo 1. de iustitia tract. 2. disp. 174. Adde Canisium in cap. *per venerabilem*, pag. mihi 372. & sequenti. Cum enim legitimatio per rescriptum Principis sit quædam dispensatio contra ius commune, restringenda est *regula odia de regul. iuris in 6.* & iniquũ esset à Principe beneficium concedi in præiudicium eorũ, qui in primogenio successuri erant, *l. nec anus 4. C. de emancipation. liber.* vbi præclare inquiunt Imperatores Diocletianus, & Maximian. *Neque in cuiusque iniuriam beneficia tribuere moris est nostri.* Et rescripta ita accipienda sunt, ne lædant alium, *l. rescripta 7. C. de precib. imper. offer.* In eadem sententia est alter Molina lib. 3. cap. 2. per plures numeros. Dixi de potestate ordinaria, nam si vti vellet absoluta potestate, posset Princeps legitimare aliquem, etiam cum alieno incommodo, *l. 2. §. si quis à Principe, D. ne quid in loco publ.* Quod tamen non facile solet facere, *l. 2. D. de natalib. restituendis* parendum tamen si fecerit, cum de eius potestate disputare instar sacrilegij sit, *l. 2. C. de crimine sacrileg.* hoc est, vt Salicetus interpretatur, crimen sacrilegij est improbare, quod Princeps fecit. Quæ sententia communis est & vide Rotæ decisionem apud Farinacium, 2. p. decis. 626. num. 2. vbi Gregorius XIII. omnino restituit natalibus ac si ex vero matrimonio, non ficto natus esset. Vide etiam apud Seraphinum decis. 45, 67. 325. 340. ex quibus constat posse legitimari per rescriptum etiam ad feuda, & etiam cum præiudicio fœminarum vocatarum post masculos, cum earum ius non auferatur, sed differatur, remoto impedimento legitimati, quod iure suo idem potest Princeps præstare. Opus tamen est in ea specie clausula derogatoria, *non obstante*, vel ea clausula *de plenitudine potestatis*, vt iam supra dictum est. Deinde legitimatus per rescriptum Principis meliorari à parente non potest, neque in eo primogenium instituere, si habeat alios filios legitimos. Quia non possunt parentes filijs sic legitimatis relinquere, nisi tantum quantum vni ex filijs ex legitimo matrimonio susceptis, cui minima portio relicta est, §. *& quoniam varie Auth. Quibus modis natur. effic. sui.*

Quas leges, quamvis loquentes in legitimatis per oblationem Curiæ, etiam in legitimatis ex Principis rescripto procedere docent Decius consil. 393. nu. 2. Tiraquellus de primogen. cap. 34. num. 50. & qui eos ac plures alios refert & sequitur Molina lib. 2. de primogen. cap. 11. num. 18. cum sequentibus. Quod potiori ratione asserendum est inspecto iure nostro in l. 10. tit. 8. lib. 5. compil. Qua cautum est legitimatos per rescriptum Principis non posse succedere parentibus, nisi in quinta bonorum suorum parte. Quod si pater non habeat filios, siue descendentes legitimos, nihil obstat quominus pater possit in eius persona primogenium instituere, vel illi relinquere suorum bonorum partem quam voluerit. Quod ad honores autem & nobilitatem pertinet, eiusmodi legitimatis aditus patet, vt rectè Paleotus lib. de spurijs filijs cap. 62. Quis enim iure dubitet, cum hæc differentia orta sit ex humano iure. Verum est iure Pontificio Sixti V. legitimatis per rescriptum Principis in religionem ingredientibus præclusum esse aditum ad honores & dignitates, vt expressit in secunda constitutione contra illegitimos. Sed iam ea constitutio ad terminos iuris communis reducta per Greg. 14.

(?.)

DE

DE SPONSALIBVS.

LIBER DVODECIMVS.

Distulimus in hunc locum tractationem de sponsalibus, cum tamen alij de illis primo loco differant, quia multa ex his, quæ de sponsalibus accenda erant explicari commodius poterant cum de matrimonio esset sermo, & ne in ipso operis vestibulo ea omnia diceremus. Quare de sponsalibus illa nunc dicemus, quæ illis peculiaria sunt, attingentes tantum, quæ communia cum matrimonio, & libros & capita indicantes, in quibus illa disputata sunt. De spõsalibus autem explicabimus primo quid sint, & quæ requirantur vt valeant, & de eorum obligatione. Deinde de illis, cum aduenit condatio, vel iuramentum. Postea quibus ex causis dissoluantur. Denique de pœna, quæ in illis apponi solet.

Quid sint sponsalia.

CAPVT PRIMVM.

SVMMARIVM.

Sponsalia vnde dicta, num. 1.
Variæ significationis esse. num. 2.
In dubio sponsæ nomine intelligi sponsam de futuro. num. 3.
Sponsalium definitio. num. 4.

1 SPONSALIA ab spondendo dicta Florentinus scribit, *l. 1. de sponsal.* Spõdebant enim maiores, sibique stipulabantur futuras vxores Vlpiano Auctore *l. 2. de spousal.* Sponsio enim non simplicem in iure promissionem significat, sed ad stipulationem refertur, *l. sponsio de verb. significat.* Quamvis enim *stipulari*, & *spondere* diuersa sint, *l. 1. de duobus reis*, tamen tota illa conceptio verborum, quæ constat ex stipulatione & sponsione, id est, interrogatione & promissione, modo *stipulatio*, modo *sponsio* appellatur. Vnde Seruius Sulpicius apud Aulo Gellium lib. 4. capite. 4. qui vxorem inquit, ducturus erat ab eo vnde ducenda erat stipulabatur eam in matrimonium ductum iri, qui daturus erat & idem spondebat, & is contractus stipulationum, sponsionumque dicebatur sponsalia. Hinc quæ promissa erat sponsa appellabatur, qui spopõderat ducturũ, sponsus. Præcedebant sponsalia matrimonium, ne, vt inquit Augustinus lib. 8. Confes. cap. 3. viles habeant vxores statim maritis datas, quam sponsi non suspirabant dila-

dilatas, & habetur *cap. institutum est*, 27.q.2. Mirum enim auget charitatis & amoris desiderium eius rei, quam appetas, dilatio.

2 Sponsalium autem vox non vnius significationis est. Nam & sponsalia, dicuntur contractus iste promissorius præuius matrimonio Sponsalia etiãdicuntur munera, quæ à sponsis sponsæ dantur *in rubr. & l.1. C. si Rector Prouinciæ sponsalia dederit, C. Theodos.* Matrimonium quoque ipsum sponsalia vocari solere docet Couar. 1.p. de matrim. cap. 1. num. 3. & 4. Dubitat autem Gabriel Vazquez disp. 4. de matrim. an hæc acceptio spõsalium pro matrimonio sit aliquando in iure vsitata, nullumque putat esse textum, vnde colligatur in ea significatione vsurpari. In iure quidem ciuili non legi, at in iure Pontificio extat inter alios textus in *capit. 13. de præsumpt.* ibi, *sed solutis sponsalibus separentur*, cum tamen ageretur de matrimonio de præsenti. Præcesserat enim initio capitis desponsatio iuuenis, qui in sponsam per verba de præsenti consenserat. Illud frequentissimum tam in iure ciuili, quàm Pontificio sponsam, & sponsum dici tam de præsenti, quàm de futuro. Quamvis nomen vxoris nunquam dicatur nisi de sponsa de præsenti, & cognita, vt monet ibidem Couar. Neque oppositum conuincitur ex *cap. iuuenis, de sponsal.* Ideò enim ea puella vxor, & coniux appellatur, quia licet revera coniux non fuerit, at tamen quia iuuenis domum eam traduxit, & cum ea verum coniugium contrahere attentauit, ideò coniux appellatur à Pontifice, sicut Genesis 29. quæ desponsata erat, vxor appellatur, non pro eo tempore, quo nondum contractum erat coniugium, sed anticipate pro futuro, in quo contrahendum erat.

3 Ex qua doctrina colligit Couar. cũ aliud non cõstat vel ex intẽtione loquẽtis vel testãtis, quoties nomẽ spõsi, & vxoris reperitur, & dubia est intentio, spõsi nomine intelligenda est persona de futuro, vxoris vero de præsenti. Quia in dubio animi loquentis debemus intelligere verba iuxta communem modum. Eam autem doctrinam, quam prudenter satis tradit Couarruuias, Thomas Sanchez limitari vult, vt etiam nomen vxoris, & sponsi in fauorabilibus in lata significatione accipiatur, contra vero quando res sunt odiosæ. Sed neque ea doctrina Sanctij potest esse in vniuersum vera, ita vt non subiaceat moderationi, quam adhibuit Couarruuias: placet enim mihi quod docte Durenus animaduertit ad titulum *soluto matrimonio, de sponsal.* §. 3. nihil periculosius esse in iure, quam per vniuersas theses aliquid definire, fallaces enim huiusmodi regulæ, & fere nihil firmi habent.

4 Sponsalia autem in prima significatione sumpta sic definit Florentinus in dicta *l. prima. Sponsalia sunt mẽtio & repromissio futurarum nuptiarum*. Quam fere definitionem probant iuris Canonici interpretes in *capite nostrates 31. quæst. 5.* & Theologi cum Magistro in quarto, distinct. 27. & 28. Licet explicatior videatur ea, qua vtitur Valentia disputat. 10. generali quæst. 2. puncto 1. Toletus lib. septimo capit. secundo, *sponsalia sunt mutua promissio futuri matrimonij signo aliquo sensibili expressa*. Qua definitione docemur primo non quamcunque promissionem ad sponsalia sufficere, sed mutuam, quæ appellatur à I. Consultis repromissio. Vnde si vnus promitteret matrimonium, & alter non repromitteret, tacite, vel expresse, sponsalia non essent, quamvis admitteremus posse etiam esse obligationem non mutuam ad matrimonium futurum, de quo postea capite quarto. Similiter necessarium est hanc promissionem innotescere contrahentibus aliquo signo sensibili, alias non posset esse mutua. Nec enim repromittet ille, cui nota non est promissio alterius. Dicitur etiam *futurarũ nuptiarum*, vt inde conspicias differentiam inter matrimonium & sponsalia. Aliud enim est nuptias contrahere, aliud vero ad nuptias contrahendas se obligare, sicut multum distant mutuam pecuniam dare, aut promittere se daturum, *l. si pœnam de verborum obligatione*. Sed iam oportet vt circa singulas definitionis partes multa examinemus

In sponsalibus sufficere consensum fictum.

CAPVT II.

SVMMARIVM.

Promissionem sine animo promittendi esse non posse. num. 1.

In quo consistat promissio, & quomodo differat à proposito. num. 2.

Promissionem inter homines consistere in verbis. num. 3.

Ex his probatur quod dictum est. num. 4.

Status quæstionis explicatur. num. 5.

Ex promissione sine animo se obligandi, & cum animo prõmittendi nullam obligationem ori-

ri

ri quidam dicunt. num. 6.
Opposita sententia verior probatur. num. 7.
Obiectionibus satis fit. num. 8. & 9.

1 QVID res haberet in matrimonio, & alijs contractibus de præsenti diximus supra lib. 2. capite 4. Quid autem dicendũ esset in sponsalibus, & promissionibus, huc remisimus disputandum, de quo agit Thomas Sanchez lib. 1. de matrimonio disputa. 9. 10. & 11. Sed antequam ad huius quæstionis examen accedamus, discutienda prius nonnulla sunt, quæ ab illo Doctore supponunt vt certa. Supponit disput. 9. num. 3. posse esse promissionem voluntariam, non solum sine animo se obligandi, sed etiam sine animo promittendi, quæ ore tenus promissio sit, atque ideò nullius momenti, cum non sit promissio, sed promissionis fictio. Hoc autem quod apud hunc auctorem indubitatum est, mihi omninò falsum videtur vt optime ostendit Gabriel Vazquez disputat. 6. de matrimonio cap. 2. à numero. 13. ex quo nonnulla ad huius rei confirmationem delibabo. Videtur igitur non minus falsum quam si quis diceret hominem velle verba infamatoria proferre coram multis sine animo detrahendi, aut posse lethaliter ferire exterius sine animo feriendi, aut posse rem exterius alicui tradere accepto pretio sine animo vendendi, vel tradendi. Id quod ita esse constabit, si promissionis naturam attendamus.

2 Promissio igitur valde differt â proposito aliquid faciendi. Propositum enim est actus voluntatis, at vero promissio est actus intellectus, cum in promissione sit veritas, quæ solum est in intellectu sicut in non adimplenda promissione falsitas & infidelitas est. Quare promissio siue fiat homini vel Deo non est quidem affirmatio propositi aliquid faciendi in futurum. Ea enim solum esset quædam manifestatio propositi, quod habet, & eius veritas non consisteret in adimpletione, sed in eo quod quando affirmat se velle id facere in futurum, reuera id sit voluntatis propositum. Est ergo promissio affirmatio quædam alicuius rei in futurum faciendæ, insinuata ei, in cuius gratiam, vtilitatem, vel obsequium res facienda est. Est quidem affirmatio intellectus, quæ satis est in voto, siue cum verbis aut signis, quæ ita in promissione humana necessaria sunt, vt aliter fieri non possit, vt infra dicam. Dixi *rei in futurum faciendæ*. Quia promissio & fidelitas, quæ in promissione consistit, respicit futurum sicut infidelitas. Cuius euidens signum est, quod si quis dicat se habere propositum faciendi aliquid die crastina, & non habeat, mendax erit cõtra veritatem de præsenti, si tamen voluntate mutata impleat, non erit infidelis. Debet etiam promissio esse insinuata ei cui fit; nam si non innotescat illi, nondum est mea fides adstricta, neque infidelis ero, si non impleam, fidelitas enim est virtus ad alterum, sicut iustitia. Quare innotescat illi necesse est, nec satis est si innotescat alteri. Addidi *in gratiam, obsequium, vel vtilitatem eius, cui fit promissio*. Quia alias non dicetur promissio, neque adiungi fides promissionis, sed tantum declarari propositum. Vt si quis diceret Petro, & asseueraret se crastina die lecturum Theologiam, si ad eum nihil attineret, non esset promissio, neque fides adstricta, vt plane constat. Requirit ergo promissionis natura, vt sit de re vtili, vel in obsequium & gratiam eius, cui promissio fit. Ex quo optima ratione deduximus supra lib. 3. promissionem metu extortam nullam obligationẽ parere, quam differentiã nouissimè reperio apud Ludouicum Turrianum tomo 2. in 2. 2. disput. 55. dub. 5. num. 9. Et quidem hanc sententiam plane supponit Soto in 4. dist. 20. quæst. 2. artic. 1. §. *item tertio*, dum dicit, promissionem pœnitentis de implenda pœnitentia facta confessori non obligare, nisi confessarius haberet potestatem illum obligandi ad pœnitentiam impositam. Quia ea pœnitentia non est in vtilitatem confessarij.

3 Deinde obseruandum est promissionem, si Deo fiat, intellectu tantum fieri posse: Deo enim corde ipso loqui possumus: at vero si fiat homini, necessario ad promissionem requiri verba, aut signa externa, quæ intelligent alteri affirmationẽ illã, & quæ alter percipiat. Vnde nequaquã promissionẽ esse posse mere internam incũctanter asserimus, in quo etiãde ceptus videtur Thom. Sanch. Et quidem promissionem inter homines nõ nisi per verba fieri posse docet D. Thomas 2. 2. q. 2. art. 1. in corpore. Abulensis cap. 9. Numer. quæst. 44. Soto in eam magis inclinat lib. 3. de iustitia q. 7. art. 3. Tabiena verbo, *votum*, 1. in principio, & numero quinto, post secundam conclusionem. Lessius libro 2. de virtut. capite 47. dubitat. quinta & sexta, & alij non pauci Recentiores, quibus nouissime accedit Turrianus dicto tomo 2. disput. 64. dub. 19. Cuius ratio desumitur ex

dictis. Quia promissio cum non sit tantum propositum aliquid faciendi, sed enunciatio rei futuræ, vt dictum est, necessaria verba sunt, quia veritas non reperitur in voluntate & affectu, sed in intellectu dicente vel verbo, vel signo sensibili explicante. Cumque promissionis obligatio pertineat ad veritatem. Est enim fidelitas, quæ est virtus, quæ secundum Augustinum lib. de mendacio cap. 20. & epistola 29. ex eo dicitur, quia per eam fiunt dicta, & promissio atque fidelitas sit virtus ad alterum, necessarium est, vt promissio inter homines non nisi cum signo sensibili esse possit, solo enim intellectu cum eo loqui non valemus. Homini ergo promittere nihil aliud est, quã sic loqui & enuntiare, vt supra explicatum est.

4 Ex his iam facile intelligitur id, quod initio dicebamus, nequaquam fieri posse vt quis velit libere alteri exterius promittere sine voluntate promittendi. Cum enim promissio hominis, quibus exterius affirmat alicui se aliquid facturum futuro tempore in vtilitatem ipsius, & qui huiusmodi verba profert voluntarie, & libere non possit non velle proferre, & eo modo enuntiare, fit vt non possit non velle promittere, cum promittere sit eo modo loqui, vt dictum est, neque aliud assignari possit, in quo consistat natura promissionis. Nec enim dici potest ad promissionis rationem pertinere propositum faciendi, quod promittitur, tum quia propositum, & promissio valde inter se differunt, vt iam dixi: tum etiam, quia promissio non est affirmatio propositi, sed rei in futurum faciendæ. Tum etiam quia potest quis promittere sine proposito implendi, vt notum est. Quod si Diuus Thomas 2.2. quæst. 88. art. 1. dicit, votum procedere ex proposito, id intelligendum est regulariter, & in eo qui debite, & honeste vouet.

5 His ergo reiectis, vt ad rem magis accedamus, non vertimus in dubium, cum is qui promisit, animum se obligandi habuit, non tamen implendi promissum, aut quando is qui promisit non habuit explicite animum se obligandi, habuit tamen cognitionem promissionis, & eius naturæ. Nec etiam quando tempore promissionis ad fuit expressa voluntas se obligandi, licet statim facta promissione pœniteat. Planum enim est in his omnibus promittentem obligari ratione promissionis ad implendum, & promissionem valere, ac obligationem inducere. Eadem autem, quæ in promissione certa esse diximus, certa etiam sunt in quouis alio contractu, vt dixi libro secundo. Solum ergo vocamus in dubium, an promissionis contractus sine animo se obligandi vero, sed tantum ficto, obliget promittentem reuera, vel liber sit à promissionis obligatione.

6 Prima sententia docet, si desit animus se obligandi cum vero animo promittendi nullam inde obligationem oriri, neque esse promissionem, Thomas Sanchez disputat. citata, numero quinto, & vniuersim de omni pactione docuit Angelus, verbo pactum, num. 4. Syluester eodem verbo, quæstio 4. Armilla ibidem, numero secundo. Tabiena ibidem, quæst. 2. & de promissione spõ salitia, Vera-Cruz tertia parte speculi, arti. 19. post 5. conclus. Corduba lib. 1. quæstionar. quæst. 13. dicto secundo vbi alios citat, & vniuerse de omni contractu docet Ricardus in quarto distint. 27. art. 1. quæst. 3. Guillelmus Rub. quæst. 1. artic. 1. Gabriel quæst. 1. artic. 1. notab. 3. Docent itaque eum qui ficte promisit aliquam ducere, tantum teneri ratione damni illati si corrupit, non aliter. His etiam accedit Molina tom. secundo de iustitia, disput. 352. §. ego probabilius. Ex qua sententia multa infert Thomas Sanchez, quæ nos infra discutiemus. Fundamenta autem eius adducam postea.

7 Mihi tamen semper verius visum est ex promissione ficta id est, sine vero animo se obligandi obligationem nasci etiam secluso damno, aut iniuria, aut scandalo. Quã sententiam docuit Gabriel Vazquez disputatione sexta de matrimonio, cap. 3. & docere videntur quotquot afferunt cum, qui ficte contraxit matrimonium teneri contrahere eo quod debeat vera verba efficere, quos retuli supra libro secundo, & eandem sententiam secutus est Ludouicus Turrianus to. 2. in 2. 2. disput. 64. cit. dub. 15. Ratio huius sententiæ est. Nam fidelitas est veritas quædam in adimplendis promissis, & sicut veritas de præsenti in eo consistit, vt verbis mentis respondeant oris verba, ita veritas de futuro in eo sita est, vt impleatur promissa. Vnde merito Diuus Thomas secunda secundæ, quæst. 98. artic. 1. docuit periurium sine falsitate esse non posse, periurium autem est cum quis non implet promissum. Est ergo fidelitas quædam veritas. His adde aliud esse promittere aliquid in futurum, aliud vero obligationem verum seruandi in promissis, sicut in veritate de præsenti

aliud

aliud est assertio, & affirmatio, aliud vero est obligatio dicendi verum in assertione. Tum quia assertio, & promissio sine veritate esse possunt, si non impleantur promissa: tum etiam, quia assertio, & promissio sunt actio quædam humana: at vero obligatio illa est ius naturale, quo tenentur homines ad seruandam veritatem in promissis, sicut in suis assertionibus, licet sint inter se coniuncta. Ex quibus facile deducitur ratio, quia eo ipso, quo quis profert verba promissionis, & quæ scit esse promissionis, & illi, cui fit promissio sunt insinuata, naturali iure tenetur ad seruandam veritatem, cum promissio debeat esse fidelis & vera. Non est autem in eius potestate non teneri iure naturali ad implendum promissum, sicut nec est in potestate eius, qui affirmat aliquid de præsenti, non se obligare ad dicendum verum. Itaque qui promisit non potest sua voluntate tollere eam naturalem obligationem. Promissionis autem naturam in verbis illis cum animo promittendi consummatam, atque perfectam esse iam diximus. Animus ergo non se obligandi non destruit naturam promissionis. Adde etiam quæ dixi supra lib. secundo, capite quarto concluſ. secunda, quibus ostendi non posse esse voluntatem proferendi ea externa signa promissionis, siue contractus sine implicito animo se obligandi.

8 Sed contra sententiam istam obiecimus eo loco nonnulla, atque diluimus desumpta ab exemplo voti, & matrimonij. Sed rursus obijcit Thomas Sanchez. Quia obligatio promissionis prouenit ex lege positiua, quam quis sibi imponit. Nulla autem lex obligat, nisi legislator velit, vt obliget. Ergo quando quis promittit animo non se obligandi, promissio, quæ est lex priuata, non obligat. Confirmatur. Quia quæcunque obligatio non proueniens ex lege ortum habere debet ex priuata hominis voluntate volentis se obligare, ac proinde existente voluntate non se obligandi deficiet obligatio. Sed huiusmodi est obligatio promissionis, quæ solum habet ortum ex voluntate promittentis. Igitur sine animo se obligandi promissio nullo modo obligabit. Respondetur tamen facile iuxta dicta, obligationem promissionis non oriri ex voluntate promittentis, sed ex naturali iure, quo debet esse coniuncta verbis veritas in futurum, quam non potest auferre à verbis, qui promittit. Et quamvis in voluntate eius, qui promittit sit promittere & proferre verba, aut signa promissionis, in quo consistit eius ratio, non tamen est in eius potestate, quod non sequatur obligatio posita iam semel promissione, sicut etiam non est in potestate legislatoris posita lege, quod non obliget, obligatio enim legis sequitur ex naturali iure, licet in eius potestate sit legem non ponere, aut obligare lege pœnali, & non culpæ, id quod magis explicabo infra.

9 Secundò obijcit ex capite *vltimo de condit. appos.* vbi conditio contraria substantiæ matrimonij ipsum reddit nullum, licet adsit intentio contrahendi, & verba sufficientia ad explicandum consensum. Ergo etiam in promissione conditio contra substantiam illius reddet nullam. Huiusmodi autem est voluntas non se obligandi, ipsa enim natura contractus postulare videtur, vt fiat animo se obligandi. Respondetur voluntatem se non obligandi non esse contra substantiam contractus, quæ consistit in debita materia & forma, qua posita sequitur obligatio, etiam sine meo consensu. Vnde illæ conditiones dicuntur esse contra substantiam matrimonij, non quia nolit esse eam obligationem: sed quia non vult transferri dominium corporis, ex quo oritur obligatio, quæ est substantia contractus matrimonij.

Colliguntur ex dictis nonnulla.

§. VNICVS.

SVMMARIVM.

Idem dicendum de voto. num. 10.

Idem dicendum à fortiori si promissio sit iurata. num. 11.

Non esse in potestate promittentis se obligare ad veniale, vel mortale. num. 12.

Valet etiamsi dubium sit de animo se obligandi, si promisit. num. 13.

Qui sub spe coniugij promissi virginem defloravit, tenetur implere etiam secluso damno, numero 14.

Idem etiamsi dispares in nobilitate, & diuitijs, si nota erat disparitas. num. 15.

In quo casu nobilis fictus promissor non teneatur. num. 16.

Fictè prpmittentem in iudicio rogatum an promiserit, non posse negare. num. 17.

10 EX dictis colligitur primo idem dicendum esse de obligatione voti, quod ad hanc rem attinet. Itaque si quis promisit Deo per votum, etiamsi id faciat sine animo se obligandi, tenetur voto: verè enim vouet, neque aduenit voto ex voluntate humana obligatio implendi, sed facta promissione, quæ consistit in ea affirmatione insinuata naturali iure sequitur obligatio, maxime cum ea voluntas proferendi signa promissionis & voti separari nō possit ab implicita voluntate se obligandi, vt supra dicto lib. secundo cap. 4. late ostēsum est, vbi etiam explicui, quid dicendum sit, quando is qui promisit ignorabat omninò naturam promissionis, aut voti.

11 Secundo colligitur multo maiori ratione obligare promissionem, si confirmetur iuramento, in quo Thomas Sanchez disputatione 9. citat. â numero quarto, oppositum docet. Sed immerito. Quia, si promissio etiam secluso iuramento obligat ex natura sua, vt dictum est, multo magis obligabit, si obligationi fidelitatis addatur obligatio religionis. Atque id ipsum magis ostendit falsitas fundamenti, quo nititur Thomas Sanchez, videlicet obligationem iuramenti pendere ex voluntate iurantis, quam doctrinam dicit esse Diui Thomæ in tertia distinct. 39. quæstion. 1. articulo 3. quæstione 3. & secunda secundæ, quæstion. 89. articulo 7. ad quartum, & etiam Isidori libro de summo bono, capite 34. dicentis quacunque arte verborum quis iuret, Deus tamen qui conscientiæ testis est, sic accipit, sicut ille cui iuratur, intelligit. In qua probatione multiplex lapsus est istius Auctoris. Primus. Quia dicit obligationem iuramenti pēdere ex voluntate iurantis: meum enim tantum est adducere Deum in testem vel assertionis, vel veritatis de futuro tanquam fideiussorem. Quod autem obligatio consurgat non adducendi Deum fideiussorem in fidelis promissionis, ex iure naturali est: cum non sit in mea potestate, quod non sit indecens & inde eorum Deum testem, & fideiussorem falsæ promissionis adducere. Secundus est, quia cum obligatio iuramenti promissorij intra limites religionis supponat obligationem fidelitatis ex promissione, si promissio nulla fuerit, nulla etiam erit obligatio iuramenti, veluti si is cui facta est promissio sub iuramento, repudiet promissionem semel acceptatam, sicut ruit obligatio promissionis, ruit etiam obligatio iuramenti promissorij. Quare, vt probaret Thomas Sanchez promissionem nullam iuramento firmatam non valere, immerito ex eo probauit, quod obligatio iuramenti ex iurantis intentione penderet, sed ex eo probare debebat, quod nulla existente promissione, nulla est obligatio iuramenti promissorij, quæ in illa fundatur. Labitur rursus, dum supponit vt certum, si desit animus iurandi, nullam esse obligationem iuramenti: tam enim id impossibile est, quam quod de promissione dixi, & iam supra à nobis reiectū est. Nec recte pro ea sententia citat Diuum Thomam. Nam Diuus Thomas eo loco tantum agit de iuramento per verba amphibologica, an debeant sumi secundum sensum iurantis, an secundum mentem audientis, de quo alibi dicendum est. Eundem etiam sensum habent verba Isidori, quæ citat. Illud addiderim nonnullos Auctores, qui nobiscū conueniunt in hac illatione, alio niti fundamento. Quia censent etiam promissionem de se nullam validam fieri iuramēto, de quo infra dicemus.

12 Tertio colligitur eundem auctorem fàlli cum dixit, posse aliquem ita contrahere sponsalia, vt ad solum veniale peccatum teneatur. Nam vt dicebamus, à voluntate promittentis non pendet promissionis obligatio, sed ex naturali iure, & ideò non est in eius potestate, vt sit culpa venialis in materia notabili. Et explicatur magis. Quia peccatum infidelitatis est peccatum commissionis contra præceptum negatiuum non faciendi falsam promissionem. Affirmari ergo non potest hominem sibi legem constituere, qua statuat inconueniens esse naturæ rationali non seruare veritatem in promissis. Adde quod cum ex promissione acceptata in materia temporali, & vtili oriatur ius iustitiæ, & ius naturale dictet reddere vnicuique quod suum est, non potest esse leuis iniustitia non implere promissum, si res promissa sit magni momenti. Sed de hoc late in materia de legibus.

13 Quartò colligitur, quid dicendum, cum quis dubius est, an promiserit cum animo se obligandi, vel non. Nam iuxta ea quæ diximus, planum est teneri, cum promissio sit acceptata ab altero. Et quamvis certus esset defuisse animum, nihilominus maneret obligatus, in quo idem nobiscum sensit Thomas Sanchez disputatione 9. citata. Nec similis huic ea quæstio est, quæ de voto examinari solet, cum quis dubitat, an votum emiserit. Hic enim non dubitat, an

an promiserit, sed an habuit animum se obligandi. An enim promiserit, dubitari non potest. Nam vel promissio non fuit insinuata ei, in cuius obsequium vel vtilitatem erat, & hoc pacto nullam obligationem inducit. Si vero fuit ab alio acceptata, non habet locum dubium de promissione. Dubium autem de animo non se obligandi nullius momenti est ad infringendam obligationem promissionis acceptatæ: cum etiam si positiuè animum se obligandi non habeat, promissio teneat, vt iam dictum est.

14 Quintò colligitur falli etiam eundē auctorem, cum docet disput. 10. nn. 3. eū qui sponsalibus promissis virginem decepit, & corrupit, non debere promissum implere, ni si tantum ratione dāni illati. Tenetur enim, qui spe fictæ promissionis virginē decepit, & violauit, tenetur ratione promissionis tantū, & nō ratione damni illati vel iniustitiæ. Vtrumque ostendo facile. Primum quod teneatur ratione promissionis constat. Quia promissio, etiā sine animo se obligandi, inducit iure naturali obligationem, vt dixi: quod in hoc casu multo magis verū est, cū mulier sui corporis copiam fecerit, sub cuius conditione facta est promissio. Quod autē ex eo capite teneatur, & nō ex alio probatur nō obscure. Quia obligatio resarciēdi damnū ex vno è duobus capitibus oritur, vel ratione dāni illati, vel ratione cōtractus. In hoc autē casu tenetur solū ratione contractus, & non dāni illati, quia nullū est damnum illatū virgini cōsentienti. Nec verò dici potest damnū inferri ex eo quod, dū promisit, non habuit animū se obligandi, illa enim intentio intus manens nemini nocet, sed solū damnum infert, & cōtra iustitiā ex eo quod promissum nō implet. Tantū ergo ex illo capite tenetur, & nō alium do. Plures autē ex his DD. quos pro se refert Thom. Sanchez, loquūtur in alio lōgē diuerso casu: nō enim agunt de ficta sponsalitū promissione, sed de eo qui post sponsalia illi copulatus est ficto animo, vt sic sponsalia nō transirent in matrimoniū. Extant etiā cōplures decisiones, quæ decernūt promittētē matrimoniū, & sub ea spe defloratē virginē teneri, & esse cōpellendū per censuras ad implēda sponsalia, etiā si nō sint iurata. Vt apud Farinaciū in tit. decis. R. R. decis. 25. & decis. 779. in eodē tomo definitur teneri adducendam vel dotandā iuxta textū in c. 1. & 2. de adult. Quæ decisiones etiā habentur apud eundem Farinacium tom. 1. consil. decis. 74. & tom. 2. consil. decis. 73.

15 Sextò colligitur falli etiā eundē auctorē, cum in eadem disputatione 10. n. 5. dixit, eum qui fictē promisit, & sub ea spe virginē decepit, & cognouit, non teneri implere promissum, si disparis cōditionis erant, vel in nobilitate, vel in diuitijs. Existimo enim teneri ducere vxorem ratione promissionis, quātuis illa ignobilis aut pauper sit, ille verò lōgē nobilior; sicut supra lib. 2. ca. 5. diximus de fictē contrahente matrimonium. Id quod intelligo, quando reuera nullum aliud signum exterius fuit, quo indicaret cū dolo promitti. Disparitas enim illa conditionis non est argumē tum sufficiens doli, neque fictionis, vt statim dicam. Quod ex dictis planē conuincitur, tū attenta natura promissionis: tum etiam, quia, vt dicebamus modo, alias nullo modo teneretur, cum non teneretur ratione damni illati. Sed præterea rem istam magis cōcidendo sic demonstro. Vel ille nobilis fictus promissor excusatur ab adimplendo promisso propter disparitatem, quæ est inter corpus nobile, & ignobile. At hoc affirmari nō potest, aliàs verē promittens ex libidine vel vtilitate nō teneretur implere, cū id quod promissum est lōgē maioris valoris sit. Quare si reuera inæqualitas inter nobilē, & ignobilem euertit spōsaliorum contractum, & ad illum necessaria est æqualitas, planè etiā si ex animo promitteret, non teneretur. Nec enim hic locū habere potest, quod in alijs, cū aliquis sciens, & volens rē magni momenti dare pro re minoris pretij, valere donationem. Nam quādo quis nulla passione agitur, censetur liberalitatē exercere, & condonare excessum. At quādo quis passione ductus operatur, aliter est iudicandum, non enim condonat. Vnde, si quis meretrici valde renuenti sui corporis copiam facere, promitteret rem magni momenti, nō teneretur dare, sed iustum pretium, sicque non semel iudicatum est. Ergo si reuera est disparitas inter corpus nobilis, & ignobilis, etiam si ex animo promitteret, cum id promittat non ex liberalitate, sed passione ductus, non censetur quasi excessum condonare, & ita nō teneretur adimplere. Non ergo ex disparitatis ratione secundum se excusatur. Vel excusatur, quia disparitas illa est signum sufficiēs, vt mulier intelligat dolū subesse, atq; adeo, si eius disparitatis conscia se tradidit, ipsa se decepit. Sed neque hoc verum est, tum quia ex eo sequetur eum, qui spe fictæ promissionis decepit virginem etiam disparis conditionis, ignaram tamen eius disparitatis, teneri implere promissum, cum tunc nullum signum fuerit deceptionis: cuius tamen oppositum idem auctor docet eadē disp.

10. num. 21. disparitatem enim corporis, & conditionis ex se non esse sufficientem causam ad nullitatem sponsalium iam ostendi, & adhuc magis ostendam. Tum etiam, quia si ea disparitas cognita esset sufficiens signum doli, & fraudis, nunquam valerent sponsalia nobilis cum ignobili, etiam si nobilis ex animo loqueretur. Nam cum fœmina debeat iudicare esse dolum, consensus ille non est sufficiens, cum non videatur acceptare consensum ad matrimonium. Tum præterea, quia ad contractus matrimonij substantiam tantum pertinent corpora; & alia bona accidentaria sunt. Ergo quâtacumque cognoscatur disparitas, cognoscitur etiam nihil deesse intra limites matrimonij ad æqualitatem in contractu seruandam: & aliàs non posset esse contractus iste ex natura rei inter homines disparis conditionis. Non ergo potest ea disparitas esse sufficiens indicium doli vel fraudis: neque erit imprudens fœmina, quæ in eo casu copiam sui corporis facit, necse ipsam decipere dicetur. Tenetur ergo implere promissum, quantum est ex parte contractus promissionis. Cum enim sæpe multi viri nobiles non solum sponsalia, sed etiam matrimonium contraxerint, cum fœminis infimæ notæ, cur non secum id fieri posse crederet, quod cum alijs factum est, cum etiam concurrerent verba viri, quibus ostenderet se promittere ex animo? Quare siue prudenter credat, quia vidit magnam esse in verbis nobilis asseuerationem: siue quamuis, si prudenter se gereret, suspicari deberet eam promissionem non ex vero, sed ficto animo procedere, illa tamen id minimè suspicata est, sed simplici animo consensit, idquè nobili promittenti notum est, naturali iure contractus tenetur promissum implere. Dixi *ex parte contractus*, quia possunt occurrere aliæ circunstantiæ, quæ liberent promittentem ab implēdo promisso, vt constabit ex his, quæ dicemus infra de causis dissoluentibus sponsalia. Huic etiã consequens est eum nobilem fictè promittentẽ nõ satisfacere dotẽ constituendo, nisi ipsa remittat: nec enim ea dotis constitutione verba efficiuntur vera: ille autem tenetur veritatem in promissis seruare, etiam in ficta promissione, vt iam dictum est.

16 In eo ergô tantum casu non tenetur nobilis fictus promissor, quando signa dedit, quibus fœmina sufficienter intelligere potuit dolum subesse promissioni: vel quando fœmina agnoscens inæqualitatem reuera intellexit doloſè promitti coniugium. Nam si illa reuera dolum suspicata est, siue hanc suspicionem tacuerit, vel manifestauerit, si sui copiam facit, non id facit spe promissionis, quam fictam esse verè suspicatur, sed ex mera sua voluntate. Atque in hoc tantum casu intelligendus est Diuus Thomas, & alij Doctores, quos citat pro sua sententia Thomas Sanchez, cum dicunt, si nobilitatis disparitas à fœmina sit cognita, præsumi posse non esse deceptam, sed se finxisse decipi. Nec enim præsumi potest aliquam se fingere deceptam, nisi præsumamus ab illa cognitam fraudem. Atque hunc esse sensum Diui Thomæ, & aliorum, qui eius verba transcripserunt, ostendit Angelus *verbo stuprum num. 1.* cum ait: *Nisi secundum Thomam esset tanta inæqualitas, quod potius decipi se finxerit, quam sit decepta.* Sic etiam intellexit Victoria in summa numero 265. cum ait. *Quamuis enim promiserit ei se ducturum eam in vxorem aliquando, ipsa tamen benè intellexit, quod non debeat facere, quia erat magna inæqualitas inter eos.*

17 Denique colligitur contrà eundem Auctorem in eadem disputatione 10. quæstione 6. eum, qui fictè promisit, si in iudicio interrogetur an promiserit, non posse negare se promisisse: tenetur enim ille promissione. Nec verô sunt alicuius momenti ea, quæ idem auctor adducit in exemplum de clerico, qui rogatus, an portet aliquid, ex quo gabellam debeat, potest negare, & de eo qui venit ex loco non infecto peste, quem tamen, custodes vrbis putant esse infectum, & alijs similibus. Nam in his exemplis rãs verum dicit ea conditione suppressa in iuramẽto, *non porto bona, ex quibus ego tenear Gabellam soluere*, vel *non venio ex loco infecto peste, quem tu putas.* At in præsenti casu non potest subintelligere eam conditionem, *non promisi, ita vt tenear implere*, tenetur enim, vt iam suprà demonstratum est.

Sponsalium promissionem mutuam esse debere.

CAPVT III.

SVMMARIVM.

Præmittitur nõnulla de forma stipulationis, n. 1.
Sponsalium contractum esse mutuum, nu. 2.
Promissionem sponsalitiam antequam alter acceptet, posse reuocari, num. 3.
Mortale peccatum esse non implere sponsalia, n. 4.
Si fœmina respondeat, placet, roganti an velit ductum iri, valent sponsalia, nu. 5.

RES hæc facilis explicatu est. In primis tamen præmittenda sunt nonnulla de stipulatione, quamuis eius exacta disputatio ab hoc loco aliena in alium referretur. Sciamus tamen stipulationem, quamuis in ea includatur acceptatio, vt statim dicam, non tamen formaliter significare idem quod *acceptare*, sed idem quod *postulare*. Quæ postulatio interrogatione etiam fieri solet, vt satis notum est in vulgari vsu. Atque hãc esse significationem verbi *stipulandi* constat ex A. Gellio li. 4. noctiũ Attic. cap. 4. cum inquit, eum, qui ducturus erat vxorem, vel matre, aut fratre, aut curatore stipulari consuevisse eam in matrimoniũ ducturum antequam pater vel frater, aut alius aliquid sponderet: nam de eo qui spondebat subdit, *qui daturus erat itidem spondebat*. Cumque eo ordine fieret, vt prius alter postularet, statim alter sponderet, vt dicam statim, planè stipulari non significat acceptare, neq; stipulatio acceptationem. Idem etiam confirmat quod habetur *l. 1. §. qui præsens de V.O.* vbi decernitur, qui præsens alterum interrogauit, si ante quam responderetur discessit, inutilem stipulationẽ fieri: debebat enim esse inter præsentes, & per interrogationem, & responsionẽ: nec inter absentes esse poterat, nisi certa quadam ratione iure Cæsarum: nihil etiã inter interrogationẽ, & respõsionem fieri debebat *l. continuus 177. de V.O.* Eadem etiam stipulationis forma constat ex §. sequenti, & iure nostro *l. 2. tit. 11. Part. 5* Ex quibus colliges stipulationem accipi pro interrogatione prius facta, & sponsionem pro responsione. Atque postulationem illam per interrogationem factam respexisse videtur I. C. in *l. sponsalia sunt D. de sponsalibus*, cum dixit: sponsalia esse mentionem, & repromissionem futurarum nuptiarum. Nomine enim repromissionis intellexit reciprocam promissionem: *mentionis* autem nomine postulationem illam, quæ cum interrogatione præcedebat. *Mentionem* autem dixit, quia qui ita postulat, & stipulatur, est qui primus meminit eius, de quo futurus est contractus. Itaque idem est ac si diceret, stipulatio, & repromissio. Dicta autem fuit repromissio, quia ea stipulatio vim habet promissionis, vt dicam statim. Atque ideo apertius Vlpianus *l. 2. eodem*, *sponsalia*, inquit, *dicta sunt ab spondendo, nam moris fuit veteribus stipulari, & spondere sibi vxores*. Significat ergo stipulari per interrogationem postulare. Quæ postulatio iure Cæsarũ à priscis temporibus præcedere debebat. Verum est hanc postulationem, & promissionis vim habere, & præterea acceptationis. Nam qui ab aliquo postulat, eo ipso quod is, à quo postulat, cõsentiat, postulans etiã sine nouo alio consensu consentire videtur, & eo modo, quo postulauit, acceptare; atque ita contractus mutuæ obligationis stipulatione, & sponsione plenè perficitur, ita vt nihil amplius desideretur.

2 Quo supposito certum est contractum sponsaliorum constare mutua, & reciproca promissione: aliàs sponsalia non erunt, in quo conueniunt Doctores omnes sine controuersia. Itaque non tantum vnus promittit, & alter acceptat: sed etiam is, qui acceptat, repromittit, & compensat alterius promissionẽ sua promissione. Cõstat ex A. Gellio loco citat. & ex diffinitione Florentini supra tradita, & *l. 2. tit. 1. Part. 4.* & ex iure canonico non obscure colligitur *cap. præter. cap. de illis, & ca. Gemma de sponsalibus*: & alibi sæpe. Adde, vt inquit idem A. Gellius, ex prædicto contractu virum sponsum, fœminam sponsam vocari: quæ appellatio non conueniret, si vnus tantum fidem dedisset, alter verò acceptasset tantum, & non dedisset. At quamuis iure Cæsarum ad stipulationem certa requireretur forma, certum est ad sponsalia nullam requiri, nisi significationem mutuæ promissionis: imo, & forsasis in sponsalibus idẽ etiam iure Cæsarum dicendum est, vt videtur, colligi ex *l. sufficit D. de sponsal.* vbi dicit Vlpianus sponsalia nudo consensu fieri, id est, absque solemnitate aliqua & *l. vltima eodem*, dicit sponsalia per epistolam posse fieri, quod in stipulatione locum non habebat. Et idem colligi videtur ex *l. Partitarum citat. & ex l. 2. tital. 16. lib. 5. Compilat.* Nosse autem oportet huius contractus naturam, vt inde sciamus, quando nascatur impedimentum publicæ honestatis. Si enim non est mutua promissio, etiam si alter ex promissione maneret obligatus, de quo statim capite sequenti, non orietur impedimentum, cum ea promissio ex parte vnius tantum non constituat veram sponsalium rationem.

3 Ex quibus infertur primò promissionẽ sponsaliũ absenti vel præsenti factã, antequã alter acceptet, posse sine vlla culpa reuocari: quod quidem verum est, etiam si demus promissionem gratuitam vel donationem, antequam alius acceptet, obligare. Est enim longe diuersa ratio. Quia promissio sponsalitia non est gratuita, sed sub conditione reciprocæ promissionis. Vnde non potest parti alteri quæri ius, donec ille re-

promittat, cum adhuc pendeat conditio repromissionis, ac proinde liberum est, illi promittenti reuocare. Nam ante quam alterius adsit repromissio, nullum ius tollitur, neque in aliquo læditur. Nec verò ideo peccat, aut efficit falsam promissionem. Nam tunc perfecta promissio non est, donec alteri innotescat, vt dixi cap. præcedenti. Vnde eatenus veritatem seruat, quatenus, cum profert, habet animum implendi. Quod autem animum reuocet in eo casu non est falsitas, sed inconstantia.

4 Secundò infertur esse mortale peccatum promissionem sponsalitiam acceptatã non implere. Quamuis enim verum esset, solum esse veniale non implere promissionem acceptatã, quãdo illa esset gratuita, vel donatio: attamẽ lõgẽ diuersa ratio est, quia in obligatione spõsalitia, est vltro citroq; obligatio, & vna promissio alia cõpẽsatur: & ideo nõ tãtum est quæsitum ius fidelitatis, sed etiam iustitiæ, quod in re tanti momenti violari non potest sine lethali culpa, vt fatentur omnes. Vide Turrianum disp. 64. cit. dub. 16.

5 Tertiò infertur, si quis à fœmina postularet, an vellet ductum iri, illaque responderet, & sponderet, *placet*, contracta esse sponsalia. Nam negari non potest ex natura contractus postulationem illam, siue cum interrogatione, siue sine illa fiat, vim habere acceptationis, & repromissionis, vt ex I. Cõsul totum definitione constat, qui optimẽ nobis vim obligandi, quæ verbis inest, tradiderunt.

An possit esse promissio matrimonij alteri facta non mutua.

CAPVT. IIII.

SVMMARIVM.

Quidam asserunt promissionem matrimonij esse posse non mutuam, num. 1.
Verius oppositum probatur, num. 2.
Repellitur quorundam solutio, num. 3.
Promissio matrimonij non obligat neque ex iustitia, neque ex fidelitate ante acceptationem alterius, num. 4.
Obijcitur, & fit satis, num. 5. 6.
Promissionem matrimonij factam infanti esse nullam, num. 7.
Opponitur, & respondetur, num. 8.
Promissionem matrimonij etiam absenti fieri posse, num. 9.
Si vero promittente fœmina acceptet, non esse necessariam repromissionem, num. 10.
Obiectioni aliorum fit satis, num. 11.

1 THOMAS Sanchez lib. 1. de spõsal. disput. 5. quæst. 2. inquirit. An siquis fœminæ promitteret se illam in vxorem ducturum, ipse solus obligatus manere possit, sine eo quod alter maneat obligatus? putatque in hoc esse varias DD. sententias. Ipse tamen sentit esse posse promissionem futuri matrimonij gratuitam, ita vt vnus tantum maneat obligatus: at verò si promissio non fuerit gratuita, sed reciproca, neutrum obligari: si alter non acceptet. Atque hoc modo ibidem num. 11. sequentibus conciliari dicit DD. sententias, quas ille putat esse diuersas, dum quidam asserunt neutrum obligari: alij vero eum, qui ita promisit, obligatum manere. Cuius non aliud fundamentum est, nisi quia nihil illi videtur obstare, quominus promissio futuri matrimonij vtroque modo fieri possit, & simplici promissione sine conditione aliqua, aut eius intuitu, & promissione reciproca. Vnde fatetur promissionem futuri matrimonij posse claudicare, vt ipse loquitur, id est, non esse reciprocam. Ex qua doctrina hic auctor nonnulla infert, de quibus nos etiã breuiter dicemus. Addi etiam potest aliud fundamentum, Quia sequeretur ex opposita sententia eum, qui promisit, posse fœminam acceptantem etiã compellere ad matrimonium, ac si contraxisset sponsalia.

2 Verũ ego existimo nunquam esse posse promissionem futuri matrimonij gratuitam, & sine conditione repromissionis, & ex consequenti, si vnus promittat, neque alter repromittat tacitè vel expressè, neutrum obligari. Et in primis nullum ex DD. quos pro se citat in ea esse sententia, plane docet Gabriel Vazquez disput. 4. de matrim. cap. 3. quin potius Antoninus, atque Rosella expressè dicunt eo ipso, quod alter promissionem factam acceptat, repromittere eo signo, quo acceptare se ostendit. Et probatur ratione, quam eleganter tradidit Gabriel Vazquez cap. cit. num. 33. Quia contractus matrimonij est instar contractus cuiusdam commutationis, & necessario in se continet mutuam obligationẽ vtriusque, ita vt nemo velit, nec velle possit se tradere, nisi sub ea conditione, vt alter se ei mutuò tradat in compensationẽ, & obliget. Vnde acceptatio eius traditionis esse nõ potest, quin etiã includat necessariò, & sua natura mutuã traditionẽ, neque vnũ ab altero voluntate cõtrahẽtiũ separari potest. Igitur promissio futuri matrimonij non potest esse sine cõditione mutuæ promissionis, nec enim est promissio donãdi, sed quasi commu-

commutandi. Vnde, sicut promissio permutationis aut venditionis esse non potest, nisi sub cõditione promissionis emendi, quia materia ipsa ita postulat, sic in præsenti.

3 Sed respondet Thomas Sanchez dict. *disput. 5. quæst. 1. num. 6.* diuersam esse rationẽ sponsalium, & matrimonij. Quam tamen nõ assequor, nec verò assignari potest: sed sicut matrimonium postulat mutuam obligationem, ita etiam promissio matrimonij, in promissione enim illa agitur de matrimonio cõtrahendo ab vtroque. Ergo ille, qui promittit alteri matrimonium pro futuro tempore, necessariò postulat ab eo, vt secum consentiat, non quidem vt tunc fiat, sed vt futuro tempore fiat. Ergò petit, vt consentiat in promissionem de futuro, id est, vt velit in futurum contrahere. Is autem consensus in futurum contrahendi matrimonij, quando respõdet promissioni, est repromissio. Nam qui sic consensit, & consensum suum explicat, reuera repromittit, & dicit se contractum: alioquin suum consensum non explicaret. Sed vrget magis Gabriel Vazquez. Quia, licet tẽpore præcedere possit promissio vnius consensum, & acceptationem alterius; attamen non potest aliquis acceptare alterius promissionem, quin velit ipse matrimonium contrahere in futurum: nec enim per consensum de præsenti potest acceptare promissionẽ, quæ maneat intra genus promissionis, cum illa sit de futuro. Cũque explicans hanc acceptationem necessario significet se velle in futurum contrahere, sequitur eo ipso quod consentit, & acceptat, aut significat consensum, & acceptationem, repromittere.

4 Ex hac doctrina nonnulla colliguntur cõtra eundem Auctorem. Primò colligitur promissionem futuri matrimonij nõ obligare ante acceptationem, neque ex iustitia, neque ex fidelitate, quod ex principijs traditis manifestè deducitur. Si enim promissio matrimonij natura sua non potest esse sine conditione repromissionis, & ea non potest sine acceptatione esse; planum est promissionem matrimonij ante acceptationem non obligare. Imo, etiam si diceremus esse posse promissionem matrimonij gratuitam, vt dicit Thomas Sanchez, adhuc dicendum esset, ante acceptationem non obligare. Id quod verum est iure communi, & antiquo, & iure nostro docet optimè Thomas Sanchez disput. 6. in principio, & etiã iure naturali n. 10. Cuius ea ratio breuiter est, nã de hoc alio loco latius. Quia promissio, vt diximus, esse non potest, nisi manifestetur ei, in cuius vtilitatem fit, cũ sit virtus ad alterum, scilicet, fidelitatis: non potest autem esse in obsequium alicuius, donec ille alter acceptet, & vtilẽ iudicet: nã vsque ad eam acceptationẽ perinde est, ac si aq. differt promissionem, & nihili feciset. Præterea, cum ius vnius ad alterũ ex voluntate oritur, sicut contingit in promissione, nõ potest non nasci ex vtriusque consensu. Nec enim fieri potest, vt aliquid ex voluntate alterius incipiat vt meum pertinere absque consensu meo: aliàs idem fieri posset me renuente promissionem, quod est absurdum. Idem ergo dicendũ est de obligatione fidelitatis, quæ nascitur ex promissione; ei nãq; qui nihil curat de promissione, non debetur fidelitas in promissis, sicut nec ei, qui remittit verbũ promissionis. Atq; hoc, quod diximus de promissione matrimonij, verũ putamus ex colẽ fundamento de quauis promissione, et ã fãcit pio loco, vt nullũ ante acceptationẽ ius acquiratur: quãuis, vt sit talis promissio votum erga Deũ, nõ requirat acceptationem ex parte pij loci, sed sufficiat acceptatio ex parte Dei quã bonis operibus semper adesse credimus. Promissio autẽ ex voto in matrimonio locũ nõ habet etiã in causa pia: nõ est enim materia voti, cũ impediat maius bonũ, & melioris vitæ propositũ quod pugnat cũ ratione voti, etiã si fiat intuitu misericordiæ, vt remediũ pauperis fœminæ. Sed de hoc in materia de voto.

5 Sed contra huius illationis fundamentum potest obijci primò. Quia consensus obligationem parit. Sed consensus meus ante acceptationem perfectissimus est. Ergo parit obligationem. Omissa solutione, quam adhibet Thomas Sanchez, dico in vno quoque contractu oriri obligationem ex consensu adhibito intrã naturam illius, non quomodocunque. Natura autem promissionis postulat, vt alijs nota sit, & in vtilitatem eius, quod acceptatione fit. Quare donec ea omnia facta sint, non est perfectus contractus promissionis, neque consensus ad eam requisitus sufficienter constitutus. Eam autem esse naturam promissionis dictum est supra cap. 2.

6 Secundò objcitur nõnullas promissiones valere iure ciuili ante acceptationem, quas refert Molina tom. 2. de iustitia disput. 272. §. *in principio huius.* Respondeo nullam esse promissionem, in qua non sit acceptatio, siue eius cui fit, siue reipublicæ, aut Principis acceptantis, loco priuatæ personæ. Nec denique obstat lex nostri regni, de qua Thomas Sanchez disputatione 6. num. 18. & rectè docet non tollere

acceptationem, sed solemnitates antiquas stipulationis, vt constabit attentè expendenti verba.

7 Secundò colligitur non solùm falsum, sed etiam ridiculum esse id, quod asserit Thomas Sanchez disput. 6. cit. num. 15. & num. 27. sponsionem matrimonij factam infanti suore illius, ita ratam, & firmam esse, vt reuocari nequeat, sed tempus expectandum donec ille velit repudiare vel acceptare. Cuius ratio desumitur ex dictis, cum offensum sit nullam promissionem ante acceptationem obligare. Quæ enim promissio infanti nec scienti, nec intelligenti esse potest, cum non differret ab ea, quæ lapidi fieret? Aliter esset dicendum, si promissio facta esset parentibus infantis, aut tutoribus, & illi acceptassent: tunc enim non obligat, quia promissio sponsalitia sit, sed ratione alterius promissionis, quæ ibi interuenit cum patribus aut tutoribus illius.

8 Sed probat Thomas Sanchez ex *l. iubemus C. de emancipat. liber.* vbi decernitur patrem emancipare posse filios infantes, ita vt ex eo tempore effectum habeat emancipatio, in qua ætate nulla potest esse acceptatio. Sed est longè diuersa ratio emancipationis, & promissionis, ex qua prouenit vt in emancipatione non requiratur consensus infantium, in promissione vero requiratur acceptatio. Nam emancipari est extrahi filium, & solui patria potestate. quæ cum iure positiuo sit inducta tam in filios adultos, quàm infantes, inde fit sine consensu filiorum, imo & parentũ, eodem iure posse liberari, ac proinde potest à Patribus filijs concedi sine illorum consensu, renuntiat enim pater priuilegia iure positiuo ipsi concessa, cum plura commoda illi proueniant ex patria potestate. At qui promisit, non renuntiat alicui priuilegio, sed ex suo dat aliquid, in quod quæratur ius fidelitatis, & iustitiæ infanti aduersus promittentem: quod ius nulli quæri potest sine proprio consensu ex natura ipsa promissionis, vt dictum est. Atque hoc discrimen verè à nobis constitutum esse illud etiam demonstrat, quod licet in eadem lege dicatur, in emancipatione, & renuntiatione patriæ potestatis requiri consensum adulti filij, & ideo non possint absentes emancipari, inter quos non potest esse contractus stipulationis Cæsarum iure: attamen dubitari non potest concedi etiam à iure emancipationem adultorum potuisse absque illorum consensu, sicut potuisset hoc ius patriæ potestatis à parentibus tolli, vt pote iure Cæsarum introductum. At nunquam fieri potest, vt promissione tam matrimonij, quàm alterius rei teneatur aliquis alio reijciente promissionem, vt manifestum est.

9 Tertiò colligitur promissionem matrimonij etiam absenti fieri posse, neque in hoc seruatur stipulationis solemnitas: attamen an tequam acceptetur ab absente, posse reuocari, & non obligari. Quia promissio matrimonij, vt sæpe dictum est, fit sub conditione repromissionis, & ita antequam interueniat alterius repromissio, nulla inducitur obligatio. Quare fallitur Thomas Sanchez disput. cit. num. 36. & sequentibus, dũ dicit posse stipulari aliquem pro alio in hac promissione, ita vt recedere non liceat promittenti. Nullus enim habet ius acceptandi sine mandato alterius. Vnde non satis est, neque pater neque mater, neque frater, neque soror, neque alij ad acceptandum eius nomine. Quamuis forsan aliqui ex his sufficerent ad stipulandum eius nomine, de quo Gabriel Vazquez loco citato.

10 Quartò colligitur contra eundẽ auctorem disput. 5. dub. 1. si vir promittente matrimoniũ, eam promissionẽ fœmina acceptet contractũ sponsaliorũ valere, neque esse necessariã aliam repromissionem, sed ipsam acceptationem repromissionem esse. Sic docet Antoninus 3. p. tit. 1. c. 18. *versic. nota ergo*, Rosella *verbo sponsalia n.* 1. Syluester eodem verbo in principio, Paludanus in 4. distinct. 27. q. 1. artic. 1. conclus. 1. & alij, qui docẽt ex sola acceptatione ex parte vnius nasci obligationem mutuam sponsalium, eo quod ipsa acceptatio intelligatur in modum sponsionis. Fauent Tabienna *v. sponsalia n.* 4. Armilla eodem v. nu. 3. Angelus eodem v. nu. 19. Nauarrus in sum. c. 22. nu. 25. cum asserunt non esse sponsalia, quoties vir spondet, & mulier nõ respondet, neque indicat se acceptare sponsalia. Ratio autem manifesta est. Quia, cum promissio matrimonij non sit, nisi sub conditione repromissionis, neque esse possit, eo ipso, quo aliquis acceptat, significat velle se in futurũ cõtrahere, cum non possit aliter promissionẽ acceptare, quæ est de matrimonio futuro. Exẽplum est manifestũ in eo, qui acceptat promissionẽ venditionis; eo enim ipso vult in futurum emere, cum venditio sine emptione esse non possit, neque promissio venditionis sine vlla repromissione emptionis.

11 Verũ vt Thomas Sãchez probet præter acceptationem necessariam esse repromissionem aliam, & aliàs non nasci mutuam obli-

obligationem, vtitur ea regula, quod *qui tacet consentire videtur in eo quod est in sui fauorem, non in præiudicium*, quare consentit in eo, quod alter illi maneat obligatus. Sed hoc nullius momenti est, nam licet demus eam regulam solùm habere locum, in his quæ sunt in fauorem tacentis, de quo non est hic locus disputandi: nec enim agimus, an taciturnitas habeat vim acceptationis, quam in sponsalibus certum est habere *cap. vnico de desponsat. impub. in 6.* & constat ex his quæ dixi supra lib. 2. sed de acceptatione agimus, an vim habeat repromissionis. Quamuis ergo ea regula solum haberet locum in his, quæ sunt in fauorem tacentis, non sequeretur acceptationem sponsionis futuri matrimonij factam esse tantum in fauorem tacentis, & ea taciturnitate acceptantis absque eo quod ipse maneat obligatus, cum nullo modo ita possit acceptari promissio, sed ea acceptatio, necessario, & essentialiter includat repromissionem. Couarruuias autem & alij Doctores quorum auctoritate vtitur Thomas Sanchez, agunt de alijs casibus longè diuersis, scilicet quando in acceptatione, quæ per taciturnitatem fieri intelligitur, non includitur promissio, vt quando coram ordinario facta esset institutio, quæ ad ipsum pertinebat, ipso vidente, atque tacente. Verum est eum, qui promittit matrimonium alicui fœminæ, & illa non repromittens petit tempus ad deliberandum manere obligatum ad expectandam deliberationem mulieris, cum ei tempus deliberandi concesserit. Hoc autem non est teneri ad matrimonium absolutè sine conditione repromissionis. Quandiu enim alius non repromittit, non est vinculum obligationis absolutum, sed suspensum, donec adueniat ea conditio, ad quam ponendam tempus concessum est à promittere. Atque hæc, quæ diximus de istis promissionibus in his illationibus, vera etiam sunt, quamuis firmentur iuramento. Quia supponit promissionem reuocabilem ante acceptationem. Illud addiderim eum, qui promisit, posse agere aduersus fœminam acceptantem, vt impleat repromissionem inclusam in ipsa acceptatione. Atque ex his soluta sunt, quæ adduximus pro prima sententia. Consule etiam ea quæ diximus supra lib. 2. capite.

De alijs, quæ requiruntur ex parte contrahentium, vt sponsalia sint valida.

CAPVT V.

SVMMARIVM.

Deliberationem, rationis vsum, libertatem, signa externa requiri ad sponsalia, num. 1.

Vt sint habiles ad contrahendum matrimonium, num. 2.

Quæ ætas requiratur ad sponsalia nu. 3.

Quid de matrimonio de præsenti inter impuberes, num. 4.

Debere ferri in personam determinatam, num. 5.

Nullam esse formam pro sponsalibus contrahendis, num. 6.

1 IN primis requiritur deliberatio, & rationis vsus, sicut ad matrimonium, quod latè à nobis explicatum est supra lib. 4. cap. 1. secundò requiritur libertas à coactione, & metu iusto: eo enim metu redduntur sponsalia nulla iure naturali, vt explicui eodem lib. cap. 6. An etiam sponsalibus officiat leuis metus petendum est ex dictis eodem lib. cap. Quare eadem, quæ de matrimonio diximus, cum adest error vel metus, dicenda sunt de sponsalibus. Tertio requiruntur externa signa, siue verba, siue alia iuxta morem Prouinciæ. Quæ autem verba sint sponsaliũ, & quomodo accipienda in dubio, & quæ etiã signa sponsalium, explicui latè, cum de matrimonio agerem lib. 2. Vnde non indigent sponsalia stipulatione, neque scriptura, & non tantum inter præsentes, sed etiã inter absentes contrahuntur per procuratorem vel nuntium, vel epistolam *l. 47. & vltima de sponsal.* seruatis etiam his, quæ præcipiũtur *c. vnico de desponsat. impub. in 6.* de quibus latè supra lib. 2 cap. 14. & sequentibus.

2 Quartò requiritur, vt qui sponsalia cõtrahunt, sint habiles ad contrahendum matrimonium, aliàs erit promissio de re iniqua, & illicita. Vnde iure ciuili inter eas personas, inter quas coniugia prohibita sunt, censentur prohibita sponsalia *l. si quis tutor D. de spõsalibus.* Prohibito itaque matrimonio prohibita sponsalia sunt, si tamen sit eadem prohibitionis ratio. Cuius rei exemplum est in Senatoribus, qui prohibẽtur libertinã vxorẽ ducere, ne dedecoretur ordo senatorius tali coniunctione, nam & sola desponsatio turpitudinem habet. At vbi cessat ratio, quæ viget in matrimonio, cessabit etiam prohibitio

sponsalium, vt in muliere, quæ intra annum luctus nubere prohibetur propter turbationem sanguinis, nullum enim periculum est, ne sponsalia sola turbationem sanguinis afferant *l. solent D. de his qui not. infam.* Item, qui officiū in aliqua Prouincia administrat, vxorē ibi ducere non potest, quamuis nō prohibeatur inire sponsalia *l. si quis officium D. de ritu nuptiar.* Quia post depositum officium liberum est ei nuptias non contrahere. Vnde nullus metus ei nocere poterit, quæ fuit sola prohibitionis ratio. Secus est in tutore, cui & prohibentur sponsalia, & matrimonium *l. tutor D. de sponsalib. & l. si quis tutor D. de ritu nupt.* Militat enim eadem ratio tam in matrimonio, quàm in sponsalibus.

3 Quintò requiritur ætas contrahētium. Et iure quidem ciuili discrimen est inter matrimonium, & sponsalia, quod in sponsalibus ætas definita non sit, sicut in nuptijs. Vnde impuberes contrahunt sponsalia, modo infantes non sint *l. in sponsalibus de sponsal.* Itaque, si puellam non dum duodecim annis natam, quis vxorem duxerit, nuptiæ non subsistunt, sed tunc legitimam fore vxorem Pomponius ait, cum apud virum duodecim annos impleuerit *l. 4. de ritu nupt.* At iure Pontificio septennij ætas sponsalibus contrahendis determinata est *cap. literas cap. accessit. cap. ad dissoluendum, de desponsat. impuber.* Definitur autem septennium tam in viro, quàm in fœmina, quia cum ad sponsalia sufficiat vsus rationis neque requiratur potentia, septennio iam frequens est rationis vsus. Quod si septennio nondum illuxerit rationis vsus, sponsalia nulla sunt, quia debent esse cum deliberatione, vt dictum est supra isto cap. Requiritur autem completum septenniū, quando non constat malitia ætatem suppleri. Itaque non habet hic locum illa vulgaris regula, *parum pro nihilo reputatur.* Exigit enim ius completum septennium. Sufficiet tamē dies vltimus inceptus fauore matrimonij, sicut diximus supra lib. 9. de bimestri spatio ad deliberandum dato. Sed non ita definitum iure septennium est, vt, si antea malitia suppleat ætatem, non valeant sponsalia. Si enim suppleat, etiam ante septennium contracta valent, vt diximus supra lib. 2. & docet cum Ioāne Andræa, Innocentio, & Præposito Canisius in *cap. iuuenis de sponsal.* Cuius fundamenta suprà a nobis adducta sunt. Id quod verum est, siue prope septennium vsus rationis illuxerit, siue multo ante septennium, solùm enim requiritur vsus rationis. Quod si ante septennium celebrata sponsalia sint malitia non supplente ætatem, nulla sunt, nisi denuo ratificentur post septennium. Rata autem habentur, si simul habitent, aut alijs modis, quibus consensum explicari dixi supra lib. 2. iuxta textum in *cap. vnico de desponsat. impub. in 6.* Supponimus autem ea signa ratificationis adhiberi à scientibus sponsalia contracta ante septennium esse nulla; alias cum ignorantia non præsumitur consensus iuxta dicta supra lib. 4. prope finem. Hæc quæ hactenus diximus in iure certa sunt, & communi DD. sensu recepta.

4 Atque idem dic de matrimonio de præsenti inter impuberes, quod tantum habet vim sponsalium de futuro *cap. fin. de desponsat. impub. & cap. vnico eodem in 6.* Quod si ante septennium aliqui cōtrahant sponsalia, quæstio est an sit peccatum. Ego sentio nullum esse. Quia si malitia supplet, valent: si non supplet, nihil agunt, neque iniuriam inferunt alicui sacramento. Idem dic si ante ætatem legitimam contrahere velint matrimonium. Quia quantumuis conentur, sponsalia tantum efficiunt, cum ante dictam ætatem puberatis sint inhabiles contrahendo matrimonio. Neque obstat textus in *cap. 2. de desponsat. impub.* in illo enim non agitur de sponsalibus prohibendis, sed de matrimonio non celebrando ante pubertatem. Quod autem ibi dicitur propter vrgentissimam necessitatem vt pote pro bono Patriæ posse illos coniungi, qui non sunt iustæ ætatis ad contrahendum, referri non potest ad veram matrimonij coniunctionem propter defectum consensus matrimonialis, qui nondum est in impuberibus *cap. tuæ 25. de sponsalibus, & cap. Anobis 8. de desponsatione impuberum*, sed referendum est ad coniunctionem matrimonialem, quæ fit de facto, non de iure: & ideo textus vtitur verbo, *coleretur*, quasi per dissimulationem quandam, quam interpretationem admittunt Canisius, & Thomas Sanchez lib. 1. disput. 17. num. 6. Sed mihi difficilis apparet. Quia si etiam ante pubertatem sequeretur copula, transirent iure antiquo ea sponsalia in matrimonium, vt dixi supra lib. 2. Quare ego vel intelligerem textum de coniunctione, hoc est, habitatione in eadem domo, vel dicerem ante Clementem III. valuisse matrimonia de præsenti inter impuberes, vt dixi etiā supra lib. 2. quæ erant veluti conditionalia matrimonia. Nicolaus autem, qui multis annis præcessit Clementem III. ea prohibuit, nisi magni alicuius dissidij vitandi causa fierent. Itaque ius illud in dict. cap. 2. non corrigit alia iura, quæ matrimonium de præsenti

inter

inter impuberes resoluuntur in sponsalia, cum sit antiquius. sed statuit ne talis contractus de præsenti inter impuberes fiat, nisi ex magna causa. Quem contractum de præsenti inter impuberes posteriora iura Clementis, Lucij, & Innocentij III. vim tantum sponsalium re ipsa habere vel declararunt, vel denuo statuerunt.

5 Sextò requiritur, vt sponsalia ferantur in determinatam personam, quia sicut matrimonium est cum determinata persona, ita etiam sponsalia. Ex quo infert Thomas Sanchez lib. 1. disput. 26. num. 2. si quis promisit contrahere matrimonium cum ea, quam pater elegisset, in patris potestate esse eligere filiam, quam voluerit iuxta regulam. *In alternatiuis de regul. iuris in 6.* tenerique patrem dare superstitem si aliæ defecerint, iuxta *l. 11. tit. 1. Part. 4.* etiam si quando promisit, non habuisset in animo illam dare, saltem in foro externo, nisi in animo habuisset dare aliam, & non illam; hocque eius dandi quam vellet, integrum esse patri, quamuis cum aliqua earū copula interceßisset. Verùm consequenter ad ea, quæ dixi supra cap. 4. vbi ostendi non posse esse promissionem matrimonij validā sine repromissione, dicendum est, suspensam esse eam obligationem, & quasi conditionalem, donec pater eligat, & præsente filia vel conscia electionis patris, vt illam ratam habeat in dict. *cap. vnico de desponsat. impub. in 6.* & ante patris electionem, & filiæ ratificationem non esse sponsalia pura, sed conditionata. Eodem modo philosophandum est, & iuxta eadem principia, si contrahens dicat se ducturum aliquam ex pluribus consentientibus, quam ipse elegerit: ex parte namque fœminarum suspensa sunt sponsalia, donec eligat; posita autem electione iam redduntur pura, & obligatoria iuxta ea, quæ de conditionalibus contractibus dixi latè supra lib. 3. Quod si postquam promiserit ducturum aliquam, quam ipse elegerit, & illæ sub ea conditione consenserint, si postea alicui earum copuletur, antiquo iure transirent in matrimonium, quasi per copulam censeretur à cōditione recedere *cap de illis de condit. appoßit. in fine.* At si reuera non fuisset facta electio, de ficeret illa præsumptio iuxta ea, quæ diximus supra lib. 2. de copula subsequenti sponsalia. Iure autem nouo Tridentini cum non transeant in matrimonium, neque copula purificantur ea sponsalia, nisi aliud probetur, scilicet, signis alijs electionē factam. Vnde, etiam si parochus præsens fuisset illi promissioni conditionatæ, & postea copulæ, si nihil aliud interueniret, non fieret matrimonium, nec enim in eo casu testis esset contractus matrimonij, vt iam dictum est supra lib. 2. & lib. 4. prope finem, & lib. 5.

6 Circa formam autem contrahendi spōsalia non requiritur aliqua solemnitas vt valeant, & ita sine parocho, & testibus celebrari possunt. Decretum enim Tridentini non extenditur ad sponsalia, neque in eis aliquid innouatur, vt sæpe sæpius declaratum esse à Cardinalibus constat ex illis declarationibus, quas collegit Farinacius. Et idem dicitur de sponsalibus impuberum etiam si de præsenti fiant, quare illa relicta sunt dispositioni iuris communis antiqui. Vnde nec veniale peccatum est contrahere clandestinè sponsalia, cùm nulla de eo extet prohibitio. An autem vnà cum consensu contrahentium sponsalia requiratur etiam ad eorum valorem cōsensus patris, vel eorum, in quorum potestate sunt, dixi supra lib. 2. cap. 1. tam de matrimonio, quam de sponsalibus.

Quem effectum habeant sponsalia valida.

CAPVT VI.

SVMMARIVM.

Ex sponsalibus oritur obligatio contrahendi matrimonium, & quomodo obligatio intelligenda, num. 1.

Quomodo qui renuit compellendus sit à iudice, num. 2.

Opponuntur nonnulla, & diluuntur, num. 3. 4. 5.

An copula cum sponsata sit adulterium iure ciuili, num. 6. 7.

Non esse adulterium iure canonico, num. 8.

1 PRIMVS effectus est contractus sponsalitij obligatio, quæ ex illo oritur; & hæc obligatio naturalis est, qua contrahentes obligati manent ad promissionem implendam: eaque est obligatio sub lethali culpa, cum sit materia grauis, & alias quantitas obligationis non pendeat ex voluntate promittentis, vt dixi supra isto libro cap. 2. Colligitur etiam hæc obligatio ex *cap. despōsatas cap. de coniugali 27. quæst. 2. cap. 2. & cap. ex literis El. 2. & cap requisiuit de sponsalib.* & est omnium DD. sententia. Itaque etiam secluso damno, si quod intulit per violationem, ratione promissionis, vterque obligatur implere sub lethali culpa. Incipit autem

tem ea obligatio â momento contractus *l. in omnibus obligationibus D. de Reg. iuris. & l. cũ qui §. quoties, de V.O.* Cuius oppositum immeritò docuit Thomas Sanchez lib. 1. disput. 28. num. 2. argumento textus in *l. debitores præsentes C. de pignor.* ex quo textu constat debitorem non teneri soluere, nisi requisitum, quando non est debito soluendo præfixus terminus. Sed id perperam ex dict. l. colligitur, nã ibi agitur de distractione pignoris, quod creditor habet, non enim valet pacta de pignore propria auctoritate distrahendo. At quando conuenit, ne pignus debitoris distrahatur, & perpetuam moram soluendi faciat, solenniter ac cum testibus denuntiare eidem possunt, vt pignus liceat distrahere, vt in d. *l. debitores*, & docet Paulus lib. 2. sentent. 5. §. 1. & *l. 4. D. de pignorat. act. eo moram faciente pignus iussu iudicis vendi potest l. 18. in fine C. de administrat. tut.* aliâs denuntiatio præcisè non requiritur *§. 15. in fine instit. de actionib.* Vide Cuiacium lib. 5. obseruat. cap. 31. Itaque perperam suam doctrinam ex dict. l. colligit Sanctius. Quod autem attinet ad eam doctrinam, quam affert, verum quidem est, quando aliquis mutuam pecuniam dedit, nec terminum præfixit, intelligi debere necessario aliquem terminum arbitrio iudicis, vt vtile sit mutuum: aliàs nulla mutuatarij vtilitate datum mutuum esset, si statim repeteretur, sicut etiã idem dicitur de Precario. At in nostro casu longè diuersa ratio est: non enim est necessarium tempus expectandi, in quo sit vtilis ea promissio: est enim vtilis à principio, & vtilis adimpletio: & ita etiam alio non petente adimplenda est, nisi alter adimpletionem differri ex causa postulet.

2 Quod si is, qui sponsalia contraxit, adimplere nolit, monendus prius per iudicem est, & si adhuc renuat, per censuram compellendus est *cap. ex literis 10. desponsal.* In quo est diuersa ratio iuris ciuilis, & canonici. Nã iure ciuili aduersus eum qui spopondit, nulla competit actio, quamuis olim etiam iure Romanorum actionem ex sponso dari, litemque pecunia æstimari solitam auctor sit Sulpitius apud AGelliũ. Eo itaque iure permissum est sponso vel sponsæ recedere ab sponsalibus *l. 1. C. de sponsal.* præter quam si arrhæ interuenissent, quæ duplicatæ â renuntiãte restituuntur: & hoc renuntiationis genus repudium appellatur *l. inter stuprum l. inter diuortium de V.S.* quod â patre pro filio vel filia, quam habet in potestate, fieri potest, â tutore autem pro pupillo, vel pupilla non potest, *l. in potestate l. si tutelæ de sponsal. l. 4. C. eodem.* Neque infamia notantur cum aliis postea contrahentes, quasi bina sponsalia eodem tempore constituta habeant, dissolutis videlicet per huiusmodi renuntiationem prioribus sponsalibus *l. 1. §. quid ergo de his qui not. infam.* At vero iure canonico renuntiatio vnius inuito altero prohibita est dict. *cap. ex literis, & in cap. de illis §. mulier de desponsat. impub.* Quare, cum ex illis sponsalibus nascatur obligatio, per ecclesiasticum iudicem, seruare compelluntur. Idem est siue sponsalia sint iurata, siue simplicia, vt constat ex dict. *§. si mulier*, adeo vt si post prima sponsalia alia contraxerit, & iuramento confirmauerit, nulla sint, & iuramentum nullam obligationem inducat, vt pote, quod vinculum esset iniquæ obligationis. Illud tamen addendum est iuxta Seraphinum decis. 1113. Iudicẽ compellere debere per censuras compulsione moderata, non præcisa, si pertinax sit pars in resistendo *cap. requisiuit, de sponsal.* Imò, & quando prudenter iudicatur frustra ferri excommunicationem, ab illa abstinendum docet idem Seraphinus decis. 1258. vide etiam Riccium decis. 231. in praxi, & decis. 232. num. 1. & 2.

3 Sed obstare videtur primô, quod in obligatione facti nemo compelli debeat, sed persoluto interesse liberetur *l. stipulationes 27. §. Celsus de V.O.* sed hoc locum non habet in his, quæ non recipiunt æstimationem, vt est matrimonium, & alia spiritualia: in his enim præcisè ad factum compelli potest, iuxta doctrinam Panormitani in dict. *cap. ex literis num. 5.* Et ratio est. Quia quod in his, quæ æstimationem recipiunt, liberetur quis præstãdo interesse, neque ad factum præcisè obligetur, id nascitur ex voluntate tacita contrahentium. Cum enim facta ab inuito non reẽtè præstari soleant, iuxta illud, *rarò respondẽt coacta ingenia*, videtur tacitè inter contrahentes id actum, vt si res non fiat, in locum facti succedat interesse, quod secus est in his, quæ æstimationem non recipiunt, ac proinde præcisa eorum obligatio est.

4 Neque obstat secundo textus in *cap. 2. de sponsal.* ibi. *Commonendi sunt, & omnibus modis inducendi.* Quem textum sic interpretatur Thomas Sanchez lib. 1. disput. 29. num. 4. quod prius monendi sunt, postea tamen cogendi, nisi subsit iusta causa. Sed non attendit Thomas Sanchez textum hunc ex cap. 2. non esse ad rem, de qua agimus. In eo enim non est sermo, quando sponsalia vnus ex eis implere non vult, sed quando sponsalia mutuo consensu eorum, qui contraxerunt, dissoluũtur. Expressè enim ibi, *si autem se ad inuicem admittere*

mittere noluerint. Idem indicat exemplum desumptum ex contractu societatis, quo vtitur Pontifex. Neque hanc interpretationem labefactat, quod dicat textus illos prius monẽdos, & modis omnibus inducendos vt præstitam fidem obseruent, & si non paruerint, patienter tolerandum esse, quasi insinuare videatur Pontifex peccatum esse in ea dissolutione: cum tamen in dissolutione ex consensu mutuo sponsalium nullum peccatum sit. Respondetur enim dupliciter aliquid in iure dici *patienter tolerari*, vno modo permittendo solum illud, vt malum ad euitandum maius vt in *cap. cum iam dudum 18. de præb, ca. fin. dist. 4. & cap. quod verius 33. quæst. 2.* Melius enim est ex duobus malis quod minus est seligere *cap. duo mala dist. 13.* alio modo aliqua in iure permitti dicuntur, licet impunè fiant, & absque peccato, quia mallet ius ob aliquam rationem aliud fieri, vt in dict. cap. 2. mallet enim summus Pontifex vitandæ inconstantiæ causa in re tanti momenti matrimonium contrahi, quam ab sponsalibus discedi mutato animo: atque idcirco prius admonendos, & inducendos scribit, quam à sponsalibus discedant. Sic explicant Tancredus, Hostiens. Panormit. ibi Couarruuias 1. part. de matrimon. cap. 5. §. 1. in principio, vbi & eam interpretationem communem dicit. Igitur in dict. cap. 2. non vtitur Pontifex verbo *cogendi*, sed *monendi*, quia de illis agit, qui ex mutuo consensu recedunt, quibus recedere quidem impunè licet: sed vitanda inconstantiæ causa, quam præ se ferunt, monendos dicit Pontifex ne recedant.

5 Neque etiam obstat tertio textus in *ca. requisiuit, de sponsal.* quo prohibetur compelli sponsam, quæ se nupturam sub iuramẽto promisit. Respondetur enim tunc minimè compellendam esse, vbi causa subest, cur compelli non debeat, vt dictum est, quod idem statuitur in dict. *cap. ex literis 10.* ibi, in fine, *nisi rationabilis causa obstiterit.* Nomine autem rationabilis causæ quæuis illa intelligitur de his, quæ sufficiunt ad dissoluenda sponsalia. Inter illas autem ea est, si sponsa ita exhorrescit sponsum, vt verosimile sit scandala, lites, perpetuasque discordias ex matrimonio fore. At si nulla iusta subsit causa, compellendus est per censuras ecclesiasticas contrahere, ita vt ex nolente fiat volens, argumento textus in *cap. videtur 23. quæst. 6.* Compulsio enim hæc ad inducendum liberum consensum adhibetur, non vero, vt inuitus adigatur in matrimonium, quod in hoc casu nullum est, si ab inuito contraheretur *cap. cum locum 14. de sponsal.* Quare in hoc textu dixit Thomas Sanchez, & alij sustineri minus malum, scilicet, violationem fidei, & periurium, ad euitandum maius malum, scilicet, perpetuas inimicitias: ego tamen existimo eos non rectè colligere ex illo textu. Nam si rationabilis causa subest, iudicat ecclesia cessare sponsaliorum vim, & ex consequenti obligationem adiectam iuramenti. Quia ob mutationem status rerum, ob graues inimicitias, & scandala, quæ iam timeri possunt, cum tamẽ tempore contractus sponsaliorum non timerentur, cessauit eorum obligatio, & etiam iuramenti. Quare non toleratur minus peccatum ad euitandum maius, sed decernitur iam in eo casu non habere locum obligationem promissionis, atque iuramenti propter insignem factam rerum mutationem, vt magis explicabo infra, cum de causis dissoluendi sponsalia sermo fuerit. Ex quibus fit huius causæ cognitionẽ esse debere iudicialem, cum pronuntiandum sit super valore sponsaliũm, & eorum dissolutionem. Deinde fit, si non sit quæstio de sponsalium valore, etiam posse compelli ad implenda sponsalia per sæcularem iudicem, licet iuramento firmentur, vt docet Thomas Sanchez disput. citat.

6 Alter etiam sponsalium effectus à nonnullis enumerari solet, vt scilicet cum ea spõsa de futuro res habita adulterij nomine censeatur. Et quidem iure ciuili etiam sponsam violatam accusare poterat sponsus iure mariti. Non enim minus in sponsa, quam in vxore adulterium cõmitti dixit I. C. in *l. si vxor 13. §. diui adl. Iul. de adult. diui Seuerus, & Antonius rescripserunt etiam in sponsa hoc idem vindicandum, quia neque matrimonium quale cumque neque spem matrimonij violare permittunt.* Errat autem turpiter Thomas Sanchez lib. 1. disp. 2. num. 3. cum in dict. *l. sponsæ* nomine intelligit desponsatam de præsenti. Nam cum sponsa de præsenti non est spes matrimonij, sed matrimonium. Idem constat *l. miles §. quærebatur D. eodem.* Dum enim sponsam alteri à Patre nuptui collocatam iure mariti accusandi facultatem sponso negat alijs in casibus cõcedere videtur, & *l. propter C. eodem.*

7 Neque huic definitioni obstat textus in dict. *l. si vxor*, vbi cum negatur impuberem puellam accusari iure mariti, sed quasi sponsam accusari posse, consequens videtur sponsam iure mariti non accusare. Nonnulli dicunt accusari sponsam violatam iure sponsi. At in iure nulli ius est ad hunc effectum, nisi marito, aut extraneo. Dicendum ergo ad hoc sponsam accusari iure mariti, neque obstare prædi-

prædictam legem, cuius sensum mihi videtur assecutus Cuiacius lib.6.obsernat.cap.16. Impubes vxor duci non poterat, sed benè sponsa haberi, dummodo infans non esset: ne cessaret tamen erat, vt nominatim sponsalia contraherentur. Vnde si in domum duxisset eam impuberem non factis sponsalibus, neque matrimonium, neque sponsalia erant. At si sponsalia nominatim contracta essent, iam habebatur sponsæ loco, & illam violari se passam accusare iure mariti vir potest. Sensus ergo dict. legis hic est: si impubes fœmina domum ducta fuerit, scilicet, non contractis nominatim sponsalibus, & illa adulterium commiserit, non datur accusatio mariti iure, etiam si apud eum creuerit, & postea vxor esse cæperit, sed vel quasi sponsa accusari poterit ex rescripto Diui Seueri. Si verò quasi sponsam domum duxerit, contractisque cum ea sponsalibus, etiam si impubes illa sit, accusari ab illo iure mariti potest iuxta rescriptum itidem Diui Seueri. Atque idem est sensus Imperatoris in dict. *l. propter C. eodē. Propter violatam virginem adulteram, qui postea maritus esse cæpit, accusator iustus non est, & ideo iure mariti crimen exercere non potest, nisi puella violata sponsa eius fuerat.* Sensus est, vt ibidem interpretatur Cuiacius. Propter violatam, id est, sponte corruptam virginem, hoc est, impuberem: vnde puberes deuirginati sæpe vocati sunt, adulteram, id est, quæ postea adultera esse cæpit, vir accusator iustus non est, nisi ea puella impubes sponsa eius fuerit. Quare caue à Gothofredo in dict. *l. propter* aliter explicante.

8 Hæc quidem iure ciuili, & in foro externo. At in iure canonico, & in foro conscientiæ adulterium non est cum sponsa alterius de futuro rem habere. Quia nulla est iniustitia, cum illa non sit aliena, hoc est, alterius, non dum enim tradidit corpus suum, neque transtulit in dominium viri. Hinc consequenter fit non esse circunstantiam in confessione explicandam. Quare ridiculè Thomas Sanchez lib.1.disput.2.num.6. censet, si res habeatur cum sponsa alterius de futuro, esse circunstantiam in confessione explicandam, quia est grauis iniuria at si habeatur res cum sponso alterius non esse circunstantiam explicandam, quia leuis iniuria est sponsæ. Si iniustitia est, ex vtraque parte sit necesse est: & cum sit in re graui, non potest non esse mortalis culpa, & ideo explicanda. Et quod homines non reputent eam grauem iniuriā, si sponsus fornicetur, parum refert: aliàs idē dicendum esset, quamuis iam esset contractū matrimonium, planum enim est homines graniorem iniuriam iudicare si vxor adulteretur, quam si maritus, & apud omnes illam seueriſsima pœna puniri, hunc verò minimè. Veritas ergo est non esse necessarium in confessione explicare siue cum sponso, siue cum sponsa res habeatur, quia nō est ibi iniustitia supra fornicationis malitiam, cum sit vsus corporis, quod adhuc nō est alienum. Quod autem sponsus per sponsalia ius habeat tantum est, vt non impediatur iniustè ad illa ducenda in vxorem; quod ius, non impedit, qui cum illa rem habet. Nam si sponsus de futuro sciat, potest liberè illam reijcere, aut eam cū eo defectu sciens volensque in vxorem recipere. Si autem concubitus occultus omnino sit, non est defectus ille ex his, qui commutanti manifestandi sunt, ne committatur iniustitia, & inæqualitas contractus, cum detur corpus æquale pro corpore æquali secundum substantiā, in quo consistit iustitia matrimonij, vt dixi in tract. de restitutione c. de rest. in bonis corporis, sed vide de hoc Turrianū tit. 2. disp. 78. dub. 2. Quo modo autem sponsalia eam vim habeant, vt copula secuta transeant in matrimonium, & an nunc in aliquo casu locum habeat, iam supra explicatum est lib. 2. & lib. 5.

De sponsalibus conditionatis.

CAPVT VII.

SVMMARIVM.

Sponsalia conditionata explicantur iuxta ea, quæ de matrimonio, n. 1.

Conditio contra substantiam matrimonij reijciuntur ab sponsalibus, num. 2.

An idem de turpi, & impossibili, num. 3.

1 SVPPOSITIS his, quæ dixi supra toto lib. 3. facile erit rem istam expedire. Constat primò, si conditio honesta aut licita adhibeatur, obligationem esse expectandi euentum conditionis: euenientе autem illa conditione purificari sponsalia sine nouo consensu, vt dixi eodem lib. cap. Quod secus est in matrimonio, vt ibidem ostendi, & de spōsalibus contractis sub conditione, si Papa dispenset, vide Seraphinum de cis. 1156. vbi dicit illam debere exprimi in ipso contractu, aliàs nō cēseri appositam: vide etiam Riccium in praxi decis. 248. Quod autem tam Seraphinus quam Riccius dicunt dispen-

dispensare Papa necessarium esse nouum cõsensum, accipio de consensu ad matrimoniũ, non de consensu ad contractum sponsalium. Donec autem adimpleatur conditio non esse locum alijs sponsalibus, etiam absolutis, propter rationem traditam lib. 7. cum de impedimento publicæ honestatis sermo esset. Nam vna obligatio absoluta posterior eiusdem rationis non prævalet contra priorem. Et quanuis illa obligatio videatur esse conditionalis, est tamen etiam obligatio absoluta expectandi euentum conditionis, contra quã non potest prævalere obligatio absoluta posterior sponsalium.

2 Constat secundò, si conditio sit contra substantiam matrimonij in sensu explicato lib. 3. sicut reijcitur â matrimonio, reijci etiã à sponsalibus. Vnde siquis ita contrahat, *ducam te in vxorem, si post matrimonium alijs corpus tuum tradideris*, nullus est sponsalium contractus, sicut ipse contractus matrimonij nullus esset. A matrimonio enim non repellitur iure positiuo conditio contraria, quin potius ipsum annullat iure naturali, vt dictum est. Quod siquis ita contraheret, *ducam te in vxorem, si ante matrimonium alijs corpus tuũ tradideris, aut venena sumpseris sterilitatis*, cum hæc conditio adimplenda sit ante contractũ matrimonij, & ideo non sit contra substantiam matrimonij: nondum contracti, de illa perinde iudicandum est, ac de conditione turpi iuxta dicenda statim.

3 Sed difficultas est, quid dicendum si conditio turpis, vel impossibilis adhibeatur contractui sponsalium. Iure naturali constat dependentem esse consensum à conditione, & ita ex impossibili conditione esse nulla sponsalia, cum impleri conditio non possit: ex turpi vero suspendi vsque ad euentum cõditionis. Sed an iure positiuo repellatur ab sponsalibus, sicut repellitur â matrimonio dissensio est. Thomas Sanchez cum alijs lib. 5. disput. 17. num. 2. censet repelli. Fundamenta eius adeo debilia sunt, vt ipse eorum debilitatem agnoscens recurrerit ad communem DD. sensum. Sed quid tu mihi communem DD. sensum opponis in re, quæ ex iuris tantum positiui dispositione pendet? Quare quod in prima editione libri de impedimentis dixi, idem dico, scilicet, in contractu sponsalium, si adhibeatur conditio turpis, aut impossibilis, quæ non refundatur in matrimonium, non esse valida, nisi impleta conditione: docet Petrus Ledesma de matrim. quæst. 47. artic. 5. ad finem, & refert eam Doctissimos Salmanticenses tenuisse: docet etiam Fernandus Rebellus lib. 2. de matrim. quæst. 10. sect. 5. & alij. Ratio est vnica. Quia quod habeatur pro non adiectis in matrimonio tantum est ex dispositione iuris positiui, fauore illius ob præsumptionem, quæ non habet locum in sponsalibus. Et quamuis in *l. Oratio D. de sponsal.* dicatur dispositum in matrimonio censeri etiam dispositum in sponsalibus, loquitur tamen de inhabilibus ad matrimonium, qui etiam inhabiles erunt ad sponsalia, quod intellige, vt dixi supra isto lib. cap. 5. si eadem sit prohibitionis ratio. Dixi *quæ non refundatur in matrimonium*. Quia siquis ita spondeat, *ducam te in vxorem si post matrimonium furtis meis consenseris*, sponsalia hæc in foro externo censebũtur valida, quia ab obiecto sponsalitiæ promissionis hoc est matrimonio repellitur conditio turpis. Igitur talis promissio in foro externo iudicabitur promissio contractus puri, id est, matrimonij pu rê contrahendi, cum conditio illa turpis habeatur pro non adiecta. Illud adde maioris explicationis gratia nullam esse posse obligationem ad turpe aliquid committendum. Hesita tamen iam executione turpis conditionis dicimus esse obligationem implendi sponsalia, & non fuisse nulla ex addita conditione turpi, nec vere obligasse ante euentum turpis conditionis. Quod etiam docuisse videtur Turrianus to. 2. in 2. 2. disp. 67. dub. 4. At in conditione necessaria de futuro, aut in conditione de præsenti, aut præterito, eadem dicenda sunt, quæ de matrimonio dixi supra lib. 3.

De sponsalibus quibus aduenit iuramentum.

CAPVT VIII.

SVMMARIVM.

Quid explicandum, num. 1.
Diuisio iuramenti in assertorium, & promissoriũ, & eius explicatio, num. 2.
Vtilem esse quæstionem de vi, quã addit iuramentum contractui, num. 3.

1 HVC distulimus disputationem de robore, quod iuramentum adijcit contractui, siue sponsalitio, siue matrimonij, siue cuicumque alteri. Res latissima, & nec facilis explicatu. Quare, vt distinctê, & simul etiam breuiter multa cõplectamur, placet totam rem hanc certis enuntiationibus

tionibus definire, easque, & confirmare, & corollarijs deductis illustrare, quæ lucem multis alijs præbebunt, quæ disputari solent de iuramento confirmatorio.

2 Sed ante omnia supponendum est, iuramentum communi receptaque diuisione diuidi in assertorium, & promissorium. Quâ diuisionẽ ita explicat D. Thomas 2. 2. quæst. 89. art. 1. Diuinum, inquit, testimonium quando quẽ inducitur ad asserendũ præsentia vel præterita, & hoc dicitur iuramentum assertorium; quandoque autem inducitur diuinum testimonium ad asserendum aliquid futurum, & hoc dicitur iuramentum promissorium. Quam distinctionem optime explicat Suarez tomo 2. de religione. lib. 1. de iuramẽto cap. 8. Sic autem intelligenda est vt omne iuramentum promissorium includat etiam assertorium. Nam qui aliquid sub iuramento se facturum promittit, tenetur non solum de futuro verum efficere, quod promittit, sed etiã de præsenti verè habere animum faciendi, quẽ animum etiam sub iuramento asserit; & ea parte qua assertorium est respicit tantum enuntiationem de præsenti, scilicet, animum præsentem faciendi, quod promittit: at quâ promissorium est, respicit futurum tempus. Illud etiam addendum, quod quamuis aliqua videantur de futuro enuntiari, & confirmari iuramẽto, vt siquis iuret Petrum crãs occisũrum aliquem, re tamen vera est affirmatio tãtum de præsenti, quod scilicet ita existimet ex certa scientia, & probabilibus coniecturis: & ita licet videatur propositio de futuro, est tamen de præsenti. Quod siquis iuret se crãs aliquid facturum, est quidem obligatio faciendi futuro tempore, quod iurat, & virtualis quædam promissio, cui Deus testis adhibetur, licet verbis non videatur promittere, & ideo ad promissorium iuramentum reducitur. Quare vniuersè verum est, quod docuit Diuus Thomas, iuramentum assertorium tantum respicere propositionem de præsenti aut de præterito, quâ scilicet assertorium est, promissorium verò vt tale est, solùm respicere assertionem de futuro. In præsenti non agimus de iuramento assertorio, sed de promissorio, quomodo scilicet confirmet actum pro tempore futuro.

3 Rursus obseruandũ est perperam non nullos asserere nullius momenti esse eam decidere quæstionem, quam vim tribuat iuramentum actibus, quibus accedit, cum semel constet iuramentum, quod non est vinculum iniquitatis, seruandum esse, verùm decipiuntur valdè, vt rectè docet Gabriel Vazquez de testamentis capite 3. dubio 2. Quia si contractus non firmatur iuramento, etiam si illi accedat obligatio religionis, non transibit obligatio contractus ad hæredes: quia obligatio religionis iuramenti solùm est personalis, & alias contractus remansit nullus: transiret autem, si fieret validus iuramento. Deinde si non firmatur iuramento, promissio non obligabit, & poterit iuramentum à Pontifice relaxari. Ideo enim dicunt multi relaxari non posse, ne fiat præiudicium tertio: quod in eo casu nullum fieret, si obligatio tantum esset ex religione, cum nullum ius iustitiæ quæsitum esset. Alia etiam multa sequuntur, in quibus diuersimode loquendum est, si actus firmatur, aut non firmatur iuramento, quæ prosequitur Suarez lib. 2. de iuramento cap. 25. & ex dicendis constabunt. Iam ergo rem hanc, quæ magni momenti est explicare aggrediamur per diuersas enuntiationes, ex quibus duas præmittemus, vt aliarum fundamenta.

Quæ obligatio nascatur ex iuramento?

§. I.

SVMMARIVM.

Prima propositio de vi, quam habet iuramentum natura sua, num. 4.

Ex iuramento præcisè solum oriri obligationem religionis, num. 5.

Quando adest alia obligatio, non esse ex vi iuramenti, num. 6.

Explicatur quare dicatur iuramentum induere naturam actus, cui adiungitur, num. 7.

4 PRima enũtiatio sit. *Iuramẽtũ natura sua solũ habet vim inducendi obligatiõnẽ ex religione prouenientẽ. Quod se aliã aliquando habet, non ex eius natura, sed ex iuris dispositione proueniat necesse est.* In hac conclusione explicamus obligationem, quæ præcisè oritur ex natura iuramẽti. In quo solus Molina tomo 1. de iustitia tract. 2. disput. 150. existimauit eam esse vim iuramenti promissorij, vt vltra obligationem religionis, quæ prima est in illo ordine ad Deum, pariat aliã secundariam comparatione proximi, cui fit promissio, & hanc dicit esse obligationem iustitiæ, quando iuramentum fit omnino liberè sine vi, & fraude. Cuius non aliud fundamentum est, nisi quia in iuramento promissorio intrinsecè includitur ratio

tio promissionis, ea enim differt ab assertorio. Sed ex promissione oritur ius iustitiæ. Ergo etiam ex iuramenti promissorij ratione, & efficacitate inducitur obligatio iustitiæ.

5 Sed verius est, quod habet enuntiatio proposita, ex iuramento præcisè non posse oriri aliam obligationem, quam religionis. Docet Innocentius *capite cum venissem de institut.* Iason in *l. ius iurandum D. de iure iuran.* Gabriel Vazquez de testament. cap. 3. dub. 2. num. 21. Suarez lib. 2. de iuramento cap. 29. num. 23. Thomas Sanchez lib. 3. sum. cap. 12. num. 3. & plures alij Theologi frequenter. Ratio autem est facilis, & aperta. Quia iuramentum ex natura sua non habet inducere aliam obligationem, quàm religionis, quod ostendo, & ab absurdo, & à priori. Ab absurdo quidem. Quia quod iuramentum habet ex natura sua, vbicumque fuerit validum iuramentum, idem habebit. Ergo iuramentum super solutione vsurarum, quod validum, & seruandum esse constat *cap. debitores de iure iurando*, induceret obligationem iustitiæ, atque adeo ex iustitia essent debitæ vsuræ, & vsurarius vere earum dominium compararet. Similiter etiam iuramentum coactũ eandem obligationem induceret, quod omnes in istis casibus vno ore negant. Præterea etiam, quando contractus nullus ob bonum publicum confirmatur iuramento, & ob bonum priuatum, oriretur eadem obligatio: & tamen constitutum est apud Doctores non in omnibus his eam obligationem oriri, vt explicabo infra. A priori autem ratio est. Quia iuramentum natura sua tantum ordinatur in confirmationem iuxta Paulũ ad Heb. 6. & ideo D. Thom. 2. 2. quæstion. 89. artic. 1. dixit iurare esse assumere Deum in testem, & quando hoc fit ad confirmandum aliquid futurum esse iuramentum promissorium. Ergo iuramentum promissorium natura sua supponit promissionem veluti materiam cõfirmandam, solumque inducit obligationem religionis, qua obligatione promittens sub iuramento tenetur Deo reddere iuramenta.

6 Ex quibus fit, si quando contigerit iuramento appositio non solum esse obligationem religionis, sed etiam iustitiæ, & actionem nasci promissario, id non posse prouenire ex natura iuramenti, sed aliunde, scilicet, ex dispositione iuris positiui, quod an fiat, & in quibus casibus fiat, dicam infra.

7 Hinc etiam fit, cur dicitur iuramentum, induere naturam actus, cui adiungitur. Sic enim est intelligendum, vt quoties iuramentum adiungitur actui, qui ex ratione contractus obligationem habet, obligatio iuramenti cadat supra obligationem illius, & iuxta modum illius, ita vt ea cessante cesset obligatio iuramenti. Ratio est, quia eo casu additur iuramentum in confirmationem illius. Hinc fit, quod quemadmodum promissio semper fit subintellectis quibusdam conditionibus, & vt eius obligatio perseueret, necesse est, perseueret idem rerum status, qui erat à principio, alias non erit infidelis, qui non adimplet, vt est sententia D. Thom. 2. 2. quæst. 88. ex Tullio, & Seneca, & dicemus infrà. ita etiam iuramentum cadens in eam promissionem subintelligit easdem conditiones, quæ seruarentur in promissione illa, si esset valida, & iuramentum liberè fieret. Vnde falso Molina tom. 1. tract. 2. de iustitia disput. 142. docet eum, qui alteri promisit se ducturum illam in vxorem, teneri obligatione iuramenti, ita vt non possit ingredi religionem. Quamuis enim semper verum sit perseuerante obligatione iuramenti, teneri eum, qui iurauit ad promissionem implendam; tamen considerari oportet an ex variatione rerum cesset obligatio prioris iuramenti: & ita, sicut in sponsalibus factis liberè omnino, & sine coactione intelligitur excepta electio perfectioris status, ita etiam in spõsalibus iuratis. Hinc rursus fit, quod sicut, si ille cui facta est promissio, non velit sibi promissionem impleri, cessat obligatio illius vt docet Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 89. artic. 9. ad 1. estque communis sententia: quia in quacumque promissione facta alicui in vtilitatem eius, intelligitur conditio consensus illius, id est, si ille voluerit sibi adimpleri promissionem ita, etiam si promissio iuramento confirmetur, nolente altero, vt impleatur promissio, cessat etiam obligatio iuramenti. Quia hæc iuramenti obligatio solum permanet, quandiu perseuerat promissionis obligatio, cum iuramentum solum adducatur in confirmationem illius: & ita qui potest remittere obligationem promissionis, consequenter etiam auferet obligationem iuramenti, vt obseruauimus supra lib. 8. cum sermo esset de dispensatione iuramenti. Adde, quod etiam si promissio nulla fuerit ad inducendam obligationem iustitiæ, & tantum impleda sit ex religione iuramenti, poterit nihilominus cessare obligatio iuramenti, non quia is, cui factum est, habeat ius iustitiæ, sed ex hoc, quod ipse nolit rem promissam acceptare. Quæ doctrina confirmari potest ex *tab. de*

bitores

bitores de iure iurando, ibi. *Mandamus quatenus creditores ad iuramenta super vsuris sibi soluendis præstita relaxanda ecclesiastica districtione cogantur*. Cumque vsurarij nullum ius iustitiæ habeant aduersus promittentem, non dicuntur relaxare, quia remittãt iustitiæ ius: sed tãtum, quia nolint sibi dari pecuniam promissam, neque illam accipere. Inutiliter ergo distinxit Molina iuramentum homini factum, vel Deo: semper enim fit Deo, eius tamen materia aliquando est promissio facta homini, vel indeterminata.

Quæ debeat esse materia iuramenti, vt obligationem inducat.

§. II.

SVMMARIVM.

Enuntiatio secunda de materia iuramenti, illam debere esse honestam ex se vel ex fine operantis num.8.
Iuramenti materia non fore turpẽ probatur, nu.9.
Opponitur ex Leuitici, 5. num. 10.
Opponitur ex Iudicum vlt. nu. 11.
Opponitur ex 1. Esdræ 10. num. 12.
Quarta obiectio diluitur, num. 13.
Opponitur ex cap. cum quidam de iure iurando, num. 14.
Opponitur ex capite venerabilem de electione, num. 15.
Opponitur ex Iosue 9. num. 16.
Quid dicendum de iuramento de re illicita tempore iuramenti, quæ postea fit licita, num. 17.

8 SECVNDA enuntiatio. *Materia, in quam cadit iuramentum, vt obligandi vim habeat, non debet esse turpis, neque indifferens, sed honesta, vel ex sua specie, vel ex fine operantis: aliàs nulla prorsus obligatio ex iuramẽto confirmatorio sequetur.* Hæc enuntiatio plures habet partes, quarum singulæ explicandæ sunt, atque probandæ.

9 Prima pars est, quod materia iuramenti non sit res turpis, aut quæ sine peccato, siue veniali, siue mortali adimpleri non possit. Quid clarius, atque receptius, quàm iuramentum contra bonos mores non obligare, *reg. non est obligatorium, de reg. iuris in 6. capite quanto, capite si vero capite cum contingat, de iure iurando*, & multa alia habentur apud Gratianum 22. *quæst.* 4. fere per totam. Ratio est euidens, quia iuramentum non potest esse iniquitatis vinculum. Ergo si contractus est illicitus, & peccaminosus, non obligat iuramentum, adeo vt neque iuramenti vim tribuat contractui, neque ipsum seruandum sit, neque opus sit relaxatione aliqua vel dispensatione. Implicat enim obligari aliquem ad peccandum, & nemo peccaret implendo id, ad quod obligatur. Quare qui iurat de aliquo malo faciendo, peccat mortaliter; & si non habeat animum implendi, peccat etiam. Quare debet à iurando desistere. Quod autem sit grauius peccatum iurare se aliquid mali facturum cum proposito faciendi, aut iurare sine eo proposito, alibi examinandum est.

10 Verùm contra hanc primam partem enuntiationis obstare videntur nonnulla. Primò obstat illud Leuit. 5. *Anima quæ iurauerit, & protulerit labijs suis, vt vel male quid faceret, vel bene, & id ipsum iuramento, & sermone affirmauerit, oblitaque postea intellexerit delictum suum, agat pœnitentiam de peccato suo.* Quibus indicari videtur peccatum esse obliuisci, id est, non implere, quod quis iuramento promisit, male faciendum. Primo tamen respondeti potest, aut ibi male facere non sumi pro malo culpæ, sed pro malo pœnæ, vt votum de affligendo aliquo, licitè tamen, vel de affligendo se per castigationem corporis, vt illud spiritui subijciat. Sic ex Hebræis nonnulli, & Cyrillus lib. 3. in Leuit. & Oleaster ibi sequitur Lorinus in Leuit. cap. 5. v. 4. probatque esse Origenis, Ruperti, Bedæ, Isidori, Rodulphi. Secundo responderi potest, & verius, ibi præcipi agi pœnitentiam de peccato in sacramento commisso, siue commissum sit in modo iurandi, aut in non implendo. Vnde dicitur si postea intelligat peccatum suum, neque explicatur quale illud sit, vt subintelligere possimus, & esse peccatum in male iurando, & in non implendo, quod rectè iuratum est. Sic Abulensis ibi quæstione 4. sequitur Suarez lib. 1. de iuramento cap. 14. Placet prima interpretatio, hanc enim postremam optimè repellit Lorinus loco citato.

11 Secundò obstare videtur quod Iudicum vltimo filij Israel iurauerunt non dare filias suas vxores filijs Benjamin, quod iuramentum videtur fuisse ex praua intentione extinguendi tribum illam, atque adeo de re illicita. Et tamen iuramentum illud seruandum esse tanquam obligationem inducens constat ex textu ipso. Multa Abulensis de isto iuramento eo loco. Dico breuiter in primis

primis filias hæreditatis participes non potuisse etiam remoto iuramento dari aliis tribubus, & ita recte potuerunt iuramento promittere. Deinde filias non participes hæreditatis potuisse non dari occasione belli iusti, & in pœnam delicti commissi, vt eorum communicationem vitarent, quod iustum esse potuit. Dico denique iuramentum illud in casu necessitatis illius, de quo non cogitauerant, nouo emergente rerum statu non obligasse. At quia illi existimabant se teneri, modum inuenerant, quo iudicarunt non violari ab illis iuramentum, quod omne gestum ab illis est ex ignorantia valde probabili. Sic Serarius quæst. 3. in idem caput, & eadem fere Suarez capite citato. Vide etiam Nicolaum de Lyra, qui in eo casu negat obligasse iuramentum.

12 Tertiò obstare videtur iuramentum factum à populo Israel, 1. Esd. 10. vbi iurarunt proijcere vxores alienigenas, quas duxerant cum filijs susceptis. Quod iuramentum videtur fuisse contra leges naturales, de indissolubilitate matrimonij, & de alendis liberis. Respondetur tamen omissis aliorum solutionibus, de quibus Suarez capit. citato, vxores illas fuisse alienigenas, & in infidelitate manentes, & ita licite potuisse repudiari, cum aliàs eo tempore repudia licerent. Deinde dico totum illud factum esse ex iussione Dei, vt constat ex textu. Quare potuit à Deo dissolui coniugium illud. Quod vero attinet ad filios dico nihil actum esse contra legem de alendis liberis, cum dimissi fuerint sub cura matrum, quos expediebat eijcere Deo præcipue iubente, si forte educati erant gentilitio ritu. Ex quo aliquale argumentum desumi potest ad confirmandam iustitiam decreti Philippi Tertij Regis nostri cum Maurorum colluuiem per fidam vna cum filijs ex omni sua ditione expulit.

13 Quartò obstare videtur quod ea regula colligatur ex iure, quo cauetur ea iuramenta non obligare, quæ obseruata vergunt in interitum salutis æternæ, *capite si vero, capite cum contingat, de iure iurando*. Peccatum autem veniale non inducit interitum salutis æternæ. Ergo non impediet obligationem iuramenti. Sed respondetur facile omissis alijs solutionibus, etiamsi tantum sit peccatum veniale, esse in dispendium salutis æternæ, non quia inducat reatum æternæ pœnæ, sed quia impedimento est saluti æternæ, cum nisi eo crimine purgetur, ingredi non possit in vitam æternam.

14 Quintò obstare videtur textus in *cap. cum quidam, §. vltimo de iure iurando*, vbi quidam dicuntur absoluendi ab obseruatione iuramenti illiciti, & contra rationem facti, quo iudicatur iuramentum illud obligationem induxisse, quæ absolutione tollatur: aliàs non esset opus absolutione. Varias interpretationes refert Suarez eo loco & alij. Mihi duæ probantur. Prima verbum illud *absoluendi*, accipiendum esse de absolutione declaratoria, qua scilicet declareter illum fuisse liberum obligatione iuramenti. Quo sensu accipitur idem verbum in cap. *Audiuimus* 24. quæstion. prima. Quam interpretationem indicat Abbas ibidem, sequitur Suarez libro citato cap. 15. Sanchez lib. 3. sum. capit. 7. numero 11. & sequenti. Secunda, quæ communis est, interpretatur de absolutione ad cautelam, non quod illa esset necessaria, vt optime Suarez dicto capit. 15. num. 7. in fine. Sed quia datur petenti ad maiorem quietem & satisfactionem eius, sicut datur interdum priuilegium petenti illud, etiamsi necessarium non sit, vt in Commentario de horis Canonicis non semel diximus, hoc est, libro quarto de ordine & annexis.

15 Sextò obstare videtur textus in cap. *venerabilem*, versicul. *idem etiam de electione*, vbi Pontifex exemplo Gabaonitarum probat non esse temerandum iuramentum eo prætextu, quod sit illicitum, donec iudicio superioris, ad quem pertinet, declaretur. Sed textus iste non vrget. Agit enim, quando non est certum, sed dubium, an illud iuramentum sit illicitum. Nam si res esset clara & certa, non esset necessaria superioris declaratio, quod etiã insinuatur in eodem textu, vt aduertit Glossa.

16 Septimò obstare videtur iuramentũ illud Iosue nono, quod filij Israel iurarunt Gabaonitis, & tamen quamvis esset contra legem Dei, obseruatum est propter religionem iuramenti. Multa de hoc iuramento Doctores Scholastici, & interpretes sacræ Scripturæ eo loco. Sed cauendum in primis à distinctione Gratiani 22. quæst. 4. §. vlt, Qui censuit iuramenta contra præceptum diuinum obligare intercedente ignorantia facti circa id quod iuratur, tãtum enim in eo casu obligari quis potest ex conscientia erronea. Dico ergo breuiter iuramẽtum illud Iosue non fuisse illicitũ, neque de re illicita idque docent omnes excepto Abulensi. Nã potuerunt quidem fœdus inire cum Gabaonitis ad veram religionem redeuntibus;

neque præceptum domini erat de occidendis illis, qui ex eis gentibus in legem Dei, & populum transirent, vt docent Serarius ibidem quæstion. octaua. Cum ergo sua oratione Gabaonitæ profiterentur se non legi Dei rebelles esse, ideò fœdus cum illis percutere non fuit illicitum, & ita Israelitæ iudicarunt se nihil egisse contra veram intelligentiam præcepti Dominici. Dico deinde illo iuramento & si licito reuera non adstrictos Israelitas propter deceptionem, & mentem iurantium, qui in homines longe dissitos ferebantur, id quod satis ostendit idem Serarius quæstion. 11. Quo constituto restat etiam recte potuisse eam pœnam seruitutis imponere propter fraudem, cum potuissent illos, si non occidere, quia in partes Dei transibant, at bonis omnibus spoliare, vt Serarius ibidem quæstion. 14. Adde etiam totum illud negotium gestum esse ex Dei inspiratione. Videatur etiam Suarez libro secundo de iuramento capite 16. Seruarunt autem iuramentum, quamvis non tenebantur, vel vt ostenderent obseruantiam iuramenti, vel quia dubitabant de eius valore ac robore, & in dubio seruare voluerunt, vt videtur indicare Pontifex in dicto cap. *venerabilem*.

17 Ex his colligitur, quid dicendum sit de iuramento faciendi aliquid, quod est malum tempore iuramenti, postea tamen ex mutatione rerum potest licite impleri. Nõnulli enim Doctores affirmant non obligare, eo quod sit de re illicita. Docet Ludouicus Lopez prima parte instruct. capit. 43. & Thomas Sanchez libro primo de matrimonio disputat. 5. numero 6. agens de voto. Idem enim propter eandem rationem diceret de iuramento. Mihi videtur vtendum distinctione, & consulendum esse iurantis animum. Certum enim est potuisse iurantem velle ita emittere votum, vt si tempore impletionis materia iudicaretur grata Deo, iuramentum obligaret. Potuit enim iuranti occurrere dubium de mutatione rerum, & varietate euentus, quo oblato potuit eius animus ita ferri in impletionem iuramenti, vt ex vi illius maneret obligatus sub conditione implicita aut explicita, si tempore impletionis posset iuramentum iuste impleri. Si tamen iurans aut vouens nihil omnino cogitauit de mutatione rerum & tempore emissionis iuramenti absolutè iudicauit materiam illam non esse materiam iuramenti, & impletionem illius fore ingratam Deo, dicendum est tale iuramentum aut votum non obligare. Quia secluſa ignorantia non potuit obligari ad rem iniustam. & vt supponimus, nihil omnino neque expresse, neque implicitè cogitauit de varietate rerum, & iustitia rei promissæ. Atque hoc sensu accipio Auctores primæ sententiæ. Et eodem modo philosophandum est in simili dubio, quod moueri potest de iuramento, aut voto rei iudicatæ impossibilis eo tempore, quo emittitur votum vel iuramentum, postea tamen fit possibilis. Quod si quis faciat iuramentum promissorium de re illicita, eodem modo iudicandum est, atque de voto in simili casu. Considerandum enim est, an malus ille finis teneat se ex parte impletionis iuramenti, & sic non obligat iuramentum, quia res promissa vt subest executioni sub illo fine mala est: si vero finis solum se tenet ex parte vouentis, iuramentum obligabit, eo quod res promissa potest iuste impleri.

Explicatur secunda pars enunciationis, & nonnulla colliguntur.

§. III.

SVMMARIVM.

Iuramenti materiam non posse esse indifferentẽ. num. 18.

Sed honestam vel ex se, vel ex fine operantis. numero 19.

Non valere iuramentum innocentis damnati ad mortem de redeundo ad carcerem. num. 20.

An posterius iuramentum possit obligare contra prius explicatur. num. 21.

Valere iuramentum latroni factum de vsurario. num. 22.

Valere iuramentum de opere virtutis impeditiuo maioris boni. num. 23.

Quomodo iudicandum de iuramento non faciendi vel omittendi aliquid. num. 24.

Quid de iuramento non implendi aliquod consilium Euangelicum, vel de non ingrediendo religionem. num. 25.

Opponitur ex cap. commissum de sponsa. n. 26.

Quid de iuramento alumni Collegij Anglicani. num. 27.

Non valere iuramentum de non agendo aliquid, quod si non agat, præbet occasionem ruinæ. numero 28.

Explicatur caput quemadmodum, de iure iurando. num. 29.

Quid-

Quidquid sit contra legem aliquam obligantem in conscientia, non valere. num. 30.

18 SECVNDA pars huius enunciationis est, materiam iuramenti non debere esse indifferentem. Non loquimur solum, quando iuramentum fit tantum Deo, tunc enim eadem ratio est, atque de voto, sed etiam de iuramento, quod simul est comparatione hominis. Quam sententiam docent Caiet. secunda secundæ, quæst. 89. articulo septimo ad tertium. Gabriel Vazquez de testamentis capit. tertio dubio secundo numero 38. Valentia tertio tomo disputatione sexta generali quæstion. septima puncto tertio, §. *similiter iustitia*, & puncto quarto, §. tertio, versiculo *secundo certum etiam est*. Daniel Venatorius in Analysi iuris Pontificij *titulo de iure iurando*, §. *Quæ sententia*. Sequitur Suarez libro secundo de iuramento capit. 16. & Doctores communiter cum interpretantur illas tres conditiones iuramenti: iudicium, iustitiam, & veritatem. Nomine iustitiæ intelligunt materiam honestam, quod proprie in iuramento promissorio vim habet. Sic explicat Diuus Thomas secunda secundæ, quæst. 89. articulo tertio, & sequuntur communiter Doctores ibi, & Petrus Aragon eadem quæstione articulo primo, §. *de defectu iustitiæ*, dicto quarto & sequentibus. Et probat Diuus Thomas testimonio Hieronymi, quod est in capite *etsi Christus de iure iurando*. Ratio etiam est facilis & aperta. Quia si non potest dari actus indifferens in individuo, planum est non esse materiam iuramēti, cum si non sit bonus, necessario debeat esse malus. Si vero datur actus indifferens in singulari, deest honestas, & ex consequenti Deo irreuerentiam infert, dum testem, & fideiussorem adducit eius, quod nihil interest, vnde eiusmodi iuramentum nullius obligationis erit, cum cadat supra materiam incapacem. Quod si dicatur sæpe res indifferentes esse commodas proximo, iam si fiant in vtilitatem proximi, non erit actus indifferens, sed bonus pertinens vel ad misericordiam, vel beneuolentiam, aut charitatem, aut liberalitatem, vt rectè Suarez cap. citato.

19 Debet ergo esse materia honesta, siue ex se, siue ex appositio fine operantis. Sæpe enim contingit materiam de se esse indifferentem, at ex parte finis operantis reddi honestam, & hoc satis est vt iuramentum cadat supra materiam honestam, & obligationem inducat vt docent, Suarez, & Vazquez locis citatis, & alij. Atque ex hoc in sequentibus colligemus rationem multorum, quæ in iure dicuntur de obligatione iuramenti. In eo autem maximè attendendus erit animus iurantis ad obligationem iuramenti in conscientia. Poterit enim fieri, vt actui, qui iure nullus est, apponatur iuramentum, & ex fine bono operantis obliget in conscientia, cum tamen in foro externo non obliget, vt de iuramento soluendi, quod quis in ludo amisit pecunia credita, docet Gabriel Vazquez dubio secundo cit. in fine.

20 Ex huius conclusionis doctrina colligitur primò non valere iuramentum de reddendo ad carcerem, quando quis iniustè damnatus ad mortem est, de quo late dico in Commentario de insidijs licitis, & de eo videndi sunt Gabriel Vazquez prima secundæ disputat. Suarez libro secundo de iuramento cap. Salas de legibus disput. Seraphinus de priuileg. iurament. priuileg. 132. Mesqua lib. 2. de potestate in se ipsum, cap. 10.

21 Secundò colligitur quid dicendum sit in eo, an qui promisit alicui, verbi gratia, venditionem domus, possit obligari per iuramentum ad vendendum illam alteri, vel possit iuramentum obligare ad aliquid cōtra prius iuramentum factum alteri. In cuius quæstionis prima parte, Innocentius in cap. *veniens de iure iurando*, censet posse aliquem per iuramentum obligari contra simplicem promissionem alteri factam, fatetur tamen recompensandum esse damnum, si aliquod patiatur is, cui promissio facta est, Hostiensis tamen, Ioannes Andræas & alij, in dicto cap. contrarium docent, & probari potest. Quia, vt ponimus, prior promissio obligabat. Ergo qui facit contra illam, iniuste facit, & ex consequenti qui facit contra illam promittendo, male promittit. Ergo etiamsi secundam promissionem confirmet iuramento, iuramentum non obligabit. Quia vt supra dictum est, per iuramentum non potest aliquis obligari ad peccatum. Vnde aperte fallitur Innocentius docens ex vna parte iuramentum illud obligare, & ex alia recompensandum esse damnum illatum priori promissario. Si enim infertur damnum aperte fit cōtra iustitiam. Non ergo potest obligare iuramentum ad inferendā iniustitiam. Et eodem modo phi-

losophandum est in secunda parte huius quæstionis. Dicendum enim est secundum iuramentū non obligare contra prius iuramentum. Et ratio est. Quia vel prius iuramentum confirmabat promissionem iustam homini factam, & contra prius iuramentum non potest obligare secundum propter assignatam rationem: vel confirmabat votum Deo factum, quod inuariatis circunstantijs obligat, & contra tale votum non potest obligare secundum iuramentum. Quia obligare non potest ad violationem voti. Vtrum vero, quod fit contra prius iuramentum, possit valide fieri, licet cum peccato, pendet ex diuersis materijs. Et certum est in matrimonio posse illud valide fieri contra promissionem sponsalitiam etiam iuramento firmatam, vt dixi supra libro sexto. In alijs verò contractibus consideranda est natura, & efficacia secundi contractus comparatione prioris. Considerandæ etiam sunt dispositiones legum, quod in genere insinuasse sit satis.

22 Tertiò colligitur valere iuramentum latroni factum de soluendis pecunijs, & factum vsurario de soluendis vsuris, fuit enim de materia honesta ex fine redemptionis vexationis. Et satis est, quod materia fuerit honesta, quando iuramentum est emissum, licet actu non perseueret redemptio ipsa vexationis: vt optime docet Caiet. loco supra citato.

23 Quartò colligitur iuramentum promissorium factum de opere virtutis valere, etiamsi impeditiuum sit maioris boni, & quamvis non sit de maiori bono. In quo est diuersa ratio de iuramento facto Deo tantum siue voto, & de iuramento facto homini. Quare si quis alicui promittat sub iuramento se ducturum aliquam in vxorem, tenet iuramentum iuxta communem doctrinam, quæ constat ex capite *commissum, capite ex literis secundo, capite sicut de sponsalibus*, vbi probatur iuramentum de contrahendo matrimonio, eamque doctrinam late explicat Suarez dicto lib. secundo de iuramento, cap. 12. & 13.

24 Quintò colligitur quomodo iudicandum sit de iuramento non faciendi vel omittendi aliquid. Si enim quod omittendum est, est opus virtutis cadens sub præcepto, peccatum est in illa omissione, & non est obligatorium iuramentum. Si vero est omissio actus indifferentis, est obligatorium, quia non efficere actum indifferentem & sine fine honesto bonum est, at si est omissio licita, obligabit iuramentum. Huc pertinet iuramentum de non acceptando Episcopatū, de quo capite vnico 85. distinctione. Quamvis enim votum de non acceptando Episcopatum, etiamsi publica vrgeret necessitas, etiam resistendo superiori, esset de re illicita, & non seruandum, valet tamen de non acceptando ratione humilitatis, & ad euitandos honores, & fugiendas diuitias, & nisi necessitas, & præceptum superioris vrgeat, tunc enim licitum est ac seruandum. Huc etiam pertinet iuramentum de non reuocando testamento. Si enim non ponatur finis honestus, non obligabit in conscientia, quia non reuocare testamentum est materia indifferens. De quo videndus Gabriel Vazquez de testamentis, capite quinto §. 1. dubio 5.

25 Sextò colligitur ex eadem doctrina quid censendum de iuramento non implendi consilium aliquod Euangelicum, vel non ingrediendi religionem, quando directè fit. Si enim indirectè sequatur ex impedimento operis supererogationis, parum refert, vt constat ex dictis illatione 4. Sed loquor, quando directè & immediatè quis iurauit non ingredi religionem, non dare eleemosynam, cum est in consilio, non seruare vitam cælibem. In quo Hugo in cap. *si aliquid* 22. *quæst.* 4. putat esse implendum, & quod magis est, Gratianus in capit. *si innocens ibidem*, docuit iuramentum posse licite impleri, etiamsi sit de actu contrario consilio Euangelico, vt si quis, inquit, post votum contraxit matrimonium, & post contractum matrimonium postea iurat se consummaturum illud, implendum est, inquit, iuramentum. Ea tamen opinio Gratiani reijcitur cōmuniter á Doctoribus vt ibi notauit Glossa. Quare merito Soto libro octauo de iustitia, quæst. 2. artic. 3. Nauarrus in Sum. cap. 12. num. 16. secutus Ioannem Andream, & alios dicunt tale iuramentum non esse implendum, neque inducere obligationem implendi. Quod intelligendū est seclusis alijs circunstantijs extrinsecis. Probari vero potest. Quia tale iuramentū vel confirmat votum Deo factum, & tunc non obligat, quia votum de re contraria consilio Euangelico validum non est. Vel confirmat promissionem homini factā, & tunc si nullum adsit extrinsecum damnū promissio illa non sic est intelligenda, vt debeat impleri, contra consilium Euangelicum. Iuramentum enim circa promissionē expli-

explicandum est iuxta naturam, & sensum ipsius promissionis. Atque ex eadem doctrina facile colligitur, quid dicendum in eo, quod disputant Auctores de iuramento non dandi mutuum. Et respondent primò tale iuramentum non esse validum relatum ad tempus, quo obligaretur iurans ex misericordia ad mutuandum, tunc enim tale iuramentum esset de non implendo præcepto. Secundò respondent etiam non obligare tale iuramentum, quando actus mutuandi ex misericordia potest pertinere ad perfectionẽ Euangelicam, cuius ratio ex dictis assignanda est.

26 Sed potest obijci textus in capite *commissum de sponsalibus*, vbi cum iuuenis quidam iuramentum fecisset de contrahendo matrimonio, & postea vellet religionem ingredi interrogatus Pontifex, an prædictus iuuenis posset ingredi religionem non contracto matrimonio. Respondet, tutius esse seruare iuramentum, & post contractum matrimonium transire ad religionem ante consummationem illius. Videtur ergo sentire Pontifex tale iuramentum obligare. Abbas & alij in dicto capite dicunt, tale iuramentum reuera non obligare, responsum vero Pontificis interpretantur, vt implere iuramentum dicatur tutius secundum opinionem vulgi. Quam explicationem secutus est Paludanus in quarto distinctione 38. Soto distinct. 27. & alij. Mihi tamen aliorum placet interpretatio, qui dicunt in eo capite sermonem esse de eo, qui promiserat post certum tempus se contracturum matrimonium, tempore autem expleto nolebat illud contrahere, & ingressum religionis differebat in aliud tempus. Et in hoc euentu vult Pontifex, vt iuuenis suam promissionem adimpleat, vel ingrediatur religionem, ne prætextu ingrediendi religionem causam quæreret non implendi iuramentum, & promissionem. Sic Ioannes Andræas ibi, & Thomas Sanchez libro primo de matrimonio, disputation. 43. & alij. Ex isto vero sensu nihil sequitur contra doctrinam à nobis traditam. Vel dici etiam potest tale iuramentum non esse directè de non faciendo consilio Euangelico, sed de opere alias bono, quamvis sit impedimentum melioris boni, eiusmodi autem iuramentum validum esse constat ex dictis illatione 4. sed de hoc cap. late infra. cap. 9.

27 Septimò colligitur, quid dicendum in eo, quod quæri solet, an iuramentum, quod emittunt alumni collegij Anglicani, quo promittunt se post absoluta studia literarum ituros in Angliam, vt doceant veram fidem, ita obliget, vt ante eius impletionem non possit quis in religionem intrare. In quo mihi placet posse ingredi religionem non impleto iuramento. Tum quia hoc in praxi receptum est: tum quia qui iuramentum in melius commutat, periurus non est, *cap. periurans secundo, de iure iurando*. Sed qui religionem ingreditur, prædictum iuramentum in melius commutat. Ergo non tenetur adimplere illud iuramentum, ita vt non possit suscipere religionis statum, hic enim status sine dubio est aliquid perfectius. Rectè ergo potest fieri commutatio prædicti iuramenti in statum religionis. Et explicari potest à simili de commutatione voti, ex communi enim Auctorum sensu etiam auctoritate priuata potest vouens votum suum in melius commutare, neque censetur repugnare voti, qui temporale obsequium in perpetuam religionis obseruantiam commutat, *capit. scriptura de voto*. Neque obstat, quod mancipium non possit ingredi religionem contra voluntatem domini, nec tutores, nec creditores, priusquam reddiderint sui muneris rationem, aut debitis satisfecerint. Est enim valde diuersa ratio propter damnum aliorum, & contra apertum ius iustitiæ quæsitum alijs, quod non contingit in præsenti. Hinc etiam colliges quid dicendum, an sit validum iuramentum, quod emittunt scholastici in aliquibus congregationibus Italiæ, promittunt enim se non ingressuros religionem, nisi re prius manifestata superiori illius collegij. Est enim illud iuramentum validum, quia scholasticus non iurat simpliciter se non ingressurum religionem, neque iurat se non ingressurum sine facultate illius superioris, sed solum non suscepturum religionis statum, nisi re prius manifestata superiori. Postea autem poterit ingredi, velit nolit superior ille. Potest autem esse iusta causa postulandi tale iuramentum. Vlterius etiam iuxta hæc explicandum est, quam obligationem inducat iuramentum, quod fit in multis collegijs Hispaniæ. Dum enim aliquis collega eligitur, iurare cogitur se laturum auxilium collegis eiusdem collegij inquolibet opportunitate, in qua ille possit ferre suffragium. Dicendum autem est tale iuramentum solum obligare, quando collega eiusdem collegij dignior est alijs, vel saltem æque dignus: tunc enim, cum res sit iusta, potuit ad illam obligari ex vi iuramenti, ad ferendum

dum autem suffragium contra iustitiam distributiuam obligari non potuit. Quod si concurrant duo collegæ eiusdem collegij, considerandum est etiam quod diximus, an sint æquales, vel an aliquis eorum sit dignior. Et quidem si aliquis sit dignior illi sine controuersia est ferendum auxilium, sin autem æquales sint; liberum erit collegæ eiusdem collegij cui voluerit ferre auxilium. Similiter ex dictis explicari debet iuramentum, quod in aliquibus Prouincijs exigi solet ab his, quibus confertur beneficium curatum, coguntur enim iurare se non dimissuros beneficium cum resignatione in fauorem tertiæ personæ. Dicunt enim nonnulli obligare prædictum iuramentum exceptu euento, in quo beneficiarius velit religionem ingredi. Ego tamen existimo considerandum esse, an iuramentum fuerit absolute factum de non dimittendo beneficio cum resignatione in fauorem alterius. Et tunc, etiamsi velit religionem ingredi, non poterit resignare beneficium, nisi prius postulet relaxationem eius iuramenti. Vel prædictum iuramentum secundum communem vsum solum sit de nõ resignando beneficio petita pensione aliqua, & ita vt resignans maneat in sæculo, & tunc temporis iuxta communem consuetudinem explicandum est iuramentum.

28 Octauò colligitur pacta etiam iuramento confirmata de non agendo aliquid, quod si non agat, præbeat occasionem peccati vel ruinæ, quatenus faciliorem aditum præbet, nullius esse momenti, vt si aliquis aliquem in œconomum, emptorem, aut negotiorum gestorem instituat pacto inito, vt is non teneatur de dolo aut furto, quod in ea administratione commiserit, tale pactum etiam iuramento confirmatum est nullum, quia præbet occasionem ruinæ. Secus est, si postquam dolus præcessit, aut furtum commissum est, valida est talis remissio, & iuramentum, quia tunc non præbetur occasio ruinæ, sed solum condonatur iniuria facta. Hæc habentur in *lege si vnus, §. illud, & §. pactis, D. de pactis, lege pacta quæ, C. de pactis, lege quidam decedens in principio alias, lege ita autem, §. Iulianus, D. de administration. tutorum, & lege 29. titulo vndecimo partita quinta.* Idem est, si quis incitans aliquem ad furtum ante delictum commissum illi promittat sub iuramento, se loco illius soluturum pœnam, *l. si à reo, §. vltimo, D. de solution.*

29 Nonò colligitur iuxta hanc doctrinam intelligendum textum aliàs difficilem in capite *quemadmodum, §. illud de iure iurando*, vbi Pontifex duas quæstiones proponit. Prima est. Si vir iuret vxori, quod eam super nullo crimine accusabit, quam vim habeat iuramentum? Et respondet esse temerarium, & non obligare, quia alias etiam in casu, quo esset infidelis, non posset accusare, quod constat esse absurdum. Quare iuramentum illud non obligabit in omnibus illis casibus, in quibus tenetur accusare, obligaret tamen ex ea parte, qua impleri posset. Secunda illius textus quæstio est, an si iuret se non accusaturum de adulterio, teneatur implere? Ad quam respondet Pontifex tutius esse, vt propter iusiurandum desistat ab accusando in ordine ad faciendum diuortium, quanquam denuntiare possit ad pœnitentiam agendam. Hunc textum diuersimode Doctores interpretantur, quorum interpretationes refert, & refellit Suarez dicto libro secundo de iuramẽto, capite 17. â numero 14. Mihi quidem attente consideranti textum illum, & consequẽtiam illius, videtur in hac secunda quæstione Pontifex agere de iuramento præstito ante adulterium commissum, sicut in prima quæstione. Nam de iuramento præstito post adulterium commissum, siue emendatum, siue non emendatum, nulla poterat esse quæstio, cum possit ignoscere vxori, & non accusare. Dico ergo de iuramento facto ante adulterium commissum esse intelligendum textum in secunda sui parte, sicut & intellexit Cuiacius ibidem. Eiusmodi autem iuramentum de non accusando licitum esse non dubito, & sic visum esse Pontifici. Neque enim hoc est fauere vxoris turpitudini, cum denunciatione & alijs vijs possit illi remedium adhiberi, quod & indicat Pontifex. Quare cum semper marito salua maneat potestas denuntiandi, vt corrigatur vxor, & intentandi etiam alia remedia, non est cur iuramentum de non accusando dicatur præbere occasionem ruinæ, & fornicationi, maxime cum maritus non iurauerit absolutè non accusare, sed non accusare ad celebrandum diuortium. Manet ergo integra potestas accusandi ad vindictam publicam, commune bonum & alia.

30 Vltimò denique colligitur quidquid fuerit contra legem siue Canonicam, siue Ciuilem præcipientem, & obligantẽ in cõscientia personas, non posse addi iuramentũ, neque valere. Quia illud est cõtrariũ rationi, & bonis moribus naturalibus, cũ naturalis ra

tio

tio dictet parendum esse legi iustæ præcipienti, siue ea sit naturalis, siue canonica, siue ciuilis. Et in hoc sensu accipiendum est, quod nonnulli docent illicitum esse iuramentum, quod contrarium est bonis moribus naturalibus, de quo Suarez lib. 2. de iuramento capite 20. & 21. Quomodo autem cognoscendum sit quando lex ciuilis irritãs actum simul etiam contineat præceptum, explicabo infra §. sequenti.

Quomodo ea doctrina accõmodanda sit actibus contra leges ciuiles.

§. IIII.

SVMMARIVM.

Enunciatio tertia. Ex eo quod materia iuramenti non possit esse turpis, non recte colligi quædam iuramenta non valere. num. 31.

Non esse nullum ex eo capite iuramentum appositum stipulationi pœnali de non reuocando testamento. num. 32.

Idem dicendum de iuramento addito stipulationi pœnali de contrahendo matrimonio. n. 33.

Idem de iuramento confirmante donationem omnium bonorum. num. 34.

Idem de iuramento confirmante contractus nullos ob bonum publicum. num. 35.

Explicatur ex quadam regula quomodo discernendum sit quando iuramentum confirmans id quod contra leges ciuiles est, sit nullum, quia cadit supra materiam illicitam. num. 36.

31 TERTIA enũciatio. *Ex dictis enunciatione præcedenti non recte colligunt nonnulli iuris interpretes non valere iuramentum confirmans contractus irritos ob vtilitatem publicam, aut iuramentum quo confirmatur stipulatio pœnalis apposita promissioni de non reuocando testamento, aut de contrahendo matrimonio, aut omnium bonorum donatio, & alia huiusmodi. Quare si forte in his est nullum iuramentum, aliunde petenda ratio est.*

32 Percurramus enunciationis partes, & explicemus. Ex eo quod dictum est iuramentum cadens supra materiam illicitam nullum esse, neque relaxatione indigere colligit Couar. & alij irritum esse iuramentum appositum stipulationi pœnali adiectæ promissioni de non reuocando testamento, eo quod videatur esse bonis moribus contrariũ. Sed quidquid sit de eo, quod iure ciuili statutum est de huiusmodi stipulatione pœnali, de quo suo loco, ego certe secundum ius naturale, etiam apposita pœna, nullum in hoc inuenio peccatum. Quod enim peccatum est in eo quod aliquis apponat stipulationẽ pœnalẽ de non reuocando testamento? Hæc certè absque peccato fieri potest. Quare ex parte materiæ cum illicita non sit, nõ repugnaret iuramento confirmari, hoc est, vim habere iuramentum in ratione religionis secundum ius naturale, vt docent Molina tomo 2. de iustit. disput. 171. Gabriel Vazquez de testam. cap. 3. dub. 7. num. 20. Idem dico de similibus promissionibus, quando sunt sine viri dolo aut fraude. Per se enim loquẽdo si quis velit promittere sine vi aut fraude, se non reuocaturum testamentum sub pœna certæ pecuniæ dandæ, nullum est peccatum, quia ipse potest libere disponere de suis bonis iusta de causa, & ita obligari ad non reuocandum testamentum, nisi supra dicta pœna.

33 Idem dico de eo quod infert Couar. scilicet stipulationem pœnalem de contrahendo matrimonio non confirmari iuramento. Et quidem si vigeat præceptum aliquod, quod prohibeat eo modo contrahere, talis stipulatio erit iure positiuo prohibita, & tunc verum erit quod docet Couar. An vero sit talis prohibitio dicam postea, cum agam de pœnis appositis in sponsalibus. Secundum ius tamen naturale talis stipulatio non contineret aliquid illicitum, & ita ex parte materiæ non repugnaret iuramento confirmari quoad obligationem religionis.

34 Idem dico de eo quod infert Anton. Gom. l. 69. Tauri, donationem omnium bonorum non confirmari iuramento, eo quod videatur contra naturalem legem, & auferat potestatem testandi, & afferat votum desiderandi mortem donantis. Verum in tali donatione absolutè loquendo nullum peccatum est, cum possit quis iusta de causa absolutè donare omnia sua bona. Neque refert si quis ex eo sumat occasionem optandi mortem donantis, idem enim opponi posset institutioni maioratus, quæ secundum omnes licita est. Vnde ex parte materiæ non repugnat iuramentum illi appositum inducere saltem, obligationem religionis, vt docet Molina tomo 1. tract. 2. disputat. 151. & tomo secundo disput. 280. in principio.

35 Idem dico de contractibus etiam nullis ob bonum publicũ. Ex parte nanq; materiæ in multis eorũ nõ repugnat nasci obligatio-

nē religionis, quia in celebrandis illis contractibus inualide nullum peccatū est, vt in eo quod quis testetur sine solemnitate. Non enim illicitum est, quod per contractum irritum quis rem alteri tradat, quamvis alter retinere non possit. Vnde ex hac parte non repugnaret ex iuramento appositō nasci obligationem religionis, vt docet Gabriel Vazquez dub. 2. cit. An autem in prædictis casibus iuramentum inducat obligationem religionis, & quare non inducat constabit ex sequentibus.

36 Verum cum videamus nonnulla prohibita iure ciuili, quibus tamen appositum iuramentum seruatur, cum alijs appositum non seruetur, ideò explicare oportet quomodo id discernendum sit, vt intelligamus, quā do iuramentum appositum contra id, quod lege ciuili cautum est, reijciatur ex eo capite videlicet, quia cadat supra materiam illicitam. Nam quando ex alijs capitibus reijciatur dicendum est in sequentibus. Atque omissis varijs Doctorū distinctionibus de legibus, quæ respiciunt bonum publicum, aut bonum priuatum, quæ neque firmæ, neque solidæ sunt, mihi videtur vera doctrina, & apta regula quam tradit Gabriel Vazquez 1. 2. disp. 171. cap. 3. in principio, vt probet hæreticum non peccare, neque contra leges delinquere, si sua bona alienet post cōmissum crimen. Quoties verba legis potius feruntur in actum, quam in personam, non prohibetur actus tanquam peccatum, sed potius leges disponere videntur circa firmitatem, & robur ipsius actus. Veluti cum lex prohibet, ne fiat testamentum, nisi cum tali solemnitate, non ita prohibet, vt peccatum sit testari contra formam legis, sed statuitur, vt testamentum secus factum firmitate careat. Cum vero verba legis diriguntur in personā, tūc peccatum est aliquid facere contra legis dispositionem. Huiusmodi sunt leges, quæ prohibent regijs ministris munera accipere, arma, vel pecunias extra regnum deferre, aut quæ taxant pretia rebus, prohibent enim ne quis vendat, nisi tantum taxato pretio. Quā doctrinam ex parte tradidit Bart. in *l. si quis pro eo*, vbi ait has posteriores leges obligare in conscientia, & ita iuramentum cadens supra illas nullum esse, quia impleri sine peccato non potest: priores autem dicit non obligare in conscientia, sed solum qualificare contractum, vt non valeat, vel irritetur, si aliter fiat: vnde iuramentum cadens contra has leges esse obligatorium, cum sine peccato impleri possit. Pro qua Bart. doctrina refert Panormitanus in cap. *cum contingat de iure iurand. in 6.* Angelum de Perusio in cons. quod incipit. *Domina Catharina*, Referunt etiam alios Alciatus in dicto cap. *cum contingat*, num. 9. & Couar. 2. p. relect. cap. *quamuis pactum*, §. 2. num. 2. & fatetur esse communē legistarum, quamvis eam reprobet Panormitanus loco citato, sed inutili fundamento. Dicit enim idem esse prohibere actum factū à persona, vel personæ ne faciat actum. At in æquiuoco laborat Panormitanus. Cum enim Bart. dicit legem ferri in actum, non dicit ferri quoad obligationem exercendi, vel non exercendi, sed quoad robur actus, quod lex ab illo tollit, si fiat tali modo, siue fiat cum peccato, siue absque illo. Approbat etiam ex parte hanc Bart. doctrinam Suarez dicto lib. 2. cap. 20. num. 11. Diligenter ergo verba legum consideranda sunt, an ferantur in personas prohibendo, vel præcipiendo, an vero ferantur tantum in actum, vt inde cognoscamus, quando iuramentum contra illas sit nullum, ex eo quod cadat supra materiam illicitam. Quod si sit iuramentū contra leges, quæ feruntur in actus, & aliàs iuramentum sit nullum, id ex alio capite proueniet iuxta dicenda in sequentibus enunciationibus. Ideò diximus iuramenta de non reuocando testamento, de pœnali stipulatione appositā matrimonio, de donatione omniū bonorum, non esse irrita quia illicita, cum leges illæ non ferantur in personas, sed in actus.

Quæ obligatio iuramenti, quando lex illi resistit.

§. V.

SVMMARIVM.

Quarta enunciatio. Nullum esse iuramentum lege prohibente actum confirmari illo, siue sit lex Pontificia, siue sæcularis. num. 37.

Primam conclusionis partem certam esse. ibid.

Posse resistere Pontificem & Principem sæcularem, ne apponatur iuramentum probatur. numero 38.

Principem ita posse prohibere, ne adhibeatur iuramentum, vt si apponatur, nulla sit obligatio iuramenti ostenditur. num. 39.

Tales leges esse iustas, neque aduersari libertati Ecclesiasticæ. num. 40.

Iure etiam ciuili iuramentum non admitti ad firmandum contractum lege prohibitum. n. 41.

37 Quar-

37 QVARTA enunciatio est. *Si lex resistat iuramento, dum prohibet illo confirmari contractum aliquem, nullius prorsus obligationis est iuramentum. Vnde neque relaxatione indiget. Resistere autem potest non solum lex Pontificia, vt in Tridentino Sess. 25. de regularibus cap. 16. cum prohibet renunciationem iuramento firmari, sed etiam ciuilis, vt in multis iure Castellæ cautum est, ne confirmentur iuramento, quæ æquissimæ leges sunt, neque aduersæ libertati Ecclesiasticæ, neque quoad hanc partem hoc titulo reuocari ab Ecclesia possunt.*

Duæ sunt huius enunciationis partes. Prima est quando lex resistit iuramento prohibens ne iuramentum apponatur, tale iuramentum adhibitum nullius roboris esse, neque relaxatione indigere. In qua prima parte nulla difficultas est. Si enim lex prohibet iuramentum, potest inhabilem reddere ad iurandum, sicut reddit aliquos in aliquibus euentibus inhabiles ad votum, cap. 1. *de his quæ vi*, & explicabitur magis in 2. p.

38 Tota autem difficultas est in secunda parte huius conclusionis, in qua asserimus resistere posse iuramento Principem sæcularem pro sua potestate, ita vt iuramentū tunc appositum nullam obligationem pariat. Et quidem id ita factum esse à Principibus sæcularibus in Castella constat ex l. 10. & 11. tit. 1. lib. 4. compilat. & idem etiam legibus Lusitaniæ cautum docet Molina, & Pinellus locis infra citandis, & iustitiam harum legum Hispaniæ, Lusitaniæ, & Burgundiæ in hac parte laudat, & probat Petrus Busius, l. 1. num. 17. de transactione. Atque id posse Principem sæcularem efficere docent Couar. in cap. *quamuis pactum de pactis*, 1. p. §. 3. num. 8. & 2. p. §. 1. num. 8. Azeuedo in dicta l. 11 à num. 2. Gutierrez in *auth. sacramenta puber.* à num. 46. Molina tom. 1. de iustit. tract. 2. disput. 147. versic. *ex his colligo*, & versic. *quoad potestatem*, Pinellus, *l. 2. C. de rescinden. vend.* p. 3. cap. 1. num. 11. Padilla ibid. num. 35. Petrus Ledesma 2. tomo sum. tract. 1. cap. 4. dub. 2. Sanchez lib. 3. sum. cap. 22. a num. 6. Osualdus alijs citatis lib. 21. cap. 13. in notis litera A. & pluresalios refert Additionator Seraphini priuileg. 76. num. 19.

39 Verum quamvis DD. isti & alij multi conueniant sæcularem Principem posse resistere iuramento, & prohibere, ne fiat, nolunt tamen concedere ita impedire, vt si iuramentū fiat nulla sequatur obligatio. Sic censet Couar. dict. 2. p. §. 1. num. 8. Barbosa, *l. 1. §. 1. num. 70. & 71. D. soluto matrimonio*, & Parlador. lib. 2. rer. quotid. cap. 4. & Osualdus in dicto cap. litera A. in fine, & litera P. Ego tamen existimo sæcularem Principem non tantum posse resistere iuramento, ita vt prohibeat ne fiat, sed etiam impediendo effectum iuramenti, ita vt si fiat, nulla sequatur obligatio. Docet Molina locis citatis, & Sanchez cap. citat. num. 10. & 11. Gabr. Vazquez de testamen. capite. 3. dub. 2. Et plane hanc fuisse intentionem Regum Castellæ constat ex dict. l. 11. in qua expendo illa verba, *y la obligacion no valga, ni haga fe, ni prueua*. Ratio autem ex eo petenda est. Quia sicut cum quis iurat alicui se aliquid daturum, si ille nolit accipere, ablata materia iuramenti, corruit eius obligatio, ita etiam Princeps auferendo materiam iuramenti, priusquam in eam inducatur iuramentum, efficit, vt iuramentum adhibitum nullius sit roboris. Prius est enim materiam esse capacem iuramenti, quam iuramentum vim habere, materia autem iuramenti honesta esse debet, non turpis, neque indifferens: actus vero iam nullus per potestatem publicam non est actus virtutis alicuius, sed indifferens. Non enim est fidelitatis, quia nulla infidelitas est, quod ego non impleam aliquid, quod implere nō teneor: non iustitiæ, cum actus sit nullus: non charitatis erga se, vt in solutione latroni factā: non redemptionis vexationis, vt in solutione vsurarum: non religionis, quia iuramentum non facit materiam suam esse materiam religionis, sed in suo genere relinquit. Cum ergo potestas publica reddendo actum irritum extraxerit illum à ratione virtutis, & iuramentum cadere debeat supra actum virtutis, inde est, quod impediatur resultare obligatio iuramenti, quam vis adhibeatur. Quam rationem non sunt assecuti iuris interpretes, & ideò in hoc valde hallucinantur, nos autem consequenter loquimur & certissimis nixi fundamentis. Vnde si tale iuramentum adhibeatur, cum legibus resistentibus nullū sit, non eget relaxatione aliqua. Hinc constat non esse veram illam regulam, iuramentum seruandum, quando in seruādo nullum est peccatū. Licet enim in hac parte regula negatiua sit vniuersaliter vera, scilicet non esse seruandum, quādo sine peccato impleri non potest: at affirmatiua non est vniuersaliter vera, potest enim esse iuramentum irritum ex alio capite. Sed & alio etiam modo possumus intelligere Principē sæcularem posse impedire effectum iuramēti. Quia ille potest etiam remittere obligationem iuramenti in materia subiecta eius

potestati. Quare ea potestate vtens iuramentum hoc in eiusmodi contractibus adhiberi prohibens, remisisse videtur, subintelligitur enim in eiusmodi iuramento ea conditio, ni si Princeps aliud iusserit, vt docet multis allegatis Couar. in dicta relectione p. 1. §. 3. n. 11. Quomodo autem hisnon obstet textus in cap. licet, dicam infra.

40 Atque ex hoc discursu constat eiusmodi leges sæculares iustas esse, neque aduersas Ecclesiasticæ libertati. Non enim ea dispositio tendit ad impediendam Ecclesiasticam immunitatem, sed ad defendendam propriam iurisdictionem. Nam cum propter iuramentum res deuoluatur ad forum Ecclesiasticum, *cap. fin. de foro compet. in 6.* rectè potuit Princeps cauere, ne eo modo prorogarent laici iurisdictionem Ecclesiasticam, & locum darent multis expensis in tribunalibus Ecclesiasticis lites prosequentes, vt docent DD. citati. Harum itaque legum iustitiam & æquitatem defendit Pinellus ibidē. Non posse autem eas leges ab Ecclesia interdici, nec reuocari ex eo constat, Quia non potest Ecclesia efficere contractum illum, vel materiam validam, cum non sit subiecta eius potestati. Nullo autem perseuerante cō tractu non potest manere materia iuramenti, vt dicebamus.

41 Iure etiam ciuili mihi est maximè certum non admitti iuramentum ad firmādum contractum lege prohibitum, vt expresse decernitur in *l. non dubium, C. de legibus.* Cuius legis decisionem Couar. restringit primo, quando cadit iuramentum supra materiam turpem. Secundo vt intelligatur in contractibus nullis ob bonum publicum. Quam secundam limitationem probant Suarez & alij. Sed neutra probanda est, neque conuenit vniuersalitati, cum qualoquitur textus. Nec enim ibi sermo est de aliquo contra vtilitatem publicam, sed ad compescendam quorundam Curialium auaritiam. Et quamvis ex eo desumpta sit legis occasio, non tamen solum prohibuit iuramentum adhiberi, in confirmationem turpis actus, sed in vniuersum, ne eo prætextu religionis iuramenti fraus fieret legibus prohibentibus, & irritantibus contractus. Subijcio verba. Ipsa enim satis manifestè vtranque limitationem reijciunt. *Nullum enim pactum, nullam conuentionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente. Quod ad omnes etiam legum interpretationes tam veteres, quàm nouellas trahi generaliter imperamus, vt legislatori quod fieri non vult, tantum prohibuisse sufficiat, cæteraque quasi expressa ex legis licet voluntate colligere, hoc est, vt ea quæ lege fieri prohibentur si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur, licet legislator fieri prohibuerit tantum, neque specialiter dixerit inutile esse debere, quod factum est. Sed & si quid fuerit subsecutum ex eo, vel ob id quod interdicente lege factum est, illud quoque cassum atque inutile esse præcipimus. Secundum itaque prædictam regulam, qua vbicunque non seruari factum lege prohibente censuimus, certum est neque stipulationem huiusmodi tenere, nec mandatum vllius esse momenti, neque sacramentum admitti.* Hæc Imperator. Cum ergo omnia vniuersim, quæ facta sint contra leges Imperatorias prohibentes tàm veteres, quàm recentes, irrita & nulla esse decernantur, & multa sint, quæ neque sint contra vtilitatem publicam, neque vero turpia, & vlteriusacramentum prohibeatur admitti, aut eiusmodi actibus contra leges adijci, planum est iure ciuili non admitti iuramentum ad firmandum contractū lege prohibitum. Facit etiam pro hac sententia textus in *l. iuris gentium, D. de pactis,* ibi: *Quoties pactum à iure communi remotum est, seruari hoc non oportet, nec legare, nec iusiurādum de hoc adiectū, nequis agat seruandum.* Vbi obiter obserua illud *neque legare* corruptæ legi, vt notat Duaren. ibidē, legendum ergo, *neque ligat,* ligari enim pactis homines dicimus, id quod etiam notauit Gothophredus ibidem, & Cuiatius lib. 1. obseruat. cap. 24. Dicitur autem à communi iure remotum pactum, quod est contra leges, non vero, quod est tantum ob causam publicam, vt ibidem aduertunt Duarenus, & Gothophredus. Quare idem est pactum à communi iure remotum, quod pactum contra regulas iuris ciuilis, *l. 28. eodem.* Idem etiam constat, scilicet, resistere ius ciuile iuramento ex *l. 122. si quis Inquilinus, §. 3. iuncto etiam §. fin.* ibi: *Diui Seuerus & Antoninus rescripserunt, ius iurandum contra vim legum, & auctoritatem iuris in testamento scriptū nullius esse momenti.* Quod adeò verū est, vt conditio iuris iurandi sit ex his, quæ habentur pro non adiectis iure ciuili, *l. 8. D. de conditionibus instit.* & dixi supra lib. 3. Idem etiam constat ex *l. si quis pro eo 56. D. de fide iussor. si quis pro eo, qui libertus non esset. & operas præstiturum se iurasset fideiussor erit, non tenebitur.* Cum enim contractus nullus esset, nulla secuta est obligatio. Vnde iuramentum non esse modum inducendæ obligationis iure ciuili notauit ibi Gothophred. Quamvis existimauit aliter dicendum iure

Cano-

Canonico, de quo postea. Hic tamen textus non mihi videtur satis intentum probare, quia non dicitur non teneri iurantem, sed non teneri fideiussorem: quia contractus adhuc manſit nullus, & ideò non tenetur fideiussor, licet iurans teneri possit, cum iuramẽtum non excedat limites iurantis. Infra tamẽ ostendam ex eo quod contractus maneat nullus, non subsistere obligationem iuramenti. Neque his obstat textus in *l. vt iurisiurandi, D. de oper. libert.* Agitur enim ibi de operis, quæ in officio consistunt, & respiciunt commodũ personale, & quas debet libertus patrono, non de fauorabilibus, quæ communia sunt ingenuis atque libertis, quidquid dicat Couar. Cum autem illæ operæ debeantur patrono à liberto, rectè potuit in illam promissionem cadere iuramentum, est enim iustus, & licitus contractus non prohibitus. Videndus Gabriel Vazquez capit. 3. de testam. dub. 2. cit. Quare non rectè Petrus Busius ad *l. 1. de pactis*, num. 8. & 9. sensit esse specialem iuris ciuilis dispositionem, vt ex pacto liberti cum patrono confirmato iuramento oriatur actio & obligatio. Nec enim speciale est in eo contractu, sed generale, vt quicunque licitus confirmari iuramento possit. In prædicta autem lege tantum sermo est de operis proprijs debitis à libertis.

Quam vim habeant iure ciuili iuramẽtum supra actus inualidos?

§. VI.

SVMMARIVM.

Iure sæculari nullum esse iuramentum cadens supra contractum iure nullum, quicunq; ille sit. num. 42.
Quæ probanda sunt proponuntur. num. 43.
Primum probatur. num. 44. & 45.
Secundum probatur. num. 46.

42 QVINTA enunciatio. *Iure sæculari (secludo nunc Pontificium) siue ciuili, siue Castellæ contractus, qui ipso iure nullus est, siue sit in vtilitatem publicam, siue priuatam, & iam si addatur iuramentum, nullum robur accipit in ratione contractus. Imo neque iuramentum validum est, neque relaxatione indigens in coforo, & sæpe neque in conscientia.*

43 Hæc conclusio est, de qua potissime inter Doctores certatum est, & in varias sententias diuisi sunt, quæ passim referuntur à DD. & videri possunt apud Thomam Sanchez lib. 3. sum. cap. 12. num. 8. & alios. Ego tamen vniuersè existimo duo, iure sæculari nullos contractus remanere adhuc adiecto iuramento, & præterea nullum esse iuramẽtum adiectum contractibus iure nullis, quicunque illi sint. Docet Iason in *authen. sacramenta pub.* Fortunius tract. de vltimo fine, illatione 19. Alciatus in dicto cap. *cum contingat.* Osualdus cit. alijs lib. 21. c. p. 13. litera P. Donellus lib. 21. comment. cap. 13. Quamvis non mihi omninò placeat eius fundamẽtum. Petrus Busius in *l. 1. num. 8. D. de pactis, & in l. 1. num. 4. D. de iure iurando*, & alij, quos refert Seraphinus priuilegio 61. nu. 1. Duo ergo probanda nobis sunt. Primum est per iuramentum non addi robur contractibus iure nullis in ratione contractus. Secũdum neque ipsum iuramentum in ratione iuramenti robur habere.

44 Quod attinet ad primum, iure quidem Cæsareo non est nimis ambigendum, propter decisionem in dicta *l. non dubium*, & alijs citatis §. præced. Neque his obstat textus in *authent. sacramenta pub. C, si aduersus venditorem*, de quo textu dicam §. sequenti. Idem dicendum esse de iure Castellæ & Lusitaniæ, cum apertissime resistant adiectioni iuramenti, ostensum est. §. præcedenti.

45 Sed probemus magis in particulari, & ostendamus nullum discrimen esse, siue apponatur iuramentum actibus iure nullis ob vtilitatem publicam, siue priuatam. Idque ostendo ista consideratione. Vel hæc differentia, quod iuramentum adiectum cõfirmet quosdam contractus, alios verò non, confirmet, nascitur ex parte materiæ, quia vna est illicita, altera verò licita, vel ex ipsa natura iuramenti, vel ex dispositione aliqua iuris positiui. Nihil istorum dici potest. Ergo dicendum est iuramentum nihil magis roboris addere his actibus, quàm illis. Minorem ostendo quoad omnes suas partes. Primò non esse discrimen ex parte materiæ. Quia quamvis Suarez, & alij existimauerint esse discrimen, quia censent omnem actum contra vtilitatem publicam esse illicitum, & peccatum, hoc tamen verum esse non potest. Quia licet si actus hic & nunc prohibitus ob vtilitatem publicam, præiudicium illi afferret, esset illicitus, & ex consequenti nullius momenti esset iuramentum adiectũ, si tamen hic & nunc non nocet Reipublicæ, etiamsi nociuum esset si vt plurimum ita fieret, nihilominus est licita materia prout hic

&

& nunc fit. Similiter si contractus ob vtilitatem publicam non solum esset prohibitus per legem illum irritantem, sed etiam sub culpa prohibentem iuxta doctrinam à nobis traditam supra §. 4. Licet hic & nunc nocuus non esset ille contractus Reipublicæ, tamen, quia non deficeret ratio legis in communi, illicitus esset, & iuramento confirmari non posset. At multæ legesirritant tantum contractus ob bonum publicum non prohibendo personis. Quare in eo quod quis faciat contra illas non peccat. Exemplum sit in lege præscribente solemnitatem testamentis, quæ censetur esse ob vtilitatem publicam primario, & nihilominus, qui sine ea solemnitate testaretur, non peccaret, & tamen non confirmatur iuramento eiusmodi testamentum, vt docent etiam Doctores oppositæ sententiæ, si verum est testamentum ita esse irritum, vt neque naturalem obligationem pariat, de quo dicam §. sequenti. Item renunciatio facta à Nouitio ante duos menses vltimos probationis, sine solemnitate Tridentini est nulla etiam iuramento adiecto, quæ lex respicit bonum publicum: & tamen quia lex illa non fertur in personas, sed in actum, qui contra illam ageret, non peccaret. Adde etiam contractus cum agricolis non seruata forma contractus. In illis enim legibus, quæ formam illis præscribunt, publica versatur vtilitas, ne deficiat agricultura, nec secus facti firmantur iuramento, & tamen in illis contractibus absque ea solemnitate celebratis nullum peccatum committitur. Præterea non repugnat irritari contractus ob bonum publicum, sine eo, quod lex dirigatur ad personas, sed tantum ad actum ipsum, vt explicui §. 4. & tunc actus illi non firmarentur iuramento, & fierent sine peccato. Ergo non est vniuersaliter verum, ideò actus irritos ob bonum publicum non firmari iuramento, quia sunt de materia illicita, & ex consequenti non est vniuersaliter loquendo differentia ex parte materiæ inter contractus irritos ob bonum publicum, vel priuatum. Maxime cum etiã leges reddentes irritos cõtractus ob bonum priuatum, possent etiam ferri directè in personam, & non solum in actum contrahendi. Deinde neque est discrimen aliquod proueniens ex natura iuramenti, quod apertius est quâm vt longa probatione indigeat. Quia iuramentum ex se tantum inducit robur religionis, vt dixi supra §. 1. Ergò ex natura iuramenti prouenire non potest, vt iuramentum adiectum huic actui irrito, illum validum efficiat, alium vero relinquat inualidũ. Quare si iuramentẽ validũ efficeret contractũ irritum ob vtilitatẽ priuatã, validum etiã efficeret cõtractũ irritũ ob vtilitatẽ publicam, cum semper eadem sit natura iuramenti. Denique neque hoc discrimen oriri potest ex iure ciuili, aut laico. Quia nullum ius est, quod constituat hoc discrimen inter iuramenta adiecta actibus irritis ob vtilitatem publicam, & priuatam, vt constat ex dicta *l. non dubium, C. de legibus*, quam expendi §. præcedent. & dicta *l. iurisgentium, D. de pactis*, & idem dico de legibus nostri regni.

46 Restat probemus secundam partem, scilicet nullam esse vim iuramenti adiecti his contractibus irritis siue ob vtilitatem publicam, siue priuatam. Donellus in loco citato probat. Quia quidquid contra ciuiles leges annullantes fit, est illicitum & peccatum. Sed non rectè, vt supra satis ostensum est. Quare alia ratione probandum est, & meo iudicio manifesta. Quam vt proponam, suppono primò, quod dixi supra §. 3. iuramentum cadens supra materiam indifferentem nullius roboris esse. Deinde eos contractus & actus esse lege ipsa sæculari nullos. Ex his ergo hanc infero rationem. Ergo iuramentum est nullum. Probo consequentiam. Quia iuramentum non est obligatorium, nisi cadat supra materiam virtutis. Sed contractus iure nullus non est iam materia virtutis, sed indifferens, vt dixi §. 5. Ergo iuramentum est omnino nullum. Quare impossibile est vt iuramentum censeatur vim aliquam habere iure ciuili & sæcutari: nisi probetur per ius ipsum contractum prius effectum validum, vt accedente iuramento fit validus in ratione contractus. Quod tamen nullo ciuili iure, neque Castellæ cautum est. Vnde non possum non mirari Doctorum vulgus in oppositam sententiam abijsse. Ex quibus etiam fit contra Suarez dicto libro secundo capit. 29. neque indirectè per iura reddi validum contractum. Id enim esset iam valere contractum, quod iura non disponunt, imo contra dicunt. Adde etiam prohibitum & irritum pactum de non contraueniendo l. 28. D. de pactis. Quare absque vllo fundamento rationis & iuris eum modum dicendi Suarez secutus est.

Quid

Quid dicendum iure Pontificio?

§. VII.

SVMMARIVM.

Sexta enunciatio. Idem dicendum iure Pontificio & quamuis aliquid addat iuri ciuili, non tamen illi contrarium. num. 47.

Iuramentum additum contractibus laicorum iure nullis non firmari iuramento iure Pontificio probatur. num. 48.

Quid addiderit ius Pontificium supra ciuile explicatur. num. 49.

Impugnatur Antonius Faber circa intellectum dispositionis Pontificiæ. num. 50.

Tribus obiectionibus fit satis. num. 51. 52. 53.

47 SEXTA enunciatio. *Idem prorsus dicendum est iure Pontificio. Itaque contractus laicorum ipso iure nulli nullum prorsus robur accipiunt ex iuramento, & licet Pontifex aliquid addiderit dispositioni iuris ciuilis, non tamen contrarium illi.* Quare admiratione dignum vulgarem errorem sine fundamento iuris iudicum subsellia occupasse. Docent Doctores quos refert Seraphinus dict. priuil. 61. num. 1. & Geminian. in dict. cap. *licet de iure iurando, in 6.* num. 7. vbi Additionator dicit idem tenuisse Rotam in antiquis eodem tit. Anchar. ibid. n. 6. Petrus Bussius loco supra cit.

48 In hac enunciatione duo explicanda & probanda sunt. Primũ est. Ius Pontificiũ ex adiecto iuramento non decreuisse confirmari contractus in ratione contractus, aliàs iure nullos. Quia sine iure manifesto non possumus affirmare eos contractus effici validos adiecto iuramento, cum iuramentum id non habeat ex natura sua, vt supradictum est. At nullum ius Canonicum dicit hos contractus valere, sed tantum asserit iuramentum ob eius religionem seruandum esse inuiolabiliter. Quæ duo sunt inter se valde diuersa, vt attigimus supra in principio huius capitis. Hoc autem quod ius canonicum dicit sufficienter saluatur in eo, quod licet contractus maneat irritus in ratione contractus, iuramentum tamen sit validum, quæ vt dixi sunt valde diuersa, & pariunt diuersos effectus. Certe in cap. *cum contingat de iure iurando*, dicitur: *Quamuis contractus non sit obligatorius secundum legitimas sanctiones, ne tamen tali prætextu contingat viam per iurijs aperire, seruandum esse iuramentum.* Et in capite *quamuis pactum de pactis in sexto*, seruari etiam iuramentum debere præcise dicitur, & capite *licet mulieres de iure iurando in sexto*, idem dicitur, & præcipitur iudicibus laicis, ne non relaxato iuramento audiant contra præfatas alienationes, quibus quidem verbis non traditur robur contractui, sed seruari dicitur iuramentum. Facit etiam quod cap. *debitores de iure iurando*, eodem modo dicitur seruandum esse iuramentum de soluendis vsuris ob religionem iuramenti, cum tamen contractus sit omnino nullus, neque obligationem pariat. Facit etiam textus in cap. penult. de pignoribus, vbi contractus improbatus manet, & nullus, satis factum tamen iuramento, cum miserit per infidelem nuntium intra tempus. Aliàs si contractus valuisset ob iuramentum additum, non iuberetur rem cum fructibus computatis restituere, vt aduertit optime Cuiacius ad caput *ex rescripto, de iure iurando*. Deinde probo alia manifesta ratione meo iudicio. Quia iuramentum natura sua non valet efficere illum contractum validum. At in Pontifice non est potestas; qua efficiat validos contractus laicorum aliàs nullos, cum materia illa, vt præcedit iuramentum, non subdatur potestati Pontificis. Vnde Gabriel Vazquez dubio secundo citato inquit, difficultate non carere, quod contractus iure humano nullus possit in alijs, quàm in terris Pontifici subiectis effici validus ratione iuramenti. Quia Pontifex non potest in alia ditione contractus laicorum irritos efficere, aut validos. Cui doctrinæ fauet etiam Archidiaconus, qui in dicto capite *licet*, scribit illud tantum habere locum in locis subiectis dominio temporali Pontificis. Quibus indicat non posse in alijs locis validum effici contractum auctoritate Pontificia. Eidem doctrinæ accedit Petrus Bussius dicta lege prima numero septimo de iure iurando. Cum ergo iuramentum non habeat natura sua, & aliàs potestas Pontificis non se extendat ad eos efficiendos validos, non est vnde dicamus contractus illos iuramento adiecto valere. Adde etiam nullum esse finem, qui exigat, vt Pontifex eum valorem actibus irritis concederet. Satis enim consultum est animarum periculis, si iuramenta seruari præcipiãtur, propter rationem quam statim assignabo.

49 Quid ergo addiderit ius Pontificium supra ius ciuile iam explico. Materia iuramenti, vt diximus supra §. 2. & 3. debet esse hone-

honesta, & non indifferens, neque turpis, itaque materia indifferens, cum non sit actus virtutis, non est capax obligationis iuramenti. Ideò ius Ciuile cum non attendat, quem quisque sibi finem præstituat, sed quid sequatur ex natura contractus prohibiti, & irriti, decernit iuramentum non esse seruandum, vt pote nullius momenti. At quia homo cum operatur, potest materiæ indifferenti finem honestum præstituere, vt si iuret quis se soluturum id, quod amisit in ludo pecunia credita ex honesto fine, scilicet ne in sua fama sequeretur damnum, aut ob alium bonum finem: & in eo casu teneat iuramentum, cùm cadat supra materiam honestam ex fine operantis, ius Pontificium, quod conscientiam respicit, negat actionem, relaxationem tamen concedit, & non agi contra iuramentum, donec relaxetur solum ob vitationem peccati. Quia tutius est, at sine actione aliqua, vt docet Busius loco modo citato numero 7. Quare tota hæc lex Pontificia in præsumptione fundatur. Vnde qui sciret se non iurasse ex honesto fine addito huiusmodi contractibus, in conscientia non egeret relaxatione, quamvis in iudicio agere non posset. Cumque Princeps censeatur efficere id, quod facit, meliori modo quo potest, & Pontifex non possit reualidare contractum aliàs nullum in materia non subiecta eius dominio, censendus est hac via tantum processisse.

50 Ex his colligo non rectè Anton. Fabrum errore 41. Pragmat. cap. 5. censuisse iuris Canonici constitutionem de confirmandis actibus iure inualidis, veluti renunciatione successionis strictè accipi debere, neque ad alios casus extendi. Et quidem si ego iudicarem contractus validos effici adiecto iuramento, & id posse præstare Pontificem, sentirem cum Antonio Fabro solum ad cõtractus expressos extendendam esse Pontificiam constitutionem, cum reualidatio eorũ prouenire debeat ex speciali lege, quæ tantum loquitur de his, & non alijs. At quia id Pontifex non potest, vt probatum est, non satis percepit vir acutissimus, quæ esset dispositionis Pontificiæ vis in eiusmodi cõstitutionibus: tantum vult seruari iuramentum quod præsumit factum ex honesto fine. Hoc autem eandem rationem habet in quovis alio contractu, cum etiam alijs honestus finis adhiberi possit, & ideò in omnibus alijs eadem dispositio est, contractus autem inualidi remanent, cum nequeat Pontifex eos validos efficere.

51 Sed contra sententiam istam obijcitur primò. Quia materia iuramenti debet esse actus virtutis. Sed contractus iure nullus non est actus virtutis. Ergo iuramentum cadens supra illos obseruari non deberet. Sed præcipitur obseruari iure Pontificio. Ergo signum manifestum est redditam esse materiam illam validam, aliàs nulla esset obligatio iuramenti. Respondetur si leges illæ, quę obseruari decernunt iuramentum essent latæ ab his, qui possunt reualidare contractus, concederem vtique contractus effectos validos eo ipso, quo adijceretur iuramentum. At cum Pontifex sit qui seruari decernit, cuius potestati non subditur materia eorum contractuum, neque reualidatio, ideo dico non effici validos, sed præcipi nihilominus obseruari, quia præsumit ex honesto fine iuramentum emissum. Docet autem Gabriel Vazquez loco citato, consentaneè ad principia Theologica iuramentum de contractu nullo, si ex honesto fine fiat, esse obligatorium. Id ergo respiciens Pontifex decernere potuit, vt iuramentum appositum ser- [illegible]. Quod si instes. Ergo idem dicendum erit de obseruatione iuramenti, quando cadit supra actus irritos ob bonum publicum. Neque vniuersè neganda est sequela, neque vniuersè concedenda, sed id iudicandũ iuxta ea quæ dicemus, §. sequenti.

52 Secundò obijcitur. Quia iura Pontificia diuersimodè loquuntur, quando tantum volunt iuramentum seruandum esse ob religionem iuramenti, atque loquuntur in prædictis capitibus, in quibus tribuunt robur actibus confirmatis iuramẽto. Nam in primo tantum exigunt, vt iuramentum seruetur. c. *debitores de iure iurando*, at in alijs dicunt omninò seruandum esse, cap. *quamuis pactum de pactis*. Particula autem omninò significat firmitatem contractus. Hoc argumento vtitur Thomas Sanchez lib. 3. sum. cap. 12. num. 5. Sed nulla hæc obseruatio est, & eodem modo loqui iura constat, cum etiam in dict. cap. *quamuis pactum*, dicatur: *ideo seruandum iuramentum, quia non vergit in damnum salutis æternæ*. Quibus verbis tantum vrget Pontifex obligationẽ iuramenti ex religione prouenientem. Quod si instet aliquis, etiam iuramentum ex dolo, vel metu factum esse seruandum ex religione: & tamen in citato capite expresse loquitur Pontifex de seruando iuramento præstito sine vi & dolo. Respondeo adhuc aliquid esse speciale, nempe vt iuranti sine vi, & dolo negetur actio in foro externo per Pontificẽ, donec relaxetur, quod recte

recte potuit decernere Pontifex ad euitationem periurij, quæ tamen actio non negatur illi, qui vi aut dolo iurare compulsus est.

53 Denique obijcitur cap. *quamuis de pactis*, ibi: *Licet improbetur iure ciuili, si confirmetur iuramento, valeat contractus*, non dicitur, *valeat iuramentum*, sed contractus. Expendo etiam illa, *licet improbetur iure ciuili*. Id ergo valere decernit Pontifex, quod iure ciuili improbatur, iure autem ciuili improbatur contractus. Sed respondeo iuxta dicta in primis textum illum diuersimodè intelligendum comparatione subditorum Pontificis in temporalibus, & comparatione aliorum. Quoad primos valet contractus, quia potest Pontifex in sua ditione temporali vim tribuere contractibus. Quoad alios vero contractus manet nullus, & tantum viget religio iuramenti. Deinde dico legibus ciuilibus vtique improbatum esse, & contractum fieri valide, & iuramentum etiam valide apponi vt constat ex dictis supra §. 5. Ius ergo Canonicum vult valere non contractum illum in ratione contractus, sed contractum quatenus præcisè subest iuramento, hoc est, vinculum ipsum iuramenti. Quia donec relaxetur negat actionem, neque admittit aliquid contra iuramentum præstitum sine vi, & fraude.

Ex doctrina tradita colliguntur nonnulla.

§. VIII.

SVMMARIVM.

Iuramentum additum contractibus nullis ob vtilitatem publicam, non solum non confirmare contractum, sed neque ipsum iuramentum robur habere. num. 54.

Obijcitur & diluitur. num. 55.

Limitatur tradita doctrina. num. 56.

Quando lex prohibet & fertur in personas nullum esse iuramentum firmans actum contra illam explicatur exemplis. num. 57.

Inspiciendum esse quod iure prohibeatur, & supra quid cadat iuramentum. num. 58.

Alienationē rei dotalis, & alios contractus, de quibus ibi, non firmari iuramento. n. 59.

Quid dicendum de iuramento opposito sponsalibus & matrimonio explicatur ex dictis. n. 60.

54 IAM facile est iuxta doctrinam traditam enunciationibus præcedentibus definire, quid dicendum sit in multis peculiaribus casibus, quorum nonnullos percurram, & proponam breuiter, quia de illis late agere non est huius loci.

Primo ergo colligitur contractus nullos ob vtilitatem publicam adiecto iuramento non solum robur non accipere, in ratione contractus, sed neque iuramentum esse seruandum, & esse omnino nullum. Voco autem contractus irritos ob vtilitatem publicam (quod alij non satis explicant, & vno verbo nobis explicuit Gabriel Vazquez dub. 2, cit. num. 30.) eos omnes, qui deficiunt in forma & solemnitate præscripta, quales sunt testamentum, matrimonium, contractus minorū, & iudex, renunciatio nouitij, alienatio rerum Ecclesiasticarum, & alij, quibus iure Canonico vel ciuili præscripta certa quædam forma & solemnitas est. Dico ergo, quantumvis his actibus nullis addatur iuramentum, nec valida in ratione actus, neque iuramentum seruari. Ius enim Canonicum in obseruatione iuramenti de his non locutum est, vt constat ex capitibus adductis.

55 Sed contra hanc illationem videtur esse, quod contractus minorū, in quibus certa solemnitas requiritur, sunt validi, si confirmentur iuramento, iuxta constitutionem Federici Imperatoris in *Auth. sacramenta puberum, C. si aduersus vendit.* vbi eorum iuramenta super contractibus rerum suarum non retractandis inuiolabiliter obseruari præcipiūtur: & cum alias sit dispositio eius Principis qui potuit validum efficere contractum, sequitur adiecto iuramento contractum valere, & actionem dari. Multa in huius expositionem dici possunt, quæ perstringam, & insinuabo tantum. Valde hoc Authenticum reprehendit Duarenus eodem tit. *si aduersus vendit.* pag. mihi 111. col. 1. Ego tamen existimo dispositionem hanc tantum versari in contractibus minorum aliàs iure validis, quibus nulla deest solemnitas iuris, vt bene probat Donellus lib. 21. cap. 13. & Petrus Bursius *l.* 1. *n.* 4. *D. de iure iurando*, & multi etiam quos referunt, & sequuntur Burgos de Paz, l. 1. Tauri num. 288. Matienço lib. 5. Compil. tit. 4. l. 2. Glossa 9. num. 10. Ac tametsi Iason, Cynus, Salicetus, Baldus & alij, quos refert Gail lib. 2. obseruat. cap. 4. id in vtrunque partem disputent, concludunt tamen si contractus minorum tantum sit nullus ratione defectus ætatis, confirmari iuramento, non vero, si sit nullus ex defectu solemnitatis. Pro qua doctrina plures refert Seraphinus priuileg. 83. num. 43. & sequentibus. Et idem ipse sequitur ex dispositione huius Authentici num.

50. versic. *Ex his omnibus colliguntur*. Quare in ea constitutione negatur beneficium restitutionis ratione minoris ætatis, si contractus aliàs ratione solemnitatis validus confirmetur iuramento. Addo etiam si quis existimet minores naturaliter saltem obligari, dicet etiã valere contractus iuramento adiecto quoad naturalem obligationem. Ego tamen verius puto ex contractibus pupillorum iure nullis neque naturalem obligationem oriri, vt docet etiam Misengerius *instit. addit. de auctor. tutor.* Pichardus ibidem, & alij non pauci. Vide de obligatione minorum Seraphinum priuil. 83. loco citato, Bussium in *l. verum* 11. *§. sciendum, num.* 9. *& sequentibus, D. de minorib.* Denique de contractu cum minore Couar. sentit non solum illum non firmari iuramento, verum neque iuramentum subsistere. Existimat enim Couar. peccare eum, qui contrahit cum minore quia directis verbis prohibetur contrahens, & ideò sub peccato illi prohibetur cum minori contrahere, quia & prohibetur accipere & retinere. Vnde & iuramentum in eo casu cadens supra actum illicitum nullum erit.

56 Verum doctrina huius illationis non ita vniuersè accipienda est, vt si omnibus actibus irritis ob vtilitatem publicam, in quibus scilicet præscribitur certa forma, atque solemnitas, addatur iuramentum nullius sit roboris. Potest enim contingere, vt adiectũ seruari debeat ex præsumptione boni finis præstituti ab operante. Quod discernendum est nonnullis obseruationibus, quas præ oculis habere debemus, & in generali adduxisse nostro instituto sit satis. In primis inspiciendum est, an ius præscribens solemnitatem & formam tantum eam requirat, vt faciat fidem in iudicio, & solum quoad hunc effectum reddiderit irritum actum factum sine forma, non vero quoad naturalem obligationem, quæ aliàs sequeretur. In eo enim casu seruandum iuramentum est in vtroque foro, & habebit locum compensatio in foro conscientiæ contra negantem, aut retinentem. Exemplum sit in testamento minus solemni, in quo mihi, vt dixi lib. 5. valde probabile est defectum solemnitatis non tollere naturalem obligationem. Et idem vniuersè dicendum in his actibus, in quibus iure ciuili non tollitur naturalis obligatio. In his enim remanet obligatio naturalis, supra quam valde cadat iuramentum. Cui doctrinæ fauere debent quotquot ad iuramenti valorem requirunt, quod cadat supra naturalẽ obligationem, quos refert Thomas Sanchez lib. 3. summæ cap. 12. quæst. 2. Ad quas forte leges pertinet ea, quæ prohibet ludum pecunia credita.

57 Secundò iuxta ea, quæ dixi supra §. quarto inspiciendum est, quomodo asseratur lex prohibens & irritans aliquem actum ex non seruata forma, an non tantum annullet, sed etiam prohibeat, & dirigatur in personam: tunc enim non solum actus erit nullus, sed etiam illicitus, & iuramentum adiectum erit nullum, vt pote cadens supra materiam illicitam. Sic non valet iuramentum clerici de renunciatione fori, prohibetur enim *cap. si diligenti de foro competenti*. Sic etiam arrhatum donatio non solum non firmatur iuramento, sed etiam non subsistit iuramentum. Quia vt inquit Couar. 2. p. §. 2. num. 6. & Roderic. Suarez l. 1. fori lib. 3. tit. de *las Arras*, quæst. 3. Regia lex donationem hanc prohibet, & dirigit verba prohibitionis in ipsum donantem, atque adeò illicita est talis donatio, & iuramentum non est validum.

58 Tertiò inspiciendum est attente, quid sit id, quod iure prohibetur, & quid sit id, supra quod cadat iuramentum. Potest enim cõtingere, vt non cadat supra id quod prohibitum est, & ita valaet. Explicemus sigillatim. Si contractus consistat in actione, quæ respicit tempus præsens, & in ea perficiatur, & addatur promissio de non contraueniendo, eaque iuramento firmetur, nulla est confirmatio, nullumque iuramentum re ipsa, nisi forte potuerit esse bonus finis operantis iuxta dicta. Ratio est, quia ea promissio de non contraueniendo contra leges est, argumento text. in *l.* 28. *de pactis*. Si enim prohibetur ipse contractus, simul prohibetur ea pactio de nõ reuocãdo. Aliàs frustranea esset lex, quæ annullaret contractum, si nõ excluderet etiam pactum de non reuocando. At si contractus perficiatur actione, quæ respicit tempus futurum, & separari possit à promissione de non reuocando, si tunc promissio iuramento firmetur, tenet iuramentum, datur tamen actio iuranti *cap. debitores de iur. iur. cap. ad audientiam, de his quæ vi, cap. ad aures eodem*. Sũt enim duæ promissiones separabiles inter se & supra aliquam earum potest cadere iuramentum sine peccato, & sine prohibitione iuris. Denique si promissio contractus non est separabilis â promissione non reuocandi, & non contraueniendi, iuramentum tantum confirmabit in casibus supradictis, non aliter.

59 Se-

59 Secundò colligitur alienationem rei dotalis iuramento non firmari, neque renuntiationē futuræ successionis, neque donationem inter virum, & vxorem, neque donationem vltra quingentos solidos sine insinuatione, neque donationem omnium bonorum præsentium. Isti enim contractus sunt ipso iure nulli, vt suis locis videndum est. Idem dico de renuntiatione sub iuramento de alimentis futuris sibi debitis. Contractus etiam cum prodigo non firmatur iuramento, quod etiam docet Couarruuias secunda parte §. tertio numero, finali licet ex diuerso fundamento, sentit enim ille esse peccatum contrahere cum prodigo, quia est in illo mentis defectus. Sed an etiam iuramentum his actibus adiectum relaxatione indigeat, petendum est ex doctrina tradita, attentè considerando an lex non tantum feratur in actum, sed etiam in personas, ita vt actus sit illicitus.

60 Vltimò colligitur quid dicendum sit de iuramento adhibito in contractu sponsalitio, & matrimonij. Si enim matrimonium sit inualidum ex defectu publicæ solemnitatis, vel inhabilitatis contrahentis, non solùm nō firmatur iuramento, sed neque iuramentum habet vim, neque relaxatione indiget. Est enim peccatum contrahere matrimonium cum illo impedimento. Et præterea pone aliquem eo modo ducere vxorem, & iurare, inquiro quis sit sensus illius iuramenti? Si est assertorium, falsum est, cum reuera non contrahat matrimonium: si est promissorium de non contraueniendo, nullum est, cum non possit obligari ad vsum matrimonij inualidi. Similiter in sponsalibus, si quis ea celebret, & iuramento confirmet, tenetur non resilire, si valida sponsalia fuerint, subintelligendo tamen easdem conditiones, quæ in ipsis sponsalibus subintelliguntur.

Quid dicendum de iuramento per vim, & metum extorto?

§. vltimus.

SVMMARIVM.

Quæ sunt certa statuuntur, num. 61.
Variæ sententiæ de valore iuramenti metu extorti, iure positiuo, num. 62.
Posse ius Pontificium reddere nullum eiusmodi iuramentum, num. 63.
Iure ciuili iuramentum dolo, & metu extortum additum actibus validis nullius esse momenti, num. 64.
Impugnantur in hoc quorūdam placita, num. 65. & 66.
Idem dicendum iure Lusitaniæ atque Castellæ, num. 67.
Iure ciuili, & canonico iuramentum vi extortum additum actibus inualidis ob vtilitatem publicam, nullum esse, num. 68.
Idem dicendum iure ciuili, & Castellæ qui additur contractibus nullis ob vtilitatem priuatam, num. 69.
Quid dicendum iure Pontificio, num. 70. 71.
Reijcitur aliquorum distinctio, num. 72. & 73. 74.
Iuramentum confirmans matrimonium ex metu irritum, nullum esse, num. 75.
Idem dicendum de iuramento addito sponsalibus ex metu contractis, num. 76.

61 QVÆSTIO potest intelligi de metu leui, & de metu graui, potest etiam intelligi de metu iustè incusso propter mortuum aliquod honestum, & de metu iniustè illato. Certum ergo est, si loquamur de metu leui, validum esse iuramentum metu extortum. Quia ipse à se metum repellere potest, vt dixi supra lib. 4. Similiter certum est valere iuramentum ex metu intrinseco imminentis periculi, & iustè etiam incusso, quia ipse sibi metum infert. Addo etiam iure naturæ certum esse valere iuramentum etiam ex metu graui, & iniusto conceptum. Quia cum eo metu est sufficiens voluntarium ad peccatū. Ergo, & ad colendum Deum per votum, & iuramentum, & ita diximus de voto supra li. 7. cum de impedimento ordinis ageremus.

62 Quare tota difficultas est, an iure positiuo sit nullum iuramentum metu extortum. In quo variæ sunt DD. sententiæ. Quidam in vniuersum docent quoduis iuramentum metu extortum valere, siue sit in confirmationem contractus validi siue inualidi. Sic docere videtur Thomas Sanchez lib. 4. de Matrimonio disputatione 24. quæstione 1. iuncta argumentorum solutione, Franciscus Suarez lib. 2. de iuramento cap. 10. num. 4. Iuncto c. 11. nu. 10. qui, & alios refert, Cuiacius *cap. 1. & 2. de iure iurando*, plures etiam refert Osualdus in epitome Donelli lib. 21. capite 13. litera Q. Alij verò docent in vniuersum quod libet iuramentum metu extortum nullum esse, plures pro hac sententia refert Additionator Seraphini priuilegio 110. num. 5.

Alij denique distinguunt, quando iuramentum additur contractibus iure improbatis, tunc enim dicunt non valere: at verò quãdo additur actibus iure validis, tunc valere. DD. huius sententiæ postea referemus.

63 In primis certum sit posse ius Pontificium reddere nullum eiusmodi iuramentũ. Quia potest ex parte Dei remittere obligationem religionis, cum sit promissio Deo facta, cuius materia est cõtractus humanus. An etiam ius ciuile potuerit reddere nullũ eiusmodi iuramentum, constabit ex dicendis infra. Nunc autem non inquirimus, quid potuerit esse, sed quid habeat de facto, an scilicet re ipsa iuramentum metu conceptum valeat. Quo supposito sub distinctione explicanda quæstio est: & primò loquemur, quando iuramentum metu conceptum additur actibus validis; postea verò, quando adijcitur actibus inualidis.

64 In primo casu aliter dicendum est iure ciuili, aliter iure canonico. Nam iure ciuili mihi persuadeo iuramentum dolo atque metu extortum esse nullum, & nullius obligationis, etiam si cadat supra actus validos. Id conuinco ex Federici constitutione in dicto *Auth. sacramenta puber.* vbi iuramentum metu, atque dolo extortum nullius esse momenti dicitur, siue à maioribus, siue à minoribus adhibeatur. Ostendimus autem §. præcedenti cum Donello, & alijs Fædericum ibi agere de iuramento adiecto contractibus aliàs validis. Sed videamus, quid Theologi respondeant. Thomas Sanchez disput. citata numero 5. in solutione 2. dicit communem sensum esse Authenticum illud correctum esse per ius canonicum in *capite si vero, & capite verum de iure iurando*, quatenus constituit Federicus iuramenta metu extorta nullius esse momenti; & cum materia iuramenti sit spiritualis, in ea iuri canonico standum est *capite 2. de iure iurando in 6.* Franciscus Suarez dicto capite 11. numero 17. dicit non pertinere ad legem ciuilem declarare, an illud iuramẽtum obligaret: neque posse irritari ratione materiæ, si materia sit licita, & valida: & ideo Federici constitutionem intelligendam esse in ordine ad forense iudicium sæculare. Sed respondet rursus, si iuramentis puberum tributa est vis confirmandi contractum aliàs inualidum, eam vim denegari iuramentis extortis metu, & dolo, & ita non valere, neque vllius esse momenti in ordine ad confirmandum contractum in ratione contractus; valere tamen in ratione iuramenti, & quo ad obligationem religionis. Idem docuisse videtur Fortunius Garcia lib. de vltimo fine illatione 22. num. 463. cum sequenti, cum dicit Authenticum illud intelligendum esse, vt iuramentum metu extortum nullum sit, quoad obligationem homini adquisitam: ea enim ex tali iuramento non adquiritur: non tamen quoad obligationem ad quisitam Deo, de qua ius ciuile nihil disponit, ne mittat falcem in messem alienam.

65 Sed nihil istorum mihi probatur. Atque vt incipiam ab hac vltima solutione Suarij, & Fortunij; illa non probatur. Supponit enim Authenticum in 1. part. agere de contractibus inualidis, firmatis tamen iuramento puberum sponte facto, & eam efficaciam negari iuramentis quorumcumque extortis metu. Cum enim iam ostensum sit non agi, nisi de contractibus minorum validis, quibus adijcitur iuramentum, non potest in eo stare differentia inter iuramenta puberum sponte facta, aut ex metu, & dolo, quod vnum confirmet, alterum non confirmet. Sed supposito quod contractus sit verè validus, ita obseruari vult à puberibus, vt nec beneficium restitutionis detur ratione minoris ætatis: alterum verò neque à maioribus, neque à minoribus obseruari. Deinde id quod primo loco dicit Suarez tantum intelligi in ordine ad forense iudicium sæculare, non satis intelligo, quid sibi velit. Id enim est quod volumus, constitutionem Federici reddere nulla iuramenta metu extorta adiecta etiam actibus validis à sibi subditis, & apud suos iudices. Quod si legitime efficere potuit Federicus, stat pro nobis Suarez. Sin autem non potuit, nulla erit eius constitutio in hac parte, vt dicebat Thomas Sanchez, ad cuius solutionem examinandam iam accedamus.

66 Denique non placet quod dicit Thomas Sanchez. Primò. Quia vt dicamus eam constitutionem esse correctam per ius canonicum, ostendendum est, repugnare constitutionem iuris canonici, & Federici, quod tamen nõ ostenditur, nec enim repugnant. Nã licet demus ius canonicum decernere seruanda iuramenta metu extorta: attamen id intelligendum erit supposita habilitate terminorum, ideſt, iuramẽto aliàs valido. Pone enim non cadere supra materiã licitã, vel honestã, sed reipsa indifferentem, & ita constare, non potuit dicere ius canonicum seruandum esse. Præterea pone iuramentum metu extortum ad confirmandum contractum aliàs nullum ob publicam vtilitatem, in quo casu cõmunis

munis sententia docet esse nullum iuramentum, non potest dici in eo casu seruandum, cum in eodem casu iuramentum etiam sponte factum nullius sit roboris. Quare ius canonicum seruanda dicit iuramenta alias valida, quæ autem inualida fuerint, non præcipit seruanda. Cumque ea iuramenta metu extorta facta sint inualida iure Ciuili, & ab habente legitimam potestatem, non potest ex decisione iuris Canonici deduci illa esse seruanda, cum ea decisio intelligatur de validis iuramentis. Solùm superest ostendamus Imperatorem potuisse, ea iuramenta metu extorta irritare, quod iam supra ostensum est §. quinto, & docet apertè Molina tom. 1. de iustit. tract. 2. disp. 149. num. 13.

67 Idem quoque dicendũ est iure Lusitaniæ in quo libro quarto Ordinamenti titulo quinto omnino prohibetur adhiberi contractibus etiam validis iuramentum sine Regis facultate, quod in praxi seruari dicit Molina ibidem numero 16. A fortiori eodem iure nulla erunt iuramenta extorta per dolum, & metum. Idem dicendum Castellæ iure, quando quidem etiam dicta *lege decima, & undecima titulo primo libro quarto compilationis* prohibentur contractus aliàs validi confirmari iuramento nõnullis casibus exceptis; &, si iuramento confirmentur, efficiũtur nulli. At si actus redditus est nullus per potestatem legitimam, nulla postea supra eos cadere potest obligatio iuramenti, vt supra ostendimus, cum iam non maneant actus alicuius virtutis. Iure autem Pontificio, quid dicendum sit constabit ex sequentibus.

68 In secundo vero casu, si fermo sit de iuramento adiecto contractibus inualidis, dicendum est primo. Si contractus est nullus ob vtilitatem publicam in sensu supra explicato, sicut iuramentum sponte factum nullam obligationem inducit, in nonnullis casibus iuxta regulas traditas, à fortiori etiam neque metu extortum. Id quod existimo verùm tàm iure ciuili, quàm canonico. Iure ciuili cum supra ostensum sit impeditam esse omnino obligationem iuramenti aduenientis actibus inualidis *lege. non dubium C. de legibus.* Iure etiam Pontificio argumento textus in *capite si diligenti de foro competente*, & in Tridentino sessione 25. de Regular. capit. 16.

69 At quando contractus est nullus ob vtilitatem priuatam, ego existimo iure ciuili certum esse nullam etiam nasci obligationem propter vniuersalem illam constitutionem in dicta *lege non dubium*, & de iure ciuili docet expresse Seraphinus priuileg. 110. num. 11 versic. *ex supra dictis ergo*. Idem dico iure Regni Castellæ, & Lusitaniæ, quod rectè efficere potuerunt Principes sæculares pro sua potestate.

70 Iure autem Pontificio attentè in ipsis Pontificijs constitutionibus ego diiungendum censeo. Si iuramentum promissorium cadat supra promissionem diuersam à promissione de non reuocando iuxta dicta §. præcedenti, tunc existimo iure Pontificio robur habere iuramentum, & seruandum, etiam si metu extorqueatur, & relaxationem petendam. Hanc partem tantum contineunt ea omnia, quæ exiure Pontificio adducuntur, vt in *capite debitores de iure iurando* de soluendis vsuris diuersa est promissio à promissione de non repetendis, & iuramentum adimplerum est soluendo, neque contra illud fit, si postea repetatur, quod solutũ est. In *capite* verò agitur de iuramento de renuntiando beneficio, quæ promissio est diuersa à promissione de non repetendo. Quo etiam sensu intelligendus textus in *cap. ex tibus, & in ca. ad audientiam de his quæ vi.* Et expendo in d. *cap. ad audientiam* dixisse Pontificem non obstante iuramento prædicto, quo non erat repetendum, sed ad renignandum beneficium tenebatur. Sic etiam intelligendus textus in *cap. verùm de iure iurando*, ibi enim etiam agitur de eo, qui latrones promittit pro saluanda vita aut rebus suis tuendis, in quo videtur diuersas obligationes separari.

70 At si promissio de non repetendo separari non possit ab obligatione, in quam cadit iuramentum, quia contractus iam est perfectus, tunc existimo quoties cadit supra contractum inualidum, etiam iure Pontificio iuramentum nullum obligationem inducere, neque relaxatione indigere. Ad id me mouet, quod videam in dict. *cap. cum contingat, & dict. cap. quamuis pactum, & dict. cap. licet mulieres*, cum seruari præcipitur iuramentum cadens supra actus nullos, excipi quando metu, & dolo extortum est. Neque enim dici potest sensum esse, quando sponte fiunt, valere contractus in ratione contractus, & confirmari religione iuramenti, quando verò non fiunt sponte, valere iuramentum, non tamen confirmari contractus in ratione contractus. Nam iam supra ostensum est Pontificem pro sua potestate, & in materia non sibi subiecta non potuisse validos efficere cõtractus. Quare cum in prima parte earũ constitutionum Pontificis nõ possit esse sen-

sus iuramento confirmari contractus, sed tantum seruandum esse virtute religionis; cum excipitur iuramentum dolo aut metu extortum, proculdubio sensus est nullam obligationem ex eo nasci, atque ideo neque relaxatione indigere. Hanc sententiam quoad hãc partem docet Glossa in dict. *cap. quamuis pactum* verbo. *non vi*. Abbas in dict. *cap. cum contingat* num. 3. quem ibi sequitur Alciatus cũ alijs, Felinus in *c. 2. de iure iurando* num. 2. Syluester *v. iuramentum* 4. quæst. 8. citatis Decio, Archidiacono & Bart. plures etiam DD. refert Seraphinus priuileg. 110. num. 7. & sequentibus. Ratio autem, quare Pontifices in his constitutionibus diuersimode loquantur de eiusmodi iuramentis, ea mihi videtur esse. Quia cum in Pontificis potestate sit relaxare iuramentum, quo ad obligationem promissionis erga Deum nomine Dei, cuius vicem gerit, sicut relaxat obligationem voti, ideo in primo casu noluit relaxare, quamuis posset, quia per repetitionem, quam non contraueniendo iuramento habebat, poterat remedium adhiberi. At in secundo casu, cum iuramentum etiam caderet supra non repetendum, noluerunt iuramentum stare, sed relaxarunt in odium extorquentis per iniuriam, vt remedium superesset repetitioni, & ne impediretur iuramento.

72 Ex his colligitur primò non esse verã eam distinctionem, qua vtuntur aliqui, scilicet, iuramentũ metu extortũ valere, quãdo cadit supra actus iure validos, non verò quando supra inualidos. Hæc enim secunda pars non potest esse vniuersim vera. Nam promissio vsurario facta, aut latroni ex metu cadente in virum constantem est iure naturali nulla, vt dixi lib. 4. & tamen seruatur iuramentum illud *cap. debitores, & cap. verum de iure iurando*. Atque idem dico de resignatione beneficij, quæ ad liberalitatem pertinet: & tamen iuramentum seruatur *c. si vero de iure iurando c. Abbas, & c. ad audientiam, de his quæ vi*. Ergo non potest esse vniuersim verum iuramentũ cadens supra actus inualidos metu extortum, nullum esse, neque relaxatione indigere.

73 Secundò colligo neque etiam sustineri posse aliorum distinctionem, qua rem istã explicare, & conciliare sibi videtur diuersa iura, scilicet, in foro externo iuramentum metu extortum nullius roboris esse, in foro tamen conscientiæ seruari debere. Et ideo ius Pontificium in dict. *capite cum contingat*, & similibus excludere iuramentum dolo, & vi præstitum, in iudicio scilicet, & tribunalibus: at vero in *capite debitores*, & similibus dicere esse seruandum, & relaxationem petendam pro foro animæ, quasi in iudicio ad agendum ea absolutio necessaria non sit. Qua distinctione rem istam explicat Gregorius de Valencia 3. tom. disput. 6. Generali, quæstione septima puncto 4. §. 3. sequitur Fachineus lib. 8. conuersia. capite 102. & in eam videtur inclinare Suarez in verbis supra relatis. Hanc tamen conciliandi rationem minus probo. Quia etiam in foro externo requiritur relaxatio iuramenti iure Pontificio, quando cadit supra actus aliquos inualidos, vt constat ex *capite debitores de iure iurando* vbi de foro externo sermo est. Neque valet solutio, quam insinuare videtur Gregorius de Valentia loco citato se loqui, quando per vim, & iniuriam extorqueatur iuramentum. Nam si tantum per iniuriam extorqueatur, & non per vim, tunc dicit etiam in foro externo absolutionem esse petendam vt in dicto *capite debitores*. Hæc, inquam, interpretatio non placet. Quia in *capite si vero de iure iurando*, agitur de foro externo, & de iuramento per vim extorto, & in *capite Abbas, & c. ad audientiam, de his quæ vi*; & tamẽ iuramenti conceditur absolutio. Ergò ea conciliatio per distinctionem fori, & poli, iure nõ subsistit.

74 Tertiò colligo, neque etiam sustineri posse distinctionem aliam, quam insinuare videtur Seraphinus priuilegio 110. nu. 11. iure Pontificio, tunc iuramentũ obligationẽ inducere, cum actus, supra quem cadit, non requirit liberã omnino voluntatẽ: At si ius requirat liberã omnino voluntatem, tunc non obligare iuramentum. Exemplum ponit in matrimonio, & in resignatione beneficij, quæ omnino debent esse libera. Hæc tamen distinctio mihi non videtur sufficiens ad rem istam explicandã. Quia ad donationem liberalẽ requiritur iure naturæ, & positiuo libera omnino voluntas, cum sit actus liberalitatis, vt ostendi supra lib. 4. & tamen promissio vsurario aut latroni facta iuramento firmata seruanda est ob religionem iuramenti *cap. debitores, & cap. verum, de iure iurando*; & de resignatione beneficij sermo est in dicto *cap. Abbas, & cap. ad audientiam*: & nihilominus beneficium absolutionis impenditur. Ergo signum est etiam obligare iuramentum iure pontificio in his, quæ requirunt liberam omnino voluntatem.

75 Quartò colligo, si matrimonium ex metu contractum confirmetur iuramento, nullum esse iuramentum, cum cadat supra contractum nullum ob vtilitatem publicam, & pa-

& pactum de non contraueniendo nullum sit, cum separari non possit ab obligatione contractus: & ideo in eo casu non esse opus aliqua relaxatione *capite cum locum*, & ibi Panormitanus *capite veniens el 2. de sponsal. capite significauit de eo qui duxit*, Glossa in *capite 2. de his quæ vi.* Seraphinus priuileg. citat. nu. 11. in fine. Couarruuia 2. parte de matrimonio capite tertio §. quinto per totum, & alij, quos refert Additionator Seraphini priuileg citat. numero 22. & alij quos refert Sanchez lib. 4. disput. 20. numero 15. Quis autem sit sensus, quando iuramentum adhibetur matrimonio, quod nullum est, dixi §. præcedente.

76 Quintò colligo, quod attinet ad sponsalia, si metu extorta sint, & adijciatur iuramentum, tale iuramentum non obligare, neque relaxatione indigere. Docet cum alijs Thomas Sanchez lib. 4. de matrimonio disput. 21. num. 3. Moueor ex *capite ex literis, de desponsat. impuber.* vbi de sponsalibus iuratis sermo est. Moueor etiam, quia contractus sponsalium ex metu nullus est, & iure positiuo, & naturali, vt dixi supra lib. 4. Deinde, quia vt dicebam supra isto §. quando promissio non retractandi non distinguitur à promissione contractus, sed iuramentum supra eam cadit, iure Pontificio non valet. In sponsalibus autem promissio contrahendi matrimonium, & promissio non retractandi sponsalia non separantur: atque ideo iuramentum cadens supra illam nullam obligationem inducit. Quid autem dicendum sit in foro conscientiæ, si sponsalia ex metu ioui facta essent, & iuramento confirmata, petendum ex his, quæ dixi supra lib. 4.

Sponsalia dissolui mutuo dissensu.

CAPVT IX.

SVMMARIVM.

Mutuo consensu dissolui sponsalia, num. 1.
Etiam si sint iuramento firmata, num. 2.
Quid de sponsalibus impuberum, num. 3.
Idem de sponsalibus impuberum præsumptis, n. 4.
Quid si ante pubertatem dissensit, & perstat in dissensu, num. 5.
Discrimen inter sponsalia ante septenium, & ante pubertatem, num. 6.
Quid si sponsalia impuberum, iuramento confirmentur, num. 7. 8.
Quid quando parentes contrahunt pro filijs. n. 9.
Obiectioni fit satis, num. 10.

1 AGGREDIMVR deinceps explicare quibus ex causis dissoluuntur sponsalia, quæ his versibus comprehenduntur, apud Hostiensem.

Dissensus, crimen, fuga, tempus, & ordo, secundo,
Morbus, & assensus, vox publica, cumque reclamans.

Prima ergo causa dissoluendi sponsalia est mutuus contrahentium consensus *c. 2. de sponsal.* Quem textum iam supra satis explicui. Nam enim est contractus iste indissolubilis naturæ sua, & ita per eadem causas, per quas nascitur, dissoluitur. In hoc conueniunt DD. omnes. Verùm necessarium est, vt dissensus alterius non extorqueatur ab altero per vim, & metum iuxta dicta supra lib. 4. alias nulla erit remissio, similiter necessarium est, vt cum alter eorum resilit, alter acceptet eius remissionem, antequam pœniteat, alias valebit contractus sponsalitij; nec enim dissensu vnius ille, qui dissensit, liber euadit, donec alter acceptet.

2 Idem dicendum est, etiam si sponsalia fuerint iuramento confirmata. Nam cum materia iuramenti, in quam cadit, sit promissio facta homini, altero remittente promissionem cessat obligatio iuramenti, quæ in illa fundabatur *c. debitores de iure iur.* & dixi c. præcedenti in principio, & supra lib. 8. Atq; in hoc conueniunt etiam DD. videri possunt Thom. Sanc. lib. 1. de matrim. disput. Rebel. lib. 3. de matrim. q. 8. sect. 1. concluf. 3. Toletus in sum. lib. 7. c. 21. Hoc tamen intelligendum est, si iuramentum confirmauerit sponsalia. Si enim iuramentum sit absolutè Deo factum se ducturum aliquam fœminam pauperem, tunc non tenetur ducere, sed potest in cœlibatu manere. Docet Molina to. 1. de iustitia tract. 2. disp. 149. n. 10. Rebel. d. q. 8. art. 1. n. 4. Cuius ea optima ratio est. Quia iuramentum absolutè factum Deo, & nō certæ personæ habet rationem, & obligationem voti. At votum debet esse de meliori bono, & melius bonum est cœlibatus quā matrimonium. Addunt autem prædicti DD. id verum esse regulariter loquendo, nisi in spectis circunstantijs melius esset illi homini nubere, quā vri; tunc enim censent Molina, & Rebellus obligare votum, vel iuramentum de ducenda vxore, quod in materia de voto discutiendum est. Addit etiam Rebellus illum, si nubat, teneri ducere illam paupertem fœminam, quam absolutè iurauit. Id tamen mihi non placet. Quia si iuramentum de bono impeditiuo maioris boni eo modo conceptum nullum est, non tenebitur ducere pauperem ex eo iuramento, cum nulla fuerit eius obligatio.

3 Sed hæc quæ dicta sunt de dissolutione sponsalium ex mutuo consensu, intelligenda sunt de his, qui pubertatis annos excesserunt, & in pubertate contraxerunt sponsalia. Nam de impuberibus contrahentibus sponsalia statutum est in *capite de illis el.* & *capite à nobis de desponsatione impuberum*, vt si intra annos pubertatis contraxerint, non liceat eis ante pubertatem reclamare, neque eorum alicui, sed expectandum erit tempus pubertatis. Secundò, quod si vel vnus eorum reclamauerit, sponsalia dissoluuntur. Tertio, quod si eorum aliquis prius peruenit ad annos pubertatis, si alter, qui intra pubertatis annos est, postea pubes factus reclamauerit, etiam dissoluuntur. Quartò idem etiam esse, si is, qui prius pubertatem attigerit, reclamauerit. Quid enim opus est expectatione alterius, si vel vnius dissensus sufficit ad sponsalia dissoluenda? Quinto, si pubes cum impubere contraxerit, pubes quidem resilire non potest, sed expectare tenetur an impubes postea, cum pubertatem attigerit, velit reclamare, qui si reclamet, sponsalia dissoluuntur, aliàs minimè. Hoc autem iure statutum est in fauorem fragilis ætatis, ne sæpè mutantes consilium sæpè resiliant, & sæpè contrahant. Hinc fit ante pubertatem ex eo mutuo dissensu resilire non posse *capite de illis.* Impuberes enim neque consentire, neque dissentire, neque etiam quidquam ante pubertatem scire vel intelligere existimantur *l. vltima D. de iur. & facti ignoratia, & l. 1. C. de falsa moneta.* Atque ea quæ diximus vera sunt, non tantum in foro externo, sed etiam in foro interno, vt docet Thomas Sanchez lib. 1. disputatione 51. quæst. 2.

4 Idem quod dico de veris sponsalibus impuberum, intelligendum etiam est de sponsalibus præsumptis hoc est, contractis per verba de præsenti, cum ea solùm habeant sponsaliorum vim dict. *capite a nobis, de desponsat. impub.* sed oportet, vt statim, post quam attigit pubertatem, resiliat: alias si non reclamauerit, postea non erit locus, cum visus sit approbasse. Statim autem fieri dicitur post pubertatem, si intra triduum fiat, argument. textus in *l. fin. C. de errore aduoc.* ibi, *in continenti, & l. fin. C. de iudic.* ibi, *illico autem, id est intra triduum.* Non est autem necessarium, vt expressè ratificet sponsalia, sed satis est, si non reclamauerit dict. *capite de illis,* ibi, *si cum ad annos pubertatis venerint, reclamauerint, separentur.* Ergò, si ad dissoluenda sponsalia requiritur reclamatio, satis erit ad firmitatem non reclamare. Cuius ea ratio est. Quia cum ea sponsalia ante pubertatem contracta fuerint valida, non est necessarius nouus consensus: matrimonium autem in ea ætate contractum erat inualidum, & ideo nouus consensus post pubertatem iure requiritur.

5 Quod si ante pubertatem dissensit, & semper mansit in eodem dissensu, etiam cum pubertatem attingit, dissoluuntur sponsalia, non ratione dissensus ante pubertatem, sed ratione perseuerantiæ in illo, postquam ad pubertatem peruenit, vt rectè docet Thomas Sanchez lib. 1. disput. 51. num. 16. At si interius dissentiat post pubertatem existimat idem Thomas Sanchez num. 17. in foro conscientiæ esse dissoluta sponsalia. Ego tamen consequenter ad ea, quæ dixi supra illo lib. c. 2. & etiam lib. 2. existimo non sufficere neque in foro externo, neque interno, quando ille dissensus non manifestatur per verba; valere enim diximus cum consensu ficto alios contractus præter matrimonium.

6 Ex his colligitur longè diuersam esse rationem de sponsalibus contractis in infantia ante septennium, & de contractis ante pubertatem, quod illa sunt omnino nulla, & ideo nullum ex illis oriebatur impedimentum publicæ honestatis *capite 4. & 5. de desponsat. impuber. & capite vnico eodem in 6.* in principio. Quare nisi post septennium accederet consensus, nulla erant; accedente autem consensu non conualescebant prima, sed nouiter sponsalia contrahebantur ex nouo consensu. Sponsalia autem post septennium ante pubertatem, & valida sunt, & eo tempore obligant, ita vt secunda sponsalia oriri non possint: & ex illis iure antiquo oriebatur impedimentum publicæ honestatis, etiam si postea dissoluerentur, vt constat ex dict. *cap. 4. & 5. de desponsat. impub.*

7 Sed quæres quid dicendum sit, si impuberum sponsalia iuramento confirmentur? Nonnulli dicunt confirmari iuramento, & resilire non posse, sed implenda esse, etiam si ad annos pubertatis peruenerint. Docet cum alijs Thomas Sanchez lib. 1. disput. 51. quæst. 3. num. 22. Eius fundamentum est, quod in *capite ex literis 10. de sponsal.* sponsalia inter impuberes iurata, etiam si alter ex eis resilire vellet post pubertatem, seruare compellitur per censuras. Addit autem Thomas Sanchez num. 29. vt eiusmodi iuramentum confirmet sponsalia, necessarium esse, vt sint proximi pubertati. In quo non loquitur consequenter, sed

sed euertit sententiam, quam primò defenderat, vt statim ostendam. Quod si iuramentum factum sit, antequam essent doli capaces, & proximi pubertati, dicit eadem quæstione num. 25. adhuc esse necessariam relaxationem, concedendam tamen.

8 Sed mihi longè probabilius videtur, etiam si iuramentum interponatur, adhuc remanere sponsalia impuberum eiusdem rationis. Docent nonnulli, quos refert idem Auctor num. 21. & ipse iudicat esse probabilem. Inducor hac manifesta ratione. Quia iuramentum, vt dixi cap. præcedent. in principio, sequitur naturam obligationis, cui adiungitur, sed sponsalia impuberum iure communi dissoluuntur altero eorum reclamante, cum ad pubertatem peruenerit. Ergò idem etiam est, quamuis iuramentum accedat. Vt enim dicamus alium effectum habere iuramentum, deberet esse in hoc specialis iuris dispositio, quæ non est. Idque constat, quia ex *cap. ex literis*, quod adducit Thomas Sanchez, non colligitur valida fuisse impuberum sponsalia. Quod ex ipsius doctrina manifestè conuinco. Si vt iuramentum eam vim haberet, deberet fieri à proximis pubertati: si eo tempore malitia supplebat ætatem, iam erant sponsalia omnino firma, & non erant sponsalia impuberum. Constat manifestè. Quia si proximi sunt pubertati, quando malitia supplet ætatem, possunt validè contrahere matrimonium, multò à fortiori possunt valida omnino inire sponsalia. Ergo si eo tempore iurauerunt, non conficitur sponsalia impuberum confirmata fuisse illo iuramento, sed puberum, cum malitia suppleret ætatem; & ex consequenti ex eo ad probandum sponsalia impuberum iuramento confirmari, non rectè sumitur argumentum. Deinde dico cum Cuiacio in dict. cap. illud intelligi de proximis pubertati. Vocat enim impubescentes, hoc est, vt inquit Cuiacius, *inolescentes*, & prope puberes, *molliam incipientes pubescere veste*, vt Lucretius loquitur. Sponsalia igitur illa valebant, quasi facta inter eos, qui proximè accedebant ad pubertatem: & ita illa non fuerunt impuberum sponsalia, sed puberum, & ideo compellitur implere, qui resilire voluit. Si ergò sponsalia verè impuberum confirmentur iuramento, & alter eorum resilire velit post pubertatem, nulla indiget relaxatione iuramenti. In quo non rectè loquitur Thomas Sanchez dict. num. 25. Quia cum ablata materia promissionis sponsalitiæ, auferatur etiam obligatio iuramenti, vt constat ex dictis, nulla opus est relaxatione altero renuente.

9 Sed quid dicendum, quando parentes contrahunt sponsalia pro filijs? Id habemus expressè decisum in *capite vnico de desponsat. impub. in 6. §. final.* vbi decernitur, si parentes contrahant sponsalia pro filijs puberibus, vel impuberibus, non valere, nisi filiorum accedat consensus, vel tacitus, vel expressus: vt si præsentes fuerint, & non reclamauerint; vel si absentes ratificauerint postea tacitè, vel expressè conscij eius, quod à patre gestum est. Quare etiam si parentes contraxerint, licitum erit filijs post pubertatem reclamare, neque alias valebunt, & etiã ante pubertatem, si non consenserint patribus, nulla sunt sponsalia dict. *capite vnico.*

10 Sed videtur obstare textus in *capite 1. de desponsatione impuberum* ibi, *Potest autem pater filium nondum adultum, voluntas cuius discerni non potest, cui vult matrimonio tradere, & postquam filius peruenerit ad perfectam ætatem omnino debet hoc adimplere.* Eadem habentur *cap. 2. 32. quæst. 2.* Respondet Bernardus, quẽ sequitur hic Panormitanus, & Glossa, quod verbum illud *debet* in fine textus positum intelligendum est de debito honestatis, non necessitatis, eo quod honestas postulet, ne filius à patre dissentiat. Sed hæc interpretatio non placet, & eam improbat Præpositus eo loco. Quia nõ videtur, quomodo textus iste constituat differetiam inter puberem, & impuberem, cum etiam in adultis honestum censeatur parere voluntati patris contrahentis matrimonium pro ipsis, cui aliàs de iure gentium parere tenetur *l. 1. in fine cum sequenti D. de institis. & iure.* Alij sic interpretãtur filio impuberi hanc necessitatem imponi, vt pubes factus teneatur patris factum approbare, nisi iustam habeat reclamandi causam. Sic Canisius in dict. cap. 1. Sed contra eum etiam potest ratio facta retorqueri. Quare respondeo iuxta ea, quæ dixi supra lib. 2. cap. 1. ex eo textu conuinci necessitatem olim impositam filijs non contrahendi matrimonium sine parentum consensu. Quamuis enim matrimonium, si nullo modo consentiret filius, nullum esset; at filius sine voluntate patris contrahere non poterat: & ideo debebat patris consilium, & voluntatem sequi. Quare textus iste non est ad rem, de qua modo agimus.

De ingressu in religionem.

CAPVT X.

SVMMARIVM.

Ingressu in religionem dissolui sponsalia, num. 1.
An per solum ingressum, an vero professio expectanda sit variæ sententiæ, num. 2.
Verior sententia, num. 3. 4.
Quatuor obiectionibus aliorum fit satis, num. 5. 6. 7. 8.
Quod si sponsalia sint iurata difficultas ex cap. cõmissam proponitur, variæ interpretationes reijciuntur, num. 9. 10. 11.
Duæ eius textus interpretationes magis probantur, num. 12. 13.

1 SECVNDA causa, ex qua etiam dissoluuntur sponsalia, est ingressus religionis *cap. 2. de conuers. coniug.* & communis DD. sensu recepta. Quãuis enim in eo capite tantum agatur de dissolutione matrimonij rati nondum consummati, attamen proportione quadam DD. inde colligunt etiam dissolui sponsalia per ingressum in religionem.

2 Sed circa causam istam nonnullæ difficultates explicandæ sunt. Prima est, an dissoluantur sponsalia per solum ingressum, an vero expectanda sit professio? In qua variæ sunt Doctorum sententiæ. Prima asserit non dissolui nisi per professionem. Sic Couarruuias 1. part. de matrimonio cap. 5. num. 15. Nauarrus in sum. cap. 22. num. 26. & ex Theologis non pauci. Quia reuera non est textus vnde colligatur ante professionem dissolui, & aliàs ex natura rei non videntur dissolui, cum possit maritus egredi, & implere sponsalia. Secunda sententia dicit, distinguendum esse, scilicet, quoad eum, qui in seculo remanet, sponsalia dissolui, non verò quoad illum qui religionem ingreditur. Quia si ille alter velit cum eo egrediente contrahere, tenetur. Sic supplem. Gabrielis in 4. dist. 27. quæst. 2. artic. 1. casu 6. Rebellus lib. 4. de matrimon. quæst. 8. sect. 6. & quo ad ingredientem non solui nisi per professionem docent Petrus Ledesma, Henriquez, & alij, quos refert, & impugnat Sanchez loco cit. num. 5. Tertia sententia est aliorum, qui docent sponsalia dissolui solo religionis ingressu quoad vtrumque. Sic Toletus in summa lib. 7. cap. 21. Sanchez cum alijs dict. lib. 1. disput. 42. num. 2. & 5.

3 Ego quidem de ista difficultate sic sentio. Primô nullo iure positiuo statui, vt sponsalia dissoluantur per religionis ingressum, cum iura quæ adducuntur, solum disponant de matrimonio rato, non consummato, & dicant illud dissolui professione, non ingressu religionis. Neque obstat, quod si ad matrimonium dissoluendum exigitur professio, ad dissoluenda spõsalia sufficiat ingressus. Id enim rectè diceretur, si esset aliquod fundamentum in iure, quod non est; & in huiusmodi rebus non licet ab vna ad aliam argumentum sumere: & præterea ratio differẽtiæ inter hæc duo constabit ex dicendis.

4 Deinde dico de ista causa idem iudicium ferendum esse, atque de mutatione status notabili post sponsalia. Quare, sicut qui videt defectum aliquem superuenientem, potest, si velit, contrahere cum illo, & alter tenetur: ita si quis religionem ingrediatur, cum notabilis in statu facta mutatio sit, poterit quidem qui est in sæculo, si velit, cum eo contrahere. Ex quo consequenter fit ingredientem in religionem, si egrediatur, teneri stare contractui in casu, quo alter velit; alium autem liberum esse ad contrahendum, cum alio si velit. In quo sensu rectè loquitur secunda sententia Rebelli, quam etiam sequitur Egidius de sacramentis disput. 23. dub. 3. concluf. 4. Et fundamentum est manifestum iuxta rationem dictam. Vnde eadem est ratio siue ingrediatur dolosè, siue ex animo profitendi; non enim liberatur ab obligatione spõsalium, nisi qui manet in sæculo remittat: quod si non remittat, non dissoluuntur, donec profiteatur, aut vouear religionem: & in hoc sensu recte loquitur prima sententia. Quia qui in sæculo remanet, non habet ius petendi vel exigendi, vt regrediatur, & impleat promissum, sed expectare tenetur, si non relaxet obligationem ante tempus professionis.

5 Sed cõtra sententiã istã obijcit primô Thomas Sanchez. Quia quamuis non inueniatur in iure, vt nouitiatus dissoluat sponsalia, sicut constitutum est de professione respectu matrimonij rati, ex quadam tamen proportione, & similitudine potest argumẽtum sumi, vt sicut professio dissoluit matrimonium ratum, quo consummantur sponsalia, ita etiam probatio, quæ est via ad professionem, dissoluat sponsalia, quæ sunt via ad matrimonium. Sed facile diluitur, cum eam vim habere non possint sponsalia ex natura sua, necesse est, vt habeant ex aliquo iure positiuo, quod in hac parte non extat. Ex eo autẽ

quod

quod ius statuat dissolui matrimonium ratum per professionem, non sequitur dissolui spōsalia per ingressum, tum quia iure diuino dissoluitur matrimonium ratum ex priuilegio concesso statui, vt dixi supra lib. 9. & quando iure ecclesiastico dissolueretur, id concessum est perfectioni status. Non autem postulat status, vt idem concedatur anno probationis comparatione sponsalium. Quia si perseuerat in religione, qui ingreditur, ipsa professione cessant sponsalia, sicut cessaret matrimonium: si verò non perseuerat, nulla ratio exigit, vt qui retrocedit gaudeat fauore religionis, sed æquum est vt cum antiquis obligationibus in sæculum redeat.

6 Obijcit secundò. Quia hæc dissolutio non solùm prouenit ratione notabilis mutationis, neque ratione renuntiationis, sed fauore status, sicut fauore status professione dirimitur omnino matrimonium: aliàs dicendum esset professione dirimi matrimonium consummatum, si ratio esset notabilis mutatio status. Respondeo nullam esse huius argumenti vim, neque satis percipi in quo consistat. Dico ergo dissolui tantum ex parte manentis in sæculo ratione notabilis mutationis, non ratione renuntiationis sæculi. Ex hoc autem non sequitur ratum matrimoniū dissolui ratione mutationis, sed diuino priuilegio in fauorem status, quod non est concessum ingressui comparatione sponsalium, vt dictum est. Ex eo autem quod ratione mutationis tantum dissoluantur sponsalia, non video, quomodo inferatur aliàs etiam matrimonium consummatum dissolui per professionem. Nam matrimonium insolubile vinculum est, contractus verò sponsalium non sic; & solo priuilegio diuino concedi potest dissolutio matrimonij, quod cōcessum fuit cōparatione rati, non vero comparatione consummati.

7 Obijcit tertio. Quia si ingrediens religionem protestaretur se nolle spōsalibus renuntiare vsque ad professionem, & licet vterque simul ingrederetur, in quo casu cessaret notabilis mutatio cum in vtroque esset mutatio æqualis, adhuc dissoluerentur sponsalia. Ergo ex fauore status prouenit dissolutio. Dico in primis parum referre, quod ingrediens protestetur, vel non. Diximus enim non dissolui quoad ipsum, sed remanentem non teneri, & posse resilire, non verò ingredientem, si ad sæculum reuertatur. Dico deinde, si vterque religionem ingrederetur vtrumque habere ratione resiliendi ab spōsalibus propter dicta, sicut si vterque in lepram incideret.

8 Obijcit denique, quia votum religionis dirimitur per ingressum in illam bona fide, & animo permanendi, ita vt si voluens egrediatur experiens eum statum sibi non cōuenire, liber maneat. Ergò talis ingressus sufficiens est ad dirimenda omnino sponsalia, maior est enim obligatio voti religionis, quam sponsalium. Sed nullum est argumentum, & simile de voto religionis non est ad rem. Quod enim votum cesset per ingressum bona fide, & animo experiendi, non est ex eo quod maior vel minor sit obligatio sponsalium, quam voti; sed quia eo tantum ingressu in religionem, & experientia illius impletur votum. Itaque ingressu ipso cessare dicitur obligatio voti, sicut votum dandi hodie eleemosynam cessat ipsa donatione eleemosynæ, quia per illam impletur: At ingressus in religionem non est impletio sponsalium, neque mutatio in melius, donec profiteatur, & perseueret, qua professione extinguitur etiam quoad eum profitentem obligatio spōsalium.

9 Secunda difficultas est, An, si sponsalia sint iuramento confirmata, dissoluantur ingressu in religionem: an verò, qui iurauit teneatur prius matrimonium contrahere? Tota huius rei difficultas nascitur ex *cap. commissum 16. de sponsalib.* vbi cum quidam sub iuramento fidem fœminæ dedisset, de contrahendo matrimonio intra biennium, & vellet ad religionem transire, consultus Alexander III. respondet tutius esse matrimonium contrahere, & postea, si vellet ad religionem ante consummationem transire. Cuiacius ibi existimat contractum illum potius fieri tunc dicis causa, & ad opinionem vulgi, & simulatè, quàm verè, siue ex animo, vt hoc qualicumque connubio satisfiat iuramento. In eādem etiam interpretationem accedit Glossa, dum dicit illud matrimonium celebrari, quia secundum opinionem vulgi existimaretur iuramentum illud ligare, cum tamen reuera non ligaret. Quam Glossæ interpretationem recipiunt Panormitanus ibidem, Ricardus in 4. distinct. 27. artic. 2. quæst. 4. Soto quæst. 2. articul. 5. Henriquez lib. 11. de matrimonio cap. 13. num. 15. Vnde addit Soto neminī consulendum esse, vt prius contrahat, & quia inutile esset, & quia iniuriam irrogaret sponsæ. Quos Doctores ideo retuli, quia Canisius in dict. cap. ob eam interpretationem Cuiacij Posthuma ad decretales reijcienda esse censet, vt conficta ab hæretico aliquo eius nomine, cum hanc interpretationem tot antiqui nobilesque Doctores admiserint. Ad

huc tamen ea interpretatio non placet. Quia non est consultus Pontifex de eo, quod vulgi opinione faciendum esset, sed de eo, quod vere, & in conscientia fieri deberet: & ideo respondet tutius esse inire matrimonium. Debet enim responsio interrogationi accommodari *cap. deinde dist. 26.* ibi, *meminerint hoc, & à Iudæis interrogatum, & Iudæis esse responsum.* Sumeretur etiam inde occasio peccandi, atque errandi, cum populus intelligeret respõsum Pontificis, vt verba sonant, & ita potius esset totius veritatem declarare.

10 Secunda interpretatio est. Eum qui sub iuramento promisit contrahere matrimonium, teneri prius contrahere, & non posse ante contractum matrimonium ad religionem transire. Quam vt veram amplectuntur Scotus, Ledesma, Nauarrus, & alij quos refert, & sequitur Rebellus dict. lib. 4. de matrimonio quæst. 8. sectione 6. conclusione 2. Idque primo constat. Quia ea videtur esse plana doctrina Pontificis, cum dicat *tutius esse*, qua forma loquendi non explicatur consilium, sed necessitas. Simili enim modo loquuntur etiam Pontifices cum de iuramenti adimpletione agunt, quod additur contractibus inualidis. Deinde quia non repugnat vtrique obligationi satisfieri, & iuramento contrahendo matrimonium, & desiderijs trãseundo postea ad religionem. Ergo seruanda est obligatio iuramenti. Præterea vel certum est in eo casu non esse obligationem seruandi iuramentum, vel dubium est. Si primum; non satis consideratè dixisset Pontifex tutius esse cõtrahere matrimoniũ. Quomodo enim tutius est illud seruare, cuius certum est nullam obligationẽ esse? Si verò dubiũ est, ergo tutior pars est eligenda, & ex consequenti nõ potest asseri iuramentum in hoc casu sequi naturam actus, & sponsalium, quibus adiungitur, neque in hoc casu subintelligi conditionem, *nisi velit religionem ingredi*, sed potius exceptam, quando adest iuramentum.

11 Hanc tamen interpretationem impugnat Thomas Sanchez nonnullis rationibus parum efficacibus. Illa potissima ratio est. Quia iuramentum sortitur naturã actus, cui adiungitur *cap. quemadmodum de iure iurando, & l. fin. C. de non numerata pecun.* & dixi supra cap. 8. §. 1. vnde conditio tacitè inclusa in actu, includitur etiam in iuramento. Sed promissioni matrimonij inest tacita conditio, *nisi promittens elegerit religionem*, sicut inest ipsi matrimonio. Ergo, & iuramento. Sed respondet Rebellus in sponsalibus absolutè cõtractis subintelligi conditiones secundum iuris dispositionem, & ex consequenti illam in iure decisam, *si velit transire ad religionem:* At in sponsalibus iuramento confirmatis esse peculiarem rationem dubitandi propter textum in dict. *cap. commissum*, voluerint ne Pontifices, vt iuramentum prius impleatur, quàm fiat transitus ad religionem. Hæc tamen solutio non placet. Quia cum ista conditio, *nisi velit transire ad religionem*, non insit, neque matrimonio, neque sponsalibus ex humano iure, sed tantum ex diuino priuilegio, aut naturali iure, non potest ab sponsalibus iuratis per ecclesiam excludi, nisi quatenus iudicaret, & declararet strictiorem esse in eo casu obligationem iuramenti, & præponderare eius adimpletionem electioni status, cuius nullum fundamentum est. Et explicari potest exemplo desumpto ex ipso matrimonio rato etiam iurato; adhuc enim transire liceret. Quia iuramentum subintelligit easdem cõditiones matrimonij. Præterea. Quia nihil contra iuramenti religionem fit, si sub intelligat eam conditionem in sponsalibus, sicut subintelligit in alijs contractibus. Maximè cum in hoc casu non sit aliquod morale dubium, neque aliqua ratio maioris boni in tali matrimonio, vt possit esse siue in consilio, siue in præcepto prius contrahere eiusmodi matrimonium.

12 Tertia ergo interpretatio est, quam tradit Innocentius ibidem, & communiter receptam esse docet Præpositus, & mihi supra visa est probabilior. cap. 8. §. 3. scilicet, quod cum hic sponsus non deliberato animo, & firmo statuisset religionem ingredi, sed motu quodam conscientiæ impulsus tantummodo adspiraret ad religionem, multaque subinde incidant, quæ retardare aliquem possunt ab ingressu religionis, ideo rescripsisse Pontificem tutius esse spõso, si matrimonium prius contrahat ne illud protrahendo biennij tempus elaberetur, & periurij crimen incurreret. Atque hanc esse veram interpretationem indicat ipse textus, dũ dicit, *tutius est ei prius contrahere, & postea, si velit, ad religionem transire.* Quod si certò sponsus ille constituisset religionem ingredi, non consuleret Pontifex, vt contraheret prius: esset enim inutile; sed diceret iuramento non obstante sponsum ingredi posse religionem. Igitur ideò dixit Pontifex tutius esse, id est, tutum esse (sæpe enim positiuum intelligi solet in comparatiuo) matrimonium contrahere, ne prætextu leuis, & inconstantis desiderij deesset religioni iuramenti, & aliàs etiam religionem non ingrederetur, quam leuiter, & inconstan-

constanter appetebat. Hanc etiam interpretationem sequitur Canisius ibidem, & Thomas Sanchez disput. 53. num. 5.

13 Vel secundò dici potest Pontificem respõdisse iuxta id, quod moraliter, & regulariter euenire solet. Sæpe enim ex huiusmodi sponsalibus publicis iuratis, & non impletis damnum aliquod suboriri solet spõsæ, quod nisi contracto matrimonio sufficienter reparari non potest: & ideo dixit tutius esse contrahere, si illa mulier admonita velit sibi impleri sponsalia. Et quidem suppositio aliquo damno sponsæ in præcepto est illam admonere, vt vel remittat sponsalia, vel si non vult remittere, contrahatur matrimonium. Quamuis eo damno secluso posset ad religionem conuolare non monita vxore. Et quidem aliquam peculiarem circunstantiam fuisse in ea specie proposita Pontifici, ratione cuius Pontifex dixit tutius esse contrahere, ex eo constat, quia ea non subsistente otiosus actus videretur contrahere cum statim relinquenda: & etiam ipse contrahens exponeretur periculo non implendi desiderium ingrediendi religionem, cum non ita facile sit semel ductam vxorem relinquere: facilius multo ante contractum ad religionem transire. Vide de hac interpretatione Suarez lib. 2. de iurament. cap. 13. num. 8. & sequentibus. Remanet ergò regulariter, & absolutè loquendo licitum esse religionem ingredi post sponsalia iuramento confirmata, quæ dissoluentur iuxta dicta difficultate præcedenti.

De Ordinis sacri susceptione.

CAPVT XI.

SVMMARIVM.

Non dirimi sponsalia susceptione minorũ ordinum, sed maiorum, num. 1.

An peccet qui post sponsalia ordinatur sacris. Variæ sententiæ, num. 2.

Non peccare videtur probabilius, num. 3.

Quid de postulato, aut præsentato ad Episcopatum, num. 4.

1 CERTVM est in primis per susceptionem minorum ordinum non dirimi sponsalia, cum non pugnent cum statu coniugij *capite 1. & 2. de Clericis coniugatis*, neque possit esse sponsa rationabiliter inuita. Vnde neque peccaret, qui post sponsalia ordines minores susciperet iuxta Tridentinum sess. 24. cap. 4. Deinde certum est per sacri ordinis susceptionem dirimi sponsalia. Ratio est manifesta. Quia iam per sacrum ordinem reddidit se inhabilem ad matrimonium: & quamuis vinculum matrimonij etiam rati præponderet susceptioni sacri ordinis, & non dissoluatur, at vinculum sponsalium, cum multis alijs causis solubile sit ratio ipsa petit, vt diluatur ex insigni facta mutatione. De voto autem suscipiendi sacros ordines dicam cap. sequenti.

2 Solùm ergo difficultas est, an peccet qui contraxit sponsalia, si promoueatur ad sacros ordines. Nonnulli affirmant nullum esse peccatum, sicut neque est in assumendo statu religionis. Sic Soto in 4. distinct. 27. quæstion. 1. artic. 5. Nauarrus in sum. cap. 22. num. 25. & alij. At verò alij dicunt peccare eum, qui contractis sponsalibus ad sacros ordines promoueri curat. Sic Rebellus cit. alijs dict. quæst. 8. sect. 5. Thomas Sanchez lib. 1. disput. 47. Huius sententiæ fundamentum desumitur ex differentia, quæ est inter sacros ordines, & religionis ingressum. Nam hic dirimit matrimonium ratum nondum consummatum, illi verò non, *extrauagant. Antiquæ, de voto.* Cum ergo neque priuilegio diuino, neque iure ecclesiastico id habeat status Clericalis, quod religio, non est cur dicatur in sponsalibus eam conditionem subintelligi, *nisi elegerit statum clericalem.* Et explicatur magis. Nam vel ea conditio inest ex lege positiua; & hoc non, nulla enim extat; vel lege naturali & ex natura rei, quia debet subintelligi conditio melioris status: & neque hoc dici potest. Quia non satis est statum clericalem præstare coniugio, vt ad illum transire liceat; siquidem neque votum, neque iuramentum in bonum euidenter melius commutare licet in alterius præiudicium, ex *l. id quod nostrum est de Regul. iuris, & l. mutui D. si certum petatur.* Et constans doctrina est, quam supra tradidimus iuramenti obligationem homini factam non posse in melius commutari, sed implendam, & in eo differre votum à iuramento. Idem etiam ostendit praxis recepta, in qua cum aliquis ad ordines sacros promouendus est, examinatur an sponsalia contraxerit, quæ examinatio non fit, cum quis ascendit ad religionis statum: quod indicare videtur non licere ad cle-

rica-

ricalem statum ascendere sine licentia sponsæ, & remissione facta. Limitat tamen hanc sententiam Rebellus vbi supra, nisi magna esset penuria sacerdotum, aut aliqua publica necessitas, ratione cuius iam censerentur sponsalia dissolui ob rerum, & circunstantiarum mutationem.

3 Ex his duabus sententijs licet vtraque probabilis sit, prima tamen mihi magis probatur: semper enim videtur subintellecta cõditio melioris status; sicut etiam capite sequenti dicemus de voto. Et quamuis propositum cælibatus sit melioris boni, attamen, quia non est status, ideo non videtur subintellecta conditio cœlibatus. At clericalis ordo status est immobilis, & ideo ex ipsa natura rei subintelligitur ea conditio in sponsalibus. Adde etiam, quod capite sequenti dicemus, etiam post sponsalia licitum esse, & obligatorium votum de suscipiendis sacris ordinibus. Non ergò peccatum est suscipere sacros ordines post sponsalia, alias votum esset de re iniqua, atque adeo non seruandum, quod non satis attendit Thomas Sanchez disput. citat. cum admittat eius voti obligationem. Nec verò aliquod præiudicium infertur promissario, quod vilius momenti sit, cum in ea promissione subintelligatur ea cõditio, & ideo non possit esse promissarius rationabiliter inuitus; aliàs etiam diceretur inferri præiudicium promissario, siquis post sponsalia emitteret votum castitatis, vel religionis, vel ad religionem transiret, quod falsum est. Ratio autem, quare nullum inferatur præiudicium ex eo desumitur. Quia sicut, si expressè initio conueniissent, vt liceret eorum vnicuique post sponsalia vouere castitatem, vel promoueri, non posset alter rationabiliter queri: ita etiam non potest iustè conqueri, quamuis expressum non sit à principio, quia ea conditio iure inest; & quando aliquid ipso iure inest, eundem effectum habet, siue exprimatur eo modo quo iure inest, siue non exprimatur, vt dixi supra lib. 3. capite. Neque obstat illa praxis recepta. Potest enim examen illud fieri alijs etiam de causis, & vt sciatur, an fortè sub ea spe matrimonij aliquam fœminam deluserit, sicut etiã de ingressuris in religionem idem examen sæpe præmittitur.

4 Addendum præterea per præsentationem, aut postulationem ad Episcopatum eius, qui nondum est in sacris, non dissolui sponsalia, quia non tenetur consentire postulationi, licet possit iuxta dicta de voluntate suscipiendi ordines. Neque etiam per electionem ad Episcopatum, quia si est nondum ordinati, est nulla *capite à multis, de ætate, & qualitate.* Imo neque per præsentationem factam etiam sub præcepto, nisi facta esset ex scientia sponsalium. Quia præcepta Principis intelliguntur sine præiudicio alterius, quando non aliud exprimunt *l. nec autem C. de emancipat. lib. 1. §. siquis à Principe D. ne quid in loco publico.* Vnde tunc satis erit Pontifici exponere causam non implendi præceptum iuxta textum in *capite si quando de rescriptis.* At per confirmationem in Episcopatu, etiam si non sit sacris initiatus, solumtur sponsalia. Quia iam semel confirmatus matrimonium spirituale contraxit cum Ecclesia, vt dixi alibi. Per illud autem matrimonium sponsalia dissolui æquum est, sicut per matrimonium carnale. Et quamuis confirmatus possit dispensationem petere, & contrahere: tamen ad id non tenetur, cum æquius sit sponsalia dissolui, quàm semel confirmatum denuo cõiugem fieri.

De voto simplici.

CAPVT. XII.

SVMMARIVM.

De voto religionis, castitatis, susceptionis sacrorum ordinum, si præcedant, dirimere sponsalia, num. 1.

Voto religionis subsequenti dissolui, num. 2.

Idem dicendum de voto suscipiendi sacros ordines num. 3.

Idem dicendum de voto castitatis, num. 4.

Tribus obiectionibus satisfit, num. 5. 6. 7.

1 DE tribus votis potest esse sermo. Primò de voto religionis; secundo de voto castitatis præcisè cum animo manendi in sæculo, tertio de voto suscipiendi sacros ordines. Loquimur autem de voto præcisè secluso damno violationis, aut alio simili, de quo iam dictum est supra lib. 6. Quod ergo attinet ad vota religionis, castitatis, & ordines sacros suscipiendi, si præcedant sponsalia, planum est ea dissoluere. Nulla enim sunt sponsalia postea subsecuta, cum sint promissio rei illicitæ *cap. Ruʃus, qui clerici vel vouentes.* Iam enim post illud votum inique promittitur matrimonium. Quod verum est, etiam si sponsalibus subsecutis iuramentum

tum addatur dicto *cap. Ruſus.* Quod ſi ſponſalia contraherentur cum animo, vel conuentione ſtatim poſt contractum matrimonium tranſeundi ad religionem vel viuendi in matrimonio caſtè; ſi præceſsiſſet votum ſuſcipiẽdi ſacros ordines, adhuc eſſent illicita ſponſalia. Quia vir ſe reddebat inhabilem ad illos ſuſcipiendos. Quod ſi eſſet cum pacto expreſſo inter vtrumque, otioſa mihi videtur talis celebratio matrimonij, vt dixi ſupra in ſimili lib. 6.

2 Quod ſi votum ſequatur poſt ſponſalia, in primis mihi videtur de voto religionis cum communi ſententia dirimi ſponſalia. Si enim poſt ſponſalia contracta licet ad religionem tranſire, vt dictum eſt: quanto magis id vouere. Illud tamen addiderim ex vi huius voti non aliter dirimi ſpõſalia, quàm per ingreſſum religionis dirimuntur. Quare cum per ingreſſum non omnino dirimantur vſque ad profeſsionem, vt dixi cap. præcedenti, ita neque per votum, niſi re ipſa ingrediatur, & profiteatur. Vnde colligo, ſi ille adimpiens votum ingrederetur bona fide, & poſtea non profiteretur, non eſſe diſſoluta ſponſalia quoad ipſum, ſed teneri implere, ſi velit, qui in ſæculo remãſit. Neque obſtat, quod poſsit contrahere, & tranſire ad religionem, & ſic vtrique obligationi ſatisfacere. Quia niſi honor ſponſæ exigat, abſolutè loquendo inutilis eſt ea celebratio, & otioſa, & ſæpe periculoſa; & reuera ea ſponſalia non præmittuntur propter ſe, ſed propter matrimoniũ. Vide Egidium de ſacram. diſput. 23. dub. 3.

3 De voto verò ſuſcipiendi ſacros ordines multi dicunt illo non dirimi ſponſalia, neque licitè emitti poſt ſponſalia. Sic cum alijs Thomas Sanchez diſput. 47. num. 3. Ego tamen idem dico de voto ſuſcipiendi ſacros ordines, atque de voto religionis, & caſtitatis. Quod etiam docuit Ioannes Azor tom. 1. lib. 11. cap. 21. quæſt. 10. circa med. Si enim ipſum ordinem ſacrum aſſumere poſt ſponſalia licet, vt dixi capite præcedente, etiam vouere licebit. Quod ſi licitum eſt votum, non poteſt non dirimere, quia incompatibile eſt cum matrimonij contractu. Eſſe autem licitum votum ex eo conſtat, quia ex ipſa natura rei videtur ſemper ſubintelligi exceptio melioris ſtatus: ordinum autem ſuſceptio ſtatus eſt: neque ad hoc opus eſt aliqua iuris diſpoſitione, vt magis conſtabit ex dicendis ſtatim. Non tamen dirimuntur ſponſalia quoad illum, qui eiuſmodi votum emiſit, donec ſacris ordinibus initietur.

4 Denique, quod attinet ad votum caſtitatis ſuperueniens ſponſalibus, nonnulli cenſent eo non dirimi ſponſalia. Sic multi, quos refert Ioannes Azor loco ſupra citato, & ſequitur Thomas Sanchez lib. 1. de matrimonio diſputatione 46. numero 9. iuxta ſolutionẽ argumento 4. numero 11. Qui etiam dicit neque eiuſmodi votum poſt ſponſalia licitum eſſe. Ego tamen exiſtimo eo voto caſtitatis ſubſequenti dirimi ſponſalia. Sic multi quos refert, & ſequitur Ioannes Azor loco citato Suarez lib. 2. de voto capit. 4. numero 13. Gabriel Vazquez opuſculo de Reſtitutione capite 3. §. 2. dub. 6. numero 17. & probabile putat Egidius diſputatione 23. cit. dub. 3. concluſ. 7. certum tamen quod ex parte non vouentis diſſoluta ſint ſponſalia; quia qui vouit caſtitatẽ ſatis indicauit ſe renuntiaſſe promiſsioni matrimonij. Alios etiam auctores pro hac ſententia refert Thomas Sanchez diſput. 46. numero 7. Et quidem mihi videtur hæc ſententia planè confirmari ex *capite veniens, qui clerici vel vouentes.* Species facti hæc eſt. Quædã mulier ſponſalia cõtraxit cum alio abſente, cuius ſæuitia, vt fama diuulgabat, deterrita, de conſilio cuiuſdam Eremitæ Auguſtiniani votum ſimplex caſtitatis emiſit. Quo audito vir contraxit matrimonium cum altera: Conſulitur Pontifex Alexander Tertius, & reſpondet: *Nos itaque attendentes tutius eſſe, vt præfata mulier poſt fidem, & votum ſimpliciter oblatum matrimonium contrahat, quam fornicationis reatum incurrat, mandamus, quatenus ſi plus non proceſsit, ſibi de fide mentita, & voto violato congruam ſatisfactionem indicas, & ei, cui vult nubendi in domino licentiam concedere in domino non poſtponas.* Hæc ibi. Ex quo textu planè conſtat illam fuiſſe obligatam voto, & reuera votum valuiſſe, quandoquidem imponitur pœnitentia de violato voto: & alias, ſi votum non fuiſſet licitum, nec valeret, non peteret fœmina nubendi licentiam, neque egeret diſpenſatione ad nubendum alteri, quam eo loco Pontifex per Epiſcopum concedit. Diſpẽſatio autem conceſſa eſt, eo quod mulier, vt colligitur ex textu, illicitos concubitus meditabatur. Accedit etiam non vna ratio. Prima, quia vel iſtud votum caſtitatis emiſſum poſt ſponſalia eſt validum, vel non. Hoc ſecundum dici non poteſt, vt conſtat ex textu, & ex eo quod fatetur idem Thomas Sanchez, vouentem obligatum manere ad non petendum, & peccare contrahendo matrimonium. Si ergo validum eſt votum, non poſſunt ſpõ

ſalia

salia consistere, quia incompossibilis est obligatio absoluta voti cum obligatione sponsalium. Secunda. Quia iure naturali id etiam videtur obseruandum, cum nulla fiat iniuria promissario, in eo quod non impleatur ea promissio, vt magis constabit ex solutione argumentorum. Denique, quia illi, qui non vouit, non posset non esse oneri matrimonium secutum: cum ille, qui votum fecit castitatis, iure non possit debitum coniugale petere, ac proinde cogetur ille debitum petere, quoties vti voluerit coniugio, quod sine onere, & difficultate non fit.

5 Sed contra sententiam istam obijcitur primò. Quia Ecclesia cogit eum, qui contraxit sponsalia ante votum implere, & seruare, præsertim si iuramento confirmentur. Idque constare potest ex dicto *capite veniens*, vbi imponitur pœnitentia fœminæ de fide violata, scilicet, sponso, quia ipsa in causa fuerat, ne contraheretur matrimonium. Sed respondeo si occultè cõtracta sponsalia sint, & emissum votum. Ecclesiam non compellere ad implenda sponsalia, sed in foro conscientiæ obligationem esse implendi votum. Si vero in iudicio constet contracta fuisse sponsalia, non autem constet de emisso voto, cogit absolutè sponsalia implere, non ex defecto iuris, sed probationis. At si vtrumque constet, & contraxisse, & vouisse, non simpliciter compellit implere sponsalia. Et ideo in dicto *capite veniens* ea mulier accusatur de fide mentita, & voto violato, quia neque contraxit matrimonium, neque castitati seruandæ studebat. Quod si vrgeas, quod in dicto capite dicitur fides violata; ergo adhuc valebant sponsalia emisso voto. Respondet Ioannes Azor ita in foro externo iudicatum, quia de voto non constabat: & simul etiam dispensationem dari, quia postea publicum factum est.

6 Secundò obijcit Thomas Sãchez. Quia nullo iure ostenditur inesse sponsalibus eam tacitam conditionem, nisi statum continentem vouerit. Respondetur in primis in dicto *capite veniens* contineri eam dispositionem. Deinde dico, quando non contineretur, non esse necessariam in hac parte iuris humani dispositionem, sed ex ipso iure naturali deduci. Cum enim aliàs non fiat iniustitia proximo, nisi quod illi ista promissio non impleatur, non videtur sufficiens hoc vinculum obligationis, vt ille qui promisit, iam amplius non possit ad perfectiorem statum ascendere. Siquidem implẽs promissionem sibi ponit obstaculum perpetuum ad obseruandam castitatem, vel profitendam religionẽ. Quod non ita contingit in alijs promissionibus, si impleantur, vt docuit Gabriel Vazquez loco citato.

7 Denique obijcit. Quia Deus non acceptat promissionem rei prius alteri promissæ, & in alterius præiudicium, vt si promisi Petro equum, & postea Ecclesiæ, non valet secunda promissio. Sed ille, qui contraxit sponsalia, promisit iam corpus suum alteri. Ergo secunda promissio eiusdem corporis facta Deo non est illi accepta. Respondetur ex eleganti doctrina, quam tradit Gabriel Vazquez loco citato. Inquit enim, quod si promissionem, quæ facta est proximo alicuius rei, sequatur votum, quod sit eiusdem rei, non est seruandum votum; & è contra si votum præcedat, non est implenda promissio, quando vtraque impleri non potest, vt si aliquis rem aliquam vel pecuniam promisit proximo, & postea Deo, vel prius Deo, & vtrique non potest promissum soluere: prima obligatio tenet, quia secunda aduenies primæ, cum non sit de materia licita non est valida. Vnde hic non est attendendum, quæ sit maior obligatio, voti an promissionis proximi, vt videamus quæ illarum sit obseruanda, quando simul concurrunt: sed solum considerandum est, quod quæcumque promissio obligat sub ea conditione, modo liberam inueniat materiam, neque alteri obnoxiam restitutioni vel obligationi, nec promissio absolutè valet, vt promissio, nisi sub hac conditione. At non sic iudicandum est in præsenti casu, idque prouenit ex speciali ratione promissionis, quæ obstaculum esset implendi perfectiorem statum, quod non inest in alijs promissionibus aliarum rerum, quæ adducuntur in argumento. An autem qui castitatem vouit ante matrimonium, teneatur religionem ingredi ante consummationem, si contrahat, dixi supra lib. 10. cap. Atque hæc, quæ diximus, etiam intelligenda sunt, licet iurata sint sponsalia: iuramentum enim induit naturam actus, cui adiungitur, vt dixi capite §. §. 1.

De

De Matrimonio.

CAPVT XIII.

SVMMARIVM.

Matrimonio valido dissolui sponsalia, num.1.
Certum dissolui quoad eum qui non contraxit matrimonium, nu.2.
Dissolui etiam quoad eum qui contraxit quidam docent, num.3.
Verius oppositum, num.4.
Explicatur caput qui post votum, de Regul. in 6. num.5.6.7.8.

1 MATRIMONIO sequenti dissolui sponsalia certum est *capite 1. de sponsa duorum cap. sicut cap. si inter cap. veniens, cap. is qui fidem de sponsalibus*, & alibi sæpe. Matrimonij enim vinculum longè fortius est, quàm sponsalium. Intellige autem de matrimonio valido, nam si invalidum fuerit ex quauis causa, non dissoluuntur sponsalia præcedentia. Quia reuera nullum fuit vinculum matrimonij, quod præualeret.

2 Sed difficultas est, an omnino dissoluãtur sponsalia ex parte vtriusque, ita vt, si matrimonium post contractum dissoluatur vel morte, vel ingressu in religionem, adhuc teneatur obligatione sponsalium? Et quidem, quod attinet ad illum, qui non contraxit matrimonium, planum est manere liberũ, quia iam potest resilire, cum alter transeundo ad matrimonium sufficienter ostenderit se velle priori contractui renũtiare. Quare in eius potestate est eam renuntiationem acceptare. Sed demus non acceptare eam renuntiationem, & adhuc persistere innuptum: si enim ille etiam duceret aliam, planè ostenderet se acceptare, & omnino dissoluta manerent sponsalia. In eo ergo casu procedit difficultas, an matrimonio sequenti ex parte vnius sint omnino dissoluta sponsalia, an verò suspensa tantum eorum obligatio.

3 Quidam affirmant omnino dissolui, ita vt nulla prorsus maneat sponsalium obligatio. Docet cum alijs Thomas Sanchez disputatione 48. numero 3. Fundamenta hæc sunt. Primò, quia ex canonibus allegatis constat omnino extincta esse obligatio autem semel extincta amplius non reuiuiscit *l. qui res §. meam D. de solutionibus, capite quæuis de consecratione distinctione 4.* Secundò, quia cum sunt obligationes eiusdem rationis, extinguitur prior per subsequentem fortiorem, vt votum strictioris religionis omnino extinguitur professione sequuta in laxiori. Addit etiam hoc esse verum, quamuis iurata sponsalia sint. Limitat tamen, nisi vna cum sponsalibus sequuta esset puellæ violatio: tunc enim teneretur, non ratione sponsalium, quæ iam euanuerunt, sed ratione damni illati, nisi iam aliàs restauratum esset.

4 At mihi verius videtur eam obligationem sponsalium in casu, quo alter expectet, non extingui, sed suspendi, ita vt eo matrimonio dissoluto teneatur priora sponsalia implere. Docet Adrianus in quarto quæstione secunda de Matrimonio ad 2. in fine. Petrus Ledesma quæstione 43. articulo tertio dubio secundo ad secundum, pagina mihi 118. & 120. Ægidius disputatione 23. citata dubio quarto conclusione tertia, & alij. Probatur primò ista consideratione. Quia aut ea obligatio nata ex sponsalibus extinguitur ex dispositione iuris positiui, aut ex ipsa natura rei obsecutam posteriorem, & fortiorem obligationem, nec enim ex alio capite aboleri potest. Non ex dispositione iuris positiui. Quia in canonibus allegatis pro prima sententia tantum dicitur, eum, qui post sponsalia contrahit matrimonium cum aliqua, debere manere cum illa: an verò extinguatur omnino obligatio sponsalium, non definitur, solùmque indicatur illum ea de causa nõ posse cum prima contrahere, quia iam impossibile est contracto coniugio cum secunda. Non ergò id prouenit ex dispositione iuris positiui. Neque etiam ex ipsa rei natura. Quia quãdo priori vinculo superuenit aliud fortius diuersæ rationis, vel aliud impedimentum, quominus primum impleatur, non extinguitur, sed suspenditur, vt cum quis votum religionis emisit, & postea contraxit coniugium, & consummauit, non extinguitur voti obligatio, sed dissoluto matrimonio tenetur religionem ingredi. Neque dici potest in hoc exemplo superuenientem obligationem esse diuersæ rationis, & ita non mirum si vna non extinguat aliam; at in hoc casu esse eiusdem rationis. Contra hoc enim est. Quia quod sint eiusdem rationis vel diuersæ, parum refert, si vna sit impedimentum impletioni alterius, quia adhiberur impedimentum com-

comparatione eiusdem personæ, cum qua contracta est prior obligatio. Quare cum sit matrimonium cum alia persona distincta ab ea, cum qua contracta sunt sponsalia, impedimentum opponitur primæ obligationi, non extinguitur. Optimum exemplum erit: si tibi prius vendidi equum, & postea vendo alteri, & trado, venditioque secunda ex aliquo casu ita dissoluitur, vt meum equum accipiam, teneor tibi eundem tradere, neque prioris venditionis obligatio dissoluta est. Neque obstat id, quod in exemplum adducit Thomas Sanchez, de eo qui vouit religionem strictiorem, si profiteatur in laxiori, liber manet voto. Est enim diuersissima ratio. Quia extat de eo dispositio iuris Ecclesiastici in *capite qui post votum de Regular. in 6.* cuius capitis sensum oportet explicare.

5 Pro eius autem intelligentia sciendum est in eo capite docere Pontificem, eum, qui emisit votum strictioris religionis ingrediendæ, si professionem faciat in laxiori, posse in ea permanere, quia per votum solemne inquit, derogatum est voto simplici. Addit tamen Pontifex illi homini imponendam esse pœnitentiam pro voto priori non impleto. Circa quem textum prima difficultas est, qua ratione per votum solemne derogetur simplici ingrediendi strictiorem religionem? Quæstionis causa est, quia post votum solemne emissum in laxiori religione posset homo ille adimplere votum simplex strictioris religionis, nisi aliàs peculiari dispositione Pontificis impediatur. Ergò ex natura rei per tale votum solemne non derogatur prædicto voto simplici. Aliter enim se habet lex in his votis, ac se habet in contractu ciuili, verbi gratia in contractu venditionis. Secunda enim venditio subsecuta traditione valida est, & derogat priori venditioni, quæ facta fuit sine traditione: quia facta secunda venditione, & subsecuta traditione rei venditæ non est in potestate venditoris adimplere primam venditionem. At verò, vt dixi, post solemne votum factum in laxiori religione potest vouens transire ad strictiorem, nisi impediatur peculiare iure. Ergo post votum illud solemne adhuc est in potestate vouentis adimpleri primum votum. Secunda difficultas est circa eundem textum de causa, ob quam prædicto homini imponatur pœnitentia. Si enim, vt dixit Pontifex, homo ille potest licitè manere in religione, non videtur causa aliqua iusta, propter quam puniatur: si enim punitur, quia non implet primum votum, cum possit, signum est cum obligari ad ingrediendam strictiorem religionem, quam vouerat: aut si licitè potest permanere emittens vota solemnia religionis laxioris, sinè causa imponitur illi pœna.

6 Nonnulli Doctores disputantes de causis propter quas excusatur aliquis ab impletione alicuius voti, solùm docent per professionem in laxiori religione excusari vouentem ab impletione voti strictioris religionis. Quia votum solemne fortius est voto simplici. Et confirmant ex dict. cap. Docent autem per fortiorem obligationem voti solemnis extingui minorem obligationem voti simplicis, & adducunt exemplum deductum ex cõtractibus ciuilibus. Prædictis tamen difficultatibus non satisfit ex prædicta doctrina, nisi amplius explicetur.

7 Vt ergò veritatem ostendamus, reuocãdum est in memoriam, quod supra lib. 7. ostẽdimus solemnitatem voti sola Ecclesiæ constitutione fuisse inuentam. Deinde caput illud *qui post votum*, intelligi potest, & de illo, qui emiserat votum simplex ingrediendi strictiorem religionem solùm animo experiendi, an sibi placeret status ille, & de illo, qui emiserat votum strictioris religionis, & voluit etiam obligari ad perseuerandum. Et primò si solùm fecerat votum ingrediendi cum animo experiendi, & velit illud votum simplex commutare in professionem solemnem laxioris religionis, videtur sanè potuisse illud facere, quia maius bonum eligit. Obligatur enim per votum solemne ad perseuerandum in statu religionis, cum tamen per votũ simplex prius emissum solùm obligaretur ad experiendũ, an sibi placeret status religionis. Maius autem bonum est velle perseuerare in religione laxiori, & ad id obligari, quàm solùm velle obligari ad probationem religionis strictioris. Et in hoc euentu solùm posset imponi pœnitentia vouẽti, vel pro mora implendi prius votum, si statim non est facta cõmutatio, vel quia præsumeretur leuitas animi in vouente, & remissio aliqua, & tepiditas spiritus, qua retraheretur ab ingressu strictioris religionis. Nihilominus verum esset cõmutationẽ fieri potuisse ex natura rei, & sic professum licitè posse permanere in laxiori religione; & in hoc casu satis explicata manet mens, & doctrina Pontificis, quoad vtrãque difficultatem.

8 Diffi-

8 Difficilius est explicare doctrinam capitis, si votum simplex religionis strictioris factum fuit posteriori modo, hoc est, quando vouens non solùm voluit obligari ad ingressum strictioris religionis, sed etiam ad perseverantiam in illa, tunc enim non videtur auctoritate priuata posse fieri commutationem, quia materia prioris voti perfectior est, nempe ingressus & perseverantia in religione strictiori. Deinde in hoc casu magnam habet vim ratio dubitandi supra facta. Dicendum vero est si votum fuit non solùm ingrediendi, sed etiam perseverandi in strictiori religione, dispositione iuris factum esse, vt qui emisit professionem in laxiori posset in ea perseverare. Hoc autem factum est commutatione, & dispensatione aliqua prioris voti, quasi implicita in ea iuris dispositione. Hoc autem optime potuit statuere Pontifex, tum propter bonum ipsius religiosi, qui difficultate premebatur circa impletionem prioris voti strictioris religionis. Tùm etiam propter bonum ipsius religionis, in qua emisit professionem, ad quam fortasis non admitteretur, si religio illa agnosceret illum obligari ad transitum in aliam religionem ex vi prioris voti, & communiter multæ religiones habent priuilegium ad commutandum tale votum, & dispensandum simul, vt in tali religione possit quis profiteri, etiamsi de ingressu alterius fecerit votum. Conceditur ergo iuris dispositione, vt qui in laxiori emisit professionem, non teneatur transire ad strictiorem, etiamsi illius fecerit votum. Quia tamen votum strictioris prius obligabat, & ille non impleuit, imponitur pœnitentia in dict. cap. pro voto non impleto, & ideò Glossæ communiter in dicto cap. docent illum hominem peccasse, sed non satis explicant an fuerit locutus Pontifex in priori, vel in posteriori casu, de quibus nos locuti sumus. In vtroque autem, licet diuersa ratione, verum sensum habere potest doctrina Pontificis, vt explicatum est. Ex quibus soluta manent, quæ pro se affert Thomas Sanchez.

De secundis sponsalibus.

CAPVT XIIII.

SVMMARIVM.

Per secunda sponsalia non dissolui prima. n. 1.

Etiamsi iuramento firmentur secunda. num. 2.

Quid si cum secundis sponsalibus sequatur copula, explicatur. num. 3. 4.

Quid dicendum in eo casu ante Tridentinum. numero 5.

1 CERTA, & communis est Doctorum sententia per secunda sponsalia non dissolui priora, quia nullius sunt valoris, adeò, vt neque ex illis gignatur impedimentum aliquod publicæ honestatis, vt constat ex *capite vnico de sponsalibus in sexto*. Quamvis quoad eum qui non contraxit secunda sponsalia, dissoluantur; habet enim sufficientem rationem resiliendi, & acceptandi renunciationem illius, quam alter præ se tulit in secundis sponsalibus contrahendis.

2 Sed circa hoc sunt duæ difficultates explicandæ. Prima est an dissoluantur per secunda, si posteriora iuramento confirmentur. Et certum est non subsistere secunda, etiamsi iuramento confirmentur. Quia iuramentum non est vinculum iniquitatis: sponsalium autem secunda promissio fuit illicita, vt pote contra fidem datam primæ. Hoc tamen intellige, nisi subsit iusta causa discedendi à primis sponsalibus: tunc enim licita est secunda promissio & obseruanda etiam non iurata. Maior autem difficultas est, an si priora ex aliquo casu cessent, seruanda sint secunda. Censent nonnulli obligationem esse seruandi secunda in eo casu, sic Couarruuias prima parte de matrimonio capit. quarto §. primo num. 19. quem sequitur Rebellus dicto libro quarto, quæst. octaua section. octaua concluf. 1. in fine, & alij. Mihi verius videtur non teneri. Sic Thomas Sanchez cum alijs lib. primo disputat. 55. num. 6. sequitur Ægidius de sacramentis disputat. 22. dubio sexto, concl. octaua. Ratio est manifesta. Quia si nulla fuit prior obligatio, non est quid conualescat iuxta regulam iuris *non firmatur, de regulis iuris in sexto, l. quod abinitio, D. eodem.* Loquor nunc absolutè, nam si occurrat alia peculiaris circunstantia dicam statim.

3 Secunda, eaque maior difficultas est, an si post sponsalia cum prima sequantur sponsalia cum secunda vna cum copula, dissoluantur prima. Quæ difficultas non habet locum, si primis sponsalibus accessit etiam copula. Nam in eo casu vterque dam num patitur, & qui prior est tempore, po-

tior est in iure, siue secunda fœmina ignoret prima sponsalia siue non. Neque etiam est difficultas, quando secunda fœmina reuera habuit notitiam priorum sponsalium, tunc enim decepta dici non potest, sed sibi imputet. Loquimur ergo quando fuit bona fides in secunda fœmina, & sub fide data de coniugio se tradidit, & loquimur post Tridentinum, quando sponsalia subsecuta copula nō transeunt in matrimonium. Nam quid dicendum ante Concilium explicabo postea.

4 Nonnulli docent non dissolui sponsalia priora. Sic cum alijs Thomas Sanchez lib. 1. disputat. 49. numero quinto. Addit tamen numero sexto, temperandam esse hāc sententiam, nisi secunda fœmina, quæ cognita est, & violata sub spe coniugij, notabile damnum pateretur, tunc enim posset iudex in iudicando sequi oppositam sententiam, & obligare ad contrahendum cum secunda. Non alia ratione mouetur, nisi quia iniuria illata posteriori non aufert ius suum priori. At mihi verius videtur in eo casu dissolui ex parte vtriusque, & cogendum esse ad ducendam secundam, sic Maior in quarto distinct. 27. quæst. 5. Rebellus dicto libro quarto, quæst. 8. sectione 8. numero 56. §. *verum quæres*. Ægidius de sacramentis disputat. 23. dubio quarto conclus. 4. Ratio quę me mouet hæc est. Quia per copulam illam animo maritali factam spe futuri coniugij fit anticipata quædam traditio, quæ iure antiquo præsumptione iuris, & de iure induceret matrimonium. Ergo videtur sufficiens post Tridentinum ad priora sponsalia dissoluenda. Exemplum appositissimum est in contractu venditionis, in quo secunda venditio secuta traditione, licet fiat cum pacto, vendentis, & cum iniuria prioris emptoris prævalet iuxta leges Regias, & Ciuiles, *l. quoties 15. C. de rei vendic.* Nec verō negamus compensari debere priori sponsæ iniuriam iuxta naturam rei. Deinde probat optime Rebellus. Quia quando duo cōtendunt, vnus de lucro adquirendo, alter de dāno vitando, huic potius fauendum est, quam primo. At secunda fœmina damnum patitur, & id agit vt damnum euitet, prior vero vt lucrum adquirat. Ergo huic, quæ damnum passa est, fauendum potius, quam alteri, quæ vel nullum, vel leue patitur. Denique Doctores prioris sententiæ non satis cōstantes in illa sunt. Si enim litigantibus illis duabus fœminis dicunt posse iudicem facere secundæ, ergo prima sponsalia dissoluta sunt, alias illi minime fauere posset, sed primæ. Quod si intelligant eam doctrinam quando damnum est notabile. Inquiro ab illis, quo modo possit esse copula secuta post sponsalia sine damno, cum verosimile sit illam mansuram innuptam, aut non nisi difficile inuenturam cui nubat. Alijs probat Ægidius loco citato. Quare ad fundamentum Sanctij dicendum est posteriorem iniuriam, & traditionem prævalere priori promissioni, est enim fortius vinculum, & strictior obligatio resarciendi iniuriam, quā vinculum primæ promissionis, & ideò prævalet & si posterior iuxta doctrinam traditam à nobis lib. 6. cum fermo esset de impedimento voti non dirimenti.

5 Sed rursus quæret aliquis, an ante Tridentinum secunda sponsalia secuta copula dissoluant etiam prima, & transeant in matrimonium. Communis Doctorum sententia docet transire. Sic Couarruuias, & cum alijs Thomas Sanchez, Rebellus, & Ægidius supra citati. At difficile his auctoribus videtur, quo modo secunda sponsalia transierint in matrimonium, cum fuerint inualida. Respondet Rebellus priora, etsi non fuerint simpliciter valida, non tamen fuisse omnino nulla, cum afferāt obligationem ineundi coniugij, si priora sponsalia dissoluerentur: tum quia valebant ad declarandam voluntatem celebrandi matrimonium per copulam sequentem. Verum consequēter ad ea, quæ dixi supra libro secundo, cum agerem de signo copulæ, existimo facile assignari posse rationem. Ecclesia nunquam iudicauit copulam post sponsalia matrimonium efficere, sed præsumpsit consensum de præsenti interuenisse ante copulam, sufficientibus alijs verbis vel signis explicatum, non vero ipsa copula. Itaque Ecclesia ne præsumeret peccatum, assumpsit copulam tanquam signum à posteriori prius contracti matrimonij. Iuxta hæc ergo facile dicimus, si reuera ante copulam subsequentem priora sponsalia fuit verus affectus maritalis sufficienter expressus, planum est dissolui prima sponsalia, non secus ac per matrimonium dissoluuntur. Et cum ex copula præsumat Ecclesia præcessisse consensum maritalē sufficienter expressum, plane priora sponsalia dissolui iudicabit, vbi concilium quoad hāc partē non fuerit receptū. At vero si reuera nō fuit animus maritalis sufficiēter expressus, non dissoluentur tanquam per sequens

quens matrimonium re ipsa, sed ratione dáni, licet Ecclesia semper præsumet matrimonium, nisi manifesta sit in contrarium probatio. Nam etiam contra præsumptionem iuris & de iure admitti quandoque probationem certum est.

De absentia sponsi.

CAPVT XV.

SVMMARIVM.

Absentiam esse causam dissoluendi sponsalia. numero 1.

Intellige quando cum absentia mutatur domicilium. num. 2.

Quid quando non mutatum est domicilium, & est iusta causa absentiæ, & quandiu expectandus iure ciuili, & canonico. num. 3. & 4.

1 EXTAT etiam alia causa dissoluendi sponsalia in *cap. de illis quinto, de sponsalibus.* Consultus enim Pontifex ab Archiepiscopo Panormitano quid faciendum de mulieribus, quarum sponsi post sponsalia contracta, & iuramento confirmata inscijs illis ad exteras nationes se contulerunt, respondet liberum esse mulieribus cum alijs inire coniugium, dum modo res sit integra, hoc est, non fuerit secutus consensus de præsenti, aut copula post sponsalia, pœna tamen illis imposita ob periurium, si in causa fuerunt absentiæ sponsi. Cuius decisionis ea ratio est, quia per discessum intelligitur sponsus suo iuri renuntiare, ex parte sua, & ita posse fœminam eam renunciationem acceptando ad matrimonium cum alio ineundum progredi, dissolutis sponsalibus vtriusque consensu, *cap. 2. de sponsalibus.*

2 Ex quo constat in primis decisionem hanc intelligendam esse non de simplici discessu sponsi, sed de eo, qui fit cum mutatione domicilij, vt notat Abbas ibi numero secundo, & indicant illa verba textus, *dimittunt terram se ad alias partes transferentes.* Nam dimittere, & transferre hic accipiuntur cum effectu. Nec enim qui de aliquo loco animi recreandi gratia, vel alicuius negotij causa alio se transfert, dicitur terram dimittere, *lege cum possidere sexta, §. qui ad nundinas, D. de adquirend. vel amitten. possessione.* Quemadmodum neque scholaris studiorum causa vere dicitur domicilium mutare, *lege secunda, C. de incolis.* Rursus colligitur ex eo textu non effici discessum eius, qui animo redeundi fit, vel qui alio se confert negotij gerendi gratia, vel ob ægritudinem, vel mortem parentum, esse causam dissoluendi sponsalia. Quare in eo discessu non habet locum huius textus decisio.

3 Quid ergo agendum, quando sponsus non relicta sponsa, sed ex causa siue voluntaria, siue necessaria absens est, non mutato domicilio. Et in primis certum est si absit de consensu sponsæ, teneri expectare sponsum eo tempore, quo conuenerint. At si insciæ sponsa discesserit, nonnulli docent seruandam esse dispositionem iuris Ciuilis, quæ loquitur in eo casu quamdiu scilicet sponsa expectare teneatur sponsum absentem. Si enim intra Prouinciam absit, per biennium expectandum decidit *lege secunda, C. de repudio.* Si verò extra Prouinciam, per triennium, lege eadem, nisi necessaria causa vel valetudo, mors parentum longiori tempore abesse cogeret: tunc enim expectandus esset finis impedimenti, *lege penultima, D. de sponsalibus.* Sic Canisius in dicto capite de illis. Dicit enim hanc definitionem iuris Ciuilis etiam iure Canonico retinendam, & obseruãdam esse. Cum enim hæc res non sit sacris Canonibus decisa, merito ad ius Ciuile confugitur iuxta textum in *capite primo, de noui oper. nunt.* Maxime cum sponsalia non sint res Ecclesiastica, sed contractus planè ciuilis. Accedit ex parte Rebellus dicto libro quarto, quæstione octaua, sectione tertia numero secundo, & tertio. Alij vero dicũt ius ciuile in hac parte correctum esse per ius Canonicum, & ita statim posse contrahere per textum in dicto *capite de illis.* Sic Thomas Sanchez libro primo disputat. 54. numero sexto, & ex parte etiam Rebellus ibidem, conclusione 2. Toletus in summa lib. septimo cap. 21. §. *sextus est.*

4 Ego tamen existimo in primis ius Canonicum non corrigere in hac parte ius Ciuile, cum loquantur in diuersa facti specie, & absentia sponsi. Quare casus ille, de quo agimus, reuera non est decisus per ius canonicum, cum tantum agat de discessu sponsi relicta sponsa, & mutato domicilio. Deinde dico neque in hac re standum esse dispositioni iuris Ciuilis, vt dicebat Canisius, & alij. Inducor hac ratione. Quia iure Ciuili dissoluuntur sponsalia, vel

vnius tantum dissensu, vt dixi supra capite nono, & ideò non mirum si dissoluantur in absentia. Vnde merito dixit Imperator in dicta *lege secunda. Liberum est filiæ tuæ, si sponsum suum post tres peregrinationis annos expectandum sibi vltra non putet omissa spe huius coniunctionis matrimonium facere, ne opportunum nubendi tempus amittat, cum posset nuntium remittere, etiamsi præsente illo consilium mutare voluisset.* Hæc ibi. Quod si dicas. Quare ergo biennio expectabatur præsens, triennio absens, si ex vnius dissensu dissoluebantur? Causa quidem est, quia dabatur actio ex sponso ad repetendas arrhas, & donationem propter nuptias, vt credo me dixisse supra capite primo, si culpa alicuius dissoluebantur, vel vno tantum volente. Quare dico negotium istud relinquendum tunc arbitrio iudicis, qui iudicabit, an admoneri vel requiri sponsum absentem expediat, & tempus expectandi definiet, vt monet tandem Canisius cum Couarruuias, & alijs eo loco. Atque idem dicēdum, quam vis sponsalia iuramento fuerint confirmata.

De elapsu termini præfixi.

CAPVT XVI.

SVMMARIVM.

Elapsu termini præfixi etiam dissolui sponsalia. Quibus modis soleat terminus præfigi. numero 1.

Quid quando verba, quibus terminus præfigitur, sunt ambigua. Duæ regulæ quorundam. num. 2.

Reiciuntur vt parum solidæ. num. 3.

Verior explicatio. num. 4.

1 HABEMVS decisionē Pontificis in cap. *sicut 22. de sponsalibus*, vbi hæc sunt verba. *Nisi in iuramento suo certum terminum præfixit, intra quem dictam duceret in vxorem, & per eum non stetit, quin ad statutum terminum matrimonium contraheret.* Hæc ibi. Ex quo textu videtur effici, si terminus definitus sit in spōsalibus contrahendo matrimonio, & ille terminus elabatur, obligationem finiri. Quam constitutionem vt explicemus, obseruandum est terminum duobus modis præfigi posse. Vno modo ad differendam tantum obligationem ita vt ante illud tempus non obliget ad implendum. Huc pertinet, quod habet Iuris Consultus in *l. continuus, §. secundo de verbor. obligat.* vbi dicit. *Quod in diem debetur ante solui potest, licet peti non possit, & l. eum qui Kalendis, §. primo*, dicitur dies stipulationi adiectus id efficit, ne præsenti die pecunia debeatur cum effectu scilicet. Videndus Donellus in dicta *l. cum qui* 31. *& l.* 157. *de verborum obligat.* Et certe in debiti solutione præfigitur terminus causa differendæ obligationis, & ideò maximè definitur debitoris gratia, licet non negem aliquando præfigi gratia creditoris. Quod valde sciri oportet ad percipiendas integras vsuras intermedij temporis, de quo Donellus, *l.* 122. *de verborum obligat.* Aliquando autem præfigitur tempus non tantum differendæ obligationi, sed & implendæ, & finiendæ, ita vt vltra illud iam nulla remaneat obligatio. Qualis terminus solet præfigi in votis, & in præceptis designantibus onus aliquod diei. Inter quos modos tempus præfiniendi magnum discrimen est. Nam si tempus definiatur differendæ obligationis causa, si præuideatur futurum impedimentum tempore præfixo, teneor anticipare, non vero si tantum præfiniatur definiendæ, & implendæ. Similiter si terminus præfigatur obligationi differendæ, etiam elapso termino manet obligatio, & ex tunc cogi potest tanquam qui in mora censeatur esse. At quando præfigitur finiendæ obligationi, eo elapso non manet obligatio. De his plura etiam diximus in tract. de confessione.

2 Igitur iuxta hæc dicendum est, si in sponsalibus præfigatur terminus tātum differendæ obligationi, ante eum diem nullus cogi potest ad contrahendum: sed eo die elapso potest, nec finitur obligatio, si vero præfigatur finiendæ obligationis gratia, eo elapso tempore, is per quem non stetit, quo minus impleretur promissio, liber manet ab obligatione sponsalium. Et quidem si verba aperta sunt, nullus est controuersiæ locus, cum ea obligatio pendeat ex contrahentium voluntate, quæ sibi vno modo vel alio tempus designare potest. At quando verba ambigua sunt, & de intentione non constat, quo modo iudicandum est, vtrū hac vel illa ratione tempus præfixū sit? Thom. Sanchez ex antiquis iuris Canonici interpretibus, vt rem istā explicet, duas proponit regulas. Prima est. Si terminus ab vno tantum contrahentium destinetur, vt alter intra illum impleat, censetur destinari tantum ad sollicitandum, non vero ad finiendā obli-

obligationem, vt si promisi tibi vendere rem aliquam intra mensem, te non adstricto ad emendum. Secunda regula est. Quando terminus ab vtroque contrahentium imponitur respectu alicuius ab vtroque implendi, si adijciatur in ipso contractu, censetur adiectus dies finiendæ obligationi. Si enim terminus adijciatur post perfectum contractum, non finit obligationem, nisi ea adiectione primus contractus reuocatus censeatur, & alter denuo celebratus, *l. Celsus, D. de receptis arbitris, & capite dilecti, de dolo & contumacia.* Has etiam regulas probat Ægidius disput. 23. cit. dub. 6.

3 Sed mihi non omninò videntur solidæ. Tum quia etiamsi ab vno tantum ponatur terminus præfixus, vt à venditore, posset præfigere, ita vt eo elapso, non teneatur vendere. Molestum enim esset impeditum esse ad vendendum pro voluntate ementis, cum plures se se offerre possint occasiones commodè vendendi, quibus priuari contra rationem & æquitatem esset. Tum etiam quamvis ab vno contrahentium terminus præfigatur, potest esse intensio tantum differendi, non finiendi, vt constat in termino præfixo solutioni debiti, & vsurarum intermedij temporis. Tum etiam ab vtroque potest præfigi terminus comparatione alterius implendi ab vtroque, & tamē non finietur obligatio transacto termino, sed tantum differtur vsque ad eum diem, vt constat in hoc eodem exemplo, quando in gratiam creditoris præfixum tempus est. Nō ergo illa regula vera est, & solida.

4 Quare ego existimo negotium hoc, quando dubium est, definiendum esse ex subiecta materia. In debitis enim pecuniarijs planum est non ita præfigi, vt eo elapso finiatur, sed vt sit in mora. In alijs autem materijs ipsa materia indicat præfigi ad finiendam obligationem, vt in obligatione emendi vel vendendi. Vnusquisque enim cupit expeditus esse, cum possint se offerre aliæ commoditates vendendi, seu emendi: idque communis hominum sensus videtur indicare. Idem dico, quando terminus definitur in sponsalibus, credo ex communi sensu præfigi finiendæ obligationi, non nego præfigi etiam aliquando differendæ obligationi, ita vt antea cogi non possint ad contrahendum matrimonium. Quia sæpe multa parari oportet ad nuptias, quę opus sunt, quod in nuptijs Magnatum contingere solet. Addo tamen præfigi etiam ad finiendam, neque enim volunt contrahentes alligari, vt expectare teneantur: sed manere etiam liberi ad alias nuptias procurandas ne tempus nuptijs maturum elabatur. Atque iuxta hunc communem hominum sensum locutus est Pontifex in dicto capite. Quare eo termino elapso is, per quem non stetit liber est ab obligatione, non autem is, per quem stetit. Necessarium tamen est, vt per eum steterit culpabiliter. Si enim casu aliquo vel ægritudine, vel alia causa legitima fuerit impeditus, non potest alter resilire, vt videtur colligi ex dicto capite *sicut*, & docet cum alijs Thomas Sanchez libro primo disputat. 53. numero septimo. Legitime enim impedito non currit tempus *l. prima, C. de annal. except. in fine.* Quod si vterque in culpa fuerit, vterque liber est ab obligatione. Oportebit autem, cum aliquis legitimo impedimento detentus non implet, si tandiu differatur, vt videat tempus aptum nuptijs elabi, adeat iudicem, vt alio monito, & requisito præfigat tempus.

De superuenienti mutatione, aut impedimento.

CAPVT XVII.

SVMMARIVM.

Dissolui sponsalia ex superueniente impedimento affinitatis, vel cognationis legalis, vel etiā rumore de impedimentis. num. 1.

Mutatione eorum & circunstantiarum, sub quibus est facta promissio, dissolui sponsalia. numero 2.

Fornicationi à quouis eorum admissa dissolui, idem si spiritualis sit. num. 3.

Morbo contagioso, Gallico, membri mutilatione, debilitate, & similibus. nu. 4. & tetro oris odore. ibidem.

Idem de deformitate superuenienti. num. 5.

Idem de notabili morum asperitate. num. 6.

Etsi capitales inimicitiæ superueniant, numero 7.

Idem si superueniat notabilis paupertas, vel vtriusque, vel vnius, & timor exhæredationis. num. 8.

Vel si aliquid euenerit, vel emerserit, quod si præcessisset, non contraherentur sponsalia, numero 9.

1 COMPLECTEMVR in hoc cap. breuiter alias etiam causas, ex quibus contingit sponsalia dissolui. Igitur dissoluuntur etiam ex superueniente impedimento affinitatis, vt si post sponsalia quis rem habeat cum consanguinea vxoris intra secundum gradum, *cap. fraternitati 7.* cum duobus sequentibus *de eo qui cognouit.* Quod impedimentum nouo Tridentini iure limitatum est ad secundum gradum. Idem est, si legalis cognatio superuenerit, cum sit impedimentum dirimens, *cap. vnico de cognatione legali*, vt aduertit Canisius in sum. iuris Canonici lib. 2. tit. 9. de sponsal. His adde rumorem etiam de impedimentis, vt docet Toletus in sum. dict. lib. 7. cap. 21. Rebellus quæst. 8. cit. sectione 8.

2 Deinde reliquos casus ista regula comprehendo. Quoties contractis sponsalibus mutatur rerum status, & circunstantiæ, sub quibus promissio facta est, non est obligatio seruandi sponsalia, sed potest is, cui ea mutatio non accidit, resilire. Quam regulam tradunt communiter Doctores Duarenus *D. soluto matrimonio in principio*, vbi de sponsalibus agit §. quarto prope finem, Canisius in summa libro secundo de sponsalibus titulo nono in annotat. Sanchez citatis multis lib. primo disput. 62. numero 3. Rebellus dicta quæst. 8. sect. 8. Ægidius dicta disputat. 23. dubio 2. Sumitur ea regula ex doctrina Diui Thomæ secunda secundæ, quæst 89. quam Tullij, & Senecæ auctoritate confirmat. De qua supra cap. 8.

3 Ex qua regula in primis colligo, si alter ex contrahentibus fornicationem admiserit, sponsalia dissolui, etiamsi iurata sint *capite quemadmodum 25. de iure iurando*. Si enim fornicatio dissoluit matrimonium quoad torum, quid mirum si dissoluat sponsalia, cum frangenti fidem non sit seruanda fides. Id autem verum est, siue fornicatio admissa sit à viro vel fœmina, quoad hoc enim paris conditionis sunt. Dissoluuntur vero ea sponsalia in fauorem innocentis, & ideò si innocens adhuc velit contrahere, alter tenetur. Vt cum alijs docet Sanchez disputat. 60. num. sexto. Extende etiamsi sponsa per vim cognita fuerit, & omninò renuens. Quamvis enim id sine culpa eius acciderit, & ex eo facto nulla possit generari suspicio infidelitatis in posterum: tamen ex communi hominum sensu notabilis est facta mutatio, & probrosum iudicatur fœminam ducere vi stupratam ab alio, vt recte docet cum alijs Thomas Sanchez disputat. citata numero septimo. In qua specie diuersam merito credit esse rationem viri, cum in fornicatione per vim extorta, nec vir infidelis fuerit, neque vllum præiudicium, aut iniuria, vel infamia redundet in sponsam. Addit etiam & recte in fornicatione post sponsalia non esse compensationi locum, cum longe grauior sit iniuria viri, quam fœminæ. Idem iudicium sit de fornicatione spirituali, qua scilicet alter ex sponsis labitur in hæresim, vel gentilismum. Si enim ex hac ratione dissoluitur iam contractum matrimonium quoad habitationem, melius dissoluentur sponsalia iuxta textum in dicto *cap. quemadmodum*. Illud tamen aduendum est, quotiescunque licitum fuerit matrimonium Catholici cum Hæretico, valida esse sponsalia, quæ non alia ratione sunt illicita, nisi quando matrimonium est illicitum, promissio enim de re illicita non obligat. At quando matrimonium eiusmodi licet, etiam licet promissio matrimonij, sed de hoc fortasse latius in Appendice ad hunc tractatum.

4 Secundò colligo, etiam sponsalia dissolui propter morbum contagiosum, paralysim, vel lepram superuenientem dicto *cap. quemadmodum 25. de iure iurando*. Vel si oculos, aures, vel oculum, siue nasum amiserit, vel aliqua notabilis turpitudo superueniat, aut debilitas ex morbo habituali, quæ molesta coniugi merito iudicari possit. Thomas Sanchez libro primo disputat. 57. Rebellus eadem sect. 8. concluf. secunda. Canisius in summa iuris Canonici loco citato. Toletus in summa dicto lib. 7. cap. 21. Idem iudicium est de morbo Gallico, & satis est eius vehemens suspicio, etsi non plene probetur, docet Seraphinus decis. 1113. numero octauo, & nono Riccius decision. 232. num. quarto in fine. Sed nunquid inter infirmitatem molestam annumerari debet oris graueolentia. Affirmat Thomas Sanchez disputat. 57. numero secundo, quando scilicet illa immedicabilis est. Quam opinionem ego veram existimo, & confirmo ex duplici capite. Tum quia signum est morbi habitualis molestissimi, vt constat ex *l. qui clauum, D. de ædilitio edicto, §. final.* ibi, *Is cui os oleat, an sanus sit quæsitum est. Trebatius ait non esse morbosum alicui os olere, veluti Hircosum, & strabonem, hoc enim ex illuuie oris accidere solet. Si tamen ex corporis vitio id accidat, veluti quod iecur, quod pulmo, aut aliud quid similiter dolet, morbosus est.* In quem textum vide Gothophredi

di annotationem, & Cuiacium lib. 11. obseruat. cap. 10. Tum etiam quia non leue depraua ti, & corrupti animi indicium est, vt elegantibus verbis scribit Luisius Legionensis Canticor. 5. in illa verba: *Labia illius distillantia myrrham primam. Merito*, inquit, *hoc in laude ponitur, propterea quod his, quibus anima fœtet, nihil tetrius, aut turpius fieri possit. Hos enim nemo sanus vel ad colloquium, vel ad complexum admiserit: illos contra quorum exore bonus spirat odor, ipso bono odore omnes inuitati gratos, atque iucundos habent, vt pote, & animo, & corpore optime temperatos. Nam profecto ex vtriusque partis bona temperatura illa suauitas odoris existit. Ego enim, vt quod expertus sum loquar, sic iudico non colloquio solum, sed amicitia etiam & consuetudine bonorum arcendos esse eos, quibus anima fœtet. Nam quantum recordari retro possum, neminem vidi hactenus tetrum odorem ore exhalantem, quem non postea grauissimis animi morbis obnoxium cognouerim, atque his potissimum morbis, qui ex atra bile sunt, inuidentiæ, fraudis, perfidiæ, voracitatis, similibusque permultis.* Hæc ille.

5 Idem dixerim de deformitate superueniente fœminæ, quæ tempore sponsalium pulchra erat. Est enim facta mutatio in ea, quæ si præcessisset, illam fortasis non duceret in vxorem, quod cum alijs docet Thomas Sanchez disput. 57. citato n. 6. In quam rem notanda sunt verba Innocentij in dicto cap. *quemadmodum*, *num.* 3. *Dissoluuntur*, inquit, *sponsalia, quando notabilis deformitas superuenit. Quia non manent res in eodem statu, cum non sit fœmina apta facere id propter quod ducitur, scilicet tollere viro fornicandi occasionem, quia ad eam tam deformem accedere non valet.* Hæc ibi.

6 Tertiò colligitur idem dicendum esse, si superueniat notabilis morum asperitas, est enim sufficiens causa diuortij, capite *literas de restitut. spoliato.* vt dixi supra lib. 9. cap. fin. & docet Sanchez lib. 1. disput. 58. numero 2. Canisius in sum. loco citato in annotat. Toletus dicto lib. 7. cap. 21. ex sententia Panormitani, & alij quos refert Thomas Sanchez. Idem dic si morum sit facta mutatio, ita vt post sponsalia appareat illum valde vitijs deditum esse. Sanchez dict. lib. 1. disputat. 63. num. fin. Egidius de sacramentis disp. 23. dub. 8. num. 67.

7 Quartò colligo. Idem dicendum, si capitales inimicitiæ superueniant. Hostiensis in summa *de sponsal.* §. *final*, propter rationem iuris in *capit. secundo, & cap. requisisti de sponsal.* & sequitur Præpositus in capit. *de illis*, num. 5. & docet cum alijs Thomas Sanchez disput. 58. num. 3. Toletus dict. cap. 21. His accedit, quando post sponsalia timentur scandala ob contradictionem parentum, vel consanguineorum, & eorum potentiam vt dicebamus de capitalibus inimicijs. Egid. ibidem num. 68. Vide decisionem Seraphin. infra citandam.

8 Quintò colligo. Idem dicendum, si superueniat notabilis paupertas, siue alterius tantum, siue vtrique; & siue dotem promiserit, siue non. Si enim dotem promisit, & ad paupertatem deuenit, iam est quasi defectus conditionis. Si vero non promisit, cum dote non promissa censeatur omnia bona sua in dotem promittere iure Lusitaniæ atque Castellæ lib. 4. Compilat. titulo 46. initio, si ad paupertatem deueniat, notabilis mutatio est, & sufficiens ad dissoluenda sponsalia, cum non sit quo possint onera matrimonij subire. Atque idem est, quamvis sponsalia iuramento confirmentur. Sic cum alijs Thomas Sanchez disput. 59. num. 2. & 4. Rebellus dicto lib. 4. quæst. 8. sectione 8. num. 69. Egidius dicto dubio 8. num. 69. Toletus dicto capit. 21. §. *Decimus quartus.* Quod si vterque in paupertatem deueniat, multo minus idonei sunt ad onera matrimonij. Neque in hoc casu compensationi locus erit, vt docuit Rebellus loco cit. num. 70. Vide recte timorem exhæredationis, si parentes vellent exhæredare, eo quod tale matrimonium contrahit, iusta causam esse dissolutionis sponsalium, docet Seraphin. deci. 1258. num. 1. & 2. nisi duceret non indignam, in quo casu non esset licita exhæredatio, nisi vrgeret speciale statutum municipale. Idem Riccius docet decis. 232. in praxi, qui etiam de alijs causis dissolutionis agit.

9 Sextò denique colligitur, idem dicendum, quoties post contracta sponsalia aliquid euenerit, vel emerserit, quod si præcessisset, non fuissent contracta sponsalia, sed inuiti essent rationabiliter aliqui contrahentium secundum ea, quæ docet D. Thom. in 4. distinct. 27. quem refert & sequitur Nauarrus in man. ca. 22. n. 27. Thom. Sanchez disp. 62. num. 3. Egid. d. disp. 23. dub. 8. in principio. Canisius loco cit. Toletus dict. cap. 21. Quod certe ratione non caret, cum in generali siue simplici obligatione non contineatur ea, de quibus verosimiliter nō est cogitatū, *l. obligat. generali 6. D. de pig. & l. 1. C. quæ res pign. oblig. post. l. si libertus 30. de ope. libert. & c. veniens 16. de iure iur.* Quod prudens iudex æstimabit, ideò enim dixi rationabiliter.

Nam si sine ratione mutarentur animi, non ideò sponsalia ex illis superuenientibus dissoluuntur. Quando autem istæ causæ sub sunt recusandi matrimonium, debet iudex cessare à coactione, qua compellit implere, vt per Seraphinum decis. 1113. num 4.

Quid dicendum, si istæ causæ præcedant ignorentur tamen.

CAPVT XVIII.

SVMMARIVM.

Dissoluuntur etiam, quamuis istæ causæ præcesserint, si ignorentur. nu. 1.

De fornicatione sponsæ præcedenti ignorata idem dicendum, secus de fornicatione sponsi. n. 2.

Explicatur an tunc sint irrita, vel irritanda. numero 3.

Si contraheret, etiamsi sciret eas causas, valere, vel si post cognitas se cognoscant. n. 4.

Explicatur, an qui patitur eos defectus teneatur manifestare. num. 5. & 6.

An qui patitur defectum possit ignarum compellere ad implenda sponsalia exponitur. n. 7.

Cum ex causa dissoluuntur sponsalia iurata non esse opus relaxatione, neque sententia iudicis, quando iure dirimuntur, & causa est manifesta. num. 8.

1 SÆPE contingit, quando sponsalia contrahuntur, hasce causas probabiliter ignorari, postea tamen cognosci. Quare videndum quid iuris sit in eo casu. Dico ergo omnes illæ causæ excepta fornicatione, de qua statim, quæ sufficiunt ad dissoluenda sponsalia, si superuenirent, sufficiunt etiamsi præcedãt, si ignoratæ sint. Communis est Doctorum sententia, quam cum alijs sequitur Thomas Sanchez lib. 1. disput. 63. num. 2. Seraphin. decis. 1113. n. 9. cit. Soto. Potissima ratio est. Quia est insignis facta mutatio, cum iste contrahens denuo inueniat notabile vitium antea ignoratum: rebus autem notabiliter mutatis, non obligat promissio dicto cap. *quemadmodum de iure iurando.*

2 Ex quo colligitur in specie fornicationem sponsæ præcedentem ignoratam, & postea cognitam esse sufficientem causam resiliendi. Existimabat enim vir illam honestam esse, & grauis mutatio est, & iniuria. Idem est, si virginem existimabat, & postea nouit esse viduam. At ex parte viri fornicatio præcedens ignorata, & postea cognita non est iusta causa resiliendi Thomas Sanchez disp. 63. num. 9. nulla enim sponsa afficitur iniuria, neque molestia ex eo, quod aliquis vir prius aliam cognouerit, nisi iam hoc pertineat ad vitiosos mores, quos antea ignorabat vt pote quia cum aliqua fœmina meretriciã vitam ducat.

3 Sed quæri potest primò, an quando ea deceptio interuenit, sint sponsalia ipso iure irrita vel irritanda. Hanc quæstionem magni momenti existimat Thomas Sanchez, vt iudicetur an oriatur impedimentum publicæ honestatis, sed iure nouo parum refert ad id eius cognitio, cum iuxta Tridentinum ex sponsalibus, quauis ratione inualidis, non oriatur impedimentum publicæ honestatis. Quare si postea irritata sint, nec etiam orietur impedimentum. Sed neque iure antiquo cum sponsalibus inualidis ex defectu consensus non oriebatur impedimentum. In his autem, si est defectus aliquis, in ipso consensu est, cum nihil tam contrarium consensui quam deceptio. Sed quidquid sit de necessitate huius quæstionis, facilis eius resolutio est iuxta dicta supra lib. 4. de errore. Quando enim dolus vel deceptio dedit causam sponsalibus, nulla re ipsa sunt, etiamsi adhibeatur dolus ab aliquo tertio, vt ibidem dictum est. Quando vero incidit dolus in sponsalia, non sunt irrita, vt docet etiam Thomas Sanchez lib. 1. disput 64. Quando autem dicatur dare causam, quando incidere in vtroque foro late explicatum est loco citato. Atque hæc quidem quæ dixi, iure naturæ vera sunt. Iure autem positiuo existimo valere, irritanda tamen iuxta ea quæ dixi supra lib. 4. cap. 3. de contractibus bonæ fidei dolo factis, in quo diuersam tenet sententiam Thom. Sanchez disput. 64. num. 3.

4 Ex quo colligitur, quando quis eo animo contraxit sponsalia, vt reuera contraheret, etiamsi sciret eiusmodi causas vel earum aliquam, sponsalia valere. Quia tunc dolus non dedit causam, & comparatione huius animi nulla mutatio facta est, quando eiusmodi causæ deteguntur, de quo Sanchez disput. 65. num. 2. & constat ex simili ex dictis supra lib. 4. Rursus fit, si post eius causæ cognitionem siue præcesserit, siue secuta sit, sponsi se mutuo cognoscant, censentur priori iniuriæ renuntiare, & confirmare sponsalia. Et quidé quãdo illa à principio fuere valida, non est dubium, & probatur à simili de eo qui post scientiam adulterij cognouit adulteram vxorem, iam enim non potest amplius

plius ratione commissi adulterij diuertere, vt libro 9. explicatum est. Si vero fuerunt inualida ob dolum præcedentem, & postea de tecto dolo adhuc coniunguntur, videntur consensum denuo habere contrahendi, & præcedentem confirmare. Quod etiam docet & probat Sanchez disput. 66. num. 4. Secus esset, si dolum ignoraret, tunc enim, etiã si coniungantur, non cẽsentur ratificare spõsalia. Quia ad ratificandum actum aliquem prius nullum requiritur scientia nullitatis, iuxta dicta supra lib. 4. Sic etiam docet Egidius de sacramentis disp. 23. cit. dub. 10.

5 Secundo quæri potest, an is qui eiusmodi defectibus impeditus contrahit sponsalia teneatur ea manifestare alteri parti. Et quidem, si sciret probabiliter alium contracturum, etiamsi eos defectus agnosceret, planum est non teneri. Sed difficultas est, quãdo iudicat illum non contracturum si sciret. Cui quæstioni affinis illa est, qua quæri solet in materia de emptione, & venditione, an venditor teneatur manifestare vitium rei venditæ, de quanos eo loco latè diximus, & Leonardus Lessius, Salas, & alij. Sed claritatis gratia distinguendi sunt defectus in duplici genere. Primum est eorum defectuum, qui insunt vni ex contrahentibus, siue cum culpa, aut sine illa, qui reddunt nuptias minus appetibiles, non tamen pernitiosas, vt si mulier, quæ existimatur pulchra, quia absens est, sit deformis, & quæ existimatur diues sit pauper, & quæ existimatur honesta, non sit virgo, sed corrupta vel vi, vel sponte, quando tamen studeret in posterum honeste viuere, si enim id nõ proponeret, tam nuptiæ non solum essent minus appetibiles, sed etiam pernicioſæ. Alterum genus eorum defectuum est, qui reddunt nuptias non solum minus appetibiles, sed etiam pernitiosas, morbus scilicet contagiosus, improbi mores, à quibus desistere non vult, grauis infamia siue personalis, siue generis, quæ posset honestam familiam deturpare.

6 Si ergo sunt defectus primi generis, iudico non teneri contrahentem aperire eos defectus. Neque enim cogendus est contrahens hæc omnia manifestare ex prudenti hominum iudicio, sed sibi imputet, qui contraxit, si non diligenter inquisiuit. Docet Egidius disput. 23. cit. dub. 12. concluſ. 1. Nec enim ob id redduntur nuptiæ pernicioſæ. Limitat tamẽ, nisi spõsa prudenter timeret eos defectus detegendos, & graues inde inimicitias oriri posse, quæ matrimonium litibus replerent, & amorem in odium conuerterent: tunc enim teneretur à nuptijs abstinere. Quam etiam sententiam cum eadem limitatione sequitur Turrian. 2. tom. 2. 2. disput. 78. dub. 2. Illud addendum iuxta ea, quæ late dixi in Commentario de insidijs licitis, nullo modo posse dolo aut mendacijs eos defectus celare: potest tamen tegere, & dissimulare etiam artificio aliquo post contractum matrimonium sine culpa, & ante contractũ matrimonium sine mortali culpa, vt docet hic Egidius, & ego olim ostendi in tract. de restitut. si vero sint defectus secundi generis existimat Egidius loco cit. concl. 3. vel teneri contrahentem manifestare, vel sponsalia recusare. Colligitque ex his, quæ in tract. de emptione & venditione dici solent, sunt enim hi defectus pernicioſi nuptijs, & ad vsum nuptiarum, generationis actum, & educationem prolis parum accõmodati. Quod quidem probabile est, sibi namque imputare debet, quod se in eas angustias conijciat.

7 Ex his facile colligitur, an is, qui defectum aliquem patitur, possit ignarum eius defectus renuentẽ implere sponsalia cogere vt adimpleat. Et quidem si sunt defectus posterioris generis, non potest, etiamsi post sponsalia in eos defectus inciderit. Sicut qui vendit alicui ligna putrida & carioſa ad ædificandum, aperire tenetur ante traditionem. Sic Egidius dub. 12. cit. in fine. Idem dico de patiente defectus primi generis, si dolo induxit illum ad sponsalia contrahenda, intulit enim iniuriam, à qua abstinere debet non vrgendo impletionem. At si patiens defectus primi generis non illum induxit ad contrahendum, probabile satis est posse cogere vt impleat, sic Egidius loco citat. concluſ. 5. Sanchez disput. 68. num. 8. Probabilius tamen videtur non posse illum resilientem cogere, id quod etiam satis probabile iudicat Egid. dub. cit. num. 99. Quia reuera, si isti defectus reddunt nuptias valde incommodas alteri contrahenti, semper habet ius vitandi proprium incommodum, etiamsi ignoret, qua ratione sibi incommodum inferatur. In quo vides longe diuersam esse rationem in hoc casu, & quando quis excommunicatione ligatus litigat cum aliquo. Hic enim non tenetur non litigare, licet colitigator possit apponere exceptionem, quia ea excommunicatione non est nullum ius excommunicati, sed impeditur ad agendum. At in nostro casu omninò est nullum ius decipientis in foro conscientiæ, vt dictum est lib. 4. quamvis in foro externo validum iudicaretur, irritabile tamen.

8 Sed his addenda sunt duo. Primum est, cum ex aliqua causa dissoluuntur sponsalia etiam iuramento confirmata, non esse necessarium petere relaxationem iuramenti, sed euanescente promissione iuramenti etiam obligationem euanescere iuxta dicta supra cap. 8. §. 1. Secundum est, quando spõsalia ipso iure dirimuntur, vel manifesta est causa dissoluendi, non esse necessariam iudicis auctoritatem circa dissolutionem. Vel si sponsalia sint clandestina, eo quod scandalum cesset: aliàs necessaria erit sententia iudicis, iuxta ea quæ docet Nauarrus in sum. cap. 21. num. 28. Canisius in sum. iur. can. lib. 2. tit. 9. Rebellus dict. quæst. 8. sect. 9. Quod si causam probare non possit, nisi detegendo vitium sponsæ, prius monenda est, vt desistat, & resiliat, & id etiam aliorũ intermedijs exhortationibus agendum. Quod si nihil proficiat, detegendum est, vt docet Sanchez disp. 69. Rebellus dict. sect. 9. Qualis autem probatio sufficiat, & an satis sit confessio partis agit Sanchez disp. 71. cum duabus sequentibus, quem vide.

De Arrha & pœna in sponsalibus appositis.

CAPVT XIX.

SVMMARIVM.

Arrhæ significatio, constitutio ciuilis de arrhis. num. 1.

Eandem constitutionem licere iure Canonico. num. 2.

Arrhas in specie & corpore dari posse. Quantitatem limitatam iure nostro, & quomodo intelligendum. num. 3.

Quid quando parentes datis arrhis sponsalia contrahunt, & filij resiliunt. num. 4.

An pœna dupli, vel quadrupli debeatur ante sententiam. num. 5.

An pœna apposita in sponsalibus debeatur, variæ sententiæ. num. 6.

Quædam certa ponuntur. num. 7.

Licere appositionem pœnæ tam iure Ciuili, quam Canonico. num. 8.

Expenditur Leonis Imperatoris constitutio. numero 9.

1 SOLENT in sponsalibus apponi arrha, & etiam pœna, & pactũ de non discedendo ab aliquo loco: de primis duobus agemus in isto ca. de tertio vero in sequenti. Quod attinet ad arrhas sciendũ est, quod ad præsens institutum attinet non nunquam sponsalia à iuris auctoribus arrhas vocari, *l. 1. C. si nup. ex rescrip. pet. & tit. de spõsalibus in C. Theodos.* in quo Codice extat etiam hic titulus *si Prouinciæ Rector vel ad eũ pertinentes sponsalia dederint*, qui titulus aliter in Codice Iustinianeo legitur, eam tamen lectionem esse mendosam docet Duarenus de sponsalibus ad *tit. solut. matrim. §. 4.* Arrha igitur est id, quod à sponso sponsæ datur, vel è contra in argumẽtum sponsalium contractorum, & est veluti pignus contrahendi matrimonij, *l. 3. & l. fin. C. de sponsalib.* Vnde etiam vocari solet arrha sponsalitia, in *l. si legibus 16. C. de Episcop. aud.* Arrha autem non censetur, nisi re ipsa tradatur, vt ex doctrina Bart. & communi docet Syluester, verbo *sponsalia*, num. 9. vers. *tertium*. Quod si nuptiæ secutæ fuerint arrha à dante recte repetitur, cum contracto matrimonio sine causa sit apud recipientem, *l. exempto 11. §. is qui vinum. D. de action. empti.* nisi forte aliud consuetudo habeat, per quam certum est iuri scripto derogari posse, *cap. fin. de consuetudine & l. de quibus 32. in fine, D. de legib.* At si matrimonium inter sponsos secutum non est, si per dantem steterit, arrha amittitur: si per recipientem, duplum vel etiam quadruplũ restituuntur, si ita conuenerint, *l. 3. & l. fin. C. de spousal. & l. si quis officium, D. de ritu nuptiar* Quod si iustam causam renunciandi habuit alteruter, hæc pœna cessat, *l. 2. & l. vlti. C. de sponsalib. & l. 1. C. si nupt. ex rescrip. petantur.*

2 Verum hic difficultas est, an etiam iure Canonico licita sit hæc de arrhis constitutio? Nam Glossa in *cap. gemma 29. de sponsal.* dubitat de iure Canonico, & videtur existimare in hoc esse diuersam dispositionem iuris Ciuilis & Canonici. Verum communis sententia docet licitam esse hanc de arrhis dispositionem, iure etiam Canonico. Sic Duarenus loco cit. §. cit. in fine, vbi dicit nõ esse immutatum per ius Pontificium, atque ita in foro Pontificio idem seruandum, quoties alterius culpa dissoluuntur sponsalia. Egidius disput. 22. dub. 3. num. 14. Sanchez lib. 1. disput. 35. Rebellus dict. lib. 4. quæst. Canisius in dicto cap. *gemma*, & alij. Et quidem iure Pontificio etiam licitas esse arrhas probat textus in cap. *si quis vxorem cum sequenti 27. quæst. 2. cap. nostrates, cap. fœminæ 30. quæst. 5.*

3 Rursus inquiri potest, an arrhæ in specie vel corpore dari possint. Negant enim non-

nonnulli. Sed verius est nihil interesse, an in specie, an in corpore dentur, vt ex Præpositio, Baldo, & alijs recte docet Couar. 1. p. de matrimonio cap. 3. n. 7. Sanchez disp. 35. num. 9. & 11. Ægidius dub. 3. cit. Canisius in dict. cap. *gemma*. Et quidem meritò, cum arrha nihil aliud significet, quam matrimonium vel sponsalia contracta, quod æque per quantitatem & per speciem fieri potest vt probat textus in dict. *l. exempto*. Sed quid de quantitate dicemus, an possint in quauis quantitate dari? Nonnulli affirmant, in quauis quantitate dari posse. Sic cum alijs Sanchez, & Ægidius locis citatis. Alij quantitatem limitant attenta qualitate personarum, sic Ioannes Andræas in dict. cap. *gemma*, nu. 9. Canisius ibidem: asserit enim Ioannes Andræas se vidisse arrhas quatuor millium librarum. Et quidem id suadet ipsa libertas matrimonij. Si enim pauperes magnam arrham constituant, cum is qui accepit, duplũ aut quadruplum soluere teneatur, quis dubitet illo infringi matrimonij libertatem, quod inter locupletes secus contingit. Quã vis hæc ratio non multum vrgeat, cum amissio imponatur resilienti sine causa rationabili: dicemus autem statim licitam esse adiectionem pœnæ his, qui sine iusta causa resiliunt ab sponsalibus. Quare verius videtur quod alij dicebant non esse determinatam iure quantitatem in arrhis constituendis. Verum iure nostro de hoc ambigere non licet, solum enim constitui arrhæ possunt in decima parte bonorum dantis, *l. 1. tit. 2. de las arras*, lib. 3. fori quæ approbantur, *l. 50. Tauri*, quæ hodie est l. 2. titulo 1. lib. 5. nouæ compilat. & subditur non posse huic legi renuntiari. Quod adeò verum est, vt etiãsi non habeat hæredes necessarios, non possit excedere decimam partem, vt colligitur ex l. 2. tit. 2. lib. 3. fori. Bona autem viri intelligenda sint, quæ remanent deducto ære alieno. *l. subsignatũ*, *D. de verb. signif.* Inter quæ bona computari etiam debent officia vendibilia, si vir habeat. Quod si constitutio arrharum excedat dictam decimam partem, tantum sunt inualida quoad excessum. Hæc autem limitatio quantitatis arrharum debet intelligi imposita marito, non alicui tertio, vt plane deducitur ex dict. l. 2. tit. 2. lib. 3. fori, quæ solum loquitur de marito dotem cõstituente.

4 Ex his iam constat quid sit dicendum quando parentes sponsalia filiorum datis arrhis confirmant. An si filij resiliant, datas amittant, vel receptarum duplum, aut etiam quadruplum soluere teneantur? Si enim culpa eorum accidat, iam constat quid dicendũ. At si parentes, exequi parati sint, filij vero re filiant, existimo non teneri parentes, cum ista sit quasi pœna conuentionalis, quæ sine culpa non debetur, vt docet Lesius de virtutibus lib. 2. cap. 20. nn. 131. sequitur Ægidius dict. dub. 3. n. 17. vers. *difficultas est*.

5 Sed denique quæret aliquis, an hæc pœna dupli aut quadrupli debeatur ante sententiam iudicis, vel illa expectanda sit. Planum est, quoties dubium est, an ex iusta causa resiliat vel non, sententiam iudicis necessariam esse. At quando notum est causam iustam resiliendi non esse, nonnulli existimant deberi ante sententiam, alij nequaquã: alij, quibus magis assentior, dicunt deberi, cũ exigitur ab altero, non antea, cum enim hæc sit pœna quædam conuentionalis, alter habet ius exigendi ab alio pœnas debitas ex iusto pacto. Sic Couar. p. 2. de matrimon. cap. 6. §. 8. num. 11. Lesius de virtutib. lib. 2. ca. 20. eum. 135. Ægidius probabile iudicat disp. 22. cit. dub. 4. num. 19.

6 Quod attinet ad secundum, scilicet ad pœnam sponsalibus appositam contra eum, qui discesserit à contractu. Non loquor quãdo legatur aliquid sub conditione si nupserit, iam enim de hoc supra satis lib. 3. Solum ergo sermo est, quando apponitur pœna cõtra eum, per quem steterit, quo minus sponsalia impleantur, & magna quæstio est, an ea pœna debeatur, siue iustè, siue iniustè resiliat. Communis Doctorum sententia est, nõ deberi pœnam. Sic multi, quos refert Sanchez dict. lib. 1. disput. 30. Canisius in dicto cap. *gemma*. Cuiacius ibidem. Imo ex eis nõnulli dicunt neque modicam pœnam apponi posse, quos refert & sequitur Canisius ibidem. Alij modicam pœnam licitè apponi posse dicunt, eo quod modica pœna non infringat matrimonij libertatem. Alij etiam addunt iuramentum de solutione pœnæ nullum esse, vt pote contra bonos mores, & libertatem matrimonij, vt ex Antonio Gom. & Couar. retuli supra cap. 8. §. 3. Alij etiam si improbent, & illiciram dicant adiectionem pœnæ, dicunt tamen confirmari iuramento. Sic Ægidius dict. disp. 22. dub. 5 num. 24. cum Lesio lib. 2. de virtutibus cap. 17. num. 56.

7 Sed mihi videtur in primis, vt ab hoc vltimo incipiamus. Si adiectio pœnæ in spõsalibus ita prohibita est, vt eius appositio sit peccatum, non rectè dicunt Ægidius, & Lesius confirmari iuramento, cum iuramẽtum non

non posit esse vinculum iniquitatis, qui enim prohibet adiectionem, prohibet solutionem. Obligari ergo per iuramentum ad solutionem prohibitam iniquum est, neque contra hoc esse potest, vel apparens ratio. Si vero non est peccatum in adiectione, cõfirmabitur iuramento, vel non confirmabitur iuxta regulas ibidem traditas, si nulla est ipso iure adiectio pœnæ. Deinde dico adiectionem pœnæ, ita vt soluere teneatur is, qui ex iusta causa discedit, iniquam esse, & nullius obligationis, etiamsi iuramento firmetur. Quia manifeste est contra libertatem matrimonij, cum retardari possit is, qui iustam habuerit causam non contrahendi, & in hoc conueniunt Doctores omnes, & forsan hoc tantum contendunt iura ciuilia, atque canonica, vt dicam statim.

8 Denique dico. Mihi probabilius est, imo fere certum in sponsalibus licite posse apponi pœnam iniuste resilienti, tam iure Ciuili, quàm Canonico. Et quidem huic nostræ conclusioni non obstare ius ciuile certum est, si quis attente consideret: nam iure ciuili vel vnius voluntatis dissensus sufficit ad sponsalia dissoluenda, vt dixi supra hoc libro. Quare contra libertatem matrimonij esse credunt appositionem alterius pœnæ, quam eius, quæ legibus permissa est in arrhis: & nihilominus si dolus nuntium remittentis arguatur, agitur de dolo ad id quod interest, *l. Titia de verbor. oblig. l. 1. C. de inutil. stipul. l. 1. D. de dolo.* At ius Canonicum cum non admittat dissolutionem sponsalium, nisi vel ex mutuo consensu, vel ex causa. Inde est, vt ex eo quod iure ciuili in hac parte cautum est, argumentum desumi non possit ad id, quod iure Canonico dispositum est. Videamus ergo an iure Canonico reprobetur adiectio pœnæ. Et non reprobari conuinco ista consideratione. Vel iure ipso naturali improbatur: quia est contra libertatem matrimonij, vel ex dispositione iuris Canonici. Non ex iure naturali. Quia non est contra libertatem matrimonij, quod impediatur quis iniuste resilire à contractu implendo: sicut neque contra eius libertatem agitur, quando quis iustè per censuras cogitur contrahere: is enim metus iustè incutitur, & ipse sibi metum infert, qui in culpa est non contrahendo, non alius, vt dixi supra lib. 4. Neq; etiam prohibuit ius canonicum. Quia textus in dicto *cap. gemma*, plane loquitur de sponsalibus inualidis celebratis ante septennium, & ideò immerito addita fuerat pœna ad libertatem tollendam. Quare si casus & ratio decisionis attente spectetur, tantum agitur de reprobanda pœna, quando additur etiam pro casu, in quo iuste non seruantur sponsalia, & ex legitima causa, tunc enim improbanda pœna est. Deinde validum etiam argumentum desumitur ex his, quæ superius dicebamus in hoc cap. non improbari iure Canonico dispositionem ciuilem in arrhis constituendis, cum solutione dupli aut quadrupli, si conuentum fuerit. Nullum enim idoneum discrimen assignari potest, cur ea solutio dupli aut quadrupli, quæ quantitas sæpe excedere poterit quantitatem pœnæ adiectæ, non sit contra libertatẽ matrimonij, neque improbetur, reijciatur autem adiectio pœnæ, cum ea solutio dupli aut quadrupli reuera sit quædam pœna conuentionalis. Nullum autem conueniens discrimen inter hæc duo assignari posse facile conuincet, qui legerit ea, quæ pro assignando discrimine dicit Glossa in dict. cap. & Hostiensis in sum. & Bari. in dict. *l. Titia*, num. 4. & Ioannes Andr. in dict. *cap. gemma* num. 9. Quare nullum esse peccatum in adiectione pœnæ, contra iniuste resilientem docet Suarez tomo 2. de religione, lib. 2. de iuramento cap. 23. num. 5. Ægidius dict. disput. 22. dub. 5. concluf. 2. Gothophredus in dicta *l. Titia de verb. oblig.* verbo, *quia inhoneſtum*. Gabriel Vazquez opusc. de testamentis cap. 3. dub. 2. num. 28. & iuramentum de hac pœna soluenda valere docuit Molina tomo 1. de iustit. tract. 2. disputat. 151. num. 22. licet existimet secluso iuramento irritam esse iure Canonico.

9 Sed concludamus rem hanc constitutione Nouella 18. Leonis Imperatoris, qui æquitatem pœnæ statuendæ in sponsalibus optime explicuit. Epigraphe constitutionis hæc est, *vt in sponsalib. cõstituta pœna exigatur*, quo loco notat Gothophredus abrogari hac constitutione dispositionem in dict. *l. Titia*, 134. *de verb. oblig.* Sed non ita est, iam enim ostendi quid iure ciuili antiquo constitutũ esset, cum ex voluntate vnius tantum licebant, & sponsalium dissolutio, & etiam repudia matrimonij, quæ leges iam procedente, & inualescente Christiana religione euanuerunt. Sic ergo loquitur Imperator. *At sane ne, vt fieri assolet, sponsalia sursum deorsum ferantur. Hoc mihi, quemadmodum dixi maiorem obtinere vim videtur. Soli enim arrhæ perditio, quæ in eum qui dedit, ac deinde sponsalibus non acquieſcit, constituta est, eiusque in duplum restitutio, quã multam is qui arrham cepit, deinde que in pacto conuento non persistit, sustinet, vt*

prop

propter pœnæ leuitatem ad pactorum rescisionem, qui id facere cogitant, facilius ferantur facit. At ex pacto definitæ pœnæ grauius damnum sibi obuenire videns inconstans ille tardior omnino ad diuellenda sponsalia fiet. Quod sane nos etiam nuptialibus contractibus magis conducibile fore animaducrtentes, quod ex consuetudine fieri solet, in legitimam constitutionem traducimus. Ex arrhæ si quidem perditione faciles sponsaliũ euersiones video: ex pœnæ persolutione nõ item. Nam grauius dispendium (pacto enim constituta pœna arrha maior prorsus, atque grauior est) vel inuitum inhibens animi inconstantiam, acquiescere illis, quæ antea de sponsalibus placuerunt, compellet. Hactenus Imperator. Quibus ea quæ diximus confirmãtur, & optima ratione suffulta, quæ pluriseſſe debet, quamplurium iuris interpretum sine ratione auctoritas, *l. 2. §. sed neque, C. de vet. iur. enucl.* Ex his constat quid dicendum sit in eo, an iuramento confirmetur. Nam iuxta principia supra tradita cap. 8. dicendum est, tenere iuramentum, cum neque adiectio pœnæ, sit illicita iure Canonico, neque irrita.

De pacto permanendi in aliquo loco.

CAPVT XX.

SVMMARIVM.

Valere pactum de commorando in aliquo loco pro determinato tempore. num. 1.

Non valere pactum de perpetuo manendo quidã dicunt. num. 2.

Verius oppositum. num. 3.

Quatuor obiectionibus sit satis. num. 4 5. 6 7.

Valere pactum, quod vir perpetuo habitet in domicilio vxoris. num. 8.

Valere pactum, quod in remissionibus iniuriarum apponi solet, ne quis ingrediatur in aliquam vrbem. num. 9.

Duabus obiectionibus sit satis, num. 10. 11.

Ex violatione eius pacti non incurritur pœna criminalis, sed ciuilis. Limitatur ea doctrina. num. 12.

Pactum illud apponi etiam posse à procuratore, qui habet mandatum ad constituendam pacem cum offenso, etiamsi non fuerit expressum in mandato. num. 13.

1 RES est, cognitione digna, & quæ sæpe solet occurrere, ideò vt explicetur distincte tam in materia matrimonij, quàm alijs, quatuor vel quinq; casus distinguendi sunt, & sigillatim examinandi. Primus casus est, quando apponitur pactum, quo quis obligatur admanedum in aliquo loco, sed pro determinato tempore non perpetuo. Negat valere Dynus in *l. Titio centum, §. Titio centum, 2. D. de condit. & demonst.* vt refert Bart. ibi. ante num. 1. & sequitur idem Bart. ibi. num. 4. & in *l. qui concubinam, §. vxori num. 3. D. de leg. 3.* vbi speciem quandam seruitutis vocat. Potissimum argumentum desumitur ex dict. *l. Titio centum.* Sed facilis est huius casus resolutio. Dicendum enim est, valere pactum de commorando in aliquo loco pro determinato tempore. Fauet Couar. Gail, Capiccius, & alij citandi in casu secundo, dum tantum considerant perpetuitatem pacti, docet Baldus in cap. *ex rescripto num. 1. de iure iurãdo*, cum inquit, posse debitorem se obligare, etiam absque iuramento, ad permanendum in aliqua ciuitate, & ad non recedendum ex illa, nisi de licentia creditoris, & Innocentius, & Hostiensis ibidem num. 6. & 10. Butrius nu. 2. & 10. & alij. Facit pro hac sententia text. in dict cap. *ex rescripto, & in cap. exposita de arbitris.* Facit etiam, quod potest quis priuata auctoritate se in obsidem dare, vt constat *ex l. 3. tit. 13. part. 5.* Facit etiam *lex 3. §. si quis volentem, D. de lib. hom. exhib.* vbi dicitur, quod si quis volentem detineat, non dicitur dolo malo facere. Quid autem dicendum sit ad textum in dict. *l. Titio centum*, dicam in casu sequenti.

2 Secundus casus est de pacto, quo quis obligatur ad perpetuo manendum in aliqua ciuitate. Pactum hoc nullatenus valere sentiunt Dynus, Bart. Baldus in dict. *l. Titio centum.* Albericus ibidem, Palacios Rubeus in Rubr. *de donat. inter vir. & vxo. §. 2.* num. 3. Capiccius decisione 135. Andr. Gail lib. 2. de pace cap. 2. num. 20. insinuare videtur Gothophredus in d. l. *Titio centum*, & Cuiacius lib. 14. obseruat. cap. 27. Alij sub ea distinctione loquuntur, vt non valeat eiusmodi pactum quantum ad obligationem præcisè habitandi in aliquo loco, valeat autem quãtum ad hoc, vt teneatur alteri in id quod interest. Sic Couar. 2. p. de matrimonio cap. 7. in principio num. 5. Salzedo in addition. ad Bernard. Diaz reg. 880. limit. 1. & alij, quorũ fundamenta adducam postea.

3 Contrariam tamen sententiam tenet Odophredus in dict. *l. Titio centum*, dum dicit, aliud esse per modum legandi, aliud paciscendo, & legato obligari non posse, bene tamen pacto. Alexander ibi in additionibus

ad

ad Bart. qui pro hac sententia considerat textum in *l. Iulianus, §. eam quoque, D. ex quibus caus. maior.* consentiunt Antonius de Butrio, & alij in sequenti casu referendi. Stat pro hac parte optima ratio iure etiam suffulta. Quia non est cur ea potestas homini denegetur, vt constat ex iure naturali, nec etiam ex iure positiuo, & ita adimplendum erit pactum nulla lege prohibitum, *l. 1. D. de pactis.* Quod autem eiusmodi pactum nulla lege prohibeatur, conuincitur in primis ex textu in *l. cum scimus, C. de agricolis, & censitis*, qui pro hac parte videtur expressus, vbi potest aliquis se efficere colonum adscriptitiũ, ac se obligare adhærere glebæ perpetuo, & culturæ fundi insistere, à qua non potest illo modo recedere, *l. 2. l. originarios, l. seruos eodem, l. 89 tit. 18. part. 3.* Idem ostenditur ex eo quod quis potest se facere curialem sponte sua *l. cum Decurionatus, C. de Decurion. lib. 10.* & dixi supra lib. 11. cap. 4. Curiales autem non possunt vllo modo à sua ciuitate discedere, *l. si quis Decurio, l. Curiales, l. quidam, C. de Decurion. & l. vnica, C. si Curialis relic. ciuit. l. 2. D. de Decurionib.* cum similib. Valebit ergo obligatio ad perpetuò habitandum in aliquo loco.

4 Sed constabit magis eiusmodi pactum iure non improbari ex solutione eorum, quę contra obijciunt Doctores primæ sententiæ. Obijciunt primo textum in dict. *l. Titio centum*, ibi: *Titio centum relicta sunt, ita vt de monumento meo non recedat, vel in illa ciuitate domicilium habeat, potest dici non esse locum conditioni per quam ius libertatis infringitur. Sed indefuncti libertis alio iure vtimur.* Respondetur primò ex Odophredi sententia legato non posse hominem ingenuum obligari, pacto tamen posse, & ita ex vno ad aliud argumentum non valere docet Mẽchaca de succes. creat. lib. 3. §. 29. num. 3. ex *l. non solum, D. de actionib. & obligat. iuncta l. 1. D. de condit. instit. & l. 3. de condit. & demonst.* Sed non omninò placet hæc solutio, cum videamus maioratus bona sæpe relinqui sub ea conditione, quod ostendit posse obligari legato ad permanendum in aliqua ciuitate. Respõdeo ergo primò prædictam legem intelligi posse, quando ea conditio non recedendi à monumento, vel alicubi commorandi Titio imposita vana esset, vt interpretatur Bart. & alij, quos refert Thomas Sanchez lib. 1. disp. 40. num. 2. Aliam etiam interpretationẽ addemus in casu sequenti.

5 Obijciunt secundò rationem textus in dict. *l. Titio centum*, ibi, *ius libertatis infringitur.* Nec enim multum á specie seruientium differunt, quibus non datur facultas recedẽdi, *l. 2. D. de lib. hom. exhib. & l. ab hostibus, D. de capt. & postl. reuers.* Nam qui liber est, potest ire quo vult, *l. penult. C. de oper. libert.* Sed pacto nemo potest sibi libertatem adimere, *l. nec si volens, l. interrogatam, C. de liberali causa.* Ergo huiusmodi pactum non valet. Respondetur in primis hoc pacto non reddi hominem seruum, licet restringatur libertas, & ea restrictio talis est, vt libere sibi quis eã possit ex pacto imponere, licet forte à dispositionibus, in quibus præter voluntatem imponitur, excludatur dict. *l. Titio centum*, & licet qui ingenuus est, non possit se verè seruum efficere dict. *l. nec si volens*, tamen restringere sibi libertatem potest, vt dictum est ex dict. *l. cum scimus*, neque vlla lex est, quæ huiusmodi potestatem prohibeat, vt docet Gregorius Lopez l. 27. tit. 11. part. 3. Glossa 8. & alij.

6 Obijciunt tertiò. Quia non valet operarum locatio in perpetuum, ne fit inutilis libertas, argument. text. in *l. 3. §. ne tamen, D. de vsufr. & l. antiquius, C. eodem.* Similiter nõ valent pacta de incarcerando, & alia similia. Sed respondetur facile non esse hæc pacta eiusdem rationis. Non enim ex pacto viuendi in aliquo domicilio sequitur esse inutilẽ libertatem. Alia vero pacta quæ adducuntur veritate caret esse inualida.

7 Obijciunt quartò. Quia factum præcise non obligat, & qui factum promisit, soluendo quod interest liberatur, *l. in stipulationibus, l. stipulationis, §. Celsus, D. de verb. oblig.* & Doctores communiter: ergo qui promisit cõmorari in aliqua ciuitate, liberabitur soluendo interesse, nec potest præcise ad commorandum obligari. Sed est inefficax argumentum. Tum quia fortasse potest quis ad factum præcise obligari, vt non pauci docent. Tum etiam, quia iure nostro ad factum quis præcise obligari potest, *l. 35. tit. 11. part. 5. & l. 3. tit. 14. eadem part.* & notat ibi Gregorius Lopez, Gutierrez de iuram. confirm. 1. p. cap. 39. num. 5. & alij. Imo & iure Canonico factum præcise obligare videtur argum. textus in *cap. qualiter de pactis*, & notat Abbas in *cap. per tuas de arbitris.* Tum etiam, quia quando ex voluntate pacisentium colligitur voluisse ad pactum obligari, sic seruandum est iure Ciuili, cum præcise cogi non sit contra bonos mores ciuiles, & naturales, *l. 1. l. iuris gentium de pact.* Tum denique quia cum pacisentis interest factum præcise adimpleri, neque illi satis fit solutione pecuniæ,

nix, cogi potest, vt præcisè factum præstet, vt docuit Baldus in *l. cum precibus, C. de rer. permut. num. 1. per legem cum seruus, D. mandati*, & per rationem in *l. Procurator, §. fin. C. rem ratam haberi*. At qui vult aliquem obligare, vt in aliquo loco maneat, plane ad factum vult obligare, neque vult sibi pecunia satisfieri.

8 Tertius casus est, cū in cōtractu matrimoniali siue sponsalibus, vt sæpe fit, apponitur pactū, vt vir teneatur perpetuo habitare in domicilio vxoris, neque possit alio domicilium transferre. In quo dico eiusmodi pactum valere. Docet Hostiensis in sum. de coniugio seru. num. 5, Ioannes Andreas, Abbas, Præpositus, Ancharran. Butrio, in *cap. 1. qui matrim. accus. pos.* Zabarella in cap. 2. eodem Syluester verbo *vxor*, quæst. 8. Rebuffus de priuileg. scholar. 77. in fine, Gregor. Lopez l. 2. tit. 5. part. 4. Nauarrus in manuali cap. 14. num. 20. & alij, quos refert & sequitur Thomas Sanchez dict. disput. 40. num. 2. Addunt que ex eis multi, si contraueniatur, posse exigi pœnam, neque hoc repugnare libertati coniugij. Facit primo, quod in traditione rei suæ vnusquisque potest pactum quod vult apponere *l. 1. C. de pactis, & cap. verum, de condit. appos.* Ergo idem est in traditione mulieris, cum tradat se ipsam viro per matrimonium. Facit etiam optima ratio. Quia si nihil obstat quo minus pactum istud sit obligatorium. Non enim est contra bonos mores naturales, cum licet vxor parere teneatur marito in alium locum se trāsferenti, quia iure naturali viro subdita est, potest tamen ille pacto se adstringere ex iusta causa ad habitādum in aliquo loco. Quæ enim in hoc turpitudo versatur? Eo ergo paciscente de commorando in aliquo certo loco valet pactum, & compelli potest. Neque est contra libertatem ingenui. Quia ille potest, si vult illi libertati renuntiare, vt dictum est, sicut per clausuræ votum se obligant fœminæ religiosæ ad commorandum in certo loco. Considerat etiam rectè pro hac sententia Alex. de Neuo illud pactum non tam poni ad obligandum maritum, quod habitet in certo loco, quàm ne vxor cogatur dimittere ciuitatem, in qua fuit nata, atque nutrita, & ne separetur à parentibus, & consanguineis, *l. possessioni, C. de commun. vtriusque iudi.* Quæ separatio est nimis dura, *l. liberorum de verb. signif.* Imo eiusmodi pactum valde consentaneum esse, vel saltem non abhorrere à iure naturali maxime indicat illud Genes. 2. *Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ*, & 3. Esdræ cap. 4. scribitur. *Homo patrem suum reliquit, qui enutrijt illum, & suam regionem, & ad mulierem se coniungit, & cum muliere remittit animam, & neque patrem meminit, neque matrem, neque regionem*. Facit etiam præterea pro hac sententia, quod Palacios Rubeos, & Gregor. Lop. locis citatis expendunt. Quod quamvis non valeret pactum, quo quis se obligat perpetuo habere domicilium in aliqua ciuitate, tamen si appositum sit in fauorem secundæ personæ, valere *l. cum tale, l. si quis legauerit, D. de condit. & demonst.* Constat autem ex dictis huiusmodi pactum in nostro casu esse in fauorem vxoris. Denique etiam pro hac sententia considero, quod quando verum esset absolutè eiusmodi pactum non valere, excipiunt tamen omnes, quoties illequi paciscitur, habet ius aliquod in eam personam, cui imponitur onus habitandi in certo loco, eo enim casu valet, & sic accipiunt textum in dict. *l. Titio centum*. At vxor habet ius circa maritum. Atque hanc rationem insinuasse videtur Alphonsus in *l. 4. tit. 5. part. 4.* ibi. *E esto es porque ha derecho en el*. Limitanda tamen est proposita doctrina, nisi noua causa emergat mutandi domicilij, tunc enim, etiamsi pactum sit iuramento cōfirmatum, licebit resilire, & mulier tenebitur virum sequi, vt cum communi docet Thomas Sanchez ibidem num. 3.

9 Quartus casus est, an ē contrario valeat pactum, ne quis possit ingredi in aliquam ciuitatem, quod frequenter fit in remissionibus iniuriarum. Et de pacto temporali, dubitari non potest, perpetuum vero negarunt apponi posse, Anchar. consilio 75 n. 3. Alciatus consil 34. n. 3. lib. 1. & alij. Fundamenta adducam postea. Sed verius videtur imponi posse, & docet Gama decisione 63. & alij, quamvis non ignorem aliquando oppositum iudicatum Ratio quæ me mouet hæc est. Quia hoc pactum nihil continet cōtra bonos mores ciuiles, & naturales, & est de re, quam quis facere potest, scilicet domicilium mutare, *l. incola. l. nihil, D. ad municip.* Deinde hoc pactum conducit adquietē consanguineorum occisi, delinquentis securitatem, decus publicum, ne oculis eorum, qui iniuriam passi sunt, obuius fiat occisor. Quis enim hoc non iudicet indecens, imo & inuerecundia plenum, & discordiarum seminarium? Reipub etiam interest, vt aliqua pœna puniatur is, qui vltimo supplicio afficiendus erat, nisi remissionem illam conditionatam impetrasset ab offenso. Fauet etiam

etiam non nihil Dauidis factum 2. Reg. qui Absalonem ab oculis suis remouit.

10 Sed opponunt primò. Quia pactum hoc videtur esse contra vtilitatem publicam, cum Reipublicæ interesit ciuitates liberis hominibus repleri, *l. fin. C. de indicta viduit. tol.* Sed nullum est argumentum. Maior enim vtilitas Reipublicæ versatur, in eo quod puniatur delicta, *l. ita vulneratus, D. ad l. Aquil.* maior autem vtilitas publica minori præfertur. Reipublicæ etiam interest repleri ciuibus honestis, qui paci & quieti studeant, non vero homicidis, & publicam quietem turbantibus. Adde etiam ea ratione non repleri ciuibus liberis ciuitatem, sed potius priuari, cum necesse sit ex aspectu occisoris vel iniuriantis discordias, lites, atque bella exoriri. Denique posse aliquem in ciuitatem ingredi bonum priuatum primariò est, secundariò verò, & remotè publicum: publica autem vtilitas, quæ venit in consequentiam, non attenditur.

11 Opponunt secundò. Quia eiusmodi pactum videtur esse contra naturam pacis, quæ statuitur, & ideò contra naturalem obligationem. Respondetur naturali iure solum teneri odium deponere. Quod autem offensus nolit offendentem in eam ciuitatem ingredi, potius nascitur ex studio pacis, & odij deponendi, ne scilicet ex eius conspectu iterum reuiuiscat odium accenso sanguine. Potius itaque conatur occasiones odij, & discordiarum amputare. Neque obstat, quod huiusmodi pactum videatur quoddam exilij genus continere, & impositio exilij pertineat ad iudicem. Respondetur enim non imponi vt exilium, quasi transgrediens criminaliter puniendus sit, sed ex pacto, & conuentione priuatorum.

12 Ex quibus colligitur pœnas priores criminales nō incurri ex violatione eius pacti: at pœnæ ciuiles & pecuniariæ debētur, nō quidem ex delicto, sed ex stipulatione iuxta doctrinam Bart. in *l. si vnus, §. pactus ne peteret, num. 26. D. de pactis.* Quare non incurrit pœnas corporales, quæ priuatorum conuentione imponi non possunt. Limitant tamen nonnulli & rectè, nisi ea pœna imposita sit à Principe, qui potest legem ferre, cum remissio iniuriæ facta est, vel nisi contractus pacis siue remissionis à Principe fuerit confirmatus, eo quod Princeps eas pœnas imponere possit pro sua potestate.

13 Denique quæstionem habet, an si procurator habeat mandatum offendentis ad pacem constituendam cum offenso, possit apponere pactum illud, si de eo non est expressa mentio in mandato. Communis sententia docet non posse. Quia cum hoc pactum sit de re grauissima, non videtur inclusum, nisi specialiter exprimatur, iuxta communem doctrinam in mandatis seruatam. At mihi probabile est apponi per procuratorem posse. Moueor ex eo, quod in omnibus fere remissionibus hoc pactum solet apponi, & procurator censeturhabere mandatum ad ea facienda, quæ sunt ex consuetudine, iuxta doctrinam Bart. in *l. fin. D. quæ in fraudem creditorum*: & procurator constitutus ad aliquid agendum potest constituere pœnam, & pacta solita Baldus in *l. bene à Zenone, C. de quadrien. præscript.* Illud vero certum est, si offendens, vt remissionem à Principe obtineret, illud instrumentum produceret, ratum haberevideri pactum illud. Ratio est, quia vtens instrumento videtur in eo contenta approbare, *l. qui ex testibus, C. de testibus*, & contractum ratificat, qui ex eo percipit commodum, vt multis docet Tiraquel. de iure constit. p. 3. limit. 30. num. 12. Neque poterit partem acceptare, & partem repudiare, dum eo instrumento vtitur in suum commodum, *l. quidam elogio 2. C. de iure delib. l. si ita stipulatio in fine, D. de oper. libert. l. in causæ, D. de procurator. l. qui vtilia, C. de omni agro des. lib.* 11. ibi. *Qui vtilia Reipublicæ loca possident permixtione facta etiam deserta suscipiant.* Atque hæc de sacramento, & contractu matrimonij. In quo opere si quid verè dictum fuerit, cedat in Dei laudem, & Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ Romanæ obsequium, cui omnia, quæ scripsi hactenus & scripsero, sub iecta semper volo.

(.?.)

Appen-

APPENDIX

DE MATRIMONIO CATHOLICI CVM HÆRETICO.

Ad libri 7. caput 46. & 47.

Supra libro septimo, cum de impedimento disparis cultus sermo esset, egimus de matrimonio Catholici cum Hæretico, & nostram breuiter sententiam exposuimus. At quia ea, quæ ibi scripsimus, breuius scripta videntur, quam res ipsa postulat, licet pro eo loco satis dicta sint, placuit hanc appendicem addere maioris explicationis gratia. Sunt autem in hoc opusculo septem præcipua examinanda. Primũ, an sit illicitum matrimonium Catholici cum Hæretico? Secundum, an ita sit illicitum, vt in nullo casu liceat? Tertium, quæ sint causæ, ex quibus eiusmodi matrimonia licere possint, & quando dicatur cessare periculum peruersionis coniugis Catholici, & quæ securitas exquirenda sit eorum, de quibus in hac re pactum intercesserit? Quartum, an cum periculo verisimili peruersionis coniugis Catholici possit ex magna causa tale matrimonium iniri? Quintum, quæ cura prolis educandæ in eo matrimonio desideretur? Sextum, an Pontifex dispensare possit vt Catholicus copuletur matrimonio cum Hæretico, & quis sit eius dispensationis sensus? Septimũ, quomodo celebranuum? Vbi agetur de forma, loco, ceremonijs, & intentione Chatolici contrahentis.

Matrimonium Catholici cum Hæretico esse validum.

CAPVT PRIMVM.

1 EXPLICATVM iam est, quod isto capite proponitur, supra lib. 7. ca. 47. redigam tamen illa in compendium, addamque nonnulla, quæ propositæ disputationi deseruiant.

2 Hanc ergo enunciationem statuo. *Ma-*

trimonium catholici cum hæretico non est irritũ, sed iam ex multis temporibus valet in Ecclesia sæpè contractum. Communis hæc Doctorum sententia est, quam communi sensu amplectuntur tàm Theologi, quàm Canonistæ. Sic ex illis docet D. Thom. in 4. dist. 39. quæst. vnica art. 1. ad 5. quem cæteri sequuntur nemine dempto. Ex Iurisperitis Glos. in *capite non oportet, verb. hæretici* 28. *quæst.* 1. quam sequuntur Iurisperiti omnes solùm quatuor aut quinque exceptis, quos referam postea, eos omnes Doctores refert & sequitur Thomas Sanchez lib. 7. de matrimonio disp. 72. num. 2. qui apud illum videri possunt, ego enim nolo quenquam referre ex aliena fide. Idem postea docuerunt Ioannes Gutierrez de matrimonio cap. 104. Ægid. tom. 2. de sacram. disp. 31. dub. 3. concluf. 3. Cornelius à Lapide 2. Corinth. 6. in fine. Reginald. 2. tom. praxis lib. 31. num. 169. Filiucius tom. 1. summæ, tract. 10. de sacrament. matrimonij, part. 2. cap. 6. quæst. 2. num. 229. & alij quos referre in re apud omnes ita recepta superuacaneum videri posset. Suadet hanc communem receptamque sententiam primo text. *in cap. detrenit, de hæreticis in 6.* vbi catholica nubens hæretico priuatur quidem dote in pœnam delicti, non tamen separari iubetur, quo satis indicatur supponi quidem in eo textu valere matrimonium. Facit etiam pro hac parte, quod in omnibus Ecclesiasticis canonibus, in quibus ea coniugia interdicuntur, nullum est verbum de separatione eorum, quod quidem verosimile non est omissum à patribus, si ea matrimonia irrita iudicassent. Id constabit ex canonibus, quos postea referemus. Facit denique communis Ecclesiæ consuetudo, quæ sic interpretata est eam canonicam prohibitionem, & eam tantum vim habere declarauit facto ipso, vt prohibita quidem sint, non autem irrita, nunquam enim legitur sic contunctos separasse. Inueterati autem mores legem imitantur, §. *ex non scripto. Inst. de iure nat. gent. & ciu. & leg. de quibus* 32. *D. de legibus*, & *leg.* 1. & 3. *C. quæ sit longa consuetudo lib.* 8. & optima legum interpres consuetudo, *l. si de interpretatione* 37. *D. de legibus.*

3 Verum contra sentire quidam ex Iurisperitis, isque pauci, Glossa in *capit finali verbo contra substantiam de condit. appos.* Hostiensis *cap.* 1. *de coniugio seruorum numero* 1. & ibidem Ancharranus nume. 1. Carrerius de hæreticis num. 157. Simancas de catholicis inst cap. 40. & 46. Rojas sing. 228. numero vnico, quibus fauet Alfonsus in *lege* 15. *titulo primo partita quarta*. Et primò pro hac sententia contra communem opponunt textum in Canone 72. sextæ Synodi in Trullo, qui in hanc formam conceptus est. *Non licere virum orthodoxum cum muliere hæretica, neque orthodoxam cum viro hæretico copulari, sed si quid eiusmodi ab vtro ex omnibus factum apparuerit, irritas nuptias existimari, & nefarium coniugium dissolui.* Quid clarius? Irritas nuptias, & dissolui coniugium aperte positum est in eo canone.

4 Huius argumenti vim aliqui effugere se putant, cum dicunt canones illius sextæ Synodi nullius esse auctoritatis, neque receptos ab Ecclesia fuisse. Sic respondet Thomas Sanchez disp. citata numero finali quem sequuntur Ioannes Gutierrez, Ægidius, Reginaldus, & alij. Ego quidem non dubito canones illos in dubium vocatos, eo quod neque à legitima Synodo editi fuerint, & nonnulli ex eis quædam contineant Romanæ Ecclesiæ inuisa, vt quæ de cœlibatu Clericorum, & de ieiunio Sabbathi statuuntur, & eorum auctoritatem eleuat Anastasius Bibliothecarius in præfatione ad septimam Synodum, & Theophanes in suis Annalibus referente Francisco Turriano de sexta, & septima Synodo, & Humbertus Apostolicæ sedis legatus in libro contra Michaelem Imperatorem, & in disputatione contra Nicetam Pectoratum, quorum testimonia late refert Ferdinandus de Mendoça lib. secundo de confirmando Concilio Illiberritano ad Canonem 26. cap. 52. & Seuerinus tom. 3. Conciliorum in notis ad Concilium Quinisextum, verb. *reprobatum.*

5 Sed his obstare videtur textus in cap. *sextam Synodum* 17. *distinct.* quo loco Gratianus Decretum Adriani Pontificis refert in hæc verba: *Sextam Synodum sanctam recipio cum omnibus canonibus suis.* Sed in eo deceptus est Gratianus, quod existimauit Decretum illud esse Adriani Papæ, cum sit Tharasij Archiepiscopi Constantinopolitani. Adrianus enim in epistola sua, qua rescribit Tharasio, ea tantum posuit, quæ idem Tharasius in prima epistola ad Adrianum posuerat. Adriani verba hæc sunt. *In qua*, scilicet epistola Tharasij, *clare est expressum, quod in sextæ Synodi diuine, & legaliter prædicatis canonibus recipitur pictura illa veneranda, in qua agnus digito Præcursoris demonstratus graphicè est insculptus.* Ex quo constat in ea epistola Tharasij, & Adriani id tantum probari, quod in sextæ

Syno-

Synodi canone ad sacras Imagines picturam præsertim agni demonstrati digito Præcursoris adducebatur, de alijs autem canonibus neque egit Adrianus, neque Tharasius, nihil enim ad institutum pertinebant. Deinde addo neque in epistola Tharasij ad Papam Adrianum ea haberi verba, quæ retulit Gratian: vt duplex in hac re fuerit Gratiani lapsus, & quod Adriano tribuerit quod scriptū est à Tharasio, & quod non fideliter retulerit verba Tharasij. Sed condonemus aliquid illorum sæculorū tenebris. In legitima quidē, & Græci Concilij, & eius epistolæ translatione, vt notant ad eum canonem Censores decreti Gregoriani, hæc habet Tharasius. *Quare & easdem sanctas sex Synodos suscipio cū omnibus, quæ iure ac diuinitus ab ipsis promulgatæ sunt.* Quibus verbis continetur Tharasium suscipere, non quidem sextam Synodum tantum, sed sex Synodos Generales, quæ præcesserant, cum omnibus, quæ iure, ac diuinitus promulgauerant. At vt hæc vera sint, necessarium non est, vt in quauis, Synodo Generali editi fuerint canones, satis est in aliqua, vel earum aliquibus conditos. Ex hac certe forma loquendi non efficitur probari, ac suscipi à Tharasio canones huius sextę Synodi. Satis ergo est ad verborum Tharasij veritatem, si in nonnullis Synodis earum canones editi fuerint, vt certè sunt editi in Nicena, Constantinopolitana, & alijs. Aliás, si de omnibus sex Synodis ea verba intelligenda essent, nequaquam de quinta Synodo verè dici possent, cum in ea quinta synodo nullos canones editos indubitatum sit. Addo etiam, si Canonis nomine dicamus comprehendi quidquid in Concilio actum, atque decretum est, quod Tharasius dixit, & retulit Adrianus se suscipere sex synodos cum canonibus suis, omnibus sex synodis aptari potest, eo quod in omnibus illis aliquid constitutum, decretumque fuerit, etsi de canonis nomine, & decretorum numero non constet. Imò iuxta hanc canonis acceptionem posset etiam legitimum, & incorruptum habere sensum, quod corrupte positum est à Gratiano: *Sextam Synodum suscipio cum canonibus suis*, id est, cum eo, quod conciliariter ab ea decretū, & constitutum est. Atque ex his, quę dicta sunt lucem accipiat canon primus septimæ synodi, in quo cum de approbandis sex synodis Generalibus præcedentibus ageretur, hæc scripta sunt: *Confirmamus quæ edita fuerunt à Sancti Spiritus tubis omni ex parte beneditis Apostolis, & sex sanctis vniuersalibus Synodis his, quæ ad huiusmodi decretorum traditionem localiter coacta fuerunt, & nostris sanctis Patribus.* Id enim confirmat, quod in illis Concilijs decretum est, abstinens à verbo Canonis. Constat autem in omnibus illis aliquid decretum, & constitutum esse, cuius statuendi gratia fuit synodus congregata.

6 Rursus prædictis obstare videtur textus in *cap. habeo 17. dist.* qui desumptus est ex septima synodo, Actione 4. in qua isti sextæ synodi canones approbantur. Sed respondetur eum textum non esse constitutionem, aut decretum septimæ synodi, sed cum in ea Actione, & alijs omnium Episcoporum dicta de cultu sacrarum Imaginum recenserentur, Elias Presbyter legit, quod in quodam canone sextæ synodi dictum est de pictura agni digito Præcursoris demonstrati. Eliæ obiecit Monachus Abbas, quare canonem illum non ex libro, sed ex charta legeret, respondet Tharasius chartam illam esse autographū, in quo Patres subscripserant. Quibus Petrus Episcopus Nicomediæ, quò firmiorem redderet sententiam Eliæ, & confirmationem Tharasij, adiecit statim se habere librum continentem canones sextæ synodi, cuius verba in ea Actione 4. referuntur, post quæ addidit Tharasius nonnulla de canonibus sextæ synodi, & de tempore, quo editi fuerant. Quæ quidem Concilium non legitur approbasse, sed tantum respondisse, verè impios esse illos, qui Christi imaginem, & reliquias subuertere conarētur. Quare quę ab Elia, Petro, & Tharasio in ea Actione septimæ synodi dicta sunt, non eam auctoritatē habent, vt possint hisce canonibus auctoritatis pondus conciliare.

7 Cæterum, quamvis, vt dixi, non dubitem canones illos sextæ synodi Latinis incognitos multo tempore extitisse, & nōnullos ex eis Romanæ Ecclesiæ prorsus aduersos: tamen neque etiam dubito his, quæ moribus Ecclesiæ Romanæ aduersari videbantur exceptis, alios omnes ab Ecclesia approbatos, & apud Græcorum Ecclesias vim legis obtinuisse, & diu seruatos. Primum probatos reliquos ab Ecclesia fuisse communicit testimonium Anastasij Bibliothecarij, in præfatione in septimam synodum, ad Ioannem Octauum, vbi sic scribit. *Ergo regulas, quas Græci in sexta Synodo peribent editas, ita in hac septima Synodo principalis sedes admittit, vt nullatenus ex illis illæ recipiātur, quæ prioribus canonibus, vel decretis Sanctorū sedis huius Pontificum, aut certè bonis moribus*

inueniantur aduersæ. Cumque lex ista de matrimonijs hæreticorum irritandis non fuerit aduersa nec bonis moribus, nec his, quæ prioribus canonibus Sedis Apostolicæ constituta fuerunt, cum nullus extet antiquior canon, qui validas, aut inualidas eas nuptias decernat, rectè sequitur eum etiam cum alijs, qui non aduersantur decretis Romanorum Pontificum, fuisse receptum. Accedit etiam, quod Adrianus Primus inter alios canones, quibus se tuetur, aduocat in auxilium canonem huius sextæ Synodi, & Sixtus Quintus canonem de fæminarum aborsu ex ista sexta Synodo dissertis verbis mutuatus est. Apud Græcos autem eos canones pro legibus habitos ostendit passim Photij Nomocanon, frequentissime enim ex his canonibus leges depromit. Idem etiam ostendit Balsamonis ad eos canones Commentarius, vbi sæpe etiam dicit, quando vsu, vel contrarijs legibus abrogati sint. Quod si apud Græcos vim legis obtinuisse constat ex dictis, efficitur etiam catholicorum matrimonia cũ hæreticis apud illos irrita fuisse. Alia ergo illi canoni sextæ Synodi solutio quærenda est.

8 Duo ergò sese mihi offerunt, quibus nos ab isto nodo extricare possimus. Primum est, id quod dicebam etiam dicto lib. 7. cap. 47. concedi posse catholicorum matrimonia cum hæreticis primis sæculis fuisse irrita, quod postea vel contraria consuetudine, vel contrarijs legibus mutatum est, & valere permissa. Id quod in primis mihi suadebat, quôd videam in Conciliorum antiquorum canonibus, quibus catholici cum disparis cultus coniuge copulari prohibentur, simul coniungi matrimonium catholici cum infideli, & hæretico. Sic coniungit Concilium Carthaginense III. canone 11. & in Chalcedonensi, canone 14. simul prohibentur coniugia cum infidelibus, hæreticis, & Iudæis, neque specialius de his, quàm de illis loquitur, & in Concilio Illiberritano eisdem verbis, licet in diuersis canonibus, prohibentur coniugia hæreticorum, & infidelium, vt constat ex canone 15. 16. & 17. inter se collatis. Idem etiam constat ex Concilio Agathensi, canone 67. Cumque matrimonia cum infidelibus, paganis, & Iudæis irrita fuerint, videtur effici idem primis sæculis iudicasse Ecclesiam de matrimonijs hæreticorum, & id expressum fuisse in dict. canone 72. sextæ Synodi. Id enim sæpe soleo repetere, cum olim potestas constituendi impedimenta penes Episcopos esset, & Concilia siue nationalia, siue prouincialia, multa fuisse impedimenta dirimentia apud aliquas Ecclesias, quæ in alijs minime seruabantur. Quale est illud de matrimonijs contractis contra consensum parentum, quæ apud plures Græcos nulla fuisse ostendi manifestè testimonio Basilij in epistola ad Amphilochium, quæ inter Græcos Canonica habita est, & Commentario Balsamonis in eum locum, quæ omnia retuli supra libro secundo de matrimonio capit. primo. Potuit ergo apud aliquos Orientalis Ecclesiæ vigere obseruantia canonis sextæ Synodi, in quo ea coniugia catholici cum hæretico irrita decernuntur. At quamvis ea lex iure Ecclesiastico recepta fuerit apud Græcos, iuris tamen ciuilis dispositionem aliam fuisse dicendum est. Iure enim ciuili valuere matrimonia cum hæreticis. Idque colligo ex his, quæ habet Photius in suo Nomocanone titulo 12. de hæreticis, canone 13. vbi postquam retulit canones ea matrimonia damnantes, hæc subijcit. *Iusciuile, licet nuptias definiens dicit esse viri, & mulieris coniunctionem, & totius vitæ consortium, diuinique & humani iuris communicationem, & conuenienter huic definitioni oporteat eos, qui matrimonio coniunguntur, esse eiusdem religionis, scit tamen, & admittit matrimonium inter orthodoxum, & hæreticum. Dicit enim lib. primo Codicis titulo quinto, constitut. 12. quod si contendant parentes, superior euadit qui vult filios suos ad fidem orthodoxam adducere. Et constitutio. 18. eiusdem tituli quod si alter eorum, qui cohabitant, sit orthodoxus, & alter hæreticus, oportet eorum liberos esse orthodoxos.* Hæc Photius. Sed quid mirum, si iure ciuili matrimonia cum hæreticis valerent, siquidem & cum Iudæis inita iure Ciuili sustinebantur, vt constat ex his, quæ ibidem addit idem Photius. Inquit enim. *Sexta constitutio tit. 9. lib. 1. Codicis, dicit quòd Christianus, qui Iudæam vxorem accepit, & Iudæus Christianam, reus est adulterij.* Adulterium autem sine vero coniugio nulla ratio admittit. Atque hic primus modus soluendi nodum canonis 72. sextæ Synodi.

9 Accipe alium. Nomine hæretici in eo canone 72. non intelligitur is, qui proprie hæreticus est, id est, qui à fide catholica defecit: sed is, qui infidelis est nondum susceptо baptismo, & nuptias cum eo contractas irritas decernit. Sic canonem istum interpretatus est Doctissimus Couarru. cuius laus in Salmanticensi Gymnasio nunquam marcescet,

cescet, quem refert & sequitur Reginaldus, loco citato. Reijciunt tamen eam interpretationem Thomas Sanchez disputat. citata, nume. 1. & eius sectator Ægid. loco citato, non alia ratione, nisi quia valde improprie sumeretur nomen hæretici. Cæterum eam interpretationem illi canoni legitimè adhiberi indicat Reginald. ex eo, quod in fine eius canonis additur *iuxta sententiam Pauli*, quæ verba respiciunt ea, quæ Paulus scripserat 1. Corinth. 7. de infidelibus coniugatis, non separandis, si quis eorum ad fidem conuertitur. Sed multo fortius, & apertius confirmare possumus eam interpretationem ex Commentario Balsamonis ad Nomocanonem Photij dict. tit. 12. canon 13. vbi hæc habet. *Lege etiam 72. canonem Synodi in Trullo & scies quòd fidelis cum muliere infideli non iungitur matrimonio, etiamsi nonnulli decepti à fine ipsius canonis, qui docet de infidelibus, qui crediderunt post matrimonium, aliud audacter dixerunt. Ego autem, qui scio esse orthodoxos Iberos, & nostra omnia suscepisse, & videmus illos Agarenis suas filias nuptui tradere, miror & nescio, quomodo à suis Sacerdotibus, qui legunt & sciunt decreta canonum, hæc non prohibentur. Hæc ergo corrigi cupio potentissimi, & sanctissimi nostri Imperatoris auxilio.* Hæc Balsamon. Decipiuntur ergo qui postremam partem canonis de infidelibus, primam vero de hæreticis intelligunt, conuincitque esse falsum hic Balsamonis Commentarius, qui planè docet nonnullos deceptos postrema parte canonis existimasse fidelis cum infideli valere coniugium, cum tamè in prima parte canonis decreuisset irritas esse nuptias. Et quidem si ea priora verba canonis non intelligantur de infidelibus, non est in eo canone aliquid vnde colligi potuerit fideles cum infidelibus non esse iungendos, aut eas nuptias non consistere: quod tamen affirmat Balsamon in eo canone contineri. Alia obiecimus contra communem sententiam supra lib. 7. cap. 47. & ibi diluimus.

Matrimonium catholici cum hæretico esse illicitum iure Ecclesiastico, & naturali.

CAPVT II.

1 CERTA enunciatio. *Matrimonium catholici cum hæretico est illicitum, tam iure Ecclesiastico, quam naturali.* Et quidem iure Ecclesiastico illicitum esse probant ea iura, in quibus contrahi prohibetur. Atque vt omittam eos canones, in quibus prohibetur matrimonium cum infideli, aut Iudæo, cum hæretico certè prohibet Illiberitanum, can. 16. Laodicenum sub Sylueſtro 1. can. 10. & 31. Carthaginense 3. canone 11. Chalcedonense, can. 14. & refertur etiam sexta Synodus canone 72. de quo iam supra. Agathense sub Symmacho, repetito canone Laodiceno, cap. 67. & habetur in *cap. non oportet* 28. *quæst.* 1. & Stephanus III. in epist. ad Francorum Regem, quæ extat apud Baronium, tom. 9. anno 770. num. 8. & Bonifacius VIII. in dict. *ca. decreuit, de hæreticis in* 6. quæ omnia retulimus latè supra lib. 7. cap. 46. Ostendunt ergo istæ leges prohibitionem Ecclesiasticam, atque adeò eiusmodi contractū esse iure Ecclesiastico illicitum.

2 Iure etiam naturali non licere ostenditur ex multis spiritualibus periculis, quæ eiusmodi matrimonia consequi verosimile est. Offerre se autem pectandi periculo illicitum est iure naturali. *Qui enim amat periculum, peribit in illo.* Inesse autem periculum eiusmodi coniugijs probant, tam ea, quæ de periculo in matrimonio infidelium, quàm quæ de hæreticorum coniugio docent Canones, & Patres. Nam quoad hoc eadem ratio est in vtroque coniugio, imò maior ratio militat in hæreticis, quorum nocentior communicatio est. In primis ergò est periculum peruersionis alterius cōiugis fidelis, quod periculum expressum à Deo est Exodi 34. ibi. *Ne postquam fornicatæ fuerint, fornicari faciant filios tuos in Deos suos.* Et Deuteronom. 7. ibi. *Quia seducet filium tuū ne sequatur me.* Et tertio Regum 11. *Certissimè enim auertent corda vestra, vt sequamini Deos earum.* Tertullianus libro secundo ad vxorem, capite tertio, ibi. *Quis enim dubitet obliterari quotidie fidem commercio infideli? Bonos corrumpunt mores colloquia prava, quantò magis coniunctus, & individuus vsus? Quænis mulier fidelis Dominum obseruet necesse est? & quomodo potest duobus dominis seruire, Deo & marito, adde Gentili? Gentilem enim obseruando gentilia exhibebit, formam, restrictionem, munditias sæculares, blanditias turpiores, ipsa etiam matrimonij secreta maculosa, non vt penes sanctos officia sexus cū honore ipsius necessitatis, tanquā sub oculis Dei, modestè, & moderatè transigūtur.* Multaq; alia prosequitur c. 4. & sequentib. Synodus Nicæna 1. can. 53. eam rationē prohibitionis assignat, *ne in errorem maritorum peruertantur, & fiant vel Iudæi, vel Gentiles*

propter infirmitatem. Idem periculum subuersionis elegantia, qua solet describit Ambros. lib. primo de Abraham, cap. 9. *Vt cognoscamus fidem, & quandam auctoritatem de auctoris prosapia in his requirendam, quos nobis velimus adiungere. Cum sancto enim sanctus eris, & cum peruerso peruerteris. Si hoc in alijs, quantò magis in coniugio, vbi vna caro, & vnus spiritus est.* Et infra. *Ratio docet, sed etiam amplius exempla mouent. Sæpe illecebra mulieris decepit etiam fortiores maritos, & à religione fecit discedere, & ideò tu vel amori consule, vel errorem fuge.* Idem etiam periculum attigit Cyprianus in lib. de lapsis, columna mihi ante penultima. Attingit etiam idem subuersionis periculum Chrysostom. hom. 48. in Genesim, & Stephanus Quartus in epistola citata ibi: *Quamplures comperimus, sicut externa historia instruimur, per alienæ nationis inimicam copulam à mandatis Dei deuiare, & in magna deuolutos facinora.*

3 Quantum etiam periculi insit in eiusmodi matrimonijs coniectare possumus ex triplici signo. Primum est, quòd non minus seuere statuerunt Patres, vt quæ mulier cum infideli, aut fidelis cum fœmina infideli misceretur, acriter puniretur. Ad hunc sensum non inuitum traho Concilium Arelatense I. cap. 11. Idem prohibet Concilium Nicenum I. cap. 68. Aruernense cap. 6. Alexander III. in Appendice Concilij Lateranensis part. 50. cap. 49. Quod seueritatis genus nostra Hispania imitata est. Nam in antiquissimis post restaurationem ferè statim conditis legibus, quas vulgo *fueros de Sepuluega*, vocant statuitur, vt quæ Christiana Mauro, vel Iudæo mixta reperiatur, illa cremetur, ille præcipitetur. Nec mirũ. Nullum enim efficacius telum ad Israelitarum fidem euertendã excogitauit diabolica astutia, quàm si cum Moabitis fœminis Idolorũ caltricibus fornicarentur, quam rem eleganter describit Philo lib. de fortitudine ab illis verbis, *Arabum gens.*

4 Sed etiam ex alio capite colligere possumus quantum periculi contineat eiusmodi matrimonium, quòd Pontifices atque Concilia seueriſsimè communicationem, & conuictum cum hæreticis prohibuerunt, & euitandum esse censuerunt. Extat in primis Apostolorum Canon 44. *Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, qui cum hæreticis, vel solum comprecatus fuerit, segregetur.* Quo loco Photius, siue Balsamon inquirit, cur qui cum hæreticis comprecatur, non maiore pœna quàm segregationis puniatur, cum eadẽ puniatur, qui cum excommunicato orauerit Can. Apostol. 10. At respondet hic non esse sermonem de precatione solemni, vel in Ecclesia, ob hanc enim statim deponi iubetur: sed de comprecatione priuata, & extra Ecclesiam. Quam etiam cum hæreticis communicationem vitandam Apostoli præcipiunt Can. 63. & pluribus postea decretis Pontificum, & Conciliorum statutum, & confirmatum est. Sic statuit Clemens Romanus, lib. 6. constit. Apost. cap. 11. 13. 16. & 25. Veluti ignem aduentem eos, qui proximè accedunt, euitandos monet. Et lib. 2. cap. 62. Fabianus epist. 1. colum. 2. & epis. 2. colum. 3. circa finem, Laodicenum can. 9. 32. 33. 34. & 37. Sardicense in epistola Synodali 3. pagina mihi 446. in tomo 1. Conciliorum, columna 1. à medio. Liberius epistol. 13. Felix Primus epist. 3. Carthaginense IIII. canone 70. 71. & 72. Africanum sub Cælestino can. 60. Bracarense I. can. 15. & Innocentius I. in tomo 1. Conciliorum, pagina mihi 585. colum. 1. in fine, & 723. columna 1. in principio. Leo I. epist. 29. & 41. ad Marcianum Augustum & epist. 100. Gelasius epistol. 1. columna 2. ante medium, epistola 4. colum. 1. & epistola 7. columna 5. in fine, & epist. 11. columna 1. in fine, & columna 2. & epist. 13. columna 5. & 6. Symmachus epist. 9. colum. 2. circa medium. Concilium Epaunense ca. 15. Hormisdas, epist. 6. colum. 2. & epistola 10. columna 1. & 2. & epistola 16. columna 1. & epist. 21. à medio, & epist. 22. & in Monitorio quod est post epistolam 31. column. 1. & epistola 51. Ioannes II. epistola 2. columna 1. & epistola 3. columna 3. in fine. Herdense canon 15. & Synodus Constantinopolitana sub Mena, Actione 5. in epistola Hormisdæ, pag. mihi 449. columna 1. Constantinopolitanum Generale 5. Collar. 8. ex Cyrillo, Romanum 2. sub Zacharia, pagina mihi 216. columna 2. Remense sub Leone VIII. canon 13. Tolosanum sub Victore II. canon 13. Lateranense sub Alexãdro III. ca. 27. Lateranense sub Innocentio III. cap. 3. Martinus V. in Bulla post Concilium Constantiense, Lateranense sub Leone X. Sessione 9. tomo 4. Cõciliorum, pag. mihi 609. colum. 2. Quæ omnia Decreta ego assidua Conciliorum lectione collegi, & proposui seruato temporis ordine.

5 Eadem mens, quæ fuit Pontificibus, & Concilijs, fuit etiam Patribus Ecclesiæ. Nam Irenæus lib. 3. contra hæreses, c. 3. refert Apostolos, nec verbo cõmunicasse cũ hæreticis quasi obseruantes diuinũ præceptum

tum, & ibi refert exemplum Ioannis Euangelistæ, qui Balneum ingredi noluit, in quo erat hæreticus Cherinthus, quod etiam refert Eusebius libro tertio Historiæ capit. 18. & aliud simile refert de Polycarpo lib. 4. cap. 14. & de Origene lib. 6. cap. 43. & Athanasius in vita Antonij scribit illum cum hæreticis nunquam pacificè sermonem habuisse. De qua re multa videri possunt in Origene lib. in Iob. Chrysost. in Paulum 1. Corinthior. 7. & 2. Corinthio. 6. Ambrosio lib. 7. in Lucam, cap. 9. & 10. Augustino epist. 62. & 162. & Cypriano epistola quarta 55. & 76. vbi post multa concludit: *Simus ab illis tam separati, quàm illi sunt ab Ecclesia profugi.*

6 Atque hinc etiam ortum est, vt communicans cum hæreticis censeatur de hæresi suspectus, & fautor hæreticorum. Sic statutum est in Concilio Tarraconensi, cuius meminit Directorium Inquisitorum parte 2. folio 234. & sequentibus, versicul. *item quæritur*. Adeóque suspectus est, vt indigere purgatione canonica scribat Simancas titulo 11. rubrica *de communicatione cum hæreticis prohibita numero* 9. Imo & clerici sic communicantes beneficio, & officio suspenduntur, eisque legitima probatione deficiente purgatio canonica indicitur, quam si præstare renuerint, vel in ea defecerint, pro conuictis habentur *cap. inter sollicitudines*, versi. *in pœnam autem. de purgatione canonica. In pœnam autem familiaritatis illius quam cum hæreticis habuisse dignoscitur, eum ab officio volumus manere suspensum, donec scandalum sopiatur, ità tamen, vt publice familiaritatem hæreticorum abiuret*. Quod etiam sentiendum est de eo qui cum illis negotiatur, *capit. sicut de hæret.* & qui illos visitat, *cap. accusatus. §. ille quoque de hæret. in sexto*. Vnde meritò Concilium Salisburgense, quod refert Directorium Inquisitorum parte secunda, quæstione 57. commentario 82. versi. *ad hoc, ne quid desideretur*, pagina mihi 411. columna 1. in fin. inquit: *Eos quoque obseruare debent parrochi, qui ex hæreticorum locis, siue de hæresi suspectis veniunt, singulorumque dicta & facta animaduertant, ac de eorum vitæ consuetudine, & ratione cognoscant: & si quæ de his suspicio fuerit, ordinarium admoneant*. Adeò mores ex hæreticorum familiaritate, & conuictu cõtaminari creditum est.

7 Denique ex alio capite inuestigare possumus, quantum insit periculi in eiusmodi coniugio, quòd non solùm fornicationem, non solùm familiaritatem, & communicationem cum ipsis hæreticis sub grauissimis pœnis prohibuerint Patres, sed etiam hæreticorum libros apud se retinere catholicis, non minus rigide interdixerunt. Et quidem ab antiquissimis temporibus ea lectio librorum hæreticorum interdicta est, & ipsi libri inquisiti, atque combusti, ne legentes contaminarentur, vt constat ex Dionysio Areopagita, de Diuinis nominibus, cap. 6. & Ignatio in epistola ad Mariam, & ex Abdia Babylonico lib. 4. Certaminis Apostolorum. Idem fieri constituit Constantinus Imperator in epistola ad quascunque Ecclesias, quam refert Nicephorus lib. 8. Histor. Ecclesiast. cap. 25. Concilium Carthaginense 4. capit. 16. & est in *cap. Episcop. 37. dist.* Leo I. in epist. 48. quæ est ad Martianum Imperatorem, & epistol. 91. ad Turibium Asturicensem Episcopum, capit. 15. Theodosius, & Valentinianus in edicto, quod relectum est coram Patribus 5. Concilij Generalis Constantinopolitani secundi, & est in *l. damnato, C. de Episcop.* cui edicto subscripsit Theophilus Alexandrinus Episcopus in epistola immediate sequenti ipsum edictum quæ lecta est Collat. 5. eiusdem Cõcilij Generalis, & Valentinianus, & Martianus in epistola ad Palladium Orientis præfectum, & est in *l. quicunque, C. eodem*, & inserta in Actione 3. Cõcilij Chalcedonensis. Idem etiam sentit Cyrillus Alexandrinus, in libro de eo, quòd vnus est Christus, & lectus est coram Patribus eiusdem Concilij Generalis 5. collat. 5. & Patres eiusdem Concilij Generalis collat. 8. Quod & Iustinianus Imperator, qui huic Concilio interfuit, speciali edicto confirmat, & est in Nouella constitutione 42. quod Iustiniani edictum relectum, & approbatum est in Concilio Hierosolymitano, sub Petro eiusdem Vrbis Episcopo, & refertur in 5. Synodo Generali, actione 1. Et idem Concilium Generale 5. actione 1. in sententia lata ab Epiphanio Cõstantinopolitano Episcopo, & reliquis Patribus contra Seuerum Antiochenum Episcopum & alios. Quam eandem sententiã protulit Menas post Epipha. Constãtinopolitanus Episcopus cum Patribus alijs de libris Nestorij. Idem iudicium tulit Concil. Generale 6. de libris septem Episcoporũ hæreticorum: & Concilium Generale 7. can. 9. & Concil. Constantinense sessio. 5. & 8. & 15. Leo Decimus in Bulla contra errores Lutheri ad finem Lateranensis Concilij, sub ipso Leone celebrato, Concilium Senonense in Generali decreto. Quæ quidem omnia satis

euidenter ostendunt inesse periculum peruersionis tàm in legendis hæreticorum libris, quàm in communicatione, aut familiaritate cum illis, aut etiam copula illicita. Quanto maius periculum inesse credendũ est in coniugio, in quo individua vitæ communicatio est.

8 Cum ergò eiusmodi communicatio adeò periculosa sit, vt ostendunt ea omnia, quæ hactenus adduximus, non est prohibitio eius communicationis Ecclesiastica tantum, sed naturalis, spectatque vel ad fidem, vel charitatem, vt docet Suarez de fide disput. 21. sect. 1. num. 4. Tanta enim communicatio cum hæretico, quæ reddat communicantem de sua fide suspectum, prohibetur ratione fidei, quia est contra externam fidei confessionem, de quo Leo I. serm. 18. de pas. & serm. contra Euthychen. Ratione etiam charitatis obligat hoc præceptum primò, ad vitandum scandalum proprium, ne quis in periculo errandi se constituat. Deinde ad vitandum scandalum proximorum, qui eo exemplo facile ad familiarem communicationem cum hæreticis incitantur, & in periculo constituuntur. Denique ad vitandum nocumentum ipsiusmet hæretici, qui & huiusmodi communicatione fit audacior, & in suo errore pertinacior, quas rationes reddũt allegati Patres.

9 Insunt præterea alia pericula grauissima, in coniugio catholici cum hæretico. Nam si matrimonium est animarum, corporumque coniunctio, difficillimum est, vbi fides non est, mutuum amorem vigere, quod præclarè dixit Ambros. dict. lib. 1. de Abraham cap. 9. *Quomodo enim potest congruere charitas, si discrepet fides?* Et Bonifacius V. in epistol. ad Reginam Angliæ, quæ est apud Baronium tom. 8. anno 625. num. 16. in eandem rem hæc scribit. *Vnde paternis officijs vestræ gloriosæ Christianitati nostram communionem non distulimus conferre, adhortantes, quatenus diuinæ inspirationis imbuta subsidijs, importune & opportune agendum non differas, vt & ipse scilicet, Rex Saluatoris nostri Domini Iesu Christi cooperante potentia, Christianorum numero copuletur, vt perinde intemerato societatis fœdere iura teneas maritalis consortij. Scriptum namque est: Erunt duo in carne vna. Quomodo namque vnitas vobis coniunctionis inesse dici poterit, si à vestræ fidei splendore interpositis detestabilis erroris tenebris remanserit ille alienus?* Quare inter fidelẽ & infidelẽ graues oriri inimicitas verisimile est. Vt enim inquit Philo li. de Monar. solius Dei cultus est amoris mutuque beneuolentiæ vinculum insolubile. Atque his matrimonijs crediderim conuenire, quod scriptum est à Daniele cap. 2. *Quod autem ferrum vidisti mixtum testa ex luto, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi, sicut ferrum non potest commisceri testæ.* Fieri quidem non potest, vt æs, lutumque misceantur. Æris enim ea natura est, vt igne emolliatur, lutum autem indurescat. æs frigore, & humiditate coalescit, lutum verò frigore, & humiditate dissoluitur. Quare quæ vni ex istis vtilia sunt, alteri noceant: ex quo prouenit, vt eorum mixtio omni ex parte repugnet. Non minus repugnare videtur mixtio lutei cordis hæretici, æreique catholici, si quidem coniugium nõ tantum est corporum coniunctio, sed etiam animorum.

10 Videtur etiam periclitari in eiusmodi matrimonijs bonum fidei, cum coniugis saltem infidelis castitas periclitetur, quod etiam expressit loco citato Ambros. & duplici ratione confirmat. *Prima*, inquit, *coniugij fides castitatis gratia est. Si Idola colat, quorum prædicantur adulteria, si Christum negat, qui præceptor, & remunerator est pudicitiæ, quomodo potest diligere pudicitiam?* Ecce primam rationem, audi secundam. *Accedit aliud insigne castimoniæ, si credas à Deo tibi, quod sortitus es coniugium datum. Vnde & Salomon ait, à Deo præparatur viro vxor. Non possunt hoc dispares fide credere, vt ab eo, quem non colunt, putent sibi impartitam gratiam.* Periclitatur rursus bonum prolis, si quidem iure timeri potest eius praua educatio. Illud periculum agnoscit Clemens Romanus epist. 4. colum. 2. ante medium, cuius verba dabimus infra suo loco. Atque hinc Concilium Toletanum 4. can. 59. & 60. & Toletanum 17. can. 8. filios abstrahi præcipiunt à Iudæis, vt rectè educentur.

11 Ex quibus non obscure colligitur eũ, qui contraheret cum hæretico, peccare mortaliter. Sic enim expresse docuerunt, qui de huius peccati grauitate meminere, cum Soto, Thomas Sanchez, Ioannes Gutier. Reginaldus, Philiutius, Ioan. Azor, tomo 1. lib. 8. cap. 11. quæst. 5. Violatur enim tam lex Ecclesiastica quàm lex naturalis in re grauissima, & cum verosimili periculo incidendi in peccata grauissima. Sed limitant Thomas Sanchez, Reginaldus, & alij, vt id non intelligatur in Germania, Polonia, & alijs locis, in quibus ob communem conuictum, & societatem fideles cum hæreticis coniugia frequenter ineunt. Quæ doctrina & limitatio

sic

sic intelligenda est, in his regionibus non fore peccatum, non quia legis Ecclesiasticæ robur euanuerit contraria consuetudine, id enim non aufert prohibitionem naturalem: sed quia iuxta mores, & ingenium gentis, pericula verosimiliter cessare credantur. Quod si reuera non cessent, aut in peculiari contractu non cessare iudicetur, etiam in illis regionibus fideles, qui contrahunt cum hæreticis, peccabunt mortaliter. Quia sublata obligatione legis Ecclesiasticæ remanet prohibitio naturalis, quæ tandiu perseuerat, quandiu periculum imminet. Id quod prudenter aduertit Cornelius 1. Corinth. 7. prope finem. Et quia difficile est, vt fidelis coniux sua lege vti libere permittatur, & prolem rectè educare, ideò ait, vt plurimum cauenda esse eiusmodi coniugia, etiam inter illos, ob prohibitionem, scilicet naturalem. Quod idem monet Ægid. loco cit. disput. 31. dub. 3. prope finem. Raro enim in praxi ea pericula cessant, & aliàs alij catholici scandalum patiuntur, si fidelis nubat hæretico, qui se hæreticum aperte profiteatur.

An matrimonium catholici cum hæretico adeò sit illicitum, vt nunquam liceat?

CAPVT III.

1 SED his constitutis oritur hinc alia implicatior quæstio, an scilicet matrimonium fidelis cum hæretico, quod illicitum esse, & iure naturali & positiuo diximus, ita sit illicitum, vt nunquam licere, & sine peccato possit celebrari. In qua difficultate illud apud omnes dubitatione vacat, quod tunc saltem licitè contrahitur, si hæreticus conuertatur ad fidem, vel conuersionem promittat: eam enim causam expressere Concilia, quæ ea coniugia prohibuerunt. Sic Nicen. cap. 53 ibi *modo ad fidem veniant*, cum de infidelibus agit, Illiberritanum cap. 16. ibi *si se transferre noluerit*, Laodicenum cap. 31. ibi *si tamen Christianos se fieri promittant*. Chalcedonense Act. 15. Can. 14. ibi, *nisi forte promittat ad orthodoxã fidẽ se per personã orthodoxæ copulam transferre*. Hoc ergo cum certum sit, illud tantum inquirimus, an cum hæretico in sua hæresi persistente, nec conuersionem promittente, neque verosimilem spem de sua conuersione præbente, liceat aliquando coniugium.

2 Nullum legi hactenus, qui diceret ita esse illicitum coniugium hæretici cum catholico, vt in nullo casu licear, quamvis audiui non paucos, qui adeò periculum peruersionis coniugis, & prolis, quod in hoc matrimonio reperitur, exaggerarunt, vt dicerent illud periculum euidens esse. Quod si in his est periculum euidens, nequaquam poterit, licere eiusmodi coniugium. Nam cum istis periculis euidentibus subueniri non possit, aliàs euidentia non essent, sit vt matrimonium, cui ista pericula euidentia coniuncta sint, nunquam liceat. Potest pro hac sententia induci Alphonsus Salmeron, 1. Corinth. 7. disputat. 14. in solut. dubij 10. vbi dicit matrimonium istud aduersari omnibus bonis matrimonij, scilicet fidei, proli, & sacramento, ex quibus sequitur nunquam posse licere.

3 Quæ sententia posset fulciri argumẽtis desumptis ex sacra Scriptura, Patribus, & ratione, quæ suo ordine proponam. Atque in primis ex sacris Literis adducuntur non pauca. Primo loco ex cap. 24. Genes. vbi Abraham adiurans seruum suum inquit, *vt non accipias filio meo vxorem de filiabus Chanaan*. Et Genes. 26. cum diuinus scriptor retulisset Esau quadragenarium duxisse duas vxores Hethæas, additur, *quæ ambæ offenderunt animum Isaac, & Rebeccæ*. Et cap. 27 dixit Rebecca ad Isaac: *Tædet me vitæ meæ propter filias Heth; si acceperit Iacob vxorem de stirpe huius terræ, nolo viuere*. Et cap. 28. Isaac præcepit Iacob dicens: *noli accipere coniugem de genere Chanaan*. Et Genes. 34. cum Sichem postularet Dinam in vxorem, fratres eius responderunt in hæc verba. *Non possumus facere quod petitis, neque dare sororem nostram homini incircunciso, quod illicitum, & nefarium est apud nos: sed in hoc valebimus fœderari, si volueritis esse similes nostri, & circuncidatur in vobis omne masculini sexus, tunc dabimus, & accipiemus mutuo filias vestras, & nostras*. In quo testimonio magna consideratione digna videntur illa verba, *non possumus*, & illa, *quod illicitum & nefarium est*, quæ verba illicitum omninò esse eiusmodi coniugium fidelis cũ infideli planè conuincere videntur.

4 Secundò loco etiam induci possunt alia sacræ Scripturæ testimonia, in quibus expressa lex extat de non ineundo coniugio cũ infidelibus. Nam Exod. 34. præcipit Deus Moysi: *Caue ne vnquam cum habitatoribus terræ huius iungas amicitias, quæ sint tibi in ruinã*. Et postea. *Neque vxorem de filiabus eorum accipias filijs tuis, ne postquam ipsæ fuerint forni-*

catæ, fornicari faciant filios tuos in Deos suos. Et Deuter. 7. *Non inibis cum eis fœdus, neque miserebéris eorum, neque sociabis cum eis coniugia, filiam tuam non dabis filio eius, neque filiam illius accipies filio tuo, quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & vt magis seruiat Dijs alienis, irascéturque furor meus, & delebit te cito.* Et 3. Reg. cap. 11. peccatum Salomonis narratur his verbis. *Rex autem Salomon adamauit mulieres alienigenas de gentibus, super quibus dixit Dominus filijs Israel, neque ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras: certissime enim auertent corda vestra, vt sequamini Deos earum.* Quid clarius? Certissimè inquit Deus auertenda corda fidelium in eiusmodi coniugijs. Ergo euidens periculum est, atq; cum istis matrimonijs inseparabiliter coniunctum, aliàs non esset certissimum in eo coniugio auertenda corda fidelium. Et lib. 1. Esdræ cap. 9. dictum est Esdræ. *De nonnullis Sacerdotibus, quos separari oportebat à populo terræ, & abominationibus eius. Tulerunt enim de filiabus eorum sibi, & filijs suis, & commiscuerunt semen sanctum cum populo terrarum. Manus etiam Principum, & Magistratuum fuit in transgressione hac prima.* Et postea cum Esdras plorans coram Domino, & orans, peccatum populi confiteretur, legem à Domino latam his verbis protulit. *Nunc ergo filias vestras ne dederitis filijs eorum, & filias eorum ne accipiatis filijs vestris, & non quæratis pacē eorum, & prosperitatem eorum vsque in æternum, vt confortemini, & comedatis, quæ bona sunt terræ, & hæredes habeatis filios vestros vsque in sæculum.* Vbi præter prohibitionem diuinam adiunguntur miserabiles casus, & euentus ex eiusmodi coniugijs, scilicet priuatio bonorum, regni, & hæredum in supplicium, tam nefariæ coniunctionis. Et Esdræ 2. cap. vlt. inquit Nehemias. *Sed & in diebus illis vidi Iudæos ducentes vxores Azotidas, Ammonitidas, & Moabitidas. Et filij eorum ex media parte loquebantur Azoticè: & nesciebant loqui Iudaicè, & loquebantur iuxta linguam populi, & populi. Et obiurgaui eos: & maledixi, & cæcidi ex eis viros, & decaluaui eos, & adiuraui in Deo, vt non darent filias suas filijs eorum, & non acciperent de filiabus eorum filijs suis, & sibi nec ipsis, dicens: Numquid non in huiusmodi peccauit Salomon Rex Israel? Et certe in gentibus multis nō erat Rex similis ei, & dilectus Deo suo erat, & posuit eum Deus Regem super omnem Israel: & ipsum ergo duxerunt ad peccatum mulieres alienigenæ. Numquid & nos inobedientes faciemus omne malum grande hoc, vt prævaricemur in Deo nostro, & ducamus vxores peregrinas?*

5 Tertiò etiam ex Nouo testamento adducuntur nonnulla. Scriptū enim est à Paulo 2. Corinth. 6. *Nolite iugum ducere cum infideli.* Quæ verba de matrimonio accipit Hieronymus lib. contra Iouin. ca. 1. & in epist. de Monogamia cap. 2. quem secuti sunt Caietan. & Salmeron in eam epist. disputat. 6. Cornelius, & Estius, qui etiam ea Pauli verba de matrimonio accipiunt. Sed quamvis ea verba de communicatione cum infideli intelligantur, vt ea accepisse videntur Glos. Interlinearis, Primasius, Lyra, Hugo Cardi. Titelmanus, Iustinianus, & alij, nihilominus validum inde sumitur argumentum ad reijcienda ista connubia. Si enim conuersatio, conuictus, connubia cum infidelibus prohibentur, quæ ad tempus sunt, non perpetua, & multis de causis interrumpi necesse est, quanto magis prohibitum erit coniugium? Est enim omnium societatum humanarum intima, & arctissima, ea qua per coniugium sibi mutuò adhærent vir & mulier. Quatuor autem rationibus probat Paulus non esse ducendum iugum cum infideli, quæ in omni matrimonio hæretici & fidelis militare videntur. Primam rationem affert cum ait: *quæ societas luci ad tenebras:* Quasi dicat, lux, & tenebræ in eundem locum, aut subiectum cōuenire simul nequeunt. Ergo congruè fieri nequit, vt fidelis habens lucem fidei in idem iugum conueniat cum infideli, qui plenus est tenebris infidelitatis. Secunda est, *nulla est conuentio Christi ad Belial.* Atqui fideles pertinent ad Christū, infideles ad Belial. Ergo isti conuenire nequeunt. Tertia, fidelis cum infideli nullam habet partem, aut communicationem, sed ab eo toto genere dissidet, tantumque distat, quantum fides distat ab infidelitate, cœlum ab inferno. Ergo hi coniūgi non possunt. Quarta. Templum Dei non potest associari Idolis, & templis Dæmonum. Ergo nec fidelis infideli. Fidelis enim est templi Dei, infidelis verò templum & simulacrum Diaboli. Præterea idem Paulus 1. Corinth. 7. inquit. *Cui vult nubat, tantum in Domino,* hoc est, cum Christiano. Sic interpretatur Tertullianus de Monog. cap. 7. & cap. 11. & lib. 5. contra Martionem cap. 7. & lib. 2. ad vxorem cap. 1. sequitur Hieronymus in Apolog. ad Pamachium, & lib. 1. contra Iouian. Augustl. lib. 1. de adulterinis coniugijs, cap. 21. quam Pollētij eriam fuisse interpretationē dicit, & probat, & Glossa Interlin. & Ambros. Theodor Theophil. Anselmus, Sedulius, D. Thom. Aymo. & ex posterioribus etiam interpretibus Lyra, Salmeron

meron disputat. 14. Caiet. Cornel. Iustin. & Estius. Atque in his verbis Pauli præceptum contineri, quo nuptiæ cum infidelibus prohibeantur, docent ex antiquis Tertullia. Hieronym. Theodoret. Theophilat. Ansel. Sedulius, Diuus Thomas, & ex posterioribus Lyra, Caiet. qui scribit hunc esse primum locum noui Testamenti, in quo eiusmodi coniugia prohibentur, & Salmeron, Iustin. & Estius, & denique Cornel. 2. Corint. 6.

6 Quartò non pauci referuntur Patres, qui hæc pericula in quouis matrimonio istorum inesse indicant, & vniuerse loquuntur. Tertullian. lib. 2. ad vxorem, vbi peculiari quadam, ac pene diuina eloquentia damna considerat, quæ ex his matrimonijs prouenire solent Cyprian. lib. de lapsis, Ambros. epist. 70. & lib. 1. de Abraham cap. 9. Chrysostom. homil. 46. in Genesim, Hieronym. contra Iouinianum, & Augustin. relatus in *cap. caue. 27. qnæst. 1.* quorum Patrum verba retulimus fere omnia supra lib. 7. de matrim. cap. cit. Quibus accedat Imperfectus in Matthæum, qui homil. 11. breuibus verbis rem istam comprehendit. Inquit enim. *Si fidem Domino seruaremus, sicut ille nobis, nunquam nos infidelium amicitias coleremus. Nunquam nos infidelium matrimonium iungeremus.*

7 Quintò, si exemplis nobis diuina solet innotescere prouidentia, ea matrimonia infœlices exitus habuere, quod satis magno argumento est illa non rectè contrahi, & ideò impleri, quod olim dictum à Deo supra posuimus: *Irascetur furor meus in te, & delebit te cito*, si quidem fere omnes, qui ea coniugia tentasse leguntur, citò deleti sunt. Adducitur in exemplum Achab, qui Iezabel infidelem duxit vxorem 3. Reg. 16. quæ viri animum ita peruertit, vt dicatur à Deo vænundatus, vt faceret malum. Item Alphonsus V. Rex Legionensis, qui Regi Toletano Mahometanæ perfidiæ filiam suam nuptui tradidit. Ioannes item Cantacucenus, qui etiam filiam suam Turcarum summo Imperatori vxorem dedit. Alius etiam Princeps, qui filiam suam Amurati filio Mahamed concessit in coniugem. Imperator Trapisondæ, qui Regi Persiæ filiam suam locauit. Item Clodoueus Francorum Rex, qui Amalarico Regi Hispaniæ Gothico Arriano filiam copulauit. Carolus IX. Galliarum Rex, qui sororem Principi Bearnensi in coniugium dedit. Marchio quoque Monferratensis, qui filiam suam Violantem Imperatori Paleologo Schismatico coniugem fœdauit. His adde Ioramum matrimonio copulantem filiam Achab 4. Reg. 8. Ochoziam cum eiusdem Achab filia coniugium ineuntem, Salomonem cum alienigenis, Herculem Astensem Ducem Ferrariæ cum hæretica Hugonota: hi omnes, & alij non pauci, qui referri possent, breui consumpti, aut bellorum varijs casibus afflicti, aut alias calamitates, ærumnas, persecutiones, domesticas, aut ciuiles perpessi, & in ingētia vitia prolapsi, illecti earum fœminarum illecebris, vt potè qui Dei in se iram concitauerunt propter iniqua coniugia. Quæ cū contraxissent, quò tuti aduersus hostiles insidias redderentur, ea parte, qua se magis tutos existimabant, Deo ita disponente, maiora damna perpessi sunt, vt facto ipso Deus illis ostenderet, iustitiam, & æquitatem, Dei obsequia priuatis commodis anteponenda, & Deo duce illis inhianduu.

8 Vltimò denique eo argumento nonnulli demonstrare se putant nunquam ista coniugia licere, quia nunquam sine peccato contrahi possunt. Quod autem in contrahendo semper interuenire peccatum necesse sit, ostenditur, tùm quia hæreticus in peccato celebrans matrimonium peccat, & etiam administrat in peccato, cum ille sit minister. Ergo & fidelis cooperans peccato hæretici peccat in ea celebratione. Tùm etiam quia hæreticus non celebrat matrimonium cum intentione debita, vt potè qui neget esse sacramentum, atque adeò fidelis cum illo contrahens vult frustrari effectu gratiæ, nec celebrare sacramentum, cum eiusmodi matrimonium, neque gratiam conferat, neque sacramentum sit. Tùm denique quia si hæreticus existimat matrimonium esse solubile per repudium, contrahens cum ea intentione nullum efficit matrimonium. Fidelis ergo sciens hunc hæretici errorem exponit se periculo nullitatis matrimonij, & copulæ non coniugalis, sed fornicariæ.

9 At quamvis difficillima videantur, quæ obiecta sunt, verum sine dubio est coniugium catholici cum hæretico, licet sit illicitum, non tamen adeò illicitum, vt nunquam licere possit, sed aliquando posse sine vllo peccato celebrari. Neque in hoc à me ipso dissentio, ideſt, ab his, quæ olim scripsi, neque priuato aliquo affectu nunc in hanc sententiam inducor, sed quia ipsa inductus ratione idem scripsi, cum primum librum de impedimentis, matrimonij in lucem emisi. Nam dicto libro de impedimentis cap. 20. §. 1. pag. 251. colum. 1. expresse dixi: *Itaque sine catholicus nubat hæretico, vel Iudæo, vel Gen-*

Gentili, nisi iusta causa excuset, peccatum est. Et in eodem §. 1. pag. 256. colum. 2. in fine, hæc scripsi. *In his autem regionibus, in quibus Respublica hæreticis, & catholicis constat, sine peccato fiunt eiusmodi connubia ob communem conuictum, & societatem, & quia minor est periculi occasio, cum parentes nihil de religione curent, tolerante præcipuè Romano Pontifice.* Sed apertissimè §. 2. pag. 258. colum. 2. dixi. *Ex his fit coniugium fidelis cum infideli non esse intrinsecè malum, id est, absolutè, & in quauis circunstantia, quale est mendacium, & alia huiusmodi: sed esse ex his, quæ aliqua ablata, vel posita circũstantia honestare di possunt, qualia sunt occidere accedere ad fœminam, auferre ab alio bona. Ratio etenim naturalis dictat, non esse ineundum eiusmodi coniugium, quatenus dictat non esse faciendum, vel ob periculum subuersionis, vel ob alias causas, quibus cessantibus, vel alijs occurrentibus, quarum strictior obligatio sit, eius etiam obligatio cessabit. Itaque inspiratione diuina credendum est Esther nupsisse Assuero: & nunc dispensatione Pontificis eiusmodi connubia licite iniri possent iusta exigente causa, vt docuit Bellarm. lib. 1. de matrim. cap. 23. propos. 4.* Oscitanter ergo nostra legerunt, aut nimio nostra calumniandi, & obscurandi studio tenebantur, qui in vulgus sparserunt me ab eo discessisse, quod excuseram, cum non solùm nõ discessisse, sed potius euentum, quem prę manibus habuimus, inspexisse præsagus animus videretur, cum illa verba posui, *vel alijs causis emergentibus, quarum strictior obligatio sit.*

10 Atque hanc sententiã amplexi sunt Doctores communi sensu, quotquot de hac re disputarunt, qui in aliquibus euentibus licite ea matrimonia celebrari docuerunt, etiam sine conuersione coniugis hæretici, referam tantum recentiores. Sic Thomas Sanchez lib. 7. de matrimon. disput. 72. num. 5. Azor tomo 1. lib. 8. cap. 11. quæst. 5. Nauar. lib. 1. consilior. tit. de constitutionib. consil. 59. & 60. in vtraque editione, Reginald. to. 2. praxis lib. 31. num. 169. Filiutius tomo 1. summæ tract. 10. de sacram. matrim. p. 2. cap. 6. quæst. 2. Ægid. tom. 2. de sacramentis disp. 31. dub. 3. conc. 3. Bellar. lib. 2. de matrim. d. cap. 23. proposit. 4 Ioan. Gutier. de matrim. cap. 104. num. 7. Salmer. 1. Corinth. 6. disp. cit. §. *ad octauum dicendum.* Cornel. 1. Corin. 6. num. 258. Estius 1. Corinth. 7. num. 39. Serarius in opusculo de matrim. catholici cum hæretico num. 18. & in librum Esther cap. 2. partic. 1a 6. primæ partis, quæst. 2. & in libium Iudith. cap. 14. quæst. 4. Salianus Annalium tom. 3. anno 3047. num. 5. & tom. 4. anno 3346. num. 83. Pererius loquens de infidelibus Gen. cap. 24. disput. 3. Itaque vt vno verbo dicam, nullum legi ex his, qui scripta sua euulgarunt, qui diceret ita illicitum esse matrimonium catholici cum hæretico, vt in nullo casu contrahi posset sine peccato, etiam coniuge perseuerante infideli.

11 Confirmemus igitur sententiam istam, quam in praxi securam tot, tantorumque Doctorum auctoritas reddit, primum exemplis ex sacra Scriptura desumptis. Nã non pauci viri, fœminæque sanctissimæ in sacra Scriptura leguntur coniugium celebrasse cum infidelibus, quorum eadem ratio est, atque de hæreticis, vt dicebam supra ca. 2. quoad prohibitionem naturalem ortam ex periculo peruersionis, quæ tamen ob id non reprehenduntur. Neque credendum est eos cum peccato celebrasse, sed quia prohibitionis rationem cessare intellexerunt, aut in eo casu locum non habere. In primis Iacob duxit Liam, atque Rachelem Idolorum cultrices, quod ex textu sacro non obscure colligitur, cum Rachel Idola patris sui furtiua dicitur, & diserte affirmat Chrysost. in Genes. homil. 57. Genadius lib. 1. cap. 18. & lib. 7. cap. 42. Caiet. & Oleaster. Imò multo tempore post coniugium coluisse idola illud ostendit, quod Genes. cap. 35. dicitur Iacobum mundasse omnes domus suæ, & abiuisse idola, & sepeliuisse sub therebintho. Ea autem idola fuisse, quæ Rachel à patre furtiua fuerat, sentiunt Iosephus, Procopius, Abulensis, Lyranus, Tornelius, Martinus del Rio, vt refert Selianus tom. 1. Annalium, anno 2305. num. 14. Licet ipse minimè probet, illorum tamen Doctorũ auctoritas efficit, vt cum magna probabilitate hoc vtamur exemplo. Quare quod fratres Dinæ Sichem dixere impossibile esse iniri inter eos fœdera coniugalia, nisi ad Hebræorum religionem transirent, & illicitum, & nefas esse, non quidem ideò dixerunt, quia non posset inter eos ex iusta causa licere coniugium, etiam non abiecto cultu patrio: sed ob eam causam, quã non obscure indicat sacer scriptor, cum dicit, *loquuti sunt filij Iacob Sichem in dolo sæuientes ob stuprum sororis.* Itaque sacrilegi illi ritu circũcisionis abusi sunt, quô die tertio, quãdo maior solet esse dolor vulnerum, illos occiderent, & eo nomine reprehenduntur vt sacrilegi à Saliano loco proxime citato num. 10. Pererio Genes. 34. nu. 18. Sed de hoc filiorum Iacob facto postea

latius.

latius. De Iuda etiam Genes. 38. scribitur duxisse mulierem Chananæam. Iacob ipse filiam suam Dinam nuptui tradebat idolatræ principi Genes. 34. Sanctissima fœmina Iudith se se ornauit atque composuit, quò ad se alliceret Holophernem, vt illi nubens ea ratione Bethuliam ab obsidione, populum â nece imminenti liberaret. Sic sensit Serarius in Iudith, cap. 14. quæst. 4. *Iudith potuit sperare futurum, vt ab Holoperne vxor duceretur, vt supra dictum est, quæst. scilicet 2.* Et statim. *Quamuis verò sit connubio viduatus præstantior, eo tamen relicto, non solùm licet nuptias inire, sed forte hoc ipsum quandoque melius, si ob commune bonum, ob Dei & religionis honorem fieret. Ideòque magna cum laude potuisset Iudith vidua Holopherni isto quidem scopo, & proposito nubere.* Salianus etiam tom. 4. anno 3346. eandem rationem probans inquit. *Rem ipsam humana prudentia metiens, sperare potuit se Holophernem ad voluntatem, & spem coniugij illecturam.* Id ipsum indicauerat antea Lyranus Iudith nono in illa verba, *& capies eum*, vbi inquit. *Ideò per aliam viam dici potest, quod non fuit intentio Iudith Holophernem adducere ad aliquod peccatum, sed intendebat se apparere gratiosam coram ipso, quod vellet eam vxorem habere, quod non erat illicitum Holopherni, quamuis Iudith nullo modo vellet sibi in coniugium copulare.* Ergo neque erat illicitum Iudith, aliàs etiam esset illicitum Holopherni. Indicasse autem antea videtur Augustinus, siue quis alius sit auctor serm. 229. de tempore, qui est in Appendice 67. *Luxu regifico nuptiarum pompa nullo nubente construitur, cunctis ebrietate soluuntur.* Esther quoque nupsit Assuero Regi infideli, & in sua infidelitate manenti, quod quidem matrimonium non fuit ab illa contractum ex ignorantia, sed cõsulente, & probante Mardochæo viro sanctissimo, de cuius faciebat cuncta consilio.

12 Supersunt etiam post Christum plura exempla sanctissimorum virorum, & fœminarum, cum infidelibus in infidelitate manentibus coniugium ineuntium. Cæcilia enim, atque Lucia sanctissimæ fœminæ viris paganis voluntate parentum nupsere, qui tamen ad veram religionem earum precibus postea sunt conuersi. Saturus Arrianam fœminam duxit vxorem, vt testis est Victor Vticensis lib. 1. histor. Monica Patritio Ethnico nupsit, vt testis Augustinus lib. 9. Confes. cap. 9. Crotildis sanctitate conspicua fœmina nupsit Ethnico Clodoueo, vt Gregorius Turonensis scribit lib. 2. cap. 28. cuius matrimonij vtilitatem narrat cap. 31. Ingundem catholicam fœminam Hermenegildo, cum Arrianam perfidiam sectabatur, & Ringundem Recaredo etiam Arriano nupsisse scribit Mariana lib. 5. de rebus Hispaniæ ca. 12. Sigebertus, & Chilpericus Francorum Reges duas sorores Brunichildem, & Galsuintham Athanagildi Hispaniarum Regis Arriani filias, Arrianas & ipsas, vxores concupiere, & duxere, quas postea suasu maritorum ad fidem conuersas refert Turonensis, lib. 4. de historia Francorum, cap. 27. & 28. Nam ante nuptias præcessisse pactum de cõuersione ad fidem, vt videtur indicare Serarius lib. de matrim. catholici cum hæretico, diuinare est, & sine fundamento loqui, non enim est vnde constet. Sed audi quid scribat Beda lib. 1. Historiæ gentis Anglorum, cap. 25. cum narrat ingressum Augustini à Gregorio in Angliam destinati, quæ refert Baronius tomo 8. Annalium anno Christi 597. num. 21. *Qui hoc audiens, manere illos, scilicet Augustinum, & socios in ea, quam adierant, insula, & necessaria ministrari, donec videret quid eis faceret, iussit. Nam & antea fama ad eum Christianæ religionis peruenerat, vt pote qui & vxorem habebat Christianam de gente Francorum Regia, nomine Bertham, quam ea conditione à parentibus acceperat, vt ritum fidei ac religionis suæ cum Episcopo, quem ei adiutorem fidei derat, inuiolatum seruare licentiam haberet.* Audi etiam eundem Bedam lib. 2. historiæ gentis Anglorum, cap. 9. cum Anglorum Aquilonarium ad fidem conuersionem describit. *Huic*, inquit, *genti occasio fuit percipiendæ fidei quod præfatus Rex eius Eduinus cognatione iunctus est Regibus Cantuariorum, accepta in coniugem Adelberga filia Edelberthi Regis, quæ alio nomine Tate vocabatur. Huius consortium, cum primo ipse missis procis à fratre eius Eadbaldo, qui tunc Regno Cantuariorum præerat, peteret, responsum est non esse licitum Christianam Virginem Pagano in coniugem dari, ne fides & sacramenta cœlestis Regis profanarentur consortio Regis, qui veri Dei cultus esset prorsus ignarus. Quæ cum Eduino verba nuntij referrent, promisit se nihil omnibus modis contrarium Christianæ fidei, quam virgo colebat, esse facturum, quin potius permissurum, vt fidem, cultumque suæ religionis cum omnibus, qui secum venissent, viris siue fœminis, sacerdotibus, seu ministris more Christiano seruaret. Neque abnegauit se etiam eandem subiturum esse religionem, si tamen examinata à prudentibus sanctior, ac Deo dignior posset inueniri. Itaque promittitur virgo, atque Eduino mittitur, & iuxta quod dispositum fuerat, ordinatur Episcopus vir Deo dilectus Pauli-*

nus.

nus. Hæc Beda, apud quem etiam extant epistolæ Bonifacij Pontificis ad Eduinum Regem, & Adeluergam Reginam.

13 Secundò loco eam sententiam probare possumus nonnullis testimonijs Patrũ. Nam in primis Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum hæc matrimonia Catholicorũ cum infidelibus suo tẽpore frequentia fuisse scribit in hæc verba. *At nunc pleræque contemnentes Apostoli iussionem iunguntur Gentilibus, & templa Christi prostituunt idolis, neque intelligunt eius corporis partem esse, cuius & costæ sunt.* Reprehendit quidem Hieronymus in sequentibus, mirum tamen ea frequentia coniugia, si peccaminosa fuissent, toleraſſe, aut dissimulasse Ecclesiarum pastores, sed sustinuere, quia nequaquam eò tempore, & in illis circunstantijs illicita credebant, vt ex subijciendis constabit. Deinde Augustinus lib de fid. & oper. cap. 13. suo tempore eiusmodi matrimonia in Africa frequentissima fuisse dicit, & ab Episcopis tolerata. *Sed quoniam*, inquit, *malorum Christianorum mores, qui fuerunt antea etiam pessimi, habuisse non videntur hoc malum, vt alienas vxores ducerent viri, aut alienis viris fœminæ nuberent, inde fortasse apud quasdam Ecclesias negligentia ista surrepsit, vt in catechismis Competentium nec quærerentur, neque repercuterentur hæc vitia. Atque inde factum est, vt inciperent & defendi, quæ tamen in baptizatis nata sunt adhuc, adeò nos negligendo non defensa faciamus.* Et statim. *Hinc autem existimandum est, non ea primum apparuisse in moribus, quamuis malorum Christianorum, quoniam Beatus Cyprianus in epistola de lapsis cum deplorando, & arguendo multa cõmemoraret, quibus merito dicit indignationem Dei fuisse commotam, vt intolerabili persecutione Ecclesiam suam sineret flagellari, hæc ibi omnino non nominat, cum etiam illud non taceat, & ad eosdem mores malos pertinere confirmet, iungere cum infidelibus vincula matrimonij, nihil aliud esse asserens, quàm prostituere gentibus membra Christi, quæ nostris tẽporibus iam non putantur esse peccata. Quoniam reuera in Nouo testamento nihil inde præceptum est, & idcò aut licere creditum est, aut velut dubium derelictum est.* Hæc Augustinus. Quid clarius? Licere Augustini tempore ea coniugia fidelium cum infidelibus planè affirmat, ita quidem quia ob frequentiam, & pericula, & scandala cessabant, sicut & nunc in his prouincijs, in quibus Catholici cum Hæreticis vnam Rempublicam constituunt, cessare dicunt multi, quos supra retulimus.

14 Denique sunt pro hac sententia Patres Africani. Nam cum generaliter in Africa prohiberi non possent ista coniugia propter multitudinem Infidelium, Gentilium, & Hæreticorũ, ne matrimonia cessarent, prohibita ea coniugia fuerunt saltem filijs Episcoporum, & Clericorum. Sic enim in Concilio Carthaginensi III. can. 12. statutum est. *Item placuit, vt filij, vel filiæ Episcoporum, vel quorumlibet Clericorum Gentilibus, vel hæreticis, vel schismaticis matrimonio non iungantur.* Quibus etiam consonãt Patres Cõcilij Chalcedonensis Act. 15. canone 14. in prima parte Canonis, in qua sic scriptum est. *Quoniam in quibusdam prouincijs cõcessum est Lectoribus, Psaltis, vxores ducere, statuit sancta Synodus, non licere cuiquam ex his accipere sectæ alterius vxorem. Qui vero ex huiusmodi coniugijs iam filios susceperint, si quidem præuenti sunt, vt ex se geniti apud hæreticos baptizarentur, offerre eos Ecclesiæ Catholicæ communioni conuenit. Non baptizatos autem non posse vlterius apud hæreticos baptizari.* Hæc ibi. Ergo Concilij Carthaginensis lege alijs hominibus & fœminis præter filios Episcoporum, & Clericorum, licebat iure matrimonia cum infidelibus, hæreticis, & paganis: & Concilij Chalcedonensis lege alij, præter cleto deputatos, matrimonia cum hæreticis inire poterant, quãvis in secunda parte canonis fœminis, vt fragilioribus, prohibeantur ista matrimonia. Quibus satis apertè datur intelligi alios homines, præter cleto deputatos, posse alterius sectæ fœminas matrimonio sibi copulare. Nam in materia de legibus est ea doctrina communiter recepta, quæ docet extensionem fieri legis, vltra quam verba sonant, non solùm ex alia parte legis, aut ex consequentibus, sed etiam à contrarijs, vt cum lex nominatim quid in aliqua re statuit, intelligatur in re contraria contrarium velle, etsi non expresserit. Hinc enim in *l. cum lex. D. de ll.* definitum est, *cum lex in præteritum quid indulget, in futurum vetat.* Quam doctrinam eleganter explicat Donellus lib. 1. commẽt. cap. 14. & eius enucleator Osualdus ibidem, litera D. Cum ergo lex Carthaginensis Cõcilij tantum de filijs clericorum disponat, & constitutio Chalcedonensis tantum de clero deputatis, contrarium in his, qui vel filij clericorum non sunt, vel non deputati clero, disposuisse censetur. Et cum eadem constitutio Chalcedonensis de filiabus tantũm disponat, ne nubant hæretico, vel Iudæo, vel Pagano, aliter in viris dispositum existimãdum est ex eadem consideratione.

15 Ex his, quæ hactenus dicta sunt, facile colli-

colligitur matrimonium catholici cum infideli, hæretico, vel pagano nõ esse ita intrinsecè malum, vt nulla circũstantia reddi possit licitum: sed aliquibus additis, vel mutatis circunstantijs licere aliquando posse, & sine peccato contrahi. Id enim persuadent tot ptissimorum hominum exempla, tùm in antiqua, tùm in noua lege, & sanctorum Patrũ, & Conciliorum testimonia.

Satisfit argumentis contra veram sententiam.

CAPVT IIII.

1 SVPEREST satisfaciamus his, quæ capite præcedenti proposita sunt. Et quod attinet ad ea testimonia, quæ primo loco adduximus ex cap. 24. 26. 27. & 28. Geneſis, non est difficile legitimã eorum solutionẽ reddere. Ambros. li. 1. in Luc. cap. 9. ideò existimauit ea coniugia odio habita, quod Chananææ fœminæ Idolorũ cultui deditæ essent, eandemque rationẽ Chryſost. in Gen. ho. 48. in initio, & alij DD. tradiderũt. At huic rationi obstat, quòd illi cognati Isaac, & Abraham, quorum matrimonia appetiuere, licet aliquam veri Dei cognitionem haberent, non tamen syncerã, & puram, sed admixtam superstitione earum gẽtiũ, quibuscum viuebant, vt rectè docet Pererius disp. 3. in caput 24. Gen. & Thare aliquando Idola coluisse, ostendit etiam Salianus tom. 1. Annalium, anno 2113. nu. 5. cum Torniello, sicque Conciliat testimonia ex Iosue 24. & Iudith. cap. 5.

2 Deinde Theodoretus credit ideò Abraham eorum Chananæorum fugisse coniugia quia Abrahæ lege Dei interdicta fuerant matrimonia cum infidelibus. At nullibi eius legis diuinæ vlla mentio est, aut vllum vestigium extat. Quod si legis nomine peculiarẽ, & occultam reuelationem intelligat, nullo firmo fundamento asseritur. Et quidem eam legem diuinam eo tẽpore nondum extitisse satis probat, quòd Iudas filius Iacob, vt dictum est, Chananæam duxit vxorem Gene. 38. Et ex ipsa Moysis narratione licet intelligere, inquit Pererius, cæteros filios Iacob, postquam is regressus est ex Mesopotamia in terram Chanaan, ex ea gente vxores duxisse etiam, cum multi essent, & fortasse in posteris Laban nõ tot erant eo tempore nubiles fœminæ, quas possent in matrimonium assumere. Qua etiam cõsideratione prior illa D. Ambrosij ratio refelli videtur.

3 Igitur dicamus respuisse Abraham, Isaac, & Rebeccam matrimonium cum filiabus Heth, non quidem, quia Idolorũ cultrices essent, sed quia deprauatis moribus suis offendissent eorum animos, & quia nõ erant ex sua ipsorum gente, cuius gentis connubia concupiscebant, & ideò in Mesopotamia inter consanguineos coniugia quæsierunt, licet etiam illi in Mesopotamia Idolorum cultu infecti essent. Salianus tom. 1. Annalium, anno mundi 2178. nu. 7. hæc habet: *Adduntur & aliæ rationes, cur Abraham à Chananæorum affinitatibus abhorreret, grauis, scilicet, idolatriæ, & peruersi mores. Sed id malũ omnium non fuit. Melchisedech enim, & Abimelech veri Dei cultores erant, vt ante dictũ est, & multos habebãt subditos nec indignos principibus suis. Abhorruerit potius à gẽte, quæ antiquo Noe maledicto teneretur, & post aliqua tempora funditus esset exterminanda. Ideòque nõ oportebat cum ea gente semen Abrahæ commiscere, atque confundi, ne cum ea simul interiret. Idẽ etiã obseruauit Iacob, vt apparet ex Gen. 27. Sed aliqui filiorũ eius laxiores in ea re fuerunt, vt constat ex Gene. 38.* Idem Salian. anno 2238. nu. 4. cum explicat nuptias Esau cũ duabus fœminis Chananæis, quas ex sententia Iosephi, atq; Chrysostomi duxit inconsulto patre, inquit: *Quæ fidem aliquã accipiũt ex eo quòd ait Moyses, Ambas offendisse animum Isaac, & Rebeccæ. Idque siue propter improbatã cognationem cum alienigenis, siue propter morum improbitatẽ, siue propter religionis dissimilitudinem, ex qua Esau in periculum idolatriæ trahebatur, vt notauit Abul. Caie. Targum Onkelos explicans eam offensionem ait: Et fuerunt rebelles, atque immorigeri verbo Isaaci, & Rebeccæ. Septuaginta: Et erant contendẽtes, siue contentiosæ aduersus Isaac, & Rebeccã, Targũ Hierosolymitanum. Et fuerunt rebelles, & inflato animo, colentes idola, nec recipientes doctrinã, neque ab Isaac, neque à Rebecca. Fortasse etiã offendebant, quia duæ erant, cum Isaac vnica semper contentus vixisset, & quia vt fit, inuicem rixabãtur, & Isaac natura mitissimus, diligebat pacem. Qua improbitate eorum benevsus est Dominus, auertens vtriusque animum à contrahẽdo nuptias Iacobo, in quo spes summa benedicti seminis, cũ istius modi mulieribus. Et simul Isaaci virtutẽ, & patientiã molestijs domesticis exercẽs, & meritorum coronas amplificans.* Hæc Salianus. Et quidem eam rationem desumptam ex eo, quòd maledictione Noe gens illa teneretur, attigerat multò antea Ambro. li. 1. de Abrahã c. 9. eãdemq; probauit etiam Perer. Gen. 24. disput. 3. & Istella ibidem, Thomas etiam Anglicus aliam rationem assignat, scilicet vt eare magis offenderet se in ea terra esse adue-

aduenas, & peregrinos, donec Deus posteris Abrahæ promissionē de eius terræ possessione tradenda impleret. Aliam denique nobis rationē offert Leonardus Marius Genes. 24. *Noluit Chananæas Abraham, quòd per matrimonium promissas sibi benedictiones vellet etiam ad patrueles, & cognatos derivare, eos sic liberaturus de Idolatria, in qua etiam ipsi erant, vt & Augustinus docet, & ex Idolis Rachelis satis constat, etsi simul Deum agnoscerent verum.* Hæc Marius.

4 Ex his, quæ hactenus dicta sunt, facile etiam intelliges, quid sit illud, quod etiam primo loco affertur, ex Gen. 34. Plane enim sacra Scriptura testatur filios Iacob loquutos esse in dolo Sichem, & Hemor, non quod illis non licerent ea coniugia, sed vt circuncisos tertio die occiderent, *fœuientes*, inquam, *ob stuprum sororis*. Impugnat ergo rectè Pererius Caietanū qui asseruit cū præceptū datū Abrahę de circuncisione fuit, præceptum etiam, ne ea connubia miscerent cum incircūcisis. Nullum enim tale præceptū eo tempore datum, & Abraham, & eius filij duo, & nepotes vxores de incircuncisō populo sibi copularunt. Non tamen displicet, quòd Perer. Gen. 34. in ea verba notat, aliud esse matrimonium inire cum paganis, & ex eis filiam sibi copulare, aut illis filiam nuptui tradere, idq; nulla lege tunc prohibitum. Aliud verò vnà cum coniugio simul cū Idolorum cultoribus habitare, & cum illis vnum populum constituere, quod Sichem, & Hemor vnà cum matrimonio postulabant. Id autē tunc fuisse illi citū Hebræis, non ex aliquo diuino præcepto expresse illis tradito, sed traditione Maiorum, quæ vel ex inspiratione diuina, vel reuelatione aliqua duxerit originem. Etenim coadunatio hominum in vnum populum requirit vnitatem legis, & religionis, quæ si diuersæ fuerint, male coalescet populus in vnum corpus pacifice, & quiete viuēs. In quā etiam sententiam inclinat Salianus tom. 1. Annalium, anno mundi 2305. num. 6.

Satisfit quatuor obiectionibus sequentibus.

§. I.

5 DEVENIAMVS iam ad ea, quæ secundo loco obiecta sunt, ex lege à Deo lata Exo. 34. & Deut. 7. qua prohibita sunt cōiugia cum alienigenis Chananæis, & septem illis gentibus, quæ in Palę stina habitabant. Circa quam inquirendū in primis est, ad quas gentes ea prohibitio extenderetur. Nonnulli enim tantum de septē illis gentibus accipiunt, & cum illis tantum misceri connubia prohibitū, non vero cum aliarum gentium fœminis, etiamsi idola colerent. Et videtur in hanc sententiā rationē inclinare S. Tho. 1. 2. q. 105. a. 4. ad 6. vbi de illis septem gentibus maximè intelligendum illud præceptum dicit, quod etiam docuit Iſtella eo loco Exo. 34. Idem expresse docet Caiet. quem refert, & sequitur Bellar. lib. 1. de matri. c. 23. circa finem secundæ propositionis, nec reijcit Serar. Esther 2. in sexta particula 1. p. q. 2. in princ. sequitur Ægid. disp. 31. dub. 3. n. 42. Thom. Sanch. lib. 7 de matri. disp 71. n. 7. Philiucius to. 1. sum. tract. 10. de mat. p. 1. c. 6. q. 1. insinuat Azor to. 1. lib. 6. c. 12. in princ. Addunt tamen DD. isti communi sensu eam prohibitionem limitandā esse, vt tantum eiusmodi matrimoniū cum Chananæis fœminis interdictum intelligatur, dū in suo errore perſisterent Si enim patrio errore relicto in Iudaicam religionē transirent non prohiberi coniugiū: cessaret enim tunc periculum peruersionis.

6 Alij sunt, qui existiment cum paganis quibusuis, si ad fidem conuerterentur, contrahere matrimonia licuisse Iudæis, exceptis fœminis Chananæis, quæ etiamsi ad veram religionem transirent, à Iudæorum connubijs excluſæ erant. Sic Salian. loco infra citādo. Et videtur fauere Lorinus Numerorum 36. cap. 7. dum legem Deuteronomij de captiua vxore ducenda, de quibusuis alienigenis intelligit exceptis Chananæis.

7 Cæterum ego verius existimo, quod dixi etiam 1. p. var. disp. q. 4. expositiua c 8. eā legem Exod. & Deuter. quamvis de Chananæis, & illius regionis fœminis expresse loquatur, extendendam tamen ad omnes fœminas infideles. Quam sententiam docuit etiā postea Pineda de rebus Salomonis lib. 7. c. 4. n. 6. sequitur Salian. to. 3. Annal. anno 3048. n. 5. Gasp. Sanch. lib. 3. Reg. c. 3. Serar. q. cit. Quæ sententia in primis probari potest ex Numer. 36. vbi iubentur viri ducere vxores de suis familijs, & Tribubus. *Omnes*, inquit, *viri ducant vxores de tribu & cognatione sua, & cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipiēt.* Positiuum enim hoc præceptū inducit negatiuum non ducendi alias vxores, neque nubendi alijs viris. Id enim commune est in legibus, vt à contrarijs etiam fiat extensio, quā vis verba non exprimant, vt ex Donel. lib. 1. comment. cap. 14. docui capite præcedenti. Hac prima probatione vtuntur Pineda, & Gaspar Sanchez locis citatis. Difficilis tamē probatio est, quia magna est difficultas de

eius

eius legis intelligentia, & probabilis opinio est, quæ docet non prohiberi ibi vniuersæ ne fœmina vnius tribus nubat viro alterius tribus, neque viris ne ducant vxores alterius, sed tantum principibus hæreditates capientibus, ne hæreditas vnius tribus, vel familiæ ad aliam deuoluatur. Atq; hanc esse plurimorum eius legis intelligentiam docet Lorinus in dicto cap. num. 7. Idque manifestum esse dicunt, primo quia sancita est lex illa in causam filiarum Salphaad, ad quas cũ fratres non haberent, spectabat hæreditas paterna. Secundò, quia aperte hoc ipsum significant verba illa, quæ in Hebræo Codice habentur. Omnis filia possidens hæreditatẽ. Quod si aliquando vir aliquis Israelita ducere vellet vxorem tribus alienæ indotatam nullo præcepto legis prohibebatur. Quare Iudicũ 21. cum Beniaminitæ virgines quascunque sibi oblatas etiam indotatas libenter acceptari essent in vxores, reliquę vndecim tribus non prætexant legem Dei, quominus filias suas illis nuptui darent, sed iuramentũ quo prohibebãtur. Sed aliis legem istam de matrimonio nisi inter homines eiusdem tribus non contrahendo, cuius ferendæ ratio latissime patet, intra tam angustos terminos concludi nulla ratione probatur. Sic Abulensis, & omnino plures alij, quos refert Lorinus loco citato, ratio est. Nam quæ res Deũ impulit, vt mulierem ad quam hæreditas paterna iam peruenerat, nollet nisi gentili suo nubere, ne scilicet agri vndecim tribuum permiscerentur, eadem cogebat vt ne illis licere vellet ad quas, si minus peruenerat, at aliquando peruenire posset hæreditas. At nulli poterat propter varios fortunæ casus, & aut fratrum in orbitate discessum, aut ne potum funera. Cõsentaneum ergo est, eiusmodi inter diuersas familias connubia omnibus ex æquo interdicta fuisse. Itaque nõ sine causa 70. Interpretes hoc loco scripsere, *proximæ & propinquæ hæreditati*, vt intelligeretur non tantum eas fœminas, quæ paternam hæreditatem adiuissent, sed illas etiã quibus ius esset adeundi, hoc est, sine vlla exceptione vniuersas hac lege cõcludi. Quod autem in Hebræo Codice filia possidens hæreditatem legitur idem est, ac si filia hæres legeretur, quemadmodũ explicat Chaldaicus Paraphrastes, & omnis inquit filia hæres possessionis. Id vero vt sit hæres in vtraq; editione cum additur, duo genera fœminarũ intelligi nolunt, atq; excludunt vnum illarũ, quę ex adulterio susceptæ essent. Alterũ earum, quæ pertinerent ad familiam Leui, cui nulla prædia attributa erant. His enim fœminarum generibus alteri, quoniã à iure hæreditatis consequẽdę excludebãtur. Alteri, quoniam cuius rei hæres esset, non habebat, libera potestas erat cui vellent nubendi. Ergo viri illi tribus Beniamin, qui soli ex prælio remanserant, cæteris omnibus cõtribulibus ad vnum cæsis, libenter ad stirpem generis cõseruandã matrimonia contraxissent cum fœminis Iudæis, vel spurijs, vel è Leuitica tribu ortis, sed eis ne nuberẽt impedimento erat, non quidem legis vllius auctoritas, sed ius iurandi, quo reliquæ se tribus astrinxerãt cuiusq; causam obtendebant fides, atq; religio. Alia quibus hanc Patrũ sententiam impugnat Lorinus, vidit & diluit nostræ gentis & Bartholomæi Collegij apud Salmãtinos, & à Salmantino erecti decus Episcopus Abulens. in c. 36. Num. q. 6. & 8. At quãvis hæc secunda sententia mihi videatur verior, adhuc non probatur, quod Pineda cõtendit, vt plane colligitur ex his, quæ dicit Abul. d. q. 8. si quidem cum alienigenis ad fidem conuersis matrimonia copulare non illicitũ, quę tamẽ de sua tribu non erant. Illa ergo, *viri accipiãt vxores de tribu sua, ne hæreditas transiret de tribu in tribum*, accipe negatiue. *Non accipiant de aliena tribu*, quo non prohibebantur matrimonia iungere cum alienigenis fœminis, si quidem de aliena tribu non erant, & aliàs earum nulla in terra Chanaan possessio erat, quod idem de viris alienigenis assumptis ad Hebræarum maritos, dictum accipe. Sed de hoc alibi latius.

8 Melius ergo probatur legem illam Exodi, & Deuteron. extendi etiam ad omnes fœminas infideles ex 3. Reg. 11. vbi de Salomonis incontinentia dicitur: *Adamauit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, Idumæas, & Sidonias, & Hetheas.* Quibus verbis non tantũ Chananææ, sed etiam Sidoniæ, Moabitides, Ægyptiæque comprehenduntur. Iosephus quidem sic intellexit. Nam lib. 8. cap. 2. ad finem inquit: *Multas externæ originis duxit, Sidonias, Tyrias, Ammonitidas, Idumæas, atq; ita contemptis semel Moysis institutis, quæ non nisi gentis eiusdem fœminas permittebãt, illarũ Deos colere cœpit.* Item lib. 1. Esdræ cap. 9. inter alias gentes, quarum connubia interdicũtur, numerantur Ægyptiæ. Igitur signum est sic eam legem intellectam, vt ad omnes infideles fœminas extenderetur. Neq; est alicuius momenti, quod Caietanus dicit, scilicet loqui Esdram de fœminis Ægyptijs, quæ in terra Chanaan commorabantur. Quid enim re

fert inter Chananæas commorari, si revera diuersæ gentis erant, & ex ea gente, cuius cõ nubia interdicta non erant. Fauet etiam ratio. Quia insuetũ non est ex identitate rationis legis eam extendi, etiam ad id, quod verbis legis expressum non est, & docet eleganter Donellus lib. 1. comment. cap. 14. & probat textus. *Institutis, de legitima patronorũ tutela, & §. sciendum autem est, institutis, de satisdatione tutorum vel curatorum.* Cum ergo ratio prohibitionis matrimonij cum fœminis Chananæis esset periculũ peruersionis, quod ex societate idola colentium imminebat, & idem esset periculũ, si cum alijs idolatris cõnubia miscerentur, plane sequitur eandem legis dispositionẽ esse debere. Quod si quis existimet Deuteronomij 23. arceri Moabitidas, & Ammonitas expresse à Iudæorum cõiugijs, quis sit eius constitutionis sensus explicui 1. p. variarum, loco citato.

9 Addo rursus, si idolorum cultrices suã superstitionem desererent, & Iudaicam religionem amplecterentur, licuisse Iudæis illas sibi matrimonio copulare, siue illę essent ex Chananæis, siue ex alia gente. In quo nõ placet Saliani sententia, nostram autem docet Glossa ordinaria 3. Regum 3. cuius hæc sunt verba: *Lex prohibet cognationem cũ genti limuliere, quãdiu manet in paganismo, nõ potest duci in vxorem: Alioquin proselita facta duci potest. Salomon autem erudiri fecit filiam Pharaonis in lege Domini: licet temporum successu ab ea recesserit, & Regem quoque ad idolorum cultũ inclinauerit.* Hæc Glossa. Idem docent Lyra ibidem, Masius in Iosue locis infra citandis, Pineda loco supra citato, Serarius in Iosue, cap. 6. quæst. 50. & cap. 9. q. 8. & lib. 2. Machabæorum, ca. 2. quæst. 23. Gaspar Sanchez dict. lib. 3. Regum cap. 3. num. 4. Et quidem quòd ex alijs gentibus liceret, si ad religionẽ transirent, satis ostendit Ruth Moabitidis cũ Booz matrimonium. Trãsiuit enim illa ad Iudæorum religionem, cum dixerit Socrui, *Populus tuus, populus meus, Deus tuus, Deus meus.* Dauid 2. Regum 3. duxit Thalmei Regis Gassur Ethnici hominis filiã matrem Absalon, vt pote ad veram religionem conuersam. Nam de tam pio Rege secus opinari nefas est, vt recte cum Abulensi docet Gaspar Sanchez 2. Regum cap. 3. num. 3. Similiter etiam lex illa, quæ extat Deuteronomij 26. de modo captiuæ fœminæ ducendæ in vxorem, plane indicat ex alienigenis, si ad fidem conuerterentur, vxorem assumi posse. Sed etiam ex Chananæis, si sacram religionem amplecterentur, idem dicendum esse sentiũt præter Doctores citatos Hebræi, quos refert Masius Iosue 6. in illa verba, *itaque Rahab meretricem.* Et conuinci potest in primis ex eo, quòd Salmon ex tribu Iuda duxit vxorẽ Rahab meretricem Chananæam, quæ Exploratores abscondit. Transijsse autem illam ad veram religionem probat Serarius Iosue 6. q. 47. cum Masio, & Gaspar Sanchez dict. lib. 3. Regum cap. 3. num. 5. cum Abulensi Iosue 6. quæst. 56. Colligiturque ex Paulo ad Hebræos 11. ibi: *Fide Rahab meretrix non periit cũ incredulis,* & ex Iacobo cap. 2. ibi: *Nonne Rahab meretrix ex operibus iustificata est?* Deinde etiam ostendi potest ex dicta lege Deuteronomij 21. cum de captiua vxore ducenda sermo est, quæ lex generalis est, & tam de Chananæis fœminis captiuis, quàm de quibusuis alijs intelligẽda. Nec vero dici potest illam restringendam ad alienigenas, exceptis Chananæis, vt existimabat Lorinus loco supra citato. Nam quamvis Deuteronomij 20. præceperit Deus, vt cum bello oppugnarẽt vrbes, quæ procul erant, & extra Chananæorũ fines, quoduis masculini generis interficerẽt exceptis fœminis & infantibus. At in vrbibus Chananæorum delerent quosuis, tam masculos, quàm fœminas, quàm infantes. Id tamen intelligendum quidẽ, nisi pacem amplecterentur, & ad veram religionem transirent. Quare ea clausula, de his qui pacem acceptarent, omnium quæ postea in eo capite dicuntur, limitatio est. Atque hac ratione legẽ intellectã cõstat ex pacto cũ Gabaonitis inito. Sed audiamus Masiũ Iosue 6. ad verba citata: *Verum enim vero moueri magna ratione quæstio potest hoc loco, quo modo licuerit Israelitis mulierem hanc Chananæam cũ suis conseruare aduersus apertissima & explicatissima Dei iussa & quidem sæpe inculcata, quibus ille sanciuerat legem, ne cum Chananæis aut fœdus inirent, aut vitæ eorum parcerent, sed internecione omnes delerent.* Respondet Masius. *Hoc solum nunc dicam meo iudicio legem illam hac æquitate moderandam, interpretandamque esse, vt ad eos, qui pacem petant, suasque superstitiones cum vera religione mutare parati sint, non pertineat. In hanc enim opinionem inducor cum ipsius sacræ historiæ exemplis, rebusque gestis, tum illis etiã verbis, quæ cap. 11. legimus: Non erat vrbs, quæ pacem faceret cum filijs Israel, præter Hebæos incolas Gabaonis, & insuper ipsa legis ratio, quæ à Deo est allata, hanc dico, ne Chananæorum superstitionibus inficeretur populus Israeliticus. Neque enim contagio ab illis metuenda est, qui sani facti sunt.* Hæc Masius, quæ latius confirmat postea cap. 9. ad illa verba: *Et non percusserunt*

ipsos

ipsos Israelitæ. Gabaonitæ autem & pacem postularunt, & ad veri Dei religionem transierunt, ideò rectè cum illis fœdus percussum est. Vtrunque docet late Serarius Iosue 9. quæst. 7. & 8. quem vide.

10 Ex his ergo, quæ à nobis disputata sunt, pro instituti occasione satis, pro rerum varietate breuiter, infero primo duo precepta esse in ea prohibitione legali. Vnum naturale, ratione enim periculi peruersionis natura ipsa dictat nō ineundum eiusmodi cōiugium. Alterum iudiciale, & positiuum diuinum, ratione cuius iam post eam legem nunquam licuit in Hebræorum populo alterius sectæ fœminam ducere, etiamsi periculum peruersionis inspectis circūstantijs cessaret, dummodo fœmina ad Iudæorum religionē non transiret. Sicut & inter nos, quāvis cesset periculum peruersionis in contractu matrimoniali cum hæretico, adhuc, vbi ius Pontificiū viget, quo ea matrimonia prohibentur, non licent sine Pontificia dispēsatione, vt infra explicabo latius. Quamvis enim cessante periculo lex naturalis cesset: at non cessat lex positiua inter nos, neq; apud eum populum legis diuinæ obligatio cessabat. Imo crediderim eius populi Hebræorū inspecta natura, ingenio, & conditionibus, nisi fœmina ad veri Dei cultum transiret, periculum contagij minimè cessauisse. Tanta erat eius populi in idolatriam inclinatio atque propensio.

11 Ex quo rursus colligo, quòd Deus cum eam legem statuit, certissimè Israelitarū casum prædixerit, si cum infidelibus fœminis connubia miscerent, prædictionem tantum fuisse eius, quod in eo populo euēturū Deus pro sua infinita scientia cognoscebat, nō vero illis verbis significasse certā & infallibilē connexionem periculi cum eiusmodi coniugio. Quis hoc non videt? Fallūtur me iudice, nisi ego fallor, qui his testimonijs vtuntur, vel potius abutuntur. vt probēt esse inseparabile periculum peruersionis cum istis matrimonijs. Nam si illis verbis, *certissime enim auertent corda vestra*, significasset Deus insepa rabile periculū, cohærensq; infallibiliter cū istis cōiugijs, sequeretur in primis esse defide tale periculū cum eo matrimonio insepa rabiliter cōiungendū. Item de fide etiā esset istud matrimoniū cum infideli in sua infidelitate manenti nunquam licere, nec licuisse. Item de fide esset quotquot ea coniugia cum infidelibus in sua infidelitate persistentibus cōtraxerunt, vel deinceps cōtraxerint, & lapsos, & lapsuros esse. Quæ omnia sunt contra communem DD. omniū sensum, & sanctissimorum hominum exēplis ex sacra, & humana historia supra adductis refelluntur. Quod ergo dictum à Deo est, *certissime enim auertēt corda vestra, vt sequamini Deos earum*, non tātum fuit indicatio periculi, sed etiam euentus futuri prædictio in eo populo ad idolorū cultum valde propenso.

12 Deniq; infero ex prędictis testimonijs tantum colligi periculū quidem peruersionis esse in eiusmodi coniugijs, & ob id fieri iure naturali illicita: non tamen colligitur istud periculū inseparabile esse, aut infallibiliter cōiungi. Quare si ob aliquas peculiares circunstantias separetur periculum, vt separari re ipsa posse ostendit ratio, & exempla superius adducta, cessabit etiam ea naturalis prohibitio, & matrimonia rectè contrahentur, quod modo contendimus.

13 Atque in hunc sensum accipiēda sunt, quæ tertio, & quarto loco adducūtur ex Paulo & Patribus, tantum enim indicant verosimile periculū, quod in istis coniugijs interuenire solet, & ideò condemnant, & vt illicita reprobant. Sunt enim frequēter plena periculis, vt Tertullianus, & Ambrosius prosequuntur, & nos cap. 2. late exposuimus. Nō tamen conuincunr ea Pauli, & Patrum testimonia esse eiusmodi periculum inseparabile, & ideô in nullo casu licitè cōtrahi, quod probandum erat. Separari enim non semel hoc periculum, etiamsi infidelis non cōuertatur ad fidem, conuincunt omnia, quæ cap. 3. proposuimus.

Satisfit quintæ, & sextæ obiectioni.

§. II.

14 AT vt satisfaciamus his, quæ quinto loco obijciuntur, desumpta ex varijs coniugiorum exemplis catholici cum hæretico, aut infideli, quæ infœlices exitus habuere, tria præ oculis habenda sunt. Primum est, non semper ex euentibus iudicandum esse, an aliquid prudenter constitutum sit, vel secus. *Careat successibus opto, quisquis ab euentu facta notanda putat.* Multa quidem prudentia hominum rectè decernit, quæ ex varijs circunstantijs, quæ superueniunt, & humana prudentiā præuidere nequit, in contrarium finem vertuntur. Id quod multis antiquis, & quotidianis

dianis exemplis ostendi potest, & experimento comprobari. Duo tamen proponam quæ multorum vice haberi possunt. Primum in hac ipsa coniugiorum materia. Quis dubitet matrimonium Salomonis cum filia Pharaonis licitè, & prudenter fuisse contractum? Initum quidem ad confirmandum Salomoni regnum, inquit enim Scriptura 3. Regum 3. *Et confirmatum est regnum in manu Pharaonis, & affinitate coniunctus est Pharaoni Regi Ægypti.* Nam aduersus internas, & externas aduersariorum molitiones contracta cum potente Ægyptiorum Principe affinitate, & ipse Salomon potentior factus est, & ab externis auxilijs paratior, si aliquando res, & occasio postularet. Eupolemus apud Eusebium profert literas Salomonis ad Vafrem Regem Ægypti, quem vocat *amicum patrium*. Ex quo à Dauide cõsiliatas hasce nuptias non male suspicatur Pineda de rebus Salomonis libro 5. capit. 2. numero 3. & lib. 7. cap. 4. numero 2. Salianus tomo 3. Annalium, anno Salomonis 3. numero 116. Neque enim vllum cum Pharaone videtur intercessisse Dauidi bellum, ipsius videlicet amicitia ac fœdere stabilitis. Neque dubium, quin parens cætera quasi testamento Salomoni faciendа præscribens, de nuptijs primo quoque tempore cõparandis, & ineundis filium commonefecerit, vel illius pedagogum Nathan Prophetam, aliosque proceres. Dionysius arbitratur Salomonem hanc duxisse vxorem propter commune totius populi bonum, quod tunc Ægypti Rex potentissimus esset, atque adeò ex eius cognatione, & amicitia tùm Hebræorum pax, tùm res omnes mirificum incrementum capturæ viderentur. Quid desideramus amplius? Sacer scriptor loco citato Regum, statim atque illæ nuptiæ referuntur, addit: *Dilexit autem Dominum Salomon ambulans in præceptis patris sui Dauid*. Non ergo eo tempore & facto discesserat à præceptis Domini Salomon. Credendumque est eam Pharaonis filiam ad veri Dei cultum, & religionem conuersam, si quidem & ipse Salomon patre viuente vxorem accepit Naama Ammonitidem, imbutam iam, scilicet Hebræorum religione, alias molestè tulisset, & restituisset sanctissimus Pater. Itaque rectè, & sine peccato nuptias contractas â Salomone cum filia Pharaonis, docent Abulensis 3. Regum 3. quæst. 14. & cap. 15. quæst. 5. Caietanus 3. Regum 3. Dionysius in dicto cap. 3. Glossa, & Lyra 3. Regum 3. Burgensis ibidem, in expositione morali ex eo etiam rectè contractum matrimonium probat, quia illæ nuptiæ figura erant nuptiarum Christi, & Ecclesiæ. Sed licet peccaminosæ nuptiæ fuissent, potuerunt significari nuptiæ Christi, vt in facto Sansonis docent non pauci. In eadem sententia est Dominicus Soto in 4. distinct. 39. quæstione vnica artic. primo. Bellarminus dicto lib. 1. de matrimonio, capite 23. Soto-Mayor in Cantica in præfatione, Ghislerius præfatione in Cantica, cap. 3. §. *altera sententia*. Pineda libro 7. de rebus Salomonis, capit. 3. numero 1. Salianus dicto tomo 3. anno Salomonis 3. numero 118. Gaspar Sanchez lib. 3. Regum cap. 3. num. 5. & denique affirmat Pineda nullum alium se legisse præter Theodoretum, qui eas nuptias peccati damnauerit. At hoc matrimonium licitè & prudenter initum, & consulente Dauide, quam præcipitem egit Salomonem? Creditur enim illa à veri Dei cultu postea discessisse, & maritum vxorium in suam insaniam pertraxisse, adeò, vt hoc matrimonium ritè, & rectè contractum 3. Regum cap. 11. reprehendat Scriptura, vt supra vidimus. Sic censet Glossa Ordinaria, Lyra, & plerique alij ex his, quos modo retulimus.

15 Sed accipe exemplum aliud memoriæ dignum, quod in eiusmodi rebus sæpe animum meum consolatur. Expeditionis primæ Ludouici Francorum Regis in Palæstinam auctor fuit Bernardus, adhortator, & persuasor. Quam prudenter, quàm sanctè eam expeditionem suaserit quis dubitet? Eam suasit expetitus Regis Francorum, & Apostolicis litteris, denique iussu Eugenij Summi Pontificis electus, tanquam Ecclesiæ Romanæ lingua, ad exhortandos fideles propositis peccatorũ remissionibus ijs omnibus, qui suorum fratrum animas liberaturi, aut pro illis suas animas posituri iter arriperent. Pauca & leuia hæc, audi maiora. *Euidenter*, inquit auctor vitæ Bernardi, lib. 3. ca. 4. *hoc verbum prædicauit Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis. Sed quantis, & quam multiplicibus signis? Quanta vel numerare, ne dum narrare difficile foret. Nã & eodem tempore scribi cæperant, sed ipsa demũ scriptorum numerositas scribendorum & materia superauit auctorem, nimirum, cum aliquãdo vna die viginti, seu etiam plures ab incommodis varijs sanarentur, nec facile ab huiusmodi dies vlla vacaret. Denique plures eo tempore Christus per serui sui tactum, & orationem, ex ipsis etiam matrum vteris, cæcos videre, claudos ambulare, aridos*

dos conualescere, surdos fecit audire, & mutos loqui mirabilius restituente gratia, quod minus præstitum fuerat à natura. Infœlix fuit belli exitus hominũ iudicio metienti omnia iuxta præsentis vtilitatis regulas: abalienantur populorum animi à Bernardo, contra illum latrare non cessant, eius existimationi non parum detrahitur, cruciatur Bernardi animus, & adhuc post infœlicem exitum expeditionis miraculis Deus comprobat à Deo verbum prædicationis Bernardi exijsse, Deũque & eius spiritum Bernardi prædicationi affuisse, in eius testimonium cæcus illuminatur. Testis scriptor vitæ Bernardi loco citato. Satis eo facto Bernardus se à præsumpta temeritate purgauerat, sed adhuc calumniã patitur, adeò vt pro se apologiam scripserit lib. 3. de consid. ad Euge. in fine, vbi & sanctissime, & elegantissime, & efficacissime se defendit. Qui etsi conscientia sua tutus & quietus, inquit Baronius tom. 12. anno 1148. num. 9. in fine, quod tamen ob peccata populi periclitaretur publica causa Dei, & ciuitas sancta esset exposita infidelibus dedenda aliquando hostibus, vehemens dolor ipsius animum occupabat, non solùm quòd inanis cesserat primus accessus, sed quòd nõ esset, qui de altero iterando loqui præsumeret. Quem sic mærentem voluit consolari Deus per quendam ex ipsius discipulis Abbatem Casæmarij, qui ad sanctum Bernardũ de eodem argumento literas dedit, estque inter Bernardi epistolas, epistol. 333. vbi inter alia hæc habentur, quæ transcribo, quia lectu & cognitione dignissima sunt. *Videtur itaque mihi, quod omnipotens Deus de hac via multum fructum fecit, non tamen eo ordine, quo ipsi viatores arbitrabantur. Si quidẽ, si hoc quod cæperant, sicut decet Christianos, iuste, ac religiose prosequi vellẽt: Dominus cum eis esset, ac magnum fructum per eos perfecisset. Sed quoniam ipsi ad mala sunt deuoluti: & hoc nequaquam Dominum, qui auctor vitæ fuerat, à principio latere potuit, vt sua prouidentia in sui dispositione non falleretur, malitiam eorum in suam conuertit clementiam, & misit eis persecutiones, & afflictiones, quibus purgati ad regnum peruenire possent. Denique confessi sunt nobis, qui redibant, quod vidissent multos ibi morientes, qui libenter se mori dicebant, neque velle reuerti, ne amplius in peccatis recíderent. Sed ne in dubiũ veniat quod dico, quasi patri meo spirituali in cõfessione aperio, quod à patroni loci nostri B. Ioannes, & Paulus sæpius nos visitare dignati sunt. Quos ego super hac re interrogari feci, & huiusmodi sententiã respõderunt. Dicebantque multitudinẽ Angelorũ, qui ceciderant, de illis, qui ibi mortui sunt, esse restaratam. Hoc autẽ scitote, quod magnã vestri memoriam habuerunt, finẽque vestrũ cito venturum prædixerunt. Quia igitur bene res, etsi non secundum hominũ desiderium, tamen secundũ Dei propositum euenit: vestræ erit prudentiæ, in ipso de hac re consolari, cuius solius gloriã quæritis, & desideratis. Id circo namq; vobis, & exhortandi, & operandi gratiã in hoc negotio dedit, quia bonum, quod inde facturus erat, præuidit.* Hactenus Abbas Casemarij. Recte itaq; fieri potuit vt prudens hominum iudicium nonnunquã matrimonia amplexatũ sit, vt media ad conseruandã pacẽ Ecclesiæ, vel de nouo acquirẽdam, & Deus ob aliqua occulta peccata, vel absconditos suæ prouidentiæ fines permiserit, vt lõge diuersum exitũ haberent, & hostilespotius inimicitias parerent, & multorum ruinã. Quare ex infœlici aliquorũ coniugiorum exitu ad impugnãdũ initium matrimonij cõtracti, vel iudicium, vel consiliũ de eo contrahendo argumentum sumi nõ potest.

16 Deinde etiam valde præoculis habendum est in matrimonio fidelis cum hæretico vel infideli, an fideli Principi, & Regno omni ex parte fideli, & puræ & sinceræ fidei, detur vxor hæretica & infecta, an vero Principi infideli, qui populo hæreticorũ imperat detur vxor fidelis. In primo enim lõge maior deformitas est, cũ contaminatio sinceræ fidei timeri possit à Regina animũ Regis abalienante à vera & sincera fide, & ab eius fœminis, & familia infecta, à quibus alios regni incolas inficiẽdos fore verisimile est. Ideò tam grauiter & religiosè Alphonsi Regis lege 1. tit 6 p. 2. de vxore ab Hispanis Principibus eligenda cautum est, his verbis. *Sera la muger del Rey de alto linage, bien acostumbrada, fermosa, y rica. E si tal non la pudiesse fallar, cate que sea de buen linage, è de buenas costumbres, ca los bienes, que se siguen de estos dos, siempre en el linage, que della deciende, mas la fermosura y lariqueza passan mas de ligero. Onde el Rey que assi non lo cataase, erraria en si mesmo, è en su linage, que son dos yerros de que se deue mucho guardar todo Rey.* At in secundo casu non est tanta deformitas, neq; tãtum periculi imminere videtur, cum solius Reginæ animus exponatur periculo, & aliàs possit esse spes maritũ ad verã fidẽ reducendi, vt sæpe cõtigisse historiæ narrãt, & exẽplorũ aliqua, quę retulimus, probãt. Illud enim inspici debet, si nõnulla cõiugia dãnũ intulere peruersionis suis cõiugibus fidelibus, alia nec numero pauca vtilitatẽ coniugibus infidelibus attulisse, vt ex adductis exẽplis sup. c. 3. constare

potest. Deinde etiam, vt hæc matrimonia damnemus, vel approbemus, spectãdi nobis sunt fines in eo matrimonio propositi. Sæpe enim, qui in eis debitũ finem sibi non proposuerunt, à Deo puniti sunt infœlicissimis eorum coniugiorum euentibus, vt eleganter comprobat Adamus Conscen lib. 8. politicæ cap. 24. §. 6. Cum autem iustos fines in istis matrimonijs intendunt cõtrahentes, Dei gloriam, religionis augmẽtum, tranquillitatem Reipublicæ, quæ etiam cedat in diuinũ cultum, & Ecclesiæ Catholicæ fœliciorem cursum, rectè sperare potest animus fore, vt Deus istis connubijs assistat, faueat, & fausto fine concludat, si quidem â diuinis auspicijs exordium sumpsere.

16 Denique inspiciendum est, an in istis matrimonijs catholici cum hæretico, vel infideli interueniat Apostolica dispensatio, cuius est dispensare in lege prohibente ea matrimonia, vbi illa viget: & ad quem in dubio an expediat tale coniugium, recurrendũ est, tanquã ad Ecclesiæ caput, & nostrarum actionum visibilem regulam, & cuius iudicio catholicorum animi sedantur, & scrupulis & anxietatibus eximuntur.

17 Hæc tria, si præoculis habeamus, facile erit de propositis exemplis iudicare. Nam in primis nulli eorũ legimus accessisse dispensationem legitimi superioris, sed apud Hebræos contra legẽ â Deo latam sine iusta, & vrgenti causa excusante esse contracta. Apud Christianos verò inconsulto Põtifice, cuius ante omnia iudiciũ atque sententia exquiri deberet. Nõ ij fines propositi sunt, qui Dei cultum & gloriam aut excitarent, aut restituerent, aut conseruarent, aut promouerent, sed temporalis tantùm conseruationis causa. Ad hæc sæpe catholicis Principibus, & catholico populo synceræ fidei imperantibus nupsere hæreticæ, cum magno puritatis fidei periculo, quod non licere diximus. Vnicuique autem facile erit hæc, quæ in genere dixisse sit satis accommodare in singulari adductis exemplis.

18 Opponitur tandem epistola Stephani IIII. qua seuere prohibuit Carolo Francorum Regi, ne duceret vxorem Bertham filiam Desiderij Longobardorum Regis. Duxit ille quidẽ, sed vix anno elapso repudiauit, ex quo graues dissensiones secutæ sunt. Sed hæc Stephani prohibitio nihil obest nostræ sententiæ, & infœlix eius matrimonij exitus potius quæ diximus comprobat. Duxit ille quidem non solùm non consentiẽte Pontifice, cuius dispensationem velut Ecclesiæ filius expetere, & expectare deberet, sed potius resistente, & sub censuris prohibente illud coniugium. Quid mirum si contra obedientiam debitam Romanæ sedi initæ nuptiæ sinistro fine terminatæ fuerint? Adde aliud, quod illicitũ reddidit illud matrimonium. Habebat iam aliam vxorem Carolus, & ea superstite Berthæ nuptias affectabat, vt aduertit Baronius to. 9. anno 770. num. 11. & aperte ex ipsa Stephani epistola colligitur. Extat illa apud Baronium loco citato, in qua hæc verba habentur. *Etenim mitissimi, & à Deo instituti benignissimi Reges iam Dei voluntate, & consilio coniugio legitimo ex præceptione genitoris vestri copulati estis accipientes, sicut præclari & nobilissimi Reges, de eadem vestra patria, scilicet ex ipsa nobilissima Francorum gente pulcherrimas coniuges, & earum vos amori oportet esse annexos, & certe vobis non licet eis dimissis alias ducere vxores.* Vides, inquit Baronius, ex eo dissuaderi connubium cum Longobardis, quòd alijs fuissent antea coniugibus copulati. Inferius etiam subdit Stephanus. *Impium enim est, vt vel penitus vestris ascendat cordibus, alias accipere vxores super eas, quas primitus vos certum est accepisse.* Et rursus prope finem. *Nec iterum vestra nobilissima germana Deo amabilis Ghisyla tribuatur filio sæpe fati Desiderij, nec vestras quo quomodo coniuges audeatis dimittere.* Ex ea ergo prohibitione Stephani, aut Caroli coniugio ad id, quod statuimus, impugnandum desumi non potest argumentum. Ea autem, quæ vltimo obijciuntur loco, explicabuntur infra cap. vlt. cum agam de modo, quo celebrari debent ista matrimonia.

Quæ sint causæ, ex quibus licet matrimonium catholici cum hæretico?

CAPVT V.

1 EXPLICVIMVS capitibus præcedentibus fidelis cum hæretico matrimonium illicitum quidem esse propter periculũ peuersionis, & iure ipso Ecclesiastico, sic tamẽ illicitũ, vt aliquando possit licitè cõtrahi. Iã oportet exponamus, quãdo & ex quibus causis licitè iniri possit. In quo in primis extra omnem dubitationẽ est licere, si infidelis cõiux, vel hæreticus cõuertatur ad fidem catholicam. Nicænum primum generale c. 53. ibi: *modo ad fidem veniãt.* Illiberritanum capit. 16. ibi: *si se transferre noluerint ad Ecclesias.* Sub ea ergo conditione

ne

ne prohibet, ergo sub contraria permittitur. Imo satis esset promissio conuersionis cõiugis hæretici. Laodicenum sic statuit can. 31. ibi, *si tamen Christianos se fieri promittant*. Chalcedonense Act. 16. can. 14. ibi: *nisi forte promittat ad Orthodoxam fidem, & per personæ Orthodoxæ copulam transferre*. Agathense sub Symmacho can. 67. repetito canone Laodicæno, & habetur in *cap. non oportet* 28. *quæst.* 1. Ambrosius lib. 1. de Abraham, cap. 9. ibi: *sane si Christianam se faciat, & laudem habebis ex ea*. Augustinus epist. 70. in eo laudat Comitem Bonifacium, quòd hæreticam vxorem non duxisset, nisi prius esset facta Catholica. Itaque vel actualis conuersio coniugis hæretici, vel promissio conuersionis reddit licitam eam matrimonialem copulam. Quod autẽ de spe dicitur, sic accipiendum est, si sit verosimilis spes adimpletionis promissæ conuersionis. Quando autem verosimilis iudicari possit, explicabo postea. Huius vero ratio ea est manifesta, quia coniuge hæretico, vel infideli ad fidem redeunte, iam cessat periculum subuersionis, quod lege naturali impedimento erat nuptijs. An autem periculo ex hac ratione cessante, sit necessaria vlterius dispensatio, dicam infra, cap. 8.

2 Sed demus neque coniugem hæreticũ ad fidem catholicam transferri, neque conuersionem promittere, erit ne aliqua alia causa, quæ eas nuptias licitas efficiat? Nonnullos enim audiui asserentes in nullo alio casu licere, nisi in eo, quem Concilia expresserũt, quamvis neminem legerim ex his, qui typis mandarũt sua scripta, qui in ea opinione sit. Quare vera & communis sententia est etiam cum coniuge hæretico non redeunte ad fidẽ posse licere nuptias. Cuius communis sententiæ illud est vnicum fundamentum. Quia etiam coniuge hæretico non conuerso cessare potest periculum peruersionis coniugis catholici propter circunstantias occurrentes prudenter consideratas. Igitur eo cessante periculo cessabit etiam naturalis prohibitio, siue cesset, quia conuertitur infidelis, siue alio modo, aut ratione. Posse autem non redeunte ad fidem hæretico periculum peruersionis euanescere, docent communiter DD. In primis illi, qui dicunt nunc in Germania, & Regionibus infectis licitè contrahi à catholicis matrimonia cũ hæreticis, quia iam ipso vsu conuictus exigente, & humanis necessitatibus, ne innupti remaneant, & attento etiam hominum ingenio & natura, qui de rebus religionis parum curant, tantumque polyticæ conseruationi studet, prudenter iudicatur periculum illud cessare. Sic autem expresse docent Ioannes Azor, tom. 1. lib. 8. cap. 11. q. 5. Thomas Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 72. num. 5. cum Nauarro lib. 1. conf. tit. de conuers. in vtraque editione, conf. 1. nu. 59. & 60. Reginaldus 2. tom. praxis, lib. 31. num. 169. Ægidius disp. 31. dub. 3. num. 45. vbi sine conuersione hæretici admittit, licet raro euenire dicat, Philiutius tom. 1. tract. 10. de matrim. p. 2. cap. 6. quæst. 2. Ioannes Gutier. de matr. c. 104. num. 7. Cornel. 1. Corinth. 7. n. 258. licet non frequenter consulenda ea matrimonia dicat. Serarius opusculo citato n. 18. vbi non solum causam iustam contrahendo matrimonio præbere dicit spem cõuersionis, sed etiã addit: *vel alia alioqui causa quædam eximia*. Idẽ docuisse videtur Iudith c. 14. q. 4. dum scribit Iudith licitè sperare potuisse nupturã se Holopherni etsi pagano, vt eo cõiugio patriam ab obsidione liberaret. Putat ergo Serarius etiam tunc licitè potuisse nuptias inter Iudith, & Holophernem contrahi ob publicæ salutis causam, etiamsi ille non conuerteretur ad fidem, atque adeò extra casum conuersionis coniugis infidelis, in alijs etiam casibus, licere posse. Quem in hac parte secutus est Salianus tom. 4. Annalium anno 3346. num. 87. dum de Iudith eadem affirmat cum Serario. Rursus idem quoque Serarius docuisse videtur Esther cap. 2. partic. 6. 1. p. q. 2. Cum enim proposuisset quæstionem, an Esther catholica fœmina potuerit Regi Ethnico nubere, inter alia scribit: *Si tamen moralem quandam ex quorundam aliorum, verbi gratia, Iacob, & similium constantia, ex personarum etiam, quæ matrimonium ineunt, virtute, temporum rerumque occasionibus libram adhibeamus, posse interdum hoc periculum abesse iudicabimus, sicque potuisse Assuero Esthere nubere, prout lib. 1. de matri. c. 23. explicat Bellar. plurib.* Hæc Serar. Cum ergo periculũ peruersionis cessare possit etiã coniuge hæretico non cõuerso, vel quia vt dixi, coniux hæreticus parum de religionis diuersitate curat, solum cõmunem conuictum, pacẽ & trãquillitatẽ amat, & rei familiaris sedulam administrationem, vel quia sub eo pacto nuptiæ celebrantur, vt liceat coniugi fideli suam religionem libere profiteri, idque secure caueatur, quantũ humana prudentia assequitur, negari non potest etiam sine cõuersione hæretici ad fidẽ posse in aliquibus casibus licere coniugiũ. Imo expediens esset hæreticis, ne perpetuò à catholicorũ coniugijs arcerẽtur, in suis comitijs legem ferre, qua capitali constituta pœna prohiberent, ne quis hæreticus coniugem fidelẽ

â sua religione auertere conaretur, & vt proles apud coniugem fidelem esset vsque ad pubertatē. Ea enim sancita lege nulla esset causa, frequenter loquendo, repudiandi ea cōiugia. Quorum etiam, & iusta causa esse potest, etiam cum verosimili periculo pernersionis, si illud matrimonium in insigne Christianæ Reipublicæ augmentum, aut prosperum statum redundet, vel in tranquillam vitam, & à persecutionibus liberam Catholicorum alicuius Regni, qui nisi tali inito matrimonio persecutione prementur, & consumentur, de quo dicam capite sequenti.

3 Nec dictis obstat, quod antiqui Canones, & Patres tantū eam causam conuersionis expresserint. Dicendum enim est eam causam non pro vnica legis exceptione, sed exempli loco posuisse: sicut cum Tridentin. Sess. 34. de matri. c. 1. causam omittendarum denunciationum assignat, si matrimoniū malitiose impediendū fore existimetur. Non est ea vnica causa omittendi denunciationes, sed exēpli loco apposita, vt sup. lib. 5. de mat. discussum est. Huius autē ratio sumitur ex generali doctrina in materia de legibus, quam eleganter tradit Donel. lib. 1. comment. c. 14. §. *ex ratione legis.* Ratione enim legis pleniore animad uersa hanc ipsam, quā longe patet, sequimur propter sententiā, vt lex ipsa vbiq; conseruetur, quoniā & ipsa lex est. Id quod exprimūt istæ iuris sententiæ. *Cum lege certi aliqui casus comprehensi sunt, si in aliqua causa sententia eorū manifesta est, ea ad similia proderit, & secundum hoc in his ius dici debet, l. non possunt, D. de legibus.* Item. *In casibus & rebus omissis verba cessant, sed sententia eo porrigenda est, l. si id quod, D. de iurisdict.* Item, *verba deficiunt, sed lex plenius interpretanda, vt suppleatur id quod legi deest, l. lex Iulia, D. de fundo dotali, & l. oratio, D. de sponsa. l. nam vt ait, D. de legib.* Hinc aliis verbis, eadem tamen sententia, dictū à Caio est, *vbi eadem ratio sit consequens est, vt idem æstimari debeat, l. illud, D. ad l. Aquil.* Adde etiam textum in *cap. translato 3. de constit.* vbi Glos. *ab vno enim coniuncto fit extensio ad alterum.*

4 Diximus hucusque licere coniugium catholici cum hæretico, vel quando ille cōuertitur ad fidem, vel est conuersionis spes, eamque promisit, vel quando etiāsi cōuersionē non promiserit, tamen ex pacto permittitur catholicus viuere iuxta religionis catholicæ ritū vnà cum sua familia, & rectè etiam debito tēpore prolē educare. Nūc explicare oportet, quæ securitas requiri debeat, vt prudēter, & in cōscientia licitè illud matrimoniū fieri possit. Et quidē illud præoculis habendum est non desiderari euidentem certitudinem, sed iuxta prouidentiam hominū prudentem, atque cordatā, & quæ sufficiat, vt prudēs homo iudicet alium prudenter operari. Nam, vt inquit Sapiēs, *cogitationes hominum timidæ & incertæ prouidentiæ nostræ.* Terminū enim in rebus humanis inuenire difficile est. Vnde Polyb. lib. 26. histor. c. 11. inquit: *Et est quidē fortasse difficile in omni re terminū inuenire vbi sistas, non tamen plene eius inueniendi negata est facultas.* In causa autē præsente lōge difficilius est, cum pendeat euentus ex humana volūtate, quæ adeò inscrutabilis est, vt illā omnino penetrare diuinæ intelligētiæ sit. Si enim Galenus eum qui corporū omniū cōplexiones naturales allequeretur, Æsculapio parē facit, quāto magis, si liberas inclinationes omninò cognoscere t. Possumus ergo in primis loqui de securitate exquirenda in cōuersione hæretici, qui ad fidē reuertitur, vt matrimoniū cō trahat, de eiusq; permanentia in fide. At quis iudicare poterit illū verè, & ex animo cōuerti, nec simulare conuersionē, vt fortasse simulauit filia Pharaonis, & aliæ mulieres alienigenæ, quas duxit Salomon. Id quidē non aliū de, quàm ex factis externis iudicandum, ex catholicis exercitijs, ex affectu, quē erga catholicā religionē ostēdit. Fateor omnia hæc esse fallibilia signa, & ab homine callido, & verſuto magno artificio studiosissime fingi posse: sed nos non aliter iudicare possumus, interni que affectus, & cordis secreta soli Deo reseruantur. Quod si loquamur de securitate promissionis implendæ, qua conuersionē promisit hæreticus (diximus enim etiam promissa conuersione cū verosimili spe posse contrahi matrimoniū) atq; idē dico, si loquamur de securitate adimplēdi pactionē, qua constitutū est, vt coniux catholicus eiusq; familia catholico ritu viuere permittatur, & recte prolem educare, prudēs securitas mihi videtur, tū ea, quæ nascitur ex pactis iuramento firmatis. Iuramenti namq; religio magni, & apud catholicos, & hæreticos momenti est. Neq; ex eo quòd hæreticus aliquis, etiā minister, depraua to animo consuluerit priuatim, aut publicè, peierandū esse, quoties politica gubernatio exigat, ideò consiliū illud appellandū est cōmune hæreticorūdogma. Quot catholici Principes ex alicuius aulici valde familiaris consilio politico magis, quā catholico, fregere fidem, quia illis bene erat? Plenę historiæ. Nemo autem hoc eorum vitium dicit esse cōmune Christianis Principibus placitum. Videmus certe in contractibus alijs fidem seruari ab hæreticis, & cum illis secure iniri: aut

alias

alias dicendum esset eos ab omni humano commercio excluſos esse, si non est aliqua cõueniens ratio, qua cum illis posſint pacta firmari. Adde etiam pignora, & obſides, ſi fieri poſsit, quibus datis ſecurior reddatur impletio pacti. Adiunge etiam dotis acceptæ reſtitutionem, ſi pacta non impleuerit, quæ reſtitutio ſecura fiet expromiſſoribus, aut pignoribus, vel aliquo depoſito loco fideiuſſorum datis. Periculum namque amittendi hæc cõmoda temporalia ſæpè compellet ſeruare datam in promiſsis fidem. Addo etiam ex eo prudenter ſecuritatem deſumi poſſe, ſi aliàs politicæ eorum gubernationi aut neceſſarium, aut valde conueniens iudicetur ſtare promiſsis, & pactis. Si enim hæc ratio inter Catholicos aut priuatos, aut Principes magni momenti, & conſiderationis eſt; cur non veniet in conſiderationem, quando cum hæreticis pactiones ineuntur? Sæpe polyticæ conſeruationis intuitu ea efficient, & præſtabunt, ad quæ neque pactio, neque fides debita iuramento permoueret. Quibus ſi adiungeretur ea ſanctio apud hæreticos, quam ſupra diximus, & ſeuerè obſeruata, nihil eſſet quod amplius humana prouidentia, frequenter, & vt plurimum loquendo, deſiderare poſſet.

5 Sed numquid idoneum medium erit ad eam ſecuritatem, quòd inter Catholicum, & hæreticum contrahatur tantum matrimoniũ ratum, & differatur conſummatio, vt interim ſumatur experimentum, an implenda promiſſa ſint ab hæreticis, an ſecus: &, ſi impleuerint, conſummetur matrimonium; ſi ſecus, petatur à Pontifice diſſolutio matrimonij rati nondum conſummati? Medium hoc, quod aliquando humana prudentia excogitauit ad ferendum de ſecuritate promiſſorum iudicium, nec poteſt abſolutè reijci, neque abſolutè probari? Aliquando expedire fortaſsis poterit, & à Carolo V. Imperatore electum, quando cum Franciſco Gallorum Rege pactus eſt, & à nonnullis alijs. Et probari quidem fortaſsis poterit tanquam medium non omnino ineptum, cum id quod implendum ſtatuitur, poteſt rectè, aut omnino, aut maiori ex parte ante conſummationem impleri. At quando non poteſt ante conſummationẽ in effectum deduci, quod pacto firmatum eſt; ſed plura, & potiora ſunt, quæ Conſummato matrimonio adimplenda ſunt, nemo prudẽs medium iſtud amplecti poteſt; & loco matrimonij rati minus inconueniens medium eſſet ſponſalia tantùm inire, aut tractatus præmittere de ineundis nuptijs, qui iuramento firmentur. Tum quia ex dilatione cõſummationis matrimonij, quæ ſecuritas deſumi poterit, vt credamus fidelem coniugem non auertendum per hæreticum, ſi neque cohabitant, neque in eadem vrbe commorantur? & vt credamus hæreticum permiſſurum fideli, vt ſuo ritu viuat, ſi toto eo tempore ante conſummationem, non eſt in poteſtate coniugis hæretici? Et vt credamus coniugem hæreticum facturum copiam coniugi fideli, vt prolem rectè educare valeat, ſiquidem ea nõ ſuſcipitur, niſi conſummato matrimonio? Eorum omnium ſecuritatem ex dilatione conſummationis deſumere velle neſcio quàm cũ ratione, & prudentia conueniat. Tum præterea, quia multis calumnijs ſubiacet medium iſtud, fraudibus, diſſenſionibuſque. Quis enim iudicaturus eſt poſtea, an experimentũ, quod eo intermedio tempore quæſitum eſt, ſufficiat, vt credamus poſt conſummationem implenda fore, quæ reſtant? Tum rurſus, quia pone non conſummari, eo quod non capiatur ſufficiens experimentum ſecuritatis in poſterum, redundat ſanè in dedecus fœminæ Catholicæ; eſt enim quædam repudij ſpecies, quam qui graue dedecus in fœmina, præſertim nobili, non iudicat, non indiget admonitione, ſed pœna. Tum etiam, quia abſolutè loquendo ea dilatio conſummationis poſt contractas nuptias inconuenienti non caret. Prudenter Benedictus Fernandez Geneſ. cap. 24. ſect. 3. nu. 8. in fine, cum expenderet vocatam Rebecam poſt contracta ſponſalia, & illam ſtatim ad maritum pergere voluiſſe, inquit: *Cæterùm conſtitutis ſponſalibus ad matrimonium illico feſtinandum, ne interim periculum incontinentiæ adeant ſponſi; quod quidem, & certum eſt, & quotidianis exẽplis comprobatur.* Probat Ambroſij teſtimonio, qui libro de Iſaac hoc ipſum conſiderans inquit: *Nec immeritò illa dilationem non attulit; iurè enim properare debuit ad maritum.* Denique *moram damnoſam* dixit Ouidius Metam. 11. *moram ſæpè malorum dediſſe cauſas* Silius Italicus lib. 4. Sequamur ergo quod dixit eleganter Seneca lib. 4. de benef. cap. 33. Cum enim quæſiuiſſet: *Quid ſi neſcis vtrùm gratus ſit is, cui beneficium conferendum eſt, an ingratus, expectabis, donec ſcias ardandi beneficij tempus amittat?* Cauſam quæſtionis proponit Seneca hiſce verbis: *Expectare longum eſt. Nam, vt ait Plato, difficilis humani animi cõiectura eſt; non expectare temerarium eſt.* Sed vide quid Seneca reſponderit: *Huic reſpondebimus numquam expectare nos certiſsimam rerum comprehenſionem, quoniam in arduo eſt veri exploratio; ſed eà ire, qua ducit veriſimilitudo. Omne hac via procedit officium: ſic ſeremus, ſic nauigamus*

gamus, sic militamus, sic vxores ducimus, sic liberos tollimus, cum omnium horum incertus sit euentus. Ad ea accedimus, de quibus benè sperandum esse credimus. Quis enim pollicetur seruenti prouentum, nauiganti portum, militanti victoriam, marito pudicam vxorem, patri pios liberos? Sequimur quà ratio, non quà veritas trahit. Expecta, vt nisi bene cessura non facias; & nisi comperta veritate nihil moueris, relicto omni actu vita consistit. Hæc Seneca. Aliæ etiam rationes ad medium illud reijciendum ex re ipsa nascētur, & præsenti casu, quæ adhuc magis improbandum suadeant, quæ sic vniuersè loquendo attingi non possunt, in specialivero casu facile cōsiderari poterunt. Atque hæc mihi de capienda securitate in communi dicende visa sunt; cum tamen tota hæc res humanæ prudentiæ committenda sit, quæ in singulari causa ex particularibus circunstantijs, ex gentis ingenio, & moribus, ex seruata in alijs rebus, aut pactis, aut coniugijs fide publica, ex necessitate etiam standi promissis, ex potentia, quæ sit penès coniugem Catholicum, aut eius cō sanguineos ad efficiendum, vt re ipsa pactiones impleantur, iudicare poterit, an sit verosimile hæreticum re vera præstiturum quod promisit.

An cum periculo peruersionis possit ex aliqua magna causa contrahi matrimonium cum hæreticos?

CAPVT VI.

1 HACTENVS inoffenso pede iter fecimus, innumeris Doctoribus adnuantibus sententiam nostram pronuntiauimus, non ita peruium, quod in isto capite explicaturi sumus; sed peruium tamen, & aliquorum auctoritate firmatum; neque enim nos novas vnquam vias ingredimur in rebus moralibus. Cum ergo constet cessante periculo peruersionis eas nuptias Catholicum cum hæretico posse cōtrahere; & etiam ostensum sit eiusmodi periculum cessare posse, tàm coniuge conuerso ad fidem, quàm non conuerso, illud explicare oportet, an, etiam si nō omnino cesset periculum peruersionis, sed sit probabile eius periculum, possit ex magna aliqua & eximia causa, puta vel augmenti, & propagationis Ecclesiæ, vel tranquilli eius status, vel libertatis Catholicorum, qui sub aliquo hæretico Principe, & consiliarijs hæreticis oppressi tenebantur, licitè matrimonium contrahere Catholicus cum hæretico. Quæstionis ea causa videtur esse. Quia nunquam licere potest se exponere periculo peccandi, *nam qui amat periculum peribit in illo*, vt scriptum est à sapiente; *& qui tangit picem inquinabitur ab ea:* Et salutem suam spiritualem contemnere cōuincitur, qui se obijcit tam probabili eius amittendæ periculo. Id quod etiam communi Doctorum calculo comprobatum est, & cum Bonauentura, Caietano, Armilla, Castro, Nauarro, Corduba, Alcocer, & Suarez docet Thomas Sanchez tom. 1. summæ, lib. 1. cap. 8. num. 1.

2 Verùm semper mihi persuasi ob eximiam aliquam, & vrgentem causam posse Catholicum matrimonio iungi cum hæretico, quamuis exponat se probabili peruersionis periculo: dum tamen contrahat cum firmo proposito non labendi, fidensque de diuina misericordia, & gratia fore vt eripiatur ab eo periculo sine crimine; siquidem vrgente Dei causa illud subire periculum non recusat. Qui speciatim agens de matrimonio Catholici cum hæretico id disputauerit, legi neminem; insinuauit Serarius locis statim citandis. Probare itaque conabor, & exemplis sanctissimorum virorum, aut fœminarum, & ratione ex communi Doctorum doctrina deducta.

3 Primum appositissimumque exemplū desumatur ex lib. Iudith. Obsidebatur Bethulia Israelitarum vrbs ab Holopherne, & eius exercitu copioso; atque ita premebatur obsidione, vt nisi intra quinque dies auxilium adesset à Domino, se, & omnia sua Holopherni dedere cogitarent, vt est in capit. 7. Iudith. Tunc autem Iudith sanctissima vidua, & pulchra nimis his auditis sermonibus, vocatisque duobus populi presbyteris, & senioribus, illisque increpatis, tandemait: *Stabitis vos nocte ista ad portam, & ego exeam cum Abra mea, & orate, vt sicut dixistis, in diebus quinque respiciat Dominus populum suum Israel. Vos autem nolo vt scrutemini actum meum, & vsque eum renuntiem vobis, nihil aliud fiat, nisi oratio pro me ad Dominum Deum nostrum.* Iudith. 8. annuere Ozias Princeps Iudææ, & alij seniores. Cubiculum illa suum ingreditur, cilicio se operit, cinere aspergit, orat, & inter alia inquit: *Capiatur laqueo oculorum suorum in me, & percutias eum ex labijs charitatis meæ,* Iudith. 9. statim oratione peracta Iudith. 10. abstulit à se cilicium, exuit se vestibus viduitatis suæ, lauit corpus suum, vnxitque se myro optimo, discriminauit crinem capitis sui, imposuit mitram super caput suum, & induit se vesti-

veſtimentis iucunditatis ſuæ, induitque ſandalia pedibus ſuis aſſumpſit dextraliola, & lilia, & inaures, & annulos, & omnibus ornamentis ſuis ornauit ſe. Cui etiam Dominus contulit ſplendorem, & eius pulchritudinem ampliauit, quoniam omnis illa compoſitio non ex libidine, ſed ex virtute pẽdebat. Egreditur vna cum Abra ancilla ſua ex Bethulia, deſcendenſque de mõte circa ortum diei, apprehenditur ab Aſsyriorum exploratoribus, deducitur ad tabernaculũ Holophernis, qui vix eam intuitus eſt, cum captus eſt in oculis eius. Quis dubitet ſanctiſsimam Iudith hîc ſe expoſuiſſe periculo violãdæ caſtitatis? Potuit enim prudenter timeri vel ab exploratoribus, vel ab Holopherne in eius amorem ardeſcente violandam. Expoſuit etiam ſe periculo legem Moyſi tranſgrediendi in multis, quę ſpectabant ad cibum, & potum ex conuictu Aſsyriorum. Et quidem expoſitam periculo Iudith amittendę caſtitatis agnoſcit, & fatetur Serarius Iudith 13. q. 4. Cumque queſiuiſſet, an licite ſe potuerit in periculum caſtitatis dare, ſic reſpondet: *In caſtitatis verò periculum ſeſe dare neque vllus, neque vlla debet, niſi vel graues iuſtæque rationes oſtenderent periculum illud vitari poſſe, & licet quandoque difficulter poſſet, poſſet tamen, & eiuſcemodi eſſent tempora vt inſolem, & puluerem prodeundum foret.* Et poſt pauca. *Potuit etiam bonis iuſtiſque rationibus animum inducere, vt crederet poſſe ſe Dei cum gratia & auxilio, quod tot iam precibus, lacrymis, ieiunijs, & ſaccis implorarat, & porro adhuc in ipſis etiam hoſtiũ caſtris implorarura erat, peruincere, ne pudicitiæ iacturam vllam faceret. Cum enim corporis, animique illecebras tot, & tam præclara haberet, futurum credebat, vt ſua in poteſtate Holophernem totum teneret, ab militum omniũ iniuria, ipſius acribus præceptis, defenderetur: ab ipſomet vero etiam facile impetraret, vt vim nullam adhiberet, non niſi precibus, & blanditijs ad noctem inuitaret: ſed antequam nocte vlla inquinaretur, anteuerteret omnia & illius complexum quoquo tandem modo effugeret, omnium tamen maxime illum occidẽdo, idque vel in ipſo primo cubiculi aditu, lethalem in eius viſcera cultrum aliquem adigendo, vel in cubili manibus eum ambabus ſtrangulando, & offocando vel denique eo ipſo modo, quo negotium tandem perfectum eſt, ſomni merique plenum proprijs armis obruendo. Quod ſi non rum, contra quam certiſſime ſperaret, nihil omnino poſſet, obnoxiam ſe quidem corporis iniuriæ futuram, animo tamẽ caſtiſſimo ſemper manſuram confidebat.* Confirmatq; teſtimonio Ambroſij, quod ſtatim dabo. Et poſtea, cum dixiſſet Serarius ẽ diuina reuelatione accepiſſe Ieruſalem per eam ſaluã fore & illi reuelationi ipſam fidẽ adhibuiſſe, vt colligi poteſt ex cap. 12. verſu 7. hæc addit Serarius. *Si dicas, certam igitur eam fuiſſe fore, vt neque vitæ, neque caſtitatis detrimentum vllum peteretur, ſicque de fortitudinis eius, & magnanimitatis laude non parum deteri. Reſpondeo huius tantum certam videri fuiſſe, futurum, vt ſua opera Iſraelitæ tempeſtatem hanc euaderent: modum tamen & rationem perſpectã non omnino habuiſſe, quemadmodum etiam Prophetæ Iſaias, Ieremias, & alij certiſſima quædã habebant, aliorum, quæ ad ipſos ſpectabant, ignari erant. Et ſanctus Paulus Actorum 20. v. 22. Ecce alligatus ego ſpiritu, vado in Ieruſalem, quæ in ea ventura ſunt mihi ignorans, niſi quod Spiritus Sanctus per omnes ciuitates, mihi proteſtatur dicens, quoniam vincula & tribulationes Hieroſolymis me manent. Certa igitur periculi à gente ſua depellendi erat: ſed incerta eorum, quæ ſibi euentura eſſent, magno pere tamen confidebat, ſe ab omnibus etiam calamitatibus eruendam, præſertim vero ab omni pudoris iactura, & grauiori vllo peccato.* Et quidem Iudith ſe periculo caſtitatis expoſuiſſe fatetur non ſemel Ambroſius, & ex cauſa publicæ ſuæ gentis ſalutis excuſat. Nam lib. 3. de officijs, cap. 12. hæc habet: *Vtique quod in illis Pythagoreis duobus mirantur, non expauit mortis periculum ſed nec pudoris, quod eſt grauius bonis fœminis, non vnius ictum carnificis, ſed nec totius exercitus tela trepidauit. Stetit inter cuneos bellatorum fœmina, inter victricia arma ſecura mortis. Quantum ad molem ſpectat periculi, moritura proceſſit, quantum ad fidem, dimicatura.* Et in eodem capite. *Honeſtatem ſecuta eſt Iudith, & dum eam ſequitur, vtilitatem inuenit. Honeſtatis enim fuit prohibere, ne populus Dei ſe profanis dederet, ne ritus patrios, & ſacramenta proderet, ne ſacras virgines, viduas graues, pudicas matronas barbaricæ ſubijceret impuritati ac obſidionem deditione ſolueret. Honeſtatis fuit ſe malle pro omnibus periclitari, vt omnes eximeret periculo.* Eadem etiam habet cap. 14. Et lib. 2. de Virginibus: *Et Iudith ſe, vt adultero placeret, ornauit: quæ tamen, quia hoc religione, non amore faciebat, nemo eam adulteram iudicauit. Bene ſucceſſit exemplum. Nam ſi illa, quæ ſe commiſit religioni, & pudorem ſeruauit, & patriam fortaſſis & nos ſeruando religionẽ, ſeruabimus etiam caſtitatem. Quod ſi Iudith pudicitiam religioni præferre voluiſſet, perdita patria, eam pudicitiã perdidiſſet.* Et addit ipſe S. Ambroſius: *Itaque talibus informata exemplis, ſimul animo tenẽs verba Domini, quibus ait: Quicunque perdiderit animã ſuam propter me, inuenict eam, fleuit, tacuit, ne eã vel loquentem adulter audiret: nec pudoris elegit iniu-*

iniuriam, sed Christi recusauit. Indicauit idem periculũ Augustinus serm. 66. citato in Appendice. *Orationis feruore castitas puaorem seruauit intactum, & quietum, decepitq; alienum.* Et posiea. *Ecce gloriosæ fœminæ castitatem seruauit oratio, & hostem seruare non potuit multitudo.* Et serm. 67. *Pergit diuino spiritu ducta, & vnius ancillæ solatio contenta. Species custodit, quæ blanditur, & ne violenta pudicitia custodita lædatur, Holophernem alloquitur, vt desiderium inane concipiatur.* Sicut ergo Iudith pro sui populi salute publica potuit se periculo castitatis amittendæ exponere munita orationis præsidijs, & de diuina protectione cõfidens, ita etiam poterit aliqua fœmina ob insigne bonum Ecclesiæ Catholicæ, aut publicam salutem alicuius Reipublicæ, inire matrimonium cum hæretico, sperans fore, vt à Deo, cuius causa tali se obijcit periculo, muniatur, & protegatur ne cadat.

4 Aliud quoque præsenti causæ accommodatissimum exemplum nobis suppeditat liber Esther. Catholica & sanctissima fœmina nupsit Assuero Idolorum cultori. Quot illa, quantisque se periculis exposuit? Non manifestauit genus, non religionem suadente Mardochæo, de cuius agebat cuncta consilio, circundata erat ethnicis famulabus, assistebant eunuchi infideles actionum Estheris spectatores. Sed audiamus Serarium, qui hæc pericula eleganter prosequitur partic. 6. 1. p. Esther ex cap. 2. quæst. 6. *Quomodo autẽ fieri potuit, vt ciborum si delectum haberet, si aquis crebrius eluereturi, si id genus alia vsitaret, non notaretur? Non quod de sua de prosapia verbis reticebat, factis eloqueretur? Daniel profecto, ne potu cibatuq; regio polluereturi, leguminibus & aqua tantum vti, idque ab eunucho præposito, precibus impetrare debuit. An is tum necessitatis articulus, vt cum in Dei contemptum, ij tunc ritus non vitarentur, possent coram alijs omitti? An in Regis mensa ea cibi, potionisque copia erat, vt si quid porcinum immundumve esset, non ederetur, è cæteris, quod satisforet, sumeretur? An cũ virgo esset, postcaque Regina, se his & illis delectare dicere non poterat? Quid si & non dissimiles Persarum ritus? Libatum vero dijs si quid esset, vt fuisse notat in Danielis cap. 1. Theodoretus, id ne gustaretur, caueri qui potuit? Cur & Daniel ex eadem Regiæ mensæ copia, quod liceret, excerpere non potuisset? An delitias potius, lautitiasq; omnes fugiebat? Ideòque leguminum & aquæ simpliciſsimum victum requirebat? Vtut sit, duo certissima esse debent. Vnũ non violasse ipsam Esthe rem Israelis ritus. Ita enim ipsa infra cap. 14. vers. 16. 17. & 18. clarissime. Tu scis necessitatem meam, & quod non comederim in mensa Aman, nec mihi placuerit conuiuium Regis: & non bibe rim vinum libaminum, & nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum, vsque in præsentem diem, nisi in te Domine Deus Abraham. Alterum. Sicuti ad malam ingeniosa hominum est peruersitas: ita etiam ad bonum virtus.* Excusatur autem Esther â culpa, quod de consilio Mardochæi istis se periculis exposuerit, qui diuino instinctu, & aliquid boni populo Iudæorum præsagiens eius matrimonij consiliator fuit. Vnde cap. 4. dixit Mardochæo Esther: *Et quis nouit, virum ideirco ad regnum veneris, vt in tali tempore parareris?* Licet ergo se exponere salutis spiritualis periculo in matrimonio fidelis cum infideli, & hæretico, ex aliqua magna causa, sicut Esther se exposuit nubẽs Assuero Pagano.

5 Protulimus exempla, proferamus rationem. Exponere se periculo salutis spiritualis amittendæ, quamvis peccatum sit, nõ tamen ex his peccatis est, quæ quauis circũstantia posita vel detracta suam deformitatem retinent, sed cuius malitia pẽdet ab his, aut illis circunstantijs. Quare ea expositio periculi culpa vacabit, quãdo ex magna fiat & vrgenti causa. Tunc enim non est amare periculum, sed amare ingens illud bonum, ad quod sine eo periculo peruenire non potest. Itaque periculum adit inuitus, non amans. Qui ergo eo modo periculum subit in tali coniugio, vt magnum Ecclesiæ, aut alteri Reipublicæ commodum sequatur, nõ peccat. Doctrina eius antecedentis confirmabitur Doctorum Scholasticorum consensu, & Patrum auctoritate, & denique nonnullis in medium productis casibus, in quibus ea doctrina admittenda necessario est. In primis ergo non esse peccatum exponere se periculo spiritualis salutis ex causa aliqua vrgenti, docet D. Thom. 2. 2. quæst. 10. art. 9. in corpore. *Si aliqui fuerint firmi in fide ita quod ex communicatione eorum cum infidelibus conuersio fidelium magis sperari possit, quam fidelium peruersio, non sunt prohibendi infidelibus communicare, qui fidem non susceperunt, scilicet, paganis vel Iudæis, & maxime si necessitas vrgeat.* Caietanus in summa, verbo *periculum. Secundo eundo ad locum, siue societatem, vbi est periculum peccandi mortaliter propter aspectum, persuasiones, commoditates, aut aliquid huiusmodi. Et hoc quidem, si sine vrgente necessitate fit, ad incautelæ peccatum spectat. Non est autem ex suo genere peccatum mortale: quia in suæ libertatis arbitrio restat peccare mortaliter, etiam præsentibus talibus occasionibus peccandi.*

Ar-

Armilla eodem verbo. *Similiter peccat mortaliter vadens ad locum, siue cum societate, siue non, vbi est periculum peccandi mortaliter, & timet peccare vel propter aspectum, vel persuasiones, vel commoditates, vel huiusmodi. Non enim hoc ex genere suo mortale est, quia nunquam cogitur homo ad peccatum mortale, sed ex conditione personæ, quæ scit se fragilem, & dubitat cadere, eo maxime si per experientiam se nouit protalibus cecidisse. Si vero constantem se credit, & necessitas illuc eundi vrget, non peccat mortaliter: secus autem non vrgente necessitate secundum Caietanum ibi.* Soto lib. 5. de iust. quæst. 1. art. 6. post secundam cõclusionem, vbi cum obiecisset sequi nunquam licere salutem exponere periculo, respondet negãdo sequelam: *Nam iacturam facere gratiæ detrimentum est ipsius charitatis, exponere autem illam periculo, adeò non est remissio charitatis, vt ex nimio eius ardore procedat.* Corduba in summa quæst. 4. fol. 19. Henriquez lib. 4. de pœnitentia, cap. 25. num. 3. vbi diuersa genera periculorum enumerans, sic inquit: *Tertium periculũ, quod extrinsecè adiacet, & tamen expertus est homo se facile ex fragilitate, & incantela peccare, dum ad certum locum, vel alicuius societatem accedit, quod periculum, quamuis in generali debeat homo vitare, ab eo tamen, cum in se ipso peccatum non sit, sed peccati occasio, excusatur aliquando per impotentiam moralem: quæ occasionem reddit huic homini inuoluntariam, aut non imputabilem, aut ob aliam notabilem causam.* Alphonsus à Castro lib. 1. de iusta hæret. punit. cap. 17. pagina mihi 421. ab illis verbis, *sunt rursus alij viri docti.* Et concludit: *Quia sic faciens non se exponit periculo hæresis, sed necessitate vrgente diuinæ se commendat misericordiæ, de qua cõfidit, quòd propter plebem sibi commissam, pro qua solum libros talcs legit, non permittet illum à libris hæreticorum decipi.* Nauarrus in summa Latina cap. 3. num. 14. & in cap. *negotia de pœnit. dist.* 5. num. 8. In primo enim loco multorum casuum decisionem ex ea doctrina colligit, qui apud il. ũ videri possunt, & nonnullos attingemus statim. Suarez 3. p. tom. 4. disp. 32. sect. 2. num. 4. hæc habet: *Solum est attendendum ad iudicandum, quod aliqua sit moralis occasio proxima, necessarium esse vt ex suo genere talis sit, quæ frequenter inducat homines similis conditionis ad tale peccatum, vel certe, vt experimẽto constet in hoc homine habere talem effectum. Deinde necesse est, vt illa occasio voluntaria sit, quia aliàs quod ex illa nascitur, vt sic, non erit voluntarium, neque ipsa in se poterit esse culpabilis. Vnde fit, quando moraliter vitari non potest, illam non censeri voluntariã, neque assumptam, sed illatam, & ideò non esse moralẽ, sed necessitatem quandam potius, vel impotentiam, propter quã homo non fit absolutione indignus.* Thomas Sanchez tom. 1. summæ lib. 1. cap. 8. cum dixisset esse peccatũ mortale exponere se periculo peccandi mortaliter, addit num. 3. *Secundo temperatur; nisi causa grauis ei se periculo exponere vrgeat. Et ratio est, quòd tunc periculum illud non fit moraliter voluntarium, cum moraliter loquendo, id est, sine graui periculo vitari nequeat.* Iacobus à Grassis lib. 2. de arbitrarijs confess. cap. 49. à num. 5. *Quod si pœnitens dicat, quòd quando tetigit fœminam causa medendi, posuit se in probabili periculo pollutionis, respondeat confessarius, an se exposuerit huic periculo absque vrgenti causa, & tunc est peccatũ mortale, aliàs secus, vt quia erat necessarium mederi, & alias non erat medicus & proposuit firmiter se non consensurum delectationi. Neque obstat, si dicatur qui amat periculũ, peribit in illo. Eccles. iast. 3. Nam non dicitur amare periculum, qui necessitate compulsus in illud se conjcit, quia de diuina misericordia confidere meritò potuit fore, vt maius sibi auxiliũ impendat, quo à lapsu caueat.* Et postea. *Quod si hoc procedit extactu ex sui natura illicito, vt in chirurgo verenda fœminæ attentante, multo magis id procedere dicimus in pollutione præter intentionem subsequuta ex tactu licito, quando tactus ille est necessarius, quia cessat periculum consensus. Enimvero tunc caret culpa, vt ex amplexu iuxta patriæ cõsuetudinem, quo recusato incideret in notam inurbanitatis. Ita dixit Thomas Sanchez lib. 9. de debito coniugali. disp. 45. num. 8.* Hæc Graffis. Accedit etiam Serarius loco citato, cum agit de Iudith, cuius verba iam supra dedimus. Emanuel Sà in summa verbo *absolutio*, num. 12. ibi: *Item absolui potest, qui ex rationabili, & iusta causa non vult omittere peccandi occasionem, modo proponat firmiter non peccare, etiamsi aliquoties sit relapsus.* Ludouicus Lopez in Instructorio conscientiæ, 1. p. cap. 20. concl. 1. & 4. & ex multis, quæ docet in diuersis casibus in capitibus sequentibus, dum examinat Nauarri doctrinam in peculiaribus factis.

6 Probauimus hactenus doctrinam illam quatuordecim Scholasticorum Doctorum auctoritate, probemus nunc Patrum, & Pontificum responsis. In primis adducit Thomas Sanchez loco citato elegans testimonium Diui Basilij in *lib. de const. Monast. cap. 4. pag. 489.* vbi hæc habet: *Qui vrgenti aliqua causa, & necessitate se periculo obijcit, vel permittit se esse in illo, cum alias nollet, non tam dicitur amare periculum, quàm inuitus illud iu-*

bire

bire, & ideò magis prouidebit Deus, ne in illo pereat. Fauent etiam huic doctrinæ responsa Pontificum. Nam matrimonium inter impotentes cognita impotentia ad caste viuendum valet. Itaque si se experti sunt impotentes, & volunt remanere nupti ad caste viuendum, velut frater & soror, recte possunt, vt explicui supra lib. 7. de matrimonio cum de impedimento impotentiæ sermo esset. At quis neget esse illos in probabili periculo vacandi tactibus, aut osculis, quæ cognita iam impotentia non licent, sicut non licēt inter illos actus coniugales. Remanere autem illos coniugatos in eadem domo iam pridem respondere Pontifices, *cap. consultationi defrigidis, & malef.* & alibi sæpe, vt ostē di loco citato.

7 Denique hanc, quam hactenus confirmauimus doctrinam, veram esse constat ex eo, quòd multæ aliæ conclusiones apud Doctores receptæ sunt, quæ fundamentū istud necessario supponunt. Aliquæ constant ex testimonijs Theologorū adductis, qui in specialibus casibus ad eā doctrinā recurrerunt, proponam alias. In hoc quidem fundaméto nititur ea conclusio, quæ docet medicū posse medicamenta præbere prægnanti fæminę ęgrotanti, etiāsi sit periculū aborsus, & quod fœtus anima pereat sine salutari baptismo. Probabilis itaque spes vitæ matris, ad cuius assecutionem medicamenta diriguntur, excusat medicum, qui medicinam præbet, ex qua periculum sit aborsus, & dānationis pueri, quod quidem extra illius necessitatis casum grauissimum peccatum esset. Cuius sententiæ fuit Corduba, & refert, & sequitur Gabriel Vazquez de restitut. cap. 2. §. 1. nu. 28. & magis explicat cap. 3. §. 2. dub. 6. n. 23. & 24. In hoc etiam fundamento nititur cōclusio, quæ docet posse hominē aliquod medicamentum sumere ad assequendam salutē quamvis probabiliter putet ex eo futuram seminis effusionem, in quo casu tam voluptatis vis, quam naturæ fragilitas satis ostendit, in quanto periculo consensus in delectationem versetur ille, qui eam medicinam, vel potionem sumit. Sic Gabriel Vazquez vltimo loco citato, & Canonier tomo 2. in Aphorismos Hippocratis multis citatis auctoribus. In hoc eodem fundamento nititur alia conclusio, quæ affirmat, quòd quando aliquis, de cuius potentia dubitatur, vxorem ducit, potest per triennium destinatum â iure potentiam experiri, quamvis certum sit illum exponi periculo moraliter certo sæpe consummandi extra vas. Tali autem periculo se exponere, quòd in alijs casibus grauissimum peccatum esset, in hac specie peccatum nullum est. Ideò enim se tali periculo exponit, vt ea cohabitatio & experientia ostendat viri naturalem potentiam, vel impotentiam, vt ea perspecta, vel perseueret matrimonium, vel dissoluatur coniuge habili petente. Nam dissolui matrimonium impotentium antea validum diximus supra lib. septimo de matrimonio, cum ageremus de impotentiæ impedimento, & tenuit Rota inter Seraphini decisiones. Ex his ergo, & similibus casibus facile perspicitur, offerre se periculo peccandi tunc demum esse peccatum, quando sit sine vrgenti causa, vel necessitate ad id obligante, & impeliente, non vero, si talis adsit causa. Nec vero semper necessarium est, vt ea vrgens causa sit spiritualis animæ salus, sed sufficere etiam temporalis boni alicuius grauem causam, vt in coniugio Estheris cum Assuero, Iudith cum Holopherne clare cognoscitur, quamvis remote etiam in illis matrimonijs versaretur spiritualis salus, & vtilitas Iudaicæ gentis, & eius religionis cōseruatio: in casu etiam prægnantis fœminæ, aut salutis ægroti apertius multo conspicitur. Nec vero requiritur semper, vt sit causa inuolūtaria, aut ex necessitate prouenies, sed satis est, etiamsi sit causa voluntarie quæsita, sicut in eo intelligimus, qui dubius de potentia matrimonium contrahit, & in coniugio Estheris cum Assuero, & in confessore, qui cōfessiones audit cum periculo pollutionis, & in Magistro, qui materiæ de castitate, & vitijs oppositis studio vacat, cum eodem periculo, quod confitendi, & studendi munus voluntarie suscipitur.

Quæ cura prolis sufficiat, vt licitè contrahat matrimonium catholicus cum hæretico.

CAPVT VII.

1 FILIORVM quidem in matrimonio curam habēdam esse nullus dubitare potest. Inquit enim Paulus 1. ad Timoth. 5. *Si quis autem suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Vide quanto verborum pondere Paulus suadeat filiorum curam. Viduas præ cæteris adhortatur Paulus, de illis enim agebat in proxime superioribus. Sic interpretantur Ambro-

Ambrosius, OEcumenius, Theophilatus. Vnà etiam cum viduis filios monet, vt exponit Theodoretus, & in viduis omnes instruit vt explicat Chrysostomus, quem sequitur Iustinianus ibidem. *Domesticorum* nomine filios, & nepotes intelligunt Augustinus, & Theophilatus, licet alij vel sanguinis propinquitate coniunctos, vel ad eandem domum, & familiam pertinentes, vel domesticos fidei comprehendant. Sed vide quid dicat Paulus, eam qui suorum, siue filiorum & nepotum, siue sanguine coniunctorum, siue ad ipsius familiam & domum pertinentium, vel ad eandem fidem, curam negauit, vel abiecit, esse infideli deteriorem. Quod quidem quia nonnullis durius dictum videtur, accipiunt per exaggerationem, & hyperbolen quandam. At melius illi, qui interpretantur eum, qui suorum curam abiecit, negasse fidē, & esse infideli deteriorem, non verbis, sed facto ipso. Qui enim non opere præstat ea, quæ suadet fides catholica, quæ non destruit naturam, sed perficit, is quidem opere ipso in hac parte discessit â fide, & est infideli deterior, non quidem absolutè, sed in hac tantum parte. Sic D. Thom. & Caietanus. Est ergo infideli deterior, quia infideles suorum curam habent, & eorum necessitatibus prouident: cumque hoc illi naturæ instinctu faciant, catholicus & natura, & fide instructus ab eo præscripto discessit: præbet etiam occasionem calumniæ contra fidem, vt dixit in eo loco Chrysostomus. *Qui*, inquit, *propinquos genere, aut affinitate coniunctos asperna tur, quo pacto erit in alienos clemens? Nonne vanitati iudicio omnium erit obnoxius, si alienos beneficijs fouens, propinquos summa immanitate despiciat? Quid item, si illos de fide instruat, hos in errore iacere permittat? Quantæ istud immanitatis erit?* Et infra. *Quando, quod infidelis facit, tu facere negligis, nonne fidem negasti? Non in sola confessione, sed multo magis in effectu operis fides ostenditur.* Præbet igitur occasionem infidelibus male suspicandi de lege Euangelica, & fidē Christi blasphemandi, quod est quędam fidei negatio, qui suos deserit filios, neque ad pietatem erudit. Fidem itaque negauit non voce, sed facto, iuxta illud: *Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant, ad Titum* 1. Est infideli deterior, quia naturæ leges, & iura violat, de quibus Plutarchus in lib. *de amore prolis*, & alij apud Stobęum sermone 81. & Quintilianus declamat. 388. in quam rem multa congerit Iustinianus eo loco. Parentum etiam in liberos curam eleganter prosequitur optimus Philosophorū Seneca lib. 6. de benef. cap. 24. Augustin. lib. 19. de ciuitate Dei cap. 18. & epist. 119. Chrysostomus loco citato, & Ambrosius in eum locum Pauli.

2 Sed cum Paulus dicat eum, qui suorū, & maximè domesticorum curam non habet fidem negasse, & esse infideli deteriorem, videamus ad quam amussim debeant parentes conformare filios & familiam, vt blasphemi aut fidem negantis notam effugiant. Duo mihi cogitanti obijciuntur Patres. Primus est Augustinus, qui lib. 9. confes. cap. 9. dum matrē suā Monicā laudat, exemplum huius curæ parentis elegantissimum proponit. *Fuerat vnius viri vxor, mutuam vicem parentibus reddiderat, domum suam pie tractauerat, in operibus bonis testimonium habebat. Nutrierat filios, toties eos parturiens, quoties abs te deuiare cernebat. Postremo nobis Domine omnibus, qui ex munere tuo finis loqui seruis tuis, qui ante dormitionem eius in te iam consociati viuebamus, percepta gratia baptismi tui, ita curam gessit, quasi omnes genuisset, ita seruiuit, quasi ab omnibus genita fuisset.* Alter est Bernardus lib. 4. de cōsiderat. ad Eugen. licet enim agat cum Eugenio Pontifice, inde tamen ad omnes doctrina deriuari potest, qui publicam aut priuatam administrationem habent. *Omne*, inquit, *quod perperā agitur te præsente, id tibi turpius. Interest gloriæ sanctitatis tuæ, vt quos præ oculis habes, ita ordinati, ita sint informati, quatenus totius honestatis & ordinis ipsi speculum, ipsi sint forma. Inueniantur præcæteris oportet expediti ad officia, idonei ad sacramenta, ad plebes erudiendas solliciti, circunspecti ad sese custodiendos in omni castitate.* Et infra. *Multa nescias, multa dissimules, nonnulla obliuiscaris, sunt tamen, quæ ignorare te nolim, mores cuiusque, & studia nō oportet, vt vitia domus tuæ vltimus scias. Quapropter alius alia dispenset, de disciplina tu prouide, illud nemini credas, si insolentior coram te vel sermo sonuerit, vel habitus apparuerit, manus tua super eiusmodi, tu vltiscere iniuriam tuā. Impunitas ausum parit, ausus excessum. Sacerdotes domestici, aut cæteris honestiores aut fabula omnibus sunt. In vultu habitu, in incessu illorum, qui circa te sunt, nihil residere impudicū, nihil indecens patiaris.* Sed quid si aliquis durus sit, & regimini reluctetur? Audi quid respondeat Bernardus, quod ingenti solatio esse debet, cum subditus adeò peruersis moribus est, vt disciplina non profit. *Noli diffidere, curam exigeri, non curationem. Audisti, curam illius habe, & non, cura, vel sana illum. Non est in medico semper releuetur vt æger. Paulus loquitur, plus omnibus laboraui, non ait, plus om*

nibus profeci, aut plus omnibus fructificaui, verbum insolens religiosissime euitans. Nouerat homo quem docuit Deus, quia vnusquisque secundum suum laborem accipiet, non secundum prouentum.

3 Quod si parentes curam iam susceptorum filiorum habere iubentur, consequens est, vt quando matrimonium contrahunt, teneantur bono prolis prospicere, eiusque periculũ, quoad fieri possit, euitare. Quis hoc neget? Nam vt dixi supra cap. 2 hoc periculum, quod proli etiam ex huiusmodi matrimonijs frequenter imminet, est vnum ex capitibus, quæ hæc catholicorum cum hæreticis matrimonia reddunt illicita. Atque vt ea mala prolis educatio euitaretur, dixit Clemens Romanus epist. 4. colum. 2. ante medium. *Necesse est, vt salutis causa filius, qui sermonem receperit veritatis, à parentibus separetur incredulis, ac rursum pater separetur à filio, aut filia à matre. Quod si dicat aliquis: & quomodo iustum videtur separari filios à parentibus? Audi quo modo. Quia cum ipsis, si in errore permanẽt neque illis proderunt, & ipsi cum illis pariter interibunt.* Hinc etiam Toletanum 4. cap. 59. & 60. & Toletanum 17 canone 8. filios abstrahi præcipit à Iudæis ad recte educandum.

4 Sed cum hoc certum sit, cum fidelis cum hæretico contrahit, tenere iure naturali præcauere prauæ educationis prolis pericula, exquirendum est, quæ cautio, quæ diligentia sufficiens iudicari debeat, vt catholicus in eo matrimonio contrahendo excusetur à culpa? Id vt definiamus, nõnulla præoculis habenda sunt. Primum est prolem nõ esse primum, neque præcipuum finem matrimonij, sed individuam vitæ societatem, & communicationem, vt ostendi supra lib. 1. de matrimon. satis. Ex quo fit matrimonium etiam sine ordine ad copulam ex intentione contrahentium valide fieri, & inter impotentes, inter quos nulla futura est carnis commixtio, valide celebrari, & inter adstrictos voto, & steriles, a quibus nulla suscipiẽda proles est. Itaque dubitari nõ potest prolis susceptionem non esse primum, neque præcipuum finem matrimonij. Deinde non solum non est præcipuus finis prolis susceptio, verum & incertum est an suscipienda proles, etsi matrimonium contrahatur in ordine ad copulam. Quoties enim euenit, vel non suscipi liberos, aut ante legitimum natiuitatis tempus abortiuos esse, aut statim natos perire, vel ante vsum rationis, aut etiam ante id tempus, in quo ipsi bonum a malo, verum a falso discernere possint? Incertum etiam, an illi in potestate parentis catholici efficiendi sint, hæretico vita functo, vel e contrario. Quæ omnia ideò a me considerantur vt ostendam non tantam diligentiam adhibendam requiri in præcauẽdo periculo prauæ educationis, ac in præcauendo periculo peruersionis catholici contrahentis. Nam hoc periculum ab initio imminet, & certũ est: at illud incertum, an futurum omnino sit vel quantum futurum sit. Minor ergo cautio adhibenda in eo casu, quam in isto est, adhibenda tamen aliqua, & prudens.

5 Quantum autem diligentiæ adhibendum sit in eo præcauendo periculo, colligere possumus ex diligentia, qua parentes prouidere tenentur saluti spirituali filij iam susceptæ: ex nullo enim certiori principio colligi potest. Vt ergo, qua cura prouidere debeant parentes filijs iam natis, intelligamus consulamus Doctores aliquos. Nauarrus in manuali cap. 14. num. 17. eos parentes damnat peccati mortalis, qui fuerint notabiliter negligentes. Sufficit ergo moderata cura. Ludouicus Lopez in instructorio 1. p. cap. 54. §. *tenetur pater*, inquit. *nisi excusetur rationabili causa prouidere in spiritualibus.* Satis ergo est, si eam adhibeat diligentiam, quã prudenter potest adhibere. Sufficit ergo pacisci, vt coniugi catholico permittatur filios, & filias educare, nutrices designare vsque ad pubertatis annos. Iam enim ex eo tempore, si proles peruertatur, ipsi imputabitur, non negligentiæ coniugis catholici. Imo etiam si tale pactum non interueniet, satisfacturum credo coniugem catholicum curæ, quam tenetur adhibere, si fecerit quoad possit, vt educatio prolis illi committatur, & si postquam ad vsum rationis proles peruenerit, curauerit admonitionibus, consilijs, suasionibus veram religionem suggerere. Id quod expressisse videtur Serarius opusculo citato, num 47. ibi: *Insuper etiam laborandam vt filiorum suorum educationi, catholicæ, vxoris etiam conuersioni, quoad eius poterit, impensissime studeat.* Eo ergo studio satisfieri obligationi circa prolem iudicauit Serarius, qui magis acriter contra ista matrimonia inuehitur. Quod si omnis eius conatus irritus cesserit, illum coniugem catholicum suæ obligationi satisfeciisse crediderim, & rectè ab initio potuisse matrimonium inire, cum firmo proposito efficiendi quantũ in se fuerit ea, quæ prudentia dictauerit, vt recte proles educetur, & instituatur. Sic enim non poterit dici coniugem se negligenter gessisse, quod tantum postulat Nauarrus. Ex quibus

etiam

etiam constat nequaquam credendum satisfacere coniugem catholicum obligationi qua tenetur proli prospicere, si pactum ineat, vt filij apud patrem hæreticum, filiæ apud matrem catholicam educentur, quod pactum peccaminosum esse dixi supra lib. 7. de matrim. cap. 46. & Ioannes Azor, & docent alij Doctores communiter, & acriter, & grauiter, & verè reijcit Serarius opusculo citato, num. 15. & 16.

An Pontifex dispensare possit, vt catholicus copuletur hæretico, & quis eius dispensationis sensus?

CAPVT VIII.

1 REVOCANDVM est in memoriâ quod dixi supra cap. secundo huius opusculi, coniugium catholici cum hæretico illicitum esse absolute loquendo, & iure naturali, & iure etiam Ecclesiastico. Illo quidem propter pericula spiritualis salutis, isto vero propter leges Ecclesiasticas prohibentes. Iuxta hæc ergo primo dicendum est, necessariam esse dispensationem Pontificis, vt eiusmodi matrimonium licite contrahatur, vt pote quod ea dispensatione tollatur obligatio legis Ecclesiasticæ impedientis ea coniugia. In quo conueniunt catholici Doctores omnes sine controuersia. Sed quoniam obligatio, quæ nascitur ex prohibitione legis Ecclesiasticæ, potest consuetudine abrogari, ea enim est consuetudinis vis, sicubi iam ex contraria consuetudine receptum sit, vt sine dispensatione ea matrimonia contrahantur, iamnō erit necessaria dispensatio Pontificis: quod quidem probandū ex generalibus principijs in materia de consuetudine, & in hac specie docent Ioannes Azor, tomo 1. lib. 8. cap. 11. quæst. 5. & alij ex his, quos retuli supra cap. 3.

2 Sed hic inquiri potest, an requiratur causa ad eam dispensationem, & quæ sufficiat, & an existente iusta causa possit sine dispensatione contrahi, etiam vbi receptum non est ex consuetudine, vt non expectetur dispensatio, neque exigatur. Et quidē, quod ad primū attinet, decidendū est iuxta generalia principia in materia de dispensationibus, vbi examinatur, an sit necessaria causa ad dispensandum, & an dispensatio data sine causa valeat, neque enim in hoc est aliqua peculiaris difficultas, & nos satis explicuimus supra libro octauo de matrimonio capit. 14. a num. 10 tertio. Summa hæc est. Cum impedimentum hoc iure tantum Ecclesiastico inductum sit, dispensatio in eo sine causa data valida est, vt ibidem dixi, numero septimo, datur tamen cum peccato, si detur sine causa ibidem num. 4. vbi etiam explicui, an sit peccatum mortale vel veniale.

3 Quod ad secundum attinet, qualis, scilicet, causa requiratur ad dispensationem in hac materia, aliqua dissensio est. Nam Ioannes Azor tomo secundo, lib. quinto capit. secundo, quæst. 2. loquens de dispensatione Pontificis in isto casu, hæc scribit: *Sed non expedit talem dispensationem concedere, nisi primarijs viris, & ob commune pacis bonum, & hæretico id volente, & petente, & fidem dante suæ ad fidem catholicam conuersionis.* Vnde sentire videtur non licere dispensationem Pontificis, nisi ex causa publica, & hæretico petente dispensationem, & conuersionem promittente. Cæterum, si ideò Ioannes Azor exigat promissionem conuersionis coniugis hæretici, vt eo modo cesset periculum, ob quod ea coniugia naturali iure prohibentur, vt dixi supra capit. secundo, non omninò male loquitur, quamvis non satis consequenter ad ea, quæ dixerat tomo 1. loco citato. At nos nunc non agimus, nisi de dispensatione Pontificis, quando nihil aliud obstat istis matrimonijs, nisi lex Ecclesiastica, & causam legitimam huius dispensationis inquirimus.

4 Dico ergo in primis, non dubitamus commune pacis bonum, vel aliquorum regnorum concordiam, aut tranquilliorem statum catholicorum alicuius regni, causam sufficientem præbere dispensationi, etiam si neque hæreticus petat dispensationem, neq; conuersionem promittat. Cur enim necessario requiretur ad dispensationē ea conuersionis promissio? Ad vitandū periculū? Minime. Supponimus enim sublatum esse periculum, & solum obstare legem Ecclesiasticam. Ad tollendam autem obligationem eius legis Ecclesiasticæ, cur non erit causa sufficiens commune bonum, & ea quæ diximus, cum vel sola ea subsistente causa non dicetur Pontifex vti sua potestate ad dissipationem, sed ad ædificationem. Adde in alijs legibus Ecclesiasticis non minus strictè obligantibus, neque minoris momenti,

dispensare Pontifices ex similibus causis, imo & minus grauibus, velut in matrimonio viri cum duabus sororibus, aut eiusdem fœminæ cum duobus fratribus, & in matrimonio rato non consummato, & in conuictu & communicatione cum ipsis hæreticis, etiam diuturna. Ergo commune bonum, & ea quæ diximus iustã præbebunt dispensationi causam.

4 Dico rursus. Si tantum istis coniugijs obstet lex Ecclesiastica, quia legis naturalis obligationi sufficienter consultum est, & satisfactum, mihi videtur vel solam commoditatem conuictus humani præbere iustam causam dispensationi, neque maiorem requiri. Itaque sicut vt dispenset Pontifex in aliquo affinitatis, vel consanguinitatis gradu, sufficiens causa est commoditas ipsa coniugij, quod non possit mulier ita commodè alteri nubere, aut quia ex conuersatione, & colloquijs cum consanguineo fama eius aliquantulum denigrata est, eandem etiam causam existimo sufficientem, vt Pontifex dispenset in eo, quòd catholicus matrimonio iungatur hæretico. Quæ me in hanc sententiam inducunt, hæc sunt. Primum, quia semel sublato periculo, quod iure naturali obstabat, non est cur ea non reputetur sufficiens causa, cum sublata naturali obligatione, Ecclesiastica, quæ remanet, non multum vrgeat, vt ad eam abolendam grauior causa requiratur. Deinde ostendo ratione meo iudicio manifesta. Quia non minus fundamentum, siue causa requiritur ad derogandum legi ex parte, quàm ad dispensandum in ea comparatione alicuius personæ, vt satis manifestum est, cum eadem videatur esse ratio. At vt derogetur isti legi Ecclesiasticæ ex parte, sufficit commoditas coniugiorum. Ergo etiam ad dispensandum cum aliquibus. Minorem probo ex consuetudine recepta apud Germanos, & Polonos, & alias regiones, apud quas sine vlla dispensatione catholici matrimonio copulantur hæreticis. Nam quidquid de eo sit, an illi peccent contra ius naturale, at non peccant contra legem Ecclesiasticam iam abrogatam. Ea autem consuendo ex eo vires capit ad derogandum legi, quia adesse creditur consensus Pontificis derogantis. Sicut ergo tunc à principio consuetudinis præscriptæ adfuit sine peccato consensus Pontificis derogantis legi comparatione illorum hominum, ob communem conuictum, & matrimonij commoditatem, ita etiam nunc absque vllo peccato poterit Pontifex ex eadem causa dispensare, vt catholicus copuletur matrimonio cum hæretico. Ego sane nullam inuenio diuersitatis rationem. Quare, si aliquando Pontifex in aliqua dispensatione dixit se nec posse, nec debere dispensare, nisi adsit aliqua causa publici boni Ecclesiæ, & religionis restauratio, & augmentum, accipe illa verba de debito honestatis, multa enim licent, sed non omnia expediunt.

5 Quod vero attinet ad tertium, an scilicet iusta subsistente causa possit contrahi matrimonium catholici cum hæretico petita dispensatione, si negetur, aut etiam non petita. Decidenda res est ex communibus principijs in materia de dispensatione, de quo dixi supra dicto lib. octauo cap. citato, num. 7. In eo tantum casu etiam non petita, neque expectata dispensatione fieri posset quando ratione occurrentium circunstantiarum per EpiKeiam iudicaretur eam legem Ecclesiasticam in eo casu, non solùm deficere negatiue, sed contrarie, & damnosa esset tunc legis obseruantia, vt ibidem dictum est. Ad quod iudicandum magna prudentia opus est, cum & res grauis sit, & alias Pontifex, qui dispensationem negaret, superiorem non habeat. Quibus consonat, quod docet Suarez lib. sexto de legibus, cap. 18. num. 23. vbi hæc habet: *At vero si sit princeps supremus, qui negat dispensationem, quæ iudicatur debita, standum est iudicio, seu voluntati eius, nisi nocumentum tam graue immineat, vt non possit lex humana obligare cum tanto discrimine: quia extra hanc necessitatem lex non relaxata per dispensationem, semper obligat.* Videndus etiam est Ioannes de Salas de legibus, disputat. 20. sect. septima, nume. 74. vbi docet principem peccare mortaliter negando dispensationem, quando debita est, & ibidem optime etiam explicat, quæ dicatur adeò iusta causa dispensationis, vt debita videatur, ita vt ea subsistente, si Princeps non dispenset, peccare iudicetur: afferit que quando dispensatio est vel necessaria, vel valde vtilis bono priuato, debere concedi, probatque nonnullis argumentis, quæ apud ipsum videri possunt.

6 Ex his, quæ dicta sunt, facile est colligere, quis sit sensus dispensationis Pontificiæ, quando dispẽsat, vt catholicus cõtrahere possit matrimonium cum hæretico. Nam in primis, planũ est dispẽsare illum tantum in eo, quod eius potestati subiectum est, videlicet, in lege Ecclesiastica impediente, ea matri-

matrimonia. Deinde certum est illum nec dispensare, nec posse in lege naturali prohibente ea coniugia ratione periculi. Quare, si adhuc dispensatione posita Pontificia esset periculum peruersionis, nequaquam liceret illud matrimonium prætextu dispensationis Pontificiæ, quia remaneret integra, & vigens naturalis obligatio. Addo tamen, cum Pontifex dispensauerit, vt illud matrimonium ineatur, postquam res ad eum delata est, & cum illo communicata, temeritate non carere eum, qui in dubium reuocauerit, an licitè illud matrimonium possit contrahi. Quia non potest hoc in dubium verti, nisi affirmetur vnum è duobus, aut Pontificem rem eam non benè considerasse, neque satis perspectam habuisse, neque attendisse, an in eis circunstantijs propositis cesset subuersionis periculū, & an satis cautum sit debitæ prolis generationi, aut errasse dispensando. Quodlibet affirmare temeritatis est. Nam si inconuenientia adeò nota sunt, vt manifestum sit non cessasse periculum iuxta regulas humanæ prudentiæ, magnæ oscitantiæ argueretur Pontifex, si in eis circunstantijs dispensasset, & in ea specie dispensaturum credi non potest. Si vero res tantum est dubia, & videmus eam dispensationem Pontificis emanasse, magna temeritas est, plus de suo priuato iudicio præsumere eum, qui adhuc affirmat non licere, quam de iudicio Pontificis. Eneruat quidem ea consideratio modum, quem catholici vnicum obseruant eximendi se à multis scrupulis in rebus dubijs. Satis enim se tuto agere credunt, si consulāt Pontificem in re dubia, & obtenta ab eo dispensatione operentur. Itaque ex nullo alio capite certius iudicare possumus, sine scrupulo operari nos posse, quàm si re ad Pontificem, verè delata, & cum illo communicata ipse dispenset. Quare qui dispensatione Pontificia iam obtenta adhuc tale matrimonium illicitum iudicaret, grauissimis esset pœnis coercendus, tanquam qui iniurius esset auctoritati Pontificiæ.

Quomodo celebrandum sit matrimoniū catholici cum hæretico?

CAPVT IX.

1 IN hoc capite nonnulla explicanda sunt, quæ quia difficilem exitum habere videntur, non paucos induxere, vt sibi persuaderent nequaquam ista matrimonia posse sine peccato contrahi.

Forma in celebrando matrimonio sine peccato contrahentis, & parochi discutitur.

§. I.

2 PRIMVM spectat ad formam, secundum quam tale matrimonium contrahendum est, neque enim appareret qua forma incundum sit. Sed dicendum est non obscuram esse huius rei decisionem. Nam si matrimonium contrahat catholicus cum hæretico in eo loco, in quo receptum est Tridentinum, siue per se, siue per procuratorem contrahat, seruanda est forma à Tridentino præscripta, vt scilicet, præsente parocho, & duobus aut tribus testibus contrahatur. Nam ea forma non tantum præscripta est pro matrimonio vt sacramentum est, sed etiam vt contractus est, & ideò neque in ratione contractus subsistit, nisi ea forma seruata. Quod idem verum esse, quamvis tanquam aduenæ in eo loco versentur, constat ex dictis supra lib. 5. At si matrimonium celebret catholicus cum hæretico in eo loco, vbi Tridentinum nondum receptum est, siue sit catholicorum, siue hæreticorum prouincia, non est necessaria ea forma, sed etiam sine testibus, & sine denunciationibus valebit matrimonium, & in catholicorum prouincia licitè contrahitur præmissis tantum denunciationibus iuxta formam in capite *cum inhibitio, de clandest. desponſ.* In hæreticorum vero prouincia, in qua forte iam ex contraria consuetudine non seruatur ea lex Canonica de præmittendis denunciationibus, contrahetur etiam sine illis non solum valide, sed sine peccato. Quæ quidem omnia ex generalibus principijs absque vlla speciali difficultate colliguntur.

3 Sed quærunt aliqui, an peccet parochus assistens eiusmodi matrimonijs. Serarius in opusculo citato capite tertio, ex numero 21. contendit peccare grauiter parochum, qui assistit istis matrimonijs, nisi quādo coniux hæreticus promittit conuersionem. Eius fundamentum in eo consistit, quòd putat parochum cooperari matrimonio hæretici & catholici, non quidē quia sit minister, vt existimauit Ganus, sed quia in

genere causæ materialis, aut dispositiue, aut tanquam causa sine qua non concurrit, quatenus eius præsentia reddit habiles contrahentes, qui sine illa habiles non essent ad matrimonium post legem Tridentini. Cum ergo contrahentes peccent, assistere parochum illorum matrimonio est eorum peccato cooperari, quod non licet. Addit ideò etiam peccatum committi ab eo parocho, quia interueniunt Missa, benedictiones, sacra Communio, quam etusmodi peccatoribus impertiri crimen est.

4 Cæterum ego existimo nullum esse peccatum parochi, quod assistat istis matrimonijs. Et in primis, si non seruatur Tridentini decretum, quia receptum non est, plane constat nullum peccatum committi in ea assistentia, cum necessaria non sit, aliàs omnes illi, coram quibus celebraretur, peccarent. In eo enim casu non cooperatur tali matrimonio, si quidem eius valor tunc parochi præsentia non indiget. Deinde, si celebretur matrimonium, vbi Tridentini forma recepta est, quoties matrimonium licite contrahitur iuxta dicta in superioribus, licitè etiam assistere parochum dubitari nõ potest, si quidem assistit actui licito. Cumque Serarius fateatur rectè parochum assistere, quando est vel promissio, vel spes conuersionis, quia in eo casu existimat licitè contrahi matrimonium: idem concedẽdum est, in quouis casu, in quo ex alia causa sine crimine celebretur. Dico *sine crimine*, quantum est ex eo capite, quòd sit matrimonium catholici cum hæretico. Quod enim coniux aliquis siue hæreticus, siue catholicus in eo contractu peccet, quia ex peculiari, & priuata sua intentione, aut motiuo vult cum peccato ministrare, non efficit vt peccet parochus assistens. Aliàs etiam quãdo duo catholici contrahunt, si parochus sciat illos contrahere in peccato, non posset assistere, quod est falsum. Rationem indicabimus paulo post.

5 Denique dico, Etiamsi catholicus cum hæretico celebret matrimonium illicitè, ideſt, sine causa iusta excusante earum nuptiarum contractum, adhuc censeo parochum assistentem non peccare. Moueor fundamento oppositio fundamento Serarij. Quia parochus assistens non cooperatur illicitæ celebrationi matrimonij. Ergo non peccat, dum assistit. Antecedens probo, tùm quia ille tantùm est testis qualificatus cum potestate substituendi, vt explicui lib. 5. de matrimonio. Alioquin dicendum esset alios etiam testes peccare, dum assistunt illi matrimonio, quod Serarius negat. At quamvis inter parochum & testes conetur assignare discrimen, tamen quantum ad hoc nullatenus discriminantur. Tam enim parochus, quàm testes reddunt contrahentes habiles ad matrimonium, neque parochus sine testibus, neque testes sine parocho sufficerent. Si ergo, quia parochus reddit illos habiles ad sic contrahendum, ideò Serarius putat eum esse causam cooperantem, idem etiam de testibus affirmare deberet: quod si testes non cooperantur celebrationi matrimonij, neque parochus. Tùm præterea probo idem antecedens, scilicet, non cooperari parochum illicito matrimonij contractui. Quia parochus non assistit actui de se malo, sed quem culpa sua contrahentes praue faciunt, cum possent honestè facere. Ea autem est regula generalis, & apud me certissima, quam multis demonstraui supra libro quinto de matrimonio, cap. 18. Quoties vel pecto actum, vel ministro actui, quem posset alius bene præstare, & sua culpa facit malè, non dicor ego cooperari peccato illius, sed à culpa sum immunis omnino. Hoc explicabamus ibi innumeris exemplis, & in petitione mutui ab vsurario, & sacramenti ab excõmunicato, & venditione agni immolandi á Iudæo, quem scit venditor ad immolandum emere, & locatione domus meretricibus, & remigatione Christianorum captiuorum apud Turcas contra Christianos, & alijs multis. Cum ergo catholicus, & hæreticus contrahentes possint honestè contrahere, quia posset ille conuersionem promittere, & culpa sua non promittit, neque offert eius verosimilem spem, inde est, quòd parochus assistens tali actui, qui culpa contrahentium fit perperam, non dicatur eorum peccato cooperari. Constant hæc omnia ex dictis supra lib. 5. cap. 18. citato.

6 Ex his colligo idem omnino dicendum esse de Episcopo, qui præbet licentiam catholico ad contrahendum matrimonium cum hæretico. Quoties enim illi sine peccato contrahunt, non peccat Episcopus licentiam concedendo, vt etiam affirmauit Serar. opusc. cit. cap. 4. Potest autem contingere, quod contrahentes nõ peccent contrahẽdo, non solũ quando conuersio promittitur ab hæretico, sed etiã quando ob cõmunẽ conuictũ ea matrimonia iudicantur necessaria, & alias ex more, & cõditione gentis cessat periculum peruersionis, vt supra explicatũ est.

Qua-

Quare non crediderim peccare Episcopus in Germania, & Polonia, & similibus regionibus infectis tolerando eo coniugia, quia verisimiliter cessat eiusmodi periculum iuxta supra dicta. At in eo differt Episcopus à parocho, quòd Episcopus ratione sui officij tenetur impedire, ne talia matrimonia contrahãtur cum peccato, quoad fieri possit. Satisfaciet autem ille suo muneri, si conetur impedire. Quod si impedire non possit, non peccabit tolerando eorum coniugiorũ celebrationem, vt citato loco docet Serar. Atque idem, quod diximus de parocho, dicendum est de eo Sacerdote, qui ex parochi vel ordinarij licentia assistit matrimonio propter easdem rationes.

7 Sed nunquid peccabit parochus, eo quod communicat cum excommunicato in sacramento matrimonij? Est enim hæreticus excommunicatus a iure. Sed neque ex hoc capite peccat parochus. Ratio est, quia ille parochus non communicat in sacramento, cum non ministret sacramentum, sed tantum sit testis sacramenti, quod ipsi contrahentes ministrant. Ex alia vero parte ob eam communicationem non peccat, quia non sunt hæretici nominatim denuntiati, & eorum excommunicatorum, qui denuntiati non sunt, non teneor communicationem, & communem conuictum euitare iuxta Extrauagantem Martini V. *Ad euitanda scandala*. Et quamvis denuntiati sint, vtilitas, vel necessitas inter alia excusat a peccato communicantem cum excommunicato. Est autem coniugi catholico rectè contrahenti necessaria parochi præsentia, qui per cõnexionem trahit ad se hæretici personam, & reddit licitam communicationem cum illo in eo casu. Quæ omnia ex principijs generalibus constant in materia de excommunicatione, & ideò in istis non est amplius immorandum.

8 Illud etiam pertinet ad formam celebrandi coniugij, vt in eo matrimonio catholici cum hæretico non interueniant benedictiones, quas vulgo vocant, *velaciones*, non sacra communio, non Missa, quia corã hæretico ex nulla causa celebrari, potest, neque ex grauissimo metu. At ea ad valorem matrimonij necessaria non sunt, & ideò sine illis constat tale matrimonium. Ex eo autem, quod ista coram hæretico sine peccato fieri non possunt, non rectè colligitur non posse hæc matrimonia sine peccato fieri, cum contractus matrimonij ante benedictiones sit omninò perfectus. Vt autem in loco sacro fiat matrimonium, non est necessarium, cum neque ad matrimonium inter catholicos requiratur, vt dixi supra libro quinto.

Qualis intentio catholici, & quæ in hæretico sit sufficiens ad valorem matrimonij?

§. III.

9 RESTAT de intentione dicamus. Et quidem coniugis catholici ea intentio esse debet, vt faciat quod Christi institutio voluit, ea enim necessaria est, vt matrimonium sit sacramentum. In hæretico quoque sufficit intentio faciendi, quod Christus ordinauit, vel vera Ecclesia tenet, quæuis illa sit. Hanc enim intentionem sufficientem esse ad valorem sacramenti ostendi in tractatu de Sacramentis in Genere, quamvis hæreticus in particulari errat, existimans suam Ecclesiam esse veram, vel Christum nihil instituisse de Sacramento Matrimonij. Sunt enim isti errores tantum concomitantes matrimonium, nullam vero in illud efficacitatem habent, & ideò ex illis nihil vitij in matrimonium detiuatur. Ea ergo sola intentione sacramentum erit matrimonium catholici cum hæretico, & catholicus accipiet gratiam, si aliud impedimentum non apponat, hæreticus carebit effectu sacramenti, hoc est, gratia. Erunt autem causæ gratiæ ipsi ministri. Cum enim in hoc sacramento speciale sit, quod ipsi contrahentes sint ministri, ipsi etiam sunt causa gratiæ, quæ in eo confertur. Quare ad gratiam, quæ in eo casu dabitur coniugi catholico, tam catholicus, quam hæreticus concurrent tanquam instrumenta moralia, vt ibidem docui. Neque in hoc est aliqua maior difficultas, quã in eo, quod affirmat doctrina catholica, hæreticum posse esse ministrum Baptismi, & Ordinis, & Confessionis in extrema necessitate. Sicut enim ille, quamvis hæreticus, in his casibus est instrumentum gratiæ; ita etiam in nostro casu erit causa instrumentalis gratiæ, quæ producitur in coniuge catholico. Nec vero peccat coniux catholicus præbens se ministrũ gratiæ cõparatione hæretici, qui eã nõ recipit, cũ id non accidat ex defectu catholici, sed culpa hæretici, qui ex

impedimentum apponit, vt in alijs etiam sacramentis dicendum est.

10 At si hæreticus nullam habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia in matrimonio, & ex consequenti nolit conficere sacramentum, matrimonium sane illud sacramentum non erit. Non enim satis est ad sacramentum matrimonij sola recta intentio coniugis catholici, cum ad sacramentum requiratur intentio ministri, & vterque contrahens sit causa partialis huius sacramenti, quod dependet ab intentione vtriusque. Si vera esset opinio quorundam recentiorum asserentium matrimonium esse duo sacramenta partialia, sicut de speciebus panis & vini, philosophantur Doctores in Eucharistiæ sacramento, facile diceretur partiale sacramentum, quod pendet ex intentione coniugis catholici, fieri quidem, aliud vero partiale, quod ad hæreticum spectat, non fieri. Sed eam opinionem non probamus, asserimusque sacramentum matrimonij esse vnicũ indiuisum pendens ab vtriusque intentione tanquam a causa, & ita qualibet earum deficiente circa rectam intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, sacramentum non fieri. At quamvis tale matrimonium non valeat in ratione sacramenti ex defectu intentionis, valet tamen in ratione contractus. Nam etiam post institutionem Christi inter catholicos separabiles esse duas istas rationes dixi supra lib. 1. de matrimonio. Erit ergo tale matrimonium catholici cum hæretico, si in hoc non sit intentio faciendi quod Ecclesia vera intendit, vel Christus instituit, contractus quidam naturalis, non sacramentum, perpetuusque & insolubilis ex se iure naturali, vt etiam eodem lib. 1. dictum est. Catholicum autem sic cõtrahentem cum hæretico, quẽ scit cum peccato contrahere, aut sine intentione requisita ad sacramẽtum, non peccare, modo ipse habeat debitam intentionem, eodem modo declarandum est, ac supra dicebamus de parocho. Non enim cooperatur catholicus peccato hæretici ministri, si quidem ille sua culpa praue ministrat, cum posset bene, & alias catholico matrimonium illud est vtile spiritualiter, vel temporaliter, & ideò non tenetur omittere, vt dixi lib. 5. de matrimo. cap. 18 citato.

11 Sed quid si hæreticus in eo sit errore, vt existimet matrimonium esse ex causa dissolubile, & licere libellum repudij, vt olim in lege ante Christum, in quo errore nonnulli hæretici versantur. Res est facilis explicatu iuxta dicta. Quamvis hæreticus eum errorem habeat, & mente retineat, vel explicet, si tamen vult contractum matrimonij celebrare iuxta suam naturam, quæcunque illa sit, valebit contractus, & erit insolubilis, quia error ille tantum est concomitans, & ab eo nullum vitium in matrimonium deriuatur iuxta generalia principia in materia de sacramentis in genere, quæ hic suppono. Si vero expresse velit ita contrahere, & non aliter, siue eum animum explicet, siue mente retineat, nullum est matrimonium. Est enim ea matrimonij qualitas, cui innititur is contrahens, veluti quædam conditio, quæ est contra substantiam matrimonij, & conditiones contra substantiam vitiant matrimonium, *capite finali de condit. appos.*

12 Neque aliqua difficultas esse potest in hac re, quod ad ius attinet: solùm de facto potest esse difficultas in cognoscendo, qui hæretici isto errore teneantur, neque enim omnes tenentur. Nam ego apud hæreticos hæc reperio, adulterium, vel discessionem malitiosam, & contumacem esse causam diuortij, & dissolutionis matrimonij iure, vt illi credunt, diuino: & in his casibus non esse liberũ etiam innocenti contrahere matrimonium, nisi multis monitionibus præmissis vt se nocenti reconciliet, quæ si adhuc non sufficiant, & non potest innocens continenter viuere, datur licentia ducendi aliam vxorem, & matrimonium dissolutum esse decernitur. Quod idem seruant in discessionis malitiosæ causa. Ac ne sine teste loquamur, accipe verba Ioannis Scheneiduuini hæretici primæ classis. *Inst. de nupt. part. 4. de diuortio, numero 35.* agens de diuortio adulterij causa, inquit hæreticus: *Theologi autem, & Consistoriales in Ecclesijs nostris contrarium Canonistis tenent, & pronuntiant, seruato hoc processu, quod adhortantur innocentem ad reconciliationem: Ecclesia enim non claudit gremium redeuntibus, vt citur in cap. super eo 4. de hæret. in 6. Etsi innocens post multas admonitiones nocentem recipere noluerit, iterum admonent innocentem, vt ab alio coniuge abstineat viuente adultero. Sed si se continere, & caste viuere non potuerit, & se ad aliud matrimoniũ conferre voluerit, tandẽ conceditur ei, vt alij nubat.* Idem hæreticus eadem parte nume. 44. cum agit de diuortio ob discessionem contumacem, & malitiosam inquit: *Theologi, siue Consistoriales nostri hunc processum obseruare solent, vt pars deserens per legitima internalla ter per publica edicta citetur*

tctur in loco, vbi contraxerunt partes matrimonium, & habitarunt, & vbi habent cognatos, vt præsumatur citationem ad eius notitiam peruenire posse, secundum Glossam in dicto cap. Perlatũ, in verbo parentibus, qui fil. sint legit. Sed & in diuersis territorijs huiusmodi citationes publicæ affiguntur, & si cõtempta citatione contumaciter non compareat, parti innocenti, si continere se nequeat, permittitur alteri nubere. Etsi deinde redeat desertor, debet puniri, vel virgis cædi, vel decapitari. Huiusmodi enim desertiones raro, aut nunquam sunt sine adulterio, alias desertor maneret domi apud coniugem, & liberos suos. Audiamus alium hæreticum testem de facto proprio deponentem, is est Cõradus Ritershusius hæreticus etiam primæ classis, ad Nouellas Iustiniani part. 4. de nupt. ca. 9. cum agit de dissolutione matrimonij ex causa adulterij, quam solam refert, inquit: *Non leuiter permittitur etiam innocenti, qui repudium misit, vt secundum matrimonium contrahat, sed per hos quasi gradus ad id peruenitur.* Et statim eadem subijcit, quæ Scheneiduuinus eodem citato, & Beustio hæretico de matrimonio part. 2. cap. 25.

13 Sed & catholici, qui contra hæreticos scripserunt, non omnibus eum errorem tribuunt, vt existiment dissolui matrimoniũ posse, nisi in certis causis, quas illi hæretici putant de iure diuino esse, non humano. Bellar. qui attente libros hæreticorum legisse creditur, tom. 3. lib. 1. de matrimonio cap. 16. quamvis Lutherum referat, qui in posterioribus libris crescente impudentia plures, & leuissimas excogitauit causas dissolutionis coniugij, cum in primis curis tantum ob adulterium dissolui agnouisset, quamvis etiã referat Martinum Bucerum, qui Lutheruni impudentia superauit, & asseruit dissolui posse quacunque ex causa sibi coniuges displicerent. Attamen refert etiam Philippum Melãctonem tantum in causa adulterij, aut iustę desertionis asserere matrimonium dissolui, & Brentium in causa tantum adulterij. Caluinũ sequitur Kemnitius, & in adulterij causa tantũ dissolutionem probat. Qui ergo à puro Lutheranismo discedentes ad Caluini partes declinarunt, & eius Magistri nomine gloriantur, non ex quacunque causa dissolui credunt, sed ex adulterio, quã causam putant iure diuino contineri, dum apud Matthæum dixit Christus, *excepta fornicationis causa.* Habent ergo illi intentionẽ faciendi in matrimonio totũ id, quod Christus inesse matrimonio voluit, quoad eius firmitatem, & ex consequenti sufficientem intentionem habent ad perpetuitatem matrimonij. Eadem fere cum Bellarmino attingit Gregorius de Valentia tomo quarto disputat. 10. generali, quæst. 1. part. 7. in principio.

14 Illud addendum falso etiam generaliter hæreticis attribui, quod dicant matrimonium hæretici cum catholico apud eos nullum esse, aut si sciat esse catholicum cõiugem, posse ab illo discedere, & matrimonium dissolui. Et quidem quod ad primam partem attinet, obstat experientia, cum sint non pauci hæretici, qui in Belgio, Germania, Polonia & alijs regionibus infectis matrimonia ineunt cum catholicis. Quibus parum obstat vnus Albericus Gentilis, qui ea matrimonia hæretici cum Papista nulla esse vult. Constat enim ex facto ipso illius sententiam nõ admissam ab ipsis hæreticis. Sed neque secundum apud eos receptum video. Nam plane Vvesembechius hæreticus in Paratitlis, *de ritu nuptiarum*, nu. 8. multis contendit, etiam si quis hæreticam ducat ignorans esse hæreticam, & postea sciat, & matrimonium valere, & dissoluendum non esse. Quanto magis id affirmandum erit, si abmittio cõtraxit cũ hæretica, aut vt illi loquũtur, Papistam esse cognoscens. Atque ex his quæ hactenus dicta sunt, satis constare potest, cum quibus hæreticis contrahi matrimonium possit, quod valeat in ratione contractus ratione debitæ intentionis, & cum quibus secus, ex eiusdem defectu. Atque de his hactenus.

.?.

LAVS DEO.

LAUS DEO.

INDEX LIBRORVM CAPITVM, ET SVMMARIORVM.

LIBER PRIMVS.

De matrimonij institutione, & essentia, pag. 3.

CAPVT PRIMVM.

De matrimonij varia appellatione pag. 3.

COmmendatio matrimonij ex Iustiniano, Iustino Leone Imperatoribus, & Ambrosio, n. 1 pag 3.
Varia vocis matrimonij significatio, n. 2, pag. 4.
Matrimonium, & coniugium, & sponsalia, & nuptias vocari: redditur vnius cuiusque vocis ratio: illustratur locus ex Genesi. Nuptiarum nomen sæpe à matrimonio significatione distingui, n. 3. pag. 4.

CAPVT II.

Explicatur definitio matrimonij, pag. 5.

In matrimonio plura considerari, & ideò plures etiam eius definitiones esse, n 1. pag 5.
Definitur matrimonium, vt dicit vinculum, ex contractu resultans, n. 2. pag. 5.
Huic accedit communis definitio, n 3. pag. 5.
Definitio I.C. & Imperatoris, n. 4. pag. 5.
Diuini, & humani iuris communicatio, à quibusdam explicatur, non rectè, n. 5. pag. 5.
Legitima eius explicatio. Publica & priuata sacra. Nonnulla ex iure, & auctoribus illustrata, n. 6. & 7. p. 6.
Quid sit illud humani iuris: n. 8. pag. 6.
Reprehensio Zabarelæ reijcitur. Quodlibet matrimonium ea definitione comprehendi, n. 9 pag. 6.
Matrimonij, vt sacramentum est variæ definitiones ex Maiore, Rubione, Valentia, & Toleto, n. 10. p. 6.

CAPVT III.

A quo sumpserit originem institutio contractus matrimonij. pag. 7.

Variæ sententiæ de institutione matrimonij, n. 1. p 7.
Alij institutum à Deo, non tamen immediate Adamũ protulisse illa verba. Hoc nunc os, &c. nõ Deum ex Patribus, & Tridentin. ostenditur, n. 2. p. 8.
Alij iure diuino positiuo, & naturali institutum dicũt, num. 3. pag. 8.
Esse iuris naturalis, institutionem matrimonij, num. 4 pag. 8.
Diuiditur ius naturale iniustitiæ & vtilitatis, n. 5. p. 9.
Institutionem sumptam pro celebratione fuisse in Paradiso, n. 6. pag 9.
In hoc sensu explicantur Doctores, & Pontifices, & Concilia Colonienſe, & Moguntinum, & Augustinus, & Bonifacius VIII. n. 7. pag. 9.
Neque illis verbis. Non est bonum hominem esse solũ neque illis. Hoc nunc os: neque illis: crescite & multiplicamini: neque in Euæ formatione, institutum matrimonium, nu. 8. p 9.
Vnicam tantum non duas fuisse institutiones matrimonij contra nonnullos, num. 9. pag 10.
Matrimonium licitum esse. Contrahæreticos, breuiter ostenditur, & remittitur ad alios. qui late, uum. 10, pag. 10.

CAPVT IIII.

Extitisse præceptum de matrimonio contrahendo nec reuocatum. pag. 11.

Præceptum extitisse; esse tamen diuinum positiuum nonnulli sentiunt, num 1. pag. 11.
Verius est esse naturale deductum ex principijs naturalibus, num. 2. pag. 11.
Explicatur Chrysostomus, num. 3. pag. 11.
Illa verba crescite, & multiplicamini, esse declarationem præcepti, num. 4, pag. 11.
Obiectiones Benedicti Pereira proponuntur, & diluũtur, num. 5. pag. 12.
Nunc extare præceptum, & singulos obligare Hæretici docent, & refelluntur, num. 6. pag. 12.
Catholici iam reuocatum, vel tantum communitatẽ obligare, non singulos docent: num. 7. pag. 12.
Verius, non reuocatum, eius tamen obligationem cessasse, cessante causa, considerantur duplici generis præcepta naturalia, num. 8. pag. 12.
Consilium de virginitate, non pugnare modo cũ præcepto matrimonij, num. 9. pag. 13.
Explicantur nonnulla ex Diuo Thoma, & elegans Augustini votum, num. 10. pag. 13.
Deficientibus sæcularibus, non fore necessarium, vt religiosi nuberent, contra nonnullos recentiores, num. 11. pag. 13.
Non pugnat cum dictis, quod quis in aliquo peculiari casu teneatur contrahere matrimonium, numero 12. pag. 13.

CAPVT V.

De institutione matrimonij, vt sacramentum est, pag. 13.

In statu innocentiæ, naturalis, & veteris legis matri-

monium non esse sacramentum, contra quosdam, num.1.pag.14.
Matrimonium elevatum à Christo ad rationem sacramenti, num.2.pag.14.
Siricij Papæ testimonium explicatur, n.3.p.14.
Quædam hæreticorum argumenta diluuntur, n.4.p.14.
Quædam Catholicorum sententia asserens, non esse proprie sacramentum reijcitur, & ostenditur damnatam fuisse etiam ante Tridentinum, n.5.p.14.
Examinatur, an ex Paulo ad Ephesios 5. recte probetur matrimonium esse sacramentum, n.6.& 7.p.15.
Contra id testimonium hæreticorum, & Erasmi argumenta diluuntur, num.8. & 9.pag.15.& 16.
Non colligi ex eo loco matrimonium esse sacramentum, num. 10.pag.16.
Neque ex Paulo 1.ad Timotheum 2. num.11.p.16.
Neque ex Augustini testimonijs, num.12.p.16.
Neque ex eo quod post Christum matrimonium sit magis indissolubile, quam antea, num.13.p.17.
Solum haberi ex traditione. Idque confirmatur testimonio Tridentin. quæ traditio ex varijs signis colligitur, num.14.pag.17.

CAPVT VI.

Explicatur quando matrimonium sit institutum sacramentum, & colliguntur nonnulla de insidelium matrimonio. pag.17.

Variæ occasiones, in quibus nonnulli dicunt institutũ à Christo sacramentum matrimonij, n.1.p.17.
Incerta omnia, certum tantum institutum; Tridentini testimonium expenditur, n.2.& 3.pag.18.
Matrimoniũ infidelium non esse sacramentũ, n.4.p.18.
Explicatur Innocent. in cap. veniens de sponsalibus, num.5.pag.18.
Explicatur idem Innocentius in cap. gaudemus de diuortijs, num.6.pag.19.
Matrimonium fidelis cum infideli, ex nulla parte esse sacramentum, num.7.pag.19.
Explicatur locus Pauli, 1.Corinth.7.n.8.p.19.
An conferatur tanta gratia in hoc sacramento, quanta in alijs, num.9.pag.19.
Non conferre hoc sacramentum primam gratiam ex accidenti, contra nonnullos, num.10.pag.19.

CAPVT VII.

De forma, & materia matrimonij, vt contractus, & vt sacramentum. pag.20.

Explicatur quod quæritur, num.1.pag 20.
Reijcitur opinio Catherini, nu. 2. Referuntur aliæ, & reijciuntur vsque ad num.11.pag.1 0.2 1.22.
Vera sententia de materia, & forma matrimonij, num. 12.pag.22.
In matrimonio non distingui materiam circa quam à materia ex qua, num.13.pag.23.
Explicatur magis materia, & forma matrimonij, num. 14.pag.23.
Eadem est materia matrimonij, etiam vt sacramentum est, num.15.pag.23.
Eadem est infieri contra nonnullos, & non tantum in facto esse, num. 16 pag.24.
Licet matrimonium sit sacramentum, non esse sacrilegium violare torum, n.17.pag.24.
Explicantur in matrimonio res tantum, sacramentum tantum, res & sacramentum simul, num.18.p.24.
Quomodo Ecclesia aliquid immutaverit circa materiã forma, & ministrum huius sacramenti, n.19.p.25.
Matrimonij contractum ob elevationem ad sacramentum reservatum iudicio Ecclesiæ, n.20.pag.25.

CAPVT VIII.

Eundem esse ministrum matrimonij, vt cõtractus & vt sacramentum est, & nonnulla de ministro colliguntur. pag.25.

Refertur sententia Cani cum suis fundamentis, & etiam Toleti, n.1.pag.28.
Quid sentiat Ledesma de ea sententia, n.2.p.26.
Esse nota dignam post Tridentinum, n.3.p.26.
Reijcitur probatio quorundam, n.4.p.27.
Etiam post Florentinum esse nota dignam, n.5.p.27.
Ratio qua id à nonnullis probatur reijcitur, n.6.p.27.
Etiam ante Florentinũ esse improbabilem, n.7.p.27.
Impugnatur Toleti sententia, n.8.pag.28.
Diluuntur argumenta Cani, n.9.pag.28.
Contrahentes matrimonium esse causas instrumentales gratiæ duplici ratione, n.10.pag.28.
Eum qui contrahit in peccato mortali, duo peccata committere, num.11.pag.28.
Duos esse ministros huius sacramenti in sua institutione, & partiales causas, non tamen partialia sacramẽta, n.12.p.29.

CAPVT IX.

Rationem contractus in matrimonio inter fideles separari posse à ratione sacramenti, nec posse de nuo effici sacramentum. pag.29.

Requiri in ministris intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, vt matrimonium sit sacramentũ, n.1.p.29.
Sentiunt aliqui inter fideles non posse separari rationem contractus, & sacramenti, n.2.pag.30.
Opposita sententia verior, n.3.eius fundamenta, n.4. & 5.pag.30.
Fundamenta contrariæ diluuntur, n.6.p.31.
Sententia asserens matrimonium prius validum in ratione contractus posse postea effici sacramentum, & duo modi illam explicandi, n.7.p.31.
Verior opposita sententia, & prior modus refellitur, num.8.pag.31.
Secundus modus reijcitur, num.9.pag.32.
Proponitur obiectio, & diluitur, n.10.pag.32.
Excluditur alius modus, qui excogitari posset, separandi contractum à sacramento, n.11.pag.32.

CAPVT X.

Matrimonium inter absentes, & per procuratorẽ valere in ratione contractus, & in ratione sacramenti. pag.32.

Valere matrimonium inter absentes, per procuratorẽ, vel epistolas, etiam post Tridentinum in ratione cõtractus, num.1.pag.32.
Non valere in ratione sacramenti, quorundam opinio est, num. 2.pag.33.
Opposita sententia verior probatur, n.3.pag.33.
Optima ratione refelluntur Cani, & Caietani fundamenta, num.4.pag.33.
Sentiunt nonnulli procuratorem esse materiam matrimonij inter absentes, num.5.pag.34.

Expli-

Explicatur vera sententia, num.8.pag.34.

CAPVT XI.

Quæ significationes conueniãt matrimonio, & quo tempore.pag.34.

Proponuntur bona matrimonij,num.1.p.35.
Quo sensu dicatur illis excusari matrimonium quorũdam explicatio,n.2.pag.35.
Quo sensu vere dicatur,num.3.pag.35.
Tres significationes conuenire matrimonio,n.4.p.35.
Sacramentum matrimonij,dum fit, significare coniunctionem Dei cum anima per gratiam,n.5.p.36.
Vinculum remanens significare coniunctionem Christi cum Ecclesia per sacramentum fidei,n.6.p.36.
Matrimonium consummatum habere significationem vnionis hypostaticæ,n.7.pag.36.
Quo ordine significentur vniones matrimonio, n.8.37
Istas significationes non conuenire matrimonio à sui initio: & probatur de significatione coniunctionis cum anima fideli per gratiam, n.9.pag.37.
Significationem vnionis Christi cum Ecclesia conuenire matrimonio à sui initio quorundam opinio est, num.10.pag.37.
Conuenire tantum ex institutione Christi communis, & vera sententia est,n.11.pag.37.
Quo sensu intelligendus sit Leo,& alij,n.12.p.38.
Explicatur etiam Innoc.in cap.gaudemus,n.13.p.38.
Magis explicatur quomodo istæ significationes conueniant matrimonio, n.14.pag.38.
Has significationes conuenire matrimonio sine dependentia inter se,sed seperabiliter,n.15.p.38.

CAPVT XII.

De indissolubilitate matrimonij variæ sententiæ. pag.39.

Matrimoniũ esse insolubile constat ex Cõcilijs,n.1.39.
Idem ex sacra Scriptura probatur,n.2.pag.40.
Insolubilitatem matrimonij prouenire ex institutione Ecclesiæ prima sententia docet,n.3.p.40.
Ex diuina institutione oriri secunda docet, n.4.p.40.
Tertia sententia sub distinctione philosophatur,n.5.40.
Quarta sententia ex iure naturali diuino, & positiuo promanare dicit,n.6.pag.41.
Vltima in ius tantum naturale reuocat, n.7.p.41.

CAPVT XIII.

Matrimonium esse indissolubile iure tantum naturali ostenditur,pag.41.

Matrimonium esse natura sua insolubile,& nullam ab extrinseco insolubilitatem habere, n.1.p.41.
Obligationi de se perpetuæ non obstare,neque minui ex eo,quod sit ab extrinseco solubilis,n.2.p.42.
Primo probatur ea insolubilitas matrimonij ex natura ipsius contractus,n.3.p.42.
Secunda probatio ex Matth.19.n.4.p.54.
Quid respondeat Thom.Sanchez,n.5.p.43.
Ostenditur non esse communem Matthæi expositionem,quam dicit Thomas Sanchez, n.6.p.43.
Adhuc magis vrgetur idem locus Matth.n.7.p.44.
Testimonium Matthæi non esse restringendum ad matrimonium consummatum, n.8.pag.44.
Verba Christi de omni matrimonio,tam fidelium,quã infidelium intelligi,num.9.pag.44.
Magis confirmatur proposita sententia de insolubilitate matrimonij, num.10.pag.45.
Quo sensu possit dici esse insolubile matrimonium ex Dei institutione,num.11.pag.45.
Explicatur textus in cap.matrimoniũ 27. quæst.2.quo sensu dicatur sola voluntate fieri, & dissolui coniugium, num.12.pag.46.
Non obstare quod ius naturale sit immutabile,n.13.46
Dissoluuntur alia argumenta aduersariorum, n.14.& 15.p.46.

CAPVT XIIII.

Quo sensu matrimonium dicatur indissolubile ratione sacramenti.pag.47.

Matrimonium ex sacramenti ratione habere extrinsecam insolubilitatem in hoc sensu, quia est signum cessasse casum in quo dissolui posset, n.1.p.47.
Explicatur mens Augustini multis in locis,cum refert insolubilitatẽ matrimonij in sacramentum,n.3.p.47
Explicatur in eundem sensum Ambrosius, & alij, nu. 4.& 5.pag.48.
Consummatum matrimonium quo sensu dicatur insolubile ex significatione vnionis Christi cum Ecclesia,num.6.pag.48.

CAPVT XV.

Explicatur quid sit matrimonium ratum. pag.49.

Quid sit matrimonium legitimum, n.1.pag.49.
Quare dicatur ratum,num.2.pag.49.
Explicatur Innocentius in cap.quanto de diuortijs,n. 3.pag.49.
Quo sensu dicant Scholastici esse ratum matrimoniũ ob sacramentum fidei,n.4.pag.49.
Explicatur mens aliorum Scholasticorum in bonum sensum,num.5.pag.50.

CAPVT XVI.

De bono prolis. pag.50.

Explicatur sensus capitis, & quæstionis disputandæ, num.1.pag.50.
Hæretici matrimonium sine concubitu esse non posse affirmantes refelluntur,n.2.pag.50.
Vicinus error Gratiani explodituꝛ,n.3.pag.50.
Michael Medina non longe ab his distans reijcitur, n. 4.pag.51.
Matrimonium concubitu contrahi error est,& probatur primo,& secundo.n.5.& 6.pag.51.
Explicatur locus Augustini, n.7.pag.51.
Proponitur sententia Bellarmini, num.8,p.51.
Refellitur Bellarminus,num.9.& 10.pag.51.
Copulam non pertinere ad matrimonium,n.11.p.52.
Proponitur obiectio exnonnullis canonibus, & soluitur,num.12.& 13.pag.52.
Explicatur aliter Leo in cap.cum societas, num.14. pag.52.
Explicatur Ambrosius in cap.si quis desponsatam,numero 15. pag.52.

CAPVT XVII.

Matrimonium ex sua ratione includere ordinem ad copulam.pag.53.

Explicatur sensus quæstionis, num.1.pag.53.
Refertur Hugonis Victorini sententia ex recentiorum mente,num.2.pag.53.
Reijcitur à recentioribus Hugo, n.3.pag.53.
Verus sensus sententiæ Hugonis,n.4.pag.53.
Sententia Almaini proponitur,n.5.& reijcitur,n.6.p.53.
Matrimonium ex sua ratione habere ordinem ad copulam vera sententia est, num.7.pag.54.
Dominium in corpus transferri posse, impeditum tamen ad vsum,num.8 pag.54.
Explicatur quo modo id contingat sine læsione iustitiæ,n.9.pag.54.
Difficultas ex duobus legibus insinuatur,& remittitur n.10.p.55.

CAPVT XVIII.

Non esse necessarium consensum in copulam explicitum neque implicitum ex parte contrahentis.pag.55.

Reijcitur Vvicleph, qui asseruit non posse matrimonium sine consensu expresso in copulam, & spe filiorum n.1.pag.55.
Explicatur testimonium Augustini, n.2.pag.56.
Non esse necessarium consensum explicitum contrahentis est communis sensu, n.3.pag.57.
Quomodo requiratur implicitus, varie Doctores explicant,n.4.& 5.& reijcitur,n.6.pag.56.
Neque requiri implicitum ex parte contrahentium vera sententia est,n.7.pag.56.
Probatur testimonijs August n.8.9 & 10.p.56.& 57.
Idem probatur ex Hugone Victorino,n.11.p.58.
Et ex matrimonio Ioseph cum Beata Virgine,n.12.& potentis cum impotenti cognita impotentia, n.13.
Et ex matrimonio contracto sub conditione castitatis, num.14.pag.59.
Idem probatur optima ratione desumpta ex distinctione dominij,& vsus,n.15. Quas rationes esse in hoc contractu separabiles probatur amplius,n.16.17.18. & à posteriori idem ostenditur,n.19.p.59.& 60.& 61.
Inducitur pro hac sententia D.Thom.n.20. p.61.
Solutio argumentorum aduersariorum remissiue, nu, 21.p.62.

CAPVT XIX.

De matrimonio Beatæ Virginis cum Ioseph, pag.62.

Sedes huius quæstionis apud Gratianum, confictum esse locum,quem posuit ex Augustino,n.1,p.62.
Virginitatem apud Iudæos non fuisse in ignominia,neque illicitam,neque inferiorem nuptijs,n.2.p.62.
Beatam Mariam semper Virginitatem coluisse, & esse primam,quæ seruauit ex voto, n.3.p.63.
Votum virginitatis emissum à Beata Maria ante Annũciationem,n.4.pag.63.
Imo & antequam desponsaretur Ioseph probatur ex Patribus,n.5.& ex ratione,n.6 pag.64.
Quo tempore vouerit, n.7.pag 64.
Votum hoc non fuisse conditionatũ,sed absolutum,n. 8.pag.64.
Negant nonnulli fuisse matrimonium inter B. Virginem,& Ioseph,n.9.pag.65.
Reijciuntur ex Patribus,n.10.& ex ratione, n.11.pag. 65.& 66.
Proponuntur,& explicantur testimonia Patrum, quæ obstare videntur,n.12.& 13.pag.66.

CAPVT XX.

Ea quæ spectant ad fines matrimonij vt valide ineantur explicatur,pag.65.

Tres fines matrimonij, soboles, communio,remediũ concupiscentiæ,num.1.pag.67.
In executione nullus necessarius in radice omnes, n. 2.pag.67.
Nullum expresse requiri in animo operantis,n.3.p.67.
Quis consensus in finem requiratur in operante ad essentiam matrimonij,n.4.& 5.pag.67.
Nihil contrariũ fini matrimonij posse intendi, n.6.p.68
Id explicatur n 7.pag.68.
Intentio contraria substantiæ matrimonij illi obstat, etiamsi mente retenta,n.8 pag.68.
Reijcitur distinctio Thom.Sanchez,n.9.& 10.p.68. 69.
Secus est quando concomitatur tantum intentionẽ contrahendi,n.11.pag.69.
Limitatur etiam ad forum interius,& explicatur Pontifex in cap.fin.de condit,apost. cum loquitur de cõditionibus contra substantiam,n.12.pag.69.

CAPVT XXI.

Qui fines reddant tantum illicitum contractum matrimonium.pag.70.

Ex fine vitandi fornicationem non esse licitum contrahere matrimonium,quorũdam opinio est,n.1.p.70.
Alij sub distinctione explicant,n.2.pag.70.
Reijciuntur tam isti, quam illi, n 3.pag.71.
Nullum esse peccatum contrahere ex eo fine,n.4.p.71.
Licere ex eo fine, & contrahere, & accedere ad vxorẽ contra distinctionem Simonis de Cassa,n.5.p.72.
Explicatur prædicta sententia, & frequenter interuenire peccatum ob delectationem quomodo intelligendum,n.6.& 7.pag 72.
Explicatur testimonia Augustini,n.8. Fulgentij, Basilij,Chrysostomi, Clementis Alexandrini,n.9.& 10. pag.72.& 73.
An sit peccatum contrahere voluptatis gratia, exponitur non esse peccatum ex genere suo, n.11.p.73.
Explicatur Chrysostomus,n.12.pag.73.
Non esse veniale peccatum contrahere ob pulchritudinem,& diuitias,n.13.pag.74.
Egregium testimonium Chrysostomi de fine spectando in matrimonio,n.14.pag.74.

LIBER SECVNDVS.

De causa efficienti matrimonij, id est, de consensu absoluto secundum se. pag.75.

CAPVT I.

Ad matrimonium non requiri parentum consensum sed solum contrahentium, pag 75.

Proponitur quod explicandum est, n.1.pag 76.
Post Tridentinum valere matrimonia filiorũ sine consensu parentum certum esse, n.2.pag.76.
Ante Tridentinum multo tempore valuisse etiam certum,n.3. Probatur ex Nicolao I.Innocentio III.Lucio III.& Concilio Colonienſi, n.4.pag.76.
Antiquiori iure Ecclesiastico valuisse quorundam sententia est, sed opposita verior. Probatur primo ex Euaristo,n.5. Ex Concilio Colonienſi,n.6.p.76.77.
reijcitur interpretatio Bellarmini, n.7.pag.77.

Ean-

Eandem vsu receptam consuetudinem fuisse apud Africanos ex Tertulliano n.8. Apud Græcos ex Basilio n.9.& Theodoro Balsamone, n.10.p.77.& 78.
Idem tempore Basilij in Italia receptum varie probatur, num.11.pag.78.
Verosimile fit tunc vsu receptũ ex duobus, n.12.p.79.
Qua ratione tale matrimonium diceretur voluntariũ num.13.pag.79.
Valde hanc sententiam distare ab hæreticorum nostri temporis errore, num.14.pag.79.
Iure ciuili filijs emancipatis licuisse nuptias sine parẽtum consensu, num.15.pag.79.
Iure ciuili prohibitas nuptias filijsfamilias sine cõsensu patris, aut eius, in cuius potestate est, num.16.& sine consensu eius, in cuius potestate erat recasurus, num. 17.pag.79.& 80.
Explicatur textus in l.si nepotem ex alio 5. D. de ritu nuptiarum; num.18.pag.80.
Discrimen iure ciuili inter nepotis, & neptis nuptias. num.19.pag.80.
Specialis dispositio iuris ciuilis in nuptijs filiarum, n. 20.pag.80.
Iure ciuili matrimonia filij familias, sine parentũ consensu nulla fuisse verior opinio, n.21.p.81.
Ea opinio vera ante copulam, at post non potuisse dissolui à parentibus, sed valuisse, num.22.pag.81.
Vindicatur ea ciuilis dispositio à reprehensione Cuiacij, & Gothofredi, num.23.pag.81.
In nonnullis casibus licuisse eodem iure ciuili filijs nõ emancipatis nubere sine consensu parentum, num. 24.pag. 82.
A consensu parentis vel eius morte iam nuptias censeri iustas; & filios ex eo tempore conceptos legitimos, num.25.pag.82.
Sublata hæc omnia legibus Ecclesiasticis, quibus stãdum in hac re, num.26.pag.82.
Peccare lethaliter filios contrahentes matrimonium sine parentum consensu, nisi iusta causa excusentur, num.27.pag.82.
Peccare prælatos fauentes matrimonio filiorum contrahendo sine parentum consensu, cum filij peccant, num.28.pag.83.
Iustas esse leges imponentes pœnam filijs nubentibus contra rationabilem parentum voluntatem verior opinio est, num.29. probatur, n.30.p.83.

CAPVT II.

Ad matrimonium verum consensum necessarium esse, non fictum sufficere. pag.84.

Consensum mutuum, & verum in matrimonio requiri, & non sufficere fictum, num.1.pag.84.
Consensus hic honor, reuerentia, affectio, & affectus maritalis in iure vocatur, num.2.pag.84.
Variæ rationes, quibus necessitas veri consensus probatur, reijciuntur, num.3.& 4.pag.84.& 85.
Vera ratio desumpta ex speciali natura huius contractus, num.5.pag.85.
Quo sensu dicatur consensus esse causa matrimonij, num.6.pag.85.

CAPVT III.

Vinculum, quod ex matrimonio resultat fieri nõ posse sine consensu contrahentium, p.85.

Proponitur quæstio, num.1.pag.85.
Posse Deum transferre dominium, & vsum alicuius corporis in aliquem absque illorum consensu, quorundam opinio est, num.2.pag.85.
Posse Deum id efficere non tantum sine matrimonio sed etiam in matrimonio, aliorum opinio est, num. 3.pag.85.
Vtraque sententia reijcitur, & prima pars veræ sententiæ probatur, nu.4. vtraque probatur, num.5. Alia probatio, num. 6.pag.86.
Discrimen inter traditionem corporis ad vsum copulæ, & traditionem aliarum rerum, n.7.pag.86.
Nulla humana potestate fieri posse matrimonium sine consensu partium, num.8.pag.87.
Eadem opinio vera in matrimonio spirituali, num.9. pag.87.
Obiectiones proponuntur, & diluuntur, num.10.11. 12.13.& 14.pag.87.& 88.

CAPVT IIII.

In alijs contractibus humanis non requiri consensum verum. pag.88.

Explicatur sensus quæstionis, num. 1.pag.88.
Nullum contractum valere sine vero interno consensu quorundam opinio est, num.2.pag.88.
Omnem contractum excepto matrimonio valere, si adsint signa sufficienter significantia consensum, quamvis consensus sit fictus vera sententia; num. 3.pag 89.
Ea signa sufficienter inducere obligationem probatur primo, num.4. aliter probatur, n.5.p.89.
Quorundam solutio refellitur, num.6.pag.89.
Obijciuntur nonnulla ex iure ciuili, & explicantur, num.7.pag 90.
Voluntatem proferendi ea signa in eo, qui nouit naturam contractus, esse voluntatem se obligandi, n. 8. Idem magis explicatur, num.9.pag.90.
Quid dicendum in eo, qui non nouit naturam contractus, & habuit animum proferendi signa illius, non tamen se obligandi, num.10.pag.91.
Illum in foro externo obligari, n.11. Quid in foro cõscientiæ, quidam negant, verius teneri, ibid.
Satisfit rationibus primæ sententiæ, n.12.13.14.p.91.
An contractus ex metu ficte celebratus valeat, nu.15. Quidam non valere, alij valere dicunt: hoc verius, ibid.pag.92.

CAPVT V.

Quid facere debeat ille, qui finxit consensum in contractu matrimonij, pag.92.

Qui fingit cõsensum in matrimonio grauiter peccare contra veritatem, & contra iustitiam, n.1.p.92.
Non valere matrimoniũ cũ eo ficto cõsensu, n.2.p.92.
Non teneri ficte contrahentem denuo cõtrahere quorundam sententia est, n.3.pag.93.
Non multum ab his discedit Thom. Sanchez, n.4.p.93.
Ficte contrahentem teneri vere contrahere matrimonium cum eadem verior sententia, n.5.p.93.
Probatur teneri etiam ex iustitia, n.6.& 7.p.93.& 94.
Infertur teneri ratione damni, etiamsi illam non cognouit, num.8.pag.94.
Idem dicendum etiam si sint disparis conditionis, nu. 9.pag.94.

Non posse absolui donec vere contrahat, n.10.p.95.
Reijciuntur fundamenta aliorum, n.11.p.95.

CAPVT VI.

An tam in contractu matrimonij, quam in quouis alio, sufficiat internus consensus. pag.95.

Explicatur sensus quæstionis, num.1.pag.96.
Interno consensu tantum posse perfici matrimonium quidam dicunt, num.2.pag.96.
Oppositum omninò verum in matrimonio, n.3.varie probatur, ibidem, num.4.pag.96.
Diluuntur argumenta in oppositum, & exponitur c. sufficiat, & c.tua de sponsa duorum, n.5.pag.97.
Quid dicendum in alijs contractibus, n.6. Certum nõ transferri dominium iure ciuili solo interno consensu, ibid. Eodem iure certum in contractibus respectiuis nullam obligationem nasci, ibi.p.97.
In contractibus respectiuis iure naturali obligationẽ nasci ex consensu mere interno quidam asserunt, num.7.pag.97.
Idem alij affirmant de non respectiuis, n.8.p.98.
Verior opposita sententia, & probatur, n.9.p.98.
Respondetur ad fundamenta primæ, n.10.p.98.
Ad fundamenta secundæ, num.11. & 12.pa.99.
Quomodo intelligatur possessionem solo animo amitti, num.13.pag.99.
Explicatur magis sensus veræ sententiæ, num.14.pagina 99.

CAPVT VII.

Matrimonij consensum non solum verbis, sed & alijs signis exprimi posse. pag.100.

Quid quæratur, num.1.pag.100.
Prima sententia in matrimonio, vt sacramentum est, requiri verba, non vero in illo vt contractus est, n.2.pag.100.
Secunda requiri verba dicit in his qui loqui valent, num.3.pag.100.
Tertia requiri, nisi in casibus iure expressis, n.4.p.100
Vera sententia posse celebrari sine verbis per alia signa loco verborum, num.5.pag.101.
Potuisse Ecclesiam assignare pro forma matrimonij verba tantum, num.6.pag.101.
At non sic disposuisse colligitur ex natura contractus num.7.pag.101.
Idem constat ex eo, quod nulla sit de eo lex Ecclesiastica, & exponuntur varij textus, n 8.& c. tuæ fraternitati, de spontal. n 9.10.11. p.102.& 103.
Explicatur alia in iure, num.12.p.105.
Diluitur argumentum desumptum à matrimonio spirituali ad carnale, num.13.pag.104.
Neque ejus necessarium adhibere verba ex Ecclesiæ præcepto, num.14.pag 104.
Diluuntur quædam fundamenta tertiæ sententiæ, n.15.p.104.

CAPVT VIII.

Proponuntur formulæ verborum certæ ad contrahendum, & nonnulla quæ obseruanda sunt in dubijs. pag.104.

Ea verba requiri ad matrimoniũ, quæ sufficienter exprimant consensum de præsenti, n.1.p.105.
Quando verba sunt dubia, attendendam mentem loquentis, n.2. Et si ea constet certo, pro illa iudicandum in vtroque foro, ibid. pag.105.
Opponitur ex l.4.deleg.1.n.3. & explicatur, ibi.p.106
Exponitur dissensio Tuberonis, & Seruij circa verborum intelligentiam, quando in illis erratur, n.4.& ostenditur probabilitas sententiæ Tuberonis, num.5.6.& 7.pag.106.& 107.
Sed præfertur Seruij sententia, & explicatur, nu.8.& nonnulla deducuntur, n.9.& 10.pag.107.
Quid dicendum quando verborum sensus ambiguus est, num.11.& 12.pag.107.
Attendenda communis significatio, inter eos, cum quibus viuitur, num.13.pag.108.
Quid si plures sint etiam communes significationes, num.14.pag.108.
Quid si adhuc obscura res fuerit? faciendum matrimonio, si iam contractum est, n.15.pag.109.
Quæ dicta sunt vera esse in vtroq; foro, n 16 p.109.
Quæ in alijs materijs colligantur ex hac doctrina, nu.17.p.109.

CAPVT IX.

Nonnullæ dubiæ formulæ in specie examinatur an efficiant coniugium? pag.109.

Explicatur sensus capitis, num 1 pag.109.
Illis verbis, habebo te in vxorem, & similibus non cõfici matrimonium prima sententia est, n.2.p.110.
Oppositum verius, num.3.pag 110.
Explicatur punctus cõtrouersiæ, & probatur, n.4.110.
Optima ratio Abbatis, & exẽplo certo in iure, n 6.111
Qui i de verbis illis, volo te ducere vxorẽ, & similibus Tho.Sanch.opinio, & Couar. distinctio, n.7 p.111.
Illis perfici matrimonium vera sententia, n.8.p.111.
Idem iudicium de illis, volo te esse vxorem meam, n.9.p.112.

CAPVT X.

De formula contrahendi, in qua ponitur dictio exclusiua. pag.112.

Quid dicendum de illa formula, non ducam aliam, ni fite, num.1.pag.112.
Variis distinctionibus DD. explicant, n.2.3.4.5.p.112.
Explicatur duplex sensus particulæ nisi, n.6.p.113.
Vera sententia tribus propositionib cõtinetur, n.7.113.
Prima pars probatur, num.8.pag.113.
Verificatur etiam in cõtractibus de præsenti cum particula exceptiua, num.9.pag.114.
Secunda pars probatur, num.10 pag.114.
Quare aliter iudicatur de exceptiua in propositionibus de futuro, & præsenti, aut præterito, n.11.p.114.
Explicatur quædã limitatio secũdæ partis, n.12.p.115
Colligitur quid dicendum in sponsalibus, n.13.p.115.
Tertia pars probatur, num.14.pag.115.

CAPVT XI.

Tria signa proponuntur præter verba de quibus examinatur, an fiat matrimonium, p.115.

Explicatur quid disputetur, num.1.pag.116.
Regula generalis de quibus signis, explicetur consensus matrimonij, num.2.pag.116.
Quid de annuli donatione, & subarratione, n.4.p.116.
Quid quando subarratio est signũ matrimonij, præcesserat tamen sermo de sponsalibus, n.6.p.116.
Quid si annulus mittatur ab alijs, quam à contrahente, num.7.pag.117.

Quid

Quid de porrectione manuum, num. 8. pag. 117.
Quid dicendum de signo traductionis, n. 9. p. 117.
Non sufficere etiam solemnem, num. 10. p. 118.
Quid sentiendū de traductione inspecto iure ciuili, n. 11. p. 118.

CAPVT XII.

An copula, vel nixus ad copulam sit signum matrimonij. pag. 119.

Ex copula non præsumi matrimonium, sed cōsensum aliquibus adiunctis, num. 1. pag. 119.
Est signum consensus, quando in matrimonio à principio nullo ratione alicuius impediméti, & in eo dispensante Pontifice adhuc copulantur, n. 2 p. 119.
Explicantur varia iuris loca, ibidem.
Item quando præcesserunt sponsalia secundum antiqui iuris dispositionem, quæ eius dispositionis ratio explicatur, num. 3. pag. 120.
Si accedens protestetur se accedere animo fornicario non coniugali, non transeunt sponsalia in matrimonium, num. 4. pag. 120.
Iam hæc cessasse vbi receptum Tridentinum, ibid.
Quo modo intelligēdū, quod præcedente tractatu de matrimonio copula sit signū matrimonij, n. 5. p. 121.
Quid si contractis duobus sponsalibus, post secunda copuletur primæ, num 6. pag. 121.
An conatus copulæ sit etiam signum, ac copula? negans opinio refertur, num. 7. pag. 121.
Eorum, qui contra sentiunt, fundamenta diluuntur, n. 8. 9. 10. 11. 12. & 13. pag. 122. & 123.
Multo minus tactus, & oscula sunt signa matrimonij, num. 14. pag. 124.
Explicatur magis quod dictum est de conatu ad copulam, num. 15. pag. 124.
Eadem signa habere locum in mutis, surdis, & cæcis, num. 16. pag. 124.

CAPVT XIII.

De signis sufficientibus in contractibus impuberum. pag. 124.

Quid agendum, num. 1. pag. 124.
Inter impuberes, & sponsalia, & matrimoniū esse posse iure naturali: Ecclesiastico designatum septenniū sponsalibus, & antiquo iure etiam licuisse matrimonium post septénium, num. 2. pag. 125.
Sublatum lege Pontificia, & statutum vt matrimonia ante pubertatem tantum haberent vim sponsaliorum, num. 3. pag. 125.
Sponsalia ante septénium nulla, nisi postea consentirent, vel indicarent se non recedere à priori voluntate, n. 4. pag. 126.
Impuberum sponsalia secuta copula ante pubertatem transibant in matrimonium, num. 5. pag. 126.
Inter sponsalia impuberū re, & verbis de futuro, & illa quæ sunt verbis de præsenti discrimina aliqua esse in iure, illaque explicantur, num. 6. pag. 126.
Spōsalia impuberum verbis de præsenti etiam conatu copulæ transire in matrimonium, & in eo differre ab sponsalibus puberum de futuro, n. 7. p. 126.

CAPVT XIIII.

Quo modo per patrem, & extraneos significetur consensus contrahentis illo præsente. p. 127.

Proponitur quod disputandum est, n. 1. pag. 127.
Decisio Bonifacij VIII. certum habere locum in sponsalibus siue sit pater, siue mater, quæ contrahit pro filio, aut filia, siue sint emancipati siue non, num. 2. pag. 127.
Communis sententia etiam habere locum in matrimonijs, contrarium ob rationum momenta verius iudicatur, nisi tot opponeretur auctoritas, n. 3. p. 127.
An ea constitutio Bonifacij extendatur ad alios quam parentes? Quidam affirmant, num. 4. pag. 128.
Sententia negans, num. 5. pag. 128.
Media sententia, num. 6. pag. 128.
In foro conscientiæ admittitur valere n. 7. p. 128.
Etiam in foro externo cum prima sententia, sed rationes non probantur, num. 8. pag. 129.
Vera probatio, num. 9. 10. & 11. pag. 129.
Proponuntur aliqua contra veram sententiam, & diluuntur, num. 12. & 13. pa. 130.
Contracta sponsalia à parentibus pro filijs absentibus ratificari à filijs debere, num. 14. pag. 130.

CAPVT XV.

Quo modo in absentia contrahentis per procuratorem consensus exprimatur. pag. 130.

Proponitur quæstio, num. 1. pag. 131.
Decisio Bonifacij VIII. de contrahendo matrimonio per procuratorem, num. 2. pag. 131.
Requiri mandatum speciale ad matrimoniū, n 3. p. 131
Mandatum speciale ad aliquos casus expressos non posse extendi ad alios, etiamsi detur cum clausula generali, num. 4. pag. 131.
Designatum procuratorem ad contrahendum matrimonium pro alio nō posse alteri suas vices committere num. 5. pag. 132.
Si exceduntur fines mandati nihil agi, n. 6. p. 132.
Secunda pars decisionis Bonifacij de reuocatione mādati ad contrahendum matrimonium, n. 7 p. 132.
Reuocato mandato ad matrimonium nihil agi à procuratore valide, n. 8. pag. 132.
Non requiri vt ea reuocatio innotescat procuratori, num. 9. pag. 132.
Non valere ratificationē matrimonij initi à procuratore semel reuocato, num. 10. pag. 132.
Quācunque reuocationem sufficere, vt nihil agat postea procurator, siue per nuntium, aut epistolam, aut etiam internam, num. 11. pag. 133.
Etiamsi mandans iurasset se nō reuocaturū, n. 12. p. 133
Debet perseuerare consensus tempore, quo procurator contrahit, num. 13. pag. 133.
Si mandans eo tempore, quo procurator contrahit incidit in amentiam nihil agi, num. 14. pag. 133.
Proponitur quæstio de notitia reuocationis mandati in alijs contractibus, num. 15. pag. 135.
Mandatum reuocatione finiri posse, & re integra sine causa reuocari posse, secus re non integra, num. 16. pag. 133.
Etiam in alijs contractibus posse accidere, vt reuocatio teneat, etiam ignota mandatario, n. 17 p. 134.
In his actibus in quibus respublica supplere consensum non potest, non est necessarium vt innotescat reuocatio, num. 18. pag. 134.
Matrimonium spirituale non posse contrahi per procuratorem reuocato mandato, n. 19. pag. 134.

Ne

Ne spirituale cognationem contrahi,n.20.p.134.
Neque votũ aut iuramentũ aliquod emitti,n.21.p.134
Idem de mandato ad excommunicandum.ibid.
Quando respublica supplere consensum potest,in his casibus requiri notitiam reuocationis tantũ,in quibus iure exprimitur, num.22.pag.134.
Distinctiones, quibus nonnulli hanc rem explicant reijciuntur,num,23.24.25.&26.pag.134.&135.
Valere mandatum ad renunciandum, si non est nota reuocatio. Discrimen inter contrahendum matrimonium spirituale,& renunciandum, n.27.p.135.
Procurator designatus ad resignandũ, qui iam supplicationem porrexit,potest,& cogitur præstare consensum formalem,etiam mortuo resignante, num. 28.pag.135.
Filius valide manumittit ex concessione patris,si decedat pater,& filius ignarus mortis manumittat, nu, 29.pag.135.
Si libellum repudij mittat,& pœniteat, etiam ignorata pœnitentia cessat repudium, nu.30.p.136.
Si quis cum dolo facit ne nota fiat reuocatio nihil agitur,num 31.pag.136.
Cómoda explicatio communis sententiæ.n.32.p.136.
Quid dicendum,quando mandans iurauit non reuocaturum mandatum, num.33.& 34.pag.136.
Quid dicendum de reuocatione nuntij aut epistolæ in matrimonio,num 35.pag.137.
In alijs contractibus quorundam distinctio reijcitur, num.36.pag.137.
Vera sententia explicatur,num.37.pag.137.

CAPVT XVI.

Quæ mora intercedere debeat inter consensum vnius coniugis, & alterius. pag.138.

Explicatur quæstionis sensus,num,1.pag.138.
Non esse necessarium, vt consensus sint simul,& quasi continui. Qua regula vtendum in Sacramentis ad exigendum simultaneum concursum formæ,& materiæ in sacramentis,num.2.pag.138.
Non requiri ratione contractus, n.3.p.139.
Quantũ autẽ temporis intercedere debet,n.4.p.139.
Idem locum habere potest Tridentinum,n.5.p.139.
Cum reuocatur consensus vnius, quia ficte primo cõsensit, reuocari debere etiam alterius consensum, num.6.pag.139.
In matrimonio eo ipso quo acceptatur traditio vnius, sufficienter explicari traditionem alterius,n.7.p.139.
Idem dicendum, quando contrahitur per nũtium,aut epistolam, num.8.pag.139.
Oppositum sentit Thomas Sanchez,eius argumenta, nnm.9. diluitur, pag.140.

LIBER TERTIVS.

De consensu conditionato,pag.141.

CAPVT I.

De vi conditionis de præsenti præterito, aut necessariæ.pag.141.

Vnde nomen conditio deriuetur,num.1.pag.141.
Conditionis diuisio,num.2.pag.142.
Eius definitio,num.3.pag.142.
Quibus particulis exprimi solet, num.4.p.142.
Conditiones de præsenti, aut præterito statim infirmare,vel obligare, num.5.pag.142.
Explicatur magis ea doctrina in specialibus casibus, num. 6.pag.143.
Quid,quando disponens existimauit esse futurũ quod reuera præterijt,num.7.pag.143.
Quæ per rerum naturam necessaria sunt, non morantur dispositionem,num.8.pag.143.
Quid quando dies est certus, incertum tamen an futurus sit,num.9.pag.144.
Quid quando venturum diem certum est, sed incertũ quando eueniet, num. 10. distinctione explicatur, ibidem, & num.11.pag.144.
Infertur quid dicendum de ea conditione, si sol cras oriatur,num.12.pag.145.
Quid de illa,si Antichristus nascetur, n.13.p.145.
Quo modo matrimoniũ, cum sit actus legitimus,recipiat conditionem. Quorundã explicatio,n.14.p.145.
Couarruuias aliter,& reijcitur, num.15.p.145.
Vera sententia,num.16.pag.146.

CAPVT II.

De conditionibus, quæ intrinsece insunt contractibus, aut dispositioni. pag.146.

Diuiditur conditio in intrinsecam,& extrinsecam,numero 1.pag.146.
Et adhuc intrinseca diuiditur,num.2.pag.146.
Conditio intrinseca non efficit dispositionem conditionalem,num. 3.pag.147.
Id verum,etiamsi exprimantur à disponente, n.4.
Prima limitatio eius doctrinæ,num.5.pag.147.
Secunda limitatio quando exprimi prohibetur per legem,num.6.pag.148.
Et quando agitur ad nullitatem actus non esse parem rationem taciti,& expressi,ibidem.
Infertur quid iudicandum, de illa conditione, si Deus voluerit,num.7.pag.149.
Quid de illa si Ecclesiæ placuerit,num.8.p.149.
Quid de illa si potero,num.9.pag.149.
Quid de illa,si nullum subest impedimentum, n.10.p. 149.

CAPVT III.

De conditionibus impossibilibus pag.149.

Proponitur quæstio, num.1.pag.149.
Ex natura rei sub conditione impossibili vitiari contractum, num.2.pag.150.
In matrimonio & vltimis voluntatibus non vitiari,sed repelli, num.3.pag.150.
Quare est diuersa iuris dispositio, n.4.pag.150.
Quorundã ratio reijcitur, ibid.n.5.& 6.p.150.& 151.
Vera ratio,num.7.ex Duareno,pag.151.
Prima ampliatio eius doctrinæ,num.8.p.151.
Non placet,remissiue,num.9.pag.151.
Secunda ampliatio,num.10.pag.151.
Tertia ampliatio, num.11.pag.151.
Contra hanc ampliationem, duæ obiectiones proponuntur,& diluuntur, num. 12.& 13.pag.152.
Prima limitatio communis doctrinæ, n.14.p.152.
Explicatur,num.15.pag.152.
Obiectio soluitur, num.16.pag.153.
Secunda limitatio, num.17.pag.153.
Tertia limitatio,num,18,vltima, ibid.pag.153.

CAPVT IIII.

Quo pacto intelligenda sit prædicta dispositio. pag. 154.

Difficilis dispositio Pontificis in cap. fin. de condit. appos. num. 1 pag. 154.
Quo ad forum animæ attendi intentionem contrahentis, num. 2. pag. 154.
In testamentis non habere locum in foro animæ quorundam opinio est, num. 3. pag. 254.
Reijcitur, num. 4. pag. 155.
Idem etiam dicendum in foro animæ in testamentis vera sententia, num. 5. pag. 155.
Quibus modis possit adijci conditio impossibilis matrimonio, num. 6. pag. 155.
Prima ratio explicandi dispositionem Pontificis in c. fin. de cond. appos. proponitur, num. 7. pag. 155.
Reijcitur, num 8 pag. 156.
Secunda interpretatio probatur, num. 9. pag. 156.
Decisionem Pontificis in dict. c. non esse nouam, nu. 10. pag. 156.
Quo sensu Pontifex accipiat nomen conditionis in d. ca. cum agit de conditionibus contra substantiam, num. 11. pag. 157.
Nomine conditionis impossibilis nō intelligi impossibilem de præsenti, aut præterito, n. 12. pag. 157.

CAPVT V.

Quæ sit iuris dispositio de conditione turpi, & quo modo intelligenda. pag. 157.

Dispositio iuris naturalis, & positiui circa conditiones turpes, num. 1. pag. 157.
Quo modo intelligenda, num. 2. pag. 158.
Prima limitatio communis doctrinæ in testamentis, num. 3. pag. 158.
Cum instituitur filius non emancipatus sub conditione, quæ non est in eius potestate, ibid.
An ea limitatio extendatur ad filiam, n. 4. p. 159.
Secunda limitatio quando in alienam voluntatem aperte confertur, num. 5. pag. 159.
An ea limitatio extendatur ad legata, num. 6.
Obijcitur ex l. 43. de legat. 1. n 7. p. 159. & 160.
Reijcitur Gothophredi interpretatio, n. 8. pag. 160.
Cuiacij interpretatio probatur, & explicatur magis, num. 9. pag. 160.
Cur in stipulationibus conditio in arbitrium promittentis reiecta vitiet, num. 10. pag. 160.
Tertia limitatio in conditionibus captatorijs, num. 11. pag. 161.

CAPVT VI.

De conditione si non nupserit, an turpis sit, & quatenus locum habere possit. pag. 161.

Proponitur de quo agendum, num. 1. pag. 162.
Antiquo iure ciuili turpis conditio. Si non nupserit quia iniungebatur viduitas, n. 2. & 3. pag. 162.
Iniungebatur viduitas si simpliciter iuberetur non nubere, num. 4. pag. 162.
Vel si iubeatur nubere alicui, cui nisi inhoneste nubere non poterat, num. 5 pag. 162.
Vel si iubeatur nubere, de arbitratu, vel consensu alterius, num. 6. pag. 163.
Non iniungitur viduitas, si iubeatur non nubere alicui certæ personæ, vel in aliquo loco, num. 7. p. 163.
Si sine incommodo alteri aut in alio loco potest nubere, ibidem.
Neque si reijciatur in voluntatem alterius quam hæredis, vel legatarij, num. 8. pag. 163.
In omni casu haberi, pro non adiecta, eam conditionem, num. 9. pag. 163.
Huic affinem conditionem, si sine liberis decesserit iure ciuili, ibidem.
Exceptio à communi doctrina in fauorem libertatis, num. 10. pag. 163.
Ab antiquo iure ciuili discessit ex parte Iustinianus, num. 11. pag. 164.
Iure Canonico valere conditionē si non nupserit, n. 12
Valere etiam illam. Si continenter vixerit, appositam matrimonio, num. 13. pag. 164.
Casus, in quibus iure ciuili viduitas iniuncta reijciebatur, sublatos iure Canonico, num. 14. pag. 164.
Etiam post primas nuptias potest apponi conditio si non nupserit, num. 15. pag. 164.
Non tamen vt nubat arbitratu alterius, ibid.
Adhuc locum habere conditionem non nubendi certæ personæ, vel in aliquo oppido, licet alibi commodè contrahere non possit, num. 16. pag. 165.
Adhuc etiam posse valide iniungi viduitatem ad breue tempus, & etiam ad longum, num. 17. p. 165.
Validam conditionem de non nubendo certo generi personarum, scilicet sanguine infecti, n. 18. p. 165.

CAPVT VII.

De conditione, si nupserit, an turpis sit, & quomodo locum habeat. pag. 165.

Sensus quæstionis, num. 1. pag. 166.
Conditionem honestam esse si nubat Titio, n. 2. p. 166.
Limitatur, nisi grauamē apponatur inlegitima n. 3 p. 166
Vel nisi iubeatur nubere indigno, ibidem.
Quid si non nuberet Titio indigne, at ex mandato patris nupsit alteri, num. 4. pag. 166.
Explicatur distinctione adhibita, num. 5. pag. 166.
Conditionem si nupserit valere, num. 6. p 167.
Relictum sub conditione, si nubat nullo alio addito debetur ingredienti religionem ex dispositione Iustiniani, num. 7. pag. 167.
Eam dispositionem non niti in voluntatis testatoris præsumptione, num. 8. pag. 167.
Sed esse præter vel cōtra voluntatē testatoris, n 9. p. 167
Quid si legatum vt nubat non sit relictum alicui certæ personæ, sed indefinitè? non posse dari ingredienti religionem, quorundam opinio est, n. 10. p. 167.
De æquitate iuris probabilius etiā posse dari, n. 11. p. 168
Sub conditione expressa vt nubat, & non ingrediatur religionem, non debere ingredienti quorundam opinio est, num. 12. pag. 168.
Probabilius oppositum, num. 13, pag. 168.
Ducenta si nubat, centum si religionem ingrediatur, non debere ducenta religionem ingredienti quidā dicunt, num. 14. pag. 168.
Probabile oppositum, num. 15. pag. 169.
Quædā fundamenta Rotæ expenduntur, n. 16. p. 169.
Quid de illa conditione, si religionem non ingrediaris opinio quorundam, num. 18. pag. 170.
Deberi etiam si ingrediatur, verior opinio, n. 19. p. 170.
Adducuntur varia fundamenta, & reijciuntur, num. 20. 21. & 22. pag. 170. & 171.

Vera

Vera ratio,num.23.pag.171.
Quid si conditio sit de non ingrediendo talem religionem,vel Monasterium.num. 24.pag.171.
Statutum, vt quis qui nondum habet ius in re bonorum,quæ possessurus est, dominus sit, si non ingrediatur religionem, sin verò amittat non esse licitũ, num.25.pag.172.

CAPVT VIII.

Examinantur aliæ conditiones,quæ turpibus annumerari solent.pag.172.

De cõditione iuris iurandi quid iure ciuili statutum sit.num.1.2. pag.172. & 173.
De conditione, si mecum concubueris,aliquorũ opinio,num.3. 4 pag.173.
Vera sententia,num.5. pag.173.
De conditione, si te virginem inuenero, quorundam opinio,num.6.pag.174.
Vera sententia,num.7.pag.174.
De conditione,si decem dederis,num.8.pag.174.
Obijcitur ex l.si ita stipulatus fuero,97.de verb.oblig. num.9.pag.174.
Diluitur obiectio vera interpretatione, num.10. pag. 174.

CAPVT IX.

De conditione contraria substantiæ matrimonij. pag.175.

Decisio Pontificis circa conditiones contra substantiam,num.1.pag.175.
Esse declarationem iuris naturalis,n.2.p.176.
Quorundam intelligentia decisionis Pontificiæ,num. 3.pag.176.
Reijcitur,num.4.pag.176.
Quo modo dicatur aliquid esse contra substantiam matrimonij,num.5.pag.176.
Diuersimode eas conditiones contra substantiam apponi posse matrimonio,num.6.pag.176.
Ex natura rei oriri, quod conditio contra substantiam vitiet.num.7.pag.177.
Cum ponitur in vim pacti,ita vt obligatio nascatur ex matrimonio,vitiari, num.8.pag.177.
Cum ita ponuntur, vt non nascatur obligatio ex consensu,nõ vitiare vt contrarias substantiæ,n.9.p.177.
Quid dicendum, cum ponatur in vim cõditionis quorundam opinio, num.10.pag.177.
Vera sententia,num.11.12.13.pag.178.
Quid cum ponatur in vim cõditionis resolutiuæ quorundam opinio, num.14.pag.179.
Vera sententia,num.15.pag.199.

CAPVT X.

Proponuntur quædam argumenta contra decisionem Pontificis.pag.179.

Proponuntur argumenta contra decisionem Pontificis,num.1.2.3.4. & 5.pag.179.& 180.
Sæpe mutatione vel additione conditionis vnũ contractum transferri in alium, quo soluitur primum argumentum,num.6.pag.180.
Explicatur l.cum precario,D.de precario.n.7.p.180.
Opponitur & explicatur,l.Titius,D.de donat.num.8. pag.180.
Explicatur l. hac stipulatione, D. de vsufruct. quem cau.num.9.pag.181.
Explicatur cap.qui insinuãte,qui clerici vel vou.num. 10.pag.181.

CAPVT XI.

Examinatur prima conditio contra substantiam, si generationem prolis euites.pag.182.

Quo sensu possit accipi illa conditio si generationem euites,num.1.pag.182.
Multis modis illicite euitari posse, num.2.p.182.
De conditione de exponendis infantibus, n.3.p.183.
De euitanda generatione negatiue quorundam sententia,num.4.pag.183.
Euitandæ prolis negatiue conditionem in quodam sensu reijci,num.5. pag. 183.
Conditionem de euitanda ex voto licitam, n.6.p.183.
Varie probatur,num.7.8.& 9.pag.184.
Vltima pars veræ sententiæ,num.10.pag.184.
Conditionem de nunquam petendo, & reddendo validam,num.11.pag.185.
Idem iudicium de conditione de non exigendo,num. 12.pag.185.
Quid de conditione illa, vt ego non tenear reddere quoties tibi non licet exigere,aliquorũ opinio non licere, num. 13.pag.185.
Verius oppositum,num.14.pag.185.
Satisfit aliorum fundamentis,num.15.pag.186.
Quid de conditione non cohabitandi, n.16.p.186.
Quid de conditione abstinendi sextis feriis, num. 17. pag.187.

CAPVT XII.

Explicantur duæ aliæ conditiones quæ afferuntur à Pontifice contra substantiam matrimonij, pag.187.

Quo modo nonnulli intelligant illam conditionem si tuum corpus adulterandum tradideris,n.1.p.187.
Prima pars veræ intelligentiæ, num.2.pag.187.
Secunda,& tertia,num.3.& 4.pag.187.& 188.
Nullum matrimonium esse apud infideles animo habendi tot vxores, quot legibus illorum licet, num. 5.pag.188.
Quid de illa,donec aliam inuenero, n. 6.pag.188.
Item matrimonium nunc esse nullum ex conditione dandi libellum repudij,num.7.pag.188.
Quid si istæ conditiones ab vno tantùm adhibeantur, & alter neque neget, neque contradicat, n.8.p.188.
Exponitur cap.aliquando 32.q.2. num.9.pag.189.
Quid si post expressam conditionem contra substantiam copulentur. Quorundam opinio,n.10.p.189.
Vera sententia.num.11.pag.189.

CAPVT XIII.

An in matrimonio apponi possit aliqua conditio, & quem habet effectum, pag.189.

Quid agendum.num.1. pag.190
Matrimonio apponi conditionem posse,& illa suspẽdi quorundam opinio,num.2.pag.190.
Matrimonio non posse apponi vllam conditionem, quæ suspendat,num.3.pag.190.

Quædam distinctio pro explicatione veræ sententiæ, num.4.pag.190.
Fundamentum veræ sententiæ, n.5. ostenditur prima ex cap.super eo de condit.appos.ibid.pag.190.
Variæ interpretationes adducuntur, & reijciuntur,n. 6.7.8.9.10.& 11.pag.191.& 192.
Secunda probatio ex cap. per tuas de cond. appo. n. 12.pag.192.
Tertia,& quarta probatio ex ratione,n.13.14.p.192.
Quædam acuta explicatio primæ sententiæ,n.15.pag. 193.reijcitur,num.16.pag.195.
Quo sensu intelligatur conditionem non apponi matrimonio,sed consensui, n. 17.18 p.193.& 194.
Quem effectum habeat conditio appositа matrimonio,n.19.pag.194.
Cui contractui standum cum quis contraxit cum duabus sub conditione,n.20.pag.194.
Quid si conditio secundi contractus priori loco impleatur,n.21.pag.194.
Ex contractu conditionali transire obligationem ad hæredes.n.22.pag.195.
Contractu celebrato sub conditione non posse iam grauamen addi, neque reuocationem habere locum, num.23.pag.195.
Fundamenta primæ opinionis diluũtur, num.24.pag. 195.

CAPVT XIIII.

An matrimonium, & alij contractus sub conditione celebrati indigeant nouo consensu post euentum conditionis.pag.195.

Purificari contractum euentu conditionis sine nouo consensu,num.1 pag.196.
Secunda sententia distinguit inter matrimonium, & alios contractus,num.2.pag.196.
Matrimonium non purificari solo euentu conditionis sine nouo consensu, num.3.pag.196.
Probatur, num.4.pag.197.
Id verum etiamsi matrimonium possit fieri conditionale, num.5.pag.197.
Explicantur quæ dicta sunt,num.6.pag.197.
Contractum promissionis validum purificari solo euentu conditionis, num.7,pag.198.
Contractus traditionem in essentia exigens non purificantur solo euentu conditionis, num.8.p.198.
Secus qui non includunt traditionem, n.9.p.198.
In his impleta conditione statim posse peti rem in iudicio, n.10.pag.198.
Alia colliguntur,num.11.& 12, pag.198.
An id habeant isti contractus ex natura rei opinio negans,num.13,pag.198.
Oppositum verius,num. 14.pag.199.
Componuntur istæ sententiæ, num.15.pag.200.
Soluuntur argumenta primæ sententiæ,num.16.pag. 200.

CAPVT XV.

An conditio si Papa, vel Princeps dispensauerit, sit reputanda inter possibiles. pag.200.

Quid agendum,num.1.pag.201.
Sub distinctione respondetur cum communi sententia,num.2.pag.201.
Explicantur quæ obstare videntur primæ parti, num. 3.pag.201.
Secunda pars veræ sententiæ,num.4.pag.201.
Matrimonium sub conditione dispensationis, quæ obtineri non solet,nullum esse,n.5.pag.202.
Si obtineri solet valere in ratione contractus conditionalis, n.6. pag.202.
An etiam vt sponsalia, remittitur ad lib. 12.ibid.
Si non exprimatur ea cõditio nullum esse,etiamsi statim de dispensatione obtinenda agant, n.7.p.202.
Posse eum contractũ confirmari iuramẽto,n.8.p.202.
Consanguineos sic contrahentes liberari à censuris Clementinæ, n.9.pag.202.
In maioratu appositam conditionem ducendi consanguineam,valere, n.10.pag.202.
Idem si teneantur impedimento tantũ impedienti, n. 11.p.202.

CAPVT XVI.

Quomodo & quando impleri debeat conditio, aut censeatur impleta. pag.203.

Quędam notatio & distinctio præmittitur,n.1.p.203.
Quomodo verum sit conditionem debere impleri in specifica forma,& per æquipollens, n.2.pag.203.
Præcipue attendendam voluntatem disponentis, nu. 3.pag.203.
Exemplis illustratur, ibid.
Quando ea non constat, verbis inhærendũ,n.4.p.204
Quando non potest impleri per omnia,implẽda quatenus possit, n.5.pag.205.
Quid seruandum in tempore implendi conditionem, num. 6.pag.205.
Quid quando conditio est momẽtanea,aut habet tractum successiuum,n.7.pag.206.
An conditioni paruit, quando actus conditione prescriptus fuit nullus,n.8.pag.206.

CAPVT XVII.

Quãdo censeatur impleta, habeatur pro impleta.p.206.

Quid agendum, num.1.pag.207.
Quando censeatur impleta conditio casualis,n.2.207
Quando non est conditio omninò potestatiua,censetur impleta,si stet per eum,in cuius persona implẽda erat, n.3.pag.207.
Quid si mortuo, vel viuo testatore accidat deficere personam,in qua implenda erat conditio,n.4.p.207.
Opponitur ex l.inde Neratius,& explicatur,n.5.p.208
Si relinquatur legatum sub cõditione,si ducat aliquã, & illa renuat,quid dicendum,n.6.pag.208.
Quædam limitatio,num.7.pag.208.
Quid si is,cũ quo cõtrahere iubetur,decedat,n.8.209.
Quid si relictum sub cõditione,vt nubat nobili,& primo nupsit ignobili,& postea nobili,n.9.p.209.
Quid si primo renuit,& postea pœnituit, & paruit cõditioni,n.10.p.209.
Quid si prius ducat aliam,& postea illam,quæ conditione exprimitur,n.11.pag.209.
Quid si illa in cuius persona parendum est primo renuat,& postea velit,n.12.p.210.
An qui sub conditione ingrediendi religionem ingreditur,& non profitetur,legatum capiat, n.13.p.210
Quid si sub conditione,si nubat de consilio Titij,& ille moriatur ante consilium præstitum,n.14.p.210.
Quid de illa conditione,si pater consentiat, & ille nõ consensit,vel renuit,vel decesit antequam consentiret,num. 15.pag.210.

LIBER QVARTVS.

De consensu ex coactione vel errore p.211

CAPVT I.

Ad matrimonium, & sponsalia requiri deliberationem, quæ ad peccatum mortale satis est. pag.212.

Ea deliberatio requiritur ad matrimonium, quæ satis est ad peccatum mortale, n.1.pag.212.
Feruore iracundiæ contractum matrimonium valere nisi ratio abserueatur,n.2.pag 212.
Opponuntur aliqua, n.3.pag.212.
Diluuntur,num.4.pag.212.
Opponuntur alia de voto, & iuramento,n.5.p.213.
Limitatio quædam,n.6.pag.213.
Furiosi matrimonium nullum, n.7.p.213.
Obijcitur doctrina Glossæ, n.8.pag.214.
Limitatur præcedens doctrina, n.9.p.214.
Ebrij in ebrietate matrimonium nullum,n.10.p.214
Obijcitur contra eam doctrinam, n.11.p.214.
Thomæ Sanchez solutio adducitur,& impugnatur,n. 12.& 13.pag.214.& 215.
Aliorum solutio reijcitur,n.14.pag.215.
Vera solutio adducitur,& explicatur,n.15.& 16.p.215 & 216.

CAPVT II.

Quis censeri debeat grauis, & levis metus. pag.216.

Proponitur quid agendum, n.1.pag.216.
Metus est causa coactionis conditionalis,n.2.p.216.
Actus ex metu magis est voluntarius, quam inuoluntarius,num.3.pag.217.
Voluntatem ex metu sufficere ad peccatum mortale si alia adsint, n.4 pag.217.
Definitio metus proponitur,& explicatur,n.5.p.217.
Primum corollarium, n.6.pag.218.
Metus cadens in virum constantem quis, n.7.p.218.
Etiam metũ minarum iustum esse, & quarũ,n.8.p.218
Malum quod timetur, debere esse in se magnum, nu. 9.pag.219.
Attendendam tamen circunstantiam sexus,& ætatis, & qualitatis,n.10.p.219.
Minorem etiam metum sufficere, quando agitur de impedienda iurisdictione, ibid.

CAPVT III.

An graue malum semper debeat esse maius eo, quod eligitur, & in qua persona timeri debeat. pag.219.

An metus iustus sit, Si quis eligat culpam mortalem aut venialem ad vitandum malum, quod imminet. Prima sententia affirmat, n.1.pag.219.
Secunda negat,n.2.pag.220.
Verior resolutio, n.3.pag.220.
Sufficere ad metum iustum, quod timeatur in filijs, marito, vxore, consanguineis, vsque ad quartum gradum, n.4.pag.220.
Idem si in amicissimis affinibus,domesticis ascendentibus,secus in colonis,limitantur hæc, n.5.p.221.

CAPVT IIII.

Quænam sint hæc grauia mala,quæ inuntiunt iustum metum? pag.221.

Proponitur quæstio disputanda, n.1.p.221.
Ad metus disquisitionem valde requiri iudicis arbitrium, n.2.pag 221.
Metum mortis,grauis cruciatus, amittendæ libertatis captiuitatis,carceris,insultationis cum armis,iusta etiã causa timendi concurrente,esse iustũ, n.3.221.
Item metum amissionis status,honoris, verecundiæ, stupri in virgine,in vidua, & etiam in fœmina inhonesta,num.4.pag.222.
Item metum infamiæ iuris, & etiam facti,si tamẽ grauis infamia sit,n.5.pag.223.
Quid de metu excommunicationis,n.6.pag.223.
Sub distinctione explicatur,n 7,pag.223.
De metu amissionis bonorũ prima opinio, n.8.p.223.
Vera sententia,n.9.pag.223.
Quid de metu amittendi lucri,n.10.pag.224.
Quid de metu concusionis,n.11.pag.224.

CAPVT V.

An metus reuerentialis, & etiam importunæ preces censeantur cadere in virum constantem. pag.224.

Status quæst.& definitio metus reuerentialis,n.1.225
Cõparatione quorũ sit metus reuerentialis,n.2. 225.
Operari ex reuerẽtia nõ esse operari ex metu,n.3,225
Explicantur quæ certa sunt, n.4.pag.225.
Prima sententia negat metum reuerentialem esse grauem,n.5.pag.226.
Oppositum verius, n.6.pag.226.
Redarguuntur DD.oppositæ sententiæ,n.7.p.226.
In concordiam rediguntur, n.8.pag.227.
Obiectiones proponuntur,& diluuntur,n.9.10.11.& 12.pag.227.
Quid dicendum de precibus importunis, n.13, explicatur status quæstionis,ibid.pag 227.
Prima sententia,n.14 pag.228.
Secunda sententia,n.15.pag.228.
Vera sententia,n.16.& 17.pag.228.

CAPVT VI.

An contractus lucratiui, & promissorij spectato tantum iure naturali sint validi? p.229.

Sensus quæstionis,n.1.pag 229.
Duo requiri in contractibus,titulum,& voluntarium num.2.pag.229.
Prima sententia, num.3.pag 230.
Contractus liberalis donationis ex metu graui inualidos iure naturæ vera sententia est, num. 4. Probatur,ibidem.pag.230.
Amplius explicatur ratio,num.5.pag.230.
Probatur ab inconuenienti,n.6.& 7.pag 231.
Prima illatio contra Lesium,n.8.pag.231.
Quid quando datur res non æstimabilis pretio,pro re pretio æstimabili,num.9.pag.231.
Obijciuntur duo,& diluuntur,n.10.& 11.p.232.
Quid dicendum de contractibus promissorijs prima sententia, num.12.pag.232.
Vera sententia, & quædam obseruationes pro vera sententia,n.13.14.& 15.p.232.& 233.

Ex illis deducitur vera sententia, & probatur, numero 16. pag. 233.

CAPVT VII.

An contractus oneroſi ex metu graui celebrati in re tantum naturali conſiderato valeant, vel non? pag. 233.

Prima ſententia inualidos eſſe contractus in quibus datur res pro re, ex metu graui factos, num. 1. pag. 233.
Oppoſitum verius, num. 2. pag. 234.
Idem dicendum à fortiori ſi fiant ex leui metu, num. 3. pag. 234.
Diſcrimen inter iſtos contractus, & promiſſorios, numero 4. pag 234.
An hi contractus ſint reſcindendi naturali iure, num. 5. pag. 234.
Quid dicendum de illis ante traditionem rei, ibid.
Quid poſt traditionem, prima opinio, n. 6. p. 235.
Vera opinio, num. 7. pag. 235.
Soluitur dubitandi ratio, num 8. p. 235.
Quid dicendum in contractu mutuo, n. 9. p. 236.

CAPVT VIII.

An ex iuris poſitiui diſpoſitione contractus lucratiui, & promiſſorij ſint irriti ipſo iure, vel reſcindendi? pag. 236.

Quid agendum, num. 1. pag. 236.
Prima ſententia de contractibus lucratiuis afferens illos valere iure poſitiuo, reſcindendos tamen, num. 2. pag. 236.
Verius non valere iure poſitiuo, n. 3. p. 236.
Probatur ex iure noſtri regni, ibid.
Idem dicendum iure ciuili, vt oſtenditur, præmittitur quædam obſeruatio, n. 4. p. 237.
Probatur ex iure ciuili, n. 5. 6. & 7. p. 237.
Nihil afferri ex eo iure, quod obſtet, oſtenditur, num. 8. 9. 10. & 11. pag. 238. & 239.
Neque ex ratione, num. 12. & 13. p. 239.
Quid dicendum in prorogatione iuriſdictionis metu extorta, num. 14. pag. 239.
Quid in mandato ad aliquid agendum. Licétia & diſpenſatione, & priuilegijs, num. 15. p. 239.
Quid de renunciatione beneficij, n. 16. p. 239.
Quid de abſolutione, & reuocatione cenſuræ, num. 17. pag. 240.
Quid quando datur promiſsio, pro promiſsione, n. 18 pag. 240.

CAPVT IX.

An contractus, in quibus datur res pro re, ſint iure poſitiuo irriti, vel reſcindendi? p. 240.

Prima ſententia eſſe nullos contractus oneroſos ex metu iure ciuili, num. 1. pag 240.
Oppoſitum verius, ſed reſciſionem dari, n. 2. p. 240.
Opponuntur nonnulla, & diluuntur, n 3. 4 5. p. 240.
Idem dicendum de venditione, recognitione rerum feudalium compoſitione facta in carcere, ſententia lata, num. 6. pag. 241.
Argumenta Fortunij proponuntur, & diluuntur, n. 7. 8. 9. 10. & 11. pag. 241. & 242.

CAPVT X.

Quem effectum habeat leuis metus in contractibus, tam iure naturali, quàm poſitiuo. pagina 242.

Prima ſententia extrema refertur, num. 1. p. 243.
Notatur non cohærentia aliquorum cum ſuis principijs, num. 2. pag. 243.
Secunda, & tertia ſententia ſub diſtinctione, num. 3. & 4. pag. 243.
Vera ſententia, num. 5. pag. 243.
An ex leui metu competat iure naturali actio ad petendam reſciſionem, num. 6. pag. 244.
Non competere, ibid.
Obijcitur, & diluitur, num. 7. pag. 244.
An iure ciuili detur actio paſsis leuem metum opinio affirmans, num 8. pag. 244.
Aliorum opinio ſub diſtinctione, n. 9. p. 224.
Vera ſententia, num. 10. pag. 245.

CAPVT XI.

Quid dicendum de his, quæ ex metu reuerenti à li fiunt, iure naturali, & poſitiuo, pag. 245.

Proponitur quid agendum, n. 1. pag. 245.
Variæ opiniones, num. 2. pag. 245.
Vera ſententia de geſtis ex metu reuerentiali iure naturæ, num. 3. pag 245.
Quid iure ciuili, num 4. pag. 245.
Renunciationem hæreditatis paternæ, ex metu reuerentiæ nullam eſſe, num. 5. pag. 246.
Neque fidei iuſsionem vxoris pro marito, num. 6. pag. 246.
Neque promiſsionem de ſoluendis debitis factam ab vxore, vel filio, num. 7. pag. 246.
Contractus oneroſos valere iure poſitiuo etiamſi fiat ex metu reuerentiæ, num. 8. pag. 246.
Quid dicendum de conceſsione vectigalium, num. 9. pag. 246.
Quid quando metui reuerentiæ adiungitur enormis læſio, num. 10. pag. 247.
Vera ſententia, num. 11. & 12. pag. 247.
Soluuntur contraria, num. 13 pag. 247.
Quid in profeſsione ex metu reuerentiæ, n. 14. p. 247.
Vera ſententia, num 15. & 16. p. 247. & 248.
Soluuntur contraria, num. 17. pag. 248.
Quid de conſenſu præſumpto quando ex metu reuerentiæ filius tacet præſente patre, n. 18. p. 248.
Vera ſententia, num. 19. pag 248.

CAPVT XII.

Quid dicendum de his, quæ ſiunt ex precibus importunis, iure naturali, & poſitiuo, p. 249.

Quid agendum, num. 1. pag 249.
Quorundam opinio, num. 2. pag. 250.
Obſeruatio quædam præmittitur, n 3. p. 250.
Explicatur vera ſententia ſpectato iure naturæ, num 4 pag. 250.
Ex iure poſitiuo, num. 5. pag. 250.
Corollarium primum, num. 6. pag. 251.
Quid de eo, qui precibus importunis virginem corrupit, num. 7 pag. 251.
Quid de licentia extorta à religioſo, n. 8. p. 251.

Quid de licentia extorta ab vxore, num.9 p.251.
Quid de eleemosyna obtenta precibus importunis, num.10.pag.251.
Quid de pertrahente ad lidū per importunas preces, n.11 p.251.

CAPVT XIII.

Quem effectum habeat metus iniuste incussus, excepto matrimonio, & sponsalibus. pag.252.

Quid agendum, num.1.pag.252.
Prima regula, num.2.pag.252.
Variis illationibus explicatur, num.3.pag.252.
Secunda regula, num.4 pag.253.
Varia inferuntur, num.5.pag.253.
Soluitur obiectio, num.6.pag.253.
Tertia regula num.7.pag.253.
Explicatur, num 8.pag.254.
Nonnulla inferuntur, num.9.pag.254.
Diluitur oppositio, num.10.pag.254.
Quid dicendum sit iure naturali in casu tertiæ regulæ, num. 11.& 12.pag.255.

CAPVT XIIII.

Matrimonium contractum ex metu iniuste illato esse nullum iure naturali, & positiuo. p.255.

Quid disputandum, num.1.pag.256.
Esse nullum matrimonium iure positiuo ex metu cōtractum, num.2.pag.256.
Iure naturali valere quorundam opinio, n 3.p.256.
Vera sententia non valere, & quorundam probationes reijciuntur, num.4.pag.256.
Vera probatio, num.5.6.& 7.pag.257.& 258.
Diluuntur argumenta, num.8.pag.258.
Vltimi argumenti solutio, num 9.10.& 11.p.258.
Idem dicendum quamvis matrimonium ex eo metu consummetur, num.12.pag 258.
Opponitur contra veram sententiam, & diluitur, num.13.pag.259.
Idem etiamsi cogatur ad contrahendum cum quadā fœmina ex certo genere personarum, n.14.p.259.
Idem etiamsi inferatur ab alio tertio, n.15.p.259.
Idem in constitutione procuratoris ad matrimonium num. 16.pag.259.
De probatione metus, & purgatione remissiue, ibid.

CAPVT XV.

An in matrimonio ex metu graui possit resilire, qui liber à metu est, nec particeps illius fuit. pag.260.

Proponuntur quæ certa sunt, num.1.p.260.
Prima opinio negans, num.2.pag.260.
Vera sententia, num.3.pag.260.
Explicatur per partes, num.4 & 5.pag.260.
Solutio aduersariorum reijcitur, num.6.p.261.
Aliter probatur vera sententia, num.7.pag.261.
Obiectiones aliorum proponuntur, & diluuntur, nu. 8.9.& 10.pag.261.& 262.

CAPVT XVI.

Qua ratione excusetur à peccato, qui ex metu cō trahit matrimonium? pag.262.

Eum, qui ex metu contrahit si interius nullum cōsensum habet, mentiri, esse tamen veniale peccatum, num.1.pag.262.
Si interius consentiat, non peccare peccato mendacij, num.2.pag.262.
Peccare peccato sacrilegij quorundam opinio, num. 3.pag.262.
Verius oppositum, num.4.pag.262.

CAPVT XVII.

An si contracto matrimonio ex metu, sequantur sufficientia signa consensus, ratificetur matrimonium? pag.263.

Explicatur status quæstionis, num.1 p.263.
Copula ratificari matrimonium ex metu, si illa iam est sine metu, vbi locum habet, n.2.p.263.
Item cohabitatione, & quid requiratur, n.3.p.264.
Item illis actibus quibus sponsalia iure antiquo transeunt in matrimonium, num.4.p.264.
Quid si ea signa ex metu fiant, prima sententia, num. 5.pag.264.
Alia verior, num.6.pag 264.
Obijcitur, & diluitur, num.7.& 8.pag.265.
Argumenta primæ sententiæ diſſoluuntur, num.9.p. 265.

CAPVT XVIII.

An matrimonium ex leui metu contractū valeat iure naturali, & positiuo? pag.265.

Prima sententia, num.1.pag.265.
Secunda verior non vitiari matrimonium ex leui metu, num.2.pag.266.
Probatur ex iure, num.3.pag.266.
Et ex ratione, num.4.pag.266.
Proponuntur quatuor rationes primæ sententiæ, & diluuntur, num.5.6.7.& 8.pag.266.& 267.
Idem dicendum iure positiuo, num.9.p.267.

CAPVT XIX.

An metus iuste illatus reddat nullum matrimonium? pag.267.

Quid agendum, num.1.pag.268.
Prima regula, num.2.pag.268.
Valet matrimonium eius, qui ex metu gehennæ contrahit, vel simili, num.3.pag.268.
Item eius, qui in carcerem coniectus est, si non ob eū finem coniectus est, num.4 pag.268.
Item matrimonium obsessi cum filia obsidentis, num. 5.pag.268.
Item eius matrimonium, qui vt euadat mortem quā Rex iuste minatur offert matrimonium, n.6.p.268.
Secunda regula, num.7.pag.268.
Valere eius matrimonium, qui iuste ob eum finē mittitur in carcerem, num.8.pag.269.
Item si vt mortem euadat ex aliquarum regionū consuetudine ducat meretricem, num.9.p.269.
Item si deprehensus in stupro offerat matrimonium dummodo id non faciat ex minis mortis, num.10. pag.269.
Quid quando iudex infert eum metum tantum iuste secundum allegata & probata, num.11.p.269.
Tertia regula, num.12.pag.270.
Si iudex promittat impunitatem mortis, quem iuste damna-

damnare poterat, si ducat eius filiam, non valet, nu. 13. pag. 270.
Idem si iudex deprehensum in stupro cogat ducere, si volentem illam cognouit, num. 14. pag. 270.
Idem de medico, qui minatur se deserturum infirmũ, num. 15. pag. 270.
Quando liceat Principi impedire subditorum coniugium coactione, num. 16. pag. 270.
Posse etiam, si iusta subest causa, quando tãtum cogit ne contrahat cum aliqua, num. 17. p. 270.
Idem dicendum de Magistris militiarum comparatione suorum militum, num. 18. pag. 271.

CAPVT XX.

Errore circa substantiam dirimi matrimonium, & alios contractus, siue actus. pag. 271.

Errorem auferre consensum, num. 1. p. 272.
Eius variæ diuisiones, num. 2. pag. 272.
Errorem circa substantialia vitiare iure naturæ, nu. 3. pag. 272.
Aliquãdo error, qui est circa substantiam in vno actu, esse accidentalem in alio, & exemplis explicatur, num. 4. pag. 272.
Quomodo error circa substantialia dicatur dare causam contractui vera explicatio, num. 5. p. 271.
Quædam obseruatio, num. 6. pag. 273.
Matrimonium ex errore erga personam nullum esse iure naturæ, & positiuo, num. 7. p. 273.
Eleemosynam ob paupertatem fictam donatam, nullam, nisi de animo donantis constet oppositum, numero, 8. pag. 173.
Idem de donatione titulo consanguinitatis, aut amicitiæ, si non est amicus, nec consanguineus, nnm. 9. pag. 273.
Idem si Episcopus conferat beneficium cum ignorantia beneficij, num. 10. pag. 274.
Idem quando cum falso libello, tacenti quod de iure expr imendum erat, beneficium impetratur, num. 11. pag. 174.
Quid dicendum in votis, cum ex errore singularium accipiuntur, num. 12. pag. 274.
Quis error in emptione vitiet, num. 13. p. 274.
Errorem virginitatis in seruo, qui emitur accidentalem esse, nnm. 14. pag. 275.
Obijcitur ex textu in l. quid tamen de contrah. empt. quorundam solutio reijcitur, n. 15. p. 275.
Aliorum etiam solutio reijcitur, n. 16. p. 275.
Respondetur ex propria sententia, & remittitur maior explicatio, num. 17. pag. 275.
Alia obiectio ex l. si sterilis de actio. empt. n. 18. p. 276.
Alia obiectio ex l. labeo de contrah. empt. n. 19. p. 276.
Alia obiectio ex eo quod in stipulatione, & pignoris datione error materiæ non vitiat, n. 20. p. 276.
Errorem concomitantem circa substantiam etiam ob stare matrimonio, num. 21. p. 276.

CAPVT XXI.

Quid dicendum de errore circa qualitatem accidentalem in matrimonio, & alijs contractibus. pag. 277.

Communis sententia, num. 1. pag. 277.
Quædam obseruatio pro eius explicatione, n. 2. p. 277.
Prima pars veræ sententiæ, num. 3. pag. 278.
Nonnulla inferuntur in specialibus materijs, num. 4. & 5. pag. 278. & 279.
Secunda pars veræ sententiæ quando animus expresse fertur in accidentalia contractus, n. 6. & 7 p. 279.
Quid si vendat alicui existimans esse amicum, num. 8. pag. 279.
Quid in votis cum errore accidentali, n. 9. p. 279.
Quid quando in votis est error causæ finalis vel impulsiuæ, num. 10. pag. 280.
Obiectio ex cap. ex parte, de conuers. coniug. diluitur num. 11. pag. 280.
Idem dicendum cum dolus adhibetur ab aliquo tertio, num. 12. pag. 280.
Quandoque etiam vitiari matrimonium ex errore in qualitatibus, num. 13. pag. 280.
Eum, qui decipit in qualitate si deceptio sit grauis, peccare mortaliter, num. 14. pag. 281.
Obijciuntur quædam contra nostræ sententiæ secundam partem. num. 15. pag. 281.
Diluuntur, num. 16. pag. 281.
Quare philosophemur diuersimode de dolo, & metu in contractibus, num. 17. pag. 282.
Quãdo dolus dicatur dare causam, vel incidere in foro animæ, & externo, num. 18. p. 282.
Quid iuris sit penes deceptum iure naturali, quorundam opinio, num. 19. pag. 282.
Aliorum opinio sub distinctione, n. 20. p. 282.
Verior sententia, num. 21. pag. 283.
Quid quando dolus incidit tantum, n. 22. p. 283.
Quid dicendum iure positiuo, quæ actio competat de capto aduersus decipientem, communis distinctio. num. 23. 24. & 25. pag. 283. & 284.
Nonnulli contra sentiunt. Eorum rationes, n. 26. 284.
Explicatur communis sententia in contractibus stricti iuris, num. 28. pag. 285.
Contractus bonæ fidei iure positiuo non valere ex dolo dante causam, num. 29. pag. 285.
Quando dolus dans causam etiam contractui bonę fidei versatur circa accidentalia, valere iure positiuo & in hoc differre à iure naturali, n. 30. p. 285.
Explicatur quæ iura competant decepto ratione doli interuenientis, tam in contractibus bonæ fidei, quam stricti iuris, siue sit circa accidẽtalia, siue substantialia, num. 31. 32. & 33. pag. 285.
Opponitur quomodo si venditio ex dolo circa substãtialia non valeat, detur actio ex empto, n. 34. p. 287.
Opponitur ex l. tenetur 6. de act. empti, n. 35. p. 287.
Rursus obijcitur ex l. si addes, 19. D. locati, n. 36. p. 287.
Opponitur ex vendente rem alienam & vendente non sanam, num. 37. pag. 287.
Opponitur ex l. eleganter, D. de dolo, n. 38. p. 287.
Diluuntur argumenta Lesij contra communem doctrinam, num. 39. pag. 287.
Quid dicendum in hac rę iure Canonico, n. 40. p. 288.

CAPVT XXII.

Explicatur quando qualitates refundantur in errorem personæ, & alia colliguntur. pag. 288.

Quid agendum, num. 1. pag. 288.
Quando censeatur error qualitatis refundi in errorẽ personæ explicatur ex dictis c. præced. n. 2. p. 288.
Explicatur quidam peculiaris casus Tabienæ, num. 3. 4. & 5. pag. 288. & 289.

CAPVT XXIII.

An cum errore facti, & scientia iuris possit esse consensus ad matrimonium? pag.289.

Status quæstionis variæ sententiæ, n 1.p 289.
Explicatur prima pars veræ sententiæ adhibita distinctione, & liberatur ab obiectionibus, num.2.3.& 4. pag.289.& 290.
Probatur ratione, num. 5.pag.290.
Secunda pars veræ sententiæ, num.6.p.290.
Ratificatio matrimonij prius ex errore inualidi manente eodem errore nulla est, num.7.p.290.

CAPVT XXIIII.

Quando matrimonium fuit nullum à principio ex defectu aliquo, quomodo debeat renouari consensus.pag.291.

Status quæstionis, num.1.pag.291.
Quando matrimonium est nullum ratione alicuius impedimenti dirimentis, vtriusque consensus renouandus est, num.2.p.291.
Idem dicendum quando matrimonium fuit nullum ex defectu consensus, num.3.p.291.
Probatur ex responso Clementis VIII. in eadem specie, num.4.pag.292.
Opponuntur aliorum argumenta, n.5.p.292.
Diluuntur, num 6.pag 292.
Idem dicendum siue consensus defuerit, ex metu vel fictione.num.7.pag.293.
Non sufficere, si interius renouetur, sed debere verbis exprimi, num.8.pag.293.

CAPVT XXV.

An requiratur ad legitimam renouationem consensus, vt coniux ignarus fiat conscius nullitatis? pag.293.

Quorundam opinio sub distinctione, num.1.p.293.
In quouis casu coniugem, debere fieri certum de matrimonij nullitate, vt valeat renouatio consensus, num.2.pag.293.
Probatur & reijcitur distinctio primę sententię, num. 3.pag.294.
Quomodo debeat coniux reddi certus, varia dicta Thomæ Sanchez, num.4.pag.294.
Reijcitur secundum dictum, num.5.p.294.
Reijcitur tertium, num.6 pag 295.
Reijcitur quartum, num.7.pag.295.
In materia sacramentorum non licere sequi opinionem probabilem sed magis tutam, n 8.p.295.
Ex qua radice hoc oriatur, num.9.p.296.
Ex ea doctrina amplius reijcitur, quod dicebat Thomas Sanchez, num.10.pag.296.
Reijcitur vltimum dictum, num. 11.pag.296.
Quid dicendum de ratificatione professionis, nume. 12.pag.297.

LIBER QVINTVS.

De ijs, quæ pugnant cum matrimonio ex parte formæ hoc est, de consensu clandestino.pag.298.

CAPVT I.

Prohibitum matrimonium clandestinum ante Tridentinum.pag.298.

Quibus modis dicatur clandestinum matrimonium, num.1.pag.298.
Sepibus Ecclesiasticis prohibita clandestina cõiugia, n.2..299.

CAPVT II.

Proponitur Tridentini decretum, & eius summa.pag.299.

Proponitur decretum Tridentini, n.1.& 2.p.300.
Decem conditiones requiri à Concilio in eo decreto num.3.pag.301.
Dupliciter dici matrimonium clandestinum, n.4.301.
Peccatum mortale esse omittere solemnitatem præscriptam à Concilio, num.5.p.301.
Constitutione Tridentini solos fideles teneri, non infideles, num.6.pag.301.

CAPVT III.

Matrimonia clandestina non valuisse aliquando ante Tridentinum.pag.301.

Ante Concilium Tridentinum nunquam fuisse irrita coniugia quorundam sententia est, n.1.p.302.
Duæ partes veræ sententiæ, num.2.p.302.
Prima pars probatur, num.3.pag.302.
Opponitur ex l.non dubium, C.de legibus, n 4.p.302.
Prior interpretatio refellitur, num.5.p.303.
Aliæ explicationes reijciuntur, num. 6.7.8.& 9.pag. 303.& 304.
Eam legem confirmatam iure canonico, n.10.p.304.
Verus sensus collectus ex integra, n.11.p.304.
Duæ aliæ interpretationes, num.12.& 13.p.304.
Cum lex respicit personam vel assignat legitimum auctorem illius, nullus est actus, licet simpliciter prohibeatur, num.14.pag 305.
Secus quando ex alia causa respicit personam, num. 15.pag.305.
Quid dicendum quando lex prohibet substantiam actionis, num.16.pag.305.
Quid dicendum quando lex prohibet circunstantias actionis, num.17.pag.305.

CAPVT IIII.

Ecclesiam potuisse irritare matrimonia clandestina explicatur.pag.306.

Hæreticorum error, num.1.pag.306.
Catholica veritas, num.2.pag.306.
Explicatur quomodo Ecclesia potuerit aliquid variare in materia, forma & ministro matrimonij, num. 3.4.5.& 6.pag.306 & 307.
Explicantur hæc exemplo desumpto ex sacramento Pœnitentiæ, num.7.pag.307.
His non obstare quod matrimonium sit de iure naturali, num.8.pag.307.

CAPVT V.

An matrimonium clandestinum, & vniuersim cõtractus iure nullã vim habeant in foro conscientiæ? pag.307.

Quid

Quid agendum, num.1.pag.307.
Reijcitur media quædam sententia, num.2.p.308.
Quædam extrema sententia, num.3.pag.308.
Vera sententia, num.4.pag.308.
Legislatores posse irritare actus alias legitimos, num. 5.pag.308.
Distinguitur præsumptio legum, & explicatur primũ genus, num.6.pag.308.
Explicatur secundum, num.7.pag.309.
Lex fundata in præsumptione vt plurimum, obligare etiamsi in aliquo peculiari deficiat probatur, num. 8.pag.309.
Quid dicendum de sententia lata, quando non subest culpa, num.9.pag.309.
Quid in filio damnati, vt criminosi, si revera non fuit pater criminosus, num.10.p.309.
Quid quando religiosis prohibetur ingressus in cellas num.11.pag.310.
Quid dicendum in testamentis minus solemnibus, quorundam opinio, n.12.p.310.
Vera sententia, num.13.& 14.pag.310.
Quid de matrimonio, num.15.p.311.

CAPVT VI.

In nullo casu post Tridentinum esse locum matrimonio clandestino, neque renouari prius initum posse sine ea forma. pag.311.

Quid agendum, num.1.pag.311.
Prima opinio, num.2.pag.312.
Vera sententia, num.3.pag.312.
Proponitur noua alia difficultas, num.4.p 312.
Non esse necessarium renouare consensum coram parocho, & testibus, quorundam opinio est, maximè si occultum est impedimentum, n.5.p.312.
Vera sententia, necessarium esse, num.6.p.313.
Probatur ex responso Clementis VIII. ibidem.pag. 313.
Excluditur quædam euasio ex decisione Rotæ, num. 7.pag.313.
Aliter probatur, num.8.& 9 pag.314.
Reijcitur quædam solutio, num.10, pag.314.
Nulla absurda neque inconuenientia esse in nostra sententia, num.11.p.314.
Probantur hæc omnia ex alia decisione Rotæ, num. 12.pag.314.
Proponitur alius casus, & eius resolutio, num. 13.& 14.pag.315.
Solemnitatis omissio peccatum mortale est, n.15.316
Episcopum non posse dispensare in ea solemnitate, num.16.pag.316.
Etiamsi contrahatur sciente vicinia nullum subesse impedimentum, seruandã esse formam. n.17.p.316.
Ligari etiam eo decreto ignorantes, n.18.p.316.

CAPVT VII.

Qui teneantur decreto Concilij Tridentini? pag.316.

Status quæstionis, num.1.pag.316.
Apud quos non est promulgatum Tridentinum adhuc valere clandestinum, num 2.p.316.
Proponitur quid dicendum de peregrinantibus apud eos, inter quos non est receptum Trid. n.3.p.317.
Postea inuenies alia summaria.

§. PRIMVS.

An peregrini teneantur legibus populi, qua transeunt. pag.317.

Proponuntur quæ certa sunt, num.4.pag.317.
Variæ Doctorũ sententiæ, num.5.p.317.
Vera sententia, num.6.p.318.
Probatur ex iure. num.7.8.& 9.p.318.
Quorundam solutio refellitur, num 10.p.318.
Ratione probatur, num.11.p.319.
Et ex his, quæ concedunt aduersarij, num.12.p.319.

§. SECVNDVS.

Colliguntur nonnulla. pag.320.

Proponitur quid agendum, num.13.p.320.
Quid dicendum in obseruantia festorum, & ieiuniorum à transeuntibus, num.14 p.320.
Peregrinantem esse etiam subditum quoad vim coactiuam, num.15.p 320.
Quomodo possit puniri delinquens in alieno territorio, num.16.& 17.pag.321.
An teneatur de iure remittere delinquentem in alieno territorio, num.18 p.321.
Quid dicendum de excommunicatione an liget transeuntes, num.19.p.321.
Episcopum non posse excommunicare subditum in alieno territorio. num.20.p.321.
Quomodo philosophandum in cõtractibus, n.21.322.
Quid in contractu dotis, num.22.p.322.
Maior explicatio, num.23.pag.322.
Quid in factione testamenti, num.24.pag.323.

§. TERTIVS.

Obiectiones soluuntur. pag.323.

Objicitur primo ex Leone VIII. n.25.p.323.
Objicitur secundo ex Augustino, n.26.p.323.
Objicitur tertio ex l. hæres absens, n.27.p.323.
Objicitur quarto ex eo, quod qui breui tempore alicubi moratur, non censetur ibi esse, n.28.p.323.
Objicitur quinto ex cap. â nobis de sentent. excommunicat. num.29.pag.324.
Vera interpretatio, num.30.p.324.
Objicitur denique ex varijs exemplis, n.31.p.324.

CAPVT VIII.

Peregrinos non teneri legibus suæ patriæ. pag.325.

Peregrinos non teneri legibus suæ patriæ, n.1.p.325.
Idem dicendum quamvis ea, quæ in patria seruantur sint iuris communis, num.2.p.325.
Nec potest vti indulgentia sui territorij, si in loco vbi moratur seruatur ius commune, n.3.p.325.
Idem infestis dicendum, num.4.p.326.
An teneatur antequã exeat ex loco vbi festus dies est sacrum audire variæ sententiæ, n.5.p.326.
Vera sententia probatur, num. 6.pag.326.
Quorundam solutio reijcitur, num.7.pag.326.
Quid de præcepto confessionis annuæ, si iam impletum est in patria, num.8.pag.326.

CAPVT IX.

Accommodatur doctrina præcedentium capitum, vt explicetur, qui teneantur decreto Tridentini. pag. 327.

Qui sunt ex his locis, in quibus non est receptum Tridentinum, peregrinantes vbi receptum, tenentur contrahere iuxta formam illius, n.1.p.327.
Qui sunt ex his locis vbi seruatur, peregrinantes vbi non seruatur, possunt contrahere sine ea forma, n.2.pag.327.
Quorundam, qui contra sentiunt, argumentum diluitur, num.3.pag.327.
Id esse verum etiamsi eo accedant animo non seruandi Tridentinum, num 4.pag.328.
Aliorum qui contra sentiunt fundamentum diluitur, num.5 pag.328.
Quid dicendum in hoc casu in sacramento confessionis, num.6.pag.328.
Quid de commorantibus inter infideles, n.7.p.328.

CAPVT X.

Quis intelligatur nomine ordinarij in decreto Tridentini? pag.329.

Quid agendum, num.1.pag.329.
Quis censeatur ordinarius, num.2.pag.329.
Episcopum in sua Diœcesi esse ordinarium, n.3.p.329
Capitulum sede vacante, num 4.pag.329.
Abbatem Ecclesiæ exemptæ, num.5.pag.329.
Cardinales in Ecclesia sui tituli, num.6.p.330.
Delegatum Apostolicum in prouincia suæ legationis num.7.pag.330.
An Archiepiscopus in suffraganeis sit ordinarius, nu. 8.pag.330.
Vera sententia non esse, nisi in quibusdam casibus, nu 9.pag.330.
Quædam animaduersio, num 10.pag.330.
Quando Archiepiscopus possit absoluere suffraganeum ab excommunicatione, n.11.p.331.
Quid possit Episcopus in Abbatia, quæ est in eius Diœcesi, num.12.pag 331.
Quæ habet in commendam Abbatiam, quæ iura Episcopalia habet, non esse ordinarium, n.13 p.331.

CAPVT XI.

An vicarius Generalis Episcopi intelligatur nomine ordinarij? pag.331.

Vicarium generalē Episcopi esse ordinariū, n.1.p.332.
Quædā quæ obstare videntur explicantur, n.2.p.332.
In quouis decreto nomine ordinarij etiam intelligi vicarium, num.4. limitatur, ibid.pag.332,
Posse decretum interponere in alienationibus minorum, num.5.pag.332.
Vicarij, & Episcopi vnum tribunal, n.6.p.333.
Legitime gestum à vicario non posse ab Episcopo reuocari, num.7.pag.333.
Episcopo defuncto, excommunicato, interdicto cessare etiam vicarium, num.8.pag.333.
Idem de iure dicendum de locum tenentibus prætorum, num.9.pag.333.
Posse vicarium audire confessiones, & dare licentiam absoluendi à reseruatis, num. 10. pag.333.
Posse assistere matrimonio, & licentiā assistendi concedere, num.11.pag.333.
Posse de causa matrimoniali cognoscere ex generali institutione, num.12.pag.334.
Aliter iudicandum de vicarijs foraneis, n.13.p.334.
In his quæ specialiter committuntur vicarium nō esse ordinarium, sed delegatum, num.14.pag.334.
Aliorum qui contra sentiunt, distinctiones, n.15.p.334
Refelluntur, num.16.pag.335.
Diluuntur eorum fundamenta, n.17.pag.335.

CAPVT XII.

Quid dicendum sit de Archibresbytero, & Scholastico Salmantino, an sint ordinarij. pagin. 335.

Quid agendum, num.1.pag.335.
Quis Archipresbyter, num.2.pag.335.
Eius munera, num 3.pag.336.
Quid circa sacramenta Archipresbyter Vrbanus, & ruralis, num 4.pag.336.
Quod eius munus in sacramento confessionis quorū dam sententia, num.5 pag.336.
Vera sententia, num.6.pag.336.
Nihil circa matrimonium posse, n.7.pag.336.
Scholasticum Salmantinum ordinarium esse, nihil tamen circa matrimonium posse, n.8.pag.336.

§. VNICVS.

De iurisdictione Scholastici Salmantini breuis, & opportuna digressio. pag.337.

Proponitur quæstio, num, 9.pag.337.
Quando possit Pontifex laicos eximere à iurisdictione sæcularium, num. 10.pag 337.
Probatur, num.11.pag.337.
Extra eum casum non posse eximere laicum à Principis sæcularis potestate, num.12.pag.338.
Iurisdictionem datam à Pontifice sæculari iudici Ecclesiastico in laicos sæcularem esse, & perseuerare sæcularem, num. 13.pag.338.
Ex his colligitur qualis sit iurisdictio Scholastici Salmantini in scholasticos laicos, num.14.p.338.
Quid de iurisdictione Inquisitorum in Familiares extra causas fidei, num.15.pag.339.
Quid de iurisdictione Commissarij Cruciatæ atque subsidij, num.16.pag.340.
Obijcitur primo ex iudice ad quem appellationes scholasticorum, num 17.pag.340.
Secundo obijcitur ex eo, quod censuris agunt in subditos, num.18.pag.341.
Tertia, & quarta obiectio Parami, num.19.p.341.
Vltima obiectio aliorum, num.20.pag.342.
An ea iurisdictio semel concessa à Rege reuocari possit, num. 21. Verius posse, etiamsi non decerit sub conditione, num.22.pag.342.

CAPVT XIII.

Quis dici debeat proprius parochus? p.343.

Quid agendum, num.1.pag.343.
Quædam certa proponuntur, num.2 pag.343.
Quorundam sententia, num.3.pag.343.
Verior sententia, num.4.pag.344.

Cardi-

Cardinalium congregationis declarationes, n.5.p.344
Probatur primo.num.6.pag.344.
Explicatio deciſionum Rotæ, quæ obſtare videntur. num.7.pag.345.
Coram parocho habitationis domicilij poſſe cõtrahi, etiamſi paruo tempore alicubi cõmoretur, n.8 345.
Quid dicendum de concubina, quæ eſt in domo concubini.num.9.pag.344.

§. SECVNDVS.
Quiſnam ſit proprius parochus in ordine ad funeralia.pag.345.

Quid agendum.num.10.pag.345.
Prima ſententia.num.11.pag.345.
Prima pars veræ ſententiæ.num.12.pag.345.
Probatur ex iure.num. 13. & 14.pag.346.
Opponitur primo, ex c.noſtra de ſepult.n. 15.p.346.
Et ex cap.fin.de parochijs.num.16.pag.347.
Et ex cap.quæſti.16.quæſt.1.num.17.pag.347.
Et ex cap.cum nullus de temp.ord.n.18 p.347.

§. TERTIVS.
Quis ſit proprius parochus in ordine ad decimas, & primitias? pag.347.

Decima perſonalis debetur domicilio.n.19.p.347.
Prædialis ſoluenda, vbi prædia conſtituta ſunt. num. 20.pag.348.
Quid ſi prædia non ſint in aliqua parochia. n.21.p.348
Quid do decimis mixtis, quorundã ſententia.n.22.348
Vera ſententia.num.23.pag.348.
Quid quando paſcuntur in vna & pernoctant in alia, num.24.pag.349.
Quid quando non paſcuntur, neque aluntur in Eccleſia domini ſui. num. 25.pag.349.
Quid quando Eccleſia parochialis, & baptiſmalis fuerint diuerſæ.num.26.pag.349.

CAPVT XIIII.
De proprio vagorum parocho ad matrimonium. pag.349.

Decretum Trident.de vagorum parocho. n.1.p.349.
De quibus vagis intelligatur, nu.2.pag.349.
Extendi ad etiam alienigenas, num.3.pag.450.
Idem ſeruandũ etiamſi vnus ſit vagus, n.4.p.350.
Quemuis parochum illius populi poſſe eligi à vagis, num.5.pag.350.
Idem etiamſi in fraudem fiat, num.6.pag.350.
Etiam ſi quis in aliquo loco deputatus ſit vagorum confeſſor, non eſſe proprium parochum ad matrimonium, num.7.pag.350.
Parochum, qui ſine ea diligentia cõiungit vagos, peccare grauiter, valere tamen coniugium, n.8.p.350.

CAPVT XV.
Quinam alij parochorum nomine cenſeantur. pag.351.

Duo agenda, num.1.pag.351.
Idem de religioſis, atque de alijs parochis apud Indos dicendum, inter quos parochi munus exercent, n. 2.pag.351.
Ad coniungendos vagos debent religioſi parochi petere licentiam ab ordinario, num.3.p.351.
Obijcitur, & diluitur, num.4.pag.351.
Quæ requirantur vt religioſi poſsint apud Indos eſſe parochi, num.5.pag.352.
Poſſe coniungere matrimonio cum tranſeunt per locum, in quo non eſt parochus, num.6.pag.352.
Rectores, & Coadiutores gaudere parochorum nomine, num.7.pag.352.

CAPVT XVI.
Quis contrahentium parochus adeſſe debeat, & in qua parochia. pag. 352.

Proprius parochus adeſſe debet, num.1.pag.352.
Non eſt neceſſariũ vt vterq; parochus adſit, n.2.p.353
Quis eorũ adeſſe debeat, prima ſententia, n,3.p.353.
Illum adeſſe debere in cuius parochia, contrahitur, & non alium, num.4.pag.353.
Quorundam ſolutio reijcitur, num 5.pag.353.
Non obſtare declarationem aliquam, n.6.p.353.
Ratio declarationum adducitur.num.7.pag.354.
Afferuntur aliorum fundamenta, & diluuntur, nu.8.9. & 10.pag.354.
Parochum in alienа parochia coniungentem etiam ſuum parochum, peccare, & nihil efficere, n.11.354.
Neque poſſe de licentia parochi, aut ordinarij, num. 12.pag.354.
Obijcitur, & diluitur, num.13.pag.354.
Si vnus ex contrahentibus ſit vagus quivis parochus poteſt, num.14.pag.355.
Si in vnius parochia non eſt promulgatum Tridentinum, poteſt ſine ea forma contrahi coniugium, n. 15.p.355.

CAPVT XVII.
Quæqualitates requirantur in parocho qui aſsiſtere matrimonio debet, pag.355.

Non requiritur qualitas ſacerdotij in parocho vt adſit matrimonio, num.1.pag.355.
Quorundam obiectiones diluuntur; num.2.3.p.355.
Parochus non ſacerdos aſsiſtens matrimonio nõ peccat; poteſt etiam licentiam concedere, licet non ſit ſacerdos, num.4.pag.356.

§. VNICVS.
An poſsit aſsiſtere excommunicatus vel irregularis? pag.356.

Regula generalis ſtatuitur, num.1.pag.356.
Excommunicatum etiam denuntiatum ſuſpenſum ir regularem parochum poſſe aſsiſtere matrimonio, num. 6. pag.356.
Suadetur ex declaratione Cardinalium, n.7.p.357.
Obiectiones proponuntur, num.8.pag.357.
Diluuntur, num.9.pag.357.
Parochum excommunicatum aſsiſtentem matrimonio non effici irregularem, num.10.pag.358.
Peccare tamen, & grauiter, num.11.pag.358.
Limitatur in caſu neceſsitatis, num.12.pag.358.
Valet matrimonium, cui aſsiſtit parochus prohibitus aſsiſtere, num.13.pag 358.
Poſſe licentiam dare alijs vt aſsiſtant parochum excõmunicatum, num.14 pag.359.

Obiectiones proponuntur,num.15,pag.359.
Diluuntur,num.16 pag.359.

CAPVT XVIII.

An peccent contrahentes, dum ab excommunicato parocho petunt, vt assistat vel licẽtiam præbeat? pag.360.

Quid agendum,num.1.pag.360.
Diuisio scandali,num.2.pag.360.
Alia diuisio in actiuum,& passiuum, num.3.p.360.
Prima regula de scandalo actiuo,num.4.p.361.
Quid requiratur, vt quis censeatur dare scandalum actiuum,num.5.pag.361.
Eadem obligatio vitandi, si scandalum fratris futurum sit in eodem genere vel diuerso, n.6.p.361.

§. SECVNDVS.

Secunda regula proponitur,& explicatur. pag.361.

Secunda regula de scandalo passiuo,n.7.p.361.
Probatur ex iure,num.8.pag.362.
Et explicatur ratione, num.9.pag.362.
Prima obiectio diluitur,num.10.pag 362.
Secunda obiectio diluitur,num.11.pag.363.
Reijcitur quædam limitatio num.12.pag 363.
Ampliatio doctrinæ, num.13.pag.363.

§. TERTIVS.

Tertia,& quarta regula proponuntur,& explicantur.pag.364.

Scandali passiui diuisio, & explicatio, nume.14.pag. 364.
Tertia regula explicatur,num.15.pag.364.
Obiectioni fit satis,num.16.pag.364.
Quarta regula,num.17.pag.365.
Explicatur Basilius,& Chrysostomus, num.18.& 19. pag.365.& 366.

§. QVARTVS.

Quinta regula proponitur, & explicatur. pag.366.

Quædam obseruatio præmittitur,num.20 p.366.
Quinta regula, num.21.pag.366.
Duæ aliæ partes eiusdem regulæ, n.22.23.p.366.

§. QVINTVS.

Colligitur quando liceat consulere minus malum pag.367.

Status quæstionis, num.24.pag.367.
Non licet suadere minus malum absolute, nume.25. pag.367.
Licite suadere ad euitandum maius,n.26.p.367.
Explicatio doctrinæ,num.27.pag.368.
Quomodo hæc doctrina seruãda in materia iustitiæ, num.28 pag.468.

§. SEXTVS.

Colligitur quid dicendum in redemptione iniustæ vexationis.pag.368.

Status quæstionis,num.29.pag.369.
Regula generalis,num.30.pag.369.
Refertur posse offerri pecuniam latroni volenti occidere,num.31.pag.369.
Posse offerri pecuniam nolenti administrare sacramẽtum in periculo mortis,num.32 pag.369.
In alio etiam casu cedere religionem misericordiæ, num.33.pag.369.
Obiectio prima diluitur, num.34.pag.370.
Item obiectio secunda,num.35.pag.370.
Et tertia obiectio, num.36.pag.370.
Quomodo in beneficijs habeat locum redemptio vexationis,variæ sententiæ,num.37.pag.370.
Vera sententia,num.38.pag.371.
Quid ante ius quæsitum,num. 39.pag.371.
Variæ explicationes,num.40.& 41.pag.371.
Quid in electione Summi Pontificis,num.42.& 43.p. 371.& 372.
Quid in Cathedris,num.44.pag.372.

§. SEPTIMVS.

Colligitur, quando liceat petere mutuum ab vsurario sine scandalo. pag.372.

Sensus quæstionis,num.45.pag.372.
Licitum esse petere mutuum ab eo, quem scio exactu rum vsuras,num.46.pag.372.
Licere petere mutuum ad vsuras nonnulli affirmant, num.47.pag.372.
Improbatur num.48.pag.373.
Ratio veræ sententiæ, num.49.pag.373.
Ab eo,qui paratus non est non licere petere,num.50. pag.374.
Quæ necessitas vel vtilitas requiratur in postulante, num.51.pag.374.
Quid si mutuatarius petat ad negotiandum, num.52. pag.374.
Non esse peccatum in soluendis vsuris,n.53.p.374.
Obiectio diluitur, num. 54.pag.374.

§. OCTAVVS.

Colligitur an liceat inducere ad iurandum, quem scio falso iuraturum, vel iuraturum vere per falsos Deos.pag.375.

Sensus quæstionis,num. 55.pag.375.
Non licet inducere ad iurandum sine causa,quem scio falso iuraturum, num.56.pag.375.
Potest tamen petere à iudice, vt compellat ad iurandum,licet sciat falso iuraturum, n.57.p.375.
Non potest id facere priuata persona extra iudicium, num. 58.pag.375.
An possit peti ab aliquo vt iuret rem quam existimat esse veram, & petens iuramentum scit esse falsum remittitur, num.59.pag.376.
Qui falso iurat per falsos Deos, quomodo fit periurus,num.60.pag 376.
Posse licite peti iuramentum ab eo, qui iuraturus est verum per falsos Deos explicatur iuxta traditas regulas,num.61.pag.376.
Obiectio soluitur,num.62.pag.377.
Quid seruandum in iuramento promissorio, num.63. pag.377.
Alia etiam breuiter explicantur,num.64.p.377.

§. NONVS.

Colligitur qua ratione liceat sacramentorũ administrationem petere ab excommunicato. pag. 377.

Quomodo liceat petere sacramentum ab excommunicato adhibita distinctione explicatur iuxta prædictas regulas, num. 65. pag. 377.
Non excusatur quis ex eo, quod petat à suo parocho, num. 66. pag. 378.
Quid quando scit esse in statu peccati mortalis, num. 67. pag. 378.
Quomodo liceat petere vt parochus excommunicatus assistat matrimonio, n. 68. pag. 378.

CAPVT XIX.

An sufficiat ad matrimonij valorem parochus, qui à legitimo superiore titulum habet, innalidum tamen? pag. 379.

Improbatur quod vulgò dicitur communem errorem ius facere, num. 1. pag. 379.
Nonnulla soluuntur, num. 2. pag. 379.
Regula generalis in hac materia, quando valeant gesta ex communi errore, num. 3 pag. 379.
Requiri vt communi errore officij capax, aut iudex existimetur, num. 4. pag. 380.
Non habet locum quando impedimetum ortum fuit ex iure diuino, num. 5. pag. 380.
Locum habet quando est impedimentum inductum ex iure humano, num. 6. pag. 380.
Locum habet in his, quæ pertinent ad forum exterius num. 7. pag. 380.
Etiam in his, quæ spectant ad forũ interius, n. 8. p. 381
Obijciuntur nonnulla, & diluuntur, n. 9. 10. p. 381.
Etiam habere locum in iudice delegato, n. 11. p. 381.
Alij dissentiunt, num. 12. pag. 381.
Idem dicendum etiamsi vitium nascatur ex commissionis defectu, num. 13 pag. 382.
Etiamsi vitium nascatur ex parte delegantis, n. 14. 382.
Idem in delegato ad causas fori interni, n. 15. p. 382.
Idem dicendum siue ante delegationem, siue postea fiat incapax tituli. n. 16. pag. 382.
Idem dicendum comparatione eius, qui defectũ scit, alijs ignorantibus, num. 17. p. 383.
Idem dic, etiamsi sit confessarius quem scio carere iurisdictione, num. 18. p. 383.
Quid dicendum in matrimonio, n. 19. p. 383.

CAPVT XX.

An parochus putatiuus, sine titulo collato à legitimo superiore, valide assistat matrimonio. p. 384.

Prima sententia, num. 1. pag. 384.
Verior sententia, num. 2. pag. 384.
Variæ probationes, num 3. 4. & 5. pag. 384.
Colliguntur nonnulla, num. 6. pag. 385.
Quorundam relatio examinatur, num. 7. p. 385.
Quid dicendum in confessione indulgentiarium, nu. 8. pag. 386.
Matrimonium coram parocho existimato licet intruso validum. num. 9. pag. 386.

CAPVT XXI.

Explicantur nonnulla alia circa parochi præsentiam. pag. 386.

Tridentini decretum proponitur, num. 1. p. 386.
Verba parochi non esse de necessitate sacramenti, n. 2. pag. 386.
Non est necessariũ vt parochus interroget de cõsensu si ipsi explicent, num. 3. pag. 386.
Requiritur vt parochus sit ad eam rem formaliter adhibitus, num. 4. pag. 387.
Nihil refert quod dolo vocatus sit, n. 5. pag. 387.
Explicatur regula iuris, quæ obstare videtur, n. 6. 387.
Alia obiectio soluitur, num. 7. pag. 388.
Necessarium est vt parochus intelligat quod agitur, num. 8. pag. 338.
An satis sit vt intelligat per interpretem, num. 9. 10. & 11. pag. 388. & 389.
Quid si parochus affectet non intelligere, n. 12. p. 389.

CAPVT XXII.

Cui actui interesse debeant parochus, & testes? pag. 389.

Ratio quæstionis, num. 1. pag. 389.
Regula generalis, num. 2. pag. 389.
Non satis esse vt parochus, & testes sint præsentes spõsalibus etiam iuratis, num. 3. pag. 390.
Etiamsi post sponsalia quibus adfuit parochus, sequatur copula, num. 4. pag. 390.
Idem etiamsi fuisset præsens copulæ, & non sponsalibus, num. 5. pag. 390.
Idem etiamsi adfuisset sponsalibus, & copulæ, numer. 6. pag. 390.
Idem etiamsi parochus adfuisset sponsalibus impuberum, num. 7. pag. 391.
Idem etiamsi sit præsens matrimonio conditionato, num. 8. pag. 391.

CAPVT XXIII.

Iurisdictionem delegatam esse morte concedentis. pag. 391.

Quid agendum, num. 1. pag. 391.
Iurisdictio delegata expirat morte delegantis re integra, num. 2. pag. 391.
Communis ratio, num. 3. pag. 391.
Obijciuntur nonnulla, num. 4. pag. 392.
Diluuntur, num. 5. 6. 7. & 8. pag. 392. & 393.
Reijcitur communis ratio, num. 9. pag 393.
Vera ratio, num. 10. pag. 393.
Explicatur ex discrimine iurisdictionis ordinariæ, & delegatæ, num. 11. pag. 393.
Potissimum vtriusque discrimen, num. 12 p. 393.
Quid de iurisdictione per vim legis concessa etiam delegata, num. 13. pag. 394.
Idem de iurisdictione delegati à Principe, numer. 14. pag. 394.
Obiectio soluitur, num. 15. pag. 394.
Idem dicendum in delegatis ad vniuersitatem causarum, num 16. pag. 394.
Non posse delegatum mortuo delegante re integra commissum negotium inchoare etiam de consensu partium, num. 17. pag. 394.

CAPVT XXIIII.

Quid dicendum, si delegatus ignoret obijsse delegantem re integra. pag.395.

Ignorantiam mortis non adimere iurisdictionem delegatam est quorundam opinio,n.1.p.395.
Verior sententia, num.2.pag.395.
Obijciũtur nonnulla, & diluuntur, n.3.4.& 5.pa.395. & 396.
Interpretantur nonnulla iura, n.6.7.8.9.10.pag.396.& 397.11.& 12.Quæ obstare videntur, pag.398.

CAPVT XXV.

Iurisdictio delegata quando spirat elapso termino. pag.398.

Summa Alexandri III.in cap.de causis, num.1.2.pag. 398.
Obiectio proponitur,n.3.p.399.
Diluitur primo, num.4.pag.399.
Diluitur secundo,num.5.pag.399.
Tertia conclusio Alexandri III. in dicto cap.num.6. pag.399.
Obiectio proponitur,& diluitur,n.7.p.399.

CAPVT XXVI.

Exponuntur nonnulla de potestate subdelegandi pag.400.

Sententia Pontificis in cap. si pro debilitate, num.1. pag.400.
Delegatum non posse subdelegare, n.2.p.400.
Prima limitatio in delegato Principis, n.3.p.400.
Examinatur,& reijcitur limitatio,n.4.5.& 6.p.401.
Secunda limitatio,num.7.pag.401.
Eius explicatio,num.8.pag.401.
Tertia limitatio,num.9.pag.402.
Reijcitur,num.10. & 11.pag.402.
Vere explicatur,num.11.p.g.402.
Quarta limitatio, num.13.pag.402.
Reijcitur,num.14.pag.402.
Diluitur obiectio,num.15.pag.403.
Explicatur,num.16.pag.403.
Quinta limitatio,num.17.pag.403.

CAPVT XXVII.

An subdelegandum causa requiratur in delegante.pag.403.

Proponitur difficultatis ratio, n.1.pag.403.
Sententia Glossæ proponitur,n.2 pag.404.
Non requisita causam ad subdelegandum verior sententia est,num.3.pag.404.
Obijcitur,& diluitur,num.4.& 5.pag.404.
Quo modo sit verum subdelegatum à delegato Principis teneri in causa graui consulere delegatum, num.6.pag.404.

CAPVT XXVIII.

De assistentia alterius loco parochi.pag.405.

Tridentini decretum proponitur, num.1.p.405.
Parochum posse concedere licentiam, an cum facultate subdelegandi,& quid de eorum vicarijs, num. 2.pag.405.
Eodem modo iudicandum de religiosis apud Indos vbi parochi sunt,num.3.pag.406.
Quid de Archipresbytero,& Archiepiscopo, num.4. pag.406.
Quid de capitulo sede vacante,legato,& vicario Episcopi,num.5.pag.406.
In eo cui licentia conceditur requiruntur qualitates, quæ in parocho,& quod sit Sacerdos,n.6.p.406.

CAPVT XXIX.

Quomodo sit ea licentia concedenda.p.407.

Licentia debet esse expressa, num.1.pag.407.
Sufficit generalis administrandi sacramenta, n.2.407.
Valet data à parocho etiam contra denunciationem Episcopi, num.3.pag.407.
Quid quando datur sub aliqua speciali forma sententia quorundam,num.4.pag.408.
Impugnatur ab alijs,num.5.pag.408.
Explicatur quid verius videatur,n.6.& 7.p.408.&409.
Concessa licentia innotescere debet,& ostendi, num. 8.pag.409.
Posse licentiam concedi à parocho, vt coniũgat sibi subditum in aliena parochia,aut Diœcesi,n.9.409.
Obiectio soluitur,num.10.pag.410.

CAPVT XXX.

De denunciationibus præmittendis. p.410.

Tridentinum decretum,num.1.pag.410.
Denunciationes non sunt de substantia matrimonij, num.2.pag.410,
Non posse neque omnes, neque aliquam omitti sine peccato mortali,num.3.pag.411.
Debere fieri in vtriusque parochia,num.4.p.411.
Sufficere vt fiant in parochia habitationis,nisi ordinarius aliud decernat, num.5.pag.411.
Debere fieri in Ecclesia,nisi consuetudo obstet, num. 6.pag.412.
Et in diebus festiuis non ferialibus, n.7.pag.412.
Non tamen continuis,num.8.pag.412.
Et petentibus contrahentibus,& per parochum, licet id consuetudine sublatum,n.9.pag.413.
Non multo post denunciationes matrimoniũ contrahendum,aut iterum repetendas,n.10.p.413.

CAPVT XXXI.

Quando omitti denunciationes possint, & cuius auctoritate.pag.413.

Tridentini decretum num.1 pag.413.
Non posse omitti denunciationes auctoritate parochi num.2 pag.413.
Quis intelligatur hoc loco nomine ordinarij, n.3.414.
Obiectio diluitur, num.4.pag.414.
Non intelligi Vicarium Episcopi,nisi committatur,n. 5.pag.414.
Obiectiones proponuntur,& diluuntur, n.6.7.p.414.
Potest eam potestatem Episcopus concedere Vicario suo,num.8.pag.415.
Cum contrahentes sunt ex diuersis Diœcesibus, &

vnus ex eis remittit denunciationes, non videntur aliæ remissæ, num. 9. pag. 415.

CAPVT XXXII.

Ex qua causa omitti denunciationes possint, & debeant? pag. 415.

Denunciationum omittendarum non vnam causam esse, num. 1. pag. 415.
Illæ referuntur, num. 2. pag. 416.
Non esse necessariam iudicialem causæ cognitionem, num. 3. pag. 417.
Obiectio diluitur, num. 4. pag. 417.
Posse fieri eam dispensationem iudicialem, numer. 5. pag. 417.
In quibus causis teneatur ordinarius dispensare, nu. 6. pag. 417.
Posse aliquando contrahi etiam non posita ea dispensatione, num. 7. pag. 418.
Vera eius ratio, num. 8. pag. 418.
Limitatio veræ sententiæ, num. 9. pag. 418.
Quid agendum quando ordinarius negat licentiam, cum potest, num. 10. pag. 418.
Quæ certa sunt, ibidem.
Quorundam sententia, num. 11. pag. 419.
Verior sententia, num. 13. pag. 419.
Executorem vltimæ voluntatis, cuius conscientiæ relinquitur dispositio, posse compelli ad reddendum rationem, num. 14. pag. 419.

CAPVT XXXIII.

Quæ sit obligatio contrahentium, quibus notum est impedimentum? pag. 419.

Contrahentes conscios impedimenti teneri manifestare aut desistere à matrimonio, n. 1. pag. 420.
Idem dicendum de ordinandis, num. 2. pag. 420.
Idem dicendum de eligendis, num. 3. pag. 420.
Idem dicendum de electoribus, n. 4. pag. 420.
An teneantur manifestare copulam remissiue, num. 5. pag. 421.
Limitantur prædicta, nisi habeat dispensationem in foro interno, num. 6. pag. 421.

CAPVT XXXIIII.

Ad quid teneatur ex vi denunciationum qui aliquod impedimentum nouit, occultum tamen? pag. 421.

Qui tantum nouit impedimentum ex auditu non tenetur manifestare, num. 1. pag. 421.
Explicatur, ibidem.
Idem si timet ex manifestatione sibi graue damnum, n. 2. pag. 422.
Tenetur manifestare, quando impedimentum est publicum, & probari potest, n. 3. pag. 422.
Quando vnus solus nouit teneri, multorum sententia est, num. 4. pag. 422.
Oppositum probabilius, probatur, & explicatur per partes, num. 5. 6. 7. 8. 9. & 10. p. 422. & 423.
Obiectio diluitur, num. 11. pag. 423.
Fundamenta contraria diluuntur, n. 12. p. 424.

CAPVT XXXV.

Quid agendum parocho, vel ordinario qui in confessione nouit impedimentum contrahentium. pag. 424.

Non posse vti scientia confessionis, teneri tamen admonere pœnitentem ne contrahat, si speret prosuturum, num. 1. pag. 424.
Non posse negari matrimonium publice petenti, imo neque occulte, num. 2. pag. 424.
Obijcitur & diluitur, num. 3. pag 425.
Noua aperitur via, & contrahendi, & effugiendi peccatum, num. 4. pag. 425.
Ordinarius qui solus nouit extra confessionem tenetur publice petenti matrimonium, non negare, vera huius ratio, num. 5. pag. 425.
Idem dicendum de parocho, n. 6. pag. 426.
Idem dicendum, si nouit in foro interno obtentam dispensationem, num. 7. pag. 426.

CAPVT XXXVI.

Quomodo se gerere debeant parochus, & ordinarius, cum iam opponitur impedimentū. p. 426.

Oppositio impedimento nō potest vlterius parochus procedere, neque in matrimonio, neque in denunciationibus, num. 1. pag. 426.
Si tantum vnus testis sine alijs adminiculis adest non potest ordinarius interdicere matrimonium, num. 2. pag. 427.
Si contrahentes confessi sunt impedimentum, & postea negent, standum est primæ confessioni, num. 3. pag. 427.
Si opponatur impedimentum sponsalium, & neget vnum concubile, iudicandum est subesse impedimentum, vera ratio. num. 4 pag. 427.
Si opponatur impedimentum voti, & dicant se ficte vouisse, non sunt audiendi, vera ratio, num. 5. & 6. pag. 427.
Quid agendum quando opponitur impedimentum, cuius dispensationem obtentam nouit ordinarius pro foro interno, num. 7. pag. 428.
Oppositio & non probato impedimento, quæ sint deinceps parochi munera, num. 8. pag. 428.

CAPVT XXXVII.

De pœnis matrimonij clandestini. p. 428.

Quid agendum, num. 1. pag. 429.
Decretum Innocentij III. num. 2. pag. 429.
Pœnam ab eo impositam incurri ipso facto, num. 3. pag. 429.
Quæ ratio pœnæ illegitimitatis, ibid.
Duo simul requiri, vt ea pœna incurratur, n. 4. p. 429.
Incurri etiamsi ignorent impedimentum, n. 5. p. 429.
Esse clandestinum etiamsi contrahatur coram parocho, & testibus omissis denunciationibus, quoad effectum illius pœnæ, num. 6. pag. 429.
An ea pœna extendatur ad contrahentes cum quouis alio impedimento, num. 7. pag. 429.
Obiectio soluitur, num. 8. pag. 430.
De pœna quod careat spe dispensationis, numer. 10. pag. 430.

Quid dicendum de pœna suspensionis per triennium num.11.& 12.pag.430.
Inhabilitas clandestinæ contrahentium,n.13.p.430.
De exhæredationis pœna,num.14.pag.430.

LIBER SEXTVS.

De impedimentis tantum impedientibus. pag.431.

CAPVT I.

De potestate constituendi impedimenta.p.431.

Esse potestatem in hominibus constituendi impedimenta,sicut est potestas leges condendi, nume.1. pag.432.
Ante Christi aduentum etiam in ciuilibus Magistratibus eam potestatem fuisse, num.2.p.432.
Contractum matrimonium ab infidelibus contra leges irritantes suorum principum nullum, num.3. pag.432.
Idem de Hebræis, nisi suis legibus viuere permittantur,num.4.pag.432.
Idem de infidelibus subiectis principibus fidelibus sæcularibus,num.5.pag.432.
In eiusmodi causis matrimonialibus infidelium legitimos iudices esse principes sæculares, n.6.p.433.
Idem dic de infidelibus peregrinantibus inter fideles, secus infidelibus,num.7.pag.433.
Iam post Christi institutionem penes Ecclesiam tantum esse potestatem constituendi impedimenta, n. 8.pag.433.
Eius probatio, num.9.pag.433.
Obiectiones soluuntur,num.10.& 11.pag.434.
Eam potestatem reseruatam quidem Pontifici, de iure tamen pertinere,etiam ad Episcopos,num.12.p. 434.

CAPVT II.

Quare Principes sæculares fideles non possint leges circa matrimonium constituere.p.434.

Ciuilium Magistratuum leges circa matrimonium nisi probentur ab Ecclesia nullas esse, num.1. pag. 434.
Non esse ob defectum potestatis, sed obseruationem Pontificis,quidam sentiunt, n.2.p.435.
Verius esse ob defectum potestatis, n.3.p.435.
Neque circa accessorium matrimonio potest sæcularis Princeps leges condere si eo impeditur principale, num.4.pag.436.
Valent tamen eius leges circa alia accidentalia matrimonio,num.5.pag.436.

CAPVT III.

Inquiruntur alia circa eandem potestatem. pag.436.

Iustam causam requiri ad impedimentum constituendum,num.1.vera ratio, ibid.pag.436.
An ex interdicto solo Pontificis nascatur impedimentum irritans, num.2.pag.437.
Posse Pontificem aliquam personam in particulari inhabilem reddere, num.3.pag.437.

CAPVT IIII.

Consuetudine induci posse impedimenta, & auferri.pag.437.

Quid quæritur,num.1.pag.437.
Variæ DD.sententiæ & distinctiones, num.2.3.4.& 5. pag.437.
Vera sententia consuetudine induci,& abrogari posse impedimenta,num.6.pag.438.

CAPVT V.

Duæ primæ conditiones ad consuetudinis robur explicantur.pag.438.

Consuetudo debet esse rationabilis,n.1.p.438.
Quomodo ea conditio intelligatur, vera explicatio, num.2.pag.438.
Discrimen inter consuetudinem, & præscriptionem, num.3.pag.439.
Requiritur etiam cursus temporis,n.4.pag.439.
Quomodo determinandum tempus variæ sententiæ, ibid.& num. 5. & 6.pag.440.
Iure Hispano determinatum esse tempus licet abrogata ea lex videatur,num.7.pag.440.
Iure Pontificio, & ciuili non esse definitum tempus, num.8.pag.440.
Arbitrio prudentis iudicis relinquendum,n.9.p.441.

CAPVT VI.

Duæ aliæ conditiones consuetudinis explicantur.pag.441.

Ad consuetudinem requiri vsum crebro iteratum, n. 1.pag.441.
Arbitrio iudicis relinqui numerum actuum,ibid.
Non requiri vt actus sint iudiciales, n.2.p.441.
Obijcitur & diluitur,num.3.& 4.pag.442.
Requiritur etiam consensus Principis tacitus, vel expressus alias nullius vigoris erit consuetudo,num. 5.pag.442.
Debet esse consensus Principis non tantum permittentis,sed approbantis, num.6.pag.442.
Non satis præsumitur consensus Principis ex doctrina in cap.fin.de consuetudine,n.7.pag.443.
Explicatur cap.consuetudinis. d 11,n 8 p.443.
Eandem vim esse consuetudinis, licet reprobetur per legem,explicatur distincte,num.9.p.443.
Vt consuetudo deroget legem parum ad rem facere quod sequatur scandalum, vel non sequatur,num. 10.pag.444.

CAPVT XVII.

De impedimento interdicti.pag.444.

Interdictum impedire,& quid intelligatur nomine interdicti,num.1.pag.444.
Interdictum parochi non reddit nullum matrimoniũ. Quid de Pontifice quæritur,num.2.pag.445.
Simplex interdictum Pontificis non irritare matrimonium,num.3.pag.445.
Id verum, siue interdicat lege,aut præcepto, siue ex causa perpetua aut temporali, nu.4.pag.445.
Si interdicat eum clausula irritanti, siue sit specialis, vel generalis matrimonium est nullum,n.5.p.445.

Ex-

Explicantur ex eo nonnulla iura, n.6.p 446.
Pœnæ impositæ contrahentibus contra simplex interdictum, num 7, pag.446.
Quale peccatum sit contrahere contra interdictum Ecclesiæ. num.8 pag.446.
Quid dicendum de sponsalibus contractis cõtra prohibitionem, num.9. pag.447.

CAPVT VIII.

De impedimento ratione temporis ferialis. pag.447.

Quid agendum, num.1.pag.447.
Matrimonij coniunctionem solemnem esse voluit Ecclesia, num.2. pag.447.
Ideò prohibitæ nuptiæ aliquibus diebus. Varia decreta, num.3. pag.448.
Diem Epiphaniæ eo decreto comprehendi. num.4. pag.449.
Non Sabbathum ante Dominicam Aduentus. num.5. pag.449.
Quæ prohibeantur illis diebus, variæ sententiæ. num 6. pag.449.
Antiquo iure etiã matrimonij contractus prohibitus num.7. pag.450.
Nunc solemnitatem tantum nuptialem prohibitam. num.8 pag.450.
Iam nullum esse peccatum in ducenda vxore illis diebus. num.9. pag.451.
Esse peccatum eo tempore benedicere, aut traducere solemniter. num.10. pag 451.
Esse mortale. ibidem.
An possit Episcopus dispensare, vt benedicantur, & traducantur sponsi. num. 11. pag.451.
An possit ministrari solemnitas secundarum nuptiarum illis diebus proponitur. num.12 p.451.
Quidam affirmant. num.13. pag.452.
Verius non posse. ibidem.
Neque solam traductionem solemnem aut conuiuia illis diebus non licere. Licet consuetudo in hoc spectanda sit. num.14. pag.452.

CAPVT IX.

De tempore interdicti, vel cessationis à diuinis. pag.452.

Sponsalia, & denunciationes valide fieri tempore interdicti. num.1. pag.452.
Matrimonium in loco, & tempore interdicti validum esse. num.2. pag.453.
An sit illicitum varie DD. opinantur. n.3. p.453.
Verius illicitum. ibidem.
Obijcitur, & diluitur. num.4 & 5. pag.453.
Antiquo iure non licuisse benedictiones nuptiales. num.6. pag.453.
Nouo licere quidam putant. Verius oppositum secluso priuilegio. num.7. pag.454.
Ex priuilegio Bullæ, aut simili posse. n.8. p.454.
Si alter vel vterque sit interdictus non possunt benedici num.9. pag 454.
Illis diebus, quibus cessat interdictum posse publice nuptias benedici num.10. pag.454.
Tempore cessationis à diuinis non licere etiam cum moderamine cap. alma mater. n. 11 pag.454.

CAPVT X.

Impediat ne excommunicatio, qua ligantur contrahentes? pag.455.

Matrimonium initum ab excommunicato valet. num. 1. pag.455.
Peccare, qui excommunicatus excommunicatione maiori contrahit num.2. pag.455.
Si non excommunicatus contrahat cum excommunicato an peccet sub distinctione, explicatur. num. 3. pag.455.
Quid si contrahat cum excommunicato excommunicatione minori, num.4. pag.456.
Quid si vterque sit excommunicatus, & quot peccata committant. num.5. pag.456.
Non posse excommunicatis contrahentibus impendi benedictiones. num.6. pag.456.

CAPVT XI.

De impedimento ex catechismo. pag. 456.

Vnde oriatur hoc impedimentum. num.1. p.456.
Quæ requirantur vt contrahatur. num.2. p.456.
Hoc impedimentum si permanet, restrictum esse. num.3. pag.456.
Verius tamen sublatum esse per Tridentinum. ibid.
Quid notare debeat parochus in libro. n.4. p.457.

CAPVT XII.

De impedimento voti simplicis castitatis, aut religionis. pag.457.

Votum simplex castitatis esse impedimentum impediens. num.1. pag.457.
Eius legitima probatio. ibidem.
Sine dispensatione non licere contrahere. n.2. p.458.
Peccat etiam qui scienter contrahit absolute cum ligato voto num.3. pag.458.
Quid si ligatus voto contrahat sine animo consummandi. num.4. pag.458.
Quid si nullis præcedentibus sponsalibus contrahat cum animo ingrediendi religionem. n.5. p.458.
Si post votum absque promissione vila quis defloravit virginem, tenetur implere votum. n.6. p.459.
Post votum promissio matrimonij iniqua est, num.7. pag.459.
Si votum erat non contrahendi matrimonium teneri dispensationem, vel commutationem petere. numero 8. pag.459.
Probabile post votum religionis teneri contrahere, & ad religionem transire. num.9. pag.459.
Probabilius cessare obligationem voti in eo casu eius ratio. num. 10. pag.460.
Tenetur dispensationem petere. num. 11. pag.460.
Quomodo respondendum in hac materia interrogatibus. num.12. & 13. pag.460.

CAPVT XIII.

De impedimento quod oritur ex incestu. pag.461.

Quid agendum num.1. pag.461.
Quid incestus, eius criminis prohibitio. n.2. p.461.

Impedit matrimonium. Canones eam pœnam statuentes,num.3.pag.461.
Incestu superuenienti non dissolui matrimonium, n. 4.pag.462.
Explicatur, cap.2.de eo qui cognouit consang. vxor. num.5.pag.462.
Impedimentū incestus, tam viris, quam fœminis esse commune,num.6.pag.463.
Impedit siue committatur incestus constante matrimonio aut non, num.7.pag 463.
Hoc impedimentum tantum oriri ex coniunctione cum affini in 1.& 2.gradu, num.8.pag.463.
Non incurri nisi crimen sit publicum, & quod in iudicio probari possit, num.9.pag.464.
Incurri ex coniunctione cum consanguineis in eisdē gradibus,num.10.pag.464.
Extenditur ad eum,qui cognoscit fœminam,cum qua est impedimentum publicæ honestatis ex matrimonio rato,non ex sponsalibus,num.11.pag.464.
Non incurri ex coniunctione cum ignorantia consanguinitatis,vel affinitatis, num.12.p 464.

CAPVT XIIII.

De alijs impedimentis ortis ex crimine.p.465.

Parricidium,siue Matricidium impedit, n.1.p.465.
Vxoricidium etiamsi deprehēsa sit in adulterio impedit,num.2.pag.465.
Etiam viricidium,ibidem.
Presbytericidium, publica pœnitentia, patrinus filij, attentatum matrimoniū cum moniali, raptus alienæ sponsæ impediunt, num.3.pag.465.
Hæc impedimenta adhuc vigere quidam opinantur verius cessasse,num 4.pag.465.

LIBER SEPTIMVS.

De impedimentis dirimentibus. p.466.

CAPVT I.

Antiquitas status religiosi cōuincitur ex eo,quod Apostolorum discipuli, & sequentibus sæculis alij vere religiosi fuerint.pag.467.

Hæreticorum,& quorundam catholicorum sensus de initio status religiosi,num.1.pag.467,
Eius antiquitas,num.2.pag.467.
Probatur ex Basilio,& Chrysostomo, n.3.p.467.
Ex testimonio Posidij,num.4.pag.467.
Ex sermone 1,& 2.de commun vita clericorum, nu. 5.pag.468.
Probant alij ex sermonibus ad Eremitas, n.6.p.468.
Eos sermones cognitos Vrbtani contra Louanienses, num.7.pag.469.
DD.qui illos Augustini esse fatentur, n.8.p.469.
Diluitur obiectio,num.9.pag.470.
Probantur etiam vota Monastica ex Augustino,num. 10.pag.470.
Et ex Eusebij decreto, num.11.pag.470.
Ex Abdia,& Dionysio,num.12.pag.470.
Ex eo,quo PP.dicunt manasse religiones ab Apostolorum exemplo,num.13.pag.470.

§. VNICVS.

Aliquos ex Apostolorum discipulis vere religiosos fuisse.pag.470.

Apostolorum aliquos discipulos vere religiosos fuisse probatur auctoritate DD.num.13.p.470.
Ex censura Academiæ Parisiensis,num.14.p.471.
Ex sacris literis, num.15.pag.471.
Obiectio hæreticorum,num.16.pag.471.
Et ex actis Apostolorum idem ostenditur, n.17.p.471.

CAPVT II.

Idem ostenditur ex eo,quod Apostoli fuerint veri religiosi.pag.472.

Apostolos ipsos religiosos fuisse DD.auctoritate probatur,num.1.pag.472.
Et ex Patribus, num.2.pag.472.
Et ex Pontificibus,num.3.pag.473.
Et ex Euangelio, num.4.pag.473.
Verba Euangelij expenduntur magis, num.5.6.7.& 8, pag.473.& 474.
Quidam dissentiunt,num.9.& 10.pag.474.
Eorum fundamenta,num. 11.& 12.pag.474.
Diluuntur,num.13.14.15.& 16.pag.475.
Obijcitur ratio,& diluitur,num. 17.pag.475.

CAPVT III.

Religiosum statum institutum à Christo, & erectum,ac proinde esse ex diuino iure.p.476.

Quidam à Christo institutum dicunt statum religiosum,sed non erectum, num.1.pag.476.
Oppositum verius probatur ex Patribus, n.2.3.p.476.
Probatur ratione esse ex diuino iure, num.4.5.& 6. pag.476.& 477.
Alia ratione probatur, num. 7.& 8.pag.477.
Solutio refellitur,num.9.pag.478.

CAPVT IIII.

Religionem esse statum immobilem. p.478.

Religionis definitio,num.1.pag.478.
Status definitio explicatur, num.2.pag 478.
Quo sensu dicatur immobilis,num.3.pag.478.
In status ratione donationem includi, n.4.p.479.
Peccare contra iustitiam qui constitutum vere in statu separat, num. 5.pag.479.
In quo religio cōueniat, & differat cum alijs statibus, num.6.pag.479.

CAPVT V.

In religionis statu vna cum votis intervenire donationis contractum. pag.479.

Ad statum religiosum non requiri donationem aliquā quidam opinātur,num.1.pag.480.
Oppositum verius,& explicatur,num.2.p.480.
Proponitur quid probandum sit,num.3.p.480.
Prima probatio ex communi DD.sensu,num.4.5.6.& 7.pag.480.& 481.
Secunda probatio ex quadam epistola Diui Bernardi, num.8.pag.481.

Sola-

Solutio refellitur, num.9.pag.481.
Tertia probatio ex pueris oblatis à parentibus religioni,num.10.pag.481.
Solutio refellitur, num.11.12.& 13.pag.482.& 483.
Obiectiones soluuntur,num 14.& 15.pag 483.
Quarta probatio ex eo, quod religiosus sit alieni iuris num.16.pag.484.
Quinta probatio ex potestate irritandi vota religiosi, num.17.pag 484.
Solutiones reijciuntur, num.18.& 19.pag.485.
Obiectiones diluuntur,num.20.& 21.p.485.& 486.
Iurisdictionem prælati in religiosum non oriri ex potestate clauium, num.22.pag.486.

CAPVT VI.
Immobilitatem status religiosi non prouenire ex voto,sed ex donatione. pag.487.

Immobilitatem status religiosi prouenire ex donatione,non ex votis,n.1.Varie probatur,ibid.p.487.
Quorundam solutio reijcitur,num.2.p.488.
Alia solutio excluditur, num.3 pag.488.
Tertia solutio impugnatur. num.4.pag.488.
Ad statum religiosi parum refert immobilitas ex parte præsulis acceptantis, num.5.pag.489.

CAPVT VII.
Distinguitur votorum solemnitas, & ostenditur quo iure inducta sit.pag.489.

Solemnitatis diuisio, num.1.pag.489.
Solemnitatem voti religiosi esse ex iure Ecclesiastico, num.2. Probatur ex Gregorio XIII. pag.490.
Prima solutio reijcitur, num.3.pag.490.
Alia solutio impugnatur, num.4.pag.491.
Tertia etiam solutio,num.6.pag 491.
Quarta item solutio,num.6.pag.492.
Quinta solutio excluditur,num.7.pag.492.
Sexta etiam solutio, num.8.pag.492.
Septima solutio proponitur, num.9.pag.492.
Impugnatur, num.10.pag.493.
Octaua impugnatur, num.11.pag.493.
Postrema solutio, num.12.pag.493.
Fundamentum vnicum definitionis pariter etiam definiti,num.13.pag.493.
Expenditur præceptum Gregorij XIII. n.14 p.494.
Proponitur quæstio,num.15.pag.494.
Posse concedi solemnitatem essentialem in votis, & iure diuino,num.16.pag.494.
Id non pugnare cum Extrauag.Greg.n.17.p.494.
Tres solemnitates distinguuntur in votis religiosis, num.18.pag.495.

CAPVT VIII.
Referuntur variæ sententiæ de votorum solemnitate legitima.pag.496.

Prima opinio de solemnitate voti,num.1.p.496.
Reijcitur, num.2.pag.496.
Secunda opinio refertur, num.3.pag 496.
Impugnatur, num.4.5.& 6.pag.496.
Quædam solutio excluditur,num.7.pag.497.
Aliter impugnatur ea sententia,num.8.p.497.
Obiectio præcluditur, num.9.pag.498.
Alia sententia refutatur, num.10 pag.498.

CAPVT IX.
In quo voti solemnitas legitima consistat? pag.499.

Vera sententia de solemnitate voti actoritate DD. probatur, num.1.pag.499.
Obiectionibus fit satis, num.2.& 3.pag.499.
Quomodo vota simplicia à solemnibus, & votis extra religionem differunt, num.4.pag.499.
Solemnitas essentialis in quo differat à solemnitate legitima,num.5.pag.500.

CAPVT X.
Quid possit Pontifex circa relaxationem,vel dispensationem horum votorum. pag. 500.

Vota solemnia solemnitate essentiali non tolli à Pontifice sine mutatione status, secus solemnia legitime,num.1.pag.500.
In vtriusque dispensare Pontificem posse, n.2.p.501.
Explicatur Diuus Thomas,num.3.pag 501.
Potest Pontifex non solum dispensare, sed etiam obligationem extinguere, num.4.pag.501.
Obijcitur ex cap.cum ad monasterium, n.5.p.502.
Prima solutio,num.6.reijcitur, n.7.pag.502.
Vera solutio,n.8.Magis explicatur, n.9.p.503.
Secunda,& tertia obiectio diluuntur, n.10.p.503.

CAPVT XI.
De approbatione ad religiosum statum olim necessaria.pag.504.

Quid probandum in isto cap. num.1.pag.504.
Potestatem approbandi religiones fuisse olim penes Episcopos,num.2. Probatur 1.ex cap.vnico de relig.dom. ibid.pag.504.
Secunda probatio, num.3.pag.505.
Tertia probatio, num.4.pag.505.
Sufficere approbationem tacitam,& negatiuam, num.5.pag.505.
Probatur à simili, num.6.pag.506.
Et exemplo desumpto ex canonizatione Sanctorum, num.7.pag.506.
Et optima ratione,num.8.pag.506.

CAPVT XII.
Religiosos prioris sæculi liberos dimitti solitos à prælatis, & vota relaxata. pag.507.

Religiosos nunquam potuisse discedere sine licentia prælati,num.1.pag.507.
Olim dimitti solitos relaxatis votis à prælato, probatur primum, num.2.pag.507.
Idem probatur testimonio Gregorij, num.3.p.507.
Et testimonio Augustini, num.4.pag.507.
Et ex Basilio,num.5.pag.508.
Aliter ex Gregorio,num.6.pag.508.
Et ex ratione, num.7.pag.509.

CAPVT XIII.
Religiosos vouentes paupertatem primis sæculis retinuisse suorum bonorum dominium. pagina pag.509.

Religiosos olim valide testamenta condidisse,num.1.

ex Augustino probatur, ibid.pag.509.
Euasio præcluditur,num.2.pag.509.
Secunda probatio ex iure ciuili,num.3.p.510.
Tertia ex Canonibns, num.4.pag.510.
Quando oblata ea facultas, num.5 pag.511.
Ratione idem ostenditur, num.6.pag.511.
Prima obiectio diluitur,num.7.pag.511.
Secunda ex cap.cum ad Monasterium proponitur diluitur,& explicatur,num.8.9.10.11.& 12.p.512.513.

CAPVT XIIII.
Coniugia religiosorum primis sæculis fuisse valida probatur argumento negatiuo. p. 514.

Valida olim coniugia religiosorum fuisse,n.1.p.514.
Illicita tamen, neque amplius probari ab Hæreticis, num.2. pag.514.
A quo tempore fuerint inualida, n. 3.p.514.
Prima probatio negatiua,quod nulla antiquior lex sit quæ reddat inualida. Expenditur constitutio Iouiniani Imperatoris, num.4.pag.515.
Canon Illiberritani Concilij,num.5.pag.515.
Et Valentini,num.6.pag.515.
Et Siricij,num.7.pag.515.
Et Arelatensis II. num.8.pag.516.
Et Toletani I. num.9.pag.516.
Et Innocentij I.num.10.pag.516.
Et Leonis I.num 11.pag.516.
Et Chalcedonensis, num.12.pag.517.
Et Venetici sub Leone I. num.13.pag.517.
Et Turonensis I.num.16.pag.517.
Et Toletani II.num.17.pag.517.
Et Parisiensis, num.18.pag.518.
Et Martini Bracarensis, num. 19.pag.518.
Et Toletani IIII.num.20.pag.518.
Et Gregorij II.num.21.pag.518.
Et Zachariæ,num.22.pag.519.
Et Bauarici,num.23.pag.519.
Et Colonicnsis,& Moguntini,num.24.p.519.

CAPVT XV.
Idem ostenditur testimonijs Cypriani, & Innocentij Primi.pag.519.

Quid agendum, num.1.pag.519.
Probatur testimonio Cypriani,num.2.pag.519.
Solutio Pamelij,num.3.pag.520.
Impugnatur,& soluuntur fundamenta Pamelij,num. 4.pag.520.
Expenditur testimonium Innocentij I.n.5.p.520.
Quædam solutio reijcitur, num.6.p.520.
Alia solutio etiam reijcitur, num.7.p.521.

CAPVT XVI.
Idem ostenditur testimonijs Augustini. pag.521.

Testimonium Augustini proponitur, & expenditur, num.1.pag.521.
Prima solutio Erasmi reijcitur, num.2.p.522.
Secunda solutio Fernandi de Mendoça reijcitur, nu. 3.pag.522.
Eius argumentis respondetur,num.4.p.523.
Tertia aliorum solutio reijcitur, num.5.p.523.
Vltima Bellarmini reprobatur,num.6.p.524.

CAPVT XVII.
Idem ostenditut testimonijs Hieronymi, Epiphanij, Gregorij, Bernardi, & etiam ratione, pag.524.

Probatur ex Hieronymo, num.1.pag.524.
Et ex Epiphanio,num.2.pag.524.
Illustrantur ex epistola Bachiarij,num.3.p.524.
Et ex Gregorio Magno in causa Venantij, num.4.5.6. & 7. pag. 525.& 526.
Et ex Bernardo,num.8.pag.526.
Et ex ratione,num.9.pag.526.

CAPVT XVIII.
Obijciuntur nonnulla ex Patribus, & Concilijs, in quibus Monachi nubentes separari inbentur.pag.526.

Obiectiones contra doctrinam Capitum præcedentium,num.1.pag.527.
Ex Basilio,num.2.pag.527.
Ex Concilio Aurelianensi,num.3.pag.528.
Turonensi,num.4.pag.528.
Matisconensi,num.5.pag.528.
Gregorio Magno, num.6.pag.528.
Triburiensi,num.7.pag.528.
Et ex alijs Canonibus,num.8.pag.528.

CAPVT XIX.
Assignantur duæ solutiones ad prædicta testimonia.pag.529.

Prima solutio, num.1.pag.529.
Secunda solutio intelligendos eos Patres de separatione quoad torum,& habitationem, n.2.p.529.

CAPVT XX.
Eadem solutio comprobatur ex matrimonijs earum fœminarum, quæ sua sponte sibi velum imponebant? pag.530.

Eodem modo loqui Concilia cum agunt de matrimonio post votum continentiæ,extra religionem,nu. 1.pag.530.
Olim extitisse aliquos,qui extra religionem gestarent habitum religiosum, num.2.pag.530.
Reuocatos ad certam religionem, ibidem.
Non fuisse vere religiosos probatur, num. 3.p.531.
Efficacius,num.4.pag.531.
Matrimonia istorum eodem tenore prohibita,num.5. pag.532.
Cur ad religionem reuocati,si religiosi veri non erãt, num.6.& 7.pag.533.

CAPVT XXI.
Eadem solutio probatur ex matrimonijs earum, quæ initiatorum vxores fuerant? p.534.

Eadem solutio aliter probatur, num.1.p.534.
Matrimonia relictarum ab initiatis valida fuisse,ibid.
Nihilominus prohibitæ,& separatos, ibid.
Explicatur cap.presbyteris,num.2. pag.535.

CAP.

CAPVT XXII.

Colligitur religiones olim tantum constitisse votis simplicibus, & quo pacto votum dirimat matrimonium. pag. 535.

Religiones semper constitisse votis solemnibus communis opinio, num.1.pag.535.
Verius oppositum, num.2.pag.536.
Societatis Iesu instituti formam non esse nouam in Ecclesia, num.3.pag.537.
Votum solemne iure Ecclesiastico dirimere matrimonium, num.4.pag.537.

CAPVT XXIII.

Adlectos coniugatos ad sacros ordines, & quid obseruatum in Ecclesia Græca. pag. 537.

Coniugatos assumptos ad sacros ordines certum est, explicatur locus Pauli, num. 1.pag.538.
In iuncta tamen esti illis olim castitas tam apud Græcos, quam Latinos, num.2.pag.538.
Decessisse ab ea obseruatione Græcos varie Doctores opinantur, num.3.pag.538.
Vera sententia proponitur, & explicatur per tres propositiones, num.4.5.6.& 7.pag.539.
Optionem datam apud Græcos in ipsa ordinatione, tam antea coniugatis, num.8.pag.539.
Quam non coniugatis, num.9.pag.539.
Probatur ex Canone Ancyrano, ibidem.
Defenditur Canon Ancyranus, num.10.p.540.
Obijciuntur nonnulla ex PP. & diluuntur, n. 11. & 12.pag.540.
Electa continentia in ordinatione non licuisse, neque vti matrimonijs ante contractis, neque noua inire coniugia, num.13.pag.541.
Hinc colligi olim apud Græcos fuisse in ipsa ordinatione professionem castitatis, num.14.p.541.
Non electa continentia, si initiarentur, licuisse & vti ante contractis matrimonijs, & noua tentare, num. 15.pag.541.
Probatur ex historia Paphnutij, n.16.p.541.
Defenditur & historia, & factum Paphnutij à calumnijs, num.17.18.19.20.21.& 22.pag.541.542.& 543.
Explicatur cap. aliter dist.31. num.23.pag.543.
Post ordinationem non permissum Episcopis contrahere matrimonium inter Græcos, num.24.p.543.
Consideratur Canon 13. sextæ Synodi, n.25.p.544.
Cur non obstante ea consuetudine reprehendantur Græci à Nicolao I. ratio redditur, & comprobatur, num.26.& 27.pag.544.

CAPVT XXIIII.

Professionem continentiæ ab initio apud Latinos extitisse, in subdiacenatu tamen non semper, nec vniuerse. pag.545.

Apud Latinos initiatis siue coniugatis antea, siue non ab initio iuncta castitas, num.1.pag.545.
De coniugatis probatur, ibidem.
De non coniugatis etiam probatur, num.2.p.546.
Ea lex constanter seruata in Leuitis Presbyteris, & Episcopis, num.3.pag.547.
In subdiaconis diuersa consuetudo, n.4.5.p.547.548.
Neque illis vniuerse prohibitum coniugium, num.6. pag.548.
Non teneri Ecclesiasticos iure diuino ad seruandam castitatem, num.7. pag.548.
Antiquissimam esse legem continentiæ in Latina Ecclesia, num.8.pag.548.
Seruatam continentiam ex emisso voto, n.9.p.548.
Quid de his, qui minoribus ordinibus initiabantur, num.10.pag.549.

CAPVT XXV.

De vxoribus relictis ab ijs, qui initiabantur. pag.549.

Quæ Episcopa presbytera, &c. num.1.p.549.
Presbyteræ nomen in alia significatione etiam vsurpari, num 2.pag.549.
Vxores eorum, qui initiabantur, voto castitatis adstrictas etiam olim, num.3.pag.549.
Religionem professas nonnulli censent, n 4.p.550.
Vera sententia sub distinctione, num.5. 6. & 7.p.550.
Matrimonia earum non valere quorundam opinio, num.8.pag.550.
Vera sententia valuisse, num.9.& 10.pag.550.

CAPVT XXVI.

Explicatur Canon quintus Apostolorum, & quæ sint subintroductæ mulieres. pag.552.

Explicatur Canon 5. Apostolorum, n.1.p.551.
Vxores eorum, qui coniugati ordinabantur, olim domi retentas, num.2.pag.551.
Obiectio diluitur, num.3.pag.552.
Id postea sublatum, num.4.pag 552.
Quid subintroductæ, & extraneæ varie sentiunt, num. 5.pag.552.
Idem esse, & conuenire hoc nomē etiamsi non essent concubinæ, ibidem.
Probatur ex Conciliorum decretis, n.6.7.& 8.p.553.
Alia melior interpretatio earum vocum, n.9.p.559.

CAPVT XXVII.

Ordinem sacrum esse impedimentum dirimens, & vnde id prouenerit ordini, & à quo tempore. pag.554.

Ordinem ab initio fuisse impedimentum impediens, num.1.pag.554.
Non tamen ab initio fuisse impedimentum dirimens, num.2.pag.554.
A tempore Innocentij II. esse impedimentum dirimens, num.3.pag.555.
Ordinem ex iure diuino esse impedimentum, quidam sentiunt, num.4.pag.555.
Impugnatur ea sententia, num.5.pag.555.
Ordinem ex se etiam secluso voto, dirimire, Ecclesiæ tamen constitutione, num.6.pag.556.
Vera sententia dirimere ex voto adiuncto, & constitutione Ecclesiastica, num.6.pag.556.
Argumentis aliorum satisfactis, num.8.p.556.

CAPVT XXVIII.

De pœnis statutis in iure aduersus religiosos, aut clericos scienter contrahentes. pa.557.

Religiosi aut clerici nubentes à sacris ministrandis,& recipiendis inter dicuntur,num.1.pag.557.
Puniuntur excommunicatione,n.2.p.557.
Excusari tamen ab ea, etiam ex culpabili ignorantia obseruatione præmissa explicatur,n.3.4.p.557.
Non comprehendi ea censura contrahentes sponsalia,num 5.pag.557.
Pœna capitalis,si cõiugium sit cum sacris virginibus. num.6.pag.558.
Item suspensionis pœna, si in minoribus constituti viduam ducant,num.7.pag.558.
Vacare beneficia,& pensiones clericales,ibid.
Non vero eorum qui in sacris constitnti sunt, ibid.

CAPVT XXIX.

Ordo per vim & metũ susceptus an impediat matrimonium,& dirimat examinatur. pag.558.

Proponitur quæstio, num.1.pag.558.
Quorundam opinio non valere, num.2.p.559.
Vera sententia.num.3.pag.559.
Votum ex metu graui factum valdum esse iure naturali,num.4.& 5.pag.559.
Obiectionibus occurritur,num.6.7.& 8.pag.559.
Neque esse inualidum iure positiuo, num.9.p.559.
Explicantur nonnulla iura.num.10.p.560.
Expenditur pro nostra sententia Canon Toletanus, num.11.pag.560.
Enasio præcluditur, num.12.pag.561.
Iuramentum etiam ex metu valere iure naturæ, num. 13.pag.561.
Qui cum ordinatur ficte promittit castitatem,sacrilegus est,num.14.pag.561.
Quid dicendum de obligatione pueri ordinati ante vsum rationis,Verius teneri, n.15.p.562.

CAPVT XXX.

Quid iure antiquo statutum fuerit circa matrimonium consanguineorum.pag.562.

Prohibita coniugia inter consanguineos ab initio Ecclesiæ, num.1.pag.562.
Etiam ab initio fuisse nulla,num.2.pag.563.
Rationes eius impedimenti inducendi, n.3.p.563.
Pœnis affecti sic contrahentes,num.4.p.563.
Qualiter probanda consanguinitas, num.5.p.563.
Non eodem modo cõputari gradus iure ciuili,&canonico,num.6.pag.563.
Tres regulæ ad gradus numerandos,n.7.8.9.p.564.
Quædam difficultates circa tertiam regulam explicãtur,num. 10. & 11.pag.564.

CAPVT XXXI.

An in aliquo gradu consanguinitatis rectæ lineæ sit matrimonium nullum iure naturali.p.565.

Quid agendum,num.1.pag.565.
Variæ sententiæ,num.2.pag.565.
Nullam esse rationem, qua determinari possit gradus dirimens in linea recta iure naturali,n.3.p.565.
Solum dirimere in primo gradu, n.4.p.565.
Ex aliqua causa honestari posse, n.5.p.565.
In alijs gradibus lineæ rectæ non esse irritum iure naturali,num,6.pag.566.

CAPVT XXXII.

Sit ne iure naturali matrimonium prohibitum & irritum in aliquo gradu lineæ transuersalis.pag.566.

In alijs gradibus vltra primum lineæ transuersalis nõ esse irritum iure naturæ matrimonium,n.1.p.567.
In primo esse nullum nonnulli sentiunt,n.2.p.567.
Vera sententia valere, DD. qui illam tenent referuntur,num.3.pag.567.
Probatur ex Augustino,& Hieronymo, n.4.p.567.
Ex moribus gentium,num.5.pag.568.
Ex sacris literis,num.6.& 7.pag.568.
Ex nonnullis Canonibus,qui expenduntur, num.8.& 9.pag.569.
Nullam rationem esse,quæ conuincat oppositum, nu. 10.11.12.& 13.pag.569.& 570.
Dispensari posse à Pontifice ex iusta causa, & qualis videatur iusta,num.14.Sub Ecclesiæ censura, ibid. pag.570.

CAPVT XXXIII.

Prohibitum connubium cum affini, & de affinitate orta ex illicita copula nonnulla explicantur.pag.571.

Affinitatis impedimentum probatur ex Canonibus, num.1.pag.571.
Quæ requirantur vt consurgat affinitas, n.2.p.571.
Computatio graduum affinitatis,num.3.p.571.
Affinitatem ex fornicatione limitatam ad duos gradus,num.4.pag.571.
Maritum cognoscentem consanguineam vxoris in tertio,vel quarto gradu impediri à petitione debiti quidam dicunt, nu.5.pag.572.
Verius oppositum ex declaratione Cardinalium, numero 6.pag.572.

CAPVT XXXIIII.

De affinitate orta ex copula coniugali.pag.572.

Tria affinitatis genera,duo iam sublata,n.1.p.572.
Restricta ad quartum gradum, num.2.p.573.
In primo gradu lineæ transuersalis non esse irritum matrimonium iure naturali, n.3.p.573.
In primo lineæ rectæ esse irritum,nonnulli opinantur num.4.pag.573.
Verius neque in illo esse nullum iure naturali,num.5. & 6.pag.573.& 574.
Soluntur fundamenta contraria, num.7.8.9.p.574.
Ab infideli non contrahi hoc impedimentum, num. 10.pag.574.

CAPVT XXXV.

Ex matrimonio nondum consummato oriri publicam honestatem.pag. 574.

Ex matrimonio rato non consummato oriri publicã honestatem,non affinitatem,num.1.p.575.
Antiquissimum esse hoc impedimentum probatur decretis Conciliorum,num.2.pag.575.
Hoc impedimentum ad quatuor gradus extendi,non comprehendi à Tridentino in decreto de publica honestate, num.3.pag.575.

Limitatum esse hoc impedimentum ex consuetudine populi Christiani potius, quam ex aliquo iure, numero 4. pag. 575.
Quid requiritur vt ex matrimonio rato oriatur publica honestas, num. 5. pag. 576.

CAPVT XXXVI.
De publica honestate, ex sponsalibus de futuro. pag. 576.

Ex sponsalibus oriri publicam honestatem. Non esse antiquum impedimentum, num. 1. p. 576.
Ante Bonifacium VIII. non extitisse legem de hoc impedimento ostenditur consideratis canonibus, num. 2. & 3 pag. 577.
Dispositio Tridentini de hoc impedimento, n. 4. p. 578
Ex sponsalibus inter impeditos non oriri publicã honestatem, num. 5. pag. 578.
Neque ex celebratis post prima sponsalia, n. 6. p. 578.
Etiamsi priora fuerint conditionata, n. 7. p. 579.
Neque ex sponsalibus contractis ante septennium, num. 8 pag. 579.
Neque ex his, quæ mutuo consensu dissoluuntur, n 9. secus si morte, pag. 579.
Oriri tamen ex sponsalibus ficte contractis, num. 10. pag. 579.
Impedimentum hoc tantum esse iuris Ecclesiastici, num. 11. pag. 579.

CAPVT XXXVII.
Susceptores adhibitos in baptismo, & confirmatione, & ex his sacramentis oriri cognationem spiritualem, pag. 580.

Susceptores in baptismo quibus nominibus appellati, num. 1 pag. 580.
Quibus ex causis adhibiti, num. 2. pag. 580.
Etiam fœminas adhibitas, num. 3. pag. 580.
Etiam adhibiti in sacramento Confirmationis, num. 4. pag. 581.
Remoti ab eo munere non baptizati, non confirmati, Monachi, publice pœnitentes. Eundem ex causa posse esse in vtroque sacramento susceptorem, num. 5. pag 581.
Quot adhiberi possint, variæ leges, nouissime Tridẽtinum restringit, num. 6. pag. 581.
In duobus tantum sacramentis adhibiti susceptores, num 7. pag. 581.
Ex ea susceptione oriri impedimentum, & tantum esse Ecclesiasticum. num. 8. pag. 582.

CAPVT XXXVIII.
In sacramento Baptismi, & Confirmationis tantum cognationem spiritualem esse. p. 582.

Cognatio spiritualis, quæ est impedimentum solum nascitur ex Baptismo, & Confirmatione, n. 1. p. 582.
Proponitur difficultas ex cap. omnes 30. quæst. 1. numero 2. pag. 582.
An liceat audire confessionem concubinæ, num. 3. pag. 582.
Quid si postquam audiuit peccata eius cum filia confessionis rem habeat, num. 4. pag. 582.
An sit speciale peccatũ diuersidiuersa sentiũt, n. 5. 583.
De iuris rigore esse, specialem malitiam incestus, nu 6. pag. 583.
Iam id consuetudine abolitum, num. 7. p. 583.

CAPVT XXXIX.
Quid antiqua iura, atque noua disponant de hoc impedimento. pag. 584.

Cognatio spiritualis est impedimentum Ecclesiasticum, num. 1. pag. 584.
Quando cæperit hoc impedimentum, n. 2. p. 584.
Olim triplex spiritualis cognatio, explicatur, num. 3. 4. & 5. pag. 584. & 585.
Inter suscipientes nulla cognatio, num. 6. p. 585.
Immutata per Tridentinum, num. 7. & 8 p. 585.
Quid necessarium vt contrahant suscipientes cognationem, num. 9. pag. 586.
Si per procuratorem contrahatur matrimonium, non procurator, sed is, cuius nomine, num. 10. p. 586.
Designato suscipiente, alij etsi suscipiant, non contrahunt cognationem, num. 11. p. 586.
Secus si non designetur, & simul plures tangant, ibid. & num. 12. p. 587.
Quid de his, qui tempore promulgati Concilij tenebantur cognatione spirituali, n. 13. p. 587.

CAPVT XL.
Explicãtur tria dubia circa hoc impedimentum. pag. 587.

Suscipientem filium infidelis contrahere cognationẽ quidam dicunt, num. 1. pag. 588.
Verius alij, qui negant, num. 2. pag. 588.
Solutio probationis, impugnatur, n. 3. p. 588.
Alia probatio, num. 4. p. 588.
Nasci hoc impedimentum ex baptismo minus solemni, num. 5. pag. 588.
Et ex baptismo in necessitate, num. 6. pag. 589.
Superueniente cognatione spirituali cum vxore non dirimi matrimonium, num. 7. pag. 589.
Obijcitur ex c. peruenit 30. q. 1. num. 8. p. 589.
Quorundam interpretationes, num. 9. p. 589.
Prima interpretatio melior, num. 10. p. 589.
Secunda alia etiam accommoda, n. 11. pag 589.
Tertia alia interpretatio, num 12. pag. 590.
Quando inter ipsos parentes non contrahatur spiritualis cognatio ob susceptum filium, n. 13. p. 590.

CAPVT XLI.
De impedimento cognationis legalis, p. 590.

Quid agendum, num. 1. pag. 590.
Adoptio est impedimentum, num. 2. p. 591.
Variæ species cognationis legalis, num. 3. p. 591.
Explicantur, ibid. num. 4. pag. 591.
Inter quas personas contrahatur hoc impedimentũ, num. 5. pag. 591.
Quando comprehendat infideles, n. 6. p. 591.
Superueniens, neque dirimit, neque impedit debiti petitionem, num. 7. pag. 581.
Illegitimum etiam habere cognationem legalem cum adoptato, num. 8. pag. 591.
Huiusmodi cognati non contrahunt excommunicationem latam contra consanguineos nubentes, numero 9. pag. 591.

CAPVT XLII.

Seruorum coniugia etiam inuitis dominis fuisse valida. pag. 592.

Restricta potestas dominorum in seruos legibus Ecclesiasticis, num. 1. pag. 592.
Ad statum Monachi, Clerici, vel coniugij assumendũ domini consensum requisitum, cum discrimine tamen, num. 2. & 3. pag. 592.
Peccat dominus, qui impedit seruorum coniugia, vel maritale consortium, num. 4. pag. 593.
Vel qui vendit seruum in distantem locum, ita vt impediatur vsus matrimonij, num. 5. pag. 593.
Quid si serui contrahentes pareant diuersis dominis, num. 6. pag. 593.

CAPVT XLIII.

Seruitutem ignoratam dirimere matrimonium, non vero cognitam. pag. 593.

Seruitus ignorata impedimentum dirimens, num. 1. pag. 594.
Quo iure explicatur sub distinctione, n. 2. pag. 594.
Non ignorata non dirimit, num. 3. pag. 594.
Secus est de conditione libertini, num. 4. p. 594.
Quid si reddat debitum, cum dubio de seruitute petentis, num. 5. pag. 594.
Detecta seruitute posse eum, qui liber est, separari, quod si nolit, alium esse compellendum contrahere, num. 6. pag. 595.

CAPVT XLIIII.

In quibus casibus seruus ex matrimonio adquirat ingenuitatem, & quo iure. pag. 595.

Quæstio proponitur, num. 1. pag. 595.
Ancilla nupta patrono sit ingenua, num. 1. p. 595.
Id prouenire ex iure positiuo quidam sentiunt, ibid.
Verius ex iure naturali, num. 3. & 4. pag. 595.
Idẽ fieri ex vi matrimonij, quoties ingenuus nubit seruo, nisi aliud obstaret, num. 5. p. 596.
Coniux alio renuente, non potest se in seruum vendere, num. 6. & 7. pag. 596.
Obijciuntur nonnulla, & diluuntur, n. 8. p. 596.

CAPVT XLV.

De impedimento criminis. pag. 597.

Nec solum adulterium, neque sola fides, neque sola machinatio gignit impedimentum, n. 1. p. 597.
Fides data vnà cum vero adulterio est impedimentũ, num. 2. pag. 597.
Matrimonium consummatum cum alia coniugata valide est impedimentum, num. 3. pag. 597.
Et homicidium cum animo contrahendi ab vtroque perpetratum, num. 4. pag. 598.
Et homicidium ab vno tantum perpetratum vna cum adulterio, num. 5. pag. 598.
An hoc impedimento teneantur etiam infideles, si cõuertantur, num. 6. pag. 598.

CAPVT XLVI.

Matrimoniũ fidelis cum quouis infideli, siue pagano, Iudæo, aut Hæretico illicitum esse iure naturæ, diuino & Ecclesiastico. p. 599.

Quis infidelis dicatur, illicitum matrimonium cum illo, num. 1. pag. 599.
Vetitum iure diuino in veteri lege, n. 2. p. 600,
Et etiam noua, num. 3. pag. 600.
Et iure Ecclesiastico, num. 4. pag. 600.
Sub pœna capitali prohibitum legibus Romanis nõnulli non recte probant, num. 5. p. 601.
Cum Iudæis prohibita coniugia, num. 6. p. 601.
Et cum Hæreticis, num. 7. pag. 602.
In his locis, vbi promiscue agunt Catholici cum hæreticis sine peccato contrahi, num. 8. p. 602.
Etiam coniunctionem fornicariam fidelis cum infideli seuere punitam, num. 9. p. 601.
Sponsalia etiam iurata cum hæretico vel infideli, nulla, num. 10. pag. 603.

CAPVT XLVII.

Coniugium cum infidelibus esse irritum, & quo iure: cum hæreticis vero non esse irritum. pagina 603.

Quid agendum, num. 1. pag. 603.
Coniugium fidelis cum non baptizato esse nullum iure Ecclesiastico, num. 2. pag. 603.
Non ita illicitum, vt aliqua circunstantia honestari nõ possit, num. 3. pag. 603.
Quidam consuetudine tantum irritum dicunt, num. 4. pag. 604.
Verius lege Ecclesiastica, num. 5. & 6. p. 604.
Obiectioni occurritur, num. 7. pag. 604.
Non esse sacramentum, num. 8. pag. 605.
Coniugium fidelis cum hæretico esse nullum quidã opinantur, num. 9. pag. 605.
Communis docet valere, num 10. pag. 605.
Olim irritum, nunc validum, verior sententia, nu. 11. p. 605.

CAPVT XLVIII.

Quid iura disponant de fidelium, & hæreticorum coniugijs, & cum alter eorum ad fidem conuertitur. pag. 606.

Inter infideles vnum coniugium esse. Legitimum sed non ratum appellari à DD. quare, n. 1. 2. p. 606.
Cur Theologi dicant in matrimonio infidelium non reperiri tria bona matrimonij, num. 3. p. 607.
Per baptismum non dissolui coniugium infidelium, num. 4. pag. 607.
Licere cohabitationem fidelis cum infideli, si absit periculum, num. 5. pag. 607.
Primis temporibus non tantum licitum, sed præceptum, num. 6. pag. 607.
Postea optionem datam cohabitandi, n. 7. p. 607.
Postea prohibitam cum Iudæis, num. 8. p. 608.
Quare prohibita cum illis, num. 9 pag. 608.
Non extendi ad alios infideles, eam prohibitionem licet etiam consuetudine inducta, n. 10. p. 608.
Obiectionibus occurritur, num. 11. & 12. p. 609.

Tres casus in quibus coniugium fidelis conuersi dissoluitur, num. 13. pag. 609.
Ecclesiastico iure concessum quidam dicunt. n. 14. 610
Verius iure diuino, num. 15. pag. 610.
Dissolui statim atque aliquis conuertitur, n. 16. p. 610.
Verius non nisi cum iam fidelis contrahit, n. 17. p. 610.
Solutio Glossæ reijcitur, num. 18. pag. 610.
Fundamentis contrarijs respondetur, n. 19. p. 610.
Requirendum infidelem. n. 20. licet alij aliter sentiant num. 21. pag. 611.
Quomodo requirendus, num. 22. pag. 611.
Gregorij XIII. literæ de hac re, n. 23. pag. 611.
Coniugem infidelem non manere liberũ licet alij cõtra sentiant, num. 24. & 25. pag. 612.
Vnde hoc proueniat, num. 26. pag. 612.
Altero cõiuge labente in hæresim nõ dirimi matrimonium, num. 27. & 28. pag. 612, & 613.

CAPVT XLIX.

Pluralitatem vxorum, simul illicitam, nisi ex Dei reuelatione. pag. 613.

Polygamia illicita, num. 1. pag. 613.
Ratione probatur, num. 2. pag. 614.
Repugnare legi diuinæ, num. 3. pag. 614.
Dispensari ab Ecclesia non posse. Dispensatum à Deo esse tam cum Hebræis, quam cum alijs, num. 4. pag. 615.
Quodnam peccatum fuerit Salomonis de pluralitate vxorum, num. 5. pag. 615.
Iam eam dispensationem à Christo sublatam, num. 6. pag. 615.
Non solum pro Christianis, sed & pro omnibus, ibid.

CAPVT L.

Libellum repudij dissoluto vinculo non tantum permissum in lege veteri, sed licitum, per Christum tamen abolitum. pag. 616.

Libellum repudij non solum permissum Iudæis sed licitum, num. 1. pag. 616.
Ad gentes etiam deriuatam eam permissionem esse, licet apud Romanos sero inductum repudium, n. 2. pag. 616.
Sublata repudia à Christo, num. 3. pag. 617.
Obijcitur ex Concilio Illiberritano, & explicatur, num. 4. pag. 617.

CAPVT LI.

Secundum connubium constante primo nullum esse. pag. 618.

Constante primo matrimonio secundum esse nullũ, num. 1. pag. 618.
Leges Ecclesiasticæ, quæ prohibent, ibid.

CAPVT LII.

Obijciuntur nonnulla, & diluuntur. pag. 618.

Obijcitur primò ex cap. vxor à viro, n. 1. p. 618.
Quorundam interpretatio, n. 2. p. 619.
Vera interpretatio, num 3. pag. 19.
Iuxta illam explicatur Lactantius, Basilius, & Augustinus, num. 4. 5. & 6. pag. 619. & 620.
Secunda obiectio ex diuersis Canonibus, n. 7. p. 620.
Quorundam solutio, num. 8. pag. 620.
Vera explicatio, num. 9. pag. 620.
Ex ea illustratur canon pœnitentialis, n. 10. p. 620.
Pœnitentibus interdicta coniugia, n. 11. p. 620.
Tertia obiectio, & solutio, num. 12. p. 621.
Quarte obiectio ex Gregorio II. & quorundam interpretatio, num. 13. pag. 621.
Explicationes duæ, verior, nu. 14. p. 621.
Obijcitur ex alijs Concilijs, num. 15. pag. 622.
Defenduntur ab hæretici s, num. 16. pag. 622.
Explicati Chrysostomus, & Hieronymus rigide loquentes de secundis nuptijs, n. 17. pag. 622.
Variæ eorum Canonum interpretationes, n. 18. 623.
Vera explicatio, num. 19. pag. 623.

CAPVT LIII.

Quæ fama requiratur de prioris coniugis obitu, vt ad secundum matrimonium transeat alter. pag. 623.

Variæ sententiæ de fama requisita de prioris coniugis obitu, num. 1. pag. 624.
Certum nuntium requiri probatur ex iure, n. 2. p. 624.
Aliter etiam ostenditur ex doctrina Bartoli de fama, num 3. pag. 624.
Obiectioni occurritur, num. 4. pag. 624.
Nullum esse matrimonium contrahentis sine certo nuntio de morte prioris coniugis, ac si iam obijsset num. 5. pag. 625.
Idem si cum dubio contrahat, n. 6 pag 625.
Quid si certo nuntio credens contraxerint, n. 7. p. 625.

CAPVT LIIII.

Post Christum etiam legitimam aliquando cum concubina coniunctionem fuisse. pag. 625.

Quæstio proponitur, num. 1. pag. 625.
Opinio Ferdinandi Mendocæ, eius fundamenta ex iure, de Ecclesiasticis legibus, n. 2 3. p. 625. & 627.
Obseruatio pro explicatione veræ sententiæ, n. 4. 628.
Concubinam post Christum aliquando fuisse vxorem minus solemniter ductam, n. 6. pag. 628.
Probatur 1. ex Can. Apostolor. ex quo illustrãtur alij Canones, num. 7. 8. 9. & 10. pag. 629. & 630.
Solutio Ferdinandi reijcitur, & aliorum, num. 11. & 12. pag. 630.
Secunda probatio ex Toletano I. n. 13. p. 630.
Solutio reijcitur, n. 14. 15. 16. 17. 18. p. 630. & 631.
Tertia probatio ex Isidoro, num. 19. p. 632.
Quarta ex Concilio Aurelianensi, n. 20. p. 632.
Vltima probatio, num. 21. pag. 632.
Obijcitur decretum Leonis I. nu. 22. p. 633.
Bellarmini interpretatio, n. 23. pag. 633.
Vera explicatio adducitur, & probatur, num. 24. 25. 26. & 27. pag. 633. & 634.
Alia etiam vera interpretatio, num. 28. p. 634.

CAPVT LV.

Validum esse coniugium impotentium etiam ad caste viuendum, negarunt nonnulli. p. 634.

Sensus quæstionis. num. 1. pag. 634.
Opinio negans valide contrahi matrimonium inter impo-

impotentes ad caſte viuendum, n.2.p.635.
Eius quinque fundamenta,ibidem, & num.3.4.& 5. pag 635.& 636.

CAPVT LVI.

Vera ſententia,quæ aſſerit validum eſſe huiuſmodi matrimonium,ſtatuitur,& probatur ſcholaſticorum auctoritate. pag.636.

Valere huiuſmodi matrimonium probatur auctoritate Scholaſticorum,Magiſtri, & diui Thomæ,numero 1.pag.636.
Aliud teſtimonium D.Thom,expenditur,n.2.p.637.
Quorundam explicationes refelluntur, num. 3.& 4. pag.637.

CAPVT LVII.

Affertur ratio pro eadem ſententia, p.637.

Affertur ratio à priori noſtræ ſententiæ, n.1.p.637.
Et à poſteriori,num.2.pag.638.
Quorundam ſolutio reijcitur. num.3.pag 638.
Alia ſolutio impugnatur,n.4.& 5.p.638.& 639.

CAPVT LVIII.

Matrimonium eorum impotentium, de quo eſt ſermo,validum eſſe iure quoque Eccleſiaſtico. pag.639.

Probatur eadem ſententia ex cap. cõſultationi de frigidis,num.1.pag.640.
Et ex cap.requiſiti eodem, num.2.pag.640.
Quædam interpretatio refellitur, n.3.p.640.
Et ex Gregorio 1.in cap.requiſiuiſti 33. quæſt. 1.num. 4.pag 641.
Explicatur phraſis illa, quas vt vxores habere non poſſunt,habeant vt ſorores ex Hieron.Auguſtino, Clemente Alexandrino,& Concilijs,n.5.p.641.

CAPVT LIX.

Soluuntur argumenta pro prima opinione adducta.pag.642.

Ad primum argumentum Bonauenturæ, reſpondetur,num.1.pag.642.
Soluitur ſecundum.Coniugium inter fratrem,& ſororem non eſſe irritum iure naturali.n.2.p.642.
Soluitur tertiũ:& ratio redditur, cur inter duos homines contrahi non poſsit matrimonium, n.3.p.642.
Etiam in eo matrimonio committi adulteriũ, n.4.643.
Poſſe voluntate contrahentium ſeparari ordinem ad copulam à contractu matrimonij, n.5.p.643.

CAPVT LX.

Quo caſu impotentia dirimat, & obſeruantur pro explicatione nonnulla. pag. 643.

Impotentiam dirimere matrimonium contractum in ordine ad copulam,num.1.pag.643.
Duplex genus impotentium diſtinguitur.n.2.p.644.
Impotentia rurſus diuiditur,num 3.pag.644.
Alia etiam temporalis,& perpetua, reſpectiua, & abſoluta,num.4.pag.644.
Concluſio initio propoſita explicatur, n.5.p.645.

CAPVT LXI.

Impotentiã reſpectiuam poſſe eſſe perpetuam,atque adeò ea dirimi matrimonium,p.645.

Impotentiam reſpectiuam non eſſe perpetuam quidã dicunt,num 1.pag.645.
Verius oppoſitum, num.2.pag.645.
Eius probatio ex ratione, n.3.4.p.645.& 646.
Ex iure Partitarum,n.5.pag.646.
Ex iure Eccleſiaſtico,num.6.7.pag 646.
Et ex his quæ Doctores oppoſitæ ſententiæ fatentur, num.8.pag.647.
Objcitur ex cap.laudabilem,de frigidis, n.9.p.647.
Vera interpretatio,num.10. & 11.pag.647.

CAPVT LXII.

Quando fœmina cognoſci à viro non poteſt, niſi incidatur, impedimentum iudicãdum eſſe perpetuum.pag.648.

Inciſionem debere pati fœminam, vt ſit habilis copulæ quidam docent, num.1.pag.648.
Verior oppoſita ſententia varie probatur,n.2.p.648.
Quid in hac re Thomas Sanchez. Eius fundamenta, num.3.& 4.pag.650.
Notatio quædam ad ſolutionem argumentorum. n. 5.pag.650.
Eorum ſolutio,num.6.pag.650.

CAPVT LXIII.

Remedium inſpectionis ad experimentum virginitatis minus decens oſtenditur, p.651.

Inſpectio fœminarum non reiecta à foro Eccleſiaſtico,num.1.pag.651.
Abſurda,quæ in illa inſpectione ſunt,varie proponũtur,num.2.3.pag.651.& 652.
Fallacem eſſe,num.4.pag.653.
Teſtimonijs PP. reijcitur Cypriani, Auguſtini, Ambroſij,num.5.pag.653.
Quando adhibenda. num.6.pag.653.

CAPVT LXIIII.

Nonnulla corollaria præcedentis doctrinæ. pag. 655.

Separatum ob frigiditatem non poſſe contrahere in conſcientia,niſi ad caſte viuendum, n.1.p.655.
Quid fieri debeat ſi ſecundo nubat, n.2.p.655.
Quid cum fœmina ſeparatur,quia nimis arcta eſt, n. 3.pag.655.
Quid quando ſeparatur ob impotentiam in genere, num.4.pag.655.
Quid obſeruandum,ſi in aliquo euentu reſtituatur ſeparatus priori coniugi,n.5.pag.656.

CAPVT LXV.

De impotentia ex defectu ætatis,maleficij, morbi,aut mixtiſexus,pag.656.

Ætas requiſita iure naturali, & Canonico ad matrimonium,num.1.pag.656.
Completum tempus requiri,cum malitia nõ ſupplet, ibidem.

Seclu-

Iam seruata nonnulla, num. 4. pag. 695.

§. PRIMVS.

Prima regula statuitur circa vota non seruata. pag. 695.

In omni alio voto excepto reseruato potest Episcopus dispensare, num. 5. pag. 695.
Et in voto emisso in subsidium terræ Sanctæ, n. 6. 695.
Assumendæ crucis, peregrinationis in domum Lauretanam, & non petendi absolutionem nisi à Romano Pontifice, ibidem.
Quid de dispensatione in votis alicuius populi, num. 7. pag. 696.
Quid de votis emissis in fauorem tertij, n. 8. 9. 10. 696.
Obiectiones diluuntur, n. 11. 12. 13. & 14. pag. 697.
Explicatur quando promissio dicatur fieri homini, vel Deo, num. 15. pag. 697.
Quid censendum si quis promittat homini se ingressurum in religionem, & confirmet voto vel iuramento, num. 16. pag. 697.
An promissio facta Deo, & homini possit ab homine remitti, num. 17. pag. 698.

§. SECVNDVS.

Secunda regula circa vota reseruata. p. 698.

Regula circa dispensationem etiam in reseruatis, num. 18. pag 698.
Posse Episcopum dispensare in voto non contrahendi matrimonium, num. 19. pag. 698.
Et in quouis voto castitatis, dummodo non sit castitatis simpliciter. num. 20. pag. 698.
Et in voto de susciipiendis ordinibus, n. 21. p. 668.
Quid de voto assumendi status earum, quas beatas vocamus, & militarium ordinum, n. 22. p. 699.
Dispensare posse in voto ingrediendi strictiorem religionem, vt in laxiorem ingrediatur, n. 23. p. 699.
Et materia, in quam commutatum est votum reseruatum, num. 24. pag. 699.
Aliorum obiectiones proponuntur, & diluuntur, num. 25. & 26. pag. 699.
Quomodo possit dispensare in votis peregrinationis, num. 27. pag. 700.

CAPVT IX.

Nonnulli casus, in quibus potest Episcopus dispensare, in votis reseruatis. pag. 700.

Etiam in reseruatis dispensare posse quando non est facilis aditus ad superiorem, & est periculum in mora. num. 1. pag. 700.
Quid de voto castitatis emisso post contractum matrimonium, & consummatum, n. 2. p. 700.
Quid de emisso post contractum ante consummationem, num. 3. pag. 701.
Quid de emisso ante matrimonium contractum, num. 4. pag. 701.
Quid de voto religionis, num. 5. pag. 702.
Posse etiam dispensare in votis conditionalibus communis sententia est, num. 6. pag. 702.
Oppositum verius de iure, num. 7. pag. 702.
Obiecta proponuntur, & diluuntur, n. 8. & 9. p. 702.
Eodē modo philosophandū in voto pœnali, n. 10. 702
Obiectio diluitur, num. 11. pag. 703.
Nisi sit votum pœnale absolutum, n. 12. p. 703.
Debent etiam esse vota vere cōditionalia, n. 13. p. 705.
Item quoties est morale dubium de valore voti reseruati, num. 14. pag. 703.
Quid si emissa sint ex metu cadente in virum constātem, num. 15. pag. 703.
In dubio an sit votum reseruatum credendum non esse, num. 16. pag. 704.

CAPVT X.

De potestate delegata ad dispensandum in votis, pag. 704.

Quando censeatur concessa potestas ad dispensandum, num. 1. pag. 704.
Concessa potestate commutandi non concedi potestatem dispensandi quidam absolute negant, num. 2. pag. 704.
Oppositum verius explicatur, & probatur, num. 3. & 4. pag. 705.
Quando censeatur data potestas in reseruatis, & an in omnibus, vel aliquibus, n. 5. & 6. p. 705.
Concessa potestate ad dispensandum in votis etiam data censetur ad dispensandum, licet sint in commodum tertij, num. 7. pag 706.
Etiam dispensari posse in votis emissis ante concessionem eius potestatis, num. 8. pag. 706.
Concessam esse religiosis potestatem dispensandi in votis, num. 9. pag. 706.
Ampliationes eius priuilegij, num. 10. p. 706.
Non posse in reseruatis Pontifici, etiam in casu necessitatis, quando potest adiri Episcopus, n. 11. p. 707.
Possunt dispensare in voto castitatis emisso ante matrimonium in ordine ad petendum debitum, numero 12. pag. 707.

CAPVT XI.

De potestate dispensandi in iuramentis. pagina 707.

Habens potestatem dispensandi in votis, potest dispēsare in iuramentis, num. 1. pag. 708.
An sint iuramenta reseruata, explicatur, n. 2. & 3. 708.
Concessa potestate ad dispensandum in votis censetur data ad iuramenta, n. 4. pag. 708.
Etiam verum in iuramento promissorio dummodo non sit acceptata pro motiuo, n. 5. p. 708.
Obiectiones proponuntur, & diluuntur, n. 6. 7. p. 709.

CAPVT XII.

De potestate dispensandi in matrimonio spirituali, & residentia. pag. 710.

Pontificem dispensare posse in matrimonio Episcopi cum Ecclesia, num. 1. pag. 710.
Obseruantur nonnulla, vt explicetur dispensatio in residentia, & quid statuat Concilium, n. 2. p. 710.
Cum Episcopis quis posset dispensare, n. 3. p. 310.
Cum parochis Episcopus, etiam ad absentiam per bimestre, ibid.
Prima ampliatio cum eius limitatione, n. 4. p. 710.
Ampliatio secunda, num. 5. pag. 710.
Ampliatio tertia num. 6. pag. 711.

Ampliatio quarta, num.7.pag.711.
Obiectio diluitur,num.8.pag.811.
Quid dicendum de dispensatione circa beneficia incompatibilia,num.9.pag.712.
In quibus solus Papa possit dispensare,n.10.p.712.

CAPVT XIII.
De potestate dispensandi in impedimentis matrimonij,tam dirimentibus,quam alijs.p.712.

Solum Pontificem dispensare posse in impedimentis dirimentibus, num.1.pag 712.
Variæ limitationes reijciuntur.ibidem.
Posse Episcopum dispensare post contractum matrimonium, num.2.pag.713.
Etiamsi sint diuites. Nec tenetur pauperibus dare pecunias,quibus impetrent,num.3.p.713.
Modo etiam impedimentum sit occultum, & bona fide contractum matrimonium, n.4.p.713.
Aliæ etiam limitationes, num.5.p.714.
Posse etiam Episcopum dispensare ante contractum matrimonium aliquando, num.6 p.714.
Et quando fuit defectus dispensationis, n.7.p.715.
Quid possit Commissarius Cruciatæ, n.8.p.715.
Quis dispenset in impedimento ex affinitate superueniente,ad petendum debitum,num.9.p.716.
Nuntios dispensare solum in impedimento publicæ honestatis, num. 10.pag.716.
Quid in his possint religiosi ex priuilegio, num.11. pag.716.
Quid de impedimentis impedientibus, n.12.p.716.

CAPVT XIIII.
De causa dispensationis in genere, & in specie, pag.716.

Deficiente causa in validam esse dispensationem in his quorum obligatio naturalis est, n.1.p.717.
Peccare etiam eum, qui petit dispensationem, num. 2.pag.717.
Dispensare in legibus humanis sine causa etiam esse peccatum,num 3 pag.717.
Quale peccatum sit, num.4.pag.717.
Idem de Principe,quando secum dispensat,n.5.p.718.
Explicatur quod de iusta causa dictum est,n.6.p.718.
Valida est dispensatio sine causa data, n.7.p.718.
Nisi inferior dispenset in lege superioris,n.8.p.718.
Alia limitatio de Principe secum dispensante,n.9.719
De causis in speciali remissiue, num.10.p.719.
Summa capita causarum,quæ in dispensando debent attendi explicantur, num.11.12.pag.719.
Quando imponitur muleta,non dicitur dari sine causa,num.13.pag.719.

CAPVT XV.
De forma concedendi dispensationem. p.720.

Quid agendum,num.1.pag.720.
Expressæ dispensationis non esse aliquam determinatam formam, neque scripturam requiri, n.2.p.720.
Absenti, & ignoranti concedi posse dispensationem, & ideò non requiri mandatum,num.3.p.720.
Circa tacitam dispensationē,variæ sententiæ,n.4.721.
Esse posse tacitam dispensationem verius est, n.5.721
Taciturnitatem non esse signum tacitæ dispensationis,quidam sentiunt, num.6.pag.722.
Verius esse signum,num.7.pag.722.
Quorundam solutio reijcitur, num.8.p.722.
Prima limitatio eius doctrinæ reijcitur, n.9.p.723.
Secunda limitatio,& illatio, n.10.& 11.p.723.
Ea illatio reijcitur, num.12.pag 723.
Quædam corollaria,num.13. & 14.p.723.& 724.
Aliud signum tacitæ dispensationis,n.15.p.724.
Quomodo constare debeat scientia in prælato de tali impedimento, num.16.pag.724.
Quomodo probanda,num.17.pag.724.
An ad dispensationis valorem requiratur, causæ cognitio,nam.18.pag 724.
Eluitur argumentum ex Tridentino, n.19.p.725.

CAPVT XVI.
De causis ex quibus redditur nulla dispensatio, & de vitio falsitatis in genere.pag.725.

Quid agendum,num.1.pag.725.
Vitiari rescriptum deficiente veritate,n.2.p.625.
Obiectio diluitur, num.3.pag.726.
Discrimen inter rescriptum gratiæ,& iustitiæ, num.4. pag.726.
Quædam Abbatis sententia expenditur,n.5.p.726.
Aliud discrimen inter vtrunque rescriptum,num. 6.pag.727.
Quædam limitatio,num.7.pag.727.
Quid de rescripto partim vero, partim doloso, num.8.& 9.pag.727.
Expenditur textus in cap.si eo tempore de rescrip. in sexto,num.10.pag.727.

CAPVT XVII.
Explicatur in speciali quando obstet vitium subreptionis.pag.728.

Quid explicandum, num.1 pag 728.
Aliorum sententia,& vera, num.2 pag.728.
Quæ sint ea,quæ iure debent exprimi, n.3.p.728.
Ampliatio eius doctrinæ,num.4.pag.729.

§. PRIMVS.
Quando redditur nullum rescriptum ex silentio prioris.pag.729.

Dispensationem reddi nullam ex silentio prioris dispensationis,num.5.pag.729
Explicatur hæc communis sententia tribus regulis, num 6.7.& 8.pag.730.
Ex illis refertur, quando non sit necessaria expressio prioris dispensationis, num. 9.pag 730.

§. SECVNDVS.
De impetratione secundi rescripti ad lites sine mentione primi.pag.731.

Rescriptum secundum ad lites sine mentione primi non valere,esse tamen annullandum, n.10.p.731.
Obiectio diluitur,num.11.pag.731.
Colligitur explicatio Tridentini,n.12.p.732.
Obijcitur,& diluitur,num.13.p.732.
Obijcitur secundo, num.14.pag.733.
Quædam limitatio communis doctrinæ, n.15.p.733.

Quid

Quid de secunda licentia ad alienanda bona maioratus, num. 16. pag. 733.

§. TERTIVS.

De impetratione secundi beneficij sine mentione primi. pag. 733.

In impetratione secundi beneficij fieri debere mētionem primi, num. 17. pag. 733.
Obijcitur ex c. gratia de rescriptis in 6. n. 18. p. 734.
Vera interpretatio, num. 19. pag. 734.
Quædam limitatio, num. 20. pag. 734.

§. QVARTVS.

Quomodo reddatur nulla dispensatio, quando plura concurrunt impedimenta. pag. 735.

Quando sunt plura impedimenta, & exprimitur vnū alio supresso vitiari rescriptum, n 21. p. 735.
Quomodo intelligenda communis sententia, num. 22. pag. 735.
Limitationes communis sententiæ, n. 23. p. 735.
Colliguntur nonnulla explicationis gratia, num. 24. pag. 735.

§. QVINTVS.

Quid dicendum de impedimentis matrimonij explicandis. pag. 736.

Quę impedimenta matrimonij explicanda sunt, num. 25. pag. 736.
Quomodo explicandi gradus, num. 26. p. 736.
Reijcitur Thomas Sanchez, num. 27. p. 737.
Quomodo explicandum impedimentum cognationis spiritualis, num 28. pag. 737.
Quid si sit ex publica honestate, num. 29. p. 737.
Quid si publica honestas concurrat cum affinitate, num. 30. pag. 737.
Quid si petens dispensationem erret in gradu, num. 31. pag. 738.

§. SEXTVS.

Quid dicendum de explicatione copulæ. p. 738.

An necessario explicanda copula, num. 32. p. 738.
Nauarri doctrina consideratur, n. 33 p. 738.
Obijcitur ex Tridentino, num 34 pag. 739.
Expenditur Tridentini decretum, num. 35. p. 739.
Examinatur quædam difficultas circa illud, num. 36. 37. 38. 39. pag. 739. & 740.
Dissimulare posse ordinarium si contrahentes bona fide, in ea perseuerent, quamvis sciat dispensationem subreptitiam fuisse, num. 40. p. 740.

§. VLTIMVS.

Quando sit vitium per expressionem falsi. pag. 740.

Vitiare dispensationem per expressionem falsi, explicatur, num. 41. pag. 740.
De hodierno stylo præcedentem sententiam ordinarij, etiamsi illa iniusta fuerit valere, n. 42. p. 741.
Quis dispensare possit, quando erratur in Diœcesi, num. 43. pag. 741.

CAPVT XVIII.

De modis quibus dispensatio expirat ex parte illius, cui conceditur. pag. 741.

Quid agendum distinguitur, & proponitur, n. 1. pag. 741.

§. PRIMVS.

Quomodo expiret dispensatio deficiente eo cui conceditur. pag. 742.

Diuisio facultatis in realē & personalem, n. 2. p. 742.
Quomodo cognoscenda sit facultas personalis, & realis, primo ex qualitate rei concessæ, n. 3. p. 742.
Item si concedatur personæ, aut rei, explicatur, num. 4. pag. 742.
Limitatur primo, num. 5. pag. 742.
Limitatio secunda, num. 6. pag. 743.
Quid si verba sint ambigua, & non satis percipiatur, cui faueat magis princeps, rei aut personæ, num. 7. pag. 743.
Limitatio prima, num. 8. pag. 743.
Limitatio secunda. num. 9. pag. 744.
Discrimina inter concessionem realem, & personalem num. 10. pag. 744.
Obijciuntur nonnulla, & diluuntur, num. 11. 12. & 13. pag. 744. & 745.
Dispensatio seu cōcessio non expirat morte eius, cui conceditur, secus si personæ, n. 14. p 745.

§. SECVNDVS.

Quando concessio expiret ob renunciationem expressam eius cui conceditur. pag. 745.

Quid renunciatio dicatur, vnumquenque posse renūciare dispensationi, num. 15. p. 745.
Requiritur voluntas renuntiantis, n. 16. p. 746.
Et signa externa renuntiandi, num. 17. p. 746.
Quid in renunciatione dispensationum. Ex quibus nullum ius alteri confertur, n. 18. p. 746.

§. TERTIVS.

Quando expiret ob renunciationem tacitam. pag. 746.

Quæ renunciatio tacita, num. 19. pag. 747.
Non esse sufficiens signum ad colligendam renuneiationem tacitam dispensationis, num. 20. pag. 747.
Priuilegium amitti per non vsum, quomodo intelligendum num. 21. & 22. pag. 747. & 748.
Cuius temporis debeat esse non vsus, n. 23. p. 748.
Eam doctrinam habere locū in vtroque foro, n. 24. 748
Quomodo intelligatur amitti per contrarium vsum explicatur communis sententia, num. 25. 26. & 27. pag. 748. & 749.
An satis sit vnus actus contrarius, n. 28. p. 749.
Obijcitur, & diluitur, num. 29. p. 750.
Quando cessiet per egressum eius ex territorio, num. 30. pag. 750.

CAPVT XIX.

De modis quibus dispensatio expirat ex parte cōcedentis. pag. 750.

Distinguitur quid explicandum sit, n. 1. p. 750.

§. PRIMVS.

Quando expiret dispensatio morte concedentis. pag.750.

Indultũ datũ alicui, vt dispenset cũ aliquo non determinata persona non expirat morte concedentis, num.2. pag 751.
Quid si determinetur persona, n.3.4.5.p.751.& 752.
Insinuatur modus deferendi communem doctrinam, num.6.pag.752,
Facultatem vt eligat determinatum confessorem nõ expirare, num.7.pag.752.
Quid de facultate data alicui ad audiendam confessionem determinatæ personæ, n.8.p.752.
Quid verba illa vsque ad beneplacitum, n.9.p.753.

§. SECVNDVS.

Quomodo finiatur dispensatio per reuocationem concedentis. pag.753.

Cessare dispensationem per reuocationem concedentis, num.10.& 11.pag.753.
Non habet locum communis doctrina in priuilegio concesso non subdito, num.12.pag.753.
Neque in priuilegijs onerosis, & per modum contractus, num.13.pag.754.
Qualis esse debeat intimatio reuocationis, n.14.754.
Tam à supremo, quam ab inferiori principe posse fieri eam reuocationem, num.15.p.754.
Quibus modis fieri reuocatio debeat expressa explicatur, num.16.pag.755.
Tacita reuocatio explicatur, num.17.18.19.20.& 21, pag.755.& 756.
Explicatur cap. Rodulphus de rescriptis, n.22.p.757.
Obijcitur & diluitur, num.23.pag.757.
Obijcitur secundo, num.24.pag.757.
Obijcitur tertio, num.25.pag.758.
Limitatio doctrinæ, num.26.pag.258.
Per sententiam non reuocari priuilegium, nisi exprimatur, num.27.pag.758.

CAPVT XX.

An expiret dispensatio ex cessatione causæ, vel eius vsu. pag.758.

Quo tempore requiratur veritas causæ, n.1.p.758.
Etiam quando ordinario committitur dispensatio, num.2.& 3.pag.758.
Quid si cesset causa, postquam iam ordinarius dispensauit, num.4.pag.759.
Obijcitur, & diluitur, num.5.pag.759.
Obijcitur secundo, num.6.pag.759.
Obijcitur tertio, num.7.pag.759.
Obijcitur quarto, num.8.pag.760.

§. VNICVS.

Quando cesset dispensatio per huius vsum. p.760.

Quando dispensatio cesset per eius vsum varie explicatur, num.9.pag.760.
Dispensationem ad vnum actum restrictam eo finiri, num.10.pag.760.
Si non restringatur, & materiæ sit iterabilis non finitur, num.11.pag.761.
Colliguntur nonnulla explicationis gratia, num.12.& 13.pag.761.
Si cum aliquo dispẽsetur vt ducat vxorem prolis causa, & eam susceperit, possit ne iterum contrahere, num.14.pag.761.

CAPVT XXI.

De interpretatione dispensationum. pag.762.

Proponitur quid agendum sit, num.1.pag.762.
Dispensationem strictè interpretandã esse, n.2.p.762.
Obijcitur, & diluitur, num.3.pag.762.
Limitatio prima communis doctrinæ, n.4.p.762.
Non vltra propriam verborum significationem extendendam, num.5.pag.762.
Extendendam ad necessario connexa, n.6.p.763.
Quando minus includitur in maiori, vel necessario cõiunctum est cum illo locum habet argumentum à maiori in dispensatione, num.7.pag.763.
Alias non valere verius videtur, num.8.pag.763.
Opposita sententia, & eius fundamenta diluuntur, num.9.& 10.pag.764.
Limitationes communis sententiæ, n.11.p.764.

§. PRIMVS.

Explicantur clausulæ communes in dispensatione pro foro conscientiæ. pag.764.

Quid agendum, num.12.pag.764.
De clausula personæ, cui committitur dispensatio, num.13.pag.764.
Requiritur in eo qualitas confessoris approbati, num.14.pag.765.
De clausula continente causam dispensationis, num.15.pag 765.
De clausula continente modum verificandi causam, num.16.pag.765.
De clausula continente modũ absolutionis, n.17.765.
De operibus iniungendis, num.18.pag.766.
De lanjatione literarum, num.19.pag.766.

§. SECVNDVS.

Explicantur clausulæ dispensationum de foro externo. pag.766.

De clausula officialis in dispensatione pro foro externo, num.20.pag.766.
De clausula continente causas, variæ referuntur, nu. 21.22.23.& 24.pag.767.
Examen faciendum super veritate causarum, n.25.p. 768.

LIBER NONVS.

De dissolutione matrimonij quoad vinculum aut torum. pag 769.

CAPVT I.

De dissolutione matrimonij inspecto iure ciuili. pag.769.

Iure ciuili solui matrimonia, aut bona gratia, aut repudio, num.1.pag.769.
Mutuo consensu, num.2.pag.770.
Monachismo, num.3.pag.770.
Impotentia, & debilitate, num.4.pag.770.

Item

Item per deportationem, num.5.pag.771.
Captiuitate. Varia tempora distinguenda, nu.7.p.771.
Et quando in expeditione milites degunt, n.8.p.771.
Et ob seruitutem, num.9.pag.772.
Item per repudium, num.10.pag.772.

CAPVT II.
An matrimonium infidelium consummatum dissolui possit auctoritate Pontificis. pag.772.

Prima sententia affirmans, num.1.pag.772.
Eius argumenta, ibid. & n.2.3.4. pag.773.
Occurritur tribus obiectionibus, n.5.6.& 7.p.773.
Verior opposita sententia, n.8.p.773.
Distinguuntur tres quæstionis status, n.9.10.11.p.774.
Diuersimode probatur, n.12.13.14.15.16.p.774. & 775.
Satisfit argumentis primæ sententiæ, n.17.p.775.

CAPVT III.
An matrimonium fidelium ratum possit dissolui auctoritate Pontificis. pag.776.

In praxi securâ esse opinionem, quæ affirmat, n.1.776.
Prima sententia affirmans cum suis fundamentis, n. 2.pag. 776.
Secunda sententia negans, & eius auctores, n.3.p.777.
Probatur primo ex Alexandro III. n.4.p.777.
Et Innocentio III. num.5, pag.778.
Et Nicolao I. num.6.pag.778.
Ostenditur non esse à Christo relictam eam potestatem Ecclesiæ, num.7.8.9.10.11.12.13.& 14.pag.778. & 779.& 780.
Occurritur obiectionibus, num. 15. 16. 17. & 18.pag. 781.& 782.

CAPVT IIII.
Quid iura disponant de infidelium, & Hæreticorum coniugijs, & cum alter eorum ad fidem conuertitur pag.782.

Inter infideles verum coniugiũ esse legitimũ, sed non ratum. Quare, n.1. & 2.pag.782.& 783.
Cur Theologi dicant in matrimonio infidelium non reperiri tria bona matrimonij. num.3.pag.783.
Per baptismum non solui coniugium infidelium, n.4. pag.783.
Licere cohabitationem fidelis cum infideli si absit periculum, num.5.pag 783.
Primis temporibus non tantum licitum, sed præceptum, num.6.pag.785.
Postea optionem datam cohabitandi, n.7.p.784.
Postea prohibitam cum Iudæis, n 8.p.784.
Quare prohibita cum illis, num.9.p.784.
Non extendi ad alios infideles eam prohibitionem licet consuetudine inducta, n.10 p.785.
Obiectionibus occurritur, n.11.& 12.p.785.& 786.
Tres casus, in quibus coniugium fidelis conuersi dissoluitur, num.13.p.786.
Ecclesiastico iure concessum quidam dicunt, n.14.786
Verius iure diuino, num.15.pag.786.
Dissolui statim atque conuertitur aliqui affirmant, num 16.pag.786.
Verius cum iam fidelis contrahit, n.17.p.786.
Solutio Glossæ reijcitur, num.18.p.787.
Fundamentis contrarijs respondetur, n.19.p.787.
Requirendum infidelem, n.20.& 21.& quomodo, nu. 22.pag.787.
Gregorij XIII. litere de hac re, n.23.p.788.
Coniugem infidelem non manere liberum, n.24.& 25. pag.788.
Vnde hoc proueniat, num.26.p.788.
Coniuge labente in hæresim non dirimi matrimoniũ, num 27.pag.789.
Illicitam cohabitationem, limitatur, n.28.p.789.

CAPVT V.
An per professionem solemnem dissoluatur ratum coniugium, & quo iure? pag.798.

Dissolui matrimonium per transitum ad religionem num. 1.pag.789.
Inquiritur quo iure, num.2.pag.790.
Quidam dicunt ex iure Pontificio, n.3.p.790.
Verius iure diuino dissolui num.4.p.790.
Diuersimode probatum, num.5.6.7.8.9. & 10.pag.790 & 791.& 792.

CAPVT VI.
Tribus votis simplicibus societatis dirimi matrimonium ratum. pag.793.

Vota societatis post biennium dirimere matrimoniũ ratum, num.1.p.792.& 793.
Occurritur tribus obiectionibus, quibus alij permoti sentiunt oppositum, n.2.3 & 4.pag.793.

CAPVT VII.
Quid dicendum de votis Militarium ordinum. pag.793.

Proponitur quæstio, num.1.p.793.
Sententia negans, num.2.pag.794.
Votis Melitensium dirimi, num.3.pag.794.
Votis Calatrauæ, & Alcantaræ non dirimi, num.4.p. 894.
Olim diremptum eorum ordinum votis, n 5.p.794.
Votis sancti Iacobi iuxta Bullam Alexandri III. emissis non dirimi, num.6.pag.794.
Ea esse vota simplicia, non solemnia, n.7.p.794.
Idem de voto castitatis, num.8.pag.795.
Diluitur obiectio, num.9.10.11.12.& 13.p.795.&796.
Decidirur casus quidã in ea materia, n.14.& 15.p.796.
Quid de votis obedientiæ, num.16.p.797.
Infertur his votis non dirimi coniugium, n.17.p.797.
Aliter dicendum de votis clericorum eius ordinis, n. 18.pag.794.
Proponitur quæstio habita super professione sororum eius ordinis. Libellus oblatus Regi, informatio, & iudicium Doctorum Coimbricensium, Matritensium, Salmanticensium, Valentinorum, & Regis Catholici decretum, numero 19. remissiue, pagina 798.

CAPVT VIII.
Quid dicendum de votis Mantellatarũ, hoc est, Beatas & conuersorum ac donatorum. p.798.

Prima opinio. num.1.pag.798.

Quid de tertiarijs ordinis SS. Francisci, & Dominici, num 2. pag. 798.
De Augustinianis quorundam sententia, n. 3. p. 798.
Quod initium Mantellatarum in ordine sancti Augustini, num. 4. pag. 798.
Distinguuntur diuersi gradus eiusdē ordinis, n. 5. p. 799.
Mantellatas eiusdem ordinis esse substantialiter religiosas, num. 6. pag. 799.
Conferuntur eiusdem ordinis constitutiones cum literis Pontificijs, num. 7. pag. 800.
Quid de Mantellatis viris? distinguuntur à donatis oblatis siue commissis, n. 8. p. 800.

CAPVT IX.

Quid seruandum sit, cum ante consummationem transit alter coniux ad religionem. pag. 800.

Quid agendum, num. 1. pag. 801.
Spatium duorum mensium assignari non ad professionem, sed ad ingressum, n. 2. pag. 801.
Teneri alterum coniugem expectare professionem, etiamsi iuxta religionis constitutiones vel defectū ætatis differatur vltra annum, n. 3. p. 801.
Computandum bimestre à die coniugij, n. 4. p. 801.
Computandum iuxta mensium occurrentium occasionem, num. 5. pag. 802.
Et à momento in momentum, n. 6. p. 802.
Bimestri vti potest coniux, etiamsi non habeat animū ingrediendi religionem, num. 7. p. 802.
An possit per iudicem coarctari, n. 8. p. 803.
An possit prorogari, num. 9. pag. 803.
Potest iudex determinare tempus ne coniux varias religiones ingrediens alium eludat, n. 10. p. 804.

CAPVT X.

Quando dicatur matrimonium consummatum, ita vt iam non sit locus transeundi ad religionem. pag. 804.

Effuso semine extra vas non consummari matrimonium etiam aperto claustro puellę, n. 1. p. 804.
Copula vi extorta consummari matrimonium, num. 2 pag 805.
Iam non licere transire ad religionem coniuge oppresso, num. 3. pag. 805.
Non posse fœminam quæ vim patitur, conari ad effusionem seminis iam recepti, n. 4. pag. 805.
Peccare coniugem, qui intra bimestre violenter copulatur, num. 5. pag. 806.
An credendum iurantibus se non consummasse, n. 6. pag. 806.

CAPVT XI.

Sine licentia coniugis consummato matrimonio non licere, nec valere transitum ad religionem pag. 806.

Quid agendum, num. 1. pag. 806.
Consummato coniugio non licet transire ad religionem sine consensu alterius, num. 2. p. 806.
Alias votum, & professio alterius nulla sunt, n. 3. 807.
Diluitur obiectio, num. 4. pag. 807.
Inualide professum licite transire ad aliud matrimonium, num. 5. pag. 807.
Nullum etiam esse votum religionis ibi inclusum, n. 6. pag. 807.
Si reuocetur ab alio coniuge, non teneri eo defuncto ad religionem transire, num. 7. p. 807.
Posse exire etiam altero non repetente, n. 8. p. 807.
Opponuntur nonnulla, & diluuntur, n. 9. 10. p. 808.
Coniugem sic professum posse resilire, etiamsi postea alter consensum præbeat, n. 11. p. 808.
Posse exire etiamsi toto tempore vitæ alterius mansérit in religione, illo iam defuncto, n. 12. p. 809.
Qui mansit in sæculo, non potest inuito eo, qui inualide professus est transire ad religionem, num. 13. pag. 809.
Potest resilire à religione, quamvis alter, quo inuito ingressus est, adulterium commiserit, num. 14. pagina 809.
Idem omnino asserendum, si consensus extorqueatur metu, num. 15. pag. 809.
Quid si cum sola dissimulatione alterius cōiugis hæc omnia facta sint, num. 16. p. 809.

CAPVT XII.

Quæ requirantur de iure, vt alter coniux licite transeat ad religionem consummato matrimonio. pag. 810.

Cum licentia coniugis requiri, vt alter religionem ingrediatur, nisi prouectæ ætatis sit, n. 1. p. 810.
Non requiri licentiam Episcopi, n. 2. p. 810.
Alter cōiux si ingrediatur religionem, vt profiteatur sufficere si ingrediatur religionem sancti Ioannis, num 3. pag. 810.
Quid si alter coniux neque nolit ingredi religionem, neque profiteri, num. 4. p. 811.
Data licentia an possit qui consensit, reuocare, num. 5. pag 811.

CAPVT XIII.

Quæ requirantur, vt vir contracto matrimonio transire possit ad sacros ordines. p. 812.

Virum contracto matrimonio etiam ante consummationem inuita vxore non posse ordinari, neque animo ad religionem transeundi, n. 1. p. 812.
Pœnæ statutæ in iure, num. 2. pag 813.
Similiter non posse post consummatum, sed teneri ad vxorem redire, num. 3. p. 813.
Quid requiratur, vt quis consummato matrimonio possit secundum ius ordinari remissiue, n. 4. p. 814.
Limitatur supra dicta, nisi vxor dederit causam diuortio sua culpa, num. 5. pag. 814.
Oppositа quorundam sententia, num. 6. p. 814.
Fundamentis illius satisfit, num. 7. pag. 814.

CAPVT XIIII.

De criminis adulterij grauitate, & pœna. pag. 815.

Quid agendum, num. 1. pag. 815.
Grauitas criminis adulterij ostenditur, n. 2. p. 815.
Obiectio diluitur, num. 3. pag. 816.
Publica pœnitentia puniti adulteri, n. 4. p. 816.
Punitæ adulteræ, etiamsi consentient marito, adulterauerint, num. 5. pag. 816.

Gentiles existimasse adulterium licere de licentia cõiugis, num. 6 pag. 817.
Tam virum, quam fœminam reum esse adulterij coram Deo, vter grauius delinquat, n 7. p. 817.

CAPVT XV.
Devxoricidio ante sententiam latam, p. 817.

Pœna criminalis adulterij mors, num. 1. p. 817.
Proponitur quæstio, num. 2. p. 817.
Quæ certa sunt explicantur, num. 3. p. 818.
Quidam licite, & recte posse occidere dicunt, tanquã ministrum publicum iam deputatum, n. 4. p. 818.
Oppositum omnino verum, num. 5. p. 818.
Probatur ex iure Canonico, num. 6. 7. 8. 9. & 10. pag. 818. & 819.
Ostenditur iniustam fore legem, quæ id concederet variis rationibus, num. 11. 12. 13. 14. & 15. pag. 819. 820. & 821.
Ex iure ciuili non colligi maritum in eo casu deputatum esse ministrum publicum iustitiæ, n. 16. p. 821.
Neque ex legibus nostri regni, n. 17. p. 822.
Permissum tantum vxoricidium, & quare, n. 19. p. 823.
An ea opinio sit digna aliqua censura, n. 20. p. 823.
Satisfit fundamentis primæ sententiæ, n. 21. p. 824.

CAPVT XVI.
Adulterium causam esse diuortij perpetui, pag. 824.

Adulterium esse causam diuortij, & colligitur ex Matthæi 19. num. 1. pag. 824.
Defenditur ille locus ab hæreticorum interpretatione, num. 2. pag. 824.
Adulterium causam esse diuortij iure comprobatur, num. 3. pag. 825.
Oriri ex ipso naturali iure, num. 4. pag. 825.
Quid nomine adulterij intelligatur, & an extendatur ad sodomiam, num. 5. pag. 825.

CAPVT XVII.
Quando teneatur diuertere, & quando non liceat alteri coniugi. pag. 826.

Quid explicandum, num. 1. pag 826.
Coniux innocens, absolute loquendo, non tenetur dimittere adulterum, num. 2. pag. 826.
Duæ limitationes eiusdem doctrinæ, ibidem, & nu. 3. & 4. pag. 826.
Primus casus, in quo dimittere non potest, num. 4. pag. 826.
Secundus casus, num. 5. pag. 827.
Obiectio diluitur, num. 6. pag. 827.
Idem dicendum, si vir vxorem prostituat, n. 8. p. 828.
Tertius casus in quo non potest, n. 8. p. 828.
Quartus casus, num. 9. pag. 828.

CAPVT XVIII.
Quid seruandum, si innocens velit diuertere, pag. 829.

Separationem fieri debere iudicio Ecclesiæ, n. 1. p. 829.
Quid si publicum adulterium sit, sententia negans refertur, num. 2. pag. 829.
Præfertur opposita, ibidem obiectio diluitur, num. 3. pag. 829.
Confessio cõiugis de adulterio in iudicio criminali valet etiam in ciuili, num. 4. pag. 830.
Quid si adulterium probari non potest. Quidam affirmant posse diuertere secreto, num. 5. p. 830.
Oppositum verius, num. 6. pag. 830.
Satisfit aliorum argumentis, n. 7. 8. 9. & 10. p. 830.

CAPVT XIX.
Quid iuris sit innocenti post diuortij sententiam, pag. 831.

Sententiam de diuortio latam esse in fauorem innocentis. Inde fit posse innocentem reconciliare sibi nocentem, huncque teneri parere, n. 1. p. 831.
Limitatur, si res sit integra, num. 2. p. 832.
Coniux innocens ius habet circa mutationem status innocentis, num. 3. & 4. pag. 832.
Innocens, facto diuortio, potest inuito nocente ad religionem transire, num. 5. pag. 832.
Si innocens eligat in sæculo manere, nõ tenetur abiectum recipere, etiam pœnitentem, n. 6. p. 832.
Satisfit nonnullis obiectionibus, n. 7. p. 833.

CAPVT XX.
Quando teneatur coniux adulterum abiectum recipere. pag. 833.

Tres casus, in quibus tenetur abiectum coniugem innocens recipere remissiue, num. 1. pag 833.
Itẽ si constat de iniustitia sententiæ diuortij, n. 2. p. 833
Item, si qui litem mouit factus est nocens, n. 3. p. 834.
An requiratur, vt adulterium post sententiam commissum, fit publicum, num. 4. & 5. pag. 834.
Quid si committatur adulterium, postquam sententia transijt in rem iudicatam, n. 6. p. 834.
Quid si innocens committat adulterium, postquam ipse mutauit statum, num. 7. pag. 835.

CAPVT XXI.
Ex alijs causis licere diuortium. pag. 836.

De fide est alias etiam esse causas diuortij, n. 1. p. 836.
Explicatur locus Matth. 19. in quo tantum est expressa fornicatio, num. 2. pag. 836.
Cur potissimum meminerit Christus fornicationis, num. 3. pag. 836.
Occurritur obiectioni, num. 4. pag. 836.

CAPVT XXII.
Hæresim esse causam diuortij, pag. 837.

Hæresim esse causam diuortij, num. 1. pag. 837.
Prouenire ex iure naturali ob periculum subuersionis, num. 2. pag 837.
Quid si post separationem Ecclesiæ iudicio factam, infidelis reconcilietur, & corrigatur, n. 3. p. 837.
Qui deliquit, non potest statum mutare inuito innocenti, num. 4. pag. 838.
An censeatur remittere fidelis, si post delictum, copuletur infideli, num. 5. 838.
An in hoc adulterio spirituali sit locus compensationi, num. 6. pag. 838.

CAPVT XXIII.

De alijs causis, ex quibus licet diuortium. pag.839.

Si coniux pertrahat alium ad peccatum, esse causam diuortij, num.1.pag.839.
Inferuntur nonnulla,num.2.pag.839.
Alia peccata coniugis non esse causam, n.3.p.840.
Proponitur quæstio de sæuitia,num.4.p.840.
Qualis requiratur sæuitia explicatur, n.5.p.840.
Eius probatio, num.6.pag.840.
Requiri in ea causa iudicis sententiam, n.7.p.841.
Virum ob vxoris sæuitiam etiam recte diuertere,n.8. pag.841.
Licere postea coniugi ad religionem transire, num.9. pag.841.
Causam diuortij coram Ecclesiastico iudice examinandam,num.10.pag.841.
Vbi sequestranda vxor pendente lite,n.11.p.841.
Dotem non amittere vxorem, quamvis fiat diuortiũ ob eius sæuitiam,num.12.pag.842.
Minori ob elapsum temporis ad probationem in causa matrimoniali restitutionem competere,numero 13.pag.841.

LIBER DECIMVS.

De primo effectu coniugij. Hoc est. De potestate dominatiua coniugum in corpus, & voluntatem.pag.843.

CAPVT I.

Actum coniugalem esse licitum.pag.843.

Vsum matrimonij esse actum bonum ex genere suo, num.1.pag.843.
Obijcitur primo ex Siricio, num.2.pag.843.
Obijcitur secundo ex Origene,num.3.p.844.
Obijcio tertio ex Hieronymo,n.4.p.844.
Posse esse meritorium gratiæ ex opere operantis, nũquam tamen ex opere operato,n.5.p.845.

CAPVT II.

De obligatione,quæ nascitur ex coniugio in ordine ad actum coniugalem.pag.845.

Ex matrimonio oriri duplicem obligationem positiuam,& negatiuam, num.1.pag.845.
Debitum hoc reddendum petenti,num.2.p.845.
Tacite etiam peti,& cuius virtutis actus sit, num.3. pag.846.
Ex genere suo esse peccatum mortale non reddere,n. 4.pag.846.
Aliquando esse veniale ex leuitate materiæ,n.5.p.846
Esse obligationem conseruandi vires, ne fiat coniux impotens,num.6.pag.846.
Inferuntur nonnulla,ibid.n.7.& 8.p.847.

CAPVT III.

Statuitur generalis doctrina ad cognoscendum in genere,quando sit licita redditio debiti. pag. 847.

Quorundam explicatio, num.1.pag.847.
Aliorum regulæ quatuor,num.2.pag.847.
Vera regula duobus partibus constans proponitur,& explicatur, num.3.pag.848.
Reijcitur quædam euasio,num 4.p.848.
Secunda pars regulæ,num.5.pag.849.
Aliorum fundamentis satisfit, num.6.p.849.
Obseruatio pro maiori explicatione, n.7.p.850.

CAPVT IIII.

Quando ratione temporis sit illicita consummatio matrimonij.pag.850.

Quid agendum, num.1.pag.850.
Peccatum esse consummare ante denunciationes, n. 2.pag.850.
Non esse peccatum consummare ante benedictiones num.3.pag.851.
Obijciuntur nonnulla,& diluuntur,num.4.5.6.7.& 8. pag.851.& 852.
Alia probatio nostræ sententiæ, n.9.p.852.
Ratione scandali,aut excommunicationis posse contingere peccatum, num.10.pag.852.
De consummatione intra bimestre remissiue, numero 11.pag.852.

CAPVT V.

De impedimento consummandi,vel petendi, aut exigendi ex emisso voto. pag.852.

Quid agendum,num.1.pag.853.
Qui emisit votum religionis, obligari ad ingrediendum ante consummationem, n.2.p.853.
Peccare eum qui tenetur eo voto,in consummatione non contra castitatem, num.3.p.853.
Tantum peccare in prima consummatione, num.4. pag.853.
Qui tenetur voto castitatis emisso ante matrimoniũ, non potest consummationem petere,n.5.p.853.
Illum post consummationem obligari ad reddendum debitum,num.6.pag.853.
Defuncto altero coniuge obligari ad absolutam castitatem,n.7.pag.853.
An peccet prima vice reddendo ex alia quæstione pẽdere,num.8.pag.853.
An contrahens cum voto castitatis teneatur ante cõsummationem ad religionem transire. Prima opinio negans,n 9.p.853.
Secunda opinio affirmans, n.10.p.853.
Eluditur argumentũ, n.11.p.854.
Prima sententia præfertur,n.11.p.854.
Quid de eo qui vouit virginitatem, n.13.p.854.
Quid de voto suscipiendi sacros ordines, variæ sententiæ, num.14.p.854.
Prima opinio profertur, n.15.p.854.
Quid de voto non contrahendi matrimonium, num. 16.pag.855.
Obiectio diluitur,num.17.pag.855.
Quid dicendum de his votis emissis post contractum ante consummationem, num.18.p.855.
Quid quando emittuntur post matrimonium consummatum sine licentia coniugis, n.19.p.856.
Quid quando de licentia coniugis,n.20.p.856.

Quid

Quid quando mutuo consensu emittunt ea vota, numero 21. pag. 857.

CAPVT VI.

De impedimento consummandi, petendi reddendi ex cognatione proueniente. pag. 857.

Quid antiquo iure statutum esset, quorundam opinio num. 1. pag. 857.
Nunquam aliquo iure statutum esse vt quouis modo quis teneret, contraheret hoc impedimentum, nu. 10 2. pag. 857.
Post contractum matrimonium, si leuet, non dissolui, num. 3. pag. 858.
Si in fraudem alterius coniugis tenuerit, non impeditur, neque innocens, neque nocens à petitione debiti, n. 4. pag. 858.
Si ex necessitate fiat, nullum nascitur impedimẽtum, num 5. pag 859.
Aliquorum ampliatio, num. 6. pag. 859.
Si extra hos casus teneat scienter oritur impedimentum, num. 7. pag. 860.
Si cum ignorantia nullum est impedimentum, num. 8. pag. 860.
Etiamsi sit ignorantia facti, n. 9. p. 861.
Etiamsi sit culpabilis ignorantia huius iuris, & facti, num. 10. pag. 861.
Diluitur obiectio, n. 11. pag. 861.
Quid si tantum sit ignorantia pœnæ huius iuris, nu. 12. pag. 861.
Ad hanc pœnam non esse necessariam iudicis sententiam, num. 13. pag. 862.

CAPVT VII.

De impedimento consummandi, vel petendi debitum ex affinitate superueniente, p. 862.

Ex copula fornicaria cum vxoris consanguinea oriri affinitatem, & impediri debiti petitionem, num. 1. pag. 862.
Non extendi hoc impedimentum ad coniugem, qui rem habet cum suis consanguineis, neque cum affinibus alterius coniugis, n. 2. p. 863.
Si vterque est impeditus, neuter potest petere, & reddere, num. 3 pag 863.
Qui ante consummationem contraxit hoc impedimentum, non potest consummare nec tamen tenetur ingredi religionem. Sed dispensationem petere, num. 4. pag. 863.
Limita hoc impedimentum, intra duos gradus, num. 5. pag. 863.
Per copulam metu extortam non contrahi hoc impedimentum: etiamsi tantum fuerit vis absoluta, num. 6. pag. 863.

CAPVT VIII.

Quando sit illicitus actus coniugij ratione finis? pag. 864.

Quid agendum, num. 1. pag. 864.
Licitum accessum ad coniugem propter aliquod ex tribus bonis matrimonij, & quomodo eum finem respicere debeat. num. 2. pag 864.
Quando sit peccatum excludere in eo actu finem prolis, num. 3. pag. 864.
An sit peccatum copulari ad significandam vnionem Verbi cum natura humana, num. 4. pag. 865.
Accessum ob vitandam fornicationem aut in alio, aut in se nullum esse peccatum, num. 5. p. 865.
Reijciuntur qui dicunt esse culpam venialem, & illis satisfit, num. 6. pag. 865.
Reijcitur aliorum distinctio, num. 7. pag. 866.
Accessum solius delectationis gratia ex genere suo nullum esse peccatum, num. 8. pag. 866.
Neque etiamsi fiat tuendæ salutis causa, n. 9. p. 866.
Ratione mali finis adiuncti erit actus coniugalis malus mortaliter, aut venialiter, n. 10. pag. 870.

CAPVT IX.

Quando sit illicitus actus coniugalis ratione temporis. pag. 867.

Distinguuntur tempora tria, de quibus est quæstio, num. 1. pag. 867.
Prohibetur accessus cum summenda est Eucharistia etsi accesserint, communicare possunt, n. 2. p. 867.
Etiam tempore ieiuniorum, num. 3. p. 868.
Etiam die Dominico, num. 4. pag. 868.
Hæc præcepta iam cessasse, num. 5. p. 868.
Quid tempore excommunicationis, num. 6. p. 868.

CAPVT X.

Quomodo sit illicitus actus coniugalis ratione loci. pag. 896.

Quale peccatum sit actus coniugalis in loco publico, num. 1. pag. 869.
Proponitur quæstio de loco sacro, n. 2. p. 869.
Quid intelligatur nomine loci sacri in hac parte, n. 3. 4. 5. & 6. pag. 869. & 870.
Actus qui ex se peccata sunt, habere malitiam sacrilegij, & eorum fundamenta, num. 7. p. 870.
Maior explicatio prædictæ sententiæ, n. 8. p. 871.
Opposita sententia præfertur, & eius ratio à posteriori, num. 9. pag. 871.
Eius ratio à priori, num. 10. pag 872.
Soluuntur fundamenta primæ, num. 11. p. 873.
De actu coniugali in loco sacro variæ sententiæ, num. 12. pag. 873.
Neque esse illicitum actum coniugalem in loco sacro neque eo violari Ecclesiam, n. 13. p. 874.
Quid de actu coniugali, quando est alias illicitus, n. 14. pag. 874.
An omnis effusio seminis etiam occulta violet Ecclesiam variæ sententiæ, ibid.
Requiri publicam verius est, n. 25. p. 874.

CAPVT XI.

Quando sit illicitus actus coniugalis ex parte modi. pag. 875.

Clementis Alexandrini, & Hieronymi verbis admonẽtur coniuges honestatis seruandæ in actu coniugali, num. 1. pag. 875.
Afferuntur quæ certa sunt, num. 2. pag. 875.
Adduntur alia in eandem rem, num. 3. p. 876.
Quoties generatio impeditur, esse peccatum in reddendo, num. 4. pag. 876.

Copulam præternaturalem cum coniuge esse illicitam imo & eos tactus, num.5.pag.876.
Seminationem extra vas esse peccatum, n.6.p.876.
Copulam sodomiticam inter coniuges etiam esse adulterium, num.7.pag.877.
Posse vxorem reddere debitum marito effundenti semen extra vas, si non sit de eius consensu, n.8.p.877
Licere etiam viro inchoatum coitum non absoluere, si vxor nihil aliud exigat, num. 9.pag.877.

CAPVT XII.
Vnde sumenda sit ratio turpitudinis in simplici fornicatione, & pollutione. pag.878.

Simplicem fornicationem esse prohibitum, n.1.p.878.
Conciliorum decretis pœna imposita fornicantibus, num.2.pag.878.
Diluitur obiectio ex epistola Clementis, n.3.p.878.
Vnde sumatur turpitudo fornicationis variæ sententiæ, num.4. & 5.pag.879.
Vera ratio ex frustrato fine seminis, & actus generationis, num.6.pag.879.
Quomodo assignandæ species luxuriæ, n.7.p.880.
Vnde sumatur malitia pollutionis explicatur, numero 8.pag.880.

CAPVT XIII.
De obligatione vxoris in retinendo semine, & prospiciendo fœtui. pag.881.

Qualis obligatio fœminæ in retinendo semine, num. 1.pag.881.
Quando fœtus non est animatus licere facere aliquid quo sequatur abortus nonnulli dicunt oppositum verum, num.2.pag.881.
Quando est animatus non posse procurari abortum ad salutem, num.3.pag.882.
Licere vti medicamentis ad sanitatem matris, ex quibus præuidetur abortus, quidam dicunt, n.4.p.882.
Eorum fundamenta, num.5.pag.882.
Vera sententia, num.6.pag.882.
Soluuntur fundamenta primæ, num.7.p.883.

CAPVT XIIII.
Quando sit illicitus actus coniugalis ratione dãni. pag.884.

Coitus damna ex Clemente Alexandrino, n.1.p.884.
Cum periculo aut notabili damno coniugis non posse reddi, num.2. & 3.pag.884 & 885.
Neque si sit leprosus aut morbo contagioso infectus teneri alterum concedere, n.4.pag.885.
Quale peccatum sit accedere ad menstruam vxorem, variæ sententiæ, esse veniale, n.5. & 6.p.885.& 886.
Quid de accessu ad vxorem grauidã, n.7.p.886.
Quid de copula statim post partum, n.8.p.887.
Quid de copula tempore lactationis infantis, n.9.887.
Quid de copula tempore amentiæ, n.10.p.887.

CAPVT XV.
Quo pacto reddendum sit debitum cum dubio iuris aut facti? pag.887.

Quid de doctrina huius capitis late, & recte, n.1.887.
In dubijs tutiorem partem esse eligendam, tam in dubio iuris quam facti, num.2.p.887.
Aliqua inde colliguntur, num.3.pa.888.
Obijciuntur ex materia sacramentorum, n.4.p.888.
Diluitur obiectio, num.5.p.888.
Iuxta eam regulam procedendum in dubio matrimonij, reddendum & petendum debitum, n.6.p.889.
Eius legitima ratio assignatur, n.7 & 8.p.889.
Explicatur etiam ea ratio, quando dubium est de consanguinitate, aut vita prioris coniugis, n.9.p 8 9.
Opponitur ex motu Pij V. num. 10.p.890.
Opponitur ex cap.conquestus de rest. spoliat.num. 11.pag.890.
Opponitur ex contractu cum ea, quam dubitat esse seruam, num.12.pag.890.
Quando vterque coniux est dubius, neque potest peti, nec reddi, num.13.pag.890.
Excipe in impedimento impotentiæ, quod ipso vsu cognoscendum est, num.14.pag.891.
Quid si matrimonium non sit consummatum, & dubium incidat, num.15.pag.891.

CAPVT XVI.
De delectationibus morosis, inter coniuges. pag.891.

Quid agendum, num.1.pag.891.
Omnem delectationem de peccato mortali esse mortalem, num.2.pag.861.
Inferuntur nonnulla, num.3.pag.892.
Delectationem de ipsa cogitatione non semper esse mortale, & aliquando neque veniale, n.4 p.892.
Obiectioni occurritur, num.5.pag.892.

§. PRIMVS.
Quando delectatio de opere materialiter malo sit mortalis. pag.893.

Referuntur variæ sententiæ, num.6.pag.893.
Vera sententia statuitur, & explicatur, n.7.p.893.

§. SECVNDVS.
Prima regula de delectatione in materia venerea. pag.894.

De delectationibus in materia venerea iudicandum, sicut de voluntate efficaci, num.8.p.894.
Non licere delectari venereè sub cõditione si mulier esset sua, num.9 pag.894.
Non licere viduo delectari de copula præterita, num. 10.pag.894.
Non licere sponsis de futuro delectationem de copula futura, num.11 pag.895.
Non licere coniugatis alligatis voto delectationem de actu coniugali, num. 12.p.895.
Non licere delectationem de pollutione habita incul pabili modo, num.13.pag.895.

§. TERTIVS.
Proponuntur aliæ regulæ ad alias delectationum materias. pag.895.

In alijs materijs à venerea delectatione de opere proprio, quod ipse sine peccato potest efficere, non esse

esse peccatum nisi vitietur ex motiuo expresse adiuncto, num. 14. pag. 895.
Idem est si sit alicui honestum opus, de quo est delectatio, num. 15. pag. 896.
Quando simplex delectatio de opere malo sit mala, num. 16. pag. 896.
Non esse eandem rationem simplicis delectationis, & voluntatis efficacis, num. 17. pag. 896.
In quibus affectibus possit præcindi opus à circunstantia vitiante, num. 18. & 19. p. 896.
Explicatur in alijs materijs à venereâ an liceat delectari de obiectis malis, sub conditione si non essent mala, num. 20 pag. 897.

CAPVT XVII.
De potestate mariti ad irritanda vota vxoris, pag. 897.

Quid agendum, num. 1. pag. 897.
An vir habeat plenum dominium in voluntatem vxoris, prima opinio affirmans, num. 2. p. 897.
Negatiua verior, num. 3. pag. 898.
Soluuntur argumenta, num. 4. pag. 898.
Non posse maritum irritare votum vxoris de non petendo debitum, num. 5. pag. 898.
Nec votum de opere faciendo tempore soluti matrimonij, num. 6. pag. 898.
Neque emissum ante matrimonium, si non est materia subiecta, num. 7. pag. 898.
Idem dicendum de votis emissis in priori matrimonio, num. 8. & 9. pag 899.
Vota in totum irritata à marito non reuiuiscere, secus si ex parte, vel ad tempus suspensa, n. 10. p. 899.

§. PRIMVS.
De votis emissis ab vxore de consensu mariti. pag. 900.

Variæ sententiæ de irritatione voti castitatis vxoris de consensu viri, num. 11. pag. 900.
Vera sententia cum distinctione, n. 12. p. 900.
Quid quando vterque ex communi consensu emisit votum castitatis prima sententia, n. 13. p. 900.
Vera sententia, num. 14 pag. 900.
Posse ex mutuo consensu reuocare valide, licet cum peccato reuocent, nisi ex causa, ibid.
Quid de alijs votis, variæ sententiæ, n. 15. p. 900.
Vera sententia, num. 16. pag. 901.
Explicantur Ambrosius, & Augustinus, n. 17. p. 901.

§. SECVNDVS.
De potestate vxoris ad irritanda vota viri. pag. 901.

Posse vxorem irritare vota mariti in materia ipsi subiecta, num. 18. pag. 901.
Quid dicendum de voto mariti de non petendo debitum, num. 19. pag. 902.
Ex his soluuntur alia dubiola de votis viri, n. 20. p. 902
Quando censeantur vir, & vxor votum irritare, num. 21. pag. 902.
Non esse necessarium ad irritationem, vt superior cognoscat votum emissum in specie, n. 22. p. 902.
An requiratur causa ex parte irritantis, vel petentis. Verius ex nulla parte requiri, licet secus in dispensatione, & commutatione, n. 23. & 24. p. 903.

CAPVT XVIII.
An vxor possit votum emittere sine consensu mariti. pag. 903.

Aliqua vota possunt emitti à coniuge sine consensu alterius, alia non, num. 1. pag. 903.
Non omne votum esse manifestandum marito, num. 2. pag. 904.
Quid quando votum emissum versatur in materia subdita superiori, num. 3. pag. 904.
An votum obliget ad impletionem post mortem mariti explicatur. Prima opinio affirmans. n. 4. p. 904.
Secunda negans, num. 5. pag. 905.
Secundæ fundamenta infirma, n. 6. p. 905.
Explicatur an vir possit emittere votum sine consensu vxoris, num. 7. pag 905.

LIBER VNDECIMVS.
De originis confirmatione. pag. 906.

CAPVT I.
De originis confirmatione per iustas nuptias. pag. 906.

Vnde necessitas confirmationis originis, & quid agendum, num. 1. pag. 906,
Primus modus legitimandi proponitur, n. 2. p. 907.
A quo sumpserit legitimatio initium per nuptias, n. 3. pag. 907.
Quid statuerit Iustinianus, n. 4. & 5. p 907.
Quid additum legibus Pontificijs, n. 6. p. 907.
Legitimationem per matrimonium non esse iuris naturalis, sed positiui, num. 7. pag. 907.
Obiectio diluitur, num. 8. pag. 908.

§. PRIMVS.
Matrimonio inito in articulo mortis confirmari originem. pag. 909.

Etiam mortis articulo filium legitimari posse, num. 9. pag. 909.
Nonnulli qui contra sentiunt, refelluntur, num. 10. pag. 909.
Obijciuntur nonnulla, & diluuntur, num. 11. 12. pag. 909.

§. SECVNDVS.
Etiam matrimonio præsumpto, mediato, rato, & etiam existentibus alijs filijs legitimis originem confirmari. pag. 910.

Etiam matrimonio præsumpto legitimari filium, nu. 13. pag. 910.
Obijciuntur nonnulla, & diluuntur, n. 14. p. 911.
Etiam matrimonio mediato legitimari filium, num. 15. pag. 911.
Etiam matrimonio rato non consummato, num. 16. pag. 912.
Quamvis existant filij ex alio matrimonio, num. 17. pag. 912.

§. Ter-

§. TERTIVS.

Matrimonio sine dotalibus instrumentis, & sine parentum, aut filiorum consensu legitimari, & etiam nepotes. pag. 912.

Legitimum matrimonium etiam sine tabulis dotalibus, num. 18. pag. 912.
Non habere locum inspecto iure ciuili quidam sentiunt, num. 19. pag. 912.
Verius oppositum, num. 20. pag. 913.
Etiamsi matrimonium fiat absque consensu parētum, num. 21. pag. 913.
Nec requiri filiorum consensum ad legitimationem per matrimonium, num. 22. pag. 913.
Etiam legitimos reddi nepotes, n. 23. p. 914.
Obijciuntur nonnulla & diluuntur, n. 24 25. p. 914.

CAPVT II.

De qualitate in filijs requisita, vt legitimi reddantur sequentibus nuptijs. pag. 915.

Requiri in filio legitimando per matrimonium quod sit ex soluto, & soluta, num. 1. pag. 915.
Explicantur nonnulla ex iure ciuili, n. 2. p. 915.
Opponitur, & diluitur, num. 3. pag. 916.
Non legitimari filium susceptum, ab ijs, qui tenentur impedimento dirimenti, num 4 p. 916.
Secus si suscipiatur filius ab initiato minoribus ordinibus, num. 5. pag. 916.
Aut si tenētur parentes voto simplici castitatis, n. 6. pag. 917.
Aut si alter ex parentibus contraxerit tantum sponsalia, num. 7. pag. 917.

§. VNICVS.

Filios putatiue naturales etiam fieri legitimos sequenti matrimonio. pag. 917.

Filios naturales putatiuos legitimos fieri matrimonio etiam præsumpto, num. 8. p. 917.
Opponuntur nonnulla, num. 9. pag. 918.
Diluuntur, num. 10. pag. 918.

CAPVT III.

Quo tempore requiratur, aut sufficiat in parentibus habilitas ad contrahendum. pag. 919.

Proponuntur tres casus, in quibus examinatur quæstio, num. 1. pag. 919.
Si natiuitatis filij tempore parentes sunt habiles, legitimus efficitur sequenti matrimonio, n. 2. p. 919.
Opponuntur nonnulla, num. 3. 4 5. 6. & 7. pag. 920. & 921. & 922.
Idem dicendum si habiles sint tempore conceptionis non vero natiuitatis, num. 8. pag. 921.
Idem etiam, si intermedio tempore tantum fuerint habiles, num. 9. pag. 922.

CAPVT IIII.

De confirmatione originis per rescriptū principis. pag. 922.

Alter modus legitimandi per rescriptum, n. 1. p. 922.
Quædrm limitationes reijciuntur, n. 2. 3. p. 922.
Quæ dicatur legitimatio per rescriptum, n. 4. p. 922.
Quæ deinceps explicanda. num. 5. p. 923.

CAPVT V.

Qui possint legitimare. pag. 923

Supremos Principes legitimare posse, n. 1. p. 923.
Esse actum mediæ iurisdictionis inter contentiosam, & voluntariam, num. 2 pag. 923.

§. PRIMVS.

De potestate Romani Pontificis ad legitimandum. pag. 923.

Romanum Pontificem legitimare posse, n. 3 p. 924.
An legitimare possit in ordine ad temporalia in locis non subiectis illi in tēporalibus quorundam sentētia, num. 4. pag. 924.
Aliorum sententia sub distinctione, n. 5. p. 924.
Verior sententia negans, num. 6 pag. 924.
Respondetur fundamentis primæ, n. 7. p. 925.
Quando Pontifex legitimare possit dispensando in radice matrimonij, num. 8. pag. 925.
An possit dispensare cum præiudicio tertij, num. 10. pag. 926.
Quibus verbis censentur legitimare dispensando in radice matrimonij quorundam sententia, num. 11. pag. 926.
Vera sententia ex decisione Rotæ, n. 12. p. 926.
Explicatio quotidianæ quæstionis, n. 13. p. 927.

§. SECVNDVS.

De alijs qui legitimare possunt. pag. 937.

Imperatores, & Principes sæculares supremos legitimare posse sibi subditos, num. 14. & 15. pag. 937. & 938.
Posse legitimare per alios, & mediate, n. 16. p. 938.
An infans à Comite Palatino legitimari possit, num. 17. pag. 938.
An idem Comes legitimare possit aliquem extantibus filijs legitimis, num. 18. pag. 938.

CAPVT VI.

Qui possint legitimari? pag. 939.

Legitimandus debet esse subditus legitimanti, num. 1. pag. 939.
Infertur legitimari non posse non subditum, etiam vt succedat in bonis, quæ sunt in territorio legitimantis, num. 2. pag. 939.
Opponitur & sit satis, num. 3. pag. 939.
Principem suum filium legitimare posse nonnulli docent, num. 4. pag. 940.
Alij verius negant, num. 5. pag. 940.
Principem sæcularem filium clerici legitimare posse, num. 6. pag. 940.
Alij verius negant, n. 7. & 8. pag. 940. & 941.
Clericum minoribus initiatum gaudentem priuilegio fori non posse legitimari à sæculari Principe, num. 9. pag. 941.
Opponuntur nonnulla, & diluuntur, num. 10. & 11. pag. 941.
Inuitum legitimari non posse, n. 12. p. 942.
Qualis filij consensus esse debeat, n. 13. p. 942.

Limi-

Limitatur ea doctrina, num. 15. pag. 942.
Quæ qualitas consideranda in parentibus legitimandi, num. 16. pag 943.

CAPVT VII.

De forma petendi rescriptum, & conditionibus seruandis. pag. 943.

Legitimationem fieri debere ex causa, n. 1. p. 943.
Explicandum in libello an potuerint parentes facile nuptias contrahere, num. 2. pag. 943.
Et an sint alij legitimandi, vel extent filij legitimi, n. 3. pag. 943.
Quando necessarium vt citentur agnati, & cognati, num. 4. pag. 944.
An filius legitimari possit hæreditate deuoluta ad agnatos, num. 5. pag. 944.
Quomodo species illegitimitatis explicanda, num. 6. pag. 944.
Opponitur, & diluitur, num. 7. pag. 945.
An explicandum, quando est duplicatum adulterium num. 8. & 9. pag. 945.
Limitatio prædictorum, num. 10. pag. 945.

CAPVT VIII.

De legitimatione ex bona fide matrimonij. pag. 945.

De quo agendum, num. 1. pag. 945.
Filios ex matrimonio bona fide inito legitimos esse, num. 2. pag. 946.
Quæ requirantur, vt bona fide matrimonium contrahi dicatur, num. 3. pag. 946.
Id esse dispositum iure Ecclesiastico, n. 4. p. 946.
Legitimos esse filios susceptos ex matrimonio inito post nuntium de morte viri, etiamsi postea reddatur primo, num. 5. pag. 946.
Et susceptos ante sententiam latam de nullitate coniugij vel lite pendente, num 6. p. 946.
Et quamvis lite pendente prohibiti sint cohabitare, num. 7. pag 947.

CAPVT IX.

De legitimatione ob bonam fidem de filiorum natiuitate. pag. 947.

Explicatur id de quo agendum, n. 1. p. 947.
Filij domi nati constante matrimonio legitimi habentur, etsi sint ex adulterio, num. 1. pag. 947.
Maior declaratio eius doctrinæ, num. 3. p. 947.
Expositos habendos pro legitimis, n. 4. p. 948.
Aliorum sententia proponitur, & reijcitur, n. 5. p. 949.
Expositos irregulares non esse, n. 6. pag. 949.

CAPVT X.

De alijs modis, quibus origo confirmatur. pag. 949.

Oblatione Curiæ legitimari filium, n. 1. p. 949.
Obseruatio de Curialibus, num. 2. pag. 949.
Quibus modis fieret oblatio Curiæ, n. 3. p. 950.
Accusius refellitur, num. 4. pag. 950.
Legitimatio per adoptionem, num. 5. pag. 950.

CAPVT XI.

De effectu legitimationis. pag. 950.

De quo agendum, num. 1. pag. 951.
Legitimatos per subsequens matrimonium verè esse legitimos, num. 2. pag. 951.
Per omnia æquiparantur legitimis, n. 3. p. 951.
Capaces eorum, quæ in statutis cõceduntur legitimis, num. 4. pag. 951.
Habiles esse ad ordines, & beneficia quæcunque, numero 5. pag. 951.
Habiles esse ad succedendum patri in hæreditate, num. 6. pag. 951.
Admitti etiam ad feuda, & primogenita, n. 7. p. 952.
Filius susceptus ex concubina, etiamsi postea ex alia suscipiantur liberi constante matrimonio si legitimus postea est præferendus, quamvis aliqui negent, num. 8. & 9. pag. 952.
Succedit filius legitimatus per subsequens in maioratu ad quem vocantur filij nati ex legitimo matrimonio, num. 10. pag. 952.
Idem dicendum, etiamsi in odium substituti contrahat matrimonium ad legitimandum aliquem, num. 11. pag 953.
Eodem modo iudicandum de filijs putatiuis naturalibus, num. 12. pag. 953.
Quid dicendum de legitimato per rescriptum. Quæ discrimina inter vtranque legitimationem quoad effectum succedendi, num. 13. pag. 955.

LIBER DVODECIMVS.

De Sponsalibus pag. 955

CAPVT I.

Quid sint sponsalia. pa. 955.

Sponsalia vnde dicta, num. 1. pag. 955.
Variæ significationis esse, num. 2. pag. 956.
In dubio sponsæ nomine intelligi sponsam de futuro num 3. pag. 956.
Sponsalium definitio, num. 4. pag. 956.

CAPVT II.

In sponsalibus sufficere consensum fictum. pag. 956.

Promissionem sine animo promittendi esse non posse, num. 1. pag. 957.
In quo consistat promissio, & quomodo differat à proposito, num. 2. pag. 957.
Promissionem inter homines consistere in verbis, num. 3. pag. 957.
Ex his probatur quod dictum est, n. 4. p. 958.
Status quæstionis explicatur, n. 5. p. 958.
Ex promissione sine animo se obligandi, & cum animo promitendi nullam obligationem oriri quidam dicunt, num. 6. pag. 958.
Opposita sententia verior probatur, n. 6. d. 958.
Obiectionibus satisfit, num. 8. & 9. p. 959.

§. VNICVS.

Colliguntur ex dictis nonnulla. pag. 959.

Idem dicendum de voto, num.10.pag.960.
Idem dicendum a fortiori si promissio sit iurata,num. 11.pag.960.
Non esse in potestate promittentis se obligare ad veniale,vel mortale, num.11.p.960.
Valet etiamsi dubium sit de animo se obligandi si promisit,num.13.pag.960.
Qui sub spe coniugij promissi virginem defloravit tenetur implere etiam secluso damno,n.14.p.961.
Idem etiamsi dispares in nobilitate, & diuitijs, si nota erat disparitas, num.15.pag 961.
In quo casu nobilis fictus promissor non teneatur, num.16.pag.962.
Ficte promittentem in iudicio rogatum an promiserit,non posse negare,num.17.pag.962.

CAPVT III.

Sponsalium promissionem mutuam esse debere, pag.962.

Præmittuntur nonnulla de forma stipulationis, num. 1.pag.963.
Sponsalium contractum esse mutuum, n.2.p.963.
Promissionem sponsalitiam antequam alter acceptet,posse reuocari,num.3.pag.963.
Mortale peccatum esse non implere sponsalia, num. 4.pag.964.
Si fœmina respondeat,placet,roganti an velit ductum iri,valent sponsalia,num.5.pag.964.

CAPVT IIII.

An possit esse promissio matrimonij alteri facta non mutua.pag.964.

Quidam asserunt promissionem matrimonij esse posse non mutuam, num.1.pag 964.
Verius oppositum probatur,num.2.pag.964.
Repellitur quorundam solutio, n.3.p.965.
Promissio matrimonij non obligat neque ex iustitia, neque ex fidelitate ante acceptationem alterius, num.4 pag.965.
Obijcitur,& fit satis, num.5.& 6.pag.965.
Promissionem matrimonij factam infanti esse nullã, num.7.pag.966.
Opponitur,& respondetur, num.8.pag.966.
Promissionem matrimonij etiam absenti fieri posse, num.9.pag.966.
Si viro promittente fœmina acceptet, non esse necessariam repromissionem, num.10.p.966.
Obiectioni aliorum fit satis,num.11.p.966.

CAPVT V.

De alijs, quæ requiruntur ex parte contrahẽtium, vt sponsalia sint valida.pag.967.

Deliberationem, rationis vsum, libertatem, signa externa requiri ad sponsalia,n.1.p.967.
Vt sint habiles ad contrahendum matrimonium, nu. 2.pag.967.
Quæ ætas requiratur ad sponsalia,n.3.p.968.
Quid de matrimonio de præsenti inter impuberes, num.4.pag.968.
Debere ferri in personam determinatam, n.5.p.969.
Nullam esse formam pro sponsalibus contrahendis, num.6.pag.969.

CAPVT VI.

Quem effectum habeant sponsalia valida. pag.969.

Ex sponsalibus oritur obligatio cõtrahendi matrimonium,& quomodo obligatio intelligenda, num.1. pag.969.
Quomodo qui renuit compellendus sit à iudice, nu. 2.pag.970.
Opponuntur nonnulla, & diluuntur, num.3.4.& 5. pag.970,& 971.
An copula cum sponsa sit adulterium iure ciuili,num. 6.& 7.pag.971.
Non esse adulterium iure Canonico, n.8.p.972.

CAPVT VII.

De sponsalibus conditionatis. pag.972.

Sponsalia conditionata explicantur iuxta ea, quæ de matrimonio,num.1.pag.972.
Conditio contra substantiam matrimonij reijcitur ab sponsalibus,num.2.pag.973.
An idem de turpi,& impossibili,n.3.pag.973.

CAPVT VIII.

De sponsalibus quibus aduenit iuramentum. pag.973.

Quid explicandum,num.1.pag.973.
Diuisio iuramenti in assertorium, & promissorium,& eius explicatio,num.2.pag 947.
Vtilem esse quæstionem de vi, quam addit iuramentum contractui, num.3.pag 974.

§. PRIMVS.

Quæ obligatio nascatur ex iuramento.p.974.

Prima propositio de vi,quam habet iuramentum, natura sua,num.4 pag.974.
Ex iuramento præcise solum oriri obligationem religionis, num.5.pag.975.
Quando adest alia obligatio, non esse ex vi iuramenti num.6.pag.975.
Explicatur quare dicatur iuramentum induere naturam actus,cui adiungitur,num.7.pag.975.

§. SECVNDVS.

Quæ debeat esse materia iuramenti, vt obligationem inducat, pag.976.

Enunciatio secunda de materia iuramenti, illam debere esse honestam ex se, vel ex fine operantis,numero 8.pag.976.
Iuramenti materia non fore turpem probatur,num. 9.pag.976.
Opponitur ex Leuitici 5.num.10.pag.976.
Opponitur ex Iudicum vlt.num.11.pag.976.
Opponitur ex 1.Esdræ 10. num.12.p.977.

Quarta obiectio diluitur, num. 13. p. 977.
Opponitur ex cap. cum quidam de iure iurand. num. 14. pag. 977.
Opponitur ex cap. venerabilem de electione, num. 15. pag. 977.
Opponitur ex Ioſue 9. num. 16. pag 977.
Quid dicendum de iuramento de re illicita tempore iuramenti, quæ poſtea fit licita, n. 17. p. 978.

§. TERTIVS.

Explicatur ſecunda pars ennunciationis, & nonnulla colliguntur. pag. 978.

Iuramenti materiam non poſſe eſſe indifferentem, num. 18. pag. 979.
Sed honeſtam vel ex ſe, vel ex fine operantis, num. 19. pag 979.
Non valere iuramentum innocentis damnati ad mortem de redeundo ad carcerem, n 20, p. 979.
An poſterius iuramentum poſsit obligare cõtra prius explicatur, num. 21. pag. 979.
Valere iuramentum latroni factum de vſurario, num. 22. pag. 980.
Valere iuramentum de opere virtutis impeditiuo maioris boni, num. 23. pag. 980.
Quomodo iudicandum de iuramento non faciendi, vel omittendi aliquid, n. 24. p. 980.
Quid de iuramento non implendi aliquod conſilium Euangelicum, vel de non ingrediendo, religionem num. 25. pag. 980.
Opponitur ex cap. commiſſum de ſponſ. n. 26. p. 981.
Quid de iuramento alumni collegij Anglicani, num. 27. pag 981.
Non valere iuramentum de non agẽdo aliquid, quod ſi non agat, præbet occaſionem ruinæ, n. 28. p. 982.
Explicatur cap. quemadmodum de iur. iur. n. 29. p. 982
Quidquid ſit contra legem aliquam obligantem in conſcientia, non valere, n 30. p. 982.

§. QVARTVS.

Quomodo ea doctrina accomodanda ſit actibus cõtra leges ciuiles. pag. 983.

Enunciatio tertia. Ex eo quod materia iuramenti non poſsit eſſe turpis, non recte colligi quædam iuramenta non valere, num. 31. p. 983.
Non eſſe nullum ex eo capite iuramentum appoſitũ ſtipulationi pœnali de non reuocando teſtamento, num. 32. pag. 983.
Idem dicendum de iuramento addito ſtipulationi pœnali de contrahendo matrimonio, n. 33. p. 983.
Idem de iuramento confirmante donationem omniũ bonorum, num. 34. pag. 983.
Idem de iuramento cõfirmante contractus nullos ob bonum publicum, num. 35. pag. 983.
Explicatur ex quadam regula quomodo diſcernendum ſit quando iuramentum confirmans id, quod contra leges ciuiles eſt, ſit nullum, quia cadit ſupra materiam illicitam, num. 36. pag. 984.

§. QVINTVS.

Quæ obligatio iuramẽti, quando lex illi reſiſtit. pag. 984.

Quarta enunciatio. Nullum eſſe iuramentum lege prohibente actum confirmari illo, ſiue ſit lex Pontificia, ſiue ſæcularis, num. 37. p. 985.
Primam concluſionis partem certam eſſe, ibid.
Poſſe reſiſtere Pontificem, & Principem ſæcularem, ne apponatur iuramentum probatur, n 38. p. 985.
Principem ita poſſe prohibere, ne adhibeatur iuramẽtum. Vt ſi apponatur, nulla ſit obligatio iuramenti oſtenditur, num. 39. pag. 985.
Tales leges eſſe iuſtas, neque aduerſari libertati Eccleſiaſticæ, num. 40. pag. 986.
Iure etiam ciuili iuramentum non admitti ad firmandum contractum lege prohibitum, n. 41. p. 986.

§. SEXTVS.

Quam vim habeat iure ciuili iuramentum ſupra actus inualidos. pag. 987.

Inre ſæculari nullum eſſe iuramentum cadens ſupra contractum iure nullum, quicunque ille ſit, num. 42. pag. 987.
Quæ probanda ſunt proponuntur, n. 43. p. 987.
Primum probatur, num. 44. & 45. p. 987.
Secundum probatur, num. 46. p. 988.

§. SEPTIMVS.

Quid dicendum iure Pontificio? pag. 989.

Sexta enunciatio. Idem dicendum iure Pontificio, & quamvis aliquid addat iuri ciuili, non tamen illi cõtrarium, num. 47. pag. 989.
Iuramentum additum contractibus laicorum iure nullis non firmari iuramento iure Pontificio probatur num. 48. pag. 989.
Quid addiderit ius Pontificium ſupra ciuile explicatur, num. 49. pag. 989.
Impugnatur Antonius Faber circa intellectum diſpoſitionis Pontificiæ, num. 50. pag. 990.
Tribus obiectionibus fit ſatis, num. 51. 52. & 53. pag. 990. & 991.

§. OCTAVVS.

Ex doctrina tradita colliguntur nonnulla. pag. 991.

Iuramentum additum contractibus nullis ob vtilitatem publicam, non ſolum non confirmare contractum ſed neque ipſum iuramentum robur habere, num. 54. pag. 991.
Obijcitur, & diluitur, num. 55. pag. 991.
Limitatur tradita doctrina, num. 56. p. 992.
Quando lex prohibet, & fertur in perſonas nullum eſſe iuramentum firmans actum contra illam explicatur exemplis. num. 57. p. 992.
Inſpiciendum eſſe quod iure prohibeatur, & ſupra quid cadat iuramentum, n. 58. pag 992.
Alienationem rei dotalis, & alios contractus de quibus ibi, non firmari iuramento, num. 59. p. 993.
Quid dicendum de iuramento oppoſito ſponſalibus, & matrimonio explicatur ex dictis, n. 60. p. 993.

§. VLTIMVS.

Quid dicendum de iuramento per vim, & metũ extorto. pag. 993.

Quæ sunt certa statuuntur, num.61.pag.993.
Variæ sententiæ de valore iuramenti metu extorti, iure positiuo, num.62.pag.993.
Posse ius Pontificium reddere nullum eiusmodi iuramentum, num.63.pag.994.
Iure ciuili iuramentum dolo, & metu extortum additum actibus validis nullius esse momenti, numero 64.pag.994.
Impugnatur in hoc quorundam placita, num.65.& 66 pag.994.
Idem dicendum iure Lusitaniæ, atque Castellæ, num. 67.pag 995.
Iure ciuili, & Canonico iuramentum vi extortum additum actibus inualidis ob vtilitatem publicam nullum esse, num.68.pag.995.
Idem dicendum iure ciuili, & Castellæ qui additur contractibus nullis ob vtilitatem priuatam, nume. 69 pag.995.
Quid dicendum iure Pontificio, n.70.& 71.p.995.
Reijcitur aliquorum distinctio, num.72.73.&74.pag. 996.
Iuramentum confirmans matrimonium ex metu irritum, nullum esse, n.75.p.996.
Idem dicendum de iuramento addito sponsalibus ex metu contractis, n.76.pag.997.

CAPVT IX.

Sponsalia dissolui mutuo dissensu.pag.997.

Mutuo consensu dissolui sponsalia, n.1.p.997.
Etiamsi sint iuramento firmata, n.2.p.997.
Quid de sponsalibus impuberum, n.3.p.998.
Idem de sponsalibus impuberum præsumptis, num. 4.pag.998.
Quid si ante pubertatem dissensit, & præstat indissensu, n.5.pag.998.
Discrimen inter sponsalia ante septenium, & ante pubertatem, n.6.pag.998.
Quid si sponsalia impuberum, iuramento confirmentur, n.7.& 8.pag.998.& 999.
Quid quando parentes contrahunt pro filijs, n.9.999.
Obiectioni fit satis, num.10.pag.999.

CAPVT X.

De ingressu in religionem.pag.1000.

Ingressu in religionem dissolui sponsalia, num 1.pag. 1000.
An per solum ingressum, an vero professio expectanda sit, variæ sententiæ, n.2.p.1000.
Verior sententia, n.3.& 4.pag.1000.
Quatuor obiectionibus aliorum fit satis, n.5.6.7.& 8. pag.1000.& 1001.
Quod si sponsalia sint iurata difficultas ex cap. commissum proponitur, variæ interpretationes reijciuntur, n.9.10.& 11.pag.1001 & 1002.
Duæ eius textus interpretationes magis probantur, num.12.& 13.pag.1002.& 1003.

CAPVT XI.

De ordinis sacri susceptione, pag.1003.

Non dirimi sponsalia susceptione minorum ordinum, sed maiorum, num.1.pag.1003.
An peccet qui post sponsalia ordinatur sacris, variæ sententiæ, num.2.pag.1003.
Non peccare videtur probabilius, n.3.p.1004.
Quid de postulato, aut præsentato ad Episcopatum, n.4.p.1004.

CAPVT XII.

De voto simplici.pag.1004.

De voto religionis, castitatis, susceptionis sacrorum ordinum, si præcedant, dirimere sponsalia, num.1. pag.1004.
Voto religionis subsequenti dissolui, n.2.p.1005.
Idem dicendum de voto suscipiendi sacros ordines, num.3.pag.1005.
Idem dicendum de voto castitatis, n.4.p.1005.
Tribus obiectionibus satis fit, n.5.6.& 7.p.1006.

CAPVT XIII.

De matrimonio, pag.1007.

Matrimonio valido dissolui sponsalia, n.1.p.1007.
Certum dissolui quoad eum qui non contraxit matrimonium, n.2.p.1007.
Dissolui etiam quoad eum qui contraxit quidam docent, n.3.pag.1007.
Verius oppositum, n.4.pag.1007.
Explicatur caput qui post votum de regul. in sexto, num.5.6.7.& 8.pag.1008.& 1009.

CAPVT XIIII.

De secundis sponsalibus.p.1009.

Per secunda sponsalia non dissolui prima, n.1.p.1009.
Etiamsi iuramento firmentur secunda, n.2.p.1009.
Quid si cum secundis sponsalibus sequatur copula explicatur, n.3.& 4.pag.1009.& 1010.
Quid dicendum in eo casu ante Tridentinum, num.5. p.1010.

CAPVT XV.

De absentia sponsi.pag.1011.

Absentiam esse causam dissoluendi sponsalia, num. 1.pag.1011.
Intellige quando cum absentia mutatur domicilium, num.2.pag.1011.
Quid quando non mutatum est domicilium, & est iusta causa absentiæ, & quandiu expectãdus iure ciuili, & Canonico, n.3.& 4.pag.1011.

CAPVT XVI.

De elapsu termini præfixi.pag.1012.

Elapsu termini præfixi etiam dissolui sponsalia. Quibus modis soleat terminus præfigi, n.1.p.1012.
Quid quando verba, quibus terminus præfigitur, sunt ambigua. Duæ regulæ quorundam, n.2.p.1012.
Reijciuntur vt parum solidæ, n.3.pag.1013.
Verior explicatio, num.4.p.1013.

CAPVT XVII.

De superuenienti mutatione, aut impedimento pag.1013.

Dissolui sponsalia ex superueniente impedimento affinita-

Ostenditur exemplis Monicæ, & Bernardi, quam curam debeant parentes filijs, num. 2. p. 1055.
Ex his fit, cum matrimonium contrahitur, obligationem esse prospiciendi bonæ prolis educationi, nu. 3. pag. 1056.
Quæ cautio pro recta educatione prolis censeatur prudenter sufficiens, num. 4. pag. 1056.

CAPVT VIII.

An Pontifex dispensare possit, vt catholicus copuletur hæretico, & quis sit eius dispensationis sensus. pag. 1057.

Etiamsi cesset periculum, necessariam esse dispensationem Pontificis ad ea matrimonia, nisi vbi abrogata est lex Ecclesiastica per consuetudinem contrariam, num. 1. pag. 1057.
Requiri causam, vt licite dispensetur, non vt valide, num. 2. pag. 1057.
Qualis causa requiratur. Singularis sententia Ioannis Azor, num. 3. pag. 1057.
Ad legitimam causam non requiri, quòd hæreticus dispensationem petat, aut conuersionem promittat, sed sufficere commune bonum, aut tranquillũ catholicorum statum alicuius Regni, num. 4. pag. 1057.
Si cautum sit periculo peruersionis, solam commoditatem conuictus humani in matrimonijs, esse sufficientem causam dispensationis, n. 5. p. 1058.
An si iusta causa sit contrahendi, & petita dispensatio negetur, possit contrahi, deciditur ex generalibus principijs, num. 6. pag. 1058.
Ex his explicatur sensus Pontificiæ dispensationis, num. 7. pag. 1058.

CAPVT IX.

Quomodo sit celebrandum matrimonium catholici cum hæretico. pag. 1059.

Proponuntur examinanda, n. 1. p. 1059.
Seruandam esse formam Tridentini sub distinctione explicatur, num. 2. pag. 1059.
Peccare parochum assistentem istis matrimonijs, quidam docent, num. 3. pag. 1059.
Non peccare parochum assistentem, neque cooperari peccato contrahentium verius est. n. 4. & 5. 1060.
Idem dicendum de Episcopo, licet cum aliquo discrimine, num 6. pag. 1060.
Nec peccare parochum, ex eo quod communicet cũ hæretico excommunicato contrahente, n. 7. p. 1061
Non debere interuenire benedictiones, neque necessarias esse ad valorem matrimonij, numer. 8. pag. 1061.
Qualis intentio in catholico, & hæretico sufficiat ad rationem sacramenti matrimonij, nume. 9. pagina 1061.
Si hæreticus non habeat intentionem faciendi quod facit vera Ecclesia, non fore sacramentum, fore tamen contractum, num 10. pag. 1062.
Quid si hæreticus existimet esse dissolubile matrimonium in aliquo casu, quem existimat iure diuino permissum, num. 11. pag. 1062.
Quid hæretici nostri temporis sentiant circa dissolutionem matrimonij ostenditur testimonijs hæreticorum, & catholicorum, num. 12. & 13. pag. 1062. & 1063.
Imponi hæreticis, quod vt dogma teneant matrimonium cum Papistis esse nullum, nume. 14. pagina 1063.

LAVS DEO.

ERRATAS.

PAG.53.col.2.lin.29.coniugũ,di.coniugium.pag.74.col.1.lin.11.diuitas,di. diuitias.pag.78.col.1.lin.53.artatẽ, di.ætatem pag.82.col.2.li.50 ſuſcipio,di.ſuſpicio,pag.138.col.1.lin.40.iure,in habetur,di.quod iure habetur pag.276.col.1.lin.20.emptorem,di.venditorem.pag.339.col 1.lin.32.parte,di.patie.pag.366. col.1.lin.6.doco, di. dico,lin.41.temporibus,di.temporalibus.pag.373.col.1.lin,antep.paaſus, di.paratus.pag.423.col.1.lin 4.ſpeciatur,di.ſperatut.pag.517 col.2.lin.19 nuotias,di.nuptias.pag.631.col.2.lin. 8.fuorit, relinquerit, dig.fuerint reliquerint.pag.694 col.1.lin.4 ſuperiorem,di.ſuperiorum.pag.697. col.1.lin.14.deiunctæ, di.deuinctæ.pag.705.col. 1.lin.44.ſubſtitente,di.ſubſiſtente.pag.738.col.1.lin.28.Catherinũ,di.Catherinã pag.754.col.2.lin.25.niſi, dig.niſi. pag.807.col.2.lin.3.minor,di.miror.pag.827.col.2.lin.22.immunius,di.minimum.lin.50.pauia, di. paria. pag.831. col.2.lin.9.nimium,di.minimum,lin.14.inſtituo,di.inſtituto.835.col.2.lin.14.adulterium, di.adulterum.pag.894. col.2.lin.8.poſt,di.poteſt.pag.887.col.1.lin.38.ſufficetur,di.ſuffocetur.pag.898.col.2.lin.29.ordiriæ, di.ordinariæ, pag.961.col.2.lin.4.Exctrina,di.Ex doctrina.

Con eſtas erratas eſta impreſſo conforme àſu original eſte libro de matrimonio, del Padre Maeſtro F. Baſilio Ponce de Leon. En fe de lo qual lo firme. En Salamanca oy 24. de Março del año 1624.

El Corrector, &c. *Manuel Correa de Montenegro.*

REGESTVM OPERIS.

Omnes ſunt quaterniones præter ¶ qui eſt duernio,& xxx. yyy. qui ſunt quinquerniones, & zzz. qui eſt ſexernio.





6
149

7.776